





THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM.

VOLUMEN VII.

THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM,

CONTEXTUS ET DESIGNATUS


ab

JACOBO GRONOVIO.

VOLUMEN SEPTIMUM

Sacris præsertim Græcis & Festivitatibus operatum.

Series librorum voluminis præfationem sequitur.



I: Camerata in: P: Monaco sc.

VENETIIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.


M. DCC. XXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ

S. P. D.

JACOBUS GRONOVIUS.



Non ſi votis adjuvare progreſſum hujus laboris poſſem, optatius aliquid ex Græciæ veteris, quam tractamus, ſenſu caderet, quam quod res & materia ipſa nobis rite progredientibus favens αὐτομάτως & inopinanter offert & oſtendit; ut dubitare non liceat, quin optime hæc ſint numeris partibuſque ſuis diviſa. Ita ſæpe apparuit, quod nemo exſpectaverat, accidiſſe ultro etiam, ſed peropportune. Jam indolem Græciæ ad conſilia publica bene ſpectaveras; jam theatra & curias & ſynodos adiveras, jam judiciorum auditoria ac tribunalium ſedes peregeras, atque adeo ſumma rerum capita erant abſoluta, ſingula licet vario ac diſcrepante ritu celebrata, tamen ad unum omnia collineantia, ut libertas & ſocietatis fides in tuto maneret, utque corpora perinde ac bona eſſent ſancta, nec obnoxia. Sed ad fidam ſummæ reipublicæ cuſtodiam reſtabat altera hominis pars, quæ in mente conſiſtit. Hanc vel maxime ab ſervitio, ab tumultu, ab omni vexatione integram & liberam conſervari ſine ulla exceptione intererat. Nec defuit Græcis aut voluntas aut induſtria. Defuit facultas. Non eloquentiæ modo apud Petronium corrupta ſemel regula ſtetit & obmutuit, ſed ipſius quoque veritatis & animi. Nam quum ſatis concurſaverint, laboraverintque, ut opiniones & quicquid præterea mentis eſt, recte conſtituerent & ad meri veri formulam ſolam adſtringerent, quo unico remedio libertas & majeſtas ejus ſalva eſt, deſtituit eos fortuna, adeo ut quicquid illis inerat divinum, factum fuerit bona fide ſervum & miſerabile, ſtupore vano defixum mendaciiſque & inanibus ſubjectum. Defuit iſte Hercules, qui dicere illis poſſet Οὐδὲν ἱερὸν non modo in Adonide, ſed in omnibus. Nocuit eis abolitio primæ originis, & quoniam ſemel deperdito atavorum ſtemmate nunquam licuit poſtea reperire id ipſum ac recuperare, ab ſolido & ſalutari mentem quoque converterunt ad adulterata deliria, & pro patrio & quaſi προγόνων ἡρώων opere jactaverunt proque egregio, quod nec unquam terra iſta, dum virgo fuit, habuerat, & non ab ſalubri acuminis humani ratione, ſed ab deteſtandis & tartareis quorundam alaſtorum fabulis male feriando erat non excogitatum, ſed nefariæ temeritatis impetu profuſum. In tantum ſemel ab recto curſu ablata navis & per ſequentem ætatis lapſum in errorem indies cæciorem delirans peſſum denique abiit, ut talia illi potuerint appellare ἱερὰ, & certe adoraverint. Hæc tantæ dignitatis habita, ut animum ex divina parte datum, illis, quæ ſane penitus erant nulla, addicerent devoverentque ad humillimas quaſque famulitii obſequioſi fæditates. Tantam ſaburram quotidie ſine ſenſu aggravare ſuſtinuit Græcia; donec tandem intelligens ſuam miſeriam po-

tuit ab Tarſenſi cive implorare opem, ut felicior portio his fallacibus nugis per ejuſdem conciones eximeretur, ac futurus ſæculorum ordo in perpetuum aperta cœli ſecreta ex ipſius gentis ore conſcripta poſſet noſcere. Iſta tamen qualiacunque cœlo damnata quum vergerint in perpetuam eorum calamitatem, & cum tenebris ipſorum Græcorum ac pernicie mereantur obnubilari; tamen melior poſteritatis pars & ab Deo ipſo formata nec olim judicavit inutilia cognitu, nos autem ut crederemus vel diligentiſſime perſequenda, fructuum inde maximorum perceptio ſuaſit confirmavitque; duntaxat ut miſerias illorum ſpeculari recte & conſiderare liceat. Sed ſic quoque involuta habentur multa inſtrumenta doctrinæ & ſermonis eorum certiſſima indicia ac γνωρίσματα. Quare mordenda eſt laurus, & ἱερὰ illa commovenda ſunt, idque ſeptenarii in hoc Theſauro voluminis numerum occupatura, quo nullus decentior poterat in iſta erogari, ut ſic illorum ſacra etiam in ferculo per ipſum ordinem & numerum ſacro collocarentur, quippe quem & omnium adeo rerum nodum finxerunt, & ipſius Palladis appellatione ſuperſtitioſa honorarunt. Habe ergo quam potuimus, ſtipem in ſeptimum hunc miſſum conjectam, non quam voluimus & optavimus. Miror enim maximopere, plurimis eorum, qui ad iſta collectanea ſe contulerunt, adeo libuiſſe in vulgaribus comportandis operam perdere & relegere ea, quæ cunctis chartis inſcripta uſurpantur, quum vel ſola Græcia ſuppeditaret tot urbes tanto ac tam diverſo numero Deorum ſtipatas & affluentes, ut quicunque dies novam quandam partem & ex illis cœli palatiis ſingulare chalcidicum aggredi & patefacere poſſet.

Ex eo genere ſunt illa, a quibus vides agmen duci, tum Theologia gentilis, tum Varia Sacra gentilium. Præclarus uterque index & unice promittens ea, quæ ad ſcopum & animum noſtrum videbantur reſpondere. An fecerint, videant alii. Certe & nunquam non nos paſcimur Græcis, & quum memorentur βάρβαροι καὶ ἐθνικοὶ, tum præcipue Ἕλληνες audiunt, quibus myſtagogi primi ſacrorum noſtrorum ut ab vero Deo alienis reſtiterunt. Adeo Hellenes & Græci plurimam in gentilium appellatione partem olim obtinuerunt. Adeo hi Græci vel inventis per ſuas regiones nugis, vel undique verſus arceſſitis, ac viciſſim quaquaverſum miſſis fuerunt incliti, ut nihil gentilis Theologiæ circa mare mediterraneum innotuerit, cui non coloni Græci aliquid ſuum invexerint. His autem Græca tantum interſparſa vidi, ſi diſceſſeris ab quibuſdam libri ſecundi capitibus: multum abeſt, ut primariam operis conſtituant materiam & molem. Unaquæque cœli plaga, modo noſtris detecta, atque adeo ab Græcis diſſita quam remotiſſime, imo ignota huc advocatur. Tum liber tertius fere conſtat ex Romanis, qui exorti demum conſtituto jam Helleniſmo parum juvant amabilia Græca noſtra. Itaque nihil in eis melius video, quam quod auctores locaque luculente annotari contigit; unde iſta ſingula deſcripſerit; a quo multum abeſt opera iſta, quam ſecundam poſitam aggredieris. Interim non debuit ſcribi colum. (54) *Qui coronarum conjectus & Lacedæmone in uſu fuit, teſte iterum Plutarcho, ubi Pelopide interfecto certatim congeſta* τρόπαια καὶ στέφανοι καὶ πανοπλίαι χρυσαῖ. Nihil enim Pelopidæ ad Lacedæmona. Non debuit ſcribi co-

lumn. (66) *Hecubæ tumulus, quem Græci vocant* Κυνὸς σῆμα *& Plin. lib.* IV. C. XI. *Cynossema statuitur a Strabone lib.* XII. *pag.* 595. *ad amnem Rhodium*. Ita sane hoc fit, ut Cynossema sit in Europa, Rhodius in Asia toto minimum Hellesponto interposito. Non debuit dignum citatione ducere ex Lamberto Hortensio column. (84) *Tænarum umbrosum esse antrum in radice promontorii Maleæ in Laconica*, quum Laconicus sinus intersepiat Maleam ab Tænaro. Et quam ridiculum est colum. (126) *Hinc eo autore, teste Hygino Fabul.* 238. 239. & 242. *pater occidit Callisthenem Eubœæ filiam pro patriæ salute*. Facile potuit addere patrem: sed quam Callisthenem intelligere potuit? Adeo nullum clarius exemplum in isto parricidio? Non est hujus loci movere istam Camarinam.

Quæ sequitur saltuatim instituta collectio, talis est ut potius sit ἐξόρχησις sacrorum nostrorum. Et sane Laurentium hunc adeo impediunt varia sacra gentilium, ut etiam cap. XV. in carcerem deprimi se passus fuerit. Te vero, docte lector, ne auferat in vortiginem aut laqueum aut inquirendi molestiam (neque enim tanti est) quod vides col. (147) *Tunc cum Maximus Curio plebejus homo Rex sacrorum fuit.* col. (149) *Bazygiti a Bazyge heroe.* col. (153) *festa Necia.* (col. 167) *Mithragyrtes*: non col. (146) *pedes præbuit ad oscula Caligula, tum Maximini filius, tum Diocletianus Dione referente*, non (col. 212) nunc Decas, nunc Ceadas ex Plutarcho citatus locus, non col. (213) *L. Q. Flaminium* nulli Romano notum. An non horrere oportet ad ista columm. (230)? *Imperator Valens non ad tempus fallendum, sed ad famem repertos fuisse ludos notat. Athenæus lib.* I. *Cum regnaret Atys, ad fallendam famem repertos fuisse ludos* &c. Quid est pag. (234)? *Apud eosdem Comœdiæ ad aram si quis confugisset, tanquam ad Cæsaris statuam, revelli nefas*.

Sed fides Thesauri defungi hac parte non poterat, nisi panderetur ipsum cœlum omnipotentis Olympi, & quos sibi vultus in eo potuit imaginari gentilismus, una pagina exhiberet; præsertim quum non propterea nobis cum Phaethonte illuc iter suscipere foret necesse: nam & melius, quam illa impia δωδεκάθεος cœna, Abrah. Ortelii, viri noti & laudati plurimum ob studiorum elegantiam, nitida copia hoc choragium instruxerat, idque fideliter ex iisdem monetis, si paucas aliunde excerptas reliqueris, unde Ursinus familias Romanas recenti adhuc opera tam docte digesserat antiquitatis egregia notitia restituta, quod ille velut proludens publicavit anno 1573. quum Ursini labor quadriennio post prodierit anno 1577. Nec deterritus illustratione Fulv. Ursini, qui eadem capita agnoverat, Franc. Sweertius narratione historica illustrare voluit laudabili admodum proposito, si facultas ei par fuisset. Hoc enim qui aggreditur, eum non decebat scribere, *quomodo & Romæ majorum minorumque Gentium Senatores teste Tacito a Romulo sunt instituti*, quod videbis exstare in præfatione contra omnem veri fidem; multo minus dicere *Lemnum Siciliæ insulam*, quod posuit fig. XIII. in Vulcano: nam quod ibidem sacrum ejus numinis vocet *Proterviam*, communis quidem tunc error fuit. Certe non magnam probat peritiam nummorum vel Romanæ consuetudinis, quod affert cap. XLVI. quasi aliquid exstans *in nummo M. Val. Acilii.*

Ex his igitur imaginariis Diis nonnullos quum ita amaverint ac mi-

rati ſint certi populi, ut incenſi fatuo deſiderio noſcendorum eventuum qui futuri erant, & curioſiores ultra quam quod juvaret, facultatem vaticinandi ad præcinenda eventura eis attribuerint, merito ſequi debebat, ſi quid de oraculis olim notis eſſet conſcriptum; quod quidem capitibus 160. accedente brevi guſtu de templis præſtitit, ſed curſim, J. C. Bulengerus. Materia hæc ſparſa per omnes veteris gentiliſmi terras; atque inde etiam iſtius generis ac temporis libros. Unde & in promptu erat hæc materia legendi ſtudioſo. Sed etiam difficile erat continere ſe in ſola Græcia, ut minus idcirco miremur multa etiam alibi annotata his admiſceri; quod ita tamen fieri deprehendes, ut Græciæ multitudo familiam ducat. Cæterum non debuit id præſtari tanta levitatet, ut ſcriberet col. 23. *Apollinem Pythium Ariſtoteles a Crotoniatis Hyperboreum appellari ait, ut Ælianus lib.* 11. *var.* Sane inſpice Ælianum, & contemnes hæc verba pro viliſſimis & ſenſu falſiſſimo. Nec initio columnæ ſequentis, inter citationes de inſula Delo agentes, vel Strabonis ex libro x. vel Virgilii ex libro III. mediam ponere hanc annotationem *Livius libro* XXXV. *Delium Apollinis templum ponit.* Sic quidem eſt; ponit hoc Livius, ſed non quaſi eſſet in Delo, ſed quod eſt in continente & quidem in Bœotia. Quam male doctrinam in eo locatam fuiſſe dicemus, qui ſuſtinuit ſcribere col. 25. Strabonem Tacito æqualem? Non ab Hieracome deduci poteſt Hieræus Apollo, nec ullus veterum deduxit, prout facit Noſter col. 29. Non quoniam Zoſimus ſtatuit Aphaca locum medio inter Heliopolin & Byblum itinere, idcirco Veneris Aphacitidis oraculum fuit Ægypto, ut ſcribit col. 39. ſed in Syria. Non Macrobius de adyto Liberi Patris apud Ligyræos agit lib. 1. ad ſomnium Scipionis, ut ſcribitur col. 46. ſed in Saturnalibus. Non ab Arnobio ſcribitur primus fabricator templorum fuiſſe Prometheus Ægyptius, ut ſcriptum eſt col. 53. ſed Phoroneus.

Horum ut numinum honor ac templorum nitor perſonat quidem per omnes Græcorum, quibus gentiles continentur, paginas, ut eum inde agnoſcamus fuiſſe ſatis feſtum & inſignem, tot ſacrificiis, ſacerdotum collegiis, tot vectigalium proventibus unicuique ſano attributis, unde omnigenas munditias comparare liceret auguſtarumque veſtium pompam; tamen jucundum eſt oculis etiam dare aliquid poſſe. Itaque quum indulgentia Celſiſſimi Principis publicatus eſſet onychinus calix undiquaque cælatus opere antiquo & aperte ad Cererem pertinente, quod ingenii perſpicacia & doctrinæ amœnitate congrua circumivit admodum dextre anno 1682. vir Eximius, ut ſub ejus titulo Cereris Myſteria quædam monſtraret; nihil antiquius habere debui, quam iſtius legiferæ & frugum inventricis Deæ verendo conſpectu ſequentes continenter paginas inſtruere, ſi nihil aliud, ut exſtet ſumma voti mei, quo optaverim reliquas ſtatim illorum numinum pompas adeo ample deſignatas ad hoc ſpectaculum proferri poſſe. Sed non ea noſtra vis, non ea copia. Itaque vetuſtam Cererem primam arripimus, ſi in ea ſatiari poſſimus. Nec tamen probem committi Appianum cum Plinio col. 64. eoque per interpolatam lectionem: nam quæ Plinius murrhina dicit primum ab Pompejo in urbem inducta, & ab eo primo ſex pocula Capitolino Jovi dicata, ea ſicut
diſtin-

diſtinxit Plinius, diſtingui etiam nobis oportere cenſeo. Murrhina quippe iſta potuerunt eſſe cujuſcunque generis & uſus vaſa; ut omnino pocula iſta non niſi periculoſe accommodentur murrhinis, nulluſque verus & ſolidus ſit nexus, quo Pliniana murrhina jungi poſſint & aptari ad Appianea ἐκπώματα λίθȣ τῆς ὀνυχίτιδος λεγομένης χρυσοκόλλητα. Dubitari non debet, quin utriuſque ejus ſcriptoris tempore affatim conſtiterit diſcrepantia murrhinorum ab onyche. Porro quum ex Athenæi libro XI. pag. 495. audiamus junctim poni ὀνυχίνȣς σκύφȣς καὶ συνθέσεις τȣ́των μέχρι δικοτύλων καὶ Παναθηναϊκὰ μέγιστα, τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ ἔτι μείζονα (quas voces citat quoque Meurſius in hoc volumine pag. 95.) non intelligo, cur exeundum & peregrinandum ſit ad Mithridaten, quum Cereris & ejus ſacri in emblematibus declaratio aperte nimis doceat ſimilia onychina vaſa adhibita fuiſſe etiam in Eleuſiniis, perinde ut in Panathenæis. Mihi gratum eſt in gutto illo ſpectare ſic fictam ſtantemque ex veteri more in curru (cujus rotas agnoſco egregie adornatas ad deſcriptionem Probi formantis plauſtra vehicula *quorum rotæ non ſunt radiatæ, ſed tympana cohærentia axi & juncta cantho ferreo*, idque *vehiculum in ſacris Cereris arcanæ, quæ Eleuſina appellatur*) ipſam Cererem (cujus παρȣσία eſt ipſa δωρεὰ τȣ̃ σίτȣ, unde utrumque iſtud jungitur ab Diodoro Sic. lib. 1.) comitante ipſam Jaccho, ſiquidem ille ex ſententia Meurſii fuit, qui cum matre Proſerpinam raptam face accenſa quæſivit. Super hæc qui volitans pendet, Zephyrum cur cenſeam, non video; neque quod de eo dicunt poetæ, illic locum habet, ubi Dea adeſt ad ſacra ſua: quæ quum ad tenebras peragerentur, apparet Deæ adventum celebrari ab advolante Heſpero, dicente Callimacho Ἕσπερος ἐκ νεφέων ἐσκέψατο; ποκκα νεῖται. Id utrumque prorſus nunc fit. Adſunt ergo, quemadmodum olim veteris Celei filiæ peregrinam anum ad matrem deduxiſſe dicuntur ab Pauſania, ſic poſtea ſacerdotio Cereris functæ, prorſus eo numero, quo dixit Pauſanias, nempe tres, ſtantes duæ, ſedens una, cum juvene gerente *lancem plenam diverſis frugibus*, *quam in templo Cereris inferri ſolitam* notavit Porphyrio in Horatium, in quibus frugibus eminent omnino ῥοιαὶ Apollodoro, Clementi, Artemidoro, Statii Scholiaſte, quos ab Meurſio citari capite 25. Eleuſiniorum vides, ita memoratæ, ut ficus minores appoſitas agnoſcere liceat; quum in ſedentis corbe emineant prorſus κριθαὶ etiam Meurſio notatæ. Sedet autem percommode, ut exprimat moram ſub ſacra ficu fieri ad interquieſcendum ſolitam, mediam ſacræ viæ. Sed utramque & ſedentis & ſtantis ſportulam, plane ut inferiores etiam duo calathi non ea facie ſe exhibent, ut vimina unde contexuntur appareant, ſed omnia ex ſacrorum ritu faſciis ac tæniis obvoluta, ut appoſite notavit Meurſius cap. 25. quum interim vel in utroque calatho vel ad eos collocetur ſacculus πολύπας, ut appellat Clemens apud Meurſium in eodem capite, continens adjectis nonnullis facibus & quidem grandibus, imo & lemniſcatis, ad deſignandum eum morem, quem ex Damippi exemplo diſcimus, qui μυστηρίοις μεγίστην δᾷδα ἔστησε, ut loquitur Theophraſtus apud eundem Meurſium cap. 26. quum interim in eadem inferiore parte conſpiciantur Celeus ſenex inſtar alterius Sabini aut Titi Tatii,

cum Triptolemo juvene. Hujus caput conspicuæ innititur cicutæ, quam supponitur habuisse Dysaules capellarum custos ab Arnobio scriptus, vel, dicam, Eubuleus, cujus sues agnoscit Clemens Alexandrinus: & sub ista rursus ad fundum cælata est Πλημοχόη, sed ex manifesto solennitatis ritu ἀνατρεπομένη, prout claudebatur istud sacrum, ut docet capite 30. Meursius ex Athenæo. Verum præter omnia notabilis est maxima natarum Celei, una manu tenens commode & suspendens porcellum velut prima libamenta Cereris. In his quidem nihil aliud considerare, quam quæ sæpius iterata sunt vel de sue prægnante vel porca solita Cereri immolari, quod ex eodem Phornuto annotaverat jam Castellanus in fine Eleusiniorum, admodum leve & insipidum & male aptum occurrit: est enim porcellus liquide. In Eleusiniorum vero initiationibus ab Aristophane diserte producitur χοιρίδιον modo, nunc μυστηρικὸν χοιρίον, & quidem quod emi solebat tribus drachmis, quas longe excessit sus, multo magis sus prægnans, quæ collecta sunt ab Meursio cap. 7. Adeo mera sunt hæc ad Cererem pertinentia.

Sed bonis auspiciis in hac rursus parte campum occupat tersissima Joh. Meursii nostri doctrina, per quam velut in Attica agentes spectabimus & sine periculo discemus Minervæ ac Cereris duas celeberrimas cærimonias, collatis ad eas omnibus, quæ ex vetustate Græciæ redigi poterant & in conspectu poni merebantur. Nec ullam moram facio, quin statim accedas. Verum erit hæc sæculi futuri felicitas, ut abhinc cognoscat, quantum post edita primum ista opera etiam profecerit Meursius, qui chirographo suo notata posteris reliquit, quæ cuperet deinde Panathenæis suis aggregata, quasi aut ipsam superstitionem aut pompam agminis clarius densiusque instruentia. Ea vero hæc sunt. Col. 85. cap. 4. vers. 9. post, *dicto Martio*, dele, *Et.* inde adde: Dion Cassius, lib. LXVII. & ex eo totidem verbis. Col. 89. cap. 9. vers. 28. post, *instituta sunt.* adde: Marcellinus, in Vita Thucydidis. Ἱπποκλείδης, ἐφ' οὗ ἄρχοντος τὰ Παναθήναια ἐτέθη. Meminit Freculphus, Tom. I. lib. III. cap. XVII. *Agon quippe gymnicus, quem Panathenæa vocant, tunc actus.* Col. 91. cap. 9. vers. 54. post, *Panathenæa, vicit*, adde: Sed errare eum ostendo, de Archontibus lib. II. cap. XIX. Col. 95. cap. 15. vers. ult. post, *etiam majora*, adde: Denique pompa duci solita per forum. Est in hanc rem elegans fragmentum Menandri, apud Suidam, in Πέμπειν·

——μικρὰ Παναθήναια,
Ἐπεὶ δὶ ἀγορᾶς πέμποντες ἐμοσχίων,
Μήτηρ ἑώρα τῆς κόρης ἐφ' ἅρματος.

Pag. 98. cap. 18. vers. 30. post, *irruente procella*, adde: Primi autem texuisse eum memorantur, Areseus Patarensis, & Helicon Carystius. Vide Zenobium, Cent. I. Proverb. LVI. Memoratque totidem verbis Lucillus Tarrhæus, in Collect. Proverb. in Ἀκεσέως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα. Ibid. vers. ult. post, *Panathenæis.* adde: Aut certe, ἐν τοῖς Ἀθηναίοις, dicere voluit. nam Χαλκεῖα festum, prius Ἀθήναια dicebatur: ut ostendo Græciæ Feriatæ lib. VI. in Χαλκεῖα. Col. 99. cap. 19. vers. 25. post, *erat.* Dele: *Suspendebatur e navi, Minervæ apparata, peplus, de quo nobis dictum.* & repone. Navis quædam erat, in hanc rem structa; quæ & juxta Areopagum servabatur. Indicat Pausanias, Atticis. Τοῦ δὲ Α'-

ρεῖου πάγου πλησίον δείκνυται ναῦς, ποιηθεῖσα εἰς τὴν τῶν Παναθηναίων πομπήν. Ex hac peplus, de quo dixi ſuſpendebatur; eumque &c. Ibid. verſ. 53. poſt, *apud eos* adde. Hinc Polemon, in Oratione funebri Cynægiri. Ὢ θρασύτερα ποιήσας τὰ μέλη τοῦ σώματος, ὥσπερεὶ νοήσας διὰ παιδίων, καὶ τῶν ὁρῶν, ἄγειν ναῦν Ἀθηναίοις αἰχμάλωτον, ὦ δεινῆς μάχης, Παναθήναια μεμιμημένης. Col. 105. cap. 23. verſ. 3. poſt, *ab eo*, adde: Et ornatæ auro erant. Obſervare eſt in Decreto, in Lycurgi rhetoris honorem facto, apud Plutarchum, extremo libro de x. Rhet. Ἔτι δὲ αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου, χρήματα πολλὰ ἀνήγαγεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν· καὶ παρασκευάσας τῇ θεῷ κόσμον, νίκας τε ὁλοχρύσους, πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργύρεια, καὶ κόσμον χρυσοῦν ἐν ἑκατὸν κανηφόροις. Ibid. verſ. 30. poſt, *earum* adde: apud Plutarchum, de Gloria Athen. Ὥσπερ γυναικὸς πολυτελοῦς, τῆς τραγῳδίας κομμωταὶ, καὶ διφροφόροι. Item. Col. 107. cap. 26. verſ. 18. poſt, *theatro civitatis* adde: Rurſum ex alio, apud Joſephum, Antiquit. Jud. lib. XIV. cap. XVI. Δέδοκται δὲ καὶ νῦν, Θεοδοσίου τοῦ Θεοδώρου Σουνιέως εἰσηγησαμένου, καὶ περὶ τῆς ἀνδρὸς ἀρετῆς ὑπομνήσαντος τὸν δῆμον, καὶ ὅτι προαίρεσιν ἔχει ποιεῖν ἡμᾶς ὅτι ποτ' ἂν δύναται ἀγαθὸν, τιμῆσαι τὸν ἄνδρα χρυσῷ στεφάνῳ, ἀριστείῳ κατὰ τὸν νόμον, ἀνειπεῖν δὲ τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις, τραγῳδιῶν τῶν καινῶν ἀγομένων, καὶ Παναθηναίων, καὶ Ἐλευσινίων, καὶ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.

Hæc omnia non ſine commodo tuo, Lector, Panathenæis Meurſianis, & quidem locis, quæ notata vides, interpones, & per omnia ſimul juncta laboris Meurſiani auxilia notitiam tum augebis. Nec impedio, quo minus jam arripias. Tantum animadverti oportet, quod capite x. citatur ex Plutarcho in Periclis vita, καθότι χρὴ τοὺς αὐλιζομένους αὐλεῖν, non ita citari, prout ſcripſit Plutarchus, in quo recte editur ἀγωνιζομένους. Tum quod capite XIX. non procul ab principio ſtatui vides; quum Hippias ex Thucydide memoretur extra in Ceramico pompam ordinaviſſe, & Meurſius addat id contigiſſe juxta Leocorium, idque probet ex Thucydidis verbis lib. I. Τῷ Ἱππάρχῳ περιτυχόντες, περὶ τὸ Λεωκόριον καλούμενον τὴν Παναθηναϊκὴν πομπὴν διακοσμοῦντι, ἀπέκτειναν; in his, inquam, videndum an non ſit magna confuſio, & perperam conjungatur locus in quo erat Hippias, cum illo, ubi erat Hipparchus. Nam Leocorium fuit intra urbem. Id enim clare dicit Thucydides libro VI. ubi Ariſtogiton & Harmodius ὥρμησαν εἴσω τῶν πυλῶν (clariſſima deſcriptione) καὶ περιέτυχον τῷ Ἱππάρχῳ παρὰ τὸ Λεωκόριον καλούμενον, unde aberat Hippias.

Ampliore auctario expolivit idem vir maximus Eleuſinia ſingulari volumine collecta & edita, quæ continente nexu ſequuntur. Ergo & illa itidem perennare voluit inſtaurata acceſſionibus his. In Præf. ad Lectorem, verſ. 16. poſt, ἀκινάκην σέβουσιν. adde: Etiam Sotades. Suidas, Σωτάδης, Ἀθηναῖος Φιλόσοφος, ὁ γράψας περὶ μυστηρίων βιβλίον ά. Et Philochorus. Vide Suidam, in Φιλόχορος. Col. 118. in lemmate cap. 11. poſt, *Erechtheo*, adde: aut a Cadmo, Inachove. Col. 119. verſ. 17. poſt *Ægypto* adde: Alii a Cadmo, & Inacho, ex Ægypto in Græciam introducta tradunt. Epiphanius, Adv. Hær. lib. I. Ἐκεῖθεν δὲ ἀρχὴν ἔσχε τὰ παρ' Ἕλλησι μυστήριά τε καὶ τελεταί, πρότερον παρ' Αἰγυπτίοις, καὶ παρὰ Φρυξὶ, καὶ Φοίνιξι, καὶ Βαβυλωνίοις, κακῶς ἐπινενοημένα, μετενεχθέντα τε εἰς Ἕλληνας ἀπὸ τῆς τῶν Αἰγυπτίων χώρας ὑπὸ Κάδμου, καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἰνάχου. Col. 121. verſ. 19. poſt, *antiſtes fuit*, adde: Diogenes Laertius, in Procemio, Eumolpum

hunc Musæi esse patrem dicit, a quo nomen datum familiæ Eumolpidarum. Ἀπὸ τοῦ πατρὸς δὲ τοῦ Μουσαίου (τοῦ Εὐμόλπου) καὶ Εὐμολπίδαι καλοῦνται παρ' Ἀθηναίοις. Col. 123. vers. 14. post, *verbis*. adde: Videndus quoque Suidas, in Σαλαμῖνος; & Zenobius, Cent. I. Proverb. VII. & Diogenianus, Cent. I. Proverb. VIII. Col. 126. in lemmate cap. VI. post, *judicatus*. adde: Galeni dissensus. Col. 127. vers. 44. post, *respondet*. Sed Galeno quid faciemus, qui Septembri, non Novembri, mensi adscribit? Ecce enim, Ὑγιεινῶν lib. IV. Ἔστι μὲν οὖν ὡραιότατον αὐτῆς τὸ σπέρμα περὶ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ ἀρκτούρου. ὅστις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ μὲν, ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριος· ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν, Ὑπερβερεταῖος. Ἀθήνησι δὲ, μυστήρια. Ibid. in lemmate cap. VII. vers. 10. post, *restitutus* adde: Merces quoque initiationi posita. Col. 128. vers. 44. post, *Eleusiniorum* adde: Qui initiari cuperent, quia nempe nunquam evulganda essent ea sacra, prius sese in silentio exercebant. Observare est apud Sopatrum, in Divis. Quæst. Τοῦτον διάγων τὸν τρόπον ἐγὼ, καὶ καθάπερ ἄλλῳ μυστηρίῳ, προτελεσθεὶς τῇ σιωπῇ, τῶν ἄλλων ἁμαρτημάτων λοπὸν τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἐκάθαιρον. Col. 129. vers. 14. post, *porcæ* dele, *Et observa, quod*. ac repone. Hinc capienda hæc Platonis, de Rep. lib. II. Εἰ δὲ ἀνάγκη τις ἦν λέγειν, δι' ἀπορρήτων ἀκούειν ὡς ὀλιγίστους, θυσαμένους, οὐ χοῖρον, ἀλλά τι μέγα καὶ ἄπορον θῦμα, ὅ, τι πῶς ὀλιγίστοις συνέβη ἀκοῦσαι. Observa autem, quod Aristophanes, in citatis statim verbis. Ibid. vers. 16. post, *dicam.* dele, *Varro de Re Rust. lib. II. cap.* & totum ejus locum. Ibid. vers. 26. post, *perferret.* adde: Aliam habes apud Ælianum, Hist. Anim. lib. X. cap. XVI. Ἀθηναῖοι δὲ ἐν τοῖς μυστηρίοις καταθύουσι τὰς ὗς, καὶ μάλα δικαίως· λυμαίνονται γὰρ τὰ λήια. Certe sues in mysteriis immolari consuevisse, etiam e Varrone discimus, de Re Rust. lib. II. cap. IV. *Ab suillo genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur. cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur.* Ut autem Aristophanes doctissime χοίρους μυστικὰς dixit, genere fœminino; ita a Tibullo, ejus imitatione, *porcus mystica* dicitur, lib. I. eleg. X.

Hostiaque e plena mystica porcus hara.

Ibid. In fine capitis, post, Πειραιῶς. adde: Sed an gratis facta hæc initiatio? Primitus quidem; sed, ærario laborante, mercedem Aristogiton statuit. Syrianus, Commentario in Hermogenem: Ἀριστογείτων, ἐν σπάνει χρημάτων, γράφει νόμον, παρ' Ἀθηναίοις μισθοῦ μυεῖσθαι. Apsines, lib. de Arte Rhet. capit. περὶ καταστάσεως. Ἐν σπάνει χρημάτων ἔγραψεν ὁ Ἀριστογείτων, μισθοῦ μυεῖν. Iterum, capit. περὶ λύσεως. Ἡ δὲ ἀντιπαράστασις, τὰ πολλὰ ἀπὸ τῶν ἐκβάσεων εὑρίσκεται· οἷον, εὐπορίαν φέρει τὸ μισθοῦ μυεῖν. Occurritque rursum, capit. περὶ διηγήσεως. Et exemplum habes apud Demosthenem, Orat. in Neæram. Λυσίας ὁ σοφιστὴς, Μετανείρας ὢν ἐραστὴς, ἠβουλήθη, πρὸς τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι, οἷς ἀνήλισκεν εἰς αὐτὴν, καὶ μυῆσαι. Ibid. in lemmate cap. VIII. ad finem adde: Nefas iis aliquid morticinum tangere. Col. 132. vers. 42. post, *fert*, adde: Nefas autem epoptis, morticinum aliquid tangere. Porphyrius, in Epistola ad Ambonem, apud Theodoretum, Therap. III. Καὶ νεκροῦ ἀθιγῆ δέον εἶναι τὸν ἐπόπτην, διὰ νεκρῶν δὲ ζώων αἱ θεαγωγίαι ἐκτελοῦνται. Ibid. vers. 57. post, *noctis initiationem* adde: Demetrius, ut vulgo inscribitur, Phalereus, de Elocut. Τὰ μυστήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται, πρὸς ἔκπληξιν, καὶ φρίκην. ὥσπερ ἐν σκότῳ, καὶ νυκτί. Col. 133. vers. 51. post, *fuisse*. adde: Aristides ait, plures homines solum templum Eleusinium accepisse, quam aliæ urbes un-

quam habuerint in ſuis feſtis. Verba iſta, in Panathenaica ejus. Μένοι δὲ τῶν Ἑλλήνων καθ' ἕκαστον ἔτος ποιεῖτε πανήγυριν, ἐδεμιᾶς πενταετηρίας φαυλοτέραν. καὶ δέχεσθε τῷ Ἐλευσινίῳ πλείους, ἢ ἕτεροι τῇ πάσῃ πόλει. Id autem Sacellum ab Ictino ædificatum Strabo dicit. Habes in citatis verbis. Et Vitruvius, in Præf. lib. VII. *Eleuſinæ Cereris, & Proſerpinæ, cellam immani magnitudine Ictinus Dorico more, ſine exterioribus columnis, ad laxamentum uſus ſacrificiorum pertexit.* Ubi itidem obſerva; *cellam*, (quam μυστικὸν σηκὸν dicit Strabo, & μυστοδόκον δόμον Ariſtophanes, in citatis ſtatim verbis,) *immani magnitudine*. Plutarchus ait, incepiſſe Corœbum; columnas autem in pavimento poſuiſſe Phidiam, & epiſtyliis junxiſſe; quo defuncto, Metagenem Xypetium ſeptum, ac ſuperiores columnas, adjeciſſe: Xenoclem vero Cholargenſem faſtigio adyti feneſtram addidiſſe. Ecce verba, in Vita Periclis. Τὸ δ' ἐν Ἐλευσῖνι τελεστήριον, ἤρξατο μὲν Κόροιβος οἰκοδομεῖν, καὶ τοὺς ἐπ' ἐδάφους κίονας ἔθηκεν οὗτος, (ὁ Φειδίας,) καὶ τοῖς ἐπιστυλίοις ἐπέζευξεν. ἀποθανόντος δὲ τούτου, Μεταγένης ὁ Ξυπέτιος τὸ διάζωμα, καὶ τοὺς ἄνω κίονας, ἐπέστησε. τὸ δὲ ὀπαῖον ἐπὶ τοῦ ἀνακτόρου, Ξενοκλῆς ὁ Χολαργεὺς ἐκορύφωσε. Quamvis autem hujus ſacelli ſumma magnitudo eſſet, tamen majus illud fecit Philo, ſub Demetrio Phalereo. Vitruvius, loco citato, mon adjungit iſta verba. *Eam autem poſtea, cum Demetrius Phalereus Athenis rerum potiretur, Philon ante templum, in fronte columnis conſtitutis, proſtylon fecit. Ita, aucto veſtibulo, laxamentum initiantibus, operiſque ſummam adjecit auctoritatem.* Ibid. verſ. 57. poſt, *hederacea.* adde: Et, cum peragenda eſſet initiatio, aperiri hoc templum ſolitum ritu aliquo ſolenni, ac præmiſſo ſacrificio. Obſervare eſt apud Apulejum, Mileſ. XI. ubi de hac ipſa re eſt illi ſermo. *Senex comiſſimus ducit me protinus ad ipſas fores ædis ampliſſimæ: rituque ſolenni apertionis celebrato miniſterio, ac matutino peracto ſacrificio, de opertis adyti profert quoſdam libros.* Deinde. Col. 134. lemma cap. X. ſic refinge. CAP. X. *Illic, mentem prius, manuſque puras habere juſſi, & peritiam linguæ Græcæ, tum ſilere, ritus myſteriorum prælectos deſcribebant.* Πέτρωμα. *Conſtabant autem omnia allegoriis, ad horrorem incutiendum. Libri rituales. Inde nonnulla interrogati, ſolennia quædam reſpondebant: ac bibebant e cratere parvo, cui nomen* Κοτυλίσκος. *Tum quibuſdam etiam abſtinere juſſi.* Inde Capitis ipſius verſu 1. poſt, *principio*, adde: per ſacrorum præconem. Ibid verſ. 22. poſt, *mandant.* adde: Huc pertinet, quod templum intrantes lavare manus conſueviſſe dixi in fine capitis antecedentis. Etiam ſilentium indictum ipſis. Ecce tibi apud Sopatrum, in Diviſ. Quæſt. Αὐτὰ μὲν οὖν τὰ τῆς σιωπῆς ἀγαθὰ κύρηττει πρὸ πάντων τὰ τῆς Ἐλευσῖνος μυστήρια, φωνῆς ἅμα καὶ λόγου προσημαινόμενα φείδεσθαι. Et mox. Ἐκτεῖναι δὲ τὸν λόγον δυνήσῃ τῇ τοῦ ἱεροκήρυκος φωνῇ, ὅτι πρὸ πάντων ἐπιτάττει δημοσίᾳ τὴν σιωπὴν, καὶ καθάπερ τι μέρος τῆς τελετῆς τὴν ἐχεμυθίαν τοῖς μύσταις παραινεῖ, καὶ διὰ ταύτης πρυτανεύεται λανθάνειν τοὺς πολλοὺς τὰ μυστήρια. Ibid. verſ. 47. poſt, *eadem nocte*, adde: Apulejus, in re eadem Mileſ. XI. *Et, injecta dextera, ſenex comiſſimus ducit me protinus ad ipſas fores ædis ampliſſimæ: rituque ſolenni apertionis celebrato miniſterio, ac matutino peracto ſacrificio, de opertis adyti profert quoſdam libros, literis ignorabilibus prænotatos: partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes; partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus, a curioſitate profanorum lectione munita. Indidem mihi prædicat, quæ forent ad*

usum teletæ necessario præparanda. Eodem versu, pro, *istis*, scribe: Pausaniæ. Ibid. vers. 55. post, *describere*. adde: Et hæc sunt, quæ παραγγέλματα vocat Sopater, in Divis. Quest. Ἐπεὶ οὖν εἴσω τῶν ἀνακτόρων γεγένημαι, καὶ μύστης ὢν ἱεροφάντην, καὶ δᾳδοῦχον τεθέαμαι, καὶ τὴν τελετὴν ἐκείνην εἶδον, ἣν οἱ μεμυημένοι πάντες ἐπίστασθε, ἐξῄειν ἀπὸ τῶν ἀνακτόρων, ἐπ' ἐμαυτῷ ξενιζόμενος, μᾶλλον δὲ ἠσθόμην, καὶ τὰ παραγγέλματα φυλάττων ὡς ἀληθῶς ἀκριβέστερον. Et mox iterum. Ὁ δὲ τοῖς μυστικοῖς ἐγκαρτερῆσαι παραγγέλμασιν ὑπομείνας, καὶ πρὸς τὰς τελετὰς αὐτὰς δυσσεβής, καθὸ δεισιδαίμων γενόμενος. περὶ οὐδενὸς ἔτι τὴν περὶ τοὺς θεοὺς ἔχει θρησκείαν ἀμφίβολον. Eaque omnia constabant ex allegoriis, ad horrorem incutiendum. Demetrius, lib. de Elocut. Τὰ μυστήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται, πρὸς ἔκπληξιν, καὶ φρίκην. Col. 135. vers. 14. post, *transtuli* adde: Bibebant vero e parvo cratere, qui Κοτυλίσκος dicebatur. Observo apud Hesychium. Κοτυλίσκος, κρατηρίσκος, ᾧ χρῶνται οἱ μύσται. Ibid. vers. 42. post, *citatis*. adde: Deinde jubebantur abstinere avibus domesticis, piscibus, fabis, malis Punicis, cæterisque: etim a caudice, tanquam aliquo morticino. Porphyrius, περὶ ἀποχῆς, lib. IV. Παραγγέλλεται καὶ Ἐλευσῖνι ἀπέχεσθαι καὶ κατοικιδίων ὀρνίθων, καὶ ἰχθύων, καὶ κυάμων. ῥοιᾶς τε καὶ μήλων καὶ ἐπίσης μεμίανται. οὐ σελέχους ἅψασθαι, ὥστε θνησειδίων. Hieronymus, adversus Jovinianum, lib. II. *Apud Eleusinam etiam volucribus, & piscibus, & quibusdam pomis, abstinere solenne est*. In lemmate cap. VI. vers. 4. post, *mundus*. adde: Initio fieri solita cum modulo, & saltatione: unde Ἐξορχεῖσθαι dicti, qui arcana ejus proderent. Col. 136. vers. 36. *celebrat*. adde: Inter ea, quæ audiri illic solita, lamentationes erant. Proclus, in Commentario in Platonis remp. cap. X. Καὶ τοῖς μυστηρίοις τοὺς μυστικοὺς θρήνους μυστικῶς παρειλήφαμεν, σύμβολα ὄντα τῆς εἰς ἡμᾶς καθηκούσης ἐκ τῶν κρειττόνων προνοίας. Et mox rursum. Καὶ Κόρης, καὶ Δήμητρος, καὶ αὐτῆς τῆς μεγίστης θεᾶς ἱεροὺς τινας ἐν ἀπορρήτοις θρήνους αἱ τελεταὶ παραδεδώκασι. Ubi observa, initiationem fuisse Cereris pariter & Proserpinæ: hujus scilicet, cum raperetur a Plutone; & illius, cum ereptam sibi filiam accepisset, ejulantis. Nempe objiciebant varia terriculamenta initiandis ii, qui initiati ipsi essent. Inde ille apud Aristophanem, Vespis.

Ἀλλ' ὡς τάχιστα στῆθι, τὰς δὲ τὰς δετὰς
Λαβοῦσ', ἵν' αὐτὸν τωθάσω νεανικῶς,
Οἵως ποθ' οὗτος ἐμὲ πρὸ τῶν μυστηρίων.

Ubi Scholiastes. Πρὸ τῶν μυστηρίων. ὅτι οἱ μεμυημένοι τοὺς μέλλοντας μυεῖσθαι δεδίττονται. In tenebris, quas dixi objectas, feriebantur, nec videbant, quis feriret. Achilles Tatius, lib. VI. Ἑλκύσας δὲ τῶν τριχῶν, ἀράσσει πρὸς τοὔδαφος· καὶ προσπίπτων, κατακόπτει με πληγαῖς. ἐγὼ δὲ ὥσπερ ἐν μυστηρίῳ, μηδὲν, μήθ' ὅστις ἄνθρωπος ἦν, μήθ' οὗ χάριν ἔτυπτεν. Ibid. vers. 54. post, *Plat. Theol.* adde: lib. I. cap. III. Ἐν ταῖς τῶν τελετῶν ἁγιωτάταις φασὶ τοὺς μύστας τὴν μὲν πρώτην πολυειδέσι, καὶ πολυμόρφοις τῶν θεῶν προβεβλημένοις γένεσιν ἀπαντᾷν. Iterum &c. Col. 137. vers. 19. post, *& ignis*: Ac de luce, innuit Psellus, in Reductione in Tantalum. Ἀλλ' ἐπεὶ πλάτος ὑπανοιγόμενον τῶν θεωρημάτων ὁρῶ, δοκεῖ μοι ὥσπερ τελετῇ τινὶ τῷ λόγῳ προσέρχεσθαι. αἱ γὰρ τελεταὶ, σωματικὰ τούτων παραπετάσματα. ἢν δὲ εἴσω τῶν ἀδύτων χωρήσῃ τὶς, φῶς ἐκεῖ καθαρὸν, καὶ τῶν αἰσθητῶν ἀπογύμνωσις. Proclus, in Remp. Platonis. Τίς γὰρ οὐκ ἂν συνομολογήσειεν, τά τε μυστήρια, καὶ τὰς τελετὰς, ἀνάγειν μὲν ἀπὸ τῆς ἐνύλου, καὶ θνητοειδοῦς ζωῆς τὰς ψυχὰς, ἐξωθεῖν δὲ τὸ ἀέριστον, καὶ τὸ σκοτεινὸν τῶν τελουμένων τῷ φωτὶ τῶν θεῶν. Ibid. vers. 43. post, *profano*. adde: Initiabantur vero cum mo-

dulo, & ſalutatione: itaque, qui initiati poſtea myſteria efferrent, illi ea Ἐξορχεῖσθαι dicebantur. Lucianus, de Salt. Ἐῶ λέγειν, ὅτι τελετὴν ἀρχαίαν οὐδεμίαν ἐστὶν εὑρεῖν ἄνευ ὀρχήσεως, Ὀρφέως δηλαδὴ, καὶ Μουσαίου, καὶ τῶν τότε ἀρίστων ὀρχηστῶν καταστησαμένων αὐτὰς· ὡς τὶ κάλλιστον καὶ τοῦτο νομοθετησάντων, σὺν ῥυθμῷ, καὶ ὀρχήσει, μυεῖσθαι. ὅτι δ' οὕτως ἔχει, τὰ μὲν ὄργια σιωπᾶν ἄξιον, τῶν ἀμυήτων ἕνεκα. ἐκεῖνο δὲ πάντες ἀκούουσιν, ὅτι τοὺς ἐξαγορεύοντας τὰ μυστήρια, ἐξορχεῖσθαι λέγουσιν οἱ πολλοί. Col. 138. in principio cap. XIII hæc præmitte. Introducebant vero intra templum initiandos hierophanta, & daduchus. Sopater, in Diviſ. Quæſt. Ἴσος ἐστὶν οὗτος τῶν μεμυημένων, κἂν ἀμφιβάλλῃ περὶ τῶν μυστηρίων τὴν τελετήν. ὥσπερ γὰρ ἡμεῖς μεμυήμεθα, καὶ οὗτος μεμύηται, καὶ τῆς αὐτῆς ἡμῖν ἀπολέλαυκε προσηγορίας, ὑπ' αὐταῖς τελεσθεὶς ταῖς θεαῖς. ἡμᾶς μὲν γὰρ, ἱεροφάντης ἅμα καὶ δᾳδοῦχος εἴσω τῶν ἀνακτόρων εἰσήγαγε· τουτονὶ δὲ, τῆς σεμνῆς ἀπολαῦσαι ταυτησὶ τελετῆς Δημήτηρ, καὶ Κόρη, παρασκευάζουσι. Qui autem initiabat, &c. Col. 139. verſ. 5. poſt, *ætatem* adde: De voce, eſt Philoſtrati locus, in Apollonio Athenienſi, Sophiſt. lib. II. Τὴν δ' ἐπώνυμον, καὶ τὴν τῶν ὅπλων, ἐπετράπη, καὶ τὰς ἐξ ἀνακτόρων φωνὰς, ἤδη γηράσκων· Ἡρακλείδου, καὶ Λογίμου, καὶ Γλαύκου, καὶ τῶν τοιούτων ἱεροφαντῶν, εὐφωνίᾳ μὲν ἀποδέων, σεμνότητι δὲ, καὶ μεγαλοπρεπείᾳ, καὶ κόσμῳ, παρὰ πολλοὺς δοκῶν τῶν ἄνω. Lyſias, Orat. in Andocidem. Μιμούμενος τὰ ἱερὰ, ἐπεδείκνυε τοῖς ἀμυήτοις, καὶ εἶπε τῇ φωνῇ τὰ ἀπόρρητα. Quod ætatem autem attinet, ea grandior. Obſervo apud Pauſaniam, in Meſſenicis. Ἀπορῶντι οὖν αὐτῷ πρεσβύτην ἄνδρα, ἱεροφάντῃ μάλιστα εἰκασμένον, νύκτωρ φασὶν ἐπιστάντα εἰπεῖν· Σοὶ μὲν δῶρά ἐστι παρ' ἐμοῦ κρατεῖν ὅτῳ μεθ' ὅπλων ἐπέρχῃ. De ſtrophio eorum, hoc ſciendum, e myrto fuiſſe. Accipio e Sophoclis Scholiaſte, ad Oed. Colon. Ἴστρος δὲ, Δήμητρος εἶναι στέμμα φησὶ τὴν μυρρίνην, καὶ τὴν σμίλακα· καὶ τὸν ἱεροφάντην, καὶ τὰς ἱεροφαντίδας, καὶ τὸν δᾳδοῦχον, καὶ τὰς ἄλλας ἱερείας. μυρρίνης ἔχειν στέφανον. Ibid. verſ. 8. poſt, *ſacra*, adde: Et apud Lyſiam, in citata Oratione. Οὗτος γὰρ, ἐνδὺς στολὴν, μιμούμενος τὰ ἱερὰ, ἐπεδείκνυε τοῖς ἀμυήτοις. Ibid. verſ. 47. poſt, *ungebat*. Origenes, contra Celſum, lib. VII. Καὶ εἷς μέν που παρ' Ἀθηναίοις ἱεροφάντης οὐδὲ πιστευόμενος ἑαυτοῦ τὰς ἀρσενικὰς ὀρέξεις, ὡς κύριος αὐτῶν εἶναι δυνάμενος, καὶ κρατεῖν αὐτῶν εἰς ὅσον βούλεται, κωνειασθεὶς τὰ ἀρσενικὰ μέρη, καθαρὸς εἶναι νομίζεται πρὸς τὴν νενομισμένην παρ' Ἀθηναίοις ἁγιστείαν. Col. 141. verſ. 23. poſt, *redimiculum* adde: Atque ſtrophium, pariter ac hierophantæ, e myrto erat. Vides apud Scholiaſten Sophoclis, ad Oed. Colon. cujus verba a me citata capite ſuperiori, ubi de hierophantæ ſtrophio dico. Ibid. verſ. ult. poſt, *Mercurii* adde: Philoſtratus, in Vita Chreſti Sophiſt. lib. II. Καὶ τῶν ἐλλογίμως φιλοσοφησάντων, Κάλλαισχρός τε ὁ Ἀθηναῖος, καὶ ὁ ἐπὶ βωμῷ Σώσπις, καὶ πλείους ἕτεροι, λόγου ἄξιοι. Col. 142. verſ. 14. poſt, μυστηρίων προέστηκε. adde: Ariſtophanis Scholiaſtes, extremis Acharnenſibus. Ὁ δὲ βασιλεὺς, ἀρχή τίς ἐστιν. ἣν καὶ τῶν μυστηρίων ἐπιμελητής. Col. 143. in lemmate cap. XVI. verſ. 4. ſic reſinge. *Item Romani; in quibus Sylla, Atticus, Auguſtus, Hadrianus, & M. Antoninus, Philoſophus. Etiam Anacharſis &c.* Ibid. verſ. 9. poſt, *inter quos*. adde: Sylla. Plutarchus, in ejus Vita. Ἀναχθεὶς δὲ πάσαις ταῖς ναυσὶν ἐξ Ἐφέσου, τριταῖος ἐν Πειραιεῖ καθωρμίσθη· καὶ μυηθεὶς, ἐξεῖλεν ἑαυτῷ τὴν Ἀπελλίκωνος τοῦ Τηΐου βιβλιοθήκην. Col. 144. verſ. 12. poſt, *diſceptantes*. adde: Et Hadrianus Imp. Spartianus, in ejus Vita. *Et Eleuſinia ſacra, Herculis Philippique exemplo, ſuſcepit*. Hieronymus, in Catalogo Script. Eccleſ. ubi de Quadrato agit. *Cumque Hadrianus Athenis exegiſſet hiemem, inviſens*

Eleusinem, & omnibus pæne Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem iis, qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare credentes, porrexit ei librum, pro religione nostra compositum. Et in Epistola ad Magnum oratorem. *Quadratus, Apostolorum discipulus, & Atheniensis pontifex ecclesiæ, nonne Hadriano principi, Eleusinæ sacra invisenti, librum pro nostra religione tradidit?* Xiphilinus, in Hadriano. Ἀφικόμενος δὲ εἰς τὴν Ἑλλάδα, ἐπώπλευσε τὰ μυστήρια. Item M. Antoninus, Philosophus. Xiphilinus, quem jam dixi, in ejus Vita. Ὁ δὲ Μάρκος, ἐλθὼν εἰς τὰς Ἀθήνας, καὶ μυηθεὶς, ἔδωκε μὲν τοῖς Ἀθηναίοις τιμάς. Julius Capitolinus, item in Vita. Orientalibus rebus ordinatis, &c. Col. 145. vers. 6. post *moriendi.* adde: Proclus, in Platonis Remp. cap. I. Τίς γὰρ οὐκ ἂν συνομολογήσειεν, τάτε μυστήρια, καὶ τὰς τελετὰς, ἀνάγειν μὲν ἀπὸ τῆς ἐνύλε καὶ θνητοειδοῦς ζωῆς τὰς ψυχὰς, καὶ συνάπτειν τοῖς θεοῖς, ἀφανίζειν δὲ ἅπασαν τὴν ἐκ τῆς ἀλογίας παρεισδυομένην παραχὴν ταῖς νοεραῖς ἐλλάμψεσιν, ἐξωθεῖν δὲ τὸ ἀόριστον, καὶ τὸ σκοτεινὸν, τῶν τελουμένων τῷ φωτὶ τῶν θεῶν. Ibid. vers. 25. post, *casu*. adde: Nec obstrictos sese tantum quasi sacramento quodam ad virtutem, sed paratiores quoque, existimabant. Quidam apud Sopatrum, in citato statim Opere. Διὸ καὶ τὰς τοιαύτας πρὸς ἐμαυτὸν ἀφῆκα φωνάς· ἂν μυηθῶ τὰ μυστήρια, ἂν μετάσχω τῆς τελετῆς, τῶν ἐμαυτοῦ λοιπὸν προστήσομαι πράξεων, οὐ μέμψεταί μοί τις κατὰ τὴν πόλιν ὡς πλημμελήσαντι, οὐ λοιδορήσεταί τις ὡς λάλον, οὐ διορθώσεταί τις παίδιον. ἀλλ᾽ ἔσομαι, διὰ τὴν τελετὴν, πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν ἑτοιμότατος. Ibid. vers. 26. post, *mysteriorum*. adde: Et inter ipsos, quo diutius quis initiatus esset, tanto honoratior quoque habebatur. Aristides, in Orat. περὶ παραφθέγματος. Καὶ ὁ μὲν ἀρτιτελὴς μύστης, ἀτιμότερος τοῦ πάλαι μύστου. Col. 146. in lemmate cap. XVIII. vers. 3. post, *jacere*. adde: & in dolio inexplebili replendo laborare. Col. 147. vers. 47. post, *obtinet*. adde: Laborare quoque ibidem in replendo dolio quodam pertuso, ideoque inexplebili, credebantur. Zenobius, Cent. II. Proverb. VI. Ἄπληστος πίθος. λέγεται οὗτος ἐν ᾅδου εἶναι, οὐδέποτε πληρούμενος. πάσχουσι δὲ περὶ αὐτὸν αἱ τῶν ἀμυήτων ψυχαί. Totidem verbis est id legere apud Lucillum Tarrhæum; & Appendicem Proverbiorum Vaticanam Andreæ Schotti, Cent. III. Proverb. XXXI. Col. 148. vers. 29. post, Aristides. adde: in Panathenaica. Ἡρακλέα γε καὶ Διοσκούρους ἅπαντες δήπου θεοὺς εἶναι νομίζουσι. τούτοις δέ γε, ἕως ὡμίλουν ἀνθρώποις, πρώτοις ξένων ἡ πόλις δείκνυσι τὰ ἱερά. Item in &c. Ibid. vers. 34. post, *Atticæ*. adde: Atque Herculi quidem, & Dioscuris, primus hæc ostendit Triptolemus. Xenophon, Hist. Græc. lib. VI. Λέγεται μὲν Τριπτόλεμος, ὁ ἡμέτερος πρόγονος, τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης ἄρρητα ἱερὰ πρῶτος ξένοις δεῖξαι, Ἡρακλεῖ τε τῷ ἡμετέρῳ ἀρχηγέτῃ, καὶ Διοσκούροιν τοῖν ἡμετέροιν πολίταιν. Ibid. vers. 58. post, *ostendi*. adde: Ut autem Hippocrati, ita filio quoque ejus Thessalo is honos habitus. Ipse dicit, in Oratione Presbeutica. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο τὸ καλὸν ὑπερβάλεσθε, μυήσαντες τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης μυστήρια, καὶ ὄργια, καὶ τὸν πατέρα, καὶ ἐμὲ, δημοσίᾳ. Verum an etiam Philippo, Macedoniæ regi? Spartianus illud dicit, in Hadriano, etsi veterum alius nemo. *Post hos per Asiam, & insulas, ad Achaiam navigavit: & Eleusinia sacra, exemplo Herculis, Philippique, suscepit.* Col. 149. vers. 38. post, *arcebantur*. adde: Huc pertinet, quod M. Antoninus Philosophus, narrante Julio Capitolino in ejus Vita, cum Athenis esset, ordinatis Græciæ rebus, *Inter alia Cereris templum adiit, ut se innocentem probaret, & sacrarium solus ingressus est*. Ab eadem

causa

cauſa Nero abſtinuit, ut apparet ex Suetonii, quæ citavi ſtatim, verbis: Ibid. verſ. 45. poſt, *vetiturus*. adde: Et hæc quidem priſcis temporibus fiebant: poſtea immutata formula; ac prohibiti non duntaxat quotquot impii, verum etiam Chriſtiani, & Epicurei. Lucianus, in Pſedomanti. Ἐν τῇ πρώτῃ τῆς τελετῆς ἡμέρᾳ πρόῤῥησις ἦν, ὥσπερ Ἀθήνησι, τοιαύτη. Εἴτις ἄθεος, ἢ Χριστιανὸς, ἢ Ἐπικούρειος, ἥκει κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτω· οἱ δὲ πιστεύοντες τῷ θεῷ, τελείσθωσαν τύχῃ τῇ ἀγαθῇ. In exilium miſſis, intereſſe licuit. Obſervare eſt apud Plutarchum, De Exilio. Ἔξεστι δήπου καὶ τῷ μεθεστῶτι, μυστηρίοις ἐν Ἐλευσῖνι διατρίβειν. Ibid. in lemmate cap. XX. verſ. 1. poſt, *fuit*. adde: qui obſtricti in rem iſtam juramento; mulieribus jurantibus per Pollucem, Caſtoremque. Col. 151. verſ. 19. poſt, *myſterium*. adde: Ac videntur & obſtricti ad ſilentium juramento: fæminæque per Dioſcuros jurabant. Obſervare eſt apud Gellium, lib. XI. cap. VI. *Varro aſſeverat, antiquiſſimos viros, neque per Caſtorem, neque per Pollucem, dejerare ſolitos: ſed id jusjurandum fuiſſe tantum fæminarum, ex ſacris Eleuſiniis acceptum*. Col. 155. verſ. 4. reſcribe. αὐτὴν τὴν ἡμέραν. & verſu ſequenti: μία τῶν θ΄. μυστηρίων. Col. 157. in lemmate cap. XXV. verſ. poſt, *redimitæ*. adde: forma quadam propria. Col. 158. verſ. 26. poſt, ἀνήνεγκαν. adde: Erant autem forma propria, & ab aliis ſeorſim. Indicant Pauſaniæ verba, quæ in Phocicis. Κλεόβοια δὲ, ἔτι παρθένος· ἔχει δὲ ἐν τοῖς γόνασι κιβωτὸν, ὁποίας ποιεῖσθαι νομίζουσι Δήμητρι. Col. 159. in lemmate cap. XXVI. verſ. 2. poſt, *fæminæque*. adde: & vultu truci. Ipſius capitis verſ. 7. poſt, *incedebant*. adde: quod Λαμπαδεύεσθαι dicebatur. Anonymus, apud Suidam, in Λαμπαδεύεσθαι. Ἀριστόγονος οὖν Διονυσίου, μύστης, λαμπαδεύεσθαι μέλλων, εἶτα μέντοι τὰ δεξιὰ παρείθη μέρη. Ibid. verſ. 31. poſt ultimum Senecæ verſum, adde: Et incedebant vultu truci, ac minaci. Lucianus, Cataplo. MI. Εἰπέ μοι, ἐτελέσθης γὰρ, ὦ Κυνίσκα, τὰ Ἐλευσίνια, οὐχ ὅμοια τοῖς ἐκεῖ τὰ ἐνθάδε σοι δοκεῖ; ET. Εὖ λέγεις. ἰδοὺ οὖν, προσέρχεται δᾳδουχοῦσά τις, φοβερόν τι, καὶ ἀπειλητικὸν, προβλέπουσα. Col. 160. verſ. 16. poſt, *exemiſti*. adde: Seneca, Hercule Furente.

Libra Phœbæos tenet æqua currus,
Turba ſecretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Atticis noctem celebrare myſtæ.

Statius, Theb. VII.

Et non aſſuetis pernox ululavit Eleuſis
Menſibus. ———

Ibid. in lemmate cap. XXVII. verſ. 8. poſt, *æris ſono*. adde: quod Ἠχεῖον dicebatur. Col. 162. verſ. penult. poſt, *canunt*. adde: Herodotus, in citatis verbis. Καὶ πρόκα τε φωνῆς ἀκούειν, καὶ οἱ φαίνεσθαι τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυστικὸν Ἴακχον. Athenion, apud Athenæum, lib. V. Μὴ περιίδωμεν δὲ, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν ἱερὰν τοῦ Ἰάκχου φωνὴν κατασεσιγασμένην. Col. 163. verſ. 40. poſt, *Menſibus*. adde: Nempe invocabatur Proſerpina; & tunc æs pulſari ſolitum, quod Ἠχεῖον dicebatur. Innuit Theocriti id Scholiaſtes, ad Idyll. II. Φησὶν Ἀπολλόδωρος, Ἀθήνησι τὸν ἱεροφάντην, τῆς Κόρης ἐπικαλουμένης, ἐπικρούειν τὸ καλούμενον Ἠχεῖον. Col. 165. verſ. 14. poſt, *jacerent*. adde: idque cum clamore ac ſtrepitu: quem intelligit Scholiaſtes Ariſtophanis, Acharnenſibus. Ἀχαιὰν δὲ τὴν Δήμητρα ἐκάλουν, ἀπὸ τοῦ κτύ-

πȣ τῶν κυμβάλων, καὶ τυμπανίων, τοῦ γενομένȣ κατὰ ζήτησιν τῆς Κόρης. ἢ ἀπὸ τοῦ ἤχȣ, ὃν παρεῖχον ἐν τοῖς περὶ τὴν γέφυραν εἰς Ἀθήνας ἀπιοῦσιν. Col. 166. verſ. 30. poſt, *ferendam*. adde: Huc pertinent illa Libanii, Declam. IX. ubi de Alcibiade agit. Φασὶ πρότερον τὸν θεὸν τὸν μυστικὸν βακχεύοντα, καὶ δᾳδȣχȣ̃ντα, καὶ τὰς τῶν ἀνακτόρων λαμπάδας αἰωρȣ̃ντα. Plutarchus, in ejus Vita, ait ipſum hierophantam egiſſe. Ἔλεγον δὲ, Θεόδωρον μέν τινα δρᾷν τὰ τοῦ κήρυκος, Πολυτίωνα δὲ τὰ τοῦ δᾳδούχȣ, τὰ δὲ τοῦ ἱεροφάντȣ τὸν Ἀλκιβιάδην. Et poſtea. Καὶ δεικνύοντα τοῖς αὐτοῦ ἑταίροις (τὰ μυστήρια) ἐν τῇ οἰκίᾳ ἑαυτοῦ, ἔχοντα στολὴν, οἵαν περ ἔχει ὁ ἱεροφάντης. Col. 167. verſ. 6. poſt, *nati*. adde: Certabant etiam juvenes cum tauris. Artemidorus, Onirocrit. lib. I. cap. IX. Ταύροις κατὰ προαίρεσιν ἐν Ἰωνίᾳ παῖδες Ἐφεσίων ἀγωνίζονται· καὶ ἐν Ἀττικῇ παρὰ ταῖς θεαῖς ἐν Ἐλευσῖνι κοῦροι Ἀθηναῖοι περιτελλομένων ἐνιαυτῶν. Col. 168. in lemmate cap. XXXI. verſ. 5. poſt, *hallucinatio*. adde. Poſtero die a rege ſacrorum ſenatus convocari ſolitus; ac ſententia lata in eos, qui in ſacra deliquiſſent, idque e Solonis lege. & tum forum, fune circum ducto, obſeptum, ne profani ingrederentur: nundinæque celebratæ. Col. 170. verſ. 17. poſt, *Proverb.* L. Poſtero die ſenatus conveniebat in Eleuſinæ Cereris templo, quod in urbe, convocante ſacrorum rege: ibique in eos ſententia ferebatur, qui in ſacra commiſiſſe delati eſſent: idque ex Solonis lege. Diſco ex Andocide, in Orat. Περὶ τῶν μυστηρίων. Ἐπειδὴ γὰρ ἤλθομεν Ἐλευσινόθεν, καὶ ἡ ἔνδειξις ἐγεγένητο, προσῄει ὁ βασιλεὺς περὶ τῶν γεγενημένων ἐν Ἐλευσῖνι κατὰ τὴν τελετὴν, ὥσπερ ἔθος ἐστίν. οἱ δὲ πρυτάνεις προσάξειν ἔφασαν αὐτὸν πρὸς τὴν βȣλὴν, ἀπαγγεῖλαι τ' ἐκέλευον ἐμοί τε καὶ Κηφισίῳ παρεῖναι εἰς τὸ Ἐλευσίνιον. Ἡ γὰρ βȣλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε, κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον· ὃς κελεύει, τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. Dum judicia iſta fierent, non profano intereſſe ulli licitum: &, ne quis ingrederetur, forum obſeptum, ducto circum illud fune. Pollux indicat, lib. VIII. cap. XII. Περισχοινίσαι δὲ τὸ δικαστήριον (ἔλεγον,) ὁπότε περὶ τῶν μυστηρίων δικάζοιεν, ἵνα μὴ προσίῃ μηδεὶς ἀνεπιτήδειος ἄν. Nundinæ item poſt peracta hæc myſteria celebratæ. Obſervare eſt apud Plutarchum, Sympoſ. lib. II. Quæſt. II. Ἐν Ἐλευσῖνι, μετὰ τὰ μυστήρια, τῆς πανηγύρεως ἀκμαζούσης, ἑστιώμεθα παρὰ Γλαυκίᾳ τῷ ῥήτορι. Ibid. verſ. 32. poſt, *novit quod dico*. adde: Imm clare dicit Porphyrius, περὶ ἀποχῆς, Παραγγέλλεται καὶ Ἐλευσῖνι, ἀπέχεσθαι καὶ κατοικιδίων ὀρνίθων, καὶ ἰχθύων, καὶ κυάμων. Col. 170. verſ. 6. poſt, *omiſerunt*. adde: Arrianus, de Exped. Alex. lib. I. Ἀθηναῖοι δὲ, μυστηρίων τῶν μεγάλων ἀγομένων, ὡς ἧκον τινὲς τῶν Θηβαίων ἐπὶ αὐτοῦ τοῦ ἔργȣ. τὰ μὲν μυστήρια ἐκπληγέντες ἐξέλιπον, ἐκ δὲ τῶν ἀγρῶν ἐσκευαγώγȣν εἰς τὴν πόλιν. Ibid. In lemmate cap. XXXIII. verſ. 2. poſt, *Parrhaſiis*. adde: *Jonibus*. Col. 172. verſ. 20. poſt, *Auriferæ*. adde: Item Jones Epheſi; qui ab Androclo, Codri filio, genus ducebant, & ex hac re Βασιλεῖς appellabantur. Strabo, lib. XIV. Ἄρξαι δέ φησιν Ἄνδροκλον τῆς τῶν Ἰώνων ἀποικίας, ὕστερον τῆς Αἰολικῆς, υἱὸν γνήσιον Κόδρȣ, τοῦ βασιλέως Ἀθηνῶν. γενέσθαι τοῦτον Ἐφέσȣ κτίστην. διόπερ τὸ βασίλειον τῶν Ἰώνων ἐκεῖ συστῆναι φασί. καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τȣ̃ γένȣς ὀνομάζονται Βασιλεῖς· ἔχοντες τινὰς τιμὰς, προεδρίαν τε ἐν ἀγῶσι, καὶ πορφύραν, ἐπίσημον τȣ̃ βασιλικοῦ γένȣς, σκίπωνα ἀντὶ σκήπτρȣ, καὶ τὰ ἱερὰ τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος.

Quam foret optandum, ut quemadmodum iſta Panathenæa ac Eleuſinia tam operoſe deſcripta, ſic quoque Διονύσια perinde oſtentata tum alibi, tum in Græcia Feriata, antecedere & his jungi potuiſſent! Sed quoniam ea latent, quæ exſtant collectanea alia de ritu

Bacchanaliorum habe. Habe & aliquid de illo Deo, quem apud ſolas Athenas publico lapidis præconio appellatum, ſed prorſus ignotum, adeo ut etiam ſine nomine exſtiterit, perinde cultu ejus nihil rectæ cerimoniæ aut ſanctitatis agnoſcente, ſola ara hanc publicam ignorantiam enunciante, obſcurata etiam ipſius aræ erigendæ occaſione, ex unius cui fidem libenter habemus indicio multi ſcrutati fuerunt. Quæ ignoti apud Athenas Dei inſcriptio ad imitandi feſtivitatem ſollicitavit inclitum peregrinationibus Jac. Sponium, ut excepta ex antiquis monumentis nomina Deorum, partim quoque cognomina, in unam congeriem juncta publicaret egregio ad gentiliſmi quoque penitioris notitiam inſtrumento, ſed omnium potius locorum religionibus quam Græciæ conſecrata; unde vix unius illius Ζηνὸς Μηλωσίου & alterius Τυρίμνου fit ut Græcorum numinum mentio: nam de Agdiſte puerile eſt & ΝΕΜΑΥΣΟΣ plane peregrinus. Ipſe quidem etiam agnovit diſcriminis magnitudinem, quum hæc urbibus & populis, quorum juſſu erecta iſta cultus pignora manſerunt, fuerint nota pronunciataque; iſte vero nequaquam ab Atticis. Certe igitur melius Locales & familiarum Deos vocaviſſet. Hos autem, ſi probari poſſet ſub iſto titulo omnium commixtio gentium, longe numeroſiores exponi ab eo potuerant vel ex Brixianis monumentis vel aliunde: aut ſi Græcos ſolos conduci placeret, etiam illos longe plures ex Grammaticis vetuſtis per univerſam Græciam congerere licebat vocabulis non niſi per ſola colentium oppida pronunciatis, interque hos non videbatur locus eſſe inſcriptioni quintæ I. S. I P. D. M. quas literas itane credimus explicari debere *Jovi Sereno*, *Junoni Placidæ*, *Diis Magnis*? Et cur non potius *Junoni Siſpitæ*, *Idææ Placidæ Deum Matri*? Et quæ pars non eſt referta iſtorum Diis, quum vel unus Æſchylus potuerit fingere θεὸν Ἀμφίδρομον, non difficilius, quam faber lignarius ex qualicunque ligno Mercurium fecerit. Inter quæ quam imperite aſpexit num. XXXIX. φράτορας Εὐμηλειδῶν, longe imperitius tamen Sponianam verſionem conſiderante altero col. 267. Adeo qui Neapoli fuit, φράτορας tot ſodaliciis illic olim collegiiſque cognitos ac celebratos diſcere etiamnum debebit ex Suida, aut ab alio doctore patietur *gentiles* vocari? Quem denique ſe credidit ab his noſtris terris conſideratum iri Sponius, miſſo in eas libello, qui Nehalenniam illam ſpecioſam aut Domburgum aut Weſtcapellam memoraret in Britannia? Quid quod etiam ſerus nimium hæc bellaria proponit? Sed ante omnes me detinet iſtud vocablum Thyatireni ΤΥΡΙΜΝΟΥ, quo caſu ſecundo quum id repertum fuerit in duabus inſcriptionibus. Sponius hinc in Miſcellaneis Latine loquitur de *Deo Thyrimno*, in Itinerario Gallice *du Dieu Tyrimnus*, in Ignotis vero Diis mentionem facit *Dei Tyrimni* & deſcribit *Eum autem Tyrimnum*. Atque ita per omnes caſus eum celebrat, nulla quidem fide, quum iſte genitivus poſſit venire ab primo caſu ΤΥΡΙΜΝΑΣ. Quem ut aliquo modo monſtremus, videtur ille fuiſſe ex Macedonia illuc translatus forſan inter duces Alexandri Magni, quando præpoſitus illi urbi plurima bona contulerit. Eſt enim Macedonicum nomen ΤΥΡΙΜΜΑΣ, unde in Arriani libro III. Ἀναβάσεως citatur Ἀγάθων ὁ Τυρίμμα, ubi tamen non multo ante videbis genitivum & Περδίκκου & Σιμμίου, utrumque ab Περδίκκας

& Σιμμίας. Nec hæſites in litteris M. vel N. In Arriano quondam edebatur Τυείμα. Ipſe invenio in MS. optimo Τυείμβα, ut minus mireris in ea urbe appellari Τυείμναν. Etiam in Euſebio Olympionices celebratur Τυρύμμας, qui apud alios aliter dicitur, de quo videre eſt in Meurſii Archontibus 11. 17.

Inter hæc jam deſiderari quoque rebar quercum Dodonæam, adeo non ignotis tantum aut quorundam Græciæ locorum ſacrariis, imo etiam ubilibet terrarum nobiliſſimis penetralibus oraculiſque & ætate & fama & cultu præferendam. Illa & Græca & Græcis quoque ſubſidiis ad nos propagata non Ciceroni magis ad Atticum libro ſecundo Epiſtolarum celebrata verbis totidem, quam vetuſtiſſimæ apud Græcos laudis nuncia jam ab tempore Erechthei. Nec mihi diſplicere poterant primordia operarum huic Academiæ impenſarum; quæ quum ultro ſæpe reviſebam, ut quæ ſatis ſecunda famæ meæ votiſque fuerant, tum aliorum judicia variis temporibus prodita adegerant nonnunquam attentum magis vigorem illis commodare, & aſſerere mihi id ipſum jus, quod nunquam aliis negare debui. Hinc non tantum verus Jovis Dodonæi conſpectus ad veri nummi exemplum nunc publicatus demum, ſed etiam reſtitutus Ζεὺς ὁ μίσθιος βροτῶν: etiam vanitas patefacta noſtrorum hominum inter Callimachi fragmenta non deſinentium reponere, quod ſemel perperam illis referri inceperat, quum ſint Latina verba Varronis, prout videre potes & meretur certe col. 295. & tam Romani in teſta jentaculum potuerint proferre Jovi, quam Græci ἐν τοῖς Ἀδωνίοις κήπους ἐπ' ὀστράκων καὶ χύτρας ἐξάγειν. Sed & ſic quoque curæ cordique mihi fuiſſe Dodonen apparebit ex ſociata induſtria, ad quam videbis inſtigata a me fuiſſe eximia ſtudia præſtantiſſimi collegæ mei, quorum ſpecimen ut ornamentum hujus Theſauri affatim locuples & ex vicinia meos quoque conatus coloraturum lætus appoſui.

Hujus igitur vel quercus vel Πελειάδος Dodonææ exiſtimatio attraxit alligavitque ſibi collectanea Antonii Venerii de oraculis & gentiliſmi ſolatiis ex aditu & nexu & inde tantum non colloquio Deorum, omnia ex Græcis ſcriptis petita & ſatis vivaci impetu per eum enarratas Græcorum & ulteriorum opiniones complexa.

Sed ſuper omnia invergit ſe in ſtudioſi hominis occurſum & mentio per Græcos Latinoſque libros & conſpectus Dianæ Epheſiæ. Adeo per utramque voluminum turbam ea frequentatur; adeo ipſa rudera paſſim reperta teſtantur diſperſum ejus antiqua illa tempeſtate non per Aſiam modo, ſed omnes Romanæ dominationis terras tractuſque cultum, admodum conſpicuis & ingenioſis imaginum ad ſtuporem in plebe concitandum notis, ut mirer tam multos abire potuiſſe annos, priuſquam illæ recollectæ velut in templum ipſi erectum reportarentur. Erat ejus templum non ab homine ſtulte ambitioſo incenſum, ſed ab ipſo Saturno devoratum, & plurima hæc vetuſtas graviore ruina plane demolitum aboleverat. Repoſitor ejus nuperis annis contigit Claudius Menetrejus, opifex ad hanc cauſam peritus, qui ſimulacris, in quibus eminent XII. undique comportatis, non ut exeſis deploratiſque reliquiis ſubterraneas faviſſas implevit, ſed pulcherrimam vetuſtæ religionis & ſola fabrica ſua oculos auferentis pompam

inſtau-



inſtauravit, non ſane oculis id dediſſe contentus, niſi etiam ſingula ornamenta, quæ vides omnino eſſe ſuperbiſſima, ex iſtorum hierophantarum commentariis quantum poſſet indigetaret. Quo exemplo raptus quum in arcis Heemſtejanæ propylæo deprehendiſſem advectam ex longinquis locis marmoream ejuſdem Deæ ſtatuam inter ornamenta magnificentiæ ejus excubare, vel ex foſſæ aſpectu vel ipſius arcis admiratione oblectatam, ſuſtinui ab Domino ejus veniam petere, ut excipere in chartam & æs liceret. Unde illo annuente eandem hic locavi publico prorſus dignam hoc conſpectu, ut quæ quum nullis aliarum cedat pulchritudine artis & elegantia, tum ab omnibus ſit diverſa, ſeu manuum elevationem conſideres, ſeu ſeptem faſcias, in quibus unice convenit cum ea, quam Leonardus Auguſtinus ex gemma edidit, (multum & nimis variante manu in nectendis illis faſciis inter eam quam ipſe Leonardus effingi curavit & alteram quam dedit in hoc libro Menetrejus) ſeu προτομὰς equorum in aliis parum obſervatas cum tanta canum multitudine Hecaten ſuam juſtiſſime cingente, ut mereatur certe hoc marmor inter reliqua ſpectari, promptitudine nummos illos omnes quos citat collectos appoſuerit, vel quid ita ex hac Dianæ in nummis glorioſæ pompa ab Holſtenio collecta ſit omiſſus nummus Claudii eam perinde in æde tetraſtylo ſtantem & verubus innixam exhibens cum ipſis literis DIAN EPHE, ut eſt in ſerie orbium Crojanorum; Similis illi, quem ex nummo Elagabali vel Caracallæ habet col. 389. vel illa ſedens in Brixianis pag. 40 exhibita, lacteos rores ex plurimis papillis emittens. Quod ad rem ipſam, hanc ego Dianam ex ſuis ſacris illuſtratam velim, non admixtione nunc Cereris, nunc Iſidis, nunc Cybeles; quas profecto niſi ad partes advocarent, ita agunt viri docti, tanquam eminentia tantopere inſignia expoliri ſine earum coitu & coalitione nequirent. Scio quemadmodum in auctore Orpheo aliiſque modis narrentur confuſa iſta ſacra. Attamen Epheſium aliquid indigena deſidero. Quid ad virginem, quid ad celeberrimam illam apum abſtinentiam illa plus vice ſimplici puerperas? Inter quæ quam bella adſeveratio ſit col. 347. *Iſtud etiam hic attexatur. Apud Brutios peculiari & inſigni coronamento Dianæ caput cancri teſta ornatum, ut ex eorum nummis palam eſt*, patuit ex præfatione voluminis proxime antecedentis. Nec ſane Ovidius agnoſcit *Celei Meloninæ hoſpitium*, ut ſcribitur col. 381. ſed Metaniræ. Porro quid aut unde extitiſſe dicemus, quod occurrit column. 383. „ Pauſanias in Eliac. auctor eſt Eleos cum in Prytaneo „ monte Cereri ſacra facerent, thure & melle ſubactum triticum „ adoleviſſe? Eleos quidem ſic multa adoleviſſe Cereri nequaquam ex Pauſania intelligere poſſis. Prytaneum vero montem penitus ignorat Pauſanias. Verba poſtrema reſpondent his Græcis: Λιβανωτὸν γὰρ ὁμοῦ πυροῖς μεμαγμένοις μέλιτι θυμιῶσιν ἐπὶ τὸν βωμόν, quæ leguntur in Eliacis pag. 316. Sed ibi non ara Cereris deſignatur, verum multorum numinum, atque adeo ἐπὶ πάντων τῶν βωμῶν. Prytanei autem Elei præcedit mentio, quod ait eſſe τῆς Ἄλτεως ἐντός.

Ab his ſeparari nullo modo debuit contemplatio veruum Dianæ, (in quibus ſollicitum ſe hæſiſſe fatetur Wouwerius Centur. II. Epiſtol. 37.) quæ ex Minucii Felicis per ipſam hanc appellationis vilita-

tem deridentis ac tantum non ſatyrice deprimentis notabilem ornamentorum & gravitatis Dianeæ partem dialogo & veteri ejus lectione confirmare conatus fuit doctiſſimus Holſtenius. Ipſa conjecturarum, quibus ſatiſcit ille locus, multitudo & varietas probat lectioni ſcriptæ eſſe acquieſcendum, eamque pro veriſſima habendam. Argumentatio ejus neſcio an ſit firmiſſima, quaſi quum hoc ſignum ad Ægyptiorum ſimulacrorum inſtar pedibus eſſet arcte compreſſis, ſuffulciri id debuerit fulmentis his ferreis oblongis, ut brachiis ſuppoſita totam mammoſi pectoris molem ſuſtinerent. Certe enim tam artificioſa iſta ſæcula fuerunt, ut per pedes quomodocunque coeuntes & compreſſos potuerit ſatis fulmentorum penetrare ad illud corpus erigendum ac ſuſtinendum. Quum equini corporis anteriorem partem cum equite pendentem in aere potuerint continere per vincula ferrea pedibus poſterioribus tranſmiſſa, certe potuerunt & hoc ſimulacrum, quantumcunque aggravatum per mammas & porrectas manus, per illos ipſos pedes tranſmiſſo nexu conſtituere. Sed de his alibi. Et Epheſum quoque ac Dianam ſuam comitari oportebat examen apum, quod Bellorii induſtria conduxit cum effigie ſtatuæ Matris Deum ſeu Deæ Syriæ, in qua tamen non temere ac proclivi favore agendum, quum præter hoc ejus εἴδωλον non intelligam aliud quippiam reſtare.

Sic poſt magni non roboris ac numinis, ſed ludicri nomina, peculiarium quorundam locorum ſacrariis dicata, libet ſpectare circulum & conſiſtorium minorum velut geniorum, quos per ſæcula abſconditos ut lux denuo adſpiceret, nuperrimorum annorum benignitas fecit, marmore magni operis ex ſoli Puteolani voragine in qua ſiderat, producto, ut ſic vicinior Europæ pars hodieque frueretur conſpectu monumenti ſimilis, vel ei, quod olim obtinebant Athenæ, in quarum Olympii Jovis templo teſte Pauſania χαλκαῖ ἑςᾶσι πρὸ τῶν κιόνων, ἃς οἱ Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ἀποίκους πόλεις· vel quod in columna Arcadii poſſidetur ab Byzantio, in quo ſpectantur *diverſes Victoires, dont les unes ſont menees par les autres qui reſiſtent, & pluſieurs figures, qui ſont couronnees de creneaux, qui repreſentent autant de villes, que les armees de ces deux Princes avoient conquiſes*, ut loquitur Whelerus pag. 148. vel in cujus baſi ſedet in throno Imperator, cui figuræ aliquot adſtant muliebres, cum turritis capitibus, quibus Imperii provinciæ exhibentur, ut ſcribere maluit Carolus du Freſne pag. 78. Sic in uno ſaxo conductæ ſpectantur XIV. urbes. Loquor enim ex more veteri, quo in viro vel fæmina exiſtimabant optime urbem deſignari, adeo ut ſcribat Pauſanias in templo Æſculapii Meſſenio tum alias notabiles exſtare ſtatuas, tum ἀγάλματα Ἀπόλλωνος καὶ Μουσῶν καὶ Ἡρακλέους, πόλις τε ἡ Θηβαίων καὶ Ἐπαμινώνδας. Sed ut opportunitate ejus ornari poſſet receptaculum hujus theſauri, cura & manus admodum propinqua effecit, eo jucundius adſcita, quo præſtantior ac laudabilior. Neque enim tralaticia profecto ſunt, quæ illic docemur, ſed, ut alia taceam, reſtituta & explanata per annos ſuos tantopere immixtos hiſtoriæ Tiberianæ parte, quam nullus ſine offenſa ac dedecore attigit (attigerunt autem plerique) & auſpicata illa Apollonidea Geographicæ doctrinæ ſolerter reddita, quam cum pudore ac faſtidii ſui deploratio-

ne in libris antiquis delitefcentem adeo fegniter antehac adfpexerunt, folis Apollonidenfibus Ciceroni ac Plinio relictis. Quibus recte facies, fi adjunxeris hæc ipfa ad exitum capitis XXVII. col. 502.
„ Scaliger & Aurelius ex Stephano dicunt multas effe Ægas. Sint
„ fane; fed addit Stephanus, ἀπὸ μὲν δισσυλλάβε Αἰγαῖος, ἀπὸ δὲ τρι-
„ συλλάβε εὕρηται ϗ οὕτως Αἰγεάτης, fi non Αἰγιαιάτης: exilui ad hæc ver-
„ ba Stephani, & poffunt colophona imponere huic capiti. Ἀπὸ δὲ
„ τρισυλλάβε &c. hæc verba fine controverfia oftendunt fuiffe urbem
„ cognitam Stephano trium fyllabarum, hæc non eft alia, quam
„ AEGAEAE, & ab hac gentile fieri *Ægæatas*, uti ad Tacitum
„ ex MSto Medicæo probavi, & Stephanus propalam fententiæ meæ
„ fuffragatur, etfi Scaliger & Aurelius hoc prætereant. Sed quod ad rem noftram pertinet, placet in uno circuitu videre tot tutelas vel effigies, fingulas civitatum fuarum vultu formatas.

Sed quid tandem foret tot nomina vel mafculos vel fæminas fignantia per caffam imaginationem inferuiffe cælo, nifi eadem memorarentur in terris, & crebra calatione per gentes ac fæcula pofteritatifque univerfæ fucceffionem perfonarent? Attribuendæ igitur fingulis fuerunt & fedium & temporum ftatæ ac certæ cuftodiæ, hoc eft, templa & fefta, in quibus non ex quotidiana vitæ confuetudine agerent homines, fed hiantes, ftupidi, adventu majoris cujufdam poteftatis nec intelligendæ obfeffi ac delufi, raptarentur non aliter quam ab Luca bove Romanus amplius quam erant iftæ belluæ fufpicans; atque etiam anteactarum rerum velut portentorum commemoratione attoniti facerdotibus jocum præberent ac quæftum. Hac vero in parte fi ullus terrarum tractus infanivit, certe Græcia illa θεοσεβεςάτη fuit, quam hæc furia inquietavit, tanto pronius, quia hic Deorum honor adeo non erat contrarius voluptatibus vulgi & Græcæ lafciviæ genio, ut vel maxime grato comitatu nectente venirent. Hoc enim cautum prudenter & ftudiofe erat, ut quidem φρικώδης foret religio, fed fimul etiam φαιδρά. Unde in libris, marmoribus, ære, nummis tam multa feftorum talium memoria & appellationum frequentia tam infinita, ut ficut θεολογέμενα effugere non potuerunt, quin plurimis ingeniis meditationum caufam darent, ita exftiterint quoque οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες, ut eos defcripfit Proclus; exque iis citari Diophantum Lacedæmonium, qui de facris Deorum fcripferit, ab Fulgentio novimus. Quibus plurimis involutis eidem ruinæ, per quam tot alia vetera in perniciem tracta funt; noviffimo fæculo duorum animos irritans & percutiens eadem ifta hodieque feftorum apud legendos auctores crebritas adegit, ut ea in feriem aptam collecta videre cuperent, & quidem eodem tempore. Nihil felicius erudito ifto Petri Caftellani & Joh. Meurfii labore. Gratum eft audire illam utriufque ὁμοθυμοσύνην & alterius de altero exiftimationem. Gratum eft & ter gratum attendere & animadvertere, quam præclari illi homines per vicina admodum operandi veftigia inceflerint, exemplo admirabili fic ducentes juenem, qui ad vera ftudia iter quærit. Quum interim probe noffet ea non fic colligi poffe, ut non uberrimum fupereffet affidue fpicilegium, fpemque improbam fore, quæ aliter fe jactaret ac promitteret non præftanda. Nihil detrahit eorum laudi vel nume-

rus,

rus, quem ipſi collegerant, præclare auctus per nummos antiquos (factum ſane egregium & laudabile, & dignum, quod particulatim recollectum huic labori adjungeretur) his diebus ſtudioſius inſpectos, vel ſolennia ipſorum feſtorum in certis citationum angulis deliteſcentia & poſt eos demum producta. Non ſane; etſi ſatis acerbe id illis fere inſtar exprobrantium annumerarint nonnulli crebro clamitantes nullam hujus aut illius feſti hac vel illa in urbe celebrati & certo Deo attributi a Meurſio mentionem eſſe factam. Liceat pro candore Meurſii opinari, optima eum omnia de futuro menti ſuæ propoſuiſſe, & quaſcunque eruditionis, quam colebat, partes ampliores clarioreſque fore ſperaviſſe; idque ut fieri poſſet, ipſe adjuvit monſtrando præcipuis capitibus, quæ illuſtrari mererentur. Hac fiducia non modo aliquoties in ima ora per Meurſii feſta additum quid deprehendes ad polienda Meurſiana ut ſola Græcas feſtivitates docentia, ſed etiam pag. 854. interpoſui ad fidem ſummæ meæ erga Oxonienſe marmor reverentiæ, cui illud omne debemus, in ea urbe ſæpe a me viſum, & nomen & conſpectum feſti ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΑ, atque etiam in illis aperte egi; ſed in Aſia uſurpatum fulget ſplendide per locum Artemidori & ibi citatum in Commentariis, & notum etiam Meurſio in Addendis ad Eleuſinia, ut patet ex pagina 14 hujus præfationis. Sed eum ita refinxit Artemidorus in meliore editione libri ſui, cujus exemplar eſt Florentiæ, hoc modo. Ταύροις δ' ἔτι κατὰ προαίρεσιν ἐν Ἰωνίᾳ παῖδες Ἐφεσίων ἀγωνίζονται, καὶ ἐν Ἀττικῇ παρὰ ταῖς θεαῖς Ἐλευσίνια κοῦροι Ἀθηναίων π. εν. Ubi παρὰ ταῖς θεαῖς non oportuerat verti *in ſpectaculis*, ſed *apud Deas*. Quicquid ſit, laborem Caſtellani & Meurſii pro ſacrato habeo, & quicquid addi poteſt, ipſorum gloriæ ſtipendium exiſtimari oportet, qui primi eam munivere viam, & hunc attentionis eruditæ modum tradiderunt. Non habet Meurſius Pythia, Nemea, nec Iſthmia; ſed neque habet Caſtellanus: & cur præterierit, etſi meum non ſit conjicere cauſam iſtam; certe tamen quidni judicare vis ea omiſſa ob eandem cauſam, quam allegat in Olympiis, de quibus nihil ſe dicturum teſtatur, quia alii abunde dixerunt, eaque ab Meurſio repetuntur diſerte in præfatiuncula libelli de Ludis Græcorum, in cujus parte κυβείαν continente non vult ſcribere, quæ habet Delrio vel Salmaſius. Utinam iſti homines nunc non ita onerarent ſæculum iſtis ἐωλοκρασίαις! Certe cur iſta debuerit diſcere ex inſcriptione Megarenſi apud Sponium, (quam cum altera Oxonienſi poni pag. 869. curavi) ne id quidem video, quum Index IV. Inſcriptionum Gruteri ſæpe illi inſpectus ut alia feſta & ſacra complectitur, ſic etiam iſta; & ubi illa non memorantur? Ut debuerint ejus animo inhæſiſſe. Neque tuæ, mi lector, exiſtimationis auctoritatem defugio, quin & ea, quæ ipſe inſuper annotanda cenſui, & in quibus offendi lectionem tuam poſſe opinabar, exigas, an ratio eorum haberi debeat; mihi certe non ſatis commoda acciderunt. Col. 732. ſane video appellari ab Meurſio feſtum Ἀπολλώνια: video etiam ex loco Pauſaniæ deſcribi & allegari τὴν ἑορτὴν τοῦ Ἀπόλλωνος. Et ſane illius Apollinis apud Sicyonios nobilitati mentionem notabilem habemus vel ex Polybii Peireſcianis, ubi agit de Sicyoniis, qui Attalo τὸν κολοσσὸν αὐτοῦ τὸν δεκάπηχυν ἔστησαν παρὰ τὸν Ἀπόλλωνα τὸν περὶ τὴν ἀγοράν· vel ex Ariſtotelis θαυμ. ἀκουσμ.

de Demoneso; Ἐστὶ δὲ αὐτόθι χαλκὸς κολυμβητὴς ἐν δυεῖν ὄγμαις τῆς θαλάσσης. ὅθεν ὁ ἐν Σικυῶνι ἐστιν ἀνδριὰς ἐν τῷ ἀρχαίῳ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος· vel apud Lucium Ampelium, *Sicyone in Achaja in foro ædes Apollinis est*. Sed ejus festum ita appellari ab Pausania aut ab ullo antiquo scriptore non deprehendo; nec quoniam Apollinis festum audimus, ideo nostra illa venia est, ut statuere nobis liceat Sicyonios id appellasse Ἀπολλώνια, quum tam multiplicia hic recenseantur festa Apollinis nullo Ἀπολλωνίων titulo insignita, sed longe diversissimo. Quod tanto magis notari oportuit, quoniam ab illis lateronibus tam col. 591. quam col. 875. in numerum certum festorum referri ex Meursio cernes, & col. 803. ipse Ἰλίεια negat festum habuisse Athenas, & idcirco in loco Hesychii nimis libere grassatur, quasi in tanta nominum & festorum colluvie non potuerint Minervam coluisse cum cognomine vetustissimæ urbis, quam diu occupaverat. At contra sacravit Μαιμακτήρια nuspiam citata, & tamen jam Henr. Stephano etiam credita. Majus crimen est neglexisse Ἀδράστεια ibidem signata ab Herodoto v. 67. θυσίας τε καὶ ὀρτὰς Ἀδρήστου· οἱ δὲ Σικυώνιοι ἐώθασι μεγαλωστὶ κάρτα τιμᾶν τὸν Ἄδρηστον. Sic col. 736. quum de Æsculapii festo agat, & Pausaniæ, Scholiastæ Pindari ac Platonis loca proferat ad cultum hunc in urbe Epidauro vigentem demonstrandum; inter citationes posteriorum ponit duas inscriptiones, quæ de festo ejus apud Ancyranos testantur, quod non satis commode cum Epidaureo miscetur. Ubi tamen verum non est, quod nuper adfirmare quendam ausum esse video, Meursium e Platonis loco in Ione, ubi Rhapsodorum aliique Musici agones in his Ἀσκληπιείοις Epidauricis dicuntur celebrati, horum tantum certamen putare ibi institutum. Certe quod notabis, non definit ita præcise Meursius, nec vocis *tantum* vel ulla litera ibi ab Meursio posita est, ut debeat hoc mendacii licentiæ proximum judicari. Prout col. 812. nescio qua levitate citet inscriptionis verba ΑΝΕΘΗΚΑΣ ΟΠΑΝΤΩΝ ΩΤΤΧΙΔΟΤ, quum apud Gruterum optime legatur ΑΝΕΘΗΚΑ ΣΟΤΗΓΙΔΑΣ ΠΑΝΤΩΝΟΤΤΧΙΔΟΤ. Admodum quoque periculosa definitio videtur proferri col. 813. de certaturis in Lampade, tanquam illi ex turri quadam, quæ in Ceramico, accensas faces acceperint. Id certe nec dicit Aristophanes illic citatus nec scholiastes ejus; nec quod sententiæ Meursianæ aptata est interpretatio (quod forsan & aliis in locis accidit, ut faveret ei qui citat) tu qui sapis inde aliquid trahes, sed ex solis Græcis & vera eorum sententia. Spectari inde lampadem potuisse, & cucurrisse in propinquo tædiferos apparet, vel etiam prope ipsam inchoatum fuisse cursum, non etiam ex turri accensas accepisse. Atque utinam accessisset tertius Maussacus, nequaquam eorum concilio indignus! Certe & ille fuisset suæ sententiæ & tam doctæ, ut inde aliquid disceremus, & ex consensu patuisset congrua trium sapientissimorum Hermarum concordia ad certam studendi viam. Quid quæris? ecce adsunt tamen non unus, sed duo, qui hanc fatalem non jacturam sarcire, sed numeri turbam implere tentaverunt, & se principibus Achivis admixtos agnoscere dignati operam, sane dubito an semissis, huc conferre sustinuerunt, ut docerent nihil, nisi alter per decadas, alter per capita eandem materiam, quam elaboraverant Castellanus & Meursius ex ordine alphabeti, quoque tractari

poſſe. Tu æſtima utrunque, Lector; nam videbis eos latera iſta honoratiſſima tegentes. Nec enim aliter deſignari debuerunt. An decentius erat percipere hæc ſacra & hos ritus ex incongrua Latinarum vocum commiſſione, quam ex ipſorum, qui interfuere, Græcis enarrationibus? Hoc unum illi agunt; abigunt omnia Græca, & neſcio quid ſemiplenum ac plane non intelligendum effutiunt. Scilicet ut diſceremus in Eleutheriis, quum Plutarchus dicit ſolere in pompa præcedere σαλπιγκτὴν ἐγκελευόμενον δὲ τὸ πολεμικὸν, Latine dici debere *canentem claſſicum*; diſceremus vocabulum Δαφνηφόρη; diſceremus per Σκιέρεια eſſe Bacchi ſimulacrum ſub umbone deſidens; diſceremus ad Ἕρμαια pertinere φαλλοφόρους & Ἰθυφάλλους Mænadaſque illic eſſe miniſtras, & Γῆς Ἑορτὴν referri poſſe ſimul ſub capite de feſtis variis, ſimul ſub feſtis Heroinarum variis. Legat quis illa Καβείρια, quæ ſcribit *Jove priora, qui Jaſionem alterum ex Electra filium illis præfecit*, & bene explicet, niſi Meurſiana viderit. Quid enim querar cum primo, quod & in præfatione ſubleſtam fidem neſcio quorum cavilletur, & de Meurſio non ita loquatur, tanquam ex quo illa aut omnia aut plurima beata exceperit; & in contextu ter quaterve ſuſtinuerit nomen Meurſii apponere, quaſi vero multa ſcripſiſſet ſua, & non in ſingulis Meurſium cerneremus? Interim audito col. 555. *fonte Ennea-cruno, qui erat ad Iliſſum flumen, quod per urbem profluebat*; mirum ni ex Meurſii Ceramico rapuerit; ac tetigi in præfatione ad Athenas Atticas. Immo & col. 583. emendat Pindari Scholiaſten φιλοξένια in Θεοξένια convertens, quod Caſtellanus fecerat anno 1617. & habes col. 671. quem ut tunc ante oculos huic fuiſſe agnoſcas, probat ratio citandi *Scholiographus ad Od. XIII. hac de re ita*, non addito, utrum Nemea, an Pythia, aut aliam partem intelligat, nempe quia ſic etiam citaverat Caſtellanus, ſed licite, quoniam antecedebat citatio item ex Pindari Olympiis. Sed dubitans an moram hanc digno dederim, Feſtis Græcorum præſcribamus Caſtellanum & Meurſium. Quanto pulcrius & tum publico utilius, tum deſcriptori glorioſius fuerat non pauca excerpta ſcholiorum MSS. Sophoclis, ſed integra illa omnia edidiſſe?

Hæc quum per viros eximios colligi potuerint feſta, vides tamen, nomina eſſe, certe magnam partem, verius, quam ipſorum ſolemnium rituum, quibus in operando & cultu pio peragendo uti conſueverunt, plenas & integras enarrationes. Adeo in divitiis minime ſumus locupletes. Quod conſtat, magna eorum acceſſio fuit remiſſio animorum corporumque per iſtas ferias & venia ad cujuslibet ludicri lætitiam, vel ipſo rerum patre Saturno aleam incitante. Quæ pars quum nec Meurſii induſtriam effugerit, & ejus exemplo alii quoque ſpectare cupiverint diligentius, iſtam ludicram ſacrorum Veterum vel Græcorum ex lege complendorum peritiam nullo interventu turbatam, niſi infimis oris Meurſianis interdum oculos tracturis, ſimul accipe, ut hujus voluminis paginarum agmen claudat; quod inſignia illa nomina vel comitata rite peplum vel ad eundem texendum fataliter non minus quam feliciter probata diu eruditæ poſteritati oſtentet!

SERIES
SCRIPTORUM

Quæ in volumine ſeptimo Theſauri Antiquitatum Græcarum inveniuntur.



DANIE-

DANIELIS CLASENII
THEOLOGIA GENTILIS,
SEU

Demonſtratio, qua probatur Gentilium Theologiam, (ceu Tenebras) Deos, Sacrificia & alia ex Fonte Scripturæ (ceu Luce) originem traxiſſe,

IN TRES PARTES

DIVISA,

ET INDICIBUS EXORNATA.

PRÆFAMEN
AD
LECTOREM.



ISTO hic Tibi (benevole Lector) demonſtrationem tenebrarum ex lumine Scripturæ ſacræ, qua magno cum labore oſtenditur, quod fere tota Theologia Gentilis originem ex Scriptura ſacra traxerit, nec reperiatur apud Gentiles DEUS aliquis, cujus perſona non myſtice lateat in Scriptura. Si quis vero huic fidem dare nollet, adeat quæſo Moſem, ibi ſtultiſſimas Gentilium ſuperſtitiones, ceu ex tabula, cognoſcet; & minime calculum addo iis, qui ſupra Moſis primordia Gentiles Hiſtorias patere volunt, aut Hebræam veritatem emendandam eſſe ex externorum ſcriptorum monumentis: cum tamen nulla gens de antiquioribus illis ἀρχηγέας ſuos noſſe potuerit, quos ſcimus nos, quia ſumus a Moſe edocti. Diaboli itaque fraude factum, ut Gentiles in tanta abſurda inciderint, & ſacra abuſi Scriptura pro lubitu Deos & alias res ſacras finxerint. Collegi igitur quædam, ex quibus B. Lect. videre poterit, quam accurate fabulæ Gentilium cum Scriptura concordent. Propterea rogo B. L. ut ſerena fronte hæc accipiat, quod ſi videro hæc grata eſſe, non dubito, quin plura, illuſtrationi harum fabularum inſervientia, in lucem emiſſurus ſim.

INDEX
CAPITUM.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

DANIELIS CLASENII
THEOLOGIA GENTILIS,
SEU
Demonstratio, qua probatur Gentilium Theologiam, (ceu Tenebras) Deos, Sacrificia & alia ex Fonte Scripturæ (ceu Luce) originem traxisse,
IN TRES PARTES DIVISA, ET INDICIBUS EXORNATA.

CAP. II.

De Theologiæ Gentilis significatione & synonymia.

§. I.  UANTUM intersit Etymologiam alicujus rei evolvere, manifestum esse autumo, neglecta enim nominis significatione, cætera omnia erunt obscura. Cum vero animus sit paucula *de Theologia Gentili* proferre, in limine quasi id observamus & Theologiæ etymon quærimus. Descendit autem vox Theologiæ a Græc. *θεὸς* & *λόγος sermo*, & vi vocis nihil aliud est, quam oratio seu doctrina de Deo, vid. Augustin. lib. VIII. *de Civ. Dei* cap. I. & per se cuivis sermoni seu tractatui convenire potest, qui de Deo rebusque divinis agit; etiam illi, qui non nititur revelatione divina. Juvat etiam aliarum linguarum divina nomina præmonstratore Athanas. Kirchero Tom. II. *Oedip. Ægypt.* p. I. d. IV. cap. VII. fol. m. 287. adducere, uti Germanicum nostrum *Gott* (forte de Arab. גוד bonus *guth*, R. גוד bonus fuit, Hotting. *Hex.* pag. m. 20. originem traxit, quod sequuntur Belgæ *Goed*, Dani *Gud*, Angli *Good*, Scoti *Goot*, Islandi *Gudi*. Latini *Deus*, Hispani *Dios*, Galli *Dieu*, Itali *Idio* pronunciant. Hinc Ethnicis quoque vox Theologiæ fuit in usu, & illi qui de Diis Gentilium eorumque cultu agebant, Theologi dicebantur, Lactant. in lib. *de ira Dei* cap. XI. pag. 638. & Cic. *de natur. Deor.* cap. XX. pag. 172.

§. II. Quidam forte religiosi homines sancto movente zelo, dicent, injuriam sacro-sanctæ religioni Christianæ illatam, dum Poetas gentiles diximus esse Theologos, quos solos divinis Literis instructos hoc insigni faciamus Christiani decoros. Verum his opponendus est Augustin. *lib.* VI. Varronis doctissimi opinionem referens, qua ipse Varro arbitratur, triplicem esse Theologiam, *Mythicam*, *Physicam* atque *Civilem*. Mythica autem dicitur fabulosa, Physica, ut ipsa vox ex-

A plicat, naturalis vocatur. Civilis vero seu politica, quæ & sacrificola dici potest, ad urbem spectare dicitur, quæ ob sacrorum veterum abominabilem turpitudinem a veri Dei cultu atque rectitudine fidei reprobanda est. Ex his enim Physica Poetis egregiis attribuitur, eo quod sub fictionibus suis naturalia contegant atque moralia, & virorum illustrium gesta, & nonnunquam quæ ad suos Deos spectare videntur, & potissimum dum sacra Carmina primo in Deorum laudes composuere, atque eorum magnalia sub cortice texe-

B re Poetico, ex quo a prisca Gentilitate Theologi nuncupati sunt, eosque primos fuisse theologizantes testatur Aristoteles: & quanquam non a vero Deo nomen tale sortiti sint, venientibus veris Theologis perdidisse nequivere, vim suam servante vocabulo, quod a quocumque Deo exortum est, quod reor advertentes Theologi hodierni, scil. nomen ex causa inditum auferre non posse, ne de mythica vel alia possit intelligi Theologia, se non Theologos tantum, sed sacræ Theologiæ asserunt professores, nec hoc est aliqua instantia improbandum, quasi Christiano nomini

C injuriosum.

§. III. Nonne nos omnes homines dicimus, quoscunque mortales constare scimus ex anima rationali & corpore? Dato, alii Gentiles sint, & Israelitæ alii, & alii Agareni, & alii Christiani, & nonnulli adeo perversorum morum, ut potius immanes belluæ, quam homines habendi sint. Et tamen nullam sic omnes vocantes Christo Redemptori nostro injuriam facimus, quem ultra Deum verum hominem fuisse cognoscimus, æquo modo, si quis Poetas aliosque Gentilium dicat Theologos, nulli facit injuriam. Id quod olim pollicebantur apud Persas Magi, apud Indos Gymnoso-

D phistæ, apud Babylonios Chaldæi, apud Ægyptios Hierophantæ, apud Gallos Druidæ, apud Græcos Philosophi, id pollicetur & præstat doctrina sacrarum Literarum. Philosophia enim nihil aliud est, quam Theologia Græcorum gentilium, ut Theologia nostra est Philosophia Christiana.

§. IV. Principio tres Joves numerant ii, qui Theologi nominantur, ex quibus primum & se-

cundum in Arcadia natos, alterum patre Æthere, qui Erebi & Noctis XXI. filius, vid. Tull. in lib. *de Natura Deorum*, Joan. Boccat. lib. II. *de Genealog. Deorum Gentil.* cap. I. fol. m. 30. ex quo etiam Proserpinam natam ferunt & Liberum, vid. cit. autor. *lib.* II. *cap.* X. & XI. fol. m. 36. 37. Alterum patre Cœlo, qui genuisse Minervam dicitur, quam Tullius inventricem bellorum fuisse asserit atque principem, & ob id a nonnullis *Bellona* appellata est, & soror Martis, & auriga; ut testari Statius videtur, dicens:

—— Regit atra jugales
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide.

Hinc Leontius & ex eo Joan. Boccat. περί γενεαλογιάς Θεῶν *lib.* V. *cap.* XLVIII. fol. m. 145. in hæc prorumpit verba. *Hæc est, quam armis insignem finxere, oculis torvam, hastamque gerentem longissimam cum crystallino clypeo, & hoc magis ad ostentationem inventi a se belli, quam ob aliquod aliud significatum.* Tertium Cretensem Saturni filium & Opis. Hic eodem partu cum Junone editus, ne a Saturno occideretur, ob pactionem cum Titano fratre factam, quam cito natus est, clam in Idam Cretensem montem alendus ab Opi missus, conf. Joa. Boccat. lib II. *de Genealog. Deor.* cap. I. fol. 266. In qua Insula tandem mortem obiit, de cujus obitu Ennius testis est, dicens: Deinde Jupiter postquam quinquies terram circuit, omnibusque amicis atque cognatis suis imperia divisit, leges, mores frumentaque paravit, multaque alia bona fecit, immortalem gloriam memoriamque adeptus sempiternam, monumenta suis reliquit, ætatem pessime actam in Creta vitam commutavit, & ad Deos abiit, eumque Curetes filii sui curaverunt, decoraveruntque eum, & sepulchrum ei in Creta in oppido Aulatia posuerunt, vid. plur. *prædict. loc.*

§. V. Ita Plutarchus in lib. *de Defectu Oracul* pag. 417. πλεῖστον ἢ τ̃ ἀληθείας διαμαρτάνουσιν οἱ Δελφῶν Θεόλογοι: *longissime a veritate aberrant Delphorum Theologi.* Hic Gentilis superstitionis homines Theologi dicuntur. Porro Eusebius lib. II. *Præparat. Evang.* vanissimam Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum de Diis suis doctrinam Theologiæ nomine dignatur. Et Plato lib. II. *de Republ.* ait: Et cum typi quidam Theologiæ essent, vid. Leonhard. Coquæus *ad lib.* VIII. *cap.* I. *August. de Civ. Dei.* Diodor. Sicul. *lib.* V. *n.* 88. Epimenidem vocat Theologum, & doctrinam de Deorum cultu Theologiam. Proprie tamen vox Theologiæ dicitur, de veri Dei revelato verbo, & nomen Theologi in Christianos rerum divinarum & sacrorum mysteriorum peritos quadrat.

§. VI. Appellatio Gentilis a gente est: Gentes & Gentiles significant nationes & populos variarum nationum, quo in sensu non semel apud Tertullian. accipiuntur. Dicuntur quoque Ethnici ad imitationem Scripturæ, quæ omnes infideles vocat גוים, ubi per Metonymiam Synecdochicam ἔθνος notat populum quemvis a Deo distinctum; & inde in libris Apostolicis & Evangelistarum monumentis ἔθνος nominantur: scil. homines qui pro vero Deo Idolis serviebant; Hinc Gentium appellatio olim probrosa fuit, quæ hodie etiam inter Judæos obtinet, qui Christianos per contemptum & vulgarem loquendi modum הגוים vocant, uti Talmud. in *Mass. Abod. Zara*, c. II. fol. 22. I. Mardoch. dictus Jophe in *Lebbusch. Atheroth. Zababb.* n. 135. fol. 52. & fol. 77. in *Pirke Tosephot.* Imo a Judæis Gentiles æstimabantur pro mortuis, *Chetub.* fol. 3. 2. עמי הארצ חיים אינן *populi terrarum* (id est, Ethnici) *non vivunt.* Et communis Rabbinorum Schola docet, non pro maximis habendos esse. Maimonid. in רוצח. cap II. *Israelita qui cedidit* גר תושב *advenam inquilinum, non occiditur propter eum a Synedrio, quia dicitur* כי איש על עעהו *Si superbierit quis in proximum suum. Et non necesse est dicere: Non occiditur propter Gentilem.* Nam hi non æstimati sunt ab iis pro proximo suo, conf. Joh. Lightfoot. *Hor. Talmud. in Evang. Matt.* cap. V. pag. m. 286.

§. VII. Hisce lubet adhuc quædam addere, quo ex virulentia & comtemptu Judæi Gentiles dedecorarunt, quibus nihil prius, quam omnes præter seipsos, odio, ludibrio, maledictioni, habere, *Midr. Tehillin*, fol. 6. 3. אומות עולם נמשלו ככלבים *nationes mundi* (id est Ethnici) *assimilantur canibus.* Hugo Grotius *ad cap.* VI. *Matth. v.* 7. annotat. Judæos Hellenistas Ethnicos vocare τὰς ἀλλοφύλας ex strictiore usu vocis. Quanquam enim significatu laxiore etiam Judæi ἔθνος vocantur, receptius tamen erat: ut Judæos λαοὺς vocarent, cæteros ἔθνη. Atque ita opposita inter se inveniuntur λαὸς καὶ ἔθνη, *Act.* XXVII. *v.* 17. & 23. Causa distinctæ appellationis hæc est, quod ἔθνη vocarent quamvis hominum multitudinem, λαὸν vero cetum jure ac legibus sociatum, quod in Judæos eximie competebat. Quo sensu Deus Gentes ad Evangelium vocans, dicitur sibi comparasse λαὸν ἐξ ἐθνῶν, *Act.* XV. *v.* 14. *ex gentibus*, conf. cap. XV. *Comment. in Act. Apost.* pag. m. 235. Libert. Fromondi. Sunt itaque Ethnici omnes aliæ gentes, extra Ecclesiam Dei; quæ certo verbo Dei ac vera agnitione essentiæ & voluntatis Dei ex patefacto ipsius verbo destituuntur, quæque peculiares suas religiones extra, præter & contra verbum Dei habent, conf. *Harm. Evangel.* D. Polycarp. Lyser. cap. LI. pag. m. 403. Francof. in quarto 1600.

§. VIII. Dicuntur Gentiles etiam pagani: Paganus autem apud JCtos opponitur militi, unde paganus est, qui non militat, in quo sensu vocem illam accipit Marcian. *in l.* 14. *ff. de testam. milit.* Et frequenter ita dicuntur qui ruri in pagis agri colendi causa agunt. Nomen paganus deductum est ἀπὸ τ̃ πηγῶν, id est, *a fontibus*, circa quos ponebantur pagi, ut ita omnibus ejusdem aquæ esset usus: ut ita pagani sint, quasi eodem fonte potantes, vid. Johan. Weitzius in *Not. ad Prudent.* p. 614.

§. IX. Deinde pagani quoque dicti, qui alieni a fide Christiana, Coquæus in *Comment. ad August. de Civ. Dei lib.* IX. *cap.* XIX. Pagani igitur sunt falsorum Deorum cultores. Interim quare Gentiles vocati fuerint Pagani varie traditur. Johan. Weitzius in *Notis ad Prudent.* ait: *Opinor a tempore Christianorum Imperatorum eam vocem in illam transiisse significationem, ut Pagani dicerentur Gentiles ea nimirum ex causa, quod legibus Imperatorum clausis Idolorum delubris, sacrisque vetitis, Gentiles sic sua ipsorum superstitione exclusi pagos adirent, illicque suos Deos colerent ac clandestina sacra paragerent*, conf. Gisfert. Voet. in *tract. de Gentilismo, & vocat. Gent.* p. 581. Desiderius Heraldus in *Animavers. ad lib.* I. *Arnob. contra Gentes* pag. m. 4. & 5. in hæc prorumpit verba: *Cum Christiani Imperatores terrarum Orbi præsiderent, & Ecclesiæ Christo ubique conderentur, contra, Idolorum templa clauderentur & everterentur: pro nationibus, Gentibus Ethnicis Pagani appellari cœperunt, quia pagis quibusdam conclusi.* Conf. M. Christiani Hofman. *Disp. Luc. in umbra.* Psellus libro *de Dæmonibus* scribit, Græcis Magiam visam esse facultatem quandam potestatis plurimæ compotem, atque adeo extremam esse Sacerdotii portionem. Græcos hic non Græciæ accolas, non ea lingua utentes populos tantum accipe, sed Ethnicos &

infideles. Nam in N. T. *Marc.* VIII. Chananæa vocatur Ἑλληνίς, id est, *Græca*, non gente cum esset Syrophœnissa, teste Johan. Lightfoot. *Hor. Talmud.* pag. m. 571. Sed quia infidelis & Gentilis. Quæ vox eo sensu in *Actis Apostol.* & in *Apostolicis Epistolis* reperitur, unde Patres & Concilia passim Ἕλληνες *Græcos*, seu infideles vocant. Qua in re graviter est lapsus Alciatus, vir alioquin summus, & quem Antonius Augustinus ut Præceptorem nimis aperta Budæi sugillatione mirifice extollit, ait tamen ille *Parergon* lib. v. cap. 11. paganos cœpisse nominari Ἕλληνες seu *Græcos*, sub Juliano Apostata Imper. cum is edicto prohibuisset, ne Christiani Græcorum studiis sese dederent, sed auditum hoc nomen Græci pro Ethnico & Pagano sat indicat Differt. Joan. Filesaci Theolog. *Pari de Idolat. Magic.* pag. m. 96.

§. X. His visis dicimus, quod Theologia Gentilis significet doctrinam apud Ethnicos de Diis eorumque instituto cultu sacro usitatam. Et licet doctrina illa sit absurda & damnata, objectumque illius sit falsum, tamen dicendum Theologiam posse vocari, (1) Quia in illa continetur fides paganica in Deos. (2) Quia a pueritia in ritibus ac ceremoniis colendi Deos educantur. (3) Quia pro veris Diis agnoscunt Deos suos, & statuunt ab iis se posse beneficia, quibus indigerent, consequi, vid. Camill. Andocianus cap. 11. *Theol Gentil.* pag. 6.

§. XI. Synonymon est vocabulum Idololatriæ, quæ vox deducitur ab Idolo. Est autem Idolum falsa Numinis alicujus non existentis similitudo id repræsentans, quod re vera non est, Menoch. lib. IV. cap. 1. fol. m. 379. *de Republ. Hebr.* quamvis Idolum etiam dicatur, quod mens humana in veri Numinis locum substituit, Voss. lib. 1. cap. III. pag. 18. *de Idololatr.* Idola dicuntur Hebraice אלילים *Elilim* quod non tantum vero & æterno Deo, verum etiam aliis fictitiis, & electitiis Diis gentium impiorum tribuitur, *Levit.* XIX. *v.* 26. Vel *Avanim*, ut *Num.* XXIII. *Os.* VI. & alibi. אליל significat vanum, falsum: & *Even*, vanum, mendacium, ut ita idola sint vanitates, quod venuste prosequutus autor *Sapientiæ*, cap. XIII. v. 10. seqq. & exaggerat Baruch vesanum hunc morem *cap.* VI. ubi egregie ostendit, *Idola nihil esse, nec malos punire, nec bonis benefacere posse, & omnia quæ Idolis fiant omnesque illa ceremonias & colendi ritus falsa & vana esse* Vide *Antiq.* Dieter. *Bibl.* fol. m. 262. & fol. 272. Imo *dolor, molestia, labor* sunt Idola, *Psalm.* CXV. 4. *Simulacra eorum* כסף וזהב *argentum & aurum, opus manuum hominis. Os est eis & non loquuntur.* Utitur nomine convenienti עצבים ab עצב *dolor, labor*, quod Idololatriæ naturam manifestat, quæ dolorem & terrorem affert conscientiis, nullum levamen.

§. XII. Lutherus *in Oseam.* fol. 519. vocabulum, quo Idola hic appellat, nomen habet ab ærumnis. Non solum Idololatrarum vita ærumnosa est, quod nullum sibi relinquunt otium, nec quietem, sed certa calamitas idololatriam sequitur. Petrus Martyr. *in Samuel.* pag. 210. inquit: *Idola Hebraice recte dicta sunt dolores, quod sine ullo usu tantum crucient, & lacerent, & affligant conscientias, & qui summus & maximus dolor est, provocent iram & vindictam Dei.* Et sic Idola semper aliquid falsum significant. Unde Paulus 1. *ad Corinth.* VIII. v. 4. ait: οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, quasi diceret: Idolum nec Numen est, nec vim Numinis habet, sed res est vana, & inane hominum commentum, eoque nulla virtute præditum ad hominem vel sanctificandum vel polluendum. Hinc Judæi omnem Idololatriæ speciem abhorrent,

A quod testatur *Schemot Rabba* Paraf. XVI. fol. 79. *Si fuerit Israelita ægrotus, eique dixerint: Abi ad Idolum quodam, & sanus evades; nefas est eo contendere. Piaculum est sanari ulla re ad Idololatriam spectante, ut si ex. gr. dicant, remove ab Idolo, quo coronarunt istud, aut sumito aliquid e luco consecrato, unde conficias membranulam e collo pensilem, atque sanaberis; ne accipito*, Cum hoc coincidit istud in *Beth Joseph de Idololatr.* §. 155. *Si forte Gentilis veniat ad sanandum aliquem, dicatque, accipito ex aquis idolo* (consecratis) *aut ex arbore quadam, ne accipiat inde.* Quam sollicite vero cultus B vel honoris ritum Idolis deferri solitum arceant, in *Avoda Zara* passim videre est, dum suis interdicunt, ne pedi infixam evellant spinam coram Idolo, ne videantur se incurvare in Idoli honorem, *cap.* 1. fol. 12. ne numeros coram imagine dispersos tollant stantes, sed prius consideant, & deinde sublevent, *ibid.* Ne bibant aquam, ante Idolum sitam vel effusam, in qua ejus effigies repræsentatur, ne admovendo os suum aquæ, videantur Idolum osculari.

§. XIII. Idololatria, secundum Gregor. Nazianzen. *Orat. Panog yr. in Natal. Christi*, est cultus atque adorationis translatio a Creatore ad creaturam. C Et Hilarius *in cap.* V. *Epist. ad Hebr.* Idololatria Dei honorem usurpat & vindicat creaturæ. Tertullian. in lib. *de Idolatr.* cap. II. Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegans & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat. Sed notandum quod triplex statuatur Idololatria. (1) Cum creatura colitur pro Creatore, & quod Numen non est pro Numen habetur & adoratur, seu divinis honoribus afficitur: ita Cyprianus ait: *Tunc Idololatria committitur, cum divinus honor alteri datur:* quod Judæi etiam probant, teste Maimonide in *Teschuva* cap. III. Apostata est, D *qui asserit non esse Deum, neque gubernatorem in mundo: & qui statuit esse quidem aliquem directorem, sed eos esse duos vel plures: & qui affirmat unicum quidem esse, sed astrum & figura præditum.* (2) Cum homo cultum quendam religiosum, sed mandato Dei adversantem, complectitur, eumque Deo invito præstat in creatura, tanquam in symbolo divinum Numen repræsentante, quemadmodum Israelitæ in vitulis aureis Deum venerari voluerunt, Voss. lib. 1. cap. III. *de Idololatr.* pag. 19. (3) Metaphorice dicitur Idololatria, cum quis non tam in Deo, quam in divitiis suis ponit fiduciam, item qui summum bonum non ponunt in Deo E & conjunctione sui cum Deo, sed in corporea voluptate; unde in Scripturis Deus eorum dicitur venter. Quando autem Theologiæ Gentilis synonymum Idololatria statuitur, id fit in prioribus sensibus.

CAP. II.

De Idolatria Magica.

§. IN præcedente capite §. XIII. dixi, triplicem esse Idololatriam, & primam, qua Creaturæ Creatoris honor tribuatur. Jam nemini incognitum esse judico, quod postquam Deus F seu Ens summum, cuncta, tam visibilia, quam invisibilia, ex nihilo creavit, etiam Diabolum, (qui bonus quidem creatus, sed lapsus) creaverit. Quanta vero creaturæ illius arrogantia sit, testatur Esajas *cap.* XIV. *In cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Scite Tertullianus lib. II. *advers. Marcion.* Luciferum appellat qui omnium Angelorum sapientissimus, verum infelicissimus Apostata, tanto fastu & arro-

gantia elatus, ut de divinitatis imperio cum ſuo Creatore ageret.

§. II. Ita beatus Gregorius lib. XXIX. *in Job. comment.* cap. VI. *Solus Altiſſimus ita dominatur ſuper omnia, ut alteri ſubeſſe non poſſit, quem Diabolus imitari perverſe voluit, cum ſuum Dominum quærens ei ſubeſſe recuſavit.* Eodem pacto illud idem exprimit libr. XXXIV. *comment. in Job.* cap. XVII. Arrogantiam ejus ſub nomen Principis Tyri deſcribit Ezechiel *cap.* XXVIII. ad quem locum Theodoretus annotat: Diabolum in hanc inſaniam lapſum, ut ſeipſum Deum vocaret, hominibuſque ut divinum cultum ſibi exhiberent perſuaſiſſe. Hinc teſte Tertull. *Apologetici* c. XXIII. apud Ethnicos ſe Deum impudenter prædicavit. Quo facto poſtea nihil omiſit, quo in hominum animis divinitatis opinio ingenerari poſſit.

§. III. Ideo pro ſua calliditate & vafritie, artes quaſdam excogitavit, quibus ante Chriſtum hominum animos faſcinaret, quas etiam poſt Chriſti ortum eaſdem omnino adhibuit ad incautos magis & rudiores evertendos: illud autem eſt diſcrimen inter utrumque tempus ante & poſt Chriſtum natum, quod antequam Chriſtus in carne apparuiſſet, Diabolus ſtatuis ſeu idolis, & ceremoniis ſeu ritibus ſacris, atque hominibus ſibi obnoxiis, utpote Magis, Aruſpicibus & ſimilibus uteretur ad ementitam illam divinitatem ſuam aſſerendam. De idolis multi Veterum ſcripſere, & ratum illud fixumque Ethnicis, ſuorum Deorum ſive Dæmonum idolis & ſtatuis divinitatem ineſſe, veluti docet Clemens Alexandrinus lib. VI. *Strom.* & in *Protreptico*, & Euſeb. lib. IV. *Præparat. Evangel.* cap. VI. B. Auguſtin. *in Pſalm.* CXIII apud Photium *Bibliothec.* Cod. CCXV.

§. IV. Rationes, quas ad omnem malitiæ ſuæ ſcenam adhibet & quibus divinitatem mentiebatur, exponit Tertullian lib. *de Anima*, & ad tria ſumma genera revocat, *Medicinarum*, *Admonitionum*, & *Prænunciationum*. A Medicatione initium duco, qua ſibi plurimos devinxiſſe palam eſt. Pertinax illa Gentilium opinio, Deos ſuos, id eſt, Dæmones, morbis medelam dare, ut loquitur Minutius Felix in *Octavio*, credidit. Hinc ad ſtatuas in morbis accurrere Gentiles, auxilium inde ſibi futurum ſperantes: de quibus plur. vid. Joan. Fileſaci diſſert. *de Idololatria Magica*, pag. m. 25. 26. ſeq. de aliis duobus generibus prolixe citatus autor egit, quæ huc adſcribere nolo, ſed modo hanc quæſtionem movebo. An Idololatriæ & Magiæ conſenſus ſit idem? Cui reſpondeo, omnino Idololatriæ & Magiæ conſenſionem eſſe ac non modo ante Salvatoris adventum, verum etiam noſtris, atque adeo poſteris ſeculis, quod longa ſerie demonſtrat autor ſæpius laudatus, pag. m. 36. 37.

CAP. III.

De Theologiæ Gentilis definitione.

§. I. JUDÆI recte Theologiam juxta Maimon. *More Nevoch.* pag. I. c. XCVI. dividunt in בראשית מעשה *opus Creationis*, & מרכבה מעשה *opus quadrigæ*. Hoc ſupernaturalem, iſto naturalem Conditoris revelationem inſinuant. Duo enim ſunt, quæ in cognitionem Dei ducunt: *Creatura* & *Scriptura*. Hæc ſalutiferam jn animo reponit notitiam; iſta ſalutiferæ deſiderium. Nunquam & nuſquam ſine teſtimonio ſeipſum Deus reliquit, ubique Divinitatis veſtigia renident quocunque oculos noſtros vertamus. Pulcre proinde Ens illud primum Arabibus *notarum*, *veſtigiorum Dominus* dicitur, *& levis eſt cæſpes, qui probat eſſe Deum*; luculenter id demonſtravit Hugo Grot. in tract. ſuo elegant. *de relig. Chriſtian. veritat.* pag. m. 4. R. Iſ. Abarbanel, in tract. *de fundament. fidei* variis in locis, Philipp. Mornæ. *de veritat. Religion. Chriſtian.* pag. m. 2. 3. ſeqq.

§. II. Irrationalibus & brutis propria Barbarorum ingenia ignorantiæ ſuæ relinquimus *pravæ diſpoſitionis*, *non puræ negationis*. Ex Japonum hiſtoria teſte Varen. *de div. Gent. rel.* pag. 233. comperimus, *Jenxuanam* in iis *ſectam* nullam divinitatem credere. Eodem crimine ſeſe alligant pars Inſulæ *Sumatræ* auſtralis, & *Hornanæ* ad novam Guineam Inſulæ. Immanitate adeo efferatos novimus *meridionalis Africæ* incolas, omneſque qui trans Tropicum hibernum habitant populos, ut nulla apud eos ſit Numinis ſuſpicio, quia nulla religio, Kircher. T. II. *Oedip. Ægypt.* ſect. V. cap. IV. fol. 416. Eaſdem tibias inflat *Madagaſcar* inſula. De *America* quid referam? manifeſte impii ſunt *Novæ Franciæ* indigenæ, eoſque inter *Souriquoſii*, qui Cadiam ſive Acadiam, partem puta auſtralem, incolunt. *Virginienſibus in ora Montaines* dicta de *Novo Belgio* prædicat Lætus, nulla religio, nulla Dei cognitio. Atheiſmo dediti *Braſilienſes* inque diſtrictu eorum Petivares, Læt. XV. IV. *p.* 548. & quæ aliæ gentes, de quibus egit M. Chriſtian. Hoffmann. in diſputat. cui titul. *Umbra in luce*, §. 3. pag. 46. 47. ſeqq.

§. III Certo certius eſt prudentiores Ethnicos unum agnoviſſe Deum. Judæos ſicco ſilentii pede tranſeo, quibus Deus unitatem revelavit, quam pluribus probat argumentis Iſaac. Abarbanel. in tractat. *de fundament fidei*. Imo ipſe Jehova illis præit *Eſai.* XLIV. 6. dicens: *Ego primus & ultimus, & præter me nullus eſt Deus*. Confitetur id nobiſcum, divinæ conteſtationis memor Synagoga, referente Buxtorf. *Synagog. Judaic.* pag. m. 4. *Credo, perfecta fide, quod Deus Creator unus ſit*. Senſum Maimonid. in *Jeſ. Ter.* cap. I. v. IV. cit. clar. Hotting. *faſci. diſput.* pag. m. 321. hunc in modum explicat: *Ita unus eſt, ut nulla unitas ſimilis ei in mundo reperiatur*. Verum ſermo eſt de Gentilibus, qui ex lumine naturæ Deum unum eſſe cognoverunt, quod cap. III. lib. I. *de veritate Religion. Chriſtian.* pag. m. 27. ſeqq. Philipp. Mornæ. nobil. Gall. ex amuſſi demonſtrat. Huic addatur Athanaſ. Kircher. *Obel. Pamphil.* bil. III. *myſtagog. Ægypt.* 208. Nota quoque omnibus eſt ſolennis Muhammediſmi profeſſio, *Non eſt Deus, niſi Deus*. Ex quibus ſatis patet, Koranum unitatis propugnatorem eſſe, *Surat.* II. v. 159. dicitur, *Et Deus veſter Deus unicus eſt*. Et Surat. V. *At non eſt de Deo, niſi Deus unus*. Imo & monetis imprimunt hæc verba, *ille (eſt) Deus unicus*. Sed inter alia numiſmata Turcica & Perſica, duo offenduntur nummi argentei cum hac epigraphe: *Non eſt Deus, niſi Deus*.

§. IV. Tartari unum Deum credunt Canguiſta (rectius Gingis Chan) inquit Boemus *de moribus gentium* lib. X. pag. m. 103. *oraculo quodam primus ab iis rex creatus recepto imperio primum omnium malorum dæmonum abrogavit cultum, edictoque præcepit ut tota gens Deum O. M. coleret*. Sic ante eum Muhammed, cum anno XLIV. ut Elmacinus *hiſt. Saracen.* I. I. p. 3. H. Hotting. *H. O. H.* III. p. 247. ſcribit, manifeſtaſſet *vocationem, credere juſſit homines in ſolum Deum eumque colere & adorare, deſtruxitque idolorum cultum*. Ad Paganiſmum nunc accedimus. In eo conſenſus veſtigia deprehendimus. Mordui, extrema Ruſſiæ colentes, circumciduntur, idola non adorant, neque baptizantur, ſed ductum naturæ ſequuntur. Profitentur nihilominus, ſe invocare Deum omnium Conditorem. Sinenſes *ſummum & unicum Deum coluiſſe* ex Kirchero Tom. I. *Oedip. Ægypt.* I. V. c. II. fol. 398. patet, quem

Cœli

Cæli Regem appellabant. Sic & Japonenses, de quibus Varen. *de Rel. Jap.* capite XI. p. 209. In India porro Goenses quidam unum Deum Creatorem Cœli agnoscunt, vid. *Archontolog. cosmic.* libro I. pagina 249. Fortasse hi *Guzeratenses* & *Benjanes* sunt e regno Cambajæ oriundi. Horum enim Secta quædam, quam *Lonkab* vocant, idola non habet, sed unum Deum principium & finem omnium rerum agnoscit & colit. Bramidarum illi, qui *Weistnouves* vocantur, dicunt, quod *Wistnou* aut *Peremael* supremus Deus sit. Contra *Seiraes* dicti contendunt, quod non *Wistnou*, sed *Esvva* summus sit, vid. de his pluribus Abrahami Rogers *Offene Thurzum verborgenen Heidenthum*, pagina m. 220. seq. conf. etiam disput. optime elaborat. M. Christian. Hoffman. cui tit. *Umbr. in Luce*, pagina michi 71. 72. §. 19. §. 20. & 21.

§ V. His itaque adductis constat Ethnicos unum tantum profiteri Deum, quapropter cum aliquid maxime serium promere vellent, Deum potius, quam Deos dicere maluerunt, Voss. libro I. capite II. pagina 9. *de Idololat.* licet, quinam vere unus esset Deus, & quo cultu adorari vellet, ignoraverint. Id tamen inde profluit, vel Naturam satis manifesto unum Deum arguere, quippe quod Gentiles nullum aliud secuti sunt volumen quam librum Naturæ: e quo etiam ipsos de uno Deo convictos esse docet Lactant. *libr.* I. *capite* II. Convicti de uno Deo ait, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant, verum hoc sibi placere, ut Jupiter nominetur. Quod ne temere quis a Lactantio dictum putet, Senecam libro IV. capite VII. *de Benef.* adeamus, qui ita loquitur: Quoties voles tibi licet aliter hunc autorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum Patrem & Herculem ac Mercurium nostri putant. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potestate.

§. VI. Pythagoras unum Deum confitebatur, dicens incorporalem mentem, & ideo vocabat Deum Μονάδα, Macrob. libro I. capite VI. in *Somn. Scipion.* Et hanc loquendi formulam a Zoroastre Mercurio synchrono usurpatam fuisse asserit Athanas. Kircher. in *Obelisco Pamphil.* libro V. capite III. fol. m. 407. Monas initium finisque omnium, neque ipsa principii aut finis sciens ad summum refertur Deum, vid. differt. Johan. Meursii *de Denario Pythagor.* Equidem Pythagoras plures coluit Deos: attamen unum habuit Patrem Deorum & hominum, reliquos saltem, ut Onatus Pythagoricus apud Stobæum in *Eclogis* ait, tanquam summi Dei ministros. Verba Onati sunt: *Reliqui Dii erga primum summumque mente cognoscendum sic se habent ut chorus ad Coryphæum & milites ad Ducem.* Hinc Jamblichus *de Myst. Ægypt.* in hæc prorumpit verba: *Ego vero*, ait, *causam imprimis tibi dicam, ob quam sacri & antiqui Ægyptiorum scriptores de his varia senserint, & insuper hujus sæculi, non eadem de his ratione loquantur. Cum enim multæ in universo sint essentiæ, ac si multifariam inter se differant, merito illarum & multa earum tradita sunt principia habentia ordines differentes, & ab aliis Sacerdotibus alia principia quidem tota universaliaque, ut narrat Seleucus; Mercurius ipse tradit 20000 voluminibus, vel sicut Manethо refert 30000. itemque 6426. & in his perfecte omnia demonstravit. Oportet igitur de his omnibus veritatem breviter declarare, atque primum quod quæritis. Primus Deus ante ens, & solus, pater est primi Dei, quem gignit manens in unitate sua solitaria: atque id est super intelligibile, atque exemplar illius, quod dicitur sui pater, sui filius, uni pater, & Deus vere bonus; ille enim major & primus & fons omnium & radix eorum, quæ prima intelliguntur & intelligunt, scil. idearum. Ab hoc utique uno Deus per se sufficiens se ipsum explicavit, ideoque dicitur per se sufficiens sui pater. Est enim hic principium, Deus Deorum, unitas ex uno super essentiam, essentiæ principium, ab eo enim essentia; propterea pater essentiæ nominatur; ipse enim est ens, intelligibilium principium; hæc sunt principia omnium antiquissima; quæ Mercurius proponit de Diis Ætheriis, Empyreis, Cœlestibus, componens de Empyreis libros centum, totidemque de Ætheriis, mille de Cœlestibus. Secundum vero alium ordinem proponit Deum* Emeph, *Diis cœlestibus tanquam Ducem*, &c. conf. Athanas. Kircher. *Obelis. Pamphil.* libro III. *Mystagog. Ægypt.* fol. mihi 210.

§. VII. Neque Pythagoras tantum, sed etiam alii saniores gentes unum agnoverunt Deum. quin tempore Cæsaris Hadriani Gentiles Deum invocaturi precabantur, DOMINE MISERERE. Cujus rei testimonium profero ex Arriano libro II. capite VII. pagina 186. *dissert. ad Epictet.* ubi ait: τὸν θεὸν ἐπικαλέμενοι δεόμεθα αὐτȣ̃, κύριε ἐλέησον, confer *additamenta ad caput* III. *proleg. Job. Selden. de Diis Syr.* Beyer. pagina m. 135. Quin etiam in Ægypto, qua non altera regio superstitiosior fuisse creditur, unicus olim Deus colebatur, quem vocabant *Kneph*. Plutarch. in libro *de Iside & Osiride*: Κνὴφ, ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον, *qui nec habeat originem, nec sit mortalis*. Eundem Κνȣ̃φιν Strabo *libro* XVII. appellat, templumque ejus in Syene, Thebaidos parte, locat. Et Porphyr. apud Euseb. libro III. capite XII. *Præparat. Evangel.* Ægyptii unum statuerunt Deum, puta Δημιȣργὸν seu *Opificem* Mundi, atque eum vocarunt *Kneph*, ejusque simulacrum ex ore ovum effudit, ut mundi esse opificem significetur. Nam ovum Ægyptiis fuit mundi symbolum, & hoc magistro Zoroastre factum. Kircher. libro IV. *Obelis. Pamphil.* fol. m. 338. Euseb. Pamphil. *lib.* III. mundanum illud ovum ab Orimaze productum his verbis significat: *Hic Deus*, inquit, *ex ore ovum producit, a quo nascitur Deus, quem Ægyptii Phta, Græci Vulcanum nominant; significatur hujusmodi ovo mundus*. De Orimaze legendus Kircher. *Obelis. Pamphil.* fol. m. 172. seqq.

§. VIII. Cognitionem hujus unius Dei melius acquirere potuissent, nisi duo turpiter eos impedivissent: quorum alterum est *Contemtus divini Numinis*: alterum vero *Cultus divinus superfluo quodam vitiatus*, non quasi eo sensu, ac si Deus vero cultu nimium coli possit, sed quod ad cultus materiem aliquid accedat, quod eum plane corrumpat ac vitiet. Camillus Andocian. lib. I. capite VII. pagina 56. *Theolog. Gentil.* Prius illud vocamus ἀθεότητα seu *irreligiositatem*, qua quis, timore Numinis contemto, vel non credit Deum, uti quidam antiquitus dubitarunt. De Protagora refert Diogen. Laert. in *Vita ipsius*, quod librum scripserit, cujus verba in principio ita sonarent: Περὶ μὲν θεῶν ȣ̓κ ἔχω εἰδέναι, εἰς εἰσὶν, εἴθ᾽ ὡς ȣ̓κ εἰσὶν, id est; *Deos quod attinet an sint nec ne, nescio quid dicam*. Sic Diagoras libere profitebatur nullos esse Deos, quem sequebantur Theodorus Cyrenaicus, Euemerus Tegeates, Callimachus, Prodicus Ceus, Hippon, & alii, vid. Cicer. lib. *de Natur. Deorum*, Diogen. Laert. in *Aristippo*, Plutarch. *de placit. Philosoph.* libro I. capite VII. & Sext. Empiric. *Pyrr.* libro IV. Vel Deum non colit, & talis evadit, de quo Horat. libro I. *Od.* XXXIV. ait:

Parens Deorum cultor & infrequens.

Posterius recte appellamus SUPERSTITIONEM, qua vel falso cultu verus Deus colitur, vel veri Dei cultus tribuitur falso Numini, cum falso cultu verus Deus colitur, dicitur cultus indebiti, utpote quod non eo cultu colatur Deus, quis ipsi debeatur: quando autem verus divinus cultus præstatur falso Numini, vocatur superstitio falsi cultus, quo falsum Numen colitur, cui accessit ignorantia veritatis ac parentum traditio & falsitatis corroboratio, donec cœperint homines publice talem impiam doctrinam de colendis falsis Diis profiteri, & sic Theologia Gentilium enata est.

§. IX. Hæc igitur varie a variis definitur. Franciscus Toletus describit hunc in modum; *Theologia Gentilis est habitus instruens Ethnicos de ritibus ac modis colendi falsa Numina ob spem fortunæ temporalis, & melioris post mortem vitæ perpetuo duraturæ*. Camillus Andocianus libro I. capite I. pagina 2. *Theolog. Gentil.* ita definit; *Theologia Gentilis est doctrina partim hominum studio excogitata, partim per ipsos Dæmones patefacta, docens quo cultu, quibus ritibus ac ceremoniis, quibusque in locis Dii a non renatis & infidelibus sint adorandi, illi vero homines ope istius religionis & felicitatem temporalem & æternam vitam post mortem consequerentur*.

§. X. In definitione hac loco generis (1) ponitur doctrina, quæ publice docebatur, quibus ceremoniis Diis essent colendi. Illa tamen doctrina fuit habitualis, crebris namque actibus & exercitiis fuit introducta, & in dies magis magisque autoritate Magistratus ab istis Theologis exculta. (2) Judicatur origo Theologiæ Gentilis, quod partim hominum studio, partim per ipsos Dæmonas patefacta & excogitata. (3) Monstratur objectum, quod consistit in ritibus ac ceremoniis colendi Deos: certis siquidem ceremoniis, quas ex parte homines ipsi erga Numen eo sanctius colendum excogitarunt, partim Dæmones ipsi instituerunt, subtractis sæpius beneficiis, si negligentius vel minus recte ceremoniis istis uterentur. Et ne quovis in loco Dii colerentur, præscriptus fuit certus locus, isque fuit privatus vel publicus: privatus, ut in ædibus lararium, focus, aut aliud penetrale; publicus vel fuit apertus & in libero aere, vel ædificio inclusus. Apertus locus fuit lucus vel nemus, vel selectæ arbores, in quarum cacumine aræ pro accendendis sacrificiis erant exstructæ, frondibus sat viridibus eas ambientibus; vel montes Diis suis sacrati. Ædificio inclusus locus fuit templum, sacellum, aliæque ædes sacræ in honorem Deorum conditæ. In illis enim debitis ceremomiis sua Numina colebant & venerabantur. (4) Subjectum exprimitur, nempe homines non renati & infideles, qui ad Ecclesiam Christianam non pertinent, potissimum tamen intelliguntur Gentiles seu Ethnici proprie dicti Pagani, qui cultum divinum soli Deo debitum transferunt ad creaturas, & talia sibi fingunt Numina, quæ vel sana ratio pro Numinibus nec habere nec æstimare potest.

§. XI. In definitione quoque additur FINIS; qui duplex statuitur. (1) Est felicitas temporalis, cujus exemplum nobis recitat Josephus Acosta *libro* VII. *capite* III. de populo Mexicano, quia Diabolum nomine VITZLIPUTZLI præcipue adorabant, cujus formam Ross. *pagina* 203. & Joh. Ludov. Gottfrid. *Histor. Antipod.* P. pagina 31. ita describunt: *Sedebat viri forma e ligno elaboratus in solio cæruleo lectica imposito, e cujus lateribus seu angulis baculi serpentium capitibus conspicui prominebant. Cutis idoli undiquaque erat cærulea: nasus livore ad aurem utramque pertingente decoloratus. Caput ornabatur pluma preciosa in rostrum effigiata, cujus apex auro politus fulgebat. Læva scutum album gestabat, decusse quinque pennarum concolorum, superius palmula aurea insigni, ad latus quatuor sagittæ cælitus, uti nugabantur, demissæ, infixæ. Dextra scipioni serpentis instar formato & livido innitebatur*. Diabolus igitur per idolum in templo erectum gentem istam regebat & moderabatur: simulque ei dederat mandatum, ut deserta sede patria aliam regionem quæreret. Terram enim se daturum iis perfœcundam, auro, argento, gemmis & similibus pretiosis rebus valde abundantem. Promissis istis inescatus populus relicto solo avito, indagandis terris peregrinis se accinxit, & secum simulacrum istud, quod a quatuor primariis sacerdotibus in arca quadam e scirpes contexta jugiter portabatur, proferre non dubitavit. Istis sacerdotibus Idolum istud omnia, quæ in peregrinatione ipsis eventura erant, secreto revelabat, & simul qua arte singula declinanda essent docebat, conf. *Histor. Indic.* Part. I. pagina 53. (2) Est felicitas perpetuo post mortem duraturæ vitæ. Etenim si scripta Gentilium pervolvimus, facile reperire licet, quod post hanc vitam caducam meliorem in Campis Elysiis speraverint. Et scribit Hepidanus; *Mirum est, unde Ethnici devenerint ad illam opinionem de alia vita post hanc vitam, cum Græci Paulum de resurrectione mortuorum & alia vita post mortem acute disputantem irriserint*.

CAP. IV.

De Origine Theologiæ Gentilis ejusque principiis.

§. I. DISPUTATUM fuit, num ante diluvium Idololatria extiterit? Achilles Serapius in libro *de Origin. mundi* capite LIX. pagina 206. negat hoc, & quidem (1) Quod in Sacra Scriptura istius non fiat mentio, quæ procul dubio id non prætermisisset, si ante diluvium homines vitio Idololatriæ se dedissent. (2) Nusquam legatur Deum cultum quendam divinum, ceremonias, sacrificia, aut alia sacrorum genera hominibus imperasse, qui potuit ergo tempore isto Idololatria fuisse? (3) Quod Sol & Luna pro antiquissimis Diis habeantur, quibus tamen non nisi post diluvium cultus divinus tributus, atque hoc conatur stabilire autoritate Diodor. Sicul. *libro* I. *pagina* 10. (4) Quod Ninus primus fuerit, qui Idololatriam introduxerit, uti e Beroso *pagina* 40. id patet. isti se opposuerunt, Fagius in *Notis ad Genes. capite* IV. pagina 21. Carolus Bilson in *vindiciis pro mundi principio* contra Achill. Serapium pagina 255. & contrariam sententiam tuentur, idque (1) e capite IV. *Genes.* ubi Cain dicitur post perpetratum fratricidium egressus a facie Domini; ubi per faciem Domini intelligunt veram Ecclesiam: quod si igitur Cain deseruit veram Ecclesiam, verumque Deum, certe Apostata factus est, impius & Idololatra, vid. Schottan. *Bibliothec. Histor. Sacr.* fol. m. 78. ætat. prim. Et licet claris literis non afferatur, ipsum falsa coluisse Numina, tamen verisimile est, quod cum non legatur quicquam de ejus conversione, deserendo verum Deum, cultum debitum ipsi denegaverit, & sic fundamenta impietatis & Idololatriæ jecerit. (3) Probare eam volunt e horrendo diluvio, quo Deus universum humanum genus *Noa* excepto cum suis, delevit: jam cum stupendum hoc fuerit supplicium, necesse est, horrenda ab istis hominibus commissa fuisse delicta, & cum Deum esse Natura dictave-

rit, procul dubio creaturas Solem & Lunam venerati ſunt. Meminit etiam Alcoran. Idolorum ante-diluvianorum, de quibus agit clar. Johan. Seldenus *Prolegomen.* capite III. *de Diis Syr.* pagina m. 46. 47. edit Lipſ. Verba ex Alcorano citata hæc ſunt: *Adhuc item ſermonem ſuum proſequendo, Noe dixit, o Deus! nullatenus imitando, ſed dolos quamplurimos perpetrando, id quod ſibi pecuniam atque prolem, non niſi damno ſuo tribuit, ſecuti ſunt. Unde illi perſuadentes viciſſim ceteris ne ſuas defererent imagines, quæ maxima multis erroris occaſio fuerunt, videlicet Huden, Schuan, Jagucha, Januca, Naceren, cum propter caſtigamina plus aberraverint, reique multum extiterint, noſtra manu ſubmerſi ſunt.* Nomina autem in Arabico ita ſe habent *Wodda Kolibitis*, P. Golius *Lexico Arabico* fol. m. 2640. *Sewaba Hudeilitis*. Gol. *citato loco* fol. 1227. *Neſer Dulkelaitis* in Hamſaridum terra, *pagina* 2359. ex Greuh. *Jaguth*, pagina 2764. ex *Cumus* & *Yabawk* 2763. aliis Arabibus recepta Idola, de quibus Beidavi *pagina* 962. refert, fuiſſe nomina virorum bonorum, qui inter Adamum & Noachum vixerint. Cumque mortui fuiſſent, ſubjicit, figura expreſſi fuerint, ut ab iis benedictio haberi potuerit; tractu temporis coli cœperint, idque ad Arabes translatum ſit, & quidem velint quidam *Vodda* repræſentatum eſſe *figura amoris*; *Sewaba mulieris* primæ quietis; *Jaguth leonis*; *Jabawk equi*; *Neſer aquilæ*. Paulo aliter Keſſæus in *Vitis Patrum* pagina 17. qui *filiorum Cain quinque Idola fuiſſe* refert *efficta a Satan ad formam Kabel (id eſt, Cain,) & filiorum ejus*. Addunt (3) tempore Enos prædicatum fuiſſe nomen Dei, & quidem non nude, ſed additum inſuper, qualis ipſe eſſet; & quod ob peccata hominum iraſceretur: Cajetanus, uti refert Edward. Simſon *Chronic. Cathol.* fol. m. 4. part. prim. opinatur, Enos fuiſſe primum, qui nomen יהוה invocare cœperit. Audiamus alios quoque Interpretes & Commentatores. Targum OnKelos, quod Veneti excuderunt, habet: ביומוהי חלי בני אנשא מלצלאה בשם אדויי, quæ verba Fagius in Latinum ſermonem ſic vertit: *In diebus ejus incœperunt filii hominum, ut non orarent in nomine Domini*. Perperam חל non ſignificat *incipere*, ſed *prophanum eſſe*. Igitur vertendum, *in diebus illius prophani fuerunt homines, ut non precarentur in nomine Domini*. Eodem modo exponit R. David ita ſcribens: *Tunc prophanatum fuit invocando nomen Domini. Hoc ſignificat, in diebus Enos, errarunt homines per Idola, & invocatio nominis divini tunc fuit polluta & prophanata*. Jonathæ interpretatio ſit explicat: *In diebus illis cœperunt idola colere & fecerunt ſibi Deos erroneos, quos cognominabant de nomine ſermonis Domini*. Ejuſdem quoque opinionis fuit R. Salomo: quod docet expoſitio ejus, quæ talis: *Tunc cœperunt vocare nomina hominum & nomina Idolorum de nomine Dei laudandi, faciendo eos Deaſtros vocandoque Deos*.

§. II. Audivimus igitur diverſas opiniones Autorum, qui partim de vero cultu intellectum, partim de falſo, volunt. Poſteriorem ambabus manibus apprehenderunt Judæi & Enoſcho inventionem imaginum attribuunt. *Schalſch. Hakk.* pagina 926. liber *Nizzach.* pagina 115. Verum hanc ſententiam reprobabilem & erroneam eſſe ſatis demonſtrant Johann. Druſius *ad diffi. loc. Geneſ.* pag. m. 30. Johan. Eberhard. Buſman. LL. Oriental. in Academ. Julia Profeſſ. in *diſputat.* ibidem habita. Andr. Beyer. in *Additament. ad Selden. de Diis Syris*. Codex Syrus ſententiam optime exprimit: *Tunc cœperunt homines legere & ſcribere nomen Dei*, quibus Athanaſ. Kircher. *Obeliſc. Pamphil.* cap. I. lib. I. fol. m. 7. addit: Quaſi Ænos primus divini cultus jecerit fundamenta, ritusque inceperit ceremoniis colendi Deum per ſigna externa. Huic addatur Schottan. *Bibliothec. Hiſt.* Ætat. prim. fol. m. 38. Non prætereundi etiam ſunt Arabes Chriſtiani, aliud de Enoſco teſtimonium exhibentes. Elmacin. *pag.* 7. ait: *Enoſch gubernavit populum ſuum & cum iis inſtitit viæ juſtitiæ & timoris, imo cum morti vicinus, injunxiſſe poſteritati ſuæ fertur, ne quid corruptionis Kainis poſteris affricarent*. Verba Arabica vid. in cl. Hotting. *Smegmat. Orient.* pag. m. 231. Pererius ſuam de loco hoc ſententiam hunc in modum profert: *Verius dictu Enos dici primum invocaſſe nomen Domini, quia ſuper omnes priores pius & religioſus erga Deum fuerit, non modo colendo pietatem & religionem erga Deum, ſed eam quoque prædicando, divulgando alioſque homines docendo: Vel quia iſte primus certas quaſdam precationum formulas condidit, certoſque ritus & ceremonias divini cultus adinvenit; cujuſmodi fortaſſe fuit altarium erectio & cæterorum locorum ad invocandum Deum, cultumque ejus adminiſtrandum deſignatio & dedicatio: Vel denique, quia cœpit congregare populum ad tractandum ſimul Dei cultum, quaſi Eccleſiam fidelium inchoans & adunans*. Ex his patet Enoſchum Idololatriæ autorem non fuiſſe. Aſt nemo negabit, extitiſſe jam dum inter Cainitas ſi non craſſam & externam, internam quandam Idololatriam, docente Targ. Hieroſol *in cap.* IV. *Geneſ.* vid. Walther *Harmon. Paralip.* Joh. Henr. Urſin. lib. I. *Melet. conc.* IV. pag. 93. quod inde perſpicitur, quia tempore dilluvii inſtantis unus ille *Noah.* coram oculis Dei juſtus fuerit repertus, hinc ſequitur cæteros Dei venerationem & cultum ſpreviſſe, & omnibus peccatorum generibus ſe defœdaſſe. Quis autem dicet in tanto cœtu hominum, ubi unus ſaltem pius eſt & juſtus, non fuiſſe Idololatras? Fuit ergo ante diluvium.

§. III. Hiſce igitur præmiſſis progredior ad argumenta ſupra adducta, ad quæ Bilſon reſpondet. (1) Quod etiamſi claris & perſpicuis verbis S. Scriptura uſitatum apud primi mundi incolas crimen Idololatriæ non indicet, veſtigium iſtius tamen in ea extet, quod Cain deſeruerit veram Eccleſiam, & ipſius poſteri defecerint a cultu divino, & ſic iram Dei in ſe cum temporali & æterno damno provocaverint. Hinc ſcribit Cornel. a Lapide in *Comment. ad Geneſ.* fol. 206. 207. Cainum ſuo modo cauſam in poſteris ſuis dediſſe diluvio. (2) Falſum eſt, Deum non præcepiſſe cultum divinum & ſacrificia hominibus. Nam e capite IV. *Geneſ.* patet Abelem & Cainum filios Adæ Deo ſacrificaſſe, cum vero ſpontaneus cultus Deo non placeat, Abelis autem ſacrificium Deo placuiſſe conſtet, certum erit Adamum a Creatore ſuo fuiſſe edoctum, quod ſacrificiis certo modo inſtituendis coli voluerit, Adamum vero voluntatem Dei liberis ſuis aperuiſſe. vid. Biſſel. decad. I. *Ruinar. illuſtr.* pag. 219. Imo ex ipſius textus convenientia id probari poterit. Viderat enim ſacrificium fratris Deo acceptum eſſe, ſuum rejici. Inde invidia orta, quam gratia Dei accendit, cauſa erat ex ſacrificio. Sed quis docuit eos ſacrificare? Parens. Quis autem Parentem? Grotius hic: *Non ullo Dei juſſu, ſed dictante ratione honorem Deo etiam conſpicuum habendum, idque optime fieri poſſe datis Deo iis, quæ homini ſunt cariſſima*. Vide reſponſum ad Orthodoxos inter Juſtini Opera, & quæ ad librum *de verit. religion. Chriſtian.* lib. IV. pag. m. 319.

§. IV. Laudat prædictus autor Crysostom. xx. *de statuis* de Abele locutum: Οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν, οὐδὲ νόμου περὶ ἀπαρχῶν διαλεγομένου ταῦτα ἀκούσας, ἀλλ' οἴκοθεν καὶ παρὰ τοῦ συνειδότος διδαχθεὶς τὴν θυσίαν ἐκείνην ἀνήνεγκε. *Non enim ab ullo edoctus, non lege accepta quæ de primitiis aliquid constitueret, sed apud se suapte motus conscientia sacrificium illud obtulit.* Melius tamen dixit Lyra: *Adam enim docuerat filios colere Deum per oblationes.* Quod explicat Nauclerus: *Creditur autem Adam, qui & prophetiæ dono florebat, docuisse decimas & primitias offerre Deo vel sacrificia.* in. 13. conf. Dict. *Antiq.* fol. 206.

§. V. Solem & Lunam pro antiquissimis Diis cultos fuisse non opus est ut negetur, ad demum post diluvium, teste Diodor. Sicul. *libro* I. pagina 10. sic scribente: *In* [illegible] *supra se contemplatos & non sine stupore demiratos universi naturam, duos esse Deos existimasse æternos & primos, Solem quippe & Lunam, quorum istum Osirim hanc Isim appellarunt.* Vid. Athanas. Kircher. *Obelis.* capite VII. libro. III. fol. m. 202. Differit autem hoc in loco Siculus de Ægyptiorum antiquitate, nam ait: *Usque ad expeditionem Alexandri in Asiam quadraginta & septuaginta annorum millia numerasse Ægyptios & Chaldæos, quo sidera observari cœpissent.* Idem in eodem libro scribit: *Reges Ægyptiorum indigenas ultra quatuor mille & septingentos Ægyptum gubernasse.* Vid. autor *Præadamit.* Part. I. libro III. pagina 140. seqq. præcipue pagina 146. Quod autem Solem & Lunam coluerint, causam esse autumo, quia ex eorum aspectu & incredibilibus claritatibus aliquam divinitatem finxerunt, de quibus Lactant. Firmian. libro II. *Instit.* capite XIV. confer. Athanas. Kicher. *Obelis.* capite X. libro II. fol. m. 157. ita ut persuasum haberent, in uno Sole omnes repræsentari Deos, quæ omnia graphice more suo Mor. Isaac. *capite* VI. *serm.* V. citante Kircher *fol. m.* 158. describit: *Et post hæc venit tempus, & surrexerunt homines corrupti, corrumpentes opiniones suas ex ignorantia, & ob cultum Dæmonum, & erraverunt in iis, & putaverunt unum pro altero; & existimarunt eos rationales (stellas) & libertate præditas, & quod penes eos sit dominium; & paulatim seduxit eos Satan, ita ut crediderint eos esse creatores,* &c. Syriaca exscripta inveniuntur in prædicto Kirchero. Non solum Ægyptii, verum etiam Sabæi Solem pro maximo habuerunt Deo. Maimonid. *More Nevoch.* libro III. XXIX. Hinc & Arab. teste Muhamm. Ben Isaac. *Dominus magnus* & *Dominus boni* appellatus est. Hinc tantæ sub uno Numine in nominibus diversitatis ratio. Omnes pene Dii Gentium ad Solem referuntur: de qua re hi autores videndi, Macrob. *Saturn.* lib. XX. pagina m. 216. capite XXI. pagina 218. capite XXIII. pagina. 224. Scaliger *exerc.* CLIII. s. IV. pagina m. 511. Aræ Soli consecratæ fuere apud Corinthios, Pausan. *lib.* II. *pag. m.* 112. & 140. Celebratissima supra Syenem apud Æthiopes Solis mensa est, *lib.* VI. pag. 426. Delubrum ei apud Hermionenses quoque exstructum erat, Idem *lib.* II. pagina 181. Arabes Solem κατ' ἐξοχὴν *Deum* vocant: & proprium velut nomen Solis est, vidend. Golius *Lexici Arabici* fol. 144.

§ VI. Hæc de antiquis, nunc recentiora & ætati nostræ propiora contemplemur. De Scythis Mosco subjectis dicit Matth. de Michow. *lib.* II. *tr.* II. *cap.* II. quod Solem adorent. Quod *Cathaini* divinum cultum Soli exhibuerint, Joanni Boemo Aubano Teutonico *de morib. gent.* II. VIII. ex Armen. Hattono, pagina 93. & cap. X, pagina 105. facile credimus. *Sinensibus* sane Deus putatur esse maximus, Ortel. *p.* 101. Henning. *l.* II. *p.* 93 & c. X. pag. 105. plures ejusmodi ritus & ceremonias collegit M. Christian. Hoffmann. diss. *Umbr. in Luce* pag. m. 99. 100.

§. VII. Berosum quod attinet, qui scribit Ninum primum Idololatriam introduxisse id restringitur ad originem idololatriæ post diluvium. Econtra Porphyrius l. II. *de Abstinent.* p. 73. ait: *Infinitum videtur fluxisse tempus, ex quo Ægyptii genus hominum longe sapientissimum ad focum domesticum sacra Diis cœlestibus facere cœperunt, non myrrhæ, non casiæ thurisque cum cocco mixtorum primitiis: sed virentis herbæ, ejus sic tanquam naturæ genitalis primævam quasi lanuginem manibus sublatam offerebant.*

§. VIII. Verum hanc disputationem missam faciemus, nos ad principium Idololatriæ & Theologiæ Gentilis post diluvium convertentes. Et putant plerique *Ninum Regem Assyriorum* primum omnium parenti defuncto templum erexisse, Beros. pag. 40 lib. V. *Antiquit.* Hieron. *in Ezech. cap.* XXIII. Idolum Baal sive Bel Assyriorum religio est consecrata a Nino Beli filio in honorem patris. Idem *in cap.* II. *Hos.* conf. Edw. Simson. *Chronol. Cathol.* fol. m. 17. Voss. lib. I. c. XXIV. pag. m. 180. *Idololat.* Quod autem Ninus Idololatriam in orbem invexerit egregie e multis scriptoribus probat Bisselius dec. I. *Ruinar. illustr.* p. 373. Quod autem Belus idem fuerit, qui Nimrodus, indicant Vossius, lib. I. cap. XXIV. pag. 180. *Idololat.* Samuel Bochart. lib. 14. cap. XIV. pag. 363. *Geograph. Sacr.* Jacob. Salian. in *Annal.* anno mundi 1931. n. II. & Edw. Simson. *Chron. Cathol.* anno M. 2786. Estque iste qui Babylonem condere cœpit, teste Oros. *lib.* II. *cap.* VI. pag. 77. Babyloniam a Nimrod gigante fundatam, a Nino vel Semiramide reparatam multi prodidere. Idem existimant multi alii, inter quos quoque est Philipp. Bergomas in *supplemento Chronicorum*, cujus nugæ hæ sunt: *Nemroth autem filius Chus, filii Cham, filii Noe, gigas permaximus fuit vastissimo, quidem corpore, cum haberetur audacissimus & manu fortissimus inter omnes Noe filios tyrannidem primus apud Babylonios exercere cœpit. Quod ideo venatorem sacræ Literæ eum appellant. Cui cum octo essent filii omnem terram a Gaza usque in Ægyptum tenuerunt. Fuisse autem quatuor Nembrod, ab autoribus compertum habemus. Primum hunc videlicet ex semine Cham, de quo Bonzio optimo historico sic habetur; Noe genuit Sem, Sem genuit Arphaxad, qui genuit Sale, qui genuit Heber & fratrem ejus Jrari, qui & ipse genuit Nembroth, qui genuit Creten, qui genuit Cœlum & Jovem & Saturnum cognomento Nembroth. Quartum dicimus Belum*, &c. Conf. Schottan. *Biblioth. Hist. Sac.* de secunda mundi ætat. fol m. 118. 119.

§. IX. Verum si antiquitates Babylonicas accuratius perpendimus, res clarior evadet, quod Nemrod neque Belus neque Ninus fuerit. Nemrod Belus dici videtur ab Artabano apud Polyhistorem. Sed quando consideratur, tunc est confusio temporis. Nam gigantum perditio post Abrahami ævum aut certe ad illud detruditur. Belum extruxisse dicit turrim post gigantum cædem ab eo turrim habere nomen. At scimus posteris temporibus Belo hoc ædificium esse consecratum, nec conditori sed diu post ejus structuram nato. Hoc etiam ex chronologia satis patet, quod Nimrod non Belus, multo minus Ninus sit, quia ante Belum duæ Regum dynastiæ Babyloniis imperarunt, quas ex Africano producit Euseb. Οἱ Χαλδαῖοι, inquit, πρῶτοι ἀνηγόρευσαν ἑαυτοὺς βασιλεῖς, ὧν πρῶτος Εὐήχος, ὁ παρ' ἡμῖν Νεμρὼδ, ἐβασίλευσεν. Reges istarum dynastiarum imperarunt annis qua-

dringentis quadraginta, antequam Belus regnum invaderet. Ergo non potuit Nemrod esse Belus, quia Belus post illas duas dynastias regnare cœpit, quæ præcesserant, aut in quarum initio fuerat Nimrod alias Belus dictus. Vid. *Bibliothec. Hist.* Schottan. de secunda mundi ætate, fol. m. 114.

§. X. Melius itaque faciunt, qui originem Idololatriæ a Sarug deducunt. Eutychius Alexandrinus originem Idololatriæ evolvens ita ex versione Pocokii scribit: *Cujus* (Sarug) *temporibus coluerunt homines idola, unoquoque, quod sibi alluberet, colente & adorante. Fuerunt ergo ex ipsis, alii qui Cœlum; alii qui Solem; alii qui Lunam; alii qui stellas; alii qui volucres; alii qui terram; alii qui feras; alii qui fluvios; alii qui arbores colerent, &c. Primi autem hoc fecerunt Ægyptii, Babylonii, Franci & locorum maritimorum incolæ. Dicitur etiam cultus idolorum originem fuisse, quod cum moreretur apud illos quispiam, imaginem ad ejus similitudinem conflatam tumulo ipsius imponerent, quo minus oblivione traderetur memoria ipsius: qua ratione impleta est terra idolorum copia, virorum & fœminarum & puerorum simulachris. Eodem tempore quo mortuus esset vir quidam dives, filius ipsius statuam sibi ad patris sui similitudinem confectam tumulo imposuit, collocato etiam ibi servo, qui ipsam custodiret. Cum advenientes deinde fures quicquid filio domi suæ surripuissent, profectus ille ad patris sui tumulum flere & conqueri apud statuam istam auream, quasi ad patrem suum. Alloquutus ergo Diabolus ipsum e ventre statuæ, ne fleas*, inquit, *Abi tantum, & allato filio natu minimo, ipsum mihi in sacrificium mactans, sanguine ejus calenti te abluas, ita fiet, ut ego omnia tibi, quæ perdideris, restituam. Cum ergo ille filium suum allatum coram Idolo mactasset ejusque sanguine se abluisset, egressus, ex idolo Diabolus, hominemque illum ingressus ipsum præstigias & incantamenta edocuit: atque hinc cœperunt homines filios suos Diaboli mactare & præstigiis (uti) didicerunt*. Conf. Schottan. *Biblioth. Histor. Sacr.* fol. m. 158.159.

§. XI. Scribit ulterius Eutychius Ebero post Phaleg natum esse *Kathan*, patrem Arabum. Sine dubio ille est, quem Moyses vocat יקטן *Joctan*. *Eo tempore*, inquit, *cujusvis vel fortitudine vel formæ præstantia vel consilio præstantis vel fama illustris imaginem depictam colebant homines*. Epiphanius quatuor in mundo genera hæreseon ab Adam ad Noe exstitisse existimat. *Πρῶτον μὲν αἱ τῶν αἱρέσεων πασῶν μητέρες τε, καὶ πρωτότυποι, καὶ ὀνομασίαι, ἐξ ὧν αἱ ἄλλαι ἐφύησαν, καὶ εἰσὶ αὗται πρῶται τέσαρες.* Quatuor matres primasque figuras hæreseon fuisse dicit, nempe Barbarismum, Scythismum, Hellenismum, Judaismum. Barbarismum ita describit, quod ejus temporis homines sine duce vitam agerent, cum unusquisque sibi incederet & lex esset juxta arbitrii sui præpositionem. Scythismus inde a diluvio usque ad ædificationem turris & porro ad ætatem Ragau protendebatur. Paganismi fundamenta sub Sarug jacta esse narrat in Idololatria sine simulachris, sub Thare eum esse completum, quo tempore simulacra coli cœpta sunt. *Tertia secta*, inquit, *Paganismus a temporibus Sarug initio sumpto, per idololatriam. Cumque ea tempestate quisque incederet juxta aliquam superstitionem, ad civiliorem usum, ad certas leges ritusque. Cum hominum gentes cœpissent idola erigere, quibus se composuerunt, Deos faciebant, coloribus initio exprimentes & effigiantes quos olim in honore habuerant tyrannos*, &c. Ex quibus sane patet Sarugi ætate Idololatriam cœpisse cum ritibus quibusdam & solemnibus. Vide Schottan. *de secunda mundi ætate*, fol. m. 173. conf. Jacob. Geusius *de victim. human.* cap. II. pag. m. 25.

§. XII. Quærat forte aliquis, quænam fuerit causa, quod Gentiles, cum verum Deum ex lumine naturæ operibus cognoscere potuerint, ad Idololatriam prolapsi, falsam Theologiam commenti sint? Verum equidem est, quod opera hæc, quæ sensibus percipiuntur, testentur de Conditore hujus terræ, adeoque ipsi cognoverint ex istis esse aliquod Numen, cujus arbitrio & nutu universum hoc gubernetur, sed quodnam esset illud Numen & quale ignoraverunt: quapropter factum, ut sibi modo hanc, modo istam creaturam pro Deo eligerent. Ignorantia ergo, mentis imbecillitas in perquirendo vero, ut & doctrinæ de vero Deo carentia in causa fuerunt, quod Gentiles divinum cultum tribuerint creaturis, & sic certam doctrinam de Diis suis & modis colendi eos tradere cœperint, Voss. lib. I. cap. IV. *Idol.*

§. XIII. Principia, unde dependeat & ex quibus constet Theologia Gentilis, sunt (1) corrupta ratio, quippe quæ quidem novit Deum aliquem esse, qualem autem habere Deum deceat, non perscrutatur; unde tot vanis commentis indulget, sibi ea pro Diis effingendo, quæ nulla ratione pro Diis haberi poterunt. (2) Mores majorum antiqui: nam consuetudo tam tenaciter inhæret animis posterorum, ut vix possit inde evelli; ea de causa Isocrates in *Orat. ad Nicocl.* p. 35. ait: *Eam religionem serva, quam a majoribus accepisti*. (3) Doctrina: ita enim instituebantur a primordiis vitæ: Pulchre scribit hinc Ivo Carnotensis: *Quod Ethnici in tantas Idololatriæ tenebras delapsi sunt, inter alia fecit pravitas institutionis in doctrina falsa*. (4) Consensus populorum, qui accessit, postquam Dei memoria sublata, cæperunt partim ad Tyrannorum metum, partim juxta proprium arbitrium vivere, & voluntatem pro lege ponere, ibi quisque non quod justum erat, sed quod placebat, temere faciebat, Deos proprios, quos invocabat, & quorum tutelæ ac custodiæ se committebat, pessimo exemplo sibi faciebat.

§. XIV. Principium, in quod resolvitur fides Gentilis ultimo, est authoritas, quæ consistit in vi seu facultate alliciendi aliorum intellectum ad assentiendum assertionibus sive voluntatem ad obsequendum mandatis. Atque illa authoritas fuit Gentilibus divina, in qua fundabant fidem suam. Iste autem fundabatur in Revelatione, eratque apud Ethnicos duplex. (1) Simulata & ficta. (2) Vera. Per simulatam intelligimus eam, qua quidam prudentes Legislatores, & Principes usi sunt, ut eo melius pietatem, & jura circa actiones morales hominibus persuaderent, ratum habentes, quod homines melius Deorum consiliis, quam hominum præceptis regerentur. Qualiter egit Numa Pompilius secundus Romanorum Rex; is commentus est, ac si Leges ac Sacrorum Ordinationem ab Egeria Nympha accepisset; qua dicitur usus tanquam conjuge & consiliatrice. Ovid. lib. III. *Fastor.* pag. 66. videri potest, & Augustin. lib. VII. c. XXXVII. pag. 453. *de Civit. Dei*, & Plutarch. in *Vita Numæ* p. 62. Imitatus est sic Minois astutiam, qui se in antrum Jovis recondebat, & ibi diu commoratus Leges & sacras ceremonias tanquam a Jove sibi traditas afferebat, ut homines ad parendum non modo imperio, sed etiam religione constringeret. Dionys. Halicarnass. *lib.* II. p. 122. Lactant lib. I. cap. XXII. pag. 90. *Divin. Instit. Ut ergo Numa Pompilius* (sunt verba Valerii Maximi lib. I. c. II. pag. 121 *Hist. populum Romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum Dea Egeria congressus esse nocturnos, ejusque monitu accepta Diis immortalibus sacra instituere*. Sic Lycurgus Legislator se gessit, vide Plutarch. in *Vita Lycurgi*, pag. 42. Herodot. *lib.* I. *cap.* LXV. pag.

25. Quo procul dubio respexit Polybius lib. VI. p. 491. *Histor.* ubi Leges Lycurgi divinas vocat. Interea plane negare nolo, ac si Gentiles non habuerint vel domi Deos, a quibus ipsi consequerentur responsa, cum & hodie in multis partibus Indiæ Orientalis Gentiles dependeant a Larium suorum seu domesticorum Deorum responsis, quæ ipsis ex locutione simulacrorum referunt Dæmonolatræ Sacerdotes. Voet. in tractat. *de Gentilismo* pag. 585.

§. XV. Vera revelatio apud Gentiles fuit vel ratione sensus interni sive phantasiæ, qua Dæmon per somnium revelabat, quid fieri vellet nec non Ex mente Ethnicorum igitur Tertullian. lib. *de Anima* cap. XLVI. *Revelantur & honores & ingenia per quietem, præstantur & medelæ, produntur & furta, conferuntur & thesauri.* Et paulo inferius: *Sed & Stoici Deum malunt providentissimum humanæ institutioni inter cætera præsidia divinatricum artium & disciplinarum, somnia quoque nobis indidisse, peculiare solatium naturalis oraculi.* Ex eorundem placitis & definitione Synesius lib. *de Insomniis*: *Imo ex omnibus disciplinis in ea maxime collocanda est opera, quod a nobis illa & intra nos atque domestica sit, & uniuscujusque animi præcipua.* Quamobrem hoc superstitiosum vaticinationis genus oraculorum nobiliora sibi vindicavit loca, Tertulliano narratore *dicto* jamjam *capite*: *Nam & oraculis hoc genus stipatus est orbis, ut Amphiarai apud Oropum, Amphiloci apud Mallum, Sarpedonis in Troade, Trophonii in Bœotia, Mopsi in Cilicia, Hermoniæ in Macedonia, Pasiphaæ in Laconica.* Tum illud etiam, fabulis adjunxere, qui Poeticæ summam consequuti laudem, ut cubili velut inclusas nocturnas somniorum repræsentationes Somnus Numen etiam duplici emitteret porta, veraces siquidem & oraculum ferentes cornea, incertas & nullius fidei per eburneam. Homer. lib. XIX. *Odyss.* sub finem. Homerum imitati ex Græcis Coluthus Lycopolita lib. *de raptu Helen.* vers. 310. Duas quoque somniorum portas aperuit, alterum veritatis & cornuum ejaculabatur mundo, illinc resiliunt Deorum veræ voces; alteram vero deceptionis & vanorum altricem somniorum. Nonnus *Dionys.* lib. XXXIV. v. 70. & lib. XLIV. v. 50 expressit ad vivum Mars, lib. VI. *Æneid.* sub finem, subindicant Horat. *Carmin.* lib. III. Od. XXVII. v. 40. Statius lib. v. 40. Statius lib. v. *Sylvarum Epicedio in Patrem* ad finem. Ausonius clare *in Ephemeride* vers. 100. Brevibus verbis complexus est Tertullian. *de Anima* cap. XLVI. inquiens: *Homerus duas portas divisit somniis, corneam veritatis, fallaciæ eburneam: respicere est enim, inquiunt, per cornu, ebur autem cæcum est.*

§. XVI. Sic igitur delusa Gentilitas omnium Oraculorum modis vaticinationem per somnia anteponebat, nec docte quidem, nec prudenter. Quanquam enim ad morbos dignoscendos naturalium somniorum attenta discussio juvare queat, ut edocet Hippocrat lib. *de Insomniis*, & Nyssen. lib. *de hominis opificio* c. XIII. tamen vel hæc ipsa indicia fallaciæ objecta sunt, ut bene observat Suarez Tom. I. *de relig.* l. II. c. XIII. num. VIII. Asseras, Paganos frequenter experimento didicisse, quæ in somnis revelata sunt, veros habuisse exitus, idcirco fidem præstasse his, de quibus inter somnos admoniti, ut videre est in Augusti Medico Artorio, cui in somniis Minervæ species oborta præcepit, ut moneret Augustum ne prælio intersit, Valer. Maxim. *lib.* I. *cap.* VII. *p.* 27. Vellej. Patercul. *lib.* II. *cap.* LXX. Verum si rem accuratius perpendamus, non mirum est: Diabolus enim ut naturalium rerum perscrutator sæpius illudit homines, ut credant, a Deo hoc factum, cum tamen sit naturale. Dæmonum quippe prædictiones omnes ablatis causarum naturalium effectibus ambiguæ & incertæ sunt; aliud est ut eo, quo spiritus maligni pacto inter dormiendum aliqua aperiunt, edocuerint ubi furto sublata delitescerent, victos præli ohostes, aut alia his consimilia, quæ certe sciunt, quoniam hæc vel ad præteritorum, vel ad præsentium cognitionem attinent. Quare supremus Gubernator præcavens Hebræorum nationi vetuit somniis haberent fidem, *Deut.* XIII. 3. & XVIII. 9. *Levit.* XIX. 26. *Jerem.* XXIX. 8. At aliquis hic objiciat & dicat: Nonne Deus ipse Prophetas suos inter soporandum alloquitur & arcana revelat? uti videre est, *Numer.* 12. *vers.* 6. *Job.* XXXIII. 14. *Joel.* II. *v.* 28. Quamobrem Judæi hoc oraculorum genus tanti faciebant, ut oratione & jejuniis illud exposcerent, quemadmodum ex traditionibus Hebræorum *in lib.* I. *Reg. cap.* XXVIII. apud Hieronym. liquet. Quidnam igitur est, quod somniorum interpretationem Israelitis Numen interdicat? Respondeo ex effato Jesu Syrach. *cap.* XXXIV. *v.* 6. *Nisi ab Altissimo fuerit visitatio, ne dederis cor tuum*; itaque sub Lege olim & nunc sub Gratiæ Testamento de somniis inquirere licet utrum ab Angelo apostata excitentur, an a bono profecta sint, Deo ea immittente, an naturalem tantum causam habuerint? Quare Isidor. lib. III. *Sentent.* cap. VI. sapienter inquit: *Nonnunquam Dæmones deceptoria fraude ita quosdam curiosos observant, iisque illudunt, ut quædam somnia non aliter eveniant, quam ostenduntur.* Similia August. lib. XXII. *de Civitate Dei*, cap. XXII. Nyssen. *de opific. human.* cap. XIII.

§. XVII. Verum Judæis id potissimum præscribitur, ne Paganorum superstitiosos ritus in procurandis somniorum oraculis imitarentur. Sed quænam hæ ceremoniæ? scil. de quibus Hebræos idololatras suggillat Isaias *cap.* LXV. *v.* 4. *Qui habitant in sepulchris & in delubris idolorum dormiunt*, id somniorum causa factum aperit Versio LXX. Seniorum dicens: *In sepulchris & specubus dormiunt propter somnia*: quo more legunt Cyrillus Alexandrin. & Procopius Gazæus *ad Esajam*, ubi Cyrilli expositio: *Dormiebant in monumentis, in somniis quibusdam & spectris decepti, & notitiam rerum futurarum indigitantes, ejusmodi enim sunt impietatis Græcorum inventa.* Strabo lib. XVI. *Geograph.* loquens de Judæis, asserit, qui caste & pie vivunt dormientes in templo debere bona expectare somnia, eum ob finem Ethnicos consuevisse, præsertim Dodonæi Jovis sacrificulos, cubare in delubris, pœnitentium habitu, videlicet illotis pedibus, & nuda humo, tradunt Homer. *Iliad.* XVI. Strabo *lib.* VII. Philostrat. *Icon.* lib. II. in *Dodone*; de aliis quanquam non tanto luctu similia produnt Tullius *de Divinatione* lib. I. post medium, vetus Persii Scholiastes *Satyr.* II. vers. 56. Tertullian. *de Anima* cap. LVII. Sed *Isaiæ* textum, quemadmodum B. Hieronymus commentetur initio *lib.* XVIII. operæ pretium est intelligamus: *Sedens quoque, vel habitans in sepulchris, & in delubris idolorum dormiens, ubi stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent, quod in fano Æsculapii usque error celebrat Ethnicorum multorumque aliorum turba.* Hieronymi expositionem sequuntur *Glossa* interlinearis, Lyra, Hugo Carensis & *Histor. Scholast. Genes.* cap. LXVI At rem clarius ob oculos ponit Virgil. lib. VII. v. 86. *Æneid.*

—— huc dona Sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.

In quæ Tiberius Donatus; *Morem dixit illius luci, dum dixit: Responsa poscimus, venit Sacerdos ad lucum, affert dona, percudes cædit, & earum*

stratis pellibus incubat, ibique dormiens futura somniat & ventura cognoscit. Confer. Ovid. lib. IV. *Fastor*. Strabo lib. VI. *Geograph. Porro, collis in Daunia est Drium nomine, apud eum sacella demonstrantur, unum Calchantis in summo vertice, cui, qui oraculum requirunt, arietem immolant nigrum, & indormiunt ejus pelli*. Pausanias in *Atticis* seu lib. I. post medium de Amphiarao inter falsos Deos relato; *Deinde arietem ei immolant, cujus substrata pelle dormientes, nocturna visa expectant*. Lycophron in *Cassandra* v. 1045. *Et in ovillis super Heroum cubantibus, reddet in somnis vera cunctis oracula*. Nicolaus de Lyra ad examinatam hactenus *Esaiæ* sententiam, post adnotatum morem accubitus in pelle mactatæ victimæ, ait, in *Historia Britonum* legi, sic fecisse Brutum; nec fallitur ut Gaufrido Monemutensi fidem largiamur, nam de Bruto inquit lib. I. *de origin. & gestis Brittannorum* cap. VII. *procubuit supra pellem cervæ* (quam nimirum Dianæ sacrificaverat) *qua ante aras extensa invitante somno obdormivit*; & statim fingitur Divæ illius apparitio, quæ de futuris quiescentem instruit.

§. XVIII. Equidem, quod de Rebecca, cum gemellorum partu affligeretur, *Genes.* cap. XXV. scribitur *vers.* 22. *perrexitque ut consuleret Dominum*, Petrus Comestor *Historiæ Scholasticæ* cap. LXVI. *in Genes.* addubitat, num declarato hactenus more ad exemplum genitoris Laban Idolorum cultoris per somnia admoneri concupiverit; *Forte ad montem Moriæ, ubi Abraham altare fecerat Domino, ivit, & immolatis bestiis, substratis pellibus earum incumbens per somnium accepit oraculum; forte more Gentium, quem viderat in parentibus, speciem Lauri, quem tripodem dicunt, capiti supposuit; & ramis arboris quæ Agnocastus dicitur incubuit, ut visiones capitis phantasticas non sentiret*. Sane ut per somnia edoceretur profectam, indicant Augustin. *quæst.* LXXII. *in Genes.* Tostatus *quæst.* IV. *in cap.* XXV. *Genes.* Torniell. Tom. I. *anno Mundi* 2198. *num.* I. Sed quod immolati sacrificii velleribus incumberet, & Lauri simul cum Agnocasto frondes adhiberet, haut credendum, quod egerit, nam satanicam disciplinam & Paganitatem redolent. Scio persuasum Ethnicis Lauro futura prædicendi vim inditam:, nam propterea Apollini consecratam advertit Euseb. Cæsar. lib. III. *Evang. Præparat.* cap. XI. eandem ob causam, qui vates habebantur, Lauro cingebantur, ex Statio lib. IV. & VI. *Theb.* Val. Flacco I. *Argon.* Seneca in *Agamemnone*, choro II. Sophocl. in *Oedipo*, juxta principium; hinc Eunapius in *Vitis Philosophorum* de Chrysanthii filio adstruit, tantam ei cum Apolline familiaritatem, ut Laurum vertice gestare opus non esset ad vaticinandum: atque ob hoc etiam qui prænotionum majori fama excellebant, Laurum mandere ferebantur, ut de Sibylla Tibull. *lib.* II. *eleg.* V. Juvenal. *Satyr.* VII. *ver.* 18. Hinc vi Lauri somnia procreari putabant Ethnici: de quo Fulgent. *Mytholog.* lib. I. Quid vero Agnocastus fuerit? videndus Dioscor. *lib.* I. *cap.* CXXVI. Plin. *lib.* XXIV. *cap.* IX. nempe vitex, qui Veneris impetus frænet. Sed absque dubio vel has a naturæ parente arboribus donatas proprietates Ethnici superstitionibus infecerant. Quod autem severioris disciplinæ quædam cernis ostentamenta inter Paganos, qui per somnia instrui optabant; nam cubatio in recentis victimæ pelle olida est, pedes non abstergebant, a coitu & Venere abstinebant, uti Ovid. lib. IV. *Fastor.* pangit, ex Dæmonum officina totum prodiit, ut veros Prophetas cum ementitis confunderet.

CAP. IV.

de Divinatione per Sortes.

§. I. NON solum Hebræi, sed & Ethnici sortes divinatorias habebant, quibus occultorum, quæ humanum superant captum imprimis futurorum contingentium liberorum, notitia concupiscitur; hæ autem superstitiosæ & damnatæ sunt, de quibus Conciliorum & Pontificum interdicta loquuntur; nam harum moderamen vel a Deo expectandum, vel a casu, vel a Dæmone; A Deo sperare præsumptio vana, cum enim non promiserit se ejusmodi temperaturum sortes, expetere ut id faciat, nihil aliud, quam tentare Numen est. A casu & fortunæ temeritate stultum est certi aliquid expetere, non enim habet connexionem aliquam cum futuro eventu, quod taxilli, aut aliæ sortes hoc potius modo, quam altero cadant; quare relinquitur solum ut ex pacto, vel tacito, vel manifesto, cum malis spiritibus occultorum revelatio fiat; hoc autem superstitiosum est, proinde abominandum, ut fusius prosequitur Suarez Tom. II. *de Religione* lib. II. *de superstitione* cap. XII. n. 28. Sin autem opponas ex *Proverb.* cap. XVI. verf. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*, & inferas, cum indistincte enarret sortes quascunque a Deo gubernari, subindicare etiam sortis divinatoriæ scopum a Numine expectandum atque hanc idcirco licitam reputandam. Respondet bene Vasquez Tom. III. in III. *part. disp.* 244. cap. II. n. 8. non hunc illius loci esse intellectum, verum in eo divinæ providentiæ perspicaciam laudatam, quando nihil ita fortuitum accidat, ut extra Numinis jaceat providentiam, cum etiam sortium ambigui exitus, qui præter omnem humanam contingunt industriam, non tamen absque divinæ providentiæ regula & moderamine: cæterum hæc providentiæ ratio communiter generalis est, & concursus illius late prodeuntis a causa prima, quem tamen non semper dirigendo præstat ad sortium exitus, sed permittendo solum quoties sortes malæ & peccaminosæ sunt.

§. II. Hujus superstitiosæ divinationis instrumenta olim Paganis, Hæbræis etiam postquam idololatria infecti sunt, sagittæ, aut virgulæ sagittatæ non dissimiles erant, quam ob causam de Judæis Numen conqueritur *Oseæ* cap. IV. *v.* 12. *Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei*. Hieronymus *in illud ita*: *Lignum interrogavit & virgas, quod genus divinationis Græci ῥαβδομαντείαν vocant*. Sic in expeditionibus bellicis fatidicæ obtinuit urnæ usus. Vespasianus sortibus explorabat, an felix ei ventura sit expeditio cum Judæis, Savil. *in Tacit.* p. 244. De Germanis Cæsar lib. I. *de bell. Gall.* scriptum reliquit; *Cæsar ex captivis* Germanis *cum quæreret quamobrem Ariovistus prælio non decertaret; hæc dabatur causa: quod apud Germanos ea esset consuetudo, ut matres familias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, nec ne? eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam Lunam prælio contendissent*. Ho-

merum tanquam singularem omnis antiquioris eruditionis thesaurum consulamus de sortium in expeditione Græcorum usu. Sorte eligitur, qui cum Hectore in certamen descendat, sortesque non in urnam, sed in galeam conjiciuntur, *Iliad. γ. v.* 314. Atque cum octo Græci sese pararent congredi cum Hectore, Ajax sorte designatur ad certandum cum Hectore, *Iliad. η.* v.182. 183.

§. III. Sic Nebucadnezar deliberans de expeditione bellica contra Judæos & Ammonitas, an optatum habitura sit finem sortitioni committit, uti legimus *Ezech.* cap. XXI. *v.* 21. Locus autem verbatim ita sonat; *Stetit Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas*, &c. *Stabit*, inquit Hieronym. *in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus; ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius debeat expugnare civitatem; hanc Græci* βελομαντίαν *sive* ῥαβδομαντείαν *nominant*. Quale vero fuerit apud Babylonios divinationis genus variant Interpretes. Quidam putant *tersisse* Babylonios *sagittas*, vel ferrum telorum ut splenderent in eoque splendore tanquam in speculo cognovisse divinatores, uti aspicere solent in ungue pollicis manus splendente. Alii vertunt: *jecit sagittas*, ac volare fecit in aere, ut videret, in quam partem caderent, ut versus eam dirigeret exercitum. Ita & Chaldæus Paraphr. transtulit. Friedlibius hæc quæ sequuntur habet: *Erat mos Regum Chaldæorum, ut in bellum exituri, sagittas magico ritu Astrologorum opera conficerent, urbium & gentium nomina, quas invadere volebant, inscriberent, hinc commixta invicem cœco manuum assumtu, quamcumque sagittam capesserent, illius gentem vel urbem primo armis capesserent*, De hoc sortitionis ritu sequentia annotat Henricus Salmuth *in Panciroll. cap. de fibula*. Si quid agendum, sortitionem ita efficiunt: *Veluti si fingamus, in Senatu de ratione belli agendum esse, neque inter Senatores convenire, ad cujus urbis expugnationem primum debeat deduci exercitus (quod accidit temporibus Michaelis* XXXV. *Ducis Venetorum) ad divinas sortes recurrendum ducunt. Nomina quidem expugnandarum urbium in urnulam conjiciuntur; ea rudis quispiam puerulus manu miscet; inde unam e chartulis, quæ singulæ singularum urbium nomina continent, ad Principes defert, ab eaque oppugnanda bellum incboari debet*.

§. IV. Eandem utrobique (scil. in *Osea* & *Ezechiele*) depingi superstitionem expositores animadverterunt, ex quibus B. Cyrillus Alexand. in memoratam *Oseæ* dictionem: *Duas enim virgas statuentes, deinde arcanis quibusdam verbis eas incantantes, ut agente Diabolo procidérent; & cadentes rursum observabant, utrum prorsum, an retrorsum, in dextram, an in sinistram ferrentur; sic quod deinceps placebat, accedentibus nunciabant*. Cyrilli mentem exhausit Theophylact. *in cap.* IV. *Oseæ*, Albertus Magnus *in eundem locum* non inscite declarat; *Et hoc est genus divinationis, quod Rabdomantia vocatur, ubi scil. sagittæ vel bastulæ commiscentur, & diversis eventibus & nominibus inscribuntur, & postea casu levantur, & quæcunque occurrunt, ad illius omen actu diriguntur*. Itaque sagittæ characteres & nomina inscripta ferebant, seu Magicæ artis specialia vocabula, seu personarum simplicia nomina, quod Hieronymo potius visum *in cap.* XXI. *Ezech.* in illud: *& factus est*, &c. loquens de Nebucadnezare, quod paulo ante adductum; Hieronymi sententiam sequuntur *in cap.* XXI. *Ezech. vers.* 21. *Glossa* interlinearis, Lyra & Hugo Cardinalis; & quia in sagittis emblemata illa, ideo LXX. cap. IX. *Oseæ* v. 12. interpretantur, ἐν συμβόλοις ἐπήρωτον, καὶ ἐν ῥάβδοις αὐτῆς ἀπήγγελον αὐτῷ, *in Symbolis interrogabant & in virgis ejus annunciabant ei*. Simbola nimirum characteres & inscriptiones erant Hieroglyphicæ significationis, quas notas appellat Tacitus *de moribus Germanorum* cap. X. Nam & apud hos ejusdem superstitionis: *Auspicia, sortesque*, ait, *ut qui maxime observabant; sortium consuetudo simplex; virgam frugifera arbore decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt; mox si publice consulatur, Sacerdos civitatis; sin privatim, ipse Pater familiæ precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit sublatos secundum impressam antea notam interpretatur*. De Scytharum etiam ritibus quoad sacra Herodot. *lib.* IV. seu in *Melpomene* inter principium & medium. De Alanis vero Amm. Marcellinus *lib.* XXXI. De falsa Sinarum religione his quidpiam non nihil affine prodit Maffæus *Histor. Indic.* lib. VI. Imo hujus moris nonnulla ad Christianos pervenerunt, uti ex Nicolai I. *responsionibus ad consulta Bulgarorum* deducitur, cap. LXXVII.

CAP. VI.

De Necromantia & Pythonibus Pythonissisque, eorumque ceremoniis.

§. I. SUPRA dictum, quod revelatio apud Gentiles ratione sensus interni fuerit, nunc ad aliam partem accedamus, qua etiam ratione externi sensus facta, eaque iterum duplici modo, vel visu, vel auditu. Visu, cum scil. Dæmon sub specie vel hominis, vel bestiæ, vel alterius creaturæ se manifestavit. Tacitus *Annal.* lib. XI. loquens de Curio Rufo, qui tum Adrumeti in Africa agebat: *Oblata ei*, inquit, *species muliebris ultra modum humanum*. Non aliter apud Xenophontem *de institutione Cyri* lib. VIII. cum Cyrus dormiret in Regia, visus est illi ad ipsum accessisse præstantior quidam & majori forma, quam natura humana, eique dixisse: *Para te, o Cyre, jamjam enim abibis ad Deos*. Pisistrato Atheniensium Tyranno paulo ante mortem quidam tetra & specie grandiore humana apparuit, & docuit neminem sceleratum & impium evasurum divinam vindictam. Hæc Dæmones specie Numinis alicujus, idemque factitarunt nomine defunctorum. Vid. Juvenal. *Satyr.* II. conf. Joann. Filesaci diss. *de Idololat. Magic.* pag. m. 32. Respectu auditus, oracula Gentilibus responsa dederunt, quibus majorem tribuerunt fidem, quam Prophetarum prædictionibus.

§. II. Equidem mortalium cordibus tacita quadam naturæ disciplina sic imbibitum est, occultorum notitiam, præsertim futurorum contingentium & liberorum cognitionem penes solam Divinitatem residere, ut cum spiritus maligni intolerando ausu pro Diis haberi affectassent, hac singulariter via consequuturos se non dubitaverint, quod (heu!) incredibili generis humani detrimento

contigit, nam ſtatim ut Dæmon occulta pandere cœpit aliqua, quæ naturalem ejus ſolertiam non exſuperabant, orbis ad eum totius confluere univerſus, templis & immolationibus venerari properavit; unde Himmerius Sophiſta apud Photium *Bibliothecæ* codice CCXLIII. ex fragmento orationis in advenas Epheſios ait: *Cum Apollo divinatorium tripodem collocans omnibus oracula redderet, omnes gentes, omneſque urbes fama hac ad Deum attrahebatur.* Celebriora horum oraculorum loca, quibus ſeu Jupiter, ſeu Mars, ſeu alia falſa Numina, & Apollo ſpeciatim, colebantur, enumerat Papinius lib. VIII. *Thebaid.* verſ. 196.

—— —— mutiſque diu plorabere Delphis,
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
Delon, & intonſi claudet penetralia Branchi;
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit.
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Moloſſi
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.
Ipſi amnes, ipſæque volent accreſcere laurus.

Diſerte Theodoretus lib. X. *contra Græcorum fabulas*, qui eſt de veris & falſis oraculis prope initium. De his oraculorum ementitis vatibus & cœcæ Gentilitatis dementia egit Sidon. Avern. *carmine* V. *verſ.* 260. & *carmine* IX. *verſ.* 185. ex junioribus Lilius Gyrald. Syntagm. VII. *de Diis*, Bulenger. lib. I. *de Oraculis & Vatibus*.

§. III. Atque ita Diabolus homines ſeduxit falſis reſponſionibus ſuis, ut omnia quæ diceret vera crederentur. Hoc igitur effecto, alium invenit modum, quo ulterius præſtigiis ſuis hominum corda ad ſe traheret, & hic fuit *Necromantia*, qua animæ ab inferis revocabantur, per quas Magus occulta diſcebat & de ſequuturis eventibus edocebatur; nam hoc illi audacter pollicebantur, eorum imperio ſubditas animarum regiones & quas vellent poſſe rurſus ſuperam traducere ad lucem ſic gloriatur Medea apud Ovid. lib. VII. *Metamorph.* v. 107.

—— —— jubeoque tremiſcere montes
Et mugire ſolum, Maneſque exire ſepulchris.

Tibullus de altera Saga ejuſdem profeſſionis *lib.* I. *eleg.* II. eadem teſtatus:

Hæc cantu finditque ſolum, Maneſque ſepulchris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.

Et fama ita creditum a vulgo Ethnicorum verſus apud Ciceronem denotant lib. I. *Tuſcul. quæſt.* non longe a principio:

Unde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio.
Alti Acherontis, falſo ſanguine imagines mortuorum.

Quare Lactantius diſputans contra Paganos ex his, quæ ipſi certa ſupponebant lib. VII. *Divin. Inſtit.* cap. XIII. Qui profecto non auderent de interitu animarum Mago aliquo præſente differere, qui ſciret certis carminibus cieri ab inferis animas; & Prudentius *lib.* I. *contra Symmachum*, verſ. 84.

Murmure nam magico tenues exire figuras,
Atque ſepulchrales ſcire incantare favillas.

S. Baſilius *in cap.* VIII. *Iſaiæ* prope finem; *Condicunt ac pollicentur animas vita defunctorum ad ſeculum ſe evocaturos ad eorum manifeſtationem, quæ in quæſtionem vertuntur.* Quamvis enim de animarum veris interdum apparitionibus nullus ſcrupulus, ſed Dæmonum naturales vires talis regreſſus ſuperat; ſi quibus enim imperare valeant, tartareo quidem incluſis ergaſtulo, harum Satanas cuſtos eſt & tortor: liberare autem carcere nequit abſque judicis Dei permiſſione, ſi quando igitur regreſſionis adjutor facit non quod in ipſius poteſtate ſitum eſt, ſed quia Numen indulget, & a malo, ſed rariſſime, fieri Angelo placet: Paganos autem per *Necromantiam* deludebat adverſarius & phantaſmate ſimulabat perſonam, quam inter viventes reſtitui cupiebant, itaque præſtigium & hallucinatio tantum fiebat; recte Æneas Gazæus in *Theophraſto*. *Hæc dicens ille & ergo ſuis illis carminibus fallunt, quippe non patrem, aut mulierculam producunt, ſed dirum quendam Dæmonem patris, aut mulieris perſonam repræſentantem monſtrant.* Chryſoſtomus *Homil.* XXIX. *in cap.* VIII. *Matt. Non enim anima defuncti eſt, quæ iſta dicit, ſed Dæmon, qui hæc, ut decipiat, fingit.* Conf. Tertullian. *de Anima* cap. LVII. Nyſſen. *epiſt. de ventriloqua.* Auguſtin. lib. X. *de Civit. Dei* cap. II.

§. IV. Hanc præ cæteris Dæmoniacam de futuris inquirendi artem Numen prohibet *Deut.* cap. XVIII. v. 9. *Nec inveniatur in te, qui Pythones conſulat.* Pythonis vox late ſe extendit, ſumitur aliquando פתן pro Dracone, *Pſal.* LVIII. v. 5. *Aſpis ſurda* vel *Baſiliſcus*. Proinde pro felle פתנים *pethanim*, Syrus Interpres habet ܡܪܪܬܐ ܕܬܢܢܐ & Arabs *fel draconis*: & Græci *θυμὸν δρακόντων.* Addo *Pſalm.* XCI. v. 13. פתנים ponitur, quo loco Jonathan habet פיתוניא *Pithunja*, tanquam a ſingulari פיתון *pithun.* Atque huc alludere videtur Græcum *Pythonis* nomen, quo cæſum in Parnaſſo draconem ab Apolline Poetæ vocant, hinc Apollo Πύθων dictus, uti Edward. Leigh Equit. Angl. L. A. M. & aulæ Magdalen. Oxon. Præpoſit. *Crit. ſacr. Novi Teſt.* fol. m. 289. & fol. 196. in Vetus Teſtamentum & Heinſ. in *Ariſtarcho* refert: Πύθων qui ſerpens ſive Aſpis ſacer eſſet Apollini, & per quem divinationes olim inſtituerentur. Inde Mercerus *in Job.* XX. 16. inquit; *Hæbreis* פתן *ſpecies ſerpentis, a quo Pytho, quod ſerpentis genus: atque ab eo, locus Pytho. Notum eſt, Hebræos ex ſerpentibus vaferrimo in terris animali, divinationes olim plures & auguria inſtituiſſe.* Ephorus tamen, ex quo refert Strabo *lib.* IX. non Draconem, ſed hominem fuiſſe ſcribit, quem Apollo ſagittis interfeciſſet; *χαλεπὸν ἄνδρα, Πύθωνα τοὔνομα, ἐπίκλησιν δὲ Δράκοντα*, *Virum atrocem, Pythonem nomine, Draconem cognomento*, poſtquam ſcil. cædibus & latrociniis diu fuiſſet Parnaſſiis infeſtus. Idem pro *Pythone Delphynes* nominatur a Suida *in* Πύθω, poſt Apollonium *Argon.* lib. II. verſ. 708. In his tenebris ſi quid video, fuit is prædo inſignis in Phocide, cujus verum nomen erat *Delphynes. Python* cognomen inditum a Phœnicibus, in vicina Bœotia tum degentibus ob tumultus concitatos, & latrocinia commiſſa. Nimirum apud Arabes (quibus *Phe* eſt loco *Pe*, quia litera *Pe* carent) *phatana* eſt *concitare tumultus: phithna, ſeditio, cædes; phatthan, ſeditioſus, latro, graſſator*. Sed idem ex graſſatore draco factus eſt a fabularum architectis; quia *Syris* ܦܬܢ *pethen* vel ܦܝܬܘܢ *pithun*, draconem ſignificat. Itaque etiam *Python* dictus eſt. Ab hoc *Pythone* Pythii ludi & Delphorum urbs Πυθὼ vel Πυθὼν, atque ipſe Apollo Πύθων vocatus. Optime Kammond eruditus in *annotations on the Acts of the holy Apoſtles* cap. XVI. verſ. 6. fol. m. 403. *Python was a name of the city* Delphos, *where Oracles were delivered by the Devil and they that propheſied there were called by that name Πύθωνες Pythones.* Quidam Pythone *ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι*, id eſt, *conſulere* ſeu *interrogare* deducunt, ſcil. quod reſponſa conſultus daret, vid. Edward. Leigh, *Crit. ſac. N. T.* fol. m. 286.

§. V. Hebræi aliter vocabulum hoc intelle-

ctum volunt, & pro *Pythone* פיתום *Python* scribunt, voce leviter deflexa. Atque ariolorum id genus non ex ventre, sed ex axillis, vocem emisisse somniant. Talmudici in *Sanhedr.* cap. VII. fol. 65. a בעל *Baal.* אוב זה פיתום המדבר משחיו *Ob idem est, qui Pithom*, seu *qui loquitur axillis suis.* Et ibi Glossa: תחת זרועותיו ומדבר מעלה את המת מן הארץ ומושיב לו בשחיו *Mortuum ex terra educit, quem sub axillis & brachiis suis constituit ut loquatur.* Proinde Rabbi Selomo *in Deut.* XVIII. v. 11. explicans quid sit אוב שואל *consulens Ob* (seu *Pythonem.*) *Hæc est divinatio quæ vocatur* pithom, *qua loquitur quis ex axillis. mortuum ad axillarum locum evocans.* Verum quicquid dicant Rabbini, tamen a scopo aberrant. Python enim deducitur vel a πυνθάνομαι *percontor*, vel *consulo*, vel a πύθω *putrefio*, quia malignus ille spiritus amat impuritatem formando loquelam ex imo ventre; & qui ejusmodi oracula edebant illo nomine appellabantur. Vid. Andr. Willet Six fold. *Comment. on Levit. chap.* XX. 6. Hinc Sa Pythones dictos putat a *fœmina* Pythia, cujus vel ex ore erumpentem, sed obscuram & prætenuem vocem ederet Dæmon, vel ex pudendis loqueretur, cujusmodi mulierem se vidisse & audivisse Tertullian. scribit. Paul. Scherlog. Angl. in *Antiquit Bibl.* lib. I. diss. IV. sect. VI. I. per *ventriloquos* exponit, quod per ventrem loquatur Dæmon, confer. Eduard. Leigh Equit. Angl. *Critic. Sacr. Novi Testam.* fol. m. 286. hinc *Engastrimythi* vocati a Græco γαστὴρ, quod est *venter*, & μῦθος *fabula*, sive *sermo*; videlicet loquens per ventrem Diabolo inde emittente sonum, unde hoc vocabulum Pythonis omnibus, qui per ventrem loquebantur, inditum, & ἐγγαστρίμυθοι dicebantur, uti D. Hammond in *Annotations of Acts Apost.* cap. XVI. fol. m. 403. inquit, *especially to the those out of whose bellies (as the Oracles out of caves) the Devil spake.* De his vide *Epist.* Phot. ρνα. Τὸ ἐμφωλεῦον τῇ ἀνθρωπίνῃ γαστρὶ πονηρὸν & ἄξιον κοπροδόχον οἶκον, ἀκάθαρτον πνεῦμα, λίαν ἐμφερῶς προσωνομάκασιν Ἐγγαστρίμυθον. Audiamus quæ prædictus Anglus ex aliis autoribus conscripsit: *The Grecians cammonly call* Ἐντερόμαντιν, *the divinier from the guts, others* Ἐγγαστρίμαντιν, *the divinier in the belly, But Sophocles & Plato being ashamed that their dæmon should have such a dwelling, one of them,* ἀντὶ γαστρὸς αὐτῷ τὰ στέρνα χαρισάμενος Στερνόμαντιν μετονόμαζεν *in stead of the belly allow'd him the breast, and called him the diviner out of the breast: and the other called every such by the name of Eurycles, a person who had been famous for this e and so transmitted the appellation to all other the like. And so this kind of Devil, saith he, which loves to dwel in the ordure both of men and women.*

§. VI. Suidas verbo *Engastrimythus* vult: ἐγγαστρίμαντις, quasi quis dicat *ventrivates*, id est, qui Dæmonem in ventre habet. Plutarchus *de oraculorum defectu* inter principium & medium; *Quos olim Engastrimythos Euryclеas, quod e ventre sermonem fatidicum promerent, nunc Pythonas nominant.* Isaiæ *cap.* VIII. *v.* 19. quos Latinus Interpres Pythones vocat, LXX. ventriloquos nominant, quem in morem pariter Clemens Alexandrinus in *Protreptico* cap. III. Basilius *in cap.* VIII. *Isaiæ*, in illud, *Quærite Pythones*, &c. Nyssen. *epistol. de Pythonissa*, Augustin. lib. II. *de doctrin.* cap. XXIII. Modum falsæ vaticinationis Pythonibus singularem declarant Theodoretus *quæst.* XXIX. *in Levitic. Quidam a Dæmonibus agitati simplices multos deceperunt, quasi loquerentur, quos Græci ἐντερόμαντεις, id est, ex intestinis vaticinantes, appellant, tanquam ex interioribus Dæmon videatur vocem emittere.* S. Eustathius Antiochenus differtat. *de Pythonissa* contra Origenem juxta finem; *Neque enim a naturali sanaque mente loquuntur, sed intimis mentibus Dæmon diversans mentem ipsam depascitur & lædit, & ex ventre fabulosas fictiones componens strepitum edit.* Equidem de Pythia, per quam Dæmon oracula Apollinis cum titulo edere solitus, Chrysostomus *homil.* XXIX. *in cap.* XII. *epist.* I. *ad Corinth.* in illud, *Scitis quod Gentes* &c. refert, per corporis meatus, quos nominari verecundia prohibet, Dæmonem ad ventrem ingredi consuevisse; ab hujus Pythiæ imitatione eos, per quorum ventrem Spiritus nequam respondebat, Pythones vocatos existimant Oecumen. *in cap.* XVI. *Act. cap.* XXIV Abulensis *in* I. *Reg. cap.* XXVIII. *quæst.* XXII. Hic quæstio oritur, num Pythonissæ hoc ipso quod tales essent Necromanticæ censendæ?

§. VII. Dico, (1) non necessarium esse, ut qui Pythones sunt, Necromantiæ pariter cognitione imbutos supponamus, ut observant Abulensis *in* I. *Reg. cap.* XXVIII. v. 8. Serrarius *in eundem locum q.* I. Salian. tom. III. *Anno Mundi* 2979. n. 69. Nam hi stricte nuncupati eam ob causam, quod per ventrem depromeretur sermo, at divinationes per ventrem aliæ multæ potuerunt esse diversæ ab evocationibus mortuorum. (2) Plerumque apud Hebræos speciatim utramque infaustam convictam artem, ita ut, cum Necyomantiæ usitati Præceptores ex eorum turba essent, qui per ventrem divinarent, vulgo creditum sit Pythonum scientiam circa mortuorum umbras & sepulchreta versari, quamobrem *Esai.* cap. VIII. *v.* 19. ubi Pythonibus adscribitur mortuorum discere ex colloquio quæ viventibus incommoda, aut salutaria esse queant, *Quærite a Pythonibus*, &c. LXX. bis habent *ventriloquos*, & *Saul* ut a *Samuele* jam extincto de futuris edoceretur, non *Necromanticam*, sed *Pythonissam* vestigari jubet, I. *Reg.* XXVIII. *v.* 7. nimirum, quia penes ventriloquos officina Necyomantiæ, quam ob causam S. Basilius in illud *cap.* VIII. *Isaiæ* sub finem; *Quærite Pythones*, &c. *Pollicentur animas vita hac defunctorum ad seculum se evocaturos ad eorum manifestationem, quæ in quæsticnibus vertantur;* clarius adhuc paucis quibusdam intermixtis: *Quia istorum, qui ventriloqui dicuntur, commentatio omnis, conatusque versatur circa monumenta & busta sepulchralia, atque illinc vim omnem magicæ incantationis mutuantur.* Et Gregor. Nyssen. epistol. *de Pythonissa* in hæc prorumpit verba: *Porro unum ex fallaciæ generibus ventriloquorum, seu Pythonem habentium est; eorum præstigia posse animas illorum, qui decesserunt, rursus ad hanc superstitem vitam pertrahere credebantur.* Conf. Cyril. *in verba Esaiæ cap.* VIII. Nec mysterio vacans modus loquendi vulgatæ interpretationis, *qui strident incantationibus suis*; quo loco Arias Montanus Pythones putat qui mortuorum Manes excitare & alloqui dicebantur: sed Forerii integra adducenda explicatio: *Pythonum vox haud dubie est peregrina, & quantum ex locis Scripturæ, in quibus reperitur, & eorum circumstantiis conjicitur, est spiritus in sepulchris mortuorum & locis subterraneis, qui rogatus voce stridula respondet.* Certe ejusmodi esse loquelam, id est, semiformatam & tenuem nec satis perceptibilem, ventriloquorum, docet Hippocrat. lib. V. *de morbis popul.* non longe a fine, de ægroto, qui vix loqui poterat; καὶ ἐκ τοῦ στήθεως ὑπεψόφεεν, ὥσπερ αἱ ἐγγαστρίμυθοι λεγόμεναι, τοιοῦτό τι ξυνέβαινε; *& ex pectore substrepebat, velut Engastrimythi, quasi ex ventre loquentes, Græcis appellati, tale quiddam contingebat.* His igitur verisimile fit Pythones Pythonissæque associatam habuisse Necromanticam disciplinam. Plura qui legere desiderat, evolvat Andr. Beyer. *Additamenta ad Johan. Selden. De Diis Syris* pag. 213. 214.

CAP. VII.

De variis speciebus Gentilismi.

§. I. GENTILISMUM in diversas distingui species clarum est; quando scil. ratione temporum, aliarumque circumstantiarum consideramus. Ratione temporis dispescitur in *Eum* qui fuit ante cataclysma, & in *Eum* qui post diluvium fuit. De Idololatria ante-diluviana nil certi finire possumus; dubio procul tamen isti homines, uti Lambertus Danæus in libr. *de ætate mundi* conjectat, adorarunt Solem & Lunam. Post diluvium vero Gentilismus sua habuit incrementa suamque denique perfectionem, quæ omnia exponere operosum foret, considerabimus cultiorum Gentium Gentilismum. (1) Ægyptiorum, quibus duplices fuerunt Dii; alii *cæleſtes* & *æterni*: alii *terreſtres* & *mortales*, per mortem in Deorum numerum relati. Diodor. Sicul. *lib.* I. pag. 10. de cælestibus Diis, *Sole, Luna, Igne, Spiritu, Terra, Oceano* agit, & *pag.* 20. de Terrestribus tractat. Præter hos, alios, ait, esse terrestres Deos, qui perhibent, natura quidem mortales, sed mentis solertia & beneficentia erga homines universos ad immortalitatem evectos, quorum aliqui etiam Reges Ægyptii fuerunt. Illi coluerunt Osirim, qui alio nomine *Mesraim* Ægyptiace dicitur, vid. Eduard. Simson. *Chronicon Catbolicum.* Hinc Philo Judæus lib. *antiquit.* Misraim vocat Mesram filium Cham; a quo antiqua Ægyptiaca lingua *Chemia* dicitur Ægyptus, de quo Berosus *lib.* IV. sic: *Erat autem Noe filius ex tribus primis adoleſcentior Cham, qui ſemper Magiæ ac veneficæ ſtudens Zoroaſtris nomen conſecutus eſt, eum inter homines hujus dogmatis ſunt ſecuti Ægyptii, qui ſoli ipſum Saturnum inter Deos adoleſcentiorem fecerunt, & civitatem ei poſuerunt, dictam Chememyn, a qua in hanc ætatem omnes cives dicuntur Chemmenites.* Et cum Philosophiæ operam navaret, ab Ægyptis ob cœlestium rerum scientiam ad Solem Lunamque regendam assumptus, pro Deo passim habitus est, quem Ægyptiaco vocabulo nunc Mythram, nunc Osirim nominarunt. Conf. Athanas. Kircher. *Obelis. Pamphil.* lib. II. *de inſt. & fabr. Hierogl.* fol. m. 166. Ejus uxor Isis fingitur, quæ hordei segetem invenisse dicitur, & ob hoc inventum ei sacrificatum, postea una cum marito inter Deos relatam fuisse refert Augustin. lib. VIII. cap. XXVII. *de C. Dei* pag. 516. Conf. Elias Sched. *de Diis German.* pag. m. 154. seqq. Coluerunt quoque *Arverin, Chon, Phallosorin* & *Anubim*, de quo Athanas. Kirch. *Obelis. Pamphil.* lib. III. cap. V. fol. m. 195. ita scribit: *Aliqui etiam puerum, ex quo Iſis rem intellexit, ſub Anubis nomine coli putarunt. Horum, Serapidem, Canopum, Typhonem,* & qui sunt alii Dii, quos tabella recenset prædict. Kircher. *lib.* III. *fol.* 254. In honoribus quoque habuerunt *Apim* sub forma bovis cornuti, de quo Ælianus sic docet: *Apis*, inquit, *apud Ægyptios efficaciſſimus Deus creditur ex vacca quæ fulgere afflata conceperit, naſcitur.* Epaphum Græci vocant, atque hujus *generis antiquam ſtirpem repetentes, Io Argivam, Inachi filiam illius matrem fuiſſe teſtantur,* &c. Plin. *lib.* VIII. *cap.* XLVI. hisce adstipulatur: *Bos in Ægypto etiam Numinis vice colitur. Apim vocant, inſigne ei in dextro latere candicans macula cornibus Lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantbarum appellant. Sunt duo delubra, quæ thalamos vocant, augurium populorum, alterum intraſſe lætum eſt, in altero dira portendit, reſponſa privatis dat, e manu conſulentium cibos capiendo.* Conf. Pignor. *menſ. Iſi.* Johan. Selden. *de Diis Syris*, ubi multa legi poterunt. Imo ad tantam dementiam edocti tandem sunt, ut *ſimias* & *feles*, aut etiam hortenses fructus pro Diis venerati sint, sicuti alibi demonstrabitur. Ego facile credo nunquam vulgi fuisse simplicitatem, ea pro Diis venerando, quæ nulla sana ratio pro Diis habere aut agnoscere potest: Magistratum autem tot monstrosis opinionibus connivisse saltem, quo plebem vanitate metus & timoris irretiret. Interim peritioribus multum ad superstitiosam hanc religionem contulisse astrorum peritiam & scientiam, qua illi excellebant.

§. II. Persarum gens ob eximium fulgorem, miram velocitatem, summamque utilitatem, Solem, Cœlum & Lunam adorabat & venerabatur. Solem dicebant Mythram, de qua re pluribus Athanas. Kircher. *Obelis Pamphil.* fol. m. 282. lib. IV. Et Ægyptios secuti, pingebant Leonino capite. Sol igitur Mythra est, de qua voce Strabo, *τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι* Μίθραν, hoc est, *Solem colunt, quem Mythram nominant*, lib. XV. *Georg.* Et Suidas: *Μίθραν νομίζουσιν οἱ Πέρσαι εἶναι τὸν ἥλιον*, *Mythram exiſtimant Perſæ eſſe Solem.* Hinc juramentum Persicum, Νὴ τὸν Μίθραν, apud Plutarch. in *Artaxerxe Mnemone.* Darius prælium cum Alexandro M. initurus prece se armare cupit, & Solem Mythram invocat. Coluerunt etiam Persæ quatuor elementa, verum illis non faciebant simulachra, multo minus in illorum honorem altaria & templa erigebant, sacrificabant autem in editissimis montibus utpote cœlo proximis. Animal quod immolaturi erant, prius execrabantur, postea illud Sacerdos dividebat, & quilibet eorum, qui sacrificiis intererant, frustum carnis secum portabat domum, nihil relinquentes Idolo, utpote Deo non vescente carnibus, sed contento mactatæ bestiæ anima. Fluvios quoque tanquam sacros habebant, quapropter nemini in illis lavare licebat, vel urinam immittere. Has aliasque ceremonias observabant, quas vide apud Ludov. Gofsted. *Arcbontol. Coſmica* fol. m. 609.

§. III. Quod attinet populum copiosissimum Arabes, illi venerati sunt Chamum vocatum Jovem Ammonem: ideo autem coluerunt, quia pater fuit Chusi, a quo Arabia dicitur terra *Chus.* Hinc vocati sunt *Chuſæi* sive Chusitæ, duo nomine Josephus & B. Hieronym. Æthiopes Orientales intelligunt, ut notat Perer. Hujus *Chuſi* filius dicitur *Saba*, test. Edward. Simson. *Chron. Cathol.* fol. m. 12. a quo descendunt Sabæi, qui Arabiæ felicis incolæ, ita ut hi tantum *Arabes nati*; alii (scil. Hagareni) *Arabes facti* vocentur, conf. Cl. Joh. Henr. Hotting. *hiſt. Orient.* lib. I. c. V. pag. m. 210. Apud *Eſajam* cap. XLIII. & XLV. *Chus* & *Saba* junguntur, ut qui vicinas sedes habuerint; *Chus* quidem ad Istmum, quo mare Syriacum & Ægyptiacum summovetur a sinu Arabico, sive a mari Rubro; Saba autem ad ipsum Arabicum sinum. Horum oppidum *Saba* est, Ptolomæo *thurifera* frequenter cognominata. Non tamen videntur templum Ammonis habuisse, quapropter rebus difficillimis occurrentibus legatos miserunt in terram Ammonitidem, qui oraculum ejus consulerent, Voss. lib. I. cap. XXVI. p. m. 186. *Idololat.* Arrianus tamen lib. VII. *de expedit. Alex.* p. 519. duos tantum Deos, Uranum sive Cœlum & Dionysium seu Bacchum habuisse refert. Verum si Arabum scripta evolvimus, reperimus, Arabes idola famosissima habuisse, de quibus ipse Muhammed in Alcoran. *Surat.* LI. pag. 298. *An non vidiſtis Allath & Alloza & Menath?* Fœminino genere exprimuntur, quia Deæ erant. Unde expresse alibi in AlKorano vocantur *mulieres. Non invocant* (Arabes) *præter eum* (Deum) *niſi mulieres.* In hunc locum Beidavi commentatur, *Allath & Alozza & Menath. Erat enim omni viventi ſimulachrum, quod colebant, atque mulierem vocabant.* Sed videamus penitius quænam hæc tria Idola fuerint. Isa Bar Ali in *Lex. Mſc.* (citante Hotting.) Syro-Arabico notat,

eſſe *Aſtrum Rempham*, Hieronymum ſecutus, qui ad *Amos* lib. XI. notat: *Sydus Dei veſtri Ebraice dicitur* כוכב *Cocab*, id eſt, Luciferi, *quem Saraceni huc uſque venerantur*. Quis autem Rempham fuerit, explicat Anglus doctiſſ. D. Hammond. in *Annotationibus in Acta* cap. VII. fol. m. 356. verba ejus hæc ſunt: *Diodor. Siculus lib. I. mentions Remphis ſon of Cephna as king of Ægypt, about the time that Jacob Went doWn thither, and ſaith of him, that he gathered an infinite maſſe of Wealth of Ægypt, and left behind him at his death* 4000000 *talents; Which makes it probable that he Was that Prince Which in the famine, by Joſephs advice, got all the Wealts of Ægypt and the neighbour countreys. This perſon Was afterWards Worshipped as a God for having preſerved Ægypt, and accordingly placed among the ſtarres, and ſo the image of one of the planets, here called ἄϛρον, ſet to ſignifie him. This ſtarre, it ſeems, Was Saturne, for that Ægyptian Alphabet, Which ſets doWn the names of the planets, for Saturne Jath* PHφαN ῥηφάν. *Of this perſon that tradition in Suidas is very intelligible, Where of Apis the Ægyptian god it is ſaid, that he Was* εὔπορός τις *a certain rich man, to Whom at his death they erected a temple,* ἐν ᾧ βοῦς ἐξέφετο *in Which an ox Was fed, as being the Hieroglyphick of an husbandman. By Which alſo it appears that this Was that calf or bullock Worshipp'd by the Iſraelites: Saturne being among the Gentiles preſident of husbandry, and therefore ſome times Worshipp'd in the shape of that beaſt (under the name Apis) as being the chief inſtrument in ploughing of the ground; but Withall faſtened among the ſtares in heaven, and the image of him here called ἄϛρον, or as it ſeems to be beſt rendred, Amos V. 26. the ſtarre images of your God &c. For that Chiun, Which is there in Amos put in ſtead of Remphis, or Cevan, or Caivan, Was among the Perſians and Arabians another name of their Saturne, hath been obſerved by others. So in Plauthus's ſecond Punick ſcene Molechianna is by learned enquirers diſcovered to be no more then* מון לכיון *the image of Chiun, allone With temunah shel jucoch in the former ſcene that is,* תמונה שאל יחוק *an image Which is* El *God, and ſculpture, that is God engraven; the Word* אל *God among the Phœnicians ſignifying peculiarly* κρόνος *Saturne. And this is the reaſon Why Bacchus Pericionius is ſaid to be placed in the eighth ſpheare, becauſe that ſpheare encompaſſeth the planet Saturne. So in the Arabick Lexicon (called Camus) CaiWano Zohalo mamnuon, CaiWano is Zohalo Cor Saturne, Which is nomen invariable. Which Lud. de Dieu miſtaking for Raialon mamnuon, he renders it vir rigidus*, &c. Vid. Eduard Pocock. *on Abul Faraii*, pag. 394. Ita clar. Selden. *de Diis Syris*, Syntag. II. cap. II. ſcribit *Uraniam Arabum cum ipſa Mylitta* (Syriacum eſt ܡܘܠܕܬܐ γενέτειρα *genetrix*, notiſſimum Veneris epitheton) *Aſſyriorum eſſe eandem*. Huc accedit Herodoti authoritas, qui ſic ſcribit: Καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ Μίτραν: *Vocant Aſſyrii Venerem Mylittam, Arabes Alitta, Perſæ Mitram*, id eſt, matrem. Eſt enim Perſis mater. Pluribus vid. D. Hottinger. *Hiſt. Oriental.* lib. I. cap. VII. p. m. 229. ſeq.

§. V. Sed ipſos Arabes audiamus, quid de idolis iſtis ſentiant aut ſcribant. Beidavi, referente Hottingero, ita commentatur *Tria illa Idola, quæ coli a vobis merentur, in altera vita vos nihil juvabunt. Horum Idolorum primum eſt* Allath, *idolum Thakiphi in Taiph: ſecundum* Allozza, *Idolum Koreiſchitarum, quod Medinæ.* Menath *autem Idolum eſt adjutorum* (Medinenſium) *quod ipſum quoque ex lapide factum colebant. Dicuntur tamen omnia illa Idola lapidea fuiſſe intra Caabam ab incolis culta.* Plures recenſet Hottingerus, pag. m. 233. 234. ſeq. *Hiſt. Oriental.* Porro Tertullian. in *Apologetico Diaſarem* (alii *Diapharem* ſcribunt, ſed vitioſe, alii *Dyſarem*, Alexander ab Alexandro in *Genial. Dier.* lib. VI. cap. IV. & Andr. Tiraquell. in *Annotat.* fol. m. 623. *Tiaſarem*) inter veterum Arabum numina refert, & Δυσάρης ſine dubio eſt ipſum Arabicum, quod tamen ſignificatione ſua propria Priapum notat. Tandem enim Ὀβοδαίω gentili in Arabicorum Numinum catalogum relatum quidam ſcribunt *Obodem*, qui Rex Nabathæorum creditus & pro Deo habitus. Hos alioſque Deos Arabes coluerunt, imprimis etiam Solem, ſicuti videndum in *Itinerar.* Catovici *Hieroſol. & Syriac.* pag. 201.

§. VI. Syri coluerunt Adodum Atergatin. Strabo lib. XVI. *Geog.* p. 748. Habebant etiam Numina, uti erat Deus *Hamath*, *Arphad*, *Iva*, & alii, II. *Reg.* cap. XVIII. Vide Selden *de Diis Syr.* Syntagm. II. c. XVI. pag. 356. Adonis colebatur. Fuit & alius Aſſyriorum Deus dictus Niſroch, II. *Reg.* cap. XIX. Græcorum quod attinet Deos, hi pro diverſitate locorum diverſos colebant Deos, Jovem, Apollinem, Ubbo Emmius *lib.* VII. pag. 158. Neptunum, Meurſ. lib. II. *de Regno Athen.* c. XII. fol. 128. Minervam, Meurſ. in tract. *Panathen.* c. III. p. 3. & l. II. *de Reg. Athen.* c. I. pag. 82. Bacchum quoque, Dianam, Vulcanum, Saturnum, Romani coluerunt Janum. Arnob. l. III. *cont. Gent.* Saturnum, Rheam, Opem, ſeu Cybelem, Jovem, Junonem, Apollinem, Dianam, Mercurium, Minervam, Martem, Bellonam, Victoriam, Nemeſin, Venerem, Adonim, Bacchum, Cererem, Veſtam, Neptunum, Plutonem, Herculem, Faunum, Æſculapium, Evandrum, Caſtorem & Pollucem, Priapum. Germani venerati ſunt Saturnum & Neptunum, Dianam alioſque. Vid. El. Schedius *de Diis Germ.* Galli Apollinem, Cæſar lib. VI. *de Bell. Gall.* Tharamim, El. Sched. *de Diis Germ.* Synt. I. cap. VIII. p. 118. Martem. Hiſpani Martem, *Macrob.* lib. I. cap. XIX. *Satur.* Britanni alios habuerunt Deos. Sarmatæ pro Diis agnoverunt Solem, Lunam, Auram, Jovem, Plutonem, Cererem. Viſo eo, quo modo Gentiliſmus apud varios populos cultiores ſe habuerit, nunc ad aliam diviſionem me accingam, qua dividitur in Gentiliſmum ratione locorum, alius fuit Orientalium, alius Meridionalium, alius Septentrionalium. Alius eſt minus violans legem & conſcientiam naturalem. Alius lumen naturæ lædens, uti Arabum, Perſarum aliorumque populorum.

CAP. VIII.

De fine Religionis Gentilis.

§. I. EXTRA omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod Gentiles ſuæ, licet falſæ religioni inſiſtendo, gratum ſe Diis officium iſto cultu præſtare putent. Sic ait Camill. Andocian. *lib.* III. *c.* V. Gentiles in falſa, imo impia ſua religione & nefario Idolorum cultu perſuaſi erant, Deo ſe perhibere gratum & præceptum officium, itaque credebant a Numinibus ſuis ſe beneficia temporalia conſecuturos, uti multis probat Rogerus in libello, cui titulus *Offene Thur zum verborgenen Heydenthumb.* Quemadmodum autem Chriſtiani in externo & intermedio fine non ſubſiſtunt, ſed ulteriorem appetunt finem, nempe vitæ immortalitatem & æternam ſalutem: pari modo legimus & Ethnicos alium intendiſſe, & vel hodie intendere finem, ſcil. ut poſt mortem vivant in æternum, & perpetuis recreentur voluptatibus. Hinc illi, qui vitam tranquillam vixerunt, Campos Elyſios expectabant, qui mali, ſupplicia.

§. II. Et hoc crediDiſſe Gentiles vel Chryſippus teſtari poteſt, qui dixit: *Deos potiſſimum poſt mor-*

tem hominum actiones respicere : & bonas compensare præmiis, malas pœnis & suppliciis acerbis. Ita Ægyptii parentes & majores suos ad æternam habitationem translatos autumant. Diodor. Sicul. lib. I. *Biblioth.* pag. 83. Pythagoras, quem multi Gentilium teste Rogero *citat. lib.* sequuntur, statuit, animas Deorum judicio ex uno in aliud migrare corpus, donec expletis certis annis ad perpetuam mansionem venirent. Incolæ Guineæ in Africa dixerunt quidem, se ignorare extremum judicii diem, id tamen se credere, aliam esse rationem pecorum, aliam hominum: licet de statu hominum post mortem nihil scirent. Chinenses, quorum religio mere pagana est, credunt immortalitatem animæ, atque post hanc vitam retributionem bonorum malorumve. Credunt in altero mundo vitam immortalem esse. Hugo Linschotan. *part.* I. *cap.* XXV. De Peruanis scribunt Joseph. Acosta *lib.* V. *cap.* VII. & Hieron. Benzo lib. III. cap. XX. *Histor. Novi Orbis*, animas immortales credere. Conf. plur. Roger. *lib. citat.* ubi B. Lector multa lectu digna habebit.

§. III. Causam, quod Ethnici in opinionem de alia vita post hanc mortem devenerint, geminam deprehendo; quarum prima est *Immortalitas animæ*, quam e principiis naturæ eruerunt. Conf. plur. reverendi viri D. Hildebrand. disp. *de Immortal. animæ*. Ovid. lib. XV. fab. III. *Metam.* canit:

Morte carent animæ. ——

Quamvis Natalis Comes scribat Poetas non statuisse, sed finxisse saltem animarum immortalitatem, lib. III. cap. XX. p. 279. *Mythol.* Verum & alii saniores Ethnici agnoverunt animam hominis esse immortalem. Isocrat. in orat. *Nicocl.* pag. 43. & Pausan. *lib.* IV. pag. 257. refert Indorum Magos docere, animos hominum immortales. Dryides Gallorum palam professi sunt animæ immortalitatem, uti id nobis refert Strabo lib. IV. pag. 197. *Geograph.* Thraces quoque immortalitatem crediderunt. Herodot. lib. IV. pag. 275. Pompon. Mela lib. II. cap. II. pag. 63. *de situ orbis.* Plato animæ immortalitatem docuit, qui & librum de hac conscripsit, ex cujus lectione Cato finem vitæ exoptavit. Appian. lib. II. pag. 489. *de bello Civili.* Dio Caff. *lib.* XLIII. pag. 218. Plutarch. in *Vita Caton.* p. 792. Hodie Turcæ immortalitatem animæ credunt. Quamquam non negandum quosdam e Paganis fuisse, qui immortalitatem animæ negaverint, uti Dicæarchus, qui Tullio teste lib. I. *Tuscul. Quæst.* cap. XXXI. pag. 89. contra illam differit, & tres libros scripsit, qui *Lesbiaci* vocantur, in quibus vult efficere animos esse mortales. Conf. Plin. *lib.* II. *cap.* VII. & *lib.* VII. *cap.* LV.

§. IV. Plerique Ethnici etiam satis barbari, uti vidimus, immortalitatem animæ crediderunt, sapientiores autem Philosophi eam probarunt. Aristot. lib. I. *de Anima* dicit: *Intellectum* οὐ φθείρεσθαι, *& quid divinum esse.* Plato quoque in *Menone* pag. 415. & lib. X. *de Republ.* pag. 757. ostendit animam hominis esse immortalem, quod & confirmat Proclus lib. III. pag. 128. *Theol. Platon.* ubi ait: *Anima omnis est immortalis.*

§. V. Altera causa est *Traditio*, qua a Majoribus & Antiquis illam doctrinam hauserunt. Quod quibusdam ex antiquis Gentilibus cognita fuerint scripta Mosis, qui de resurrectione doctrinam inde arripuerunt, & postea suis conterraneis patefecerunt, patefactam vero posteris transmiserunt, certum est. Quod vero scripta Mosis Gentilibus nota fuerint, luculenter patet e Justino *lib.* XXXVI. *cap.* II. pag. 439. Diodor. Sicul. *lib.* I. pag. 48. Apud Judæos Moses Deum, qui JAO dicitur, legum suarum autorem finxisse perhibetur, ut e Strabone lib. XVI. pag. 760. & 761. *Geogr.* Galenus lib.

A II. cap. XIV. *de usu partium* dicit: Mosis doctrinam de natura rerum videri probatiorem, quam Epicuri, sed addit tutissimum esse neutrum sequi. Flavius Josephus lib. I. *contra Appion.* scribit: Aristoteli quoque Judaicæ religionis mysteria innotuisse. Pari ratione credibile, a Judæis antiquiores Paganos didicisse immortalitatem animæ & resurrectionem mortuorum.

§. VI. Ast merito hic in dubium vocari potest, (1.) Quod Gentiles a Mose scriptisque ejus notam habuerint resurrectionem, cum & ipsi Sadducæi hic litem moveant de resurrectione mortuorum, de quibus vid. *Thes. Philolog.* D. Hottinger. pag. m.
B 35. quæ Secta postmodum Muhammedismum infecit, ut patet ex iis, quæ de Zindicæis (Sadducæis) prædictus autor in *Histor. Oriental.* pag. m. 360. dixit. (2.) Pharisæi, qui imprudenter nimis quærunt, cur hujus articuli in Lege non fiat mentio בגלוי ובביאור *aperte & explicite.* Hæc tamen intermediorum demum Judæorum περιεργία fuit, cui alii responsa sua opposuerunt. Vide Menasse ben Israel lib. I. *de Resurrectione*, Joh. Henric. Hottinger. differt. *de Resurrect.* pag. m. 10.

§. VII. Quicquid itaque sit, & quid objiciant prædicti aliique quamplures, tamen fatendum resurrectionem Judæis, Muhammedanis aliisque forte Gentilibus notam fuisse: certum enim est apud
C omnes Judæos, (1.) Resurrectionem mortuorum esse fundamentum e fundamentis Legis Mosis; *Quod si quis hoc non credat, non esse ipsi in Judæorum Religione sortem aut locum.* (2.) Fundamentum (articulum symboli Judaici) decimum tertium esse resurrectionem mortuorum. Hotting. *Thesaur. Philolog.* pag. m. 79. Conferantur autores Hebræi, qui de hac materia scripserunt. Unde in precandi formula, qua Judæi sepulchra Israelitarum transeuntes uti solent, præter cætera ברוך אתה יי מחיה המתים *Benedictus sis Domine, qui vivificas mortuos.* Hic sibi multum blandiuntur Muhammedani, quasi præ
D aliis in Scholis eorum articulus perspicue traderetur. Ahmed. *pag.* 254. *Frequentior est explicatio de statu futuri seculi in Lege nostra, quam in Lege (Mosaica) & Evangelio.* Confer. *Histor. Orientalis* cl. Hottinger. pag. m. 158. Edward. POCOCK. *ad Spec. Arab. Not.* pag. 290. ex Algazalio. Quod attinet Gentiles, clarum est, nam Clemens Alexandrinus plura de resurrectione mortuorum ex Gentilium scriptis collegit testimonia. Tertullianus initio statim scripti sui *de Resurrectione* monet, *eam etiam seculis præsertim Platonicis ac Pythagoricis non ignotam fuisse.* Mittam quę de Platone Jeremiæ synchrono multi, sed perperam, de Pythagora Ju-
E dæo quod tradit Menasse ben Israel tract. *de Immortalitate Animæ*, illud vix controverti debet. Scriptores illos Gentiles saniores stricturas illas vel dispersis per orbem Judæis acceptas ferre vel translationi LXX. virali, Gentilibus non ignotum. De Democrito scribit Plinius, quod mortuorum resurrectionem crediderit: attamen eam doctrinam non e lumine naturæ hausit, sed vel ex ipsis sacris Libris, vel ex conversatione cum Judæis in captivitate Babylonica degentibus didicit. Refert enim Diogenes Laertius lib. IX. *de Vitis Philosoph.* eum studiorum causa in Persidem, ad Chaldæos atque ad Rubrum mare esse profectum. Vixit autem sub Xerxe Per-
F sarum Rege, a quo Judæi captivi detinebantur. Et de Germanis narrat Appian. Alexandrin. *de bell. Celtic.* lib. I. Germani sunt mortis contemtores propter spem reviviscendi, & addit Lindenbrogius: fama Germanos a vicinis populis cultioribus hanc opinionem accepisse, e naturæ siquidem principiis tam alta sapientia erui non potest, quod rationi videatur absurda & impossibilis.

§. VIII. Constat quidem Scholasticos & Meta-

phyſicos thema hoc, *An reſurrectio mortuorum ſit natura nota?* A in utramque partem ſpecioſis ventilaſſe argumentis; planior tamen & ſimplicior ſententia eſt, quæ ſtatuit, *Reſurrectionem ſolius naturæ ductu neque cognoſci poſſe neque demonſtrari;* ſiquidem Reſurrectio myſterium ſit ſupernaturale, luce verbi, Eccleſiæ V. & N.T. revelatum. Unde Auguſtinus: *Mortuum eſſe Chriſtum Pagani & inimici ejus norunt*, ſed fides de *Reſurrectione*, *Chriſtianorum propria eſt*. Ita Maimonides cum cæteris Judæis hunc articulum refert inter נמנעות אצל הטבע *naturæ impoſſibilia*, at לא נמנעות בחק הבורא *reſpectu Creatoris nequaquam impoſſibilia*, ut loquitur Joſeph Alb. *lib.* I. *cap.* XXII. B Abarbanel eum adſcribit לסתרי תורה *arcanis Legis*. Hinc qui ſolius corruptæ naturæ ductum ſequuntur Ethnici, de hoc articulo impie ſunt locuti. Morti obnoxios eſſe omnes homines, viderunt quidem & illi, at, cum ad Reſurrectionem ventum eſt, videtur λυρώδης λόγος, *Act.* XVII. 32. Plin. lib. II. *Hiſtor. Natur.* cap. VII. & lib. VII. cap. LV. vocat *puerile deliramentum*. Sic Cæcilius apud Minutium in *Octavio*: *Chriſtiani aniles fabulas adſtruunt, renaſci ſe ferunt poſt mortem, & cineres & favillas, & neſcio qua fiducia mendaciis ſuis credunt*. Scripſit & Johannes Philoponus orationem, qua, ut loquitur Phot. in *Bibl.* C pag. 6. τὴν τῶν σωμάτων ἀναιρεῖ. Πολλά τε ἀπεριοσκέπτως λέγει ἐπιχλευάζων καὶ τοὺς μακαρίους, ἁγίους πατέρας ἡμῶν; cui doctum oppoſuit ſcriptum Theodoſius Monachus, teſte eodem Photio.

§. IX. Certum quidem eſt lumine naturæ multa poſſe erui, quæ ad poſſibilitatem demonſtrandam faciunt. Quo pertinent ſimilia ex natura petita ab omnibus, quæ Reſurrectionem mortuorum admittunt, nationibus, Judæis, Chriſtianis, & Muhammedanis. Judæi in Codic. *Sanhedrin*, c. II. Sect. IV. *Cæſar Gamalielem ſic affatus eſt. Dicitis mortuos reviviſcere. Atqui in pulverem rediguntur. Pulvis igitur vitam accipiet?* D *Suſcipit ejus filia: Omitte illum, & ego illi reſpondebo. Sunt apud nos, inquit, duo figuli, quorum unus ex aqua, alter ex argilla vaſa effingit, uter tibi horum videtur præſtantior? Qui ex aqua fingit, retulit ille. Tum illa: Ex aqua finxerit Deus hominem,* (ita enim voceni אדמה, unde Adam defumtus eſt, explicant. Vid. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti* c. I. Sect. I.) *& non multo magis ex luto? Familiares R. Iſmaelis. Si vitrum, quod ſpiritu hominis ducitur & formatur, fractum reparari poteſt, homo Spiritu Dei conditus quanto magis? Hæreticus quidam R. Ammia ſic adortus erat: Mortuos reviviſcere prædicatis, qui in pulverem rediguntur. Numquid pulvis vivet? Cui ille:* E *Rem tibi hac parabola explicabo. Rex quidam juſſerat a ſervis ſuis palatium in loco, qui aqua & limo careret, extrui. Factum. Eo collapſo juſſit id reædificari in loco, ubi utriuſque erat copia. Negant ſe poſſe. Tum ille iratus: Quum abeſſet aqua & limus, potuiſtis: nunc cum utrumque adſit, non poſſitis? Si non credis, exi in convallem & aſpice murem, qui hodie partim caro eſt, partim terra; craſtino generationis celeritate totus caro eſt*. Cæterorum opiniones adductas vide apud cl. D. Hottinger. diſſert. *de Reſurrectione mortuorum*, pag. m. 7. 8. & 9.

§. X. Alii tertiam cauſam tam celebris inter Gentiles de Reſurrectione opinionis voluerunt addere, F nempe Revelationem a Dæmone patefactam. Quod veroſimile ſit, cum viderit Diabolus mentis ſagacitatem eo uſque non adſcendere, ut e natura, alio remedio deſtituta, doctrinam hanc perveſtiget, ipſe ſicut multa alia hominibus ſingulari ratione indicaverit, & aperuerit, quo eo firmius illos ſibi devinciret. Nam ſi docuit illos modum & rationem colendi Idola, procul dubio addit promiſſionem compenſationis non ſolum intuitu temporalium, ſed etiam aliorum & quidem meliorum bonorum poſt mortem expectandorum. Quod declarant a poſteriori: Si ſcilicet Dæmon Gentiles tantum varietate ceremoniarum, & quidem ſatis oneroſarum defatigaſſet, non addito futuro poſt vitam hanc mortalem præmio, utique in tanto eos officio tamdiu non continuiſſet, niſi ſubinde ſpem alterius vitæ illius injeciſſet. Verum quantumvis ratione primi principii poſſit tertia quædam cauſa conſtitui, attamen, quia ſucceſſu temporis doctrina iſthæc ad poſteros propagata eſt, ideo illa annumerari poteſt Traditioni.

CAP. IX.

De Morte.

§. I. MORS, ut Plato in *Gorgia* ait pag. 357. & Plutarchus ex eo lib. *de Conſolat. ad Apollon.* pag. 121. nihil aliud eſt, quam rerum duarum, animæ ſcilicet, & corporis, a ſe invicem diſſolutio. Quod etiam ſtatuit Ariſtoteles in lib. *de Vita & Morte*. Animus hic non eſt diſputare de natura mortis, cum id ſcientiæ naturali competat, id ſaltem dicam, quod ſecundum ſtatum naturæ mors ſit ſenibus non violenta, contra quam adoleſcentibus: Cicero in *Catone Majore*: *Adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: Senes autem, ſicut ſua ſponte, nulla adhibita vi conſumtus ignis extinguitur, & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur, ſic vitam adoleſcentibus vis aufert; Senibus maturitas*. Et huc tendunt, quæ habet Origen. *lib.* II. *cap.* II. *Tria ſunt genera mortis: Acerba, immatura, naturalis. Acerba infantum, immatura juvenum, naturalis ſenum*. De morte ſic loquuntur Ethnici, ut dicant, eam eſſe tranſitum ad meliorem vitam: & quo metum iſtius demerent hominibus, philoſophati ſunt quod mors ſomno ſit ſimilis. Xenoph. lib. VIII. p. 237. *de Expedit. Cyri*; hinc Diogenes Cynicus mortem vocat ſomni fratrem. Nam cum paulo ante vitæ exitum ſomnus eum obruiſſet, Medicus vero eum excitaſſet, quæſiſſetque, num gravius quippiam ipſi accidiſſet? dixit, *Nihil, frater fratri antevertit ſomnus morti*. Plutarch. *de Conſol. ad Apollon.* pag. 107. Homer. *Iliad.* ξ. *Occurrebat vero ſomno mortis frater*. Id intellexit Georgius Leontinus, qui cum ſenio confectus & adverſa valetudine correptus in ſomnia prolaberetur dixit: *Jam me ſomnus incipit ſuo fratri tradere*. Ælian. lib. II. cap. XXXV. pag. 74. *Variar. Hiſtor.* Ita quoque Virgil. lib. VI. *v.* 278. *Æneid.* ſomnum vocat conſanguineum lethi, id eſt, fratrem mortis, interpretante Cerda *ad dict. leg.* fol. m. 646. Pauſan. *lib.* V. pag. 297. recenſet, ſe ſimulacrum vidiſſe Mortis & Somni: *Fœmina, ait, exſpreſſa eſt puerum conſopitum dextera album tenens, nigrum ſiniſtra, & hunc dormientis effigie, diſtortis utrinque pedibus. Indicant Inſcriptiones, eorum puerorum unum Mortem eſſe, alterum Somnum: mulierem illam Noctem, utriuſque nutricem*. Quod mors cum ſomno comparetur videri, poteſt Joh. Boys Angl. in *Expoſit. Evang.* fol. m. 63.

§. II. Alterum quod de morte Ethnicorum exponendum, eſt bona eorum opinio, quam habuerunt de morte: Nempe quod in morte nihil ſit mali, ſed potius ſecundum Æſchylum μέγιστον ἴαμα τῶν πολλῶν κακῶν, *maximum remedium multorum malorum*. Seneca lib. VI. cap. XXXII. pag. 673. *Natur. Quæſt.* Et ideo Mors dicitur ἰατρὸς τῶν μόλων, *Medicus malorum*, & portus adverſarum tempeſtatum. Plutarch. *de Conſolat. ad Apollon.* pag. 106. Senec. cap. XIX. pag. 176. *de Conſolat. ad Marciam.* Sunt qui mortem diſceſſum animi a corpore eſſe di-

cunt. Epicurus nullum cenſet fieri diſceſſum, ſed ut ἄθεος, una cum corpore interire. Quidam autem diſcedere cenſent, inquit Cicero. Conf. *in M. Annæ. Lucan. lib.* III. *Explanat.* Lambert. Hortenſ. Montfort. viri doctiſſimi, fol. m. 288. Mors omnium dolorum & ſolutio eſt. Vid. Stob. *Serm.* CXVII. fol. m. 600. & finis, ultra quam mala noſtra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam naſceremur, reponit. Idipſum confirmat Johan. Stobæ. *de Fortitudine* Sermone, fol. m. 90. Πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις τοῦ βίου θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις ἑαυτὸν καθείρξας τηρῇ, δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ᾽ ὃ ἂν ὁ Θεὸς διδῷ γενναίως. *Mors quidem hominibus eſt vitæ terminus, etiamſi quis incluſum in cavea ſeſe ſervet, oportet autem bonos viros ſemper omnia bona capeſcere, bona ſpe fultos, & ferre interim quicquid Deus dederit fortiter.* Hinc etiam in Scriptura τελευτὴ obitum denotat, *Matth. c.* II. *v.* 15. quaſi τελετὴ *initiationem* ad vitam æternam. Bucan. inquit, quod ſignificet extremum cujuſcumque rei obitum ſeu exitum, ſeu Mortem, metonymice, quia mors eſt

—— *Ultima linea rerum.*

Et mors vocatur τέλος, non quod omnia in morte, & cum morte finiantur, quia etiam de Chriſti morte hæc appellatio uſurpatur, *Joh.* 13. 1. Sed quia terrenæ ac mortali huic vitæ, ac mundanæ converſationi finem imponit. Gerhard. in *Loc. Comm.* Conf. Eduard. Leigh. equit. L. A. M. Præpoſit. Aulæ Magdal. Oxon. *Crit. Sacr. N. T.* fol. m. 327.

§. III. Hinc magni viri Gentilium mortem exoptarunt, uti refert Stob. fol. m. 90. *Serm.* VII. de Cleanthe, qui aliquando ægrotus, cum meliuſcule haberet & cibum ei Medicus adhiberet: *Tu vero me, inquit, vis majore parte vitæ ſuperata reverti* Imo pro ſtultitia habuerunt timere mortem, teſte Stobæo *Sermone* CXVII. de morte, fol. m. 599. ubi hæc leguntur verba:

Θνητὸς πεφυκὼς, μὴ δ᾽ εὐλαβοῦ τεθνηκέναι·
Τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον, λῆρος πολύς.
Πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ᾽ ὀφείλεται παθεῖν.

Id eſt:

Cum ſis natus mortalis, mori ne timeas.
Metuere enim mortem, magna ſtultitia eſt.
Omnibus enim nobis hanc pati fatale eſt.

Mors enim nihil terribile, alioqui & Socrati viſa foret: ſed ipſa opinio ſolum de morte terrorem incutit: itaque cum Socrates occidi deberet, ad judices dixiſſe fertur, teſte Tullio: *Magna me ſpes tenet, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem.* Gorgias Leontinus, ut ſupra, jam vicinus morti, viribus deficiens, ſenſim in ſomnum delapſus jacebat, & ſi quis ipſum ex familiaribus interrogaret, quid ageret, reſpondebat: *Jam ſomnus incipit me fratri ſuo tradere.* Plura collegit Stobæ. *Sermon.* CXVII. fol. m. 600.

§. IV. Tertio contemtum mortis hominibus ſuggerebat vitæ faſtidium, ut maluerint hodie quam alio tempore mori. Seneca in lib. *de Provident.* p. 204 *Contemnite mortem, quæ vos aut finit aut transfert.* Et lib. II. c. LIX. p. 568. *Natur. Quæſt. Contemne mortem, & omnia, quæ ad mortem ducunt, contemta ſunt, ſive illa bella ſint, ſive naufragia & ſimilia. Numquid amplius facere poſſunt, quam ut corpus ab anima reſolvant.* Optime iterum Stobæus *loco citato: Quod natura ligavit, id ſolvit natura: & quod anima ligavit, id ipſa rurſum ſolvit. Ligavit autem natura corpus in anima: anima ſeipſam in corpore. Natura igitur corpus ab anima ſolvit: anima vero ſeipſam ſolvit a corpore.* Perpendite quæſo verba Agis Lacedæmoniorum, qui interrogatus, quo pacto quis libertatem ſuam tueri poſſet? reſpondit: *Si mortem contemſerit.* Plutarch. in *Lacon. Apophthegm.* pag. 216. Simili modo Ageſilaus cuidam percontanti, qua ratione quis eximiam ſibi pararet gloriam, reſpondit: *Si mortem deſpiciat:* Plutarch. *dicto loco* p 212. Quibus conſentit laudatus Stobæus de Socrate ex Platone loquens *Sermon.* VII. fol. m. 95. ubi ita ſcribit: Τὸ γάρ τοι θάνατον δεδιέναι, ὦ ἄνδρες, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δοκεῖν σοφὸν, εἰ δὲ μὴ ὄντα. δοκεῖν γὰρ εἰδέναι ἐστὶν, ἃ οὐκ οἶδεν. Id eſt, *Nam mortem timere, o viri, nihil eſt aliud, quam ſapientem videri eum, qui non ſit ſapiens. Quippe cum id ſit, ſcire videri quæ neſciat.* Neque enim judicio, neque in bello vel mihi vel alteri, omnia quibus vitemus mortem, ſunt facienda. Igitur voluerunt Gentiles, ut mortem non timerent, ſed alacri animo ei obviam irent, quod crudelius ſit ſemper timere mortem, quam mori. Senec. lib. III. *Controv.* V. p. 354.

§. V. Quarto ſaluberrimum quoque fuit monitum, quo hortabantur alios ad aſſiduam mortis meditationem, quacumque in ætate, aut quonam in loco eſſent conſtituti, ut parati ſint naturæ & fatis concedere. cap. VI. *de Provid.* pag. 204. Pythagoræ monitum fuiſſe dicit Stobæ. *Homo quocumque in loco fueris, mortem cogita, ſic illam, cum advenerit, nec timebis, nec moleſte feres:* mortem namque non extimeſcendam eſſe docuit quoque Zamolxis apud Jambl. lib. I. cap. XXX. pag. 155. *de Vita Pythagoræ.* Syllus unus e Pythagoreis dixit ad ſuos: *Quo eo, quo conſiſto, recordor mortis: quæ contemplatio ſic obfirmat animum, ut mori mihi non fuerit difficile.* Huic diſſertationi non abs re annecto antiquum morem, quo in conviviis inter ſe recordari ſolebant mortis. Olim in epulis apud Ægyptios, unus aliquis cadaver ligneum, ſed quod quam proxime ad verum accedebat, ſingulis oſtendens dixit; *In hoc intuens pota, & oblecta te, talis poſt mortem futurus.* Eleganter de hoc more egit Camill. Andocian. lib. IV. cap. XVI. p. 308. *Theol. Gentil*

§. VI. Quintum quod explicare lubet, eſt, quod Mors credita fuerit Inferorum Satelles, ſummæ potentiæ & inevitabilis neceſſitatis. Nemo enim, cujuſcumque etiam ſit conditionis, mortem evitare poteſt: ut proinde non inepta ſit proclamatio Fabii Quintil. *Decl.* IV. *O mors laudanda fortibus, expetenda miſeris, non recuſanda felicibus.* Cui calculum addit Stobæ. *Sermon.* CXVII. fol. m. 599. ubi hæc leguntur verba:

Μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ·
Οὔτ᾽ ἄν τι θύων οὔτ᾽ ἐπισπένδων νάοις·
Οὐ βωμός ἐστιν, οὐδὲ παιωνίζεται·
Μόνου δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.
Ληϊστοὶ μὲν γάρ τε βόες καὶ ἴφια μῆλα,
Κτητοὶ τε τρίποδες, καὶ ἵππων ξανθὰ κάρηνα,
Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν, οὔτε ληϊστὴ
Οὔθ᾽ ἑλετὴ, ἐπεὶ ἄρκεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.
Ἀτραπὸν εἰς ἅδεα ἰοῦσα,
Τὴν οὔπω τὶς ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης;
Τοῦτο κεν εἰς ἀΐδαν, κενεὰ ξυνήχεται ἀχὼ
Σιγὰ δ᾽ ἐν νεκύεσσι. τὸ δὲ σκότος ὥστε κατέρρει·
Πάντα γὰρ μίαν ἱκεῖται λαπῆδα χάρυβδιν,
Αἱ μεγάλαι ἀρεταὶ, καὶ ὁ πλοῦτος.

Mors enim ſola Deum non amat munera: nec ullus ei ſacrificat, aut libat in templis. Nullam habet aram, non celebratur hymnis. Sed ab ea dæmonum ſola aliena eſt ſuadela. Phnoxii prædæ ſunt boves, & pinguia pecora, Et tripodes acquiri poſſunt, & equorum flavicoma capita: At hominis anima, ut redeat, neque per prædam, nec aliter capi poteſt, ubi ſemel emigraverit e valle dentium. Iter feci ad inferos, per

quod nullus retrorſum viator redit. Nihil ad inferos, quam ſonus tranſit inanis. Silentium inter umbras eſt, & oculis offunduntur tenebræ. Omnia perveniunt ad unam voraginem diram, Et magnæ virtutes & divitiæ. Et paulo poſt de morte loquens ita ſcribit.

Πάντες ἴσον νέκυες, ψυχῶν δὲ Θεὸς βασιλεύει.
Κοινὸς χῶρος ἅπασι, πένησί τε καὶ βασιλεῦσιν.

Omnes ex equo morti obnoxii ſunt: animos autem Deus regit. Communis omnes locus manet tum pauperes tum reges. Immortalitas comparari non poteſt, ne ſi collegeris quidem infinita talenta, quot habuiſſe Tantalus fertur. Sed morieris, eaque relinques alteri.

§. VII. Mors dicitur inferorum ſatelles, quod omnes mortales ad Acherontem fluvium trajiciendos deducat, & ideo non inſcite dux ad infernum dicitur. Hanc Veteres colebant ut Deam ſeu Deum. Plutarch. in *Vita Cleomenis* refert, quod templa erexerint Lacedæmonii *Morti & Timori*, quæ θανάτῳ ἱερὰ Alexander ab Alexand. cap. XIII. lib I. fol. m. 41. *Genial. Dier.* vocat. Ad quem locum Andr. Tiraquell. annotat, quæ verba huc adſcribam: *Eſtque hymnus morti apud Orpheum, qui ei thure ſacrum facit. Sed & alii mortem Deam ſive Deum mutaverunt: & inter cæteros.* Virg. lib. XI. *Æneid.*

Multa bonum circa mactantur corpora Morti,
Setigeroſque ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

Ubi Servius ex Lucano & Statio Papinio. Mortem præterea unam e Parcis nominatam tradidit Caſelius Vindex in ſuis *Antiquis Lectionibus*, referente Gellio, *lib.* III. *cap.* XVI. Laurentius Pignorius in *Antiquitat. Græc.* lib. II. pag. 216. refert, ſe vidiſſe deſcriptionem Templi pervetuſti in honorem mortis dedicati, ut & iſtius imaginem. Templum erat rotundum & mediocris altitudinis, in quo nullum erat altare, ſed multa ſimulacra viri aridi, ſpiculum manu tenentis. Natal. Comes lib. III. cap. XIII. pag. 231. *Mythol.* dicit: *Mortis imaginem fuiſſe indutam veſte ſtellata, ſed quæ fuerit atri coloris.* Quod Mors pro Dea habita fuerit, id indicat Statius Papinius lib. IV. *Thebaid.* v. 278.

In ſcopulis Mors ſæva ſedet,

Hæc omnium duriſſima Dea, quæ maxime implacabilis habebatur. Quamquam Voſſius lib. III. cap. XX. pag. m. 821. *Idol.* dicat, & ut ſupra allatum, Orpheum canere, & Morti fuiſſe ſacrificatum manna thuris, & Virgil. lib. II. *Æneid.* v. 197. Quamvis alii dicant non Morti, ſed in honorem mortuorum ſacrificia eſſe facta, uti Cerda *ad Virgil.* pag. 373. Id tamen certum eſt, cum Numen implacabile eſſet, nullam fuiſſe aram conſtitutam, excepta una apud Gaditanos, teſte Euſtathio *ad Homeri Iliad.* IX. Et hæc de Morte.

CAP. X.

De Statu corporis poſt mortem.

§. I. POSTQUAM corpus ab anima disjunctam, quævis pars certum occupavit locum. Et de corpore fuerunt ſolliciti Gentiles, ut vel putredine vel igne in ſua reſolverentur principia, licet quidam inter illos ſtuduerint conſervare. Imo nonnulli Gentilium ſtatuerunt, jus ſepeliendi mortuos a natura trahere ortum. Ælian. *lib.* XII. ait: *Mortuum condi ipſa imperat communis natura.* Atque hoc juris gentium eſſe, imo ipſius naturæ, docet Petr. Faber. lib. II. cap. I. p. 8. *Semeſtr.* Cui conſentit Johan. Kirchman. in tract. *de Funerib.* pag. m. 456. ſic ſcribens: *Sepulturas eſ-* A *ſe ex jure quidem non ſcripto, ſed omnibus ſcriptis certiore*, teſte Senec. lib. II. *Controverſ. Affectus noſtri in noſtra poteſtate non ſunt, Quædam enim jura non ſcripta, ſed omnibus ſcriptis certiora ſunt. Quamvis filius familias ſim, licet mihi & ſtipem porrigere mendico & humum cadaveri.* Et ſic etiam ad hoſtes ſe extendit: de quibus videri poſſunt Alber. Gentil. lib. II. cap. XXIV. pag. 459. *de Jure Belli*, Joh. Kirchman. *de Funerib.* p. m. 457.

§. II. Verum miſſis hiſce ad ſcopum propius accedimus & dicemus, quod potiſſimum duplex corporis poſt mortem fuerit ſtatus, ſcil. *Humationis & Combuſtionis*: dixi potiſſimum, me namque non B fallit, & alia in conditione corpus humanum fuiſſe conſtitutum, Mos humandi ſeu terra obtegendi cadaver hominis perantiquus eſt, fuitque tempore Cecropis primi Athenienſium Regis in uſu, cujus Cicero lib. II. *de Legibus* meminit. *Nam & Athenis jam illo more a Cecrope, ut ajunt, permanſit hoc jus terra humandi.* Atqui Cecropem hunc Athenis *in Minervio terræ mandatum* ex Antiocho refert Arnob. lib. VI. *adverſ. Gentes.* Et ut plurima alia teſtimonia prætercam, inter inferioris ævi ſcriptores humationis Græcanicæ meminit Petron. in *Satyr.* de matrona Epheſina loquens, & Phlegon Trallian. περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων.

C §. III. Quod attinet Combuſtionem, Græci ſolebant igne comburere mortuos, cujus ritus initium ad Herculem referunt a quo Argeus Licymnii filius hoc modo ſit ſepultus. Conf. Euſtath. *Iliad.* α. Quicquid ſit, ſive Herculem, ſive alium Crematio habeat autorem, hoc conſtat, Troicis temporibus illam apud Græcos fuiſſe uſitatiſſimam, ſi modo fides habenda ipſorum Poetis, quorum teſtimonia cuivis ſunt in promptu. Meminit & Thucydid. *lib.* II. ubi de peſte quæ ſua ætate Athenas infecerat, quem locum citatum vide apud Johan. Kirchman. *de Funerib.* pag. m. IV. Cujus rei teD ſtem facio Platonem, apud quem Socrates venenum hauſturus ſic loquitur in *Phædone*; ἵνα Κρίτων ῥᾷον φέρῃ καὶ μὴ ὁρῶν μου τὸ σῶμα ἢ καιόμενον ἢ κατορυττόμενον ἀγανακτῇ ὑπὲρ ἐμοῦ, ὡς δεινὰ ἄττα πάσχοντος. Hoc eſt, *Ut Crito facilius ferat & videns corpus meum, aut comburi aut humo mandari, meam vicem minime indignetur, quaſi acerba quædam paſſus fuerim.* Arguunt idipſum non obſcure veterum Philoſophorum de utroque ſepulturæ genere diſcordes ſententiæ, quas Servius *in lib.* II. *Æneid.* annotavit. *Heraclitus, qui omnia ex igne conſtare voluit, dicit, debere corpora in ignem reſolvi.* Conf. citatum Kirchmann. ubi plura habentur. Andr. E Tiraquell. *Annot. ad Alexand. lib.* III. *cap.* VII. fol. m. 228. & fol. 301. 202. Eli. Schedi. *Diis German.* cap. XLVII. pag. m. 445.

§. IV. Romani & combuſſerunt & ſepeliverunt, Sepeliviſſe cadavera Romanos Tacitus lib. XVI. *Annal.* luculenter teſtatur. Et Diogen. Laert. lib. IX. in *Vit. Pyrrhon.* pag. m. 684. Ægyptii condientes, Quamvis antiquiſſimum ſepeliendi ritum apud Romanos uſitatum fuiſſe doceat Cicero lib. II. c. XXII. pag. 231. *de Legibus. At mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur; redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obduci-* F *tur. Eodemque ritu eo ſepulchro, quod procul ad fontis aras, Regem noſtrum* Numam *conditum accepimus: Gentemque Corneliam uſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe uſam.* Quod autem Cicero Numæ ſepulti mentionem fecerit, id e Plutarcho in *Vita Numæ* pagin. LXXIV. plenius cognoſcere licet. Refert Hiſtoricus hæc ſequentia. Corpus ex præcepto ejus, ut fama eſt, non cremaverunt, verum duas arcas lapideas fecerunt, quas condiderunt

runt ſub Janiculo. Quarum in una cadaver ejus poſitum fuit, in altera libri ſacri, quos ipſe, ut in Græcia Legum ſcriptores tabulas, conſcripſerat, & quæ in iis expreſſa erant, quia ea tradiderat, cum viveret Pontificibus, omniumque arte & ſenſu imbuerat eos, ſacras tabulas una cum corpore juſſit humari, cenſens non tuto arcana mortuis committi literis. E quibus videmus Romanos & humaſſe & combuſiſſe mortuos: hoc tamen peculiare eſt, mortuos infantes, quibus nondum erant dentes nati, non fuiſſe crematos, ſed humatos. Teſtimonium habemus in Plinio lib. VII. cap. XVI. pag. 119. *Natur. Hiſtor. Hominem prius, quam genito dente, cremari, mos gentium non eſt.* Confer. Johan. Kirchman. *de Funeribus* pag. m. 11. Unde Juvenal. *Satyr.* XV.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi.

Locus autem, ubi infantes hujuſmodi ſepeliebantur dictus fuit *Suggrundarium*. Fulgentius Placiades: *Suggrundaria antiquis dicebantur ſepulchra infantum, qui nec dum* XL. *dies impleſſent, quæ nec buſta dici poterant, quia oſſa, quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumeſceret.* Utitur eo Rutilius Geminus Aſtyanacte. *Melius ſuggrundarium quæreres, quam ſepulchrum.* De Fulguritis, ſeu qui fulmine tacti, idem Plinius *lib.* II. *cap.* LIV. ſcribit: *Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt: condi terra religio tradit.* Et Tertullianus, *qui de cælo tangitur ſalvus eſt, ut nullo igne cineſcat.* Sepultos autem fuiſſe eo ipſo in loco, ubi fulminis ictu perierant, diſcimus ex Artemidoro *lib.* II. *cap.* VIII. *ὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μετατίθενται, ἀλλ' ὅπου ἂν ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταληφθῶσιν, ἐνταῦθα θάπτονται.* id eſt, *Fulguriti non trasferuntur in alium locum, ſed ubicunque fulmine occupati, ibi & ſepeliuntur.* Quo pertinet ſcholaſtica illa lex Quintiliani *declam.* 264. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem ſepeliatur.*

§. V. Audiamus & proferamus etiam ritum ſepeliendi mortuos Septentrionalium. De priſco Sueonum ritu terræ mandandi mortuos Johannes Loccen. *antiquit. Sueo-Goth.* cap. XXV. pag. m. 111. ita loquitur: *Quod ad Sueo-Gothicum apud priſcos ſepeliendi vita functos ritum attinet, a primis temporibus mortuorum corpora humo condita creduntur* de quo ritu capite ſequente agetur. Nos interim progredimur ad alios populos, qui demortuos devorarunt, uti Scythæ, de quibus ſcribit Lucian. Tom. I. *p.* 744. quod ſuos devorent demortuos, cui conſentit Lambert. Hortenſ. Montfort. explanatio *ad lib.* VIII. *Annei Lucan.* fol. m. 7. ubi in hæc prorumpit verba: *Eſſedones læti funera parentum victimis celebrant. Eorum corpora laniant, & laniata cæſis pecorum viſceribus immiſcent, atque ita conſumunt. Capita vero pulchre expolita auro argentoque includunt, & iis poculorum loco utuntur.* Lucianus hinc in *Toxari* ex Scytharum more colligit, ipſos non eſſe amicitiæ ſtudioſos: *τεκμαιρόμενος*, inquit, *τοῖς τε ἄλλοις, ἃ περὶ αὐτῶν ἀκούομεν, καὶ ὅτι κατεσθίουσι τοὺς πατέρας ἀποθανόντας.* Tertullian. in *Apologet.* cap. IX. *Ajunt apud quoſdam gentiles Scytharum defunctum quemque a ſuis comedi.* De Ponticis populis idipſum memorat idem autor lib. I. *adverſus Marcionem* cap. I. Parentum cadavera cum pecudibus cæſa convivio convorant, qui non ita deceſſerint, ut eſcatiles fuerint, maledicta mors eſt. De Hiberniæ Inſulæ habitatoribus idem tradit Strabo *lib.* IV. Περὶ ἧς (Hibernia intellige) *οὐδὲν ἔχομεν λέγειν σαφὲς πλὴν ὅτι ἀγριώτεροι τῶν Βρετανῶν ὑπάρχουσιν οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν, ἀνθρωποφάγοι τε ὄντες καὶ πολυφάγοι τούς τε πατέρας τελευτήσαντας κατεσθίειν ἐν καλῷ τιθέμενοι*, hoc eſt, *De hac nihil certi habeo quod dicam, niſi quod incolæ ejus Britannis ſunt magis agreſtes, qui & humanis veſcuntur carnibus, & plurimum cibi vorant, & pro honeſto ducunt parentum mortuorum corpora comedere.* Alii non ſolum mortuos, ſed & ſaltem cum morbis graviuſcule conflictantes cæſos comedebant. Nam de PADEIS gente Indica, refert Herodot. *lib.* III. illos hunc morem, hancque habuiſſe conſuetudinem, ut quoties aliquis civium aliquave ægrotarit, virum quidem ſui maxime familiares interemerint: quod dicant illum morbo tabeſcentem carnes ipſas corrupturum. Non multum abſimilis, licet paulo mitior conſuetudo fuerit MASSAGETARUM & DERBICUM: de illis Strabo *lib.* XI. *Mortis genus optimum cenſent Maſſagetæ, ſi ſenio confecti, cum carnibus ovillis in fruſta concidantur, unaque devorentur: Qui e morbo decedunt, eos abjiciunt tanquam impios & indignos, qui a feris vorentur.* D. Hieronymus *adverſus Jovian. Maſſagetæ & Debrices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, jugulatos devorant, rectius eſſe ducentes, ut a ſe potius, quam a vermibus comedantur.* Strabo amplius annum addit, quem egredi ſenes ſuos Derbices non permiſerunt: *Qui*, inquit, LXX. *annum excesſerunt eos jugulant: carnes genere proximi abſumunt: vetulas ſtrangulant, inde ſepeliunt: qui intra* LXX. *annum moritur, non editur, ſed humatur.* Conf. Ælian. lib. IV. *Variar.* cap. I. De Maſſagetis vid. Herod. I. Theodoret. *de Legibus*, Chryſoſtom. *homil.* X. *in Matth.* Euſeb. *Præparat. Evangel.* lib. I. cap. III. Tertullianus *contra Marcion.*

§. VI. Hic iterum obſervandum, quoſdam fuiſſe, qui mortuos quidem comederint, *ſed excepto capite, quod inaurabant*: quem morem SIDONIBUS tribuit Zenobius *centur.* V. *Prov.* Οἱ Σιδῶνες, inquit, *τοὺς γονεῖς ἐσθίουσι, χωρὶς τῆς κεφαλῆς· τὴν δὲ κεφαλὴν χρυσοῦσι.* *Sidones parentes devorant, excepto, quod inaurare ſolent, capite.* Et de ESSEDONIBUS Herodot. *lib.* IV. Eſſedones porro talibus moribus uti feruntur: Quoties pater alicui deceſſit, omnes ejus propinqui pecora adducunt, quæ ubi mactaverunt conciderunt que, concidunt & mortuum patrem illius, a quo in convivium accipiuntur, commixtiſque omnibus carnibus convivium exhibent. Caput autem defuncti pilis nudatum purgatumque inaurant, eoque pro ſigillo utuntur, agentes illi quotannis majores hoſtias ceremoniaſque. Conf. Pompon. Mela, *lib.* II. & Solin. *cap.* XXV. HYRCANII & CASPII. De Caſpiis Strabo *lib.* XI. in hunc ſcribit modum: *Caſpii eos, qui ſeptuaginta amplius annos vixerunt, fame enectos in ſolitudinem ejiciunt: eminuſque ſpectantes, ſi a feretro detrahi eos ab avibus videant, prædicant beatos: ſin a feris aut canibus, non item infelices, ſi omnino non detrahantur, infelices.* Conf. Porphyr. lib. IV. *περὶ τῆς ἐμψύχων ἀποχῆς*, quia una cum Hieronymo de Hyrcanis idem profert. Vid. Joh. Kirchman. *de Funerib.* pag. m. 450. De BACTRIIS Strabo *lib.* XI. ex Oneſicrito refert: Eos ſenio confectos aut morbo correptos canibus projici. Hoc & affirmant Porphyr. *dict. lib.* & D. Hieronym. Quid proferam de IBERIS? de quibus Silius Italicus lib. II. *Punicor.* canit:

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera
Ex anima obſcœnus conſumit corpora vultur
Regia cum lucem poſuerunt membra, probatum
eſt
Hyrcanis, adhibere canes.

Quorum veſtigia premunt BARCÆI, cujus teſtis Ælian. lib. X. *Anim.* cap. XXII. Barcæi gens Heſperia, ex aliquo morbo mortuos ut muliebriter & ignaviter defunctos ad notandam mortis ignominiam, igni cremant. Eos vero, qui in

bello vitam amiserunt, ut summa virtute ornatos, vulturibus devorandos projiciunt, quod eas aves sacras esse existimant. Ad hanc classem etiam sunt referendi INDI, quos mortuorum corpora vulturibus objecisse autor est Sextus Philosophus lib. III. *Pyrrhon. hypoth.* cap. XIV. Tandem etiam hic ritus ad PERSAS pervenit, uti testatur Procop. *de bello Persic.* lib. I. Theodoret. serm. *de Legib.* Agathias *lib.* II. quorum loca vide apud Barnabam Brisson. lib. II. *de Persar. regno*, pag. m. 283. ad PARTHOS, veluti Justinus lib. XLI. docet.

§. VII. Fuerunt etiam Gentes qui demortuos suos in aquam & paludes projiciebant: quod PÆONES hoc fecerint tradit Laert. in *Pyrrhone*. ÆTHIOPES quoque, qui ἰχθυοφάγοι dicuntur, mortuos in paludes conjecisse, piscibus escam futuros, autor est Sextus Philosoph. *lib.* III. Hyperboreos vitæ saturos semetipsos in mare præcipitasse memoriæ mandavit Plin. *lib.* IV. *cap.* XII. Reperio etiam quasdam gentes *mortuos, interdum etiam vivos, ex arboribus vel patibulo suspendisse*: quem ritum COLCHIS tribuit Nicolaus *de morib. gent.* apud Stob Sermon. CXX. Ælian. lib. IV. *Var. Hist.* cap. I. Idipsum quoque de TIBANENIS narrat Porphyr. *loco citato*. Et cum hoc convenit Euseb. lib I. *Præpar. Evangel.* cap. III. Similem ritum quibusdam SCYTHIS Statius *lib.* XIII. attribuit, ita canens:

At gente in Scythica suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Non mihi temperare possum morem & ritum TROGLODYTARUM adducere, quibus morem esse ajunt, ut defunctum in aliquem collem adducant: deinde religato ejus capite ad pedes saxis non sine risu petant: cum autem aggere jactorum lapidum operuerint, discedunt, ut scribit Sextus Philosoph. lib. III. *Pyrrhon. Hypothes.* cap. XXIV. sed magis signate Strabo *lib.* XVI. quem vide. Ejusdem ritus etiam meminit Photius *Biblioth.* pag. 738. ex lib. V. Agatarchidis *Histor.* περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, cap. XXX.

§. VIII. Statuerunt quoque quidam corpora defunctorum a putredine servari: quod etiam suasit Democritus, de quo Varro: Heraclides Ponticus ait, plus sapit, qui præcepit, ut comburerent corpora, quam Democritus, qui scil. præcepit ut in melle servarent, sed quare in melle? quia, uti Plin. lib. XXII. cap. XXIV. pag. m. 481. *Natur. Histor.* ait, *Mellis natura talis est, ut putrescere corpora non sinat*. Conf. Johannes Kirchman. *de Funerib. Roman.* lib. I. cap. IX. pag. m. 41. Melle condita corpora defuncta Varro apud Non. *cap.* III. col. 614. memorat, de Democrito ita locutus. Verba paulo ante adducta sunt. LACEDÆMONII solebant corpora Regum procul a patria defunctorum in melle reponere, & ita domum reportare, cujus rei testis Xenophon lib. V. pag. 564. *de rebus Græc.* Ἐκεῖνος ἐν μέλιτι τεθεὶς, καὶ κομισθεὶς οἴκαδε, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς. Et loquitur de Rege Agesipolide, qui non procul ab urbe Olyntho mortuus, *in melle repositus & domum reportatus regia sepultura affectus est*. Id ipsum de Agesilao in Menelai portu inter Cyrenas & Ægyptum mortuo refert Diodor. Sicul. lib. XV. pag. 401. *Biblioth.* conf. *antiquitat.* Dieter. fol. m. 150. BABYLONIOS hoc ritu cadavera sua condidisse memoriæ prodidit Herodot. *lib.* I. pag. 83. & ex eo Joh. Kirchman *de Funeribus* pag. m. 41. ÆGYPTII condire mortuos soliti fuerunt, ut domi eos servarent, Cicero lib. II. *Tuscul. quæst.* testatur. Quam solens mos fuerit & quam increbuerit omni ætati antiquissima ea consuetudo, satis ex testibus a Dieterico in *Antiquitatibus Bibli.* adductis fol. m. 150. 151. seqq. patet, cujus etiam meminere Mela, Censorinus. Pomponius Mela, *de Orbis situ*, lib. V. pag. 19. *Arte medicatos mortuos intra penetralia collocant*. Censorinus *de Die Natali* cap. XVII. *Alexandriæ mortuos solent conservare*. Ptolomæorum Ægypti corpora hunc in modum servata fuisse notum ex Xiphilino *pag.* 64. Sic & Cleopatræ, Ægyptiorum Reginæ, corpus fuit conditum aromatibus differtumque odoribus solium, teste Floro, & longo tempore crypta ejus visebatur, referente Heraclio *epist. ad Sophoclem*, quam primus edidit Scioppius & ad finem *Priapejorum* suorum addidit, ubi sic legitur; *Apertum est Cleopatræ sepulchrum illius famosissimæ Reginæ, quæ cum Antonio imperium totius pene orientis tenuerat, ubi & corpus ejus juxta Antoninum collocatum aromatibus conditum illæsum usque ad nostra tempora per centum viginti quinque olympiades permanserat.*

§. IX. Solebant defunctos componere, qualis ritus apud Ebræos, referente Buxtorfio in *Synagoga Judaica* p. m. 699. fuit. Verba ejus hæc sunt: *Quamprimum animam egit, mortuo oculi clauduntur & os, corpus in terra reponitur linteo involutum, ejus vultus tegitur, nec ullus amplius vultum illius aspicere audeat, (dicunt enim hoc esse* קשה לשכחה *hoc est, inducere oblivionem & memoriæ obesse) candela cerea ad caput ejus ponitur, pollicem illi in manu incurvant, eo modo, ut hac incurvatione & manus complicatione sacrosanctum Dei Nomen* שדי *exprimatur: sic enim compositum mortuum, ne minimo quidem digito Satan tangere audeat. Pollicem vulgo fimbriarum, a palliolo tempore precum indui solito dependentium, filo annectunt; quia alioqui incurvus non maneret. Mortui enim manus & digitos semper extendunt, quasi innuentes, se mundum hunc mittere, nihilque in eo suum amplius reputare, ut contra*, &c. Apud scriptores verbum hoc duplici sensu accipitur. (1) quatenus idem est, ac corpus ad sepulturam vel combustionem præparare. Ita Drusus *ad cap.* V. *Act.* quod Græci dicunt συστέλλειν. Latini non inepte dicunt *componere*, quo verbo utuntur ad designandam præparationem hominis demortui, cum ultimi honores ei deferendi sint, quod alii reddunt aptare vel præparare ad elationem. Præprimis autem septem diebus domi illius corpus asservabatur, & curabatur: octavo die funus procedebat, & corpus incendebatur, nono sepeliebatur; & si qui Ludi in mortui honorem fierent, ab eo Novendiales sunt appellati, Gyrald. *de vario sepeliendi ritu*, & Guther. *lib.* I. *cap.* XVI. Membris omnibus, unguentis & odoribus respersis: tunc mortuus conclamabatur, ex Terent. in *Eunucho*, & ibi Donatus, & alii notant: *Desine, jam conclamatum est*. Nempe quia nihil habent reliqui ad longioris vitæ officia.

§. X. Facta conclamatione, dein albo, ut apud Hebræos, linteo corpus involvebatur & componebatur, ut notatur ad Persium *Satyr.* III. Mortuo sic composito in ipsius ore stipem ponebant, Charonti portorium & Naulum, quod est pretium solvendum pro vectura navis ei, qui navem exercet, *l. cum servos. §. fructus de Legat.* I. conf. Johan. Baptist. Casalius *de funeribus Rom.* fol. m. 346. Apulejus sic ait VI. *Metamorph. Hinc squalido seni dabis Nauli nomine de stipibus, quas feres alteram, sic tamen, ut ipse sua manu de tuo ore sumat*. Hinc Virgil. VI. *Æneid.*

Inops, inhumataque turba.

Nempe inops, quia Naulum persolvere non posset. (2) Componere etiam dicitur, quando ossa ac cineres, & vino & aliis odoribus, interdum & lachrymis persperfa ac irrigata in monumentum condebant. Dionys. Halicarnass. *lib.* VIII. hujus rei testis esse potest, sic scribens: *Deinde collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelso super eas multorum manu congesto, monumentoque*

insigni instructo. Eadem Sueton. in *Augusto* cap. C. A
Frequens autem vox *componendi* hoc sensu. Horat. lib. I. *Satyr.* IX. v. 28.

Omnes composui felices.

Ad quæ verba Johannes Bond pag. m. 468. annotat: *Componere dicitur, cum, peractis ritibus, jam supremo propinquorum munere ossa in urnam ponebantur*. Cicer. *in Verr.* act. I. *Itaque mihi videor, Judices, magnam & maxime ægram, & prope dispositam Reipubl. partem suscepisse*. Atque hinc factum ut *componere* pro *sepelire* accipiatur; veluti consentit Propert. *lib.* II.

Tu me compones & dices ossa Properti
Hæc tua sunt. B

Tacitus lib. I. *Histor. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus composuere*. Et Virgilius lib. I. *Æneid.*

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Confer Turneb. *lib.* X. *cap.* XI. & *lib.* XIX. *c.* XXVII. Non tamen cineres & ossa nude componebantur tumulo, sed vasculis quibusdam inclusa, quæ Latini *Urnas* vocant. De quo ritu Scholiast. Homer. *Iliad.* Δ: Οἱ ἀρχαῖοι, inquit, τὰ σώματα οὐκ ἔθαπτον ἐπὶ γῆν, εἰ μὴ πρότερον ἔκαυσαν, εἶθ' οὕτω τὴν τέφραν σὺν τοῖς ὀστέοις ἐχώννυον ἐν ἀγγείῳ τινὶ ἀποθέμενοι. Proprioque nomine hæ urnæ OSSUARIA C
dicebantur: Græcis ὀστοθῆκαι vel ὀστοδοχεῖα. Meminit & hujus vocis Ulpianus *de sepulchro violato leg.* II. Plura vide apud Johan. Kirchmanum *de Funeribus*, pag. m. 241.

§. XI. Nunc paucis considerabimus ritus circa defunctorum corpora usitatos. Peracto vitæ cursu, propinqui circumstantes morientis lecto adsidebant cum jam deficere videretur, ignemque amitteret & frigesceret, quo ultima illius verba attentiores exciperent: nam divino aliquo instinctu incitatus morientium animus credebatur, qui urgentibus fatis perfectiorem futurorum quandam prædictionem. Scriptores omnes verba illa quam maxime observarunt; (quem morem ipsi Judæi, & forsitan D
ab his Gentiles, habuerunt, teste cl. Joh. Buxtorf. in *Synag. Judaic.* cap. XLIX. p. m. 697.) inter hos Sueton. in *Augusto*, cap. XC. quem in osculis Liviæ & in hac voce defecisse tradit: *Livia nostri conjugii memor vive & vale*. Inter ultima morientis verba complexus & oscula fiebant: cum enim anima in summo quasi ore versari videretur, jamjam e corporis hospitio emigratura, amici & sanguine proximi, qui aderant, morientem solebant osculari & corpus ejus amplecti, donec animam exhalaret. Seneca *de brevit. vitæ*: *Cæsar Drusum in complexu & osculis suis amisit*. Vid. Auson. *Parental.* carm. E
XXIII. Id quod etiam Horat. Od. 36. lib. I. *Carm.* testatur pag. m. 85. Morem osculandi defunctos etiam confirmat Euripid. in *Phœniss.* *o charissime: quin os tuum* applicabo ori. Propert. lib. II. *Elegiar.*

Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

Ex quibus apparet non solum oscula fixisse moribundis, sed etiam jamjam in rogum ponendis. Vid. Johan. Kirchman. *de Funeribus*, cap. V. lib. I. pag. m. 24. ubi plura legi poterunt.

§. XII. Audiamus Heliodor. in *Erotic.* Προσαφῄρηταί με καὶ τὰ τελευταῖα περιβαλεῖν, ἐσχάτων φιλημάτων καὶ ἀψύχων ἀπεστερήθην, id est, *Erepta est* F
mihi facultas extremi complexus, ultimisque osculis & exanimis orbatus sum. Optabant autem hoc osculum morientibus gratum fore, somniantes, morientium animas per os quasi patulam quandam januam evolare, in ore vero velut in vestibulo diutius hærere, quod ægre a corpore divelleretur; in qua mora luctantis animæ pugnam consistere existimabant, propterea ut facilius & citius lucta absolveretur, animam eductam, & in summo quasi ore versantem, apposito hiatu excipere propinquos & elicere quodammodo debere osculando & os ori admovendo, quemadmodum prosaica & metrica Scriptorum testimonia evincunt. Stat. *Sylv.* I. lib. II. de Glaucia Atedii Melioris Delicato v. 171. seq.

Dilectosque premis visus, & frigida lambis
Oscula. ——

Unde & proverbio usurpatum, ut morti proximi *animam in ore tenere* dicantur. Germani vocant: *der God sitzet ihn auff der zungen*. Sic Antigona ad Herculem in Senecæ *Hercule furente*, v. 1310. fatur:

Hanc animam levem
Fessamque senio, nec minus quassam malis,
In ore primo teneo.

§. XIII. Eadem natura duce Hebræi morientes amicos osculari in Sacris leguntur. Ita Jacobus Patriarcha in osculis Josephi vivere desiit, *Genes.* cap. L. Verum quod a Sanctis ad contestandum pium mentis affectum in his amplexibus & osculis observabatur, illud ab Ethnicis ad exceptionem animæ emigrantis superstitiose admodum & vane usurpatum deprehendimus. Inde ortum est, ut, quos feliciter & beate mori significare volebant, eos in amicorum & charorum osculis exspirare dicerent. Sed præter adductam rationem alia adhuc hujus moris causa investigari licet. Nam si ad colligendum spiritum evolantem tantum egissent, moribundos tantum essent osculati: ast insuper certum est, uti supra dictum, exanimatis & jamjam in rogum ponendis cadaveribus inter Gentiles osculum imprimi solitum fuisse. Certior itaque vix causa adferri potest, quam quod ex hac vita migrantes, quasi abeuntes osculo dimittendos esse rati sint. Solebant enim Romani peregre profecturos, urbemque repetentes osculo excipere. Vide Kempis differt. XX. *de Osculis*, pag. m. 785.

§. XIV. Observabatur *Lotio* & *Unctura*. Nam simul quis animam efflasset, corpus ejus statim lavari solebat & ungi, hoc quoque ritu priscæ Græciæ, ut sunt plerique alii, cum Romanis communi. De lotione clarum ex Euripide, apud quem in *Phœnissis* Creon Jocasten accersit, ut filium suum mortuum lavet:

—— Ἐγὼ δ' ἥκω μέτα
Στέλλων ἀδελφὴν γραῖαν Ἰοκάστην, ὅπως
Λούσῃ, προθῆταί τ' οὐκέτ' ὄντα παῖδ' ἐμόν.

Hoc est, interprete Guilielmo:

Ipse ad sororem eo Jocastam, ut abluat
Cadaver illa filii atque collocet.

Qui mos etiam apud DARDANENSES obtinuit, teste Æliano lib. IV. *Var. Histor.* cap. I. ὅτι Δαρδανεῖς, inquit, τοὺς ὑπὸ τῆς Ἰλλυρίδος ἀκούω τρὶς λούεσθαι μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας. *Dardanenses Illyricos ter tantum lavari audio per universam vitam, post partum, & cum nuptias inirent, & post mortem.* Qui ritus apud Christianos etiam invaluit: infantum enim baptizandorum in primitiva Ecclesia capita, die viridium, qui ex eo *capitilavium* dicebatur, ablui consueverant, ne sordidati ad baptismum accederent, internæ mundationis memores, de quo Durandus lib. VI. *Rat.* cap. LXXXVI. Ast jam nobis de Gentilibus tractatio, & paucula de lustratione infantum adducemus, non quidem nostris, sed Persii verbis *Satyr.* 2.

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum: frontemque atque uda labella
Infami digito & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Dies, quo hæc peragebantur, dicebatur *luſtricus*, cujus quoque Sueton. in *Claud.* cap. VI. meminit, & quidem puellarum erat octavus; nonus puerorum, quo luſtratis nomina imponebantur, apud Græcos ſeptimum ei rei dicatum refert Ariſtotel. lib. VII. *Hiſt. Anim.* Confer. Tertull. *de Baptiſm.* Gregor. Nazianzen. *Orat. de Baptiſm.* Alex. ab Alex. *lib.* II. *cap.* XXV. Caſaubon. *ad Perſ. ſatyr.* II. Haut igitur abſurde Polydor. Virgil. *lib.* IV. *de rer. Invent.* cap. IV. ſtatuit, quod Gentiles hujus diei originem ab Hebræis traxerint. In nuptiis lotionem uſitatam fuiſſe, non ſolum Judæi, ſed & alii teſtantur populi. Apud Judæos Sponſa die, qui proxime nuptialem antecedit, frigida lavare tenetur, ita ut totum corpus aquæ immergat, vide *Synagog. Jud.* Buxtorfii cap. XXVIII. Apud Romanos ignem & aquam in limine poſitam cum Sponſa Sponſus tangere jubebatur, qua etiam nova nupta aſpergebatur; de quo ritu Varro *lib.* IV. conf. Briſſon. *de rit. nupt.* cap. IV. & Hottoman. *de antiq. nupt. rit.* Ultima lotio, cujus Ælianus *cit. loc.* meminit, eſt in luctu & funeribus. Et quidem apud Judæos corporis veſtiumque lotionem a luctu inhibitam ex Sacris quoque patet, II. *Samuel.* XIX. 24. & XII. 20. *Matth.* IX. 17. & pluribus perſecutus Buxtorfius *Synagog. Judaic.* cap. XXXV. Maxime vero ſolemnis erat defunctorum lotio, quorum corpora ideo lavabantur, quod ſi vitales ſpiritus eſſent ſopiti, nec extincti reviviſcerent, ut Cornel. Celſus in *præfat.* X. *libri* refert; & Servius VI. *Æneid.* inquit; *Quod videlicet plerumque putetur excluſus vitalis ſpiritus, qui calidæ aquæ ablutione, veluti ſopitus excitatur.* Confer. Johan. Baptiſt. Caſal. *de Funerib. Rom.* fol. m. 344. Fuit autem apud varios hic mos in uſu; ASSYRII lavantur in morte, Alex. ab Alex. lib. IV. cap. XX. *Genial. Dier.* JUDÆI ſtudioſiſſime abluunt mortuos, ut purus nimirum ſit, cum peccatorum reddenda ratio, quod pluribus perſecutus eſt Maimonid. in tract. *de Luctu* cap. IV. & Chriſti Salvatoris corpus non modo unctum, ſed & ablutum docet Chryſoſtom. *Homil.* LXXXV. Paria TURCÆ obſervant, Schweig. *Itin. Terræ Sanctæ* pag. 199. quam lotionem ſepulchralem pluribus pertractarunt, Roſinus, Menochius, Caſalius & alii a D. Martin. Gejero citati *de luctu Hebræor.* cap. V. §. 7. Et apud Indos hodie viget ſuperſtitio, Gangis aquam animabus mederi, unde mortuos ad genua in eaſdem demergunt in peccatorum remiſſionem, Hier. Mag. lib. IV. *Miſcell.* cap. X. Ad Romanorum ædes funeſtas vas erat poſitum, unde ſe quiſque aſpergeret, qui ad exequias venerat, Pollux *lib.* VIII. *cap.* VII. quod Græcis uſitatum Homeri teſtimonio *Odyſ.* II. patet, ne ſcil. contaminaretur imprudens, defuncti ædes ingreſſus.

§. XV. Ad *Uncturam* nunc accedo, qui ritus, teſte Oizelio *ad Minuc. Felic.* pag. 61. antiquiſſimus, videturque ab Ægyptiis originem traxiſſe, ex horum enim ritu in Sacra Pagina legitur, Joſephum את עבריו את הרפאים *ſervis ſuis Medicis* (pollinctoribus) præcepiſſe, ut patrem Jacobum vita functum, aromatibus condirent. Corpora enim demortui aromatibus, myrrha, caſia, ſale, bitumine, & ſi quæ fuere alia condimentorum genera, complebantur. Vocanturque a Moſe, qui officio huic præerant רפאים *Medic.* a רפא quod nomen participiale eſt verbi רפא *medicari, ſanari*, radicem vide in Eduard. Leigh *Critic. Sacr. V. T.* fol m. 229. Medici autem hic vocantur, qui curandis funeribus præerant. Et non ſine cauſa hoc officium Medicis tributum, quia teſte Mercero *in hunc loc.* pag. 740. illi rationem aromatum noſſent, quæ ad corpus condiendum & tuendum a putredine eſſent accommodata. Et Muſculus: Qui hic Medici vocantur, pollinctores proprie & Libitinarii dicebantur, quemadmodum etiam Septuaginta verterunt. Id ſane conſtat, fuiſſe apud Ethnicos certos quoſdam ac deputatos homines, qui mortuorum cadavera condirent, & hi vocantur libitinarii & pollinctores, quam poſtremam vocem nonnulli idem eſſe putant, quod pollutorum unctores. Talia autem dubito an ſint dicenda de Medicis Joſephi, quibus titulus *Rophe* tribuitur, cum tamen fuerint pollinctores, qui corpora mortuorum condiebant; imo ſimul, ut Menoch. *Comm.* pag. 74. placet, funeratores, qui corpora involvebant & humabant; hinc LXX. Interpretibus dicti ſunt ἐνταφιασταὶ, cujus verbum ἐνταφιάζειν notat corpus ad ſepulturam componere, &, ut preſſius in rem præſentem exprimam, corpus defuncti aromatibus condire, & conditum ſepulchro condere Aug. Steuchus *fol.* 145. *Nihil diſſentit ab Hebraico*, ſervis ſuis Medicis. *At LXX. longe diverſius ἐνταφιασταῖς, quæ vox, ut arbitror, ſignificat eos, qui cadavera ſepeliunt.* Si reſpicimus ad propriam ſignificationem, eſt entaphiaſtes idem ac funerator; ſicut ἐνταφιάσαι, *funerare, ſepelire*, de quibus pluribus egit Dieter. *Antiquit. Bibl.* fol. m. 146. 147. ſeqq.

§. XVI. Ab his ritus promanavit ad Hebræos, ab Hebræis ad alias nationes, ut in *Geneſ.* cap. L. De quo etiam Plato in *Phædone* inquit; *Corpus ſervatum, & rebus quibuſdam ad durationem curatum (quemadmodum in Ægypto faciunt) incredibile quoddam tempus ferme integrum manet, quia etiamſi putreſcat, tamen nonnullæ corporis partes, oſſa videlicet, & nervi, atque ſimilia (ut ita dicam) immortalia permanent.* Ac etiam Herodot. *lib.* II. idem refert de Ægyptiis, diſtinguens tria condimentorum genera juxta perſonarum conditiones. Et Tacit. *lib.* V. teſtatur Hebræos non comburere cadavera, ſed illa ſecundum morem Ægyptiorum unguentis condire conſueviſſe. De unctura Plin. Secund. *lib.* V. *epiſt.* XVI. ſcribit: *Non poſſum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim, quum audivi, Fundanum ipſum præcipientem, quod in veſtes, margaritas, gemmas fuerat irrogaturus, hoc in thura & unguenta & odores impenderetur.* Alluſit hunc ritum Martial. lepidum hinc dicterium trahens in hominem, qui convivas affatim exterius, ſed non interius perfuderat, *epigr.* XII. *lib.* III.

Unguentum fateor bonum dediſti
Convivis, here: ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt, bene olere & eſurire;
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

Confirmat etiam hoc Julius Firmicus *de errore profan. religion. Unguentum reſerva mortuis, uſque morituris.* Arnob. *l.* V p. 98. Deum mater genitalia illa defecta, priuſquam veſte velaret ac tegeret, lavit utique balſamis atque unxit. Imo unguenta in funeris cauſa jure civili computantur, *l. funeris. D. de relig.* ut ſi odores & unguenta ſervus emerit, & ad funus erogaverit, quod ad Dominum ſuum pertinebat, in rem Domini verſum videbatur, *l.* 7. *§. illud placet. de in rem verſ.* Qui funera curabant Libitinarii dicebantur, a Libitina Dea nuncupati, quam ſepulchrorum præſidem Romani habuere, Gyrald. *de vario ſepeliendi ritu* in princ. in cujus templo, quæ ad ſepulturas neceſſaria eſſent, curarent, eandemque cum Proſerpina & Venere fuiſſe arbitrati ſunt, Plutarch. in *Numa*, & apud illos morientium nomina edebantur, Sueton. in *Nerone* cap. XXX.

§. XVII. Libitinarii munus non ita ſordidum, quin & ſplendorem aliquem retinuerit, ut apud Valer. Maxim. *lib.* V. *cap.* II. Quinimo ipſi Libitinarii ſervos ad hoc miniſterium multos habuerunt, qui ipſi vel honeſtiores deſignatorum munere fungebantur; nempe magiſtri pompæ, qui

a Libitinariis non separantur, Seneca *de Beneficiis*, lib. VI. cap. XXXVIII. Guther. *de Jure Manium*, lib. I. cap. XV. Sunt autem prædicti ministri in primis Pollinctores: sic vocati, quod pollincere funus curare significaret, nempe *lavando* & *unguendo*, quo verbo usus est Plautus in *Prol. Pœnuli*:

Eorum alter vivit, alter est mortuus,
Quia mihi pollinctor dixit; qui eum pollinxerat.

Conf. Joh. Kirchm. *cit. loc.* ubi plura.

§. XVIII. Morientem nomine proprio magno cum clamore vocabant, Serv. *in IV. Æneid.* cum primum illum putabant obiisse, tum illius *claudebant oculos*; & mos fuit parentibus, cum morerentur liberi, oculos claudere, ut liberis parentes: Martial. *lib.* X. *epigr.* LXIII.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manus.

Et quamvis lex Mævia præciperet, *Ne filii parentibus luci claro sigillent oculos*, ut ait Varro in *Geminis* apud Nonium, ejusdem tamen legis sensum hunc putat esse Ant. Augustin. lib. *de Legibus*, Ne oculos clauderent, quod per translationem fortasse dictum est; ne illorum mortem maturarent. Quod statim post egressam animam oculos clauserint, testis est Agamemnon apud Homerum, qui conqueritur de uxore sua Clytemnæstra, quod sibi ad Plutonis domos eunti noluerit manibus oculos comprimere, neque os componere, id est, malas hiantes & deformatas corrigere. Ita *Iliad.* λ. Ulysses dixit: *Ab miser! non quidem tibi pater & honoranda mater oculos claudent mortuo*. Græci id reddiderunt συναρμόττειν τὰ βλέφαρα, & συγκλείειν τὰς ὀφθαλμὰς. Latini reddunt *premere oculos*. Vid. Valer. Flacc. lib. I. *Argon.* Valer. Maxim. *l.* II. *cap.* I. reddit *opprimere oculos*. Conf. plur. Johan. Kirchman. l. I. c. VI. pag. m. 45. *de Funeribus Romanor.*

§. XIX. His ceremoniis peractis, vestibus etiam mortuorum corpora induebant, & hic mos, teste Ennio apud Macrob. lib. VI. c. II. pag. 461. *Saturn.* valde antiquus: verba ejus hæc sunt:

Neque terram injicere, neque cruenta
Convestire mihi corpora licuit,
Neque miseræ lavere lacrymæ salsum sanguinem.

Quamvis Lucianus *Tom.* I. pag. m. 787. falso deridéat, dum ait: Λαμπρῶς ἀμφιέσαντες, ἵνα μὴ ῥιγῷεν δηλονότι παρὰ τὴν ὁδὸν, μηδὲ γυμνοὶ βλέποιντο τῷ Κερβέρῳ. Hoc est: *Splendide vestientes ne algeant per viam, neve nudi conspiciantur a Cerbero*. Quo pertinet & illud Herodoti *Mus.* V. Ἔφη ἡ Μέλισσα ἐπιφανεῖσα οὔτε κατερέειν ἐν τῷ κεῖται χώρῳ ἡ παρακαταθήκη. Ῥιγῶν τε γὰρ καὶ εἶναι γυμνὴ τῶν γὰρ οἱ συγκατέθαψε ἱματίων ὄφελος εἶναι οὐδὲν, οὐ κατακαυθέντων. Sed hæc erant Græcorum deliria. Contra Romani toga induebant mortuos, docente Juvenal. *Satyr.* III.

Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

Et Martial. *lib.* IX. *epigramm.* LVIII.

Et pallens toga mortuis tribulis.

Conf. Desider. Herald. *ad lib.* IX. *epigr.* LVIII. p. 513. Martial. Toga illa varia erat, pro conditione hominum: nam in vulgo civium & tacito funere, vulgarem togam, quæ alba erat, usurpatam existimo, cujus rei testes, Plutarch. in *Problem.* Artemidor. *lib.* II. *cap.* III. Homer. *Iliad.* Σ. de Patrocli funere canit:

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς· καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.

In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt
Ad pedes a capite; desuper autem alba veste.

Pauperes non elati videbantur alba veste, monente Artemidoro loco laudato, sed nigra, scilicet, qui helluones fuerant; de hujus sortis hominibus intel-

A ligenda Artemidori verba *lib.* I. *cap.* X. puto. Nam alias cadavera in honestissima veste efferri mos erat. Conf. Valer. Maxim. *l.* IV. *c.* V. Lactant. *l.* II. *cap.* IV. Sueton. in *Nerone* cap. L. De mortuis toga elatis vide Justum Lipsium lib. I. cap. VI. *Elect.* pag. 242. Camerar. lib. I. cap. XCVI. pag. m. 448. *Horar. Subcisiv.* Lubin. *ad Satyr.* II. v. 172. pag. 150. Ubi addit apud Græcos fuisse morem, ut pallio amicirent mortuos. Pallio mortuos contectos fuisse, indicat Apulej. lib. I. *Floridor.* Conf. Johan. Kirchman. *de Funerib.* lib. I. pag. m. 52. seq.

§. XX. Benevolentiam erga defunctum quoque declararunt, cum non solum mortuos & eorum sepulchra, sed & urnas & monumenta diversis coronarum generibus exornaverint, uti Scriptores Sacri juxtim ac seculares comprobatum iverunt. Quod enim non tantum mortui coronis inter Gentiles & Christianos ornati sint, a Græcis sæpissime memoratur, ab illisque ad alios populos descendisse videtur. Hinc Hercules apud Euripidem de liberis suis, a Lyco interfectis, querelas instituit:

—— —— Τί χρῆμα; τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων
Στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα.

Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita mortuorum ritu. Ita Lucianus Tom. I.
C pag. m. 767. *de Luctu* producit Gentiles στεφανώσαντας τὸ σῶμα τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι, *coronantes cadaver pulcherrimis floribus*. Qui mos quam priscus sit, inde licet intelligere, quod cum Corybantes suum fratrem occidissent, caput mortui purpura contexerunt, καὶ καταστέψαντες ἔθαψαν, *& coronatum sepeliverunt*, vid. Clem. Alexand. *Ehortat. ad Græc.* Causa quare mortui coronati explicatur ab Epicteto, qui interrogatus ab Hadriano, respondit, ideo ut indicarent, quod labores & ærumnas, seu molestiarum immensum pondus hujus vitæ super ssent, Camer. lib. II. cap. LIII. pag. 227. *Horar. Subcisiv.* Conf. Martin. Kemp. tract. *de Oscul.* differt. XX. pag. m. 790. Johannes Kirchman. *lib.* I. *cap.* XI. p. m. 60. ex Clemente Alexandrin. lib. II. Στρωματ. cap. VIII. ita scribit: Coronasse Veteres mortuos, ut significarent ex victoria seculi ἀοχλησίαν ἀμεριμνίαν. Ἀοχλήσιας δ' ἀμεριμνίας ὁ στέφανος σύμβολον, ταύτῃ καὶ τὰς νεκρὰς καταστεφανῶσιν. *A turba & negotio remotæ securitatis signum est corona; quare ea & mortuos coronant*. Et vero Lycurgus etsi defunctis dempserat illum ambitiosum luctum & pompam tumulorum, eos tamen voluit ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντας, τὸ σῶμα περιστέλλειν κατ' ἴσον ἅπαντας, *in purpureo amictu & foliis oleæ positos corpore contegi ex æquo omnes*. Itaque quamvis alibi mortui sumptuosius efferrentur, tamen hic mos Lacedæmone servatus. Et vero Cleomenes, quanquam Lacedæmonius, Lydiadæ corpus ἐκόσμησε πορφυρίδι, καὶ στέφανον ἐπιθεὶς, πρὸς τὰς πύλας τῶν Μεγαλοπολίτων ἀπέστειλεν, *ornavit purpurea veste, & imposita corona, ad portas Megalopolitanorum misit*. Conf. Martin. Kemp. *de Osculis*, Differt. XX. pag. m. 790. Hic certe mos teste Plutarcho in *Pericl.* apud Athenienses in usu fuit: nam ibi quoque ab amicis coronæ conjiciebantur in mortuos. Quo exemplo, Paralo mortuo, Pericles adferens defuncto coronam, in illius aspectu fregit pristinam illam & inflexibilem animi constantiam. Qui coronarum conjectus & Lacedæmone in usu fuit, teste iterum Plutarcho, ubi Pelopide interfecto certatim congesta sunt Τρόπαια, καὶ στέφανοι, καὶ πανοπλίαι χρυσαῖ, *Tropæa, & coronæ, & omnis generis armaturæ aureæ*. Is quoque mos coronandi mortuos a cæteris gentibus Romam translatus est, ibique usque eo invaluit, ut lege XII. *Tabular.* mortuo coronam imponere liceret, qua de re Cicero lib. II. *de Legibus*: *Illa jam significatio est, laudis or-*

namenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute paratam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet. A

§. XXI. Cæterum hæ mortuorum coronæ plerumque nectebantur e floribus frondibusque omnis generis. Et corona ea ratione concinnata vocabatur ἔρως, παρὰ τὴν ἔραν τὺν γῆν, τῦτ' ἐςὶ ςέφανος ἐκ γῆς ἐρανισμένος, *a dictione eran terram, hoc est, corona a terra connexa*, seu *collecta*, nempe a floribus speciosissimis, ut discimus e loco Luciani *de Luctu*, ubi is describit morem sepeliendi mortuos. Conf. Kemp. *loc. cit.* Sic mortuum vocabant ἐςεφανωμένον *coronatum:* ac si dicant, tunc demum vere coronatum. B Quem morem signavit Sophocles in his versibus:

Ὅπως τὸ λοιπὸν αὐτὸν ἀφνεωτέραις
Χερσὶ στέφωμεν, ἢ τὰ νῦν δωρέμεθα.

Ut cæterum ipsum abundantioribus manibus coronemus, aut ea quæ adsunt donemus. Apud Aristophan. mulier quædam hunc morem exprimit his verbis:

Σὺ δὲ δή τι μαθὼν ἐκ ἀποθνήσκεις;
Καίριον ἐςὶν σορόν· ὠνήσει
Μελιττῦταν· ἐγὼ καὶ δὴ μάσω.
Λάβε ταυτὶ καὶ ςεφανῶσαι,
Καὶ ταυτασὶ δέξαι παρ' ἐμῦ,
C Καὶ τυτονὶ λάβε τὸν ςέφανον.
Τῦ δεῖ; τί ποθεῖς;
Χώρει εἰς τὴν ναῦν,
Ὁ Χάρων σε καλεῖ.
Σὺ δὲ κωλύεις ἀνάγεσθαι.

At tu quid jam didicisti ut non moriaris? Opportuna est urna. Emet placentam melleam. At ego jam interam. Cape hæc & coronato. Et hæc eadem accipe a me. Et hanc cape coronam. Qua re opus habes? Quid desideras? Abscede in navem, Charon te vocat. Tu autem impedis abduci. Hæ quoque texebantur e liliis. Id disco ex hac proverbiali D locutione, ἢ κρίνον ἢ κολοκύνθην, *aut lilium aut cucurbitam*. Statuebant quippe prisci lilium super mortuo, at cucurbitam super sano. Porro olea a Lycurgo instituta, tum laurus aliæque frondes, quibus Lacedæmone mortui coronabantur, nihil aliud signabant, nisi victoriam hominis, qui fato functus sit. Apud alias gentes mortui nunc olea, nunc lauro, nunc aliis foliis & frondibus coronabantur. Prisco more Romano mortuis dabantur eæ coronæ, quas meruissent. Quem morem Plin. *lib.* XXI. *cap.* III. refert ad legem XII. Tabularum, qua cautum fuit, *Quam coronam servi equive cujuspiam meruissent, ipsi mortuo parentibusque ipsius, E dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude imponi*. Apud Valer. Flacc. l. v. *Argon.* invenio mortuum Idmonem alba fronde coronari, hoc est, populo:

—— pars auguris alba
Fronde caput vittisque ligant; positumque phe-
retro
Congemuere. ——

Et ducibus quidem mortuis caput redimiebatur lauro. Ad quod exemplum Polynices coronatur apud Statium lib. XII. *Theb.*

— — hostiles super ipse ut victor acervos
Pacifera lauro crinem vittisque decorus
F *Accubat.* ——

Annibal M. Marcellum interemptum, legitimo jure elatum, Punico quoque sagulo & corona donatum laurea, rogo imposuit, Valer. Maxim. *lib.* v. *cap.* I. Mortuis regibus corona imponebatur, qualis illi fastigio convenit. Augustus relatu Sueton. in *Augusto*. *Conditorium & corpus M. Alexandri cum prolatum e penetrali subjecisset oculis, corona aurea imposita, ac floribus aspersum veneratus est.* Conf. Curt. *lib.* X.

§. XXII. Non solum mortuus coronabatur, sed & urna, in quam ejus reliquiæ condebantur. Quo exemplo Plutarchus memorat, Marcelli cadaver combustum fuisse conditum urna argentea; cui circumdata fuit aurea corona. Urna aurea, in qua condita erant ossa Demetrii, fuit circumdata coronis. More prisco etiam sepulchra coronabantur. Plutarch. περ. Ισ. καὶ Οσιρ. Nistitanem insulam apud Ægyptum, quæ omnibus inaccessa, ac ne avibus quidem fida est, ait, quodam anni tempore, a sacerdotibus adiri, qui sacrificio ibi peracto coronant monumentum metidis planta umbratum, quæ supergreditur magnitudinem omnis oleæ. Ipsaque adeo proxima monumento loca, aut in quibus exequiæ funebres ducerentur, prisca superstitione coronabantur. Sed & prisco more Romano sepulchra coronis sive corollis fuisse asperfa, discimus ex Plutarcho in funere Numæ, ubi dicit, socios & populos amicos concursu facto ad sepulchrum ejus, illud publicis muneribus & coronis decorasse. Denique Græcorum more saxum quod sepulchro imponitur coronari, locus Luciani docet: *Quid*, inquit, *prodest super sepulchro lapis coronatus?* Virorum fortium sepulchra coronabantur apio, quomodo vivos victores apio coronabant. Hujus moris meminit author parœmiarum, qui Plutarchum citat authorem. Est autem locus Plutarchi in *Timoleonte:* Καὶ τοῖς ςρατιώταις εἰσῆλθε πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον, ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ἐπιεικῶς ςεφανῦν σελίνοις. καὶ παροιμία τὶς ἐκ τύτε γέγονεν, τὸν ἐπισφαλῶς νοσῦντα δεῖσθαι τῦτον τῦ σελίνυ. *Et milites suspicio incessit malum esse signum, quoniam monumenta mortuorum solemus pie coronare apio. Et proverbium quoddam ex hoc factum est, periculose ægrotantem opus habere apio.* Quandoque etiam sepulchra conspergebantur hyacinthis, ut apud Propertium *lib.* IV.

Hoc etiam grave erat nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto busta piare cado.

Conspergebantur & liliis, ut apud Virgil. lib. VI. *Æneid.* sepulchrum Marcelli:

Tu Marcellus eris; manibus date lilia plenis.
Purpureos spargam flores; animamque nepotis
Munere.

Plura qui desiderat, evolvat Caroli Paschalii libr. eruditissimum *de Coronis*, lib. IV. cap. VI. pag. m. 222. 223. Kemp. *de Osculis*, Dissertat. XX. pag. m. 793. 794. Johann. Kirchmannum *de Funeribus Romanorum*, lib. I. pag. m. 60. seq. Johann. Baptist. Casalium *de Funeribus* cap. XXI. fol. m. 347.

§. XXIII. Peractis his ceremoniis corpus producebatur. Virgil. XI. *Æneid.*

—— recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior.

Hi proprie corporum custodes ex Libitinariorum familia conducebantur:

Circum omnes, famulumque manus, Trojanaque
turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.

Cupressus potentiorum januas in luctu comitabatur, funestamque domum indicabat, ne quisquam Pontifex per ignorantiam ingressus pollueretur, Servius *in* III. *Æneid.* Cupressus enim proprie arbor luctus tristis & funesta. Vid. Ovid. lib. X. *Metam.* Certe quod arbor luctus sit, Horatius testatur, qui eam invisam vocat lib. II. *Carm.* Od. XIV. v. 21.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor, neque harum quas colis arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Confer *Annotat.* Johan. Bond, hunc in locum, pag. m. 128. Hanc ipsam ob causam Virgilio est atra lib. III. *Æneid.*

—— —— stant manibus aræ
Cœruleis mœstæ vittis atraque cupresso.

Statio est arbor tristis lib. VI. *Thebaid.* Idem alibi ostendit lugentes cupresso fuisse coronatos, lib. IV. *Sylv.*

—— —— tempus nunc ponere frondes
Phœbe tuas, mœstaque comam damnare cupresso.

Quod vero cupressus non plebeii, sed patritii luctus & funeris testis fuerit, Lucanus *lib.* III. refert:

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Natu, inquit Plin. *lib.* XVI. *cap.* XXXIII. *morosa, fructu supervacua, baccis corva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa; materie rara, ut pene fruticosi generis. Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita.* Et plane singulare est illud, quod colligo e loco Spartiani in *Alex. Sev.* nempe cupressum non solum mortis, quæ jam advenisset, sed & instantis indicem fuisse, & quasi prænuntiam. *Æthiops quidam*, inquit, *e numero militari claræ inter scurras famæ, & celebratorum semper jocorum cum corona e cupressis facta eidem occurrit. Quem cum ille* (Alexander Severus) *iratus removeri ab oculis præcepisset, & coloris ejus tactus omine, & corona, dixisse illi dicitur joci causa, Totum fuisti, totum vicisti, jam Deus esto victor.* Id est, jam relinque hæc humana, quorum omnium jam potitus es, ac transi ad Deos.

§. XXIV. Funebri arbore ornata domo & producto corpore honestiorum exequiæ per præconem indicebantur. Indictionis formula ex Varrone lib. IV. & VI. *de Ling. Latina*, & Festo in verbo *Quiris* cognoscenda: *Ollus Quiris letho datus est, ad exequias, quibus est commodum ire, jam tempus est: Ollus ex ædibus effertur.* Sic elatio, est mortui hominis ad sepulturam elatio, teste Johan. Kirchman. lib. II. cap. I. pag. 15. *de Funer. Roman.* & Donato interprete cadavera proprie dicuntur efferri. Conf. Martial. *lib.* VIII. *epigr.* XLIII. Virgil. lib. IV. *Georgic.* v. 256. Circa hanc elationem observandum est: (1) Tempus. Antiquitas tempore nocturno efferebat, & quidem cum faculis, teste Servio *ad lib.* XI. *Æneid.* Donatus putat, id fuisse factum ob celebrationem sacrorum diurnam: quamvis Servius *dicto loco* aliam adducat causam, scil. in religiosa civitate cautum fuisse, ne funere aut Magistratibus occurrerent, aut Sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. Prophanos etiam protulisse faces in funeribus apparet ex Cornel. Tac. lib. III. *Hist. Dies quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies, plena Urbis itinera, collucentes per campum Martis faces.* Et Sueton. in *Caligula* cap. XIII. *Et funus Tiberii prosequens, tamen inter altaria, & victimas ardentesque tædas.* Virgil. lib. XI. *Æneid.* dum agit de Pallantis funere:

—— —— & de more vetusto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros.

(2) Modus efferendi. (α) Pedes erant ad januam versi, Rader. *ad lib.* I. *epigr.* LXVI. Martial. pag. 660. & Persii *Sat.* III. (β.) Feretro efferebatur; dicitur autem feretrum a ferendo, uti Isidor. lib. XVIII. cap. IX. *Origin.* Hoc tamen non negligendum est, nobiliores & ditiores lecticis fuisse elatos. Ita Lucretiæ corpus lectica fuit elatum, Dionys. Halicarnass. *lib.* IV. pag. 266. Verum pauperes & viliores homines, ut & damnatorum corpora, efferebantur sandapila. Sandapilam autem Antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, idest, loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebejorum atque damnatorum corpora portabantur. Suet. scribit de Domitiano in *ipsius Vita* cap. XVII. pag. 286. quod ipsius corpus populari sandapila per vespillones exportatum fuerit. Idem dicit Eutropius *lib.* VII. (3) Præterea in fronte præposita tauri effigies, quæ mortui vultum exprimebat. Toga prætexta, si vir esset Consularis; purpura, si Censorius; picta, si Triumphalis. Præferebant etiam in funere Magistratus insignia aliave, quæ pompæ amplitudinem commendarent; sicuti etiam Virgil. indicavit in funere Miseni, quem Æneas sepelivit. Olim funera apud Romanos dignitatum & honorum insignia illius præcedebant, qui illis honoribus esset perfunctus. Polyb. *lib.* VI. inquit: *Fasces & secures, & reliqua principalibus consueta secundum dignitatem cujusque præcedunt in funere Romanorum, qui dum in vivis essent, in Republ. eminebant.* Et gladii defunctorum capitibus suppositi in signum masculæ virtutis. Lyran. in *cap.* XXXII. *Ezechiel. Et posuerunt gladios suos sub capitibus suis*, inquit: *Antiquitus in sepulchris talium ponebantur eorum gladii ad caput sepulcri in signum, quod non fuerint in bello devicti.* Ut etiam apud profanos servatum. Thucyd. *lib.* V. ait: *Cum armis publice sepelierunt in urbe ante forum, quod nunc est, & monumentum ejus sapientes, ut heroi faciunt.* Quod etiam ad posteriora tempora devolutum, ut refert Monachus Engolismensis in *Vita Caroli Magni*; eum sepultum fuisse ense aureo, scuto & sceptro, ut etiam aurea catena, & quod pietatem redolet, Evangelium & lignum crucis tenentem in manibus. Mos etiam apud Athenienses fuit, ut hastam efferrent in funere eorum, qui violenta morte sublati fuerunt.

§. XXV. Procedebant (4) in funere Liberti, quorum major frequentia Testatoris benignitatem præferebat, & in funeris elatione magna Pileatorum turba præcellebat, quia iis novis civibus Testator urbem illam terrarum dominam funestare videbatur: hoc genus hominum vocat Persius *Satyr.* III. *Induto capite besternos Quirites.* Constituit enim Imperator *l. unica. §. sed & qui. C. de Latin. Liber. tollend.* quod qui domini funus Pileati antecederent, si hoc voluntate testatoris fieret, vel hæredis, illico fierent cives Romani: sic pilei impositione Liberti Orcini facti sunt, *l.* 10. *C. de Manum. testam.* Archimimus sequebatur Libertos, qui personam mortui fingebat, & imitabatur. Sueton. in *Vespasiano*, cap. XIX. Archimimo igitur prætereunte a filiis plerumque aut honoratis viris lectus funeribus portabatur, ut de Metello Plin. *lib.* VII. *cap.* XLVII. Patercul. *lib.* II. Pauli Æmilii funebri lectulo se sponte sua Macedonum Legati subjecere. (5) Ductor funeris prætexta pulla indutus, si filius esset, aperto capite, patrem efferebat, filiæ crinibus sparsis, mulier reliquum funus faciebat magno fæminarum comitatu, defunctique nomen vocabat canora voce, Propert. *lib.* IV. *eleg.* X. Postremo agmine turba omnis obsoleto vestitu ambulabat, qua funus claudebatur.

§. XXVI. Mortui cum cantu (6) efferebantur, inducti persuasione, quod corpore extincto animæ ad cœlum redire crederentur dulcedine Musicæ, Macrob. lib. II. in *Somnio Scipion.* cap. III. p. 106. Alii putant cantum fuisse adhibitum ad abigenda spectra, quo fine etiam olim, uti id notat antiquus Theocriti Scholiastes, si quisquam diem obiisset, campanas pulsarunt, quod, referente id Hadriano Junio lib. III. cap. XI. *Animadv.* sonus iste putaretur avertere spectra & Dæmonum ludibria. Adhibebant tubas & tibias, Virgil. lib. XI. *Æneid.* vers. 192. Et quod tales tubæ & tibiæ funeri inservirent, Propert. *lib.* IV. *eleg. ultim.* & Guther. *cap.* XXIII.

testantur. Conf. Ovid. in *Epistol. Medeæ & Jason* Propert. *lib.* II. *eleg.* VII. Origo hujus moris peti potest ex Plutarcho in *Vita Gracchorum*, ubi ait: quod postulati rei capitalis tuba ad judicium vocati fuerint: & a foro ad funus. Dicebantur *Tubicines τυμβαῦλοι*, Brodæus lib. IV. cap. XXX. pag. 217. *Miscell.* Item *Siticines*, monente Rittershus. *ad LL.* XII. *Tabb. class.* I. *cap.* IV. quod apud Sitos, id est, defunctos, canerent. Conf. Elias Sched. *de Diis Germ.* cap. XLVIII. p. m. 455. seqq. Huncque ritum non solum Latini, sed etiam Græci & Hebræi adhibuerunt; uti ex Novo constat Testamento. Conf. Baron. in *Ann.* XXXI. Tibicines sequebantur (7) qui munera ferebant propinquorum & amicorum, odores, unguenta, epulas, vestes. Vid. Johan. Bapt. Casal. *de Funeribus*, fol. m. 347. (8) Locus ad quem efferebantur defuncti erat extra urbem, uti apud Ebræos & Gentiles mos fuit, teste Cicer. lib. IV. epist. XII. *ad Famil.* Sic Romæ legibus XII. *Tab.* cautum fuit, ne intra urbem mortuus sepeliretur. Verba hæc sunt: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Cicero lib. II. cap. XXIII. pag. 231. *de Legib.* Andr. Tiraquell *ad Alexand. ab Alexand. lib.* III. *cap.* III. fol. m. 205. *Genial. Dier.* Prohibet etiam hoc Synodus magna sub Cuthberto, uti videre est in *Constitutionibus & Legibus Eccles. Britan.* Henrici Spelmanni, fol. m. 290. *Certum est*, inquit, *ante hoc* CUTHBERTI *tempus, nullum fuisse in urbibus cœmeterium, nullum sepulturæ locum. Prohibitum quippe cum in legibus* XII. *Tabularum cap.* II. *tum ex more gentium.* Et quidem (α) ex perpetua consuetudine populi Dei, qui mortuos suos sepeliit, non in urbibus & templis, sed in campis, sicuti videre est in historia Patriarcharum, qui omnes in campis sepeliri voluerunt, & in primis manifeste testatur *Lucas* cap. VII. ubi narrat filium viduæ habitantis in urbe Nain, cum mortuus esset, deportatum fuisse extra urbem ad sepulturam; ad quem locum vide quæ annotant viri docti, qui id omnes uno ore profitentur, non tantum Judæorum, sed etiam gentium morem fuisse, ut mortuos suos efferrent extra urbem. Vide etiam P. Martyrem in *Loc. Comm.* class. III. in loco, *de Sepultura.* (β) Ratio ducitur ex charitate proximi, cui plane adversatur iste mos sepeliendorum mortuorum in urbibus & templis, tum nempe valetudini & vitæ vivorum nocetur, per halitus, qui ex cadaveribus mortuorum in urbibus & templis tanto copiosiores exhalant, quanto locus est conclusior, & ob hominum frequentiam tepidior; quos quidem halitus, præsertim ex eorum cadaveribus, quæ peste extincta sunt, evaporantes, venenatos & contagiosos esse, Medici testantur, inter quos Lemnius in lib. II. *de Mir. Nat.* cap. III. Ut non dicam hic de arena, sive sabulo, & terra, in qua cadavera mortuorum plura computruerunt, & quæ in templis solent pluribus annis retineri, quam nempe ea tota imbuta sit materia non tantum fœtida, sed etiam venenata quasi, quam materiam exhalare ad vivos necesse est, quando monumentis apertis sabulum istud movetur & effoditur. (γ) Est a causa efficiente, & origine istius consuetudinis sepeliendorum mortuorum in templis, quam originem pessimam esse, vel id testimonio est, quod nempe Monachi, & præsertim Franciscani mendicantes ex istis sepulturis, quæ in templis fiunt, non nisi quæstum quæsiverint. Vid. pluribus Bartholomæus Keckerman. pag. m. 1278. *Oper. Philos.* Accedit aliud argumentum, desumptum ex testimonio Juris Civilis, de quo jure placet annotare verba Francisci Ripæ ex tractatu *de Peste* cap. IV. ubi inquit: *Ad removendum fœtorem ex cadaveribus provenientem a majoribus nostris inventa sunt sepulchra.*; non

A defunctorum causa, sed viventium gratia instituta; nam quia sepulchra ut plurimum fœtent, statuit D. Adrianus pœnam XL. aureorum in eos qui in civitate sepulchrum faciunt, locumque publicari jussit, & corpus inde transferri eadem Magistratibus patientibus imminente, *l.* 3. *§. Divus Adrian. ff. de sepulchrorum violatoribus.* Denique accedit & hodierna consuetudo laudatarum Rerumpubl. ut Argentinensis, Norinbergensis, & Lipsiensis, in quibus vel rara, vel nulla etiam mortuorum cadavera in templis humanis humantur. His B calculum addunt *Canones* sub Edgaro Rege dati circa Ann. Christi DCCCCLXVII. fol. m. 451. Conciliorum, quæ Henricus Spelman. Eques aurat. Angl. edidit; verba hæc sunt: *Docemus etiam, ut nemo quempiam in Ecclesia sepeliat, quem non constat ex vitæ probitate Deo placuisse, & ex eo judicetur hujusmodi sepultura dignus.* Confirmant etiam hoc *Capitula* incerta editionis ejusdem autoris, fol. m. 590. *Antiquus in his regionibus in Ecclesiis sepeliendorum mortuorum usus fuit, ut plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmeteria sive polyandria facta sunt idem tumulus* C *mortuorum. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur; & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum adquisivit.*

§. XXVII. Nec prætereundum, consuevisse aliquos aurum & argentum in mortuorum sepulchris recondere. Nicolaus Oresmius Episcopus Tract. *de mutation. monet.* cap. II. inquit: *Theodericus Rex Italiæ aurum & argentum, quod more gentium in sepulchris mortuorum erat reconditum jussit deponi; & usui monetæ ad utilitatem publicam fecit afferri; dicens culpæ genus esse inutiliter in ab-* D *ditis relinquere mortuorum, unde sic vita potest sustentari viventium.* Et in hoc plurima sunt apud scribentes exempla, non solum Ethnicorum, verum & Hebræorum, ut de sepulchro David Joseph. VII. *Antiquit.* cap. II. refert. Inde ob cupiditatem opum passim fracta sepulchra, indicat Isidor. Pelus. *epist* CXLVI. *lib.* II. Effossa etiam e sepulchris mortuorum ornamenta, docet D. Hieronym. inquiens: *Solebant juxta antiquum morem aurum & quædam ornamenta vel mulierum, vel virorum in sepulchris condere: hæc quoque frangebat, & effodiebat avaritia, ut cœlo & luci proderentur.* Ad hæc respexit Plautus in *Pseudolo*, dum servum intro- E ducit extrahentem pecuniam a sene his verbis:

Ex hoc sepulchro veteri viginti minas
Effodiam hodie, quasdam herili filio.

Verum hanc consuetudinem prohibuerunt Spartani, quorum lex fuit, *Nihil cum mortuo inhumetur.* Et apud Athenienses etiam aurum addi mortuis lege vetitum fuit: ut scribit Cicero II. *de Legibus*, Conf. Barthol. Keckerman. *de Republ. Spartanor.* fol. m. 1650. cap. XII. Canon. III.

F §. XXVIII. Post elationem funebris oratio habebatur, qua defuncti vita res gestæ exponebantur. Lucian. Tom I. Dial. *de Luctu*, pag. 795. Has orationes dicebant λόγους ἐπιταφίους. Et notat Gilbert. Cognat. in *Observat. ad Lucian.* pag. 804. Mos erat apud Athenienses, ut, qui in prælio cecidissent, publicitus oratione laudarentur, quam illi vocant *Epitaphium*. Confer. Joan. Sarii Zamoscii lib. *de Statu Roman.* cap. XXII. de Polemarcho Tribuno milit. pag. m. 527. Diodor. Siculus *lib.* I. pag. 65. & 66. scribit: apud Ægyptios in usu fuisse, ut omnia Regis, priusquam justa dentur, facta per Sacerdotem recitentur; an fortissime præliatus, an vero segnis & deses: si vitia præ-

valebant, inhumatum censebant; sin vero virtutes, omni honore dignum esse judicabant. Hic mos etiam ad Romanos venit, & origo hujus Valerio Publicolæ adscribitur, qui testibus Plutarcho & Dionysio Halicarnass. *lib.* I. primus Brutum mortuum pro rostris laudavit. Apud Græcos secundum Anaximenen origo funebrium orationum a Solone cœpit. Romæ ejusmodi orationes, referente Polybio *lib.* VI. habebantur ab iis, qui mortuo erant sanguinis propinquitate devincti: uti ex historiis id patet. Vid. Joh. Baptist. Casal. *de Funer.* fol. m. 348.

§. XXIX. Ritibus istis peractis, porro etiam quædam de Luctu audienda: ubi initio monendum quosdam populos non lugere mortuos, uti de Massiliensibus scribit Valerius Maxim. *lib.* II. *cap.* VI. Apud Thraces, edito puero, propinqui eum circumsidentes cum ploratione prosequuntur ob ea mala, quæ necesse est illi, quod vitam ingressus sit, perpeti, humanas omnes calamitates recensentes; Hominem autem demortuum per lætitiam terræ mandant, referentes, quod malis liberatus sit in omni felicitate, Herodotus *lib.* V. *cap.* IV. pag. 291. Valerius Maxim. *lib.* II. *cap.* VI. Pompon. Mela *lib.* II. *cap.* VIII. pag. 63. Solinus *cap.* XVI. Hæc consuetudo apud Spartanos, referente Bartholomæo Keckermanno *de Repub. Spartan.* Disput. IV. canon. II. cap. XII. pag. m. 1649. in usu fuit. Sed prudentiores suos luxerunt mortuos, atque hoc natura suadet, ut eum lugeamus, contestando nostrum desiderium retinendi diutius ipsum, quem amavimus. Plerumque in luctu solebant sedere, Homer. *Odyss.* X. Sedebant autem illic gementes, vellebant comas. Quintus Calaber *lib.* X. ait de Priamo: *Sedebat ille ad Hectoris tumulum fundens lacrymas.* Cum fletu conjunctus erat planctus, quem potissimum mulieres quædam perficiebant, & tales apud Romanos *Præficæ* dicebantur, conductæ, ut in funere lamentarentur, ac defuncti laudes prædicarent, aliisque plorandi modum præirent, unde & *Præficæ* dictæ sunt, quasi *præfectæ*; Lucilius citante Nonio:

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere Præficæ
Multæ & capillos scindunt & clamant magis.

Id imitatus Horatius:

Ut quæ conductæ plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.

Laceratis autem incedebant crinibus, quod & Petron. in suo *Satyr.* affirmat: *Intravit anus laceratis crinibus nigraque veste deformis.* Cicero lib. III. *Tusc. Quæst.* in hæc prorumpit verba: *Scindens dolore identidem intonsam comam.* Plangentes autem pectus nudum in conspectu frequenti habebant. Apul. lib. IV. *Mil. Quid canitiem scindis? quid pectora tunditis?* *lib.* VII. ejulant tunsis pectoribus, sed & faciem unguibus lacerant. Artemidor. *lib.* I. *ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρείας οἱ ἄνθρωποι, in luctibus deformant faciem homines.* Conf. Virgil. XII. *Æneid.* Varro dicit mulieres in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant. Vid. Stat. *Thebaid.* lib. VI. Joh. Baptist. Casal. *de Funerib. Roman.* fol. m. 344. Jerem. *cap.* XLI. v. 5. Eli. Sched. *de Diis Germ.* p. m. 467. Joh. Kirchman. *de Funerib. Roman.* ubi plura habentur. Cæterum moris etiam erat in luctu crinem ponere, superque jacentis pectus imponere. Homero teste:

Θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέβαλλον
Κειρόμενοι.

A Et Statio lib. VI. *Thebaid.*

—— —— Tergoque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis
Obnubit tenuia ora comis. ——

Præterea mos erat secare crines, & imponere sepulchro, ut propter hunc luctum lætus esset mortuus. Interdum detonsi crines in rogum projiciebantur, aut cadaveri impositi cremabantur. Nec hic mos tantum apud Occidentales, sed etiam Orientales in populo Dei fuit, ut Michæ Proph. verba *cap.* I. *v.* 16. satis superque indicant: *Glabra te, & tonde* caput *propter filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum, ut aquilæ, quia migrant a te.* B

§. XXX. Cadavere in rogum posito, cœna funebris una in rogo Diis manibus parabatur, & hæc nominata *Exequium* seu *Silicernium*. Varro: *Funus exercui laute ad sepulchrum, antiquo more Silicernium confecimus.* Dictum ab eo, quod in luctu fas non esset lucernas accendere. Altera cœna, quæ domi propinquioribus & amicis, *epulum funebre* vocabatur, & ad hanc vulgaris coquus conducebatur, uti ex Plauto in *Pseudolo* perspicitur:

C *Coquum non potui, quam hunc, quem duco, ducere;*
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Ut esset hic, qui mortuis cœnam coquat.

Funeris ductor illas epulas primum degustabat. Virgil. in persona Æneæ v. *Æneid.*

Libavitque dapes.

De hoc cœnæ genere Tertull. lib. *de Resurrect. carn. cap.* I. Et hunc ritum Ethnicorum, qui in honorem mortuorum fiebat, detestatur Augustin. *in Psalm.* XLVIII. aliquando enim Gentes se ad sepulchrum inebriabant. Et idem August. serm. XI. D *de Sanct.* inquit: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Et S. Gaudentius *ad Neophyt.* tract. IV. dicit: *Nam gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent.*

§. XXXI. Funestum sequebatur officium, ut reliquiæ combusti cadaveris legerentur, cum flamma quievisset. Elias Sched. *de Diis Germ.* cap. XLIX. pag. m. 456. refert, tertia die factum. Confer. Joan. Baptista Casal. *de Funeribus* fol. m. 350. & E Johan. Kirchmannus *de Funerib. Romanorum*, ubi plura. Puris manibus dum legissent ossa, illaque lavissent vino & lacte, ter *Vale* dicto, reliquias ter obsculabantur, ut in Anna Didon. Ovid. III. *Fast.* Tandem de veste lugubri aliquid dicendum. Purpuram & aurum deponebant in luctu, Livius *lib.* XXXIV. Potissimum autem sumunt vestes atras, uti testis est Ovid. lib. VIII. *Metamorph.* & hic ritus ex Ægypto ob Osirim, quem atra veste luxerunt, originem traxisse videtur. Huc respicit Juvenal. *Satyr.* II. X. v. 293. Mulieres alba veste luxisse indicat Plutarch. in *Quæst. Rom.* pag. 270. Vid. Kirchmannus, Eli. Sched. *de Diis German.* F cap. XLVII. pag. m. 443. seq.

CAP. XI.

De humatione defunctorum.

§. I. QUIDAM plane sepulturam contemserunt, de quibus Augustinus lib. I. cap. XII. pag. 40. *de Civitate Dei.* Sepulturæ curam etiam Philosophi contemserunt, & sæpe uni-

verſi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, ubi poſtea jacerent, vel quibus beſtiis eſca fierent non curarunt. Talis fuit Cyrenæus Theodorus Philoſophus non ignobilis, cui cum Lyſimachus minaretur crucem iſtis, inquit, *quæſo, iſta minitare purpuratis tuis, Theodori nihil intereſt humi ne an in ſublime putreſcat.* Cicer. lib. I. cap. XLIII. *Tuſcul. Quæſt.* pag. 93. Eandem hiſtoriam attingit Seneca in lib. *de Tranquillit. Anim.* cap. XIV. pag. 231. Conf. Laert. in *Vita Diogenis Cynici* lib VI. pag. 415.

§. II. Fuerunt tamen alii qui cadavera defunctorum humarunt. Judæos prætereo, de quibus nullum dubium. Baleares cadavera contundunt, & in urnam conjiciunt, Diodorus Sicul. *lib.* V. pag. 289. Quod ad Sueo-Gothicum apud priſcos ſepeliendi vita defunctos ritum attinet, a primis temporibus mortuorum corpora humo condita creduntur. Quippe cum Noachidarum coloniis huc primum translatis veriſimile eſt, ritum humandi mortuos, ex Dei & Patriarcharum inſtituto huc ſimul migraſſe. Et quamvis ab Odino crematio introducta, tamen Froerus ſeu Freierus tertius ab Odino Rege Princeps illam conſuetudinem abolevit. Teſtantur & hoc tumuli in collibus Upſaliæ ad Fyri-wal excitati, vocanturque a *Fyri* fluvio Upſaliam præterlabente, & *Wal*, quod priſcis *mortuum* ſignificabat, quia ibi monumenta mortuorum ſita. Sic *Walbal*, aut *Walbold* inde *mortuorum ſedes*, & *Walfart peregrinatio ad ſepulchra ſanctorum defunctorum*, item *Walbrun* apud Saxonem lib. VII. *Hiſt. Danic. cadaverum puteus*, & *Walſtad*, id eſt, *ſtragis*, vel in prælio cæſorum, *locus* dicitur. Hinc *Walraaf* nihil aliud ſignificat, quam *occiſi* ſeu mortui *ſpolium:* unde etiam in verſione Saxonica exprimitut per *Walrof*. Hanc ut genuinam ſignificationem firmant verba Snorronis Sturleſonii in *Vita Sancti Olai*, pag. 311. Verba a Joh. Loccenio in *Antiquit. Sueo-Goth.* pag. m. 113. citata ita ſonant: *Bonderna rofvvade icke vvalen*, ideſt, *Ruſtici non ſpoliabant mortuum*. Nam *Waler* ſunt exanimes, ut eſt in *Lexico Runico* Olai Wormii in verbo *Wal*. In eodem ſenſu etiam accipienda vox olim Germanica *Walaraupa*, a *Wala*, id eſt, exſtincto vel mortuo, & a *Raup* vel *Raub* ſpolio, derivata & compoſita.

§. III. De ſepultura Lapponum ita res ſe habet, referente Johanne Scheffero *de Lappon.* cap. XXVII. pag. m. 313. Corpus demortui veſtibus optimis, quas vivus habuit, tegunt, loculoque includunt. Corpus ſic involutum reponunt in capulo, ſeu capſa funebri. Quod fit per quendam ad hoc negotium exoratum, qui alligatum dextro brachio debet habere annulum orichalceum, a proximo cognato defuncti acceptum. Capſa funebris plerumque eſt ex trunco arboris excavato. *Kiſtan ær ut bolkat af ett ſtort trææller ſtock*, hoc eſt, *Capſa eſt excavata ex arbore* vel ſtipite. Ericus Plantinus: *Iſt allet foer kiſtan brukas ofta ibelkiſtræ*, id eſt, *Pro capſa uſurpant ſæpe arborem excavatam*. Quando autem materia formandæ capſæ deficit, defuncti cadaver communi vehiculo capſæ loco imponunt & terra defunctum una cum traha obruunt. Idem Ericus Plantinus: *Sombliga bruka, att dbeden doeda kroppen nedergrafvva i jorden, beſünerlig der ſnoeda fiælletær, och ingen vvedh vvancker*, hoc eſt, *Quorundam conſuetudo eſt, ut defuncti corpus terra defodiant, præſertim ubi nudæ ſunt rupes, neque arbores inveniuntur*. Id etiam memorabile, quod defunctis addant ſecurim, ſilicem cum chalybe. Cujus ritus hanc dant rationem, quod ſi quando reſurgent, in iſtis tenebris opus habituri ſint lumine, quo conducat chalybs cum ſilice. Incolæ Inſulæ Taprobanæ defunctos in mari humant, Diodoro Siculo teſte *l.b.* III. pag. 141. Quidam in littore humant defunctos, conf. Cerda *ad lib.* VI. *Æneid.* pag. 740. Romani in bello occiſos etiam ſepeliebant: de quo Xenoph. lib. VI. *de Expedit. Cyri*, pag. 384. Hinc Cicero de Romanis lib. II. *de LL.* ait: *Redditur terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur*. Plin. lib. VII. cap. LIV. *Natur. Hiſt. Apud Antiquos terra condebantur mortui.*

§. IV. Inter hos diverſos ritus populorum merito quis quærere poſſet, utrum rectius ſit terra obtegi, quam cremari defunctos? Si mortui conditio ſpectetur, parum videtur referre, num terra obruatur vel cremetur, utpote qui nihil perſentiſcet eorum, quæ corpori fiunt. Interim tamen ſi quid dicendum, eligimus eorum opinionem, qui judicant, ſatius eſſe, corpus defuncti terra obruendum. (1) Ob antiquitatem; hiſtoriæ ſiquidem teſtantur, longe antiquiorem eſſe ritum humandi, quam comburendi defunctorum corpora. Hinc legimus & antiquos Græcos defunctos humaſſe, Cic lib. II. *de Legib.* (2) Ob populorum conſenſum; etenim ſi quis Antiquorum evolvat monumenta, deprehendet, antiquiorem eſſe ritum humandi, quam comburendi mortuos, quod teſtatur Deſider. Herald. (3) Ob ſapientiorum virorum authoritatem. Pythagoras, Stobæo teſte, dixit: *corpus terra tegendum, ubi requieſcat*. Hoc etiam docuerunt Anaximenes Clazomenius, Thales, aliique. (4) Ob analogiam ſomni & majus amicorum ſolatium. Mortem ſomno comparari ſupra dictum: imo in ipſis Scripturis ſomnus & dormitio a Rabbin. שכיבה *cubatio*, ab Arab. *frater ſomni* appellatur: majorem igitur cum ſomno habet convenientiam, ſi corpus defuncti terræ inferatur, ut ibi velut in lecto requieſcat, quam ſi flammis accenſum comburatur; & quæ alia ſunt argumenta.

CAP. XII.

De combuſtione, & ritu ejus.

§. I. EFFEREBATUR cadaver ad rogum, ubi Servius ad lib. XI. *Æneid.* inquit, *quod pyra ſit exſtructio lignorum; rogus cum jam ardere cœperit; buſtum cum jam exuſtum.* Certi autem ritus ac ceremoniæ in comburendis defunctorum hominum cadaveribus adhibebantur. Nam quando defunctus una cum lecto, qui una cum defuncto comburebatur, erat collocatus, tum mortuo oculi aperiebantur, qui tempore mortis erant clauſi. Quem ad morem alluſit Virgil. lib. IV. *Æneid.* v. 244.

Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Illumque confirmat Plin. lib. XI. cap. LXXVII. pag. 228. *Hiſt. Natur.* In rogum mortuo illato conſcendebat propinquior, ultimumque illi ungendi & oſculandi officium conferebat, Valer. Maxim. *lib.* IV. *cap.* VI. myrrhata potio in os illius inferebatur, ut ex *Legib.* XII. *Tabb.* quæ illam vetant: quæ potio tanquam cœna ad cœlum viatica fuit: rogum incendens averſa facie perficiebat, & ob hanc cauſam notante Cerda *pag.* 632. ut oſtenderet ſe invitum eſſe ad accendendum rogum, ſeu teſte Servio, ut demonſtraret, id neceſſitatis, non voluntatis eſſe officium. Ventos præterea precabantur, ut faventes flammas properarent. Propert. *lib.* IV. *eleg.* VII.

Cur ventos non ipſe rogis ingrate petiſti?

Conf. Homer. *Iliad.* Ψ, pag. 811. Thus, unguenta, pix, reſina, & oleum addebantur. De thure vi-

de Lucian. *lib.* VIII. oleo Homer. *Iliad.* Ψ, pag 809. pice & resina Johan. Baptist. Casal. fol. m. 349. *de Funeribus Romanorum*. Porro dona & munera in rogum conjiciebantur, vide Sueton. in *Vit. Cæsar.* cap. LXXXIII. Vestimenta, Virgil. lib. VI. v. 221. *Æneid.* Non vestimenta solum, sed & alia quæ chara fuerant, vide Johan. Kirchman. lib. III. cap. V. pag. 343. *de Funer. Roman.* Cæsar lib. VI. *de Bell. Gall.* Eli. Sched. *de Diis German.* c. XLVIII. pag. m. 453. Et ea ratione arma cum defuncto cremabantur. Tacit. *de Morib. German.* inquit: *Sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur*, conf. Ælian. lib. VII. cap. VIII. *Variæ Histor.* Olaus Petri refert de Lapponibus teste Johan. Scheffero *de Moribus Lappon.* pag. m. 315. Quod iis etiam arma addantur; verba ejus hæc sunt: *Ignitabulum, arcum & sagittas penes mortui cadaver clam sepeliunt, rati eum, cum tandem surrexerit, idem aggressurum vitæ genus.* Mortuo digitus abscindebatur, Rosin. *lib.* V. cap. XXIX. pag. 994.

§. II. Rogi lustratio, antequam faces subjicerentur, fieri solita (1) a maxima quaque multitudine, quæ circumibat, & ambiebat rogum. Quintil. *Declamat.* 329. Dio *lib.* LVI. de funere Augusti loquitur: *Iverunt circa pyram*, Virgilius lib. II. *Æneid.* v. 188. Hæc decursio ter fiebat; quod Homer. *Iliad.* XXIII. & Apollon. *lib.* I. confirmant. Ter sepulchro persolverunt justa. (2) Fiebat ab armatis, Homer. lib. ult. *Odyss.* Plato lib. XII. *de Legib.* loquens hac de re, decursionem fieri debere dicit ab armatis, quasi procederent ad hostilem pugnam, Livius *lib.* XXV. *cap.* XVII. pag. 268. (3) Fiebat ab equitibus; uti Dio *lib.* XLVI. in funere Augusti testatur. (4) Fiebat ululatu, Homer. lib. ult. *Odyss.*

§. III. Animalia mactabantur, ut & homines ad rogum. Veterum erat superstitio, dum putabant animas defunctorum sanguine delectari, ideoque multa olim animalia ad rogum mactabantur. Homerus in funere Patrocli *lib.* XXIII. *Iliad.* pag. 809. Multas pingues oves & boves ante pyram excoriarunt, & disposuerunt. Virgil. lib. XI. *Æneid.* v. 197.

Multa boum circa mactantur corpora morti.

Confirmant hoc sequentes: Quint. Calab. in *exequiis Achill.* lib. III. Quint. Calab. *lib.* IX. Plinius *lib.* IV. *epist.* II. Virgil. *lib.* X. v. 518. Serv. ad *lib.* V. *Æneid. Virgil.* Cic. lib. V. *Tuscul.* Diodorus Siculus *lib.* XIX. Pompon. Mela *lib.* II. *cap.* II. Solin. *cap.* XVII. Ludov. de la Cerda *ad lib.* X. *Virgil. Æneid.* fol. 488. Plura habet de hoc ritu & aliis Johan. Kirchman. lib. III. cap. IV. pag. m. 332. *de Funer. Rom.*

CAP. XIII.

De Sepulchris.

§. I. UNDE vocabulum sepulchri nomen habeat? variæ sunt opiniones. Isidor. *lib.* XV. *cap.* XI. a supino *sepultum* derivat, alii aliter; de quibus videri poterit Johann. Kirchman. *lib.* III. *cap.* X. pag. m. 389. Nos interim agimus de sepulchris eorumque exstructione, quæ a quibusdam populis magnifice ædificata: quemadmodum de Ægyptiis legimus, quod sepulchra ornate ædificent, inque eorum constructionem multos impendant sumptus, Diodorus Siculus *lib.* I. pag. 47. Domicilia viventium diversoria nominant, quod exiguum ad tempus hæc incolamus; defunctorum vero sepulchra DOMOS ÆTERNAS dicunt, quia infinitum apud Inferos ævum peragant. Hinc Mausolea, & ita omnia sepulchra

A splendida dicuntur a sepulchro Mausoli Cariæ regis, quæ regio est minoris Asiæ, quod ob magnificentiam inter septem orbis miracula recensetur. Vid. Vitruv. lib. II. *Architecturæ*. Ad hujus monumenti imitationem Octav. August. Romæ in Campo Martio monumentum construxit, quod & ipsum Mausoleum appellavit, de quo Strabo *lib.* V. hæc habet verba: *In excelsis fundatum collibus, lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum, in summum usque verticem ad fluminis ripam exaggeratum, in summo autem est positum Cæsaris Augusti simulacrum ex ære fabrica-*

B *tum. Sub aggere ipso sunt loculi ejus & cognatorum & necessariorum. A tergo est ejus lucus mirifica continens ambulacra. In medio autem Campi spatio sui busti extat ambitus, & hic ipse niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas præ se ferens populos.* Hujus Mausolei Sueton. in *Octav.* meminit. Tradunt etiam Constantinum Magnum Mausoleum in honorem matris erexisse, & eandem sepulcro porphyretico inclusisse. Sepulchrum quoque spectabile in urbe fuit Hadriani Cæsaris, de quo Procop. lib. I. *de Bello Gothico* inquit: *Hadriani Romanorum Imper. sepulcrum extra portam Aureliam extat, & ad lapidis jactum a*

C *mœnibus procul extructum, spectatu procul dubio dignum: Pario namque ex lapide ædificatum est, saxa quadrata illi invicem nexa, alia nulla intermixta materia, &c. altitudine tamen hæc urbis mœnia superant: statuæ quoque ex eodem Pario marmore virorum, equorumque miro artificio factæ desuper insident*, &c. Æthiopes sic tumulum conficiunt, ut in eo per vitrum cadaver videri queat, Diodor. *lib.* 2. *pag.* 201.

§. II. At quoniam regia hæc & similia multa modum non habuere, quorum plus justo sumptuosa visa sunt; modum hujusmodi sumptibus præsti-

D terunt, ut refert Cicero lib. II. *de Legib.* Indi in tumulis & sepulchris faciendis perparci sunt, Strabone teste *lib.* XVI. pag. 709. Lege cautum est temporibus, ne ampliori opere excitetur sepulchrum, quam quod quinque diebus absolveretur, nec majori lapide, quam qui laudes sepulti, & titulos honorum acciperet, Alexander ab Alexand. lib. VI. cap. XIV. fol. 686. *Genial. Dier.* Hinc sumpto argumento inquiramus, in quem finem pyramides & columnas erexerint prisci Romani, & aliæ nationes ad sepulcra? & dicimus non aliam ob causam factum, quam ut magnitudinem nobilitatis significarent, teste Homero *Iliad.* XVI.

E *Ibi ipsum sepeliant fratresque civesque*
Monumentoque, columnaque: hic enim
Honor est mortuorum.

Testatur & Statius *lib.* V. Pyramides ad sepeliendos Principes excogitatas fuisse, Ennod. Ticinens. Episcopus idem tradit *epigr.* CXXXV. Et hæc sententia non adeo absurda est, quandoquidem ex erudita antiquitate constat, priscis temporibus defunctorum meritis pretiosa monumenta, quæ virtutis testimonium perhiberent, relicta esse. Ita legimus apud Diodorum Sicul. *lib.* II. *cap.* IX. de Sacarum Regina, quæ magnificentissimum exstruxerat sepulchrum. Ac etiam de columnis sepul-

F chralibus loquitur Servius lib. V. *Æneid. Columnæ mortuis nobilibus superpouuntur ad ostendendum eorum columen.* Hujus moris meminit etiam S. Isidorus Hispalens. lib. XV. *Orig.* cap. XI. dum ait: *Apud majores potentes aut sub montibus; aut in montibus sepeliebantur: unde tractum est, ut supra cadavera aut Pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.*

§. III. Sed de locis, ubi sepulchra erant, paucis dicendum. Locum designabant Augures vel Pontifices; & quidem locus sepulchri vel erat

(1) Ad littus maris, ficuti Philoftratus Ajacis tumulum fecit mari adjacentem. Vel (2) in portis, Paufan. *lib.* v. Et Philoftratus in *Vita Polemonis* fcribit, morem fepeliendi defunctos in portis viguiffe Laodiceæ. Conf. de hoc ritu Cerdam *ad lib.* II. *Æneid.* pag. 242. 243. & *ad lib.* VIII. *Æneid.* pag. 205. Vel (3) ad ripam fluminis. Hecubæ tumulus, quem Græci vocant Κυνὸς σῆμα, & Plin. *lib.* IV. *cap.* XI. Cynoffema ftatuitur a Strabone *lib.* XII. pag. 595. ad amnem Rhodium. Sepulchrum Pelopis ponitur a Pindaro Od. I. *Olymp.* ad fluvium. Philoftrat. in *Heroicis*, pag. 641. Ariadis fepulchrum ad Orontem fluvium ponit. Erant (4) fepulchra in lucis. Anton. Clar. in *lib. fingul.* dicit apud Antiquos perufitatum fuiffe defunctos in lucis tumulare, quia ibi Lares viales, animæ Heroum & piorum habitare dicuntur. Huc refpexit Cicero *pro Milone*, in qua Albanos lucos & tumulos obteftatur, quod in illis fint tumuli. Conf. Joh. Scheffer. *de Lappon. obitu*, cap. XXVII. pag. m. 314. ubi ex Tornæo refert: *Foer æn blefvve Chriftne och naogot dær effter hafvvadhe fina doeda begrafvvit uti skogar*, id eft, *Antequam facti funt Chriftiani, & aliquanto poft, defunctos fuos fepeliverunt in fylvis*. (5) Sepulchra erant in montibus. Virgil. lib. XI. *Æneid.* v. 849.

—— Fuit ingens monte fub alto
Regis —— —— —— buftum,

Id quod etiam teftatur Johan. Loccen. *in Antiquitatibus Sueo-Gothicis* pag. m. 113. Vide Hottinger. *Cipp.* ubi plura. (6) In agris, Martial. *lib.* x. *epigr.* XLIII. Petr. Victor. lib. XIV. cap. XXI. *Var.* Meurf. par. II. cap. XX. *Critic.* In viis (7) erant, Virgil. *Ecl.* IX. v. 59. Juvenal. *Satyr.* I. v. 170. Conf. monumenta Paderbornenfia, ubi plura. (8) In hortis, Sueton. in *Vita Claud.* cap. LIX. pag. 162. Imo (9) in privatis cujusque ædibus, Rader. *ad Mart. lib.* I. *epigr.* CXV. pag. 175.

§. IV. Sepulchra cippis ornabant, quos נפשות appellabant. Hoc colligitur ex iis, quæ paffim in fcriptis Rabbinicis occurrunt. Maimonid. in fuis ad *Mifnajoth* Commentariis, *Oboloth*, cap. VII. §. I. hæc habet: נפש הו אלבניאן אלדי יבני עלי עלקבר אלקבר מדתפעא עלי סטח על ארץ ואסמה על משחור ענד גא שובה, id eft, Nefesh *ftructura eft, quæ fepulchro fuperftruitur, elata fuper terræ fuperficiem, quæ apud nos vulgo* Schaucato 'IKabri *appellatur*. In ipfo *Mfnajoth* textu *Shekalim* cap. II. v. קברו רי נתן אומר מוחד המה בונין לו נפש על גבי *R. Nathan dicit, eo quod reliquum eft mortuo* (fcil. e nummis ad ipfum fepeliendum collectis) *extruunt illi Nefesh fuper fepulchrum ipfius*. Ad quem locum Maimonides *Nefesh* eodem, quo vidimus, modo explicans addit והוא נקרא ציון בלשון הקדש *Idemque in lingua fancta vocatur Tfiun*, in teftimonium adducens Ezech. XXXIX. 15. locum ad illud de quo agimus fatis appofitum, imo præcipuum traditionum, quæ a nobis laudandæ, fundamentum; *Et circuibunt peragrantes terram, cum viderint os hominis, ftatuent juxta illud* (ציון) *titulum, donec fepeliant illud pollinctores*. LXX. σημεῖον: Syr. *Tfvo o*, quod eft, explicante Bar Ali, *fignum e lapidibus*. Unde confirmatur Ebn Jannabi fententia, qui nominis ציון thema ftatuit ציה, non, ut alii, צין, authoritate linguæ Arabicæ motus, quod in illa idem vocetur *Savvab*, accedente linguæ etiam Syriacæ teftimonio, quamvis alias ציון affinitatem habere poffet cum Arabum *Sana*, quod eft *cuftodire*, vel *Savvan*, quod lapidis durioris genus, qui forfan ad hunc ufum frequenter adhiberi folitus. Ita & R. Tanchum locum iftum explicans ציון fic exponit: *Quod eft*, inquit, *lapis vel fuper fepulchrum, vel in via pofitus in fignum*, ita ad Jerem. XXXI. ציונים (inquit) dicuntur *Signa viis appofita, atque ita ftructura fepulchro impofita in fignum appellatur Tfiun, ut ubi dicitur*, ציון מה הציון הלז Quod eft (Tfiun) fignum iftud? *atque ita dicunt majores*, ציון לבית הקברות *juxta locum fepulchrorum, id eft, fignum feu feptum quo impediantur homines, ne per fepulchra tranfeant*. Locus in teftimonium e textu allatus eft II. *Reg.* XXIII. 17. ad quem etiam nomen illud explicans dicit effe, *Septum fepulchro circumdatum ut elongetur ab ipfo qui immunditiem cavet, atque ita dicitur, ftatue tibi Tfiunim, vel juxta alios, Lapidem magnum aut ædificium fuper fepulchrum, ut fit in indicium & fignum*. Ex his conftare videtur nomen Hebraicum ציון latioris effe ambitus, quam נפש Rabbinorum, cum fcilicet ציון quodlibet fignum fepulchro appofitum denotet, נפש proprie cippum eidem impofitum. Hanc differentiam innuere videtur alibi Tanchumius, dum נפש explicans, illud ait effe, *Ædificium extructum fuper fepulchrum, quo dignofcatur fepulchrum effe, atque ab eo longius recedatur*. ציון autem *feptum inftar muri circum fepulchreta exftructum, ne ea conculcent, qui per viam tranfeunt*. Quæ tamen vix de fepto intelligenda, cum ex Kimchio *ad Ezechielem* XXIX. aliud pateat. Et ציון *Tfiun* או מאבנים מקובצים מאבן אחת *vel e lapide uno, vel e pluribus congeftis*: & ita quodlibet fignum hoc nomine fignificari poteft, & fub ambitu etiam נפש comprehendit.

§. V. Sed ut aliqua differentia in ufu communi Rabbinorum indicetur, obfervandum, quod ציון generalius figna illa, quæ fepulchris apponuntur, ac communiter pluribus fimul circumdantur, denotet, נפש autem proprie cippum ab amicis mortui ipfius privatim fepulchro impofitum, quod non folum in immunditiei cautelam aliis, fed etiam mortui memoriam fieri folitum, quod teftatur illud e Talmude Hierofolymitano *Shekal.* *cap.* II. אין עושין נפשות לצדיקים דבריהם הם זכרונם *Non faciunt* Nefashoth (monumenta) *juftis, verba ipforum ipfis memoriam confervant*. Ac tale vifum fuit R. Davidi fuiffe ציון iftud II. *Reg.* XXIII. 17. illuftre aliquod monumentum ac inter cætera confpicuum. Ex Solonis legibus Hermæ advolant, quæ ftatuæ erant lapideæ, cujufmodi figuræ in Sibyllæ Samiæ fepulchro fuerunt, Paufan. in *Phocic.* De his Tullius *ad Attic.* lib. I. epift. VI. *Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis jam me admodum delectant*. Erigebantur in publicis locis in clarorum virorum honorem virtutis ergo, & continebant infcriptiones, Demofthen. *pag.* 557. Æfchines *contra Ctefiphontem* idem fcribit. Magnos eis habuit populus honores, tribus ftatuis lapideis erectis in porticu Mercuriali. Plutarch. pag. 482. Juvenal. *Satyr.* III. v. 53. *Vos eftis fimillimi ftatuis Mercurialibus, nam a ftatuis nihil differtis*. De fignis aliis vide Fregel. cap. X. pag. 83. *de Statuis illuftr. Roman.*

§. VI. Sepulchra (2) ornabantur floribus & coronis. M. Aurelius apud Capitol. tantum honoris detulit fuis Magiftris, ut illorum fepulchra floribus femper ornaret. Pindar. Od. IV. *Nem.* loquens de tumulo Amphitr. ait: *Confpergant floribus*. Et Hieronym. epift. XXVI. *ad Pammach.* inquit: *Ceteri mariti fuper tumulos conjugum fpargunt violas, rofas, lilia, floresque purpureos; & dolorem pectoris his officiis confolantur*. Conf. Pafchal. *de Coron.* loc. fup. citato, ubi plura. Videri etiam poterunt fequentes, Virgil. lib. V. *Æneid.* v. 79. & VI. v. 884. Herodot. *lib.* IV. Propert. *lib.* I. *eleg.* XVII. Briffon. lib. VII. pag. 704. *de Formul.* Sueton.

in *Augusto* cap. XVIII. pag. 48. Cicer. lib. II. pag. 341. de *LL.* Plin. *lib.* XXI. *cap.* III. Dionys. Halicarn. lib. XI. pag. 917. *Antiq. Roman.* Martial. *lib.* I. *epigr.* LXXXIX. Ælian. *lib.* XII. *cap.* VI. Curtius, *lib.* X. *cap.* I. Ovid. lib. II. *Trist.* eleg. III. Tibull. *lib.* III. *eleg.* XVI.

§. VII. Ornabantur (3) inscriptionibus seu titulis. Titulus autem erat sepulchri brevis inscriptio, Græcis *ἐπιτάφιον*, *ἐπίγραμμα*, *ἐπιτύμβιον*, *ἐπικήδειον*, *ἐπιτάφιος μνηματίτης*, *λίθικον ἐπίσημα*. Titulus etiam *ἐπιγραφὴ* damnatorum, a quo Tertullian. lib. *de Anima* cap. LVI. *Titulus injuriæ est cessatio sepulturæ*, quasi in sepultis publico proximorum judicio damnatis injuriæ publicæ titulus superindictus esset, qui commune odium tacito quodam illorum consensu contineret, ad quos sepulturæ cura pertinebat. Erant autem duorum generum: alii inscripti erant tumulo, alii portæ. Elogium in tumulo titulus est, qui tumulo jungitur, qui ex personarum conditione memoriam recte factorum continet. Qui titulus ab nominis inscriptione nomen etiam dicebatur. Et quod titulum inscribere dixerunt, nomen signare Virgil. lib. VII. *Æneid.*

——————— ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est gloria, signat.

Hoc affirmat etiam Ovidius XII. *Metam.*

—— tumulo quoque nomen habenti, &c.

Ubi nomen pro gloria & nobilitate ponitur. Operam igitur navabant Veteres, ut titulos hos breves componerent; hinc factum, ut quo breviores, eo elegantiores haberentur. Scribebant in titulis his honores, ut de Pallante Claudii liberto notatur, cujus monumenti inscriptio hæc fuit, Plin. *lib.* VII, *epist.* HUIC. SENATUS. OB. FIDEM. PIETATEMQUE. ERGA. PATRONOS. ORNAMENTA. PRÆTORIA. DECREVIT. ET. SESTERTIUM. CENTIES. QUINQUAGIES. CUJUS. HONORE. CONTENTUS. FUIT. Ponebantur aut soluta oratione, aut versibus. Aliquando titulus pluribus conceptus fuit linguis, ut Gordiani III. Imperatoris sepulchrum linguis quinque, Græca, Latina, Persica, Judaica & Ægyptiaca, inscriptum fuit. Titulus quandoque nomen non habebat, sed prudens aliquod & breve dictum, quale legitur in monumento Albæ Juliæ epigramma,

NISI. UTILE. EST. QUOD. FACIMUS.
STULTA. EST. GLORIA.

Tituli autem plerumque minio scribi ac signari solebant, quo clariores essent, & eo facilius a viatoribus legi possent, Plin. *libro* XXXIII. *capite* VII. Sed de Inscriptionibus & Titulis legatur Joh. Kirchmann. lib. III. cap. X. pag. m. 463. & seqq. *de Fun. Rom.* Conf. Jacob. Guther. JCti tract. *de Jure Manium*, lib. II. cap. XXVI. & XXVII. ubi quamplurima habentur.

§. VIII. Tandem addendum aliquid est de religione & honore sepulchrorum. Locus aliquis, quamprimum mortuus in eum infertur, e sententia JCtorum fit religiosus, teste Gutherio Nobili Rom. *de Jure Manium*, lib. III. cap. II. pag. m. 425. Quare etiam sepulchra religiosa sanxerunt, & religiosas res ut sacras inter divina jura posuerunt, *l.* I. *D. de rer. divis. l.* I. *D. de Interdict.* Religiosum tamen non utique sacrum est, ut sepulchra sacra non sint, sed religiosa. Festus in verbo *Religiosum*: *Illudque demum religiosum, quo niam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod si faciat, adversus Deorum voluntatem fecisse videatur. At Masurio Sabino religiosum est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est, & illa sanctitas in eo consistit, quod nulla vi moveri ac deleri possit.* Cicer. *Philip.* IX. Quintilian. *Declam.* X. de sepulchro violato loquens: *Sacratos morte lapides, etiam cineres & ossa religiose quiescentia fracta sparsisset urna.* Quæ religio sepulchri statim incipiebat a prima glebæ injectione. Conf. Cicer. lib. II. *de Leg.* Imo Deorum templa & sepulchra pari fere jure censebantur. Hæc consecrata dicataque legimus in Inscriptionibus antiquis: quarum unam nobis præbet Jacob. Guther. Nobilis Roman. *de Jure Manium*, pag. m. 424.

HÆC. ÆDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQ. SVNT. MONVMENTI
SIVE. SEPVLCHRVM. EST. ET
OLLARVM. QVÆ. IN. HIS. ÆDIFICIIS
INSVNT. ET. CONSECRATÆ. SVNT
RELIGIONISQ. EARVM. CAVSA

Hinc Veteres cavebant, ne sepulchra vastarentur aut violarentur: habebaturque siquidem sceleratissimum sepulchra violare. Ob eamque causam violatores maximis afficiebantur pœnis: de quibus Jacob. Guther. *de Jure Man.* lib. III. cap. XXV. pag. 546. Aliæ etiam pœnæ in sepulchrorum violatores sunt constitutæ, quas Constantinus Imperator ad librarum auri XX. summam produxit, *leg.* III. *de sepulch. viol.* Sed & ii, qui ossa extraxerint, vel eruerint, humilioris quidem fortunæ, summo supplicio afficiuntur, honestiores in insulam deportantur, relegantur, aut in metallum damnantur, *l. fin. D. eod.* Qui de sepulchris materias auferunt, tanquam sacrilegii crimini subjiciuntur, *lib.* LX. *Basilic. tit.* XXXIII. *ὑπεκείσθωσαν τῷ τῆς ἱεροσυλίας ἐγκλήματι*, cui proximum Majestatis crimen dicitur, *l.* I. *D. ad leg. Jul. Majest.* & cujus pœna ignis aliquando & furca, quæ temperata est ad bestiarum damnationem, *leg.* 6. *ad leg. Jul. pecul.* Magnum enim crimen est, sepulchra violare, nec in hoste ipso tolerandum. Et hæc de sepulchris eorumque ritu.

CAP. XIV.

De statu animæ post mortem ex opinione Gentilium.

§. I. DICTURI de statu animæ post mortem, primum pauca prænotabimus de dissensu Philosophorum circa naturam animæ. De anima nugatorie docuisse Veteres indicat Lucian. Tom. II. pag. 303. *Dialog.* Etenim ut Seneca ait lib. VII. cap. XXIV. pag. 67. *Natural. Quæst. Alius illum dixit esse spiritum, alius concentum quendam, alius vim divinam & Dei partem, alius tenuissimum aerem, alius incorporalem potentiam.* Sed ut hoc non omittam, quidam plane negarunt animam esse, atque hoc nomen esse frustraneum & inane, cujus dogmatis mentionem facit Cicero lib. I. *Tuscul. Quæst.* qualis fuit Aristoxenus, de quo Lactant. *lib.* VII. *cap.* XIII. *pag.* 573. Dicæarchus quoque animam esse negavit, Cic. lib. IV. capit. XXXIX. *Academ. Quæst.* etsi Plutarchus putet, statuisse illum, animam esse harmoniam quatuor Elementorum, lib. IV. cap. II. pag. 908. *de Placit. Philosoph.* Democritus credidit animam esse quid concursu fortuito conflatum e corpusculis insectilibus & rotundis, quæ perenni agitantur motu,

ut res quoque alias ad ſe rapiant. Anaxagoras per animam intellexit mentem omnia intelligentem. Heraclitus animam dixit eſſe igneam exhalationem, Conimbr. *ad lib. Ariſtot. de Anim. cap.* I. p. 26. Macrobius tamen lib. I. cap. XIV. pag. 59. *Comment. in Somn. Scipion.* refert, illum ſtatuiſſe animam eſſe ſtellaris naturæ & eſſentiæ. Inde etiam poſt mortem migrare ad aſtra, ibidemque habere ſedem, Cic. lib. I. *Tuſcul. Quæſt.* cap. XIX. pag. 86. Empedocles docuit animam eſſe harmoniam quandam quatuor Elementorum. Diogenes Apolloniates, teſte Ariſtot. lib. I. cap. II. *de Anima*, credidit animam eſſe aerem; quem errorem etiam fovit Anaximenes; referente Plutarcho lib. I. cap. III. pag. 876. *de Placit. Philoſoph.* Epicurus nugatus eſt, animam eſſe e quatuor qualitatibus temperatam, Plutarch. lib. IV. cap. III. pag. 908. *de Placit. Philoſoph.* licet Macrob. lib. I.cap. XIV. pag. 59. *Comm. in Somn. Scipion.* dicat conſtituiſſe Epicurum animam ex igne, aere & ſpiritu mixtam. Quidam docuerunt animam eſſe harmoniam, vid. Ariſtotel. lib. I. cap. II. *de Anima*, quos refutat Plato in *Phædone* pag. 65. & quæ aliæ Philoſophorum ſunt ſententiæ.

§. II. Nonnulli inter Gentiles animam fecerunt mortalem interituique obnoxiam. Epicureos quod attinet, certum eſt, eos ſenſiſſe, animas hominum eſſe mortales, & cum corporibus interire. Unus audiatur Auguſtinus, qui in hæc prorumpit verba: *Diſputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi ego credidiſſem, poſt mortem reſtare animæ vitam & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit*, lib. VI. *Confeſſ.* cap. XVI. de quo vide *Tom.* I. pag. 122. Et alibi verba ejus hæc ſunt: *Nam Epicurei & de corpore & de anima hoc idem ſentiunt, quod utrumque mortale eſt*, in tractatu *de Epicureis & Stoicis*, cap. V. ſeu Tom. VI. pag. 872.

§. III. Stoici eandem rem tangunt, & diuturnas animas faciunt, ſi non immortales. Unde & Seneca de animabus hominum diſputaturus, concepit verba, *quamdiu ſint?* Non rogat, an ſemper ſint poſt fatum; an non ſint ἁπλῶς: ſeu *quamdiu*. Qui etiam alibi ab æternitate animarum verbis claris videtur recedere, utpote cum inquit: *At ego mortem diu expertus ſum. Quando? antequam naſcerer: Mors eſt, non eſſe: id quale ſit, jam ſcio. Hoc erit poſt me, quod ante me fuit*. Idem ille: *Mors omnium dolorum & ſolatio eſt, & finis: ultra quam mala noſtra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam naſceremur jacuimus, reponit*, libro *de Conſolatione ad Marciam* uno, cap. XIX. Cujus ſunt & iſta: *Juvabat de æternitate animarum quærere, imo mehercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam promittentium magis, quam probantium*, *epiſtol.* CII. Vult ergo Seneca immortalitatem animæ magis, quam credit. Et licet ille loco eodem, ut alibi, nempe *epiſtola* LXIII. ſcribat, *diem iſtum, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalem eſſe*, ac proinde ad immortalitatem animæ accedat, immortalitatem tamen intelligit non veram, ſed Stoicam, qua poſt ecpyroſin ſive conflagrationem animæ omnes ad mundi animam, quæ Jupiter eſt, redibunt, adeoque erunt æternæ. Hactenus de mente Senecæ, cum quo Laertius, Euripides, & alii plures conſentiunt. Nec aliter Plinius, *lib.* VII. *cap.* LV. cum ſcribit: *Omnibus a ſupremo die eadem, quæ ante primum, nec magis a morte ſenſus ullus, aut corpori, aut animæ, quam ante natalem. Et Stoici*, inquit Cicero lib. *Tuſc. uſuram nobis largiuntur tanquam cornicibus: diu manſuros ajunt animos, ſemper negant*. Non ergo immortales ſunt animæ, ſed vel ſolutæ corporibus ſtatim intereunt, vel permanent quidem ad ecpyroſin illam, ſive conflagrationem, cum omnia reſolvuntur, & ad initia ſua revertuntur; tunc tamen omnes iterum ad mundi animam, id eſt, ad Jovem, ſeu, ut alii vocant, aſtra redeunt. Imo non omnes tamdiu permanent, ſed ſolæ magnæ, hoc eſt, ſapientum & magnorum virorum animæ: minutæ autem & fatuæ pereunt, aut non diu manent. Quin genere quodam fati extinguuntur etiam meliores: puta, ſi pondere aut mole magna una cum corpore obruuntur, immerguntur item aquis ac os morituris pannis conſciſſis farciunt, ne detur animabus exituris locus. Omnia iſta deliria, quæ Græci ληρήσεις vocant, nota ſunt ex Seneca, Epicteto, Cicerone, Laertio, Tacito, Numenio, Statio, Servio, Syneſio, ac Dionyſio Halicarnaſſeo, quorum verba ipſa nolo hic allegare. Vide ea, ſi placuerit, apud J. Lipſium, *Phyſiologiæ Stoicorum* lib. III. diſſ. XI. Tantum dico, ſententiæ illi originem eſſe & firmamentum a ſcito, quod anima ſit corpus: itaque pati eadem, quæ corpus, & affligi, diſſipari, ac ſolvi. Quod cum Stoicis Tertullianus quoque adſeruit: *Effigiem*, inquiens *de Anima*, cap. IX. *animæ non aliam præter humanam & quidem ejus corporis, quod unaquæque circumtulit*. Nota, *circumtulit*: ergo & poſt mortem talis. Cauſam etiam addit: *Recogita enim cum Deus ſufflaſſet in faciem hominis flatum vitæ, totum utique per faciem ſtatim flatum illum in interiora tranſmiſſum, ſimulque divina aſpiratione denſatum, omni intus linea expreſſum eſſe, quem denſatum impleverat, & velut in forma gelaſſe. Inde igitur & corpulentia animæ ex denſatione ſolidata eſt, & effigies expreſſione formata*. Hæc Tertullianus de corpulentia animæ. Scilicet ita eſt, ut non ubivis Patres recte ſenſerint; cum humana fuerint ingenia, quæ contingit interdum, ut Varro ait, ceſpitare.

§. IV. Ad Sadducæos venio, qui ſic dicuntur, Theophylacti verbis, ἀπὸ αἱρεσιάρχου Σαδὼκ, hoc eſt *hæreſiarcha Sadoco*, non propter genus aut mores ejus, ſed propter doctrinam ſive hæreſin. *Nam ſicut*, ut amplius Paulus Burgenſis id firmat, *Ariani dicuntur ab Arrio, qui fuit primus inventor hæreſis: ſic Saducæi dicuntur a quodam qui nominabatur Sadoc, qui fuit primus inventor hæreſis Saducæorum, ut habetur in gloſſa ſuper librum Thalmudicum, qui dicitur Avoth. Unde non dicuntur a juſtitia*, (quam tamen originationem Hieronymus tuetur, loco paulo poſt laudando, cujus hæc ſunt verba: *Duæ hæreſes erant in Judæis, una Phariſæorum, alia Sadducæorum. Phariſæi traditionum & obſervationum, quas illi δευτερώσεις vocant, juſtitiam præferebant, unde & diviſi vocabantur a populo. Sadducæi autem, qui interpretantur juſti, & ipſi vendicabant ſibi quod non erant* &c. *quia nec reputabantur inter alios juſtiores, ſed contra: nam Phariſæi eorum æmuli juſtiores reputabantur, ut patet Luc.* XVIII. *ubi dicitur de Phariſæis, quod confidebant in ſe tanquam juſti & ſpernebant cæteros.* Confer hic Druſium *de Sectis Judæorum* lib. III. cap. II. & XII. Hoſce autem Sadducæos docuiſſe, quod animæ ſint mortales, in ore ac calamo verſatur omnium. Hieronymus commentatur: *Qui* (Sadducæi) *reſurrectionem corporum non credebant, & animam putabant interire cum corporibus, recte iſtiuſmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos, qui reſurrectionem aſſerant mortuorum*, in *Commentario in caput Matthæi* XXII. Tom. IX. pag. 66. ab initio. Similiter Origenes *lib.* XVIII. *cap.* II. Σαδδουκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς συναφανίζει τοῖς σώμασι. Idem a Judæis dicitur. Verba Flavii Joſephi ſunt hæc: *At Sadducæorum opinio cum corpore extinguit ſimul*

& animas, nec aliud quicquam præter legem servandam existimant, libro XVIII. *Antiquitatum Judaicarum*, cap. II. Item. *Animarum autem generaliter vel supplicia denegant vel honores*, lib. II. *de Bello Judaico*, cap. VII. [Palam de Sadducæis fatetur, quod Abraham Zachut Salmanticensis: *Ajunt* (Sadducæi) *animam mori cum corpore*. Sed heus! incidit male omissum, ex Zonara, ubi de Sadducæis dicitur. *Mortales esse animas arbitrantur, atque una cum corporibus interire*.

§. V. Cujus erroris Sadducæos quoque arguit is, qui non potest errare. Nam inquit Paulus, *Actor.* XXIII. 8. *Nam Sadducæi quidem dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem ambo ista confitentur*. Si autem Sadducæi negant resurrectionem mortuorum, negant una immortalitatem animarum, cum resuscitatio mortuorum definiatur *opus solius Dei veri, quo corpora defunctorum omnium ex terræ pulvere excitabit, ac animabus uniet, ut pios gloria ornet, impios vero ad cruciatus unquam finiendos damnet*, secundum Dn. D. Joannem Gerhardum, L. *de Resurrect. mortuorum*, §. ult. Quin inveniuntur Interpretes, qui nomen, *πνεῦμα*, de anima etiam intelligunt, eo denotari sibi persuadentes *ὑπόστασιν τῆς ψυχῆς*, quam Sadducæi negarunt, nec aliud animam dixerunt, quam crasin seu temperaturam quamdam humorum: in quo errore, teste Theodoro, nobiles etiam multi Medici fuerunt. Quamquam alii aliter hac de re sentiant. Nam negarunt Sadducæi, ut antea ex Josepho demonstravi, animæ non tam *ὑπόστασιν*, quam *διαμονὴν*, id est, *perseverantiam*, seu *perennitatem*. Quod ut fiat clarius, integrum locum paululum declarabo. Quid *ἀνάστασις*, id est, *resurrectio*, ac *ὁ ἄγγελος*, seu *angelus*, hoc loco denotent, quivis facile intelligit. Tantum de nomine *πνεῦμα* inter Interpretes lis est & dissidium. Interpretantur autem id generaliter nonnulli, & specialiter alii. Generaliter qui exponunt, nomine prædicto denotari putant omnem substantiam spiritualem, etiam Deum, in qua opinione fuerunt Lyranus & Carthusianus. Vide Johannis Lorini *Commentarium in h. l.* Quo pacto hic esset verborum sensus: *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum*, hoc est, negant non solum in specie animas humanas, & angelos sed in genere etiam omnes immateriales substantias. Sensus hic non penitus est rejiciendus, nec contextui, aut analogiæ fidei repugnat. Verisimile enim est, Sadducæos omnem hujusmodi spiritualem substantiam de medio sustulisse, ac proinde Deum, Spiritum Sanctum, angelos, & animas. Unde Nicolaus, & ex eo Drusius de *tribus Sectis Judæorum* l. III. c. XII. *Negabant spiritum generaliter. Nam & ipsum Deum dicebant esse corporeum*. Et mox: *Negabant creaturam spiritualem*. Sed qui specialiter id nomen interpretantur, vel de DEO, aut creaturis esse sermonem scribunt. Priores iterum sunt in duplici sententia. Alii de Deo Spiritu *οὐσιωδῶς*, seu absolute ac simpliciter accepto, explicant, ut Oecumenius, cum scribit: *Sadducæi quum crassi sint; fortassis ne Deum quidem cognoscunt, unde neque credere volunt resurrectionem esse*, in *Commentario*. Adstipulatur impræsentiarum Theophylactus, ut alibi sæpius. Alii vero non *πνεῦμα*, *ὑποστατικῶς*, hoc est, *personaliter*, accipiunt, nempe pro persona sacrosanctæ Trinitatis tertia, quam Spiritum Sanctum veneramur. Alludit ad hunc locum Gregorius Nazianzenus, *Oratione* XXXVIII. quæ quinta & postrema est de Theologia: *Spiritum Sanctum*, inquit, Jacobo Billio Prunæo interprete, *Sadducæi penitus non esse censuerunt, quemadmodum nec angelos, nec resurrectionem: quibus haud scio quid acciderit, ut tot & tanta de eo in Instrumento veteri testimonia pro nihilo haberent*. Consentit Epiphanius *hæresi* XIV. de Sadducæis ita scribens: *πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ εἴσασιν, οὐ γὰρ εἰσὶ τούτου ἠξιωμένοι*, hoc est, *Spiritum Sanctum negarunt, quoniam non sunt hoc digni facti*. Juvat hanc sententiam locus, qui ex *Actis* cap. XXIII. vers. 9. laudatur, *quod si Spiritus* (*πνεῦμα*, hoc est, *Spiritus*,) *loquutus est ei, aut angelus, ne repugnemus Deo*. Quem versum enarrans Theophylactus, *ἰδοὺ τὰ περὶ ἀναστάσεως λαλῶν, δῆλον ἐστὶν*, inquit, *ἢ διὰ πνεύματος ἁγίου, ἢ δι᾽ ἀγγέλου κατηχηθεὶς τὸν τῆς ἀναστάσεως λόγον*, hoc est, *Ecce quæ de resurrectione loquitur, manifestum est, quod aut per Spiritum Sanctum, aut per Angelum eruditus sit resurrectionis sermonem*. Ita & Oecumenius. Hæc interpretatio quo minus possit habere locum, non video. Certum enim est, Sadducæos non cognovisse distinctionem Personarum, tertiamque proprie negavisse, quam vocamus Spiritum Sanctum. Duo tamen sunt, quæ nonnulli hic urgent, Unum est, *πνεῦμα* poni sine articulo, ac proinde non denotare Spiritum Sanctum. Alterum est, non tria hic innui, nempe resurrectionem, angelos, & Spiritum Sanctum, quia *τὰ ἀμφότερα* ea vocat Apostolus. Neutrum est firmum. Non primum, quia illa Didymi Alexandrini regula fallit. *Apostoli quando intelligi volunt personam Spir. Sancti, addunt articulum τὸ πνεῦμα, sine quo Spiritus Sancti dona notantur*. Nam *τὸ πνεῦμα* cum articulo quandoque Spiritus Sancti dona significat, ut *Ephes.* IV. 23. I. *Thessal.* V. 19. & I. *Joh.* IV. I. E contra vero idem nomen sine articulo Spiritus Sancti personam denotat; quomodo accipitur *Joh.* III. 5. & in *Epist. Judæ*, vers. 19. Nec posterius vero est congruum, cum species numeri certa pro multitudine indeterminata sæpe in Codice Divino ponatur. Exempla prætereo, cum ubivis sint obvia, & non absque magno litteratorum emolumento collecta a D. Salomone Glassio, in *Rhetor. Sacra*, pag. 450. Unde Apostolus dicit, *Pharisæos confiteri τὰ ἀμφότερα, utraque*, id est, omnia ac singula. Quod ante me quoque Syrus observavit, qui legit, *Pharisæi vero confitentur* כבלהין, id est, *omnia hæc*. Accommodate Oecumenius commentatur hunc in modum: *Atqui tria sunt: quomodo ergo dicit ἀμφότερα; Aut quod spiritum & angelum unum esse dicit, aut quod dict. ὁ ἀμφότερα non solum circa duo ponitur, licet hoc proprie significet, sed etiam de tribus. Itaque non oportet ab externa proprietatis perscrutatione judicare Scripturas simplicium & illiteratorum piscatorum*. Itaque non proprie, sed improprie, hoc est, synecdochice, hic loquitur Lucas. Ad creaturas denique qui hunc locum referunt, exponunt *πνεῦμα* aut de Angelo, aut de animo humano, qui dicatur *sanctus*, hoc est, firmus, & immortalis. Taliter sentit Hugo. Affinis huic est Cajetanus, qui *πνεῦμα* interpretatur *animam rationalem*. An idem statuerit Hieronymus, judicet, qui hæcce ejus legit verba: *Sadducæi autem qui interpretantur justi, & ipsi vendicabant sibi, quod non erant: prioribus* (Pharisæis) *& corporis & animæ resurrectionem credentibus, confitentibusque & angelos & spiritum, sequentes (juxta Acta Apostolorum) omnia denegabant*: in *Comment. super Matth.* XXII. Causa autem quamobrem hi auctores per spiritum intelligant vel angelum aut animam rationalem, est hæc; quia hoc pacto verba posteriora cum antecedentibus optime possunt conciliari, nempe Pharisæos utraque fuisse professos, hoc est, resurrectionem & angelos. Nam unum efficiunt membrum de sententia istorum Interpretum, vel *angelus & spiritus*, vel *resurrectio & spiritus*. Qui vero, ut antea monui, vox *ἀμφότερα* synecdochi-

ce hic potest accipi, mentio tria, non duo constituimus membra, *resurrectionem*, scilicet, *angelos*, & *Spiritum Sanctum*: quæ singula Sadducæi iverunt inficias. Atque sic hic quoque locus attestatur, Sadducæos animæ immortalitatem negasse. Nega enim resurrectionem, & una negabis animæ æternitatem, juxta allegatam antea B. Gerhardi definitionem.

§. VI. Idem Arabum fuit error. Eorum enim nonnulli senserunt, animas cum corporibus mori atque dissolvi, & in fine seculi utrumque resurgere. Testatur id vel solus Augustinus, qui, Eusebium secutus, ita scribit: *Cum Eusebii historiam perscrutatus essem, cui Ruffinus, a se in Latinam linguam translatæ, subsequentium etiam temporum duos libros addidit, non inveni aliquam hæresin, quam non legerim apud istos, nisi quam in sexto libro ponit Eusebius, narrans eam extitisse in Arabia. Itaque hos hæreticos, quoniam nullum eorum ponit authorem, Arabicos possumus nuncupare, qui dixerunt animas cum corporibus mori atque dissolvi, & in fine seculi utrumque resurgere. Sed hos disputatione Origenis præsentis & eos alloquentis celerrime dicit fuisse correctos*, libro *de Hæresibus*, ad *Quod vult Deum*, Hæresi CXIII. Tom. VI. pag. 30. & 31. Confer Eusebium ipsum lib. VI. *Histor. Ecclesiast.* cap. XXXVI. & Jus Canonicum, cap. *Quidam* XXIV. quæst. III. Quo a quibusdam refertur, quod de Origene commemorat Hieronymus. Scribit enim eum sensisse, *animas, postquam salutem consecutæ fuerint, amplius non futuras animas. Sicut enim*, inquit, *venit Dominus atque Salvator quærere & salvum facere quod perierat, ut perditum esse desistat: sic anima, quæ perierat & ob cujus salutem venit Dominus, cum salva facta fuerit, anima esse cessabit*, in *Epistola ad Avitum*.

§. VII. Sequuntur Libertini, qui auctore quodam Quintino Piccardo docuerunt, *animas hominum non esse immortales*. Horum autem auctorem forsan neminem habemus, nisi Joannem Calvinum, in libro *contra Libertinos*, ubi dicit, sibi notum esse multa millia esse in hac Secta. Vide Bellarminum *de Scriptor. Ecclesiast.* pag. 125. In eodem luto hæsitavit Servetus, ut memoriæ jam pridem est proditum. Vide Johannem Cochlæum, Surium, & post eos, Robertum Bellarminum *cit. loco*, pag. 121. Et huc pertinent Hæretici, quos Damascenus vocat *Thnetopsychitas*, quorum mens erat & sententia, *hominum animos pecudum animis similes esse, atque eos una cum corporibus interire*. Tam insanæ mentis homo etiam olim fuit Hermannus Riffuich, natione Batavus. Ille enim tempore Alexandri VI. docuit, animam mori cum corpore. Unde & eum Robertus Bellarminus *cit. loco*, pag. 117. omnium Hæreticorum vocat perditissimum & stultissimum, quippe, qui cum doceret animam mori cum corpore, tamen maluit vivus exuri, quam suam hæresim revocare.

§. VIII. Quid Anabaptistæ? Sic de illis scribit Fevardentius in *Annotationibus ad Irenæum* cap. LXIII. *Anabaptistæ anno Domini* 1568. *theses Cracoviæ impressas per Poloniam divulgarunt, quarum decima est. Negamus aliquam animam post mortem manere. Sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo ad stabiliendam suam culinam per fictum Purgatorium & invocationem Sanctorum. Quorum quoque unus minister Domonovvski publica cum Patribus Societatis Poloniæ habita disputatione anno* 1589. *mense Octobri publice asseruit, animam cum corpore interire. Alter, Budnæus nomine, hac de re interrogatus, quid sentiret, respondit, rem esse dubiam & sub judice adhuc litem pendere. Hæc de Polonia*

A *sua refert Andreas Jurgievicius vir æque diligens ac eruditus in libello, cui nomen dedit, Bellum quinti Evangelii*. Ita Fevardentius. Adeundus est Andreas Rivetus, *Exercit.* XX. *in Genesin*, pag. 105.

§. IX. Multi itidem de animæ immortalitate dubitarunt. In Lateranensi Concilio peculiari decreto animæ immortalis asserebatur, cum de ea tum temporis hæsitabant plurimi. Testis est Dn. D. Lucas Osiander, quem vide *Centur.* XVI. *lib.* I. *cap.* XVI.

§. X. Tandem Photiniani huncce errorem sic insinuant, ut tamen palam non enuncient, aliquando etiam videantur negare, sed pro more

B suo ambigue & veteratorie, ita ut semper rimam sibi servent. Si vero mentem eorum liceat exhaurire, ea talis est, nempe quod anima hominis una cum corpore extinguitur, immortalis autem vocatur, quia per resurrectionem homo revicturus est, sed id de piis tantum intelligunt, cum impiorum resurrectionem aut diserte negent, aut principia ponant, ex quibus talis infertur negatio. Operæ pretium est, ut ipsi audiantur. Collocutores Racovienses ea de re ita senserunt: *Animadvertendum est, Christum & Apostolos coactos fuisse quodammodo hominum opinionibus, quæ tunc plerunque vigebant, se accommodare, quemadmodum satis aperte docet parabola divitis & Lazari. Nam*

C *aliquem in inferno fuisse & ibi torqueri, in sinu Abrabæ decumbere, sunt plane fictitia & similia illis, quæ Poetæ de Ixione, Sisypho, Tantalo scribunt; hac etiam prudentia hodie apud vulgus Christianorum in hac materia utendum illis, qui gloriæ Dei consultum cupiunt*. Confer Dominum D. Johannem Gerhardum, L. *de Morte*, §. 149. & Andream Rivetum, *Exercit.* XX. *in Genes.* pag. 104. & 105. Gemina plane Concilio Racoviensi Valentinus Smalcius & Johannes Volkelius scribunt. Ille inquit: *Credimus enim cum Sacra Scriptura*, Pulverem reverti ad terram, unde sumtus est, spiritum autem

D redire ad Deum, qui illum dedit. *An vero spiritus ille, qui ad Deum redit, & a corpore separatus est, sensu aliquo præditus sit, & an voluptate aliqua fruatur ante adventum Christi, & ante conjunctionem istam novam spiritus cum corpore glorificato, quod Deus olim daturus est, credentibus, valde dubitamus, imo aliter rem se habere credimus. Nempe quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est: sic vicissim spiritum sine corpore nullas actiones exercere posse. Solos pios victuros in æternum, nonne est petitum ex penetralibus Sacrarum Literarum, quæ sola vitæ promissione solantur fideles?* Si opera carnis spi-

E ritu interemeritis, *ait Paulus*, vivetis. *Quod idem millies alibi etiam invenitur. Jam si quis hinc colligat, impios æternum non victuros, id non nostræ sententiæ, sed Sacris Literis potius adscribendum esset*, in *Refutatione Thesium D. Wolfangi Frantzii*, pag. 409. & 410. Et verba alterius sunt ista: *Hoc posteriori modo accepta anima, spiritu a corpore sejuncto, consistere non potest. Spiritus vero ipse, qui est anima priori modo accepta, nequaquam interit: sed, ut Salomon testificatur, ad illum redit, qui eum dederat; restituendus tamen suo tempore cum immortali gloria iis, qui cum fide justitiaque vixerint*. Iterum: *Etiamsi autem hic spiritus natura sua sit incor-*

F *ruptibilis; proprie tamen loquendo, ut non moritur, ita nec vivit, sed vitam tantum, quamdiu corpori junctus est, efficit. Quare proprie loquendo nec immortalis dici potest. Immortalitas enim eorum demum est, quæ ipsamet actu vivunt*, lib. III. de *Religione Christiana*, cap. XI. pag. 71. circa finem. Si autem anima hominis post separationem nec sensus gaudii, nec pœnæ est capax, imo neque vivit, certum est, eam animam non esse, & per consequens mortalitati obnoxiam.

§. XI. Quidam tamen Gentiles animas hominum in perpetuum immortales degere existimarunt. Dionys. Halicarnass. lib. VIII. p. 538. *Antiq. Roman.* Cicero in Orat. *pro Sextio* pag. 350. *Nescie bam inter homines sapientissimos hanc fuisse contentionem, ut alii dicerent, animos hominum sensusque morte restingui.* Hinc sapientes mentis acumine ulterius progressi animam immortalem statuerunt. Pherecydes Syrus de animæ immortalitate disputavit: Pythagoras Samius istius disputatione permotus ex Athleta factus est Philosophus, Voss. cap. VI. pag. 31. *de Sectis Philosophorum.* Origenes *Homil. in Levit.* in hæc prorumpit verba: *Multi ex Philosophis immortalitatem animæ statuunt, seu animam immortalem esse sentiunt.* Plato in *Phædone* pag. 53. *Cæterum ad id fortasse persuasione fideque non parva opus est, ut credatur superesse animam post interitum hominis, atque aliquam vim intelligentiamque habere.* Idem in *Menone* p. 415. *Cum animus immortalis sit, ac sæpius in hanc vitam redierit, videritque persæpe, & quæ in hac, & quæ in alia vita sunt, omniaque perceperit, nihil utique restat, cum ipse didicerit.* Idem in lib. x. *de Republ.* pag. 757. *An ignoras immortalem esse hominis animam, & ab interitu liberam.* Diodor. Sicul. *lib.* XVIII. *pag.* 586. Multos quoque ex Antiquis immortalitatem animæ statuisse docet Martin. Delrio *Comment. ad Senec. Troad.* pag. 445. Chaldæi & Indi id docuerunt, Pausan. *lib.* IV. p. 257. Druides Gallorum asserebant immortalitatem animæ. Strabo *lib.* IV. pag. 197. *Druides*, inquit, *animam interitus expertem statuunt.* Thraces quoque ex parte crediderunt immortalitatem animæ, Pompon. Mela, lib. II. cap. II. pag. 63. *de situ Orbis.* De immortalitate animæ sequentes vide, Lucian. *Tom.* II. pag. m. 576. Eliam Sched. *de Diis German.* cap. XLVII. pag. m. 449. Platonem in *Phædone* pag 78. Cic. lib. I. *Tuscul. Quæst.* cap. XXIII. pag. 87. Macrob. *lib.* II. cap. XIII pag. 138. *Comm. in Somn. Scipion.* Cassiodor. in lib. *de Anima* c. VIII. pag. 418. Nazianzen. Orat. I. *de Theolog.* pag. 535. Plutarch. lib. v. cap. I. pag. 904. *de Placit. Philos.* Petrum Pomponat. in lib. *de immortalit. animæ*, Cajetanum *ad lib.* III. *cap.* II. *Aristot. de Anima*, Leonhard. Coquæum *ad lib.* I. *cap.* XXXVI. *pag.* 96. Augustin. *de Civit. Dei*, Voet. Part. I. *Disputat. Theolog.* pag. 777. Conferatur Gerard. Joan. Voss. lib. I. cap. X. pag. 74. & lib. III. cap. XL. p. 927. *Idol.* Tandem ut etiam R. Mos. Maimonid. sententiam *de Fundamentis Legis* addam §. XV. pag. m. 46. ita scribit: *Non est forma istius animæ, composita ex elementis, uti resolvatur in illa; neque est ex potentia (sensitivæ) animæ, adeo ut opus habeat anima, sicut anima indiget corpore; sed a Domino e cœlis est: idcirco quando dissolvitur corpus compositum ex elementis, etiam perit ista anima, quia non existit, nisi cum corpore, & opus habet corpore in omnibus actionibus. Hæc autem forma non exterminatur, quia non indiget anima in suis operibus, sed intelligit atque cognoscit intellectu separato a corpore, atque intelligit creatorem omnium, ac stabilis est, atque permanet in secula seculorum.*

§. XII. Viso hoc, quod anima sit immortalis, porro quæritur, ubinam anima post mortem maneat? Grotius *ad cap.* VIII. *Matth.* putat, fuisse quosdam, qui statuerint, animas mortuorum circa cadavera hærere, quod Porphyr. lib. II. pag. 89. *de Abstinentia* restringit ad animam improbam, & eorum hominum, qui violenta morte perierunt. Quod quoque censet Macrob. lib. I. cap. XIII. p. 53. *Comm. in Somn. Scipion. Exitu coacto*, ait, *animam circa corpus magis magisque vinciri, & revera sic extortæ animæ diu circa corpus ejusve sepulturam vel locum, in quo injecta est manus, pervagantur.* Platonem tamen de anima indefinite sensisse docet Delrio *ad Senecæ Hippol.* pag. 191. Et Boxhorn. *Quæst.* XI. *Roman.* pag. 52. dicit fuisse opinionem, qua credebant, animas corporibus terra conditis continuo assidere. Seu ut Judæi fabulantur, quod anima duodecim menses ascendat & descendat, priusquam ad gradum perfectum evehatur, quod refert Olam Haneshamoth: *gradus imperfectior intra duodecim menses*, post quos evehitur quis ad gradum quendam e gradibus seculi futuri, perfectionis nempe & gloriæ. Quo indicatur, etiam justorum animas haut facile statim a rerum terrenarum, quibus assuetæ sunt, studio avelli: tempus purgationis & defecationis *duodecim menses* statui; ideoque intra duodecim menses potuisse Pythonissam Samuelem evocare. Consuli etiam potest Ramban. cap. *Gamul.* fol. 103. Ejus quod dicunt *duodecim mensibus permanet corpus ipsius, animaque ascendit, postea corrumpitur corpus, animaque ascendens non amplius descendit.*

§. XIII. Alii dicunt animas hominum post mortem fieri dæmonas, & quidem laudabilium Virorum animas fieri æthereos dæmonas: improborum vero nocentes easdemque animas anno demum millesimo terrenum corpus resumere. Chalcid. *in Timæum Platon.* pag. 229. hoc quoque videtur statuisse Pythagoras, qui in suis *aureis Carminibus* ita dicit:

Corpore deposito cum liber ad æthera perges,
Evades hominem, factus Deus ætheris almi.

Alii statuunt animas post mortem mutari in Heroas. Plutarch. in lib. *de Oracul. defect.* pag. 415. *Sicut ex terra aqua, ex aqua aer, ex aere ignis fieri cernitur, sursum se efferente natura: sic meliores animas ex humanis in Heroicas, ex Heroibus in Genios mutari: e Geniis quasdam paucas longo tempore virtutis ope prorsus purgatas divinæ naturæ participes reddi: aliis usu venire, ut suimet ipsarum impotes rursum demittant se, inque humana corpora denuo illapsæ fulgoris expertem obscuramque nanciscantur vitam.* Dionysius Halicarnass. *lib.* VIII. pag. 522. *Antiquitat. Roman* triplicem animæ post mortem locum facit. (1) Est caliginosus, qui miserorum domicilium perhibetur. (2) Campi Lethæi. (3) Sublimis & purus æther. Et hic ille est, quem teste Plutarcho in lib. *de Facie in orbe Lunæ* p. 943. Prata Ditis. Alias Plutarch. in *Amatorio*, pag. 758. inquit: *Animas per Deum auxiliarium ad manes deduci*; & per Deum istum Mercurium intelligit, cui teste Pausan. lib. VIII. pag. 645. a Jove demandatum ad inferos animas deducere. Conf. Virgil. lib. IV. *Æneid.* v. 242. Horat. lib. I. *Carm.* od. X. Aliam quoque Plutarchus de sede animarum habet opinionem in *prædicto libro* pag. 945. nempe trahi animam ad Lunam, in quam animæ resolvuntur. Ast Porphyr. in libr. *de Antro Nymph.* pag 267. Lacteum circulum cœli sedem facit, & Lunam portam esse inquit *pag.* 268. Alias non inusitata opinio Gentilium, quando animabus sedem tribuebant in sideribus. Macrob. lib. I. cap. XIII. pag. 53. *Comm. in Somn. Scipion.* & Seneca in lib. *Suasor.* pag. 30. *Animus* —— *ad sedes suas & cognata sidera recurret.* Conf. Cicero lib. I. *de Divinit.* cap. XXV. pag. 184.

§. XIV. Fuit quoque alia opinio, qua docebatur, (1) animas post mortem in alia migrare corpora, cujus vestigium deprehendimus in Platonis *Phædone*, pag. 53. Quæ sententia (2) Pythagoræ fuisse etiam dicitur, Voet. Part. I. *Disp. Theol.* pag. 828. Confer. Minut. Felix in *Octav.* pag. 38. Justin. Martyr. in *Quæst. Græc.* p. 163. Diogen. Laert. *lib.* VIII. pag. 570. (3) Potissimum quæritur, an Pythagoras dogma hoc excogitaverit, an aliunde acceperit? Photius p. 1004.

Biblioth. dicit, illud per Ægyptios ad Pythagoram manasse. Jamblich. lib. I. cap. V. *de Vita Pythagoræ.* Voss. *de Sect. Philosoph.* cap. VI. pag. 29. Hornbeck. lib. VIII. cap. III. pag. m. 541 *contra Judæos*; quod verisimile est, quia in Ægyptum peregrinando se contulit. Isocrat. in Orat. *de laudat. Busirid.* p. 443. (4) Quæritur, quænam sint illa corpora, in quæ statuuntur transire? Vel e corpore humano in aliud transeunt, ut Pythagoras docuit; vel e corpore humano in bestias migrant. Apud Platon lib. X. pag. 765. *de Republ.* legitur, quod Orphei anima corpus cygni elegerit. Sic etiam Judæi sentiunt, ut R. Elias Levita, teste Balduino Walleo *ad cap.* IX. *Job.* pag. 904. (5) Quinam status sit animarum in aliis corporibus? Malchus *in Vita Pythagoræ* dicit, creditum fuisse a Pythagoreis, animam & recordari præteritorum, & de novo assuescere naturæ corporis, in quo sit, utpote quod inhabitet, & tali naturæ convenientes operationes exerceat. E contra Simon Majolus in *Diebus Canicul.* pag. 336. nescio tamen e quo Autore scribit, illas omnium oblivisci. (6) Non tantum Pythagorei, sed & alii hoc dogma foverunt. Uti sunt Ægyptii, qui primum opinionem hanc excogitarunt, quod refert Herodot. *lib.* II. *cap.* CXXIII. pag. 137. Hinc ab Ægyptiis Græci opinionem acceperunt istam, quamvis nonnulli e Græcis eam rationem credendi tanquam suam ipsorum usurpaverint, teste, sed simul improbante, Herodoto *lib.* II. pag. 127. Verum inde est, Pythagoram huc ejusmodi opinionem cum Stoicis traxisse. Verum Lipsius lib. III. differt. XII. pag. 617. *Physiol. Stoicor.* negat, Stoicos unquam huic opinioni fuisse deditos.

§. XX. Judæorum etiam quidam sunt, scilicet Pharisæi, qui huic errori fuerunt addicti, quod colligimus ex Flav. Josepho lib. XVIII. cap. II. pag. 261. *Antiq. Judaic.* Animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis & malitiæ merito, & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse reditum ad vitam. Conf. Eduard. Pockock. Angl. eruditiss. in *Miscell.* R. Mos. Maimon. annexis, diversis in locis. Dogma istud inter Judæos viguisse vult Johannes Drusius, *lib.* II. *c.* XIV. de *tribus Sectis*, ostendere duobus locis Novi Testamenti, nempe *Matth.* XVI. *v.* 14. *Johan.* VI. *v.* 14. præcipue quod Herodes Tetrarcha putaverit, animam Johannis Baptistæ a se decollati insinuasse se in corpus Christi. Verum Oizel. in *Comm. ad Minuc. Felic.* pag. 202. contrarium docet, nempe illud exinde non probari, utpote quod Herodes existimaverit Johannem Baptistam resuscitatum fuisse a mortuis. Alias notum est, quod quidam e modernis Judæis illam animæ transmigrationem statuant, quæ ipsis dicitur *Secretum revolutionis*; item *Revolutio animarum*. Menasse Ben Israel lib. II. cap. XVII. *de Resurrect.* apud Johan. Hornbeck. *lib.* VIII. *cap.* III. pag. 545. *contra Judæos*, Oizel. in *Animadversion. ad Minucium*, pag. 202. Ita Judæi dicunt, animam Adami per Secretum Revolutionis migrasse in Davidem: Davidis animam vero transmeasse in Messiam, qui tamen adhuc propter hominum peccata lateat. Eli. Sched. cap. XIX. pag. 319. *de Diis German.* quem errorem evertit Hornbeck. lib. VIII. cap. III. pag. 548. *contra Judæos*.

§. XXI. Sic Gallorum Druides animarum transmigrationem statuerunt, Cæsar libr. VI. *de Bell. Gallic.* pag. 136. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Et Diodor. Sicul. *lib.* V. pag. 306. Pythagoræ apud Gallos opinio invaluit, quod animæ hominum immortales in aliud ingressæ corpus, definito tempore, denuo vitam capessant. Cæteris jam omissis, denique de Indis pauca dicam, de quibus scribit Hugo Linschotanus *par.* I. cap. XXXVIII. quod credant animam esse immortalem, sed ita ut ex uno corpore in aliud transmigret, nec esse differentiam, sive in brutum, sive in humanum corpus involet, prout quisque vel bene vel male egerit. De Indis modernis refert *Historia Indica* Domini de Mandeslo lib. I. cap. XXXVII. pag. 113. Profitentur Pythagoræ doctrinam, & quidem credunt, animam hominis immortalem esse, attamen, antequam ad alium pertingat mundum, ter aut quater teneri in alia corpora, tum hominum, tum bestiarum & vermium migrare.

§. XXII. Tandem videndum, quomodo alii dogma istud μετεμψυχώσεως voluerint allegorice interpretari. Augustin. lib. VII. cap. X. *de Genes. Liter.* (adducente locum istum Leonhardo Coquæo, *ad lib.* X. *cap.* XXX. *pag.* 632. *Augustin. de Civit. Dei*) ita doctrinam illam explicavit, quod Pythagorei non intellexerint veram animorum nostrorum in pecudum corpora transmigrationem, sed rebus fictis adumbrarint, qua ratione homines, & moribus depravatis quodammodo exuant naturam, & in bestias mutentur: nam id proclivius se credere scribit, illos qui hoc primitus docuerunt in hac vita potius intelligi voluisse, quadam perversitate morum ac turpitudine homines pecorum fieri similes, sicque quodammodo in pecora mutari, ut hoc dedecore objecto eos a cupiditatum pravitate avocarent. Marsil. Ficin. in *Argum. ad Platon. Phædon.* p. 42. ita differit. Quod animarum transitus narrat in bestias, Pythagoricum est. Idque intellige, videlicet, animas nostras non tam vivificare corpora bestiarum, quam purgatorii gratia per brutam imaginationem suam quodammodo brutorum imaginationi misceri: quemadmodum impuros ajunt Dæmones insanorum imaginationi sæpe permixtos. Sic utique excepto Plotino plerique exponunt Platonicorum, quod quidem patet eo, quod non dicit: Animam fieri bestiam, sed inducere, subire, transire. Insignem habet locum Johannes Hornbeck. lib. VIII. cap. III. pag. m. 549. *contra Judæos*; *Mirum est*, ait, *Menassem, qui alia suorum commenta Caballistica mystice interpretari conatur, non illud quoque Pythagorico-Caballisticum de animarum transmigratione allegorice explicuisse, uti certe alii faciunt, non quod hominum animæ in alia corpora transeant, sed illis corporibus præ humanis digniores videantur, quibus se moribus & vita sua supra modum assimilant. Quomodo Pythagoram volunt illud intellexisse, ut isto emblemate & fabula suos a bruta & irrationali vita deterreret, & hinc observatam illam similitudinem, ut crudelis & injusti hominis animam in feram: libidinosi & spurci in suem: levis in avem: & sic porro abire & commigrare dicerent. Quod & Judæis illis observatum, qui hominum animas in similium bestiarum corpora transcendere, ac moribus suis & peccatis suis hic retulerant, docuerunt, uti animæ ἀρσενοκοίτων in lepores: adulterorum in camelos*, &c. Atque ita Pythagoræ μετεμψύχωσιν interpretatur Reuchlinus lib. II. *de Cabala*, ubi & illud, quod Pythagoras dixerit, se in bello Trojano Euphorbum fuisse, similem in modum exponit de pari animo, studio & bellandi cupidine, qua flagravit olim Euphorbus, & se præditum Pythagoras agnoscebat. Qualia a Pythagora seu serio, seu joco dicta ab invidis & malevolis contra ejus mentem in alium sensum tracta existimat Claud. Lignier. in differt. *de Sect. Pythag.* cap. X. n. 23. pag. 67. Ex istis, quæ de do-

ctrina Pythagoræ dicta sunt, satis conspicuum est, sapientem fuisse, & Philosophum eum acutum, sed qui virtutum præceptiones, & vitiorum dehortationes studio occultare voluit, ne vulgus in virtutum & sapientiæ mysteria introspiciat. Quo pertinet dogma de transmigratione animarum ex uno corpore post mortem in aliud, quod alii ruditer non sine contemtu famæ Pythagoreæ intellexerunt, cum nihil aliud eo intenderit, quam imitationem bonorum ad actiones honestas & egregias & dehortationem a vitiis, utpote quod hominum animæ post mortem vel in alios homines transirent, si honeste & civiliter vixissent: reciperentur autem in cognationem Deorum, si sapientiæ dedissent operam: vel tandem in fera, rudia, abjecta & immunda transirent animalia, si vitiis, voluptatibus, avaritiæ, iniquitati & tyrannidi fuissent dediti. Hæc est Pythagoræ mens.

CAP. XV.

De opinione Muhammedanorum de statu animæ post mortem.

§. I. VARIA loca pro meritorum & graduum diversitate animas fidelium excipere Mohammedes fingit: & hi gradus in tres dividuntur classes; quarum prima *Prophetarum* est, secunda *Martyrum*, tertia vulgo *Fidelium*. Prophetarum spiritus in Paradisum recta admitti. Martyrum, affirmante Mohammede, manere *in vesiculis collorum avium viridium, fructibus Paradisi vescentium, & de ejusdem fluviis bibentium*. De aliorum credentium, qui beatitudinis participes, spiritibus controvertitur. (1) Dicentibus aliis manere ipsos *in sepulchrorum atriis*, quod quidem non intelligi volunt quidam, quasi loco isti perpetuo adstricti essent, nec ab eo discederent; verum ita, ut interim *libere quocumque libeat abeant*. Hanc sententiam confirmari & dictis & facto Mohammedis, qui quotiescunque ad sepulchra prodiret, salutare ipsa solebat nomine *habitaculi populi fidelium*. (2) Aliis esse ipsos *in Berzach apud Adamum in cœlo mundano*, authoritate Muhammedis nixi, qui ab itinere, quo totum peragravit cœlum, reversus fabulatus est, se vidisse in cœlo mundano (scil. Lunæ proprio) Adamum, cujus a dextra essent spiritus eorum, qui paradiso, a sinistra eorum, qui igni destinati. In qua sententia obiter notare liceat vocem *Albersach* interdum idem, quod ᾅδης apud Græcos significare: de mortuis usurpata vox alias de tempore, alias de loco, alias de statu ipsorum dicitur: sic explicantibus doctissimis Grammaticis Al-Jauhario & Al-Firuzabadio. Albarzach *est quod inter hunc mundum & futurum intercedit a tempore mortis usque ad resurrectionem;* (intermundium) *quicumque autem mortuus est, dicitur ingressus* Albarzach, & spiritibus tam bonorum quam malorum communis dicitur locus, & apud Scholiasten Abilolæ *decubitus mortis*, seu pro loco, in quo corpora decumbunt, sumitur, verba hæc Arabica Latine versa ita sonant: *Decubitus post mortem in* Albarzach *somnus est, dum in eo requiescit corpus a labore, qui vitam necessario comitatur, vita autem post resurrectionem instar resuscitationis e somno.*

§. II. Sed & annotat cl. Jacobus Golius in præstantissimo linguæ Arabicæ *Thesauro*, nomen illud in Alcorano pro sepulchro sumi. Apud Avicennam autem animæ defunctorum in *Berzach* esse dicuntur, id est, *Purgatorio*, quod est medium inter felicitatem & inter denudationem ipsarum & completam expoliationem & liberationem ipsarum a qualitatibus corporis, & habitibus malis

A impressis a corpore, prohibentibus ne adveniat hujusmodi animabus felicitas absolute. *Berzach* ergo Philosopho est (1) status ille, qualem describit, intermedius, vel temporis spatium, quod ad animam a vitiosis affectibus purgandam pertinet. Ita ab Alcorani Interpretibus *cap.* XXIII. ad verba ista: *Et pone ipsos* Berzach *usque diem quo resuscitabuntur*, exponitur: *Interseptum quod ipsos a reditu impediat*. At alii (2) dicunt, *Rectius esse, ut asseratur animas in cœlo esse*, quo referri forsan possit alia, quam innuit Author Kamusii, sententia, dum nomen *Al um* explicans ait: *ipsum plurale esse a singulari Aliyon, qui locus est in cœlo septimo, quod ascen-*

B *dunt spiritus fidelium*. (3) Alii, cujus Author Cenzil Afrar, infidelium animas in puteo in regione Hadramytica, quem *Borhut* appellant, fidelium vero in puteo Zemzam vel alibi collocant. (4) Alii referunt, septem post sepulturam diebus animas circa ipsorum sepulchra versari, quo vero se postea recipiant, haut dicunt. Alii (5) *spiritus omnes in buccina esse*, garriunt. (6) Alii, referente Al-Gazalio degere illas *forma avium albarum in umbra solii* (Dei) contendunt. (7) Alii dicunt, Spiritus nihil aliud esse, quam accidentia, quæ moriente corpore intereunt; quam sententiam ab Alsharestanio, Alasharionorum quibusdam impingi ait author

C Cenzil Afrar, apud quam Sectam passim obtinere creditur doctrina: *Non interire Spiritus, sed superstites manere:* nec certe religionis Mohammedicæ fundamentis congrua videtur opinio ista: *Non asserunt interire Spiritus præter* Dahrianos, quo nomine Philosophi denominantur isti, qui mundum ab æterno extitisse autumarunt. Gregorius Abul Farayus, qui in hæc prorumpit verba: *Sapientes, qui in rerum principia inquirunt, distribuuntur in* Dahrianos, Physicos & Divinos seu Theologos: Dahriani *Secta sunt antiquorum, qui nullum mundi conditorem aut rectorem agnoscunt, autuman-*

D *tes mundum nunquam non fuisse ex se, nec a creatore conditum*. Et hæc de Muhammedanorum opinione.

CAP. XVI.

De conditione animarum apud Inferos in genere.

§. I. CREDIDERUNT Gentiles, quod animæ post discessum e corpore ad Inferos proficiscerentur, ut illic vel gaudiis afficerentur, vel infinitis cruciatibus exponerentur, qua de re egregium locum habemus apud Platon. in

E *Gorgia* pag. 357. *Extabat lex de hominibus sub Saturno: & semper & nunc etiam extat apud Deos, ut quicunque homines pie justeque vixissent, cum e vita migrarent, ad beatorum insulas profecti in omni felicitate viverent, a malis longe sejuncti: qui vero injuste impieque vixissent, in punitionis justique supplicii carcerem, quod appellitant Tartarum, irent.* Huc pertinet locus Dionys. Halicarnass. *lib.* VIII. pag. 522. *Si quis locus est, qui humanas animas solutas a corpore recipiat, meam non subterraneus caliginosusque capiet, quod miserorum est domicilium perhibent: nec campi, quos Lethæos nominant, sed sublimis & purus æther, in quo ajunt Diis geni-*

F *tos fortunatam ac beatam vitam degere*. Idem docuit Zeno Stoicus, teste Lactant. lib. VII. cap. VII. *Divin. Instit. Esse Inferos Zeno Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas, & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones: hos vero luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis.* Et Seneca *Epist.* CXVII. *Cum de animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.* Malchus de *Vita Pythagoræ:*

Duæ sunt animarum sedes post mortem apud inferos: una est gaudii, altera pœnæ. Qui probi fuerunt, in lætitiæ vallem transferuntur, sed improbi in horrendo loco scelerum in vita perpetratorum dant pœnas.

§. II. Quia dicitur, animas post mortem ad inferos descendere, paucula de his, sed in genere saltem præmittemus. Et quamvis Sextus Empiricus de inferis, sicut de Diis, omnes homines habere communem notionem dicat, (Lips. lib. III. dissert. XIV. pag.619. *Physiol. Stoicor.*) nihilominus tamen fuerunt nonnulli, qui inferos pro fabula habuerunt. Hinc Lucian. περὶ πενθᾶς pag. m. 783. scribit: Vulgi quidem hominum multitudo, ὃς ἰδιώτας οἱ σοφοὶ καλᾶσιν, Ὁμήρῳ τε καὶ σιόδῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις μυθοποιοῖς περὶ τέτων πειθόμενοι, καὶ νόμον θέμενοι τὴν ποίησιν αὐτῶν, τόπον τινὰ ὑπὸ τῇ γῇ βαθὺν Ἅδην ὑπειλήφασι, &c. *Quos sapientes vocat idiotas*, (id est, qui nullo publico munere funguntur, rudes, ignaros literarum, Lucil. *Quidni & tu idem illiteratum me atque idiotam diceres*) *Homero* (fabularum patre. Vide *Menippi & Æaci dialogum*, inter *Mortuorum Dialogos* & *Philopseudis*, de ejus authoritate in *Piscatore*, &c.) *& Hesiodo reliquisque fabularum auctoribus super his fidem habentes, & illorum Poesin pro lege ducentes, locum quendam subter terram profundum esse putant*, quem *Tartarum* vocant. Seneca *de Consolat. ad Marciam*, cap. XIX. pag. 176. *Illæ quæ nobis Inferos faciunt terribiles fabulæ. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos.* Quo spectant etiam vers. Juvenal. *Satir.* II.

Esse aliquos Manes, & subterranea regna,
Et Cocytum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una tranare vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Macrob. lib.I. cap.X. pag.43. *Comm. in Som. Scipion. fabulosam persuasionem* vocat, quidquid apud Inferos esse credidit Antiquitas. Conf. Cicer. lib.I. cap.XVI. *Quæst. Tuscul.* pag. 85.

§. III. Dari autem Inferos apud Gentiles non dubitatum, & ex Cælio Rhodigino *l.*VI. *cap.*IX. videndum. Ubi vero sint Inferi, variatum est. Macrob. lib.I. cap.XI. pag.45. *Comm. in Somn. Scip.* certam mundi partem Inferorum facit sedem. Lucian. *de Luctu*, pag. m. 783. Subter terram locat locum, eumque magnum & spatiosum esse, caliginosum & opacum existimat. Alii aerem putant sub utroque cardine crassum, perpetuo frigidum, ut Crates. Lucan. lib. VI. *de Bello Civili* fol. m. 738. constituit locum Inferorum non procul a sylva & lacu, in quem Euphrates labitur, cui adjacet speciosa regio sylvosa & opaca, in qua puteus locum Inferorum monstrat; ibi audiri Cerberi latratum, ac conspici fluvium Pyriphlegethontem ac Plutonis. Audiamus etiam, quæ ad hunc locum annotat Lambert. Hortens. Montfort. fol. m. 737. qui ita scribit: *In diversis descriptionibus viarum ad Inferos apud Poetas, speluncas fingunt in primis, & eas quidem caliginosas, vestitas sylvis, per quas cœlum conspici non potest. Sed alii alias venustius descriptiones ornant arboribus, aliisque rebus, quæ Inferis conveniunt & gratæ sunt.* Virgil. VI. *Æneid.*

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam supra haut ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat.

Maro præterquam quod viam scrupis instratam fingit, adjungit sylvam opacam & lacum Avernum. Lucanus sylvam taxeam ponit decore, per quam Sol conspici non potest. Lucianus itidem fluviorum & sylvarum meminit, verba ejus *pag. m.* 784. hæc sunt: Περιῤῥεῖσθαι δὲ τὴν χώραν αὐτῶ ποταμοῖς μεγάλοις τε καὶ φοβεροῖς, καὶ ἐκ μόνων ὀνομάτων, Κωκυτοὶ γὰρ, καὶ Πυριφλεγέθοντες, καὶ τὰ τοιαῦτα κέκληνται. *Interluitur autem regio illius* (scil. Plutonis) *fluviis & magnis & horrendis, vel solo nomine, siquidem Cocyti, Pyriphlegethontes, atque hujusmodi vocabulis appellantur.* Quid autem per Cocytum intelligat ex etymo patet: Κωκυτὸς enim a luctu & ejulatu denominatur. Lacus autem est Inferorum, qui (ni fallor) ex sententia Homeri *Odyss.* κ. ex Styge manat. De quo Seneca in *Hercule Furente* sic ait:

—— *Palus inertis fœda Cocyti jacet.*

Et Virgil. *loco cit.*

Cocytusque sinu labens circumfluit atro.

Phlegethon & Lethe sunt fluvii infernales apud Poetas. Phlegethon, quod igne ardeat & flammis æstuantibus sit rapidus, appellatus est, a φλέγω *ardeo*. Et hunc esse fingunt locum, per quem Hercules ad Inferos descenderit. Seneca in *Hercule Furente* A. III. vers. 663. prope Tænarum sedem Inferorum constituit. Quod etiam facit Papinius Statius lib. II. *Theb.* Lambert. Hortens. Montfort. in *Explicationibus ad M. Annæi Lucani* lib. VI. fol. m. 738. refert: *Tænarum umbrosum esse antrum in radice promontorii Maleæ in Laconia: haut procul a Sparta. In quo propter vastum hiatum & perceptum strepitum progredientium, ibi descensum esse ad Inferos Veteres fabulati fuerunt.* Maro *Georg.* IV.

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis.

Propert. *lib.* VIII.

Quod non Tænareis domus est mihi fulta columnis.

Statii verba hæc sunt:

Hoc (ut fama) loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigrique Jovis vacua atria ditat
Mortibus, Arcadii perhibent si vera coloni.
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, atroque tumultu
Fervet ager: sæpe Eumenidum, vocesque manusque
In medium sonuere diem, lateque triformis
Janitor agricolas campis auditus abegit.

Cæterum circa Tænarum erant λατομίαι, hoc est, *lapidum preciosorum lapidicinæ*, qui Laconica marmora & lapides Tænarei dicebantur. Ταίναρον, inquit Suidas, *promontorium Laconiæ est, in quo fauces erant ad Inferos deducentes.* Quibus calculum addit Ludovic. Vives *ad lib.* XVIII. *cap.* XIII. pag. 1783. *Apud Tænarum est iter ad Inferos expeditissimum & ingens vorago faucibus vastis patet.* Ovidius quoque lib. IV. *Metam.* pag. 132. itidem circa Tænarum promontorium sedem Inferorum & viam ad eos facit. Confer supra citatum Autorem Lambert. Hort. Montfort. fol. m. 739. & Senec. in *Hercul. Furente* describentem speluncam Tænarum, qua Hercules cum Theseo comite descendit ad Inferos:

Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi æquor Tænarus sylvis premit:
Hic ora solvit Ditis invisi domus.
Hiatque rupes alta, & immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non cœca tenebris incipit primo via:
Tenuis relictæ lucis a tergo nitor,
Fulgorque dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem: tale non dubie solet
Præbere lumen primus, aut serus dies.

Inferorum limites dicuntur invii Senecæ in *Hercule Furente*, v. 566. quia inculti, quod per eos non facile cuiquam ad superos pateat reditus. Eorum limen porro dicitur sceleratum, propterea quod sit sedes Furiarum, quippe quæ sunt in vestibulo & in limine. Ovid. *lib.* IV. *Metam.* fab. X. Hinc etiam factum, quod limina a Furiis infamiam traxerint, quia hæc illis fuerunt dicata,

unde etiam incantationibus & magicis vexationibus fuerunt obnoxia.

§. IV. Magnum inferorum a cœlis esse spatium Gentiles putarunt. Et Homerus & Hesiodus dicunt, quanto spatio distat cœlum a terra, tantum etiam spatium esse a terra in infernum. Homer. lib. VIII. *Iliad.* Hesiod. in *Theogon.* Valerius Flaccus lib. I. *Argonaut.* cum præcedentibus eadem incedit via, cum in hæc prorumpit verba:

Stat rupes horrenda fretis quot in æthere surgit
Mollibus infernas totidem demissa sub umbras.

Et Lucret. *lib.* IV.

Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terra quantum cœli patet altus hiatus.

Virgilius lib. VI. *Æneid.* v. 578. duplo majus spatium Tartari distantis a terra, quam terræ distantis a cœlo facit, quando ita canit:

Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Non solum Gentilium scripta hoc affirmant, verum etiam ipsa Scriptura his calculum addit, *Lucæ*, 11. ubi de Lazaro & divite agitur.

§. V. Ad inferos facilis datur descensus, sed reditus difficilis. Virg lib. VI. *Æneid.* v. 126.

—— *Facilis descensus Averni:*
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Consentit huic Lucian. Tom. I. in *Mortuor. Dialog.* pag. m. 293. ubi inquit: οὐ γὰρ θέμις ἀνελθεῖν τινα τῶν ἅπαξ διαπλευσάντων τὴν λίμνην, καὶ ἐς τὸ εἴσω τοῦ στομίου παρελθόντων. Id est, *neque enim fas est redire quenquam, qui semel paludem transmiserit, atque intra specus hiatum descenderit.* Ad quæ verba Gilbert. Cognat. annotat, *pag.* 297. seq. *Huc migrantibus reditus ad superos via in æternum præclusa est, & ab inferis redire ad superos.* Idem Lucian. in *Menippi & Chironis Dialogo* confirmat hoc Tom. II. pag. 94. Conferantur & hi Authores: Stobæus in tractatu *de Amentia*, Seneca in *Hercule Furente*, v. 674. *Hippolyto*, v. 218. *Hercule Oeteo*, v. 1523. Propert. *lib.* IV. *eleg.* XII. Horat. *lib.* IV. *od.* VII. *v.* 21. ubi Poeta respicit ad Theseum & Pirithoum, qui ad inferos descendentes, ut ibidem Proserpinam raperent, victi & catenis vincti remanserunt. Quibus Gentiles indicare voluerunt, quod facile homines moriantur, sed semel mortuis non licet redire in vitam. Aliter autem usurpat phrasin hanc Lucanus, qui lib. VI. *de Bell. Civili* fol. m. 739. ita canit:

Cerberus excutiens & vincli terga gigantes.

Et putat Lambert. Hortens. Montfort. per gigantes hic terræ filios intelligi, qui cum Jove indicto bello cœlum aggressi fuissent, ab eo fulmine percussi, & in Tartarum dejecti traduntur, ubi impietatis suæ pœnas solvunt. Vid. fol. 741. *Explicat. ad Lucan.*

§. VI. Nunc progredior ad alia inferorum, & (1) quidem ad cibum, ubi Lucian. in *Dialog. Mort.* pag. m. 83. Tom. II. καὶ τῆς Ἑκάτης τὸ δεῖπνον, *Hecatæ cœnam* cibum vocat. Quænam autem fuerit Hecata, Gilbert. Cognatus ex Virgil. *lib.* VIII. recenset, quod scil. fuerit Jovis & Latonæ filia. Et tergeminam fingunt Poetæ, sive quod Proserpina, Luna & Diana idem sint vatibus numen, sive quod triplex sit Lunæ vicissitudo: cum surgit in cornua, cum dividua est, & cum pleno orbe lucet. Vid. Athanas. Kircher. *Obelisc. Pamphil.* lib. III. fol. m. 224. *Mystagog. Ægypt.* Sunt qui triformem ob id faciunt, quod trium capitum sit. Ovid. lib. VII. *Metam.*

—— *tuque triceps Hecate.*

Filiam Tartari hanc fabulantur: & forsan per ultimam ejus partem Tartarum intelligere videntur. Hinc ab Orpheo Ταρταρόπαις dicitur. Hanc in triviis venerabantur, eductamque a Pastoribus dicunt. Sub novilunium ditiores vespere cœnam missitabant Hecatæ in triviis: nocte pauperes aderant, clausis portis, qui eam famelici diripiebant: postridie persuadentes vulgo, Hecatem appositum devorasse. Hinc Hecates cœnam appellare solemus præparcam & sordidam, quod apud inferos umbræ tenui ac vilissimo cibo victitare dicuntur, ut malva & porro. Conf. Gilbert Cognat. *Annot. ad Lucian.* pag. m. 84. Et Tom. IV. pag. m. 44. inquit Lucianus in *Dialogo Mortuorum*, omnes calvos in inferis esse; ubi Menippus ita introducitur. *Cuperem videre ipsum, sicubi locorum hic foret*; cui Æacus respondere fingitur: *Vides ne calvum istum?* Hinc Menippus; ἅπαντες φαλακροί εἰσιν, *at omnes hic calvi sunt.* Imo unam eandemque conditionem apud inferos esse, teste Johan. Sambuco *ad Lucian.* p. m. 89.

Ingentem quanquam Pelides Hectora vicit,
Martia cui semper prælia ludus erant.
Non tamen est melior timidis in Ditis averno:
Nominis est illo gloria parva loco.

Et ipse Lucian. Tom. IV. *catapl.* pag. m. 80. hæc profert verba: *Hic paria & eiusdem coloris omnia, adeo ut nihil sit neque formosum, neque formosius. Quin palliastrum meum, quod antehac fœdum videbatur, æque nunc est in pretio, quam ipsa regis purpura: nempe quod ambo sint obscura, ac eisdem tenebris obducta.* Et hæc de Inferis.

CAP. XVII.

De conditione animarum secundum alios post mortem in die Judicii.

§. I. IN præcedentibus perlustravimus varias opiniones de anima, & perspeximus quosdam fuisse, qui statuerint, *animam post mortem interire*; cui opinioni se opposuerunt moderatiores, qui animam interire negarunt; sed quam primum a corpore sit soluta, aut æternum gaudium, aut æternam pœnam percipere. Audiamus Muhammedem de anima post mortem loquentem, qui credit, corpora damnatorum aliquando etiam esse resurrectura & pœnam vel vitam æternam acceptura, Hotting. *Hist. Eccl.* pag. m. 401. Tom. I. Hinc *Surata* Alcorani XIV. ex versione Nisselii, ita hac de re loquitur: *Die quo commutabitur terra in terram aliam, videbis reos vinculis misere constrictos*, &c. Et *Surata* XV. *Utique infernus est locus eorum omnium* (impiorum) *præstitutus: Sunt ei portæ septem, & singulæ portæ est pars separata: timentes autem erunt in hortis & in fontibus*, &c. Conf. Henningii *Muhammed. precant.* p. m. 121. Ex quibus patet, animam post mortem locum quærere, ubi aut bene aut male sit. Inde fingunt Flamen aliquod esse, quod vocant *Flamen resurrectionis*, illud in petra Hierosolymitana, ossa vetustate exesa, compagines divulsas, carnes discerptas, & capillos dispersos convocaturum, jubente Deo, ad judicium subeundum. Et per ossa, carnes & capillos non tantum hominum, sed omnium animantium intelligit, quod refert Author Cenzel afrar: *Scias*, inquit, *Deum omnipotentem congregaturum, tum qui prius, tum qui posterius vixerunt, tam homines quam genios &* (cætera) *animantium genera in locum quo sistend. sunt resuscitati, ut discrimen inter ipsos ponat.*

§. II. Cum vero hic de homine tantum sit sermo, prodeat iterum Mohammedes, qui in hæc prorumpit verba: *Eas creaturas quæ felicitatis participes e-*

runt resurrecturas, ut ad locum conventus accedant cum securitate & honore, quæ vero miseriæ secus. Qua ratione sc. *præmii* & *pœnæ* ostendi poterit animæ immortalitas. Constitutæ sunt aut pœnæ aut præmia operibus bonis malisque quandocunque & a quocunque præstitis: Ergo & constantiæ & pietatis quoque sub ultimum vitæ finem, vel contrariis vitiis isto tempore admissis sua quoque posita est merces: at quando conferenda? jam enim instat vitæ terminus, ut nisi post hanc vitam vivatur, illa saltem opera, forte summa & præcipua, destituentur suo præmio. Neque minus tum & sperabit vir justus justitiæ & patientiæ mercedem, quam antea, nec prohibetur id facere, imo nunquam forte vel majora præstitit, aut passus est, vel magis constanter & pie, ut animum spe promissi sustentare & erigere nunquam adeo debeat quam tum: quare si & omnibus operibus & semper debetur sua merces, atque expectatur, jam & post mortem vivere hominem & frui illis necesse est. Eo magis, quo in hac vita non satis vel præmii & felicitatis pro pietate, vel suppliciorum pro scelere videntur pati homines, quin probis male, & impiis bene esse sæpissime observatur. Manet ergo vita post hanc altera, in qua omnia juste pro singulorum meritis & conditione distribuantur & erogentur, bonis, quæ haut frustra expectarunt, bona; malis, quæ non vane ipsis constituta, neque satis in vita tulerunt, condigna supplicia. Hoc magis, quo, uti Plato scribit lib. 1. *de Republ.* cum jam quis est, ut moriturum se putet, arripit ipsum metus & sollicitudo eorum etiam de quibus antea non cogitarat. Exemplo sit Tiberius, in hac ejus *ad Senatum epistola*: *Quid scribam vobis, Patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me Deæque pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio.*

§. III. Non prætereunda hoc loco oratio, quam Petrus Martyr Mediolanensis refert, habitam ad Præfectum Hispanicum, ab homine Americano, sene octogenario, gravi quidem, sed nudo; in *Oceanicis* Decade 1. lib. III. *Terras omnes istas, hactenus tibi ignotas, manu potenti te percurrisse, renunciatum nobis fuit, populisque incolis metum non mediocrem intulisse. Quare te hortor moneoque, ut itinera duo, cum e corpore prosiliunt, animas habere scias: tenebrosum unum ac tetrum, his paratum, qui generi humano molesti ac infensi sunt: jucundum aliud & delectabile, istis statutum, qui pacem & quietem gentium viventes amarunt. Si igitur te mortalem esse & unicuique pro præsentibus operibus futura merita obsignata memineris, neminem infestabis.*

§. IV. Accedit & hoc, quod Gentiles quidam summum bonum cum vita futura demum expectaverint. Elegans magni Catonis vox est apud Ciceronem *de Senectute*: *O præclarum diem! cum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluvie discedam.* Et Plotinus propterea, non in hac vita animam pertingere ad beatitudinem, sed in cœlis, ait, ubi ad æternitatis statum pervenerit, extra tempus & motum posita, atque in unum & primum bonum intenta: uti differit haut uno in loco *Enneadum* 1. Quomodocunque appellent illa Gentiles, sive Antiqui, apud quos sunt campi Elysii, Orcus, Acheron, Cocytus inferorum, & nescio quæ non?

Acherontia templa, alta Orci, pallida
Leti, obnubila, obsita tenebris luca.

Uti est apud Ciceron. *Tuscul. Quæst. Tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi palladia regna,* inquit Lucanus: atque hodierni haut absimiliter: ita cum animæ immortalitate agnoscunt statum, aut felicitatis, aut infelicitatis, manere homines. Apud Lucianum Jupiter confutatus: *An ignoras Cynisce, quanta supplicia & cruciatus post hanc vitam pravos & sceleratos homines manere soleant, aut in quanta felicitate victuri sint boni?* Et Clemens Alexand. *Strom.* lib. IV. merito se dicit admirari Epicharmum, aperte dicentem: *Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus; superius manet in cœlo spiritus.* Et Poetam Lyricum, canentem: *Impiorum vero animæ sub cœlo vocant in cruentis doloribus, sub malorum jugis inevitabilibus: piorum autem in cœlis habitant, μάκρα μέγαν ἀείδουσ' ἐν ὕμνοις, cantibus beatorum principem canentes in hymnis.* Conf. plur. Johan. Horn. in lib. II. *de Convers. Indor.* p. m. 152.

§. V. Gothorum gens credidit aliam post hanc vitam. Siquidem putarunt Gothi se post mortem in Wodeni aulam migraturos, & cum Wodeno cæterisque Asianis cerevisiam ibi in hostium calvariis bibituros. Vicarias porro Deas ad hanc rem, quæ ipsis *Dyser* dictæ sunt, Wodenum substituisse existimabant, a quibus fortium virorum animæ, e corpore exeuntes, ad curiam ejus veherentur. Regnerus Lodbrog in fine *Epicedii*:

Fert animus finire,
Invitant me Dysæ,
Quas ex Othini aula
Othinus mihi misit.
Lætus cerevisiam cum Asis
In summa sede bibam.
Vitæ elapsæ sunt horæ,
Ridens moriar.

Confer. Robert. Sheringham. *de Angl. Origin.* pag. m. 321. 322.

CAP. XVIII.

De Inferno seu Gebenna.

§. I. QUOD Infernus sit, ex supra adductis liquet; quo vero clarior res evadat, aliarum gentium opiniones adducendas esse autumo; offert autem se primo loco cœtus Muhammedanorum, qui sæpe in precationibus suis mentionem facit inferni, Deumque precatur sedulo, ut sese ab eo custodiat. Describit namque Alcoranus hunc locum tam horrende, ut non sit dubium, quin Muhammedanus isthæc legens exclamet?

Obstupeo, surguntque comæ, & vox faucibus hæret.

§. II. *Inferni* nomen quod attinet, patet, quod vox hæc in Sacra Pagina non denotet mortem, aut sepulchrum, sed, ut raro pro his accipiatur, frequentissime autem & strictiori significatione pro subterraneis animarum habitaculis sumatur. Vide Scherlog. Tom. III. *in Cantic. Salom.* vestigatione XXXVI. num. 26. Quando & quo die Infernus creatus, incerta est autorum opinio. Molina, tract. *de Oper. sex dierum*, disput. XI. §. *Porro quando*, &c. non nisi tertia Mundi die infernum productum intellexit, cui consentiunt Delrio, *in cap.* 1. *Genes. vers.* 9. *num.* 51. Salianus, Tom. 1. *Mundi die* III. num. 12. Sed verius statim cum Angelis prima die Cœlum & Tartarum producta fuisse statuerunt Abulensis, *in cap.* XXV. *Matth.* quæst. CCCCIX. Sotus, *in* IV. *distinct.* XLV. *quæst.* 1. *articul.* 1. *conclus.* 1. Suarez, lib. 1. *de Angel.* cap. III. num. 17. Anton. Rusca, tractatu *de Inferno & statu Dæmonum*, lib. 1. cap. LVIII.

§. III. Alterum nomen *Gebenna* גיא הנים a *valle Hinnom* vocatur; cujus mentio fit *Jos.* XV. 8. *Esa.* XXX. 33. de quo Luther. in *Notis marginal. in Jerem.* VII. scribit: *Ge Ben Hinnom referente Hieronymo*

fuit amœnissima vallis urbi Hierosolymæ propinqua. Lyranus in *Comment. Luc.* XXIII. profert, quod in hac valle Israelitæ liberos suos immolarint idolo Moloch, (quod erat imago ænea, intus vacua, ut prunis ardentibus impleri posset) in cujus brachia deposuerunt liberos miseros misere comburendos. Cui itaque libitum est ulterius pictura oculos pascere, evolvat Kircheri *Oedipum Ægyptiacum*, ibi Tom. I. Syntag. IV. cap. XIX. fol. m. 367. plura habebit. Hoc tamen monendum; tria ista numina, *Adrammelech*, (LXX. Αδραμελὲχ, & per metathesin Syro ܐܪܕܡܠܟ & Arabi *Ardamlech*) *Anamelech*, (Senioribus iterum Ανημαλὲχ, Syro ܐܢܡܠܟ Arabi *Amaliki*) atque *Molech* (Græcis Μολὸχ, Syro ܐܡܠܟ *Amlech*, Arabi *Emlaoba*) nobis non immerito eadem videntur, & idolum putatur in valle Ge Ben Hinnon, cujus descriptio paulo ante adducta ex Lyrano. Aliam vero nobis exhibent viri de literaria Republica maxime meriti, Joh. Buxtorf. *Lex.* pag. m. 108. seqq. Paul. Fagius *Annotat. in Targum Onkel. Levit.* XVIII. 21. B. Glaff. *Philol. Sacr.* pag. m. 1017. & Selden. *de Diis Syr.* Syntag. I. cap. VI. pag. 169. seqq. *Erat*, inquiunt, *Moleci imago ærea, facie vitulina, passis manibus, concava, & septem conclavibus interstructa: 1. similæ, 2. turturibus, 3. ovi, 4. arieti, 5. vitulo, 6. bovi, 7. homini vivo consecratum*. Etymon autem recte ab Ægyptiis petitur, quibus planeta Mars eodem nomine dicitur.

§. IV. Audiamus etiam Anglum doctissimum Johannem Lightfoot in *Præfatione ad Lectorem Chronologiæ Novi Testamenti*; ubi hæc leguntur verba: *From hence the Jevvs borrovved the vvord, and used in their ordinary language, to be token Hell. And the Text, from vvhich they especially translated the construction, seemeth to have been the last verse of the Prophesie of Isajah, vvich by some of them is glossed thus; And they shall go forth out of Jerusalem in to the valley of Hinnon, and there they shall see the carcases of those that rebelled against me*, &c. (Vide Kimch. & Ab. Ezr. in loc.) Id est, *Hinc Judæi mutuo accipiunt vocabulum, & in lingua sua vulgari pro inferno ponunt. Et Textus, a quo constructionem*

A *hanc deducunt, videtur ultimus fuisse versus Prophetiæ Esaiæ, cui a quibusdam glossa hæc addita: Et exibunt ex Hierusalem in vallem Hinnon, ibique videbunt cadavera eorum, qui contra me rebellarunt*. Pergit hic Author, inquiens: *It vvere endlesse to shevv the frequency of the vvord in their Writers: let these fevv examples suffice*. Chald. Paraphras. *in Esa.* XXVI. 15. *Lord thou vvilt drive all the vvicked to Gebinnom* Id est, *Domine omnes impios ad infernum detrudes*. Et *in Esa.* XXXIII. 14. *The vvicked shall be judged and delivered to Gebinnom to everlasting burning*. Id est, *Impius æterno igni Gebennæ adjudicabitur*. R. Salomo *in Esa.* XXIV. 22. *They shall*
B *be gathered together as prisoners are gathered in the pit, an shall be shut ut in the prison* גהנום לגהנום מחוייבי ἔνοχι εἰς γέενναν. *They that guilty of Gebinnom into Gebinnom*. Targum *in Ruth.* II. 12. *Be thou delivered from the judgement of Gebinnom*. Id est, *Num es liberatus a judicio Gebennæ*. Midras Mishle *fol.* 69. *Do you thinkto be delivered from the judgement of Gebinnom? Num putatis a judicio Gebennæ liberari?* Baal Tur. *in Genes.* I. I. *Because of the Lavv, they are delivered from the judgement of Gebennah*. Confer ejusdem Authoris *Horas Talmudicas in Matth. cap.* XXXIII. 33. Vide B. Gerhardi
C *Notas ad Matth. cap.* V. pag. m. 288. seqq. Philip. Mornæum *de Relig. Christiana*, p. m. 307.

§. V. His visis, ponimus Gehennam extra omnem dubitationis aleam esse, licet Risch Lakish (teste Kimchio & R. Salomone in *Comment.*) velit, Gehennam non esse. מכרתיקה אין גיהנם לעתיד בה ורשעים נדונים בה לבא אלא הקבה מוציא חמה צדיקים מתרפאין *Gebenna non erit, quia Deus benedictus educet solem ex theca sua; qua sanabuntur justi, & damnabuntur impii*. Vide Anton. Hulsii *Theol. Jud.* p. m. 28. Sunt tamen plurimi qui statuunt Gehennam esse paratum locum הרשע באשו של שהנם שהוא רק ראוי להיות מלהט נפשות ללהט שם נפש
D הרשעים גיהנם *ut in eo uratur anima impii igne Gebennæ, qui subtilis est, idoneus ad comburendas impiorum animas*. Et Alcoranus *Surat.* XV. infernum describens, hunc in modum loquitur: *Utique infernus est locus eorum omnium* (impiorum) *præstitutus: Sunt ei portæ septem, & singulæ portæ est pars separata*. Et hæc de prima Parte, plura benevolus Lector in secunda de Inferno habebit.

DANIELIS CLASENII THEOLOGIA GENTILIS,

SEU

DEMONSTRATIO QUA PROBATUR GENTILIUM THEOLOGIAM, (CEU TENEBRAS) DEOS, SACRIFICIA ET ALIA EX FONTE SCRIPTURÆ (CEU LUCE) ORIGINEM TRAXISSE.

PARS SECUNDA.

CAP. I.

De claſſibus Inferni, cruciatibus, igne, & liberatione.

§. I. N priori Parte bono cum Deo egimus de ſtatu animæ poſt mortem, & in capite ultimo mentionem Gehennæ fecimus, adduximuſque ejus exiſtentiam, & quod ipſis Gentilibus haut ignota fuerint. Nunc progredimur hac in Parte ad Claſſes, quæ potiſſimum ſeptem ſunt, & vocantur a quibuſdam Gentilibus *Indre locon* ſeu *Devendre locon*; *Agni locon*; *Niruti locon*; *Wajouvia locon*; *Cubera locon*; *Iſauja locon*; & *Warrouna locon*. Vide Rogerum in Parte II. *Gentiliſmi Indici*, pag. m. 454.

§. II. Sicut Judæi cœlum & infernum ſeptem diſtinguunt ſedibus & receptaculis, ita idem in Muhammedanorum ſcriptis obſervare licet. De ſeptem inferni claſſibus videnda eſt *Hiſtoria Timuri* p. 50. Keſſ. pag. 16. Beidav. *Comment. in Alcoran.* pag. 245. Conf. *Muhammedem precantem* pag. m. 405. Henningi. Et hoc modo imitatur Judæos, qui ſeptem inferni conclavia agnoſcunt. Vide cl. Johann. Buxtorf. in *Synag. Judaic.* pag. m. 32. cap. I. Hanc & *Gehennæ* in cellas ejuſque incolarum in claſſes ſuas partitionem a Judæis mutuatam videbit, qui Nachmanidem *c. Gamul*, f. 97. alioſque ab ipſo citatos conſuluerit. Sunt autem claſſes ſequentes: Prima claſſis *Eorum qui unum Deum coluerunt* (e Muhammedanis ſcil.) qui *ſecundum opera ſua cruciabuntur, deinde educentur*. Secundam ponunt *Judæorum*. Tertiam *Chriſtianorum*. Quartam *Sabiorum*. Quintam *Magorum*. Sextam *Idololatrarum*. Septimam *Hypocritarum*. Septem ordines Gehennæ nominibus ſuis diſtinguunt, ut ſit primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, docente Antiſtite Phacrodino: de ipſis interim addunt eorum peſſimum eſſe infimum, & hinc illud Muhammedæ dictum: *Hypocritas in infimo ordine collocandos*.

§. III. Progredimur ad cruciatus damnatorum ſeu impiorum corporibus dignos. Jam Ebræi cruciatum ſignificantes per *Cereth* exprimere volunt. Audiamus Abarbanel, quid per *Cereth* intellectum velit, qui per totalem deſtructionem animæ explicat, & autumat privationem hanc eſſe *elongationem a ſplendore Majeſtatis Divinæ*. Ejuſdem opinionis eſt Maimonides, cujus verba ſonare videntur, ac ſi pœna excidii animam ad nihilum redigendam putaret, hinc ultimum miſeriæ gradum eſſe aſſerit, ut excisa pereat anima, atque hoc eſſe *Cereth*, cujus in Lege fiat mentio, tum in Jad Tract. *de Pœnitent.* cap. VIII. §. I. ubi ait: *Retributio impiorum hæc eſt, ut ne habeantur digni vita, ſed exciſi moriantur. Quicunque vero non habetur dignus vita iſta, ita mortuus eſt, ut non vivat in ſeculum, ſed in impietate ſua exciſus inſtar beſtiæ pereat. Atque hoc eſt Cereth, cujus in Lege meminit, ubi dicit*, Excidendo excidetur anima iſta, *qua traditione accepimus ſic intelligenda, ut verbum* excidendo *ad hoc ſeculum*, excidetur *ad futurum, ſpectet: ac ſi diceret: Anima iſta, quæ a corpore in hoc mundo ſeparata eſt, non ſolum vita mundi futuri non habebitur digna, ſed & ab illo prorſus excidetur*. Ac rurſum §. 5. *Vindicta qua nulla major eſt, ut excidatur anima, nec digna cenſeatur vita iſta, ſicut dictum eſt:* Excidendo excidetur anima iſta, iniqui-

iniquitas ejus ipsi inest. *Atque hæc est perditio, quam Prophetæ parabolice appellarunt foveam perditionis*, & *Abaddon*, & *Tophet*.

§. IV. Ex quibus videtur, Magistrum hunc statuere, impiorum animas non tam a gaudio vitæ futuræ excludi in miseriam sempiternam, quam deleri prorsus, uti etiam vult Kimchius. Addam nonnulla, quibus Ebn Latiph eam, quam a Rambam aliisque hauserat, sententiam expressit: *Pœna* (inquit) *absoluta est, ut excidatur anima a gaudio isto*, (gaudii scil. quo piorum animæ in præsentia Majestatis Divinæ afficiuntur) *& perditio*, (ut non amplius sit, vel ad nihilum redigatur) *quod est excidium, cujus in Lege mentio, atque hoc est, quod dicit Sapiens*, & quomodo moritur sapiens, sicut stultus, q. d. *Quomodo fieri potest, ut moriatur sapiens cum stulto? cum anima sapientis permaneat post mortem ipsius, at anima stulti vadat ad defectum, seu esse desinat*. Conf. Pocock. pag. m. 160. *Miscell.*

§. V. Observandum nunc quod כרת *Cereth* seu *excidium*, cujus in Lege mentio fit, duplicis sit generis, לגוף ולנפש *alterum corporis, alterum animæ*. Priori modo accipitur, cum quis morte immatura obeat: posteriori, cum impii vita longiori hic fruantur, quorum tamen animæ, cum a corpore separatæ fuerint, excidantur מחיי גן ערן *a vita Paradisi*; & sensus est, quod anima simul cum corpore in Gehennam descendat, ut ubi in æternum crucietur.

§. VI. Sicut animabus justorum præmiorum gradus alii aliis præstantiores, ita & animabus, quæ pœnis adjudicantur, prout aliæ alias impietate superant, varios esse pœnarum gradus, unicuique secundum impietatem suam; aliarum enim pœna perpetua erit & permanens, aliarum pœna & castigationes abstergentes ad terminum certum perveniunt pro ratione opinionum & factorum, aliæ autem ad nihilum rediguntur, & quæ alia pœnarum genera, quæ videnda in *Notis Miscell.* Eduard. Pocock. pag. m. 161. 162. ubi varias Judæorum opiniones recenset, & pag. 193. seq.

§. VII. Non solum Judæi per Gehennam remotionem a facie Dei intelligunt, sed ignem, quo cruciabuntur impii. Cujus naturam esse ajunt רקה מן הרקה שאינה גוף *subtilem admodum tenuiorem quam ut proprie corpus consumat*, & multum ab igne hujus mundi discrepare, cum hic in animam hominis, licet corpus consumat, vim exercère non possit, ille vero שורפת הנפשות *animas etiam comburat*; quare & Gehennam ita describunt: *Locum esse judicii justi, in quo peccatores pœnas luunt animabus suis pœnis cruciati, quibus nullæ in hoc mundo similes sunt*. Conf. Pocock. *Miscell.* pagina mihi 168. Sex itaque recensent Judæi ignis genera in tract. *Joma* cap. I. fol. 21. Primus est אוכלת ואינה סותה *comedens & non bibens*, cujusmodi in focis nostris adhibetur: alius ואינה אוכלת סותה *bibens sed non edens*, qualem in morbis locum habere volunt: tertius וסותה אוכלת *absumens simul & potans*, uti in sacrificio Eliæ usu venit: quartus אוכלת להין כיבסין *uvida veluti arida absumens*, cujusmodi fuit in altari holocaustomatis destinato dispositus: quintus דוחה אש *vibrans* vel *expellens ignem*, eumque a Gabriele in horrenda quodam fornace suscitatum: sextus אוכלת אש *devorans etiam ignem*, seu divinitatis ignis, juxta illud *Deut.* IV. *v.* 24. אלהיך אש אכלה כי יהוה *Quoniam Dominus Deus tuus, ignis consumens*; ex hoc ignem Gehennæ, animas torquentem, nugantur ortum suum trahere.

§. IIX. Cum ab igne impios torqueri dubium non sit, quales demum sunt flammæ? Si enim materiales & corporeæ, ab iis spiritus quo pacto vexantur? Tartari quidem incendia, quibus Diabolus & animæ separatæ ustulantur corporea esse, communissima inter christianos sententia est. ita statuerunt Patres, quos sequuntur Bellarmin. lib. II. *de Purgat.* cap. II. Gregor. de Val. Tom. I. *quæst.* XV. *punct.* III. pag. 1241. Maldonat. *Comment. Histor. Evangel.* cap. IV. pag. 617. Zanchius *Comment. in* II. *Epist. ad Thessal.* I. Tom. VI. Oper. pag. 468. Keckerman. *System. Theolog.* Alsted. in *Theolog. Polemic.* Part. IV. controvers. XI. pag. 376. Hac etiam incedit via Johannes Boys Anglus in concione, cui titulus, *The paines of hell*, fol. m. 948. verba ejus hæc sunt, *the vvhich is materiall, and not, as some conceive, metaphoricall only; not a false, but a furious fire: not a phantasticall, but a corporall*. Id est, *qui materialis est, & non, uti quidam putant*, seu *concipiunt, metaphoricus solum*: *non falsus, sed vehemens ignis: non imaginarius, sed realis*. Conf. Joh. de Combis *Compend. Theol.* lib. XXI. cap. XXXII. Pergit prædictus Anglus & movet quæstionem hoc modo, *Yea, but you vvil object, if hell fire bee corporall, hovv comes it to passe, that it consumes not the bodies of the damned?* Id est, *Sed objiciatis, si ignis infernalis est corporalis, qui fit, quod corpora damnatorum non consumat?* Divus Augustin. *de Civit. Dei* lib. XXI. cap. X. respondet uno verbo, quod hoc fiat *miris, sed veris modis*, de hoc si quis dubitet, consideret & perpendat quæso, quod ille, qui creavit illum, omnipotens sit, & qui revelavit verax.

§. IX. Ignem hunc infernalem esse ignem immaterialem, incorporeum & invisibilem sensisse videntur Ambros. lib. VII. *in Luc. cap.* XIV. Chrysostom. *Epist.* V. *ad Theodor. lapsum*, & *Homil.* XLIV. *in Matth. cap.* XII. Damascen. lib. IV. *de Orthodoxa Fide*, cap. XXVIII. & hanc probant sententiam Junius, Tilenus, Rainoldus, & alii. Hi urgent inter cætera, ignem materialem & corporeum non esse aptum & idoneum corporibus & animabus damnatorum & malignorum spirituum substantiis spiritualibus cruciandis, affligendis. Neque desunt reliquis sua argumenta, suæque ad hæc verba exceptiones, ita ut sit materia intricata, plus habens jucunditatis, quam utilitatis. Qui τὸ ἐπέχειν eligunt, cum Professoribus Leidensibus *Synopsi purioris Theolog.* disp. LII. thes. LI. p. 877. asserunt & potius operam dant, ut effugiant hunc ignem. Quamobrem etiam Gentiles Japonenses hoc tormentum crudelissime depingunt, quo homines sibi caveant ab illo, quod testatur Rogerus in additamentis ad libellum intitulatum *Eroffnete Thur zum verborgenem Heydenthum* pag. m. 878.

§. X. De igne etiam multoties loquitur Muhammedes *Surata* XXVIII. *Incredulos die Judicii prorsus ignis circumdabit, eisque postulantibus dabitur aqua, quasi stillicidium oculorum corrodens, qui potus est pessimus*. *Surat.* XXXII. *Incredulis Deus aptabit vestes igneas, eorumque ventres & capita igne volvens & revolvens perpetuo, exire inde volentes repellet, ut fervorem indeficienter degustent*. *Surat.* LIV. *Peccatores tum cibandi erunt ex arbore, quæ velut ignis in alvis eorum fervebit, & cibum illum in medio igne fumentes reservabunt, capitibusque demersis ignem immoderatum ob suam superbiam & præsumtionem gestabunt*. *Surat.* LXII. *Dei vindicta superveniet, quam nemo evitare poterit die, quo cœlum cum universis in eo contentis movebitur & montes cum nubibus; & contradicentes malum sibi sæpius prædictum sortientur: quibus tunc ad ignem gehennæ vocatis Deus inquiet: Hic est ecce ignis, cui sæpius videndo contradixistis, an hunc imaginarium atque magicum, an vero verum esse jam videtis? illum igitur patienter sustinete, non minus enim patiemini, si*

ſuſtinere nolueritis, quia ſecundum opera veſtra meritum ſuſcepturi eſtis. Confer *Surat.* XVII. XXIII. XXIV. XLVI. XLVII. LXXXVI. *Chron. Turcic.* Lonicer. fol. 64. *Doctrin. Mahum.* pag. 198. Tom. I. Op. Bibliand. & *Hiſtor. Orient.* D. Hottingeri pag. 253.

§. XI. Quod attinet ad liberationem, Judæi cum Muhammedanis ſtatuunt, poſt aliquot annos animas liberatum iri. Quam diu ibi manſuri ſint homines ſi quæratur, dictum Muhammedis allegatur, *Egreſſuros inde aliquos ex igne, poſtquam ab eo fuligine tincti fuerint, atque in Paradiſum admiſſum iri*, quos cum Paradiſi incolæ *Gehennales* appellitaverint, illi precibus ſuis a Deo impetraturi ſunt, ut ab ipſis hoc nomen amoveat. Quod ad temporis ſpatium, quo ibi detinendi, attinet, traditione acceptum perhibent, ipſum ad minimum fore annorum nongentorum, ad plurimum ſeptem mille. Conf. Eduard. Pocock. *Miſcell.* lib. lib. VII. pag. m. 291.

§. XII. Hanc ſententiam, quod damnati aliquando ex inferno ſint liberandi, probat Mokatel quidam e Morjiorum Secta, quæ *Althaubania* audit, qui aſſerebat: *Non obeſſe tranſgreſſionem ei, qui unitatem Dei agnoſcat, & fide præditus ſit, neque fidelem ignem ingreſſurum*. Item: *Deum certo condemnaturum quicquid circa infidelitatem fuerit, & Fidelem qui in Dominum ſuum rebellis fuerit punitum iri die reſurrectionis, ſuper via extenſa, ſupra medium Gehennæ, ubi calore & flamma ignis correptus cruciabitur juxta menſuram rebellionis, tum in Paradiſum admittetur*. Ex iiſdem Basharus quidam (referente etiam Alsharestanio) dixit: *Si miſerit Deus peccatorum graviorum reos in ignem, illos tamen inde egreſſuros, poſtquam pro peccatis ſuis pœnas dederint, ut vero in æternum ibi maneant, nec fieri poſſe, nec cum juſtitia conſiſtere*. Quæ ipſiſſima fere videtur eſſe Alashariànorum, qui pro Orthodoxis habentur, ſententia, ipſo Ashariensi apud Alsharestanium ſic docente: *Cum qui graviter peccaverit e mundo exierit ſine pœnitentia, permittendum eſt judicium ejus Deo, ſive ut illi condonet pro miſericordia ſua, ſive ut intercedat pro illo Propheta; ſecundum illud, quod dixit, Interceſſio mea erit pro iis a populo meo, qui graviter peccarunt; ſive ut cruciet juxta menſuram ſceleris ejus, deinde illum pro miſericordia ſua in Paradiſum admittat, fieri autem non poteſt, ut perpetuo maneat in igne cum infidelibus, ob illud quod audivimus pronunciatum, exiturum ex igne cuicunque fuerit pondus formiculæ de fide in corde ſuo*. Confer *Notas ad* Gregor. Abul-Faraii Malatinenſis *lib. de origine & moribus Arabum*, p. m. 258.

§. XIII. Rurſus alii ſunt, qui tantum ab hoc abſunt, ut quempiam igne in inferno cruciatum iri exiſtiment, ut nec ipſum ignem perpetuo duraturum putent. Ita docuit Jahm, cujus Sectæ deſcriptionem exhibet Ebnol Kaſſa Arabs: cujus verba Latina hæc ſunt: *Aljahmiani ſocii ſunt Jahmi Ebn Sefvvan, qui dicunt nullam eſſe omnino homini potentiam, neque operantem, neque acquirentem, ſed eſſe cum eodem gradu quo inanimata; nec non futurum ut Paradiſus & ignis* (Gehennæ) *evaneſcant, poſtquam ingreſſi fuerint in eos qui iis digni, donec tandem non maneat exiſtens quicquam præter Deum*. Ab hoc Secta Jahmianorum authorem habuit, ſcil. finem habituros Paradiſum & ignem, poſtquam eos ingreſſi fuerint, qui iis deſtinati: verba autem illa *Alcorani*, id eſt, *perpetuo manſuri*, intelligenda eſſe *ad modum hyperboles & majoris confirmationis, non quod revera ſignificent illos in iis* (id eſt, Paradiſo & Inferno) *in æternum manſuros, ſicut dicitur, in ſeculum durare faciat Deus regnum τῶ δεῖνος*.

§. XIV. Ab hoc rurſus diverſus Aljahedh, quod ad eos, qui igni adjudicantur, ſtatuit: *Non perpetuo in illo cruciandos, ſed in ejus naturam converſos iri*; inſuper aſſerens: *ignem ad ſe attrahere illi deſtinatos, nec quempiam in illum immitti*. Alii Muhammedis interceſſione damnatos liberandos eſſe ſtatuunt, in qua opinione etiam fuit Origenes lib. *περὶ ἀρχῶν*: quem ſequuntur hodierni Sociniani & Anabaptiſtæ, de qua re videri poterit Henning. *Muhammeda precans*, pag. m. 443.

§. XV. Perſpeximus nunc quoſdam fuiſſe qui liberationem ex inferno ſtatuerint, multos adhuc eſſe, qui ejuſdem ſint opinionis: de quibus videatur Abraham Rogerus in libello *Offne Thur zum verborgenen Heydenthum*, ubi plura.

CAP. II.

De Charonte & Cerbero.

§. I. SUPRA diximus Gentilium doctrinam fuiſſe, animam hominis, quamprimum e defuncti corpore exeat, ad Charontem nautam deduci infernalem, a quo cymba quadam per Stygiam paludem tranſvehebatur ſoluto naulo, quod tamen non univerſale fuit, teſtimonio vitæ bene vel male actæ, ut poſtea, evitatis Cerberi latratibus, a Mercurio in Plutonis regiam mittatur, &, datis rationibus actionum in vita geſtarum, a Judicibus lata ſententia vel in campos Elyſios ablegetur, ut perpetua ibi quiete ac gaudio fruatur, vel ad æternos in Orco ſuſtinendos cruciatus & tormenta condemnetur.

§. II. Vox Charontis diverſas ſortitur ſignificationes. Natal. Comes *lib.* III. *cap.* IV. pag. m. 196. vult nomen Charontis ſignificare *lætitiam*, cui conſentit Franciſ. Gouldmann in *Lexico Anglicano* ſub voce *Charon*, & a verbo χαίρω deduci. Voſſ. lib. II. cap. LVII. pag. 622. *de Idolol.* putat Charontem non eſſe alium, quam Mercurium inferum, & deſcendere a tali nomine, quod iram denotet, quia ſit quaſi divinæ iræ miniſter. Sed Martin. Delrio in *Comment. ad Senecæ Hercul. Oetæum*, pag. 181. vult Charontis nomen eſſe Ægyptiacum, quod ſignificet *Portitorem*, qualem Ægyptii hoc nomine indigitent. Vide Franciſ. Gouldman. *dicto loco*. Quæ ſignificatio cum Charontis officio quam maxime quadrat; nam officium ejus conſiſtit in hoc, ut deportet in cymba ſua defunctorum animas. Vide Lucian. *Tom.* II. p. 83. Hinc a Virgil. lib. IV. *Æneid.* v. 502. *Portitor Orci* dicitur. Et a Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 298. deſcribitur tanquam portitor horrendas aquas ſervans. Lucan. *lib.* VI. vocat eum *Portitorem flagrantis undæ*. Stat. Papin. lib. XII. *Thebaid.* appellat eum *Portitorem Lethæi amnis*. Huc etiam reſpicit Juvenal. lib. I. *Satyr.* III. v. 265.

—— Tetrumque novitius horret
Porthmea. ——

Quæ vox *Porthmea* eſt accuſativus a Πορθμεὺς *portitorem* ſignificans, ut ita deſignet Charontem infernalem iſtum nautam, a Luciano itidem *Tom.* II. pag. 133. Πορθμεὺς, & p. 142. Ναύτης dicitur: a Seneca *Oet.* v. 1070. *Navita inferni æquoris* indigitatur.

§. III. Huc etiam referenda eſſe autumo illa, quæ Johannes Boccatius *de Genealogia Deorum* lib. I. cap. XXXIII. fol. m. 26. habet, cum itaque liber in paucorum manibus, verba ipſa adſcribemus: *Charon Acherontis nauta, Herebi & Noctis filius dicitur a Chryſippo, de quo ſic ait:*

Portitor has horrendus aquas & flumina ſervat

Terribili squalore Charon, *cui plurima mento*
Canicies inculta jacet, stant lumina flamma.
Sordidus ex humeris nudo dependet amictus.
Ipse ratem subigit conto velisque ministrat
Et ferruginea subvectat corpora cymba.
Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

Charon, quem Servius devolvit in χρόνον, *tempus est. Herebus autem hic pro intrinseco divinæ mentis consilio intelligendus est, a quo tempus & cætera omnia creata sunt, & sic Herebus Charontis pater. Nox autem illi ob id mater dicta est, quia ante creatum tempus nulla fuit sensibilis lux, & ideo in tenebris factum est, & in tenebris productum videtur. Apud inferos vero ideo positus est Charon, quia superi tempore non indigent, ut nos mortales, qui ab illis sumus, inferi, indigemus. Quod autem Charon corpora deferat ex una in alteram Acherontis ripam, ideo fictum est, ut intelligamus, quoniam tempus confestim ut nascimur, suo nos sumit in gremio, & in ripam fert oppositam, id est, in mortem, quæ quidem est Nativitati contraria, cum illa deducat in esse, & hæc corporibus auferat esse. Vehimur itaque a Charonte per Acherontem fluvium, qui absque gaudio interpretatur, ut advertamus, quoniam a tempore trahimur ad vitam labilem & miseriis plenam. Eum prætera dicit Virgil. senem, sed robusta viridique fultum senecta, ut cognoscamus tempus annositate vires non perdere, hoc idem hodie potest, quod potuit dum creatum est. Sordidus autem illi amictus est, ut appareat, quia circa terrena, quæ sordida sunt, versetur.*

§. IV. Charon fingitur Herebi & Noctis filius, portitor inferorum, qui animas defunctorum cymba per Stygiam paludem transvehit: quem pulchre describit Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 208. cujus verba paulo ante adducta sunt. Inter alia hoc notandum est, quod cymba transportet animas, inde Charontis cymba in proverbium abiit, de morte scilic. & sepulchro. Inde Lucianus in *Apolog.* alterum pedem in cymba Charontis habere intelligit de homine, qui decrepitæ senectutis est: alterum pedem habere in navi, qua formula dubio procul respexit ad Charontis cymbam, qua per Stygiam paludem ipse Manes deducebat ad inferos. Hinc etiam factum, ut, quibus imprecabantur, eos juberent ad navem abire. Ita Aristophan. χώρει εἰς τὴν ναῦν, ὁ Χάρων σε καλεῖ. *Abi ad navem, Charon te vocat.*

§. V. Pro illa vectura pretium dabant Charonti, quod *naulum* dicebant. Lubin. *ad Juven. Satyr.* III. pagin. 161. Et quamvis Glossarium vetus vocem *nauli* intelligat de quavis mercede pro navis vectura, ut ita *naulum* sit, quasi *navis lucrum*, & est pretium solvendum pro vectura navis ei, qui navem exercet, *l. cum servos.* §. *fructus de Legat.* I. Apulejus sic ait VI. *Metamorph. Hinc squalido seni dabis Nauli nomine de stipibus, quas feres alteram*, &c. Conf. Joan. Baptist. Casal. *de Funer. Roman.* fol. m. 346. Item *naulum perdidit*, de extremæ prodigalitatis homine, quique omnia bona ita absumsit, ut ne tanti reliquum habeat, unde Charonti possit naulum solvere, dicitur, vel etiam de extremi infortunii homine, qui omnibus bonis spoliatus est, ut ne tantillum pretii ei relinquatur, unde sepeliri queat. Nummus hic Græcis dicebatur *Danace*, de quo Meursius ita scribit: Δανάκη *est nomen barbarici numismatis paulo plus obolo valentis; quod defunctis in os ponebatur, & Charonti persolvebatur pro Stygiæ paludis transmissione, & hic ritus apud Athenienses in usu erat.* Soli vero ex omnibus hominibus Hermionenses, uti ait Natalis Comes lib.

A III. capite IV. pagina mihi 197. *Mytholog.* nullum naulum mortuis in os includebant, quod sibi brevissimum ad inferos esse descensum dicerent.

§. VI. Nec satis fuit obolum dedisse mortuo, verum etiam instructum enim literis testimonialibus, quibus continetur vitæ exactæ honestas, dimittunt, eo siquidem pacto credunt facilius rigidos commoveri judices ad benignam ferendam sententiam. Scholiastes Pindari: *Mortuis scribunt testimonium vitæ bene transactæ, illudque dant ipsis, cum humari debent.* Addit Eustat. ut Rhadamantho exhibeant indicium vitæ peractæ, ipseque miti judicio eos ad locum beatorum

B transferri mandet. Tales literæ leguntur apud Fabium Celsum libro III. *Inscript. Antiq.* pag. 219. *Ego Sextus Anicius Pontifex testor honeste hunc vixisse: Manes ejus inveniant quietem.* Hoc etiam Moscovitæ hodienum faciunt, vid. Alexand. Gwagninus capite II. pagina 174. *de Relig. Moscovit.* unde vero Acheron dicatur, supra dictum; brevibus etiam hic adducendum autumo, cur fluvius Acheron dicatur, cujus fabula ita narratur: *Acheron filius Cereris absque patre, quem cum in abdito Cretæ specu peperisset,* (is autem lucem aspicere non auderet) *ad inferos defluxit, ibique in-*

C *fernalis fluvius amarissimus, qui primus excipit mortuorum animas, effectus est. Alii* TERRÆ ET TITANIS *filium faciunt, & ob id a Jove ad inferos dejectum ferunt, quod sitientibus Titanis limpidas præstitisset aquas.* Confer. Francisc. Gouldman. *Lexicon Anglican.* sub nomine *Aerchon*, ubi plura.

§. VII. Sed ad Cerberum, qui canis infernalis fingitur, cujus etymon prius adducemus. Descendit autem vox *Cerberus* a Κρεοβόρος *carnivorans*: hujus rei testem habemus Joan. Boccat. lib. VIII. *de Genealog. Deorum*, fol. m. 206. qui in

D hæc prorumpit verba: *Per Cerberum quidam intelligunt terram, dictumque Cerberum quasi* κρεοβόρον *volunt, eo quod a terra hominum cadavera devorentur.* Confer. Lambert. Hortens. Montfort. *Explanat. in Annæi Lucani lib.* VI. fol. m. 740. & 747. Francisc. Gouldman. *Lex. Angl.* sub nomine *Cerber*. Natus e Typhone, qui Titani fuit filius ex Terra, Joan. Boccat. lib. IV. cap. XXII. *Genealog. Deor.* fol. m. 93. & Echidna semivirgine, Natal. Com. l. III. c. V. pag. m. 199. *Mythol.* & custos ante fores Plutonis dicitur. Vocatur Ditis canis a Sophocle in *Trachiniis*, & Pausan. *lib.* II. pag. 143. Edward Simson. *Chron. Cathol.* Part. II. anno

E mundi 2799. fol. m. 55.

§. VIII. Varia ejus epitheta hic paucis tangemus. Ab Horatio lib. II. *Carm.* od. XIII. dicitur *bellua centiceps*, & ibi serpentum turmam adjungit, unde & illi tot capita Poeta appingit, & procul dubio ad parentem respicit Typhonem, qui centum capita habuisse fingitur. Vide Lambert. Hortens. Montfort. *Explanat. ad Lucan.* libro VI. fol. m. 656. A Tibullo *lib.* I. *eleg.* III. ATER CERBERUS dicitur. Hesiod. in *Theog.* vocat δεινὸν κύνα, *sævum canem*. A Seneca in *Oedipo* v. 580. dicitur *Cerberus ira furens*, & in *Hercule Furente*, v. 648. *Tartareus canis*, & in *Hercule Oeteo*

F Act. I. v. 23. *ater Cerberus*, & v. 1524. *Canis inquietus*. Describitur (1) a capite; alii triplex ei dant caput. Sophocles Cerberum vocat ᾍδου τρίκρανον σκύλακα *Plutonis tricipitem canem*. Tibull. *lib.* III. *eleg.* IV. *Cui tres sunt linguæ tergeminumque caput.* Propert. *lib.* IV. *eleg.* VII. *Tergeminus canis.* Statius lib. V. *Sylvar. Tergeminus custos.* Seneca in *Oedipo*, v. 681. *Triceps Cerberus.* Lambert. Hortens. Montfort. *Explanat. ad Lucan. lib.* IX. fol. m. 1002. in hæc prorumpit verba: *Tr-*

ceps ille canis pervigil apud inferos, &c. Turneb. *lib.* XXI. *cap.* XXII. *tricipitem* nuncupat. In *Hercule Furente* ei dantur terna colla, ut & in *Agamemnone* Act. I. *v.* XIV. trigemina colla. Propert. *lib.* III. *eleg.* XVIII. tria colla. Horat. lib. III. *Carm.* od. XI. os trilingue. Virgil. lib. VI. *Æneid.* 417. latratus trifauces. Seneca in *Hercule Furente* terna capita. Ovid. lib. IV. *Metam.* terni latratus. Alii, ut Hesiod. in *Theog.* v. 312. Cerbero quinquaginta capita tribuunt. Sed Horatius centum in od. XIII. libro II. *Carm.* tribuit ob centum angues, qui de capite ipsius crinium loco dependebant. (2) A pelle & pilis. Nam formam quidem canis habere perhibetur, sed qui loco crinium haberet in capite & tergo angues. Horatius lib. III. *Carm.* od. XI.

Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus. ——

Et Seneca in *Hercule Furente*, Act. III. v. 787.

Posthæc avari Ditis apparet domus:
Hic sævus umbras territat Stygius canis,
Qui terna vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
Lambunt colubri: viperis horrent jubæ:
Longusque torta sibilat cauda draco.

Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 419. dicit, Cerberi colla colubris horrere. Apollodor. *lib.* II. *Duodecimum certamen impositum Herculi, Cerberum ab inferis reducere. Habebat hic pro communi sententia tria canina capita, caudam draconis, at in tergore variorum serpentum capita.*

§. IX. (3) Ab officio, quod consistit in custodia, quare Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 395. Cerberum vocat *Tartareum custodem*. Est autem custos Stygis, vel, ut alii volunt, regiæ Plutonis, quod videtur indicare Seneca in *Troade*, in *Choro*, Act. II. v. 403.

——*Tænara & aspero*
Regnum sub domino, limen & obsidens
Custos non facili Cerberus ostio.

Hesiod. in *Theog.* *Sævus canis*, ait, *custodit præ foribus*. Tibull. *lib.* I. *eleg.* III.

Iratus excubat ante fores.

Horat. lib. III. *Carm.* od. XI. eum vocat *Janitorem aulæ* inferorum. Quamvis Valer. Flacc. libro III. *Argonaut.* illum vocaverit *Canem Eumenidum*. De eo refert Lucian. *Tom.* I. pag. 784. Quod advenientes satis amice & pacate intueatur, cæterum si quis conetur aufugere, latret, territosque in specum redigat. Isacius idem dicit, quem locum exscripsit Natal. Comes, *lib.* III. *c.* v. pag. m. 199. *Ibi hominum animas esse inquiunt, quas Plutonis canis custodit, qui centum habet capita. Ajunt præterea, quod accedentes animas cum blanditiis excipiat, egredi conantes deturbet, quare si qua celeriter effugere conetur, illam repente corripit ac vorat.*

§. X. Negligendum non est, Herculem ad Inferos descendisse & Cerberum inde ad superas oras abduxisse vinctum: quamvis reductionem Cerberi ab inferis ad superos Eustathius *in Iliad.* Θ. ad scribat Aidoneo Thracum regi. Sed de Hercule id plurimi affirmant. Palæphatus in lib. *de Incredibil.* pag. 99. Porro Eurystheus ad investigandum canem Herculem misit, qui peragrata tota Peloponneso tandem ad locum accessit, in quo canis latitare dicebatur, atque in antrum descendens, canem inde abduxisse. Et hoc fide Homeri *Iliad.* Θ. narratur pag. 287. Strabo lib. VIII. pag. 363. *Geograph.* In oræ maritimæ sinu Tænarum est, quæ continet Neptuni fanum in luco situm: pone est antrum, per quod Cerberum ex inferis ab Hercule extractum fabulantur. Lælius Bisciol. lib. X. cap. XVII. pag. 786. *Horar. Subcisiv.* refert, Cerberum ex aqua, quæ Liberalis dicitur, & Argis servatur, bibisse, & sic ex Inferno liberatum esse: illam siquidem aquam bibebant servi libertate donati. Ludovic. Vives *ad lib.* XVIII. *cap.* XIII *August. de Civit. Dei*, pag. 1783. putat prope specum Acherusiam, ubi est iter ad Inferos pervium, ab Hercule Cerberum fuisse extractum. In fabulis est, Cerberum, quamprimum lucem viderit, vomuisse, unde natum est aconitum herba venenata. Natal. Comes, lib. III. cap. V. pag. 200. *Mythol.*

CAP. III.

De persona Charontis & Cerberi mystica.

§ I. **V**IDIMUS in præcedentibus, quis apud Gentiles Charon fuerit, nunc in ejus personam in Sacra Scriptura inquiramus. Dictus fuit Charon nauta animarum, quod optime convenit cum Mose duce populi Dei, quippe Hebræis כר sive כרין *ducem* significat. Nonne animæ istæ quasi defunctæ per mare vehebantur, uti ex Sacra Scriptura luculenter patet. Quod autem ipsa Sacra Scriptura mare cum Averno comparet, teste Jona in libello suo. Hinc Græcis Αορνος, Punice fortasse ביצה אהרונה (bitha Aharona) *lacus extremus*. Sic *Deut.* II. v. 24. ipsum nomen האחרון legitur, quod *mare extremum* denotat, & inde Charon est, qui ab una porta ad aliam populos sive animas ducit.

§. II. Per Cerberum intelligit Vossius lib. II. cap. XXIX. pag. 453. *de Idolol.* malum Dæmonem: nam malignus ille Spiritus cœlis exul & extortis in aere solum regnat, & subjecto ei aquæ terræque globo. Porphyr. apud Theodoret. serm. III. *Therapeutices*. Est autem illorum symbolum ac nota triceps canis, hoc est, malus Dæmon, qui in tribus invenitur elementis, aere, aqua & terra. Atque hos quidem Dæmones cohibet Deus, sed sua eos habens manu ac potestate: dominatur vero illis Hecate, quippe quæ eos contineat in triplici elemento. Clarior autem res evaderet, quando per Cerberum ipsum Typhonem intelligeremus, qui nomine Enceladi etiam insignitur, teste Onomacrito, qui sub nomine Orphei *Argonaut.* vers. 1249. canit:

Obviaque Enceladi nobis trifida insula facta est.

Quæ insula Enceladi trifida Sicilia est. Hanc fabulam autem a Phœnicibus ad Græcos devenisse prodit Enceladi nomen. Neque enim a strepitu, ut volunt, dicitur Εγκέλαδος. Quin quisquis harum rerum aliquem habet sensum, statim agnoscet nomen hoc idem esse quod עקלתון *akalathon*, id est, σκολιὸν *tortuosum*, serpentis, imo Diaboli, epithetum in his Esaiæ verbis cap. XXVII. *v.* I. *animadvertet Jehova in Leviathan serpentem oblongum & in Leviathan* נחש עקלתון (nahas akalaton) *serpentem tortuosum, & occidet draconem, qui est in mari.* Nec immerito Pœnos hoc monstrum *Akalathon*, id est, in modum serpentis sinuosum & tortuosum, appellasse, docet Enceladi, seu, quod idem est, Siculi Typhonis descriptio, qua-

lis habetur Apollodori lib. I. ἐξεῖχον, inquit, ἑκατὸν κεφαλαὶ δρακόντων. *Eminebant centum capita draconum*. Imo apparet hoc ex ipso etymo Typhonis, quod Græci a τύφειν *urere* derivant, & *Levit.* VI. 21. תופיני sunt *coctiones*, & potissimum ubi hæ coctiones fiebant, nomine Gehennæ vocabantur, II. *Reg.* XXIII. A

§. III. Nec dubitandum de hac re, cum res e supra adducto fluvio apparet, quia Cerberus ex aqua dicitur bibisse & ex Inferno liberatus fuisse. Alii autem figmenta hæc Poetica moraliter exponunt, & per Cerberum intelligunt avaritiam pessimum istud crimen & insatiabilem habendi cupiditatem: quæ facit, ut homo in obscuro & squalido loco magis quam in illustri esse velit: B nec non propter sceleratum pecuniarum amorem vipereum spirat odium, & angue pejus insidietur eis, qui opibus abundant. Attamen qui pecuniam, vel aliquid unde pecunia non sine lucro acquiri potest, avaro affert, illi blanditur & bona cum ipsis commutat verba: sed si sumtus facere ipse debeat, moleste id fert, gravi animo de tanta dolet jactura. Porro per varia capita quid aliud intelligitur, quam varii modi insidiandi hominibus ob studium acquirendi pecuniam. Insuper, si fortean avarus ad lucem honorum pertrahatur, vomit, omnem scil. C iniquitatem, qua alter lædatur propter divitias, ut proinde raro dives emergat ad famæ immortalitatem. Hercules tamen dicitur Cerberum habuisse vinctum, quandoquidem superata avaritiæ bellua, ipse voluit virtute & actionibus honestis, spretis divitiis, inclarescere & heroicis factis apud posteros vivere.

§. IV. Viso & posito, quod Cerberus idem ac Typhon, videndum nunc quis per Typhonem intelligendus sit? Quando vero historias inter se conferimus, patet Typhonem nullum alium esse, quam Josuam; uti hoc satis demonstravit Vossius D in lib. *de Idolol.* quem vide. Cum vero sæpe apud Gentiles Josua cum Mose confundatur, hocque factum testatur Theodoret. & ex eo Huet. *Propos.* IV. fol. m. 53. ubi in hæc prorumpit verba: *Quæcunque de Iside & Osiride narrat, ad Mosen pertinent*. Et quæ alia ibi adducta videnda.

CAP. IV.

De Plutone.

§. I. PLUTARCHUS in lib. *An latenter sit vivendum?* pag. 1130. inquit: *Cum dissolvimur, abimus in locum visui inaccessum*; & E secundum Lucian. *Tom.* II. p. 110. *ubi Plutonis est regia*, quam *Ditis sedem* vocat Macrob. lib. I. cap. XI. pag. 45. *Comm. in Som. Scipion.* ad quam per Mercurium animæ defunctorum, postquam a Charonte ad oppositam Stygiæ paludis ripam translatæ sunt, deferuntur, ut sistantur coram ipsius tribunali. De quo loquitur Isacius: *Quamprimum anima e corpore egressa ad Stygem pervenit, a Charonte transvehitur, & soluto naulo ad Plutonis regiam defertur*. Pluto nomen habet a πλουτεῖν τοῖς νεκροῖς *quod mortuis abundet*: dicebantur siquidem ad hunc omnes animæ mortuorum descendere, F quas ubi ille acceperat, inevitabilibus vinculis coercebat, Natal. Com. lib. II. pag. m. 175. *Mythol.* Quidam a πλοῦτος derivant, & per Plutonem terram intelligunt, quia divitiæ soli terræ deputantur. Vid. Athanas. Kircher. *Obelis. Pamphil.* lib. III. fol. m. 223. Joan. Boccat. *Genealog. Deor.* lib. VIII. cap. VI. fol. m. 203. Francisc. Gouldman. in *Lexico* suo *Anglicano* ita de Plutone scribit: *Pluto, id est, divitiæ, eo quod opes omnes ab inferis, id est, ab intimis terræ visceribus eruantur. The Poets call him the god of hell and riches; vvhen he cometh tovvard one, he is feigned to be lame; but as he goeth from one, he is vvinged; because riches come slovvly, but go avvay apace; he is pictured blind, because commonly he cometh to those, that are most unvvorthy.* Id est, *Poetæ illum Deum inferni & divitiarum vocant; quando ad aliquem venit, claudus fingitur; sed quando abit, alatus; quia divitiæ tarde accedunt, & celeriter abeunt; cœcus pictus est, quia ordinarie ad eos, qui valde indigni, properat.* His calculum addit Plato in *Cratylo* pag. 277. qui sic disserit: Plutonis nomen dictum est ob divitiarum largitionem, quia divitiæ e terra in lucem emittuntur, sive sint fruges, sive metalla. Et ideo appellatur a Luciano πλουτοδότης καὶ μεγαλόδωρος *divitiarum donans magnaque largiens*. Cicero lib. II. *de Natura Deor.* inquit: *Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dicata est: qui dives & apud Græcos πλούτων, quod recidant omnia in terras & oriantur e terris.* Vossius lib. II. cap. LX. pag. 635. *Idolol.*

§. II. Plutonem hunc etiam nobis descriptum exhibet Joan. Boccat. *de Genealog. Deorum*, lib. VIII. cap. VI. fol. m. 204. & 205. his verbis: *Pluto, qui Latine Dispater dicitur, Saturni filius & Opis, uno eodemque partu cum Glauca editus est & clam a Saturno servatus.* Hunc Veteres infernorum finxere regem, eique dedere civitatem Ditem, de qua Virg. *Æneid.* VI. vers. 548.

Respicit Æneas subito, & sub rupe sinistra
Mœnia lata videt.

Ejus inde aulam & majestatem sic describit Statius lib. VIII. *Thebaid.* vers. 21. dicens:

Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant furiæ circum, variæque ex ordine mortes,
Sævaque multisonas exercet pœna catenas.
Fata ferunt animas & eodem pollice damnant,
Vincit opus, juxta Minos cum fratre verendo
Jura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat; assistunt lacrymis, atque igne tumentes
Cocytos, Phlegethonque & Styx perjuria divum
Arguit, &c.

§. III. Pluto ad regna, quæ sub terris sunt, descendit, uti ait Pausan. *lib.* II. *p.* 145. & est, uti supra diximus, inferorum Deus, Natal. Com. lib. II. cap. IX. pag. m. 173. *Mythol.* natus ex Ope & Saturno. Hic cum fratribus Jove & Neptuno mundi hæreditariam divisionem sorti commisit, & quidem, uti Placidius *ad lib.* VIII. *Thebaid. Papin.* v. 196. vult, in urbe Claria, ubi Jupiter cœlum, Neptunus mare, Pluto infernum accepit. Servius *ad lib.* I. *Æneid. Virgil.* vers. 143. *Jupiter & Neptunus & Dis Pater, Saturni & Opis filii, cum de mundi possessione certamen iniissent, placuit, ut imperium sorte dividerent; ita effectum est, ut cœlum Jupiter, maria Neptunus, Dis Pater inferos sortirentur.* Veluti hoc versiculi hi probant:

Jupiter astra, fretum Neptunus, Tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria quisque suum.

Quo respicit Augustin. lib. IV. cap. X. pag. 268. *de Civ. Dei*, & Scholiastes Juvenal. *ad Satyr.* XIII. v. 50. Cum adhuc Jupiter nec regnum cœleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluto infera regna cum Proserpina. Ejus imperium juxta Pythagoram dicitur a Lacteo Circulo sumere initium. Macrob. lib. I. cap. XII. p. 48. *Comm. in Somn. Scipion.* Pythagoras putat a Lacteo Circulo deorsum incipere Ditis imperium, quia animæ inde lapsæ videantur jam a superis recessisse. Quare autem

Plutoni infera fingantur tributa, explicat Diodor. Sicul. lib. v. *Biblioth.* pag. 337. Plutoni, quem *Aiden* Graeci vocant, funerum & sepulturæ ac parentationis ritus ostendisse ferunt, cum antehac nulla horum celebratio fuisset. Quod in causa fuit, ut defuncti in potestate ejus esse dicerentur, & inferorum ei principatum & curationem Antiquitas delegarit.

§. IV. Regnum istud est (1) egenum: cujus intuitu ipse Pluto vocatur *Dis* per antiphrasin a dives, quod mortui minime divites sint, omnibus namque bonis exuti creduntur, Rosin. lib. II. c. XV. *Antiquit. Roman.* pag. m. 351. quamvis illi, qui per Plutonem terram indigitant, Plutonem dictum exinde malint Ditem, quod maxime sit dives ob fertilissimum omnium rerum e terra proventum. (2) Regnum illud est tenebricosum, lumine destitutum, quod Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 534. appellat, *tristes sine Sole domos*. Et Euripid. *οἶκον ἀνάλιον*, *domum sine Sole*. Et ideo Pluto dictus est *ἀΐδης*, Diodor. Sicul. *lib.* V. pag. 337. a privatione luminis, quia, uti Plutarchus ait in lib. *An latenter sit vivendum*, pag. 1130. post mortem abimus in locum visui inaccessum, ubi juxta Poetarum validi fluvii nigræ noctis immensas eructant tenebras: proinde quoque Pluto audit *Dominus noctis tenebrosæ & socordis somni*. (3) Regnum istud est triste, propter defectum luminis, animarum ejulatum, & horrorem spectrorum: Homer. apud quem Tiresiæ anima ad Ulyssem ait: *Quid huc o infelix Solis lumine relicto venisti, ut videas manes & tristem regionem?* Et inde dicitur *Deus tristitiæ & Imperator tristium manium*. (4) Populosum; multi enim ad Inferos quotidie abeunt, qui a Plutone coguntur. Et hinc dicitur *Agesilaus*, teste Joan. Boccat. *de Geneal. Deor.* lib. VIII. cap. VI. fol. m. 206. quod agat populos ad Inferos, cujus meminit Poeta Callimachus *φοιτεῦσι μεγάλῳ Ἀγεσιλάῳ eunt ad magnum Agesilaum*. Et huc respexisse putant Horatium nonnulli in od. IV. lib. I. *Carmin.* qui Plutonis domum vocant *exilem*, id est, arctam & frequenti animarum concursu angustam redditam.

§. V. Sedet Pluto pro tribunali, & singulorum nomina recenset, qui morituri erant. De quo Lucianus *Tom.* III. pag. m. 586. *Postquam vero ad tribunal perveni, quidam velut Rex, (Pluto certe mihi videbatur) sedit singulorum nomina recensens, qui morituri erant, quos diem jam vitæ contiguum præteriisse contigerat*. Istud autem Tribunal vocatur *horrendum* ob loci horrorem & Regis Plutonis torvitatem. Dicitur tribunal *triste*, quod qui coram eo sistuntur omnis lætitiæ expertes timeant. Appellatur tribunal *fulminosum*, quia fulmine terret manes, uti Julianus *Orat. in Serapim* ait. Alias nocturna fulmina Plutoni adscribi indicat Anton. Clar. in Lib. singul. *Legum Antiq.* & ex eo Cerda *ad lib.* I. *Virgil. Æneid.* fol. m. 12.

§. VI. Videndum quoque quodnam habeat insigne. Fama est Plutonem pro insigni habere claves, sicuti sceptrum Jovi, & tridens Neptuno tribuebatur. Orpheus in *Hymno in Pluton. Pluto*, ait, *qui terræ claves & gubernas regna*. Causam, quare Plutoni datæ sint claves, reddit Pausan. *lib.* V. pag. 301. quod scil. ex inferno non detur reditus. Sic ait: *Est clavis Plutonis insigne; eaque (ut fama est proditum) a Dite patre Inferorum sedes ita clausa est, ut nemini inde pateat reditus*. Quapropter & vocatur a Seneca *Dominus tenacis regni*, unde negant redire quenquam, uti Catullus ait. Et ideo Pluto dicitur ab Hesiodo habere *immite cor*. A Virgil. lib. IV. *Georgic.* v. 492. *Immitis tyrannus*. Claudian. lib. I. *de raptu Proserpin. Indocilis flecti*. Quamvis autem inexorabilis sit Pluto, tamen Amo-

A ri cedit, & ab amantibus exoratur: quod indicat Plutarch. in lib. quem inscribit *Amatorium*, p. 961. Soli Amori Plutonem dicto audientem esse volunt; quanquam hic adversus alios omnes, ut est apud Sophoclem, neque æquitatem curat, neque gratiam: soloque jure simpliciter stricto utitur: tamen amantes reveretur, iisque solis non est implacabilis, neque indomitus.

§. VII. Plutonem quoque habuisse Oraculum, e quo quærentibus responsa data sunt, testatur Isacius. Plutonis Oraculum consulebatur noctu accensa una lampade, & per fulmina oculorum respondebatur, Sacerdote ea vel bene vel male inter-
B pretante, præcipue rogabatur de vitæ periculis & futura morte, quod crederetur catalogum viventium habere, & significare, quinam expletis vitæ annis mori deberet. Quamvis tamen sæpe istud Oraculum falleret, & cum bona promitteret, mala evenirent: sed id interpretantium culpæ attribui, qui Dei sensum ac mentem non recte sunt assecuti. Plutarch. in lib. *de Iside & Osiride* p. 361. Canopicum Oraculum vult Plutonis esse. Neque vero Serapis alius est, quam Pluto: nec Isis a Proserpina differt, ut & Archemachus Euboensis docuit, & Heraclides Ponticus, qui Oraculum Canopicum Plutonis esse judicat. Cultus quoque
C habuitque templum in Pylo, quod frequentant Macestii, Strabo *lib.* VIII. pag. 344. Item in via inter Tralles & Nysan pagus est Nysæorum: ibi est Plutonium habens lucum pretiosum, & templum Plutonis ac Junonis. Ajunt morbis gravatos, & qui horum Deorum curationi aliquid tribuunt, eo commeare, & victitare in pago prope antrum apud peritos Sacerdotes; hos pro iis excubare & ex somniis præscribere curationes, Strabo lib. XIV. pag. 649. *Geograph.* Immolabatur quoque Plutoni & quidem taurus; quod colligere vult Natal. Comes ex od. IV. lib. II. *Carm.* Horat.
D ubi Horatius canit:

Non si tricenis, quotquot eunt dies,
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris. ——

Levin. Torrent. *ad Od. dict.* notat sensum esse, ne tribus quidem in dies hecatombis exorari posse Plutonem, quominus, cum supremum tempus aderit, moriamur. Et hæc de Plutone.

CAP. V.

De mystica Plutonis persona, & quid Gentiles quidam per Plutonem intellectum voluerint?

E §. I. SUNT aliqui, qui per Plutonem Solem intelligunt, & dicunt quod Pluto quadriga vectus nil aliud sit quam Solis illa virtus terræ insita, ac intimorum viscerum penetrativa, qua impraegnata terra varias producit fruges, ad utilitates ac humanæ vitæ sustentandæ emolumenta, juxta id, quod de Plutone apposite dicit Claudianus:

Qui vitam lethumque regis. Nam quicquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi certis ambagibus ævi.

Macrob. quoque I. *Satur.* cap. XXIX. huic astipu-
F latur: *Inferi*, inquit, *nomen Soli datur, quum inferiori hemisphærio, id est, hyemalibus signis cursum suum peragit. Superi, quum partem Zodiaci ambit æstivam*. Hybernus itaque Sol Proserpinam rapuisse dicitur, ut bene Phornutus, quia hybernis mensibus semina sub terris latent, ac solari vi foventur, ut suo tempore in herbas prorumpant. Nam Proserpina, quam vel fruges ajebant esse, vel aridorum seminum virtutem, tunc ad lucem reduci & revisere matrem dicebatur. Huic con-

sentit illud Porphyrii apud Euseb. *Quia vero*, inquit, *virtus est quædam projectorum humi seminum, illam subtrahit Sol sub hemisphærium currens hyemali tempore. Proserpina quidem est illa virtus seminum, Pluto vero Sol est, terram subiens atque occultum percurrens orbem*, &c. Confer. Athanas. Kircher. *Obelis. Pamphil.* lib. III. cap. X. fol. m. 224. ubi plura.

§. II. Eadem refert Alexander Ross. in libello *de totius mundi Religionibus* pag. m. 903. Alii vocant *Axio Kersos* & *Axio Kersa*. *Axio* idem quod Hebr. *axi* vel *achazi*, *possessio mea*, *O* in fine addito, ac si esset ab ἄξιος. Quippe, ut sæpe observatur, barbaras voces Græci quantum possunt in Græcas μετασχηματίζουσι. Quod superest, *Kersa* vel *Kersos* fit ex Hebræo קרץ *Kerets excidium*, quod pro excidio & morte sumitur *Jerem.* cap. XLVI. v. 20. ut monent Hebræi omnes. Unde & Arabica radix media Kesrata significat *mortuus fuit*, vel *imminuit morti*, veluti ex Giggejo profert Golius in *Lexico suo Arabico* pag. m. 1886. & hinc *mors*. Vid. Samuel. Bochart. *Phaleg* lib. I. c. XII. p. m 427. edition. Francofurt. Omnino igitur *Achazi-Keres* vel *Axio-Kersos* vocatur Pluto, quapropter imperium in mortem & inferos habet. Nec dissimili ratione Paulus dicit Diabolum *Hebr.* II. v. 14. τὸ κράτος ἔχειν τοῦ θανάτου, *imperium habere mortis*. Ubi Syrus Interpres *qui possidet imperium mortis*. Syris enim ܐܚܕ idem est, quod Hebræis אחז *achaz*, *Daleth* & *Zain* de more permutatis.

§. III. Phœnicibus Pluto *Muth* & *Axio Kerses* dicebatur, de quo paulo post agetur, cum prius adduxerimus, quomodo Etruscis vocetur; Etrusci igitur *Mantum* nuncupabant, teste Servio l. X. *Æneid. Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant, cui etiam cum cæteris urbibus & hanc consecravit.* *Muth* Phœnices nuncupant. Vid. Samuel Bochart. *Phaleg.* lib. II. cap. II. p. m. 789. *Muth* Hebræis מות *mors* est, *Psalm.* XLVIII. v. 15. *Deducet nos* מות על al muth *ad mortem*. Conf. Viccars *decapli in Psalm.* fol. m. 141. Alibi legitur *maveth*, & in regimine *moth*. Idem in Stephano *motho*, sed Arabice ex Uranio: *Motho pagus Arabiæ, in quo obiit Antigonus Macedo* cæsus *a Rabiro rege Arabum*. Imo mors hodie scribitur *Mautha*, & uti nobis exhibet clar. Golius in *Lexico suo Arabico* fol. m. 2276. Qualis autem sub Plutonis persona lateat, exhibet Huetius lib. *de Demonstratione Evangelica*, edit. Paris. fol. m. 122. nempe *Semi*, quia *Semi* nomen Idololatris invisum, qui Deum quidem fecerunt, sed inferorum. Atque ut in odium pietatis Saturnum, idest, Noam, *tenebrosa in Tartara* missum fuisse finxerunt; ita Semum etiam Ἀδου vel Plutonis nomine detruserunt in inferos. Confer. Samuel. Bochart. *Phaleg* lib. I. cap. I. pag. m. 11.

CAP. VI.

De Judicibus Infernalibus, & in primis de Minoe.

§. I. POSTQUAM animæ defunctorum ad Plutonis regiam delatæ sunt, Judicibus infernalibus traduntur examinandæ, ut, facta inquisitione de vita exacta, vel in locum gaudii, vel dolorum mittantur. Id exponit Lucian. in dial. *de Luctu*, Tom. I. pag. 785. Pluto & Proserpina Rempubl administrant, rerumque omnium dominatum obtinent. Sed inserviunt his, & in administrando Principatu adjuvant, ingens turba, furiæ, pœnæ, terrores, ac Mercurius, quanquam is sane non adest perpetuo. Præfecti autem & Satrapæ & Judices sedent duo, Minos & Rhadamanthus, uterque Cretensis, uterque Jovis filius. Alii Gnossium Rhadamanthum dicunt. Vid. Lambert. Hortens. Montfort. *Explan. in Lucan. lib.* II. fol. m. 257.

§. II. Quot sint Judices, variant. Alii unum Judicem agnoscunt, nempe Rhadamanthum: alii duos, Minoem & Rhadamanthum: alii tres, adduntque Æacum. Plato vero in *Apolog. Socrat.* pag. 31. quatuor statuit, quando ait: *Si vera sunt quæ dicuntur, mortem esse migrationem in eas oras, quas qui e vita excesserunt incolunt, id multo jam beatius est, te cum ab iis, qui se Judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere Judices appellantur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum*, &c. Hi Judices & Tortores animarum apud Inferos constituti sunt, qui cogere finguntur omnes fateri delicta & scelera sua, ut singulis deinde vel præmia vel supplicia pro severorum Judicum sententia darentur, Natal. Comes lib. III. cap. VII. pag. 208. *Mythol.* De his Judicibus in specie nonnihil videbimus, initio facto a Minoe, tanquam clarissimo inter illos.

§. III. Minos, quem Homerus valde extulit, Plato in *Minoe* pag. 568. Jovis fuit filius, cui addit Joan. Bocat. *lib.* XI. cap. XXVI. fol. m. 283. quod Jovis & Europæ filius fuerit, Plutarchus in *lib. de his, qui sero a Num. puniuntur*, pag. 550. qui in Creta regnavit insula. Homer. *Odyss.* 11. & quidem in urbe Gnosso. Dicitur cum Jove novem annos in antro versatus, a quo didicit rationem legum & modum gubernandi, Plato in *Minoe* pag. 568. & propterea Homerus eum appellat ὀαριστὴν, id est, Platone interprete, *familiarem* atque *discipulum*: non enim privatos homines aut domi desidentes otiososve Deorum esse voluerunt discipulos: sed reges, qui prudentiam, justitiam, bonitatem ac magnanimitatem consecuti. Usus fuit ministro in regnando, & judicando Rhadamantho, qui in urbe fuit legum custos, Plato in *Minoe* pag. 568. Lælius Bisc. lib. II. cap. X. pag. 842. *Horar. Subcisiv.* atque propterea Rhadamanthus *Judex bonus* appellatus fuit. Hic propter justitiam, quam hac in vita exercuit, constitutus est Judex infernalis.

§. IV. Plato in *Gorgia* pag. 357. scribit, & in hæc prorumpit verba: *Minos & Rhadamanthus, postquam mortui fuerunt, judicabant in prato quodam ibique trivio, ex quo geminæ tendunt viæ: altera quidem ad Tartarum, altera vero ad Insulas beatorum. Et Asiaticos quidem Rhadamanthus: eos vero, qui ab Europa veniunt, Æacus judicabit. Minoi autem id munus adjungam, ut ipse dijudicet, si quid ab aliis ambiguum fuerit, ut justissime rectissimeque de transmissione animarum judicetur.* Et ad hoc judicium respicit Horat. lib. IV. *Carmin.* Od VII. quem vide. Huic calculum addit Anglus Francisc Gouldman in *Lexico Anglicano*, ubi ita scribit: *And for his justice vvas made chief Judge in Hell*: id est, *Et ob suam justitiam constitutus est summus Judex inferorum*. Tribunal ejus describitur a Luciano hunc in modum *Tom.* II. pag. m. 111. edit Gilberti. *Tum paulo procedentes longius ad ipsum Minois tribunal accessimus. Erat ipse quidem in solio quodam sublimi sedens: astabant autem illi Pœnæ, Tortores, mali Genii, Furiæ. Ex altera parte plurimi quidam adducti sunt ex ordine longo fune vincti, dicebantur autem adulteri, lenones, mœchi, homicidæ, adulatores, sycophantæ, ac talis hominum turba quidvis in vita patrantium. Seorsim autem divites ac fœneratores prodibant, pallidi, ventricosi, ac podagrici, quorum quisque trabe vinctus erat, ferri pondere duorum talentorum imposito.* Et pag. 112. *Minos igitur curiose quempiam*

examinans, impiorum relegabat in cœtum, pœnas ibi sceleribus dignas luiturum.

§. V. Legitur etiam apud antiquos Scriptores urbem dici Minoam. Heraclides *de Politiis: Minoam Siciliæ urbem Macaram antea vocabant. A Minoe deinceps, si credimus, Minoa dicta est.* Conf. KeKKermanni *Systema Philosoph.* p. m. 1469. *de Rebusp. Priscis.* Verum de origine hujus deinceps agemus. Præterea Minoi tribuitur motio urnæ a Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 432.

Quæsitor Minos urnam movet.

Dicitur quæsitor, tanquam qui de rebus capitalibus quærit: Additur movere urnam, scil. ut indicetur sortes conjiciendas esse. Homer. *Odyss.* λ, cum sceptro aureo depingit; Minos autem considerans sedet solus, aureum habens sceptrum, uti Ulysses apud Homerum *citato loco* inquit: se vidisse sceptrum aureum tenentem, juraque mortuis dantem. Quare autem constitutus sit Judex Inferorum, indicat Diodor. Sicul. *lib.* V. p. m. 145. nempe propter egregiam ipsius justitiam, quod scil. in exercendis judiciis fuerit justissimus, & latronibus impiis ac maleficis hominibus se inexorabilem fecerit. Hinc iterum in diversas abeunt sententias autores: Quidam *justum* dicunt *Judicem*; Quidam *injustum* & *crudelem*, scil. in extruendo Labyrintho. Vide Anglum Francisc. Gouldmann. *cit. loco.* Homerus quoque vult Minoem cum Jove congressum discendi causa, & cum eo locutum, legesque a Jove tabulis inscriptas accepisse, teste Strabone *lib.* X. & quæ alia passim in Scriptoribus reperiuntur.

CAP. VII.

De persona Minois mystica.

§ I. PERSPECTIS rebus gestis Minois, ad alia nos conferimus, & melius in personam Minois inquirimus, quæ Judex infernalis habetur; ut autem res feliciter procedat, brevibus omnia ejus gesta, & quæ adducta, & quæ jam adducenda, perlustrabimus & cum fonte Scripturæ Sacræ explicabimus. Sit igitur primum de ætate. Quando vero Chronologiam conferimus, eadem certe utriusque ætas est; Europa quippe Cadmi sorore natus est Minos; Bacchi autem, qui Moses est, Cadmus avus fuit. Rursum Herculis coævus fuit Minos; Herculem autem Josuam esse ex actis eorum constat. Cum Mosen coævum Minois dico, non verum Mosen, sed personatum intelligo. Regnasse in Creta dictum præcedente capite §. III. Quando igitur Scripturam consideramus, tunc Palæstini sæpissime appellantur, pro quo LXX. Κρῆτας ponunt, *Cretenses*, ut a cl. Samuele Bocharto *Chan.* lib. I. cap. XV. observatum. Gaza ipsa Palæstinorum civitas, Minoa dicta, quasi a Minoe rege Cretensium vetustissimo, qui eo coloniam deduxerit. Huc accedit, quod prope Gazam erat Menois vel Minois oppidum tanquam a Minoe dictum. Hieronym. in *Heb. Locis: Medemana in Tribu Juda, cujus meminit Esajas, & nunc est Menois oppidum juxta civitatem Gazam.* Quin qui Gazæ colebatur Marnas: de quo Hieronym. *in Esajam* lib. II. & in *Epist. ad Lætam*, & in *Vita Hilarionis*, credebatur esse Jupiter Cretensis.

§. II. Vocem autem *Marnas* Scaliger *ad Fragmenta* & Johannes Seldenus Anglus in libello *de Diis Syris* Syntag. II. cap. I. per κύριος ἀνθρώπων exponunt. Ego vocem Ægyptiam esse reor *Maneros*, quo nomine affectus fuit Linus, qui Moses est. Quod vero additum sit, filium Jovis fuisse, hinc patet, quod reges filii Dei in Scripturis dicantur, ut suo loco demonstrabitur. Eodem §. cap. præcedentis. Dicitur cum Jove novem annos in antro versatus, a quo didicisset rationem legum & modum gubernandi. Primus leges invenisse perhibetur Minos, easque Cretensibus proposuisse, non a se excogitatas, sed a Jove ipso traditas. Quis igitur non videt optimam convenientiam Minois cum Mose? Primus est Moses, qui Leges scriptas populo tradidit, quæ in Præcepta, Statuta & Judicia distingui poterunt. Vid. Maim. *More Nevoch.* part. III. cap. XXVI. Mentio etiam fit loci, ubi leges Minos acceperit, scil. in antro prope montem. Quis nescit in monte Sinai Mosen etiam Legem accepisse *Exod.* XIX. quod Hebræi *stationem montis Sinai* vocant. Ita illustris & terribilis actus, quo legislationi Israelitæ omnes aderant, Legemque Dei in monte Sinai accipiebant, nuncupatur. Hinc R. Moses Maimonid. *de Fundament. Legis*, pag. m. 114. & 115. cap. VIII. inquit: *Quare autem crediderunt in eum in statione montis Sinai? Quia oculi nostri viderunt non extraneum: & auribus nostris usurpavimus ignem, tonitrum ac fulgura, non autem alius quis & ut ipse accesserit ad caliginem, ad vocem sermocinantem secum: nos quoque audivimus, Mose, Mose abi.* Confer. Maimon. *More Nevoch.* pag. m. 8.

§. III. Non sine causa a Poetis Gentilibus additus autor, a quo Minos leges acceperit, qui Jupiter dicitur. Simile legitur *Exod.* XIX. 9. *Ecce veniam in densitate nubis, ut audiat populus quæ dixero tibi.* Vid. Maimonid. *de Fundament. Leg.* pag. m. 115. cap. VIII. Et alio in loco Maimonides, scilicet *Porta Mosis*, pag. 173. *Fundamentum octavum est, lex e cœlo demissa, scil. ut credatur universam Legem istam, quæ apud nos hodie reperitur, esse ad Mosen* (cœlitus) *demissam totamque ex ore Dei profectam: vel pervenisse eam totam ad ipsum a Deo eo perveniendi modo, quem forma loquendi metaphorica sermonem appellat, cum qualitatem modi istius haut alius præter ipsum c. p. ad quem pervenit, noverit: fuisse autem ipsum instar scribæ, qui ipsam sibi dictatam totam describeret, ejus scil. historias, narrationes, & præcepta, unde* (MechoKeK) *scriba audit. Omnia enim ex ore Omnipotentis profecta sunt, suntque omnia Lex Domini perfecta.* Audiamus etiam Abarbanel *de Capit. fidei*, pag. m. 76. ad dubium XI. *Credendum est*, inquit, *totam illam Legem, quam hodie habemus, esse illam, quæ data est Mosi, & totam esse ex ore Omnipotentis, q. d. Istam Legem, quæ hodie versatur in manibus nostris, traditam esse Mosi, & nullam hactenus in ea factam esse mutationem, ac istam Legem, quam conscripsit nobis Moses, acceptam esse ex ore Omnipotentis, neque quicquam esse locutum in ea ex ore suo.* Hæc & alia quamplurima citatus Autor habet, quæ si desiderentur, evolvatur. Et quid opus, ut prolixiores simus in evolvendis Rabbinorum scriptis, cum Sacra Scriptura clarissimis verbis testetur, Legem a Deo datam, *Exod.* cap. XX.

§. IV. Hinc etiam Muhammedani vocant Legem a Deo aut Apostolo præscriptam, teste Golio *Lexico Arab.* fol. m. 1272. & ita hac voce innuitur cum Lex Dei in Scriptura, tum præcipue Lex Muhammedis in Alcorano comprehensa, unde quoque bis subjungitur vox *electa* in textu Arabico, nisi forte παρόραμα est Scribæ; nam Lex Mosis, Evangelium Jesu, Psalterium Davidis, & Alcoranus Muhammedis sunt libri Muhammedanorum canonici. Vid. Henning. *Muhammed. Precan.* p. m. 168. Hotting. *Histor. Eccles.* pag. 399. T. I. & alio in loco Alcoranus: Verbi Divini nomine eos intelligunt libros: Primo Pentateuchum, communiter illis *Lex Mosis* dictum, de quo testimonium exstat *Surat.* XLII. ita sonans: *Per Mosen misimus filiis Israel librum, quem sequendo*

Deo

Deo conjungentur. Huc pertinent quæ habet, præter Christophorum Richerium *p.*218. & Hottinger. in *Histor. Orient.* pag. m. 64. Septemcastrensis lib. *de Religione & Morib. Turcar.* p. 27. ubi sic inquit: *Communis opinio fere omnium Turcarum talis est de Lege eorum: Dicunt primum Prophetam magnum, cui data fuit Lex primitus, a Deo fuisse missum, id est, Mosen, cui datus est liber Tefrit, quem nos Pentateuchum appellamus: & omnem hominem, qui eo tempore illam Legem observavit, salvatum esse.* A

§. V. Melius adhuc persona patet, quando Strabonis verba præcedente capite adducta §. v. repetimus, quod Solonis leges Minois tabulis inscriptæ fuerint. En egregiam cum Mose harmoniam. B Legitur quippe *Exod.* XXXI. Mosen accepisse duas tabulas manu Dei exculptas, quæ *Exod.* XXXII. 16. *opus Dei: Quia Deus Benedictus ille creavit tabulas illas, easque scripsit scriptione sculpta, quemadmodum creavit cœlos verbo suo solo*, inquit Autor Cosri pag. 7. a d. Buxtorf. edit. Vide *Dissert. Buxt.* S. XVI. & S. XXV. Minoen tabulas acceptas a Jove fingitur in testimonium obligationis & obedientiæ. Pari modo Mosis tabulæ *Tabulæ Testimonii*, *Exod.* XXXI. v. 18. dicuntur, quod Abarbanel ita explicat: *Vocat eas Moses tabulas testimonii, quia fuerunt testimonium Legis, quæ Israeli data fuit, in monte Sinai*. C Duplici itaque sensu, scribit Buxtorf. *dissert. cit. S.* XXIII. possunt hæ tabulæ dici *Tabulæ testimonii*: Primo respectu Legis, quam in se scriptam continebant, quæ testimonium dicitur: quia continet attestationem voluntatis divinæ. Secundo respectu Israelitarum, quæ teste Abrahamo Seba Hispano in *Tzeror hammor. sect. quatern.* XI. fol. 8. col. 3. instar obligationis & chirographi scripti subscripti & testibus subsignati, quod Deus ex Ægypto eos duxerit.

§. VI. De Minoe Plato *pag.* 568. & Homerus scribunt familiarem Jovis fuisse; hinc ὀαριστὴν appellari, quod per συνεστιαστὴν ἐν λόγοις exponitur, D ut ita sit cum aliquo colloqui. Proferamus quid de Mose dicatur *Num.* XII. I. legitur: *Ore ad os locutus sum ei*: & *Exod.* XXXIII. II. *Locutus est Dominus ad Mosen de facie ad faciem*. Vid. Maimonid. *de Fundament. Leg.* §. 7. pag. m. 101. Sic in *Midbar Rabba*, paraf. XIV. fol. 177. ubi comparatio inter Mosen & Bilham instituitur; verba hæc sunt: *Tres habuit dotes Moses, quibus caruit Bilham. Cum Mose consistente locutus est Deus: q. d.* Et tu consiste hic, & loquar tecum; *at cum Bilhamo non nisi procumbente. Cum Mose sermonem habuit ore ad os, Mosen affatus est de facie ad faciem*. E Conf. Maimonid. in *Porta Mosis*, p. m. 171. & 172. ubi hæc leguntur ex *Exod.* XXXIII. II. *Sicut alloquitur vir socium suum*. Quo loco citatus Autor addit: *Quemadmodum nulla accidit homini commotio ab alloquio socii sui, ita nec ille, c. p. alloquente ipsum* (Deo) *etiam facie ad faciem commotus est, quod ob arctam cum intellectu conjunctionem, uti explicavimus, factum*.

§. VII. Usus Minos dicitur ministro Rhadamantho, qui Mosi est Aharon, uti *Exod.* VII. *v.* I. & II. *Vide, dedi te Deum ipsi* Pharaoni. *Tu loqueris omnia quæ præcipiam tibi, & Aharon frater tuus loquetur ad Pharao*. Hinc patet, quanta cum Scriptura sit fabularum concordia. Nec silentii F pede prætereundum illud, quod §. IV. *præc. cap.* adductum fuit: *Minoem judicasse modo antiqua*. Idem Moses peregit sensu Jethronis, *Exod.* XVIII. *v.* 14. *Et tu videbis ex omni populo viros timentes Deum, odio habentes avaritiam, & judicabunt populum in omni tempore. Et omnem rem parvam judicabunt ipsi, magna autem ad te ferent*. Vid. Paul. Fag. *Paraphras. Chald.* ad hunc locum, & Johann. Selden. *de Synedr. Ebræor.* ubi quam plurima habentur lectu digna. Minos fertur malos ad infernum relegasse, quod idem Moses fecit cap. X. *Levitici* in filiis Aharonis & aliis in locis ubi de criminibus egit. Sceptrum gessit aureum Minos, quo ad illud tenditur, quod in Scriptura dicitur habuisse Mosen virgam qua miracula perfecit, *Exod.* IV. & aliis in locis sequentibus. Tam justus dicitur, ut neminem injuria affecerit. Quid de Mose dicendum? Nonne in fine vitæ & morti jam proximo in hæc prorupit verba: *Si quis adsit cui injuriam fecerim, iste procedat*; uti Scriptura hoc nos docet. Et hæc sufficiant. Alia collegit Huet. *Demonstrat. Evangel.* propos. IV. fol. m. 95. edit. Paris.

CAP. VIII.

De Rhadamantho.

§. I. SEQUITUR Rhadamanthus Jovis ex Europa filius, Minois & Æaci frater, (uti Gilbert. Cognatus ostendit *ad Lucian. Tom.* II. p. 522. e Platone in *Minoe* pag. 567.) fuit Lyciæ rex & justitiæ studiosissimus, quapropter a Platone in lib. I. *de LL.* p. 769. dicitur δικαιότατος *justissimus*. His consentiunt alii. Joh. Boccat. *de Genealogia Deorum*, lib. II. cap. XXXVI. fol. m. 286. ubi ita loquitur: *Rhadamanthus Jovis fuit filius, & (ut omnes volunt) ex Europa & regnante Danao Argis, secundum Eusebium, rex fuit Lyciæ. Hic cum severus justitiæ executor esset, eum apud inferos finxere Poetæ culpas explorare nocentum*; de quo Virgil. lib. VI. *Æneid.* vers. 566.

> *Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,*
> *Castigatque, auditque dolos, subigitque fateri.*

Conf. Lambert. Hortens. Montfort. *Annot. ad. Ann. Lucan.* fol. m. 257. De hujus origine sentiendum est, quod de Minoe dictum Francisc. Gouldmann. *Lexic. Angl.*

§. II. Idem Plato alibi Rhadamanthum virum bonum facit, qui a Minoe instructus fuit, ut regibus in judiciis ministrare posset: & ea de causa *Judex bonus* appellatus est, Plato in *Minoe* p. 568. Expedito usus est judicandi modo; nam jurejurando imposito accusantibus veritatem elicuit. Idem lib. XII. *de LL.* p. 687. Hic una cum Minoe Inferorum Judex constituitur. Lucian. *lib.* I. *p.* 785. Plutarch. in lib. *de Consol. ad Apollon.* p. 121. Hi scil. Minos, Rhadamanthus & Æacus, postquam vivendi in terra finem fecerint, judicia obibant in prato, in trivio, ubi itinerum est divortium, uno ad Insulas beatorum, altero ad Tartarum pergente.

§. III. In Asia itaque mortuos judicabit Rhadamanthus, in Europa Æacus. Minoi primariam judicandi potestatem concedendam esse autumandum, &, uti in præcedentibus capitibus adductum, *Præses judiciorum* vocandus. Quando Rhadamanthus aliquem sceleribus & injustitia contaminatum deprehendit, nihil aliud in ipso novit, neque quisnam sit, neque ex quibus ortus, sed utrum sit malus: cumque id compererit, dimittit in Tartarum, obsignans, utrum sanabilis vel insanabilis videatur. Ille vero illuc transmissus meritas subit pœnas. Interdum vero alium intuitus animum privati, vel alicujus alterius, qui pie atque integre vixerit, quod quidem Philosophis potissimum contingere arbitratur, rem suam agentibus, neque multis negotiis se implicantibus, applaudit huic, & transmittit ad insulas beatorum.

§. IV. Rhadamanthum non tam Judicem, quam Ministrum fingunt Poetæ, qui quæstiones exerceat, culpas audiat, cogatque ad confessio-

nem. Homerus lib. IV. *Odyss.* p. m. 133. ponit Rhadamanthum in Campis Elysiis. *Sed te*, ait, *ad Elysium campum & fines terræ immortales mittent, ubi est flavus Rhaddamanthus*. Et Strabo *lib.* III. p. 150. & Pausan. *lib.* VIII. p. 493. hoc ipsum affirmant.

CAP. IX.

De mystica Rhadamanthi persona in Scriptura Sacra.

§. I. BREVIBUS nunc considerabimus, quænam Rhadamanthi sit persona mystica & quando ipsum etymon evolvimus, tunc vel a *Reda* ordinis quiescentium in ultima descendit, & idem est, ac *aravit*, *sulcavit*, III. *Reg.* XIX. & *Deut.* XXII. 2. Navigare, sulcare mare, ut Poetæ loquuntur, inde navigatio Mardita, *Act.* XXVII. *Luc.* 11. 44. Quis nescit igitur Mosen infantulum adhuc in cista clausum mare sulcasse, & inde nomen *Moysen*, quod significatione fere idem ac *Reda*, Syr. ܪܕܐ accepisse, *Exod.* II. 10. Conf. Albert. Voigt *Miscell. Bibl.* pag. m. 41. seq. Vel etiam cum Israelitas per mare rubrum duceret, *Exod.* XIV. Ex his sane Mosis persona satis elucet.

§. II. Nec hæc adducta solum sententiam roborant, cum sæpius hoc vocabulum ܪܕܐ etiam *castigare*, *erudire* significet, hinc nomen ܡܪܕܘܬܐ *disciplina*. Quod Moses Israeliticum populum erudiverit, non solum e Scriptura variis in locis cognoscitur, verum etiam Rabbini id volunt, teste Maimonide in tract. *Porta Mosis* pag. m. 5. qui modum edocendi Israelem ita describit: *Recipiente se* (Mose) *in tentorium suum, primus ipsum conveniebat Aharon, cui textum ad se* (cœlitus) *demissum semel enarrabat, ipsumque ejus interpretationem docuit, illo deinde surgente atque ad dextram Mosis se sistente, ingrediebantur Eleazar & Ithamar filii ipsius, quibus etiam dictabat Moses idem quod dictaverat Abaroni; tum surgentibus ipsis cedentibusque, uno ad sinistram Mosis Magistri nostri, altero ad dextram Abaronis: ingrediebantur postea septuaginta Seniores, quos docebat Moses eo modo; quo docuerat Abaronem & filios ipsius*. Et alio in loco idem in hæc prorumpit verba: *Moyses dixit; Appropinquavit jam tempus mortis meæ; si quis ergo traditionis alicujus a me acceptæ oblitus fuerit, accedens petat ut eam ipsi declarem, & hoc est quod dictum Deut.* I. 5. *Voluit Moses explanare Legem*. Quod etiam populum castigaverit, videndum ex *Levitici* XX. ubi totum caput de pœnis transgressionum agit, & aliis in locis.

§. III. Ex etymo quoque persona demonstrari potest; ab Hebr. רדה *dominari*, *dominatum gerere*, vid. cl. Buxtorf. *Lexic. Ebræo-Chald.* p. m. 716. Nonne Moses supremus dux, ad cujus præceptum totum populum oportuit stare. Quod vero Rhadamanthus frater Minois dicitur, hac re indicare voluerunt Gentiles, Mosen fratrem habuisse Aharonem, qui simul legatus in Ægyptum & populum judicavit. Cætera quæ de Rhadamantho dicta, ex supra dictis patent. Unum adhuc monendum est, scil. cum Gentiles sæpe Mosen & Aharonem confuderint, ut mox huic, mox alteri aliquid tribuerint, ita & Rhadamantho factum.

CAP. X.

De Æaco, Hela, Nidhoggo, & Triptolemo: & quæ persona mystica.

§. I. SED ad Æacum properemus, qui natus est in Ægina. Ægina autem filia fuit fluminis Asopi. Vid. Joan. Boccat. *de Ge-*

A *neal. Deorum*, lib. VII. cap. LVII. f. m. 105. Strabo *lib.* VIII. p. 378. Joan. Boccat. *lib.* XII. *cap.* XLV. fol. m. 305. Jovis & Æginæ filium dicunt, ut in *Iliade* Homerus canit: *Pelius Æacides*. Sic Francisc. Gouldman. in *Lexico Anglicano* sub nomine *Æacus* loquitur: *Æacus forsan ab αἰακίζω, id est, verbero, vel ab αἰάζω lamentor, the son of Jupiter and Europa or Ægina*. Diodor. Sicul. *lib.* IV. p. 263. Plutonis regis infernalis patruelis. Lucian. *Tom.* I. p. 784. regnavit in insula Ægina, antea Oenone dicta. In hac insula urbs eodem nomine *Ægin* insignita erat, uti Gouldman. affert: *Ægina, a qua urbs dicta, the daughter of Asopus, king*
B *of Bœotia, en whom Jupiter (in the likeness of fire) begat Æacus and Rhadamanthus*. Fama est omnes aliquando incolas insulæ Æginæ mortuos, ita ut solus Æacus fuerit superstes, qui cum graviter insulæ solitudinem ferret, a Jove patre precatus est, ut homines repararet: cujus precibus commotus Jupiter formicas, quæ in annosa & vacua quercu vagabantur, in homines mutavit, Ovid. lib. VII. *Metam.* Hesiod. in *Theog.* inde Æginetas *Myrmidonas* dictos scribit. Natal. Com. lib. III. cap. IX. p. 211. *Mythol.* Joann. Boccat. *de Geneal. Deor.* lib. II. cap. XIII. fol. m. 227. & 278. Sed Strabo *lib.* VIII. pag. 375. *Myrmidones*, ait, *appel-*
C *lantur Æginetæ, sicut traditur, non quod magna oborta peste formicæ Æaco votis id impetrante in hominum naturam sint mutatæ: sed quod formicarum in morem terram fodientes in saxa semen conjecerint, ut agriculturam exercere possent, & quod penuria laterum coctorum in fossis habitarent*.

§. II. Magnæ quoque apud Deos fuit autoritatis: nam cum aliquando universa Græcia diuturna siccitate laboraret, cum igitur Principes de averruncatione malorum consultarent, & a Deo consilium peterent, respondit ille e tripode: Æacum Jovis & Æginæ filium Asopique nepotem,
D ut vota pro communi salute faceret, conveniendum esse, Diodor. Sicul. *lib.* IV. p. 363. Justitiæ cultor fuit eximius persecutusque est acriter prædones, contra quorum impetum magnas moles de industria jecisse dicitur Æacus, Pausan. *lib.* II. p. 130. Et propter illam justitiam a fabularum autoribus perhibetur Judex infernalis una cum Rhadamantho & Minoe, Cic. lib. I. *Tuscul. Quæst.* p. 92. Lævin. Torent. *ad. od.* VIII. *lib.* IV. *Carm. Horat.* ut fontium crimina discuteret & unicuique pro meritis pœnam constitueret, Gilbert. Cognat. *ad Tom.* I. *Lucian.* p. 799. Quamvis Lucianus fingat, Æaco custodiam in-
E ferni esse mandatam, juxtaque illum canem tricipitem & sævum admodum consistere, Tom. I. Dial. *de Luctu*, pag. 784. Plato tamen in *Gorgia*, p. 357. & 358. eum constituit Judicem infernalem, & quidem ut eos, qui veniunt ex Europa, judicet.

§. III. Fuerunt & alii populi, scil. septentrionales, qui omnes, qui bello non caderent, sed mollem & feriatam vitam agerent, morbo aut senectute conficerentur, ad Helam inferni Deam a Wodeno constitutam transituri sint, ubi fame, inedia & perpetuo squalore contabesce-
F rent. Edda *Mythol.* XXVIII. hoc sequentibus affirmat verbis: *Helam vero in Nifleheimum dimisit, imperiumque dedit super mundos novem, ut mansiones inter eos qui ad ipsum mittuntur distribuat: hic sunt omnes ex morbis & senio mortui homines. Multas ibi villas habet præaltas, cancellosque grandes & fortes. Ejus palatium* Eliudus *sive* Olunda *vocatur; patina ejus* Hungur *fames; cultellus* Sultur *esur, es; servus* Ganglate *segniter ambulans; ancilla* Gangloet *tardigrada; limen* Falland forrap *præceps interitus; lectus* Koer *diuturnus macor &*

agritudo stragula BliKande boel *micans mara retitinet pellis humanæ, torva & truculenta est, quare facile dignosci potest. Perjuris & flagitiosis omnibus Gothi in inferno destinatum esse locum dicunt, ubi* Nidhoggus *imperabat, tormentorum mirus & ingeniosus artifex; qui homines nequam miseris modis excarnificaret atque torqueret, & atrocitatem sceleris immanitate pœnæ compensaret*. Conf. Sheringham. *de origine Anglor. Gentis*, pag. m. 324.

§. IV. De Triptolemo pauca prolaturi sumus; is natus in Attica urbe nomine Eleusis, patrem habuit Celum Eleusinium regem, matrem Hyona, Delrio *ad Senec. Trag.* 197. Natal. Com. lib. v. cap. XIV. p. 508. *Mythol.* cui nutricem quærenti Ceres, ultro se obtulit, puerumque divino lacte nutritum noctu clam sub igne occultavit, a qua etiam edoctus fuit sationem frugum, Hygin. *fab* CXLVII. Herod. *lib.* VII. Hic constitutus fuit Judex infernalis una cum reliquis, Plat. in *Apolog. sacr.* p. 31. Referunt Annales Græcorum non tam judicem, quam assessorem fuisse, quod docet Haspocrates Lystrensis in *Vocabulario Historico*, pag. 598.

§. V. Hoc in capite quoque adducendum esse autumamus, quam personam Æacus in Scriptura Sacra denotat; & quando circumstantias consideramus, videtur Mosen fuisse. Hic enim Minois coævus fuit, coævus & Bacchi, & Aristæi, & Asterii, qui Minois filius fuit avo cognominis. Jovis fingitur filius; item ut pleræque imagines, Bacchus, Minos, Rhadamanthus, & alii, Jove in ignem mutato, natus dicitur, perinde ut Bacchus, testis hujus est Ovidius *Met.* VI.

—— *Asopida luserit igneus.*

Asopis illa Ægina est, Asopi filia, Æaci mater. Non ex Jove ignibus celato, at in aquilam verso genitum eum scribit Nonnus, sed prope ardentem fluvium. Fabulam narrat fusius Apollod. *lib.* III. Mater Æaco tribuitur Ægina, Asopi fluvii filia, quod Thermutis velut altera Mosis mater eum ex fluvio traxerit. Piissimum omnium hominum fuisse Æacum testatur Apollod. *lib.* III. & Plutarch. *Thes.* Sanctitatem Mosis prædicare nihil attinet. Virgam inter judicandum tenuisse Æacum dicit Plato, quo sacra illa Mosis virga denotatur. Græciæ siccitate, sterilitate & fame laboranti largos imbres & uberem frugum annonam precibus & sacrificiis a Jove Æacus impetravit. Nonne hæc cum illo Israelitarum in Deserto conveniunt, ubi Moses a Deo aquam, Manna & coturnices impetravit, & quæ alia si conferantur cum Mose optime conveniunt. Paria de aliis dicenda, de quibus egit Huet. in *Demonst. Evangel.* ubi plura lectu digna habentur.

§. VI. Restat etiam hoc in loco paucula de portitore inferni proferre, quem Judæi Abrahamum fingunt esse, uti ex *Bereschit Rabba* sect. XLVIII. videndum; verba ejus hæc sunt: *Futuris, id est, temporibus, peracto scil. judicio supremo, sedebit Abraham præ foribus inferni, neque permittet, ut quisquam de Israel circumcisus intret*. Sic in eod. libro *pag.* 10. *n.*29. *De eo dixerunt Magistri nostri p.m. quod Abraham sedens præ foribus Gehennæ neminem circumcisum intromittat*. Sed nugæ sunt. Conf. in eundem sensum *Disput.* HacKspan. ubi plura.

CAP. XI.

De Campis Elysiis & Paradiso.

§. I. CREDIDERUNT Gentiles post hanc vitam animas piorum migrare ad insulas beatas. Locus autem beatorum dicitur *Campus Elysius*, qui videtur nomen habere ab *α ἐπιτατικῷ* & *λύσις solutio*, ut Elysius sit quasi *ἀλύσιος ἀπὸ τῆς λύσεως τῆς κολάσεως, quod solvat a pœna*. Unde Origen. lib. VII. *contra Celsum* vocat locum istum *ἀπόλυσιν τῆς κολάσεως solutionem & liberationem a pœna*. Leonhard. Coquæ. *ad lib.* X. *cap.* XXX. *August. de Civit. Dei pag.* 632. & *ad lib.* XXI. *cap.* XXVII. *p.* 1464. *August. de Civit. Dei*. Samuel Bochart. Tom. II. lib. I. cap. XXXIV. p. 664. *Geograph. Sacræ* derivat ad *Alas* Hebræo *exultare*, quod vocabulum sæpissime in Scriptura legitur. Sic *Ps.* XCIV. *Usque quo impii jaalsu exultabunt*. *Esa.* v. 14. *Vealads bah, & exultabundus, lætus in ea*: veluti Mercerus in *Lexico* suo prolixius demonstrat, fol. m. 1985. ut ita Campus Elysius sit locus voluptatis & lætitiæ: de quo Virgil. lib. VI. *Æneid.* Martial. *lib.* X. *epigr.* XXIV.

§. II. In genere Campos Elysios describit Lucian. *Tom.* II. p. m. 483. *Jam vero non procul aberamus, cum mira quædam aura nos afflavit, dulcis & odorifera, qualis a rosis, narcissis, hyacinthis, liliis, violis, myrto, vel lauro redolere solent, talis nobis odor aspiravit. Flumina amœnissima videntur, aer lenis, prata jucundissima; simulque aves audiuntur canentes*: & quæ alia ibi descripta legenda. Simul & in hunc locum optime scripsit Gilbertus Cognatus *ad Luciani Tom.* II. pag. 522. Insignem quoque descriptionem exhibet Virgil. lib. VI. *Æneid.* a vers. 637. usque 659.

§. III. Quando vero inquirimus unde Gentiles Campos hos Elysios finxerint, tunc non opus multis verbis id facere, offert se locus in Scriptura Sacra *Genes.* II. 8. quem si considerabimus, vix ovum ovo similius, quam hic locus cum Campis Elysiis esse potest. Vocatur in Scriptura *Gan Eden*, alio nomine *Paradisus*. Paradisum autem partim a *parah fructificavit*, & *hades myrtus*, quasi *fructificatio myrtorum*. Myrtus autem odore & sapore præ aliis arboribus recreat & excellit, B. Gerhard. *Disp.* XXII. *Isagog.* §. 17. pag. m. 818. partim etiam a *parad separavit, disjunxit*, ut Paradisus proprie *pomarium* notet, & sæpius pro Magnatum pomario sumatur. Vid. *Antiq. Dieter.* fol. m. 73. & 74. Hinc apud scriptores externos non solum significat glebæ delicatam portionem, qua nascantur flores pulcherrimi, stirpes & plantæ odorem emittentes suavissimum, ligna pomifera dulcissimos fructus gratam sarcinam ferentia; sed ferunt tantæ etiam laxitatis, ut feras plurimas ad venationem alant, peramplis stagnis ad pisces alendos abundent; ostendit ex Plutarcho, Xenophonte, Philostrato, Procopio Historico, Gellio, & aliis, Eugubinus in *Cosmopœia* ad hoc, *Paradisum voluptatis*, &c. conf. lib. II. diss. III. sect. III. *Antiq. Hebr.* fol. m. 323. Brissonius fuse lib. I. *de Regno Persar.* Et ex phrasi Biblica Paradisus hortum denotat, cujus plantationes omnes exquisitæ sunt, ita ut quoquo vertas, non nisi teneras & amabiles haurias voluptates; quibus consensum præbet Moyses Bar-Cepha part. II. *Commentarior. de Paradiso* cap. XVI. inquiens: *Paradisus appellatur Paradisus, quod locus sit cultus plurimis pulcherrimisque odoratu, tum gustatu jucundis, planeque congruus, appositus, accommodatus, ut sit domicilium: sedesque & amœnitas hominum.*

§. IV. Hac ex causa additur *Edem*, scil. quod hortus hic plantatus fuerit in *Edem*, quæ vox diversas admittit significationes: partim enim *voluptatem* significat, cujus rei testis Hieronymus *in hunc locum: Et sumsit Deus hominem & posuit eum in Paradisum voluptatis*: ipsi LXX. interpretati sunt per *Eden*: partim locum a voluptate denominatum, quod affirmant Hebræi, Chaldæi, Æthiopes & Arabes, & in sua lingua nomine horti eundem statum insigniunt, idque ob amœnitatem & suavitatem, qua ibi perfruuntur animæ beatorum. Audiamus modo Arabes, qui a *Gan* Hebraico *Ganuab* vocant, & hæc epitheta addunt *Gannata'l Phardus*, & *Gannat A-*

dani, & *Gannoto'l Mavvi*, *Gannato'l Naim*. Confer. Henning. *Muhammed. precant.* pag. m. 152. Eduard. Pocok. *Not. Miſcell.* cap. VII. pag. m. 244. 295. Paul. Scherlog. *Antiq. Hebr.* fol. m. 323. lib. II. Unde & Hopkinſon de Paradiſo inquit: *Locus ille, in quo erat Paradiſus, nomine Eden appellabatur ab ubertate & delitiis, uti revera talis erat.*

§. V. Quemadmodum Paradiſus in certo loco conſtitutus erat, ita Gentiles Campos Elyſios locabant, & Macrob. lib. I. cap. II. p. 46. *Comment. in Somn. Scipion.* ſimpliciter eos ponit in terra. Homerus autem lib. IV. *Odyſſ.* pag. 133. in Gaditana regione non procul ab Herculis columnis ponit Campos Elyſios: rationes, cur ita factum, vide apud Samuel. Bochart. Tom. I. lib. III. cap. VII. pag. m. 189. *Phaleg.* Alii aliter & rem incertam relinquunt. Eodem modo res ſe habet cum Paradiſo a Moſe deſcripto: Alii *Eden* Babylonia includunt. Copioſiores nacta patronos ſententia, quæ Paradiſum vertice editiſſimi montis collocat, uti refert Moſes Bar-Cepha Part. I. *de Paradiſo* cap. VIII. Recentiorum multorum placitum eſt, delegiſſe olim Mundi Creatorem Meſopotamiam, in qua Paradiſum conderet; nonnulli intra Meſopotamiam & Armeniam; alii prope Chaldæam, quidam in Syria Palæſtinæ locavere; conſtantior ſententia Meſopotamiam deſignat; Steuchus Kiſamenſis Epiſcop. in *Coſmopœia ad cap.* II. *Gen.* Vatablus, Oleander, Eſtius, Corn. a Lapide, Genebrard. *Chronolog.* lib. I. pag. 7. & 14. Beroald. lib. II. *Chronol.* cap. VII. & qui alii autores. Confer. Dieter. *Antiq. Bibl.* fol. m. 75.

§. VI. Camporum Elyſiorum pulchritudinem deſcribentes Poetæ, innuunt hoc a pratorum amœniate & roſarum abundantia. Pindarus vocat *prata ornata purpureis roſis*. Plutarch. in lib. *de Conſol. ad Apoll.* pag. 120. & pag. 1130. ſic Tibul. *lib.* I. *eleg.* III. Propert. *lib.* IV. *eleg.* VII. & qui alii. Quid dicamus de Paradiſo Moſis, de quo legitur tertia die venuſtate donatum. De quo etiam Moſes Bar-Cepha *Comment. de Paradiſo* cap. V. inquit, *Ac Paradiſum eſſe quidem a Deo conditum commemorat, ſed non quoto die, nos tamen tertio & conditum & conſitum eſſe iis verbis, quæ de ipſo apud Moſen habentur, intelligimus, aut enim dixiſſe Deum die tertio*, Producat terra herbas germinantes, &c. Nec Gentiles habent quod jactitent de Campis Elyſiis, quod ibi ſponte omnia naſcantur; uti Natal. Com. lib. III. cap. XIX. pag. 271. *Mithol.* indicat. Simile affirmat Moſes citato loco. A fluviis & fontibus commendantur Campi Elyſii, teſte Virgil. VI. *Æneid.* v. 658. Audiamus Moſen: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum.* Paradiſus itaque etiamſi multis & variis præconiis felix habeatur, hoc tamen naturæ beneficio præcipue beatus, quod IV. clariſſimis fluviis in varias mundi partes profluentibus fuerit irrigatus. Vid. *dict. Antiquit.* fol. 84.

§. VII. Sunt etiam Gentilium qui Campos Elyſios a lumine ac aſtris & ventis laudant; Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 640. ita canit.

Largior hic campos æther & lumine veſtit
Purpureo. ——

Plutarchus in lib. *de ſera Numin. Vind.* ait beatos vagari in lumine tanquam in tranquillitate. Cerda *ad lib.* VI. *Æneid.* f. 655. ſcribit: *Gentiles in hoc fuiſſe errore, ut putarent in Elyſiis alium eſſe ſolem, alia aſtra.* Sic etiam Claudian. lib. II. *de raptu Proſerpinæ*, & quæ alia ſunt figmenta. Non ſolum inter Gentiles hæc opinio altas egit radices, ſed etiam inter Chriſtianos in uſu fuit, quippe quidam ſtatuerunt, Paradiſum ſuſtolli in altitudinem, ut ſupremam aeris regionem attingat, quin & lunæ ad globum perveniat, ſic enim & aere puro. In Paradiſu tranquillitatem & nobilitatem acrisr eperiri. Sane Paradiſo aerem regnaſſe perpetuum, pratorum, arborum, florum immarceſſibili decore, abſuiſſe ventorum ingratos flatus, frigoris exceſſum judicant, S. Baſil. Homil. *de Parad.* Tertull. lib. *de judic. Dom.* cap. VIII. Auguſtin. lib. XIV. *de Civit. Dei*: cap. X. Juſtin. Martyr. *Exhort. ad nation.* Iſidor. Hiſpalenſ. lib. XIV. *Orig.* cap. III. Damaſcen. lib. II. *de fide Orthodox.* cap. XI. cui adhærens Thomas *part.* I *quæſt.* CII. *artic.* II. *in corp.* inquit: *Quia, ut Damaſcenus dicit, eſt locus temperato & tenuiſſimo & puriſſimo aere circumfulgens.* Floride etiam depinxit Arnoldus Caronatenſis tract. *de opere ſex dier.* ſimiliter Thomas Anglicus *in cap.* II. *Gen.* quos vide.

§. VIII. Cætera quæ Gentiles de Campis Elyſiis fabulantur, conſiſtunt (1) in conviviis, creduntque animas ibi in perpetua voluptate victuras eſſe; vocatur hoc convivium juxta Platon. lib. II. *de Republ.* συμπόσιον τῶν ὁσίων *convivium ſanctorum*. Conf. Lucian. *Tom.* II. *pag.* 489. 490. In his conviviis formoſiſſimæ puellæ dicuntur miniſtrare viris: fæminis vero miniſtrare adoleſcentes pulcherrimi mutuis poculis ſe invitantes, Natal. Com. III. cap. XIX. pag. m. 271. *Mythol.* (2) In Muſica, de qua iterum Lucian. *Tom.* I. *pag.* 490. expedite ſcribit: de iſta Muſica etiam agit Natal. Com. lib. III. cap. XIX. pag. m. 271. *Mythol.* (3) In jucundo colloquio, quod beati in altera vita belle inter ſe de rebus peractis ſint locuturi; de quo Plutarch. in lib. *de occult. vivendo* pag 1130. Lucian. *Tom.* I. pag. m. 786. Quæ omnia ad Paradiſum futurum referri poſſunt, qua & electi beati in vita altera non quidem cibis corporalibus: ſed ſpiritualibus fruituri ſunt, teſte Johanne in *Apocal.* dicente: *Quod Agnus paverit illos*, & quæ alia in Sacra Scriptura ſunt loca, quæ paſſim occurrunt. De Muſica etiam non dubitandum, quippe beati Deum in æternum laudabunt. Quid de colloquio dicendum? utique non dubitandum; nam jucundiſſima ibi audientur colloquia. Hæc de Campis Elyſiis dicta ſunto.

§. IX. Cum fere Muhammeda in omnibus cum Gentilibus conveniat, ejus Paradiſum brevibus etiam perluſtrabimus, & quidem quoad locum; ſitum eſſe ajunt Muhammedani *ſupra cœlos ſeptem & infra Thronum* (Dei). Amœnitatem ejus ita depingunt; terram ejus alias ſimilam tenuiſſimam, alias moſchum puriſſimum, alias crocum eſſe dicit Muhammedes, lapillos ipſius uniones & hyacinthos, ædificia lateribus aureis & argentis teſſellata, nullam in eo arborem creſcere, cui truncus non ſit aureus, inter eas celebris notæ eſſe arborem *Tuba* (felicitatis) dictam. Cujus radix in ipſius Mohammedis ædibus ſit, at *ad unuiuſcujuſque fidelis ædes ramum ejus aliquem pertingere*, qui quotieſcunque ejus fructu veſci deſideret, ſponte ſua ſe ad ipſius manus demittat, quin & veſtes iſtis holoſericas, nec non jumenta quibus vehantur, ſuppeditet, quæ ſellis, frænis & ephippiis ornata excludet quoties voluerint, tantæ magnitudinis, ut vel equo celerrimo vectus centum annis umbram ejus non emetiatur, &c. Fluvii eum irrigari ajunt, quorum alii aqua, alii lacte, alii vino, alii melle fluant, omnibus e radice *Tuba* ſcaturientibus, inter quas & *Cauthar* & *Vitæ fluvius*, nec non fontibus, quorum lapilli hyacinthi rubentes & ſmaragdi virides, terra camphora, fundus moſchus, ora crocus, inter quas præcipue duæ ſunt, *Salſabil* & *Tanſim*. Plura qui deſiderat, evolvat librum elegantem Henning. intitul. *Muhammeda Precans*, ubi variis in locis plurima lectu digna habentur. Vid. Nicolai Paſtoris jam Luneburg. fideliſſ. diſſertat. *de Paradiſo*, & Eduard. Pocockii *Not. Miſcell.* cap. VII. pag. 294.

DANIELIS CLASENII
THEOLOGIA GENTILIS,
SEU
DEMONSTRATIO QUA PROBATUR GENTILIUM THEOLOGIAM, (CEU TENEBRAS) DEOS, SACRIFICIA ET ALIA EX FONTE SCRIPTURÆ (CEU LUCE) ORIGINEM TRAXISSE.

PARS TERTIA.

CAP. I.

De Sacerdotibus.

§. I. ACERDOTEM dictum esse volunt, quasi *sacra donantem*, vid. Franc. Gouldman. in *Lexic. Anglican.* vel *sacra docentem*, propterea, ut Isidorus ait, quod sacram hominibus donet doceatque doctrinam, & verenda sacra. Sacerdotis opera utebantur Gentiles in peragendis sacris, quod tradit M. Terentius Varro. Sacerdotum munus inter alia est, & in eo consistit, ut sacra peragant eorumque habeant curam. Multa fuere Sacerdotum genera, a Lucano *lib.* I. v. 595. descripta fol. m. 127.

Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam, &c.

Conf. Elias Sched. *de Diis Germ.* Syntag. II. pag. m. 235. seq.

§. II. Pontifices. (1) Nomen hoc etsi initio paucis impositum, tam late deinceps patuit, quam orbis Romanus, cum amplissimus esset, verba sunt B. And. Bos. Exerc. I. *de P. M. V. R.* cap. I. §. I. & certant adhuc Grammatici, & sub judice adhuc lis est. Quidam a *potis* & *facere* derivant Pontificis nomen: quod is potis sit facere, id est, sacrificare, (hoc enim sensu vox *facere* Virgil. *Ecl.* III. venit) seu habeat potentiam non adeo limitatam, veluti alii Sacerdotes, vel quod facere deberet, quæ posset. Quam sententiam recenset Plutarch. in *Numa*, tenetque Becman. *de orig. Lat. Ling.* cui consentit Lambert. Hortens. Montfort. *Explan. in Lucan. lib.* I. fol. m. 129. Aliam opinionem recenset *loc. cit.* Plutarchus, quam suam facit Rupertus in *Orat. Histor.* XXIV. nempe Pontifices dictos fuisse, quod *in ponte facerent*, seu quod sacris vetustissimis in ponte peragendis præfecti essent. Conf. Lambert. Hortens. Montfort. *cit. loc.* Tertiam Varro affert l. IV. *de L. L. c.* XV. quod scilicet Pontifices dicti fuerint a *ponte sublicio faciendo* vel restituendo. Quam sententiam aliis præfert B. Bosius *lib. cit.* §. 8. rationem hanc ex Varrone & Dionysio afferens, quod pons sublicius Romanis adeo sacer fuerit, ut si collaberetur, Pontifex non nisi victima cæsa eum reficere posset. Conf. Keckerman. *System. Polit.* pag. m. 997. Francisc. Gouldman. A Angl. in *Lexico suo*, Joan. Baptist. Casal. *de Sacerdot.* fol. m. 371.

§. III. Apud Romanos & alios populos magnam habebat potestatem Pontifex maximus. Hic omnia sacra exscripta habebat, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, eratque is tanquam sacrorum tabula. Vid. Elias Sched. *de Diis German.* cap. X. pag. 280. & 286. Ipsi quoque Pontifices, quod scribit Dionysius Halicarnas. nulli judicio erant obnoxii, neque Senatui, neque populo dictorum aut factorum rationes reddere tenebantur. Et ut paucis dicam, omnis dignitas, omnis civium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dii penates, bona fortunæ, domicilia, horum fidei, B sapientiæ potestatique commissa & credita esse videbantur. Cicero in *Oratione pro domo*, Onuphr. Panvin. l. II. p. 198. de *Republica Romana*, Pigh. Tom. I. *Annal.* pag. 30. & 31. Alexan. ab Alexan. l. II. c. VIII. pag. m. 110. seq. *Genial. Dier.* Joan. Baptist. Casal. *de Sacerdot.* fol. m. 361. Lambert. Hortens. Montif. *Explan. ad Annei Lucani lib.* I. fol. m. 129.

§. IV. Quando igitur Sacram Scripturam evolvimus, tunc clare apparet, Gentiles hinc morem creandi Pontificem sumsisse ex illo *Exod.* XXVIII. *Num.* XVII. & 25. ubi Deus ex omnibus Levitis unum ad sacratissimam functionem separavit Aharonem & filios ejus, quibus omnia jura, C quæ supra adducta, conveniebant. Veluti ex Sacra Scriptura variis in locis patet.

§. V. Erant (II.) etiam Sacerdotes *Virgines Vestales*, quarum munus erat, ut sacra curarent & ignem sacrum, de quibus paucis agemus. Vestæ nomen autem ab Hebræo vocabulo אש deductum est, quod *ignem* significat, ut sentit Berosus lib. *de Cognominibus*. Estam, *id est*, *ignem post mortem cognominarunt*. *Quia ipsa Regina sacrorum erat, & puellas docuerat sempiternum ignem sacrorum inextinctum servare*. Hinc Suidas & Lipsius lib. *de Vesta* cap. III. pag. m. 604. ἑστίαν vocant, & hanc ob causam Vesta igne colebatur. Conf. Voss. lib. III. c. LXIII. pag. m 642. *Idol.* Na- D tal. Com. lib. VIII. cap. XX. pag. 899. *Mythol.* Valer. Max. *lib.* V. *cap.* IV. Lud. de la Cerda *ad lib.* II. *Æneid.* v. 296. Tiraquell. *ad lib.* V. *cap.* XII. fol. 486. Alex. *Gen. Dier.* Joan. Baptist. Casal. *de Virgin. Vesta* cap. III. fol. m. 373. Harum officium in tribus consistebat. (1.) *Vigilare*. Vigilia hæc ad ignem spectavit, quem sine intermissione ali & reparari oportuit, igitur ignem istum sempiternum dicebant, vid. Cic. lib. *de L. L.* Lipsius *de Vesta* cap. VIII. p. 609. Joan. Baptist. Casal *cit. loc.* Elias Sched. *de Diis Germanis*. (2) *Asservare* ignem tanquam sacrum imperii

pignus, Liv. (3.) *Sacrificare*. Hoc munus Vestalium indicat Seneca in lib. *de Provident*. cap. v.

§. VI. Hæc si cum Scriptura conferimus, nullum dubium, quin hic ritus inde originem traxerit: nam cum sacrificia pro peccato, holocausta altari imposuisset Aharon, *ignis a conspectu Dei exiens consumpsit in altari holocaustum*. Sic de Davidis sacrificio legitur, 1. *Par*. XXI. *v*. 26. & in initiatione Templi a Salomone exstructi, II. *Par*. VII. *v*. 1. 2. 3. Hic ignis per miraculum e cœlo demissus pro sacro fuit habitus. Itaque jubebantur Sacerdotes eum perpetuo servare inextinctum. Verba sunt *Levit*. VI. vers. 12. 13. *Ignis autem qui est super altare, aletur in eo, nec extinguetur: sed faciet Sacerdos, ut ligna super illud quolibet mane ardeant*, &c. *Ignis*, inquam, *jugiter aletur in altari, nec extinguetur*. Confer. Sheringam. *Joma*, ubi plura. Notandum igitur Diabolum hac in parte Dei æmulum suos habuisse Sacerdotes, qui ignem servarent inextinctum. De Vestalibus, quæ a Pontifice Maximo in abdito conclavi, lineo velo obtento, flagris cædebantur, si sacrum & æternum ignem deficere passæ essent, plura qui desiderat, evolvat Bocharti *Hieroz*. fol. m. 393. aliosque.

§. VII. Ad alios (III.) accedimus, qui *Galli* dicebantur. Phædrus *lib*. III. *fab*. XXI. illud demonstrat, quando sic loquitur:

Galli Cybeles circum quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas:
Is cum labore & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.

Martial. *Epigram*. lib. v. epigr. XVI.

Quem sectis ululat matris Entheæ Gallus.

Idem Martial. *lib*. XI. *epigram*. LXXV.

—— *Baccara Gallus erat*.

M. Felix in *Octavio* pag. 60. Prudentius *Passion. Roman*. p. 180. Lucan. *lib*. I. *v*. 565. *Gallus barušpex* dicitur a Martiale *lib*. v. *epigram. de Tusco*. pag. 129. *Gallantes* vocat Varro apud Nonium, & ob effœminatam mollitiem *Gallas* Catullus *eleg*. LXIV. p. 113. & 114. Unde eorum summus Sacerdos *Archigallus* insignitur a Scholiaste Juvenal. *ad satyr*. IX. *vers*. 62. Tertullian. *Apolog*. cap. XLII. Originem autem hujus nominis exhibet Herodianus lib. I. in *Commodo*, pag. 30. Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ Πεσινοῦντι, πάλαι μὲν φρύγες ὀργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερωμένοι. *In hoc, quem diximus, Pessinunte Phryges olim Orgia colebant ad ipsum fluvium Gallum, a quo etiam evirati Deæ Sacerdotes cognominantur*. Adde Ovid. *Fastor*. l. IV. p. 78.

Cur igitur Gallos qui se excidere, vocamus?
Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celenas
Amnis it insana, nomine Gallus, aqua.
Qui bibit inde, furit, &c.

Dicebantur etiam *Curetes*; Claudianus *l*. II. *Coribantes*, Lucianus *Deor. Dial*. p. 31. & 34. Valer. Flaccus l. VII. *Argonaut*. v. 935. Adde Diodorum Siculum *l*. III. *p*. 323. Strabonem *l*. X. *p*. 49. Posidippum in *Saltantibus* apud Athenæ. l. x. fol. m. 376. *Sectus Coribas*, Sidonius Apollinaris *Epithalam*. Dicti & *Hiberiæ* versu 234. & 235. *Mænades*, Catul. *eleg*. LXIV. p. 114. & 16. BACCHI, BACCHÆ, Theophylactus ad *Hoseæ c*. VII. 14. *Idæi Dactyli*, Solinus Polyhistor *cap*. XVII. *Fanatici*, Ulpian. *lib*. I. Lamprid. in *Heliogabal*. pag. 155. *Phryges*, Catullus, *Spadones*, *Evirati*, *Effœminati*, *Abscissi*, *Semiviri*, passim ab Arnobio *Exsecti*; Valer. Flac *Argonaut*. lib. VII. v. 635. *Secti*, Sidonius Apollinaris *loco citato*, Felix in *Octavio* pagina 70. ubi *exta* pro membro virili ponuntur, *Evirati*, & quæ alia autorum elogia.

A §. VIII. Modum, quo sese evirabant, docet Lucianus *de Dea Syria*, pag. m. 419. verba hæc sunt: *Adolescens, quicunque ad hoc paratus venit, abjectis vestibus magna voce in medium progreditur, atque ensem distringit. Accepto autem eo continuo se ipsum secat, curritque per urbem, & manibus ea, quæ resecuit, portat. In quamcunque autem domum hæc abjicit, ex ea & vestem fœmineam, & ornamentum muliebrem accipit*. Et juxta Scripturam Sacram hic mos a nullis aliis populis, quam Ebræis originem traxit. Quemadmodum Hebræis filios suos cultellis petrinis circumcidebant, ut explicat Lactantius l. IV. *de vera sapientia*, p. 227. Et Tertullianus, qui B in libro *contra Judæos* illos cultros lapideos *calculi* nomine exprimit, quamvis novaculas & cultros acutos instrumenta illa, quibus Moses *Exodi* IV. 25. & Israelitæ apud *Josuam* V. 2. circumcisi legantur, plurimi interpretentur Rabbini, Salomo Jarchi, Kimchi; & Lexicographi Pagninus, Buxtorfius, atque etiam Munsterus Tigurinus, Vatablus, Tremellius & Junius, aliique; & sicut Sephora (quæ nulla alia quam Cybele) petra, quæ primum occurrerat festinanti, præputium gnato suo præsecuit, veluti opinatur Salian, ex Hugone Abulensi, Pererio, Barradio, & Cornelio. Ita etiam Diabolus, ne Deo cederet, hunc modum a- C pud Gentiles introduxit.

§ IX. Sequebantur (IV.) AUGURES, qui non solum avium, sed signia divinitus missa interpretabantur. Augur autem, teste Fest. Pomp. dicitur ab avibus gerendoque; sive ab avium garritu, unde & *augurium*. Isidorus l. VIII. *Orig*. c. IX. ita describit: *Augures sunt qui volatus avium & voces intendunt, aliaque signa rerum vel observationes improvisas hominibus occurrentes*. Confer. Scherlog. Angl. *Antiquit. Hebr*. l. I. diss. IV. sect. IX. fol. m. 144. Hinc augures sunt, qui vel ex garritu oscinum, vel ex volatu præpetum, vel ex pullorum pastu & tripudio D futura conjectabant. Sive credas avibus a natura id fuisse inditum, ut futura præcognoscant: quomodo Augur Amphiaraus apud Stat. l. III. *Theb*. v. 482.

—— *mirum unde, sed olim*
Hic onor alitibus: Superæ seu conditor aulæ
Sic dedit, effusum Chaos in nova semina texens:
Seu quia mutatæ, nostraque ab origine versis
Corporibus subiere notos, seu purior axis
Amotumque nefas, & rarum insistere terris
Vera docent. ——

Sive putentur aves, licet futuri nesciæ, tamen a Deo sic dirigi, ut per illas admoneamur. Quo faciunt hæc Ovid. libro VI. *Fast*. vers. 763.

E *Sint tibi* Flaminius, Trasimenaque *littora testes,*
Per volucres æquum multa monere Deum.

His calculum addit Anglus Francis. Gouldman. in *Lexico* suo *Anglicano* sub nomine *Auguris*: *A Soot-Sayer, a conjecturer, a diviner, be that telleth events of matters by the flying voices: feeding or sitting of birds*.

§. X. Vidimus igitur quod Augurium ab avium garritu dicitur, & Auspicium ab avibus speciendis, quia prisci augures dicebantur *avem specere*, ut habetur apud Varronem *de lingua Latina* lib. v. Græci cum Latinis vocibus conveniunt; At quorsum טיר est *augurari* & טירה *augurium*? Elias F legit cum affixo מטירא *Augurium*. Ibid. in *Targum Jerosolymitano* fol. 79. *Lexic. Syro-Chald*. a Guidone Fabricio Boderiano edit. Anno 1573. Rabbi Salomo, Kimchius & Elias recte observant ab Arabibus esse, quibus טירה est *avis*, vid. *Lexic*. Golii fol. m. 1496. quod nomen a טיר *volavit* descendit, & conjugat. v. *Itthajara*, *malum augurium cepit*, *male auguratus fuit*. Unde in *Arabico Pentateucho* מטאיר *augurium*. Quippe cum Arabes, teste Cic. lib. I. *de Divin*. avium significationi-

bus plurimum obtemperent & cantus observent. Vox itaque מטאיר *augurium*, derivatur a voce טיר *avis*, prout & *Sanich*, *Barich*, *Kaid*, & *Natich*. Hæ voces sunt augurales, quarum *Sanich* est avis, quæ venit a parte sinistra: alii *sacchim* vocant, quod boni ominis: ast mali ominis est *Barich*, id est, quæ volat a dextra parte. *Caid* dicitur, quæ est retro, & *Natich*, quæ est obvia.

§. XI. In Hebræo Scripturæ textu etiam vocem *Nachas* ad auguria referunt Interpretes. Hinc *Levit.* XIX. 26. לא תנחשו Græci reddunt οὐκ οἰωνεῖσθε, Vulgatus, *Non augurabimini*, Arabs & Syrus, *Non augurabimini in animali alato*. Neque aliter Jonathan & Jerosolymitanus Interpres. Et Salomo in hunc locum ait de iis agi, qui augurantur *per avem, ex cujus ore cibus decidit*. Augurandi autem ars antiquissima a Chaldæis ad Græcos, a Græcis ad Hetruscos, ab Hetruscis ad Latinos venit. Vid. Joan. Baptist. Casal. *de Sacerdot.* fol. m. 370. Hinc factum, ut Rom. *Collegium augurum* haberent. Conf. Wolfgang. Lazii *Coment. de Republ. Roman* l. III. c. XII. Alexander Neapolitan. lib. V. *Genial Dier.* c. XIX. Barnab. Brisson. *de Formul.* l. I. prope finem. Guiliel. du Choul *de Antiquit. Rom. superst. titul. de Dignit. & Sacerdot. Augurum.* Rosin. *Antiquit. Rom.* l. III. c. VIII. & IX. plura apud Scherlog. *Antiquit. Hebræor.* fol. m. 147.

§. XII. Erant (V) *Epulones*. *Epulo*, inquit, Franciscus Gouldmannus in *Lexico suo*, erat *One of the Triumviri or Tresviri, whose duty it was to furnisch banquets for Jupiter and the rest of the Gods: also any guest at a feast a glulton.* Idem affirmat Joan. Baptista Casal. ex Cicerone ita differens: *Veteres Pontifices propter multitudinem sacrificiorum tres Epulones esse voluerunt, ut ludorum epulare sacrificium facerent*. Id Sacerdotium antiquum fuisse constat; sed de ætate non legitur: numerus auctus fuit, duo additi & quinque fuere Epulones: & postea theatralium ludorum atque Circensium ambitione, septem fuisse Epulones leguntur; Julius Cæsar adhuc tres alios adjecit, ut ita decem viri Epulonum facti sint, Dio Cass. *l.* XLIII. De his porro videri poterunt, Cicero in oratione *de Harusp. Respons.* Rosin. lib. III. c. XVIII. p. 503. *Antiq. Rom.* Onuph. Panvin. l. II. p. 207. *de Repub. Roman.* Festus Pompej. *l.* V. Alexand. ab Alex. lib. III. cap. XVI. p. 274. *Genial. Dier.*

§. XIII. (VI) *Titii Sodales* juxta Varronem lib. IV. *de L. L.* dicti sunt a Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent, quamvis alii dictos eos velint a *Tatio*, quod probare volunt e Tacito *lib.* I. Extra urbem habitabant & in tuguriis certa auguria servabant; quoniam ad id deputati a Pontificibus erant. Confer. Joan. Baptist. Casal. fol. m. 372. l. cui titul. *Rom. Antiq.* Onuphr. Panvin. lib. II. *de Repub. Rom.* p. 163.

§. XIV. (VII) *Salii*, qui dicti sunt non a Salio Samothrace, ut vult Plutarch. in *Numa*, sed ab ipso tripudio saltatorio, uti ex Servio Francisc. Gouldman. *Salios* duodecim Marti Gradivo legit Numa Pompilius, teste Flor. *lib.* I. *c.* II. dicti a saltando, quod facere in Comitiis quotannis & solent & debent: versicoloribus tunicis ornati per urbem tripudiant, succincti æneis baltheis, togas fibulis nectunt, quas trabeas vocant. Gestant in capite pileos, quos vocant apices, gladio accinguntur, dextra lanceam aut virgam ferunt, læva Thraciam peltam. Lege etiam cautum erat, ut Salii liberi essent, & indigenæ, & quorum uterque parens viveret, & cujuscunque fortunæ pauperes aut divites. Confer. Rosin. l. III. c. XX. *Antiq. Rom.* Turneb. l. XIII. c. VIII. *Adverf.* Onuphr. l. II. *de Rep. Rom.* p. 194. 195.

§. XV. (VIII) *Flamines*: qui, ut Varro lib. IV.

A *de L. L.* voluit, dicuntur quasi *Filamines* a filio, quo caput habebant vinctum: vel, ut Franciscus Gouldman. habet, *Flamines quasi Pileamines a pileis*. *A great Priest amongthe Gentils: A Mars Priest.* Flamines initio tres fuerunt, postea numerus ad quindecim excrevit. Qui licet nomine convenirent, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam collegium vocabatur. Siquidem Flamen unius tantum Dei Sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quæ per se quisque procuraret, & ad alios nihil omnino attineret. Vid. Onuph. Panvin. l. II. *de Re-*
B *publ. Rom.* p. 165. Joan. Baptista Casal. *de Roma*, c. II. *de Sacerdot.* fol. m. 370. Erant (IX) etiam Sacerdotes *Fratres Arvales*. Masur. Sabin. apud Gel. *l.* VI. *c.* VII. scribit, Accam Laurentiam duodecim suscepisse filios, ex quibus cum unum extulisset, graviter indoluit. Romulus in demortui locum se dedit, & ita nutricem pientissime consolatus est. Ab hoc numero duodenario arvorum Sacerdotes duodecim esse voluit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum Arvalium numero XII. cujus Sacerdotii insigne erat spicea corona, Plin. *l.* XVII. *c.* II. Dicti sunt *Fratres*, quod primi Accæ essent liberi; *Arvales*, quod pro
C arvorum fertilitate facerent, Macrob. l. I. *Saturn.* Varro l. I. *de L. L.* Pomp. Læt. *c. q.* Gyrald. *syntag.* XVII. pag. 459. Lactant *lib.* I. *cap.* XX.

§. XVI. (X) Fœciales dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hoc fiebat, ut justum conciperetur bellum, & ut fœdere fides pacis constitueretur: & instituisse dicitur Numa, cum indicendum esset bellum Fidenatibus. Hi mittebantur prius quam conciperetur bellum ad res repetendas: & si non impetrabant, bellum indicebant. Fœcialium unum Patrem Patratum constituebant, ex ipsis Fœcialibus electum. Hic sacris vestibus ornatus ad authores injuriarum procedebat: priusD quam urbem intraret, janitorem vel alium, qui obviam fuisset, alloquebatur quibusdam imprecationibus. Inde in forum pergebat, illic differebat, qua causa venerit, tempus ad consultandum dabatur triginta dierum: si per hos dies res infecta maneret, Diis cœlestibus Manibusque vocatis, abibat, & ad Senatum referebat, & ubi in Senatu quod justum piumque esset, actum erat, Fœcialis bellum indicebat. Vid. Joan. Baptist. Casal. *de Rom.* cap. XI. fol. m. 371 Gel. *l.* XVI. *c.* IV. *Serv. ad lib.* X. *Æneid.*

§. XVII. Erant (XI) quoque Panis Sacerdotes *Luperci* dicti, qui subligaculo e pelle caprina facto
E succincti per urbem discurrebant nudi, qui exinde cinctati a cinctu vocabantur ab Ovid. l. V. *Fast.* Illi pelliceis scuticis obvias matronas cædebant, unde a crepitu isto appellati sunt *Crepi*, Festus Pomp. *l.* III. Joan. Baptist. Casal. *cit. loc.* Vide tract. meum *de Bacchan.* ubi plura. (XII) *Potitii & Pinarii*. Victor Hercules cæso Geryone in Erythra, quæ est insula Oceani in Hispania, abacto nitidarum boum armento, in Latium venit, & prope Tiberim loco herbido procubuit, ut læto pabulo reficeret boves. Cacus latronum princeps eximias boves duas caudis
F in speluncam traxit. Hercules somno excitus lustrato grege, cum partem abesse numero sensit, omnia circuit, aversa vestigia comperit: confusus novitate rei, ex loco infesto agere armentum cœpit, & Cacum ictu clavæ neci dedit, &c. Hercules epulum populo dedit, sacrum fieri voluit a *Potitiis* & *Pinariis*. Pluribus de his egit Joan. Baptista Casal. *de Roma* cap. II. *de Sacerdot.* fol. m. 370.

§. XVIII. (XIII.) *Druydes*. Dryidum seu Druydum insuper nomen, tum etiam etymologia & nominis ratio, atque etiam ex parte ipsa institutio, a Græcis emanasse videntur. Coluerunt enim Græci Dryadas Nymphas, quibus divinitatem inesse putabant, quas etiam alio nomi-

ne *Naides* vocabant. Pausan. in *Arcad.* Συνοικῆσαι δὲ οὐ θνητῇ γυναικὶ αὐτὸν, ἀλλὰ νύμφῃ δρυάδι ἔλεγον, Δρυάδας γὰρ καὶ Ἐπιμηλιάδας τὰς ἑαυτῶν ἐκάλουν Ναΐδας: *Duxisse vero Arcadem uxorem non mortalem fœminam, sed unam e Dryadibus Nymphis tradunt, Dryades enim & Epimeliadas Naides suas appellabant.* Conf. Eli. Sched. *de Diis German.* p. m. 348. Francisc. Gouldman. *Lexico Anglicano.* Etymologiam quod concernit, variæ sunt opiniones. Quidam, ut Matth. Flacius Illyr. in *Præfat. in Otfridi Evangelia*, dictos autumat quasi *Trutas*, hoc est, divinos Dei interpretes, quod veteri Germanorum lingua *Trutis* Deum significet: qua de causa etiam hodie epitheton ei tribuitur *der Trvve Wovv*. Aventinus contra l. 1. *Annal. Bojor.* & Francisc. Gouldman. *cit. loco* a conditore Dryic homine peritissimo, Celtarum rege, dictos opinantur, qui floruit anno mundi 2062. temp. Isaaci, sic Func. refert. In Rabbinorum scriptis *Daresch expositio* reperitur: cujus nominativus pluralis *Deraschin, conciones*, & *Daraschan, concionator*. Radix est *Daresch*, Syr. ܕܪܫ quæ denotat, *concionatus est*, in *Ber. Rabb.* c. v. Hinc Elias *in Tisbi*, p. m. 71. *Beth midrescha, domum studii* dixit, & explicavit per *inventarium* v. 9. *Bemidrasch hannabi Hido, in Inventario Hido Prophetæ*, II. *Paralip.* XIII. *In Inventario libri Regum*: ibidem 24. *Expositio*. Liber, in quo scribuntur verba sive gesta Regum & Prophetarum, vocatur *Midras*: ab eo scil. quod quicunque quærit eas res, inveniat ibi. Hinc est quod *Midras* nuncupatur, & punctatur *Mem* cum *Chirek*. Sic *Beth Midrasi* est conclave, quod destinatum est studio Legis. Conf. fol. 46. *Diction. Syro-Chald.* Autor. Guidon. Fabricio Boderiano, ubi plura. Vid. El. Sched. *de Diis German.* c. III. p. m. 258.

§. XIX. Ast ut nomen, ita quoque etymologia & nominis ratio a Græcis est desumta; *Dryades* enim sylvestres erant Nymphæ ita nominatæ ἀπὸ τῆς δρυός, quod generaliter *quamlibet arborem* & peculiariter *quercum* significat, unde etiam a Romanis *Nymphæ querquetulanæ* dictæ sunt; Varro *viras querquetulanas* dixit. Sic & alias Nymphas Antiqui *Hamadryades* appellabant, quod ἅμα τοῖς δρύσι *simul cum arboribus*, quibus alligatæ essent, nasci & occumbere, atque cum iisdem eundem natalem & exequialem diem agere crederentur. Scholiastes Apollonii Rhodii ex Mnesimacho *in lib.* II. Διὰ τὸ ἅμα τοῖς δρύσι γενέσθαι ἢ ἐπὶ δοκοῦσι ἅμα τοῖς δρυσὶ φθείρεσθαι, Νύμφαι Ἀμαδρυάδες λέγονται. *Eo quod una cum arboribus nasci & una cum arboribus perire videantur, Nymphæ Hamadryades dicuntur.* Apud Brritannos antiquos Dryides quoque a quercetis, lucis, saltibusque, quibus sua sacra faciebant, appellationem illam adepti sunt. Graviter itaque delirat Goropius Becanus, qui Dryides a *Trovvis* deducit, quod lingua Germanica *veritatis peritum* denotat; nec minus aberrant, qui Dryides illos quasi *Trutos*, id est, divinos nuncupatos existimant, quod *Trutis* veteri Belgica *Deum* significet. Non est sane verisimile Britannos antiquos, qui peregrinas dictiones a lingua sua maxima cura & studio arcebant, vocabulum, quo suos Dryides adornarent, a Germanis petere voluisse. Rectius a Græcis ut nomen, ita nominis quoque etymologiam Plinius petit *lib.* XVII. *cap.* XLIV. *Nihil*, inquit, *habent Dryidæ visco & robore, in qua gignantur, si modo sit robur, sacratius; jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca Dryidæ videri possint.* Britannice sane quercus *derwen* est, atque inde suos Dryides *dervvydden*, id est, *querquetulanos*, appellabant; *dervven* vero παρὰ τῆς δρυὸς originem petere quivis facile animadvertat. De officio & munere pluribus egit Elias Sched. *De Diis Germanis*, quem vide.

CAP. II.

De Templis & locis sacris.

§. I. CUM vocabulum *Templi* varie sumatur, jure meritoque hic paulisper circa ipsas vocis *Templi* origines, variasque, quas induit, notiones observabimus. Denotat autem *Templum* proprie locum vel in terra vel in cœlo ab intuendo vel conspiciendo dictum, e quo ex omni parte judice Donato, pars omnis aspici possit. Unde *Templi* nomine indigitabatur cœlum ipsum, quod primo intueri aliquem contingat.

Contremuit Templum magni Jovis altitonantis.

canit Ennius. In terra Antiquis ea cœli sive aeris regio dicebatur *Templum*, quam auspicia capturi Augures non manu, sed lituo definiebant, secundum mundi quatuor cardines. Unde vero Templorum sacrorumque locorum origo apud sequiores Gentiles dimanaverit, non omnium est una opinio nec ratio. Latine fere omnes Janum sacrificiis præfari soliti, eum primum Templorum conditorem afferunt, nulla tamen veritatis specie. Aliis Cretensibus Templa adscribere volupe est. Alii aliter. Nos dicimus primam mentionem apud Ægyptios factam esse, & nobis consensum præbet M. Joan. Georg. Rossteuscher, *de Templis*.

§. II. Apud Gentiles Templa erant obscurissima antra, limpidissimi fontes & flumina, infrequentia tesqua, squalentes eremi & densissimi luci nullum solem admittentes & perpetuam noctem foventes. Hos locos non solum religiose venerabantur, sed Deorum instar adorabant. Unde etiam eremis, tesquis atque lucis nomen ipsa idololatria imposuit. Nam tesqua loca sunt alicui Deo dicata, ut patet ex Varrone, Cicerone, & Festo. Strabo *lib.* X. tesqua sic definit, ἔστιν ἀοίκητα τὰ χωρία τῆς τῶν δαιμόνων τούτων τιμῆς: & eremos quod attinet, apud Pindar. *Nemeor.* od. X. ἔρημοι *loca sunt, ubi quædam Deorum statuæ.* Recte autem Æschylus in *Prometheo Vincto* dixit ἄβατα; ut & Dionysius Areopagita cap. ultimo *de Nomin. Divin.* ἀνέμβατα Artemidoro, Plutarch. in *Pyrrho* τὰ καταβαλλόμενα τοῖς κεραυνοῖς ἀνέμβατα μένειν χωρία. *Loca sacra fulmine discussa in via relinqui*: quale templum Artemidis apud Ephesios; juxta Achillem Tatium *lib.* VII. Sic ἄτικτα ἱερὰ dicuntur Æschylo in *Agamemnone*: quæ de ipsis Sacris accipi posse scio, sed & de locis. Nicander in *Theriacis*, *psycteria* etiam vocari tradit *nemorosa & umbrosa loca*.

§. III. Hinc Christophor. Landinus *in Horat. od.* VII. ita locum definivit: *Lucus nemus est Deo sacrum, Græce* τέμενος, *hic intelligit Horatius sylvam: lucus dictus est a lucendo propter crebra lumina, quæ in sacris nocturno tempore lucebant, vel quod minime luceat, cum nullæ illic arbores propter religionem cæderentur.* Pagani igitur immolarunt hostias suas ad fontes lucosque amœnissimos. Docet illud Hieronymus ad *cap.* VII. *Jerem.* Hic autem Gentilitatis error omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium lucosque amœnissimos victimas immolarent. Nec mirum quando dicimus, Gentilismum lucis, fontibus aliisque rebus divinos exhibuisse honores, quippe Agathias Scholasticus illud lib. I. *Histor.* de Alamannis diserte testatur: *Arbores enim (Alamanni) quasdam colunt, & fluminum lapsus, & colles, & saltus; atque his tanquam justa facientes, equos aliaque plurima resectis capitibus immolant.*

§. IV. A fontium veneratione fortasse illa consue-

suetudo profluxit, qua quidam Christiani Ethnicis hac in re æmulantes Templa ad flumina exstruxerunt. Ita Templum Mariæ extra urbem Constantinopolitanam ad flumen erat exstructum, teste Nicephoro Callist. lib. xv. *Hist.* c. xxv. xxvi. Quod vero in montes ædificarint Templa, hac ratione factum autumo; quia Gentiles omne sublime religiose colebant. De Israelitis, qui hanc a Cananæis idololatriam hauserant, testatur Jerem. xix. v. 5. De Getis Strabo lib. vii. *Geograph.* Apud Getas mons sacer dicitur: unde Persæ in summis montium jugis sacrificaverunt, Xenoph. teste *Instit.* lib. viii. pag. 251. Hinc genibus flexis lapides adorabant, velut meminit Pausan. in *Achaicis* lib. vii. pag. m. 516. hosque lapides oleo fragranti perfundebant coronisque nobilitabant. Conf. Arnob. *advers. Gent.* fortasse ab illo Jacobi ansam arripientes, *Genes.* xviii. 18.

§. V. Et quamvis varia sacra fuerint loca, tamen præcipuam venerationem Pagani lucis habebant. Sic C. Plin. *lib.* xii. *cap.* i. *Arbores fuere Numinum Templa, priscoque ritu simpilcia rura etiam nunc præcellentem arborem Deo dicant.* Maxime vero anguis in lucis colebatur, teste Paulo Diacono, & per anguem nullus alius quam Diabolus intelligitur, qui in Gentilismo per lucos colebatur. In his lucis fabricabant, adorabant & idola venerabantur Israelitæ *Jud.* iii. 7. i. *Reg.* xvii. 10. 16. aliisque in locis. Ita etiam Abasgi populi arboribus divinum honorem exhibuerunt, quas & pro Diis venerati sunt. Testatur hoc Zonaras Tom. iii. *Histor.* inquiens: *Cum ad id usque tempus* (Abasgi populi) *Christianæ Religionis rudes essent & lucos & sylvas venerarentur & arbores barbarica simplicitate pro Diis haberent.* Et his etiam usi sunt Belgæ, ex quibus Germani præter lucos etiam Templa habebant, uti testatur *Chronic.* Abbat. Uspergen. ad annum Ch. MCLXIX. loquens de Ziza Dea apud urbem Augustam culta. Ita enim Chinenses aliqua veneratione arbores prosequi videntur. Sic enim Joan. Nieuhoff. in *Descript. Chinæ* refert; quod in regione Suchuen in parvo oppido Kien arbor nomine *Cienvien*, hoc est, arbor mille annorum, in quodam Idoli fano videtur, quæ tam procera est, ut ducentæ oves sub uno ramo latere & circumcurrere, nec tamen videri possint, licet aliquis proxime ramo adsistat. De Indis autem hodiernis arborum cultoribus inspiciatur Pietro della Valle *Part.* v. *cap.* iii. fol. 17.

§. VI. In locis his sacris erant aræ, in quibus sacrificia deponebantur & offerebantur. Et altare quidem, ut legitur in *Gen.* & Polyd. Virgil. lib. v. c. vi. *de Invent. Rer.* & Schottan. *Biblioth. Histor. Sac.* fol. m. 8. de secunda mundi ætate annotant, a Noa primum exstructum. Quem secuti sunt Abraham, Isaac, Jacob, aliique. Sed aras extructas legimus memoriæ causa, quemadmodum *Jos.* c. xxii. *v.* 10. posuerunt aram Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia Tribus Manasses. Confer. Mas. in *hunc loc.* pag. 316. Sic aras Germanis fuisse ex Tac. lib. i. *Ann.* patet, *lucis propinquis barbaræ aræ.* Lib. xiv. *Ann.* similiter mentionem facit ararum in insula Mona. Et aræ hæ erant in luco positæ, ex quarum medio quercus illa sacra, de qua superius dictum, surgebat, figura triangulari perfectum trigonum reddente. Vid. El. Sched. *de Diis German.* pag. m. 355. cap. xxv.

CAP. III.

De Sacrificiis.

§. I. DE Sacrificiis hoc in loco agere cum constituerimus, etymon evolvendum esset, sed cum hoc a variis evolutum, scil. Sauberto *de Sacrif.* Stuckio *de Sacrif. Gentil.* hoc mittimus, & ad ipsam rem nos convertimus. Notum autem e Sacris est Literis, sacrificia fuisse admodum varia. Unde R. Bechai *Comment. in Pentateuch.* fol. 126. col. 3. *Sciendum est*, inquit, *tredecim omnino sacrificiorum species fuisse: quinque illorum farina purissima constabant: octo vero illorum erant sacrificia animalium.* Et hæc varia genera ipse Deus mandavit & instituit, ut ex Libris Moysis satis patet. Unde Gentiles etiam Idololatriæ suæ non rationis ductu, sed divini alicujus præcepti persuasu, ad sacrificiorum cultum inducti fuere, quando Iovem, aut alium quendam Deum, Legislatores suos in sacrificiis faciendis informasse credebant; uti inter alia videre est in primo sacrorum Romanorum fundatore Numa, qui simulato cum Ægeria Nympha colloquiorum commercio Romanos ad sacrificandum induxit. Conf. Valer. Max. *lib.* i. *c.* iii. Arnob. lib. v. *advers. Gent.*

§. II. Et quando sacrificiorum Moysis varias species consideramus, Ethnicorum cum his fere in omnibus conveniunt. Legitur enim Israelitis mandatum fuisse, ut sacrificia *tam ex bobus, quam ovibus & capris* offerrent. Sic Ethnici, licet alias quoque victimas immolarint, tamen pluribus Diis etiam oves, & boves, capras obtulerunt. Conf. Homer. *Iliad.* & quando Legislator Legem de sacrificiis promulgat, quam Livius *majorem hostiam* passim appellat, vid. *lib.* viii. *cap.* xlv. Porro ut bos in victimis, ita in sacrificiorum speciebus holocaustum primas tenuit. Hujus quoque in scriptis Græcorum mentio non infrequens: Xenophon de Cyro & Persis *lib.* viii. *Sacrum facientes Jovi tauros*, &c Strabo *lib.* iv. de Gall. De capris immolandis refert modum Lucian. in lib. *de Sacrif.* Quod Moses addit bovem marem ab Ægyptiis maxime observatum fuit; teste Herodoto *lib.* ii. *cap.* xli. imo etiam vacca offerebatur interdum, verum uti *Num* xix. v. 2. videmus, ubi hæc leguntur verba: *super quam non adscenderit jugum.* Sic Palladi Diomedes *Iliad.* x. & Nestor *Odyss.* v. vaccas oblatas fuisse testantur: *Tibi vicissim ego offeram vaccam anniculam— quam nondum sub jugum duxerit quisquam.* Conf. Virgil. lib. iv. *Georg.* Ovid. lib iii. *Fastor.* cl. Sam. Bochart. *Hieroz.* part. i. fol. m. 321. cap. xxxiii.

§. III. In principio vero Paganismi, Pagani nihil præter herbam virentem, veluti terrenæ progerminantis potentiæ primitias quasdam, manibus consecrabant, quarum cum foliis & radicibus adoletarum fumo & exhalatione Diis suis gratificare & litare studebant, quam litationem *Porphyrium Thysiam* vocarunt, & hæc sacrificia ἀναίμακτα, sive, ut Thucidid. loquitur, ἁγνά, *incruenta* erant. In principio etiam Cabro Deo salsamentis rem divinam fecisse ostendit Demetrius Phalereus in Comment. περὶ ἑρμηνείας. Crescente Gentilitate ad sacrificia cruenta progressus factus, quo non solum bruta, verum ipsos homines immolarunt, hostias, victimas & holocausta introduxerunt, quorum causa primaria Diabolus fuit, qui tot gentes, tot homines, tot animas infernalibus tormentis involvit. Hic enim capitalis humani generis hostis culpa sua cœlo & Dei consortio detrusus homini felicitatem invidit, quapropter omnes in perniciem secum trahere studuit. Ad hoc causa instrumentalis commentus est Oracula, quibus homines persuaderet, ut victimas humanas immolarent, Igitur vel lucis vel squalentibus terræ & montium cavernis abditus se consulentibus responsum dedit, ut si hoc vel illud impetrare vellent humanum effunderent sanguinem. Hinc eo autore, teste Hygino *Fabul.* ccxxxviii. ccxxxix. & ccxlii. pater occidit Callisthenem Eubœæ filiam pro patriæ salute.

§. IV. Per fanaticos Vates & male feriatas fæminas miseros homines elusit. Sic cum Argivi adverso vento retenti in Aulide hærerent, & gravissima peste affligerentur, ea de re sollicitis Ducibus, mulier quædam Deo plena Dianæ iram fatur, & Iphigeniæ immolationem ad ejus indignationem expiandam persuasit. Vid. Hygin. *fab.* XCVIII. Dionys. Halicarnas. *Antiq.* lib. I. cap. XVI. Si causam per accidens quærimus; tunc ad immolationem humanam multum attulit illud Abrahami *Gen.* XXII. dum filium Isaac sacrificio immolare voluit; hinc variæ opiniones Hebræorum. Rasi diversis oraculis antea hanc Dei voluntatem indicatam Abrahamo putat, quam opinionem Judæi etiamnum hodienum tenaciter tenent, teste Lyra. Et hunc ritum secuti Gentiles impia sacrificia inchoarunt & ad posteros transmiserunt. Vid. Joan. Cluv. in *Epit. Histor.* lib. III.

CAP. IV.

De certis speciebus Sacrificiorum Deorum.

§. I. IN Capite hoc varias sacrificiorum species adducemus, & quidem a Saturni sacrificiis exordiemur; cujus sacrificia antiquissima & crudelissima, quippe filios immolabant Saturno. Sic in Sacra legimus Scriptura Chananæos & Israelitas filios Idolo nomine Molochi obtulisse & combussisse, *Levit.* XVIII. 21. & XXIV. 4. II. *Reg.* XXIII. Præter Chananæos & Israelitas Molech Ammonitarum fuisse, vid. Scherlog. *Antiq. Bibl. de Moloch:* nec absque ratione, quia sit instar Regis stellarum, vid. Geuf. *de Victim. human.* pag. m. 64. Syris dictum Idolum Moloch Rimmon, vid. II. *Reg.* V. 18. Ægyptiace *Rephan*, uti ex *Onomastico Copto-Arabico-Latino* Kircheri videndum. Sapharvæi Saturno sub nomine *Adramelech*, & per metathesin Syro & Arabi *Ardamelech* suos devotos combusserunt. II. *Reg.* XVII. 31. & Moloch, quem Chananæi & Israelitæ venerati sunt, Saturnum fuisse ex eo patet, quod Phœnices eidem Saturno homines mactasse dicuntur a Porphyr. *lib.* XI. sicut etiam Tyrii. Hunc Pœni contracte *Bal* pro *Baal* nominabant, uti Isidor. lib. VIII. cap. XI. *Orig.* & hunc cultum Tyrii sive Phœnices & Sidonii ad Carthaginenses seu Pœnos transmiserunt: nam hoc dæmonium nomine *Baal* colebatur a Sidoniis, uti colligitur I. *Reg.* XVI. *cap.* XLI. Quem Babylonii *Bel* fuisse asserunt, hucque cultum traxisse Septentrionales, qui ab hoc Idolo *Mare Balticum de Beltische Zee* dixerunt, forsitan ab illa fabula, qua Saturnus filios suos devorasse fingitur, & ingluviose in alvum devorando transmisisse dicitur, quod approbant varia vocabula *baldadig*, quod *malum nefarium* denotat, & Hebraice per *boteach* atque *betach*, Anglice *bolde*, atque Gothice *baltha* exprimitur; item apud Belgas, Germanos, Saxones de *beauth*, *de belh*, *de balh*, Anglos *bellie*, quod vocabulum *ventrem* denotat.

§. II. Saturno quoque Cypri incolæ homines immolarunt, sicut etiam Curetæ: nam apud Porphyr. *lib.* XI. Istrus in collectionibus sacrificiorum ait: *Curetas antiquitus solitos Saturno pueros immolare.* Et etiam Rhodii; imo ipsi Romani; Macrob. lib. I. cap. VII. *Satur.* Lactant. lib. I. *de Falsa Relig.* Alii autem per *Belem* Solem intelligunt lingua Phœnicia, probante Herodian. lib VIII. in *Maxim.* pag. 302. Conf. Gyrald. in *Hist. Deor.* cui consentit cl. Samuel Bochart. *Hieroz.* lib. I. fol. m. 864. ubi ita scribit: Quia vox Arabica *Chaivvan* pro Saturno eadem est cum *Chijun*, *Amos* V. 26. quaque adeo Saturnum apud Persas & Arabas significari testatur Aben Ezra.

§. III. Viso Saturnum Solem esse, nunc ejusdem sacrificia ulterius explicemus, cui equos consecrabant multi populi. Ita de Rhodiis Festus, voce *October*: *Quotannis quadrigas Soli consecratas in mare jaciunt.* Et de Spartanis Pausan. in *Lacon.* Idem affirmat; de Massagetis Strabo *lib.* XI. de Æthiop. Heliodor. *lib.* X. Hac eadem superstitione imbuti Judææ reges currus & equos Soli dicarunt, quod a pio rege Josia est abolitum, II. *Reg.* XXIII. 11. Hos equos Soli dedisse dicuntur Judæi reges, ut *Levit.* XX. Et equos hic Soli dare est illos seponere, vel Soli mactandos, vel, ut Hebræi sentiunt; mane cum pompa deducendos versus orientem Solem. R. Salomo in hunc locum: *Qui Solem adorabant, habebant equos paratos ad occurrendum ei mane.* Conf. Bochart. *lib.* I. *cap.* XI. fol. m. 177. Ex quibus patet, equos simul consecratos fuisse.

§. IV. Sic quando Saturnus idem ac Baal, legimus in Scriptura Sacra de eo, quod filios ei immolarint, testis hujus est *Ierem. cap.* XIX. 6. *Et ædificarunt excelsa Bahalis ad comburendum filios suos igne, holocausta Bahali.* Et cap. VII. 31. *Ezech.* cap. XVI. 36. Erat autem *Moloch* statua ænea, qualem Carthagine fuisse testatur Diodor. Sicul. habens manus extensas. Conf Ravanell. *Biblioth. Sacr.* Buxtorf. *Lexic.* p. m. 108. Fag. *Annot. in Targ. Onkel.* *Levit.* XVIII. 21. B. Salom. Glass. *Phil. S.* pag. m. 1617. Selden. *Syntar.* I c. VI. p. 169. seq. *de Diis Syr.* Athanas. Kirch. *T.* I. *Oed. Æg.* s. IV. c. XV. p. 328. T. II. P I. cl. VI. c. VI. §. 2. fol. 415. *Prodr. Copt.* c. V. *p.* 147. Diodori Siculi verba in *Bibliotheca* sua lib. XX. pag. 756. ita sonant: *Hæc apud Carthaginenses Saturni statua, quæ manus supinas extendebat ita ad terram inclinatas, ut impositus ille puer devolveretur & in voraginem ignis plenam rueret.* Hanc horrendam liberos suos per ignem Saturno consecrandi consuetudinem a Syris & Phœnicibus sine dubio acceperunt Carthaginenses & Africani, apud quos matres, cum infantes comburendi candenti Saturni statuæ traderentur, *blanditiis & osculis liberorum quiritantium vagitum sedabant*, quoniam flebilem hostiam & lachrymis consperfam Saturno immolari fas non erat. Minucius Felix in *Octavio* illud expresse de Africanis docet: *Merito ei* (Saturno) *in nonnullis Africæ partibus infantes immolabantur, blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur.*

§. V. Ut Deo ter Optimo Maximo juvencus, teste Propheta Davide *Psalm.* LXIX. offerebatur; sic etiam Jovi Deorum summo juvencus immolabatur. Proinde Ascanius Jovi hujusmodi juvencum ita promittit lib. IX. *Æneid.* vers. 624.

Jupiter omnipotens audacibus annue cœptis, &c.

Videndus & Juvenalis *Satyr.* XII. vers. 5. 6. 7. &c. Nec multo aliter Horat. de hœdo, quem Blandusiæ fonti oblaturus est lib. III. *Carm.* od. XII. Conf. Bochart. *Hieroz.* lib. I. cap. XXIX. fol. m. 285. Ast non solum juvenci offerebantur, sed etiam homines, veluti Busiris Ægypti rex omnibus annis Jovi hospites immolavit. Vid. Hygin. *Fabul.* XXXI. Apollod. lib. V. *Biblioth.* pag. 104. Isocr. in *laude Busirid.* Oros. *lib.* V. *cap.* I. Serv. *in* III. *Georg.* & *in* VIII. *Æneid.* Idem facinus Lycaon Arcadiæ rex perpetravit, de quo ita Pausan. *lib.* VIII. At hic ad Jovis Lycæi aram infante mactato humanum sanguinem libavit. Sic Achæi Jovem Aphystum his in humanis hominum immolationibus suspexerunt, Herodot. *lib.* VII. Jovem Ithomatem Messenii, Cyrill. *contra Julian.* Jovem Dialem Cypri incolæ, Prodrom. *lib.* VIII. & Romani Latialem, August. *de Civit. Dei*, pag. 206. lib. III. cap. XXVII. coluerunt. Hoc crimen a Porphyrio etiam Megapolitanis adscribitur, cum *lib.* XI. ita loquitur: *Sed etiam hodie quis nescit circa Megapolin in Latiarii Jovis festo hominem mactatum.*

§. VI. Junoni varia etiam fuiſſe ſacrificia teſtatur Serv. lib. IX. *Æneid.* Sicut proſperis Diis ut juvent, ita adverſis ne obſint, ſacrificandum eſt, ut III. *Æneid.* verſ. 120.

Nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam.

Supra autem diximus Junonem & Cererem unam eſſe: jam vero notum, Cereri ſues fuiſſe mactatos apud Athenienſes. Ælian. *lib.* X. *cap.* XVI. inquit: *Athenienſes in myſteriis jure merito ſues mactabant cum ſegetes devaſtaret.* Quin, ſi Veteribus credendum, hæc victimarum omnium fuit antiquiſſima ratio. Conf. Samuel Bochart. lib. I. cap. XXIX. fol. m. 981. *Hieroz.* Huic quoque Junoni antiquitus homo fuit mactatus, Porphyr. *lib.* XI. Alias illi equi erant ſacri, teſte Valer. Flacc. *Argonaut.* lib. V. verſ. 288. Et tauri, uti refert Jacob. Geuſ. *de Victim. human.* lib. I. p. m. 123. Maximum tamen ſacrificium hominum fuit, veluti Manethon in libro *de pietate & inveterata ignorantia* profert; *Sacrificabant Junoni tres homines, qui explorati non ſecus ac vituli vegeti & laudabiles, aris die ſacrificiis dicato imponebantur. Ita Phaleriis graſſante peſte oraculo indicatum eſt, finem fore mali, ſi quot annis Junoni virginem litarent.*

§. VII. Apollinis ſacrificia quod attinet, tunc obſervandum Apollinem in Sacra Scriptura *Beelzebud* Ægypt. Æthiop. *Beelzebul*, Arab. *Baalai Sebula*, Syr. *Beelzebub*, Armen. *Belzebul* vocari. Hinc apud Athenienſes Apollo PARNOPIUS appellatur, quod ſcil. vermiculos, a quibus infeſtantur vites, abegerit. Conf. Bochart. *Hieroz.* lib. I. cap. IX. fol. m. 500. Huic etiam ſacrificia offerebantur. Legimus enim apud Ditmarum lib. I. pag. 12. *Hiſtor.* quod Dani quotannis menſe Januario XCIX. homines & totidem equos cum canibus occidere & immolare conſueverunt, & ſine dubio hoc ſacrificium Soli oblatum fuiſſe creditur, quia Soli in Gentiliſmo ſacri fuerunt & equi: unde apud Sabæos Soli pullos gallinos comburere receptum eſt, ut Maimonid. *More Nevoch.* cap. XXIX. oſtendit. Non ſolum hoc ſacrificio animalium, ſed etiam Apollo humano ſanguine & cruentis immolationibus apud Æthiopes placatus, teſte Heliodoro *Æthiop.* lib. X. ita loquente; *Scis quod maſculum Soli, fœminam autem Lunæ offerre & ſanctificare lex poſtulat.* Sic Dianæ ſacrificia hominum mactatione nefanda fuerunt, cujus ritus teſtis Phurnutus lib. *de Natura Deor.* de Diana Lucan. lib. I. *Pharſ.* verſ. 409. canit:

Et Tharamis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Atque his etiam additum eſt, illam luctu & cæde gaudere, unde nonnulli moti ſunt, ut ſacrificiis abſurdis, nempe cæde humana, illam placarent. Notum enim eſt Dianæ ſacrificium in Aulide, quod Deorum juſſu factum. Maro II. *Æneid.* verſ. 116.

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa, &c.

Omnibus vero palmam in ſacrificiis Dianæ Tauricæ præcipiunt. Hinc Euripid. in *Iphig. Taur.* ſcribit: *Ipſa vero ſacrificio gaudet cæſi hominis.* Vid. Eli. Sched. *de Diis German.* pag. m. 378. cap. XXXI. Et in *Aulide*: *O veneranda quæ humanis victimis gaudes Diana.* Hujus cruentarum hoſtiarum meminerunt Hygin. *fab.* 120. 122. Pauſan. *Attic.* pag. 16. Serv. *in lib.* II. *Æneid* & plures alii. Dianæ Orſilochæ cruentas immolationes adſcribit Ammian. Marcellin. *l.* XXII. Diis enim hoſtiis litantes humanis & immolantes advenas Dianæ, quæ apud eos dicitur *Orſiloche.* A cruentis his ſacrificiis Tinoth. Dianam θυάδα, φοιβάδα, μανιάδα, λυσσάδα depingit. Horum ſacrificiorum memoriam refricuit Heliogabal. ut Ælius Lamprid. in *Heliogab.* pag. 166. Scythæ Dianæ pro hoſtiis advenas, naufragos & hoſpites jugulare conſueverant, teſte Athanaſ. *contra Gentes* dicente: *Scythæ, qui Taurici dicuntur, virgini ſuæ Dianæ naufragos, & quoſcunque ex Græcis ceperunt, pro hoſtiis jugulant.* Greg. Naz. Plura vide apud Geuſium *de Vict. human.*

§. VIII. Quod præter alia etiam Mercurio humana fuerint immolata ſacrificia, teſtatur Tacit. in *Germ.* p. 635. quod Mercurio certis diebus hoſtiis litare fas habuerint. Othinum quoque ex Aſia furvas has hoſtias & abominabilem Deorum cultum cum Fro in Septent. partes traduxiſſe refert Saxo *l.* III. Worm. *lib.* I. 5. Wanefridus *lib.* I. *cap.* VIII. Sept. Galli & Germani ei victimis cædebant. Conſtat clare Gallos & Germanos Mercurio Diabolicis his victimis adulatos fuiſſe, quem *Tuiſcona* vocat Huldricus Huttem. in *Pan:gyr. Altort. Mogunt. Epiſc.* Minervæ itidem quotannis in Laodicea circa Syriam virgo offerebatur, teſte Porphyr. lib. XI. *de abſtinentia*, cujus loco hodie cerva ſubſtituitur. Quid de Venere ſentiendum Autores referunt: Veneri etiam antiquis temporibus ſacrificatum eſt hominum occiſione apud Cerastas. Ovid. *M·tam* lib. X. inter Scenetas Naames eodem ſacrificio Venerem coluiſſe videtur, Evagr. *Hiſtor Eccleſ.* l. VI. p. 608. Vid. Sched. *de Diis Germ.* p. m. 83. ſeq. I. *Reg.* XV. 13. Apud Septentrionales, teſte Scheffero in *Annot. ad Gotbrici & Rolfi Weſtrogoth. Reg. Hiſtor.* L. Verres Veneri immolabatur; verba hæc ſunt: *Conſecravit rex Fregi verrem, quem opportune dandum Fregi vehementer voluit. Is verres in ſacro ſonis mactandus erat. Porro veſpere feſti introducitur ſonis verres in aulam & ante regem conſtituitur. Hunc præſentes univerſi tangunt compoſitis manibus ſacras ſetas & conceptis verbis jurantes vota nuncupant & immolant.* Et hæc de ſacrificiis ſunto. Plura qui deſiderat, volvat Guilielm. StucK. *de ſacrif.* ubi plura.

CAP. V.

De aliis Sacerdotum circa ſacrificia ritibus.

§. I. UT brevius ritus adducam varios immolandi ſacrificia, in limine quaſi ritus ille Gallorum ſe offert, quo Sacerdotes victimas ſagittis conficiebant & intra ædes ſacras ſuſpenſas immolabant. Sic Beroaldus in Lucanum: *Hinc Teutati pro victimis homines immolant, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Dryidibus utuntur.* Sic Strabo lib. IV. *Geogr.* p. 360. Quoſdam ſagittis configebant. Germani has victimas in templo palo affigebant, uti ex Siculo, Strabone, Claudiano, aliiſque patet. In Salamine in homine immolando victimæ venter & ſtomachus haſta tranſmittebatur, teſte Porphyr. *lib.* II. & ex eo Geuſ. *de Victim. human.* pag. m. 321.

§. II. Qui ſacrificare volebant Sacerdotes integrum diem a cibo, triduum a vino abſtinebant. Vid. Alexand. ab Alex. l. V. c. II. *Gen. Dier.* quem ritum a Judæis mutuo acceperunt, ubi Sacerdos ſummus jejunabat aliquot dies ante diem expiationis, Venere abſtinebat, de quo vid. Scheringham. *Jom.* ubi plura. Deinde manus & pedes lavabant, ſi ſacra peragenda fuerunt, hinc Tibull. *lib.* I. *eleg.* III. Et quidem Diis ſuperis ſacrificaturus corporis ablutione purgabatur, cum vero inferis litandum, ſatisfactum videbatur, ſi ſola contingeret aſperſio, ut ait Macrob. lib. III. *Saturn.* cap. I. Sacrificuli apud Romanos vivo interdum flumine perfundebantur, ut Dianæ antiſtes facturus ſacrificium, Liv. *l.* I. *c.* XLV. Apud Ægyptios Iſidis ſacerdotes raſo ſunt capite & tertia quoque die frigida corpus abluunt. Vid. Alex. *l.* VI. *c.* XII. Eundem ritum tenent Muhammedani, cujus teſtis Henning. in *Muhammed. precant.* p. m. 31. ſeq. Et hunc ritum ex Sacra Scriptura hauſerunt *Levit.* XV. & XVI. *Exod.* XXX. Conf. Buxtorf. in *Synagoga Judaica*, cap. IV. X. XVIII. XX Geier. *de ſuperſtit.* cap. III. §. 33. Sched. *de Diis Germ.* p. 359.

§. III. Post *lotionem* induebant vestes, quæ lineæ, & Sacerdotibus conveniebant. Hinc Virgil. lib. XII. *Æneid.* vers. 169.

—— puraque in veste Sacerdos
Setigeræ fœtum suis intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Servius ad hos versus annotat: *Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi.* Est autem linea. Sic Druydæ candidis amiciebantur vestibus, referente Plin. *lib.* XVI. *cap.* XLIV. *Sacerdos candida veste cultus arborem scandit.* Vid. El. Sched. *de Diis German.* pag. m. 278. Quem ritum si penitius consideramus, patet ex Sacra Scriptura Gentiles traxisse *Levit.* XVI. 4. ubi vestes albæ vocantur, quia ex bysso exquisitissimi generis erant, inde tunica, femoralia & tiara ex lino viliori confecta dicuntur. Maimonid. quoque *Hal.* lino vulgari (vid. *Exod.* IX. 31.) constitisse ait: verba illius hæc sunt: *Vestes albæ erant indumenta quatuor, quibus indutus Pontifex sacra faciebant die jejunii. Erant autem ea coloris albi atque ex lino tantum: nimirum tunica, braccæ, cingulum & infula.* Conf. Johan. Seldenus l. II. *de success. Pontif.* c. VII. Vid. Johan. Frismuth. Differt. *de vestitu Pontif.* cap. II.

§. IV. In ipso autem sacrificandi actu quædam diligenter sunt notanda: Jugulatio, quæ bene ob servabatur. Apud Romanos Sacerdos non jugulabat victimam, sed popa aut victimarius ad nutum Sacerdotis. Itaque victima adstans dicebat *Agon'*, id est, Agone? Seneca l. II. *Controv.* Popa autem victimam jugulante, alius vase sanguinem excipiebat, quod vas Attici *σφάγιον*, sed Homerus *ἄμνιον* *Odyss.* V. vocat:

—— πέλεκυν δὲ μενεπτόλεμος Θρασυμήδης
Ὀξὺν ἔχων ἐν χειρὶ παρίστατο, βοῦν ἐπικόψων
Περσεὺς δ' ἄμνιον εἶχε.

Adstabat autem bellicosus Thrasymedes acutam securim in manu habens, bovem cæsurus: Perseus autem vas habebat, quod scil. sanguinem exciperet. *Αμνιον* autem videtur vox Syra, quia vasa Syri *mane* & per metathesin *amne* vocant. Virgil. *pateras* vocat l. VI. *Æneid.* v. 248. Alia quæ ad ritum hunc pertinent videnda in Bochart. *Hieroz.* l. II. fol. m. 324. Guiliel. Stuck. de *Sacrificiis Gentilium*.

CAP. VI.

De Lustratione.

§. I. IN scriptis Gentilium sæpe mentio fit lustrationis, quæ triplex a Vossio lib. II. *Idol.* dicitur; vel sulphure purgabantur & tæda, vel aqua abluebantur, vel ventilabantur aere, id quod confirmat Ovid. l. IX. *Metam.*

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Peragebantur autem lustrationes vel rebus animatis, vel inanimatis, nempe irrationalibus animalibus, tauro, agno, ove, porco, cane, per quam Macedones exercitum totum olim lustrabant; vid. Curt. *lib.* X. Alias catulum ad hoc Veteres adhibebant, quem in lustratione circa corpus circumferebant, unde hanc lustrationem *περισκυλακισμὸν* vocabant. Eisdem usibus & ovis atque porcus inserviebant; teste Messala Corvino libro *de progen. August. Servius Tullius exercitum instructum in Campo Martio porco, ove & tauro lustravit.* Adhibebant etiam agnam, de qua Juvenal. *Satyr.* XIII. vers. 63.

Quæque coronata lustrari debeat agna.

§. II. Immo prorumpente superstitione rationalia animalia, scil. homines, ad lustrationem sævo cultro immolarunt, quibus ad copiarum lustrationem usus est Xerxes Persarum Monarcha, de quo Seneca *de Ira* lib. III. cap. XVI. pag. 51. Eodem etiam modo Ægyptii virginis immolatione copias & milites suos lustraverunt. Adhibebant præterea ad lustrationem & corporum suorum expiationem atque purgationem res inanimatas; nempe cum innocentem in templo occidissent, arma ejus ligno effigiata pone post tergum rejiciebant, Valer. Flac. *Argonaut.* lib. III. a vers. 420. ad 460. Egregie autem hanc lustrationem describit Claudian. *Paneg. in sextum Honor. Consulatum*, vers. 324.

Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum
Sulphure cæruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda Sacerdos,
Rore pio spargens & dira fugantibus herbis
Numina, terrificumque Jovem, Triviamque precatus,
Trans caput aversus manibus jaculatur in austrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.

§. III. Quod herbis lustratio quoque facta fuerit, jam ex Claudiano audivimus, restat nunc inquirere, quales fuerint. Ostenduntur autem hæ *l.* 3. §. 3. *ad leg. Cornel. de Sicar. p.* 1738. *Digest. lib.* XLVIII. *tit.* 8. ex Marciano *l.* 14. *Instit.* Alio Senatusconsulto effectum est, ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum, pituocampas, aut bubrostim, mandragoram, & id quod lustramenti causa dicerent cantharidas, pœna teneretur hujus legis. Usurpabant insuper ad lustrationem squillas, Lucian. *Necyomant. p.* 107. Ramum ficulneum, Hipponax & Tzetza. Rosmarinum, Virgil. *Georg.* lib. II. Maurum, Plin. l. XV. c. XXX. *Natur. Hist.* &c. Lustrabant etiam antiquitus per ignem, testis hujus est Ursinus lib. I. *Analect.* cap. XXVIII. Hanc lustrationis speciem Ovid. lib. VII. *Metam.* innuere videtur:

Multifidasque faces in fossa sanguinis atra.

Tæda purgatos testatur Tibull. *lib.* I. *eleg.* V.

Ipseque ter circum lustravi sulphure puro.

Et iterum *lib.* I. *eleg.* II.

Et me lustravit tædis.

§. IV. Aere ventilabantur præprimis in sacris Liberi, observante Servio *ad* v. *Æneid.* de quo Duratius Casalius apud Ursinum lib. I. *Anal.* n. 14. igne purgatus Triptolemus. Præprimis autem lustratio aqua fiebat; de qua Virg. *Æneid.* VI.

—— ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros, ——

Omnia quippe per aquam lustrabantur Gentilibus, ut habet Ludovic. de la Cerda *Eclog.* VIII. id quod confirmat Tertullian. c. V. *de Bapt.* & Lil. Gyrald. *Histor. Deor. Syntag.* VII. Ejusdem Ovidius mentionem facit:

Spargit aqua captos lustrali Graja Sacerdos.

§. V. Originem vero aqua hæc Gentilium lustralis ceremoniis debet Judaicis; in Judæos enim jussu Divino Moses aspergillo sanguinem respersit, & iterum peculiarem aquam *Exod.* XXIV. lustralem ex vaccæ rubræ cineribus confecit, qua populus Dei conspersus expiabatur. Quemadmodum ergo Judæi sanguine conspersi lustrabantur, sic Gentiles aqua, quam dicebant lustralem; ad ædium enim sacrarum fores aquiminale quoddam magnum erat positum, in quod mergebant titionem ardentem ex ara sumptum, cum adoleretur victima, eaque aqua omnes, qui ingrediebantur templum, sese aspergebant, aut a sacrificulis aspergebantur, ut referunt Justin. Martyr *Apolog.* Casaubon. Rosinus, aliique. Ex his sane clare patet, nullum ritum apud Gentes fuisse, quem non e sacris mutuo acceperint. Et hæc sunt quæ hac vice dicere voluimus, & pro hoc labore Deo T.O.M. gratias agimus, qui principium &

F I N I S.

JOSEPHI LAURENTII

Lucensis,

VARIA SACRA GENTILIUM,

IN QUIBUS

DE EORUMDEM RELIGIONE, DIIS, TEMPLIS, SACRIFICIIS, FESTIS, ASYLIS, &c. AGITUR.

AD JOANNEM THEUPOLUM

PATRIARCHAM VENETUM.

INDEX CAPITUM.

JOSEPHI LAURENTII,

Lucenſis,

VARIA SACRA GENTILIUM,

IN QUIBUS

DE EORUMDEM RELIGIONE, DIIS, TEMPLIS, SACRIFICIIS, FESTIS, ASYLIS, &c. AGITUR.

AD JOANNEM THEUPOLUM

PATRIARCHAM VENETUM.

CAP. I.

Saturnus primus religionis ſator. Fanum unde dictum? Numa varia inſtituit. Fornacalia a quo inſtituta? Seja, Segeſta, quæ Deæ? Libatum quidlibet. Hoc age, *quid apud Veteres denotabat? Simulacrum nullum ſub Numa. Perſarum adoratio in monte. Tarquinii Priſci inſtituta. Simulacra Romam unde allata? Haſta culta Veteribus. Scytharum adoratio. Sacerdotia quæ? Sacerdotes ſingulorum Deorum & ſingularum rerum. Pontificum curæ omnia ſacra. Numerus Sacerdotum auctus. Sacerdotes nullam poteſtatem habebant. Iidem a quibus lecti? Cæremoniæ unde dictæ? Luperci, Potitii, & Pinarii a quo inſtituti? Fratres Arvales quot? Eorum inſignia. Augures unde dicti? A quo creati? Quot fuerint? Eorum Collegii Magiſter. Quouſque durarunt? Ipſorum officia. Auguriorum diviſiones. Illorum genera quinque. Variæ aves in iis adhibitæ recenſentur. Haruſpices qui, & a quo inſtituti? Eorumdem officium. Curiones quinam? Flaminum etymon & inſtitutio. Flaminis Dialis leges. Flamines alii afferuntur. Salii qui, & unde dicti? Carmen Saliare quod? Fœciales quinam? Duumviri quibus præfecti? Rex Sacrorum quis, & cur inſtitutus? Ejus Sacerdotium perpetuum. Ejuſdem privilegia, dignitas, officium, & uxor. Galli Cybeles Sacerdotes. Titiorum Sodalium, Epulonum, ac Duumvirorum munia. Veſtalium origo, numerus, officia, privilegia, & honores. Eædem quando deſierint? Pontificatus dignitas. Religio priſca qui diſpertita? Pontifices variarum gentium enumerantur. Pontifex maximus a quo inſtitutus? Pontificis nomen commune omnibus Sacerdotibus. Perpetui Sacerdotes qui? Pontificatus apud Patricios quamdiu manſit? Exteris communicatus. Pontificis inſignia. Domus ejuſdem qui dicta & qui ornata? Ipſius jura & cura circa religionem. Prodigia, Piacula, Intercalationes, &c. ab ipſo facta. Inauguratio quid? Pontificum a militia immunitas. Ipſorummet ornamenta. Senatus aliquando de religione decernebat. Dii nulli extranei admiſſi. Pontificum juriſdictio, pœna ac mulcta. Adoptiones & alia ab iis peracta. Pontifices quibus obnoxii? Ludis præſidebant. Eorum diverſa nomina apud Græcos. Ipſorum miniſtri.*



UT Saturnus vitæ civilis primus inſtitutor in Italia fertur, ita primus religionis ſator cenſetur, cujus filius Faunus, a quo Fana dicta, jus ſacrificiorum aſſignavit. Poſt Faunum, Picus, Latinus, Evander, & alii, qui in Latio regnaverunt: noviſſime auxit Æneas, ſacris Phrygiis in Italiam tranſportatis; quem deinceps cæteri reges Albani imitati; demum Romani, uſque ad Numam, a quo ſacrorum jus ordinatum.

Numa inſtituit, Deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque (ut auctor eſt Hemina) far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Is & Fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias, & æque religioſas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maxime noverant, Sejamque a ferendo, Segeſtam a ſegetibus appellabant, quarum ſimulacra in Circo videmus. Tertiam ex iis nominare ſub tecto religio eſt. Ac ne deguſtabant quidem novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libaſſent, Plinius *lib.* XVIII. *cap.* II. Videtur idem, cum cætera ſacrorum ſapientiſſime præcepiſſe, tum præclare ſane ad religionem hoc conſtituiſſe, ut cum magiſtratus, & ſacerdotes rei divinæ faciunt, antecedens Præco magna voce clamet, *Hoc age*: qua voce rebus divinis jubent intentos eſſe, neque ullo opere eas vel negotio interpellare: quod pleraque mortalium coactu quodammodo, & vi efficiantur, Plut. in *Coriolano*.

Idem Romanos prohibuit exiſtimare, imaginem Dei, aut hominis ſpeciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos, vel picta, vel ficta Dei prius ſpecies: ſed prioribus centum & ſeptuaginta annis templa quidem ædificabant, ſacraque tuguria erigebant, ſimulacrum vero nullum corporeum dicabant. Perinde atque nefas eſſet, deterioribus meliora aſſimilare, neque aliter, atque intelligentia Deus percipi poſſet; Plut. in *Numa*. Eadem apud Clementem, ut Euſebius

Caesariensis refert, & Dionysius Halicarnasseus, qui ait, templa esse a Numa Diis erecta. Negat tamen simulacra in his fuisse ulla; quod Deum nulla specie, formave effingi posse crederet. Persae quoque, quia nullam Deorum statuam, templum, aut aram habent, Jovi immolaturi, montes ascendunt. Herodotus.

Tarquinius Priscus, vanitate, & stultitia Graecarum religionum, Etruscarumque domi imbutus, Romanos edocuit simulacra Diis ponere, quod Tertullianus subsignificat, inquiens: *Age jam rebus religio profecerit. Nam & si a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos constabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia Coelo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Graecorum, atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant.* Vives *in lib.* IV. *de Civitate Dei*; *cap.* XXI.

Antiquissimi, ut refert Majolus, hastas coluerunt, aut ligna delibrata corticibus pro Diis. Hinc Romani singulis Deorum simulacris hastas dabant, & pro Marte hastas colebant, quod auctoritate Varronis tradit Arnob. *contra Gent.* lib. V. Apud Aeschylum quoque Parthenopaeus per hastam jurat, eamque pro Deo colit. Caenei hasta nota proverbio locum dedit.

Scythae nulli Deorum simulacra, aras, templa faciunt, nisi Marti, Herod. IV. Aras dedicaturi, aut simulacra, legumina elixa pro primitiis offerebant, dicata ob memoriam, grati animi de primo victu humano.

Sacerdotia vocabantur curationes eorum, qui res sacras & divinas tractarent, ut docet Sigonius *de antiquo jure Rom.* lib. I. Hos vero, aut singulis Diis operatos esse invenimus, aut promiscue omnium Deorum & omnium ceremoniarum colendarum rationem tenuisse. Singulorum Deorum sacra curarunt Luperci, qui Panis; Potitii, qui Herculis; Sodales Titii, qui Sabinorum Deorum; Salii, qui Martis; Flamines, qui sigillatim Jovis, Martis, Quirini; Vestales Virgines, quae Vestae sacra peregerunt. Singulis de rebus, ut Fratres Arvales, qui pro arvorum frugibus; Curiones, qui pro Curiis sacrificarunt; Augures, qui auspiciorum; Haruspices, qui extorum; Foeciales, qui belli pacisque disciplinam tenuerunt; Duumviri Sibyllini, qui sacra librorum Sibyllinorum; Rex Sacrificulus, qui sacra regia; Epulones, qui ludorum epulare sacrificium adornarunt. Quo factum est, ut Pontifices soli & Sacerdotes sacra omnia promiscue commendata habuerint. Ex his autem Augurum, Flaminum, Pontificum, Vestalium, Triumvirum, & Epulonum numerus procedente tempore auctus. Augures enim III. facti, IX. Flamines III. Jovis, Martis, Quirini facti, XII. additi, Volcanalis, Voturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falcer, Carmentalis, Portumnalis, Virbialis, Laurentalis, Lavinalis, Pomonalis, Vestalibus additae duae a Tarquinio Prisco, ut essent VI. cum Virgine Vestali Maxima. Pontifices quatuor, ut essent VIII. cum Pontifice Maximo. Augures XV. effecti, Duumviri sacrorum XV. Epulones a tribus ad VII. ascenderunt.

Illud porro Sacerdotum omnium proprium fuit, ut nec imperium, nec potestatem haberent: ut perpetui essent, & tam ex plebeiis, quam ex patriciis fierent, & ut a Collegio cooptarentur. Rex tantum sacrorum, Flamines majores tres & Salii Palatini patritii lecti. Pontifex Max. & Rex Sa-
A crificulus, & Flamines a populo etiam creati. Pontifex Tributis Comitiis, Rex Centuriatis, Flamines Curiatis, tum, cum reliqui Sacerdotes a Collegiis cooptarentur: quos omnes postea Cn. Domitius ad Comitia populi Tributa transtulit.

Ceremoniae vero prima sacrorum fundamenta, & cura Sacerdotum: hae ex quibusdam dictae ab oppido Cere: an a carendo? ut intelligatur addictos & intentos sacris, id unum, quod est in manibus, agere oportere: an a caritate? an dictae cerimoniae, quasi gerimoniae a gerendo, sicut a gemendo Gemoniae scalae, ut indicentur ea, quae in sacris ritu solemni geri deberent? At quia varia erant sacrorum genera, ideo varii etiam destinati
B cuique Sacerdotes, de quibus sigillatim.

Luperci omnium vetustissimi ab Evandro Arcadum Rege Pani Lyceo sacrum facientes ex Arcadia translati, in monte Palatino instituti: hi per lasciviam discurrentes pellibus obvios caedebant, & potissimum mulieres ob fecunditatem. Canis ab iis immolabatur, de his videndi alii.

Potitii, & Pinarii Sacerdotes ab Hercule instituti, qui desierunt an. V. C. CCCCLXI. Lege Livium, & Dionysium.

Fratres Arvales dicti, qui sacra publice faciunt; propterea, ut fruges arva ferant. Arvales numero
C erant XII. ab Acca Laurentia Romuli nutrice instituti cum XII. filios haberet, quorum uno mortuo, in ejus locum suffectus Romulus. Horum insigne, spicea corona, & albae infulae; hi de finibus, & motis terminis cernebant.

Augures ab avium garritu dicti, antiquissimi a Chaldaeis usque, & Graecis exportati, & ab Etruscis ad Latinos. Primi Augures a Romulo instituti tres, a Tribubus educti, a Numa deinde confirmati; his unus additus, patricii omnes; deinde plebe contendente additi quinque plebeii, ita novem Augurum erat Collegium.

D Hic numerus mansit ad Sullam usque, qui auxit hoc Collegium; ut essent XV. Augures, ac totidem Pontifices. Augurum senior, Magister Collegii dictus. Primi Augures creati Comitiis Curiatis. Postea more receptum, ut in defuncti locum unus aliquis e duobus nominaretur, & a toto deinde Collegio cooptaretur, & mox inauguratus captatis auspiciis in Collegium admittebatur. Demum cooptatio Collegio permissa; renunciatio Tributis Comitiis; donec arbitrio Principum cooptatio omnis permissa. Collegium Augurum duravit ad Theodosii usque tempora. Augurum dignitas perpetua, non ita aliorum Sacerdotum,
E nam ob crimen nullum eo privari unquam poterant.

Officium Augurum fuit ex avibus vaticinia observare, obnunciare, addicere: de prodigiis, somniis, oraculis, portentis responsa dare, tum procurationes, expiationesque, Vatum libros, portentorum explanationes, & monita Deorum edicere, & alia hujusmodi, lege Augurali comprehensa. Etsi augurium spectasset ad quodvis omen, quod vel subito, vel improviso nobis obveniret, speciatim tamen usurpatur de eo genere divinationum, quod ex cantu, volatuque avium, ac tripudiis pullorum futura praesagiret.

F Auguriorum alia erant prospera, bonum praenunciantia successum. Alia adversa, infausta, & piacularia. Utrorumque alia oblativa, quae non poscebantur: alia impetrativa, quae optata veniebant; quae Augur captabat ab avibus, coelo sereno designato lituo, hoc est, baculo recurvo, precatus, in ortum conversus, toga augurali amictus; defixis oculis in coelum, ut avem observaret. Ritum hunc alibi lege.

Auguriorum genera quinque. Primum e coelo

nascebatur: Alterum ex avibus; Tertium e pullis; Quartum ex quadrupedibus; Quintum ex diris, id est, tonitru, fulmine. De fulminibus vide Plinium.

Avium aliæ Oscines: aliæ Præpetes; Oscines, ore canentes auspicium faciebant. Præpetes, quæ secundo volatu, ante eum, qui auspicabatur, volabant. Harum aliæ sinistræ, quæ sinebant aliquid fieri. Aliæ funebres, quæ, averso omine, impediebant aliquid fieri; & hæ, aut Arculæ dicebantur ab arcendo, quod arcerent; aut Cliviæ, quia difficilia vocabant clivia; aut Remores, a remorando; aut Inebræ, & Tenebræ ab inhibendo; aut Alteræ aves, cum alteræ supervenirent, quæ felici auspicio vitium facerent; aut Volsgræ, quæ se vellendo malum auspicium faciebant; Supervacaneæ, quæ ex summo acumine vocem emittebant; de his quoque legendus Plinius *lib.*x. Alex.ab Alex. & alii.

Captata quoque auguria de pullis a pullariis; qui pulli si ad oblatam escam e cavea non prosilirent, aut serius egressi, vel non eam attingerent, vel alarum planctu dissiparent, mali ominis erat. Contrarium vero boni ominis. Quod si ex ore pulli esca in terram caderet, & paviret eam, dicebatur tripudium Solistimum, quod erat boni ominis. Tripudium Oscinum erat, quod oris cantu significabatur.

Haruspices a victimis in ara aspiciendis dicti, qui, postquam hostia immolata est, inspectis extis, futura prædicunt, unde extispices appellantur. Hi primum a Romulo instituti, ex Hetruscis deducti. Haruspex considerabat, aut hostias, priusquam jugularentur: aut earum, postquam dissectæ erant, exta: aut flammam, quæ ex incertis & ardentibus evolabat victimis: aut farinas, vel farinæ materiam, ex quibus liba pinsebantur: & molæ, aut thus, quod adolebatur: aut vina, aquas & hujusmodi.

Curiones a Curiis dicti. Romulus in 35. Curias pop. Rom. divisit, singulis Curiis præposuit Curionem, qui sacra pro Curia sua curaret, & Curio Maximus dicebatur, qui Comitiis Curiatis creabatur. Sacra hæc dicta Curionia, & Curionium æs, quod dabatur Curioni ob sacerdotium Curionatus.

Flamines dicti a filo, quasi Filamines, quod licio semper in capite velati erant, atque caput filo cinctum habebant; qui cognomina habebant a Deo, cui sacra faciebant. A rege Numa primi Flamines instituti tres, Dialis, Martialis, & Quirinalis; temporis processu 12. & 15. tres priores patricii, & Flamines majores dicti. Reliqui ex plebeiis, & minores Flamines creati a populo Comitiis Curiatis, & inaugurati a Pontifice Maximo. Flaminum uxores dicebantur Flaminicæ, quibus divortium facere non licebat.

Flamen Dialis dictus a Jove, Numæ instituto, ut assiduo Jovi præsto esset, eique sacra faceret. Hujus leges, & officia vide apud Agellium *lib.* x. *cap.* xv.

Prima est, Dialem Flaminem equo vehi religio est.

2. Classem procinctam, seu exercitum armatum videre illi nefas.

3. Jurare nefas.

4. Anulo uti nisi pervio, cassoque nefas.

5. Ignem e domo Flaminia, non nisi sacrorum causa, efferri nefas.

6. Vinctum, si ejus ædes introierit, solvi necessum est, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti.

7. Nodum in apice, neque in cinctu, neque in alia parte habeat.

8. Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes

A ejus supplex procubuerit, eo die verberari piaculum.

9. Capillum Dialis, nisi qui liber est, nemo detondeat.

10. Capram & carnem incoctam, hederam, & fabam, neque tangere, neque nominare illi fas.

11. Propaginem e vitibus altius prætentis non succidet.

12. Pedes lecti, in quo cubet, luto tenui circumlitos esse oportet, & in eo lecto cubare aliquem non fas.

13. Ungues Dialis, & capillorum præsegmina subter arborem ilicem terra operiuntor.

B 14. Dialis quotidie Festalis est; sine apice sub dio esse non licet; sub tecto utiliter etiam.

15. Farinam fermento imbutam attingere ei nefas.

16. Tunicam intimam, nisi in locis tectis, non exuit; ne sub cœlo tanquam sub oculis Jovis nudus sit.

17. Super Flaminem Dialem in convivio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit.

18. Uxorem si amisit, Flaminio decedit.

19. Matrimonium Flaminis, nisi morte, dirimi fas.

C 20. Locum, ubi bustum, nunquam ingreditur.

21. Mortuum nunquam attingit, funus tamen exequi religio non est. Harum legum causas affert Plutarch. *Quæst. Rom.*

Porro Flaminum ministri Flaminii dicti, ministræ Flaminulæ, uxores Flaminicæ.

Flamen Martialis dignitate secundus, ex patriciis lectus, Marti institutus.

Flamen Quirinalis in honorem Romuli, dicti Quirini, patricius hic quoque.

Deinde alii minores Flamines plebeii, Volcanalis, Volcano: Volturnalis, Volturno: Palatualis, in cujus tutela Palatium: Furinalis, Furinæ:
D Floralis, Floræ: Falacer, Falacri: Pomonalis, Pomonæ: Carmentalis, Carmentæ: Virbialis, Virbiæ: Laurentialis, Laurentiæ: Lucinali, Lucinæ, & hujusmodi.

Salii, a saltando dicti, sacerdotes Martis 12. a Numa rege instituti ex patricio ordine, & quia sacra in Palatio celebrabant, Palatini dicti. Ad Curetum imitationem, Salii in publicis locis choreas ducebant, tunica picta insigniti, desuper æneo umbone cum gladio, & ancilibus cœlestibus, & ita tripudiantes, canentes Urbem lustrabant. Carmen Saliare omnium antiquissimum a Numa usque institutum. De ancilibus alibi, quæ tradita custo-
E diæ Saliorum.

Non solum Romani in sacris quibusdam saltationibus & hyporchematibus usi, sed aliæ omnes fere nationes: nam, ut scribit Athenæus, & Lucianus, Diis peculiares suæ fuerunt saltationes, quin nulla sacra in Delo fiebant sine saltatione. Inde mane & vesperi cum saltatione solem salutabant.

Fœciales sacerdotes, qui fidei publicæ inter populos præerant, & fœderibus sanciendis instituti. Romani justum aliquod bellum non censebant, nisi id per Fœcialem indictum. Formam
F fœdus sanciendi habet Livius. Unus Fœcialium dictus Pater patratus, id est, perfectus, cui pater, & filii essent.

Duumviri libris Sibyllinis custodiendis instituti, quorum curæ commissi illi sacri libri, & in rebus dubiis consulti; postea asservati a Decemviris, inclusi arca lapidea, usque ad bellum Marsicum in templi Capitolini cella subterranea, qui incensi cum Capitolio incenso. A Sulla additi quinque, ita ut essent 15. viri, qui & mansere usque ad Theodosii tempora.

Rex sacrorum, sive sacrificulus, in locum regis exacti lectus: multa enim sacra Reges obibant; Comitiis Centuriatis ille legebatur, qui Pontifici Maximo subjectus.

Cum a principio urbis multa & magna secreta Reges obirent, ad quos de religione, deque sacrificiis, & cæremoniis Deorum, sacerdotes sæpe consultum ibant, qui etiam rem divinam facientibus aderant: ne bonis auspiciis cœptum confirmatumque regium nomen, post exterminatos reges, aboleretur penitus, neve derelictis sacris regium nomen expeterent, longe antiquissimum rati, sacra, quæ penes Reges erant, alicui demandare, Regem sacrificulum crearunt, qui sacrorum Rex dictus, sine regio imperio, solo nomine Rex sacra, quæ penes Reges erant, obiret, ac cæremoniis præesset, quem creatum, aut in locum decedentis suffectum, sicut reliquos sacerdotes, inaugurari oportebat. Eratque non annuum, sed perpetuum sacerdotium, immune ab omni belli tumultu: neque enim Rex sacrorum militare, stipendiave facere, aut castris & legionibus præesse poterat, propter suspectum invisumque regium nomen, neque magistratum gerere, aut concionem habere, vel cum populo agere: namque ejus potestas sola religione ac templis tenebatur.

Primus quidem Manius Papyrius ex patriciis, Bruto consule, Rex creatus fuit, cui jus sacrificandi & de sacris decernendi reliquerunt, eumque Pontifici Maximo subjecerunt; idem in sacris epulis post Maximum Pontificem, supra Flaminem Dialem, Martialem, & Quirinalem accumbebat. Atque licet a principio a populo crearetur ex patriciis, & multis honoribus functis, post aliquot ætates a minore parte populi, selectis, calatisque Comitiis (quibus fiunt sacerdotes) ex plebe creari cœpit, tunc cum Maximus Curio plebejus homo Rex sacrorum fuit. Cujus uxor Regina sacrorum hoc habet proprium, ut quoties sacra facit, ex malo punico virgulam, quam *inarculum* dicunt, pro infula deferat: quæ omnibus Calendis Junonis sacrarum facere, eique porcum, vel agnum mactare debet in regia. Ad quam Vestales Virgines, die constituta, annis singulis ventitare, & ne sacra negligerentur, quæ suæ fidei tutelæque credita erant, præmonere solebant. Erat ergo Regis sacrorum munus, quinto Idus Januarias Jano arietem immolare, diesque fastos prædicere & nefastos, sacra procurare, & quæ sacrificio usui essent ministrare. Ideo sacra facturi lanam, farra, & fruges, lauros, & verbenas, quæque sacrificio opportuna sunt, Regem poscunt, ad eumque tam intra, quam extra pomœrium, populi, civesque, quique in agris agunt, imperiti morum civilium, atque una agricolæ, de sacris, festisque diebus consultum vadunt, & sacra postulant. Ipseque feriarum causas, & quid quoque mense faciendum, a quibusque cavendum esset, prædicabat, præmonebat, cui hoc proprium dicunt fuisse, ut sacrificium in Comitio peragat; quo perfecto, nulla cunctatione vel mora se ex Foro proripiat. Quando vero divinis rebus perfectis in Comitium venit, in Fastis notabatur: utque Calendis Martiis fores Regis sacrorum, Flaminis, & Pontificis Maximi nova exornentur lauro; sicut Palatinæ ædes, & Augustæ quercus virides, nunquam lauros habere. Hujus filiæ ad sacerdotium Vestæ invitæ eligi nequeunt; nam privilegio honoris ab onere immunes erant: volentes vero, non vetantur. Alex. *lib.* III. *cap.* XXVII. ex Plut. in *Quæst. Rom.*

Galli fuerunt sacerdotes Deæ Cybeles, quorum præses dictus *Archigallus*. De his auctores consule.

A Titii Sodales sacerdotes extra urbem habitabant, & in tuguriis certa auguria servabant, ad id deputati a Pontifice, ex Varrone.

Epulonum Collegium erat septemvirum, vel plurium pro temporibus, Horum cura, epulæ publicæ, ludi publici, & hujusmodi; e sacerdotibus plerumque lecti.

Epulonum numerus auctus, duoque tribus additi; adeo ut 5. essent, postea 7. excusabatur septemviri Epulonum filia a Vestali vocatione.

Duumviri ædis locandæ, faciundæ, dicandæ causa. Item Triumviri ædibus sacris incendio consumptis restaurandis.

B Vestalium origo ab Ænea usque. Harum cura, asservare templum Vestæ, ignemque perpetuum. Hæ virgines numero 20. a Regibus lectæ, deinde a Pontifice Maximo, a quo eæ probatæ, aut improbatæ, quæ debebant esse patrimæ, matrimæ, sine corporis, aut famæ vitio. Hæ divisæ in classes tres, in discentes, docentes, & ministrantes, lectæ ab anno 7. usque ad 37. post tempus nubere poterant, sed hoc erat infaustum. Officia harum tria, vigilare ad ignem, ne extingueretur, per vices noctibus etiam excubantes, quod si forte extingueretur, piaculum maximum putabatur. Deinde asservabant imperii pignus, id est, Penates,

C aut Palladium. Demum sacrificium perpetuum diu noctuque curabant, & aquam ad lavationes quotidianas sacrorum. Præmium harum primum, jus testandi; 2. habebant jus trium liberorum; 3. habebant lictorem, quibus Prætor & ipsi Coss. in via cedebant; 4. reo occurrenti vita per eas donabatur; 5. qui earum lecticam subit, morte id luit; 6. demum vittas in capite gestabant, & vestes purpureas. Semel tonsæ in ingressu, capillusque Deæ Vestæ suspensus. Stipendia, opes publicæ, tabulæ testamentorum illis creditæ. In ludis certo & honestissimo loco spectabant. Incestarum pœnam le-

D ge in Livio, & aliis. Hæ desierunt cum aliis sacerdotibus tempore Theodosii. Vide Lipsium *de Vestalibus*, & Fenestellam. At Pontificum syntagma restat, ut quod maximum, ita postremo loco tractandum. Pontificatus aliorum sacerdotum finis, qui primus dignitate putatur, at postremus tractatione explicandus. Rem tamen altius indagare volo, ut clarius illustrare hanc possim, mihi prælucentibus multis viris clarissimis, Guthero in primis.

Religio Veterum, ut refert Cicero III. *de Orat.* in sacra, & auspicia dispertita fuit. Sacris Pontifices, seu Sacerdotes: auspiciis Augures præe-

E rant. Tertium adjunctum, si quid prædictionis causa ex portentis & monstris, Sibyllæ Interpretes, & Haruspices monuerunt. Quare ex eodem, *de Aruspicum responsis*, Romani status solemnesque cæremonias, Pontificatu; rerum bene gerendarum auctoritates, Augurio; prædictiones Apollinis, vatum libris; portentorum explanationes, Etruscorum disciplina contineri voluerunt. Haruspicum Collegio sæpe Senatus paruit. Hi acciti a patribus ex Etruria ad publica prodigia. At Pontificum, Augurum, Quindecim virorum arbitrio omnis omnino religio continebatur. Penes vero

F Pontifices, & Augures tantum sacra erant.

Pontificia dignitas ubique in maximo honore & cultu apud Priscos. Delphis quinque Pontifices per omnem vitam sacri erant, qui *Hosii* dicti. Quorum primus qui hostiam immolabat *Hositer*: qui vero edebat oraculum *Aphetor* nuncupabatur: qui una cum Prophetis sacra obibant, divinasque prædictiones, & cæremonias, & quo cultu, quibusque exemplis fierent sacra, prædicebant.

Apud Athenienses Daduchus maximus erat sacerdos. Palladis Eteobutades a Bute propagati,

ex qua familia longo tempore sacerdotio præfuere: sicut Bazygiti a Bazyge heroe, qui Athenis diu sacerdotium tenuit.

Clazomeniis Palladis sacerdos Hesychia. Bacchi vero Thyas nomen habet. Poliei Jovis sacerdos Buphonus; in Trœzene Hippolytus nuncupatur.

Apud Cretenses Matris magnæ sacerdos Melissa, Alex. ab Alex. *lib.* II. *cap.* VIII. Timoleon Corinthius liberata tyrannide Dionysii, instituit Magistratum quem Syracusani dixere Jovis Olympii famulatum, a quo anni illorum numerati.

Sacerdotii dignitas olim cum regia potestate juncta, at quia bella a regibus administrata, divisum sacerdotium a Regno. Numa primus Pontificem Maximum, e patribus legit, cui sacra omnia scripta, assignataque tradidit. Huic adjecti tres Pontifices Patricii, quibus Magistratus, & sacerdotia adipisci licebat: dictus Pontifex a posse, & facere, quod facit, quod potis est facere; an a potentia, quod hic res divinas curat? vel a ponte faciendo, cujus duplex ratio, vel quod antiquissima, & sanctissima sacra in ponte sublicio ligneo confici solerent: vel quia pontis illius, quasi sarti tecti præstandi curatio penes Pontifices erat, ut notat Joach. Camer. in *Probl.*

Pontificis nomen deinde omnibus sacerdotibus commune, ut Pontifices sacrorum, Cæsarum, Solis, Vulcani, Vestæ, &c. Pontifices seu sacerdotes perpetui omnes: quod dupliciter intelligitur, vel per *ἐπὶ βίῳ*, *ad vitam*: talis fuit Rex sacrorum, Augures, quibus viventibus sacerdotium adimi non potest. Alii dicti perpetui, quod illorum ministerium publice semper usui; quales sunt Flamines Diales, qui moti sacerdotio, vel ob levem causam, vel si uxorem amisissent, item Quirinalis, Martialis. In provinciis, Flamines Quinquennales.

Pont. Max. cum de Collegio Pontificum esset, ab illoque pridem cooptatus, ab eodem iterum in Sacerdotium amplissimum cooptabatur. Post legem Domitiam, qua jus Sacerdotum subrogandorum a Collegiis ad pop. translatum est, Pontifices omnes tributis Comitiis creati, quæ Tributa plebeja tantum consilia, patribus remotis. Ex Cic. vero colligimus *pro Domo sua*, populum non creasse Pontifices, propter religionem sacrorum, sed suis suffragiis designasse, posteaque a Collegio cooptatos; illud vocatum jus nominationis, hæc canonica institutio. Pontificatus Maximus apud patricios mansit usque ad Coruncanum, qui e plebe primus ob ingenii præstantiam, Ogulenio Trib. pl. ferente, Pontificatum adeptus est. Quatuor siquidem a Plutarcho in *Numa*, e patriciis fuisse recensentur, & post, cum plebis potestas crevisset, quatuor alii ex plebe creari cœperunt. Hic postea exteris patuit, donatis prius jure Quiritum, ut Cornelio Balbo primum nato Gadibus, qui per Cn. Pompejum Cos. major & Pontifex factus. Postquam vero Imperatores sacerdotia amplissima sibi arrogarunt, Sacerdotum, & cæterorum electio penes illos fuit, legibus omnibus abrogatis.

Pontificatus dignitas maxima, hæc præcedebat civiles reliquos Magistratus, Pontifices enim perpetui Deorum Sacerdotes, qui religionibus, & summæ Reipublicæ præerant, & rebus conclamatis Pontifices, & Augures a pop. missi legati. Nullus Pontifex erat qui non sedisset in sella Curuli. Hujus erat Vestalium electio curaque: Inauguratio Regis sacrorum, & Flaminum; ille Centuriatis Comitiis fiebat ab ipso Pontif. Maximo habitis, cujus Sacerdotium Pontif. Maximo subje-

A ctum est, ne additus nomini honos aliquid officeret libertati. Pontificis Max. erant Thensæ, Curricula, Præcentio, Ludi, Libationes, Epulæque ludorum publicorum, Ancilia, Acus matris Deum, Quadriga fictilis, Vejentorum cineres, Orestis sceptrum, sive Priami, Ilionei, Palladium, De ceremoniis Pontif. Maximus edicebat; pro Collegio respondebat, cum populo agebat, Italia abesse non poterat. Pontifices olim Trib. pl. Augures, Decemviri erant, Imperatores. Conjux Pontificis Max. per confarreationem ducta, uti & Flaminis Dialis, cui si uxor moriatur, cedit Flaminio & hoc matrimonium non nisi morte B dirimi potest. Domus publica data Pontifici Maximo quæ dicta Regia, quod in ea Rex sacrificulus habitare consuesset: hæc domus laureata. In hac sacrum Bonæ Deæ.

Reliqui VII. Pontifices dicti minores, qui fastos, & commentarios habebant, dictos Annales maximos. Ab his nova luna observata, & indicti dies a Kalend. ad Nonas Regi sacrorum. Ad hos de jure civili respondere, interpretari & de sacris ceremoniis, spectabat.

Pontificum jura ex Dionys. circa lites inter privatos pariter, & Magistratus, sacrorumque C ministros. Leges ferunt de sacris, quæ nondum scripta sunt, nec usu recepta. In omnes Magistratus, quibus sacrificia, & Deorum cultus commissus est, & in omnes Sacerdotes inquirunt; Ministros sacrorum in officio continent, ne quid contra sacras leges delinquant. Rudi vulgo, Deorum, ac Geniorum cultum præmonstrant, & interpretantur.

Fuit & Pontificum præcipua cura, ut circa religiones, cæremoniasque versarentur. Iidem de sacris, de votis, de feriis decernebant, de ludis maximis, de Deorum Penatum Vestæque matris ceremoniis. De sacro illo, quod fiebat pro sa- D lute popul. Roman. Quæ voluntas esset Deorum immortalium interpretabantur certa scientia.

Pontifices sacris solemnibus præerant, ne ea ipsa, quæ suscepta publice erant, quisquam extra Collegium nosset. In religionibus quoque domesticis adhibebantur: nam sine Pontifice religioni privatæ satisfacere poterat nemo: & quod tres illorum statuissent, id semper Senatui, & populo universo sanctum.

Pontifices soli, & Vestales penum, seu penetrale Vestæ adibant. Pontifices Deos indigetabant statis sacrificiis, nomen videlicet eorum proprium designabant, eosque precabantur, fana sacra- E bant. His non licebat equo vehi, sed curru, nec per liberos jurare; sed tamen per Deos. Prodigia, quæ Deorum iras minabantur, cum videlicet contra, vel præter naturam quicquam accidisset, verb. grat. signa si sanguine humano sudassent, si pueri nati sine oculis, &c. si lapidibus pluisset. Piacula vero propter quæ expiatio dabatur, ut si ludi non recte facti, si Vestalis incesta, &c. De prodigiorum procuratione, & sacris piacularibus erat in Pontificio jure, item de Vere sacro, & ludorum instauratione, & si quid in eis prætermissum, aut commissum, Deos placari credebant instauratione.

F Intercalationes factæ a Pontificibus. Item Annales maximi, in quibus nomina Coss. aliorumve Magistratuum notata, & quæ domi, militiæque, terra marique gesta per singulos dies. Fasti item, in quibus dies præscripti quibus fari, aut non fari liceret. Feriæ conceptæ. Lunæ, & Solis defectiones. Dies atri decreti: Pons sublicius curatus.

Inauguratio est certus quidam ritus, quo Sacerdotes publici, ejus numinis majestati devoven-

tur, ad cujus ministerium cooptati sunt. Hi jurejurando astringebantur, se nihil e sacris enunciaturos.

In Curia Calabra (ad differentiam Curiæ Hostiliæ, ubi Senatus habebatur, quæ erat in Capitolio, ratio sacrorum habebatur, primisque mensium diebus calabantur ejus mensis Nonæ a Pontificibus: Quintanæ ne, an Septimanæ essent futuræ hoc modo; *Dies te quinque Kalo Juno novella*. Erat & Pontificale pomerium ager pone murum, in quo Pontifics sua constituebant auspicia.

Pontifices immunes erant a militia, aliisque urbanis molestiis. Sella curulis cum toga prætexta illis permissa in sacris pompis, & festis Deorum.

Pontificum erat Tutulus, id est, pileus lanatus metæ figura. Galerus ex pelle hostiæ, Jovi cæsæ, Flaminis Dialis proprius, cui sine galero, & prætexta nunquam licebat esse in publico. Apex, idest, pileus subtilis, circa medium virga eminente, erat reliquorum Flaminum, & Sacerdotum. Collegio Pontificum ascripti Rex sacrorum, & Flamines; ut si quando res aliqua apud illos disceptaretur, ipsi una cum Pontificibus judices sederent.

Etsi res sacras, & cæremonias Senatus ad Pontificum Collegium, & virgines Vestales rejiciebat; aliquando tamen multa Senatus decernebat in Religionibus, & portentorum procurationes rejectæ ad Coss. Ludorum instaurationes, Piacularia sacra ex Senatusconsulto, & dies Circensibus additi. De externis vero religionibus, Magistratibus majoribus, minoribusve negotium datum, ut Ædilibus, Ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur. Supplicationes præterea Senatus decernebat, nunquam tamen in civili bello sacrificium imperabat, formulamque precationis præscribebat, qua decernebat, quo Deorum honor augeretur.

Imperatores Rom. Pontifices Max. fuere, ut cæremoniarum, & religionum essent arbitri. Numa Pomp. primus hunc honorem adeptus fuit, omnesque deinceps qui Reges appellati, ac post illos Jul. Cæsar, Octavianus, & cæteri. Horum nonnulli titulo contenti officia non peregerunt. Et quia nefas fuit Pontificis Max. oculos aspectu cadaveris funestari, ideo Augustus laudavit Agrippam, velo ante mortuum expanso, & ejus statuæ semper velatæ in amphitheatro, ob cædes ibi perpetratas continuo. Tiberius, ut ait Seneca *Conf. ad Marciam*, pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod Pontificis oculos a funere arceret, Buleng. *de Imperat.*

Pontificum jurisdictio quædam continet criminum persecutionem, quædam ad civilia negotia trahitur: quæ crimina persequitur, mulctam habet, & pœnam; quæ civilis est, adoptiones, testamenta, &c. complectitur. Pœna generale nomen, omnium delictorum coercitio, mulcta specialis peccati, cujus animadversio pecuniaria est. Mulcta irrogata, ubi legibus constituta non erat. Pœna ergo supplicium erat peccati legibus constitutum. Peccatum, vel publicum, vel privatum: cujus pena in quatuor partes distributa. capitalem, pecuniariam, aut existimationis, aut corporis coercitionis. Capitis pœna erat Vestalium incestus, & eorum, qui eas incestaverant; Perjurii, & fraudis scelera Pontifices quærebant, non ad ultionem, sed ad expiationem hostiis, & libamentis, quæ ad Pontifices spectabant, qui modum præscribebant, quibus hostis hæc piacula resolverentur. Adoptiones lege Curiata apud Pontifices factæ. Translationes reliquiarum sine permissu illorum fieri non poterant, nec refici, aut moveri monumentum, etsi sine illis construi posset: Pontifices tamen cogi poterant a Tribb. pl. Censoriæ notæ obnoxii, & ab illis provocatio ad pop. Fiscus quoque suus erat Pontificibus, seu arca cui sui curatores dicti Arcarii IV-Viri Pontificales; has pecunias cogebant ex suis prædiis, & redditibus, ut dictum a me alibi. Pontificalibus, qui ob Pontificatum Max. fiebant, præerant Romæ, & provinciis, Pontifices, & Sacerdotes: uti privati iis, quos funeris causa dedissent. Ædiles Æditiis; nam publicis ludis, qui sumptibus Pop. Rom. fiebant, Prætor Urbanus præerat, qui si morbo impediretur, Dictator dicebatur, qui in ludis signum mittendis quadrigis daret. Prætores ergo præerant illis, qui publico sumptu fiebant; Ædiles vero iis, qui privata pecunia parabantur. Publici ludi cavea circove divisi; privati septis, foro, amphitheatro, & vicatim facti. Pontifices octo, e quibus unus reliquis præest, & cæteris mystis. Pontificum insigne erat galerus, lituus Augurum, Imperatorum paludamentum, diadema Regum.

Cupentus lingua Sabinorum erat Sacerdos. Orgeones Sacerdotes, qui Deorum honori, aut heroum conveniebant, ab orgiis dicti, ac sacris mysteriis.

Chalazophylaces Sacerdotes Græci, qui grandines cum instarent speculabantur: qui agni, vel pulli sacrificio eas avertere credebantur, sed si illi abfuissent, digitum graphio feriebant, atque inde fuso sanguine litabant, a Cleone instituti.

Pyrphori igniferi Sacerdotes ignem ante alios in sacris præferentes. Hi in prima acie cum face & corona prodibant, quos violare nefas, ut Fœciales.

Pastophori Sacerdotes apud Græcos, & Ægyptios dicti, a παστῷ, id est, thalamo, veste, aut velo, Apulejus sic vocat Isidis Sacerdotes.

Ministri Pontificum nobiliores, Triumviri Epulonum, Virgines Saliæ, & Camilli. Triumviri Epulonum a Numa instituti ad epulare sacrificium peragendum. Virgines Saliæ in regia sacrificium faciebant cum Pontifice paludatæ. Camilli pueri erant ingenui patrimi, & matrimi, qui sacerdotibus publicis ad sacrificia præministrabant. Deinde alii minus nobiles; Scribæ, Lictores, Apparitores, Calatores, Decuria Curiata, quæ sacris apparebat, Præcones, Tibicines, Ludii, Popæ, Victimarii, Haruspices Pontificis, Fictores Pontificum, Incinerarii, Discipuli Fictorum, Nomenclator Thensarum, & hujusmodi. Vide Gutherum, Rosinum, & alios.

CAP. II.

Dii majorum & minorum gentium unde originem traxerint? Eorum tres ordines. Consentes Dii qui & quot? Deorum varia nomina. Heroes qui? Necia festa quæ? Minorum Deorum & Indigetum victimæ. Cereos Diis appendendi mos antiquus. Incerare genua Deorum unde? Duobus Diis unum templum non dicatum. Populi Romani autoritas circa quæ? Judicia omnia penes Senatum. Senatores a quo secreti a pop. in theatro? Censores nulli bis esse poterant. Magistratus quidam sorte dati. Consulum numerus sub quo variari cœperit? Suffecti & Ordinarii quinam? Designati populo gratias agebant. Consul major quis? Primus quis ex plebe fuerit? Dicturi sententiam a Consulibus vocati.

DE patriciis majorum gentium, & minorum quædam a me ad te. Notum satis lippis,

& tonsoribus discrimen inter patricios majorum gentium, & minorum gentium; ut ii dicerentur majorum gentium, centum Senatores a Romulo instituti, eorumque progenies. Eos vero, qui a Tarquinio Prisco Romanorum rege, ex plebeiis in patriciorum primum ordinem adlecti, deinde Patrum numero adscripti fuerunt, patricios minorum gentium appellatos, testis est Livius. Allectos inde in Senatum a M. Bruto & Publicola primis Coss. post pulsos Reges Patres & Conscriptos vocitatos, colligitur ex iis Taciti verbis, II. *Annalium*: *Iisdem diebus in numerum patrum ascivit Cæsar vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, L. Brutus minorum gentium appellaverunt*: quare majorum gentium patricii ii dicti, qui oriundi ab iis, quos Romulus legit. Minorum vero cooptatione in patres postea patricii facti a Prisco, a Tullo, a Bruto. Pithœus videndus *lib.* II. *cap.* VII. Inde ex translatione quadam, Deorum alii majorum, alii minorum. Cic. II. *de Leg.* tres ordines Deorum recenset; unum eorum, qui cœlestes semper habiti, qui & majorum gentium Dii vocati; alterum eorum, quos in cœlum merita vocarint, qui & Semidei, & Dii indigetes appellati, & minorum gentium; tertium eorum, per quos datur hominibus ascensus in cœlum. Primi dicti Magni, & Consentes, ut qui in consilium Jovis adhibiti, hique fuere XII. ut notat Ennius, his versibus:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Horum imagines auratæ apud forum stabant. Alii dicti Selecti, & Summates; sed de horum numero varii varia. Indigetes sic dicti, quod nullius rei indigeant, vel quasi cum Diis degentes ex hominibus ad divinitatem elati, vel quod indigetari, hoc est nuncupari nefas, vel quasi in hoc loco geniti, vel degentes. Unde a Virgilio dicti Dii Patrii indigetes.

Ex Varrone Deorum ordines subnecto & ex aliis Platonicis. Romani quosdam Deos Summos nominabant, Medioxumos alios, alios Heroas infimos, quasi terrestres, ab Hera, quam Veteres terram dicebant, ut Capella perhibet. Medioxumos dixere, quos merita in cœlum vocarunt, ut scribit Cicero *de Legibus*, hoc est, Semideos, velut Hibridas quosdam ex mortali & immortali progenitos, ut Romulum, Herculem, Æsculapium, Tyndaridas, & similes. Heroes sunt, ex utroque mortali parente nati, qui meritis feliciorem quamdam nacti sunt sortem, quam vulgus generis humani. Eos, qui sancte vixissent, & ex vita migrassent, in Deorum numero Romani veteres esse censuere, eorumque festa Necia sunt appellata. Cicero II. *de Legibus*. Quibus autem victimis Magnis Diis litaretur, ex variis auctoribus colligere licet, si libet: Diis Maximis sacra menstrua celebrata lego; quot Kalendis, aut Idibus renovata, atque eæ erant feriæ religiosissimæ cum solemnibus, & anniversariis non satis esse putarent defungi sacris, quod colligit Ad. Turn. *Advers.* lib. II. cap. XIV. ex Virg. *Eclog.* I.

Bis senos cui nostra dies altaria fumant.

Quibus minorum gentium Diis victimis litaretur ex Seneca apertissime perspicio, qui III. *de Ira* cap. XVIII. sic inquit: *M. Mario populus vicatim statuas posuerat, cui thure & vino Romanus populus supplicabat.* Plautus: *Ea mihi quotidie, aut thure, aut vino, aut alicui semper supplicat.* De eodem M. Tullius III. *Offic.* confirmat: *Ad ipsius statuas thura, cereos appositos.* Ex quibus colligo thure, vino, & cereis, Indigetibus litatum, & quam A antiquissimus mos cereos ad aras appendendi, & cerea vota, ut nos solemus.

Ritum appendendi cereos Diis (unde dictum incerare genua Deorum) puto manasse a Saturnalibus, in quibus cerei mittebantur, ut ait Festus: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur.* Videndus Macrobius I. *Saturn.* cap. VII. de ritu Saturnalium quam maxime antiquo, & de cereis, ubi festos illos dies antiquiores Roma ostendit, ex quibus ritus emanavit incerandi Deos, tanquam patronos.

Duobus Diis unum templum non dicasse priscos B reperio in Plutarchi *Marcello* dicentis: *Hinc cum ædis ex præda Siciliensi locatæ, quam Honori, & Virtuti voverat, impediretur a Pontificibus dedicatio, quod negarent unam cellam duobus Diis recte dicari*, &c.

A patriciis majorum gentium, ad Senatum, Consulesque gradum facio. Quæ essent Senatus potestati, & quæ pop. suffragiis, Dionysius Halicarnasseus *lib.* IV. breviter innuit: *Scitis nobis esse jam inde ab V. C. legem, quæ rerum omnium summam Senatus potestati permittit. Magistratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi arbitrium;* C *horum enim trium potestatem esse penes suffragia populi*, &c. Soli Senatores judicia in potestate habebant. Plutarchus in *Gracchis*: *Soli enim judicia in potestate Senatores habebant, atque ideo populo, & ordini equestri erant formidabiles*, &c.

Senatores a plebe in spectandis ludis quis primus secreverit, idem mihi suggerit, in *Scipione*, his verbis: *Hi primi fuisse dicuntur*, (loquitur de Africano, & de Sempronio Longo) *qui in spectandis ludis patres a populo secreverunt: quam selectionem plebs Romana molestissime tulit, adversus Consules indignata*, &c. Sed mecum quæso in ejusdem Plutarchi *C. Mario* suscipe, quam levi etiam de causa D Senatores a Censoribus senatu moti: & hinc (cum non multi Senatu permoti fuerint) Senatorum Romanorum modestiam, frugalitatemque disce. Loquitur de Mario. *Hic a judicibus interrogatus respondit, quod ex æstu sitisset, frigidam se postulavisse; & servum cum poculo ad se ingressum, simul atque bibisset, abcessisse, atque hic quidem Senatu a proximis Senatoribus motus est: visusque vel ob falsum testimonium, vel ob intemperantiam merito notatus*, &c.

Censores autem bis nulli esse poterant post Censorinum, ut idem Plutarchus in *Coriolano* testatur: *Censorinus, quem populus Romanus creavit iterum* E *Censorem. Postea illo suasore sanxerunt lege, ne quis eum magistratum bis caperet*, &c. Si cui autem pop. magistratum abrogavisset, alterum magistratum petere non poterat, lege Gracchi, ut idem Plutarchus in ejus *Vita* asserit: *Duas leges promulgavit. Unam, Si cui pop magistratum abrogaverit, ne aditus huic ad secundum magistratum sit. Alteram, Si quis magistratus civi indicta causa exilium irrogaverit, ut is causam dicat ad pop.* &c. Magistratus autem quosdam apud Græcos sorte datos fuisse idem in *Pericle* auctor est: *Quod nec Archon, nec Thesmothetes, nec Rex sacrorum, nec Polemarchus sorte* F *cooptatus fuisset; hi enim magistratus antiquitus creabantur, quique in iis specimen dedissent sui, aspirabant ad curiam Areopagi*, &c.

Ad Augusti usque tempora Consulatus binarius numerus perduravit. Augustus primus Imperatorum Coss. numerum auxit supra binarium: quorum alii Suffecti, alii Ordinarii dicti. Suffecti per menses tres aut duos sufficiebantur, potestate pari, non dignitate cum Ordinariis, qui annum auspicabantur, & fastis prænotabantur, & omnibus publicis instrumentis, ubicumque annorum

ratio habebatur, Hoc discrimen innuit Seneca lib. III. *de Ira* cap. XXXI. *Dedit mihi Præturam, sed Consulatum speraveram. Dedit XII. fasces, sed non fecit ordinarium Consulem. A me numerari voluit annum, sed deest mihi ad Sacerdotium. Cooptatus in Collegium sum, sed cur in unum?* &c. Locus pulcherrimus de honorum gradatione.

Consules designati gratias populo agebant, Plutarchus in *Paulo Æmilio*: *Cum vero mos esset, ut, qui designati Consules erant, gratias populo agerent, benigneque alloquerentur, Æmilius advocata concione*, &c. Hæc mutuanda ab auctoribus, Rosino, Manutio, aliisque non protritæ eruditionis & emunctæ naris viris, ne Archimedeum hoc problema a me venditari lividuli obstrepant. Consules designati primi omnium in Senatu sententiam rogabantur. Salustius in *Catilin. Tum D. Junius Syllanus primus sententiam rogatus, quod eo tempore, Cos. designatus erat, de iis qui in custodiis tenebantur.*

Quis vero dicendus Consul major (nam Plinius meminit Consulis majoris) a me sciscitaris: Majorem puto Consulem dictum penes quem fasces forent. Hi in antecessum seniori contribuebantur, ut habet Plutarchus, & Valerius Max.

Sed quis primus ex plebe Consul? Plutarchus in *Camillo*: *Camillus, comitiis habitis Consules creavit ex patritiis M. Æmilium, & L. Sextium de plebe primum*, &c. Consules autem (cum in Senatu essent dicendæ aliqua de re sententiæ) eos, qui primi dicturi essent, nominabant. Dionys. Halicar. *lib.* VII. *Cumque jam sententiæ a patribus essent dicendæ, primi quidem Consulares viri, maximi quique natu de more a Consulibus vocati surrexerunt*, &c. de candidatis ad Consulatum Plut. in *Coriolano*. Dona missa a Rege Agesilao Senatoribus, statim atque renunciatus fuit Senator, in *ejusdem Vita* refert Plut. *Quoties in Regio solio sedebat, & responsa dabat, supervenientibus assurgebat Ephoris ut quis prælectus in Senatu fuit, semper ei lenam, & bovem donabat*, &c.

CAP. III.

Risus Antiquis Deus habitus, ac annuo festo celebratus. Lubentiæ Deæ Sacra. Hypatensium Sacrum Risui Deo. Risus encomium. Coronati myrto Risui sacrificabant, & cur? Castam vitam agentes myrtum abhorrebant. Laurum mordentes risum compescebant. Senatores laureati in theatro. Athenis coronati suffragium ferebant, & coronata bibebant pocula. Corona data in ludis. Coronati in theatro qui?

RISUM vix compescere potui adeo in risum solutus, cum Apuleii locum III. *Metamorph.* legi his verbis: *Deo Risui annua reverticula solemniter celebramus*. Numquid hic Deus? numquid singulis annis vertentibus huic Deo sacra peracta? ita sane, ut innuere videtur hic Philosophus Madaurensis. O si quis leo (ut est in adagio) mihi rideat; nempe aliquis Cato matutinam exporrigat frontem, meque manu ducat ad hos dies festos indagandos, cum nunquam mihi visi, nec auditi, nec protritæ eruditionis.

Lego tamen Lubentiæ Deæ Romanos operatos fuisse, ut Græcos Risui, cum annuis ludis, ex instituto Lycurgi, qui marmoreum simulacrum Spartæ in delubro posuit, sanxitque, ut cives sui, militiæ laboribus perfuncti, Γελῶτι Θεῷ sacrificarent, quod ex Gyraldo *Syntagm.* I. colligo. Hypatenses Thessali huic Deo quotannis rem divinam in summa lætitia faciebant. Γελῶτος Θεῦ, id est, *Dei Risus*, Pausanias meminit, ut a me dictum. Risus marmoreum simulacrum Spartæ in delubro posuit Lycurgus; sanxitque, ut cives sui, militiæ laboribus perfuncti, ei Deo religiose sacrificarent.

Risum Ethnici excitare solebant, cum dolia vini infunderent, ne videlicet audiretur numerus certus, & sic minus obnoxii essent huic malo. Varro *de L. L. Olim unum dicebant multa. Itaque dum in dolium, aut culeum vinum addunt rustici prima urna addita, dicunt, etiamnum multa.* Ideo certum numerum frugum nunquam dicebant, utebanturque numero centenario, & millenario pro quolibet. Curiosi enim habiti sunt fascinatores, & Magici, Cerda *ad* X. *Æneid. Virgilii.*

Legitur Encomion Risus Eruditissimi Cælii Calcagnini, quod cum multa eruditione, ac hilaritate refertum sit, hic adscribere operæ precium duxi:

Mœror abi, subeat risus, mihi pectora risus
Impleat, & læto saliant præcordia risu.
Risus enim Divum, atque hominum est æterna voluptas,
Nam, si quid fidei magno præbemus Homero,
Ἄσβεστος δ᾽ ἄρ᾽ ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν.
Quin etiam fuerat sancitum lege Lycurgi,
Ut Lacedæmonii post bella exhausta, litarent
Lætitiæ, atque bono facerent solemnia Risui.
Illius & lapide e Pario substruxerat aras.
Hic, ubi post Mavortis opus gens aspera bello
Ponebat vigiles curas, suetosque labores,
Cum faciem attritam galea, cum pulvere fœdos
Porrigeret vultus, & frontem nube levaret,
Ipsa comes Risus aderat sine casside Cypris,
Et largos hilari fundebat pectore Risus.
Vos quoque Romulidæ, quondam vos inclyta rerum
Imperio soboles, genitabilis aura Favoni,
Cum primum duro concretas frigores terras
Laxabat, vernis innectens floribus arva,
Ardua magnarum solvistis pondera rerum
Risibus, & grandes mirata est Roma cacchinos:
Scilicet hæc populos, hæc magnum continet orbem
Temperies, gravitas simul, & lascivia vitæ,
Et Risus curis, & nexa modestia luxu.
Hæc quoque, me procul a patria, aspectuque meorum
Per maria, & terras tot tempestatibus actum
Soletur, dirique levet dispendia fati,
Donet & optatos, post longa incommoda, Risus.

Plutarchus in *Cleomene*: *Sunt autem apud Lacedæmonios non Timori tantum, sed Morti etiam, & Risui, & aliis hujusmodi affectibus templa dicata.* Idem in *Lycurgo*: *Neque Lycurgus ipse severus immodice fuit, quin & Risus statuam ab illo erectam Sosibius tradit, quippe qui jocum laboris condimentum*, &c.

Coronatos vero myrto hos dies peregisse conjectura ducor, ut existimem, ex Comico Aristophane, ubi fucos, cultusque muliebres memorat, præter cætera, ait: *Eam quæ non sit læta, toto tamen die ridere, si habet in labris exiguam myrti tabellam*: nam myrtus efficacissima risui provocando qui plerumque comes Veneris. Unde αἴσαρον dicebant myrteam virgam, ad quam convivantes in Græcia canebant. Hesychius lauream virgam dicit. Myrteam coronam ambire dicebantur, qui tyrannidem affectabant, quod antiquitus, si Suidæ credimus, principes myrteis corollis coronabantur. Quare tetricam vitam, castamque agentes myrtum quam maxime abhorrebant; hinc Dianæ myrtus ingratissima.

Sed parum abest, quin laurum mordeam ad cachinnum compescendum, ne ridiculum quisquam me caput opinetur, cum de Risu Deo hæc a me in medium proferuntur, quod faciam libentissime in hoc theatro cum Dione ita de se loquente:

te: *Quamobrem cum multi riderent, niſi ego folia lauri, quæ habebam ex corona, comediſſem, perſuaſiſſemque cæteris, qui juxta ſedebant, ut idem facerent videlicet, ut facto continuo ſtomachi motu indicium riſus celaremus.* An igitur Senatores laureati in theatris ſub Imperatoribus ſpectare ſoliti? tuum de hoc expecto ſuffragium, & calculum certiſſimum. Locus Dionis id mihi annuere videtur, neque abnues credo. Item Valerius Maximus *libro* III. *capite* VI. de Papyrio Maſſone hæc refert: *Papyrius Maſſo cum bene geſta Republica triumphum a Senatu non impetraſſet, in Albano monte triumphandi & ipſe initium fecit, & cæteris poſſe exemplum præbuit, proque laurea corona, cum alicui ſpectaculo intereſſet, myrtea uſus eſt.*

Etiam in Comitio coronati ſuffragium ferebant Athenis, quod elicitur ex Plutarchi *Phocione*, his verbis: *Comprobato plebiſcito, populoque in ſuffragia miſſo, nemo ſedens, ſed exſurgentes omnes, plerique & coronati damnaverunt illos rei capitalis.*

Et coronata bibebant pocula Virg. I. *Æn.*

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Quidam explanant, ad ſummam coronam, ſeu marginem implent, cum Maro explicet, vinum coronis floreis ornant, ut ex alio loco colligitur:

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero.

Hilaritatis enim cauſa & libationis convivalis coronabant pocula: hæc obiter, & per tranſennam, alias ex profeſſo.

Coronatos, credo, laurea in theatro ſediſſe eos, quibus triumphalis laurea contigit: vel illius participes factos; vulgo coronatos, vix, vel ſi Apollo mihi auctor fuat, crediderim. Auguſtus permiſit, ut qui bello civili, attrito patrimonio, equeſtrem cenſum amiſiſſent, ſi eum a parentibus accepiſſent, ut ii XIV. ordinum jus ne amitterent, Alexandri exemplo, qui emeritis veteranis primas ſedes aſſignavit, eiſque ut ſpectarent coronati licere voluit. Scalig. *Poet.* Coronas in ludis datas lego in Martiale. Legendus Paſchalius *de Coronis*.

CAP. IV.

Coronæ inſcriptæ & projectæ ante pedes Deorum. Hippona qualis Dea? Ejus imago ubi, & qui ornata? Semones qui? De roſis varia notantur. Adulatoris deſcriptio.

AVICULÆ, cum nihil poſſent opulentius, plumas ad magnificentiſſimum Delphici Apollinis templum, apes ceras ultro detulerunt. Ego ad tuæ gloriæ monumenta quid feram? Corollas non aureas argenteaſque appendendas; ſed leviores, viliores, ad ſtatuas projiciendas ex priſco ritu ſacro, tum quia tuum Coloſſum altum nimis atque excelſum ſuſpicio, tuarum virtutum apice decoratum. Propertius:

Ut caput in magnis, ubi non eſt tangere, ſignis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.

Coronæ ſiquidem Diis dicatæ, & inſcriptæ, & inter ἀναθήματα, teſtandæ nimirum, aut oſtentandæ pietati, cultui divino, aut gratiarum actioni. Ego his omnibus nominibus tibi obſtrictus, coronatus, tuæ immortalitatis aram corollis ſertiſque exorno, & roſeis potiſſimum, tu enim roſa diceris, & haberis ob morum fragrantiam, virtutumque decorem. Sed dum roſas loquor, &

Floret odoratis terra benigna roſis,

quaſdam colligo inter ſpinas Apulejani horti III *Metamorph.* Has tibi habe. *In ipſo fere meditulli* (de ſtabulo loquitur) *Hipponæ Deæ ſimulachrum ædiculæ reſidens, quod accurate corollis roſeis recenti*

A *bus fuerat ornatum.* Hippona (Turnebus legit *Eponam.* Prudent.

Nemo Cloacinæ, aut Eponæ ſuper aſtra deabus) Dea equorum, & ſtabuli, ut neminem latet; quare Tertullianus in *Apologetico* de eadem ſic: *Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia, & cunctos cantherios cum ſua Hippona a vobis coli.* Juvenalis *Sat.* VIII.

Hipponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Hipponæ meminit etiam Plutar. in *Parall.* Fulgentius *ad Chalcidium*, quam inter Semones commemorat, quos nec cœlo dignos putabant ob meriti videlicet paupertatem, ut Priapus, Hippona,
B Vertumnus; nec terrenos propter gratiæ venerationem. Tertull. *Apolog.* cap. XVI. *Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia, & totos cantherios cum ſua Hippona coli a vobis.*

Plures igitur hujus Deæ imagines in ſtabulis, eædemque roſeis corollis ornatæ, quæ Veneri, (ſcio) Gratiiſque in deliciis; cum roſa κατ' ἐξοχὼ dicatur flos, & regina florum, Muſarum coronamentum. Ideo Theocritus *idyl.* I.

Τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα, καὶ ἡ κατ πύκνος ἐκεῖνα
Ερπυλλος κεῖται τῇς Ελικωνιάσι.
Roſæ illæ roſcidæ, & denſum illud
C *Serpillum dicatum eſt Heliconiadibus.*

Cur igitur hi equiſones roſeas intexerunt corollas Hipponæ, ſuo Numini? An quia corona roſacea deſignat potentiam & imperium? An quia roſæ publicæ lætitiæ privatæque indicium, feſtique diei? quod fortaſſe illis diebus egiſſent Hipponæ ſacrum. Sed hoc commune cum cæteris Diis, nil huic peculiare. An tunc temporis Conſualia celebrata? De Conſualibus, ſeu Circenſibus, ludis, vide Roſinum & alios. Lego tamen hæc in Plut. *Romulo: Invenit Romulus aram cujuſdam Dei conditam ſub terra, in qua reliquum tempus latet, in equeſtribus vero certaminibus aperitur.* Dion. Halic. *l.* I. Dedi-
D carunt Romani Neptuno equeſtri templum, atque diem illum ſolemnem, quem Arcades, *Hippocratia*, *Conſualia* Romani vocant, iidem conſtituere; quo die apud Romanos ex conſuetudine ceſſant ab operibus equi & muli redimiti floribus capita. Ideo & floribus redimita tunc Dea Hippona.

De roſis hæc noto ex Caſaub. *ad Athen. libro* IV. *capite* XI. Roſa olim, ut modo etiam, non poſtrema cura & amor eorum qui nepotinis ſumptibus delectabantur, ut videre licet in *Nerone* apud Suet. capite XXVII. Nec ſolum roſæ ſparſæ in menſis, ſed & pavimentis, ſæpe etiam in reticulis, ad ol-
E factum clauſæ. Ita Cic. *in Verrem* V. *Nam, ut mos fuit Bythiniæ regibus, lectica hexaphoro ferebatur, in qua pulvinus erat pellucidus Melitenſi roſa farctus: ipſe autem coronam unam habebat in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi apponebat, tenuiſſimo lino, minutis maculis plenum roſa.*

Jam ſi adulatorum ſeu aſſentatorum mores (quorum nomina plurima in hoc ſeculi albo) noſſe cupis, pete ex verbis illis Gnathonicis apud Terentium in *Eunucho*, Act. I. Sc. II. verſ. 17.

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt:
Nec ſunt tamen: hos conſector; hiſce ego non paro me ut rideant:
F *Sed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul:*
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego; ait, aio: poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari: is quæſtus nunc eſt multo uberrimus.

Sed Athenæus *libro* VI. graphice & ad amuſſim Thraſonicam jactantiam, glorioſum militem,

glossogastores, palpones effingit his verbis:

Si ad ædes sit progrediendum, sum aries:

machina bellica scilicet:

Si ascendendum in scalas, Capaneus:
Si tolerandæ plagæ, incus ac nodus:
Si quid affigendum, lorum ac fascia:
Si tentandi formosi, fumus:
Si bibendum, edendumque nihil, Tithymallus:

scilicet qui octo lupinis prandebat:

Si aqua bibenda, rana: Si thymum rodendum, aut olus, eruca:
Si non lavandum, squallor:
Si hyeme degendum sub dio, merula:
Si tolerandus æstus, ac meridie confabulandum, cicada:
Si nec inungendum, nec aspiciendum oleum, pulvis:
Si excalceato spatiandum diluculo, grus:
Si parum dormiendum, noctua:
Si ferior, ferri massa: Si ferio, fulmen:
Si excæcandus aliquis, fulgor: Si saliendum, locusta:
Si emovendæ cardinibus fores, terræ concussus:
Si cœnandum non invitato, musca:
Si non exeundum, puteus, &c.

CAP. V.

Templi significatio triplex. Templa apud quos nulla? Sine iis quamdiu Romani fuerint; Quis eorum primus inventor? Illorum varia forma. Quadrata ad Orientem spectabant. Omnia sacra, non tamen sancta. Quid sancta ea efficeret? Eadem a quibus constituta & consecrata? Effari, *&* Effata, *quid? Pollutum Templum quod? Templa rotunda pauca. Sacella nulla in privatis ædibus. Loca, ubi portenta, religiosa. Serpens in ædibus visus mali ominis. Templorum partes quot? Delubrum ac Fanum qui differant?* Sistere, *&* Exaugurare fana, *quid? Variæ partes Templorum enumerantur. Eorum ædificandorum ratio multiplex. In iisdem Area & Rotæ. Eorumdem ornamenta varia. Aræ quot fuerint?* Anclabis *mensa quæ? Altarium & Ararum discrepantia. Aræ privatæ. In adytis Templorum soli Sacerdotes; in penetralibus cadavera Principum. Somnia ubi captata? Aræ in sepulcris. Eæ duæ in Tragœdiis & Comœdiis, quibus dicatæ? Imagines Deorum quæ privatæ & quæ vendi possunt? Loca ab hostibus capta desinunt esse sacra. Simulacra lignea Romæ quando? Signa ubi locata? Clypei a quo primum Templis affixi? Sacrarium, Donarium, Tholus, Lectisternia, quid? Adorationis situs varius. Dedicationes quibus permissæ? In iis quot requisita? In iis ludi fiebant. Templa collapsa denuo dedicata. Consecratio quotuplex? Variarum gentium ceremoniæ. Templa cur nulla apud Persas? Sues quibus Diis immolati? Dii a quibus verberati? Humanæ victimæ. Serpentes olim culti. Formosi præcipue in sacrificiis adhibiti. Fana & Aras circuibant Gentiles & Christiani.*

TEMPLUM non semper idem signavit. In Augurali disciplina, templum est cœli regio: unde Lucretius ait,

Nec cœli lucida templa.

Deinde templum est quilibet locus clausus, etiamsi profanus, & non augurio consecratus. Varro *de Lingua Latina* libro VI. *Curia Hostilia templum est, & tamen sanctum non est.*

Tertio templi nomine significabatur sepulchrum: nata inde superstitione, quod Veteribus cippi, seu tumuli amicorum vita functorum pro templis religiose colerentur, unde Virgil. IV. *Æneid.*

—— Antiquo de marmore templum

A *Conjugis antiqui.* ———

Denique est ædificium Deo consecratum. Nec vero omnibus gentibus templa Diis dicare placuit. Sicyonii primum nullum fanum nullamque statuam Coronidi Deæ suæ erigebant, ex Pausania in *Corinth.* Nos imitati Athenienses, qui suæ Clementiæ nullum simulacrum voluere. Persæ etiam nulla fana admittebant, quod putarent majestatem Solis, quem venerabantur, nullis tectorum angustiis coercendam. At Romani, ut docet Dempsterus, CLXX. annis, (ritu Persico) templis, simulacris, Deorumque statuis caruerunt; ex Varrone, quod an sit verum, tute ipse dijudicato. B

Janum primum ferunt in Italia templum ædificasse, ideoque veteri instituto in sacrificiis Janum Latini perpetuo præfabantur. Alii a Fauno, seu Fana, unde Fana. Alii ab aliis. Vide apud Gyrald. Plerique ex sepulchris templa initium sumpsisse opinantur. Verum non omni loco Diis temere templa ponenda: nam qui pacis, pudicitiæ, & bonis artibus præerant intra mœnia, qui autem voluptatibus, rixis, incendiis, ut Venus, Mars, Vulcanus, ex urbibus excludebantur. In medio urbium tutores Vesta, Jupiter, Minerva, Neptunus ad C maris litus, & sic de singulis. Templorum quoque forma varia. Vestæ, Solis, & Liberi rotunda; Jovis perforata; cœlitibus & superis aliis a terra templa extabant: inferis sub terra, Chthoniis sive terrestribus media. Vitruvium lege. Templum tribus modis dicitur, a natura, ab auspicio, a similitudine: a natura in cœlo; ab auspicio in terra; a similitudine sub terra.

Templa olim quadrata ad Orientem spectantia: Vitruvius *l.* IV. *cap.* V. *Ædes*, inquit, *Deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent, erunt constituendæ, uti signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cœli regionem, ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia faciente, spectent ad partem cœli Orientis.* Walafridus D Strabo, lib. *de Exordiis, & Incrementis Ecclesiarum*, ita differit: *Priora autem, & anteriora templi, vel altaris, Orientem respiciebant, unde & apud Veteres, Orientales templorum partes antica, Occidentales postica, Aquilonares sinistra, Meridianæ dextera.* Unum tantum introitum habebant, & quamvis templa omnia essent sacra, non tamen sancta: nam Curia Hostilia, Pompeja, Julia, Rostra, per Augures fuere templa constituta, nec tamen erant sancta: nam ad hoc requirebatur, ut per Augures effata essent, & a Pontifici- E bus consecrata, ut sancta fierent. In his sacra edicebantur, Augures enim templorum locum constituebant, Pontifices consecrabant; *Effari* Augurale verbum: ab Auguribus enim loca sacra inaugurabantur, hinc *effata* sunt Augurum preces. Quod si templum de cœlo tactum esset, pollutum credebatur, seu afflatum, quod piaculari sacro procurari debebat.

Templa rotunda pauca, Vestæ duntaxat, Dianæ, Herculis, vel Mercurii. Ædium sacrarum valvæ, ac limina, ut templorum, ex ære factitata, atque in illis lychnuchi pensiles, aut arbo- F rum modo mala ferentium, lucentes. Ædiculæ vero privatæ, nec sacræ, nec sanctæ erant, sed religiosæ. Ex Livio *lib.* XL. colligo sacella non in domo cujusquam fuisse, sed populo semper patuisse, ita dicente de Lepido & Fulvio Censoribus: *Complura sacella, publicaque sacra, occupata a privatis, ut paterent, essentque populi curarunt.* Cælius autem ut ostenderet Appium Censorem officio suo deesse, petere cœpit ab eo, ut sacellum in domo privata ne relinqueretur. Cujus rei cura Appii, qui Censor erat, esse debuerat. Ma-

nutius in *Scholiis epist. Cic.* Artemidorus & Plutarchus ritum innuunt non injucundum, quo loca omnia, in quibus portenta apparuissent, religiosa facta. Hinc illa Platonis querela de superstitiosis hominibus præsertim mulieribus, quas, ait, levissimas ob causas, & pavores inanes, impelli solitas, ut aras & sacella Diis sternerent. Porro serpentem vidisse in ædibus, aut in itinere, triste auspicium ex Cic. *de Divin.* Sacella igitur excitata a superstitiosis, quod jure Romano non licitum. Lex enim vetus Tribunitia vetat, injussu plebis ædes, terram, aram consecrare, Casaubonus.

Templorum partes tres; prodomum, quod est ante cellam: opistodomum, quod est post cellam: & cella ipsa Dei, quam hodie chorum dicimus.

Templi partes apud Græcos 5. Prima ἅγιον βῆμα, *sanctum tabernaculum*, ad quod gradibus ascendebatur, ubi duo altaria: majus in medio θυσιαστήριον, sacra mensa, propitiatorium: minus altare, ubi sacra vasa, & panis consecrandus apparabantur, πρόθεσις, quasi *propositio*. Secunda pars ἱερατεῖον, chorus, loca cleri & cantorum. Tertia ἄμβων, pulpitum, ubi recitantur evangelia, epistolæ, conciones fiunt. Quarta ναός, *templum* seu *navis*, in qua populus erat. Quinta βαπτιστήριον, *baptisterium*, Genebrardus.

Templorum hæ species. Delubrum, quod plura numina complectitur, vel locus, ubi aqua currit ante templum. Fanum, quod fando per Pontifices consecratum, seu effatum. Vel locus sacer sine ædificio, hinc *sistere fana*, est locum futurorum fanorum constituere. *Exaugurare fana*, est evocatis Diis, & cæteris religionibus locum liberare, peculiarique Deo templum constituere. Sacellum est locus parvus Deo sacratus cum ara. Cella pars templi, in qua Deus, Deaque conclusa, quæ duobus Diis dicari non potuit. Tesqua loca sancta agresti alicui Deo dicata.

Tesqua, Festus ait, loca erant augurio designata, Cicero aspera & difficilia. Asylum templum, ex quo nullus extrahi poterat; hinc Asyli, homines sacrosancti: hoc autem non fuit in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum. Sacrarium locus in templo, in quo sacra reponuntur. Bidental, ubi bidentes hostiæ sacrificatæ. Favissæ, ubi templorum res inutiles reponebantur.

Templa ergo in urbe, & agris. In urbe auguria, in agris auspicia captabantur. Luci nunquam sine religione, in quibus plerisque fana affabre facta, proceris & vastis arboribus consita. Ædes sacræ dictæ, antequam fierent auguria, postea dicta templa.

Templorum ædificandorum non una eademque ratio fuit, sed ex triplici natura Deorum petebatur, qui aut fortes sunt, aut delicati, aut medii, ex Vitruvio; Fortibus, ut Marti, Herculi, Minervæ, ædes Doricæ, severiores scilicet structuræ constitutæ. Delicatis, ut Veneri, Proserpinæ, Floræ, Corinthio genere, propter tenuitatem operis factæ. Mediis, ut Junoni, Dianæ, Baccho, constructæ Jonicæ, nec florida structura, nec severa. Templis attributæ areæ, quæ appendices dicebantur, ubi hostiæ proponebantur venales, cæteraque ad sacrificium spectantia. Juxta hanc piscina ad sacrificiorum usum. De his vide Vitruvium *lib.* I. III. & IV.

Rotæ in templis Ægyptiorum circumagebantur, ex Clem. Alex. *lib.* V. ut Dei naturam significarent. Unde conversiones & circuli in sacris ad similitudinem cœlestium sphærarum. Meam causam subdit Plut. in *Numa: Nisi quid Herculeo similiter Ægyptiis rotis involvit, & significat*

A *hæc figuræ mutatio, nihil esse in rebus humanis stabile*. Templa olim vittata diebus festis, floribus, frondibus, & lucernis ornata, docui alibi.

Atrium erat ædificium ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendebat. Atria facta tria Romæ, Libertatis, Minervæ, & Vestæ. Templorum interiora picturis, aris, simulacris exornata.

Aræ ad orientem versæ, semper inferiores simulacris. Excelsissimæ aræ Jovi, omnibusque cœlestibus: Vestæ, Terræ, Marique humiles in mediis ædibus. Tres aræ, seu impares superis: pares inferis: prima in medio templi simulacro in-B feriori: secunda pro foribus, ubi victimæ immolarentur: tertia, quæ forte *Anclabis*, mensa, quæ Diis *anclatur*, quod est, hauritur, ministraturque, a qua *Anclator*, seu minister.

Altaria, ab altitudine dicta, superis tantum erecta. Aræ superis, inferis, & terrestribus. In altaribus ignis, seu thus adoletur, in aris nihil, sed crematur, & consumitur. Adolere enim est igne puro, thure, & precibus Deos ad altaria placare, quod proprium sacerdotum, sacrificio ad aras peracto, cum votis & supplicationibus, thure incenso, numen auctius faciunt.

C Lactantius Grammaticus ait, tria fuisse in sacrificiis loca, per quæ expiationem facerent scrobiculo facto inferis, aris terrestribus, cœlestibus extructis focis; unde altaria denominata, ad quæ cum sacrificabant manus in altum porrigebant. De hoc alibi. Super aras vero sacra facturi cespitem ex gramine, sive verbenas apponere solebant. Verbenæ enim in omnibus sacris faustæ, e sacro loco decerptæ. Aræ quoque frondibus ornatæ, prout cuique Deo gratæ. Æsculi Jovi, lauri Apollini, oleæ Minervæ, &c. Circa aras hostiæ immolatæ; quarum sanguine illæ tingerentur, extaque cremarentur in aræ ipsius focis. Fuerunt &
D aræ privatæ, quas quisque in suo statuebat, vel funebres, vel honorarias, quarum nullæ religionem loco adferebant, nisi essent consecratæ Comitiis Curiatis:

In adytis templorum soli sacerdotes admissi. In penetralibus Principum cadavera recondita, victimæ immolatæ, preciosissima quæque abdita, simulacra Deorum constituta. In delubris captata somnia a pernoctantibus in templis.

Aræ in sepulchris erectæ. Unde Virgilius *Æneid.* III.

Stant Manibus aræ.

E In Comœdiis, aræ duæ statutæ; Apollini dextra; sinistra Heroi, Deove, cujus ad honorem ludi celebrati. In Tragœdia, dextra ara erat Bacchi. Aræ præterea dicatæ Laribus, Mari, Fluminibus, quæ humana effigie celebrabantur.

Mensæ etiam dicatæ eodem die, quo templa, super quibus vinum libabatur, at super aris victimæ libatio fiebat. Imagines Deorum, uti Imperatorum, aut privatæ, aut sacræ erant, aut honorariæ. Privatæ domui affixæ domus portio sunt, ad quarum ornatum institutæ, atque tanquam
F pars ædium vendi poterant, quia privati juris erant. Sacræ, aut honorariæ, sine crimine majestatis vendi non poterant; quia privati juris non erant, quinimo publici juris; nam proximum sacrilegio majestatis crimen. Aliquando imagines & statuæ non sacræ, quæ nempe ex hostibus captæ, quæ & venales, & vectigales dictæ, (loca namque capta ab hostibus desinebant esse religiosa, vel sacra, meritoque in fiscum cogebatur) quas aliquando relinquebant, aliquando amovebant; & usibus suis applicabant.

A Folia & rami in templis Ægyptiorum ex Clem. Alex. *libro* v. qui prælati ad cultum Deorum, ut pinus Pani, Sylvano, & Diti cypressus, abrotonum Isidi: hinc *Oschophoria*, ramorum gestatio apud Athen. in honorem Bacchi. Inde postea ramorum honos principibus viris adhibitus in pompis & triumphis, & non solum ramis, sed & foliis & floribus, bene meritos excipiebant, & Rhetorum fores insignitæ palmis, ut notat Caussinus.

Simulacra ante Asiam devictam Romæ lignea, aut fictilia, ex Plinio *libro* XXXIV. *capite* VII. Honorariæ statuæ, decreto Senatus, Romæ positæ. B In municipiis, decreto Decurionum. Honos maximus Romæ, stante Rep. statua in Rostris, aut Foro posita. Hæ statuæ honorariæ nihil religionis habebant, nisi a Pontificibus dedicarentur, quod fiebat, pane & vino epulantibus dato; vel si in templis collocarentur; vel in cubiculo Principis.

Signa non solum in templis & lucis, sed in ipsis portis urbium locata, quæ vestibus induta.

Sigilla sunt parva signa in suis ædiculis posita; nos *Nichias* dicimus, quasi parietum honestamenta.

Clypei etiam affixi templis primum ab Appio C Claudio.

Sacrarium locus templi, in quo sacra instrumenta, effigiesque sacræ asservatæ, ut Palladium, Penates, & hujusmodi.

Donarium erat locus, ubi collocabantur oblata.

Tholus erat veluti scutum breve, quod in medio tecti est, in quo trabes coeunt, ad quem dona suspendi consueverunt.

Lectisternia erant, cum in templo sacrorum gratia lecti strati ad discumbendum, sive pernoctandum, in Jovis epulo: quod factum in Capitolio tribus Diis, Jovi, Junoni, & Minervæ; ille re- D cubans in lectulo statuebatur; Juno & Minerva sedentes, ubi epulones 7. epulabantur. Hi lecti in sacrario, vel donario erant inclusi. Cœlestibus (inquit Porphyrius, referente Rhodig. *libro* XII. *capite* I.) Diis templa excitant, & aras terrestribus, ἐσχάρας, id est, *focos*, sic & heroibus. Subterraneis autem fossas deprimebant; Mundo & Nymphis antra. Subdit idem. Templorum statuæ, & ingressus orientem spectabant, ut adeuntes in occasum conversi Diis preces effunderent, remque divinam obirent. Et in Asclepio Mercurius scribit, Deum summum adorantes, si medius affulserit dies, in austrum convertebantur: si oc- E ciduus, in occasum: si oriens, in ortum. Quidam ex Grammaticis ita produnt. Si Heroibus rem divinam obirent, occasum solis spectabant; si Diis ortum; quod in *Isthmiis* Pindarus innuit. Romanum vero fuit institutum, adorantes circumagi, ut a me alibi pluribus. Causam pete ibidem, & in Plutarcho.

Rhodiginus *libro* XXVII. *capite* IX. ait, a Pythagoricis observatum, uti & Christicolis, in adoratione orientem spectari: Trismegistus meridiem: Moses, Judæique occidentem spectabant adorantes.

Venerem, Vulcanum, Bellonam, & Martem F Veteres, Hetruscorum disciplina moniti, intra mœnium septa collocandos non putarunt, quod libidini, voluptati, incendiis, jurgiis, & litibus præessent. Eos in urbe coluerunt, qui frugi, id est, eis rebus præessent, unde ad adolescentiam & matronas mali nihil derivari posset, neque tamen perpetuum hoc fuit. Nam Febris Fanum in Palatio fuit, Martis ultoris, ad Augusti Forum; Veneris, in Foro Cæsaris; Vulcani, in Circo Flaminio, ex Vitruvio, *lib.* II. *cap.* VII.

Atheniensium templa extra mœnia. Timoris templum Spartæ juxta suum tribunal Ephori constituerunt, quod metu corrigi rempublicam maxime putarunt. Saturni, aut Serapis templa intra mœnia Ægyptii non admittebant, ut quasi excubitores extra pomœrium in suburbiis agerent. In foribus vero & atriis domorum Ara, Focus, & Lar familiaris erant.

Lararia erant privata sacraria domi, in quibus cubiculares imagines reponebantur. Horum præfectus dictus Magister Lararius. Hæc Lararia fuere apud principes, & privatos homines. Tenuiores, loco sacrarii, aut Lararii, habuere focos, in quibus Lares suos colerent. Quibus Laribus thure, vino, aut aliquo semper supplicabant, eosque coronabant. Hæc sacraria privata sancta & religiosa, non sacra; unde aræ, pro Penatibus; hinc prov. *Pro aris & focis pugnare*, id est, pro Penatibus.

Dedicationes omnes Romæ Tributis Comitiis permissæ, & lectus Pontifex qui in dedicatione verba præiret; idque maxime expedita lingua. Postem templi ergo tenens Pont. dicebat, *Dare se, dedicareque Numini*. In dedicatione vero templi 5. requisita, mens, vox, lex, manus, simulacrum. Mens pura integraque dedicantis, grata Diis. Vox ad solemnia verba spectabat, ad religionem composita. Lex, ut ex Curiata lege fieret, qua populus aliquem dedicationi præficiebat. Manus Pontificis postem tenentis. Simulacrum erat quid necessarium; semper enim cum templo dicatum simulacrum Numinis, cui illud dicabatur, positum in medio templi.

Dedicatio ergo ædium, templorum, ararum apud Romanos facta a Cos. aut Imperatore, accenso foculo, tum tibicine verbis priscis & solemnibus præeunte: Pontifice Max. præfante carmen, capite velato, & concione advocata, ac jussu pop. cujus injussu, ex eorum religione, consecrari ædem, terram, agrum, aut quicquam sanciri nefas: item in luctu publico, aut privato dicare, sacrificare nefas, supplicare autem fas. Ideo in sacrificiis & dedicationibus publicum luctum minui, perpetua lege cautum. In dedicanda ara aut simulacro postes non tenebantur, uti in æde. De Horatio Pulvillo dedicante inter funesta, lege Val. Max. *lib* V. *cap.* X.

In dedicatione ludi publici facti, & spectacula. Duumviri dedicationis a populo lecti ædi dicandæ. Hæ vel sacræ, seu votivæ, vel honorariæ; publicæ, aut privatæ.

De ædium dedicatione apud Græcos ita Plutar. in *Mario*: *Post secundum triumphum, cum in ædis cujusdam sacræ dedicatione spectacula Græco more ederet, ingressus assedisse tantum, mox discessisse*. Inscriptiones in iis etiam, Dionys. *lib.* IX. sed tunc ex S. C. *Posthumus eam dicavit, ut ejus ædis inscriptio testatur*.

Templa vetustate collapsa denuo dedicabantur, & consecrabantur. Dedicatio præcedebat consecrationem; illa rei immobilis, hæc mobilis.

Consecrationis duo genera; unum religionis causa, in Deorum honorem; alterum odii, aut contumeliæ hominum, ut cum bona damnatorum, hostium, vel captæ civitatis consecrantur. Animalia quoque Diis consecrata, & arbores, ut in Junonis Lucinæ templo lupus, & pecora. Hæc de templis Romanis innuisse satis. Ad extera pedem converto, tantum delibanda.

Innumera fuere apud innumeras gentes sacrificiorum genera, & ritus pro Deorum varietate. Persæ putarunt Deos non ex hominibus esse ortos; ideo nec statuas, nec templa, nec aras ullas habuere; alia quoque de his gentibus sic refert

Herodotus *lib.* I. *Neque statuas, neque templa, neque aras extruere consuetudo est, quin imo hoc facientibus insaniæ tribuere, ob id, (ut mea fert opinio) quod non, quemadmodum Græci, sentiunt Deos ex hominibus esse ortos. Moris habent, editissimis quibusque conscensis montibus, Jovi hostias immolare; omnem gyrum cœli appellantes Jovem. Soli, Lunæque sacrificant, & Telluri, & igni æque atque ventis, hisque solis sacra faciunt, jam inde ab initio.*

Massagetæ unum Solem tantum venerantur, cui equos immolant. Hic autem est eis mos sacrificandi, ut Deorum pernicissimo e pecoribus omnibus pernicissimum mactent.

B Ægyptii non sigillatim cuique Deorum, sed gregatim initiabantur. Animal sigillari anulo non notatum immolare nefas, & hoc facientibus pœna mortis lege sancita erat. Apud quos sacrificandi ritum Herodotus *lib.* XI. hunc habet; *Pecude, quæ obsignata est, ad aram, ubi immolatur, adducta, pyram incendunt; deinde supra pecudem libato contra templum vino, ac Deo invocato, eam mactant, mactatæ caput asportant in forum, si nundinæ sint, & si Græci negotiatores affuerint, illis vendunt, qui si non affuerint, in flumen abjiciunt. Execrantur autem capita in hæc verba. Si quid mali, aut ipsis immolantibus, aut universæ Ægypto futurum sit, id in caput hoc convertatur,* &c. *Vaccas autem immolare Ægyptiis vetitum.* Idem *ibid. Boves mares, eosdemque mundos, ac vitulos universi Ægyptii immolant. Fœminas eis immolare non licet, utpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebre est, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Græci describunt.* C

Thebani arietem immolare piaculare duxerunt. Certo tantum die, quotannis in festo Jovis, unum demum arietem cædebant, cujus pelle detracta Jovis simulacrum induebant, sacra deinde in urna arietem verberatum sepeliebant.

D Ægyptii, nulli Deorum, præterquam Lunæ, & Libero, sues immolabant; sed cum de hoc sacrificio a me alibi, in hoc opere, ad alia transeo.

Ægyptii, post sacrificium, quod in urbe Bubasti peragebant, innumera hominum multitudine, verberabantur: & insuper Cares Ægyptum incolentes gladiis frontem concidebant. Alia vero in urbe sacrificantes Ægyptii pro foribus templi statuebant sacerdotes cum ligneis clavis, qui conantibus aliis, qui Deum in plaustro rotarum quatuor trahunt, ingredi templum resistunt, & ita fustuaria pugna mutuo se verberantes multi pereunt ex vulneribus.

E Verum Ægyptii non modo se ipsos in sacrificiis verberabant, sed & Deos ipsos aliquando ex Herodoto *lib.* XI. & postquam Ægyptii verberarunt Deum quemdam, quem in tali negotio non puto nominandum, tunc & bovem in lucem proferunt. Aureæ phialæ a Pontificibus Regi dabantur in sacrificio quodam. Duodecim autem Reges cum juste regerent, ac stato tempore in templo Vulcani sacrificassent, & ultimo die festo libaturi essent, porrexit eis Pontifex aureas phialas, quibus libare consueverant, aberrans numero, duodecim videlicet viris undecim phialas. Ibi Psammitichus, qui postremus eorum stabat, cum non haberet phialam, detractam sibi æream galeam tenuit, libavitque. F

Verberati Dii, o impium facinus! Verberatos vero homines non modo, sed sacrificatos Diis apud Scythas, refert Herodotus *lib.* IV. Idque est Martis simulacrum, cui annuas hostias offerunt, cum aliorum pecorum, tum equorum, & plus huic Acinaci, quam cæteris Diis. Ex captivis centesimum quemque immolant. Vide ineptias, ride mecum, vel cum cachinno. Laciniam huic capiti subnecto ex *Adversariis* Cerdæ eruditissimi. Veteres Gentiles serpentes appinxere ad conciliandam loco sacro reverentiam, quos mystæ suos interpretabantur, quemadmodum Christiani crucem appingunt: unde illud Satyrici:

Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra
Mejte.

Aliquid ad hanc rem Artemidorus locutus. Itaque illud Danielis, *& draco magnus, & colebant eum Babylonii*, quid mirum si ab hoc duceret exemplum? putabant enim Babylonii sacrum esse locum, in quo erat serpens, ut Epidaurii serpentem, & Romani Æsculapium sub forma serpentis, & Ægyptii crocodilum, & dracones Minervæ Trojani, draconem item Delii auctore Strabone; æneum etiam serpentem Judæi. Adeo ut Ethnicorum plerique eos heroum suorum patres agnoscerent, Aristomenis Messenii, Alexandri Macedones, Aristodamæ Sicyonii: quin anguem,

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

Dubitabundus hæsit Æneas v. *Æneidos*, an adoraret. Formæ ratio habita olim in sacrificiis, ex Athenæo *lib.* XIII. docente, formosissimos seligi, & inter primos ferre aliquid. In Elide vero pulchritudinis etiam fit judicium. Quem pulcherrimum Judices pronunciarint, Dei vasa illi ferenda traduntur. Proximus ab eo bovem victimam agit. Tertius liba & fruges salsas hostiæ imponit. Quod autem antiquitus spectata sit forma in ephebis iis, qui ad sacrificiorum ludorumve cæremonias adhiberentur, certa & nota res est. Atque eo referendus Cic. lib. I. *de Nat. Deorum: Est enim vis tanta naturæ, ut homo velit, nisi homini similis esse, ut quidem formica formicæ. Sed tamen cujus hominis? quotus enim quisque formosus est? Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur.* Causab. *in Athen.*

Deorum fana olim religionis gratia circumibant, quod innuit Cic. III. *de Nat. Deor. Natio quoque Dea putanda est, cui cum fana circumimus in agro Ardeati rem divinam facere solemus.* Ferebant quoque circa Deorum templa coronis redimitas imagines. Tacit. *Hist.* II. *Populus cum lauru ac floribus imagines circa templa tulit.* Judæi quoque uti & nos Christicolæ supplicantes templa circumimus. Aras quoque circumibant. Isid. *Orig.* lib. XIX. cap. XXX. *quod initio circum aras curreretur.* Unde homo immolandus circa aras ab adolescentibus ducebatur. Euseb. Cæsar. *lib.* IV. *In templo Palladis, Agraulæ, Diomedis, unum enim trium fuit, Diomedi homo immolabatur, qui ab adolescentibus ter circum aras ductus, tandem a sacerdote hasta percussus, & in rogo impositus cremabatur.*

CAP. VI.

Templorum census annui, Capitolii vectigal. Operarii Templorum. Census Templorum ex qua stipe? Colacritæ & Mithragyrtes quinam dicti? Romanorum & Græcorum pecunia publica & privata ubi asservata? Pontifices & Collegia omnia suum ærarium habebant. Fiscus quid? Arcarii quinam? Pecunia Pontificum unde collecta? Ipsius Curatores qui, & quid agerent? Stipes ex Oraculis. Thesauri in sepulcris, ut & in puteis conditi. Cimeliarchus quis? Pecuniæ sacculi annulis obsignati, ut & cibi, salinum, & borrea. Litigantium mos. Formulæ forenses explicatæ. Prytania pecunia quæ?

Sponsio quid differt a Sacramento? Pecunia sacra cui usui destinata? Ejus defectus qui sarcitus? Litis æstimatio quæ & quanta? Æditiuis creditæ tabulæ, & Vestalibus testamenta Principum. Apud easdem a peregrinis pecuniæ depositæ. Pecuniæ in sinu Deorum positæ. Pedissequi dominorum pecuniam gestabant. Phœnices cum crumena Deos fingebant. Qui non erant solvendo, crumenam vacuam præferebant.

CAPITOLIUM primum, & cætera Templa apud Ethnicos, vectigalia & census annuos, ad tutelam, ornatum, restaurationem, habuisse verisimile duco. Ex quo nostra consuetudo invaluit, ut Ecclesiæ operas habeant; & hinc vulgo *Operarii sacri*. Colligo id ex Seneca Philosopho, qui *Consolatione ad Helviam* cap. X. ita scribit, de gulosissimo Apicio loquens; *Cum sestertium millies* (duos milliones & semis) *in Culinam congessisset, cum tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus*, &c. Notat & probat auctoritatibus Turneb. *Adverſ.* lib. XI. cap. II. non tantum Romæ fuisse Capitolium, sed etiam Pompeiis in Campania, Capuæ, Narbonæ, & in multis municipiis, & coloniis, imitatione Romani.

Hi census & reditus constituti e stipe collecta in thesauris. Idem Seneca *epist.* CXVII. *Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspensis, nec in thesauros stipe infusa, sed pia & recta voluntate.* Varo *de L.L.* aperte, *Diis cum thesauris assem dant, stipem dicunt.* Seneca *de Beneficiis* lib. VIII. cap. IV. *Omnia Deorum sunt, tamen Diis posuimus donum, & stipem jecimus.* Hunc morem imitantur arculæ præ foribus nostrorum templorum affixæ, *Gazophylacium* Judæis dictum. Sacram stipem potissimum colligebant Sacerdotes Matris Deum. Ovidius.

Ante Deum Matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget?

Gallis Matris Deum licebat stipem a populo poscere lege a Metello lata. Causam scribit Ovidius his versibus:

—— dic, inquam, cur stipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos stipis inde manet.

Cicero in severissimis illis, & sanctissimis legibus sic jubet: *Præter Idææ Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.* Rationem addens, inquit: *Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus.* Unicuique Deo agri aliquot jugera assignata refert Suidas, e quorum locatione sumptus fiebant in sacrificiis; neque enim e religione, sed locatione rem divinam faciebant, fol. 118.

Colacritæ dicti olim, qui pecuniæ præerant ad res divinas erogandæ, & custodes pecuniæ judicibus distribuendæ: *Mithragyrtes* dictus sacris Phrygiæ Deæ initiatus, qui stipem cogebat canens, ac tympana gestans Matri Deum.

Nec tantum pecunia sacra in Templis, sed & profana, tam publica, quam privata. Ideo Romani in Saturni templo pecuniam asservabant, ut a me alibi notatum; Græci vero, referente Cæsare *de Bello Civili* III. in Dianæ Ephesinæ. Pausanias in *Atticis*; *Delphos etiam ipsos, penes quos erat sacrata Deo pecunia*, &c. Æmilius Probus in *Annibale* calculum addit; *Itaque capit tale consilium, amphoras complures complet plumbo: summas operit auro & argento, has Gortyniis præsentibus deponit in templo Dianæ, simulans se suas fortunas illorum fidei credere.* Item in *Aristide*: *Ejus arbitrio quadringenta & sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata; id enim commune ærarium esse voluerunt.* Thucydides *lib.* 1. *Ταμεῖον Δῆλος ἦν αὐτοῖς, καὶ ξυνόδοι ἐς τὸ ἱερὸν ἐγίνοντο; Ærarium eis erat Delus, & conventus in eo templo fiebant.* Privatæ etiam pecuniæ templis commendatæ, quod & sacra, & profana Historia testatur. Sacra II. *Machabæorum* cap. III. de pecuniis & ærariis in sacro templo Hierosolymitano repositis: *Nunciavit*, inquit, *pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Hierosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum.* Et paulo post: *Tunc summus Sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum: quædam vero esse Hircani Tobiæ viri valde eminentis*, &c. Legatur totum illud caput, & alia. Sed apud profanos hoc idem usurpatum vides. Plautus in *Bacch.* Act. II. Scena III.

Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus,
Qui illic Sacerdos est Dianæ Ephesiæ,

Et deinceps:

Quin in ipsa æde Dianæ conditum est,
Ibidem publicitus servant.

Juvenalis *Satyra* XIV.

—— Et ad vigilem ponendi Castora nummi.

Cæsar lib. I. *Belli Civilis*: *Arma imperantibus a municipiis exiguntur, & e fanis tolluntur.* Cicero V. *Ad Atticum*, epist. ultima: *Ut in fano deponerent* CC. *talenta, non concessi.* Et in lib. *de Legibus*: *Sacrum, sacrove commendatum, qui clepserit rapseritque, parricida esto.* Et alibi clarius: *Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur. Et Atheniensis Clisthenes Junoni Samiæ civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit.* Herodianus etiam in *Commodo* Templum Pacis commemorat, improviso incendio consumptum, & ingenti multorum jactura, qui eo divitias suas congesserant,

Pontifices, & Collegia omnia habuisse non solum pecunias, Cajus J. C. tradit; verum etiam arcas, & ærarium, seu fiscum. Fiscum enim Pontificum reperio fuisse eam pecuniam, quæ pœnæ nomine arcæ Pontificum inferebatur. unde Præfecti ærarii, Quatuorviri scilicet, *Arcarii* vocabantur, qui erant Curatores ærarii Pontificum. Ærarium autem continebat certas possessionum sacrarum pecunias, quæ ex illorum prædiis & reditibus cogebantur. Præterea Pontifices locabant eadem prædia, pecuniam tractabant, exigebant, rationemque accepti & expensi conficiebant. Tota igitur hæc pecunia vel erat mulctatitia, vel cogebatur ex prædiis & reditibus. Suetonius in *Augusto* cap. XXX. *Ædes sacras opulentissimis donis adornavit, utpote qui in cellam Capitolini Jovis* XVI. *mille pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties sestertium una donatione contulerit.* Idem *ibidem* cap. LVII. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant. Item Kal. Jan. strenam in Capitolio etiam absenti, ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicavit.* Cicero I. *de Legibus*: *Ad hæc stipes collectæ ex Oraculorum responsis.* Lucianus in *Jove confutato*: *Quare non video, quam ob rem & mercedem exigatis propter vaticinium*: alloquitur enim Cyniscus Jovem. Thucydidis Scholiastes: Ἔθος γὰρ τοῖς παλαιοῖς χρήματα κοινὰ ἐν τοῖς ἱεροῖς ταμιεύειν. *Mos antiquis facultates communes in templis reponere.* Ita Plutinus Euclio Fidei fano suam ollam auri plenam commendavit. Aliaque ea de re loca sexcenta apud alios extant.

Thesauros olim etiam in sepulchris conditos colligimus ex Virgilii *Æneidos* V.

—— veteres tellure recludit
Thesauros, &c.

Ita Homeri Scholiastes *Iliad.* III. κειμήλια *monumenta* explicat. Inde Græcis κειμηλιάρχος, *Thesauri custos*. Terentius in *Eunuchi Prologo*:

—— *Unde is sit thesaurus sibi:*
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
Plutarch. in *Pyrrho: Galli autem, gens avidissima, regum ibi humatorum aggressi sunt monumenta aperire, thesauros diripuerunt, reliqua cum ludicro dissipaverunt*, &c. Hi thesauri aliquando cum inscriptione. Idem in *Lysandro*: *Acanthiorum Delphis thesaurus hanc habet inscriptionem, Brasidas, & Acanthii de Atheniensibus*, &c. In Dianæ templo apud Ephesios pecuniæ non civium tantum, sed & externorum custodiæ causa deponebantur, quas idcirco obsignatas offerebant, colligitur ex Dion. Chrysostom. *Orat.* XXXI. ut notat Novar. *Sched.* libro III. capite XXIII. Postea hoc lege abolitum, ne ulli liceret una cum mortuis pecuniam sepelire. Deposita demum pecunia, & pretiosiora quæque in puteis. Clarissime Q. Curtius *l.* II. *Cumque post id eam posceret pecuniam, solum a muliere ad puteum se ductum fuisse, in quo diceret pretiosiora rerum suarum occultari*, &c. Dracones incubantes thesauris eosque custodientes finxit Antiquitas: dicti enim sunt ἀπὸ τῦ δράκειν, quod est *videre*, quia clarissimam habent oculorum aciem, pomaque aurea Hesperidum custodiebant. Ideoque Æsculapio attribuuntur, quod vigilantissimi putantur, quæ res Medicinæ maxime necessaria est, Festus.

Pecuniæ sacculi anulis obsignati. Apulejus l. X. *Metam. Ne forte aliquis istorum, quos offers, aureorum nequam, vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo conditos eos anulo tuo prænota, donec altero die numulario præsente comprobentur.* Hic anulus erat, credo, ferreus, ut colligitur ex eodem Apulejo: *Anulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt.* Antiquissimum vero ritum signandæ pecuniæ in sacculis Plutarchus refert de Lysandro, sacculos pecuniæ obsignatos tradente Gylippo.

Cibi etiam anulo obsignati, ne subriperentur, ut habent Plinius *libro* XXIII. *capite* I. & Clemens Alex. *Pædag.* lib. XXII. capite XI. qui asserit, anulum mulieri datum, non ad ornatum; sed, ut eo res obsignarentur. Salinum cum sale servis obsignatum Plautus in *Persa* ait, Act. II. Sc. III.

Nam id demum lepidum est, triparcos homines vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Horrea divites obsignabant, & sordidi raphanos, ut observat Theophrastus de obscœnitate hominis obsoletissimi.

Sed ad rem. Alium ritum lego litigantium. Qui apud Pontificem certam nummorum summam deponebant pro litis qualitate, quam nummorum summam, eo quod in sacro reponerent, *Sacramentum* appellabant. Testatur id M. Varro lib. IV. *de L. L.* in fine non obscure: *Ea*, inquit, *pecunia, quæ in judicium venit in litibus, Sacramentum a sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quingentos æris ad Pontificem deponebat. De aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat suum Sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibant.* Hinc illæ forenses Formulæ, *Sacramento certare, contendere*. Polluce vero teste, Παρακαταβολὴ dicebatur *mulctaticia, depositaque pecunia*, quæ sponsione facta apud acta deponitur, pœnæ nomine temere litigantis, quæ in rei privatæ controversia decima pars erat æstimationis; in Reip. quinta. Hanc τὰ Πρυτανεῖα dicebant Græci, Latini *Sportulam*. Tam enim Actor, quam Reus in Prytaneo deponebant, at in translatione, atque in provocatione ad aliud judicium ab appellatore tantum deponebatur. Unde, παρακαταβαλεῖν, est *justo Sacramento*, vel *Sponsione contendere*. In Sponsione tamen satis erat, interposita stipulatione, & satis de lato

A pecunia mulctaticia cavisse; in Sacramento vero ipsam utrinque deponere necesse fuisse declarant M. Varronis illa IV. *de L. L. Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus utrinque quingentos æris ad Pontificem deponebant: de aliis rebus item certum alium legitimum numerum assium; qui judicio vicerat, suum Sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibant.* Hinc *Sacramento contendere*.

Sacramentum igitur pignus est publicum sponsionis, & ad ærarium redit. In Romano foro *Sportula* appellata, in Atheniensi Πρυτανεῖα: generalis hæc vox pro quolibet sumptu litigantium, peculiariter pro pecunia judicibus pedaneis danda.
B Hoc tamen fuit discrimen inter sportulas & Πρυτανεῖα, quod illæ sine circuitu dabantur judicibus pedaneis a litigantibus: hæc publico præstabantur, ut inde sumerent judices, Casaub. *ad Athen.*

Hæc stipes, seu pecunia sacra apud Pontifices deposita, usui rerum divinarum sacrificiorumque destinata: cujus penuria si laborassent, aliunde corradebatur, nempe ex consecratis Damnatorum bonis, quæ possessiones sacræ dictæ, quod earum reditus sacris addicti; & necessitate urgente a privatis corrogabatur ad sacrum ærarium sublevandum. Cum tempore vero, quia maxima
C sacrorum multitudo eousque increbuit, ut nec publicum nec privatum sufficeret ærarium, imo exhauriretur, Nervæ Imperatoris edicto cautum, ut numerus sacrorum imminueretur ad publicum sacrumque erarium restaurandum.

Alium litigantium morem in Plutarchi *Erotico* lego his verbis: *Cæterum sicut in Ægypto aliquando vidi vicinos duos litigantes, cum serpens arrepsisset, ambos eum Bonum Genium vocare, ita quidem, ut sibi uterque vindicaret*, &c. Quanta vero litis olim æstimatio foret, Dionysius his verbis docet *lib.* X. *Litis vero æstimationem placuit statuere, non capitale supplicium, neque exilium, neque, ali-*
D *quid aliud invidiosum, ne hoc ipsum illis salutem afferret; Sed bona eorum Cereri dicare voluit, quæ pœna omnium mitissima, lege præscribebatur.* Litis æstimatio est, rei, quæ in controversiam adducta est, una cum eo, quod propter eam actoris interfuit, in certam pecuniæ summam redactio. Ejus autem duæ sunt partes: æstimatur enim primum quanti res est, deinde quanti actoris inter est; quanti autem res est sic æstimatur, ut verum rei pretium exquiratur: id autem, quod inter est actoris, duabus constat rebus: nam & damnum propter rei culpam, dolumve acceptum, & lucri amissi ratio ducitur. Videndi hic Jurisperiti.
E Credebant insuper Æditorum fidei, & commendabant pactionum, fœderum, contractuum testamentorumque Tabulas omnes, quæ in Deorum delubris custodiri solebant, ut in *l.* 3, §. *de tabulis exigendis* Ulpianus asserit *l. Custodiam testamenti Æditus suscepit*: Cui subscribit Papinianu in *l. Cum pater* 77. §. *donationis* 26. *de legat.* 2. *Donationis prædiorum epistolam ignorante filio, mater in æde sacra verbis fideicommissi non subnixam deposuit, & litteras tales ad Æditum misit*, &c. Sed majorem Vestalibus Virginibus fidem fuisse adhibitam, & præcipue Maximæ Virgini, quæ aliis præerat, & cæteros Sacerdo-
F tes omnes dignitate præcellebat, reperio. Imperatores quippe ipsi, & alii principes viri sua Testamenta illis credebant. Unde Suetonius in *Julio* cap. LXXXIII. *Postulante ergo L. Pisone socero, testamentum ejus aperitur, recitatumque in Antonii domo, quod Idib. Sept. proximis in Lavicano suo fecerat, demandaveratque Virgini Vestali Maximæ.* Tacitus in I. *Annalium* de Testamento Augusti loquens id plane affirmat. Apud Vestales depositas opes, non a Civibus modo, sed a Pere-

grinis etiam refert Plutarchus in *M. Antonio*: *Quippe non tantum proscriptorum subhastaverunt bona, circumvenientes insuper calumniis necessarios & conjuges, neque solum omnis generis moverunt vectigalia: verum etiam, ut compererunt apud Virgines Vestales quædam a Peregrinis, & Civibus deposita, illuc profecti, ea abstulere.* Tabulas quoque apud easdem depositas, licet per Auctores a nobis in medium allatos pateat apertissime; non pigebit tamen Plutarchi in *Antonio* locum subnectere: *Tabulæ depositæ apud Virgines Vestales erant, quas poscenti Cæsari denegaverunt illæ tradere: si accipere vellet, ipse veniret, mandaverunt*, &c. Pecuniam vero depositam in sinu Deorum, eamque inventam post longum tempus, docet Athenæus *lib.* I. de quo Polemo ad statuam Cleonis.

Pedetentim a publica ad vernaculam stipem refero pedem. Pedisequi dominorum pecuniam gestabant, quod & a principibus viris observatum vulgo jam video. Apulejus in *Apologia* indicat his verbis: *Unum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem Philosophum, quem se a pedissequo in stipem Apollonii accepisse Cato confessus.* Respicit ad priscum morem, quo viri honesti per urbem incedentes pecunias secum non gestabant: quod si quicquam ad manum habere volebant liberaliter, pedissequorum comitantium id munus erat. Ita apud Plautum Menæchmus alloquitur servum Messenium, *Cede mihi marsupium*: & apud Auctores alios non uno in loco. Phœnices Deos suos fingebant cum crumenis & marsupiis, quod nullum majus æstimarent divinitatis symbolum, quam pecuniam, ex quo, & Mercurii statua (ut notat Caussinus) videbatur Constantinopoli sacculum gestans. Petronius concludit,

Multa loquor, quidvis nummis præsentibus opta,
Eveniet, clausum possidet arca Jovem.

Tyrrhenorum mos perelegans, & dignus, qui his adnectatur. Qui solvendo non erat, cogebatur pueros secum adducere marsupia vacua præferentes per ludibrium, Heraclides in *Politiis* Latine: *Si quis debito obnoxius, solvendo non sit, insequuntur eum pueri vacuum gestantes marsupium, in ejus contumeliam.* Alioquin crumenam collo appensam deferre solitos antiquos innuit Plautus in *Truc.* Act. III. Sc. I.

Homo crumenam sibi de collo detrahit.

CAP. VII.

Simulacra Deorum præ foribus Templorum posita. Hermæ qui, & quibus positi? Alexicacus & Agyieus qui? Lares Viales qui? Apollo Agyieus unde dictus? Idem cur Προςατήριος? *Triviæ Deæ statua ante fores collocata. Bascania quid? Limina a quibus salutata. Eliminare unde dictum? Lares etiam salutati. Limentinus & Forculus Dii qui. Limen a sponsa calcari nefas. Postes ædium sacri, ornati & uncti. Ædes cur carbone notatæ? Per fores qui non admissi? Lares & Penates ubi locati? Salutandi ritus varii. Dextræ contactus pacis symbolum. In salutando aures prehensæ. Salutationes cum osculis. Osculatio adorationis genus. Genæ osculatæ quando? Ludi osculorum apud quos? Partes corporis Numini consecratæ. Juramentum inter salutandum.*

SIGNA collocata olim in portis urbium: quæque salutabant, & qui peregre proficiscebantur, & qui peregre redibant. Lucr. *lib.* I.

—— Tum portas propter, abena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.

Collocabant & patroni statuas in figuram & formam suam conformatas pro valvis ædium sacrarum, ut eas clientes venerarentur & oscularentur, si quando illi sui copiam facere non possent. Alciat. *Parerg.* VIII. cap. X.

Præ foribus templorum & gymnasiorum simulacra Deorum posita, supra a me indicatum. Nunc vero etiam ædium privatarum prædico, idque ex Athenæo: *Sed,* ἐπὶ τῆ αὐλῆς, *id est, in primo domus limine, Mercurii simulacrum positum.* In primo domus adito sub dio apud Athenienses præcipue. Ælianus II. *Var. Hist.* cap. XLI. καὶ τὸ στέφανον, &c. *& coronam sumens, cum reverteretur a cœna Mercurio imposuit, qui stabat ante fores secundum consuetudinem.* Æmilius Probus in *Alcibiade*: *Accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis Hermes vocatus.* Hermæ aliquando erant aggestus lapidum, quibus desuper inserta Mercurii statua, pars inquam suprema ab umbilico usque ad caput. Aliquando erant lapides quidam quadrati in triviis, supraque illos caput Mercurii, nihil aliud. Hi lapides positi viris principibus ad nominis memoriam; mutatis tantum capitibus; & hos lapides hodie Romæ & in Græcia videre est. Juvenalis *Sat.* VIII.

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.

Hermæum, primitiæ dicebantur, ad statuas Mercuriales in viis collocatæ, quas viatores ederent: itemque acervi lapidum Mercurio sacri in viis obscuris. Suid. CCCXXV. Statuæ istæ dejectæ una nocte Athenis ab Alcibiade periculum illi attulere, vide Plut. & Thucyd. Tertullianus: *Quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostant.* Loquitur de Pallade, & Cerere. Alexicaci dæmones, ut notat Rhod. *lib.* I. *cap.* XXXII. a Veteribus dicebantur, qui nocumenta & diras arcere amolirique existimabantur, qui & Apotropæi, Apopompæi, Lysii appellabantur, & Phyxii.

Herculem alii etiam oppositum volunt, quem Alexicacon dixere; sed & Alexicacon dictum reperio Apollinem ante ædes positum. Pausanias in *Atticis*: *Pro foribus vero Apollinem unum Leochares, alterum Alexicacon cognomento (quod est, ac si Averruncum dixeris) fecisse dicitur.* Alibi dicit: *Lapides fuere in gymnasio, Hermæ nominantur* &c. In *Messen.* Mercurii, Herculis, & Thesei ponit signa gymnasiorum. Unde dictus etiam Agyieus, nam ἀγυιεὺς dicta columna ante fores posita Apollini, sic ἀγυιάτιδες θεράπαιναι, aræ præ foribus in gratiam Agyiei Apollinis erectæ.

Lares Viales Plaut. in *Merc.* intelligit Deos, qui viæ præsunt, ut sint θεοὶ ἐνόδιοι, quos invocare solent, qui peregre proficiscuntur & ad viam se accingunt, quo etiam cognomento colebatur Mercurius. Erat & Apollo Agyieus, sed is a viis urbis nomen habebat, cum vero mala depellebat, dicebatur Alexicacus. Horatius *lib.* I. *sat.* IX.

Sic me servavit Apollo.

Idem lib. I. *Carm.* od. XXI.

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, & Principe Cæsare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Apollinem hac de causa dictum volunt ab ἀπαλλάττειν, id est, ab abigendis malis, & expellendis morbis a domibus. Plautus *Aulul.* Act. II. Sc. VIII.

Apollo, quæso, subveni mihi, atque adjuva
Confige sagittis fures thesaurarios,
Qui in re tali jam subvenisti antidoto.

Hunc invocabant in salutem & sanitatem familiæ. Plautus *Merc.* Act. IV. Sc. I.

Apollo quæso te, ut des pacem propitius
Salutem, & sanitatem nostræ familiæ.

Quare merito dictus προςατήριος, quod ante fores statueretur, ceu patronus, cujus statuam ante ædes consecratam ponebant. Thebanos autem ante

ædes

A ædes Triviam posuisse monet Plutarchus in *Apophth.* de Epaminonda, his verbis: *Irridens Chabriam apud Corinthum, Thebanos paucos sub ipsos muros occidisse, ait, non trophæum, sed Triviæ statuam stare.* Solent enim Triviæ statuas ante portas in triviis ponere, hinc Trivia dicta. Ovidius *Fastorum* I.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servat ut in ternas compita secta vias.

Bascania, erant ridicula quædam a fabris ferrariis ante fornaculam appendi solita invidiæ avertendæ gratia.

Sed priusquam ab his ædibus discedam, in limine consisto; ipsum ostii limen tango, (ut pro-
B verbio fertur) ut notem limina salutata ab iis, qui domum perpetuo sunt relicturi; nos vero Etrusci dicimus exosculari repagulum, quod inde emanavit. Plautus *Merc.* Act. v. Sc. I.

Limen superum inferumque salve, simul autem vale;
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.

In primo templorum aditu maximus olim ornatus, quia ibi numen inesse credebatur, & religiosa dicta Deorum limina, ad quæ olim confugiebant, ipsos postes amplexantes, osculantes, ibique si opus esset pernoctantes. Hinc illa consue-
C tudo Romanorum, ut nemini liceret primum limen pedibus terere, vel etiam summis vestigiis contingere: transiliendum limen erat, si quis vellet ad aras pervenire. Catullus: *Transfer omine cum bono limen egregios pedes.* Ideo merito in extremas plagas abituri illud salutabant. Mendoza. Hinc dictum eliminare, extra ædes ejicere, & ad limina servus, & similia.

Salutati etiam Dii Lares, ut noto ex Plauti *Milite Glor.* Act. IV. Sc. VIII.

Etiam nunc saluto te, familiaris, (id est, Lar) *priusquam eo.*

D Prisci siquidem Romani religionis aliquid liminibus & postibus tribuebant: liminum præsidem finxerunt Limentinum Deum, sicuti forium Forculum, sive Forensem, januæ Janum: & sicuti urbium atque templorum portæ, ita ædium privatarum januæ sacræ, religioseque cultæ, quapropter limen calcari, in ingressu domus mariti, & egressu suæ a nova nupta nefas putarunt. De postibus hæc Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* V. scribit: *Prædones quosdam cum a Scipione Africano foribus reseratis intromissi fuissent, postes januæ tanquam religiosissimam aram veneratos fuisse.* Virgilius *Æneid.* II.

E *Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.*

Apud Poetas passim amatores dant postibus serta, & novæ nuptæ mariti domum intrantes laneis vittis & oleo ungebant, unde dictæ uxores, quasi unxores, & Juno Unxia.

Ex veteri more etiam, si quid placeret, aut odiosum esset in ædibus alicujus, solebant id vel commendare creta, vel infamare carbone in parietibus ædium descriptis versibus aut decantatis. Plautus in *Merc.*

Occentent ostium, impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.

Catullus:

F *—— Namque totius vobis*
Frontem tabernæ scipionibus scribam.

Unde *ædificia caccabata versibus*, IV. *Dig.* V. ut optimæ Cerda *Adverf.*

Cur autem peregre, falso mortui renunciati reversique, per fores non admitterentur, sed per impluvium, lege Plutarc. *Probl. Rom.* V. Causa potissima tantæ religionis hæc, quia post ostium, & postes, Lares, & Penates collocati, ut felix & faustus egressus esset.

De salutationibus quædam ad hanc rem non potrita ex variis auctoribus scripta ad hunc locum illustrandum, tibique gratificandum proferam. Salutationes variæ (ut dictum) capite operto Diis, hominibus autem aperto, & operto; manibus quoque salutatione, & supplicatione factæ. Plinius *lib.* XXXVIII. *cap.* II. *In adorando dexteram ad osculum referebant, totumque corpus circumagebant, quod in lævum Galli majore cum religione se facere putabant.* Apud Persas honoris genus erat, coram digniore in *Coras*, hoc est, vestium manicas, manus immittere, authore Rhodigino *lib.* VII. *cap.* XV. Genuflexio, sive geniculatio, γονυκλισία, salutatio honorifica habita, tum apud sacros tum apud profanos auctores: item totius corporis prostratio, & salutationes cum contactu, seu osculo plerumque factæ. Et pimo ex Homero percipio, moris fuisse salutantium attingere mentum salutati, & caput, humerosque osculatos, item oculos, & manus, quæ & simul apprehendebantur; ideo M. Livius & Claudius Nero Coss. redeuntes victores Romam de Hasdrubale ad Metaurum, universa multitudo non solum eos salutavit, sed dexteras etiam victrices, quæ P. R. salutem peperissent, osculati sunt Cives. Plautus in *Amphtruone*:

Mi vir, & manum prehendi, & osculum detuli tibi.

Et sane dextræ contactus semper pacis symbolum. Virgilius *Æn.* VIII.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Dextras tactas in gaudio notat Plutarch. in *T. Q. Flaminio*, his verbis: *Nemo intentus ludo fuit, omnes maturaverunt exilire, pronunciari enim Titus per præconem Græciam liberam jusserat, dextram contingere, & appellare Græciæ servatorem, mc.*

De genuum prehensatione, quod erat ingenicularі in salutando, idem Virgilius.

Et genua amplexus genibusque volutans.

Pedum exosculatio Judæorum & Christianorum propria.

Alium salutandi modum parentum, vel amantium reperio; auribus dumtaxat salutati apprehensis utraque manu ab osculante, quæ dicitur χύτρα, seu *olla*. Julius Pollux *lib.* X. *Ollam prehensis osculator auribus.* Plautus in *Pœn.*

Sine te exorem, sine te prehendam auriculis, sine dem suavium.

Et alius:

Et fœtus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprehensis auribus eripiet.

Ægyptii (ex Herodoto) loco se mutuo compellandi in viis adorant, genu tenus demissa manu. Græci ἀσπασμὸν, *salutationem* vocant, cum scilicet dextram dextræ jungimus. Vulgo χαίρειν, id est, *gaudere*, epistolis præfixum, Platoni usitatum εὖ πράττειν, Aristoteli ὑγιαίνειν, Isocrati χαίρειν. Romani suis nominibus quemque reverenter salutabant, sacerdotibus pedes osculabantur.

Osculatio adorationis genus fuit. Pedum ac genuum amplexatio supplicem animum & parentem jam ab Heroum temporibus indicavit. Unde Hom. *Iliad.* ult. Manibus Achillis genua cepit, & genua osculatus est; genua tua amplector Achilles. Primus omnium pedes suos, genuaque præbuit ad oscula Caligula, tum Maximini filius, denique Diocletianus, Dione referente. Mos ex eo fortean ortus, quod prisca superstitio Deorum pedes aut manus osculabatur. Cic. *in Verrem*: *Os Diis venerabundi osculamur, aut manus, aut pedes.* Ideo sanctos illos viros Petrum, Clementem, Cletum numinis pene loco habitos adorabant, eorum manus pedesque osculando. Igitur nil mirum si Sacerdotibus manus,

& Sacerdotum Pontifici summo etiam pedes osculamur, vicem Christi referenti.

Romanos principes peregre profecturos, & mox urbem repetentes consueto more Senatores osculo excipere solitos testatur Cælius. Iisdem milites dextras victrices deosculabantur.

Apud Persas amici sese osculo invicem excipiebant, ex Xenophonte, & Herodoto; quod si alter paulo fuerit humilior, genas dumtaxat osculatur: sin multo inferior dignitate, prostratus adorat honoratiorem. Apud Lacedæmonios oscula non modo concessa, sed etiam propositi ludi, & præmia iis, qui seniores lepidius suaviarentur. Nisæorum id inventum, & a Megarensibus etiam in honorem Dioclis servatum. Vide Rhodiginum *lib.* XV. *cap.* VI. Cur vero Romani mulieres, cognatos suos osculo salutarent, vide Plut. *Probl.* VI. & alios de osculis: Physici dicunt, singulas corporis partes numinibus consecratas, ut aures Memoriæ, frontem genio, dextram Fidei, genua Misericordiæ, de quibus lege Alex. ab Alex. & alios. Salutantes in congressibus addebant jus jurandum; ut serio se hoc fecisse ostenderet Plautus:

Ita Ædepol, salve Callicles,

Minitantes ita jurabant ex ejusdem *Menæch.* Act. III. Sc. II.

Non Hercle is sum, qui sum, ni hanc injuriam,
Meque ultus pulchre fuero.

CAP. VIII.

Christophorus præ foribus Templorum cur & quomodo appictus? Mercurius cur Malevolus *dictus? Deorum varii situs. Antelii qui? Hermeraclea, & Hermathena, quænam statuæ? Scholæ Philosophorum Templa Scholares qui? Et a quo instituti? Institutio puerorum apud Græcos. Scholarum Feriæ quando? Amores præsides Academiæ. Herculis simulacrum cur in Dromo? Dianæ Signum in Gymnasiis. Portæ urbium Signis Deorum decoratæ. Critbologi quinam? Patronorum statuæ ubi collocatæ? Primitiæ quibus dicatæ? Mensæ Deus Epitrapezius. Gladiatores sub cujus Dei tutela? Quinam Dii Theatro, Circo, & Palæstræ præessent? Aræ cum ollis dedicatæ. Ollæ Extares quæ?*

PRÆ foribus templorum Mediolani & alibi plerumque D. Christophorum, Christum ferentem, appictum reperiri, probe, si quis alius, tenes, qui Templi hujuscemodi tutelæ apud tuos præes. Historiam istam non libo, ne in alienam segetem falcem meam immittam. Appingitur autem forma altiore, quam cæteri homines; an quia creditus gigantea magnitudine fuisse; ego vero ritum altius indagare studeo, collimabo ad scopum, alii fortasse ferient. Hunc loco Herculis a piis Christicolis appictum opinor, ad Ethnicam superstitionem Herculis abolendam paulatim, ne statim (quod perdifficile) eraderetur, similemque illi affinxere. Prisci enim foribus templorum Herculem custodem posuerunt, quem vocabant *Alexicacon*, hoc est, *malorum depulsorem*, quibus per eum Antistitem sacrum quasi lustraretur.

Ideo Minerva dicta Πυλαῖτις, *portas custodiens*, quia in portis urbium pingebatur, ut notat Lexicon. Quin etiam & in ædium januis veluti in suburbiis Mars: ea scilicet ratione significantes in urbe & ædibus prudentia opus esse, foris vero ut quæ essent, armis belloque defenderentur. Festus scribit, referente Gyraldo, Mercurii Malevoli signum sive statuam ita appellatam, quod in nulla taberna spectaretur. Hermas siquidem virtutis ergo publice privatimque Athenienses dilargiebant. *Agyias*, ut ait Suidas, erat statua Mercurii, vel Apollinis, in via posita, sine manibus & pedibus. *Agyieus* dictus Apollo a viis. Sunt qui columnam erectam in ejus Dei honorem *Agyiea* vocent, aras quoque *Agyiatidas*. Ridiculum subnecto ritum ex Juvenalis *Satyra* XI.

Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.

Nudatum siquidem prisci cute caput aselli suspendebant in agris, quia putabant, ex prisca disciplina Hetrusca, incommoda agrorum arceri posse, unde Columella de cultu agrorum.

Tunc caput Arcadici nudum cute fertur aselli,
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

In vestibulis vero ædium privatorum apud Romanos Vestæ simulacrum stabat, ut apud Athenæum Mercurii, ex Dempstero. Hic ritus ponendi Herculem præ foribus ex prisca religione manavit; nam huic sacra extra urbem etiam facta, quia fuit pene semper peregrinus. Ideo Plutarchus in *Rom. Quæst.* ait, pueros juraturos per Herculem, exire sub dium, non enim indigena hic Deus, sed peregrinus. Aristidis oratio, *Hercules peregrinorum primus initiatus est*. Plutarchus in *Vita Niciæ* meminit templi Herculei, quod extra urbem esset, & in *Vita Themist.* addit, *Gymnasium Herculis, quod esset extra urbem*. Athenienses præ foribus columellas & obeliscos consecrabant. Legimus, statuisse *Græcos Apollinem θυραῖον, & Antelios Dæmones ostiorum præsides*. Antelii dicti, quasi contra solem positi in foribus. Nec solum Hercules templorum foribus præfixus, verum etiam gymnasiorum, una cum Mercurio, ut passim testantur Græci, M. Tull. *ad Atticum* Hermeracleam, id est Mercurii & Herculis statuam, appellat, & potissimum meminit Hermathenæ, id est, statuæ Mercurii & Minervæ, quam statuam lib. I. *ad Atticum* epist. XI. ornamentum Academiæ proprium nuncupat; nam eloquentia cum prudentia semper conjungenda. Athenæus *lib.* XIII. in principio hoc docet: *Mercurioque simul & Herculi statuam posuerunt; illi, ut orationis & facundiæ; huic, ut roboris & virium præsidi; ut his in unitatem coactis amicitia & in rebus gerendis consensio vigerent, quibus adeptis libertas invalescit.*

Schola olim pro templo habita. Hinc Dii præsides, Mercurius, Minerva, & alii. In templum nemo olim ingrediebatur profanus, aut non initiatus. Unde inscriptum in aditu templi Æsculapii Epidaurii, *Esse decet castum, sancti qui lumina ingreditur templi*. Sic Philosophi veteres a scholis suis tanquam a templis & mysteriis abigebant illiteratos: hinc scholæ Pythagoræ inscriptum:

Cantabo doctis, age, vanis claudite portas.

Et Platonis ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, *expers Geometriæ ne ingreditor*. Neander in *Phocylid*.

A schola Scholares dictos quidam putant. Lego tamen in *Glossario* Meursii Scholares fuisse tanquam custodes Imperatorum, & noctu atque interdiu in aula versabantur, magnificentiæ & ornatus causa comitantes, in publicum prodeuntes, ut colligitur ex Agathia *lib.* VI. Et primitus quidem hic ordo dabatur solis militiæ peritis exercitatisque præmii loco. Postea vero cum Zeno Isaurius quibusdam suis familiaribus dedisset, quorum nulla virtus, aut meritum, nundinatio irrepsit, & ignavissimus quisque hunc honorem emit. Cedrenus auctor est institutos eos a Gordiano, & candidati eligebantur e scholariis ætate vigentes & robore, ut hosti essent terribiles ex aspectu; candidati enim militum erant genus. Horum Scholæ duæ, una juniorum, altera seniorum. Scholasticum vero vocabant advocatum. & patronum causarum, Suid. Sophocles Amphiclidæ filius le-

gem Athenis promulgaverat, (referente Laertio in *Theophrasto*) ne Philosophus scholæ præficeretur, nisi id Senatus, populusque decrevisset: qui secus fecisset, ut ei capitale esset. Itaque & Theophrastus, & Philosophi reliqui urbe secesserant. Sed a Philone dies ob id Sophocli, cum sequenti anno, quo abierat Præfectura, dictus esset, Athenienses lege abrogata Sophoclem quinque talentis multaverunt, &, ut Philosophis redire ac scholam regere liceret, decreverunt. Tanta dignitas erat Præfectorum scholarum, non tamen ii passim & temere lecti, ut nunc.

Apud Athenienses & Græcos fere omnes in more positum, ut liberos, si facultates permitterent, tribus præsertim exercerentur institutionibus, Literis nimirum ad mores informandos pro Republica capessenda, Musica ad graviora studia permulcenda, Palæstra ne delicatior cultus corpora molliret. Colligitur ex illo Terentiano *Eunuch.* Act. III. Sc. II.

—— Fac periculum in litteris,
Fac in palæstra, in musica, quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

Addo obiter scholas cessasse a mense Julio ad Octobrem usque, uti a Saturnalibus, & Minervalibus, & aliis feriis per annum, ut plane Martialis innuit *lib. x. epigr.* LXII.

Ludi magister parce simplici turbæ, &c.

In Plinio Secundo *epist.* v. *lib.* III. lego a Vulcanalibus circa Augusti finem cum noctes incipiunt fieri productiores lucubrationes incohoatas ab iis qui tempora sua in negocia & studia dividebant. Clarorum virorum imagines in Museis haberi solitas colligitur ex Synesio in *encomio Calvitii*. *Licet eas intueri, quas in Museo habemus, depictas clarorum virorum imagines;* Diogenes, inquam, illos, & Socrates, aliosque ab hominum memoria sapientes: Calvorum theatrum conventumque esse dicens. Novar. *Schediasm.* lib. IV. cap. IV.

Auctorum imagines, iconesve olim, aut in æde Camænarum, aut in privatis Bibliothecis collocatæ; quare Martialis agit gratias Stertinio in *Dedicatoria lib.* IX. scribitque Epitaphium *epigr.* I. carmen conscribendum statuæ suæ. Hunc morem imitantur multi, & præcipue C. V. Hieronymus Bossius meo-tuus sæculi nostri Varro, Philologus præstantissimus, & supra omnes sciolorum morsus Græcæ Latinæque literaturæ eruditissimus. Argenienses, cum dedicata Minervæ Academia esset, illic Amoris quoque statuerunt imaginem, & simul illi cum Pallade sacrificarunt. Rationem hujus ostendit Athenæus, cum ait: *Amorem Deum auxiliatorem esse in iis, quæ ad civitatis salutem pertinerent. In fœderibus quoque, quæ populi jussu & edicto percutiuntur, Amori plurimus honos tributus, Quare Lacedæmonii ante instructas acies Amori rem divinam faciunt, quod in militarium ordinum amicitia sita victoriæ salus.* Hæc Athenæus *loco* paulo supra *citato*. Plutarch. in *Solone: Fertur quoque Pisistratus amator Charini fuisse, & signum Cupidinis in Academia, ubi ignem accendunt illi, qui sacram facem decurrunt, sacrasse.*

Apud Spartanos in loco dicto *Dromo*, id est, curriculo, seu stadio, ubi cursu se exercebant, simulacrum Herculis positum lego, cui operabantur quotidie, ad robur & fortitudinem impetrandam. Plutarchus in *Pelopida*, amatores fidem ubi darent, ostendit his verbis: *Aristoteles vero, inquit, etiam sua tempestate in Iolai sepulchro amatores inter se fidem dare & accipere solitos fuisse*. Hermes Agoræus, ut refert Lucianus in Dialogo, *Jupiter Tragœdus*, ad Pœcilen porticum æreus stabat dictus Hermagoras. Dianæ quoque signum reperio in gymnasiis fuisse, ut videre licet in Pau-

A sania *Corinth.* lib. II. *Gymnasium Clibias Sicyoniis exædificavit, in quo puberes hac ipsa etiam ætate erudiuntur. In eo Dianæ signum e marmore pube tenus expolitum, & Hercules inferiore trunci parte, quadratis Mercurii signis persimilis.* An quia pudicitiæ & laboris Diana exemplum? nam ex Horatii *Poetica*:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, &c. *abstinuit Venere, & vino*, &c.

Solebant in portis urbium etiam Veteres aliqua Deorum statuere simulacra, (uti nos quoque) quæ, qui in urbes ibant, ritu quodam religionis, tacta dextera manu, salutare solebant, manuque ad o-
B sculum, ut suspicor, relata osculabantur, vel peregre proficiscentes, vel redeuntes, quod indicat Lucretius:

—— Tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, prœterque meantum.

Non solum in portis & foribus statuæ collocatæ ad religionem ac tutelam, verum etiam ad fascinum avertendum. Hortos & fores, ait Plinius *lib.* XIX. *cap.* IV. contra invidentium effascinationes dicare solebant, & in remedio erant Satyrica signa: etiam Satyricon invidiam pellebat; nam
C quæ turpia erant & ridicula, ad avertendam illam pestem accomodata credebantur. Obtutu & aspectu invidentium obscœnitate & miraculo turpitudinis avocatis, ut refert Plutarch. unde ad eam repellendam de collo puerorum suspendebant amuleta. Varro *lib.* VI. *Pueris turpicula res in collo suspenditur, ne quid obsit, bonæ scævæ causa*. Hinc, Fascinum vocatur pudendum virile, quod fascinum depelleret, quod e collo puerorum suspenderetur, & e curru triumphantium. Et quia invidia & fascinatio, Græce dicta βασκανία, hinc Bascania, vocabantur ridicularia quædam, quæ apud Veteres fabri ferrarii ante fornaculam appen-
D dere solebant, invidiæ avertendæ gratia. Portas urbium ferratas olim, uti & modo, legimus, sed etiam privatorum. Juven. *Sat.* VII.

Ac longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas.

Ideo Camillo objecit Sp. Carvilius quæstor, quod ostia ærata haberet domi, Britan. *ad Juven. Sat.* VII.

Cautio olim fuit apud plerosque, ne per urbis portas, per quas exibant morte plectendi, ac ob id tristes & nefastæ dicebantur, nihil purum aut sacrum ingrederetur. Tangit hunc morem Plutarch. *de Curiositate*, dicens: *Quomodo urbes ha-*
E *bent portas certas nefastas, quibus educunt eos, in quos ultimo supplicio animadvertitur, sordesque & piacula ejiciunt, purii autem vel sanctum nihil ingreditur*, &c.

Minervam ante urbis portam depingebant, ut propterea dicerent eam πυλαῖτιδα. hujus moris meminit Æschyli Scholiastes, Novar. *Sched.* lib. VII. cap. XVIII.

Crithologi erant magistratus apud Opuntios, qui sacris & colligendis primitiis præerant, quasi *hordeologi*, a vetustissimo sacrificiorum ritu, quo hordeo uti solebant, Plaut. *Quæst.*

Collocabant & Patroni statuas, in figuram & formam suam conformatas, pro valvis ædium suarum, ut eas Clientes venerarentur, si quando illi
F copiam sui facere non possent, ut notat Alciatus Παρέργων *Juris* lib. VI. cap. v. & quidem vestibus induta illa simulacra docet Varro: *A quibusdam dicitur esse Virginis Fortunæ simulacrum ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum*: Hæ togæ, vel lapideæ, vel, ut placet Tertulliano, prætextæ, & trabeæ, quæ una cum fascibus & virgis ipsis Idolis præferebantur. Plutarchus in *Theseo*. *Neptunum enim Trœzenii summa religione colunt, & ejus Dei tutelæ eorum civitas dedicata*

est, cui & fructuum primitias deligunt, & insigne in numo tridentem incisum habent, &c. Hæc ille de templorum dedicatione, & de primitiis Patrono libatis.

Mensa etiam suum habuit simulacrum Dei tutelaris, Geniique sui. Ita Herculem Epitrapezium lego in *Sylvis* Statii, qui Vindici fuit,

—— *Caste Genius, tutelaque mensæ*.

Idem de eodem Hercule Vindice:

—— *Pellæus habebat*
Regnator lætis numen venerabile mensis.

Quin etiam Deos ipsos initio mensæ (ut dictum) invocabant. Quintilianus *Decl.* CCCI. *Habuisti honorem, & illud humile limen intrasti, & adisti mensam, ad quam, cum venire cœpimus, Deos invocamus*. Sed de hoc alibi. Gladiatores, qui Saturnalibus festum agebant, Saturni tutelam habuisse quidam opinantur: credo tamen cum eruditissimo Lipsio, Saturno placando Gladiatores pugnasse, Deo infero, malefico; eorum tamen præses habetur Mars. Salvianus: *Colitur, & honoratur Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris*. En cuique loco & arti suus Genius, & Deus tutelaris, & Mercurius item præses palæstræ studiorum.

Aras dedicaturi olim, aut simulacra Dei alicujus legumina elixa pro primitiis offerebant dicatis, ob memoriam grati animi de primo victu. Aristophanes in *Ranis*: *Testor Jovis Hercei ollas, cum quibus ara dedicata est olim*. Fortasse alludit ad ollas extares, quæ dictæ ita, quod exta elixarentur victimarum in eis, nam sæpenumero exta torrebantur. Virgilius, *Georg.* II.

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

In arvige hostia elixabatur. Varro: *Hæ sunt quarum in sacrificiis exta in illa non in veru coquuntur*. Ollæ extaris meminit Plaut. in *Rud.* Scribit Porphyrius, Antiqui ædium partes Diis consecrabant, anteriorem partem Jovi Herceo attribuebant, in cujus media aram erigebant, atque ideo ἀπὸ τοῦ ἕρκειν, id est, a *sepiendo* & *circundando*, Herceus dicebatur. Harpocration scribit, cum de ingenuitate suorum Athenienses agerent, interrogabant, an ipsis esset Jupiter Herceus, & Apollo patrius.

Mercuriales vero statuas pro foribus & alia sigilla dedicantes, quo felicior esset erectio, ollas polentæ adhibebant. Suidas in voce χύτραις ἱδρυτέον, *Ollis pax sancienda*. Ante privatas ædes (non tantum in viis) & in foribus olim imago Mercurii collocabatur, cui exeuntes convivæ gestatas a se in mensa coronas imponebant, quo spectabat Ælianus *lib.* II. *cap.* XLII. dicens: Sumpta corona cum a cœna reverteretur, Mercurio, qui stabat ante fores, eam imposuit, juxtra pristinam consuetudinem; cui crumena addita tanquam lucri Deo; ut colligitur ex Codino, e Scholiaste Persii, *Sat.* V. Agyieus (ut refert Suidas) est lapis supreme acuminatus, quem ante fores statuunt, vel Apollini, vel Baccho, vel potius utrique sacer, Novar. *Sched.* lib. VII. cap. XXIX.

Ex variis veluti liciis & discoloribus hæc tela texitur, ut polymita vestis texatur, tantum coloris distinctione variegati spectabilis non pretio. Hæc ego ludibundus non pro seriis do. Lectorem opto non supercilii censorii, nec patruum, qui sapiat. *In dias luminis auras*, e tam obscuris latebris si quid eruam, fortunæ potius, quam eruditioni adscribito, ut si aleator Venerem jaciat, quæ mihi semper infesta: quia illi nunquam adii manum, neque hostiam immolavi, & facit, ut aliis quoque Diis semper sacrificem, nunquam litem, ideo mihi, *Semper damnosi subsiliere canes*.

CAP. IX.

Ærarium cur sacrum dictum? Illud Græcorum Romanorumque ubi, & a quo primum sacratum? Idem cur in æde Saturni? Ejusdem primi Quæstores. In eodem quid asservatum? Loca sancta quæ? Ærarium sanctius quale? Oppetere mortem unde dictum? Viri fortes morientes cur terram momorderint?

NE messem metam alienam, spicilegium facio a longa, exacta, & feraci messe eruditissimi Dempsteri, aliorumque de Ærario Sacro; & inquiro primum, cur ita dictum toties Symmacho *lib.* I. *epist.* LX. ubi hæc habet: *Utpote sacri administer ærarii*, Et *l.* VI. *epist.* XXXVII. *Paulus amicus meus jamdiu ærario sacro militat*. Et *lib.* X. *epist.* XXXIII. *Ergo & nunc libens summe e sacro ærario decreta subsidia*. Sacrum ideo dictum volunt, quia in æde Saturni conditum ærarium Romanis, Græcos imitatis, qui in templo Apollinis suum consecrarunt, licet Athenæus *lib.* VI. asserat Lacedæmonum tantum ærarium fuisse templum Delphicum, his verbis: *Apollini Delphico, quicquid auri Lacedemone & argenti prius erat, dicatum fuisse narrant*. Saturni templo ideo Ærarium commendatum ex Gyraldi *Syntag.* IV. quia nullum sit furtum in ejus finibus commissum, aut quia sub illo nihil erat cujusquam privatum:

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.

Plutarchus in *Causis Rom.* ideo ait, quod eo regnante non fuit avaritia, nec improbitas, sed justitia. D. Cyprianus ait ea causa, quod primus in Italia nummos instituit signare, & propterea Saturni ærarium vocari. Janum, ait Macrobius, sic æra signasse: in una parte, cui capitis effigies, in altera Saturni navis expressa est. Porro Ærarium primum institutum ad pecuniam servandam apud Græcos a Minya, refert Pausanias in *Bœoticis*. Apud Romanos illud a Valerio Publicola primum Saturno commendatum lego apud Plutarchum in ejusdem *Publicolæ Vita*, hoc verborum contextu: *Ubi enim opus erat ad bellum pecunias pro facultatibus cives conferre, cum neque ipse id munus obire vellet, & obeundo amicos dehortaretur, nec omnino publicas pecunias in privatam domum inferri æquum duceret, ærarium in Saturni ædem restituit, quæ hodie etiam manet. Concessit autem populo, ut Quæstores duos creare posset, creatique sunt, primi P. Veturius & Minutius, & pecuniæ permultæ coactæ*. Quæ quidem verba, non modo innuunt Ærarii Romani institutorem primum; sed etiam, cui deo fuerit commendatum, & quorsum; quinam demum primi illius Quæstores, seu Curatores fuerint, ut vides. *Theoricum*, ærarium Athenis, ex quo sumptus bellici principio fiebant, qui postea in alios usus ludorum spectaculorumque sunt conversi.

In hoc ipso ærario literæ publicæ asservatæ ex illis Ciceronis *in Verrem*: *Primum mihi literas publicas, quas in ærario conditas habebant, proferunt*. In eo præterea mulctæ, tributa, spolia hostilia, manubiæque reconditæ. Ad hæc Senatusconsulta, & leges, ut est apud Tranquillum in *Dictatore*. Præterea libri elephantini, in quibus 35. tribus descriptæ, & rationum, aliaque.

Etiam Decreta patrum, de quibus (referente Tacito lib. III. *Ann.*) *Senatusconsulto sancitum, ne ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur*: cui subscribit Suetonius in *Tiberio* cap. LXXV.

Quare volunt dictum *Sanctum*, quia illud tem-

plum religioni dicatum, & Divo. Sed cur dictum *Sanctum*, quia sanctione confirmatum, adeo ut violari nefas? Hinc loca Sancta, quæ adversus injuriam & vim muniuntur. Dicti ideo Tribb. pleb. Sacrosancti, quia eos violare piaculum maximum, nec sine capitali noxa; unde & Sacrosancta templa jure asyli utentia. Cur autem Saturno potius dicatum, pete ab eodem Dempstero, Volfgango Lazio, & Plutarcho *Quæst. Rom.* XLII.

Sed quia apud auctores sanctum aliquando legitur ærarium, aliquando sanctius: Sanctum puto illud dictum, quod alias vulgare, in quo scilicet ordinaria tributa recondita, idque in exteriore fano; Sanctius vero in penitiore ædis recessu munitiori loco, in quo scilicet aurum vicesimarium, hoc est, quod ex vicesima colligebatur, ad ultimos Reipublicæ laborantis casus reservatum. Ita Livius *lib.* VII. *dec.* III. *Cætera expedientibus quæ ad bellum opus erant Coss. aurum vicesimarium, quod in Sanctiori ærario ad ultimos casus servaretur, promi placuit*. Ita Venetorum gaza pretiosior D. Marci sacello commendata. Putabant Veteres dracones conservandis & custodiendis thesauris destinatos, ut colligitur ex Cic. *Phil.* XIII. *An is non reddet, qui quasi thesaurum draco*, &c. *occupavit*: subscribit Rhod. *lib.* XXX. *cap.* III. *Pervulgatum est*, inquit, *ædium, adytorum, oraculorum, nec non thesaurorum custodiæ præfici dracones*: hinc vellus aureum, & Hesperidum mala custodita a draconibus legimus.

Ad finem festinanti injecit mihi manus tua postrema pagina, de verbo, *Oppeto*, de quo alii ante me. Ideo, quod alius condivit coquus, non alio condiam modo. Lucem mihi præfert in his tenebris locus perelegans Virgilii VIII. *Æneidos*:

—— terram simul ore momordit.

Et Seneca in *Hercule Furente*:

Ultrice dextra fusus adversam Lycus
Terram cecidit ore.

Nam inde colligo olim strenuos fortesque viros belli morientes terram momordisse, ne quid effœminati ejulatus, aut præter decorum viri fortis in victores effutirent, dicerentque. Hinc idem Virgilius *Æneid.* XI.

Procumbit moriens, & humum semel ore momordit.

Erit igitur, *oppetere*, moriendo ore terram petere dentibusque. Vir enim fortis dulce & decorum putat pro patria mori; Mors at fugacem persequitur virum, eumque non censet sui juris, cui precaria est vita.

CAP. X.

Æditui etymon & officium. Ædituus & Æditumus an differant? Favissæ quæ, unde dictæ, & a quibus constitutæ? Æditui perpetui custodes Templorum. Fana mane aperta, noctu clausa. Adoratio in quo diversa a supplicatione? Apertis Templis tædæ accensæ. Templa variorum Deorum recensentur. In omnibus sacris Janus primus rogatus, ultima Vesta. A farre principium sacrificii. Adorandi mos varius. Velati supplicabant. Consultantes & judicantes cur sedebant? Pauperes pro sacrificio manus osculabantur. Simulacra manu tangebantur in adoratione. Genua Deorum incerare, *quid? Imperatores qui adorabant? Manus lotæ ante preces & sacra. Proverbium,* Illotis manibus, *unde? Lota etiam simulacra. Ablutio & Aspersio in quo differant? Candidati Templa adibant. Legati velatis manibus pacem petebant. Caduceum cur coronatum? Ramalia festa, Eresiona carmina. Majuma festum quando celebrari solitum? Ethnici*

A *qui Templum ingrediebantur? Oschophoria festum quale apud Athenienses? Θαλλοφόροι qui? Manus supplicum ligatæ. Ramus aliquando ore gestatus. Supplicum mox triplex. Genibus & pedibus provoluti supplices. Iidem sine armis. Iræ deprecandæ modus.*

ÆDITUI, Æditimive, ab ædibus sacris tuendis dicti: non solum sacra custodire, sed & supplicantem quemque admittere ad sacella tenebantur, qui supplicatum ibat. Seneca *epist.* XLI. *Non sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus Ædituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; prope est a te Deus*, &c.

B Festus non assentitur Tullio in *Top.* nec Varroni, qui inter Ædituum & Æditumum nihil interesse censent; Æditumus enim pro intimo accipit Festus his verbis: *Ædituus sacræ ædis tutor, id est, curam gerens: Æditumus ædis intimus*; quamquam non satis apparet, an significatione distinguat. Æditúos virtutis belli domique spectatæ vocat Hor. *lib.* II. *ep.* I. Poetas, ut celebratores virtutis, & cultores, qui eam suis carminibus decantant.

Noto hunc morem non alias notatum. Æditurorum erat enim favissas custodire, ubi res veteres religiosæ adservabantur. Hæ erant cellæ
C quædam, & cisternæ in area Capitolina, ubi reponi solebant signa, & thesauri, & alia quædam religiosa donariis consecrata. Sic dictæ favissæ, quod in eis non rude æs, argentumque, sed flata, signataque pecunia conderetur. De his vide Agellium *lib.* II. *cap.* X. Quod vero in templis Ædituus perpetuo custodiam ageret, nomen indicat, & colligitur ex Plauti *Curcul.* Act. I. Sc. III.

Bene vale, ocule mi: nam sonitum & crepitum claustrorum audio,
Ædituum aperire fanum.

Aperiebantur fana mane, ut adorarent. Adoratio
D a supplicatione differebat, quod supplicatio carmine perficiebatur, adoratio Numina præsentia precibus alloquebatur; nam *adorat*, ex Festo, *ad os orat*. Adoratio in ceremoniis commendatur, quæ venerationem maximam habet, gestuque aliquo designatur, ut osculo, manus extensione, corporis inversione, genu inflexione, inceratione, aliisque sacris ritibus. Ad nominis rationem respexit Seneca in *Hercule Furente*, dum ait:

Tonantem nostra adorabit manus.

Apertis templis accendebantur tædæ summo mane, tum matutinæ fiebant vigiliæ. Sacrorum
E enim causa maturius vigilandum. Lactantius *de Diis* lib. VI. deridet his verbis: *Mactant opimas hostias Deo, quasi esurienti, accendunt lumina, velut in tenebris agenti*. Noctu ergo clausa erant templa omnia, præterquam Jani, belli tempore, Honoris, & Hortæ Deæ, dictæ ab *hortando*, quod Horta ad res præclaras semper hortaretur, ideoque assiduis precibus fatiganda, & sacrificiis pianda continuis, & ob id aperta semper, ut Plutarchus ait in *Quæst. Rom.*

Ut Hortæ, & Honoris, & Jani templum semper apertum, ita Plutonis apud Eleos per totum anni circuitum semel tantum aperiebatur,
F neque cuidam ingredi fas erat. Corinthi a Necessitatis & Violentiæ fano arcebantur omnes, nec ulli aditus in templum dabatur, Alex. *lib.* I. *cap.* IV. Numa Pompilius legem sanxit: *Pellex ædem Junonis ne tangito: si tangit, Junoni crinibus dimissis agnum fœminam cædito*, ex Gellio *lib.* IV. *cap.* LII.

Janus in omnibus Sacris primus perpetuo rogatus, ultima Vesta. M. Tullius: *Janum Principem in sacrificando esse voluerunt*. Arnobius: *Janum*,

quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere ad Deorum audientiam creditis.

A farre autem in quolibet sacrificio sumptum initium: Dionysius Halicar. *lib.* II. *Romani existimantes far esse omnium frugum pretiosissimum & antiquissimum, ab hoc in omni sacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt*, &c.

Adorandi Deos modus diversus legitur in templis. Adoraturi enim stantes aliquando; aliquando sedentes supplicabant. Stantes totum corpus circumagebant a dextera in lævam, ut exprimerent motum universi ab ortu in occasum. Sic Flaccus *Argon.* VIII.

—— *Ut dextrum pariter vertatur in orbem.*

Lucr. *lib.* V.

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri.
Vertier ad lapidem, &c.

Hunc morem nostri Sacerdotes tenent, cum se in sacro ad populum dextrorsum convertunt. Aliquando velati ad aram sedebant, & precabantur: Propertius:

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebat.

Plautus *Amphitr.*

Invocat Deos manibus piis, capite operto.

Saturnum & Honorem adorantes caput aperiebant. Causam petes a Plutarchi *Probl.* Seneca in *Hercule Furente:*

Namque ipsa tristi vestis obtectu caput
Velata, juxta præsides astat Deos.

Plutarchus in *Numa* causam motus & quietis in adorando innuit, his verbis: *Adorantium vero illa vertigo ad mundi circuitus similitudinem fit: aut fortasse is, qui adorat, quoniam templis ad orientem spectantibus adversatur ortui, mutat se ipsum, & ad Deum convertit, orbem faciens, & absolutam precem utrinque conjungens, nisi medius fidius Ægyptiis rotis simile quiddam mutatio illa habitus significat, docetque, quasi nihil ex humanis rebus stabile & firmum sit; sed, utcumque vertat Deus, revolvatque vitam nostram, id jucunde ac libenter admitti conveniat: sedere autem cum adoravit, auspicium esse dicunt, quo & ratas preces, & in bonis perseverantiam fore significatur*, &c. Hæc ibi: at in *Marcello: Equus ululatu illorum expavefactus retrocedit, vique Marcellum avertit; ille veritus, ne ea res permoveret in omen versa milites, equum propere in sinistram flectit, & ad hostes convertit, solemque ipse adorat, ut si non casu, sed ejus rei causa circumegisset equum: solemne est enim Romanis, cum adorant Deos, in orbem se convertere.* Et in *Camillo: Simulatque ita fatus est*, (Camillus) *ut in more est Romanis a precibus & veneratione Deorum sese convertere dextrorsum, dum circumagit se, prolabitur*, &c. adoraturi ad solis ortum labia vibrabant. Tertull. in *Apologetico: Deinde suspicio solem nos adorare, quod innotuerit ad orientis regionem precari. Sed & plerique vestrum affectatione aliquando & cœlestia adorandi ad solis ortum labia vibratis.*

Quare consultantes & judicantes sedere tenebantur: anima enim (ut dicitur) sedendo fit sapientior. Plautus *Mostell.* Act. V. Sc. I. *Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.* Hanc adorationis seriem Suet. in *Vitellio* cap. III. exponit his verbis: *Primus C. Cæsarem Caligulam adorari ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.* Cur hæc fierent, legendus Plutarchus in *Quæst. Cur Deos salutantes caput operiunt*; & in *Numa*, & alii.

Amplexabantur præterea osculantes signa. Virgilius II. *Æneid.*

—— *Divum amplexæ simulacra tenebant.*

Plautus in *Rud.* Act. II. Sc. VII.

—— *Duæ mulierculæ*
Hic in fano Veneris signum flentes amplexæ tenent, &c.

Verum præ cæteris id noto, priscos in adoratione manum ad osculum retulisse. Colligitur ex Apulejo *lib.* IV. *Admovebant oribus suis dextram, priore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerarentur.* Atque adeo id solemne olim, ut osculatio adorantis signum esset, ut liquet ex locis citatis.

Hinc pauperes pro sacrificio manum tantum modo osculabantur, ut innuit Lucianus in *Encomio Demosthenis: Cum ille manum ori admovet, neque ego suspicor aliud eum facere, quam orare Deos.* Et alibi *de Sacrif. Si quis pauper ita Deos litat, ut dexteram dumtaxat suam exosculetur.* Rhodig. *lib.* V. *cap.* III. ait, Græcis tum demum visas preces perfectas, si inter eas manus oscularentur. Hinc Apulejus *Apolog.* lib. I. *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia, manum labris admovere.*

Aversam manum ad osculum admotam fuisse, Plinius ait, his verbis: *Quamdam esse in dextra religionem, quæ osculis aversa appetitur.* Suetonius in *Augusto* cap. XCIV. *Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Jupiter compluribus prætextatis, tutorem a se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia sua desideria referrent, ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset.* Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* II. *In adorando dextram ad osculum referimus, totum corpus circumagimus.*

Manu aliquando tangebant simulacra, vel expansa, vel supina, dum ne digiti pectinatim inter sese essent implexi, quod genus adorationis Plautinus Leno vocat, *adire manum Deorum.*

Collocabantur enim simulacra Deorum in portis, quorum manus prætereuntes tangebant adorationis gratia, & religiosæ salutationis, ita nos salutaturi aliquem, ejus manus osculamur. Lucretius:

—— *Tum portas propter ahena*
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpe salutantum tactu præterque meantum.

In dextra, quia sedes fidei, ideo ea porrigebatur deosculanda. Plut. in *Numa* ait, solis Imperatoribus hunc honorem a veteribus exhibitum, quibus duntaxat populus fidem suam promittebat. Eandem ob causam, Tranquillo teste in *Nerone*, abeuntes redeuntesque peregre principes Senatorum manus osculabantur, ut fidem suam in Senatum firmam integramque exhiberent. Unde Numidarum Reges majestatis specie nemini osculum impertiri solebant, ut ostenderent se nullius fidei obstrictos teneri, ex Alex. ab Alex. Mendoza *lib.* VIII. Aliquando preces & vota in cera infigebant, quod Juvenalis dixit, *Genua incerare Deorum.*

Incerabant enim Deorum genua qui votum susceptum signabant, & se voti reos constituebant, ex Turn. *Adv.* lib. I. cap. XVII. Plin. *lib.* X. *epist. ad Trajanum*, ita scribit: *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus, Domine pater, & solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari.* Votum enim suum nuncupatum, & in charta conceptum, conscriptumque, Deorum genibus cera obsignatum affigebant. Vel dic nostro ritu cereas candelas, aut vota cerea Diis oblata, eorumque genibus affixa, si illi talia suspendissent vota, quod non sit verisimile. Demum incerare, est cera oblinere, ideo incerabant simulachra Deorum. Prudent. lib. I. *contra Sym.*

—— *Gustaverat inter*
Vagitus de farre molæ, saxa illita ceris

Viderat, unguentoque Lares humescere nigros. Ex Pomponio Læto, Diocletiani insanam ambitionem colligo in adoratione Imperatorum, his verbis: *Nam cum priores Imperatores, ut Coss. salutarentur, primus ipse voluit adorari more Persarum: antea enim manus osculandas nobilibus præbebant, post suis manibus sublevabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur, Diocletianus vero edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur, calceamenta auro & gemmis exornans.* Qui mos nunc ad pedes Pontificis, & ad genua Præsulum, Principumve receptus.

Manus vero capiti admotæ periculi admonent imminentis. Plut. in *Gracchis*: *Admovit manum Tiberius capiti, discrimen suum ea specie demonstrans.*

Redeo ad divinos ritus. Oraturi manus prius lavabant, ut nostri Sacerdotes sacra facturi. Horatius, *Sat.* III. *lib.* II.

Libertinus erat, qui circum compita siccus,
Lautis mane senex manibus currebat, & unum
Quoddam magnum addens, unum me surpite morti,
Diis etenim facile est.

Ideo Hesiodus vetat, illotis manibus Jovi mane libare, *quoniam* (inquit ille) *non audit, sed respuit preces.* Unde illud proverbium, *Illotis manibus.* Libros etiam fortasse sacros illotis manibus tangere vetitum. Plutar. Orat. II. *de usu carnium*: *Nos fortasse peccamus, quia hujusmodi libros attingimus, non lustratis manibus, pedibus, auribus.* Non solum oraturi manus lavabant, sed etiam sacrificaturi. Plautus *Aulul.*

Ego nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.

Seneca in *Thyeste*:

—— Moneo, ne sacra manus
Violata cæde, neve furiali malo,
Aspergat aras.

Telemachus in *Odyss.* apud Homerum manus lavat, antequam Deo supplicet. Quin ea fuit Veterum religio & cautio, ut non impuri solum abluerentur, sed ipsamet sacra. Callimachus in *Hym. Certo quodam & constituto die mulieres Argivæ accipiebant simulachrum Minervæ ferebantque ad fluvium Inachum, ibique lavabant.* Aqua illa debebat esse viva. Virg. II. *Æneid.*

—— Sacra manu
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Galli sacerdotes matris Idææ sese cruentabant ad Phrygios modos Aprili mense Megalensibus usquedum in Almone matrem Idæam lavissent, id cum fiebat dicebatur lavatio Deum matris. Arnob. VII. *contra Gentes*: *Lavatio Deum matris est hodie.* Tunc enim ipsi sacerdotes lætitiam sumebant, illa squalorem sordesque ponebat. Val. Flac. VIII. *Argon.*

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo.
Lætaque jam Cybele festæque per oppida tædæ.

Aqua viva erat fontana, & fluminea, seu perennis, non stagnans, aut torpens. Rationem hujus refert Plutarchus lib. I. *Symp.* Quæst. V. *Stantes aquæ & in cavitatibus hærentes facile putrescunt propter admixtionem terræ, fluentes fugiunt, & repellunt offerentem se his terram.* Lotio & aspersio hoc differunt, quod lotio in sacris Superum, aspersio in sacris Inferorum; unde in VI. *Æneid. Spargit rore levi*, in parentatione. Marius apud Plutarchum: *Diis vota facit, lotis manibus, sublatisque in cœlum.* Quare prisci illi, vel impura religione religiosi ad animi puritatem indicandam, (qui mos adhuc in nostris Mystis servatus) candidati templa adibant. Plautus *Rud.* Act. I. Sc. V.

—— Ergo vos æquius erat
Candidatas venire, hostiatasque ad hoc
Fanum: ad isthunc modum non veniri solet.

A Velati etiam manibus Legati pacem petentes, aut sese dedentes. Plautus *Amph.* Act. I. Sc. I.

Postridie in castra ex urbe veniunt ad nos flentes principes,
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.

Idem Plutarchus in *Theseo* caduceum coronatum inquit, non nuncium, his verbis: *Unde hodie consuetudo manet, ut in celebritate, quam ὀσχοφορία a ferendis ramis vocant,* (nam ὄσχος *ramus* est) *non nuncius ipse, sed caduceum coronetur, & post libationes hujusmodi, qui intersunt, emittant voces,* ἐλελεῦ, ἰοὺ, ἰοὺ, id est, *eja, heu, heu, quorum altero in festinatione, bel-* B *lis, ac pæanibus, uti solent; alterum consternationis ac turbationis est.* Hæc ibi loquens de nuncio allato mortis Ægei: & paulo post hæc subnectit: *Eresionem vero, id est, oleæ ramum, lana coronatum,* (ἤριον enim sive εἴριον *lana* est) *ut nunc ad supplicationem efferunt.* Dionysius: *Paucis post diebus legati a Latinorum Rep. ex omnibus delecti populis, quis suis sententiis huic bello adversati fuerant, supplices cum ramis oleæ lana obvolutis & velamentis, quæ porrigebant, ad eos venerunt,* &c. Primus locus Plutarchi in *Theseo*, libationes innuit cum cantibus sacris in nuncio funesto: alter vero in supplicatio- C nibus oleæ ramum lana coronari. Illa vocabantur *Ramalia*; carmina, quæ canebantur, *Eresiona* dicta. Vide Suidam εἰρεσιώνη fol. 366.

Tempore pestis apud Athen. (ut habet Interpres Aristoph. in *Pluto*) quisque civium, ramum olivæ lana involutum ad fores domus suæ affigebat, insuper & panem recens coctum, tres urceolos scilicet olei, mellis, & vini, pueris per civitatem discurrentibus, ac cantantibus.

Majuma festum celebrari solitum Kal. Maii in honorem Majæ, & fiebant magni sumptus in celebratione, Suid. ita *Cod. lib.* II. *tit.* 45. *Clementiæ nostræ placuit, ut Majumæ provincialibus lætitia* D *reddatur: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.*

Ethnicorum fuisse thallos, seu palmas manu gestando templum ingredi patet apud Athanasium epist. ad *Solitarios*. Εἰρεσιώνη ramus erat oleæ lana obvolutus, arborum fructibus circumpendentibus, qui ante januas ædium supendi solebat in honorem Apollinis, ad famem arcendam ex oraculi præcepto, Suid. Aristoph. Interpres in *Pluto*. Huc arbitror pertinere, quod de Locrensium legatis Livius ait, qui in velamentis supplicum ramos oleæ, more Græcorum porrigentes, E cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Oleaster olim etiam religiosus consitus ante Deorum templa, in quo dona affigerentur: nam arboris hujus tanta est vivacitas, ut etiamsi multis clavis configatur, non lædatur, & ex pertica hujus arboris dona in templis suspendebantur, & ab hac arbore coronæ depromptæ Olympionicorum. Cerda *ad* XII. *Æneid. Virgil.*

In Oschophoriis Athen. pueri ingenui pubescentes ferebant ὄσχυς, id est, *ramos*, ac palmites cum suis racemis in templum Minervæ Sciradis. Plut. in *Theseo* ait, hoc festum institutum a Theseo, cum se Athenas ex Cretensi navigatione re- F ciperet cum luctu & tumultu, ubi Ægei patris mortem audisset. Herodotus refert in *Vita Hom.* ab frequenti puerorum indigenarum choro comitante carmina esse cantata, & postea in Samo perdurasse hunc ritum, quoties ad Apollinis festum collecti conveniebant. Plutarchus in *Theseo*: *Ductis igitur sortibus Theseus acceptis ex Prytaneo his, quorum nomina exierant, in Delphinium profectus, Apollini pro sua sociorumque salute supplicationem peregit. Erat autem ex sacra olea ramus alba lana coronatus. Inde nuncupatis votis, octavo Iduum*

Januarii descendit ad mare, quo etiam his temporibus puellas placaturas Delphum mittunt, &c.

Ramum oleæ gestabant Athenis in Panathenæis, qui dicebantur θαλλοφόροι: erant ii plerumque senes, unde per jocum θαλλοφόροι illi dicti, qui veluti inutiles ad sua munera obeunda putantur. Vide adagium θαλλοφόροι. Supplices ramum præferebant pacem petentes, sed oleæ, qui obvulutus erat lana, quæ dicitur a Virg. *Æneid.* III. vitta:

Præferimus manibus vittas.

Qui ramus obvolutus lana imaginem vinctorum repræsentabat.

Manus præterea illigatas fuisse supplicantium, ex multis Auctoribus colligere licet. Nam Virg. *Æneid.* XI.

Velati ram's oleæ.

Olea supplicum ideo, quia ex D. Joan. Chrysost. homines ramos olearum gerentes movere reges consueverunt: nam eo arboris genere humanitatem commemorant. Hunc ramum aliquando ore gestatum lego in Scholiaste Euripidis, & ex Euripide in *Oreste*, *Preces fundo supplex ore carente ramo*. Laurum pro olea gestatam refert Ammianus *lib.* XVIII. qui tres circunstantias supplicum; salutationem nempe, vultum humi affixum, & manus conversas in tergum, recenset. Hæc velamenta erant ex lana alba; quæ insignia etiam navibus adhibita, ut habet Livius *lib.* XXX. usitata, & mutuata Græcis. Hæc comitabantur vestium sordes, capilli promissi, procubitus in terram.

Supplicum vero mos triplex ex eruditissimo Cerda; vel enim tantum supplices contingebant genua; vel projiciebant se ad illa advoluti; vel demum supplicabant genibus, brachiorum nexu.

Demum fiebat precatio per genua. Plautus *Truc.*

Per tua obsecro genua.

Et, si credimus Plinio *lib.* IV. *cap.* XLV. genua ut aras adorabant, ad imitationem Deorum, quorum genibus vota facta passim Scriptores referunt, quod in illis Misericordiæ sedes, ob affinitatem, quam genua habent cum oculorum genis. Unde Isidorus ait: *Genua a genis dicta, eo quod in utero cohæreant, & conjuncta sint oculis*. Plinius *loco citato* ait: *Hominis genibus quædam relgio inest, observatione Gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant*, &c.

Nec solum genibus provoluti supplices, sed & pedibus. Cæsar II. *Massilienses universi se ad pedes projiciunt, orantque*. Supplicatio Scytharum talis recensetur a Suida *fol.* 309. Moris apud Scythas fuit, si quis ab alio injuria afficeretur, quam ulturus, se adversario fore parem non putaret, ut bove immolato carnes in frusta concisas elixaret, & corio humi extento insideret, manibus in tergum rejectis: quo nullum apud eos majus supplicandi genus. Qui vero volebat, parte carnium accepta, & dextro pede corio insistens, se pro virili opem ei laturum pollicebatur, estque id sanctissimum juramentum. Interdum, qui supplicabant, contingebant mentum illius manu dextra, sinistra genu. Hom. *Iliad.* I. *Apprehendit genua sinistra, dextra autem mentum tenuit.* Qui mos non ultra Græciam profectus, ut docet Plinius. Inter supplicandum interdum fiebat adoratio, lacrymæ effundebantur. Liv. *lib.* XXXIV. *Legati, ubi hæc audiverunt, flentes ad genua Consulis provolvuntur*. Unde ad genua dejicere, est aliquem affictare, pessundare. Addo ex Virgilio lib. XI. *Æneid.* supplices arma deposuisse:

Dextras tendamus inermes.

Et I. *Æneid.*

Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.

Livius *lib.* XXVIII. *Patefacta repente porta frequentes ex oppido sese ejecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul conjicerentur, dextras nudas ostentantes, ut gladios abjecisse appareret*. Cæsar II. *Belli Civ. Hostes, ruina turris commoti, inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt.*

Se dedentes cum ramis oleæ lana obvolutis prodibant etiam ex urbe, ex Dione *lib.* III. Quod si supplicatione opus ad iram deprecandam, ita factam lego in eodem Dione *lib.* IV. *Tullus dixit, Romanos clementer & moderate cum illis acturos, quod agnita injuria, quam fecerant, & scelere, quod patrarant, cum corollis, infulis, & cæteris supplicum insignibus iram deprecaturi venissent*. Epimenides, referente Plutarcho in *Solone*, præter surculum ex sacra olea, nullum aliud donorum recipere voluit ab Atheniensibus.

Alios adorandi ritus, tanquam vulgares, libens volens missos facio. Legatur Plutarchus in *Numa*.

CAP. XI.

Auguratus quid? Idem cum Consulatu connexus. Variis in locis usurpatus. Ejusdem quadruplex potestas. Augurum lucernæ apertæ. Græci Olympiadibus tempora notabant. Indictiones quando institutæ? Romani annum numerabant a Consulibus, Athenienses vero a Prytanibus. Nomophylaces qui? Prytaneum quid, & unde dictum? In eo quinam alebantur? Gerusia qualis Senatus? Lacedæmonii ab Ephoris annum auspicabantur.

AUGURATUS olim in summa veneratione. Hæc disciplina in Etruscis scholis recepta, qui soli olim hujus artis peritissimi. Auguraculum erat locus, unde captabantur auguria.

Auguriorum duo erant genera, ut notat Turneb. *Adv. l.* V. *c.* VII. quædam oblativa, quædam impetrativa. Impetrativa petebantur a Diis, nec in impetrantis erat potestate ea accipere, vel non accipere, & agnoscere vel non agnoscere. Oblativa, quæ ultro nobis non petentibus oblata, in potestate nostra erat agnoscere, vel non agnoscere, unde erat illud dictum, *Accipio omen*. Virg. *Æneid.* XII.

Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi:
Accipio agnoscoque Deos.

Id & in funeribus valebat, non inquam funestabatur, non polluebatur funere, qui funus non agnoscebat. Livius *lib.* II. de Horatio: *Nihil aliud ad eum nuncium a proposito aversus, quam ut cadaver efferri juberet, tenens postem precationem peragit, & dedicat.*

Auguratus cum aliis magistratibus plerumque connexus, & potissimum Consulatu. Non solum autem pullarii, seu custodes pullorum, proprii erant ad solistimum tripudium captandum, sed etiam ipsi magistratus plerumque, sive urbani, sive militares. De urbanis fidem nobis astruit Salvianus, eruditissimus juxta ac sanctissimus author, qui suorum temporum conditionem ita deplorat lib. VI. *de Gubernatione Dei*: *Nunquid non in Consulibus designandis & pullos adhuc gentilium sacrilegorum more pascunt, & volantis pennæ auguria quærunt?* Aurelius Prudentius in *Romano Martyre*:

Cum consulatum initis, ut vernæ solent,
Pudet fateri, farre pullos pascitis.

De militaribus est locus tritus Suetonii in *Tib.* cap. II. *Apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, ut biberent, quando esse nollent*, &c.

Au-

Aruſpicinæ & auguratus quadruplicem poteſtatem tantum delibo ad hujus loci explicationem. Pendebant primo fata a fibris, ut colligitur ex multis locis, tam Poetarum, quam Hiſtoricorum; unde dictæ fibræ habere mentes Deorum; exta ſpirantia conſuluntur. Deinde ſidera, & cœlum ipſum huic poteſtati obnoxium, æque ac Magorum, unde dicta ſidera parere. Tertio linguas volucrum adhibebant, quæ auguratui parebant, item pennæ: pleni libri auctoritatum hujus ritus. Quarto fulmina ſubdita poteſtati augurum: fulmina enim, ex priſca diſciplina, denunciare ſolita læta, aut triſtia mortalibus, unde fulmina dicta præſaga, ſeu præſagire. Sed his ſuperſedeo, quæ eruditiſſimus Roſinus longiori ſubſellio tractavit, & pleno gradu accuratiſſimus Antiquarius, numquam antiquandus, Thomas Dempſterus feliciſſime percurrit.

De auguriis quædam ſubnecto ex Serv. *in* III. *Æneid.* dicente: *Auſpicari cuivis etiam peregre licet: Augurium agere niſi in patriis ædibus non licet.* Cum ex fulminibus auguria ſumerentur, hæc mens Antiquos invaſerat, ut ex ſeptentrionali parte ſignificantiora firmioraque cenſerentur ex eodem Serv. *in* II. *Æneid.* Porro Romanorum augurium ſimili firmandum: nam ſi diſſimilia ſint poſteriora, idem ait, ſolvuntur priora. Augurum lucernas apertas fuiſſe innuit Plutarchus *Quæſt. Rom.* c. *Cur eorum, quos ante Auſpices, nunc vocant Augures, oportere putabant ſemper eſſe paratas lucernas, neque operculum impoſitum?* Non omnes omnibus aves auguria exhibebant: nam columbæ ſolis regibus dabant, ex eodem Serv. *in* I. *Æneid.* Et minora licet priora majoribus cedebant. Idem Serv. *ad Eclog.* IX. & *ad* III. *Æneid.* ait: Jugetis augurium, quod ex junctis jumentis fit: obſervatur enim, ne prodituro Magiſtratui disjunctis bobus plauſtrum obviam veniat. Augures demum, ſi poſt acceptum augurium ad aquas veniſſent, inclinabant ſe aquaſque bibebant. Idem Serv. *ad* IX. *Æneid.* Vide Novar. l. IX. c. XIII.

Alteram ineo palæſtram indictam de annorum ratione; an diverſa a noſtra eſſet, hæc habeo notata. Græci Olympiade tempora diſtinxerunt, quæ erat quinquennii revolutio, dictum luſtrum a Romanis; Indictiones ſucceſſerunt Olympiadibus, victo Maxentio a Conſtantino Imperatore An. Chriſti CCCXIII. ex Nicæni Concilii autoritate, quod tunc Chriſtiana libertas primo vindicata ſit. Alii aliter: nempe ante Chriſtum natum triennio, conſtare dixerunt Indictiones tribus luſtris, quorum primo provinciæ pendebant aurum pecuniæ: altero æs ſtatuis: tertio ferrum armis conflandis: quibus peractis cum ſummo Pop. Rom. applauſu, quindecennio videlicet, alia Indictio incipiebat. Hanc & nos adhuc in ſacris & publicis tabulis uſurpamus, Tu cenſe. De Indictionibus vide eruditiſſimum Gyraldum, *de Annis & Menſibus*, nuper in meas manus pervolutum, & alios. Indictio diviſa in quinos annos; primis quinque in Aſia cenſus agebatur, ſequentibus in Africa, ultimis in Europa, ſicque ſingulis 15. annis cenſuales libri reformabantur. Æra vero erat ſingulorum annorum inſtituta ab Auguſto, Alciat. *Parerg.* lib. VIII. cap. I. Ego Pedarius. Romani annum numerabant a Conſulibus, Athenienſes a Prytanibus. Nam præter Areopagitas, qui magiſtratus erat perpetuus, erant etiam Prytanes, *οἱ Πεντήκοντα*, nempe *quinquaginta* viri, ſingulis menſibus vices commutantes, qui ſuo munere fungentes vocabantur *οἱ Πρυτανεῖς*, ita dicti, vel a frequentiori cura recondendi ſervandique frumenti in

A publicam neceſſitatem vel pecunias publicas: vel a *πρυτανεύω*, verbo Græco, quod eſt *magiſtratum exerceo*. Quare ab illis faſti dies, bellorum tempora, fœdera, legationes, edicta promulgata, & a quibus ratio temporis habita, uti apud Romanos a Conſulibus. Pauſanias in *Laconicis* hæc habet: *Ephori gravioribus præſunt negotiis, atque ex eis quidem unum edunt, de cujus nomine, qui ex primis præſidet, annos ſuos diſtinguunt. In foro, curia, quo ſeniorum ordo ille convenit, quam ipſi Geruſiam vocant, Ephororum, deinde Nomophylacum, legum his tutela commiſſa eſt, & eorum, qui Bidiæi appellantur Baſilicæ. Ac Geruſia*
B *quidem ipſi patres ſunt, quibus Reip. ſumma eſt mandata.* Prytaneum, Græce Πρυτανεῖον, locus Athenis, in quo judices & magiſtratus verſabantur, conſulebantque. Eo in loco quoque alebantur publice bene meriti de Rep. qui honos habebatur maximus, ut ex Cicerone colligitur *de Orat. Ut ei* (inquit) *victus quotidianus in Prytaneo publice præberetur.* Sic dictum, quaſi πυρῦ ταμεῖον, id eſt, *tritici promptuarium*, vel horreum publicum. Unde Πρυτανεῖς appellati ſunt L-Viri, qui quotannis primo quoque menſe populum convocabant πρὸς ἐπιχειροτονίαν, id eſt, ad legum
C diſquiſitionem. Ubi libera cuique in leges, vel pro legibus dicendi poteſtas; ſi quis tamen cujuſquam legis abrogandæ mentionem feciſſet, novam ejus loco legem cogebatur vel ſtatim & illo ipſo tempore ponere, vel aliquanto poſt, quod niſi dicta die præſtitiſſet, fraudem capitalem ſubibat. Geruſia, nos Senatum vocamus, ab ætate dicta, γέροντες enim *ſenes* ſunt: & quod Romæ Senatus, hoc fuit Γερυσία Spartæ, ſeu Lacedæmone. Hic honos præmium ampliſſimum habitus vitæ integerrimæ; ſumma enim penes hunc Senatum Lacedæmone erat poteſtas, adeo ut, quiſquis in Geruſiam legeretur, ſtatim cum ſui ordinis ſociis
D dominus efficeretur ſuæ civitatis. Geruſia aliquando pro loco ſumitur Senaculi. Suida teſte, annos Athenienſium numeratos lego ab Archonte uno, qui per excellentiam Archon dicebatur. Archontes enim Athenis IX. quorum ſex Theſmothetæ, ſeu legislatores, unus Rex, unus Polemarchus, alius antonomaſtice Archon, qui & Hegemon, & Prytanis vocatus. Adhuc pergo. Timoleon Corinthius, cum Syracuſas a Dionyſii tyrannide liberaſſet, inſtituit magiſtratum honeſtiſſimum annuum, quem Syracuſani Jovis Olympii famulatum appellabant, electuſque eſt primus Callimenes famulus Olympii Jovis, & ita deinceps honor per
E manus traditus eſt, annique a magiſtratu ejuſmodi adnotati fuere, uſque ad tempora, quæ mutationis Reip. initium fecere ſub Romanis: tunc enim magiſtratus iſte, qui annos plures 300. duraverat, abolitus eſt, ex Diodoro *lib.* XVI. Commodum hic occurrit Dionyſius Halicar. lib. I. *Antiq. Albani Romuli Remique ductu Romam condidere, initio primi anni ſeptimæ Olympiadis, qua Daides Meſſenius in ſtadio vicit, Archonte Athenis Charopo, decennalis imperii anno primo.* Ita in cæteris Olympiadibus recenſendis. Cicero *de Fato: Moritur Epicurus, cum duos & ſeptuaginta annos vixerit,*
F *Archonte Pytharato.* Qui ergo ex Archontibus præerat Prytanis dictus, & Hegemon, quemadmodum Romæ Prætor Judicibus. A Conſulibus Romani annos, a Prytanibus ſeu Archontibus Athenienſes, ab Ephoris Lacedæmonii nominabant. Olympiadibus tamen uſam univerſam Græciam, vero videtur ſimile.

CAP. XII.

Adagia ex variis Autoribus collecta afferuntur & explicantur. Græcorum sacra diversa enumerantur.

SEMITARII quidam Litteratores hac nostra tempestate, Jovi paria intonantes, qui nec doctorum censum tenent, nec doctrinæ sensum, & tamen censeri volunt in albo Patriciorum, Aristarchico veru veteres carpunt auctores, quia non capiunt.

Unicus sane Tullius fundus Latinæ eloquentiæ; sed intelligere & sapere a multis est. Multorum ergo me lectio jure capit. Apulejus aliquando horis canicularibus meis teritur manibus; qui licet vegrandis & affectatæ eloquentiæ scriptor, at certe literas doctus & mores veteres, & in sermone ipso (eruditissimo Lipsio teste) imprimis Plauti imitator, qui vetustate morum, & dicendi copia Socraticum fontem, & Platonicum torrentem, vel tenuiter sapienti, redolet: ex quo quædam proverbiales formulæ a me inter legendum exceptæ, non aliis Parœmiographis notatæ. Hoc epidigma, & specimen esto. Cætera merces adagialis, si placebit, suo tempore in foro literario prostabit.

Ex primo *Metamorphoseos* elicio manu compressa hanc formulam proverbialem: *Putares verbis stellas evellere, diem tollere, mortem tenere.* Usurpatum hoc dictum de quacumque re, quæ fieri prorsus non potest: non absimile illi Terentiano: *Quid si cœlum ruat?* ex Euripideo, *Citius humo infigentur astra, & ætherem terra occupabit, quam verbis palper tibi.* Quare *diem tollere*, est diem noctem dicere. *Mortem tenere*, de hac Horatius lib. I. *Carm.* od. III.

Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Cujus iter omnibus necessario calcandum. Mortem nulli tenent, ab illa tenentur omnes. Vel dicam *Noctem tenere*, ne dies succedat hic nocti; quamdiu enim hic Sol erit, tamdiu suo ambitu noctis & diei vices obibit.

Alterum adagium: *Ulyssea peregrinatio.* De diuturna & ærumnosa dictum, qualis olim Ulyssis ab Homero in *Odyssea* perscripta. Ulyssis peregrinatio decennalis, quam laboriosa, quam ærumnosa!

Tertium: *Ne Deus quidem Delphicus discerneret.* De rebus maxime inter se similibus, summamque inter se agnationem habentibus, quarum discrimen ne Apollo ipse quidem divinationis Deus internoscere posset.

Quartum: *Sum in Orci familiam jam numeratus.* De eo, cujus jam salus desperata ac defleta; cui illud non absimile, *Jam in peculio Proserpinæ sum numeratus*, quæ sæva, teste Horatio, nullum caput fugit. Græcis hæc dicta Persephone Περσεφόνη, quod omnia cædibus vastet ac perdat; factaque per raptum Plutonis uxor, qui & Orcus nuncupatus. Hinc Plautinus ille:

Bene vale, apud Orcum te videbo.

Et cum Orco rationem habere.

Quintum: *Dædalus*, pro homine industrio. Idem II. *Floridorum* de Hippia usurpat: *Tot*, inquit, *utensilium peritia Dædalum*, id est, industrium artificem; hinc illæ formulæ emanarunt a Parœmiographo lectæ, huic non absimiles. *Dædali opera: Dædaleum remigium: Dædali alæ*: Dædali enim historia satis trita.

Sextum ex ejusdem III. *Floridorum*: *Rebus humanis dicere Valere, Plaudere*: Proverbium a Comœdiis sumptum, in quibus finita fabula dice-

A batur, *Valete* & *Plaudite*. Ita hujus vitæ usura perfuncti, & mortem oppetentes, hujus vitæ rebus *Valete* & *Plaudite* dicere videntur. Reliqua adagia Apuleiana in *Adagiographia* nova Laurentiana legere licebit.

Sed antequam *Plaudite* dicam spectatoribus, alia quædam adagia a me in mea *Adversaria* relata, nec ab Adagiographo notata, in medium, in specimen profero, daturus reliqua suo tempore. Non enim ille potuit omnes gemmas in terræ visceribus latentes uno ligone effodere. Multa in apricum proferet ætas, quæ promit conditque nitentia: qui secus sentit, næ ille facit sentiendo, ut nihil sentiat.

B Ausonius, monetæ non trivialis Poeta, hanc formulam proverbialem mihi suppeditat: *Musas hortari, ut canant; ignes, ut ardeant; maria, ut effluant*; hoc est, currenti calcar addere, & urgere paratissimum.

Elegans nec omittendum illud Homericum sub Achillis persoma: *Illum pejus Orci limine odi, qui aliud in animo occultat, aliud loquitur.* Dicetur de re, quam valde aversemur & detestemur. Quid sit Orcus, & Pluto, notum lippis & tonsoribus, unde natum adagium.

Ex Symmacho: *Supera convexa digito tangere*; id est, felicitatis apicem assequi, simile illi; *Sublimi ferio sidera vertice.*

C Ex Dione: *Gladii Drusiani*. Ille ita inquit. Druso autem filio, cum petulantissimus ac crudelissimus esset, adeo ut gladii acutissimi Drusiani ab eo vocarentur, &c. Causam hujus proverbii ex doctissimo Lipsio *ad* III. *Ann. Taciti* habe, dicente: *Crudelis ergo Drusus & sanguinarius, qui in publico, domi, & in hortis gladiatores repræsentabat, quibus mos, priusquam paria committerentur, satisne essent acuti, sciscitantibus. Hinc Drusus, quia non admittere solitus nisi acutissimos, crudelissimus habitus.* De Gladiatoribus plura apud eundem Lipsium in *Saturnalibus*.

D O ego nugarum institor, Alcinoi apologum, Milesias fabulas enarrans. Alio pedem verto, meque ad quædam Sacra Græcorum hoc sacro tempore converto.

Abaton, sacrificium, ad quod non quivis admittitur, ut nominis etymon Græcum innuit, uti apud Latinos, Opertanea Bonæ Deæ. L. G. L.

Agitoria, sacra Carnia, quorum Sacerdos Agites dicitur. Rhod.

Anastatica, sacra in resurrectione mortuorum. L. G. L.

E *Apobomæa*, sacra non in altari, sed in pavimento facta.

Apotropæum, sacrificium, vel supplicatio ad avertendum malum imminens.

Bebila, sacra, ad quæ prophanis non datur aditus.

Cataniptes, sacrum Athenis Minervæ, cum ejus peplum infra sordidatum aliquis eluebat. Etymol.

Cathagismus, parentalia, quæ adolebantur in modum sacrificii in gratiam mortuorum.

Catharsia, sacra quædam, & porcelli, quibus Athenis conciones atque theatra lustrabantur.

F *Cathicteria*, sacrificium ob reditum.

Canton, sacrificium quoddam ignotum.

Chalchia, sacrum publicum in honorem Vulcani.

Curosynon, sacrificium pro tonsa cæsarie oblatum, hinc Curosyna facta.

Decata, decima, cum Athenis decimo die infanti nomine imposito, peracta re divina epulabantur.

Diabateria, sacrificia pro transitu facta, dicta etiam *Niceteria*, & *Charisteria*.

Dioscolion, locus ubi sistebatur mactandum pe-

cus, vel ubi lustrandi pedem sinistrum collocabant.

Epibœum, victima, quæ adjiciebatur ad bovem mactatum: quoties enim Minervæ bovem mactabant, tenebantur etiam Pandroso ovem cum bove immolare, quod dicebatur ἐπίβοιον, Harpocr.

Hippades, sacrificia, quæ equites Athenis peragebant, Rhod.

Hydrophoria, aquæ gestatio: sacrum Athenis lugubre, in eorum memoriam, qui diluvio perierunt.

Lenæa, sacra Bacchi apud Athenienses, in quibus concertabant Poetæ ludicris carminibus ad risum comparatis, Aristoph.

Metroum, apud Athenienses Phrygiæ Deæ sacrum.

Mithriaca, sacra, quæ in antro apud Persas Soli obibantur, educto ex eo bove cornibus; quem mox ut Soli victimam, per hymnorum modulatos concentus immolabant, Rhodigin.

Orcomosia, sacrificia, in quibus feriebantur fœdera.

Pamylia, sacra Osiridis in Ægypto, quibus simulacrum Priapi adhibebatur.

Pausanemus, sacrificium, pro sedando ventorum impetu, ac turbine.

Periscylacismus, expiatio, quæ fit immolato cane, quem vocant Græci σκύλακα.

Proarosia, sacrificium pro fœlici futurarum frugum proventu, quod fiebat ante arationem.

Progamia, sacrificium & convivium ante nuptias.

Pyanepsia, sacra Apollini, cum fabas & legumina cogebant.

Semnæ, Eumenides, Furiæ; apud Athenienses his sacrum factum in curia Areopagitarum, ut quas existimari volebant hujus curiæ præsides, in qua sicarii judicabantur, & ut vindices occisorum, quibus sacrificuli tres.

Soteria, sacrificia pro accepta salute.

Thesmophoria, Cereris sacra, quo die captivi solvebantur vinculis.

Thynnium, sacrum quo piscatores Neptuno thynnum immolabant, Rhod.

Thyterium, sacrificium, & herba Libanotidi similis, quam juraturi manu comprehendebant.

Trittya, legitimum sacrificium ex tribus victimis, porco, ariete, & hirco, constans.

CAP. XIII.

E Templo abeuntes aliquid de sacro domum reportabant. Hygieia quid? Eadem cujus filia & soror? Ejusdem simulacrum quomodo & a quibus cultum? Morbi Pandemius, Epidemius, & Endemius qui discrepent? Pandemii dies qui? Pandema Venus quæ? Augurium Salutis & ædes Romæ. Salus quomodo ab Antiquis effingebatur? Natalis Salutis. Roman. pietas in peste. Pestis in Attica qui sedata? Aræ Ignoto Deo. Epilœmia quale carmen? Sanitatis symbolum. Salutem olim precabantur sternutantibus, uti & nunc. Sternutamentum Deus habitus. Omina tristia tria. Vestes lacere cur Templis affixæ? Theoxenia quale festum? Pantheon Romæ. Pandicularis dies quis? Die festo varia peracta.

IN religionis symbolam, e templo redeuntes prisci domum aliquid referebant Sacri, quod Athenæus *lib.* III. refert: *Hygieiam*, ὑγίειαν, *mazam, vocaverunt, quæ in sacris dabatur degustanda.* Ex quibus colligo una cum doctissimo ejus Interprete laudatissimum Veterum ritum, ut qui templa Deorum adirent, domum inde aliquid referrent, bonæ scævæ gratia; puta, vel libi frustulum, vel frondem virentem. Valetudini condu-

A cere id opinantes, quod loco sacro esset ablatum; ideo illi fecerunt nomen sanitas, ὑγίεια. Hesychius confirmat; ὑγίεια, ἄλφιτα οἴνῳ, καὶ ἐλαίῳ πεφυραμένα, &c. ὑγίεια enim præter vulgatum significatum sanitatis, & bonæ valetudinis, signat, ex Etymologico, far consperſum vino, & oleo, & omne, quod ad sacrum attinet. Hunc morem & nos Christiani in pluribus locis, ut a me observatum, tenemus, & quæ e templis referimus, domi retinemus ad mala averruncanda.

Templo egredior, & stomachabundus quendam conspicio in patrios cineres mingentem, seu juxta fores, proh sacrilegium! bilis mihi subito
B in naribus, labrum momordi, recordatus quod legi in Suida de templo Pythio Apollini a Pisistrato condito, ad quod tripodas afferre solebant, qui vicerant Thargelia: in eo inscripserat, *sacer est locus, extra meiite.* Ex quo deprehensum peregrinum aiunt morte mulctatum, quod religionem neglexisset. Unde prov. *In Pythio cacare, in Pythio deambulare*, Suidas. Alium deambulantem in templo Pisistratus videns legem sanxit, ut qui in eo delicto deprehenderetur, capite plecteretur. quid si vidisset, quæ factu, quæ dictu nefas? Repeto Hygieian.

C Hygieia Æsculapii filia, soror Panaceæ, cui apud Sicyonios simulacrum cultum a mulieribus, capillos sibi tondentibus, eique dicantibus. Hæc Dea a Romanis dicta Salus, ab hac σωτῆρες, id est, *salutigeri* Dei dicti. Unde salutaris porta prope ædem Salutis. Salutis augurium apud Romanos celebratum, quod intermissum, Augustum renovasse legimus.

Fatalis cœli inclementia, belli, famis, & pestis, quæ hoc triennio in totam Insubriam detonuit, adeo miseram afflixit Italiam, ut plerique, quibus suo vivere succo licitum, vitam agere doliarem ruri, quam dapalem in urbe maluerint.
D Qui soli bellum, famemque ad tunicatum popellum amandarunt, pestem vero in rupibus, ac tuguriolis relegati propulsarunt. Ego quoque in Vicentino angulo meum salem lingens in meo, fortean alieno, doliolo, cum

Dira per Insubriam serpunt contagia totam.

Totque hominum myriades victimæ nil miserantis Orci caderent, schediasmatum horum exemplar, reliquias Danaum, atque immitis Achillis reperi, volutavi, addidi de salute, cui jam omnes vota concipiunt, operantur. Epidemio morbo grassante, seu Pandemio, parerga hæc conscribillavi. *Pandemius* dictus hic, quia totum popu-
E lum invadit: πᾶς, *universus*, δῆμος, *populus* innuit. Morbus *Pandemius* triplex; quidam dicitur *Epidemius*, qui non soli regioni, sed pluribus communis est, ob aeris inclementiam siderumque malignitatem: *Endemius*, qui cuidam populo proprius, & peculiaris vitio terræ ejusdem aeris, aquæ, & regionis proveniens. *Pandemius* simplex, dicitur communis; universalis, ex alteratione aeris, non cœlitus facta; sed alia causa communi, ut vitiosis cibis potuque. Quare morbus *Epidemius*, communis est regioni, ex causa suprema dimanans, quod non accidit in Endemio. Præterea *Epidemius* aliquando nil con-
F tagionis habet, & venenum aliquando habet, ut hoc anno evenit, quo populariter grassante, mista senum, atque juvenum densantur corpora, Libitinæ mactata. Apotropæo Numini Pæana cecinimus pestilentia desæviente, ea nunc ferme sedata, Epilœmia recinitur, & Eucharisticum salutiferæ Diviparæ: a pientiss. enim Veneto Senatu pro universorum salute vota nuncupata, & concepta, de *Æde salutis* magnifice Venetiis a fundamentis excitanda, ad iram Dei averruncan-

dam in honore B. Virg. MARIÆ a SALUTE nuncupanda. Hæc enim una salus, asylumque tutissimum, contra Pandemii morbi procellas. Ad hanc rem lego in Epiphanio: *Pandemis seu popularibus diebus cibaria quidem in toto exurunt, vina vero libant, nihil commodi ex hoc mortuis afferentes*. Pandemi dies dicti, cum mortuis epulas publice offerebant. Pandema dicta Venus, quasi popularis. Apollodorus in lib. *de Diis* ait, sic vocari Athenis, quod ad forum antiquum posita esset, in quo soleret, *πᾶς δῆμος*, *omnis populus* ad conciones vocari: & vere *πάνδημον universale* significat, & universalis hic morbus, & universalem, ut ita dicam, invocamus patronam, auguriumque salutis revocamus, ad quod postliminio revertor. Lego siquidem in Dion. *lib.* XXXVII. A. V. C. 691. *Annuo tunc spatio Romani bellis vacarunt, ita ut longo tempore intermissum augurium salutis repeterent. Est autem quoddam divinitatis genus, quo probatur, concedantne ipsis Dii, ut populo salutem postulent, quasi nefas esset eam, priusquam concedatur, petere. Ad id dies destinatur singulis annis, ad quam diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostem in aciem eduxerit, aut pugnatum sit. Hanc ob causam in continentibus malis maximeque intestinis non celebratur. Alioqui etiam difficillimum est Romanis, ut eam diem exacte ab his omnibus puram servent: præterea absurdissimum est, cum ipsi se se mutuo in seditionibus, ultro malis infandis affligant, ut sive vincantur, sive adeo vincant, in miseriis sint, ita salutem a Deo velle flagitare*. Idem lib. LI. *Antiq.* ait, Jani templum clausum, auguriumque salutis factum. Tacitus *Annal.* XII. *Salutis augurium, quinque & viginti annis omissum, jussit repeti, ac deinde continuari placitum, idque actum tempore Neronis*. Sueton. in *Augusto*: *Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis paulatim abolita restituit, ut salutis augurium*, &c.

Ædes Salutis dicata a C. Junio Bibulo Censore A. V. C. 146. vota ab eodem Cos. bello Samnitum; hanc a Fabio Pictore pictam legimus. Prope hanc ædem erat, ex Festo, Porta salutaris Romæ. Salus effingebatur ab Antiquis mulieris forma, in solio sedentis, pateram tenentis, penes quam ara erat, aræ anguis involutus, caput attollens. Ad hujus simulacrum, ut habet Pausanias, mulieres capillos dicabant, & in ejus honorem eos sibi resecabant. Æsculapii filias recenset Aristophanes Hygieiam, Panaceam, Æglen, Jaso, una cum Machaone, & Podalirio. Vide Gyraldi *Synt.*

Natalis Salutis apud Ciceronem *ad Atticum* lib. IV. epist. I. dicitur dies, quo Saluti fuerat dicatum templum. Livius meminit sæpe pestilentiæ Romanæ, & *lib.* VIII. ait: *Repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam, clavo a Dictatore fixo, sedatam, eaque religione adductus Senatus Dictatorem clavi figendi causa dici jussit*. Et *lib.* X. ait: *Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt*. Libri Sibyllini ex S. C. aditi. Ædes Apollini pro salute vota. Alibi: *Inventum in libris Sibyllinis Æsculapium ab Epidauro avertendum*. Et alia hujusmodi ab Historicorum Latinorum principe in medium proferuntur; locum tamen pulcherrimum silentio præterire nolo *lib.* X. *Tota urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt. Et cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos; jurgiis ac litibus temperatum. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula. Religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri*.

Pausanias in *Atticis* meminit pestis, hoc pacto. Cum terra Attica pestilentia laboraret, consultum est ab Atheniensibus oraculum, quibus Pythia respondit; urbemque, & agros expiari oportere, non expresso cui Deo sacra res esset facienda. Epimenides ab Atheniensibus per Niciam Nicerati filium accitus, jussit per agros oves nigras dimitti, sacerdotesque eas subsequi, & quo quæque loco constitisset, ibi Deo ignoto propitio immolari debere, itaque ex eo tempore frequentes per agros Atticæ aræ sine nomine Dei videbantur, quod factum Olympiad. XXVII. Laertius tradit. Hujusmodi aram repetit Paulus, cui inscriptum, *ἀγνώστῳ Θεῷ*. Lindii colebant Apollinem *Λοίμιον Lœmium*, hoc cognomine finita pestilentia nuncupatum, unde *Epilœmia* carmen dictum de sedata peste cantatum.

Alia sexcenta in medium afferrem, quæ cuique passim obvia. Supplicationes, vota, templa, & hujusmodi iram Dei leniunt, sed præcipue opera ex charitate vera emanantia. Divinam iram nostris irritavimus sceleribus. His abstineamus, illa mitigabitur. *Animadvertit*, inquit Seneca, *non ad ultionem Deus, sed ad emendationem*. Fæces fœdissimæ in fundo hæ nobis exhauriendæ. Nusquam tuta Fides, Probitati, Virtuti locus nullus. At feras, non culpes quod vitari nequit. De Lue Morbonia satis superque, utinam satis factum. Salutis repeto semitam, quam fausto omine, te mihi propitio, prosequor.

Sanitatis symbolum, seu tessera militaris a Tribb. data, quæ erat triangulus triplex invicem insertus ex lineis quinque constans, in quibus *ὑγίεια* inscriptum, unde *Auxilium* Deum legimus in Plauti *Cistel. Prologo*. Lege Gyraldi *Synt.* primum. Salutem precabantur olim, uti & modo sternutantibus, dicentes, *Ζεῦ σῶσον*, *Jupiter serva*. putantes morbum esse sternutamentum, vel morbi præludium. Alii adoratione illud excipiebant, non solum quod rem sacram putarent ex Aristotele, verum etiam Deum ex Xenophonte in *Cyrop.* lib. III. Atque omina tria antiquis superstitiosa recenset Pontanus in *Atticis Bellariis*; Sternutationem, cujus ominationis sollicitudinem deprecabantur, ut dixi, non quod Deum putarent. Alterum erat Palpitatio, unde solissatio. Supercilium mihi salit, de quo videndus Adagiographus. Tertium tinnitus auris. Vide prolusionem Stradæ. Hæc a me obiter, alibi pluribus. Calamo excurrenti ignosce.

Idem Hesychius mihi facem prætulit ad consuetudinem quandam, qua Prisci usi cum vestes templis, aut aris, pietatis gratia, appenderent, quas findebant, ne rapacibus, aut furacibus manibus esset obnoxiæ. *Οἱ ἀνατιθέντες ἱμάτια κατέσχιζον αὐτὰ, ἵνα μὴ ἀρθῶσι παρά τινων*. Id est, *vestes appendentes lacerabant eas, ne a furibus subriperentur*. Pecuniam vero depositam in sinu Deorum, eamque inventam post longum tempus, refert Athenæus *lib.* I. de quodam Polemo ad statuam Cleonis.

Ex eodem Athenæo *lib.* IX. eruo, ritum celebrandi nostrum diem festum in honorem omnium Sanctorum in usu fuisse etiam Athenis in honorem omnium Deorum, quem illi dixere *Theoxeniam*, cum in universum omnes invocarent Deos, Hesych. *Θεοξενία κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς*. *Theoxenia festum commune omnibus Diis*.

Ea instituta tradunt a Dioscuris Castore, & Polluce, a Deorum hospitalitate, & commercio appellata. In his ludi agebantur, præmium victorum chlæna, seu chlamys.

An non ad Romanos usque irrepsit hæc religio, Pantheon, *Πάνθειον* ædificantes, in quo miscellanea Deorum turba ex gentium superstitiosarum colluvione omnis colebatur: quod Bonifacius IV. a Gregorio dono accipiens, hic a Phoca Cæsare, in templum Sanctorum convertit. Pandicularis

dies, qui communicarius dicebatur, in quo com- A muniter omnibus Diis sacrificabatur, πάνθεος ἑορτή, *festum omnium Deorum*. Deorum simulacra Dearumque in Capitolio coli solita colligo ex Livio *lib.* VI. *Dec.* I. *Cæterique Dii, Deæque, qui Capitolium, arcemque tenetis*. Sed de hoc videndus Rosinus *Romanis* in *Antiquitatibus*. Athenis potissimum hoc festum ideo celebratum inter propria illius Reip. instituta, ut notatur ab eruditissimo Athenæi Interprete, quæ tenebantur colere θεὸς ξένυς, hoc est, *peregrinos Deos*, inde fortasse illa D. Pauli, θεῷ ἀγνώςῳ, *Dei ignoti*; ne errarent omnes, uno cultu, unoque templo venerabantur. Subscribit Pausanias in *Atticis*: B *Quæ ultro Græcis, quæque rogatus barbaris dona dederit, Athenis in communi omnium Deorum templo conscriptum est*. Subsistere hic poteram, sed libuit liberales institores imitari, qui legitimo ponderi mantissam adjiciunt, ita meis tricis accessionem facio.

Ad dies festos conveniebant quoque contractuum dissolvendorum causa. Plautus *Pseud. Ad Dionysia præstituta erat dies militi exsolvendi æs pro puella*. Hilarius etiam diebus festis egisse ex eodem Plauto percipio *Aulul. Deinde egomet mecum cogitare inter vias occepi, si quid prodegeris pro festo egere liceat, nisi peperceris*. C

CAP. XIV.

Sacrificium, & Victima, quid? Hostia & Victima qui differant? Holocaustum quid? Hostiarum varia genera recensentur. Hostiæ Superum & Inferum quæ & quot? Sacrorum divisio. Dii in oppugnatione cur evocati? Nomen urbis in sacris quare occultatum? Sacra a quo in certas classes distributa? Moveri sacra *quid? Pervigilia quæ, & quando? In iis Deum responsa. Ad iram Deorum avertendam quid factum? Sacra in aperto peracta. Immolatio & Libatio qui discrepent?* D *Litare quid? Victimarum coronæ variæ. Earumdem partes plurimæ. Sacerdotum vestes. Cespes in aris. Ad sacra Accedentium cerimoniæ. In iis cur Lictor ante Pontificem? Præconis vox in sacris. Victimæ in sacrificio semper solutæ. Earumdem probatio. Libamina quæ? Sacri quot partes?* Agon' *quæ vox? Vini libatio a quo peracta? Inter cæsa & porrecta quid? Proficiæ qualia exta? Adoratio Pontificis post sacrum qui peracta? Sacra Privata & Gentilicia quæ? Tellus in auspiciis nuptialibus invocata. In nuptiis varii ritus afferuntur.* Adire manum *quid? Sacrum in puerperio quomodo factum?* Sacra despici *quid?* Σκαφηφόροι *qui apud Athenienses?* E *Homines Inferis immolati. Sacra magica quando & a quo facta? Eorumdem instrumenta & ceremoniæ variæ. Sortes diversæ. Vota publica a quibus nuncupata? In sacris strena, & alia.* Obsecrare, & Resecrare, *quid? Devotio quæ, & quotuplex? Gratulatio, Supplicatio, Consecratio, itidem. In Idolorum consecratione quæ requisita? Post sacrificium quid factum?* Pollucere *quid & cui datum? Ministri ac Vasa sacrorum.* Ilicet *quid? Denariæ ceremoniæ quæ? Scæva verba a sacris remota. Hymnorum diversa genera.*

SACRIFICIUM, inquit Isidorus, est victima, & quæcumque in ara cremantur, seu ponuntur. F Victimæ vero, ut idem ait, sunt sacrificia, quæ post victoriam de victis hostibus immolabantur: sic dictæ, quod vi ictus percussæ caderent, aut quod vinctæ ad aras ducerentur. Erant autem victimæ majora sacrificia, quam hostiæ: plerumque tamen confunduntur hæ voces. Festus, *Hostia*, inquit, *Sacrificium quod Laribus immolabatur, quod ab illis hostes arceri putabant*. Alibi dicit hostias ab antiquo verbo *hostio*, quod ferio significat, dictas esse. Ovidius:

Hostibus a victis hostia nomen habet.

Pausan. in *Eliacis* tradit, Veteres solitos fuisse hostiam, per quam aliquis jurasset, non amplius inter edulia homini apponere. Nota antiquos totam victimam prius incendisse, unde Holocausta dicta. Holocaustum, inquit Isidorus, Sacrificium *illud, quod totum igne* consumitur. Discrimen victimæ ab hostia vide in Gyraldi *Synt*.

Hostiarum multæ erant differentiæ: aliæ enim præcidaneæ, quæ ante solemnia sacrificia pridie mactabantur, Festus.

Præcidanea agna, quæ ante alias cædebatur, quæ si erat mas & non litabatur, succidanea erat fœmina, ut notat Servius *ad* VIII. *Æneid.* sed non contra.

Præcidaneam porcam dicebant, quam immolare ante erant soliti, quam novam frugem inciderent. Idem Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur.

Succidaneæ dicebantur, si primis hostiis litatum non erat, & aliæ post easdem ductæ cædebantur, quæ quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratia subdebantur, & succedebant, ob id succidaneæ nominatæ.

Prodigæ hostiæ appellabantur, quæ consumebantur.

Bidentes hostiæ erant, quæ & cornigeræ essent, & duos dentes eminulos haberent.

Eximiæ hostiæ dictæ, quæ ad sacrificium e grege destinatæ eximebantur, oves vero dictæ lectæ.

Haruga, sive Aruga, ex Festo, hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta.

Caviares, ex eodem, pars hostiæ cauda tenus posita in sacrificio pro collegio Pont. quinto quoque anno.

Amburbiales hostiæ, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur.

Ambarvales hostiæ appellabantur, quæ pro arvis a 12. fratribus sacrificabantur, circum arva ductæ ab iis, qui pro frugibus faciebant. De his alibi in Lustrationibus.

Injuges hostiæ, quæ nunquam domitæ, ac jugo subditæ fuerant. Plato *de Leg.* VIII. singulos Deos singulis anni diebus præfecit, totidemque sacra fieri mandavit, ut unus aliquis semper ex magistratibus Deorum alicui aut Dæmonum pro civitate, pro seipsis, pro rebus suis sacrificaret.

Porro suæ singulis Diis victimæ etiam deputatæ erant: Superis albæ & impares, Inferis nigræ & pares mactabantur: Jovi prodigiali faciebant thure & mola salsa: Jovi Flamini bove candido litabatur: Neptuno, Apollini, & Marti, tauro, verre, & ariete: Heroibus, tauro, capro, & ariete. Cereri primum lacte, vino, & favis, postea porca: Cybele itidem porca: Æsculapio capris, & gallinis: Laribus gallo, sue: Marti equo: Lunæ tauro: Junoni agna: Veneri columba: Pani & Minervæ capra: Dianæ cerva: Libero Patri melle, vino, & lacte, interdum capro, & hirco: Sylvano porco: Fauno agna, vel hœdo; de quibus alibi.

Sacrorum alia publica, alia privata. Publica, quæ publico sumptu pro pop. facta, ut pro montibus, dictum *Septimontium*, pro pagis dicta *Paganalia*, pro Curiis dicta *Curionia*. Item popularia, quæ omnes cives faciebant, nec certis familiis attributa, ut Fornacalia, Palilia, Municipalia municipiorum. Peregrina, quæ aut evocatis Diis in oppugnationibus Romam sunt delata, aut quæ ob quasdam religiones per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, ex Epidauro Æsculapii, quæ

coluntur eorum more, a quibus ſunt accepta. In urbium oppugnationibus ſemper Dii evocati. Ne vero Romanorum Dii ab hoſtibus evocarentur, occultatum id ſacrum in Pontificium diſciplina, in cujus Dei tutela eſſet. Quare perite Naſcimbenus *ad verſum* 281. *Æneid.* 1. Virg.

—— *Romanoſque ſuo de nomine dicet*,

non Romam, dixit Poeta, alludens ad illud priſcorum Romanorum decretum, ne quis nomen urbis, ne in ſacris quidem, enunciaret; quod in apertum proferre audens Valerius Soranus, cruci affixus fuit. Proinde Angeronæ Deæ ſimulacrum Romæ colebatur, quod ore obligato de nomine urbis ſilentium imperabat. Idque factum fuiſſe legimus, ne Dii tutelares urbis ab hoſtibus evocari poſſent. Hac de re Plinius, Macrob. & alii.

In peregrinis ſacris peregrini non adhibiti, tanquam profani. Jus enim ſacrorum cum civitatis jure junctum eſt. Communia etiam ſacra ſunt Latinæ feriæ.

Præterea quædam ſacra ſunt, aut ſolemnia, quæ certis temporibus anniſque fieri ſolent, ut in Sæcularibus & Actiacis ludis: aut ſtata, ſeu ſolemnia anniverſaria, quæ certo die omnibus annis fiebant: aut imperativa, ſeu indictiva ex S. Conſ. ob aliquid indicta.

Alia præterea ſacra patrum, alia plebis fuerunt. Privata vero erant, quæ ſinguli homines, familiæ, gentes, ſibi aſciſcebant peragenda. Numam Pompilium monitu Ægeriæ Nymphæ referunt totam ſacrorum rationem in claſſes VIII. diſtribuiſſe, totidemque ſacerdotum claſſes, qui his præeſſent.

1. Claſſis complectebatur communia, ſeu politica pertinentia ad Curias ſingulas, quæ Curiones curabant. 2. pertinebat ad Flamines, ſeu Stephanophoros, coronam ferentes. 3. ad Tribunos Celerum, 4. ad Augures. 5. ad Virgines Veſtales. 6. ad Salios. 7. ad Feciales. 8. ad Pont. Max.

Ex priſco ritu religonis, a Diis aliquid impetraturi, quinque modis Deos exorabant. 1. vel ſacrificio, cum ſolemni ritu peragendum. 2. vel voto, cum expoſcendum. 3. vel impetrito, quo inquirendum. 4. vel extis. 5. vel ſortibus.

Solemnia ſacrificia fere omnia Pontificum fuerunt. Horum apparatus præmittebatur apertione templi, media nocte, ejus Dei, cui res divina facienda: non enim paſſim aperta templa, niſi ob res præclare geſtas gratiæ Diis agerentur: vel ob cladem aliquam irati placarentur: at cum apertio fiebat, *Moveri ſacra* dicebatur. Templum vero Honoris (ut a me alibi dictum) Hortæque Deæ perpetuo apertum; quod hæc Dea ad res præclaras perpetuo hortaretur, & ideo perpetuum precibus fatiganda. Templum quoque Jani tempore belli ſemper apertum. Apertis templis accendebantur tædæ, adornabantur pulvinaria ut fierent matutinæ vigiliæ. Pervigilia vero erant tantum Cereris, Veneris, Apollinis, & Fortunæ, cum nox tota vigiliis tranſigebatur. Deinde ſi accipienda Dei erant reſponſa, incubabant in templis; de his ritibus a me alibi. His ſacrorum ſolemnium vigiliis, populus ante lucem cum ad templa veniret, ignem in aram inferebat. Hymni interea a ſacerdotibus publicis decantabantur, collatis ad tibiam vocibus. Pontifex inde ea pulvinaria pertanſibat, his vocibus utens, *Vigilaſne Deum gens?* In hymnis intercalaris verſus a populo repetitus. His peractis ſacrificium parabatur.

Sacrificium eſt Diis rite facta ſuper aris aut focis oblatio, ſive Superis, ſive Inferis, ſive Terreſtribus.

In ſolemnibus preces præviæ. Populus cum ſacerdote veniam precabatur; at vero iratis Diis ſacra cum peragebantur, aut votiva in adverſis, aut depulſoria in prodigiis.

Orantes veniam templum clamore petebant.

Et crinibus paſſis mulieres aras ac templa verrebant. Menſtua ſacra Diis maximis celebrari ſolita, Turnebus *lib.* III. *cap.* IV. aſtruit; atque eæ erant feriæ religioſiſſimæ, cum ſolemnibus & anniverſariis non ſatis eſſe putarent defungi, ſed memoriam cultus quot Calendis, aut Idibus renovandam, ea ſacra Græci vocant ἔμμηνα *menſtrua*, ut patet ex Sophoclis *Electra*, & Virgilii *Ecloga* I.

Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant,

veluti numini potentiſſimo & præſentiſſimo.

Victima, ſeu hoſtia dicebatur animalis, cujus ſola anima Diis immolabatur; aut offerebatur eo fine, ut inde illius numinis voluntate conjectare poſſemus, cujus opem implorare vellemus.

Majores victimæ inauratis cornibus producebantur, minores coronatæ. Mactationibus ſemper adhibita immolatio a mola dicta, quæ farre toſto conſtabat, confractoque ſale & aqua ſubacto. Græci hordei primitias & placentas ex hordeo ſale conſperſas libabant.

In ſacrificiis divinatoriis Sacerdos victimam ad aram adducebat, ſtans manu aram prehendebat, preceſque fundebat auſpicans a Jano, & Veſta, ut dictum alibi. Inde Jupiter, Diique cæteri: Ne quid vero verborum præteriretur, præibat verba alius, alius *favete linguis* clamabat. Inde facta immolatio, fruges aut molam ſalſam in caput victimæ deponens, addito thure maſculo. Vinum tamen prælibabat, priuſquam ſuper victimæ caput effunderet. Hæc dicta libatio: Quo facto, ſetas inter cornua victimæ, manu evulſas, tanquam prima libamina in ignem projiciebat, converſuſque ad ortum obliquum cultrum a fronte victimæ ad caudam ducebat, ac tandem jubebat victimam jugulari per miniſtros, victimarios, cultrarios, popas, ſeu agonas: reliqui victimam partim excoriabant, & abluebant, partim ignem accendebant. Inde haruſpex rimabatur exta, explorabatque an perlitatum foret. Quibus inſpectis, miniſtri partes certas deciſas, farina farris conſperſas, in calathis ſacrificanti offerebant. Sacerdos aris impoſitas foculo incenſo comburebat, quod erat; *reddere*, & *litare*. Quibus combuſtis ad epulas ipſi ſe conferebant. Interim Diis laudes canebant; pedibus, circum aras pſallentes, pulſatis choreas agebant. Tibiæ aliquando inflatæ, mox vetitæ legibus. Sacrificantes orientem ſpectabant, Diis Superis mane, Inferis, & Manibus occidente ſole, coronati ipſi, victimæ, & aræ. In Cerealibus quercu, in ſacris Herculis populo, Apollinis lauro, & hujuſmodi. Veſtes quoque ſacerdotum variæ, aut albæ, ſeu purpureæ, aut atræ: ita & victimæ ſelectæ, de quibus a me alibi, & ab aliis. Græci autem ad ſacrificia acceſſuri id præfabantur, τίς τῇδε; *quis hic?* qui vero intererant, referebant, πολλοὶ κ' ἀγαθοὶ, *multi & boni*, id eſt, non polluti, & profani, ne quid mali ominis aut nominis occentaret. Ternarius numerus in ſacris auſpicatiſſimus ſuperorum, ex Porphyr. Vinum inter cornua victimarum effuſum ex Ovid. III. *Metam.* a Sacerdote, & ab offerentibus ex Virg. lib. IV. *Æneid.* Deinde paucis interjectis precibus, farina hordei cum ſale permixta tenui aqua perfuſa in tergus victimæ ſparſa, quæ mola dicta; tum poſt nonnullas preces villi a fronte victimæ evulſi ſuper aram accenſam conjecti, veluti prima libamina, ut dictum. Demum victima ſecuri percutiebatur, & antequam in ignem victimæ partem conjicerent, thus in flammam ſpargebant,

vinumque e patera: reliquas victimæ partes in epulas servabant: de quibus singulis a me sparsim, de universis hæc modo in epitomen. Apoll. *lib.* I. addit, post epulum gratiæ Diis actæ, linguæque victimarum in ignes conjectæ, & vini parum super illas.

Sacrificia in aperto peracta, ut observat Lactantius *lib.* II. Aræ ipsæ verbenis & lanea corona cingebantur, eaque triplici. Has vocat *tenias* Arnobius, quæ sunt filamenta lanea; Festus *infulas*. Cespes aræ superimponebatur ex more, super quo sacrificium fieret. Accedebant ad aras sacra facturi aqua, vino, ove lustrati, qui Venere abstinuisse debebant, qua polluti, sacris arcebantur.

Illos sequebatur sacris vestibus amictus Pontifex, qui ad aras sacrificii, lictore præeunte, ducebatur; hic virga populum submovebat. Tum solemnia sacrificia peracturo Pontifici exclamabat præco, *Hoc age*. Monebatur & populus, *ut linguis faveret*. Quare orationibus Deorum silentium ventorum & maris poetæ præmittunt, Horatius lib. I. *Carm.* od XVI.

Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata.

Callimachus, *Pontus*, inquit, *sacro favet silentio, Apolline canente*. Unde favorem Latini τὴν εὐφημίαν dixere, & apud Horatium, & alios, *Favete linguis*. Maro mire utrumque, *Ecl.* IX.

Et nunc ecce tibi stratum silet æquor, & omnes,
Aspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ.

Merito igitur sacris operaturi præfabantur silentium, ut pie sacra peragerentur. Sus potissima inter victimas habita, ex Clemente Alexand. Athenæo & Varrone, eaque maxime in fœderibus & novis nuptiis. At fœminæ victimæ in sacris habitæ potentiores, quare si per marem non fiebat litatio, succidanea erat fœmina, ut potentior: contra, non litato per fœminam, nulla erat succidanea. Cerda *ad Virgil. Æneid.*

Pontifex deinde sacrum auspicabatur: Victimæ floribus coronatæ a magistratu offerebantur: a Pontifice profani arcebantur, hac voce, *Procul este profani*. Pontifex postea cum magistratu fundebat preces, pacem per aras exquirens: aras ipsas orantes manibus tenebant omnes, præeunte ubique verba Pontifice.

Victima post hæc, quæ soluta sponte ad aras accesserat, (nam piaculum in sacrificio quidquid religatum) aqua pura antea lustrata, primum a Pontifice probabatur; & hæc dicebatur hostiæ exploratio. Lego tamen vino probatas hostias illarumque frontem sale, farre, id est, mola a Pontifice sparsam, uti & focum, & cultros cum hisce verbis: *Mactus esto taurus, vino, molaque salsa*. Tum ignis aræ supponebatur: *Pontifexque*

—— summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Prius enim setæ tolluntur, & quasi victima designatur. Hæc dicebantur libamina: nam in sacris primum erat libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare.

Duæ vero fuerunt libationes in sacris. Prima, cum post victimæ probationem vinum ad aras funderetur. Altera, cum sanguis hostiæ libaretur. Libatio ergo vini fiebat post immolationem, id est, postquam victima molam salsam accepisset. Post mactationem sanguis victimæ fundebatur, aliaque libamenta Diis offerebantur inter cæsa & porrecta. Cædebatur hostia Pontificis jussu: In Agonalibus princeps civitatis interrogabatur a sacrificulis, *Agon*? Jussu Pontificis accepto, supponebant cultros tepidumque cruorem suscipiebant pateris. A Pontifice victima percussa, aut, cum cultrum teneret, altero impingente, converso ad Orientem, extemplo sanguis libabatur cum thure, vino, molaque salsa. Interea tibicines concinebat. Pontifex thura iterum cum vino altaribus ingerebat, his verbis: *Mactus hoc thure esto*: *Mactus hoc vino inferio esto*. Vinum deinde Sacrificulus circumferebat, ut populus pariter libaret, sibique invicem summis labris degustandum præberent. Inter hæc pocula, libabatur Diis etiam aliquo genere libamenti, ut placenta ex farre, melle, & oleo, quæ libamenta aris imponebantur, igneque eorum pars minuta cremabatur. Hæc libamina Diis oblata inter cæsa, quæ mane post hostiam cæsam, & porrecta, quæ vesperi, cum ea, vel in olla, vel in veru coquebantur. Interea Pontifex ter aram cum magistratu circumibat, quo peracto, exta aræ imponebantur, *Redd.que* dicebantur, quod a magistratu fiebat, Pontifice jubente, his verbis: *Da quod debes, de manu dextera aris*. Cumque exta reddebantur, & in foco aræ imponebantur: hoc erat, *Porricere*. Quæ vero magistratus in aram imponebat, & profecta non erant, lustralia vocabantur, quod fiebat, cum lustrum conderetur. Exta illa porrecta, quæ sola comburebantur, dicta *Proficiæ*. Thus iterum dabatur, & vinum. Quæ exta cum nihil portendissent, iisque cor, aut caput non defuisset, se litasse credebant: tum Deos ipsos demum adorabant dextram ad osculum referentes, totumque corpus circumagentes, circa incensa altaria, hymnosque concinentes. Pontifex tandem, manibus in altum porrectis, Deos iterum precabatur, Janum primo, reliquosque, quos necesse erat invocare.

Peractis precibus Pontifex ad dextram se circumvertebat, admovensque ori suo dextram, primore digito in erectum pollicem residente, sedens Deos venerabatur; tunc populo (velut Diis ipsis ratas preces habentibus) *Ilicet* pronunciabat, quo populum missum faciebat. Hoc sacrificium publicum.

Ut religiose sacra tractarentur, sacerdotes non solum coronati accedebant, ut docet Lipsius in *Excursu*, sed etiam lavabant manus prius; quem morem & nos ad amussim servamus. Plautus *Aulul.*

Nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.

Livius *lib.* LV. *Cum omnis sacrorum præfatio eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arceat*, Seneca in *Herc. Fur.*

—— Nate, manantes prius
Manus cruenta cæde, & hostili expia.

Hesiodus in Ἐργ. vetat, ne quis mane aut Jovi, aut aliis Diis libet χερσὶν ἀνίπτοισι, *illotis manibus*: Sed aqua, quæ ex ritu erat huic ablutioni necessaria, jugi, perenni, non pluvia, aut stagnante, aut torrente. Virg. *Æn.* XI.

Tu genitor cape sacra, patriosque Penates.

De seipso Æneas loquens cæde cruento, ait:

Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Vivo rore, dixit Ovidius IV. Fast. Viva lympha, Valerius Flac. Livius *lib.* I. *Quin tu ante vivo flumine perfunderis? infima valle præfluit Tibris*. Cerda *in Virg. Æneid.* XI. Precaturi quoque manus lavabant, aqua marina potissimum, cui vis plurima expiatoria; sic Telemachus Ulyssis filius Palladi ad littus maris supplicaturus, manus prius aqua perfundit, & legati a Nestore missi.

Sacrificii privati seu Paganalis ritum pulcherrime describit Cato, *de Re Rustica* cap. CXXXIV. Publici vero Dionysius *lib.* VII. & Lucanus. Hic ritus solemnis sacrorum omnium. At alia sa-

cra alios ritus proprios habebant, absque tot ceremoniis, ut Stata, Imperativa, Repentina; nam quandoque vinum, ac thus solum Diis offerebant, aliquando pultem. Casta mola Virgines Vestales faciebant. Vinum ex imputata vite Diis libari nefas. Diis superis impari numero: inferis pari sacrificatum, & hujusmodi, de quibus a me alibi, & ab aliis pereruditè.

Privata sacra, aut gentis unius fuerunt, aut familiæ, aut singulorum, quæ, si ex instituto Pontificum stato die, aut certo loco fiebant, sacrificia erant, & sacra. Gentilitia in facello aliquo, stato loco, anniversaria fiebant, quibus tota gens intererat. Hæc sacra hæredem sequebantur. Hæc item, vel anniversaria stato die, ut Natalium, & funerum, quæ *Parentalia* dicta. Alia repentina, ut nuptiarum, &c. quæ aut ad aras, certo loco fiebant, qui locus sacer non erat, aut domi foculo super mensam posito, quæ esset aræ loco. His sacris privatis adhibebatur Minister, Aruspex, Fidicina, Popa.

Natale sacrum Genio factum sine victima, sed cum thure, & mero. Nuptialia sacra facta, cum auspicibus, captatis auguriis, votis ad aras, & domi conceptis; si per emptionem fierent, aut confarreationem; nam quæ usu mulier dicebatur, parum a concubina differebat.

In auspicis nuptialibus Tellus vocabatur, quam nuptiis præesse tradunt. Captatis auguriis uxor duci in domum mariti non poterat, nisi sacrificio peracto, quod quidem sacrificium ad aras, id est, in templis, & ædibus publicis, ubi victimæ immolabantur. In his sacris farreum præferebatur a nova nupta, unde confarreatio: farre enim conveniebat in manus viri, certis verbis, & testibus decem præsentibus, ita vir, & mulier per Pontificem Maximum conjungebantur per fruges, & molam salsam: hæc dicta confarreatio: ex his nuptiis patrimi, & matrimi nascebantur. Coemptio fiebat per æs, & libram, his solemnibus verbis, *Ubi tu Cajus, ego Caja*. Hæc dicebatur in manum conventio; & uxor loco filiæ dabatur; & vir patris jus obtinebat: ea lege, ut qui prior moreretur, hæc redem alterum sibi faceret. Igni, & aqua coemptio perficiebatur. Vota deinceps fiebant.

Solemni sacrificio peracto domi privatim, aliud repetebatur, tam a parentibus, quam ab ipsis viris.

Privatorum sacra per curiones facta. Pauperiores, vel qui exhaustis facultatibus nil haberent, quod sacrificarent, manum adibant numinis osculaturi: hinc *Adire manum Veneris*, apud Plautum.

Domi sacra domestica peracta Diis Laribus ob puerperium, vel ad placandos Deos in re difficili; vel ad gratias agendas in re læta.

Laribus sacrificatum Kalend. Id. Non. corona in focum indita. Peregrinantes Dei alicujus imaginem gestabant, ut illis facerent suis festis. In puerperio verbena adhibita, thus, bellaria, aqua præbita advenientibus, ut puris manibus supplicarent, vino cum thure focis injecto. Ex instituto Numæ in pompis, & supplicationibus sacerdotum Romanorum, incedebant per urbem Præcones, feriasque & justitium indicebant. Si quidem, Pythagoreos, ajunt, non permittere, ut obiter quis adoret, & supplicet Diis, verum ut domo statim mente ad id meditatus accedat, ita censuit Numa decere, nihil ut cives rei divinæ audirent, vel viderent perfunctorie, vel solute, sed vacui curis aliis, veluti ad summum negotium religionis adverterent animum, viasque a strepitu, crepitu, gemitu, & omnibus quæ comitantur necessaria, & vulgares operas, ad sacra præstarent puras, quorum vestigium nonnullum manere suo ævo Romæ testatur Plutarchus in *Numa*. Hinc lustrationes factæ, ut puri accederent ad sacra, & Præconis vox ante sacrum, & in sacro prædicentis, *Hoc age, quod agis*, de quo alibi. Ne vero sacra a profanis inspecta funestarentur, in publicum evulgata; in abditis, & adytis, quasi velo, ad majorem animi pietatem excitandam, occultata, videmus, ut antiqui auctores perhibent. Ritum sacrum loca velandi, & vias, cum Sacrosancta mysteria solemniter, & publice gestantur, lego servatum etiam apud Priscos, falsum licet Deum colentes. Causam reddit Flaccus apud Macrobium lib. II. *Sat.* cap. VI. qui scribit, cum Populus Romanus pestilentia laboraret, essetque responsum, id accidere, quod Dii despicerentur; anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum: evenisseque, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despexerit, & matri narrarit, quo ordine arcana pilenti, quod vehiculi quoddam genus est, composita vidisset. Qua re Senatui nunciata, tunc placuit loca velis contegi, qua pompa sequeretur. Ac ita ex illo, peste sedata, puer, qui ambiguitatem sortis absolverat, prætextæ gestandæ munus impetravit. Ambiguitas autem oraculi fuit in verbo, *Despicerentur*; nam interpretabantur, Deos, & ceremonias negligi; quum tamen oraculum esset intelligendum, Deos deorsum versus aspici, quod nefas, & ad pollutiones sacrorum spectabat. Unde & a Christianis hodie in supplicationibus viæ publice velatæ, cum scilicet Sacrosancta portantur mysteria, neque ex fenestris in vias despicere permissum, Polyd. *lib.* IV. *cap.* XI. Vela apud Ethnicos prætensa lego sepulchris, foribus ad cubicula Imperatorum religionis ergo, item aris statuisque, ut colligit Martinus de Roa; Lipsius *Electorum* lib. II. cap. XIX. quæ vela interdum pura, interdum picta. Hinc umbellæ supra capita Principum a Priscis usque mutuatæ, a nostris sacris aris preciosissimæ suspensæ. Inquilinorum apud Athenienses pueri scaphas in pompis ferre, hinc σκαφηφόροι per contemptum dicti, puellæ vero hydrias, & umbellas gestare cogebantur. Hæc velatio sacra ad profana etiam usurpata: hinc triclinia sub velis expansis, seu umbraculis agitata, quorum loco sub pergula epulabantur, &, quod fœdius, scortabantur, ut a me alibi indicatur: quare velamina, sive umbracula Veneris occultandæ causa, ut impii quæritabant, ita pii sacrorum ergo misteriorum.

A Superum sacris ad Inferum descendo, ne quid illibatum omittam. Diis Inferis sacra facta in scrobilo, id est, in effossa terra: diverso ritu, a Superum. Primo ararum numero, Superis altaribus tribus; Inferis duabus in aris sacrificatum. Superis sacrificantes abluebantur aqua; Inferis tantum aspergebantur. Superis sacrificantes thure, & vino, præsabantur: Inferis, *Pocula bina novo spumantia lacte*, libabantur ex Virg. *Egl.* V. Inferis pari numero, furvæ hostiæ, Superis, nigrantes nunquam; sed, ut plurimum, candidæ, & impares. Exploratio Hostiarum Superum fiebat supina manu vina fundendo: Inferum conversa, in sinistram manum vina invergebant: *Frontique* (ait Virg. in VI.) *invergit vina Sacerdos.* Diis Superis libari vina licebat; Inferis non licebat. Superis libabant solum; Inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem conjiciebant: unde Superis libare, Inferis delibare dicebantur. Inferos Deos ad terram manibus demissis, submissiori voce, invocabant; at Superos elata ad Cœlum precabantur. In Superis litantia cum exta sunt, læta promittuntur: Inferis contraria exta erant potiora. Dii Superi diurna sacra; Inferi noctru-

A nocturna ſemper retinuerunt, & ſi qua ſacra noctu, ut Bonæ Deæ, facta, ea ſex poſterioribus horis noctis, diei ſequenti adjectis. Diis Superis mactatæ ſolum victimæ: Inferis homines etiam immolati; quod deinde S. Conſ. vetitum A. V. C. DCLVII. quod genus ſacrificii renovatum ex fatalibus libris, cum Gallus ac Galla, Græcus ac Græca in foro Boario ſub terra vivi defoſſi ſunt, intra locum ſaxo conſeptum.

Sacra magica Diis Manibus facta, nocturna, venefica, funeſta, Cocytia, arcana, opertanea dicta, in quibus ſceleratæ preces fuſæ, quorum B ſacerdotes Magicis cœnis initiati, vel phyſiognomici, vel talorum vates, vel ignium, vel circulorum, vel pelvium, vel cribrorum, chiroſcopi, metopoſcopi, & Necyomantæ. Horum inſtrumenta, lucerna, pelvis, aqua, pila, lapilli, ſurculi, & hujuſmodi; quibus inhalatis, ad carminum incantamenta, quæ dictæ epodæ, deſcendebant; tum diræ preces concipiebantur. Digitis pectinatim inter ſe implexis precabantur, quod Veteres in ſacris aliis omnibus, votiſque prohibuerunt. Mulieres his ſacris famoſæ. Illæ dictæ excantationes. Quibus additæ defixiones, & ſortes; quæ C omnia plerumque per evocationem facta.

Evocationes fiebant ad ſepulcra. Advocabatur Luna, Triviaque, Manium potens, Mercurius, carminum vector, Illexque animi Venus; omnes veris ſuis nominibus ciebantur. Quod certo, & tempeſtivo tempore fiebat; quinta decima Luna, & novilunio, ſeu ſilente Luna.

Defixiones, veneficiorum genus, hominum exitium portendens, cujus ritum innuit Tacitus *Annalium* III. *Reperiebantur* (inquit) *ſolo, ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis litteris inſculptum, ſemiuſti cineres, aliaque malefica* D *queis creditur animas numinibus infernis ſacrari.*

Sortes, vel privatæ, vel publicæ: privatæ quibus inquirebant aliquid. In his potentes fuerunt, vates ignium, cribrorum, circulorum (vere præſtigiatores) qui verbis nitebantur ſine ſacris. Per ſitulam ſortitio fiebat, quæ aqua plena adferebatur, in eam conjiciebantur ſortes, e duriore aliqua materia; quarum prima foras exiens vincebat. Sortes publicæ fuere, oracula: Aliæ vero ducebantur ex arca ad mentem Deorum indagandam, commoto alveolo, ſortitione facta.

Deorum voluntas, ut extis, & ſortibus impetrito (impetrire eſt Augurali diſciplina litare in E ſacrificiis) inquirebatur; ſic voto illa expoſcebatur; cui tunc locus, cum ſpes nulla.

Votum publicum præeunte Pontifice Maximo Conſul nuncupabat in maximo Reipublicæ diſcrimine. Ver ſacrum de Senatus ſententia, populique juſſu vovebatur, ut quodcunque pecus vere proximo naſceretur inter Calendas Martias, & Calendas Majas, ſe Diis immolaturos voverent. Pro ſalute Principis deinde vota concepta; cum Kalendis ipſis in acta illius jurabatur in illius domo. Summa votorum hæc: *Imperatoribus vita* F *prolixa; Imperium ſecurum; domus tuta; exercitus fortis; Senatus fidelis; populus probus; orbis quietus.* Hæc votorum nuncupatio vel in Principiis, vel in Capitolio: illa in caſtris, altera in urbe: illa curante commilitonum pietate circa Principis ſalutem, hæc Pontifice præeunte. Libra auri probi excocti in votis ſolemnibus, ſtrenarum loco offerebatur. Precatio, quæ in omnibus ſacris uſurpata, eſt oratio, qua quid Diis commendabatur; quæ vel impetrita, vel depulſoria, vel commendatoria. Impetrita, qua Deorum voluntas extis, vel ſortibus inquirebatur. Depulſoria, qua Deos Averruncos precabantur hac formula. *Te precor, quæſoque uti ſis volens; propitius mihi, familiæque noſtræ, ut ita morbos viſos, inviſoſque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperantiaſque prohibeſſis, defendas, averrunceſque.*

Commendatoria erat, in qua Deorum numini Reipublicæ fortunam in adverſis committebant, quod fiebat, vel obſecratione, vel precatione. Obſecratio certis precationibus a ſummis magiſtratibus fiebat, & ne quid verborum præteriretur, aut præpoſtere diceretur, ſcripto præibat aliquis; alius præponebatur, qui *favere linguis* juberet: Tibicen canebat, ne quid aliud exaudiretur. Hæc obſecratio facta in templis, ut Dii exitium ab urbe arcerent. Et quia obligabantur ii, quos obſecrabant, ad id præſtandum, quod petebatur, ideo petentes dicebantur obſecrare, obſecrati vero reſecrare, ut ſolverentur religione; ita populus obſecratus, in comitiis jubebat petentem reſecrare, ne liberum ſibi adimeretur ſuffragium.

Precationes eæ dicuntur, quæ in libris Sacerdotum habentur, quorum formulæ variæ pro varietate Deorum.

Devotio duplex, coacta, & voluntaria: coacta ex libris fatalibus, vel Aruſpicum reſponſis, ut cum Senatus Conſulto in foro Boario vivi aliquando defoſſi ſunt. Voluntaria, Diis expoſtulantibus, hominum in Rempublicam vel Principem obſequia. Harum exempla paſſim in hiſtoriis. Ex Livio devotionis ritum Curtii elicimus, Capitolium intuentis, manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigentis, Pontifice precationem præeunte: hujus formulam lege in Livio *libro* VIII.

Gratulatio εὐχαριστία eſt gratiarum actio, qua Deos venerabantur, vel ob voti ſolutionem, vel ob publicam lætitiam, vel ob bellum proſpere geſtum. In gratulationibus (ex Tullio) mentum Herculis oſculari ſolebant: Ob votum, cum redderetur, proprie Gratulatio: Ob liberalitatem, Primitiæ: Ob bellum proſpere geſtum, Supplicatio.

Vitulatio in ſolemnibus ludis, & inſperata privatorum lætitia, Græce dicitur παιανίζειν. Vitulatio proprie in victoria parta, dum non in bello civili.

Supplicatio ad pulvinaria in rebus adverſis edicebatur etiam cum lacrymis ad placandos Deos, aut ad prodigia procuranda, & morbos avertendos. Aliquando etiam in principiis bellorum hæc decreta. Ob prodigiorum ſupplicationem decreto Pontificum ſupplicatio indicebatur, cujus ritum Livius deſcripſit *lib.* III. & *lib.* XXVII. Ad morbos expellendos, procurante Collegio Decemvirorum, ſi libros adiiſſent, aut per compita, tota urbe, aut circa pulvinaria, aut per omnia fora, & concilia ſupplicatum per triduum, vel biduum. Atque in his pure, caſteque a matronis ſacrificatum; hæ ſupplicabant quandoque manibus amplexæ, & coronatæ, hymnos certis carminibus conceptis modulantes.

Adoratio, eſt cum præſentia numina alloquimur. Adorare, eſt, ad os orare, quæ geſtu aliquo deſignatur, ut oſculo, manus extenſione, corporis inverſione dextrorſum, genu inflexione, capite operto, præterquam Honori, & Saturno. In ſummis periculis, procumbere, ſupplicum fuit, limina oſculari, caput allidere, ad aram repere, crinibus templa verrere, & hujuſmodi.

Conſecratio omnis, aut ad honorem pertinet, aut ad contumeliam; utraque aut ad res, aut ad perſonas refertur. Quæ honoris fuit, reſpicit aut Deos, aut ex hominibus ſacerdotes, principes, privatos. In deos relatio, ἀποθέωσις, principum erat. Inauguratio, ſacerdotum. Devotio, privatorum. Quæ Deorum fuit, illa in ſtatuis, & ima-

ginibus perficiebatur. Ad res spectat, mobilium, aut immobilium dedicatio. Consecratio, quæ contumeliam adferebat, rerum etiam est, aut hominum, qui in leges peccarunt.

In Idolorum consecratione tria exigebantur, ornatus, consecratio, & oratio. Primum enim adornabant Idolum varia supellectile & preciosa, ut animum multitudinis pellicerent; sic exornatum consecrabant; unde dies dedicationis celebris apud illos. Verba concepta illius periere cum libris Sibyllinis. Consecratio ad contumeliam extendebatur ad hostes & ad cives, quæ a Tribuno plebis fiebat, capite velato, advocata concione, foculo posito pro rostris, Pontifice verba præeunte, adhibito tibicine, qui cum Tribunum obtestaretur, Tribunus preces & prisca verba efferebat, bonaque Deo alicui, Deæve addicebat. Atque hoc est esse sacrosanctum. Hominum consecratio, seu potius execratio, dicta devotio, quæ non ad privatos solum, vel hostes, sed ad impios quoque Imperatores porrecta.

Sacrificio peracto, cœna semper parata, & ad extra familiares, aut convivas sibi sacrificans quærebat. Epularum celeberrimæ in Capitolio Jovi, in lectulo; Junoni, Minervæque, in sellis constitutis; & populo denunciabantur a sacerdotibus pridie, quam celebrarentur. Hic locus dictus cœnatio, ad quam Triumviri epulones instituti ad hoc sacrificium epulare peragendum. Aliud epulum Herculis celeberrimum, quod tibia publicabatur, ut Jovis. Hoc tanto sumptu fiebat, ut Herculanarum decimarum & polluctorum impensas superaret. Hinc dictum Plauto, *Pollucibiliter obsonare*, id est, opipare epulari. Pollucebant esculenta & poculenta omnibus Diis, & potissimum Jovi Dapali, & Herculi; nam pollucere dapem, est illam sine contagione profanare, id est, sacro eximere, & populo exponere. Mercurio pollucebant mercatores, & sæpius Herculi.

Sacrorum ministri Popæ, & Victimarii. Popæ hostias mactabant. Victimarius illas apparabat, cultrum, aquam, ignem, molam, & hujusmodi.

Simpulatrices fœminæ dicebantur rebus divinis deditæ, a simpuvio vase, quo vinum in sacrificiis libabatur, ut notat Rosinus.

Scaphia dicebantur ea instrumenta, quibus Soli appositis ignem concipiebant ad restaurandum eum, qui Vestalium incuria erat extinctus, Rosinus.

Vasa & instrumenta sacrorum nulla domus non habebat, quæ paulo locupletior. Hæc, Anclabrum, Patella, Armillum, Atanuvium, Calices, Præfericulum, &c. quæ dicuntur a Festo, Aquiminale, item Simpuvium, Capedines, Hydriæ, Crateres, Canthari, Scyphi, Briæ, extaris Olla.

Cætera supellex sacrorum ad Pontifices spectabat, Acceres, Dolabra, vel Securis, Secespita: mallei enim, cultrique Popæ fuerunt, & Victimarii. Aquiminarium vas lustrale; Aspersorium, quo populus lustrabatur: Disci, in quibus exta hostiarum recipiebantur; Magmentarium, in quo Proficiæ referebantur; Infulæ hostiarum, & alia innumera, quibus supersedeo.

Re vero divina, & sacrificio peracto, sacrificulus succlamabat, *Ilicet*, qua voce illos, qui interfuerant, missos faciebat, quod & dictum semper in fine transactæ rei, sic Judices de consilio dimittebantur, per præconem, dicto *Ilicet*, & Senatores, addendo, *Nemo vos moratur*.

Peracta vero re divina, conversus ad plebem sacerdos ajebat λαοῖς ἄφεσις, id est, *populis missio*, ut apud Apulejum *lib.* VI. hinc fortasse dicta no-

A stra Missa, in cujus fine Sacerdos profatur, *Ite Missa est*, id est, *Ilicet*, Ire licet, & *Missa* dicitur pro *Missio*, id est, dimissio; quod olim bis repetitum in sacro, cui intererant Catechumeni, Deserti, & Pœnitentes, semel ante consecrationem, & fractionem, cum Diaconus ita proclamabat, *Si quis est Catechumenus, exeat; Ite Missa est*. Iterum in fine cum cæteri dimittebantur, quod hodie quoque usu receptum, & ego tibi exclamo, Ilicet, Missa est: Nemo te moratur.

Alii, verius fortasse, hoc vocabulum *Missa*, non a Græcis, sed a Judæis acceptum ferunt: neque enim verisimile est a recedendi facultate,

B nomen sacrificio huic inditum. Græci enim non ἄφεσιν, sed Liturgiam λειτουργίαν, id appellant, quod Hebraice, *Missa*, *Deuter.* cap. XVI. *Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, Missa*, id est, *oblationem spontaneam manus tuæ*. Vide Alciati *Parerga*, lib. VII. cap. X. In fine ergo dicitur, *Ite Missa est*, id est, *Ilicet*, *oblatum est*.

Denarias cæremonias refert Festus, ea fuisse, quibus sacra adituris decem diebus certis quibusdam rebus carendum erat. Sic & Tricenariæ cæremoniæ dicebantur. Ne vero sacra vitiarentur, prisca superstitione scæva verba non prolata.

C Hinc, *mactare*, pro occidere, *adolere*, pro incendere, *fuisse*, *obiisse*, pro mortuum esse. Mactare enim est augere, unde sacris operantes, vinum libabant, *Macte hoc vino inferio esto*, proferentes. Hæc, & alia alibi ego, leviter. Alii melius, copiosius. Hymnorum genera, tria refert Rhodiginus *libro sexto, capite sexto*, Prosodion, Hyporchema, Stasimon. Prosodion, sive λιτανεία supplicatio cum hymno, ubi Deos adirent, ac sacrificarent. Hyporchemata a saltantibus cantabantur in altaris ambitu, ubi jam igni admota essent sacra. Stasima vocabant, cum quiescentes canerent.

D Oculus, qui varie se inflectit, intente nihil videt; sic mens, quæ avocatur: certa amittuntur, dum incerta investigantur. Ego his sacris non initiatus, mystica hujusmodi tantum per transennam inspexi, quæ ex usu magis, quam in usu. O ego pepone insulsior, qui hæc tibi inculco, trita magis, ac nota tuis digitis. Amor obsequiosus nimis me cicada reddit vocaliorem. Quænam vero conspirantis Genii virgula nos conjunxit? quæ non fortuna dicam, sed sympathia? iisdem sacris ferme operati, ut paria faceremus omnia.

E

CAP. XV.

Cerriti quid? Insanorum immolatio. Laribus quis primus sacrificavit? Iisdem pars cœnæ donata. Canes his erant dicati. Larium imagines ubi asservatæ? Lararius puer quis? Decurio quorum magister? Larvæ unde dictæ? Supplicium nullum de reis sumptum noctu. Carnificis domus ubi? Dies & locus suppliciorum. Carcerum tria genera. Rei dextra nexi, læva Præfectum tenebant. Quis carcerem Romæ primus ædificavit? Carceris variæ denominationes. Tarpejum saxum unde dictum? Carcer ultimum supplicium Senatorum.

F *Libera custodia quæ? Carceribus liberati cœna donabantur. Bona reorum Diis dicata. Parricidarum pœna. Primus eorum apud Gentiles quis? Indorum pœnæ. Vinum damnatorum quale?*

STULTORUM plena omnia, ex Tullio,

Nimirum insanum paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.

His olim curatores dati a Prætore. Horatius *lib.* I. *epist.* I.

Insanire putas solemnia me ——
Nec medici credis, nec curatoris egere
A Prætore dati.

Item *Sat.* III. *lib.* II.

—— *Interdicto huic omne adimit jus*
Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.

Ad cognatos vero & gentiles deducendos mente captos autumabant; & lex XII. *Tabularum* rerum suarum dominium illis interdicit. Hos *Cerritos* dictos a Plauto, quod a Cerere essent percussi, alibi elleborosos, quod elleboro ille morbus curaretur, reperio. Unde proverbium, *Bibe elleborum,*

Si tribus Anticyris caput insanabile ——

Sed etiam Laribus porcum eos immolasse elicitur ex Plauto, in *Menæchmo* his verbis:

Quibus hic pretiis porci veneunt sacres sinceri?
CY. nummo ME. eum a me accipe.
Jube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem insanum esse te certe scio.

Horatius *Sat.* III. *lib.* II.

Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis
Hic porcum Laribus.

Dionysius Halicar. refert, quinam primus instituerit morem sacrificandi Laribus sue, his verbis: *Æneas suis fœtum una cum matre Diis Penatibus primus sacrificavit.* Laribus primitiæ immolabantur, unde prov. *Ab ipso Lare.* Vide.

Partem cœnæ Lari, Diisque offerebant, & in focum mittebant Lari sacrum, quod erat libare dapes. Horat. *lib.* II. *Sat.* VI.

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus ——

Varro apud Nonium: *Quocirca oportet bonum Civem legibus parere & Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Inde dicti a Plauto Dii *patellares,* quibus in patella libabatur. Tales Dii erant in Larario domestico Penates, & Lares. Turnebus *lib.* VI. *cap.* VII.

Lares putati iidem cum Penatibus, qui & publici urbium, & privati domorum, creditique pericula urbium & domorum imminentia depellere, atque his pueri pro familiarum salute immolabantur: sequentibus temporibus, ex Majolo, apud Romanos alliorum papaverumque capitibus pro pueris, immutato ritu, illis sacrificatum fuit. Canes præterea erant his dicati, uti etiam Dianæ, illis etiam focus erat consecratus. Ludi Larium erant in urbe, Compitalitii per compita ex Tibullo, & Ovidio. Dion. Halic. *lib.* IV. *Sacrificia compitalitia sacra facientibus non ingenuos, sed servos ministrare voluit, quasi hoc gratius esset Laribus.* Genii quoque placati per servos. Erant & Lares marini. Nonius: *Suspendit Laribus marinis molles pilas, reticula, strophia.* Lares viales invocati a viatoribus, uti & Mercurius, & Apollo Agyieus: in Larario non solum Lares servati cum imaginibus amicorum & clarorum virorum, sed etiam illis sacrificatum. Picumnus princeps fuit Larium *Noster* vocatus, & *Patrius,* & *Suus,* ab auctoribus. Diversus ab hoc erat *Familiaris,* cui cura foci, & familiæ, id est, servorum, qui etiam in foco tanquam in præsentia Dei sui cibum sumebant, hic fortasse erat Saturnus. *Lar,* Hetrusca voce, præstitem, & principem significat, ex Scaligero *ad Propertium.* Hinc Lares dicti variarum rerum antistites. Lar cœlestis, Jupiter, Janus. Unde Lares urbium. *Viarum Lares,* Mercurius, Hercules, Sanejus Lex. Philol. Vide *Lar.*

Larium imagines servabantur in cubiculis, vocabanturque custodes, quod percipitur ex Suetonio in *Augusto* cap. VIII. dicente: *Turinum co-*

A *gnominatum satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem, ferreis, ac pene jam exolescentibus litteris, hoc nomine inscriptam, quæ dono a me Principi data inter cubiculares colitur.* Inter eas enim imagines eorum etiam, quos amarent, collocabant. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* II. *Iidem & vultus Epicuri per cubicula gestant, quibus imaginibus puer custodiæ appositus.* Suetonius in *Domitiano* cap. XVII. *Puer curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens interfuit cædi.* Has pone imagines gladios asservabant ad caput positos;
B simulacra etiam Deorum tori genialis. Puer Lararius vocabatur, cujus cura hæc, ut omnia in Larario diligenter essent ordinata, dictus etiam magister, decurio Larium. Larium sedes in compitis lucorum & urbium, Turnebus.

Lararium vero domus sacrarium, ubi Dii domestici & Lares culti, cuique familiæ propitii; in hoc imagines majorum, quas æreas habebant pictas & coloratas, non integras, sed capita humero tenus servabant, quas in Gentilium funeribus exportabant. Marcel. Don.

Non solum igitur Laribus sacrificabant porcum stulti, sed & qui stultitia liberabantur; namque
C a Laribus Larvæ dicuntur: a Larvis Larvati, id est, furiosi: vel quia Mania Larium mater, idcirco Mania, & Lares templum commune aramque communem habebant, & sacra communia. Porcus autem ideo immolatus, quia Lares Grundules dicebantur, Romæque erant Grundules consecrati ob porcam, quæ 30. peperit sues.

Sequitur altera scena satis feralis, non tamen ab re, quia de re prisca, usitata. Nullum supplicium de reis sumptum noctu, sed interdiu in omnium oculis, ut nostra fert consuetudo, ad exemplum terroremque aliorum. Præter alios
D plurimos Seneca lib. III. *de Ira* cap. XIX. disertissimis innuit verbis: *Quid tam inauditum, quam nocturnum supplicium? cum latrocinium tenebris abscondi soleat, animadversiones quo notiores sunt, plus ad exemplum & commendationem prosunt;* ideo sævitiam C. Cæsaris detestans ait, *cap.* XVIII. *Quosdam ex illis cum matronis & Senatoribus ad lucernam decollaret.* Hic Argentarius apud Senecam patrem *Contr. Age lege: Scis,* inquit, *quid dicat? interdiu age, in foro age.* Ubi tempus nota, & locum, ubi supplicia sumenda; in foro, in omnium oculis.

Sed de foro aliter usurpatum: nam supplicia
E apud Romanos sumi solita extra portam, ne frequenti cæde ac sanguine contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas, extra portam, inquam, Metiam, & Exquilinam. Plautus *Casina:*

Ille ædepol videre ardentem te extra portam
Metiam.

Atque ideo carnificis domus extra urbem fuit. Idem Plautus *Pseud.*

Jam hic ero, verum extra portam Metiam currendum est potius,

F ut notat Muretus, Lipsius, & alii.

Quod Lictores in urbe peragebant, videlicet virgis, aut securi plectentes, id Δεξιολάβοι in militia. Manum nimirum injiciebant maleficis & sontibus: eosque apprendebant, quod nominis ratio manifeste explicat: inde Δεξιολάβοι dicti: & carceri quoque mancipatos, aut ad supplicium producendos custodiebant, stipabantque, atque inde eos παραφύλακας interpretantur Græci, quod colligit eruditiss. Jo. Meursius in *Lexico Barbaro* ex Constant. Porphyrog. & Suida. Lacedæmoniorum ritus diversus refertur ab Herodoto *lib.* IV. *Quoscumque Lacedæmonii morte plectendos censent, eos noctu plectunt, interdiu neminem.*

Sed non solum interdiu capitales pœnæ exactæ (apud Romanos) sed statis diebus, non festis, at profestis. Seneca *Declam.* IV. l. V. *Sic*, inquit, *diebus festis intercedentibus, pœna ex lege dilata est.* Differebatur igitur in profestum, & negociosum diem. Hinc Socratis supplicium dilatum post triginta dies, quod illo mense Delia festa celebrarentur, ut in *Epistolis* refert Seneca. Apud Græcos etiam nefas sumere diebus festis supplicium, licet sumpserint aliquando. Plutarchus in *Phocione*: *Phocion accersito quodam amico, ait, anne gratis quidem mori Athenis liceret? petiitque, ut carnifici illud æris daret. Dies erat mensis Munychionis decimus nonus, ac pompam Jovi agentes prætervehebantur equites, quorum alii coronas detraxerunt, alii fusis lacrymis fores carceris respexerunt. Existimaverunt illi, qui non prorsus erant immanes perversaque ira, atque invidia, animo rem maxime detestandam, quod non sustinuisset illo die, neque a cæde publica, solemne agens, abstinuisset Civitas.*

Ut vero a carceribus ad calcem percurram, tanquam phylacista, carcerarium compendium relaturus, ajo, Carcerum tria genera Romæ; Urbanum nempe, Rusticum, & Castrensem. Urbanus in Urbe, ubi Cives custoditi. Rusticus, sive ergastulum, ubi mancipia. Castrensis in castris, ubi captivi catenati, fuit. Urbanus carcer triplex pro triplici modo reos servandi, vel enim in loco conclufo, sed sine militari custodia, ut servitia plerumque, & plebs; aut cum custodia militari; vel demum in ædibus magistratuum asservabantur. Custodia militaris frequentissima, tum Romæ, tum in Provinciis. Vinciebatur autem dextra nexi ferrea catena una, & altera, quæ ejusdem custodiæ Præfectum læva manu alligatum tenebat, quod innuit Seneca *de Tranquill.* c. X. *Sed quid refert? eadem custodia universos circumdedit, alligatique sunt, qui alligaverunt: nisi forte tu leviorem in sinistra catenam putas.* Et *epist.* V. *Quemadmodum eadem catena, & custodem, & militem copulat.* Athenæus *lib.* V. Josephus idem planissime confirmant. Aliquando duo milites uni tantum reo custodes dati, ut in *Actis Apostolorum* legimus de D. Petro c. XII. *Dormiebat inter duos milites duabus alligatus catenis*, &c. Suetonius in *Domitiano* non refragatur.

Tres in *civitate* carceres notat Plato II. *de Legibus*: *Cum*, inquit, *sint carceres in civitate, unus quidem in rerum venalium foro, ubi permulti asserventur ne fugiant: alter is, qui nocturnos cœtus habere solet: tertius in medio regionum, ubi desertus & agrestis locus est infamis.* Novar. *Sched.*

Pœna autem custodis, ob avaritiam deferentis reum, capitalis erat. Ita Paulus J. C. *Si pecunia accepta miles custodiam dimiserit, puniendus est.*

Carcerem Romæ Ancus Martius primus foro imminentem frequentem valde ad malorum terrorem ædificavit. Rhodig. eruditiss. tria carceris genera constituit, unum, quo immodesti, & indocti a doctis noctu erudiendi compellebantur: alterum, quo ære alieno oppressi, & petulantes detinebantur: tertium ubi scelestissimi quique propediem plectendi asservabantur.

Carcer a Cypriis Ceramos, ab Atheniensibus Labyrinthus, seu Domus, dictus. Ideo Appius Decemvir carcerem, quem constituit, domicilium plebis appellavit. Athenis Barathrum locus, in quem deturbati nocentes. Galeagra carcer Caligulæ, teste Dione. Gorgyra apud Herodotum, est subterraneus carcer. Ancon ἄγκων (id est, *cubiti flexus*) domicilium fuit ergastularium in aula Gelimeris Tyranni obscurissimum, in quod conjiciebantur, quicumque infensi Tyranno existimabantur. Apud Messenios carcer Thesaurus erat, locus neque auram, neque lucem exterius excipiens, cujus nullæ fores, sed intus saxo occludebatur. Termerio in Caria. Carontica janua pro quolibet carcere a priscis usurpata scriptoribus.

Coquorum rapacium & furum locus supplicii dicebatur puteus, sive hypogæum, barathrum, Græce λάκκος, in quo sepulti post flagellationem. Colligo id ex Plauti *Aulul. Coqui abstulerunt; comprehendite, vincite, verberate, in puteum condite.* Corax Bœotorum, Lethes Persarum. Ita dictus carcer, quod ii qui in eum detrudebantur nunquam exirent veluti alta oblivione sepulti.

Saxum Tarpejum, e quo nocentes præcipitati, juxta Capitolium, non absimile fuit Spartanæ Cæadæ. Cæada enim (ex Pausania) est fovea dehiscens Spartæ, in quam maximis criminibus damnatos præcipites agebant. De saxo Tarpejo hæc Plut. in *Romulo*: *Tarpeja ibi sepulta, ab ea tumulo nomen inditum mansit usque ad Tarquinii ætatem, qui cum locum dedicasset Jovi, reliquiis alio translatis, Tarpejæ nomen simul mansit, præter Capitolii saxum, quod & his temporibus Tarpejum vocant, e quo sontes præcipitare soliti sunt*, &c. Robur quoque Romæ, sceleratus campus, Gemoniæ scalæ, Athenis hic locus præceps dicebatur, Acropolis; innuit hunc Seneca in *Hippolyto* Act. I. vers. 259.

An missa præceps arce Palladia cadam.

Syracusis locus supplicii, in quem scelesti dejiciebantur, Latomiæ dicebantur, ita dictæ, quod in rupe essent a Dionysio Tyranno excisæ. Cic. *in Verrem* VII. *Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ Latomiæ vocantur, in istius imperio domicilium Romanorum fuit.* Unde apud Plautum in *Capt.* Tyndarus in Latomias lapidarias ab Hegione damnatur; hinc ad Latomias damnari, & ad metalla, de quibus alii pluribus, & erudite: & ego alibi: Plutarchus in *Nicia*: *Athenienses plerique in Latomiis morbo, & victu pravo absumpti sunt, siquidem hordei heminæ binæ, singulæ aquæ, illis in diem præbebantur*, &c. Decas carcer Ephororum: Plutarch. in *Agide*: *His auditis Ephori morte damnatum, ut in Decada ipsum deducerent, præcepere: est autem Decas in carcere locus in quo morte damnatos strangulari consuetudo fuit.* Idem *ibidem*: *Similis huic locus Tullianus Romæ a Tullo Hostilio institutus, unde nomen accepit, noxiorum supplicio destinatus.* Salust. *in Catil. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Apud Messenios Thesaurus nuncupatur. Plut. in *Philopœmene* his verbis: *Tandem deportaverunt eum in cameram subterraneam, quam Thesaurum vocant, aeris, lucisque externæ expertem: nec habet ea fores, sed ingenti clauditur saxo machina superimposito*, &c. Cæada, καιάδας, locus apud Lacedæmonios, in quem sontes dejiciebantur. Plutarchus in *Agide*: *In Cæadam auferunt; is locus in carcere est, in quo judicatos strangulant.* De hoc Strabo *l.* VII. Thucyd. I. Pausan. in *Messen.* Sestertium vero apud Plutarchum in *Galba* locum fuisse reperio, in quem eos quos Imperator supplicio dediderat, abjiciebant. *Galbæ autem caput, Patrobii, Vitelliique servis dono dederunt, quod illi accipientes, ubi multifariam pulsassent, & omni contumelia affecissent, abjecerunt, quo solent eos, quos Cæsares supplicio dedunt. Is vero locus Sestertium vocatur.* Hæc Plutarchi verba.

Carcerem Senatori Rom. ultimum fuisse supplicium, Plutarchus in *Cic.* innuit his verbis: *Ut etiam immutatus Syllanus retractaret se, negaret capitalem se dixisse sententiam. Ultimum enim Senatori Pop. Romani esse carcerem supplicium.*

Carcer liber erat, cum apud privatorum domos vincti erant, sub militari custodia, non in publico carcere. Salust. *in Catil. Decrevit Senatus, ut abdicato magistratu Lentulus itemque cæteri in liberis custodiis habeantur.* Hæc ergo dicta libera cu-

stodia, quæ & militaris dicta, quod Centurioni alicui traderetur servandus reus, vel Tribuno, vel militi. Hæc custodia opponitur Carceri, qui erat plenus rigoris, & vincti compede tenebantur (quæ dicta castra) & catenis ad colla, manus, pedesque.

Ægyptiorum pulcherrimum morem lego in Plutarchi *Cleomene*, missa nempe fuisse munera a Rege, & cœnam datam iis, quos carcere liberare volebat: en ipsa Plutarchi verba: *Ptolemæo forte Canopum profecto, primo vulgaverunt rumorem, liberari eum a Rege custodia. Deinde quod in more Regi esset, ut, quos erat carcere soluturus, cœnam his, & munera mitteret, amici multa talia apparata miserunt foris in Urbem Cleomeni, quo circumveniunt custodes, qui ista missa putabant a Rege, quippe sacrificavit, participavit eis hæc liberaliter, impositaque corona accumbens amicis epulatus est.*

Quos morte damnabant Romani, hos nec odisse nec amare jurabant. Non damnabant in convivio. Quare Senatu movit Censor Cato L.Q.Flaminium, quod Placentiæ nobilem Bojum transfugam, vel hominem damnatum, in convivio interfici mandasset. Impunes erant damnatorum filii. L.tamen Sylla primus eorum, quos proscripserat, filios magistratu abdicato Senatu ejecit, & Tyrannorum liberos interfecere Græci. Stipem olim collectam pro detentis in carcere colligimus ex Libanii *orat.* XIX Tom. II. *In carcerem, ait, detrudunt, ac pro illis stipem colligunt, ac suppeditant commoda.*

Alexandrini reges capite damnatis, pridie quam securi ferirentur, munuscula quædam mittebant, quibus videlicet erga carceris custodes, aut a quibus beneficii quippiam accepissent, gratos se ostenderent. Persius.

Apud Romanos si qui nefarii ultra morem fuissent, & aliquo insolito polluti crimine, plumbo necabantur vel unco pertrahebantur ad Gemonias scalas. De hoc pœnæ genere vide Cujacium *lib.* VII. *Observ. cap.* XIII. Horatius utrumque pœnæ genus complectitur illis verbis lib. I *Carm.* od. XXXV.

—— *Nec severus.*
Uncus abest, liquidumque plumbum.

De unco Juvenalis *Satyr.* X.

—— *Sejanus dicitur unco*
Spectandus.

Vide Senecam *de Tranquill.* & alios multos, qui de pœnis Martyrum agunt, & me alibi. Thessali habebant locum suppliciis destinatum, cui nomen *Corvi*, ex quo noxii agebantur in præceps, quod Zenodotus in *Collectaneis* auctoritate Menandri confirmat. Persæ item habebant carcerem nomine *Lethen*, & domicilium cineribus plenum, ad quod nemo nisi moriturus accedebat. Æthiopibus Macrobiis, locus erat noxiorum *Heliotrapeza* nomine, reos autem aureis catenis hæc gens devinctos tenebat. Herodotus in *Thalia*: *Deinde a fonte Rex istos ad carcerem deduxit, ubi viri omnes aureis vinclis erant alligati, est enim apud hos Æthiopes omnium rarissimum, ac pretiosissimas*, &c.

Ex noxiorum bonis sacra Diis exhibita fuere. Ab bestias etiam damnati scelestissimi homines, qui bestiarii dicti, tenebantur autem cum bestis depugnare.

Damnatis demum imagines ademptæ. Dio quoque Vitellii statuas in carcerem tractas fuisse memorat, ut alibi innuo.

Parricidas Romani culeo inclusos cum gallo gallinaceo, simia, & vipera in mare præcipitabant. Primus fuit tanti sceleris reus M. Maleolus. *Ægyptii illos per singula membra acutis calamis impetebant, & sic innumeris ictibus dilaniatos super spinas comburebant.* Diodorus Siculus *lib.* II. *cap.* III. Patri autem, filium qui occidisset, hæc pœna constituta. Idem *ibibem*: *Patribus qui filios occiderent, non erant pœna mortis indicta, sed tribus diebus noctibusque continuis edictum, ut circa defuncti corpus assisterent, publica etiam custodia astante*, &c. Cujuslibet vel maximi sceleris rei apud Indos nullam subibant pœnam, nisi quod a Rege tonderi jubebantur. Aliis suppliciorum generibus abstineo, alibi tractaturus.

Supplicio afficiendis cum ad crucem ducerentur, verisimile ducit eruditissimus Cerda *Adversf.* cap. CLXXVII. ad doloris magnitudinem minuendam, pias aliquas matronas vinum protulisse, atque eam fuisse populi Judaici consuetudinem colligit ex variis Scripturæ locis, & Servatoris nostri potu recusato in extremo illo vitæ supplicio pro maculis nostris eluendis. De bonis damnatorum fieri sacra Isidorus in VI. meminit, & Festus. Hinc etiam sacer homo, sacra bona, & sacrum pro execrando sumptum, quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant, Isidorus *lib.* V. Vinum vero damnatorum nullum est aliud ex Pontano in *Atticis Bellariis*, nisi illud, quod ex damnatorum mulcta, & supplicio comparabatur, ex quo Diis sacrificare, ac proinde convivari etiam peracto sacrificio Veteres consuevere.

CAP. XVI.

Diis Superis qui vota nuncupata? Terra effossa quando? Libamina plurima. Aquæ lustralis usus. Ejusdem conficiendæ modus. Jugulatio victimarum diversa. Earundem evulsio pilorum. Evocandorum Manium ritus. Dii ligati in triumphum ducebantur. Sepulcra qui exornata?

IN gaudio, & bono nuncio Cœlum adoratum probavi ex Suetonio in *Nerone* cap. XLI. *Ad eam speciem exiluit gaudio, cœlumque adoravit*, quia, credo, omne bonum superne, hoc est, e Cœlo venit. Ideo prisci Heroes manibus in Cælum sublatis Jovem, cæterosque Deos cœlestes precari solebant; maritimos ad mare projectis; Manes, & inferos, terra percussa. Sextus Pompejus ait: *Diis cœlestibus solita fieri sacrificia in ædificiis a terra exaltatis, Diis terrestribus in terra, Diis inferioribus in effossa terra*: & Lactantius ait, ita nominata altaria, quia manus in altum porrigimus sacrificaturi superis. Primi moris exemplum habemus apud Virgilium *Æn.* lib. I.

Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas.

Lib. III.

Tendoque supinas ad Cœlum cum voce manus.

Lib. IV.

Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.

Sic & nostri sacerdotes elevant manus ad Cœlum, Deum verum precantes. Secundi exemplum habemus ex V. *Æn.*

Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus,
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset,
De quibus imperium pelagi. &c.

Postremi sunt hæc. Euripides *Hecuba*, ὦ χθόνιοι θεοί, σώσατε παῖδ' ἐμὸν, ὅς μόνος, οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν, &c. ad quem locum Interpres notat, histrionem (cum hæc verba loqueretur) terram pulsasse. M. Tullius *Tusc.* II. *Tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, versum ex Epigonis dixisse ferunt; Audisne hæc Amphiarae sub terram abdite?* Zenonem significabat, a quo illum degenerare dolebat. Terram aliquando fuisse effossam lego in multis, & potissimum in Senecæ Tragici *Oedipo*, actu secundo, his verbis:

Ipse evocandus noctis æternæ plagis
Emissus erebo, ut cædis auctorem indicet.
Reseranda tellus, Ditis implacabile
Numen precandum.

Idem in eadem *Tragœdia* actu III.

Huc ut Sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus, præstitit noctem locus,
Tunc fossa tellus.

Plautus quoque in *Mostel.*

Ædes ne attingite, quin tangite vos quoque terram.

Superis sacrificantibus infaustum erat, si quid mali ominis eveniret, contra faustum, cum quid ominosum accidebat. Diis marinis nigræ aves immolatæ; quadrupedes vero jugulabantur in littore maris; exta vero in undas projiciebant. Silius *lib.* XVII. *Belli Punici*:

Cui numen pelagi placaverat hostia taurus,
Jactaque cæruleis innabant fluctibus exta.
Dii quibus imperium est pelagi, &c.
——— *extaque salsos*
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Non tantum vero alio genere hostiarum rem divinam inferis, atque superis faciebant, sed quoque libamentis aliis utebantur, quæ, quod Diis inferis funderent, tanquam inferius deorsum libarent, ideo delibamenta vocabant, & cum ea funderent, se defundere dicebant, quod ex Valerio Maximo eruo, dicente: *Tunc defusis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem, cupido haustu mortiferam traxit potionem.*

Templa quoque tribus modis dicabantur, ab natura, ab auspicio, ab similitudine. Natura spectatur in cœlo: Auspicium in terra: Similitudo sub terra. Unde Festus ait, Veteres Diis superis in ædificiis terra elevatis sacra fecisse; Diis terrestribus in terra: Diis inferis in effossa terra. Tria ergo sunt in sacris loca, per quæ piationem faciebant; scrobiculo facto, inferis; terrestribus super terram sacrificabant: Cœlestibus extructis focis: unde etiam nominata sunt altaria, quod sacrificantes manus in altum porrigebant.

Indi quoque terrestribus Diis in cavernis, & specubus: Soli in sublimi sacrum faciebant: nonnunquam sine ara in nudo sola fecisse Græcos, ait Gyraldus *Synt.* XVII. Eumæus apud Homerum super *escharam* victima fecit: super aras vero sacra facturi cespitem ex gramine, sive verbenas apponebant e sacro loco decerptas, de quibus alibi.

Cæterum Diis superis sacra facturi corpus sæpe abluebant, inferis vero tantum aspergebant aqua lustrali. De sacris superorum ait Æneas,

Donec me flumine vivo abluero.

At Dido cum sacra Diis inferis instituit, ait:

Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem,
Dic corpus properet fluviali spargere lympha.

Et alibi:

Sparserat, & latices simulatos fontis Averni.

Nec non cum Miseni sepulturam refert idem Virg. VI. *Æn.* ait,

—— *Ter socios pura circumtulit unda*
Spargens rore levi.

Videndus Macrobius *Saturn.* lib. III. cap. I. de aqua lustrali a me alibi, & ab aliis.

Lustralis aquæ usum vetustissimum pro foribus templorum innuit Tertull. *de Bapt.* & Sozomenus; ideo Asconius *in Divinat.* & *in Verr.* ait, delubra dici a labris, sive vasis, quæ ad diluendum habebantur in templis. Locum subnecto pulcherrimum Hippocratis de morbo Sacro: *Ipsique terminos templorum Diis designamus: ut nullus qui non purus sit, eos transcendat: & ingressi respergimus, sed si quod etiam prius scelus habemus, purificemus.* Cicero etiam *de Legibus* id astruit: Ad expiationem Veteres non quavis aqua contenti, sed viva, & perenni, & limpida non stagnanti, non turbida. Duplex autem lavatio, sive purificatio apud Ve-

A teres; altera ad manus pertinebat: altera ad totum corpus. Illa proprie χέρνιψ, hæc περίῤῥανσις, appellabatur; fiebatque θαλλῷ, id est, *ramo felicis olivæ*, ut dictum, ex Virg. Aqua vero lustralis, qua aspergebantur, sic fiebat. Erat ad fores templi aquiminale quoddam magnum, quales fere tinctorum cortinæ, labrum Asconius nominat, in quod mergebant titionem ardentem ab ara sumptum, quando victima adoletur, & ea aqua templum ingredientes, se se aspergebant ipsi, aut a sacrificulis aspergebantur. Nec in templis solum erant περιῤῥαντήρια, sed etiam ad fori introitum. Moris item fuit, ut ad fores privatarum ædium tan-

B tisper, dum illæ funestæ erant, & fiebat ἡ πρόθεσις defuncti, vas magnum statueretur, aqua lustrali plenum, quæ esset e domo non funesta allata. qua aqua se quisque exiens aspergeret, qui ad exequias venerat, idque vas figlinum fuit, ex Casaub. *in Charact. Theophrasti.*

Erat ergo aqua lustralis in foribus Curiæ, nam περίῤῥανσις, ut notat Lexicon, erat aspersorium in vestibulo fori Athenis, cujus aqua intrantes Curiam se aspergebant, & lustrabant. Universe igitur rem sacram facturi manus lavabant, ut habet Plutarch. in *Mario*: *Diis vota facit lotis ma-*

C *nibus sublatisque in cœlum.* & Plaut. *Aulul.* Lavabant etiam pedes, ut notat Interpres Horatii *lib.* II. *serm.* III. dicens, *Solebant Deos precaturi, manus & pedes abluere.* D. Chrysost. *hom.* LII. *in Matth.* ait lotis manibus, & candidis vestibus Christicolæ olim Ecclesias intrabant. Corpus quandoque solum lotum: Tertull. cap. II. *de Orat.* scribit ita: *Hæ sunt veræ munditiæ non quas plerique superstitiose curant ad omnem orationem, etiam cum lavacris totius corporis aquam sumentes.* Ad rem.

Non solum igitur alia erat delibatio, seu expiatio facta superis, atque inferis; verum etiam

D alia jugulatio utrisque ac diversa; siquidem consueverant sacerdotes victimis, quæ mactabantur inferis, humi capita impingere; sic enim subterraneis sacrificabant, & cœlestibus immolantes colla sursum convertentes jugulabant; quod deinde factum, Medea Ovidiana VII. *Metam.* ostendit:

Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit, cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.
Tum superinvergens tepidi carchesia lactis

E *Alteraque invergens liquidi carchesia mellis,*
Verba simul fundit, terrenaque numina poscit.

Sic etiam Autonoe Siliana *lib.* XIII.

Inducit juvenem, ferroque cavare refossam
Ocyus urget humum.

Et paulo post:

Fundunt mella super Bacchique, & lactis honorem.

Oleum quoque usurpatum, Virg. VI. *Æneid.*

Pingue superque oleum fundens fumantibus extis.

F At vinum adhibitum omnibus sacris, præter Cereris, Mnemosynes, Solis, Lunæ, Auroræ, Veneris Uraniæ, & Nympharum.

Sacra igitur inferorum in scrobibus facta, ut dictum, nigris hostiis, pari numero, tauris etiam; hoc pacto fiebat fusio, seu inversio. Virg. *Æneid.* VI.

——— *frontique invergit vina sacerdos,*
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris, libamina prima.

Hæc inversio in inferorum sacris fiebat manu

conversa in sinistram partem; adeo ut patera converteretur; in sacris superum, supina manu, libabatur. Hæc dicta 1. libamina. Qua effusione, si victima non stupuisset, probabatur. Deinde fiebat evulsio pilorum, seu setarum, quæ conjiciebantur in ignem, & hostia tunc erat sacra, nec licebat alteri usui eam applicare: hinc tonsura nostra Clericorum, qua innuitur Clericum esse jam Deo sacrum, neque amplius profanum. Deinde victima per popas, victimarios, cultrarios, seu agones, securi prosternebatur seu clava, aut jugulabatur. In sacris feralibus aliquando sanguis excipiebatur, aliquando in foveam effluebat, aliquando a sacerdote toto corpore excipiebatur: sanguine enim Manes litabantur. Qui deinde ita evocat, ut colligitur ex *Æneid.* VI. Virgilii, ex Seneca, & aliis. Primo longissimum carmen, seu preces ferales præmittebantur. 2. si preces non audirentur, succedebant iræ. 3. si iræ non satis, adhibebantur minæ. 4. post minas sequebatur mugitus terrarum, indicium adventus Manium. 5. post mugitum aderant in foribus, sive Manes defunctorum, sive Dæmones, sive ipsa Proserpina, (cum sacra erant potentissima) Pluto interdum cum magno Furiarum comitatu. In evocatione Proserpinæ, seu Hecates primo erant canes comites, quia huic Deæ sacri, & horum latratu hoc sacrum solvebatur. Præter canes, alia monstra sequebantur cum facibus. Forma Hecates evocatæ erat triceps, habentis gladium strictum manu, quæ toto sacro aderat, & præerat vim addens herbis, venenis, evocationibus.

Evocatio (præter notam notionem delectus militaris in tumultu) erat precibus elicere numina illa, in quorum tutela erat urbs obsessa, idque factum certo carmine, quod habetur apud Macrobium *Saturn.* III. cap. IX. ne videlicet una cum victis legati in triumphum ducerentur. Unde excessus Deorum a devictis urbibus, timentium captivitatem. Virg. II. *Æneid.*

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii. ———

Legendus Macr. *loco citato*, de evocatione, & devotione.

Scitu dignum tandem reperio in Athenæo *lib.* III. de sepulcris, & monumentis, ait enim: *Hoc vel Miltiadis esse vel Periclis, vel Cimonis, vel alius cujusdam primarii, fortisque viri, statim quispiam arbitretur a Civitate publico sumptu magna cura excitatum: cum autem cujus sit quæsiverit, & didicerit esse Pythionices scorti, quam de Atheniensibus opinionem concipiet?* Ex quo colligo non fuisse jus apud Athenis ornare sepulcra defunctorum, quantum aut hæredes, aut ipsius defuncti ambitio postulasset. Verum de tumulis majoris impensæ cognoscebatur, neque is honor vulgo omnibus, sed claris tantum viris concedebatur, & plerumque Mausolea extruebantur de publico.

CAP. XVII.

Lustratio quid? Lustralia sacra quæ? Variarum gentium lustratio exercitus, qui dicta, & ubi peracta? Lustrationes plurimæ enumerantur. Pestilentiæ expiandæ mos. Peristiarchus quis? Palilia sacra quæ? Ambarvale sacrum quod? Amburbialis victima ob quid cæsa? Augureum ac sacrificium Canarium quale? Fascinationum expiatio. Purificatio triplex. Dies lustricus varius. Laurus crepans, & silens, quale omen? Postulio quale sacrum? Fulminum diversa epitheta. Androgyni in mare projecti. Monstrosi partus usti. Nocturnæ aves ubi affixæ? Asini caput piaculare. In lustrationibus plurima usurpata.

O Ego lustralibus sacris expiandus, ni mores inficetissimos hominum quorundam Vatiniano detester stomacho. Oculis, frons, lingua, mirum quantum mentiuntur! ut exclamare liceat, barbas video, non autem philosophos, quosdam cum rideo barbitio hircino, philosophos, ex Apulejo, mentientes. Atqui ego non mentum, sed mentem metior; non illud, sed hanc canam candidam suspicio, namque:

Si promissa facit prudentem barba; quid obstat,
Barbatus possit quin caper esse Plato?

Quædam itaque de sacris expiatoriis, & Lustrationibus delibo.

Lustratio aliquando usurpata pro circumitione, & peragratione, Græce περινόστησις: aliquando pro sacrificio expiatorio, Græce καθαρισμὸς, de qua nunc pauca.

Lustralia sacra dicta, quæ quinto quoque anno, id est, lustro peragebantur, unde lustralia pecora dicta, quæ per quinquennale tempus devota sacrificiis nutriuntur, quæ quia plerumque pinguia, ideo lustralia sumuntur pro pinguibus.

Lustrabantur Coloniæ educendæ ex Cic. *de Divin.* Agri quoque Romani vina fundendo ex Catone *de re Rustica*, lib. XLI. Virg.

——*Cum lustrabimus agros.*

Lustratæ & domus, eas sulphure suffientes, ex Dioscoride, Plinio, & aliis.

Lustrati lecti sulphure, ovis, ut a me alibi dictum. Ovid. II. *de Arte*:

Et veniat, quæ lustret, anus, lectumque locumque,
Præferat & tremula sulphur, & ova manu.

Lustrationum olim plura genera apud priscos Romanos; primo cum lustrabant exercitum, dicebant, *Armilustrium*; sub dio autem fiebat, ut notat Plutarchus in *Bruto*, Livius *lib.* I. & II. sue, ove, ac tauro mactatis. Dionysius hircum pro sue supponit. Græci vero, mactato cane, exercitum lustrabant, ex Livio *lib.* IV. Herodoto *lib.* VII. Vide Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XII. Macedonibus inter divisam hostiam, priorem ad dextram, posteriorem ad lævam viæ, aut discissæ canis viscera, armatas copias, & exercitum traducere, instructo paratoque milite præcedere, & simulacrum pugnæ edere, cumque cohorte regia, & omni belli apparatu arma ab ultima regione regum proferre, & sacrum piaculare facere, lustrandi exercitus mos fuit, Alex. ab Alex. *lib.* V. *cap.* XXVII. Sab. *lib.* VII. *En.* V. Xerxes autem milite detrectante militiam, in duas partes dissecto, exercitum traduxit, & hac victima execrabili milites lustravit.

Mansit autem consuetudo apud Romanos, ut cum exercitus, & castra lustrabantur, triticum militibus pro cujusque contubernio daretur, & singulis drachmæ, muneraque, & vota in proximum lustrum exsolvenda duces promitterent. In Campo Martio id factum ab armatis peditibus, & equitibus, auro coronatis, actis hostiis ter circum instructas acies, præcedente pompa, & gressu composito Marti immolandis.

Classem quoque lustrabant victimis cæsis, crudis extis cæsæ victimæ in mare projectis, teste Livio *lib.* XXIX. ubi de lustratione classis a Scipione facta. Hæc lustratio ita peracta, ut colligitur ex V. *Æneid.* Virg. illis carminibus:

Dii quibus imperium pelagi, &c.

Disposita classe in littore, aram, quæ mari abtuebatur, construebant; & cæsam victimam atque exta per classem in littore dispositam naviculis circumferebant, cum solemni carmine & pre-

catione, ducibusque una insidentibus in scaphis, divisæque hostiæ partem in mare cum visceribus projicientes, partem vero flammis adolentes, a classe calamitates deprecabantur, ex Alex. ab Alexand. *lib.* V. *cap.* XXVI. Eodemque ferme modo facta lustratio Rogi, armis in ignem injectis, cum luctu, & lamentis ab instructis circa rogum militibus, cum tripudiis, hostiisque ad rogum immolatis, extis in ignem projectis.

Navibus olim, tæda lucida, ovo, & sulphure lustratis ad purificationes, preces solemnes præfati, nomen indebant Ethnici sacerdotes, nec in totum exolevisse antiquum ritum Massiliæ conspeximus. Brod. II. *Epigr.*

Urbis lustrationem Atheniensium ita factam lego. Urbe Atheniensium peste laborante, responsum a Pythia acceptum, urbem expiandam esse. Niciam Nicerati filium navi miserunt, qui Epimenidem ex Creta advocaret. Ille profectus Olymp. XXVII. lustravit urbem hoc modo. Oves sumpsit nigro & candido vellere, duxitque in Areopagum, atque inde, quo vellent abire, permisit, comitibus mandans, ubicumque illæ accubuissent, singulas mactarent peculiari cuipiam Deo. Sic quievit lues. Hinc factum, ut per Atheniensium pagos passim aræ sine nomine inveniantur, Laertius. Qui forte Ignotus ille Deus, cujus occasione Divus Paulus Atheniensibus Christum prædicare cœpit. Pausanias certe in *Atticis* ararum etiam suo tempore, Ignotis Diis extructarum, meminit, Alex. ab Alex. *lib.* V. *cap.* XXVII. Galli vero ita lustrabant urbem; Hominem purioribus cibis anno saginabant, ac festo die urbe tota circumductum extra pomœrium educebant, eumque mox lapidibus obruebant.

Cecis refert ex Lycophrone in Locride, & Hipponacte in jambis, hunc morem expiandæ pestilentiæ famisque. Hominem in urbe turpissimum disquirebant, quem Catharmum appellabant, eumque ad locum quendam sacrificio illi constitutum deducebant, manu tenentem caseum cum placenta, & siccas ficus, quem postmodum septies caprifico, & scilla agresti, aliisque virgultis sylvestribus partes pudendas verberatum, scrobe eo loci facta, lignis sylvestribus comburebant, confectumque cinerem pro illius loci expurgatione, & piaculo in mare projiciebant. Vide Majolum. Præterea Numa regnante, Urbe morbo affecta, pelta ænea de cœlo delapsa, in qua Romanorum fata; & quia in ea Urbis salus credebatur, II. aliæ elaboratæ, Collegiumque Saliorum institutum custodum ancylium, Livius & alii.

Athenienses Urbis lustrandæ causa viros duos immolabant, unum pro viris, alterum pro fœminis, & hi φαρμακοὶ dicebantur. Item καθάρματα. Alii virum, & fœminam tradunt, singulos scilicet, pro suo sexu, & alebantur hi quidem de publico ob eam rem. Ritus lustrationis universus hic erat. Immolandis e collo caricæ suspendebantur, nigræ illi, qui pro viris; albæ, quæ pro fœminis asset. Præterea in manus dabant caseum, mazam, & caricas. Deinde cæsus colaphis, scillis, ficubusque agrestibus, & aliis hujusmodi, septus igne cremabatur, ex lignis infelicibus extructo, cineresque in mare spargebantur. Deinde veste ornatiore induti erant, ac deducebantur ad tibiæ cantum, ex Meursio *lib.* IV. *cap.* XXII.

Lustrationem Equitum Romæ factam singulis annis bis, Lupercalium die a trabeatis Equitibus, & Idibus Julii, refert Valer. Max. *lib.* II. *cap.* I.

Curias vero, populumque purgari hoc pacto, refert Alex. ab Alex. *lib.* V. *cap.* XXVII. ut excerptum vitulum ex fordæ bovis immolatæ utero (sicut in Fordicidiis mos est) per Vestalem natu grandiorem igne comburerent, exque illius cinere, & equi sanguine, adustisque fabarum stipulis, suffimen fieret, quo populus, & Curiæ Palilibus purgantur, quod quidem in templo Vestæ, præcipua cura ad dubios casus, servabatur; hoc modo ab infortuniis populum universum expiari putabant.

Apud Athenienses more receptum legimus mactare porculum, & subsellia concionis sanguine illius imbuere, in honorem Cereris, quia fruges ejus lædit, inquit Comment. *Acharnan.* unde Æschines dixit: *Posteaquam piaculum circumlatum erit, & præco patria vota fecerit, tum jubet lex ad populum agi*. Immolatus vero ad expianda loca porculus, κάθαρμα, dicebatur. Æschines *contra Timarchum* καθάρσιον vocat. Qui expiabat, καθαρτὴς, Cœlio Peristiarchus. Lex autem, ut inquit Dinarchus apud Demosthenem *contra Timocratem*, præconem cum bona ominatione precari jubebat, ut populo de rebus a Diis consilium traderetur. Cum votis quoque execratio conjuncta fuit, ut ex oratione Demosthenis colligitur, *de ementita legatione*. Execrationis hæc vis, ut qui contra Rempublicam sensisset, dixissetve, ipse cum gente, domoque sua a Diis everteretur. Sigonius lib. I. *de Republica Athen.* Cœlius *lib.* XXVII. *cap.* XVII. Ovium lustrandarum ratio hæc recensetur ab Alexandro *lib.* IV. *cap.* XXVII. Pastor summo diluculo aqua illas aspergebat, & sulphure, herbaque Sabina, & lauro, igne succensis, circum ovilia suffumigabat; cumque sacro carmine, milio, & libo, cum lacte, & sapa, Pali sacra faciebat, quo suffitu pecora expiari, morbos depelli, ac diras tabes exterminari putarunt. Ovidius *Fastorum* IV. optime hæc describit:

Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret,
Unda prius spargat, virgaque verrat humum.
Frondibus & fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de sulphure fumi,
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.
Ure maris rores, tædasque, herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libaque de milio milii fiscella sequatur,
Rustica præcipue est hæc Dea læta cibo.
Adde dapes mulctramque suas: dapibusque resectis
Sylvicolam tepido lacte precare Palen.

Insulæ expiandæ ritus talis fertur. Anno 6. Peloponnesiaci belli Delus insula ab Atheniensibus expiata, hoc pacto. Cadavera ex tota insula refossa in Rhemiam, fuere asportata; institutumque, ut jam inde nemo ibi nasceretur, moreretur've, sed ut, quæ nixu laborare cœpissent, ac quoquomodo perituri, in eam Insulam deportarentur. Est Rhemia adeo Delo propinqua, ut Polycrates Samiorum Tyrannus utramque alteri catena aliquando junxerit. Mansit in Delo lustrale sacrum, quod Athenienses cum circumjectis insulanis, quinto quoque anno deinceps celebrarunt, Sab. *lib.* VI. *Æn.* III.

Lustrabantur arva sacris Ambarvalibus, porca fœcunda, & gravida, ter circum arva, maturis frugibus, ducta, omnesque post eam clamantes sequebantur, ex quibus unus querna coronatus fronde, cum solemni saltatu, composito carmine Cereris decantabat laudes; ac postquam lacte, vino, & mellis favo libassent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant, quæ præcidanea dicta, Alex. *lib.* II. *cap.* XII. Apud Romanos agna coronata, messis, ager, fundus, terra, grex, vel pecus ter circumlustrabatur, prosequente agrestium turba cum fistula, solemniqua

que saltu, & clamoribus, Deum, Deamque, cui sacra fiebant, invocante, ut morbos, calamitates, & omnem intemperiem prohiberent, fructum agrorum, pastores, pecoraque servarent. Item, si ager lustrandus foret, Junoni & Jano vino libabant prius: mox Martem patrem, ut sciens volensque propitius adesset, invocabant, Alexand. ab Alex. *lib.* V. *cap.* XXVII.

Ambarvalia sacra peragebant Athenienses circum campos, Jovem invocantes, in magna siccitate, acclamantes, *Plue, plue, o Jupiter, in aridos Atheniensium campos*, Loensis lib. IX. cap. X.

Amburbialis victima erat, cum propter dira prodigia (ut si bubo, vel lupus, cellam Jovis, vel Capitolium intrasset) tædæ, aut victimæ sulphuris & aquæ lustratione Urbs, aut Capitolium purgabatur. Sacrum vero Ambarvale tutandis Imperii finibus factum, singulo quoque quinquennio per Censores, Suovetaurilibus, scilicet, sue, ove, ac tauro, qui circumducebantur mense Februario, quo tempore Februo in primis litatum, sacrumque peractum. Mox Censor in magna ordinum frequentia Deos Imperii præsides solemni precatione invocabat, ut rem Romanam, urbem, templa, fines conservarent incolumes, & prosperos successus darent, malaque averruncarent, votaque in sequens lustrum promitterent, Alex. ab Alex. *lib.* V. *cap.* XXVII.

Canarium in antiquis libris dicitur augurium, cui agendo constituerunt dies, priusquam frumenta vaginis exirent, & antequam in vaginas pervenirent, a cane ducto vocabulo; siquidem rutilæ canes, id est, non procul a rubro colore, immolabantur, ut ait Attejus Capito, Canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ sævitiæ causa sideris caniculæ. Legimus in Græcorum monumentis; exurente quandoque Cycladas insulas cane, atque inde sterilitate multa ac siccitate consecuta, qui in ea habitabant, ex oraculo Aristæum Apollinis & Cyrenes filium accersivere. Advenit, & ex Arcadia secum quibusdam ductis, templum erexit Jovi, quem vocavit Hyeteum, quasi Pluvium. Canem quoque rebus divinis operatus placavit, Ceisque legem instituit, singulis annis, ejusdem servarent exortum, & eodem rem divinam obirent, Cœlius *lib.* XVII. *cap.* XXVII.

Cum in Apamea Phrygiæ summa fames ob agrorum sterilitatem orta esset, pastoresque rem divinam frustra facerent, Euphorbus quidam novi sacrificii genus excogitavit, vulpem, & echinum immolavit. Qua bestia placatis Diis, agros feraces esse cœpisse, scribit Hermogenes, citante Stephano.

Lustrabant etiam tubas sacrorum, mense Martio, in atrio Saturio: hæc dicta Tubilustria.

Somnia quoque meticulosa, & curas, fluminis ablutione, purgabant. Fascinationes saliva jejunorum. Lustrabant pariter domos, sulphure eas suffientes, ex Dioscoride, Plinio, Homero. Insuper lustrabant lectum sulphure, & ovo, ex Ovid. II. *de Arte*.

Lustrati pueri die Lustrico a Romanis, igne, aqua, sulphure suffitibus excitatis; aqua vero aspersi, adhibitis carminibus, quo die infanti nomen imponitur; sive quinto ex Platone; sive decimo masculis ex Macrobio; sive septimo ex Aristotele.

Aliam Lustrationem puerorum innuit Persius *Satyr.* II.

—— Ecce avia, aut metuens matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, arentes oculos inhibere parata.

Græci pro infantibus quinta die sacrificabant. Hebræi VIII. circumcidunt. Nono die apud Romanos lustrico maribus nomina imponebant, fœminis VIII. tunc infantes lustrati.

Purificatio apud Antiquos, ut notat Servius, triplex in sacris vetustæ religionis, aut tæda, sulphure, & igne, aut aqua, aut aere; hinc oscilla illa suspensa apud Virg.

Aqua potissimum, aut viva, aut marina lustrationibus idonea. Sulphuri addebant laurum, verbenam, aliquando myrtum, oleum, bitumen aqua marina inspersum. Quare Alex. *loco* supra *citato* refert rarum expiandi genus, cum Deos quisquam ubi maxime infensos cernebat, linteatus lucernam & laurum manu tenebat, genibusque obrepere debebat, & vocibus acclamare, numinaque sibi irata palam profiteri.

Laurum vero in ignem injicientes, si sonitum ederet, numina propitia; si sine murmure arderet, irata portendebat.

Portenta, hoc est, si bos, aut aliud animal fuisset locutum, expiabantur, habendo Senatum sub dio. Terræmotus supplicationibus per triduum, Duumviris præeuntibus, nonnunquam ex una familia omnes coronati supplicabant, vel Ferias Prætor Urbanus, ægris levandis mentibus, indicebat, concione advocata. Nomen vero Dei, cui sacrum fiebat, supprimebatur, utque jurgiis & litibus temperarent, admonebat. Cur vero nomen Dei tacerent, lege Alex. supra *loco citato*. De Lustrico die Censorinum, Marcellum Donatum, & alios.

Pericarphismus, seu festucatio, erat lustratio, cum scilicet gallina ovo edito sese festuca aliqua purificat, Rhod. *lib.* LIV. *cap.* XXIX. Periscylacismus expiatio facta immolato cane, quem Græci vocant σκύλακα. Plut. in *Rom.* Peristiarchi apud Athenienses dicti, qui conciones ac theatra lustrabant, quasi circitores. Fiebat autem hujusmodi lustratio Catharsiis, id est, minutulis porcellis, Rhod. *lib.* XXII. *cap.* XXVI.

Postulio, sacrum erat ad averruncandam Deorum iram, facto prodigio aliquo, quod expiandum, procurandumve foret; ita dictum, a *postulando*, quoniam turbata sacra cujuspiam, aut ludorum ratio, ubi quid parum explorate, curioseve obiissent, aut in re divina quid omissum, ex ritu, foret, per ostenta, quæ paulo post sequerentur, videbatur numen honoris restaurationem postulare. Unde Festus, *Fulgura* (inquit) *trium generum, postularia, pestifera, peremptoria*. *Postularia*, votorum, aut sacrificiorum spretam religionem desiderant. *Pestifera*, mortem, aut exilium. *Peremptoria*, superiorum fulgurum, portentorumque significationem perimunt, Rhod. *lib.* X. *cap.* XIX. Scelera nefanda olim mari expiata, & lustrata. Catullus aversas, incæstasque Cellii Veneres carmine mordaci perstringens, ait, ejus libidines Oceanum ipsum eluere non posse. Subscribunt Cic. *pro Roscio Amerino*, Seneca Trag. *Hippol.* unde Androgyni in mare deportati, quod nullis, nisi æquoris undis, ejusmodi portentum lavari & expiari possit, Dur. Casell. *lib.* I. *cap.* III. Monstrosi quoque partus flammis dati, quod innuit Lucanus, *Phras.* X.

Monstra jubet primum, quos nullo semine discors
Protulerit natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero fœtus infandis urere flammis.

Vestalium purificatio, suam pudicitiam per summum sacrilegium prostituentium, sub terra, una cum lucerna, pane, aqua, lacte, oleoque, an expiatorium erat sacrum, de sacris tam nefarie pollutis?

Grandinis avertendæ expiatorium sacrum recenset Palladius, panno russeo molam cooperiri jubens, cruentas secures contra cœlum minaciter levari, tum omne horti spatium alba vite præcingi.

Expiationem fulminum Plutar. innuit in *Numa* his verbis: *Sed postquam teneri, inevitabilique vi se comprehensos sensere, cum alia multa futura prædixisse, tum eam fulminum lustrationem edocuisse, quæ in hanc usque tempestatem per cepas fit, & crines, & menides pisciculos*, &c.

Nocturnas aves, mali ominis avertendi gratia Priscos cruci consuesse affigere, idem refert Columella; Apulejus vero ait, postibus affixas.

Rubigo sanguine lactentis vituli olim placata ex M. Varronis, & Sex. Pomp. libris. Tagetis opinio longe ineptior. Nudatum cute tenus caput asini in ruris limite, avertendæ vel rubiginis, vel tempestatis gratia, collocatum. Ad nubes tempestate gravidas avertendas, homines ad penulas discurrebant (ut habet Seneca *Nat. Quæst.* IV.) aut ad storeas; imo pro se quisque album agnum immolabat, alius pullum. Contra Africi flatum viri duo, ut habet Pausanias in *Corinth.* gallum gallinaceum albis alarum pennis in contrarias partes distractum lacerant; ac deinde dimidiam uterque partem galli præferens cum cursu vites ambiunt, mox in eum ipsum locum, unde currere cœperunt, rursum congressi, avem defodiunt.

Erucas avertebant hoc ritu, ex Columella; si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus, & nudo pede, unamquamque aream ter circumeat; post hæc omnes vermiculos enecatos cadere ferunt. Lege Casellium *lib.* II. *cap.*X, Plinium *lib.* XXX. *cap.* II. & III.

Athenæus auctoritate Aristotelis refert, columbos exclusos pullis, ovis inspuere, salivaque eos lustrare ad abigendam fascini vim, Junius *Animad.* lib. V. cap. V.

Lustratio *Eiresione* Atheniensium e Suida, & Plut. in *Theseo*, ita fertur, & Aristophane. Atheniensium pueri festo quodam die, quem ipsi *Pyanepsia* vocant, *Eiresionem* ferebant, hoc est, ramum oleæ lana coronatum, circum pendentibus undique omnis generis pomis, & fructibus, tanquam primitiis, in signum supplicationis, quam *Hiceteriam* vocant, quasi dicas, propitiatorium numinis. Id autem per urbem in signum depulsæ olim a se sterilitatis, cum cantu, quem pueri patrimi canebant, Loensis *cap.* X. *lib.* IV. Hæc festa vocata *Ramalia*; Ramus ille lana coronatus εἰρίον, quasi lana, dictus; Addita & hæc, *Fert ficus, & panes pingues, Eiresione, mella quoque in cotyla, & oleum, quo te perfricare possis, & calicem vini boni meri, uti ebria dormias.* Si lapidibus pluisset, Novendiali sacro id expiatum. Ubi e cœlo ostenta apparuissent, uti, si duo Soles visi, crinitus Cometes, Tiberis misto sanguine fluxisset, & hujusmodi, piacularia sacrificia facta ad numinum iras placandas, vel Feriæ indicebantur, aut Lectisternia, supplicationesve ad delubra, & pulvinaria. Græci si quando territi malis, supplicabant, vetustum carmen inter vota, precesque cani jubebant, hoc sensu, *Beatorum antiquissima sanitas in omni tempore tecum sum.* Noto tamen in scriptoribus classicis, nulla potuisse Veteres adire sacra, sine lustratione facta, aqua pura, in qua titionem tingebant, ex ara sacrificii sumptum. Hunc morem me docet Aristides, qui laudans Imperatoris Antonini humanitatem, ait faciles ad illum fuisse aditus, quasi jam lustrati essent, qui illum adirent. Hanc lustrationem debere fieri multis partibus corporis, satis indicat Plutarchus, oratione posteriori, *De esu carnium*, dicens. *Quamquam nos*

A *fortasse peccamus, qui libros istos attingimus, non lustratis manibus, oculis, pedibus, auribus.* Hinc lustralis aqua in aditu nostrorum templorum. Cum aqua salem, & lentem miscebant, ut colligitur ex Clemente Alex. *Strom.* VII.

Licia in lustrationibus adhibita & in veneficiis, ut dictum alibi, & sputum. Petronius: *Illa de sinu licium protulit, varii coloris filis intortum, cervicemque unxit meam.* Mox: *Turbatum sputo pulverem medio sustulit digito frontemque repugnantis signavit, hoc pacto carmine ter me jussit expuere.*

Terra quoque usurpata in lustrationibus, unde religio illa Veterum, animas defunctorum terra

B purgatas in cœlum demigrare credentium, ut colligitur ex M. Tullio *de Somnio Scipionis*. Nunquid illa cinerum aspersio super capillos huc respexisse videtur?

Lustrabantur præterea polluti exequiis. Virg. VI. Æn. *Lustravitque viros*, & Juno apud Ovid. IV. *Metam.* lustratur ab Iride, priusquam cœlum repetat:

> *Læta redit Juno, quam cœlum intrare parantem*
> *Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.*

Demum sulphur lustrationibus maxime aptum, ad

C expiandas potissimum domos suffitu, cæterarumque rerum sanitatem. Aqua deinde sparsa rore levi ramo olivæ, laurive, cum carminibus, in corporum lustratione. Ignis quoque vim lustrandi maximam habet, quæ omnia tum vi naturæ, tum religionis instituto fuisse usurpata, neminem latet, de his vide Columellam, Macrobium, Rosinum, Marcellum Donatum, & alios.

Pompea erant utensilia, quibus utebantur ad expiationes, & pompas,

Nece polluti septies se vestesque ad flumina abluebant. Piacularis hostia, ex Varrone, cum piaculo factum erat, hinc piaculare sacrum, quod

D ad expiandum adhibebatur.

Piatrix dicebatur Sacerdos, quæ expiare erat solita. Piamenta, quibus in expiando utimur.

Suffocare, species Lustrationis. De Lustrationibus, vide Jac. Durantium *lib.* II. *cap.* I.

CAP. XVIII.

Vinalia quando instituta? Hilaria, Aloa, & Vacunalia, quæ festa? Vini libatio quando facta Anthesteria & Pythœgea quid? Calpar *quale vinum? Vinalia duplicia fuere. Qui vindemiam primum incipiebant? Inferium vinum quod? Vinum nec mustum ante Vinalia libatum.* Sacrima,

E *&* Præmessum, *quid? Meditrinalia cui dicata? Vinum Diis libatum. Idem in mensam fusum, & in eo quid scriptum?* Ἰὼ Παιὰν *quando acclamatum? Cottabus quid, & quando usurpatus? In eo præmia data. Idem a quo inventus? Reliquiis mensæ quibus parentatum?*

A VINDEMIATORIBUS peracta vindemia epulæ festæ celebratæ, ex quibus Comœdiam, & Tragœdiam originem traxisse ferunt: Bacchus cum victor ex India rediisset, populus in illius honorem choreas ad torcularia duxit. Athe-

F næus *lib.* II. *Ab ebrietate Comœdia, atque Tragœdia inventa in Icario urbe Atticæ, idque ipsius vindemiæ tempore.* Arnobius quoque testatur *lib.* VII. vindemiatores, & qui torcularibus vinum expresserant, vindemia finita, & vini expressione, Æsculapio diem festum egisse, in quo nova vina gustabant, ut apud nos in Martinalibus, quod festum ab illo Æsculapii vindemia appellatur.

A frugibus collectis, & reconditis rustici etiam Hilaria peragebant. Sed revera Hilaria celebrabant Antiqui ex Macrobio VIII. Kalend. Aprilis,

cum fit æquinoctium vernum, ac tunc Sol diem longiorem nocte protrahit. De his meminit Fl. Vopiscus in *Aureliano*: at Aloa proprie erat festum agricolarum Athen. post fruges receptas. Horatius lib. II. epist. *ad Augustum*:

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium, &c.

Hujusmodi festa dicta Αλωα, quæ subvectis ex agro frugibus in honorem Cereris & Bacchi Athenis celebrabantur: sic dicta, quod in areis (*area* ἅλως) moras traherent. Sic Vacunæ Deæ apud Romanos, quæ præest vacantibus agricolis a labore post perceptos fructus agrorum, de quibus Ovidius *Fastorum* IV.

Nam quoque cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.

Virg. I. *Georg.*

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant.

Omissa re frumentaria ad vinalia pedem revoco tam jucunda, deque vini libatione quædam illibata delibo.

Vini libationem Diis factam (hoc erat relinere dolia, quod nos in divi Martini festo peragimus) lego in Plutarchi *symp.* III. quæstione 8. his verbis: *Athenis undecima die mensis Anthesterionis primitias novi vini delibant, diemque illum a doliis reserandis Pithœgiam vocant, utque apparet, antiquitus de vino antequam gustarent libantes, vota faciebant, ut sibi usus ejus medicamenti salutaris, innoxiusque foret. Apud nos mensis Prostaterius dicitur, quasi patronalis, sextaque ejus die statutum est, sacris Bono Genio factis, gustare vinum post flatum favonii: is enim ventus omnium maxime vinum movet ac mutat, & quod vinum hunc subterfugit, id jam videtur perduraturum.* At idem *symp.* VIII. quæstione 10. hæc habet: *Jam vinum quoque qui bibunt citissime, Anthesterione hoc faciunt mense, qui hyemem subsequitur, diemque illum, quo gustatur novum vinum, nos boni Dæmonis, Athenienses Pithœgiam a doliis aperiendis, appellamus.* Ανθεστηρίων mensis octavus apud Atticos, quo ἀνθεστήρια celebrabantur, ducta appellatione ἀπὸ τοῦ ἀνθεῖν, quod tunc terra florere incipiat, ut Etymologistes scribit; sive quod terræ tunc magna ex parte floreant. Volunt enim hunc octavum mensem fuisse Aprilem ex Macrobio *Satur.* lib. I. cap. XII. & ex Philostrato. Gaza tamen Novembrem esse censuit. Videndus Manutius in *Adagiis*.

Pithœgia ergo sic dicta a πίθος, *dolius*, & οἴγω, *aperio*, quod tunc dolia relinerentur. Proclus, ait, Pithœgia esse festum, quo in vini participatum & servos advocabant & mercenarios; relinebantur enim tunc dolia. Proinde facta re divina vini communicatio tunc patebat, comprecabanturque, ut Plutarchus ait, innoxiam salubremque ipsis fieri medicamenti potionem. De tempore varii varia, ego quoque hæreo.

Vinum, quod sacrificii causa novum e dolio emittebatur, antequam gustaretur, Jovique libaretur, dicebatur *Calpar*, seu vinum calpar, ut optime notat Brissonius in *Formulis sacris*. Vinum ergo illud Jovi dicatum, ne reliquum, quod in illis apothecis remaneret, sacrum esse inciperet, & usibus ineptum, ideo calpare sublato, religione solvebatur, uti & in frumentis quod sacrificii causa præmetebatur, *Præmessum* appellatum. Quod

A vero Cereri post messem, *Florifertum*. Athenis festum vinale *Pithœgia* nuncupata, Scaliger *ad Varronem*.

Sed hic mihi hæret aqua. Hæc festa vocabantur Vinalia, quæ duplicia reperio in fastis Romanorum. Vinalia Nonis Maii, & Vinalia 13. Calend. Septembris; illa dicebantur Veneris, hæc Jovis; unde Veneralia illa dicta, quod Aprilis esset Veneri dicatus: ubi multum vini effundebatur e templo Veneris: & vinum in urbem ferebatur. Cujus causam reddit Plutarchus in *Quæstionibus Romanis*, quæst. XLV. & Ovidius IV. *Fastorum*.

Cur igitur festum Veneris Vinalia dicunt,
B *Quæritis, & quare sit Jovis ista dies?*

Varro mihi prælucet hac face: *Vinalia* (inquit) *a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiæ primum a Sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiam nunc; nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam, ut jussit vinum legere, agnam Jovi facit, inter cujus exta cæsa, & porrecta, Flamen prorsus vinum legit.* Subsequitur Plinius: *Vinalia priora 9. Kalend. Maii degustandis vinis instituta, nihil ad fructus attinent. Vinalia altera, quæ aguntur 13. Kalend. Sept. & hunc diem festum volunt tempestatibus* C *leniendis institutum*, &c.

Vinalia ergo decimotertio Calendas Septembris celebrata, Jovi dicata. Virgilius *Georg.*

Et jam maturis metuendus Juppiter uvis.

At prioribus Vinalibus vinum (ut docet Paulus Festi mutilator) in urbem deferebatur. Festus vero ait: *Ideo Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt: hoc vinum Calpar libatum Inferium vocabatur, quod solum inferretur, his verbis, Macte hocce vino Inferio esto.* Quod ideo factum, ut docet eruditissimus Scaliger in *Conjectaneis*, ne reliquum, quod in apothecis illis, unde Calpar D promeretur, remaneret, sacrum esse inciperet; & omnino ex usibus eriperetur humanis; sed Calpare libato religione solveretur.

Nec solum ante Vinalia hæc nullum vinum tactum, aut libatum, sed ne mustum quidem, ex quo pars libata Libero Patri, quæ dicebatur *Sacrima*; quemadmodum Cereri de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant eam particulam, quæ dicebatur *Præmessum*. Mos (ex Festo) olim Latinis populis, quo die primum gustarent vinum, dicere ominis gratia, *Vetus novum vinum libo, novo veteri morbo medeor*, hinc dicta *Meditrinalia*, a medendo, sacra Deæ Meditrinæ. Vinum E vetus novum quidam vocant recentatum, quasi renovatum novo musto.

In his ergo Vinalibus Flamen Dialis vindemiam auspicabatur, maturis uvis vinum legere, & vindemiam fieri jubebat, quibus diebus agnam immolabat, interque cæsa & porrecta vinum legebat, vinumque vetus libabat medicaminis gratia; unde Meditrinalia dicta. Tunc novum vinum in urbem ferebatur, & in vinariis cellis condebatur, nec prius; quem morem multi, & nos Lucenses servamus, ut vindemiam non aggrediamur, nisi prius publico edicto indicetur. Porro & Romanis vino F & novis frugibus vesci non licebat, prius quam Sacerdos primitias libasset; Græcis ante vernum æquinoctium vitem incidere; ante autumnum uvam degustare nefas habebatur.

Non solum igitur ex vino libatur Diis, verum etiam ex epulis; quare ex illis in cœnam paratis particulam Diis Penatibus libabant olim, & Lari, cæterisque Diis domesticis. Horatius *Sat.* VI. *lib.* II.

——— *vernasque procaces*
Pasco libatis dapibus.

Varro ex Nonio: *Quocirca oportet bonum civem parere & Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας* Solebant Græci & Romani post cœnam crateras vini in mensas afferre, & ad multam noctem sermonem producere. Ex eo vino aliquid in mensam fundebant. Quem morem tangit Virgilius 1. *Æneid.* in convivio Didonis:

Dixit, & in mensam laticum libavit honorem.

Tanquam si in ara Diis libaret: in quo vino effuso digito milites domum reversi pugnas describebant. Penelope Ovidiana:

Jamque aliquis posita monstrat fera prælia mensa,
Pingit & exiguo Pergama tota mero, &c.

In nequitiis quoque & lusibus amatoriis, solitos hoc vinum super mensam diffusum digitis deducere, & nescio quas notas depingere, quibus tacite inter se loquerentur; liquet ex *Epistola Helenæ ad Paridem*.

Ad aliud. Peracto negotio, aut convivio, Priscos acclamasse, Ἰὼ Παίαν, *Jo Pæan*. Athenæus in calce sui operis fusius explicat, & causam addit: *Demum, cum e mensa surgebant, aut thus, aut aliud thymiama adolebant*, inquit enim, *alius thuribulum ferebat, alius in acerram thus, alius pateram ad libandum. Mos fuit*, (subjungit) *e cœna cum surrexissent, ac libassent, quod restabat meri, dare puero ad bibendum, qui ministraverat.*

Sed in fine mensæ Cottabo etiam usos Antiquos lego. Cottabus enim est ænea phiala, quam peracto convivio mensæ imponere solebant, vino plenam; deinde in minora pocula ab alto miscentes, sonum edere; qui si illisu major ederetur, ab amasiis se amari augurabantur. Cicero *Tusc.* 1. *Theramenes cum conjectus in carcerem triginta jussu Tyrannorum venenum sitiens ebibisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret, quo sonitu reddito, Propino, inquit, hoc poculo Critiæ*. Græci enim solent nominare, cui poculum tradituri sunt. Hinc præmia dari solita victori hujus ludi, dicta κοττάβια, quæ, teste Athenæo, erant πυροπλακοῦντες, hoc est, *triticeæ placentulæ*, & *sesamineæ*. Athenæus *lib.* x. hæc habet: *Omni memoria veluti per manus traditum, ut Diis libarent, deinde, ut Cottabo luderent in eorum gratiam, quos amabant, magno namque studio Cottabum, qui ludus est inventus a Siculis, adhibebant*. Pindarus:

Ut hyeme gratum Venereorum amorum bibens,
Ac ebrius Agathoni Cottabum nuncupem.

Ad hunc morem alludens Juvenalis *Satyra* III.

Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

Alio modo fiebat in pelvi: ea implebatur aqua, cui innabant oxybapha, seu vascula vacua, in quæ ex carchesiis dejiciebant latagas, seu liquores, & qui plura vascula submersisset ista dejectione, is superior evadebat, Athen. *lib.* xv. Poll. vide Suidam voce κοτταβίζειν, fol. 501.

Plautus in *Trin.* Cottabum videtur appellare sonum flagrorum, qui inter verberandum redditur, *Cave sis*, inquit, *ne Cottabi bubuli crebri in te crepent*. Aristophanes ipsos ludentes *Methysocottabos* appellat, quod jam vino madentes & ebrii id agerent. Reliquiis vini cottabo funus faciebant, & mortuis amicis parentabant analectis, quæ de mensa cadebant, ut idem Athenæus innuit his verbis: *Amicis contra defunctis, quæ decidebant ex mensa, tribuebantur: ideo etiam, ait Euripides in Stenobæa, postquam illa Bellerophontem mortuum putavit, nihil eam, quod de manu cadat, latet, sed statim nuncupat Corytho hospiti, dicit, nempe sacrum esto, quod cecidit*. Apuleii locum subnecto lib. 11. *Metam. Lucerna prægrandis, & oleum ad lucem luci sufficiens, & aquam cum œnophoris, & calice, cœnarumque reliquiis discus ornatus*, &c.

CAP. XIX.

Libare quid? Libatio quotuplex & qualis? Materia libationum quæ? Oenomantia quid? Ex quibus rebus, & quibus Diis libationes factæ? Ante libationem quid fiebat? Spondophori qui? Eorum munus quale? Vasorum libatoriorum varia genera. Stilla libatoria quid? Immolatio unde, & quomodo peracta? Fundere, Vergere, Exta porricere quid? Sacrificii partes quot? Libationes quando & quomodo adhibitæ?

De *Libationibus* Antiquorum, ex eruditorum sententia differam.

Libare est leviter gustare, & quasi primis labris attingere; a labiis dictum quasi labiare, item effundere. Quare libatio duplex erat, vel in epulis, vel in sacris. Ad precationes referuntur Ethnicorum ἀπαρχαὶ seu *primitiæ*: at σπονδαὶ seu *libationes*, quibus ante vel post convivium, in Deorum honorem, usi Antiqui: qui partem cœnæ Diis donabant, eamque in forum mittebant Lari sacram, idque erat libare dapes, nec licebat vesci dapibus, nisi ante Deo libatis. Inde Dii Patellares, quibus in patella libabatur, & non magna sacrificia fiebant. *Libatio in sacris* erat, cum partem aliquam dapum & ciborum decerpebant, eamque in ignem mittebant, atque ita Diis consecrabant. *Libatio in epulis* nil aliud erat, quam vini, aquæ, lactis, aut alterius liquoris ex vase effusio; vel in aram, sive victimas, vel in terram, certis adhibitis ceremoniis, vel precibus, in honorem Deorum. Libationum materia non quævis: non enim quodvis vinum aptum libationibus; nam ex Græca, & imputata vite, seu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, aut immunditie polluta, aut juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumcisis vinaceis profluxerat, vinum Diis libare ex hujusmodi uvis infaustum erat. Quare vinum spurcum illud dictum, quod sacris adhiberi non poterat. At vino meraco in libationibus Veteres usi, quare vinum Græcæ uvæ, quia aquam mistam habebat, libare nefas: vino enim optimo suavissimoque Veteres usi in libationibus. Mercurio vero libatum ex vino misto reperio; Eloquentiæ enim Deus omnem ebrietatis suspicionem penitus detestatur. Et divinatio per vinum facta, œnomantia dicta, fiebat ex vino ad libationes sacrato.

Alii quoque liquores adhibiti in libationibus, ut mulsum, aqua, mel, lac, oleum. Libationes aquæ fuerunt sociorum Ulyssis, ut colligitur ex Homeri *Odyssea*. Soli sacrificantes mel libabant, vinum non inferentes: Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, Nymphis, non vino, sed aqua melle diluta sacrificabant Athenienses, Cereri quoque & Proserpinæ, & ad aram omnium Deorum. Causam alibi a me habes.

In libationibus sacrificiorum inferorum, non vinum tantum, verum etiam mel & lac, invergere solebant, ut mox dicetur. Illudque vinum dicebatur Inferium.

Ante libationem Prisci manus lavabant, deinde preces adhibebant verbis conceptis.

Ministri libationum, Spondophori dicti, liquores afferentes, quibus crateras ad summum implebant; quos deinde in medio collocabant. Mistio fiebat non aqua, sed alio liquore. Ex crateris porro vina in minora pocula infundebant, ex quibus deinceps pars vini effundebatur.

Vasa libatoria erant pateræ, quod paterent;

crateræ, simpuvia, seu simpula, calices fictiles, & vascula adhibita in sacrificiis, epichysis, cyathus.

Vinum antequam funderetur a Sacerdote in sacris, prius in simpulo ligneo vel fictili ab eo propinabatur. Gutta vini aut alterius liquoris inter libandum fusa dicta *stilla libatoria*.

Libationes in sacris factæ hoc ordine. Victima ad aram per Sacerdotem statuta, precibus fusis, sacerdos immolationem auspicabatur; fruges, aut molam salsam, in caput victimæ spargebat, addito thure masculo; hæc dicta *Immolatio*, quasi molæ in caput victimæ collocatio. Deinde vinum aspergebat e vase, ut supra dictum; sed prius ipse leviter delibabat, & astantibus degustandum præbebat, ut pariter libarent; vocabaturque hic ritus *Libatio*. Deinceps ad alia procedebant, de quibus a me supra *cap.* XIV. fusius. Effusio varia fuit super victimas, prout variæ erant victimæ, antequam mactarentur. *Fundere* est supina manu libare in sacris superis. *Vergere*, conversa in sinistram partem manu, ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis fit, quod factum ad victimarum explorationem, ut si non stupuerint, aptæ probentur. Vinum igitur aliusve liquor super hostiam effusum, ut probaretur. Deinde exta aliasve partes hostiæ in ignem conjectas vino perfundere solebant; hoc erat *Exta porricere*.

At sacrificii partes quatuor ex Alex. ab Alexand. 1. libare, 2. immolare, 3. reddere, 4. litare.

Libationes adhibitæ in fœderibus, in sponsalibus, in exequiis, in conviviis: non enim bibebant, nisi libatione prius Diis facta.

Veteres post epulas, antequam cubitum irent, maxime libationibus operari soliti: & Mercurio potissimum, qui somno præest. Illi enim, post sacrificium cubitum se recepturi, victimarum prius linguas sacrificabant, illas in ignem conjicientes; vel ut sese a maleficentia repurgarent; vel quod lingua membrum sit præstantissimum; vel etiam quod ea, quæ inter pocula dicta erant, Diis dedicabant, ut quæ illis testibus dicta essent, vel quod in convivio dicta silentio oporteret premere.

Super libationem potionemque super lingua fieri solita, fuit *poculum Boni Dæmonis* dictum, quod remotis mensis proferebatur. Vinum tamen novum priusquam gustarent libabant Diis immortalibus, qui dicti *Paraspondii*, ut erant Mercurius, Bonus Genius, & alii, ut a me superius dictum.

Ex quibus infero, quanta fuerit Antiquorum religio vel in falsos Deos, ut partem cœnæ non solum Lari Diisque donarent, & in focum mitterent Lari sacrum, quod erat libare dapes, ut colligitur ex illo Venusini *lib.* II. *Sat.* VI.

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

Sed etiam nihil illibatum degustarent:

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deum.

Ex Antiquorum pietate, qui frugum fructuumque primitias Diis immortalibus libare consueverant, nec ante gustare, quam Diis consecrassent. Quod faciebant vel in aram projicientes, vel in mensam, quæ loco aræ erat, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare in honorem Deorum marinorum, vel etiam in alium locum, ut notat doctiss. Turn. *Adv.* lib. XI. cap. VII. & ego alibi.

CAP. XX.

Agni aliquando cur non immolati? Agnina caro vilis. Ἱερεῖα quid? Usus carnis introductus. Proverbium, Non sacrificata comedit, *de quo dictum? Ludi cur reperti? Evocati Judices qui? Evocati milites qui? Fora Romæ quot, & quid in iis factum? Proverbium in hominem voracissimum quale? Cerebrum cur non gustatum, nec nominatum?*

TENERIS agnis olim Dii illi falsi delectati, uti & cæteris primitiis novellis; attamen aliquando ab illis abstinuisse lego in Athenæo *lib.* IX. his verbis: *Lege prisca Atheniensium sancitum fuisse in singulis gregibus, ut proli consuleretur, Androcion ait, ne ovis aut intonsa, hoc est, justo suoque vellere nondum vestita, aut priusquam peperisset, occideretur. Itaque olim jam adultas in cibis apposuisse, & nunc quoque Palladis sacerdotem fœminam, nec agnam immolare, nec gustare caseum ovium duntaxat legimus, vel etiam fœtarum quarumcumque animalium, ne dum caseus fit, lac subducatur fœtui.* Ad hanc rem apud Horatium *lib.* I. *epist.* XV. legimus:

—— tabulas cœnabat omasi
Vilis, & agninæ.

Loquentem ex opinione Antiquorum, qui agninam despicatui habebant, & vilissimam ducebant. Ideo indigne fert, & stomachatur Plautinus parasitus in *Capt.* Act. IV. Sc. II. dicens:

Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt.

Ubi arguit eorum dolum, qui pro arietina supponunt falsiter agninam. Apud Philonem in *Presbeutico*, agninæ carnes, ut notat Turn. ut insuaves illuduntur a Caligula. Heroum tamen temporibus, ut notat Casaubonus *ad Athenæum*, pulli animalium mactari duntaxat ad sacrificia. Quare apud Græcos scriptores ἱερεῖα, scilicet *sacra*, appellari non solum victimas, quæ in sacrificiorum usum mactabantur, verum quæcumque ad comedendum jugulantur animalia. Satis constat ex sacris & profanis Literis, primis temporibus ignotam hominibus carnium manducationem, & tantum in honorem Numinis hostias mactari solitas. Piguit postea mortales olerum, cœpere ipsi etiam carnibus vesci, sed parce, & salitis. Juvenalis *Sat.* XI.

Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.

Nullum enim animal in proprios usus mactabant illi prisci viri frugales, quin ejus aliquam partem Deo consecrarent adolendam: qui secus facerent, proverbio notati, ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίει, *non sacrificata comedit*, de homine improbo, impioque dici solitum, notat Adagiographus.

De bobus idem observatum aliquando notat Philochorus ibidem apud eundem. Imperator Valens non ad tempus fallendum, (jactura cujus nil gravius) sed ad famem repertos fuisse ludos notat. Athenæus *lib.* I. *Cum regnaret Atys* (ait) *ad fallendam famem repertos fuisse ludos, talorum scilicet, tesserarum, pilæ, & alios multos, præterquam calculorum.* De Ludis a me alibi.

Ex Hermippo refert Dipnosophista, vetustissimos homines remedium quoddam composuisse contra famem & sitim, dictum ἄλιμον, quo usi pro cibo & potu; quod remedium sortitum est nomen utrumque ἄλιμα, & ἄδιψα, a privatione famis & sitis, quam utramque dispelleret. Hoc

A fortasse non absimile nostro *Elixir vitæ*, aut hujusmodi.

Judices Romæ lectos ex Senatorio, equestri & plebejo ordine, opinio certa diu stetit ex Rosino. At ex Provinciis etiam lectos, qui Evocati dicti, colligo ex Seneca lib. III. *de Ira* cap. XXXIII. *Evocati*, ait, *ex longinquis regionibus judices sedent*. Plin. ita distinguit: *Judicum quoque nonnisi quatuor decuriæ fuere primo: vixque singula millia in decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad hoc munus admissis, servatumque in hodiernum est ne quis e novis civibus in iis judicaret*. Nota fuisse hoc discrimen Romæ inter cives e coloniis ductos, ut alii essent veteres, B alii novi, ut ex hoc loco colligere est. Quare veteres cives e coloniis evocabantur judicaturi, qui enim equestris ordinis honestiores erant, in Decurias judicum conjiciebantur, idque ex omnibus provinciis, idque cum Pliniana restrictione, ne e novis civibus eligerentur. Hoc institutum a Græcis manasse refert Plutarchus, ex Mureto & Lipsio, ad Senecæ illum locum. At evocati milites dicti, qui non milites justi essent, sed qui repentina aliqua necessitate ex agris in bellum tumultuarie evocabantur. Ita illi judices e provinciis, quasi ad subitum, tumultuariumque judicium lecti.

C Tria fuisse loca seu fora Judiciaria (rerum autem venalium multa) Romæ populi frequentia celeberrima autumat Seneca lib. II. *de Ira* cap. VII. his verbis: *Cum videris Forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum Circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc scito, isthic tantumdem esse vitiorum, quantum hominum*. Tria ergo loca refert Seneca, in quibus, frequentia assidua populi, Forum, Septa, Circum; duo illa nota. Septa autem alio nomine Ovilia, in Campo Martio, ubi suffragia ferri solita, quæ e ligno M. Agrippa marmorea fecit: & ibi multitudo vagorum, & curiosorum. Fora vero etsi multiplici D cia Romæ, de tribus tantum meminit Seneca *eod. lib. cap.* IX. dicens: *Inficiationes, furta, fraudes, circumscriptiones, quibus trina non sufficiunt fora*. In his causas orabant, quorum primum Romanum nominatur. Secundum Caii Cæsaris. Tertium Augusti: hinc Martialis *lib.* III. *ep.* XXXVIII.

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

In Athenæi *lib.* II. parœmiam lego, quam etsi novam mihi, at probam admitto; ne videar cornicum oculos configere. Cum enim volebant aliquem sceleratissimum, aut certe voracissimum innuere, dicebant, *Hic vel cerebrum comederet;* non absimiles huic aliæ, *Purpura voracior*, vel *Betylum* E *devoraret*. A cerebro tanquam a re sacra abstinebant: quare si quis id gustaret, ut ille ait, par flagitium committeret, philosophus ac si fabam rosisset, contra Pythagoræ disciplinam, *A fabis abstineto*. Vetabant enim capita animalium, quantumvis immunda, & prophana comesse, quod in capite omnium sensuum sedes, & rationis thronus collocatus esset. Nec solum abstinebant esu, sed ne nominare quidem fas: quare cerebrum indigetabant F periphrasi, vocantes ἐγκέφαλον, tanquam capitis hospitem. Sophocles de Lyca, vocat cerebrum *candidam medullam;* Euripides inducit Hecubam suum Astyanacta e turri præcipitatum deplorantem: ita exclamat, *Eheu infelix*, &c. *ruptis ossibus cruor, nefanda ut taceam*, nempe dispersum cerebrum, quod Latinis permissum, ut patet. Caput enim olim nempe sacrum. Indicio est jurandi per ipsum consuetudo; & sternutamenta, quæ ex ipso prodeunt, adorandi veluti sacra. Jurasse veteres Hebræos, Græcos, Romanos per caput a me alibi indicatum, & passim apud scriptores sacros & prophanos.

CAP. XXI.

Asyla quid, & unde? Cur & a quo instituta? Asyli homines qui? Asylia quid? Asyla plurima recensentur. Asylum Misericordiæ quale, & ubi fuerit? Ara Ignoto Deo. Templa violare nefas. Hebes, Minervæ, & Palladis Templorum privilegia. Ayleus Deus quis? Cui Deo Deæve Asylum Romæ dicatum? Panda Dea quæ? Dialis Flaminis ædes Asylum. Ara Comœdiæ quæ? Sepulchrum Cæsaris Asylum. Immunitas Asylorum, a quo abrogata. Statuæ Imperatorum pro Asylo. Solis Templum quale? Asyla quibus clausa? Romuli Asylum Romæ unicum. Salvocondotto *quid? Tuitio quid? Ejusdem formula. Tribuni plebis sacrosancti. Sacri homines impune occisi. Igne ab Asylis abacti Baptisterium sacrosanctum.*

ASYLUM Græce ἄσυλον, templum aliumve quemvis locum inviolabilem consecrationis lege tutum, olim significabat; ad quem confugientes, aramque complectentes, sine summo piaculo, avelli non poterant; ut deducitur ex ipso nominis etymo. Dictum enim volunt Asylum ab α privativo & verbo συλάω *rapio, prædor*. Servius tamen Asylum dictum mavult, quasi ἄσυρον, a verbo σύρω, quod est *trabo;* propterea quod, inde avelli quemquam nefas esset. Ad hoc, ex Tiraquello, refugere solebant sine discrimine servi, obærati & malefici. Asyla primum instituta; vel ob *Honestatem*, quia sit humanum miseris, & aliorum vim metuentibus locum profugii aperire: vel ob *Justitiam*, ut a vi potentiorum insontes defendantur: vel ob *Utilitatem*, veluti Romulus, qui ut urbem redderet frequentem populis, Asylum aperuit. Asyli homines, sacrosancti; a violentia tuti, ut Tribuni plebis, & Pontifices. Asylia, immunitas, quæ ex sacris ædibus, aris, statuisque Principum habetur. Hoc non fiebat in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum esset.

Oppida profugii in Lege divina tanquam Asyla, Deum præcepisse sacra Historia Veteris Testamenti palam ostendit, ex quo licet inferre, jure divino dari loca immunitatis, ad miseros recipiendos tutoque servandos. Nec non leges humanæ divinæ suffragantur, ut per singulas ætates discurrenti licet colligere.

Primus Cadmus, dum Thebas conderet, Asylum aperuisse fertur, ad quod confugientes, sine discrimine, servi aut liberi, ab omni pœna tuti erant.

Alii vero ab Herculis prognatis, Asylum Athenis apertum autumant. Deinde in Rhetæo litore Ajacis; & in Sigæo Achillis; in Parthenio monte Panos delubrum loco Asyli erat; ubi locus communis *Aula* dicta, omnibus animalibus, veluti Asylum, erat; quem leones, & lupi, dum feras insectantur, adire non audent, sed protinus subsistunt, & feras relinquunt. Hermiones templum erat in Peloponneso, sacrum Cereri, & Proserpinæ pro Asylo; in Ægypto, Osiris; in Syria, Apollinis templum; in Tænaro Neptuni phanum; in Aphrodisæo, & Papho, Veneris; Ephesi, Æsculapii; in Græcia, Calydoniæ Palladis; apud Molossos, Crotoniatas & Messenios, ad Deorum aras confugiebant.

Ara Misericordiæ erat Athenis, quam Herculis nepotes, postquam is e terris migravit, collocarunt, ut esset eis Asylum, a quo nemo abduci posset, qui timeret insidias eorum, quos avus afflixerat, auctore Statio *Thebaid.* XI.

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem.

Apud quem satis constat, hanc aram Misericor-

A diæ omnium confugium fuisse, nullique Deorum nominatim dicatam:

Huc victi bellis, patriaque e sede fugati,
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes
Conveniunt, pacemque rogant.

Hujus aræ *Ignoti Dei* meminit Paulus Apostolus *Actorum* cap. XVII. Aræ item Misericordiæ Pausanias in *Atticis*, qui eam fuisse in foro tradit. Idem scribit in Phalera portu Atticorum aras constitutas & dicatas esse Heroibus & Diis, qui *Ignoti* vocantur. Templum quoque Dianæ Ephesiæ ejusmodi fuit, ut ex eo nemo quovis crimine damnatus educi posset, cujus Cic. *in Verrem* meminit, & Justinus B *lib.* XXVIII. in hunc modum: *Laodamia autem in Dianæ aram cum confugisset, concursu populi interficitur: quod facinus Dii immortales assiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi vindicaverunt: nam sterilitatem, famemque passi, & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis pene consumpti sunt. Miloque Laodamiæ percussor in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, in summo dentibus laceratis visceribus duodecimo die interiit.* Hactenus Justinus, mentionem faciens Dianæ aræ, non Ephesiæ, sed Epiroticæ. Hinc & Pausanias in *Atticis*, existimat non ob aliam C causam Syllam in diram incidisse calamitatem, quam quod Aristonem, qui in Minervæ templum confugerat, hinc extractum interfici jussisset. Idem Pausanias in *Achaicis*, Helices urbis excidium commemorans, multa profecto tradit exempla, quibus apparet implacabilem fuisse numinum iram, ob violata Deorum templa. Quo in loco refert Dodonæi Jovis oraculum, Atheniensibus redditum, his verbis:

Ara tibi Eumenidum fumans, & curia Martis
Sint cordi, hinc bello domiti nam forte Lacones
Suppliciter tristes venient; tu projice tela,
Supplicibus parcens, Divum quos jura tuentur.

D Apud eundem Pausaniam in *Corinthiacis* mentio fit Hebes Deæ, cujus templum erat sacrosanctum, & hunc honorem habebat, ut qui supplices in id confugissent, cujusvis criminis impunitatem consequerentur. In *Laconicis* idem asserit, apud Tegeatas Minervæ templum fuisse, antiqua religione sacrosanctum: nec violari eos fas fuisse, qui illuc confugissent. Quæ sane religio ex Pausania in Leotychide est Argivis conservata: Cum enim illi supplices se in illud templum, tanquam in asylum, recepissent; nec postulatum quidem est, ut dederentur. Erat & apud Lacedæmonios templum E Palladis Chalciœcæ, quo confugit Pausanias proditionis accusatus, cujus & nos statim mentionem faciemus. Traditum etiam est Orestem, matre occisa, cum a tribus Furiis infestaretur, in templum Apollinis confugisse, nec ausas ingredi Eumenides, sed expectasse dum exiret. Hinc Virgil. lib. IV. *Æneid.*

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine diræ.

Quod Statius aræ Misericordiæ, & Ignoti Dei tribuisse videtur.

Erant in Græcia & Asia plura Asyla, quæ re- F feruntur in Corn. Tacito, Thucydide lib. I. *belli Peloponnesiaci*, & Polyd. Virg. lib. III. *de rerum Inventoribus* cap. XII. Plutarcho in *Theseo & Romulo*, Dion. *lib.* XLVII. Alexand. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XX. Præterea fit Asyli mentio apud Jurisconsultum, *in l. quis sit fugitivus. §. apud Labeonem. ff. de Ædil. edic.* ubi Budæus explicat, *Asyliam* dici jus hoc libertatis & veniæ, quod quis apud aras consequitur; quam immunitatem Ecclesiarum vulgo nominamus. Asyli etiam secundum eundem dicebantur homines sacrosancti, quos attingere sine piaculo non licebat, nec prehendere; ut apud Romanos Tribuni plebis. Apud quos primi omnium Romulus, & Remus, jactis urbis fundamentis, asylum aperuerunt profugis, & fugitivis inter arcem, & Capitolium, omnesque recipiebant: neque servum dominis, nec creditoribus nexum, nec magistratibus debebant homicidam, verum inviolatum locum ex oraculo Apollinis præstare se asserebant. Ita urbs brevi est frequentata; Plutarc. in *Romulo*, & Livius *lib.* I. Deum Asyleum appellabant.

Cui Deo, Deæve templum sit pro Asylo erectum non constat, & Dionysius *lib.* II. ignorare se dicit: sunt qui Vejovi tradant. Celebratur tamen Asyli lucus IV. Non. Febr. Ovid. lib. III. *Fastor.*

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto;
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Virg. VII. *Æneid.*

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit.

Panda, seu Pantica Dea dicta, ut refert Arnobius, quod T. Tatio, Capitolinum ut caperet collem, viam pandere atque aperire permissum fuerit. Nonius & Varro de asylis hæc habent: *Pandere*, inquit Nonius, *Varro existimat ea causa dici, quod qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur*, ut ait Varro *cap. tertio*. Apud Romanos vinctum, si Dialis Flaminis ædes introisset, solvi necesse erat, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti. Item, si, qui ad verberandum ducebatur, ad pedes ejus supplex procubuisset, eo die verberari piaculum est, Gellio referente *lib.* X. *cap.* XV. Apud eosdem Comœdiæ ad aram si quis confugisset, tanquam ad Cæsaris statuam, revelli nefas. Hæc ara dicata, ut quidam volunt, Apollini. Lepidus & M. Antonius Triumviri, cum plus satis in eos, qui Julii mortis conscii fuerant, sæviissent, & totam fere urbem interfectorum sanguine maculassent, Julio Cæsari demum sepulchrum construxerunt in foro; ubi ejus cadaver combustum fuerat, eosque, qui ad ipsum confugerent, tutos, & inviolatos esse voluerunt, Xiphil. in *Augusto*.

Tiberius Asylorum immunitatem abrogavit, ne scelera essent impunita, statuam tamen servis asylum proposuit; ut erat apud Athenienses Thesei sepulchrum, apud Cyrenenses statua Ptolemæi. Qui bello capti ad Imperatorum, regumque statuas confugissent, veluti ad asylum, nexu solvebantur, & immunes erant: in eos enim manus injectio non erat. Sic Aspendi Pamphyliæ Tiberii Imperatoris statuæ pro asylo fuere.

Heliogabalus ignavissimus Imperator, pulchritudine, magnitudine, & sacerdotio conspicuus, in Solis templum (quem Phœnices *Helogabalum* vocant) confugerat, veluti in asylum, ne a Macrino Præfecto Prætorio interficeretur, dum Antoninus Caracalla pater occideretur. At Macrino cæso, Imperator a militibus dictus est, quod Antonini Bassiani esset filius e serva, ex Syria Deum Heliogabalum adduxit, Romæque templum constituit, in quo prius ædes Horci fuit, ut refert Cuspinianus.

Confugientes itaque in fana immunitatem, impunitatemque assequebantur, si aras fuissent amplexi; unde ara sæpe usurpata pro Asylo, & perfugio. Ovid. IV. *de Ponto*:

Unica fortunis ara reperta meis.

Servulus apud Plautum:

Ego interim hanc aram occupabo.

Quæ omnia sunt intelligenda modo ad aram, vel templum fugiens, injuriam alteri non tulerit:

nam illata injuria, poterat ab ara ipsa avelli. Pulcherrima est Cœlii dissertatio apud Tacitum *Ann.* III. *Fassus quidam est Principes instar Deorum esse; sed addidit, neque a Diis injustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliudve urbis templum confugere; ut ea, occasione arrepta, flagitiis magis ac magis inquinetur.* Itaque subvenerunt mox leges; & ne ad statuas vel imagines quisquis confugiat, Senatus censuit, eumque, qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica coerceri D. Pius rescripsit. Romæ tamen haud frequens ille mos, nec libera Rep. aliud præter Romuli Asylum reperitur. Initium ei fuit a templo J. Cæsaris, quod Triumviri extruxere, cum hoc jure, ut perfugium in eo cunctis esset, ex Dione *lib.* XLVII. Sub Imperatoribus nec templa solum, sed statuæ eorum imaginesque passim perfugium servis, etiam ingenuis, & injuria affectis.

Successit in locum Asyli, Principum fides, dicta *Salvocondotto*, & fiducia. Virg. *Æneid.* II.

Quidve ferat memoret, quæ sit fiducia capto.

Et pro statuis Imperatorum Tuitionis gratia, insignia Principum diadematum, seu sigilla successere. Extat apud Appianum, II. *Bellorum civilium*, formula Tuitionis, qua se Julius Cæsar, veritus inimicorum insidias & conspirationes, tutelæ, ac præsidio P. R. commisit, penes quem tum summa potestas. Ista in hæc verba conficitur, ut docet Jacob. Durand. Casellius *Varior.* lib. I. cap. I. *Pollicemur nos Cæsarem ejusque corpus servaturos, quantum in nobis situm erit: quicumque vel ejus vitæ insidiatus fuerit, vel contra ipsius caput coitionem fecerit, vel ei opem auxiliumque non tulerit, sacer & devotus esto.* Iisdem verbis corpora Tribunorum pleb. consecrabantur, & idcirco sacrosancta dicebantur; etsi publicam fidem & religionem violasse crederentur. Qui vim illis intulissent, ob eam causam, hi sacri hostes, publici ac devoti dicebantur, quos unicuique occidere lege licebat. Eam ob rem Imperatores prisci, quo sua corpora religione tutius tuerentur, se Tribunos pleb. & Pontifices Maximos appellabant, ut observavit Tacitus *Ann.* III. Qui vero contra Principis edictum ausus fuisset refragari, eumque lædere, quem sua fide Princeps salvum incolumemque esse volebat, perduellionis reus habebatur. Hoc privilegio apud Antiquos fruebantur omnes familiæ eorum, qui pro Repub. absentes aliquo perfungebantur munere. Quod si crimina erant adeo sacrilega, ut sacrilegos ab aris aut templis avertere vellent, ignem potius admovebant aris, quo supplices confugerant: ut non ab hominibus per injuriam inde extrahi viderentur, sed incendii metu & ardoris inde fugere cogerentur; proinde quasi non ab hominibus id oblatum, sed veluti fortuitum natum foret. Itaque apud Euripidem, Hermione minatur Andromachæ, quæ in templum confugerat, ignes se adhibituram, & inde incendio loci eam excitaturam atque fugaturam; & in scenis Plautinis, lena ignem sibi poscit, ut ancillas suas, quæ ad aram Veneris profugerant, locum deserere cogat. Seneca, in *Hercule Furente:*

Congerite sylvas, templa supplicibus suis,
Injecta flagrent.

Ut notat eruditissimus Turnebus *Adverʃ.* lib. IX. cap. XII.

Valvas etiam templi solebant obstruere; & egressu præclusos, fame oppugnare: interdum tectum demoliri, quo citius aeris injuria, aut parietum ruina interirent, Plutarch. in *Pausan.* Diodor. *lib.* XI. Ælian. *lib.* IX. & alii.

Non tantum jura civilia immunitatem templorum permisere, sed etiam jura canonica, quam pii Principes passim conservant inviolatam. Nec templa solum, seu etiam Baptisteria, ut testatur Evagr. *lib.* II. *cap.* VII. scribens de Proterio Alexandrinorum Episcopo; ipsum, quo necem effugeret, ad sacrosanctum Baptisterium se recepisse; quo in loco & Barbaris & cunctis ferocibus hominibus reverentia quædam incutitur. Bonifacius V. Papa, Heraclio imperante, instituit, ut ad templa confugientes salvi essent, Volater. *lib.* XXII. Platina, & Crantzius *lib.* II. Alaricus Gothorum Rex, sub Honorio Imperatore, occupata Roma, edixit; ne eorum corpora ignominia, vel vulnere afficerentur, bonave diriperentur, qui in Apostolorum templa se recepissent, ut notat August. *de Civit. Dei* lib. I. & II.

Theophilus Imperator tantum Mariæ filiæ defunctæ honoris detulit, ut cadaver in arca argento obducta reposuerit, & cujuscumque flagitii reis sepulchrum ejus Asylum constituerit, Cedrenus.

CAP. XXII.

Orgianum quid & unde? Janus cur in principio, & Vesta in fine sacrificii invocabantur. Orgia unde orta? Thyades unde dictæ? Bacchilio quinam fluvius? Trieterica, & Nyctileja, quid? Phallagogia quid? Proverbium, Phallus Deo, *de quo dicitur? Ithyphalli & Phallophori quomodo ornati? Pompa & sacra Bacchi qui peracta? Thyrsi qui? Commovere sacrum quid? Servati coronabant servatores, iisque serviebant. Gratitudo virtutum mater. Fontanalia quid? Servi qui, & unde dicti? Cibus & potus militaris priscus qui? Pultifagi qui? Cibi cocti non venditi in exercitu. Cibus castrensis, ordinarius, & extraordinarius qui? Milites non portabant nummos. Cœnabant simul. Iis vinum non concessum. Buccellatum quid? Panis militaris quotuplex? Hordeum militi ob quid datum? Allium præcipuus cibus militum. Adagium,* Allia & fabas non edat, *de quo usurpatur? Milites quando cænarint discincti? Cur non ponant cingulum in cœna? Ignes speculatorii qui? Eos quis primus invenit? Signum in castris quale? Ignis speculatorii varius usus. Fumus in adventu amicorum. Nuncii Persarum velocissimi. Angareion apud illos quid? Literæ per sagittas missæ. Ignes pro excubiis & vigilibus. Pro quibus & quomodo adhibiti? Pœnæ in hostes captos quænam? Asino cur impositi? Catachysmata quid?*

TE ex nobilissima & antiquissima stirpe originem ducere ostendis Aureliana. Quæ ab Aureliana Gallorum urbe obsidione vexata, duce Falzano viro clarissimo Vicentiam venit circa annum Christi 1000. ubi semper claruit. Vos autem a reliqua Aurelianorum gente, quæ viget adhuc, discreti, 200. abhinc annis cognomine a Banca, & insignibus binorum leonum, quos Renatus Andegavus Neapolitanus Rex, Andreæ viro arte militari præstantissimo concessit, cujus filius Jo. Philippus Venetæ Reip. Collateralis Generalis plus virtute & fortitudine quam dignitate splendoris familiæ vestræ addidit, quæ semper tam in re litteraria quam militari viris præclaris enituit. Num ergo ex animo amarem, colerem tam nobilem, tam ex animo amantem? Vetus enim, & verissimum dictum, Venenum & philtrum efficacissimum esse amori amorem. Ruent potius elementa, & hæc mundi machina in suum redibit chaos, quam ego amore & fide constanti in te non stem. Gratum reperies, si non pariantem.

De tuo Orgiano quid sentiam, ex animo hæc habe; ubi meus animus totus refocillatus, restauratus, exhilaratus.

Orgia-

Orgianum dictum opinor, quasi oram Jani, corrupto, ut cætera, vocabulo; ut qui in hac hora ubi primum in Italiam venit, sedem habuerit ob aerem saluberrimum, solum feracissimum, colles amœnissimos. Janus (ut ait Q. Fabius Pictor) primus docuit Italos vinum & far ad sacrificium. Quare non immerito semper Janus in sacrificii principio invocatus, in fine vero Vesta, ut alibi a me dictum; quem eundem esse cum Japhet filio Noe, Jo. Goropius Becanus in IV. *lib.* testatur: eumque alias terras quæritantem, tandem per varia maria, Jonium, & Adriaticum, in hunc sinum, in hos colles, & oram amœnissimam appulisse crediderim, ubi primæ vineæ satæ, cultæ. Quid mirum igitur, si ibi vina preciosissima nascuntur? hinc quidam putant, Orgianum dictum ἀπὸ τῆς ὀργῆς, hoc est, *a furore*, quo corripiuntur, qui illis generosissimis vinis sese nimis ingurgitant.

Quod si de meo corollarium addere etiam licet, Orgianum dictum credo ἀπὸ τῶν ὀρῶν, hoc est, *a montibus*; in Orgianum enim Vicentini montes Euganei, seu colles potius dicendi, tamquam anulus in gemmam desinunt, ubi Ceres, Pomona, Flora, Liber contendunt, ibique Orgia celebrant. Orgianum autem Pajarinus, Trinagius, & alii volunt dictum ab Orgiis Bacchi, quæ ibi antiquitus celebrabantur.

Sed unde hoc sacrificii genus? Cœlius Rhodiginus ait *lib.* XVI. *Sunt, qui indigenam memorent virum Castalium, cujus fuerit filia nomine Thya, quæ Dionysio consecrata, primum Deo celebravit Orgia, & Bacchico afflatis numine nuncupationem fecit, ut ab ea vocentur Thyades*, &c. Bacchi die festo apud Eleos celebrato (quem θύαν vocabant) maximum miraculum lego apud eundem Rhodiginum *lib.* XV. *cap.* XXVIII. *Est apud Eleos miraculum alterum: nam in Bacchi festo, quod θύαν vocant, illati templo lebetes tres noctu implentur vini, foribus accurate occlusis, obsignatis etiam, ne fraudem suspicari quis possit; quin Andrii quoque quotannis ejusdem solemni die spontaneum a templo scaturire vinum prædicant.* Quid mirum, si Orgiani quoque, ubi celebrata Baccho sacrificia, vites sponte (ut ita dicam) sua, nullo pene accolarum labore, optimas plurimasque uvas ferunt? Hinc Sabellicus in suo Cratere ait, ob eam causam a Cerere Bacchilionem fluvium Vicentinum appellatum, quod de Baccho, qui Vicentinis occupatis collibus agris etiam insederat, triumphum revexisset. Hæc magis ex animo grato, quam ex certa fide.

Thebanis tertio quoque anno sacra Baccho celebrata in Cythærone monte nocturna, & ideo dicta Nyctileia, & ab annis, Trieterica, seu triennalia, in quibus erant Phalli. De his Divus Augustinus *de Civitate Dei* lib. VII. cap. XXI. & Vives *ad hunc librum*. Aliæ vero gentes solum Phallum ducebant circum agros ad fertilitatem frugum. Theodoretus vero *lib.* III. autumat, Phallagogia dictas fuisse ferias illas quibus Phalli circumferebantur per Phallophoros. Hinc proverbium, *Phallus Deo*; ubi parum quidem honesta, sed rei locoque convenientia dicuntur.

Ithyphallos Athenæus refert talari tunica manicatos fuisse, & ebriosorum personas ridiculum in morem gestasse, Phallophoros autem serpillo faciem occultasse, ferrisque ex viola & hedera compactis usos fuisse. Leonicus *de Varia Historia*. Vide Gyrald. *Synt.* VIII.

Plutarchus in libello *de Cupiditate opum* ait, in antiquis Bacchi sacris hujuscemodi fuisse pompam, amphoram vini cum palmite, hinc hircum quem trahebat aliquis, post cistam nucum, & Phallum, quæ postea obsoleverunt & pretiosiora sunt inducta. Erat etiam & vannus (sicut Virgilius inquit)

A cribrum Cereale Servius exponit, vallum Varro, quod idem est atque conus, seu nux pinea, quæ est thyrsorum ad instar: thyrsi enim hastæ quædam erant præpilatæ, pampinis & hederis circumvestitæ; addebatur etiam hedera. Erat & thyrsus corona nuptialis, & lampas, quam in honorem Bacchi præferebant, aliaque multa ad hoc spectantia, rejicienda potius quam referenda.

Orgia, & Trieterica sacra e loco in locum transferebantur, quod dicebant, *Commovere sacrum*, recondita enim ea in cistis e templis urbanis in montes & solitudines a Bacchis portabantur non sine tumultu: Plaut. *Pseud.* Act. I. Sc. I.

B *Scis tu quidem Hercle! mea si commovi sacra,*
Quantas turbellas soleam dare!

Orgiorum cistæ tegebantur hederis & pampinis; Catullus:

Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis,
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.

Profani & peregrini ab his sacris arcebantur. Hæc ergo sacra, quia opertanea & occulta, dicta mysteria, uti & Cereris, & Bonæ Deæ. Liberi sacra tertio quoque anno innovabantur, ut ait Serv. IV. *Æn.* Victori in Bacchi certaminibus præmium est tripus, Athenæo referente lib. II. *Dipnos.* nam qui vera fantur, illos e tripode loqui dicimus. C Cæterum hic intelligendum Bacchi tripodem poculum fuisse, Novar. *Sched.* lib. VII. cap. XXIX. Cæterum Bacchum a Diis datum, & Musis ad communes miserias sublevandas, Julianus *Orat.* IV. docet, & Bacchi sacerdos in spectaculis olim principem locum obtinebat, ut ait Scholiastes Aristophanis in *Ranis*. Aram Baccho construxit Amphictyon Rex Atheniensium, & illi proximam alteram Nymphis, documentum bibituris vinum temperandum esse, quia Nymphas Bacchi fuisse nutrices tradunt, Athen. lib. II. *Dipnos.*

Orgia ergo jure omitto Orgiani celebrata olim; D & ab ora Jani ad tuum virgineum os me converto admirabundus, tuamque liberalem manum osculabundus, a quo ego liberali caussa assertus; ideo tu ex lege prisca coronam civicam meritus a me servato, & ego justam servatori debeo servitutem, quod ex Seneca *de Beneficiis* cap. XXI. disco, dicente: *Patiar me ab impuro servari? servatus deinde quam gratiam illi referam? vivam cum obscœno? non vivam cum redemptore?* Ergo illi justam & perennem debebat servitutem. Subscribit historicorum Princeps Polybius in commemoratione de militia Romana, inquiens: *Servatos cogunt, nisi id sponte faciant, servatorem coronare; colit vero* E *hunc servatus per omnem vitam tamquam parentem, omnia sua exhibens ut genitori: omnium enim virtutum mater gratitudo, contra ingratis omnia insunt vitia.* O auream sententiam, litteris aureis in pectore omnium inscribendam! *Fontinalia*, festus erat dies Romæ, quo in fontes coronas projiciebant, puteosque coronabant, ut a quibus pellucidos liquores ad restinguendam sitim acceperant, iisdem gratiam hoc ritu referrent. Unde dictum, *Si aquam hauris, puteum coronet lapis pietatis*, referente Plutarcho jun. in *Mæandro*, (ex Caussino) F in quo lapis generatur, quem, ubi pii filii invenere, in templo Matris Deum recondunt, ut in parentes æternam servent pietatem. Unde Virgilianum illud de Ænea pio in parentem dici potest, *Pietati cedite flammæ*. Coronare igitur sua manu servatorem corona civica tenebatur servatus. Hinc a servatore dictus servus, quod ii, qui jure gentium, & belli possent occidi, a victoribus servabantur & servi fiebant, dicebanturque non a serviendo, sed a servando, ut notat Justinianus, *Tit. de jure personarum*. Ad hoc alludit Ovidius IV. *de Ponto:*

Teque meæ causam servatoremque salutis,
Meque tuum libra norit & ære magis.

Ad militiam devenio. Salem & legumina data militibus lego, bisque die hos cibum sumpsisse, prandium tenue, & stantes, sine ullo apparatu; cœnam vero paulo lautiorem, idque non nisi ad signum: sed antiquiori tempore non pane, sed pulte usos; hinc Romanos dictos *pultifagos* a Plauto, & Valerio Maximo *lib.*I. *cap.*I. aqua mera vulgo usos, interdum aceto aqua mixto.

Cibos coctos nefas in exercitu vendi; quod etiam testatur Sallustius in *Jugurthino Bello* loquens de Metello: *Namque edicto primum adjumenta ignaviæ sustulisse dicitur, ne quisquam in castris panem aut quem alium cibum coctum venderet; ne lixæ exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris neve in agmine servum aut jumentum haberet: cæteris autem modum statuisse*, &c.

Ævo autem posteriore, sub Imperatoribus laridum datum, caseum, & poscam, Spartianus in *Adriano* testatur his verbis: *Ipse quoque inter manipulares vitam militarem agitans cibis castrensibus in propatulo libenter utens, id est, larido, caseo, & posca, exemplo Scipionis Æmiliani, Metelli, & auctoris sui Trajani*. Cibus igitur militaris alius ordinarius, alius extraordinarius; illum quotidie, & non seorsim, sed in certas turmas divisi milites capiebant, hinc illud edictum Pescennii Imperatoris, qui, teste Spartiano in *ejus Vita*, jussit, ne milites in Zonio ad bellum aureos & argenteos nummos portarent, seu potius ut publice commanducarent. Et Josephus *de Bello Judaico* in descriptione castrorum Romanorum testatur, non licuisse militi prandere & cœnare seorsim, cum vellet; sed simul & una prandendi, cœnandi, atque etiam dormiendi certa fuisse & statuta tempora. Hæ cœnæ in tentoriis per contubernia apparatæ, distributis cuique suis ministeriis.

Cibi castrenses erant, laridum, caseus, posca, & buccellatum, atque acetum, ut testatur Spartianus in *Hadriano*, qui, cautum a Pescennio, (inquit) ne quis in expeditione vinum ferret, sed aceto contentus esset; item pistores exercitum sequi vetuit, ut omnes buccellato uterentur. Buccellatum esse panem ad usus diuturnitatem excoctum: quo milites pasci in castris solebant, scribit Marcellinus *lib.*XVII. Verum non semper caruisse pane, vino, & carne milites docet *l.*I. *C. de erogatione militaris annonæ*, his verbis: *In duobus diebus buccellatum, in tertio die panem. Uno die vinum, alio die acetum, uno die lardum, biduo carnem vervecinam.*

Panis militaris duo genera ex Valeriano apud Vopiscum: petit enim, Duci Romam misso dari panes mundos sexdecim, castrenses quadraginta. Utebantur autem pane ex tritico tanquam optimo, ex hordeo vero dabant militibus, qui in aliqua re deliquissent, tanquam bestiis.

Allium quoque præcipuus Romanorum militum cibus, adeo ut militiæ fuerit hieroglyphicum; hinc proverbium, *Ne edas allia & fabas*; quo (teste Suida) significabatur, tranquillæ vitæ amatoribus, a bellis & judiciis (in his enim fabæ, in illis allii usus) abstinendum.

Unde Vespasianus Imperat. teste Suetonio, adolescentem fragrantem unguentis, sibi pro impetrata Præfectura gratias agentem, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit, *Maluissem*, inquit, *allium oboluisses*, literasque revocavit. Vini usus, vel nullus, vel parcus. Carthaginenses vino omnino abstinent, Platone id præcipiente. Pescennius Imper. militibus suis vinum flagitantibus respondit, *Nilum habetis, & vinum quæretis?*

Tenui hoc & moderato cibo non milites gre-A garii tantum, sed ipsi Imperatores vescebantur. Nam & Scipio ambulans cum amicis, & Massinissa XC. annum agens, stans, solo cibario pane vescebantur, & alii. Præterea miles & dux, alter in alterius conspectu, palam cœnabant, & inde ab exemplo majorum maxima frugalitas. Trebellius Pollio putat, etiam ante Gallieni Imperatoris tempora milites discinctos cibum sumpsisse, postea vero cinctos hac de caussa: (ut ille inquit) *Mos fuit, ut cingula sua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent. Hora itaque convivii Saloninus puer, sive Gallienus, militibus auratos castellatosque baltheos rapuisse perhibetur, &* B *cum esset difficile in aula Palatina requirere quod periisset, ac taciti milites detrimenta pertulissent, postea rogati ad convivium cincti accubuerunt. Cumque ab his quæreretur: cur non solverent cingulum, respondisse dicuntur: Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti discumberent.*

Satur cibum mitto, nocturnum ignem seu facem adeo, ut mihi in tenebris præluceat. Speculatorios ignes seu faces belli tempore hac tempestate usurpatos, in usu fuisse etiam Antiquis, vel Trojani belli tempore Virgilius VI. *Æneid.* indi-C cat aperte:

—— *flammam media ipsa tenebat*
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.

Inventoremque hujus doli Sinonem facit Dictys v. lib. *Belli Trojani*. Hi ignes speculatorii vocati, aliquando fumi. Livius *lib.*V. *Inde fumo, ut convenerat, datum signum*. Nisi velimus cum Vegetio, per noctem flammis, per diem fumo significatum. Ad adventum hostium indicandum facium ardentium olim usus, ex Aristotele lib. *de Anima*: at apud Romanos tunica purpurea belli instantis erat signum. Livius aliud innuit *lib.* IV. *Repente* D *patefactis Fidenatium portis, nova erupit acies, inaudita ante id tempus insitataque ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens, velut phanatico instincta cursu, in hostem ruit, formaque insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit.*

Adhæc, ad significandum principibus, quæ sciri opus essent, ignem adhibebant, Apulejus *de Mundo*: *Ex eo numero erant, & diuturni cursores, atque nocturni exploratores, & per vices incensæ faces ex omnibus regni sublimibus locis in uno die Imperatori significabant, quod scito erat opus*. Præterea ad hilaritatem & lætitiam amicorum advenientium, de qua ita Seneca *epistola* LXV. *Intervenerant quidam* E *amici, propter quos major fumus fieret, non hic, qui ex lautorum culinis erumpere, & terrere vigiles solet, sed hic modicus, qui hospites venisse significet.*

Præter ignem ad significandum & nunciandum Imperatori, quid opus esset, usitati etiam a Xerxe velocissimi nuncii, ut habet Herodotus *lib.* VIII. his verbis: *His nunciis nihil pernicius transcurrit in rebus humanis, quod negotium hunc in modum est a Persis excogitatum. Quot ex diebus tota via constat, totidem equos, ac viros ferunt esse distinctos ad singulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque æstus, neque nox distinet, quin propositum sibi cursum celerrime conficiant.* F *Quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus item tertio, & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranseunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Vulcano per vices ferre cursores perseverant. Hanc equorum cursitationem Persæ Angarejon appellant*, &c.

Per sagittas etiam in obsidione urbis, aut proditione, nunciabant, quid vellent: illis enim litteras illigabant, & quo volebant extra muros jaciebant, ut idem Herodotus *eodem libro* asserit

his verbis: *Ad extremum ita actum est, quoties exaratum libellum, aut Timoxenus ad Artabanum, aut Artabanus ad Timoxenum mittere volebat, adaptatis desuper pennis ad locum, de quo convenerat, sagittam emittebat.*

Tantus regis literis honos olim habitus, ut ubi eas excepissent, oscularentur, capiti admoverent, & oculis. Item literas, quæ alicui carissimæ, osculo exceptas, quin & admotas ad oculos probat exemplo suo Julianus *ep.* XL. Jamblicho scribens, Novar. *Sched.* lib. VII. cap. XIII. Literæ, quibus bellum nunciabatur, pennatæ olim erant, at quibus pacem nunciabant, addebant laurum in victoriæ & lætitiæ signum, ita norat Plin. *lib.* XV. *cap.* XXX. Filo muniri solitas olim epistolas notum est, addo & sericum, si a viris magnis exirent.

Sed ad ignes redeamus; apud Poetas, & historias sæpe ignes pro excubiis seu vigilibus accipiuntur. Tacitus, *invalidos ignes*, pro remissis & languidis excubiis. Statius pro crebris, ac densis sic dixit:

Contractæque vices, & crebrior excubat ignis.

Sed ignes non tantum cum adventarent hostes adhibiti; sed etiam cum socii, & auxilia, diversa tamen ratione, ut docet Suidas: *Phrycti faces quædam e ligno factæ, quas super muros ferentes significant vicinis, aut sociis, cum vident hostes adventantes. Atque etiam cum socios, vel auxilium vident: sed cum istos, gestant faces quietas; cum hostes, quatiunt & movent.*

Hostes capti triumphantium Imperatorum currum secuti pro more in carcerem abjiciebantur, ibique lictoribus mancipati trucidari consuevere. Quoad Roma Imperii caput fuit, hic mos inolevit; deinde cum oriens occidenti præripuit imperium, Romanumque in Byzantinum commutatum; ubi soliti Imperatores captum hostem in pavimento distendere, ejus cervices insultando conculcare, pedibus, manibusque male acceptum, & lacerum asino imponere, in hæc verba prorumpentem, ἐλέησόν με ἀληθῶς, βασιλεῦ, *miserere mei serio, o Rex*: ita refert Casellius *lib.* I. *cap.* XVIII. Agathias lib. *histor.* IV. mulis impositos per urbem ignominiæ causa vectos: Asino impositos Procopius in *Vandalicis* testatur. Super caput vero servi nuper empti bellaria effusa, cum domum heri ingrediebatur, refert Aristoph. in *Pluto*, quæ dicta *Catachysmata*, & hæc etiam effusa super caput uxoris nuper nuptæ.

Bello tamen captos pollicibus detractis esse mulctatos refert Plutarchus in *Lysandro* his verbis: *Duces Athieniensium inter alios complures Philocoles erat ille, qui populo indixerat quidem ad sciscendum, ut captis bello præcideretur dexter pollex, quo lanceam ferre non possent, nec remigare*, &c.

CAP. XXIII.

Lapides pro Diis habiti. Statua Termino erecta. Proverbium, Thesaurus carbones erant, *de quibus usurpatur? Carbones cur in terra defossi? Fines omnes sacri. Fines Templares qui? Termini sacrificales qui? Termini defigendi ritus. Sacrificium factum in fossis ubi Termini ponendi. Termini in viis sub arboribus. Lapidum terminalium varia genera. Termini Dei figura quæ? Sacrum saxum quid? Adagium*, Lapidem unctum adorare, *de quibus dictum? Termini Dei religio unde? Lapidum sacrorum duo genera. Fidei & Termino a quo Templum conditum? Terminus Deus noluit cedere Jovi. Eidem sacrificatum. Terminalia quæ sacra? Sacellum ejusdem ubi & a quo ædificatum? Fides ut Dea culta. Ejusdem sacra quæ? Mens Dea habita. Fidei & Mentis ædes ubi & a quo collocata & sacrata?* Lex *Numæ de termino. Lapidem terminalem auferentes qua pœna digni? Lapides erecti, lætum signum; e loco moti, cladis signum. Lapidibus cur viæ distinctæ? Obsides cur redimiculo purpureo caput operiunt? Nota qua dignoscebantur meretrices a matronis.*

MIHI per varios agros ire libet, in quorum finibus olim (ut modo) lapides, qui uncti, coronati, & adorati: nullus enim Deum prius illo adoratus & cultus ex legum præscripto; hinc statua illi erecta & coronata, quod aperte Arnobius, seu M. Minucius Felix annuit his verbis: *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos sane, & unctos, & coronatos.* Apulejus I. *Florid. Truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Sed clarius lib. I. *Apolog. Negant se vidisse, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum in finibus ejus.* Tibullus *lib.* I. *eleg.* I.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Proverbium illud, *Thesaurus carbones erant*, de iis, qui sua spe frustrantur, vereor ne jure in me objiciatur, multi enim e meis agris aurum eruditionum effodere opinantur, carbones vero hauriunt. Carbones (ut aliquid in medium proferam ad rem) antiquitus in terra defodi solebant ad indicandos agrorum terminos, propterea quod nulla res magis durabilis carbone. Hinc Proverbium natum fortasse. Vide Adagiographum. Lapis terminalis seu stipes supra terram extabat. Agnus huic immolatus: Ovid. *Fast.*

Spargitur & cæso communis terminus agno.

Dionys. *lib.* II. ex instituto Pompilii Termino quotannis pultibus, & libis, atque quibusdam fructuum primitiis sacrificari ait. Hinc Juvenalis *Sat.* XVI.

—— convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo.

Sed noto, ut paulo clarius has tenebras illustrem, luce ab aliis mutuata, ut mihi illucescat: Loca quam maxime sacra apud Antiquos in confiniis constituebantur. Ab eo fines templares, & terminos sacrificales auctores limitum nuncuparunt, qui in quadrifinio positi possessionibus finem faciebant. Hic autem ritus fuit defigendorum Terminorum, ut cum illos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram convocarent, proxime ea loca, quibus fossa facta defixuri erant, quos unguento, velaminibus, & coronis decorabant. In fossis illis, quibus posituri Terminos erant, sacrificio facto hostiaque immolata facibus ardentibus in fossa cooperti, sanguinem instillabant, eoque fruges, & thura jactabant, favosque, vinum, atque alia, quibus consuetudo erat Terminis sacrum fieri, in fossa dejiciebant; consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant. Quia tamen aliquando viæ, termini erant agrorum, aut flumina, circa quæ arbores satæ, hinc frequenter sub his defixi termini, & coronatæ etiam arbores, seu rami. Apulejus *Apolog.* I. *Negant se vidisse, qui fuerint,*

ullum saltem in finibus, ejus, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum. Hi lapides quadrati, inscripti uncialibus literis.

Lapides quosdam religiosissime Pagani colebant, ut ad eorum cultum prætereuntes invitarent, & ungebant. Hinc dicti lapides Divi; Arnobius: *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ornatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, effabar*. Lampridius: *Lapides qui Divi dicuntur ex proprio templo Dianæ Laodiceæ ex adyto suo, in quo Orestes posuerat, auferre voluit*. Lapides Divos Turnebus putat esse simulacra Deorum, Veteresque inde per Jovem lapidem jurasse; quod eruditissimus Gutherius confutat, a cujus eruditissimis elucubrationibus multa lux huic capiti, afferens, olim rudes lapides pro simulacris cultos, qualis fuit Romam deportatus Pessinuntiæ Matris Deum. Item Dianæ Paphiæ. Hic plerumque in formam pyramidis. Sacrum saxum dicebatur ædes in saxo excavata, quam Apulejus vocavit speluncam frondibus inumbratam. Hinc puto manasse illud proverbium, *Omnem lapidem unctum adorare*, de iis usurpatum, qui temere, & sine judicio erga quosvis afficiuntur. Vel puto allusisse proverbium ad Græcorum ritum, ut refert Pausanias in *Achaicis*, his verbis: *Et sane Græcis olim omnibus patrium fuit, rudes lapides pro diis perinde ac simulacra ipsa colere*. Termini religionem sumpsere Romani a Græcis Ita apud Platonem lib. VIII. *de Legibus: Nemo fines, atque terminos agri moveat, nec civis vicini, ac finitimi peregrini, si agri extrema possideat. Sed putet id esse verum quod dici solet, hic immobilia movet; malitque unusquisque saxum ingens movere, quam parvum lapidem jurejurando a diis firmatum, quo amicitiæ, & inimicitiæ terminantur. Alterius enim Jupiter ὁμόφιλος, alterius Jupiter ξένιος testis est*, &c. Merculio Viali viarum præsidi sacros in acervum lapides conjiciebant, tum ut Deo ὁδηγῷ honorem haberent, tum ut iis, qui idem tenerent iter, commonstraret viam. Hæbrei, ut notat Eruditissimus Caussinus, *Marcolin* dixere ex Elia Thesbite, & quia a prætereuntibus religionis gratia lapis congerebatur, tumulus magnus erigebatur e congestis lapidibus, unde Livius *lib.* XXVI. *Mercurius Teutates tumulus* in Hispania. Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates.

Lapidum sacrorum duo genera leguntur, alii terminales, in defigendis terminis agrorum collocati, proxime ea loca, quibus fossa facta defigebant, quos unguento, velaminibusque, & coronis decorabant, facto enim sacrificio super calentes reliquias lapidem collocabant. De hoc Apulejus *Florid. Vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus*. Alii lapides sacri, seu dicti Divi, qui in fundamentis templorum jaciebantur inscriptione notati. Lapis Divus a Lampridio sic describitur: *Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ ex adyto suo, in quod Orestes posuerat, auferre voluit*. Pausanias quoque in *Corinth.* lapidem narrat, qui ante ædem Dianæ Lyceæ jacebat, & sacer vocabatur, illumque dicebat esse, super quo Trœzeniorum novemviri Orestem a matris cæde purgaverunt. De hoc lapide divo idem in *Laconicis*, & *Atticis*. A lapidibus (ne lapides loquar) ad alia verto vela, velificante mihi zephyro placissimo tuæ benignitatis in hoc scriptorum Oceano. Locus signatus, ex Polluce *cap.* IX. *lib.* III. dictus lapis, aut columna quædam ostendens, quod locus esset ære alieno obstrictus. In viis publicis lapides extitisse quibus utebantur, ut commodior equi ascensus esset, indicat Plutar. in *Gracchis* dicens *Gracchum lapides haud longe distantes in viarum marginibus defixisse, ut esset facile iis, qui equos haberent, eos inscendere*.

Terminum fuisse habitum Deum lego in Plutarchi *Numa: Primum autem ferunt, & Fidei, & Termini templum condidisse, ac Fidei jusjurandum demonstrasse, Romanis maximum, quo etiam nunc utuntur. Termino vero, qui meta quædam est, & publice & privatim ad agrorum confinia sacrificant animantia: & id nunc quidem, nam apud Veteres incruentum fuerat Numæ sacrificium, quippe qui sapientissime docuisset, decere, Terminalem Deum nece purum esse, utpote qui pacis custos, & justitiæ testis sit. Videtur & omnino hic Rex Romanorum solum terminavisse, cum Romulus noluisset mensura proprii agri, fateri alieni ablationem, suas enim vinciri vires, si Terminum observasset, sin minus observasset, injuriæ argui*, &c.

Nota est historia de Termino, Juventute, & Marte Jovi cedere nolentibus, quod portenderet Romanos fore bello invictos, perpetuo vernaturos, & sine terminis imperaturos. Termino sacrificabant publice & privatim, quasi Deo finium custodi, qui non tantum saxum, & lapis, sed interdum stipes vel tegula. Ovidius in *Fastis*:

Termine, sive lapis, sive es defossus in agris
Stipes, ab Antiquis tu quoque nomen habes.

Terminalia sacra mense Februario peragebantur. Sacellum ejus Numa Pompilius in colle Tarpejo statuit, nihilque animatum illi sacrificatum, sed tantum liba, pultes, & frugum primitiæ, non enim pium cruentare lapides. Causam hujus vide in Plutarcho. Ovidius tamen agnam, & porcam in II. *Fastorum* immolari prodidit. Horatius item *Epod.* od. II.

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Prudentius lib. II. *contra Sym.* aliud ab his sacrificium sic innuit;

—— & lapis illic
Si stetit antiquus: quem cingere sueverat error
Fasciolis, vel gallini pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis.

Gyraldus *Synt.* XVII. & alibi refert. Ara Deo Termino statuebatur a dominis utrinque, lignaque concisa foco imponebantur, & canistro fruges igni inspergebantur; tum demum puella favos mellis porrigebat: alii & vina: itaque holocautoma fiebat. Fides ut Dea culta. Dion. *lib.* II. inquit, *Primus ipse omnium templum* (loquitur de Numa) *Fidei publicæ erexit, sacrificiaque ei statuit sumptu publico, sicut & aliis*. Sine cæde & sanguine ipsi velati Flamines albo panno, sacra faciebant, quin illuc curru arcuato manu ad digitos involuta deferebantur, solemni pompa. Horatius lib. I. *Carm.* od. XXXV.

—— Albo rara Fides colit
Velata panno.

Vel quia in canis hominibus esse solet, vel quia candorem fidei demonstrat. Mens quoque Dea habita, ut mentem bonam concederet. *Menti* (inquit Livius *lib.* XXII. *cap.* XI.) *ædem vovit Otacilius Prætor*. Idem paulo supra: *Jovi ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vovendas esse, &*

supplicationem lectisterniumque habendum, & ver sacrum vovendum, &c. Vide & *lib.* XXIII. *cap.* XXXI. Ovidius in *Fastis*:

> *Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus*
> *Vota, metu belli perfide Pœne tui,*

Popertius:

> *Mens bona si qua Dea es, tua me sacraria dono.*
> *Exciderant surdo tot mea vota Jovi.*

Festus vero ante Numam, ab Ænea in Palatio Fidem consecratam refert ex Agatocle. Fidei ædes in Capitolio fuit. Dionysius, & Plutarchus referunt, a Numa esse sacratam, statutumque maximum jusjurandum juxta hanc Menti, canali uno discretæ, de quibus Cicero III. *de Legibus*: *Colunto ila, propter quæ datur homini ascensus in Cælum, mentem, pietatem, fidem*, &c. Termino igitur sacellum erectum a Numa in colle Tarpejo, cui solum iba, pultes, & primitiæ frugum libatæ. Hic Dus erat saxum in finibus agrorum privatorum, & publicorum, quod qui statuto dimovisset loco, impune cædi poterat. Lex Numæ de termino hæc extat: *Quei Terminon exarassit, ipsius & bovis sacrei sunto*. Dionysius Halic. hæc habet: *Terminos si quis transferre ausus fuisset, aut tollere, lege Terminali caput ejus Dis Terminalibus Numa devovit, interfectori ipsius, tanquam sacrilegi, impunitate permissa*, &c. Noto lapides terminales erectos fuisse. Erectus terminus nota erat rei bene gestæ: hoste jam victore, e loco movebantur, quasi omnia pessum irent, idque habeo ex Virgilio *Æneid.* XII.

> *Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens.*
> *Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat*
> *Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.*

Terminorum defigendorum ritum exscribo ex Siculo Flacco: Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant proxime ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant, & unguento, velaminibusque & coronis eos coronabant. In fossis autem, quibus posituri eos erant, sacrificio facto hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus, in fossa cooperti sanguinem instillabant, eoque fruges, & thura jactabant, favos quoque & vinum, aliaque quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, Pithœus.

Ad lapides viales via me ducit. Olim viæ lapidibus distinctæ, ut ex iis cuilibet innotesceret quantum inter perfecisset. Hi lapides literis pleni, ut viam viatoribus dicerent, item sententiis insignibus distincti, ut viatores meliores, lætioresque evaderent, Novar. *Sched.* lib. I. cap. XXIII. Erat & alius *Lapis errantium* dictus apud Hebræos, in quo res perditas ponebant, vel stantes in eo proclamabant, quisquis perdiderit, idem *cap.* XVIII. *lib.* II.

De hoc eodem Livius, Florus pluribus, cum de Tarquinio Prisco in Tarpeja rupe Jovi sacrificante mentionem faciunt.

Capita agrorum mitto, hominum repeto, Athenæus *lib.* XV. ritum quemdam capitis tegumenti purpurei obsidum nobis indicat, his verbis: *Lacedæmonios contemplare, qui reperto a se Cosmosandalo, quem putant esse Irin Illyricam, Tulipanum vulgo dictum, vetustissimum suæ Reipublicæ ornamentum, ubi proculcarunt tanquam fractis cervicibus pessum iere*; quamobrem scite de illis Comicus Aristophanes:

> *Timebantur olim Spartani, ut inexpugnabiles;*
> *Nunc autem purpureo reticulo caput iis vincitur, ut obsidibus.*

Quæ mihi verba plane indicant morem obsidum caput operiendi redimiculo purpureo, ut ab aliis discernerentur, & hac nota illos prodente, minus fugam tentarent. In argumentum luxuriæ idem taxat Spartanos, uti degeneres a prisca virtute: *Proferuntur reticula purpurea, qualia erant corpora mœrentium*. De reticulo muliebri Juvenalis *Sat.* II.

> *Reticulumque comis auratum ingentibus implet.*

Idem Juvenalis *Sat.* VI. dum Messalinæ impudicitiam impudentissime describeret, ita inquit:

> *Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos*
> *Linquebat, comite ancilla non amplius una,*
> *Et nigrum flavo crinem abscondente galero:*

Etsi non me lateat, a quibusdam intelligi per galerum, comam ascititiam, & flavam, quam solæ meretrices, eam inficientes gestabant; matronæ vero nigram. Sed quid obstat per galerum significari id reticulum, de quo supra? lector arbiter esto. At nota certissima, qua matrona a meretrice distincta, innuitur ab Ovidio III. *de ponto* eleg. III.

> *Scripsimus hæc illis, quorum nec vitta pudicos*
> *Attingit crines, nec stola longa pedes.*

CAP. XXIV.

Canes excubantes in vestibulo ædium. Iidem in catena excubantes. Soluti sub noctem. Pro cubiculis adstabant. Ipsi custodes Templorum. Picti præ foribus, ut & lupi. Cave, Cave canem, & Cave, Cave lupum, *quænam Inscriptiones?* Arse, Verse *quid? Canes Marti sacrati. Canes sacrificati. Cur ingrati Romanis? Cur Romæ in crucem actus vivus canis? Anseres cur grati Romanis? Nulla haruspicina ex canibus. Haruspicina ex quibus animalibus? Qui divinationem ex canibus instituere voluit? Cur canis in Lupercalibus immolatus? Lares cur pellibus canum coronati? Lares præsides qui? Canis cur Manæ Gynæciæ, Hecate, & Lucinæ immolatus? Sabæi canem sacrificabant Dianæ. Canes cur immolati Caniculæ syderi? Canæ rufæ sacrificiis aptæ. Canis lactens cur, quando, & a quibus immolatus? Canis exta mero & thure aspersa. Rubigalia a quo instituta & quando acta? Cane dissecto expiata Ira. Canes annua supplicia ubi & quomodo pendant? Canes lactentes hostiarum vice adhibiti. Catulina in Deorum cœnis. Canis homines docuit vomitionem. Canes in Templo pro æditüis. Canes templorum, lucorum, & urbium custodes. Quinam populi canem habuerunt pro rege? Lupus cui sacer?*

PRÆTER janitores catenarios cum arundine præ foribus assidentes, canes reperio, & in vestibulo ipso hanc inscriptionem, *Cave, Cave Canem*. Jam satis poetis decantata fida canum custodia, excubiæ canum,

> *——Domus alta molossis*
> *Intonuit canibus ——*

A Hi tamen canes Molossici plerumque in catena excubabant. Petronius *Satyr. Ad sinistram intrantibus non longe ab ostiarii cella canis ingens catena vinctus.* Suetonius in *Vitellio*: *Confugit in cellulam janitoris, religato pro foribus cane.* Hoc factum (credo) pro foribus nobilium, divitumque. Pausanias in *Laconicis*: *Cumque visendæ urbis causa obambulans ad Hippocoontis ædes forte accessisset, in eum canis domus custos invasit, at ille lapide canem percussit.* Dum vesperi fores clauderentur, sub noctem solvebantur, & immittebantur in molestos, morantes, aut fures nocturnos. Seneca *de brevitate Vitæ* cap. XI. *Quæris forte, quos occupatos vocem. Non* B *est, quod me solos putes dicere, quos a basilica immissi demum canes ejiciunt.* Plutarchus in *Pelopida*: *Cætera ædium tyranni statio excubantium servabat; cubiculum vero, ubi solebat quiescere, in edito erat, pro quo canis deligatus, omnibus nisi ipsis, & uni servo, qui eum curabat, horrendus, agebat excubias.* Et paulo post: *Ea more suo ad Alexandrum jam sopitum ingressa, servo foras jussit canem adducere, velle illum dicens, quite dormire.* Canes etiam templorum custodes. Agellius *lib.* VII. *cap.* I. *Æditus templi sæpe esse demiratos, quod solum Africanum noctu in Capitolium ingredientem canes semper in alios* C *sævientes, neque latrarent, neque incurrerent.* Etsi hæc de Capitolino templo intelligenda. Apollodorus apud Athenæum hæc refert, ὁ θορωρὸς ἱλαρὸς πρῶτον ἔστη, ἡ κύων ἔσαινε, καὶ προσῆλθεν, &c. *occurrit hilaris janitor primum, canis blandiens adulatur, progreditur, est obvius, qui tibi ferat sellam repente, quamvis id nemo imperet.*

Ex quibus colligo, sellas, seu sedes in vestibulo collocatas, easque a servis traditas venientibus amicis salutaturis; hac tamen lege, ut qui prior limen tangeret salutaturus, priorem occuparet sedem propius fores, ut rixæ tollerentur, & sic prior admitteretur ab admissionalibus servis. Seneca VI. *de Beneficiis* cap. LXXIII. *Est proprium super-* D *biæ magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, ut ostio tuo propius assideat, & gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludant.* Sed de servis admissionalibus a me alibi.

Ælianus *lib.* V. *cap.* VIII. refert historiam de quodam cane in templo Æsculapii Athenis, qui sacrilegum furem adeo insecutus, ut eum Athenienses deprehenderint capiteque damnarint, cani vero cibum de publico præbitum, ut fido custodi: Et merito, reliqua enim animalia silvas ac solitudines tolerant aut quærunt; solum istud domesticum, ci- E cur homini adhæret, ac tuetur. Ideo Ægyptii Anubim suum canis specie fingebant, quia videlicet utriusque regionis ille Deus superæ, & inferæ, ut Hecate Græcorum. Romani canem Mercurio comitem dederunt, quia, ut Plato ait, sagax, & ingeniosum hoc animal facundissimo, & promptissimo Deorum conveniebat. Telemachus apud Homerum duobus canibus comitantibus in concionem prodit. Evandro apud Virgilium procedente, *Æneid.* VIII.

F *Nec non & gemini custodes limine ab alto*
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.

Neque id tantum venationis causa censendum, nam Homerus distinguit, dicens, mensarios canes novem animi, ac voluptatis causa, a Patroclo educatos, & sacræ Literæ id astruunt de Raphaele: Bernardus, Dominicus, canes habuere in deliciis, quid mirum si meus eruditissimus Lipsius tanto amore semper canes prosequutus, ut secum habuerit domi, foris, & in suggestu (ego testis oculatus) Lovanii publice prælegens.

Non solum canes veri custodes domorum, verum etiam picti, illa epigraphe, *Cave, Cave Canem*. Lupos etiam appictos, hac epigraphe, *Cave, Cave Lupum*, testabatur eruditissimus antiquarius, & humanissimus Petrus Paulus Venturinus omnis eruditionis promocondus: qui utrumque utrimque pictum habebat præ foribus suarum ædium semper patentium litteratis viris Veronæ, ad priscum ritum æternæ memoriæ consecrandum, suamque eruditionem non vulgarem.

Aliam epigraphen ostiis ascriptam reperio in Festo, *Arse, Verse*; scilicet, Averte ignem, Thuscorum lingua, unde Afranius ait, *Inscribat aquis in ostio, Arse, Verse.*

Subnecto veluti subtegmen huic telæ de canibus, quod refert Pausanias in *Laconicis*: *In Ephebeo utraque Epheborum classis caninum catulum Marti Enyalio mactant, fortissimo scilicet Deorum victimam, ex eo animalium genere illi acceptam existimantes, quod mansuetis omnibus fortitudine præstat. Catulos quidem haud scio, an alii Græcorum usi immolent præter Colophonios: mactant enim Coloponii Deæ, quam Enodion, Compitalitiam quasi dixeris, appellant, nigrum catulum.* Qui locus innuit sacrificatos fuisse canes aliquando; etsi non vade Romanis gratus videtur fuisse canis, quod Capitolium non custodiverit, cum Galli impetum fecerent, anseres tamen suo clangore vigilias excitarint. Anseres olim matronis acceptissimos fuisse ex Petronio colligitur: *Occidistis*, ait, *Priapi delicias anserem omnibus matronis acceptissimum.* An verecundiæ causa, quam animanti huic anticuitus tributam Plinius *lib.* X. *cap.* XX. asserit? An potius quoniam hoc alitum genus Isidi peculiariter sacratum? quam Deam stolatæ matronæ celebrant religiosissime: ex Dousa *ad Petron.*

Quare (ut refert Plutarchus, *de fortuna Romanorum*) canis in crucem actus vivus; anser in lectica veste stragula sedens circumagebatur ob memoriam conservati Capitolii ab anseribus clangentibus, canesque excitantibus. Ideo ex canibus nulla unquam haruspicina, ut legimus in Pausaniæ *Eliacis posterioribus*, his verbis: *Vetus est, & ab initio instituta, ex hœdis, agnis, vitulis haruspicina. Suem primi omnium Cyprii addidere, cane vero ad extorum significationes nullæ omnino gentes usæ sunt; peculiarem itaque credi facile potest caninorum viscerum divinationem sibi Thrasybulum instituisse.* Plutarchus in *Vita Romuli*, canem immolatum in Lupercalibus tradit, deinde subjungit: *Canem autem (nam sacrificium expiatio est) existimare quis possit expiationis gratia immolari? Nam & Græci homines ad expiandum canes adhibere soliti sunt, ac multis in locis περισκυλακισμοῖς (quæ ita vocant illi a cane) utuntur.* Quod si hæc ad lupæ gratiam, nutritionemque, a qua Romulus pater lacte nutritus, ac salutem recensendam agitant; non immerito canis jugulatur, lupis enim inimicus est. Ni jam mehercule plectitur animal, quod lupercos, dum currunt, impediat latratu, & morsu: ideo prædico:

Fas, quibus est audire, loquar, vos turba profana
Obturate aures.

Tibi uni mystæ aperiendæ, qui Æcastor morem antiquum atque ingenium obtines, ut unus hominum homo (ex Terentiano) te vivat nunquam quisquam blandior, prudentior.

In omni mutatione insignia vitæ actæ Diis sacrata. Venerationis causa, olim pupæ a Virginibus nupturis, aut puberibus Veneri dicatæ; ali

quando & zona Virginalis, a gladiatoribus arma ad postes Herculis, a servis catena, ita bulla, & prætexta a pueris togam virilem sumentibus Laribus dicata. Persius *sat.* II.

—— Veneri donatæ a Virgine pupæ,

Laribus itidem, a puellis coronas olim suspensas, easque inusitata fuisse magnitudine innuit Plautus in *Prologo Aulul.*

Huic filia una est: ea mihi cotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat:
Dat mihi (Lari) *coronas.*

Horatius *lib.* I. *epist.* I.

—— Vejanius armis
Herculis ad postes fixis.

Idem *lib.* I. *sat.* V.

—— Donasset jamne catenam
Ex voto Laribus.

Et *lib.* II. *sat.* III.

——— immolet æquis
Hic porcum Laribus.

Persius *Sat.* V.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Succincti Lares erant habitu peregrinantium pellibus amicti, cum cane comite.

Lares coronabantur pellibus canum, quia utrique domus custodes, & ut alienis formidolosi, domesticis blandi viderentur. Ovidius lib. V. *Fastorum:*

Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quæ standi cum Lare causa fuit.
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata Deo, compita grata Lari.
Exagitant & Lar, & turba Diania fures
Pervigilantque Lares, pervigilantque Canes:

Juvenalis *sat.* IX.

O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exorare corona,
Quando, &c.

Idem *sat.* XII.

—— Laribusque paternis
Thura dabo.

Plutarchus magis ad rem nostram, *Problematum* cap. LI. *Laribus, quos proprie vocant præstites, seu præsides, canes assistere, & ipsos canum pellibus amiciri, quoniam, qui præsides sunt, eos alienis formidolosos esse oportet, uti canes videmus, domesticis vero mites, ac mansuetos, vel quod Lares quidam furiales sunt, & exactores vitæ nostræ, atque operationum speculatores, quibus assidet canis, quem novimus ad investigandum sagacem esse. Manæ item Genitæ Gynæciæ canem immolabant Romani, ne quis domi natorum non bonus fieret; an quod hæc Dea ortui, ac partui præesset interitui obnoxiorum, ac fluxorum corporum? Gynæcia vero eadem est apud Romanos, ac bo-*

A *na Mens. Græci vero Hecate, seu Proserpinæ canem immolabant pro domi nascentibus. Socrates ait, cane Lucinæ Argivos rem sacram facere ob facilitatem pariendi.* Hæc ipsa Plutarchi verba ex loco citato supra, quem vide. Quia Compita grata Laribus Ovid. dixit: subnecto Sexti Pompeii locum. Pilæ, inquit, viriles effigies ac muliebres ex lana, quæ Compitalibus suspendebantur in compitis, quod esse illa Deorum inferorum putarent, quos vocant Lares, quibus tot pilæ quot capita liberorum, servorum, mulierum circa compita habitabant, ponebantur, ut essent iis pilis, & simulachris contenti,
B vivisque parcerent. Hisce vero imaginibus nullius omnino pretii vestes circumponebant; proinde pannosas pilas quandoque Martialis vocat. Ab his primis pilis secundæ prodierunt, quæ feris objiciebantur, e stramine primum factæ. Raderus *ad Martial. lib.* II. *ep.* XLVIII.

At me quæ passa est furiosi cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.

Sabæi, seu Saphæi, ut Marso Ovidii interpreti placet, exta canum Dianæ sacrificabant. ex illo loco I. *Fastorum:*
C

Exta canum Triviæ vidi libare Sabæos.

Ad placandam quoque Caniculam, cœleste sydus, frugibus inimicum, canes ei immolabant, idque sacrificium dictum canarium augurium, peractum apud portam Catulariam, in eo non nisi canes rufæ adhibitæ; cæteræ habitæ impuræ. Vide Festum in dictione *Catularia*, & *Rutilæ canes.*

Canum latratus malum portendere olim credebant. Certe inter omnia quæ præcesserunt mortem Maximini, ita Capitolinus: *Canes circum tento-*
D *rium ejus in secunda mansione ultra duodecim ulularunt, & animam quasi flendo posuerunt, a prima luce mortui sunt deprehensi,* Novar. *Sched.* lib. XI. cap. XIII.

Pro frugibus quoque, & pecoribus, ut rubigo averteretur, lactenti catulo sacrum fiebat, idque Rubigalibus per Quirinalem Flaminem extra urbem. In quo super exta canis thus & merum infundebantur. Pro frugibus hoc sacrificium factum testatur Columella lib. X. *Rei Rusticæ.*

Hinc mala rubigo, virides ne torreat herbas,
E *Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.*

Rubigalibus testatur Plinius *lib.* XVIII. *cap.* XXIX. qui ibidem asserit, a Numa hæc instituta sacra regni sui anno XI. & peracta VIII. Kal. Maii: hunc vide. Quod vero per Flaminem, Ovidius *Fast.*

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Illum vide prope finem IV. lib. *Fast.* de his agentem; ex quo, & modum & causam sacrificii
F disces.

Bœoti Iram expiabant cane in duas partes per medium dissecto, referente Plutarcho in *Quæst.* sed quando de canibus agi cœptum, audi Plinium *lib.* XXIX. *cap.* IV. *Eadem de causa supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventutis & Summani, vivi in furca sambucea ex arbore fixi. Sed plura de hoc animali dici cogunt priscorum mores. Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur his. Genitæ Manæ catulo res divina fit, & in cœnis Deum*

etiamnum ponitur catulina. Adjicialibus quidem epulis celebrem fuisse, Plauti fabulæ indicio sunt. Sanguine canino contra toxica nil præstantius putatur. Vomitiones quoque hoc animal monstrasse homini videtur. Et alios usus ex eo mire laudatos referemus suis locis. Hæc Plinius.

A

Romæ in Vulcani templo canes fuisse, qui pro æditius essent, & sacrilegis tantum adlatrarent; & item in alio ejusdem templo apud Ætnam canes fuisse, lucum & templum asservantes perhibet Alexander ab Alex. *lib.* I. *cap.* III. Gyraldus *de Diis Gentium*, & Rhodiginus *lib.* XXIII. nullum tamen veterem scriptorem producunt. Scio quidem aliquando Aratum Acrocorinthi custodiæ quinguaginta canes commisisse, ut in *ejus Vita* refert Plutarchus. Sed rem ridiculam audi. Quidam erant populi, qui pro rege canem habebant, a cujus nutu, & imperio pendebant. Plinius *lib.* IV. *cap.* XXX. *At ex Africæ parte Ptoembari, Ptoemphanæ, qui canem pro rege habent, motu ejus imperia augurantes.* Solinus cap. XLIII. *His proximi summam regiæ potestatis cani tradunt; de cujus motibus quidam imperite augurantur.* At ego canis circum intestina.

B

Lupus vero quia Martius dictus Virgilio, ideo Marti sacrum putarunt. Gyrald. *Synt.* VII. asserit Apollini sacrum lupum, unde dictus fuit *Lycoctonus*, seu *Lupicida*, quia hic Deus custos pascuorum, quibus maxime infesti lupi. In Attica lupi catulum qui occiderent, donabantur talento. Ælianus scribit, solem, seu Apollinem delectari hoc animali, quod ipse in lucem editus feratur ex Latona in Lupæ speciem conversa, cujus meminit Homerus. Alii dicunt, quod donaria ex templo a furibus ablata mordicus vindicavit lupus. Sed ne lupum auribus tenere dicar, luporumve catulos alere, lupinum texens sermonem, canes, & lupos linquo.

F I N I S.



ABRA-

ABRAHAMI ORTELII,

COSMOGRAPHI ET GEOGRAPHI REGII,

DEORUM DEARUMQUE CAPITA,

EX ANTIQUIS NUMISMATIBUS COLLECTA:

HISTORICA NARRATIONE ILLUSTRATA

A

FRANCISCO SVVERTIO

ANTUERPIENSI.

DE DIIS DEABUSQUE IN GENERE

PRÆFATIO.



QUONIAM omnis quæ a ratione suscipitur disputatio, (teste Cicerone) debet a ratione proficisci, DEUM (quem a δέομαι quidam derivant) in *Somnio Scipionis* sic definit: *Qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui regit, qui moderatur, & movet Mundum, cui præpositus est*. Observant autem curiosi, Dei nomen TETRAGRAMMATON omnium pene Gentium linguis esse.

Innumerabiles Deos vana quadam superstitione Gentes finxerunt, ut omnibus humanæ vitæ ministeriis etiam vilissimis, Deos præficerent. M. Terentius Varro Togatorum doctissimus, sex Deum millia, Joves etiam trecentos enumeravit. Ex his alii majorum minorumque Gentium, id est, cæteris plus minusque præstantes, quomodo & Romæ majorum minorunque Gentium Senatores, teste Tacito, a Romolo sunt instituti. Majorum autem Gentium Deos XII. Q. Ennius apud Apulejum hoc Disticho complexus est:

Juno, *Vesta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*,
Mercurius, *Jovis*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Minorum Gentium Dii, *Medioxumi*, & *Semones*, quasi semihomines atque heroes, ex hominibus in Deos relati, ob rem aliquam humano primum usui repertam, ut *Liber*, *Hercules*, &c.

Selecti quoqe a Varrone Dii recensentur, *Janus*, *Saturnus*, *Genius*, *Plutus*, *Bacchus*, *Sol*, *Luna*, *Tellus*.

Ministeriorum autem præfecti sunt, quos homines certis officiis attribuerunt: ut *Geniales*, qui gerendarum rerum vim obtinerent, ut fuit *Genius*, & elementa quatuor. Plura ex Varrone Augustinus, & Janus Gulielmius *Verisimil.* lib. III. cap. XXI. ubi de Edusa.

Lares, qui ædium privatarum curam gerebant.

Viales, Dii viarum, quorum in antiquis Inscriptionibus Romanis mentio est apud Hieronymum Suritam, in *Commentario in Itinerarium Antonini Augusti*.

Rurales, qui agris præerant, de quibus idem Varro libris *de Re Rustica*, & Maro in *Georg.* quales fuit *Pales* unde *Palilia*, quo Festo condita Urbs Roma; *Pan*, *Ceres*, *Flora*, *Bacchus*, *Minerva*, *Lympha*, *Robigo*, sive *Rubigo*, & *Proserpina*.

Indigetes, qui de Republica bene meriti essent, in his *Castor & Pollux*, *Æneas*, *Hercules*, *Romulus*, & *Cæsares*, Apotheosi quadam in Deos relati, cujus Apotheoseos ritum moremque egregie Herodianus in *Severo* explicavit. Hi fere, quo major esset auctoritas, nomina mutabant, ut hodie Pontifices ad S. Petri Cathedram evecti. Sic *Quirinus* dictus *Romulus*; *Rhea*, quæ & *Sylvia*, *Deum mater*; *Leda Nemesis*.

Alios autem aliæ gentes Deos Deasque proprie coluerunt, Romani *Faunum*, Veneti *Diomedem*, Pœni *Uraniam*, Mauri *Jubam*, *Isidem* Ægyptii, *Gabinum* Macedones, Germani *Thuisconem*, alii alios.

Erant & Urbium Dii proprii ac patrii, quos & Advenas primum salutare solitos ex antiquitate clarum est, ut infra in *Genio* dicemus; hinc etiam *Tutelares* habiti. De his Tibullus:

Et tamen ante omnes Martem coluere priores,
Hoc dederat studiis bellica turba suis.
Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylæa colit.
Junonem Spartæ, Pelopeiadesque Mycenæ,
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis,
Arma feræ Genti remque decusque dabunt.

Et vetus Poeta in Custodem hortorum:

Dodona est tibi Juppiter sacrata,
Junoni Samos, & Mycena Diti,
Undæ Tænaros æquorisque Regi,
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Cretem Delia, Cynthiosque colles,
Faunus Mænalon, Arcadumque silvas,
Est tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis humidumque Tibur,
Cyllene celeri Deo nivosa,
Ennææ Cererem nurus frequentant,
Tardo gratior æstuosa Lemnos,
Raptam Cyzicos ostreosa Divam,
Formosam Venerem Gnidos, Paphosque
Mortales tibi Lampsacum sacrarunt.

Quorum *Tutelarium* efferre nomina, ne ad hostes qui eos evocarent, accederent, nefas putabatur, ut ex Solino Polyhistore colligitur, de Valerio Sorano. Moris enim erat obsessa urbe *Tutelares* Deos venerari, atque evocare piaculis, ne in servitutem quasi redigi viderentur, quibus propitiatis urbs in hostium obsidentium potestatem citius veniret. Virg. 11. *Æneid.*

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat. —

Ubi Servius aliiqui Interpretes legendi, & Macrobius lib. III. c. XI. *Saturn.* Hinc factum ut & idolomania quadam Deos suos partim colligarint, ne avolarent, partim plumbo basibus affixerint: Tyrii Apollinem, quem magna veneratione tutelarem habuerunt, ne urbem desereret, aurea catena devinxere, ut scribit Diodorus Siculus *lib.* XVII. & Q. Curtius. Lacedæmonii Martis Simulacrum vinculis colligabant, teste Pausania in *Laconicis*: Athenienses Victoriæ Deæ alas, ne avolaret, adimebant.

Arma quoque Dii propria habuerunt, ut apud Poetam Ithyphallicum:

Fulmina ſub Jove ſunt: Neptuni fuſcina telum:
Enſe potens Mars eſt; haſta Minerva tua eſt.
Sutilibus Liber committit prælia Thyrſis:
Fertur Apollinea miſſa ſagitta manu:
Herculis armata eſt invicta dextera clava &c.

Quin etiam arbores, de quibus Maro in *Melibœo*:

Populus Alcidæ gratiſſima: Vitis Iaccho:
Formoſæ Veneri Myrtus: Sua Laurea Phœbo.

Martialis *lib.* I. *epigr.* LXXVII.

Quid poſſunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.

Ad quem verſum Nic. Perottus Epiſcopus Sipontinus hos verſus, ſive Avieni, ſive a ſe compoſitos (ut refert Ant. Auguſtinus Vir Clar. Dialogo V. *Antiquitatum*) adfert:

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et Myrtus Veneri placuit, Phœbo Laurus,
Pinus Neptuno, Populus celſa Herculi.

Gabriel vero Faernus Cremonenſis in *centum Fabulis* metro conſcriptis:

Legere proprias Dii ſibi quondam arbores,
Quam quiſque vellet eſſe in tutela ſua:
Quercum ſupremus Juppiter, Myrtum Venus,
Pinum humidi Tridentifer rector ſali,
Apollo Laurum, Populum excelſam Hercules.

Scriptorum veterum ac recentium, qui ex profeſſo Deorum Gentilium Hiſtorias vel Imagines deſcripſerunt, Elenchus.

VETERES.

Apollodorus Athenienſis, de Deorum origine.
M. Tullius Cicero, de natura Deorum.
Phurnutus, ſive, ut alii, *Cornutus*, ſpeculatio de Deorum natura.
Philoſtratus, de Iconibus.
C. Julius Hyginus, Fabularum liber.
Albricus Philoſophus, de Deorum Imaginibus.
Pauſanias in ſua Græcia admodum frequens eſt in deſcribendis Deorum ſtatuis.

APOLOGIÆ PRO CHRISTIANIS

GRÆCORUM:
Juſtini Martyris.
Tatiani.
Theophili.
Athenagoræ.
Theodoreti.
Hermiæ Philoſophi.

LATINORUM:
Tertulliani.
Cypriani.
Auguſt. de Civit. Dei.
Minutii Felicis.
Arnobii.
Lactantii.

NEOTERICI.

Joannes Bocatius, de Genealogia Deorum.
Lilius Gregorius Gyraldus, de Diis Gentium.
Julianus Aurelius, de cognominibus Deorum.
Georgius Pictorius, Apotheosim.
Melchior Barlæus Antuerpianus, de Diis Gentium lib. III. carmine Elegiaco.
Vincentius Catarrus, de imaginibus Deorum, Italice.
Gulielmus Choulius, de Imaginibus Deorum & natura, Gallice.
Ulysses Aldrovandus, de Statuis urbis Romæ, Italice.
Fulvius Ursinus Romanus, de Familiis Romanorum, & Imagines Heroum
Antonius Augustinus, XI. Dialogis Antiquitatum Hisp. & Italice.
Epitheta Deorum Græca *Conradi Dinneri*.
Latina *Joannis Ravisii*, & *Basilii Zanchi*.
Joannes Goropius Becanus multa de Diis in Operibus suis.

DEORUM DEARUMQUE

INDEX.

ABRAHAMI ORTELII
COSMOGRAPHI ET GEOGRAPHI REGII,
DEORUM DEARUMQUE CAPITA,
EX ANTIQUIS NUMISMATIBUS COLLECTA.
LIBER I.

DII DEÆQUE,
PRIMI ET MAGNI.

Apollo.	*Moneta.*
Ceres.	*Neptunus.*
Cybele.	*Pallas.*
Diana.	*Pluto.*
Feronia.	*Saturnus.*
Juppiter.	*Sol.*
Juppiter Ammon.	*Sol Invictus.*
Juppiter Anxur.	*Vejuppiter.*
Juno Regina.	*Venus.*
Juno Sospita.	*Vesta.*
Mars.	*Vulcanus.*
Mercurius.	

FIG. I.

Ex nummo argenteo L.C. Memies. Gal.



SATURNUS, Cæli & Vestæ sive Terræ filius, quem Principem Deorum vana Carthaginensium venerata est Religio.

SATURNUS dictus, ut ait Isidorus, quod hieme, quæ illi sacrata est, homines saturet, vel quod annis saturetur, ut Cicero testatur, vel quod se liberis devorandis saturet, vel a satu, ut Macrobio placet, quia peritiam ruris & satorum primus edocuit, agrosque stercorando in melius commutavit: Maro a vitibus satis *Vitisatorem* nominat *Æneid.* VII.

Vitisator curvam servans sub imagine falcem.

Aurea sub hoc Rege fuisse sæcula fabulantur Poetæ, ut idem Maro, Hesiodus, & Ovidius. De hoc multorum sententias colligit Sextus Aurelius Victor libello *de origine urbis Romæ*.

Κρόνος autem a Græcis dictus, quia tempori præest, quod illis χρόνος, unde Naso:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis. ——

Hinc Luciani Cronosolonis epistolæ Saturnalibus dictatæ, quo referenda, quæ initio *Saturnalium* Macrobius attulit, quem festum diem *dierum optimum* vocavit Catullus: hinc & liberos devorasse fabulantur, pro quibus lapidem subjiciebant, qui Græce Βαίτυλος dicebatur, teste Lactantio, & in *Isidori Vita*, Photio Patriarcha in Μυριοβίβλῳ, quem *Terminum* putarunt esse, & *Abadir* a Latinis dictum, auctor est Priscianus:

A *Abadir*, inquit, *Deus esse dicitur & lapis, quem Saturnus devorasse dicitur pro Jove, quem Græci* Βαίτυλον *dicunt*. Et Hesychius; Βαίτυλος dicitur saxum illud fasciis revinctum, quod pro Jove devorasse dictus est Saturnus. Sed de Termino lapide *Lib.* II.

Saturni temporibus, hoc est, aureo sæculo, nullus hominum carnes comedit; sed universi vixerunt frugibus & pomis. Auctor mihi D. Hieronymus *contra Jovinianum*.

FIG. II.

B *Ex nummo æreo Ptolomæi Regis Ægypti.*

JUPPITER dictus quasi *Juvans Pater*, quod omnia juvare crederetur, Rheæ Saturnique filius, Hesiodo, Homero, Ciceroni.

Plurima autem cognomina habuit, ut

Optimus Max.	*Idæus.*
Olympius.	*Capitolinus.*
Universi Anima.	*Feretrius.*
Stator.	*Pluvius.*
Casius, Strabo lib. XVI.	*Hecatombæus.*
Eleus.	*Panomphæus.*
Dictæus.	*Cretæus.*
Muscarius.	

C *Jovem Lapidem* Romani jurare consueverant; aer quoque habitus est. Theocritus *ad Battum:*

Nunc pluit, & claro nunc Juppiter æthere fulget.

Pluviam quoque immittere creditus, Tibullus *de Nilo*:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Plura cognomina Orphei & Homeri *Hymni* suppeditant, & Lilii Gyraldi *Syntagmata*, & Julianus Aurelius Belga: item *Epitheta Græca* Conradi Dinneri, Zanchi, & Joannis Ravisii.

E Pingebatur specie virili, triocularis, sine auribus, sinistra sceptro, dextra fulmine armata, pedibus gigantes, quos domuit, calcans, aquila adstante, quæ ei sacra, & quæ juvenem forma insignem Ganymedem futurum pocillatorem ex Ida subvexit.

FIG. III.

Ex nummo æreo Imp. Trajani Aug.

JUPPITER AMMON in Africa colebatur, a cujus arenis *Ammon* dictus. Liber enim Pater, ut Mela refert, cum per Libyam exercitum duceret, siti fatigatus, Jovis patris auxilium imploravit, statimque viso ariete fons inter arenas efflu-

xit; quod Liber conspicatus, quo gratias patri referret, ei templum eodem loco construxit, simulacrumque capite arietino posuit, quod notavit Servius *in illud Virgilii Æneid.* IV.

Hic Ammone satus, rapta Garamantide nympha.

Diodorus refert Osiridem duo templa Jovi aurea statuisse, alterum majus Jovi cœlesti, alterum minus Jovi patri suo, quem quidam, inquit, *Ammonem* vocant. Q. Curtius *lib.* IV. Alexandrum, duobus corvis præcedentibus, *Jovis Ammonis* templum accessisse, ibique Sacerdotes eum *Jovis filium* scribit appellasse, quod cognomentum teste Agellio *lib.* XIII. *cap.* IV. Olympias mater moleste tulit.

A

Tradit Herodotus *lib.* II. Jovem, cum nollet ab Hercule cerni, ab eo tandem exoratum, id commentum esse, ut amputato arietis capite, pelleque villosa, quam ei detraxerat, induta, sese Herculi ostenderet. Atque inde factum, ut Ægyptii Jovis simulacrum arietina facie confingerent, & id ab Ægyptiis Ammonii acceperint.

B

Ab aliis *Ammon* dictus traditur, quod in bellis usus sit galea, cujus insigne fuerit arietis, unde orta sit deinde fabula. Sunt qui asserunt ipsum cornua in utroque tempore habuisse, ac propterea Dionysium ipsum *Ammonis* filium eodem fuisse aspectu.

Cognominatus est hac ratione Κερατοφόρος *Corniger*, quomodo eum Lucanus, & Statius Papinius nominant: & Ovidius V. *Metamorph.*

C

—— *Heroidum numen, sed Corniger Ammon.*

Plura Gyraldus *Syntagmate* II. Silius Italicus *lib.* III. & Berosus *lib.* V.

FIG. IV.

Ex nummo argenteo C. Vibii Pansæ C. F.

JUPPITER ANXURUS, sive ANXYRUS. Ejus meminit Virgilius lib. VII. *Æneid.*

—— *queis Juppiter Anxurus arvis*
Præsidet; & viridi gaudens Feronia luco.

D

Quo loco Servius: *Circa tractum*, inquit, *Campaniæ colebatur puer Juppiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est, sine novacula, quia barbam numquam rasisset, & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur*: de qua nos post paulo plura. Est autem fons in Campania, juxta Terracenam, quæ urbs aliquando *Anxur* est dicta. Horatius *sat.* V. *lib.* I.

Lavimus ora manusque tua Feronia lympha;
Millia tum pransi tria repimus: atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.

E

Quos versus explicans Porphyrio, ita scribit: *Quæ nunc Terracena dicitur*, (sic enim est in veteri lapide pro *Terracina*. Porphyrionis autem verba, cum in vulgatis codicibus mutila sint, ita proferemus, ut sunt in vetustissimo libro exarata) *olim Anxur dicebatur, unde Jovem Anxurum colebant, cujus & Virgilius meminit; impositum saxis, quoniam illis temporibus adhuc Terracenensis urbs in altissimo monte erat, unde postea in æquiorem locum deposita est, ut non sint solum adhuc vestigia ædificiorum in monte, sed & murorum.*

Si autem ἀπὸ τοῦ ξυροῦ, & a, ut Græci dicunt, στερητικοῦ μορίου dictus sit, non est dubium, quin *Axurus* legendum sit, cum apud Virgilium & Horatium, tum apud eorum Interpres Servium & Porphyrionem.

F

FIG. V.

Ex nummo argenteo L. Cæsii.

VEJUPPITER, qui & VEJOVIS dictus & VEDIUS ab Agellio & Martiano Capella, a *Ve* particula, quæ in compositione nunc minuit, ut in *Vecors* & *Vesanus*, alias auget, ut *Vehemens*, *Vegrandis*, quasi parvus Juppiter dicebatur. Vel quod nocendi vim habere crederetur, ut Agellius *lib.* V. *cap.* XII. *Simulacrum*, inquit, *Vejovis, quod est in æde sita inter arcem & Capitolium, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum, quippe eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt, immolaturque illi ritu humano capra, ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat.* Eodem pæne modo in nummo argenteo L. Cæsii depictus est.

Hunc Martianus Capella Plutonem censuit, eo quod & hic *crudelis Dis* a Poetis nuncupatur. Ovidius in *Fastis Jovem parvum sine fulmine* vocavit.

FIG. VI.

Ex nummo argenteo P. Clodii M. F.

APOLLO I. Jovis & Latonæ filius, quem ab Jove oracula accipere canunt Virgilius, Tibullus, ex Æschyli Tragœdia, quæ *Sacerdotes* inscribitur.

Dicitur autem *Phœbus*, ut ait Hesiodus, a Phœbe Latonæ matre; vel ἀπὸ τοῦ φοῖταν βίᾳ, hoc est, *quod vi feratur*, ut Cornificius; vel a specie & nitore; nam Græci φοῖβον *purum* & *splendidum* dicunt, auctores Macrobius & Heraclides Ponticus, vel uti alii volunt, quasi φῶς τοῦ βίου. Quatuor autem præfuisse artibus dicitur: nam Citharœdum primum, ac Citharœdorum Deum putavit Antiquitas; deinde Medicinæ auctorem. Unde apud Ovidium lib. I. *Metamorph.*

Inventum Medicina meum, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum est subjecta potentia nobis.

Tum Jaculatorem & Sagittarium; postremo Vatem, & vaticinii Deum existimavit. Qua de causa & Cotta apud Ciceronem, III. *de Natura Deorum*, *Apollines* quatuor celebrat: *Quorum antiquissimus is, qui ex Vulcano natus Athenarum custos dictus est; alter Corybantis filius natus in Creta, cujus de illa insula cum Jove ipso certamen fuisse dicitur; tertius Jove tertio natus & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ajunt advenisse; quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse.* Hæc Cicero.

Porro secundum Porphyrium, triplicem hunc constat habere potestatem, & eundem apud Superos *Solem*, apud homines *Liberum Patrem*, apud Inferos esse *Apollinem*. Et hinc triplex circa simulacrum ornamentum; lyra, qua cælestis harmonia ostenditur: clypeus, quo terrenum numen indicatur: sagitta, quibus Infernus Deus & nocere creditus est. Unde & *Apollo* dictus ἀπὸ τοῦ ἀποβάλλειν. Sed plura ad *Apollinem Fig.* proxime seq.

FIG. VII.

Ex nummo argenteo M. Plætorii Cest.

APOLLO II. Varia ei nomina & appellationes datæ:

Thymbræus.	*Delius.*
Clarius.	*Actius.*
Grynæus.	*Cynthius.*
Pataræus.	*Palatinus.*
Delphicus.	*Ismenius.*

Pythius vero dictus a Pythone serpente ejus sagittis confecto: quam fabulam Ovidius & Hyginus conscripserunt. Hinc ab Apolline Pythio *Pythia vates* Phœbas dicta est, quæ oracula & responsa ex antro reddita explicaret. Hinc etiam ludi *Pythia*

A *thia* dicti, in victoriæ memoriam instituti, ut Ovidius:

Neve operis famam possit delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia perdomiti serpentis nomine dictos.

His vero ludis præmium primo pecunia, deinde corona fuit: nec in uno tantum loco *Pythia* exercebantur, nam eadem etiam apud Megarenses & Sicyonios instituta legimus.

Tauro autem in primis placabatur, unde Virgilius *Aeneid.* III.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Ludis quoque *Apollinaribus* XVIII. Augusti a Ro- B manis, ex Carminum Sibyllinorum religione, bove aurato & capris duabus albis auratis colebatur: alii equo tradunt, ut celeritati ejus responderet, Lactantius *lib.* I. Ovidius in *Fastis*.

Parrhasii apud Arcades Apollini aprum immolabant.

Laurus illi sacra, ut Poetarum & Vatum Principi, hinc Maro *Ecloga* VII.

—— *sua laurea Phœbo.*

Vide Nasonem lib. I. *Transformationum* de Daphnide.

C

F I G. VIII.

Ex numismate argenteo L. Plautii Planci.

SOL, qui idem *Phœbus* & *Apollo*, ut soror ejus Diana Luna est, quæ & Lucina. Hujus effecta duo: alterum, quo calore temperato mortalium res juvat: alterum, quo jactu radiorum nonnunquam pestiferum emittit virus, quæ lues pestis est, & a Græcis ἐπιδημία & λοιμὸς vocatur, ut auctor est Homerus *Iliados* α. ubi Apollo pestem castris Græcorum ob raptam Chryseidem Sacerdotis sui filiam immisit.

D Hic *Hyperione* & *Thya* genitus, ut Pindarus & Hesiodus tradunt, Hyperione & Euryphaessa sorore, ut Homerus. Hyperion vero Cœli Terræque filius, quæ & Titea dicta est, sive unius Curetum matre Tite, qui solis ac lunæ aliorumque astrorum cursus ac motus summa cura ex se percepit, aliisque noscendos tradidit, ideoque solis ac lunæ parens dicitur, veluti ipsorum naturæ contemplator: ut asserit Diodorus. At vero Pausanias tradit Titana *Solis* fratrem fuisse, quod Titanem regionem ad Asopum flumen tenuerit, temporumque anni diligentissimus observator fuerit.

E

F I G. IX.

Ex nummulo æreo Imp. Constantini Aug.

SOL INVICTUS. Inter epitheta Solem *Invicti* nomen fortitum arbitror in nummis Constantini Augusti, forte quod *Solem justitiæ* Christum designare voluerit; cujus & in monte Thabor transfigurati facies solis instar resplenduit, *Matth.* XVII. 2. Sed nihil certo affirmare ausim: imo crediderim nummum hunc cusum fuisse a Constantino, antequam se Christianæ fidei adjungeret; nec plane a F vero abhorret: nam hæc effigies feritatem quandam gentilem refert. Utrum verius sit, viderint alii. Solem autem *Invictum* appellari crediderim, cum quod, etsi diuturno nocturnoque cursu laboret, tantoque hactenus tempore laborarit, indefatigabilis permanet: unde ἥλιος ἀκάμας Homero *Illiad.* ο Non quod non laboret, sed laborem sentiat, ut ait Servius in *illud Virgilii Aeneid.* I.

Hic canit errantem lunam, solisque labores.

Hesiodus in *Theogonia*:

Ηελίῳ ἀκάμαντι τέκε ——.

Tum etiam quod ignis, quem in *Sole* adorabant gentes, in primis Persæ, elementis cæteris in corporibus humanis prædominetur.

F I G. X.

Ex nummo argenteo L. Lucretii Tricip.

NEPTUNUS I. Dictus *Neptunus*, quod mare & terras obnubat, ut nubes cœlum, a *nuptu*, id est, opertione, ut Varro; a *nando*, ut Cicero; a Græcis Ποσειδῶν, quod pedibus terram quatiat, a πὸς videlicet, id est, *pes*, & σείω, *quatio*, & δᾶ, pro γῆ, Dorice, *terra*.

Conjugem illi attribuunt Poetæ *Amphitriten*, quam & pro *mari* usurpant, ut Naso I. *Metamorph.*

—— *brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Auctor est Agellius *lib.* XV. *cap.* XXI. Antiquos vocasse *Neptuni filios*, immanes ac feroces homines, ab omni humanitate alienos, tanquam e mari genitos: cui & Servius *in lib.* III. *Aeneid.* subscribit, de Harpyiis cum loquitur: *Neptunus*, inquit, *prodigiorum omnium pater est, & perinde etiam factum, ut quotiescumque desunt parentes, redeamus ad generalitatem. Sic & peregrinos Neptuni filios dicimus, quorum ignoramus parentes.*

Pingebatur autem variis modiis, nunc pacatus & tranquillus; nunc commotus, ut apud Maronem I. *Aeneid.*

—— *graviter commotus, & alto*
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.

Nunc etiam nudus cum tridente, ut hic vides; nunc in veste cærulea, quæ maris colorem imitetur; Lucianus in *Sacrificiis* cyaneis capillis nigris depingit. A Philostrato tamen in *Imaginibus*, cum equis scilicet & cetis in mari tranquille describitur incedere. (Equi autem ejus *Eriole* & *Glaucus*, sive *Enceladus* & *Sthenon*, teste Favorino.) Addit ei Hyginus in *Delphino* buccinam & fuscinam: *Qui Neptuno*, inquit, *simulacrum faciunt, aut in manu aut sub pede ejus delphinum constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur.*

F I G. XI.

Ex nummo argenteo CN. Pompeii CN. F. SEX. N. Magni.

NEPTUNUS II. ut Cretes tradunt, primus navigandi arte inventa classem instituit, cui eum Saturnus præfecit. Quapropter traditum est a posteris NEPTUNUM imperasse mari, sacraque ei a navigantibus fieri.

Addunt etiam hunc primum equos domuisse, artemque equitandi ab illo traditam, & equum tridente e petra Thessaliæ eduxisse, unde *Hippius* & *Petræus* dictus. Vide *Emblema* I. Hadriani Junii, & ejus *Scholia*.

A NEPTUNO porro *Neptunalia* dicta. Hujus enim Dei, teste Varrone, sextæ Feriæ sunt: Græci vero octavum cujusque mensis diem NEPTUNO sacrum esse voluerunt, ut Plutarchus in *Theseo*; & instituta *Consualia* a *Conso* ejus cognomine.

Taurus ei immolabatur, unde Virgilius *Aeneid.* III.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Homerus in *Odyssea* ταύρους παμμέλανας *tauros valde nigros* vocat, quo loco Interpres: *Tauros*, inquit, *propter maris violentiam, nigros vero, propter aquæ colorem* ex maris profundo. Pindarus in *Olymp.* ταῦρον ἀργὸν adscribit: quem quidam *album* interpretantur, propter maris spumas; alii non *album*, sed *florentem*, seu *nitentem*, aut *proce-*

rum exponunt; verius autem, qui *velocem*, qui autem *album*, prorsus errant: nam & Pindari Interpretes *nigros tauros* ei immolari volunt. Sic etiam Maro *Æneid.* III. *nigram pecudem* tempestati attribuit:

Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam.

Nisyreus. Sed audiamus Poetarum Principem, ex versione Guarini:

Devenere Pylum Nelei turribus altam,
Hic maris ad littus solennia sacra fiebant,
Mactabantque nigros Neptuno in littore tauros.

F I G. XII.

Ex nummo argenteo Sex. Noni P. F. Sufenatis.

PLUTO, Saturni filius ex Ope, id est, Rhea, Jovis frater, unde & *Juppiter Stygius* & *Infernus* dictus, Inferorum Deus.

Dis autem dictus, quod natura omnis, & terrena vis ipsi dicata sit, ut ait Cicero; vel quasi minime dives, ut Fabius.

Funerum sepulchrorumque inventorem facit Diodorus Siculus, hinc & *silentum & mortuorum Rex* dictus est. Claudianus:

—— *Rex ipse silentum*
Lethæo vehitur curru ——

Cui currui idem quatuor equos addit lib. I. *de Raptu Proserpinæ:*

Orphnæus crudele micans, Æthonque sagitta
Ocyor, & Stygii crudelis gloria Nycteus
Armenti, Ditisque nota signatus Alastor.

Cupressus ei sacra, vel quod cæsa non repullulet; vel quod per eam funestæ ostendebantur domus.

Nomina ejus sunt:

Αἴδης.	*Arimanes.*
Agesilaus.	*Eubulus.*
Lagetas.	*Clymenus.*
Axiocerses.	*Quietalis.*
Chthonius Juppiter.	*Postulo.*
Soranus.	*Summanus*, &c.
Februus.	

Summani autem nomine coli primum temporibus Pyrrhi cœpit, ut ex Ovidio colligo:

Reddita, quisquis is es, Summano templa feruntur,
Tunc cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

M. Varro lib. *de Lingua Latina* ait a T. Tatio inter cæteros Deos *Summanum* positum. Consule Plautum in *Bacchid.* Martianum & Festum.

Fuit ejus Templum prope Circum maximum, juxta Fanum Juventutis, cui canes annua supplicia pendunt. Sacellum vero in Capitolio.

De raptu Proserpinæ per Plutonem, legendus Claudianus.

Plutus autem, ne quis erret, alius Deus est, Divitiarum præses, cujus titulo prima Aristophanis Comœdia inscribitur. Vide Stobœum.

F I G. XIII.

Ex nummo argenteo L. Aurelii L. F. Cottæ.

VULCANUS Jove & Junone natus, ut canit Homerus: Hesiodus enim tantummodo Junone natum perhibet.

Hunc ferri, æris, auri, argenti, omniumque quæ igne fabricantur artem invenisse tradunt, eamque cæteros docuisse, quapropter harum rerum opifices omnes vota sacraque huic Deo maxime faciunt, eumque in æternam memoriam accepti muneris VULCANUM appellant, Diodorus.

Idem a Jove e cœlo dejectus in Lemnum Siciliæ insulam delapsus est, claudusque effectus, ut finxit Homerus. Sed arguatur ingratitudinis Juppiter, filium suum dejiciens, cujus olim opera in partu novo adjutus est, cum securi tumentem patris frontem & tempora aperuit. Claudus dicitur, quia per naturam nunquam rectus est ignis.

Cœlo itaque præcipitatus sub terra Jovi fulmen fabricat, ejus autem ministri Cyclopes sunt, de quibus Maro *Æneid.* VIII.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Fuit ei conjux Venus, ut idem Maro VIII. *Æneidos* de clypeo Æneæ, quem Venus ferens conjugis artem prædicat, eodemque loci Æneas Veneris filius:

—— *clypeum Vulcani dona parentis*
Miratur. ——

Idem dictus est *Mulciber*, quod ignis omnia mulceat ac domet, auctore Macrobio, hinc Lucanus *lib.* I.

Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ.

Leguntur *in Vulcanum Hymni* duo, alter Orphei, Homeri alter.

Vulcano cum sacrum fiebat, omnia igne absumebantur: id quod *Proterviam* dicebant. Nam nisi victima, & quodcunque superesset, igni datum fuisset, sacrificium pollui putabatur.

F I G. XIV.

Ex nummo argenteo C. Mamil. Limet.

MERCURIUS, Jove & Maja genitus, Homero, & Hesiodo. Quinque *Mercurios* Vetustas coluit, referente Cicerone: *Mercurius unus Cœlo patre, Die matre natus, cujus obscœnius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinæ commotus sit. Alter Valentis & Phoronidis filius is, qui sub terris habetur: idem Trophonius. Tertius Jove tertio natus & Maja, ex quo & Penelope Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare. Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque caussam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges & litteras tradidisse.* Lactantius Grammaticus quatuor tantum numerat.

Mercurius vero dictus a *mercibus:* hunc etenim negotiorum omnium existimabant Deum. Hyginus refert quintam stellam ex errantibus *Mercurii* nomine appellatam. Hæc autem ei data creditur, quod primus menses instituerit, & siderum cursus præviderit.

Hunc, auctore Diodoro, primum verba in ordinem redegisse, & multis indidisse rebus nomina proditum est. Fuisse quoque litterarum inventorem ajunt, instituisseque sacrificia singulis Diis: astra autem observavit in primis, vocumque concentus invenit. Item palæstram, numeros, trium chordarum lyram, ad similitudinem trium anni temporum.

Quin etiam verborum interpretationem Græcos edocuit, unde & eum Ἑρμῆν, id est, *Interpretem*, appellarunt.

Præterea tribuuntur *Mercurio* præconia, diffidia, & fœdera, quæ in bello fiunt. Præcones quoque adjiciuntur, qui internuntii esse solent, ob eamque rem ab hoste tuti.

Mensuram insuper, ac pondus, & mercaturæ quæstum eum ferunt reperisse.

Pingebatur autem cum pileo, & talaribus, manibus virgam tenens. Virgilius *Æneid.* IV.

—— *& primum pedibus talaria nectit*
Aurea. ——

Et paulo post:

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Mercurio, ut aliis Diis, certa immolabantur membra, sic lingua ei dicabatur. Lege Apollonii Rhodii *Commentaria Græca*.

FIG. XV.

Ex nummulo æreo Imp. Constantini Aug.

MARS. M. Varro tradit *Martem* hinc vocatum, quod maribus in bello præsit. *Mavors* vero, ut ait Cicero, quod magna vertat: vel, ut Servius notat, figurate dicitur, ut *Induperator*, pro *Imperator*.

Creditus est frater Bellonæ, ideoque vocatus est Ενυάλιος, ab Ενυώ, id est, *Bellona*: & quia potissimum delectatur sanguine humano, a Græcis nominatus est αἱμοχαρής, a Latinis *sanguineus*. Virgilius XII. *Æneid.*

Sanguineus Mavors clypeo increpat. ——

Natus autem, ut Hesiodo placet, Jove & Junone; & ut Ovidio, ex Junone sine viro conceptus in campis Oleniis tacto flore, quem indicavit Flora.

Hunc, inquit Diodorus, fabulæ tradunt, primum fabricatis armis milites armasse, & Deorum adversarios interficiendo, bellandi pugnandique artem invexisse. Romani porro summo cultu hunc venerabantur, & Latini, ut supra ex Tibullo docuimus, quod existimarent parentem esse Romuli, Sacerdotesque Salios illi attribuebant, & carmina Saliaria.

Ardentem vero eum effingebant, nunc in curru, nunc in equo, armatum hasta & flagello; ardentem quoque addito gallo, militum vigilantiam ostendebant. Isidorus scribit *Martem* nudo pectore effingi solere, quod quisque in bello se morti intrepide objicere deberet.

Equos binos ei dat Homerus δεῖμον & φόβον *Pavorem* & *Timorem*. Quintus tamen Calaber quatuor nominat, quorum nomina hæc sunt: Æthon, Phlogius, Combos, & Phobos. *Gradivus* & *Quirinus* apud Latinos duo præcipue *Martis* nomina fuerunt: hoc quidem, dum tranquillus mitisque esset: illud, dum in armis sævus. A Romanis October equus illi immolabatur in Campo Martio, Idibus Octobris summa religione. Latini lupum dicabant, Lusitani hircum, Galli Cisalpini verrem.

FIG. XVI.

Ex nummo argenteo C. Fabii C. F. M. N. Pictoris.

CYBELE. Quam Phryges CYBELEM appellarunt, eam alii.

Bonam Deam.	*Deorum Matrem.*
Opem.	*Berecynthiam.*
Magnam Matrem.	*Vestam.*
Mygdoniam.	*Semelen.*
Idæam.	*Antæam.*
Dindymenen.	*Pesinuntiam.*
Tellurem.	*Pylenam*, &c.

Hæc θεὸς γυναικεία (ut Plutarchus in *Cæs.* & Macrobius) dicebatur, quod mulieribus solis adire ejus sacra, quæ in operto fiebant, fas esset, hinc dictum a Satyrico *satyr.* VI.

Nota Bonæ secreta Deæ, ——

Et a Tibullo:

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Quæ tamen e P. Clodio homine spurcissimo, ut Cicero *de Aruspic. respons.* Plutarchus, aliique testantur, sunt violata. Qua de re & L. Seneca

A in *Epistolis*: *Credat*, inquit, *aliquis pecuniam esse versatam in eo judicio, quo reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæsaris uxore in operto commiserat, violatis religionibus ejus sacrificii, quod pro populo fieri dicebatur.*

Kal. Maiis ejus feriæ agebantur, unde ei nomen *Maja*.

Turrita autem pingebatur, ut hic vides, quia eadem Tellus Dea est; hinc Propertius:

Claudia turritæ rara ministra Deæ.

Virgilius *Æneid.* VI.

B *Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.*

Papinius lib. II. *Achilleid.*

Ille Phryges lucos matri penetralia cædit
Turrigeræ. ——

Hujus simulacrum a Gallis Sacerdotibus, & Curetibus, cum tympanis, buxo, tibia comitantibus, in curru a Leonibus vehebatur; ut Virgilius III. *Æneid.*

Et juncti currum dominæ subiere leones.

Et Ovidius *Metamorph.* XIV.

Sancta Deum genitrix tinnitibus æthera pulsi
Æris & inflati complevit murmure buxi,
C *Perque leves domitis invecta leonibus auras.*

FIG. XVII.

Ex nummo argenteo P. Crepusi, & C. Limita.

JUNO REGINA. Juno, quod cæteris dignitate Deabus præstare putaretur, *Regina* dicta est, ut Virgilius *Æneidos* I.

Ast ego, quæ Divum incedo Regina, Jovisque
Et soror & conjux ——

Publius Victor in XIII. Romanæ urbis regione *Junonis Reginæ* templum nominat, quod a Camillo Dictatore Veiis captis dedicatum est. Livius D *lib.* V. *Cum jam*, inquit, *humanæ opes egestæ a Veiis essent, amoliri tum Deum dona, ipsosque Deos, sed colentium magis quam rapientium modo, cœpere. Namque delecti ex omni exercitu juvenes, pure lautis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum iniere, primo religiose admoventes manus, quod id signum more vetusto, nisi certæ gentis Sacerdos attrectare non esset solitus; deinde cum quidam seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco*, VISNE ROMAM IRE JUNO? *dixisset, annuisse: cæteri* ROMAM *conclamaverunt. Inde fabulæ adjectum, vocem quoque dicentis* VELLE E *auditam. Motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo, accepimus, levemque ac facilem translatu fuisse, integramque in Aventinum æternam sedem suam, quo vota Romani Dictatoris vocaverant, perlatam, ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.* Hæc pene eadem Lactantius lib. II. *Institut. Divin. Junoni Monetæ* attribuit. Quo autem ritu Camillus ei dedicaverit, copiosius in *ejus Vita* Plutarchus.

Alterum quoque ei templum, scilicet in Capitolio, quod Cn. Flaminius bello adversus Ligures voverat, Livius idem attribuit.

F Plinius refert Pictorem quemdam *Junonis Reginæ* templi Ardeæ, Romana civitate donatum, de quo hi versus apud eundem exstant:

Dignus digna loco picturis condecoravit
Reginæ Junonis supremæ conjugis templum,
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc & post, semper ob artem hanc Ardea laudat.

Quos versus ego eo libentius adscripsi, quo Lector agnoscat antiquitatem, quam simplici & incondita uteretur dicendi figura.

FIG. XVIII.

Ex nummo argenteo L. Thorii Balbi.

JUNO SOSPITA. Lanuvii hæc in primis colebatur, idque magno cultu, teste Livio, cujus simulacrum (ut hic etiam vides) cum pelle caprina, hasta, scutulo & calceolis repandis effingebatur, ut *de Natura Deorum* scribit Cicero. Livius quidem *lib.* VIII. ab V. C. *Lanuvinis*, inquit, *civitas data, sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Junonis Sospitæ communis Lanuvinis municipibus cum Populo Romano esset.* Item *lib.* XXIX. in æde *Junonis Sospitæ* Lanuvii cum horrendo fragore strepitum editum refert.

Publius vero Victor in X. urbis regione, hoc est, in Palatio, ædem Matris Deum commemorat, cui fuerit conterminum delubrum SOSPITÆ JUNONIS. Meminit & Tullius in oratione *pro L. Muræna*, cui Coss. ait sacrificare solitos. Silius Italicus *lib.* XIII.

Lanuvio generate, inquit, quem SOSPITA JUNO
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem,
Tempora murali vinctus turrita corona.

De eodem Dictatore Lanuvino Milone, in *Miloniana* Cicero & Asconius.

SOSPITÆ autem JUNONIS delubrum dicatum lib. II. *Fastorum* cecinit Ovidius Kalendas Februarii.

Antiqui vero non SOSPITAM, sed *Sispitem* dicebant, unde Festus: *Sispitem Junonem, quam vulgo* SOSPITEM *appellant, Antiqui usurpabant, cum ea vox ex Græco videatur sumpta, quod est* σώζω.

Illud præterea par est, ut Lectorem moneam, cum de SOSPITA agunt Scriptores, pro *Lanuvio*, Lavinium plerumque perperam scribi, repugnante syllaba, ut apud Ovidium in *Fastis*, & Silium Italicum *lib.* XIII. Hinc aliqui eandem hanc cum Sotera Minerva ponunt, in Aristotelis testamento, quod est apud Laertium.

FIG. XIX.

Ex nummo argenteo T. Carisii.

MONETA. Junonem Monetam Valerius Maximus & Lactantius l. II. *Institut. Divin.* agnoscunt, attribuuntque ea, quæ Livius *Junoni Reginæ*. M. Cicero I. *de Divinat.* hanc MONETAM a monendo cognominatam putat. Nam cum multo ante captam urbem a Gallis terræ motus factus esset, ferunt vocem exiisse a Junonis templo, quod erat in arce, ut de sue plena fieret procuratio.

Hujus crebra in Scriptoribus mentio. Lucanus *lib.* I.

Numina miscebat Castrensis templa MONETÆ.

Ovidius a Camillo in Manlii domus loco dedicatum prodidit lib. VI. *Fast.*

Arce quoque in summa JUNONI *templa* MONETÆ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.

Scribit Macrobius Kalendas Junii ædem JUNONIS MONETÆ dicatam fuisse. T. Livius in VII. ab V. C. ait, L. Furium creatum Dictatorem contra Auruncos, quod bellum a repentina populatione ereptum est, inter ipsam dimicationem ædem JUNONI MONETÆ vovisse, cujus damnatus voti victor fuit.

Sunt qui in Aventino, sunt qui in Capitolio A hanc ædem memorant fuisse. De his vide P. Victorem. In hujus æde libri lintei asservabantur, quibus Imperii Romani fata continerentur. Nec desunt, qui, quæ MONETÆ attribuuntur, ad *Ajum Locutium* referant, qui a Petro Crinito & Lilio Gyraldo *Syntagmate* III. refelluntur.

Suidas homo Græcus de MONETA aliam historiam refert: ait enim Romanos, cum pecunia indigerent in bello Tarentino, orasse JUNONEM, quæ illos monuit, si justitiæ armis uterentur, pecuniam eis non defuturam, quod cum Romanis recte accidisset, MONETAM JUNONEM veneratos esse.

B

FIG. XX.

Ex nummo argenteo P. Turpiliani III-Viri.

FERONIA. Juno a plerisque credita. Servius enim Grammaticus ait: *Apud Circeos & Rutulos* JUNO *virgo colebatur, quæ* FERONIA *dicta est, ad illud Virgilii lib.* VII.

—— *& viridi gaudens* FERONIA *luco.*

quo loco & *Juppiter Anxur* colebatur: de quo supra.

FERONIÆ vero templum summo cultu fuisse, C testis est historia. Scribit enim T. Livius, Hannibalem divitiis & donariis illud spoliasse, intactum ob religionem ante id tempus; & ait, cum prodigia procurarent, statutum fuisse, ut libertinæ mulieres, unde FERONIÆ donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Dionysius Halicarn. *lib.* II. dicit Lacedæmonios ob duras Lycurgi leges patriæ cedentes, & multis tempestatibus jactatos, Diis vovisse, ut quamcumque primum terram attigissent, in ea se sedes posituros; & primum circa Pomentinos consistentes, locum ab æquorea latione FERONIAM nuncupasse, & huic Deæ ædem construxisse, cui vota nuncuparunt. D Idem Dionysius in bello, quod Tullus cum Sabinis gessit, hujus etiam meminit, quam quosdam Græce nunc φιλοςέφανον, alii περσεφόνην appellare scribit.

Tradit Plautus in *Amphitryone* FERONIAM Deam libertorum esse, cujus in templo raso capite pileum accipiebant.

Aliam vero Strabo lib. V. *Geograph.* FERONIAM innuit, quam sub montem Soractis collocat in civitate ejusdem nominis *Feronia*, cujus admirabilem sacrificandi ritum exponit: *Nam qui ejus numine* (inquit) *afflantur, nudis pedibus prunas & copiosum obambulant nulla læsione cinerem.* E Quamquam Maro XI. *Æneid.* hæc potius Apollini tribuat, apud quem Aruns ita precatur:

Summe Deum, & sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores media premimus vestigia pruna.

Vide Silium Italicum lib. XIII. *Punicorum*, & Horatium *Sermonum* lib. II.

FIG. XXI.

Ex nummo argenteo Q. Cassii.

F VESTA, Saturni & Rheæ filia, quæ prima ædificandi artem invenisse fertur, teste Homero, Orpheo & Diodoro. Ab Antiquis multa veneratione culta, nunc eam ignem, nunc terram existimantibus, ut docet D. Augustinus *de Civitate Dei* lib. IV. & Ovidius lib. VI. *Fastorum:*

Vesta eadem est & Terra: subest vigil ignis utrique,
Significant sedem terra focusque suam.

Idem paulo post:

Stat vi Terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Quidam non a vi stando, sed a vestiendo, quod A terra variis tum herbis, tum plantis, cæterisque vestiatur. Phurnutus: *Ignis*, inquit, *semper vivens Vestæ attribuitur, quod & ipsa videatur existens esse*. Et M. Cicero II. *de Natura Deorum*: *Vestæ nomen a Græcis; ea enim est quæ ab illis Ἑστία dicitur: vis autem ejus ad aras & focos pertinet*. Apud Trojanos olim culta fuit; unde Virgilius *Æneid*. II. de Here:

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Sed cum *Vesta* ignis putaretur, virgo etiam dicebatur: unde & virgines ejus jure ministerio ad- B hibebantur; quæ sacrum ignem custodirent, *Vestales* appellatæ. Silius:

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.

Vestales ergo Virgines (teste Cicerone lib. II. *de Legibus*) annos XXX. virginitatem perpetuumque ignem servabant, sin minus, vivæ in terram defodiebantur. Macrobius *lib*. III. *Vestam* de numero Penatium esse ait; aut certe eorum comitem, adeo ut & Consules & Prætores & Dictatores, cum inirent magistratus, Lavinii rem divinam faciebant *Penatibus* pariter & *Vestæ*. Non absimile C quod Pomponius Lætus *lib*. VI. *Vestalem ignem cum Penatibus Æneas e Troja in Latium tulit; condito Lavinio, Vestæ ædem sacravit*. Pingebatur vero *Vesta* mulieris forma sedentis, & gestantis tympanum; quod terra ventos intra se contineat.

FIG. XXII.

Ex nummo argenteo L. Cassii Cæciani.

CERES. Cererem M. Varro a *creando* derivat, quasi omnium frugum creatricem, quam ideo Tegeatæ καρποφόρον *feracem* seu *frugiferam* D dixerunt: a *gerendo*, prima littera mutata, M. Tullius. Nam fruges gerit vel spicas, ut in hoc L. Cassii nummo. Prima enim fruges earumque usum adinvenit, hominesque docuit, cum silvestri prius glande vescerentur, ut eleganter Herodotus *lib*. VI. Plinius *lib*. VII. & Naso V. *Transform*.

Prima CERES *curvo glebam dimovit aratro,*
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

Eadem lib. V. *Biblioth*. Diodorus, qui & leges juraque eandem invenisse testatur, inde Θεσμοφόρον quasi *Legislatricem* dictam, quod ibidem Poeta:

Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

Ex autem Rheæ & Saturni filia, ut Hesiodus, E πάντα γὰρ ἐκ γῆς φορεῖ ἔρχεται: Hæc Jasio Heroi filium Πλοῦτον peperit.

Appellata est etiam *Eleusinia*, quia Eleusi Atticæ oppido colebatur, unde P. Virgilius *Georgic*. I.

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Arcana illic & mystica sacra peragebantur, quæ se somnio monitum tacere refert Pausanias. Adeo autem secreta fuere, ut vulgo in taciturnos & secretos homines proverbium jactaretur Ἀρρητὰ τὰ Ἐλευσίνια: vide *Chiliades* magni illius Erasmi Roterodami. Facibus vero accensis & tædis peragebantur, quibus solicitudinem ejus in quærenda filia Proserpina exprimebant. F

Hac de re integro Poematico Cl. Claudianus Poeta venustissimus.

Nominata autem his nominibus:

Ennæa.	*Tædifera.*
Catinensis.	*Omnia.*
Achæa.	*Melæne.*
Pylagora.	*Mysia.*
Ἐπωπίς.	*Chthonia.*

FIG. XXIII.

Ex nummo argenteo D. Jul. Cæsaris Dictatoris.

CERES II. Cerealia V. Id. Aprilis fiebant, ex Macrobio, & prisco Kalendario Romano. Quæ primum Memmius Ædilis celebravit, de quibus Ang. Politianus *Miscellaneor*. cap. LXXXV. qui quamvis scitu digna collegerit, in eo tamen errasse videtur; quod eundem Memmium Ædilem cum C. Memmio Prætore fecerit. Fulvius vero Ursinus lib. *de Familiis Romanis* C. Memmium, qui *Cerealia* primus fecit, C. Memmio, qui Imperator appellatus est, antiquiorem arbitratur: sed Memmium III-Virum, qui gentis monumenta celebrare voluit, utriusque simul titulos denariis imposuisse.

Pingebatur ab Antiquis CERES matronæ habitu, cum spicarum & papaverum manipulo, quibus adjiciebatur colus, cum quo effingi CERES consuevit, ut docet ex Orpheo Porphyrius libello, cui *Antrum Nympharum* inscriptio. Ita & ab Orpheo Proserpina, quæ seminibus præest, lanam faciens inducitur, Veteribus peplum cœlum indigetantibus.

Colebatur potissimum in Sicilia frugum feracissima, horreoque Populi Romani; cujus olim regina fuerat; & in qua filiam a Plutone raptam amisit; unde & a multis Siciliæ urbibus nomen adepta est, veluti *Ennææ*, ab Enna. Diodorus *lib*. II. narrat magnificentissimum Cereris templum, a Gelone Syracusanorum tyranno extructum fuisse. Erat in eo Cereris simulacrum ex marmore præclarum atque peramplum. Erat & alterum ejusdem signum ex ære, singulari arte fusum, ac omnium, quæ in eo Fano erant, antiquissimum.

In ædis vestibulo duo quoque alia signa erant, unum Cereris, alterum Triptolemi. Nec mirum tot in unius templo Cereris signa fuisse, cum tanta ejus ibi esset religio, ut Enna non urbs, sed tota Cereris Fanum videretur.

Lege Thomam Fazellum lib. X. *de Rebus Siculis*.

Solent ejus sacrificia mulieres candidis vestibus frugum primitias libando peragere; quod in *Metamorph*. lib. X. Poeta inquit:

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

FIG. XXIV.

Ex nummulo æreo Im. Cæsaris Domitiani Aug.

PALLAS e summo Jovis capite quatiendo hastam prosiluit, unde ei nomen PALLAS ἀπὸ τοῦ πάλλειν *a vibrando*; vel quod *Pallantem* gigantem interfecerit: vel quod in *Pallante* palude nata sit: alii, quod Semele fulmine icta, & Baccho per abortum edito, PALLAS infantis cor παλλόμενον *saliens* Jovi attulerit.

Eadem MINERVA dicta, quod bene moneat: hanc enim pro sapientia ponebant alii, quod pingatur minitans armis, alii MINERVAM, quasi MEMINERVAM dictam volunt.

Aerem Ægyptii nominatim PALLADEM esse prodiderunt, ac Jovis filiam, ob incorruptionem, virginem, & quod sublimiorem locum occupet, e vertice Jovis prodiisse dici.

Armata pingitur, quod sapientia cum robore conjuncta plurimum valeat, teste Cicerone. Hinc *Armipotens*, & *Armisona* a Poetis dicitur. Ovidius in *Metamorph*. lib. VI.

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus,
Percussamque sua simulat de cuspide terram
Edere cum baccis fœtum canentis olivæ.

Et Virgilius *Æneid.* III.

——— tum numina sancta precamur
Palladis Armisonæ.

Hanc olivam cum Neptuno certans produxit, unde ei sacra, propterea quia perpetuo viridis, & nescio quam glaucedinem referat: quodque olei exemplo, nihil in se sordidi humidique admixtum continentis, virginitas incorrupta perseveret. Virgilius *Georg.* I.

——— oleæque MINERVA
Inventrix. ———

Tum etiam quod hæc arbor pacis sit symbolum, qua florente, *Minervæ* studia efflorescunt. Quin etiam hanc legati præferunt pacem petentes, ut Virgilius *Æneid.* XI.

Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, pacemque petentes.

Vidimus nummos M. Aurelii & M. Commodi Imperatorum, cum inscriptione MINERVÆ PACIFERÆ. S. C.

Notissimum est eam peplo ornatam frequenter effictam fuisse, & plerumque cum noctua, nunc ad pedes, nunc in capite: sed & cum dracone. Quare cum in exilium iret Demosthenes, dixisse fertur, Minervam tribus immanibus oblectari feris, noctua, dracone, populo. Domitianum Imperatorem Minervam superstitiose coluisse, Suetonius & Dion Cassius auctor.

FIG. XXV.

Ex nummo argenteo C. Julii Cæsaris.

VENUS Cœlo & spuma maris edita, teste Hesiodo, ita dicta *quod ad res omnes veniret*, vel quod per eam omnia proveniant, teste Tullio II. *de natura Deorum.*

Quatuor autem Veneres coluit Antiquitas, ut idem ille *lib.* III. *Prima Cœlo & Die nata: altera spuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Jove nata, quæ nupsit Vulcano; sed ex ea & Marte natus* Ἀντέρος *dicitur. Quarta Syria Syroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.*

Varia autem ejus cognomina:

Amathusia.	*Cluacina.*
Cytherea.	*Idalia.*
Dionæa.	*Erycina.*
Lubentina.	*Cnidia.*
Acidalia.	*Cypria.*
Arsinoe.	*Paphia.*

Hæc pleraque nomina ei a locis in quibus coleretur, sed ante omnia, maxime in Cypro & Sicilia, teste Tullio in *Verrinis.*

Arbor illi myrtus sacra, unde *Myrtea* dicta est, vel propter quandam amoris conciliatricem naturam: vel quod planta sit maritima, unde orta sit Venus. Hinc Æneas cingit *materna tempora myrto.* Rosæ quoque illi dabantur, de quibus Poemation Virgilii, vel Ausonii potius, circumfertur, quæ & a spinis læsa cruore rubram tinxit

A rosam, de qua Fabula in Aphthonii *Progymnasm.* & Politiani *Miscellan.* cap. XI. Quin etiam Columbæ & Cygni.

Cingulum ejus *Cestum* appellabant, quod Homerus in *Iliade* describit, de quo Græci & Latini multa, unde & hoc titulo quidam libros suos inscripserunt. Vocatus vero *Cestus*, quasi κεκοσμημένος, *ornatus.*

Albas columbas VENERI Veteres dicabant, hinc Æneas apud Poetam *maternas* appellat *aves.* Rem autem divinam mense Aprili apud Romanos VENERI ex rosis & floribus faciebant mulieres myrto coronatæ. Et quamvis sus VENERI ob Adonidis mortem invisus dicitur, legimus tamen apud Græcos VENERI immolatos. Consule Athenæum.

FIG. XXVI.

Ex nummo argenteo C. Postumii.

DIANA. Hanc Græci Lunam putant. Jovis & Latonæ filia, Apollinis, id est, Solis, soror, in quorum honorem ludi sæculares exhibiti, carmenque apud Horatium. Æschylus vero Ægyptios secutus secundum Inopi fluminis ripas Jove & Cerere natam vult.

Dianæ, apud M. Tullium, *plures. Prima Jovis & Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. Secunda notior, quam Jove tertio & Latona natam accepimus. Tertiæ pater Upis traditur, Glauce mater. Quam sæpe Upim paterno nomine appellant.*

Dicta vero DIANA, quasi nocte diem efficeret, apud eundem. Hanc perpetua virginitate insignem Poetæ tradiderunt, quod spreta hominum familiaritate silvas montesque incolendo venationibus vacaret, paucarum virginum comitatu contenta.

Quidam *Devianam* dictam credidere, quoniam venantes per devia & silvas deviare solent, captantes feras.

Præfuit autem triviis, unde *Trivia* apud Maronem VI. *Æneid.* appellata:

Jam subeunt Triviæ lucos atque aurea tecta.

Item partubus, Horatius *Carm. Sæcul.*

Rite maturos aperire partus,
Lenis Illithyia tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

In *Bucolicis* ecloga IV. Maro:

Casta fave Lucina. ———

Hæc in cœlis *Luna* est, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate*: unde *Triformis* appellatur; quod Tragicus Cordubensis his versibus ostendit:

O magna silvas inter & lucos Dea,
Clarumque cœli sidus, & noctis decus,
Cujus renidet mundus alterna face
Hecate Triformis.

Pingitur cum arcu & sagittis, quibus cervos ei dedicatos fatigare credebatur: aliter ut quieta & pacifica: aliter ut Luna. Claudianus elegantissime illam descripsit.

Hæc cerva placabatur; Sabæi vero & Thraces extis canum. Legendus Statius in *Sylvis* & Propertius.

ABRAHAMI ORTELII
COSMOGRAPHI ET GEOGRAPHI REGII,
DEORUM DEARUMQUE CAPITA,
EX ANTIQUIS NUMISMATIBUS COLLECTA.

LIBER II.

MEDIOXUMI SEU SEMONES,

HEROES ET VIRTUTES.

- *Æsculapius.*
- *Bacchus.*
- *Bonus Eventus.*
- *Canopus.*
- *Castor & Pollux.*
- *Clementia.*
- *Concordia.*
- *Cupido.*
- *Felicitas.*
- *Fides.*
- *Flora.*
- *Fortuna Antias.*
- *Genius Populi Romani.*
- *Hercules.*
- *Honor.*
- *Janus*
- *Isis.*
- *Justitia.*
- *Libertas.*
- *Libera.*
- *Pan.*
- *Pax.*
- *Penates.*
- *Pietas.*
- *Quirinus.*
- *Roma.*
- *Salus.*
- *Sarapis, seu Serapis.*
- *Sors.*
- *Spes.*
- *Terminus.*
- *Victoria.*
- *Virtus.*

FIG. XXVII.

Ex nummo argenteo triumphali.



JANUS dictus quasi *Eanus* ab *eundo*, ut Cicero & Macrobius, quod cœlum & tempus semper eat, vel quod *januis* præsit. ut Ovidius. Festus Pompejus a χαίνειν detracta aspiratione derivat.

PLINIUS *lib.* XXXIV. ait JANUM a rege Numa dicatum digitis ita figuratis, ut CCCLXV. nota per significationem anni, temporis & ævi se Deum indicaret. Alii autem ei in dextra manu clavem attribuunt, ut temporis annique reclusori & janitori. Observamus & apud Fabium Pictorem eum manu virgam & clavem, sub pedibus duodecim aras habuisse; in ejus rei gratiam, quod primus feras & claves excogitarit, & ab eo propterea dictas esse *januas*, & duodecim colonias miserit, totidem pomeria arasque sacrarit. Ab hoc Romæ porta *Janualis*, de qua Festus.

Pingebatur etiam bifrons & quadrifrons, ut in hoc nummo. Maro *Æneid.* XII.

——— mare, sidera, juno,
Latonæque genus duplex, Janumque brifontem.

Quia præterita & futura respicit. Ovidius:

Solus de superis qui tua terga vides.

Tale simulacrum Romulus & Tatius ei, cum fœdera pepigissent, ob duorum populorum societatem conjunctionemque confecerunt.

Habuit templum Romæ, quod tempore belli aperiebatur, pacis autem claudebatur, unde eum Naso *Clusium* appellat.

Et modo sacrifico CLUSIUS *ore vocor.*

Ter autem stante Imperio clausum est, usque ad tempora adventus Salvatoris nostri benedicti in sæcula. Primum regnante Numa Pompilio, deinde post bellum Punicum primum, tertium post bella Actiaca, quæ confecit Augustus. Plura qui desiderat, consulat P. Victorem.

FIG. XXVIII.

Ex nummo argenteo M. Acilii M. F. M. N. Glabrionis.

ÆSCULAPIUS, Apollinis & Arsinoes sive Coronidis filius, ut Pindari Interpres. Asclepiades & Socrates ex Arsinoe Leucippi filia & Apolline natum tradunt. Homerus in *Hymnis* & Diodorus ex Coronide Phlegyæ filia & Apolline. At Cicero Æsculapii nomine tres fuisse scribit: *Primum Apollinis, quem Arcades colunt, qui speculum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur. Secundum, secundi Mercurii fratrem; is fulmine percussus dicitur, humatusque esse Cynosuris. Tertium, Arsippi & Arsinoæ, qui primus purgationem alvi dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit: cujus in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulchrum ostenditur.* Apollodorus vero teste Theodoreto Cyrense, tradit *Æsculapium* a venatoribus repertum, raptumque ab altricis canis uberibus Chironi datum, ab eoque medicam artem didicisse, ac prima sui experimenta Epidauri dedisse. Ibidem postea serpentis forma cultus, deinde Romam advectus, qua de re Ovidius in *Transformatione*; Epidaurus illi sacra, unde ei nomen *Epidaurius*. Lucanus:

—— & medicis felix Epidaurus arenis.

T. Livius *lib.* V. *Decad.* V. de Paulo Emylio agens, Sicyonem, inquit, inde & Argos, nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam *Æsculapii* nobili templo, quod quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacraverant Deo. Varie ejus simulacra effinxit Antiquitas. Pausanias ex auro & ebore a Thrasymede Pario elaboratum describit. Is in throno sedebat, virgam tenes in manu: supra vero draconis caput manum alteram habebat, cui etiam canis assistere videbatur. Alii cum dracone

& gallo pingunt, propter vigilantiam, de quo ipsi res sacra fiebat.

Adeo autem in arte excelluit, ut multorum desperantium salutem adjutor exstiterit, ideoque vitam defunctis quibusdam restituisse creditus est. Idque ægre ferens Pluto, apud Jovem illum accusavit, quasi Imperium Orci minuentem, quod semper ejus opera homines ad vitam revocarentur. Iratus vero Juppiter fulmine ÆSCULAPIUM percussit, qua morte Apollo indignatus sagittis Cyclopes fulminis fabricatores interfecit. Mortuos vero quos excitavit recenset Basilius Zanchus, Monachus doctissimus, *Onomastico Poetico*.

FIG. XXIX.

Ex Tabula hieroglyphica Petri Bembi.

CANOPUS, cultus ab Ægyptiis, cujus originem Suidas & Rufinus lib. XI. *Ecclesiasticæ Historiæ* commemorant. Ferunt enim Chaldæos per omnes orbis regiones *Ignem* circumtulisse, cumque omnium nationum Diis contendisse, ut qui Deus vicisset ab omnibus coleretur. Quare cum aurei, argentei, æris, terrei, aliusque generis Dii igne consumerentur, omnibus in locis Chaldæorum Deus cæteros superavit: his cognitis CANOPI Sacerdos astu rem aggressus est: nam unum e vasis illis, quæ vulgo *hydrias* vocant, minimis foraminibus pertusas (quibus turpida aqua infusa, limpida & defæcata effluit) cepit. Cera foramina obturat, extrinsecus elegantissime depingit, aqua complet, atque instar Dei cujusdam efformat, excisumque a veteri simulacro caput ei quam scitissime adaptat. Venientibus itaque cum igne Chaldæis, itur in conflictum, accensoque circa hydriam foco, cera liquescit, itaque apertis circumquaque foraminibus, quibus inclusa tenebatur, aqua effluxit, ignisque extinctus est. Astu igitur hujus Sacerdotis, CANOPUS Chaldæorum Deum superavit, & ab eo tempore majori cultu coli cœpit. Centum & uno stadio ejus templum a Canopo urbe Ægypti distare scribunt.

Addit ad hæc Rufinus pedibus exiguis, attracto collo, & quasi sugillato, ventre in modum hydriæ tumido, & cum dorso æquabiliter tereti depingi: eodem pene modo quo hic est, ex *Tabula Hieroglyphica* Petri Bembi Cardinalis Illustrissimi, quæ semel iterumque apud Venetos edita est, pictamque vidimus in Bibliotheca doctissimi Lævini Torrentii Antuerp. Episcopi, & Abrahami Ortelii nostri P. M.

FIG. XXX.

Ex nummo argenteo, cui a tergo Vota publica.

SARAPIS, Ægyptius Deus, aliis *Serapis* dicitur. Idem porro cum Plutone putatur esse, testibus Plutarcho in libello *de Iside & Osiride*, & Porphyrio in libro *Responsorum*, aliisque apud Gyraldum *Syntagmate* VI. aliis *Osiris*, aliis *Juppiter*, aliis *Ammon* putatur.

Tali autem ratione a Macrobio depictus est: *Calathum*, inquit, *ejus capiti affingunt, & simulacro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo capite leonis effigiem. In dextra caput canis exoritur, mansueta specie blandientis: pars vero læva cervicis rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit volumine.*

SARAPIS, quamvis proprius & peculiaris Ægyptiorum Deus esset, nihilominus & in Græcia multis in locis cultus fuit, & in primis Athenis, teste Pausania: & Romæ, in Circo Flaminio, nona urbis regione, ut Publius Victor docet, cujus & adhuc nonnulla exstant vestigia.

Apim vero nonnulli SARAPIDEM interpretantur, auctore Eusebio lib. X. *de Præparat. Evangel.* quem tamen bovem fuisse maculis distinctum Herodotus & Mela tradunt. Vide de hoc Augustinum lib. XVIII. *de Civitate Dei*, & Suidam, Strabonem, Ammianum Marcellinum.

FIG. XXXI.

Ex nummo argenteo Q. Cassii Q. F.

BACCHUS, Jovis & Semeles filius, testibus Homero, Euripide, Hesiodo. Cicero quinque BACCHOS enumerat: *Dionysios*, inquit, *multos habemus. Primum e Jove & Proserpina natum, quem primum boves ad aratra invenisse ferunt. Secundum Nilo, qui Nysam dicitur condidisse. Tertium Caprio patre, eumque regem Asiæ præfuisse dicunt; cujus Sabazia sunt instituta. Quartum Jove & Luna; cui sacra Orphica putantur confici. Quintum Niso natum ex Thyone, a quo Trieterides constitutæ putantur.*

Unde autem *Bacchus* dictus, variant Scriptores. Quidam a mulieribus, quæ illum Bacchantes sequebantur: quidam a coronæ genere, quæ *Bacche* dicebatur, derivant. Naso IV. *Metamorph.* multa Bacchi nomina paucis versibus complexus est:

Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumque Bimatrem.
Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis Consitor uvæ,
Nyctelitusque, Eleleusque parens, & Iacchus, & Evan:
Et quæ præterea per Grajas plurima gentes
Nomina Liber habes.

Horum omnium etymon Gregorius Gyraldus *Syntagmate* VIII. & Basilius Zanchus reddit in *Onomastico*: plura vero Joannes Ravisius & inter Græca Conradus Dinnerus suggerent.

Hic est Bacchus ille, qui peragrata Asia & Africa ad Indos penetravit, & Tigrides devicit, hinc currum ejus cum lyncibus trahere finguntur, cui coronatus pampinea corona insidet triumphans.

Ejus Sacra apud Poetas *Orgia* appellantur, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, quæ nocte peragebantur præcipue in montibus a Mænadibus, quæ & *Eviades*, & *Mimallones* dicuntur, unde *obscura* vocantur. Et Ovidius:

Tempus erat quo sacra solent Trieterica Bacchæ
Sithoniæ celebrare nurus, nox conscia sacris.

Virgilius *Æneid.* IV.

—— ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.

FIG. XXXII.

Ex nummo argenteo M. Perpernæ Nepotis.

HERCULES, Alcmenæ & Jovis filius Hesiodo & Homero: Amphitruone natus tamen creditur, ut apud Plautum legimus. Alienis & suis laboribus inclytus, de quo plurima Diodorus. Quidam plures hoc nomine fuisse volunt, II. aliqui, III. nonnulli alii XII. Varro tres & quadraginta collegit. Eloquentiæ parens, in iis qui sunt *de Natura Deorum*, VI. tantum.

Dictus autem *Oeteus* ab Oeta monte Thessaliæ, ubi

ubi pyra constructa conflagrans ad Deos transiit, ut Seneca refert in *Hercule Oeteo*, Ovidius & Diodorus. *Gallicus* quoque *Hercules* celebratur singulari libello Luciani Sophistæ, qui apta ex ore catena, id est, dicendi vi & eloquentia, innumerabiles hominum copias ducebat.

Quanto autem odio eum Juno prosecuta sit, testantur ingentia illa & indomita monstra belluæque, quas ejus imperio coactus expugnare, comite Fortuna superavit: unde laboribus suis cœlum adeptus est. Duodecim vero præcipue celebrantur ejus labores in *Catalectis* Virgilii:

Compressit Nemeæ primum virtute leonem.
Extincta est anguis, quæ pullulat Hydra secundo.
Tertius evictus sus est Erymanthius ingens.
Cornibus auratis cervum necat ordine quarto.
Dejicit horrisono quinto Stymphalidas arcu.
Abstulit Hippolytæ sexto sua balthea victæ.
Septimus Augiæ stabulum labor egerit undis.
Octavo domuit magno luctamine taurum.
Tum Diomedis equos nono cum Rege peremit.
Geryonem decimo triplici cum corpore fudit.
Undecimo abstractus vidit nova Cerberus astra.
Postremo Hesperidum victor tulit aurea mala.

Plura non addam, ne compilasse scrinia Gyraldi videar, qui singulari libello ejus vitam in gratiam Herculis Estensis Ducis Ferrariæ conscripsit, quem lege.

FIG. XXXIII.

Ex nummo argenteo C. Vibii C. F. C. N. Pansæ.

PAN, qui Ovidio, Probo, Macrobio *Faunus* appellatur; antiquis Latinis *Inuus*, ut refert Livius, & Servius in illud Virgilii, *Castrum Inui*. Arnobius, Rutilius Numatianus his versibus:

Multa licet priscum nomen deleverit ætas,
Hoc Inui castrum fama fuisse putat.
Seu PAN *Tyrrhenis mutavit Mænala silvis:*
Sive sinus patrios incola Faunus init.

A Poetis Pastorum, atque adeo totius Naturæ Deus esse fingitur. Unde etiam a Græca dictione πᾶν, quæ idem significat, quod *totum*, vel *omne*, nomen accepit, Cicero, Mela & Plinius.

Apud Arcades magna religione tamquam Arcadiæ Deus antiquissimus colebatur. Virgilius *Ecloga* IV. *Pan Deus Arcadiæ*. Capras & hircos Mendesii populi in Ægypto non mactant, quod Pana inter octo Deos numerant, quos octo ajunt priores duodecim Diis exstitisse. Ægyptii ejus simulacrum, eo, quo Græci, modo effingunt, caprina facie hircinisque cruribus, rubro colore, infima sui parte hispida.

Describitur plurimis versibus *lib.* XIII. a Silio Italico:

PAN *Jove missus erat, servari tecta volente*
Troja: pendenti similis Pan semper & uno
Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu, &c.

Item a Stroza patre, Alciato in *Emblematis*, & Michaele Marullo.

Hic Demogorgonis filius creditur fuisse, & fistulam composuisse septem imparibus calamis simul conjunctis, propter cœli harmoniam. Unde Virgilius in *Corydone* seu *Ecloga* II.

PAN *primus calamos cera conjungere plures*
Instituit, Pan curat oves, oviumque magistros.

Exstat apud Theocritum *Panos* fistula miro carminum artificio contexta: quæ obscurissima cum sit, & ænigmati pene par, exposita est a Johanne Pediasimo.

Hujus amor & deliciæ *Echo* creditur, in quam vocis imaginem Ausonii Epigramma circumfertur.

Constantinus quoque lib. XI. *Geoponicon* ei pinum ascribit.

Plura apud Lilium Gyraldum *Syntagmate* XV.

FIG. XXXIV.

Ex nummo argenteo C. Egnatii Maxsumi.

CUPIDO. M. Cicero lib. III. *de Natura Deorum* tres Cupidines enumerat. Sed hic, cujus imaginem vides, Martis Venerisque soboles, & Joci frater, de quo Horatius lib. I. *Carm.* od. II.

Quam Jocus circumvolat, & Cupido.

Latinis proprie *Amor* dictus, quod voluptatem & amorem conciliet.

Phurnutus finxit Cupidinem ut puerum, alatum, sagittarium, & faces gestantem: *puerum*, quod amantes mente non sint integra, & instar puerorum decipiantur; *alatum*, quod hominum cogitationibus tamquam avis advolet; *sagittarium*, ut amore captos & vulneratos indicet, & face velut ardentissima accensos. Servius tamen ideo *puerum* depingi asserit, quod turpitudinis stulta & puerilis sit cupiditas, vel quod in amantibus imperfectus sit sermo & pene puerilis: *alatum*, quod nihil amantibus sit inconstantius seu volubilius: *sagittarium*, quasi sagittis incerta jaculantem. Orpheus & *cæcum* dixit, quod amor omnem intellectum excæcet.

Elegans exstat Sex. Propertii in CUPIDINEM *Elegia lib.* II.

Quicumque ille fuit puerum qui fecit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus? &c.

Michaelis quoque Marulli hominis Græci venustum *Epigramma* apponere libet:

Quis puer hic? Veneris. Plenæ quid causa pharetræ?
Non bene provisus certa quod arma movet.
Cur sine veste Deus? simplex puer odit apertum.
Unde puer? pueros quod facit ipse senes.
Quis pennas humeris dedit? Inconstantia. Quare
Nulla Deo frons est? signa inimica fugit.
Quæ sors eripuit lucem? immoderata libido.
Quæ macies? Vigilis cura dolorque facit.
Quæ cæcum præit? Ebrietas, sopor, otia, luxus.
Qui comites? Rixæ, bella, odia, opprobrium.

Cur autem senes amore torqueantur, juvenesque ante diem cadant, elegans exstat in lib. *Anthologiæ* Epigramma *de Amore & Morte* in *Emblematis* Alciati:

Mors & Amor quondam tectum venere sub unum,
Mistaque in hospitio tela fuere simul.
Cum nondum clara discessum luce pararent,
Mortis tela puer, morsque tulit pueri.
Hinc juvenes occidit Amor fallente pharetra,
Hinc mors ipsa suos cogit amare senes.

FIG. XXXV.

Ex nummo argenteo M. Cordi Rufi.

CASTOR & POLLUX, Tyndarei & Ledæ filii: ut Homerus: Hesiodus autem Jovis & Ledæ. Pindarus vero scribit POLLUCEM ex Jove, CASTOREM ex Tyndareo genitum.

CASTOR mortalis natus est, POLLUX immortalis, sed hujus precibus CASTOR quoque immortalitate donatus est, ut refert Pindarus.

Theocritus eos ἀεθλητῆρας in Idyllio peculiari *Dioscurorum* nomine inscripto appellat. Quin etiam POLLUCEM ἀεθλοφόρον & CASTORA ἱππόδρομον cognominatos reperimus. Isidorus *lib.* X. de Ludis Circensibus cum loquitur: *Itaque*, inquit, CASTORI & POLLUCI *deputantur hæ ludorum species, quibus a Mercurio distributos equos historiæ docent.*

Sub forma duorum fratrum effingebantur, robusti, formosi, in capite pilea habentes, hinc *Pileati fratres* Festo & Catullo:

A pileatis nona fratribus pila.

Suidas, authore Æliano, horum effigies hoc modo ferme describit; Duo enim simulacra eorum fuisse ait, pari juventute, genas habentes imberbes forma simili, inque humeros chlamydem, & enses sub chlamyde haberent, & hastas erectas, quæ per dextram & sinistram extollebantur.

Supra caput flammam igneam habere videntur, qualem iis ait Orpheus apparuisse. Apulejus in x. *Metamorph.* cassides in capite refert gestare, stellarum apicibus insignes, ut hic vides. Uterque autem in cœlo stellam habuit, de qua Flaccus lib. I. *Carm.* ode III.

Sic fratres Helenæ lucida sidera.

Castores etiam interdum equis albis insidentes apparuerunt, ut P. Vatinio cum e Prætura Reatina Romam veniret; cui eo die Persen Macedoniæ regem captum annunciarunt. Cicero lib. II. *de Natura Deorum*, Valerius Maximus *lib.* I. *cap.* VIII Scriptor *de Viris illustribus* cap. XVI. de A. Postumio.

Lego apud Ciceronem in foro ab A. Postumio ædem his dedicatam: quæritur hoc tempore a multis, qua fori parte esset *Castorum* ædes. Quidam SS. Cosmi & Damiani templum existimant: alii, juxta Juturnæ fontem, quod innuere videtur Ovidius in *Fastis*. Mirandum authores inter se dissentire, cum tamen frequens sit ejus templi mentio in Cicerone, Livio, Plutarcho, Horatio, Catullo, Plinio, & aliis, ut verisimile sit non unum, sed plura fuisse.

FIG. XXXVI.

Ex nummo argenteo C. Sulpicii C. F.

PENATES, Dii præsides ac tutelares, quod etiam Lares vocabant, & alio etiam nomine μεγάλους & πατρώους, unde Maro. *Æneid.* II.

Dii patrii servate domum ——

& *ibid.* paulo post:

——— *Patriosque Penates.*

Et *Æneid.* III.

Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis Dis.

Hi sunt, per quos spiramus, per quos corpus & animi rationem (ut more Gentili loquar) habemus, ut Dionysius lib. I. *Antiquitatum Romanarum* latius disseruit. Nigidius vero referente Arnobio, PENATES Deos Neptunum Apollinemque esse prodidit, qui mœnibus Ilium circumcinxerunt. Hos secum in Italiam hinc tulisse Æneam auctor, est multis in locis Maro, quos sæpe etiam in somnis cum ait monuisse. *Æneid.* III.

Effigies sacræ Divum, Phrygiique Penates,
Quos mecum ex Troja mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis
In somnis. ———

Quatuor autem PENATIUM genera produntur. Nam alii sunt Jovis, alii Neptuni, tertii Inferorum, postremi hominum. Sed Lares tectorum domuumque custodes, modo Curetas & Matris Magnæ Gallos, modo Manes, nunc aereos Deos, nunc larvas esse voluerunt.

Dicti autem PENATES, ut placuit Tullio, a penu, sive ab eo quod penitus insident, ex quo etiam *Penetrales* dicebantur. Hinc & Festus ait, *Penetralia* esse PENATIUM Sacraria. Virgilius *Æneid.* II.

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Horum porro ædem in ea parte Palatini montis Macrobius ait sitam, quæ ad Boream vergens, Velia dicebatur. Livius in v. *Decad.* *Ædes Deorum Penatium in Velia de cœlo tacta est.* Scribit Ælianus, hirundinum genus Deis *Penatibus*, & Veneri, quæ ipsa quoque e numero *Penatium* putabatur, charum existimatum esse ab Antiquis.

FIG. XXXVII.

Ex nummo argenteo C. Memmii C. F.

QUIRINUS, primus ille Urbis & Regni conditor *Romulus*, constituto Imperio Populi Romani, mortuus in Deos relatus est, dictusque, ut Heroes solent, a morte *Quirinus*,

Sive quod hasta Quiris priscis est dicta Latinis,
Seu quod Romanis junxerat ille Cures,
Sive suo Regi nomen posuere Quirites,
Multaque Romulea bella parata manu.

Alii tamen QUIRINUM vocatum volunt quasi κοίρανον *Dominum*. Dictus adhuc infans *Romus*, ut frater ejus *Remus*, post ὑποκοριστικῶς *Romulus*, a ficu, ut creditur, *Ruminali*, vel quod lupæ *Roma*, id est, mamma, nutritus est, ut in nummis Antonini Pii æreis.

De hujus rebus præclare gestis T. Livius, Dion. Halicarnasseus, Plutarchus in *Romulo*, & L. Florus, qui pene omnes in ejus origine excessuque discrepant; alii fulmine ictum, alii a patribus discerptum tradiderunt. Sed tamen tam atroci morte pereuntem, augustiore quadam forma & pene divina, sibi in via extra urbem apparuisse dixit Julius Proculus, cui populus nimium, ut fit, in re læta credens, *Romulum* in Deorum numerum retulit.

Itaque postea in ejus honorem *Quirinalia* instituta, quæ XII. Kal. Maii peragebantur. Quæ & *Feriæ Quirini* dictæ, Varro & Ovidius.

FIG. XXXVIII.

Ex nummo argenteo Cn. Cornelii Lentuli.

GENIUS POPULI ROMANI, Aurelii Augustini, ex Varronis sententia, testimonio, Deus est, qui præpositus esse gignendis, ac omnium rerum vim habere gignendarum credebatur: qua ratione Cebes Thebanus in *Pinace* suum posuisse senem dæmona, id est, GENIUM, visus est. Plutarchus GENIUM esse ait, qui unicuique nostrum insit, qualis Socrati adfuisse ab eodem in singulari libello & Apulejo scribitur.

A *genendo* derivant Litteratores, *geno* enim pro *gigno* usurpabant Veteres, unde & *Genetrix*.

GENIUM quidam loci cujusque Deum putaverunt, unde Sallustius libris *Historiarum* loci *Genium* pro natura dixit, qui GENIUS in loci aditu atque ingressu, more institutoque Majorum, salutabatur. Virgilius *Æneid.* V.

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet ———

De quo multa Martinus Delrius Societatis Jesu Presbyter (quo cive merito Antuerpia gloriatur) Commentario *in Senecæ Tragici Agamemnonem*.

Huic Deo res vino & floribus fiebat. Horatius *Epistolarum* lib. II. epist. I.

——— ——— *piabant*
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.

Et Persius *Satyra* II.

Funde merum Genio ———

Hic GENIUS interdum duobus anguibus repræsentabatur. Apud eundem *Satyra* I.

Pinge duos angues ———

Habuit & Populus Romanus GENIUM, qui

hic spectatur, & apud Fulvium in *gente Cornelia* pag. 11. & apud Lilium *Syntagmate* xv. De hoc Dio *lib.* L. *Bubo*, inquit, *in templum primum Concordiæ, deinde in reliqua fere omnia, quæ sanctissima habebantur, delubra devolavit; ac cum undique exigeretur; in æde* GENII *Populi consedit, ac neque captus est, & tarde admodum avolavit.* Tertullianus scribit maximum fuisse apud Veteres juramentum, per Principum *Genium* jurare. Suetonius in *Caligula*, multos ab eo supplicio affectos, qui per ejus *Genium* juraverant, prodit.

FIG. XXXIX.

Ex nummo argenteo Q. Titii.

TERMINUS. Numa Pompilius cum publicum privatumque agrum certis limitibus terminisque definivisset, ædem Deo *Termino* in colle Tarpejo traditur erexisse, cui nihil ἔμψυχον, sed liba tantum, pultes, frugumque primitiæ immolarentur.

Ovidius tamen illi agnam & porcam in secundo *Fastorum* immolari prodidit. Item Horatius lib. *Epod.* ode II.

Vel agna Festis cæsa Terminalibus.

Dion Halicarnasseus lib. II. *Antiquitatum: Statuit*, inquit, *Numa, ut quisque suo contentus esset, nec aliena appeteret. Jussit unumquemque fundos suos circumscribere, sacrosque finibus lapides apponere, quos Jovi Terminali sacravit, statuitque ut Sacra quotannis omnes die stata & constituta facerent, super locum ipsum coeuntes, festo etiam die constituto Terminalium Deorum.* Lege & Plutarchum.

Hic Deus saxi forma positus est, unde & ea forma termini agrorum publicorum privatorumque ponebantur, licet etiam postea stipes & arbor, vel tegula, loco termini fuerit constituta. Quod his versibus in *Fastis* lib. II. Ovidius insinuavit:

Termine, sive lapis, sive es defossus in agris
Stipes, ab Antiquis tu quoque nomen habes.

Et Tibullus:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Sed de Termino lapide supra in *Saturno*.

Tarquinius Priscus, cum augustum Jovi, Junoni, & Minervæ templum a primis fundamentis excitare cuperet, terramque erueret, reperit plurimos Deos, a Numa & T. Tatio dicatos, & omnes quidem Jovi cessere & locum dedere, *Juventus* vero & *Terminus* cedere noluerunt, Auctores Dionysius & Plutarchus. Hinc Virgilius *Æneid.* IX. illum *Capitoli immobile saxum* vocat. Sed Titus Livius, Florus, & Servius ad Tarquinii Superbi facta referunt. Exstat hæc Historia apud Varronem citante Agellio *lib.* XII. *cap.* VI. ænigmate circumscripta:

Semel minusve, an bis minus sit, non sat scio,
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipsi Regi noluit concedere.

Qua historia aperte Imperii Populi Romani diuturnitas & perpetuæ gloriæ series demonstratur.

FIG. XL.

Ex nummo argenteo L. Scribonii Libonis.

BONUS EVENTUS. M. Terentius Varro Togatorum doctissimus, lib. I. *de Re Rustica*, inter duodecim Consentes Deos agriculturę pręsides BONUM EVENTUM nominat: primo Jovem & Tellurem, qui & Parentes Magni dicuntur, Juppiter scilicet pater, & Tellus mater: secundo Solem & Lunam, quorum tempora observantur:

A tertio Cererem & Liberum, quod ab his cibus & potio venit in fundo: quarto Robigum & Floram, quibus propitiis, neque rubigo frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempestive florent, unde *Robigalia* & *Floralia*: tum Minervam & Venerem, quarum unius procuratio oleti, alterius hortorum, unde & Rustica Vinalia instituta: demum Lympham & *Bonum Eventum*, quoniam sine aqua & successu misera est agricultura, & frustratio quædam.

Plinius *lib.* XXXV. tradit Euphranorem simulacrum BONI EVENTUS fecisse, ut dextra pateram, sinistra spicam ac papaver teneret, atque etiam
B Praxitelem summum artificem ejus simulacrum in Capitolio depinxisse. Templi *Boni Eventus* quædam etiam nunc vestigia Romæ cernuntur, inter Minervam & S. Eustachium, ut a plerisque creditur.

FIG. XLI.

Ex nummo argenteo, Italię & Romę statuas exhibente.

HONOR. Virtuti subjici HONORIS effigies deberet, quod hæc duo semper conjungerentur, sed nos ordinem secuti nostrum, alio
C loco posuimus. Ita porro HONORIS templum constructum videbatur, ut accedi, nisi per *Virtutis*, nequaquam posset: qua observatione docemur HONOREM non malis artibus, sed ipsa sola virtute parandum esse. Huic rem divinam Romani cum facerent, aperto capite fuisse, auctor est Plutarchus, & *Honorem* δόξαν vel τιμὴν est interpretatus: *An*, inquit, *quod splendidum quiddam sit honos, atque ob id etiam splendidis & illustribus viris caput aperire solemus, & perinde ei Deo caput aperiendum cum sacrificamus.*

Scriptor *de Viris Illustribus* tradit Fab. Rutilia-
D num instituisse, ut Equites Romani Idibus Quinctilib. ab æde HONORIS equis insidentes in Capitolium transirent. Vide Jacobum Rævardum lib. II. *Variar.* cap. XV.

Meminit etiam hujus Dei Cicero lib. II. *de Natura Deorum: Vides*, inquit, *templum* HONORIS *a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum.* T. Livius *lib.* XXVII. *Marcellum*, inquit, *aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant, in quibus quod cum bello Gallico ad Clastidium ædem* HONORI *&* VIRTUTI *vovisset, dedicatio ejus a Pontificibus impediebatur, quod negabant unam cellam duobus Diis recte*
E *dedicari*, &c.

Quin etiam C. Marius ædem HONORI & VIRTUTI construxit, de qua, ut alios prætercam, ita Vitruvius *lib.* XII. *C.* inquit, *Mutius magna scientia confisus, ædes* HONORIS *&* VIRTUTIS *Marianæ cellæ, columnarumque & epistyliorum symmetria legitimis artis institutis perfecit. Id vero si marmoreum fuisset, ut haberet quemadmodum ab arte subtilitatem, sic a magnificentia & impensis auctoritatem, in primis & summis operibus nominaretur.*

Exstant nummi varii, in quibus junctim HONOS VIRTUSque spectantur, ut Cordi Caleni, cujus in aversa parte Italia & Roma, in altera VIR-
F TUS armata, & HONOS coronatus lauro. Item Vitellii, ubi VIRTUS militari habitu, muliebri vero HONOS conspiciuntur.

FIG. XLII.

Ex nummo argenteo M. Pletorii.

SORS, FORS FORTUNA. Sortem eandem cum *Forte* credidit Antiquitas, & apud Horatium

lib. I. *Serm.* sat. I. sic plerique legunt:

Qui fit, Mecœnas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu Fors objecerit, illa
Contentus vivat ——

Ubi vulgo *seu Sors* editur.

Donatus in Terentii *Phormione* ita distinguit: *Fortuna*, inquit, *dicta est res incerta: Fors Fortuna, Eventus Fortunæ bonus*. Et mox: *Aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna: nam Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui in arte aliqua vivunt*. Hujus ædes trans Tiberim est, ut in antiquis Fastis, & apud Ovidium lib. VI. *Fastorum*;

Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores,
Post septem luces Junius actus erit,
Ite, Deam læti Fortem celebrate Quirites:
In Tyberis ripa munera regis habet.

Ubi VIII. Cal. Quinctil. ejus coli festum ostendit.

Hanc autem a Tullio primum dedicatam legimus, tum & ab aliis postea. Nam & in hortis a Cæsare relictis juxta fluvium etiam fuisse legimus. Sed longe ante hanc ejus cellam T. Livius *lib.* XXVII. Romæ aliam nominat, ubi prodigium narrat, a capite scilicet ejus coronam in manus delapsam esse. Idem alio loco Papirium ait de reliquo ære, quod in ærarium intulerat, ædem *Fortis Fortunæ* de manubiis faciendam locasse, prope ædem eidem Deæ a rege Servio Tullio dedicatam. Quamquam, ne quid dissimulem, cum apud Auctores citatos *Fortis Fortunæ* lego, cur non genitivi esse queant, a duobus rectis *Fortis Fortuna*, nam casus in quibus citavi utrique conveniunt. Sed utrius de æde loquantur Auctores, longum foret inquirere, hac de re judicent alii.

FIG. XLIII.

Ex nummo Argenteo Q. Rustii.

FORTUNA ANTIAS & REDUX. Fortunæ Antiatis ita meminit Horatius lib. I. *Carm.* ode XXXV.

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Quos versus hoc modo Acron interpretatur: *Apud Antium Fortunæ templum est famosissimum, multorum etiam Principum donis ornatum, unde civitas ipsius tutelæ dicata est.* Cui adscribit & Macrobius *lib.* I. se apud Antium vidisse promoveri simulacra *Fortunarum* ad danda responsa. Merito autem dicit *Fortunarum*, quia duæ sunt: altera enim REDUX est, quam, teste Martiale *lib.* VIII. *epig.* LXV. Domitianus coluit:

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, ——

Et hujus Claudianus ita meminit:

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum vovere Ducum, non dignius unquam
Hæc Dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

Suetonius in *Caligula Antianam* dicere videtur, vel potius *Antiatinam*. Codices enim variare videmus.

Apud Plautum in *Rudente* quoque mentio *Fortunæ Anatinæ*. Sed hic jocus Plautinus, non Deæ cognomen, quod ab anate ave desumptum est, quæ aqua, non madefacta, exit.

FIG. XLIV.

Ex nummo argenteo, in cujus dorso Vota publica.

ISIS, Jovis Ægyptii filia, Osiridis soror & conjux, de quibus singulari libello Plutarchus. ISIDEM porro eandem esse cum *Luna* docent si-

A mulacra, quoniam nigris vestibus & cornigera ad similitudinem *Lunæ* effingebatur, qualis hic pene apparet. Sed enim Isis credita est Ægypti Genius, qui per sistri motum, quod gerere videbatur dextra, Nili accessum significabat. Horapollo vero in *Hieroglyficis* annum ait *Iside* significari: *Annum*, inquit, *significare volentes*, ISIM, *hoc est mulierem, pingunt: hoc eodem signo Deum intelligi volunt. Nam apud ipsos stella est Isis, Ægyptia lingua Sothis appellata, Græca vero* Αςροκύων; quod etiam Photius Constantinop. Patriarcha in *Bibliotheca* ex *Isidori Vita* prodidit.

Sunt qui *Deam Syriam* eandem faciunt cum ISI-
B DE, sed libello Luciani *de ea Syria* facile redarguuntur: alii *Pallada*, alii *Cererem*, ut in eodem libello, de quo supra Plutarchus.

Ælianus lib. X. *de Animalibus* cap. XXIII. tradit Copton urbem esse Ægypti, in qua eo cultu ISIS coleretur, quo aut conjuges aut liberi a lugentibus solent; eoque loco perniciosissimos esse serpentes & scorpiones, qui morsu statim necent: quos ut vivent, omni diligentia & cautionibus student Ægyptii, &c.

Nominata autem est his nominibus:

Τιθήνη.	*Atmis.*
Πανδεχής	*Pelagia.*
Patricia	*Linigera.*

C Quod ejus Sacerdotes lineis vestibus induerentur. Ovidius lib. I. *de Ponto* eleg. I.

Vidi ego Linigeræ numen violasse fatentem
Isidis Isiacos ante sedere focos.

Juvenalis *sat.* VI.

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Nam ISIN ferunt, intellecta Osiridis mariti morte in luctu caput totondisse: quod etiam Sacerdotes imitabantur. Lege Apulejum, Diod. Siculum, Cornelium Tacitum, & Lucianum in *Dialogis*.

D Habeo nummum cum *Iside* & sistro, adjuncta ciconia, qua Ægyptum exprimunt: nefas enim erat Ægyptiis ullam occidere. Plura hac de re apud Antonium le Poix, Ducis Lotharingiæ Medicum, lib. *de Nummis antiquis*.

FIG. XLV.

Ex nummis argenteis Consularibus.

ROMA. Ejus effigies in multis tam aureis quam argenteis nummis, non modo Imperatorum verum etiam Consulum cura, re-
E peritur apud Hubertum Goltzium, Antonium Augustinum virum claris. Dialogo III. *Antiquitatum*, Fulvium Ursinum, & Adolphum Occonem. Neronis quidem Claudii, ROMAM præfert armis insidentem, dextraque coronam porrigentem, civibus fortasse, aut viris fortibus. Vespasiani vero unus quidem armatam ostendit, dextra victoriam alatam cum corolla tenentem, sinistra hastam: alter vero septem insidentem collibus manuque parasonium (qui pugio est sine cuspide) tenet, ad pedes Tiberis fluvius est. Alias porro picturas hic transeo.

F ROMAM porro pro Dea cultam, auctor Xiphilinus ex Dione, & Martialis *lib.* XII *epigram.* VIII.

Terrarum Dea gentiumque ROMA,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Ad quos versus & Julius Frontinus lib. II. *de Aquæductibus*, Spartianus in *Hadriano*, Tacitus XIV. Prudentius lib. I. *in Symmachum* alludunt. Hinc & ÆTERNA dicta est. Ausonius:

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ.

Symmachus *lib.* III. *epist.* LV. Ammianus Marcellinus *lib.* XV. & XIX. Quin etiam Flamines &

Sacerdotes tamquam singularis quædam Dea adepta est: testis est Inscriptio illa Lugdunensis in Gallia in basi:

SERVILIO.
MARCIANO.
ARVERNO.
C. SERVILII.
DOMITI. FILIO.
SACERDOTI. AD.
TEMPLVM. ROMÆ.
ET. AVGVSTORVM.
TRES. PROVINCIÆ.
GALLIÆ.

FIG. XLVI.
Ex nummo argenteo M. Aquilii M. F. M. Nepotis.

VIRTUS a viribus vel a viro dicitur, quod teste Cicerone, virum VIRTUS maxime honestet. Est autem VIRTUS, ut ait Lactantius, *Perferendorum malorum fortis & invicta patientia*; apud quem & illa Lucilii leguntur carmina:

VIRTUS *est homini, scire id quod quæque habeat res:*
VIRTUS, *scire homini rectum, utile, quid sit honestum:*
Quæ bona, quæ mala, quid sit inutile, turpe, inhonestum:
VIRTUS, *quærendæ rei finem scire, modumque:*
VIRTUS, *divitiis pretium persolvere posse:*
VIRTUS, *id dare, quod reipsa debetur honori:*
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum:
Contra, defensorem hominum morumque bonorum.

Hæc Lucilius. Plura VIRTUS elogia & commendationes apud Gnomologos Græcos & Latinos e scriptis Philosophorum & Poetarum reperies, quæ non est hujus temporis connectere.

Hanc Romani Deam fecere, teste Aurelio Augustino, cui ædem vovisse suo primo Consulatu C. Marcellum legimus, quam ejus postea filius ad portam Capenam dedicavit, ut tradunt Livius, Valerius Maximus & Plutarchus. Alteram C. Marius summissiorem excitavit, ne publicis auspiciis forte officeret, eamque propterea Augurum collegium demoliri juberet.

M. Tullius lib. II. *de Legibus* VIRTUTEM coli jubet. Juvenalis *sat.* I.

Ut colitur, Pax, atque Fides, Concordia, VIRTUS.

Plautus in *Amphitruonis Prologo*, in quo Mercurium introducit, VIRTUTIS meminit, interque Deos ponit.

Varia autem apud Antiquos forma effingebatur, nunc honesto & matronali induta habitu, nunc quadrato insidens saxo; hic autem armata est, quod VIRTUS fortitudinem roburque designet: in Maximiani Aug. nummo Hercules cornibus cervum comprehendens spectatur: virili quoque habitu in Gallieni & Alexandri Imperatorum denariis. Extat & in nummo M. Val. Acilii, hac forma: Mulier erat columnæ lævo nixa cubito, dextera serpentem tenens. Sæpe etiam HONOS VIRTUTI addebatur, quod etiam templa conjuncta haberent, de quo supra, unde illa apud M. Tullium DUCE VIRTUTE, COMITE FORTUNA, similiter conjunguntur. Plura Numismata habet Ant. Augustinus Præsul clariss. Dialogo II. *Antiquitatum*.

FIG. XLVII.
Ex nummo æreo Corinthiaco Tib. Cæsaris.

JUSTITIA. Non hic de Virtute Justitia agemus, de qua pleni sunt Philosophorum ac Jureconsultorum libri, sed de JUSTITIA, quam loco Deæ coluit Antiquitas & Græcis *Astræa* nuncupata. Ovidius lib. I. *Metamorph.*

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Quin etiam teste Polluce Δίκη appellatur; huic duos hymnos Orpheus cecinit, alterum quidem Δίκη, alterum vero Δικαιοσύνη, & utrique adolet thus. Hanc finxerunt Astrologi signum in Zodiaco, quod *Virginem* nominant, & præsertim Græcus Interpres, ad ea verba, quibus ait manibus splendentem ferre spicam: *Quidam ajunt Astræum antiquum fuisse Mathematicum, qui primus astrorum invenerit appellationes, unde & siderum pater.* Alii Astræam Jovis & Themidis filiam, ut Hesiodus, esse dicunt, de qua singularis libellus Stephani Pighii hominis doctissimi *Themis Dea.* Alii Astræi & Hemeræ, id est, *Diei*, filiam putavere.

Sic autem Chrysippus apud Aulum Gellium *lib.* XIV. libro περὶ καλῦ ϰ̀ ἡδονῆς depingit: *Imaginem* JUSTITIÆ *fieri ait forma atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus: neque humilem, neque atrocem, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate.* Pausanias eam formosa depingit facie, obstricto collo injuriam continentem, & fuste acriter ferientem. Apud Ægyptios capite truncam fuisse scribit quidam, quam per manum sinistram porrecta palma discapedinatam effingebant, propterea quod sinistra genuina pigritia nulla calliditate prædita videatur, & ideo æquitati potius quam dextra conveniat. Nostri autem sæculi Pictores vel oculis clausis, vel cum libra & statera, vel cum virgarum fasce exhibent. Memini quoque vidisse depictam hoc modo: Nuda virgo, quadratum sedens super lapidem, & æquatam manu altera bilancem tenens, exertumque altera sub ala ensem quodammodo occulens.

FIG. XLVIII.
Ex nummo argenteo L. Cornelii Sullæ Fausti Fel.

FELICITAS, quam Græci εὐδαιμονίαν, Antiquis etiam Dea existimata est. Plinius *lib.* XXXV. hujus Deæ simulacrum Archesilao plastæ locatum a L. Lucullo H-S. LX. tradit, cui mors utriusque invidit. Meminit & hujus Deæ D. Augustinus: *Quid quod &* FELICITAS *Dea est, Cur non ipsa una, quæ coleretur, constituta est, quæ posset universa conferre, & compendio facere felicem?* Et mox: *cur denique tam sero huic tantæ Deæ, post tot Romanos Principes, Lucullus ædem constituit? L. enim Licinius Lucullus anno ab urbe condita* DCLXVI. *Cos. cum M. Cotta construi curavit.* Et alibi: *Quid quod & Felicitas Dea est, ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt*, &c.

Exstant numismata varia, in quibus hic argenteus *L. Cornelii Sullæ Fausti Fel.* quod illi cognomen rebus aliquamdiu ex voto fluentibus inditum fuisse auctor est Plutarchus, & Scriptor *de Viris Illustribus* filium quoque *Faustum* & filiam *Faustam* cognominavit. Et Juliæ Mammææ Augustæ nummus, in cujus aversa parte fœmina in solio sedet, dextra caduceum, sinistra copiæ cornu tenens, hac inscriptione, FELICITAS PUBLICA. Qua multi nummi FELICITATIS insigniuntur, vel FELICITAS AUG. vel TEMPORUM, & SÆCULI, apud Adolphum Occonem & Antonium Augustinum Dialogo II. *Antiquitatum*.

Nec illud prætereundum, in multis denariis per duplex EE FEELIX pro longo E scribi: peccant igitur qui per œ FOELIX scribunt, ut docuit Manutius in *Orthographia*.

Cebes Thebanus Platonis discipulus in *Tabula* describit in eminenti quopiam arcis vestibulo FELICITATEM in solio sedentem, liberali ornatu

comtam, & florentissimo serto coronatam. Patet ex Dione *lib.* XLIV. C. Julium Cæsarem Dictatorem FELICITATIS templum inchoasse, quod Lepidus Magister Equitum absolvit.

FIG. XLIX.
Ex nummo argenteo A.Licinii Nervę Siliani III-Viri.

FIDES. Ejus ædes in Capitolio, teste Plinio lib. XXXV. *Histor.* M. Cicero lib. III. *Offic.* FIDEM ait vicinam Jovi Capitolino: in II. *de Natura Deorum* ab Attilio Catalino consecratam scribit, Festus etiam ante urbem conditam ab Ænea in Palatio dedicatam. Dionysius Halicarnasseus lib. II. *Antiquit.* Numæ tribuit: *Primus*, inquit, *ipse omnium templum* FIDEI *publicæ erexit, sacrificiaque ei statuit sumptu publico, sicut de aliis.* Eadem pene Plutarchus. Ejusdem FIDEI maximum statutum fuit jusjurandum, cujus & Cicero in *Officiis* meminit. Livius in *primo* Numam FIDEI solenne ait instituisse sacrum, ad quod sacrarium rem divinam facerent. Unde & Plauti illud in *Aulul. Hoc mihi factu est optumum, ut te auferam aula, in* FIDEI *fanum, ibi abstrudam probe.*

Meminit & FIDEI Deæ Cornelius Nepos in *Attici Vita*, tametsi *Phidiæ* alii, nonnulli *Philiæ* reponant.

Sine cæde, ferro, & sanguine res fiebat FIDEI, sed Sacerdotes albo panno velabantur, indicantes FIDEM rectam & candidam esse debere, unde Horatius lib. I. *Carm.* ode XXXV.

—— albo rara FIDES *colitur*
Velata panno. ——

Et Maro lib. I. *Æneid.*

Cana Fides. ——

Vide amborum Interpretes.

Ostendebatur interdum in denariis, duabus junctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ jungentibus, ut in plerisque apud Antonium Augustinum Dialogo II. *Antiquitatum.* Ad quod allusit Virgilius lib. VIII. *Æneid.*

Accipe daque fidem. ——

Et *lib.* III.

Jungimus hospitio dextras. ——

Statius:

Jam pariter coeunt animorum in pignora dextræ.

Livius: *Dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxerunt.* Et libro XVII. Tacitus: *Dona dedit legionibus, & dextras hospitii insigne.*

FIG. L.
Ex nummo aureo Cæsaris D. F.

PAX. Plutarchus in *Cimone*, PACIS aram Athenis dicatam tradit, cum conditiones pacis a Persis Athenas Callias legatus detulisset. Romæ templum ejus fuit splendidum & ornatum, quod inchoatum a Claudio ære suo Vespasianus absolvit; auctores Josephus, Dion, Suetonius, Plinius, quod foro proximum Imperator constituit. Solebant hoc templum frequentissime ægroti invisere, ut e Galeno colligo: *Quam censes pugnam fore? An ne talem, qualem frequenter in templo* PACIS *& inter ægrotos conspicimus, adeo ut etiam ad manum res veniat, tantum abest ut turpi dicto abstineant.* Sed temporibus Commodi tanta illa moles templi tantusque splendor incendio consumpta sunt.

Pingitur autem hic in numismate Cæsaris Octaviani, virginali forma, cum oleæ ramo & cornu copiæ; oliva autem PACIS est symbolum, estque Minervæ sacra, quæ scientiarum præses est, & quod oleo lucubrationes studiorum fiunt, quæ PACIS vigent temporibus: PACIS enim *alumnam* Cicero eloquentiam vocat: at contra *inter arma silent* A *leges.* Cornu copiæ rerum omnium PACIS temporibus abundantiam designat, in quo & spicæ conspiciuntur interdum, & vomer, quo terra proscinditur, & lætæ fruges existunt, ut copiose Antonius Augustinus vir clarissimus Dialogo I. *Antiquitatum.* Aristophanes Poetarum festivissimus in *Acharn.* PACEM formosam describit, sociam Veneris & Charitum, ejusque sacrificium copiose exequitur, quem revolve.

Non injuria autem ipse Augustus nummos suos PACIS insigni signavit, cum eo rerum potiente PAX toto orbe terrarum effloruit, pacisque auctor Christus Salvator noster natus in orbem pacem attulerit. B

FIG. LI.
Ex nummo argenteo P. Fonteii Capit. III.Viri.

CONCORDIA diversa templa Romæ habuit. Unum, quod Camillus vovit, teste Ovidio in *Fastis*, & Plutarcho. Postea vero Flavius Scriba Appii Claudii Cæci, Annio Libertino patre natus, qui dies festos publicavit, aream fecit. Eam ædem CCCIV. annis post Capitolinam dedicatam tradunt. Hinc apparet ędem Capitolinam CONCORDIÆ fuisse aliam, quam juxta templum Junonis Monetæ Camillus voverat. Alterum prius Livius *lib.* XXII. C votum ait L. Manlio Prætore Galliæ, ob seditionem militarem, quod biennio post Senatus locandum curavit. Certe & D. Augustinus lib. III. *de Civitate Dei* tradit ædem CONCORDIÆ post Gracchorum tempora constructam fuisse; quam etiam Opimius Consul instauravit. Quin etiam Julio Cæsari a Senatu permissum est, ut novum CONCORDIÆ templum ædificaret, teste Dione *lib.* XLIV. Aliam ædem Tiberius Cæsar dedicavit, quam ejus mater Livia constituerat. Lege Suetonium. Dion quoque *lib.* LVI. ait, a Tiberio hanc ædem dedicatam esse, & in ea suum fratrisque Drusi mortui nomen scripsisse. D Ovidius lib. I. *Fast.* de Tiberio:

Templaque fecisti, quam colis ipse, Deæ.
Hæc tua constituit genitrix. ——

Idem lib. VI. *Fast.*

Te quoque magnifica CONCORDIA *dedicat æde*
Livia, quam caro præstitit illa viro.

CONCORDIÆ sacrificium Seneca in *Medea* his versibus:

Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam
Donetur tenera mitior hostia.

De CONCORDIA, Juvenalis *Sat.* I.

Quæque salutato crepitat CONCORDIA *nido.*

E Ubi alii *Cornicem*, ut Politianus in *Miscellaneis*, alii *Ciconiam* interpretantur. Ælianus auctor est, olim Veteres in nuptiis post Hymenæum, Cornicem invocare solitos fuisse, hocque CONCORDIÆ signum dare iis, qui liberorum quærendorum gratia convenissent. Probus vero: *Templum*, inquit, *Concordiæ vetus fuit, in quo Ciconia multa.* Amice Lector, utrum mavis, elige, non de salute tua agitur, sed de lana caprina.

FIG. LII.
Ex nummo argenteo Bruti, C. Julii percuss.

F LIBERTAS in primis a Romanis Dea habita & culta est. Ejus templum Publius Victor in Aventino constituit, & ibidem ejus atrium addit, cujus crebra apud varios Auctores mentio. Hoc templum Livius ex multatitia pecunia cum æreis columnis & statuis pulcherrimis a T. Sempronio Graccho & conditum scribit & dedicatum. Cujus atrium ab Ælio Pæto & Cornelio Cethego Censoribus instauratum & auctum, demum & a Pollione fuisse restitutum, testis est Tranquillus.

A M. Cicero in Oratione *pro Domo sua ad Pontifices*, ait domum suam a Clodio contra fas & jus Populi Romani Deæ LIBERTATI esse consecratam, quasi Clodius, Cicerone expulso, Patriam a parricida liberasset. Quin etiam teste Dione *lib.* XLIV. Patres & Senatus post victoriam, Cæsarem LIBERATOREM PATRIÆ appellarunt, LIBERTATIque templum construxerunt.

Nec minus apud Græcos LIBERTATEM & Liberatores Deos cultos legimus, ἐλευθερίαν & ἐλευθερίας θεὺς, ut fuit Ζεὺς Ἐλευθέριος *Juppiter Assertor*.

Libertatis signum pileus est, unde & qui libertate donarentur servi capite raso pileum accipiebant, ut ex Plauti *Amphitruone* & Polybii *Fragmentis* notissimum est, quo modo in M. Bruti Cæsaris percussoris nummis formata est, a quorum una parte ipsa *Libertas*, ab altera duo pileo appositi pugiones cum hac inscriptione, EID. MAR. quo die Cæsar tribus & viginti in Curia a Cassio & Bruto cæterisque percussoribus confossus vulneribus occubuit.

B Plura si voles consule Antonium Augustinum Dialogo I. & II. *Antiquitatum*

FIG. LIII.
Ex nummo argenteo Q. Cassii Q. F.

C LIBERA. Bacchus Liber a Poetis nominatur, vel a linguæ licentia, vel quod animum curis liberet, & pellat tristitiam. Ovidius lib. I. *Art. Amat.*

Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tum pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

Aliam rationem reddit Diodorus, Dionysium nimirum jussisse in Bœotia, in patriæ suæ gratiam, ut omnes urbes liberæ essent condita etiam de suo nomine civitate, quam Ἐλευθέρας appellavit. Sed tamen Plutarchus in *Problemate* quærit, cur Bacchum LIBERUM vocent? An quod bibentibus causa sit libertatis? fiunt enim plerique potu licentiores: An quod libationem invenerit? An vero quod

D pro Bœotiæ libertate pugnarit? D. Augustinus ideo LIBERUM appellatum ait, quod mares in congressu per ejus beneficium emissis seminibus liberentur, quod etiam in fœminis agere LIBERAM dicunt, ideoque illi virilem corporis partem, huic vero fœmineam in templo poni. Hinc forsitan contingit, ut e nobis natos liberos appellemus.

Habuerunt autem LIBER & LIBERA unum Romæ simul templum, quod apud Circum Maximum

E auctore Tacito lib. II. *Annal.* ab A. Postumio votum, a Tiberio Cæsare instauratum. T. Livius: *Supplicatio*, inquit, *ad Cereris* LIBERI LIBERÆ*que fuit, quod ex Sabinis terræ motus ingens, cum multis ædificiorum nunciatus erat.*

Meminit LIBERÆ & Cereris, sed & LIBERI, sed non simul, Cicero VI. *in Verrem*.

Forte autem eadem hæc cum LIBERTATE, de qua hic paulo ante: nec omnino absurdum est. Quemadmodum enim Brutus Patriæ Liberator LIBERTATEM in nummis suis expressit, ita & ejus socius Cassius LIBERAM, sic ut eadem occasione, liberata scilicet Patria, cudisse videatur.

F

FIG. LIV.
Ex nummo argenteo C. Clodii C. F. Vestalis.

SPES ut Dea a Romanis est culta. Ejus ædes in Foro Olitorio fuit, quam Cicero II. *de Legibus* a Collatino consecratam, Livius *lib.* XXI. fulmine ictam, *lib.* XXIV. ait conflagrasse, Q. Fabio & T. Sempronio Graccho Coss. P. Victor SPEI novum templum in septima urbis regione statuit, hoc est, in Via Lata. Hesiodus lib. I. Ἐργῶν fingit Pandoram omnibus ornatam dotibus habuisse capsulam, qua aperta evolavit in orbem omne genus malorum & morborum, solamque in fundo clausa capsula SPEM restitisse in adversis anchoram ac perfugium, quam tamen Origenes fabulam lib. IV. *adversus Celsum* deridet. Theognis quoque Gnomologus SPEM inter homines cæteris sororibus in cœlum fugientibus ait remansisse.

Hinc isti versiculi circumferuntur, incerto Autore:

Alma Fides Dea magna abiit, Pietasque, Pudorq;
Cum Nemesi Charites, Pax bona, nudus Amor,
SPES *Dea, quæ gentes falsa dulcedine semper*
Pasceret, in terris sola relicta fuit, &c.

Ejus autem effigies in nummis Hadriani apud Antonium Augustinum Dialogo II. *Antiquitatum* spectatur. Exstat scilicet fœmina, sinistra vestem parum elevans, dextra in cubitum elata pateram fert, in qua repositum est vas cum floris similitudine, cum hac epigraphe, SPES P. R.

Quidam etiam viridi eam palla induerunt, & dolio cum cornice insidentem effinxerunt: quidam etiam cum Nemesi.

Ait Dion *lib.* L ante bellum Actiacum cum aliis plerisque ædificiis ejus ædem incensam fuisse, quod factum quidam libertorum opera putaverunt.

FIG. LV.
Ex nummo æreo Tiberii Imp. Aug.

CLEMENTIA. Clementiæ etiam numen veneratа est Antiquitas. In *Cæsare* refert Plutarchus Populum Romanum post mortem Julii Cæsaris CLEMENTIÆ ejus templum vovisse & dedicasse, cujus singularis clementia & humanitas a M. Tullio in *Marcelliana* & *Ligariana* in cœlum extollitur. De hac Dea ita Claudianus lib. II. *de Laudibus Stiliconis*:

Principio magni custos CLEMENTIA *mundi,*
Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cœlicolum: nam prima chaos CLEMENTIA *solvit,*
Congeriem miserata rudem, vultuque sereno
Discussis tenebris in lucem sæcula fudit.
Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur. ——

Idem alibi:

Nonne vides ut nostra soror CLEMENTIA *tristes*
Obtundat gladios? ——

In Tiberii Cæsaris nummis CLEMENTIA spectatur in aversa parte, & ejusdem alius cum inscriptione *Moderationis*, muliebri facie & vittata. In Vitellii sedentis habitu, altera manu laurum, hastam altera tenet.

LVI.

Ex nummo argenteo Q. Cæcil. Metelli Pii.

PIETAS. Hanc M. Tullius sic describit: PIETAS, *justitia est adversus Deos, & cultus erga majores & sanguine conjunctos*. D. Augustinus lib. IV. *de Civitate Dei*: PIETAS *est verax Dei cultus, non cultus tot falsorum Deorum, quot dæmoniorum*. Sed hæc de Virtute. Deam autem fuisse certum est. Nam T. Livius ait in Foro Olitorio ædem PIETATIS dicasse Manium Acilium Glabrionem duumvirum, statuamque auratam, quæ prima fuit omnium in Italia, Patris Glabrionis posuisse. Nam is erat qui eam ædem voverat, quo die cum Rege Antiocho ad Thermopylas pugnasset, locaveratque idem ex S. C. Eo autem loco, quo habitaret mulier, quæ matrem in carcere inedia confectam uberibus suis aluit, ibidemque imago

rei historiam exprimens ostendebatur, ut est in *lib.* v. apud Valerium Maximum *cap.* IV. & Plinium *lib.* VII. *cap.* LXV. ubi *Manius Acilius*, non *Marcus Attilius* legendum, qui cum L. Quinctio Flaminio anno V.C.DCIV. Cos. fuit. Solinus tamen & Festus patrem, non matrem, nutritum volunt.

Q. autem Cæcilius Metellus cognomento Pius merito *Pietate* nummos suos insignit, cujus pietatem erga patrem omnes celebrant Scriptores. Ciconiam autem, quæ PIETATIS symbolum est, adjunxit, quod parentes ætate fessos, teste Plinio *lib.* x. *cap.* XXIII. alis suis ferat, & nutriat, quam tantopere Aristophanes in *Avibus* prædicat, & D. Basilius. Quisquis plura desiderat legat Proverbium *ἀντιπελαργεῖν*, & *Hieroglyphica* Horapollinis & Joannis Pierii Valeriani. Memorabile est quod refert Christi Martyr Cornelius Musius de Ciconia Delfica in Epigrammate, quod Patrum nostrorum memoria accidit.

FIG. LVII.

Ex nummo argenteo M. Acilii Nepotis.

SALUS. Hujus ædes a C. Junio Bubulco Censore locata fuit, ut *lib.* IX. Livius declarat, quam Consul bello Samnitum voverat, mox idem Dictator dicavit. Hanc Publius Victor in sexta urbis regione, hoc est, in Quirinali, statuit.

Effingebatur mulieris forma in solio sedentis, & pateram tenentis, penes quam erat ara, aræ involutus anguis, caput extendens, ut nummis Manii Acilii, Trajani & Antonini Pii apud Antonium Augustinum Dialogo II. *Antiquitatum* ostenditur. Fortasse quod serpens Æsculapio sacer sit Medicinæ inventori, per quam valetudo & salus homini redditur.

Hygieja Græcis appellatur, cujus simulacrum apud Sicyonios scribit Pausanias, vix videri potuisse, ad quod mulieres capillos dicabant, & in ejus honorem sibi demebant.

Apud Romanos etiam augurium habebat, quod intermissum, Augustum legimus revocasse. Vide Festum, Ciceronem, Livium, Suetonium, Tacitum, Dionem.

Antiochus cognomento Soter militibus *ὑγιείας* symbolum pro tessera dedit pentagoni forma, teste Luciano. Hic cum adversus Galatas pugnaret, nec satis pro voto res succederet, essetque in discrimine, vel vidit, vel vidisse simulavit per quietem, (ut militum animos spe erigeret) Alexandrum Magnum illum, qui moneret ut *Sanitatis* symbolum proponeret, idque pro tessera Tribunis daret, eorumque vestibus insueret: ea re fore, ut victoria potiretur.

Epitheta ejus nummi præferunt, qualia sunt:

S A L V S P V B L I C A.
S A L V S R E I P V B L I C Æ.
S A L V S A V G V S T I.

Scribit Festus, *Salutarem* portam Romæ appellatam, quod prope ædem Salutis esset.

FIG. LVIII.

Ex nummo argenteo T. Carisii.

VICTORIA. De ejus origine Hesiodus in *Theogonia*, Phurnutus apud Gyraldum *Syntagm.* x. Colebatur in Attica, teste Pausania. Romæ etiam ædes *Virginis* VICTORIÆ, prope ædem VICTORIÆ, ut refert Livius, Publius Victor in Octava regione collocat: *Ædes*, inquit, *Victoriæ, cum alia ædicula Victoriæ Virginis D. D. a Portio Catone Seniore fuit, & ædes prope ædiculam, quam*

A

L. Postumius Ædilis Curulis ex multatitia pecunia curavit, Consul vero cum M. Attilio Regulo bello Samnitico dedicavit. In hanc ædem Matrem Deum, Pessinunte Phrygiæ oppido advectam, delatam fuisse legimus, donec ei ædes pretiosis statuis, & columnis, cæterisque ornamentis Romani construxere, in cujus ædis dedicatione Megalesia celebrata. Halicarnasseus *lib.* I. ait templum VICTORIÆ ab ipsis Arcadibus in colle Aventino fuisse constructum. L. Sulla primum huic ludos, teste Cicerone & Asconio *in Verrem*, instituit.

Pingebatur alata, volans, coronam vel palmam proferens. Hinc Prudentius lib. II. *contra Symm.*

B

Vincendi quęris Dominam? sua dextra cuique est:
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Non nudo suspensa pede, strophioque recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Claudianus doctissime quoque ejus mentionem facit.

Ægyptii VICTORIAM pingentes, aquilam pingebant, quia robore cæteras aves antecellit. Sine alis pingebant Athenienses, teste Pausania in *Atticis*. Et in *Laconicis* ait ideo eos VICTORIAM *ἄπτερον* fecisse, ne scilicet Athenis evolaret. Ita & Lacedæmonii Martem catenatum habebant, ne se nimirum relinqueret, ut supra.

C

Extat in *Florilegio* Græcum Epigramma in VICTORIAM Romę alis carentem, quasi omen non avolaturæ, sed permansuræ Victoriæ:

Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος ὔποτ᾽ ὀλεῖται,
Νίκη γὰρ σε φυγεῖν ἄπτερος ἐ δύναται.

FIG. LIX.

Ex nummo argenteo C. Servilii C. F. P. N.

FLORA. Ovidius hanc in *Fastis Chlorin* Zephyri conjugem facit, quæ a marito dotis loco omnem florum potestatem accepit.

D

FLORAM & FAULAM Lactantius *lib.* I. *c.* XX. quam alii eandem putarunt, distinguit: *Nec Laurentiam*, inquit, *solam Romani meretricem coluerunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit.* Mox paulo subjungit: FLORA *cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, Populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia, quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt esse, quæ floribus præesset, eamque oportere placari ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prosperequæ florescerent.*

E

Ejus ludi *Florales* dicti, in quibus petulanter mulieres lascivæ vagabantur. Nota historia de Catone ludos Florales anno V. C. DCLVIII. a Messio exhibitos ingresso, qui ob severitatem & gravitatem a Favonio monitus, exire compulsus est. Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* III. Seneca *epist.* XCVIII. Et Martialis *lib.* I. *epigr.* I.

Nosces jocosæ dulce cum sacrum Deæ,
Festosque lusus, & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum Cato severe venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires.

F

Hi ludi v. Kal. Maii celebrantur, & Kal. ipsis, unde mos adhuc hodie viget, ut eo die rami foribus præfigantur. Vide Suidam. Publius Victor FLORÆ templum & circum in sexta urbis regione collocat, hoc est, in Quirinali. Fuit simulacrum ejus in æde Castoris & Pollucis a Praxitele summa industria formatum tunica indutum, in cujus dextra flores fabarum & ciceris erant, quæ scribit Porphyrion in ludis Floralibus populo Ædiles spargere consuevisse.

F I N I S.

JULII CÆSARIS BULENGERI,
JULIODUNENSIS
DOCT. THEOLOGI,
DE
ORACULIS, ET VATIBUS
LIBER.
ITEM EXCERPTUM
DE TEMPLIS ETHNICORUM.

PROOEMIUM.



RNOBIUS auctor doctissimus Gentilium errores, qui suo aevo omnium pene mentes insederant, ita refellit, ut eorum ineptias, & deliramenta in vana & ridicula Religionis imagine sub oculos subjiciat, & multa quae in cerimoniis, & ritibus occulta erant, aperiat, & traducat. Ex quibus animi causa nonnulla selegimus, quibus lucem ex Veterum scriptis faceremus, cujusmodi sunt illa lib. 1. In Vatibus Trophonius nos impios, Dodonæus, aut Juppiter nominat. *Ad quæ verba de Vatibus & profanis Ethnicorum Oraculis agere instituimus.*

JULII CÆSARIS BULENGERI, JULIODUNENSIS DOCT. THEOLOGI, DE ORACULIS, ET VATIBUS LIBER.

CAP. I.

De oraculorum Fallacia.



RACULA ubique gentium magna in dignatione fuerunt, & quando a Deo fundi putabantur, præcipuæ fidei habita, quæ Græci θεσπίσματα, θεοπρόπια, χρηστήρια, χρησμοὺς αὐτοφώνους, μαντεῖα, μαντεύματα, θέσφατα, χρησμολογίας vocitarunt; alii B δαιμονομαντείαν, θεομαντείαν, cum dæmones ex antris, statuis, aut per fatidicos responsa darent. De Chresmodis, & Vatibus Plato in *Menone*, ὀρθῶς ἄρα ἂν καλοῖμεν θείους τε αὐτοὺς, οὓς δὴ νῦν λέγομεν χρησμῳδοὺς, οὐχ ἥκιστα φαῖμεν ἂν τοὺς θείους εἶναι, καὶ ἐνθουσιάζειν ἐπίπνους ὄντας, καὶ κατεχομένους ἐκ τοῦ Θεοῦ, ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ, καὶ μεγάλα πράγματα, μηδὲν εἰδότες ὧν λέγουσι: *Recte vocaverimus eos divinos, qui nunc dicuntur fatidici, non minus eos a Deo agitari, qui numine afflentur, & eo pleni sint, cum magna vere dixerint, nihil scientes eorum quæ dicunt.* Effata proprie dicuntur C oracula a fatidicis edita, quanquam Servius *ad lib.* VI. *Æneid.* effata vocat Augurum preces. *Ager*, inquit ille, *Effatus dicitur post pomœrium, ubi captabantur auguria.* Gell. lib. XIII. cap. XIV. *Effatum esse agrum extra pomœrium, qui determinat finem urbani auspicii.* Cic. lib. II. *de Legibus: interpretum, fatidicorum, & vatum effata incognita*, ἐκλεκτὰ, ἐκλόγια, Græci. Porphyrius περὶ τῆς ἐκλέκτων φιλοσοφίας. Apud Eusebium lib. V. *De Præparat. Evangel.* τὴν ἐκλογίων φιλοσοφίαν, ὡς ἀπόῤῥητα Θεῶν περιέχουσαν λόγια, παραφαίνει, *effatorum philosophiam quasi continentem Deorum arcana, quæ in vulgus efferenda non sint, publicavit.* Item lib. IV. περὶ D τῆς ἐκλογίων φιλοσοφίας. Ammian. l. XVIII. *Effata Delphorum, solemnia* vocat *oracula*. Hæc autem fatidicorum affata, oracula, sortes, vaticinia falsa, & inania esse docet Basilius Seleuciæ Episcopus, his verbis: Ὑποφῆται μὲν καὶ ὑπηρέται δαιμόνων χρησμολόγων, καὶ Πυθικῶν τερατευμάτων ἐξηγηταὶ, τοῦ ἐν Δωδώνῃ θρυλλουμένου λέγω Διὸς, τοῦ Πυθικοῦ καὶ ἐν Δελφοῖς Ἀπόλλωνος, ἢ καὶ τοῦ παρὰ Κασταλίας νάματα ποιουμένου τὰς μαντείας, τοῦ ἐν Περγάμῳ, καὶ ἐν Ἐπιδαύρῳ, καὶ ἐν Αἰγαῖς ταύταις Ἀσκληπιοῦ, πολλὰ περὶ πολλῶν ἀναγεγράφασι χρηστήριά τε καὶ παθῶν λυτήρια. ὧν τὰ μέν εἰσι μῦθοι καὶ πλάσματα, καὶ αὐτῶν τῶν συγγεγραφότων κομψεύματα, ἐνέργειαν καὶ ἰσχύν τινα καὶ πρόγνωσιν βουλομένων περιθεῖναι τοῖς δαίμοσι· τὰ δὲ πιθανὰ μὲν, καί που καὶ χρησθέντα πολλάκις, πολλῆς δὲ γέμοντα τῆς διπλόης καὶ ἀμφιβολίας. ὡς καὶ τοὺς χρησαμένους αὐτοῖς πολλῆς ἀεὶ πληροῦσθαι τῆς ἀπορίας, μὴ ἔχοντας ὅπως χρήσασθαι τοῖς χρησθεῖσιν αὐτοῖς· ἢ καὶ χρησαμένους μὲν, συναπολλομένους δὲ ἄρδην αὐτοῖς θεσπίσμασι καὶ μαντεύμασιν. ἐν αἰνίγμασι γὰρ καὶ γρίφοις ἡ σύμπασα τῶν χρησμῶν ἐστὶ φιλοτιμία. διὰ γὰρ τὸ μὴ ἔχειν εὐθυβόλως πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ἢ ὅπως ἂν τὸ μέλλον προείποιεν σαφῶς, τυφλὰ καὶ ἀγκύλα λοιπὸν, καὶ πεπλανημένα, καὶ πρὸς μυρίας ὁδοὺς ἔχοντα τὰς ἀποκλίσεις, ἐφοίβαζον, ἅπερ ἐφοίβαζον. ὥστε μὴ τῶν χρησμῳδούντων μᾶλλον δαιμόνων, ἢ τῶν μὴ νοούντων δῆθεν τοὺς χρησμοὺς, εἶναι τὰ ἀποτεύγματα. αὐτίκα τοῦ Κροίσου χρωμένου τε καὶ ἐρομένου τὸν Ἀπόλλωνα, εἰ περιέσται τοῦ Κύρου· Περσῶν δὲ καὶ Μήδων, ἤδη δὲ καὶ Ἀσίας τῆς πλείστης, ἦν οὗτος ὁ Κῦρος βασιλεύς· καὶ πολλὰ μὲν, ὡς εἰκὸς, ἱκετεύσαντος τοῦ Κροίσου, πολλὰ δὲ καὶ καταθύσαντος καὶ ἀφιερωσαμένου χρήματα· ὡς ἂν καὶ λαμπρᾶς οὕτω καὶ μεγίστης ἐφιεμένου νίκης, τὸ τὸν Κῦρον καθελεῖν. τί φησι μετὰ ταῦτα πάντα ὁ θαυμάσιος χρησμῳδός.

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

Τοῦτο τὸ μάντευμα, ὃ εἴτε ὡς Λοξίας ἔδωκεν, ἐπ' αὐτῷ καταλείψας τῷ καὶ λαβόντι τὴν κρίσιν· εἴτε ὡς πονηρὸς, καὶ τοῦ ἱκέτου προδότης· εἴτε ὡς αὐτὸς ἀγνοῶν, ὅπως τε καὶ ὅπῃ πεσεῖται τὸ μέλλον, καθάπαξ τὸν Κροῖσον ἀπώλεσε. καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ Κροῖσος οὗτος ἐπαρθεὶς τούτῳ τῷ καλῷ χρησμῷ, διέβη τε θαῤῥῶν τὸν Ἅλυν ποταμὸν, ὡς ἐπὶ λαμπρᾷ καὶ ἀριδήλῳ νίκῃ· συνέμιξέ τε τῷ Κύρῳ, καὶ ἡττηθεὶς κατὰ κράτος, τὴν αὐτὸς αὑτοῦ μεγάλην καταλύσας ἔλαθεν ἀρχήν· καταλείψας τῷ βελτίστῳ χρησμῷ καὶ ἀπολογίαν, τὸ μὴ αὐτὸς νενοηκέναι τὸ λόγιον, τἀναντία χρήσαντος τοῦ Θεοῦ, μὴ διαβῆναι τὸν Ἅλυν ποταμὸν, μηδὲ συμμίξαι τῷ Κύρῳ, ὡς ἐπὶ καταλύσει τῆς αὐτοῦ μεγάλης ἀρχῆς τοῦτο ποιήσαντος. καὶ εἴτις ἐπιστοίη μοι, ὡς ταῦτα εἴρηταί τε παρὰ τῆς βελτίστης Πυθίας, καὶ γεγένηται παρὰ τοῦ Κροίσου, λαβὼν τὸν ἥδιστον Ἡρόδοτον, ἐκεῖθεν τὰς περὶ τούτων ἐκλεγέσθω πίστεις. καὶ παραλιμπάνω τὸν ἕτερον ἐπ' αὐτῷ τῷ Κροίσῳ γεγονότα χρησμὸν, καὶ τὴν ἡμίονον ἣν ἔφη βασιλεύσειν, καὶ τὴν ἀπάτην, ἣν ὁ Κροῖσος ἀπατηθεὶς, ἴδε μετ' οὐ πολλὰς, τὰς ἡμέρας τὴν ἡμίονον βασιλεύουσαν. Κῦρος δὲ οὗτος ἦν, ὁ ἐκ Καμβύσου μὲν τοῦ Πέρσου, ἐκ Μανδάνης δὲ τῆς Ἀστυάγους τοῦ Μήδου θυγα-

τρός. τὸ γὰρ ἀνόμοιον τοῖν γενοῖν τοῦτ' ἦν, ὅπερ ᾐνίττετο μὲν τὸ θαυμαστὸν λόγιον· ἡ δὲ ἀσάφεια καὶ διπλόη τὸν δόλον εἰργάσατο. ἀλλὰ τὰ μὲν τῶν δαιμόνων, ὡς ἐκ πάνυ πολλῶν ὀλίγα εἰπεῖν, τοιαῦτα. ἀπατηλὰ, πονηρὰ, κίβδηλα, ὕπουλα, δολερὰ, πολὺ τὸ ἀχλυῶδες, καὶ διεψευσμένον ἔχοντα. τὰ δὲ τῶν ἁγίων ἄρα λοιπὸν ἰάματα, καὶ θεσπίσματα, ποῖα; σαφῆ, ἀληθῆ, ἁπλᾶ, ἅγια, ὁλόκληρα, καὶ τοῦ δεδωκότος Θεοῦ ἀληθῶς ἐπάξια. καὶ γὰρ οὐδ' ἄλλως οἷόν τε χρηματίζειν ἡμῖν τοὺς ἁγίους, ἢ διὰ μόνης γε τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος. καὶ γὰρ αὐτοὶ ταύτης τυγχάνοντες πρότερον, οὕτω καὶ αὐτοὶ τοῖς αἰτοῦσι ἀντιδιδόασιν· ὥσπερ ὑδρόρροιαί τινες ἔκ τινος ὑπερτάτης, καὶ θειοτάτης πηγῆς ἕλκουσαί τε, καὶ ἐπαντλοῦσαι πάλιν τοῖς διψῶσι τὰ ἱερὰ νάματα. τούτων μὲν ἁγίων καὶ ἡ μεγίστη μάρτυς, &c. Id est, *Dæmonum oracula edentium antistites, ac ministri, & portentorum Pythicorum interpretes, Jovis, inquam, Dodonæ celeberrimi, Apollinis Pythici Delphis, aut prope Castalios latices, Æsculapii denique Pergami, & in Epidauro, atque ipsis Ægis vaticinantis, varia de multis cum oraculorum responsa, tum morborum curationes scripto prodiderunt. Quorum nonnulla fabulæ, atque commenta, & lepidi quidam lusus ipsorummet scriptorum sunt, qui dæmonibus efficientiam, virtutemque aliquam, & prænotionem adstruere conantur: quædam vero aliquid quidem verisimilitudinis habentia, & sæpius edita; sed multiplici varietate & ambiguitate plenissima. Ita ut qui illa consuluissent, ancipiti semper cogitatione distracti fuerint; incerti qua ratione responsis illis uterentur; aut qui usi sunt, funditus cum illis ipsis suis oraculis & vaticinationibus perderentur: quum omnis ista prædictionum ambitiosa contentio, verborum involucris, & griphis quibusdam contineatur. Nam propterea quod non recte in veritatis scopum collimarent, neque qua ratione de futuris certi aliquid enuntiari possent, haberent: idcirco quæcunque insanientes illi oracula fundebant, cæca erant, tortuosa, titubantia, quæque ad infinita diverticula declinarent. Quo rerum infelices successus non tam dæmonibus, hujusmodi oracula edentibus, quam ipsis hominibus, non bene videlicet ea intelligentibus, adscriberentur. Quum Crœsus Apollinem consuleret, ex illo sciscitatus, num de Cyro rege Persarum, ac Medorum, Asiæque magna parte, victoriam esset consecuturus; multaque, ut par erat, in eum finem vota fecisset, multas hostias immolasset, multam pecuniæ vim consecrasset (quippe qui ad tam nobilem ac gloriosam victoriam Cyrum internecione delendi, adspiraret) quid ambirabilis ille vates post hæc omnia respondit? Perdet Crœsus, Halym transgressus, maxima regna. Quod oraculum sive ut Loxias, hoc est, flexiloquus ediderit, judicio id accipientis examinandum committens; sive ut improbus, & supplicis sibi proditor; sive ut de eventu, & quomodo, & quorsum res casuræ essent, ignarus, Crœso certe exitium attulit. Ad bellum enim hoc vaticinio elatus, fluvium Halym, velut in explorata jam, luculentissimaque victoria fidenter trajecit; & manus cum Cyro conferens, totis fractus viribus, suum ipse Imperium inscius evertit: hac una pulcherrimo huic oraculo defensione relicta, quod illius sensum non satis percepisset: Deo nempe contrarium effante, fluvium Halym nequaquam transmittendum, neque cum Cyro prælium miscendum esse; sin secus ab eo fieret, in certam amplissimi regni sui perniciem eventurum. Quod si quis forte mihi fidem habere nolit, hæc & a præstantissima Pythia fuisse dicta, & a Crœso gesta, Herodotum dulcissimum scriptorem in manus sumat, ab eoque horum probationem petat. Omitto alterum oraculum eidem Crœso redditum, & Mulam, quam regno potituram prædixit, totamque fallaciam, qua ille ludificatus, paucos post dies Mulam regnantem vidit, Cyrum videlicet patre Cambyse Persa, matre Mandana Astyagis Medi filia natum. Stirpis enim utriusque dissimilitudinem mirificum hoc oraculum, non aperte, sed tecte nimirum significabat: nisi quod obscuritas, & significationis varietas errandi occasionem subministraret. Et dæmonum quidem oracula, ut ex plurimis pauca dicamus, hujusmodi sunt; fallacia, improba, adulterina, simulationis artificio fucata, subdola, multum caliginis & falsi in se habentia: at contra sanctorum curationes, & vaticinia cujusmodi? Nempe aperta, vera, simplicia, sancta, solida, & Deo horum auctore prorsus digna. Neque enim aliter nobis sancti, quam sola Christi ope, ac beneficio, responsa ediderunt. Nam ipsi hanc gratiam in se prius consecuti, aliis deinde illam postulantibus suppeditant; velut canales quidam ex supremo quopiam, ac divinissimo fonte sacros latices suos trahentes, & sitientibus porro profundentes*, &c. Sed audiendus Origenes lib. VII. *contra Celsum de oraculis Ethnicorum*, ἴδωμεν οὖν εἰ μὴ καὶ οὕτω δύναται τοῖς φιλαλήθως ἐξετάζουσι τὰ πράγματα ἀποδείκνυσθαι, ὅτι καὶ τῷ παραδεχομένῳ εἶναι ταῦτα τὰ μαντεῖα οὐκ ἀναγκαῖον προσδέχεσθαι, ὅτι Θεοί τινές εἰσι παρ' αὐτοῖς, ἀλλ' ἐκ τ' ἐναντίου δαίμονές τινες φαῦλοι, καὶ πνεύματα ἐχθρὰ τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, καὶ κωλύοντα τὴν τῆς ψυχῆς ἄνοδον, καὶ δι' ἀρετῆς πορείαν, καὶ τῆς ἀληθινῆς εὐσεβείας ἀποκατάστασιν πρὸς τὸν Θεόν. ἱστόρηται τοίνυν περὶ τῆς Πυθίας, ὅπερ δοκεῖ τῶν ἄλλων μαντείων λαμπρότερον τυγχάνειν, ὅτι περικαθεζομένη τὸ τῆς Κασταλίας στόμιον ἡ τοῦ Ἀπόλλωνος προφῆτις, δέχεται πνεῦμα διὰ τῶν γυναικείων κόλπων, οὗ πληρωθεῖσα ἀποφθέγγεται τὰ νομιζόμενα εἶναι σεμνὰ καὶ θεῖα μαντεύματα. ὅρα δὴ διὰ τούτων εἰ μὴ τὸ τοῦ πνεύματος ἐκείνου ἀκάθαρτον, καὶ βέβηλον ἐμφαίνεται μὴ διὰ μανῶν, καὶ ἀφανῶν πόρων, καὶ πολλῷ γυναικείων κόλπων καθαρωτέρων, ἐπεισιὸν τῇ ψυχῇ τῆς θεσπιζούσης. ἀλλὰ διὰ τούτων, ἃ οὐδὲ θέμις ἦν τῷ σώφρονι, καὶ ἀνθρώπῳ βλέπειν, ἢ λέγειν, ἢ καὶ ἅπτεσθαι, καὶ τοῦτο ποιεῖν οὐχ ἅπαξ που, οὐδὲ δὶς (ἴσως γὰρ ἔδοξεν ἀνεκτότερον, τὸ τοιοῦτο τυγχάνειν) ἀλλὰ τοσαυτάκις, ὁσάκις προφητεύειν ἐκείνη ἀπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος πεπίστευται. ἀλλὰ καὶ τὸ εἰς ἔκστασιν, καὶ μανικὴν ἄγειν κατάστασιν τὴν δῆθεν προφητεύουσαν, ὡς μηδαμῶς αὐτὴν ἑαυτῇ παρακολουθεῖν, οὐ θείου πνεύματος ἔργον ἐστίν. ἐχρῆν γὰρ τὸν κάτοχον τῷ θείῳ πνεύματι, πολλῷ πρότερον παντὸς οὑτινοσοῦν τοῦ ἀπὸ τῶν χρησμῶν διδασκομένου, τὸ συμβαλλόμενον εἰς τὸν μέσον, καὶ κατὰ φύσιν βίον, ἢ πρὸς τὸ λυσιτελὲς, ἢ πρὸς τὸ συμφέρον ὠφεληθῆναι, καὶ διορατικώτερον παρ' ἐκεῖνο μάλιστα καιροῦ τυγχάνειν, ὅτε σύνεστιν αὐτῷ τὸ θεῖον. ὅθεν ἡμεῖς ἀποδείκνυμεν, συνάγοντες ἀπὸ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, ὅτι οἱ ἐν Ἰουδαίοις Προφῆται, ἐλλαμπόμενοι ὑπὸ τοῦ θείου Πνεύματος τοσοῦτον, ὅσον ἦν καὶ αὐτοῖς προφητεύουσι χρήσιμον, προαπέλαβον τῆς τοῦ κρείττονος εἰς αὐτοὺς ἐπιδημίας καὶ διὰ τῆς πρὸς τὴν ψυχὴν αὐτῶν (ἵν' οὕτως ὀνομάσω) ἁφῆς τοῦ καλουμένου ἁγίου Πνεύματος διορατικώτεροί τε τὸν νοῦν ἐγίνοντο, καὶ τὴν ψυχὴν λαμπρότεροι. Id est, *Videamus igitur, an non possit iis ostendi qui veri studio ducuntur, & æqui sunt rerum æstimatores, quod etsi quis ista oracula esse admittat, non tamen necesse sit admittere, Deos esse apud Ethnicos, contra vero Dæmones esse, & spiritus inimicos humano generi, qui ascensum animæ, & virtutis, viam, & veræ pietatis erga Deum statum impediant. Memoriæ proditum est de Pythia, quod oraculum cæteris nobilius videtur, eam, cum esset Apollinis interpres,*

& Castaliæ ostium insideret, spiritum per interfeminium accepisse, quo plena, oracula, quæ veneranda & divina illi autumant, effatur. Vide an non ex his impurum, & profanum ingenium spiritus illius deprehendatur, qui non per tenues, & inspectabiles meatus, & longe puriores, quam sint fæminarum loca, in animam fatidicæ se insinuet; sed per eos quos ab homine temperanti, & casto videri nefas sit, aut tangi, aut appellari. Et id quidem impurus ille spiritus non semel, aut iterum facit, quod tolerabilius esset, at quoties illa instinctu Apollonis oracula fundit. Verum & Pythiam fatidicam externari mente, & ad magicum quendam habitum deduci, ut sui compos non sit, divini spiritus opus non est. Oportuit enim eum quem divinus spiritus insideat, ante alios omnes qui oraculo docentur, fructum percipere, ex eo quod ad vitam naturæ consentaneam, & ad communem utilitatem in medium confertur, & fatidicum eo maxime tempore quo præsentia Dei fruitur, perspicaciorem esse. Unde nos ostendimus ex literis sacris colligentes, Prophetas qui in Judæis fuerunt, divino spiritu tantum illustratos, quantum illis ipsis qui futura enuntiabant, expediret, ante numinis adventum in se recepisse, & ex eo quod eorum anima sancto spiritu contacta esset, ut ita loquar, eos perspicaciori mente, & anima splendidiore ac puriore fuisse.

CAP. II.

De Themidis Oraculo.

THEMIDIS Oraculum omnium antiquissimum fuisse plerique existimant, quæ ipsa vim fatidicam a Tellure matre acceperit, cum Tellus Deum, hominumque parens prima fata cecinerit, & eam vim in alios transfuderit. Quod Lucanus de Themide lib. v. vers. 81. & seqq. testatur his verbis,

—— Cum regna Themis, tripodasque teneret,
Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exspirare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adytis, vates ibi factus Apollo.

Orpheus in *hymnis de Themide*, vers. 3. 4. 5.

Ἡ πρώτη κατέδειξε βροτοῖς μαντήιον ἁγνὸν
Δελφικῷ ἐν κευθμῶνι θεμιστεύουσα θεοῖσι
Πυθίῳ ἐν δαπέδῳ.

Quæ prima ostendit hominibus castum oraculum in specu Delphico, fata Diis enuntians, in agro Pythio. Item Themis ibid. vers. 6.

Φοῖβον ἄνακτα θεμιστοσύνας ἐδίδαξε.
Phœbum regem vaticinari docuit.

Æschylus in *Prometheo*, vers. 208. & seqq.

Ἐμοὶ δὲ μήτηρ, οὐχ ἅπαξ μόνον Θέμις,
Καὶ γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.
Τὸ μέλλον, ᾗ κραίνοιτο προὐτεθεσπίκει.

Mihi autem mater Themis non semel, & terra multinominis una forma prædixit, res ut eventura esset. Ovidius lib. I. *Metamorphos.* vers. 380. & seqq.

Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.
Mota Dea est, sortemque dedit, discedite templo,
Et velate caput, cinctasque resolvite vestes.

Aristides *de concordia ad Rhodios*, ἐκκλησίας, καὶ βουλευτήρια, θεῶν ἡ πρεσβυτάτη συνάγει Θέμις: *conciones, & concilia, Deorum antiquissima cogit Themis.* Ammianus lib. XXI. vaticiniis Themidem præesse ait, quam ex eo quod fixa, fatali lege decreta præscire fas sit in posterum, quæ τεθειμένα Græci vocant, ita cognominatam in cubili, solio-

A que Jovis vigoris vivifici Theologi veteres collocarunt. Sidonius *Panegyr.* IV. vers. 253. 254.

Non sortes Liciæque, Cæritumque
Responsa, aut Themidis propria Delphis.

Themidem ipsam a Tellure oraculum accepisse volunt. Pausanias in *Phocicis*, prodit Delphos *terræ oraculum esse, & in laurum vaticinatricem a Tellure constitutam*, γῆς εἶναι χρηστήριον, καὶ δάφνην ἐπ' αὐτῷ τετάχθαι πρόμαντιν ὑπὸ τῆς γῆς. Tellurem autem id oraculum dedisse Themidi, Themidem Apollini. Quod idem adstruit Æschylus in *Eumenidibus*, vers. 2. 3. 4.

B Τὴν πρωτόμαντιν γαῖαν, ἐκ δὲ τῆς Θέμιν
Ἣ δὴ τὸ μητρὸς δευτέρα τόδ' ἕζετο
Μαντεῖον.

Terram primam fatidicam, a qua Themis divinandi artem accepit, quæ secunda hoc matris oraculum insedit. Tertia Titanis Phœbe tenuit *Delphicum oraculum, quæ dedit Phœbo natale munus. Jupiter Apollinem vatem quartum insidere hoc oraculum voluit.*

Γενέθλιον δόσιν Ζεὺς δὲ Ἀπόλλωνα
Ἵζειν τέταρτον τῷδε μάντιν ἐν θρόνοις.

Euripides in *Iphigenia Taurica*, vers. 1259. & seqq.

C Θέμιν δ' ἐπὶ γᾶς ἰὼν παῖδ' ἀπενάσατο
Ἀπὸ ζαθέων χρηστηρίων νύχια,
Χθὼν ἐτεκνώσατο φάσματα.

Oracula, Phœbe, insisti divina, tripodeque in aureo sedes, super Castaliæ fluenta, tenens medium terræ locum. Themin vero Terræ filiam Phœbus invadens ejecit ex divinis oraculis, ubi nocturna terra peperit spectra, filiosque, qui multis mortalium præterita, præsentia, & futura in somno sub obscura terra in lectis dicebant. Unde agnoscas antequam Apollo Delphicum oraculum teneret, Tellurem ibidem per quietem responsa dedisse, cum visa, aut somnium immitteret.

D

CAP. III.

De Oraculo Dodonæo.

HERODOTUS lib. II. cap. III. Dodonæum *oraculum omnium quæ in Græcia sunt, vetustissimum esse*, ait, *quod sub Pelasgis unicum fuit*. τὸ γὰρ δὴ μαντήιον τοῦτο, νενόμισται ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι, καὶ ἦν τὸν χρόνον μοῦνον. Narrabant, inquit, Sacerdotes Jovis Thebani duas fæminas, quæ essent Sacerdotes Thebis Ægyptiis, a Phœnicibus fuisse abductas, & harum unam in Libya fuisse venundatam, alteram in Græcia: atque E has fæminas esse, quæ apud eas gentes oracula constituisent. Antistites autem Dodonæorum hæc ajunt, geminas Thebis Ægyptiis columbas nigras advolavisse, unam quidem in Libyam, alteram ad ipsos, quæ fago insidens humana voce loquuta sit, eo loci in fatis esse, ut oraculum Jovis conderetur, & se interpretatos ajebant Dodonæi, id sibi divinitus annuntiatum, & ob id se ita fecisse. Eam vero, quæ ad Libyas abisset, columbam jussisse illis, ut Ammonis oraculum conderent, quod & ipsum Jovis est, &c. Putem ego, ait Herodotus, eam Sacerdotem, quæ in Pelasgiam venit, apud Thesprotos F consedisse, ubi ancillans condiderit sub fago fanum Jovis, ut mos erat Thebis ministrare in Jovis templo, & oraculum posuerit. Quod autem mulieres a Dodonæis vocatæ columbæ sunt, inde factum est, quia barbaræ erant, quod simile quiddam avibus sonare ipsis viderentur. Deinde columbam humana voce loquutam ajunt, postquam quæ ipsi intelligere possent, mulier loquuta est. Suntque pene inter se oracula simillima, & illud apud Thebas Ægyptias, & hoc apud Dodonam, estque divinandi in templis ratio ab Ægypto ascita. Dodonæ igitur in

Epyro Jovis fuit oraculum, ubi columbæ responsa dabant; quod ideo fingitur, ait Servius *ad Eclog.* IX. quia lingua Thessalica vaticinantes *columbæ* vocantur. Hesychius τὰς ἐν Δωδώνῃ θεσπιζούσας μάντεις πελειάδας, *vates Dodonæas dictas columbas*. Quia olim ab avibus vates fatidici nomina sumebant. Unde & aliqui dicti κορακομάντεις. Columbæ autem illæ ab Herodoto μέλαιναι fuisse dicuntur nigræ, quia Ægyptiæ, πέλον τὸ μελανίζον χρῶμα *Pelum niger color*, unde dicta πελειάς. Eustathius *ad Homer.* pag. 1760. scribit olim Dodonæ viros primum responsa dedisse, deinde τρεῖς γραίας, αἳ καὶ πέλειαι ἐκλήθησαν κατὰ γλῶσσαν Μολοσσῶν, *tres vetulas, quæ columbæ dicuntur lingua Molossa*. Aristides *orat.* I. *de eloquent.* ἥτε γὰρ ἐν Δελφοῖς προφῆτις, αἵ τε ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι μανεῖσαι μὲν πολλὰ δὴ, καὶ καλὰ, σωφρονοῦσαι δὲ βραχέα, ἢ οὐδὲν τὴν Ἑλλάδα εἰργάσαντο: *Pythia Delphis, & Dodonæ antistites furentes multa, & præclara Græciæ contulerunt, sui compotes pauca*. Strabo lib. IX. quatuor antistitas Dodonæ fuisse ait, & Bœotios quotannis ad Dodonæum Jovem Tripodem tulisse. Alii Sellos e quercubus vaticinatos volunt. Lucan. lib. III. vers. 179. 180.

—— quercusque silentes
Chaoniæ veteres liquerunt vertice Sellæ.

Lego, *Selli*. Vet. Glosse, Σέλλοι ἔθνος Δωδωναῖον· ἐκ τούτων ἱερεῖς τοῦ φάγου προεβάλλοντο ἀγνεύοντες, οὔτε ἐλούοντο, οὔτε ἀνεκλίνοντο καθεύδειν, ἀλλὰ χαμαὶ ἐκοίτουν: *Selli gens Dodonæa fuit. Ex his Sacerdotes fagi, continentes constituti, qui neque lavabant, neque ad somnium decumbebant in lectulis, sed humi jacebant.* Homerus *Iliad*, Π. vers. 234.

—— ἀμφὶ δὲ Σέλλοι
Ναίουσιν ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Circum Selli habitant Prophetæ humi cubantes, illotis pedibus. Strabo Ellos, seu Sellos Dodonæ antistites fuisse ait, dictos a paludibus, quæ circa templum, ἀπὸ τῶν Ἑλῶν τῶν περὶ τὸ ἱερόν. Hesiodus in *Fragm.* apud Scholiasten Sophocl. *ad Trachin.* v. 1174.

Ἔστι τὶς Ἑλλοπίη πολυλήϊος, ἠδ' εὐλείμων,
Ἔνθα δὲ Δωδώνη τις ἐπ' ἐσχατίῃς πεπόλισται.
Ellopia est quædam, tritico, pratisque opulenta,
Urbs ubi Dodona est extremo limite structa.

Quidam Ellos dictos volunt ab ἐλάτῳ, *Elato*, quod ipsa Jovis templum fuit. Famæ datum Chaonias quercus loquutas, non modo in ipso nemore, sed & in Agro nave apud Apollonium l. IV. *Argonaut.* Æschyl. in *Prometheo*, vers. 804. 805. 806.

Τὸν αἰπανωτόν τ' ἀμφὶ Δωδώνην, ἵνα
Μαντεῖα, θῶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διὸς,
Τέρας τ' ἄπιστον αἱ προσήγοροι δρύες.

Circa Dodonam alte sitam, ubi oraculum, sedesque est Jovis Thesproti, & monstrum fide majus, quercus loquaces. Argo navem λάληθρον κίσσαν, *picam loquacem* Lycophron vocat. Claudianus *Panegyr.*

—— Rursusque loquutæ.
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.
—— Cæso Tomuri Jovis augure luco,
Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.

Orpheus εὔλαλον, Argo loquacem, λαλὸν τρόπιν, *loquacem carinam*, quæ ex arbore Dodonæa. Sophocles in *Trachiniis* vers. 172. 173.

—— Ὥς τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε
Δωδῶνι δισσῶν ἐκ πελειάδων ἔφη.

Δωδῶνι, pro Δωδώνῃ posuit ob carmen, *qui antiquam fagum olim loquutam esse per duas columbas dixit*. Iterum de Sellis, μαντεῖα.

Ἃ τῶν ὀρείων, καὶ χαμαικοιτῶν ἐγὼ
Σέλλων εἰσελθὼν ἄλσος εἰσεγραψάμην
Πρὸς τῆς πατρῴας, καὶ πολυγλώσσου δρυός.

Oracula, quæ Sellorum, montanorum, humicubantium, nemus ingressus exscripsi, a quercu patria, & multiloqua. Sellos Lycophron vocat τομούρους. Eustathius, οἱ τόμουροι Διὸς Δωδωναίου ὑποφῆται, *Tomuri Interpretes Jovis Dodonæi.* Hesychius, τόμουρος τὸ ἐν Δωδώνῃ ὄρος, καὶ προφήτης, καὶ ἱερεύς: *Tomurus mons Dodonæ, & vates, & Sacerdos*. Eustathius, τόμουρον ὄρος θεσπρωτικὸν, ὑφ' ᾧ Δωδωναῖον μαντεῖον: *Tomurus, mons Thesproticus sub quo Dodonæum oraculum*. Homerus:

Ἢν μὴ κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο τόμουροι.

Nisi Tomuri magni Jovis laudaverint. Herodotus lib. II. unam modo Columbam Dodonæ fuisse, quæ responsa daret indicat. Silius Ital. lib. III. vers. 679.
B & seqq. duas,

In gremio Thebes geminas sedisse columbas,
Quarum Chaonias pennis quæ contigit auras,
Implet fatidico Dodonida munere quercum.

Fuerunt & pelves æreæ Dodonæ, quæ radio solis ictæ, aut bacillo, manu, lapillo impulsæ pariter sonum dabant, licet una tantum icta esset. Auson. ep. XXV. vers. 23. & seqq.

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni
In numerum quoties radiis ferientibus ictæ
Respondent dociles moderato verbere pelves.

Eustathius ait, cum multæ olim pelves in delubro Dodonæo e regione sitæ sibi responderent inter se,
C si quis unam attingeret, omnes sonuisse. πολλῶν ποτε ἐν τῷ Δωδωναίῳ ἱερῷ παραλλήλων κειμένων λεβήτων, &c. unde vetus verbum in garrulos, *æs Dodonæum*. legatur Strabo lib. VII. Cic. lib. I. *Divinat.* Claudianus lib. *de bello Getico* vers. 137. 138.

—— Nec Dodoneæ subegit
Agmina fatidicam frustra jactantia quercum.

Statius lib. III. *Thebaid.* vers. 475. 476.

Aut frondes lucis quas fama Molossis
Chaonias sonuisse tibi.

Plinius lib. X. c. XCV. *Chaonias Scrobes, & fatidicos*
D *specus*.

Ex quo apparet Dodonæ, quemadmodum & Delphis fuisse spiraculum, unde aura fatidica in Sacerdotis corpus subiret. Eusebius lib. II. *Præparat. Evangel. Relinquite*, inquit, γεράνδρυον ψάμμοις ἐρήμαις τετιμημένον, *annosam quercum inter arenas desertas cultam, & oraculum quod ibi est cum ipsa quercu marcidum fabulis senescentibus*. Mulieres Dodonææ τόμουραι dictæ, quæ vaticinarentur, viri, Tomuri, Juppiter Tomarius, ut Stephanus, Mons Dodonæ Tomarus, vel Tomurus. Tzetzes *ad Lycophronem*, τόμουρος ὁ τὸ μὴ πω γεγονὸς βλέπων, ὁ τὸ μὴ ὂν ὁρῶν: *Tomurus qui vi-*
E *det ea quæ nondum facta sunt*. Symmachus lib. IV. cap. XXXIII. *Non vides oracula olim locuta desiisse, nec ullas in antro Cumano litteras legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de spiraculis Delphicis ullum carmen audiri*. Philostratus lib. II. *Iconum.* ἡ μὲν χρυσῆ πέλεια ἔτ' ἐπὶ τῆς δρυὸς ἐν λογίοις ἡ σοφὴ, καὶ χρησμοὶ, οὓς ἐκ Διὸς ἀναφθέγγεται. *Aurea columba adhuc est in quercu in oraculis sapiens, & responsa, quæ a Jove dat.* οἱ δὲ ὑποφῆται τοῦ Διὸς οὓς ἀνιπτόποδάς τε, καὶ χαμαιεύνας ἔγνω Ὅμηρος, αὐτοσχέδιοι τινές εἰσι: *Jovis autem Prophetæ, quos illotis pedibus humi cubare novit Homerus, rudes sunt, nullo apparatu degentes. Ajunt enim ne parare qui-*
F *dem victum posse, & ipsis Jovem gaudere, quod obvia quæque amplectantur*. ἐνταῦθα δὲ ἱέρειαι Δωδωνίδες ἐν στρυφνῷ τε καὶ ἱερῷ τῷ εἴδει, ἐοίκασι γὰρ θυμιαμάτων τε ἀναπνεῖν, καὶ σπονδῶν, &c. *Sed hic sunt sacerdotes Dodonææ rigida ac sacra specie. Nam suffitionibus, ac libaminibus exhalare videntur, & locus ipse odoratus, ac Divina voce plenus pictus est. Æneaque in ipso Echo colitur, quam ori manum apponentem cernis, quando ahenum Jovi Dodonæ dicatum est, ad multum diei resonans, & donec id ap-*

Prebenderit quispiam minime silens. Idem in *Glauco*, τρόπις ὑφήρμοσαι τῇ νηὶ δένδρον ἀρχαῖον, ᾧ κατὰ Δωδώνην ὁ Ζεὺς ἑαυτοῦ ἐς τὰ μαντεῖα ἐχρῆτο: *Carina navi Argo inserta est, arbor vetusta, qua Juppiter Dodonæ ad oracula sua utebatur.* Dodonæ pelves ita collocatæ erant circum parietes fani Jovis, narrante Demone, ut si quis levi tactu, vel unam contigeret, cæteræ protinus perpetua complosione longum tinnirent. De quercu loquaci Seneca in *Hercule Oetæo*, vers. 1620. 1621.

Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus, & phœbum vetat.

Virgilius *Georgic.* lib. II. vers. 16.

Atque habitæ Grajis oracula quercus.

Eusebius lib. II. ἄδυτα τοίνυν ἄθεα μὴ πολυπραγμονεῖτε, μηδὲ βαράθρων στόματα τερατείας ἔμπλεα, ἢ λέβητα θεσπρώτειον, ἢ τρίποδα κιρραῖον, ἢ Δωδωναῖον χαλκεῖον, &c. *Ne curiosius inquiratis adyta Deum negantia, neque fauces spiraculorum portentis plenas. Deserite pelvem Thesproteam, tripodem Cirrhæum, æs Dodonæum.* Luctatius *ad hæc* Statii lib. III. vers. 106.

—— *Et nemorum Dodona parens.*

In Chaonia, inquit, *regione, quæ pars est Epiri, Dodonæi Jovis templum esse dicitur, ubi duæ columbæ sedentes super duas quercus, & responsa dantes. Postea una earum transvolavit Delphos, ibique Delphici Apollinis oracula fidem paravit. Altera Ammonis Jovis templum in Africa tenuit.* Discedit ille ab Herodoto, cujus verba supra posuimus.

CAP. IV.
De Podalirii Oraculo.

DAUNII stratis pellibus incubantes ad tumulum Podalirii secundum quietem Oraculo monentur, quam rationem recuperandæ valetudinis inire debeant. Lycophron in *Cassandra*, δοραῖς δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις χρήσει καθ' ὕπνον πᾶσι νημερτῆ φάτιν, νόσων τ' ἀκέστης Δαυνίοις κληθήσεται. *Et in ovillis super heroum cubantibus reddet in somnis vera cunctis oracula, morborumque curator a Dauniis vocabitur.* Tzetzes *ibi*, εἰώθασι οἱ Δαύνιοι, ἤτοι οἱ Καλαυροὶ ἐν μηλωταῖς καθεύδειν ἐν τῷ τάφῳ Ποδαλειρίου, καὶ καθ' ὕπνους λαμβάνειν χρησμοὺς δι' αὐτοῦ· εἰώθασι δὲ καὶ ἐν τῷ πλησίον ποταμῷ Ἀλθαίνῳ ἀπολούεσθαι καὶ αὐτοὶ, καὶ τὰ θρέμματα αὐτῶν, καὶ ἐπικαλεῖσθαι τὸν Ποδαλείριον καὶ ἰᾶσθαι. *Solent Daunii, seu Calabri in pellibus ovillis dormire ad tumulum Podalirii, & ab eo in quiete accipere oracula. Solent autem & in propinquo fluvio Althæno lavari & ipsi & greges, invocato Podalirio & sanari.* Unde & Althænus fluvius nomen sortitus est auctore Timæo, ὡς ἀλθαίνων καὶ θεραπεύων ἁπάντων τῶν λουομένων ζώων τὰ τραύματα, ait Tzetzes.

CAP. V.
De Ammonis Oraculo.

AMMONIS Oraculum in Libya celeberrimum, & antiquissimum fuit, quod Herodotus lib. II. ab una ex Ægyptiis Sacerdotibus conditum esse ait, quæ a Phœnicibus raptæ, & in Græcia, ac Libya venditæ sunt. Ejus oraculi sæpe meminit Herodotus: lib. I. Λιβύης δὲ παρὰ Ἄμμωνα ἀπέστειλε ἄλλους χρησομένους, *Ad Ammonem Libya alios responsa petituros dimisit.* lib. II. vocat Ammonis χρηστήριον, *oraculum*, quod a Lucano l. IX. vers. 511. & seqq. describitur his verbis,

Ventum erat ad templum Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent. stat corniger illis
Juppiter, ut memorant: sed nondum fulmina vibrans,
Aut simili nostro, sed tortis cornibus Hammon.
Pauper adhuc Deus est, nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens.

Ibi nemus Ammoni sacrum, de quo Lucanus,

—— *Solus nemus abstulit Ammon,*
Sylvarum fons causa loco.

Luctatius Statii Scholiastes ad Syrtes in eo tantum loco ubi Jovis Ammonis templum est, nemus inveniri ait. Pomponius Mela, lib. I. cap. VIII. *In Cyrenaica provincia Ammonis oraculum est fidei inclytæ, & fons quem Solis appellant. Media is nocte fervet, & paulatim tepescit, fit luce frigidus, tunc ut sol surgit, ita subinde frigidus, per meridiem maxime riget, sumit deinde tepores, iterum & prima nocte calidus, atque ut illa procedit, ita calidior, media perfervet.* Vide Q. Curtium lib. IV. S. Augustin. lib. VIII. cap. V. *de Civit. Dei.* Stat. lib. VIII. *Thebaid.* vers. 201.

Quin & corniger vatis nemus.

Claudianus *Paneg.* II. vers. 143. 144.

—— *ibi Corniger Ammon,*
Et dudum taciti rupere silentia Delphi.

Ammona Hebræum vocabulum esse volunt, quod significet veracem. Ab arenis, quas Græci ἄμμους, dictum autumo. Strabo lib. XVII. scribit ad Ammonem non dari *responsa verbis, ut apud Delphos, & Branchidas, sed nutibus, & signis*, ἀποθεσπίσεις ὥσπερ ἐν Δελφοῖς, καὶ Βραγχίδαις διὰ λόγων, ἀλλὰ νεύμασι, καὶ συμβόλοις τὸ πλέον, καὶ παρ' Ὁμήρῳ,

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Et apud Homerum, dixit & nigris superciliis annuit Saturnius. Juvenalis *Sat.* VI. vers. 554.

—— *quicquid*
Dixerit Astrologus, credunt a fonte relatum
Ammonis. ——

Silius lib. III. vers. 682. 683. de duabus columbis Ægyptiis.

At quæ Carpathium super æquor vecta per auras
In Libyen niveis tranavit concolor alis.

Tribuit ei alas niveas, cum tamen Herodotus eas columbas nigras fuisse dicant, quia Ægyptiæ erant. Simulacrum ejus, auctore Luctatio, adjectis cornibus arietinis confectum erat, de quo postea dicuntur esse data oracula. Plinius lib. XII. *Ergo Æthiopiæ subjecta Africa Ammoniaci lachrimam stillat, in arenis suis. Inde etiam nomen Ammonis oraculo*, ἀπὸ τῆς ἄμμου. Plutarchus lib. *de Iside*, scribit Libyca lingua Ammonem significare *quis es tu*, quasi ignoretur quid sit Deus. Luctatius *ad lib.* III. *Thebaid. Statii*, Libero patre templum, & oraculum Ammoni structum esse ait eo loci, ubi Juppiter arietis forma Liberum, & ejus exercitum ad aquam duxit in Africa sitientem. Idem monet Cæsar Arati interpres, Hyginus *fabula* CXXXIII. Q. Curtius lib. IV. Diodorus Sic. lib. XVII. Arianus lib. III. *de vita Alexan.* Martianus Capella, *Ammon apparuit cum cornibus arietinis, & vestimento lanicio, & sitientibus undam fontis exhibuit.*

CAP. VI.
De Oraculo Delphico.

APOLLINEM Homerus Jovis ὑποφήτην, & interpretem vocat, quem tamen alii divinandi artem a Themide, alii a Pane, quidam a Glauco accepisse volunt. Jovis interpretem appellat Æschylus in *Eumenidibus*, vers. 4.

Διὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας πατρός.

Loxias Apollo flexuosos Jovis patris est interpres.

Virgilius lib. III. *Æneid.*

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo.

Æschylus in *Sacerdote*,

Στέλλον ὅπως τάχιστα· ταῦτα γὰρ
Ζεὺς ἐγκαθίει λοξίᾳ θεσπίσματα.

Mitte quam primum, Hæc enim Juppiter Apollini ancipiti oracula mandat. De Glauco docet Athenæus lib. VIII. ὁ Γλαῦκος τὸν Ἀπόλλωνα τὴν μαντικὴν ἐδίδαξε. de Pane indicat Apollodor. lib. III. *Apollo*, inquit, *cum divinationem didicisset a Pane filio Jovis, & Thymbris*, τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ τοῦ Πανὸς Διὸς, καὶ Θύμβρεως ἧκεν ἐς Δελφοὺς χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος· ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις ἐκώλυεν αὐτὸν παρελθεῖν ἐς τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν τὸ μαντεῖον παραλαμβάνει: *venit Delphos ubi Themis responsa dabat, cumque Python serpens oraculum servaret, & aditu specus eum prohiberet, hoc occiso cepit oraculum.* Orpheus *Hymno in Themid.* vers. 6. Apollinem a Themide divinationem didicisse ostendit his verbis,

Θέμις Φοῖβον ἄνακτα θεμιστοσύνας ἐδίδαξε.

Themis Phœbum leges, & vaticinia docuit. Artemidorus eum, & alios omnes a cælesti Venere ad vaticinia institutos auctor est, τὴν Ἀφροδίτην οὐρανίαν φύσιν εἶναι μητέρα ὅλων, πάσης μαντείας, καὶ προγνώσεως εὑρέτιν: *Cælestem Venerem naturam esse universi parentem, omnis divinationis, & præscientiæ inventricem.* Sed ut ad Delphicum Oraculum accedamus, Diodorus Siculus lib. XVI. Delphicum Oraculum primum a capra ostensum, tum a pastoribus docet, cum ad spiraculum quod in rupe fuit, ἔνθεοι, & fanatici facti essent. Primo conditum est e lauri ramis e Thessalia advectis in specus modum, deinde ab apibus ex cera, & alarum membranulis, unde Pteran dictum; Tertio æneum structum; Quarto a Trophonio, & Agamede ex quadrato lapide; Quinto ab Amphictyonibus instauratum. λέγεται τὸ παλαιὸν αἶγας εὑρεῖν τὸ μαντεῖον, οὗ χάριν αἰξὶ μάλιστα χρηστηριάζονται μέχρι τοῦ νῦν οἱ Δελφοί· ὄντος χάσματος ἐν τούτῳ καθ' ὅν ἐστι νῦν τοῦ ἱεροῦ τὸ καλούμενον ἄδυτον, &c. pag. 523. *Dicuntur olim capræ reperisse Delphicum oraculum, quare & Delphi Capris maxime oraculum consulunt. Cum hiatus in eo loco esset ubi nunc est adytum Templi, & capræ ibi essent, si quæ ad hiatum accederet, aut in eum despiceret, exsiliebat mirum in modum, & insuetam vocem edebat, quod cum animadvertisset caprarius, & eo venisset, idem passus est, & futura prædixit. Didita rei fama indigenæ putarunt τὸ τῆς γῆς εἶναι χρηστήριον, terræ esse oraculum, cumque aliqui lapsi in specum periissent, mulier capta, quæ ut impune vaticinaretur*, μηχανὴν κατασκευασθῆναι τρεῖς ἔχουσαν βάσεις. *machinam tripedem factam, cui mulier insisteret*, &c. Pausan. in *Phocicis*, *antiquissimum Apollinis fanum e lauro Tempica* tugurioli instar, ποιηθῆναι δὲ τὸν ναὸν τῷ Ἀπόλλωνι τὸ ἀρχαιότατον δάφνης φασὶ, κομισθῆναι δὲ τοὺς κλάδους ἀπὸ τῆς δάφνης τῆς ἐν τοῖς Τέμπεσι: postea ex cera, & alis apum, quod fanum ab Apolline ad Hyperboreos missum est. Alii volunt a viro quodam Delpho conditum, qui dictus Pteran, unde & templum ipsum ab auctore Pteran vocatur. Ibi fuit specus, cujus ex intima parte spiritus erumpens Pythiam, quæ cortinæ diductis feminibus insistebat, per pudenda se insinuans afflabat. Aristophan. Scholiastes, ἐπικαθημένη τῷ τρίποδι, καὶ διαιροῦσα τὰ σκέλη πονηρὸν κάτωθεν πνεῦμα διὰ τῶν γεννητικῶν ἐδέχετο μορίων, καὶ τὰς τρίχας λύουσα, καὶ ἀφρὸν ἐκ τοῦ στόματος πέμπουσα, καὶ μαινομένη τὰς μαντείας, ἢ μᾶλλον μανίας ἐφθέγγετο: *Insidens tripodi, & diducens femora malum inferne spiritum per verenda naturæ excipiebat, & capillo soluto spumam ex ore exspuens, & furens vaticinia, vel verius deliramenta effabatur.* Themistius serm. XIII. Δελφῶν ἐξ ἀρχῆς χρηστηρίου Ἀμφικτύονες κτίσαι, καὶ εὑρεταὶ ἐγίγνοντο, ποιμένος τινὸς ἐν τῷ Παρνασσῷ ἐκ Κασταλίας τῷ μαντικῷ πνεύματι κατασχομένου: *Amphictyones oraculi Delphis ab initio conditores, & repertores fuere, cum Pastor apud Parnassum fontis Castalii hausto spiritu fatidico esset correptus.* Legatur Strabo lib. IX. Eo factum est, ut ii soli per initia χρησμολόγοι essent, qui Delphico spiritu pleni ex Apolline furerent, ait Pausan. pag. 33. χωρὶς δὲ πλὴν ὅσους ἐξ Ἀπόλλωνος μανῆναι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον, μάντεών γε οὐδεὶς χρησμολόγος ἦν. Hi dicuntur κάτοχοι ἐκ τοῦ Θεοῦ, θεόπνευστοι, θεόληπτοι. Virgil. lib. VI. *Æneid.* vers. 11. 12.

—— *magnam cui mentem, animumque*
Delius inspirat vates, aperitque futura.

In adyto Delphis dracones fuisse dicuntur, unde Lucian. *de Astrolog.* ὑπὸ τρίποδος δράκων φθέγγεται, *sub tripode draco loquitur.* Laertius lib. V. cap. XCI. ἡ Πυθία κατιοῦσα ἐς τὸ ἄδυτον, καὶ ἐπιστᾶσα ἑνὶ τῶν δρακόντων, δηχθεῖσα παραχρῆμα ἀπέπνευσε: *Pythia cum descendisset in adytum uni draconi insistens morsu ejus statim expiravit.* Justinus lib. XXIV. cap. VI. templum Delphicum describit in hæc verba. *Templum Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso, in rupe undique impendente. Ibi civitatem frequentia hominum facit, media saxi rupes in formam theatri recessit. In hoc rupis amfractu media ferme montis altitudine planicies exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet, ex quo frigidus spiritus vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit, impletosque Deo responsa consulentibus dare cogit. Multa igitur ibi opulenta regum, populorumque visuntur munera*, &c. Spiraculum ibi fuisse volunt, quod cum pastor nesciens transiluisset fari fata inceperit. Pausanias in *Phocicis*, ἄνδρες ποιμαίνοντες ἔνθεοι ἐγένοντο ὑπὸ τῆς ἀτμοῦ, καὶ ἐμαντεύσαντο ἐξ Ἀπόλλωνος: *Pastores inciderunt in oraculum, & fatidici facti ex vapore, vaticinati sunt ex Apolline.* Marcus Tullius lib. I. *de Divinatione*: *Terræ vis*, inquit, *Pythiam Delphis incitabat, natura Sibyllam.* Item, *Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus afflatæ mentes oracula funderent.* Eustathius in *Ismenia*, καὶ δὴ καταχαχλάζει τὸ ὕδωρ, ὁ τρίπους ἠχεῖ, δάφνη μαντικὴ κατασείεται, καὶ οἷον ὅλη κατανεμεῖσθαι δοκεῖ, ἐνθουσιῶσιν οἱ πρόσπολοι, καὶ Φοῖβος μαντεύεται: *Et sane aqua ebullit, & murmurat, tripus sonat, laurus divinatrix concutitur, & tota quasi depasci videtur, famuli bacchantur, & Phœbus vaticinatur.* Plin. l. II. Specum Delphici Apollinis commemorat his verbis, *Alibi fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, ut Delphis nobilissimo oraculo.* In eum specum Alexander Magnus αὐτὸς ἀναβὰς εἰς Θεὸν, *ipse adscendens ad Deum*, Pythiam descendere coegit, cum essent dies nefasti καὶ ἀποφράδες, quibus vaticinari nefas. Idem fecit & Philomelus apud Diodor. Siculum lib. XVI. Valer. Maximus ait, ab Alexandro Pythiam jussam in intimam specum descendere, unde sicut certæ consulentibus sortes, ita nimium divini spiritus haustus Pythiæ exitialis est. Strabo lib. IX. φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐρύστομον. ἀναφέρεσθαι δὲ ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικὸν, ὑπερκεῖσθαι τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλὸν, ἐφ' ὃν τὴν Πυθίαν ἀναβαίνουσαν δεχομένην τὸ πνεῦμα ἀποθεσπίζειν ἔμμετρά τε, καὶ ἄμετρα, &c. *Oraculum ipsum ajunt esse specum altissime depressum aditu non admodum lato. Ex eo spiritum efferri furoris Divini efficacem; supra spiraculum, tripodem situm sublimem, quo conscenso Pythiam ubi spiritum exceperit, versa solutaque oratione sortes pronunciare, poetasque esse quosdam fani ministros, qui oraculum prorsa oratione edita, versa efferant, dicti ὀνόμακτοι, προδόται, κινέσωνες*, ut Plutarch lib. χρᾶν ἔμμετρα. Eustath. Delphis θεοπρόποι τάγμα τι θεῖον, *Theopropi, & vates, ordo quidam*

dam divinus. Suidas, Δελφὸς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχει, δίψῃ δ' ἀπολεῖται, ἐπεὶ ἔτοι δεῖ τὸ ἱερᾶσθαι τῷ Θεῷ ἐστεφανωμένοι τῶν ἐπιτηδείων ἀπορῶντες οὐκ ἀπαλλάττουσι: *Delphicus vir coronam habet, sed siti morietur, quia isti Deo sacri non exeunt, licet victu careant*. Primæ Pythiæ nomen Phemonoe, ajuntque Pythiæ, & urbi nomen factum ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι *a percunctando*. Eusebius in *Chronico* Phemonoen, exametris versibus futura cecinisse ait Delphicum oraculum, quia præ aliis veridicum fuit, omnium celeberrimum habitum. Strabo, ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πλεῖστον τιμὴ τῷ ἱερῷ, διὰ τὸ χρηστήριον συνέβη, δόξαντι ἀψευδεστάτῳ τῶν πάντων ὑπάρξαι. *Delphico fano majorem honoris partem oraculum comparavit, omnium minime fallax existimatum*. Delphi sunt in medio siti totius Græciæ, quæ & extra Isthmum, & intra est. Quin etiam in medio orbis terrarum positos quidam senserunt, terræque umbilicum dixerunt, quod à Jove duæ aquilæ emissæ, altera ab ortu, ab occasu altera, in eum locum convenerint. Monstratur etiam umbilicus quidam in eo templo fasciis velatus, inque eo duæ imagines istius fabellæ. Æschylus in *Chois* umbilici Delphici meminit, σὺν τῷ θαλλῷ, καὶ στέφει προσίξομαι μεσόμφαλον ἵδρυμα Λοξίου πέδον: *cum termite, & corona adibo delubrum Apollinis umbilicum terræ tenentis*. De eodem Nonnus lib. XXVII. pag. 469. ἄξονος ὀμφαλοῖο θεηγόρε κοίρανε πειθοῦς, *Axi umbilici vates persuasionis Rex*. Varro ὀμφαλὸν dici vult, non quia terræ esset umbilicus, sed ab ὀμφῇ, id est, vox oraculi. Per initia soli finitimi oraculum illud consulebant, postea e longinquis regionibus ad responsa petenda ventum est, & dona missa, & thesauri adornati, a Crœso, patre ejus Halyatte, Italis, & Siculis. Hodie pauperrimum est Delphicum fanum, & pecuniæ causa quædam sublata sunt donaria, pleraque restant. De altaribus, id quod e pennis constitisse dicitur, fabulæ proximum est. Secundum, opus Agamedis, & Trophonii esse ajunt, ait Strabo. Sophocles in *Oedipo* πυθόμαντιν, pro fatidico posuit, quod Pythiæ vera vaticinari putarentur. In eo fano fuit tripus, olmus, cortina, laurus, & crepidæ Apollinis. Philostratus lib. III. *Apollonii*, Tripodes Pythicos vulgo fundendo vino, & aquæ calidæ, aut frigidæ appositos fuisse ait, τῶν δὲ τριπόδων οἱ μὲν δύο οἴνου, ἐπέρρεον, τοῖν δυοῖν δὲ ὁ μὲν ὕδατος θερμοῦ κρήνην παρεῖχεν, ὁ δ' αὖ ψυχροῦ. *Tripodum duo vinum fundebant, reliquorum alter aquæ calidæ fontem, alter frigidæ ministrabat*. Suidas, οἱ τρίποδες Ἀπόλλωνος, ὅλμοι καλοῦνται: *Tripodes Apollinis dicuntur olim*. unde proverbium, ἐν ὅλμῳ ἐκοιμήθη, μαντικὸς ἐγένετο, *dormiit in olmo, vates effectus est*: Aristophanes in *Pluto*, τῷ δὲ Λοξίᾳ, ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου. *loxiæ Apollinis, qui vaticinatur ex tripode aureo*. Ubi vetus Scholiastes, ὁ τόπος ἐν ᾧ Πυθία κάθηται ὅλμος λέγεται *locus ubi sedet Pythia, dicitur olmus*. Piscatores, inquit, cum jactu retis tripodem cepissent, & de eo inter eos lis orta esset, Apollinem consuluerunt, qui respondit,

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς,
Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδα δῶ.

Orte Mileto Phœbum de tripode rogas, data eum illi, qui primus est sapientia. Deferunt eum ad septem Græciæ Sapientes, qui singuli cum recusarent, & ad alios transmitterent, ad Apollinem demum remiserunt. Hunc tripodem Hercules e fano asportasse dicitur, iratus, quod Xenoclea Pythia ei cæde Iphiti polluto noluisset vaticinari, ut Scholiastæ veteres notant. Origen. *Hom.* XIII. ad c. XXII. *Numerorum*, μαντεῖα in sacris Litteris oracula sunt, apud Gentiles tripodes, & cortinæ, quæ ad hoc consecratæ ab his moventur. Cortinas commemorat & Plinius l. XXXIV. c. III. *Ex ære factitavere & cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maxime Apollinis Delphici dicabantur*. Quare & Delphicæ in glossis mensæ tripedes dictæ. Poeta.

—— *& Phœbi cortina remugit*.

Vates Sophocli dicuntur *enolmides*, quia Apollo ἔνολμος. Aristides in *orat. Athen.* τοῦτί γὰρ ἔν μοι τῆς ἀπορίας λύσαντες, σταθήσονται παρὰ τὸν τρίποδα τὸν ἐν Δελφοῖς, ὃν Ἕλληνες ἀπὸ τῶν Βαρβάρων ἀνέστησαν, *hunc mihi si nodum solverint, juxta Delphicum tripodem, quem de barbaris dedicarunt Græci, stanto*. Seneca in *Agamemn. Nec non qui tripodas movet*. Olim Pythiæ virgines tripodi insidentes responsa dabant. Rapta autem ab Echecrate Thessalo Virgine, Delphi censuerunt *fœminam quinquaginta annos natam oraculo præficiendam, virgineo habitu, & cultu*, ne prædæ in posterum pateret, ut Diodorus Siculus lib. XVI. γυναῖκα πεντήκοντα ἐτῶν παρθενικῇ σκευῇ χρησμῳδεῖν. Tripodem autem Apollini dicatum scribit Sosibius ob tres cæli circulos, vel quia Sol est apud superos, Liber in terris, Apollo apud inferos. Aristo Grammaticus ait tripodem interdum pro mensa sumi, alias pro vase, nonnunquam pro sedili perforato. Eum Lacedæmonii τετράωτον, τετράχειρον, *quatuor auribus, quatuor manibus* esse ajunt. Tripus Delphis lauro coronatus fuit. Consulentes redimiti lauro in tabellis quæsita scribebant. Pythia vittata coronata. Aristoph. *Pluto*. τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων; Scholiastes, ἐστεφανηφόρει ἡ Πυθία, οἱ τρίποδες δάφνῃ ἦσαν ἐστεμμένοι. οἱ μαντευόμενοι ἐν πυξίῳ ἔγραφον τὰς πεύσεις, στεφάνῳ τ' ἀμφιστάντες ἁβρῷ τῇ μαντιπόλῳ ἐχειροτόνουν. *Quid Phœbus cecinit ex vittis, & coronamentis*. Scholiastes *adid, Pythia coronam gerebat, tripodes lauro erant coronati, consulentes in pugillari scribebant, quæ percontari vellent, & teneram coronam circumstantes ad fatidicam manum intendebant*. Suidas ἀναβαίνειν, εἰς τὸ λογεῖον ἰέναι, καταβαίνειν ἀπαλλάττεσθαι ἐντεῦθεν. Idem ἀναβαίνειν, interpretatur *ire ad oraculum*, καταβαίνειν, *abire ab oraculo*. Aristophanes, δεῦρο ὦ φίλτατε ἀνάβαινε σωτὴρ τῇ πόλει καὶ νῷι φανείς. *huc o carissime accede ad oraculum servator nobis, & urbi apparens*. Ibant ad oraculum lauro coronati. Livius lib. XXIII. Fabium Pictorem coronatum laurea oraculum Apollinis adisse. Martian. Capella lib. *de Nuptiis Sophiæ*, lauros primores, hederas, tripodem, & crepidas Apollinis marcidas. Eorum qui adibant ad oraculum, æris tinnitu aures circumsonabant, ne quæ vox inauspicata audiretur. Plutarch. in *Romaic.* cap. X. ἢ μᾶλλον δεδιότες (?) μή τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον, καὶ δύσφημον, ἄχρι τοῦ ὠτὸς ἀνελάμβανον τὸ ἱμάτιον. ὅτι γὰρ ἰσχυρῶς ἐφυλάττοντο ταῦτα δῆλον ἐστι. τῷ προσιόντας ἐπὶ μαντείαν χαλκωμάτων πατάγῳ περιψοφεῖσθαι, Legendum, ἐπὶ μαντεῖον. *Caventes ne quæ vox extrinsecus male ominata sibi precantibus ad aures accideret, ad aures usque pallio caput amiciebant. Hoc enim eos in primis cavisse perspicuum ex eo, quod ii qui ad oraculum ibant, æris tinnitu circumsonabant*. Lycophron τὸν χρησμολέσχην ψαίνεθα θεσπίζοντα Πλούτωνος λάτριν, *fatidicum falsa vaticinantem Plutonis famulum*. Quia e specu exibat anhelitus. Eorum autem qui Deo servirent, quos Prophetas, ἱεροδούλους, & Deo servientes vocant, alii foris excubabant, alii intus curabant. Euripides in *Jove* ἱεροφύλακι, ait, ἡμεῖς τἄγ' ἔξω, τῶν δ' ἔσω ἄλλοις μέλει, οἳ πλησίον θάσσουσι τρίποδος Δελφῶν ἀριστεῖς, οὓς ἐκλήρωσε πάλος. *Æditiuus ait, Nos hæc extra, quæ sunt intus, alii*

curant, qui prope tripodem ſedent, optimates Delphicorum, qui ſorte ducti ſunt. Primum templum Apollonis Delphici *ex cera, & alis apum fuiſſe* ait Pauſanias, πρῶτος ναὸς ἀπὸ τῦ κήρυ τῶ μελισσῶν, καὶ τῶ πτερῶν. Sed non perſuadet. Libet hic Apollinis fucum ridere, qui cum Athenienſibus durius reſponſum dediſſet, quidam auctor fuit, ut ſupplices cum velamentis, & ramis iterum Apollinem conſulerent; is placatus reſponſum mitigavit, συνεβύλδυέ σφιν ἱκετηρίαν λαβῦσι, δεύτερον αὖθις ἐλθόντας χρᾶσθαι τῷ χρηστηρίῳ ὡς ἱκέτας. Id oraculum ſub Nerone obmutuiſſe infra ex Dione oſtendemus. A quo facit Lucanus lib. v. verſ. 111.

—— Non ullo ſæcula dono
Noſtra carent majore Deum, quam Delphica ſedes
Quod ſiluit poſtquam reges timuere futura,
Et ſuperos vetuere loqui.

Poetæ rupem Delphicam fata fari ajunt, quia oraculum Delphicum in rupe ſitum erat. Sophocl. in *Oed. Tyran.* ἃ θεσπιέπεια Δέλφις εἶπε πέτρα, ideſt, *Quæ vaticinatrix Delphica rupes dixit.* Ideo Nonnus lib. VIII. *Dionyſiac.* ὀμφαίαν πέτρην Φοίβυ, *vocalem Phœbi petram* vocat. Alii exiſtimant Apollinem accipitre uti, ut futura denunciet, quemadmodum & Jovem aquila. Origenes l. IV. *in Celſum, Quin & Apollo accipitris auſpicio quædam ſignificat, qui dicitur celer ejus nuncius.* Cauſam affert Ælianus lib. XI. cap. XXXIX. *de animantibus, Accipiter mortuus futura oſtendit, & per ſomnia divinat, quæ immittit.* τὸ ἱέρακα τῦ βίυ ἀπελθόντα, καὶ μαντεύεσθαι, καὶ ὀνείρατα ἐπιπέμπειν ἀποδυσάμενον τὸ σῶμα, καὶ ψυχὴ γεγενημένον γυμνή: *Cum exuerit corpus, & nuda anima fuerit.* Delphis non modo Pythia virgo fuit, & poſtea anus antiſtita, ſed vir προφήτης dictus, qui ætate Xerxis, Ἀκήρατος, *Aceratus* nomine, ut Herodotus lib. VIII. c. XXXVII. Fuit item ante templum Apollinis ἱρὸν Ἀθηναίης προνηίης, *Sacellum Minervæ Pronejæ,* ὁ προφήτης τῷ ὄνομα ἦν Ἀκήρατος ὁρᾷ πρὸ τῦ νηῦ ὅπλα παρακείμενα ἔξωθεν ἐκ μεγάρυ ἐξενειγμένα ἱρᾶ, τὸ ὐχ ὅσιον ἦν ἅπτεσθαι ἀνθρώπων ὐδενί: *Propheta, cui nomen erat Aceratus, videt pro templo arma propoſita, & foras prolata ſacra, quæ nemini hominum attingere fas.* Plures Prophetas in templo Delphico fuiſſe oſtendit Ælianus lib. X. *de animantibus,* cap. XXVI. λύκος παρελθὼν εἰς τὸ νεὼν, καὶ τῶν προφητῶν τινα τῆς ἐσθῆτος τῆς ἱερᾶς ἑλκύσας: *Lupus ingreſſus in templum Delphicum, & unum e Prophetis veſte ſacra apprehenſa trahens.* Quomodo autem Apollo reſponderet, indicat Philoſtratus lib. VI. *de vita Apollon.* σκέψαι τὸ Ἀπόλλω τὸ Δελφικὸν, ὃς τὰ μέσα τῆ Ἑλλάδος ἐπὶ προρρήσει λογίων ἔχει. ὁ μὲν τῆ ὀμφῆς δεόμενος, ἐρωτᾷ βραχὺ ἐρώτημα, ὁ δὲ Ἀπόλλων ὐδὲν τερατευσάμενος λέγει ὁπόσα οἶδε: *Intuere Delphicum Apollinem, qui medium Græciæ ad oracula reddenda tenet. Qui eget reſponſo, interrogat pauca, Apollo ſine fuco, & fallaciis reſpondet quæ ſibi videntur.* De primo ejus templo ibidem Philoſtratus, ᾤκησε γάρ ποτε καὶ λιτὴν στέγην ὁ Θεὸς ὗτος, καὶ καλύβη αὐτῷ ξυνεπλάσθη μικρὰ, ἐς ἣν ξυμβαλέσθαι λέγονται μέλιτται μὲν κηρὸν, πτερὰ δὲ ὄρνιθες. εὐτέλεια γὰρ διδάσκαλος μὲν σοφίας: *Incoluit olim humilem caſam is Deus, & tugurium illi parvum compactum eſt, ad quod contuliſſe quidem apes ceram dicuntur, alas aves.] Simplicitas enim magiſtra eſt ſapientiæ.* In eo loco, ubi oraculum erat, duo fuere juga, in quorum altero templum Apollinis, cortina ſerpente circumplicata, & laurus. Euſebius lib. IV. *de vita Conſtantini,* fol. 164. pag. 2. τὸν τρίποδα περὶ ὃν ὄφις εἰλεῖτο, ipſe Apollo capite diadema gerebat, Pythia laurum mandebat, priuſquam vaticinaretur. Lucian. *in* δὶς κατηγορ. ἔνθα ἡ πρόμαντις πιῦσα ἱερῦ νάματος, καὶ μασησαμένη δάφνης: *Ubi vates ſacro*

A *fonte pota, & laurum mandens.* Seneca *Oedipo* verſ. 225. & ſeqq.

Ut ſacrata templa Phœbi ſupplici intravi pede,
Gemina Parnaſſi nivalis arx trucem ſonitum dedit,
Phœbea laurus termuit, & movit domum,
Ac repente ſancta fontis lympha Caſtalii ſtetit.
Incipit lethea vates ſpargere horrentes comas.

Laurum ſacram moveri ſolitam Delphis oſtendit Ariſtoph. in *Pluto.* εἶπέ μοι ὁ Φοῖβος αὐτὸς πυθικὴν σείσας δάφνην, *dixit mihi Phœbus cum moviſſet Pythicam laurum.* Tryphiodorus de Caſſandr. ἱερὰν ἀνεσείσατο δάφνην, *ſacram* B *commovit laurum,* λαιμὸν δαφνηφάγον, *guttur laurivorum* Caſſandræ vocat Lycophron. Scholiaſtes Ariſtoph. πλησίον τῦ τρίποδος δάφνη ἵστατο, ἣν ἡ Πυθία ἡνίκα ἐχρησμῴδει ἔσειεν. *Prope tripodem laurus erat, quam Pythia ſuccutiebat quoties vaticinaretur.* Ipſi qui conſulerent, erant lauro coronati. Seneca in *Agamemn.* verſ. 310. & ſeqq.

Canite o pubes inclyta Phœbum,
Tibi feſta caput turba coronat;
Tibi virgineas laurum quatiens,
De more comas innuba fundit
C *Stirps Inachia.*

Apollonius in *Argonauticis.* ξανθὰ δ' ἐστεψάμενοι δάφνῃ καθύπερθε μέτωπα, *flavam frontem lauro redimiti.* Athenæus libro XV. ait eos, qui redirent ab oraculo coronam unam capiti, alteram fronti, tertiam collo adhibuiſſe. Cicero lib. II. *de Diuinat.* cap. XLVI. *Sed jam ad te venio, o ſancte Apollo, qui umbilicum terrarum centrum obſides, unde ſuperſtitioſa primum ſæva evaſit vox fera. Tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implevit partim falſis, ut ego opinor, partim caſu veris, ut fit in omni oratione ſæpiſſime, partim fle-* D *xiloquis, & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes, partim ambiguis, & quæ ad dialecticam referenda ſint. Nam cum ſors illa edita eſt opulentiſſimo regi Aſiæ, Crœſus Halym penetrans magnam ſubvertet opum vim: Hoſtium vim ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam.* Ab illis ambagibus Loxias dictus eſt Apollo, quod contorta, & flexuoſa reſponderet. Pauſanias in *Arcadicis* prodit Apollinem reſpondiſſe Epaminondæ, ut caveret Pelagus. Abſtinuit navigatione, & fugit mare, mortem non fugit, quam nactus eſt in querceto, cui nomen Pelago. E Valer. Maxim. lib. I. cap. VIII. *Appio Pythia dixit, Nihil ad te hoc Romane bellum, Eubœæ Cœlam obtinebis. At ille ratus ſe Apollinis conſiliis moneri, ne illi diſcrimini intereſſet,* &c. Hannibal oraculo monitus eſt, fore ut in terra Libyſſa moreretur. Mortuus prope Nicomediam in terra cui Libyſſæ nomen fuit. Pythia Crœſo dixit apud Herodotum lib. I. Cum Mulus imperabit Medis, fore ut regno Lydiæ Crœſus excideret; non putavit Mulum Medis unquam imperaturum. Cyrus e patre Perſa, & madre Meda Mulus intelligebatur. Lacones Pythiam conſulunt de bello in Tegeates, illa reſpondet, *funiculo agros Tegea-* F *tum metiemini*; illi cum pedicis & funiculis in prœlium exeunt, vincuntur a Tegeatibus, & agros arare, ac funiculo metiri cogunt. Oracula ambigua, & flexiloqua ubique leges apud Euſebium lib. V. *Præpar. Evangelicæ,* & reliquis libris, apud Apollodorum lib. *de Diis,* Valerium Maxim. lib. I. Herodotum, Pauſaniam, Athenæum. Nicias oraculo juſſus eſt coloniam deducere in Siciliam. Prope Athenas collis fuit, Siciliæ nomine, in quam deducenda fuit. Pythia reſponderat fore, ut ſus everteret Lybethriam urbem,

quo tempore sol ossa Orphei eruta videret. Cum pastor ad Orphei tumulum somno sopitus jaceret, cecinit dormiens suavissime, ita ut ab aliis pastoribus audiretur, qui confluentes columnam, qua ossa Orphei tegebantur, everterunt. Sequenti nocte multus imber derepente Suem fluvium ita auxit, ut exundans more torrentis Lybethriam urbem everteret. Eadem Pythia imperavit Halyartio cuidam quærenti, qua ratione ager Halyartius siticulosus, & arens, fontibus irriguus esset, ut quem primum obvium habuisset eum occideret. Vir ille Halyartius in Lophnim juvenem incidit, eumque multis vulneribus male mulctat. Lophnis acceptis vulneribus fugiens quacunque fugatus est, ibi fontes exorti sunt, ait Pausanias. Ammianus lib. XXIII. Nam & oracula dubia legimus, quæ non nisi casus discrevere postremi, cujusmodi sunt hæc,

Crœsus Halym superans magnam subvertet opum vim.

Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

Et oraculum quod Atheniensibus ad certandum contra Medos oblique destinaverat mare. Arnobius lib. III. *Cur obliquata, Delphicus Apollo, dubia dat responsa.* Pacuvius in *Peribœa*, *flexa non falsa autumare dictio Delphis solet*. Ubi *dictionem* responsum Apollinis vocat. Virgilius lib. VI. *Æneid.* vers. 99.

——Horrendas canit ambages.

Lycophron vers. 3. 4.

—— οὐ γὰρ ἥσυχος κόρη
Ἔλυσε χρησμῶν ὡς πρὶν αἰόλον στόμα.

Tzetzes, διὰ τὴν ποικιλίαν, καὶ στροφὴν τῆς ἑαυτῆς χρησμῶν: *Non enim tranquilla virgo solvit ut ante varium os ad oracula*. Idem vers. 9. 10.

Διοίχνει δυσφάτους αἰνιγμάτων
Οἴμας τυλισσῶν.

Percurrit obscuras scrutando cantiones. Idem vers. 14.

Ἄνειμι λοξῶν ἐς διεξόδους ἐπῶν.

Aggredior cursum obliquorum carminum. Idem vers. 1467. 1468.

Ἐγὼ δὲ λοξὸν ἦλθον ἀγγέλλων ἄναξ
Σοί τον δὲ μῦθον παρθένου Φοιβαστρίας.

Ego veni obliquum hunc sermonem tibi nuntians, o Rex, virginis Phœbadis. lib. I. Antholog. c. LXVII. Epigr. XV.

Οὐκ ἂν ἡμετέροισι πολυγνάμπτοις λαβυρίνθοις
Ῥηϊδίως προμόλοις εἰς φάος, αἴκε τύχῃς.
Τοίους γὰρ Πριαμὶς Κασσάνδρη φοίβασε μύθους,
Ἄγγελος οὓς βασιλεῖ ἔφρασε λοξοτρόχις.

Id est, *non enim in nostris flexuosis labyrinthis facile procedere possis in lucem, si in eos incideris. Tales Cassandra sermones vaticinata est, quos nuntia flexiloqua regi denuntiavit*. Seneca in *Oedipo*, vers. 101. 102.

Nodosa sortis verba, & implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solvi feræ.

Item vers. 212. 214.

Responsa dubia forte perplexa latent,
Ambage nexa, Delphico mos est Deo
Arcana tegere.

Martianus Capella lib. I. *obliquas vaticiniorum ambages* vocat. *In fanis*, inquit, *quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus*. Prometheus *apud Æschylum*, λέξω τορῶς σοι πᾶν ὅτι χρῄζεις μαθεῖν οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματα. Clemens lib. V. *Strom.* causam affert, cur obscura, & obliqua essent oracula, οὐ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι οὐ θεμιτὸν εἶναι, &c. ἐντεῦθεν αἱ προφητεῖαι, οἵ τε χρησμοὶ λέγονται δι' αἰνιγμάτων.

A Loxiam Apollinem dictum esse volunt, ἐπειδὴ
καθ' ἕλικας κινεῖται· λοξαὶ γάρ εἰσι, καὶ αὗται.
quia Sol per flexus, & implicamenta movetur,
quæ sunt obliqua. Oenopides, ὅτι ἐκπορεύεται
τὸν λοξὸν κύκλον ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολάς. *quia*
obliquum agit ab occasu ad ortum. Phornutus
παρὰ τὸ λοξῶς ἵεσθαι, καὶ πορεύεσθαι ἐν ζωδιακῷ
κύκλῳ: *quia oblique fertur in zodiaco*, ἢ παρὰ
τὸ λοξίαν ἱεῖν, καὶ φωνὴν πέμπειν: *quia mittit vo-*
cem obliquam, unde λοξόχρησμος dicitur, aut
quod transversos in nos a meridie immittat ra-
dios, quia sumus ad eum septentrionales. Clean-
B thes, λοξίας ὅτι τὰς λοξὰς ἀκτῖνας ἵησι ἐφ' ἡμᾶς
βορείους ὄντας νότιος ὤν. Quod Servius *ad lib.* IV.
Æneid. dixit, *Apollinis Hyperborei responsa Lo-*
xia fuerunt. Aristoteles lib. III. *Rhetor.* omnia
vaticinia ἀμφίλογα, *ambigua* vocat, & ἀμφίβο-
λα. Tacitus lib. II. *Annal.* cap. LIV. *Ferebatur*
Germanico per ambages, ut mos est oraculis, ma-
turum exitium cecinisse. Delphicum autem ora-
culum alii Saturni fuisse, alii Telluris, deinde
Themidis asserunt. Saturno tribuit Lycophron,
his verbis, οἱ δὲ ἀμφὶ βωμὸν τοῦ προμάντιος Κρό-
νου, *illi ante aram vatis Saturni*. Ubi Tzetzes,
καί φασι ὅτι τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον πρότερον τοῦ
C Κρόνου ἦν, ἔνθα ἔλαβον τὸν χρησμὸν οἱ Ἕλληνες:
ajunt oraculum Delphicum prius fuisse Saturni,
ubi Græci responsa acceperunt. Quidam Telluris
fuisse ajunt. Pausanias in *Phocicis*, Delphos *ajunt*
esse γῆς τὸ χρηστήριον, *Terræ oraculum, & lau-*
rum quasi antistitam, & fatidicam oraculo constitu-
tam a Terra, quæ laurus sit Nympharum Oreadum.
Alii Neptuno, & Terræ oraculum commune,
Terram ipsam per se vaticinari; Neptuni Pyrconem
esse interpretem, Πύρκων ἀμφίπολος κλυτοῦ ἐννοσι-
γαίου. Terra Themidi dedit paulo post oraculum,
Apollo accepit munere a Themide. Oraculum
Apollini condiderunt qui venerant ex Hyperbo-
D reis, inter quos Olen, qui primus vaticinatus est,
& exametrum cecinit, ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον
ἐκτελέσαντο παῖδες ὑπερβορέων Παγασὸς, καὶ Δῖος Ἀ-
γυιεὺς, Ὠλὴν θ' ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας:
Ibi memorabile oraculum fecerunt filii Hyperboreo-
rum Pagasus, & Dius Agyeus, & Olen, qui fuit
primus Propheta Apollinis. Pindarus fuisse ait Del-
phis aureas cantatrices, quas vocat κηλήμονας, qua-
si *demulcentes*, χρύσεαι δ' ἐξ ὑπερώου ἄειδον κηλήμο-
νες, *Demulcentes Celemones puellæ aurea canebant e*
cœnaculo, seu *chalchidico*, æreum templum εἰς
χάσμα γῆς ἐκπεσεῖν, καὶ ὑπὸ πυρὸς τακῆναι λέγουσι,
ajunt in hiatum terræ decidisse, ubi igne liquefactum
E *fuerit*, ait Pausanias. Quidam ab Icadio filio Apol-
linis Delphicum templum conditum, & a Delphi-
no, quo vectus erat, appellatum volunt. Servius
ad hæc verba lib. III. *Æneid.*

Patrias obtruncat ad aras.

Alii ajunt in templo Apollinis aram fuisse inscri-
ptam πατρῴου Ἀπόλλωνος, ob hoc quod Icadius A-
pollinis, & Nymphæ Lyciæ filius, cum in adul-
tam ætatem venisset, primo regionem in qua na-
tus a matre Lyciam nominavit, deinde in ea urbem
quoque Apollini condidit, sortes & cortinam con-
secravit, & ut illum patrem esse testaretur, Πάτορα
cognominavit. Inde cum Italiam peteret, naufra-
F gio vexatus, Delphini tergo exceptus dicitur, ac
prope Parnassum montem delatus patri Apollini
templum constituisse, & a Delphino locum Del-
phos appellasse, aras deinde Apollini tanquam pa-
tri consecrasse, quas ferunt vulgo Patrias dictas.
Hinc ergo & Delphinum ajunt inter sacra Apolli-
nis receptum, cujus rei vestigium est, quod ho-
dieque Quindecimvirorum cortinis Delphinus in
summo honore ponitur, & pridie quam sacrifi-
cium faciant, velut symbolum Delphinus circum-

fertur. Apollo Delphicus dictus & κερδῷος, quia Pythia ſæpe reſponſa ad lucrum accommodabat, unde & Demoſthenes dixit Pythiam φιλιππίζειν ὡς ut Plutarchus. Lycophron Apollinem δελφίνιον κερδῷον Θεὸν, quia ut apud Tzetzen Poeta vetus ait,

Ὅπποτε πετραίῃ ὑπὸ δειράδι Παρνησοῖο
Δελφίνην τόξοισι πελώριον ἐξεναρίξεν.

Quando ſub jugo Parnaſſi Delphinem ſerpentem Latonæ vim afferentem horribilem jaculis interemit. Aut quia Caſtalio Creti coloniam ducenti δελφῖνι ὁμοιωθεὶς προηγεῖτο τῆς νεὼς, *ſpecie Delphini præibat navi.* Cerdous autem dicitur, ὅτι διὰ χρησμῶν τὰ συμφέροντα, καὶ ἐπικερδῆ δείκνυσι: *quia oraculis ſuis utilia oſtendit*, ait Tzetzes *ad Lycophr.* Nonnus lib. XXVII. a Delphine dracone dici vult, Πύθωνος θυόεν πεδίον, ἧχι δράκοντος δελφίνης τριπόδεσσι Θεοῦ. Apollinem Pythium Ariſtoteles a Crotoniatis Hyperboreum appellari ait, ut Ælianus lib. II. *Var.* Servius *ad librum* IV. *Æneid. Agathyrſi populi ſunt Scythiæ colentes Apollinem Hyperboreum, cujus logia, id eſt, reſponſa feruntur.* Abaris Vates ab Apolline Hyperboreo ſagittam accepit, quam cum nihil comedens per totum terrarum orbem circumferret, miracula patrabat, τὸν γὰρ περὶ Ἀβάριος λόγον τοῦ λεγομένου εἶναι Ὑπερβορέω, οὐ λέγω, λέγων ὡς τὸν ὀϊστὸν περιέφερε κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν οὐδὲν σιτεόμενος, ait Herodotus. Jovis interpretem eſſe Apollinem ſupra oſtendi. Homerus in *Hymno Mercurii.*

——— αὐτὰρ ἔγωγε.
Πιστωθεὶς κατένευσα, καὶ ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον
Μή τινα νόσφιν ἐμεῖο Θεῶν αἰειγενετάων,
Ἄλλον γ' εἴσεσθαι Ζηνὸς πυκινόφρονα βουλήν.

Sed ego fide data annui & juravi, neminem excepto me Deorum ſempiternorum alium Jovis ſapiens conſilium ſciturum. Item.

Θέσφατα πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς.

Oracula promere quæ cogitat late oculatus Juppiter. Nero *ſuſtulit Apollinis* Delphici *oraculum, cum homines ad os illud mactaſſet, unde ſpiritus ſacer exibat*, τὸ μαντεῖον Ἀπόλλωνος κατέλυσε, ἀνθρώπους εἰς τὸ στόμιον ἐξ οὗ ἱερὸν τὸ πνεῦμα ἀνῄει σφάξας, narrante Dione. Minutius oraculum Delphis deſiiſſe ait, cum homines politiores, & minus crudeles eſſe incepiſſent, in *Octavio*. Oraculum Delphis Auguſto redditum apud Euſebium, & Zonaram in hæc verba.

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖν, καὶ ὁδὸν πάλιν αὖθις ἱκέσθαι.

Addit Cedrenus, ἄπιθι λοιπὸν ἐκ δόμων ἡμετέρων. *Puer Hebræus qui Diis imperat, me jubet hanc ædem relinquere, & viam rurſus ire. Cæterum abito ex noſtra domo.* Miretur aliquis oraculum hoc carmine redditum; cum Cicero lib. II. *de Divinatione* dicat Apollinem jam a Pyrrhi temporibus facere verſus deſiiſſe. Sed dæmon quoties vult, eſt Poeta. Fuit & oraculum Delphici Apollinis redditum Juliano in hæc verba,

Εἴπατε τῷ βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά,
Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν οὐ μαντίδα δάφνην,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.

Dicite regi, humi cecidit elegans aula, Phœbus non amplius habet tugurium, non laurum divinatricem, non fontem loquacem, extincta eſt aqua garrula.

CAP. VII.
De Delio Oraculo.

MULTA alia fuere fana, quibus Apollo variis cognomentis reſponſa daret. In primis Delus in Ægeo mari, inſula oraculo nobilis, quæ olim Ortygia dicta, de qua Strabo libro X. Livius libro XXXV. Delium Apollinis templum vocat. Virgilius lib. III. *Æneidos*, verſ. 76. & ſeqq.

Quam prius Arcitenens oras & littora circum
Errantem Gyaro celſa Mycone revinxit.
Vix ea fatus eram, tremere omnia viſa repente
Liminaque, lauruſque Dei, totuſque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.
Summiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures,
Dardanidæ duri, &c.

Servius ad hæc Virgilii lib. III. *Æneid.* verſ. 85.

Da propriam, Thymbræe, domum, da mœnia feſſis.

Alii, inquit, *Thymbram locum in Delo Apollini conſecratum tradunt.* lib. VI. *Æneid.* verſ. 12.

Delius inſpirat vates.

Pauſanias redditum eſſe ait Reſponſum Delo, Μεγαρέας εὐδαιμονῆσαι εἰ μετὰ πλειόνων βουλεύσωνται, *Megarenſes fore felices, ſi cum pluribus conſilia cogitarent.* βουλευτήριον, curiam fecerunt eo loco ubi erant ταφαὶ Heroum. Vide Theodor. Serm. X. *contra Græcos* pag. 142. Hyginum fab. CXLII. Macrobium lib. I. *Saturn.* cap. XVII. Pauſan. in *Bœot.* fol. 314.

CAP. VIII.
De Cyrrha.

CYRRHÆ Apollinis oraculum non procul a Parnaſſo fuit, ut Luctatius ad hæc verba Statii lib. III. *Thebaid.* verſ. 474. & ſeqq.

—— *Non Cyrrha Deum promiſerit antro.*
Certius, aut frondes, lucis quas fama Moloſſis
Chaonias ſonuiſſe tibi.

Seneca in *Hercule Oetæo*, verſ. 91. 92.

Cyrrha Pæan templa, & ætheriam domum
Serpente cæſo meruit.

Statius lib. VIII. *Thebaid.* verſ. 197. & ſeqq.

Hæc Tenedon, Cyrrhumque dies, partuque ligatam
Delon, & intonſi claudet penetralia Branchi.

l. VII. *Thebaid.* verſ. 411.

Tunc & Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ.

Ubi Luctatius. *In Cyrrha tantum proſpera deorum dabantur oracula. Nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur.* Item *Parnaſſi duo juga, Tithoreus, & Hyampeus, alii Cyrrham, & Nyſſam eſſe volunt.* Seneca in *Hercule Oetæo* verſ. 1474. 1475.

—— *quercus hanc ſortem mihi*
Fatidica quondam dederat, & Parnaſſio
Cyrrhea quatiens templa mugitu nemus.

Cirrham alii Bœotiæ planiciem eſſe volunt, ubi Apollini luſtrum datur. In eo campo fons fuit, cujus potu fatidici fiebant. Statius lib. III. *Thebaid.* verſ. 453. 454. de Amphiarao, & Melampo,

—— *Dubium cui dexter Apollo,*
Oraque Cyrrhæa ſatiarit largius unda.

Strabo, Cyrrha ſub Cyrphi rupe Delphica, ubi oraculum Apollinis Cyrrhæi.

CAP. IX.
De Clario Oraculo.

APOLLINIS Clarii oraculum commemorat Statius lib. VIII. *Thebaid.* verſ. 199. & ſeqq.

Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit,
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Moloſſi
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.

Luctatius, & apud Clarum, & apud Didymam oraculum Apollinis fuiſſe ait. Virg. l. III. *Æneid.* v. 360.

Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſydera ſentis.

Lycia autem Aſiæ civitas Apollinis ſedes. Claria civitas, in qua tres Dii, Juppiter, Neptunus, & Pluto

mundum dicuntur fuiſſe ſortiti. In hac Apollo mortalibus oracula maxime dare conſueverat. Plinius, *Colophone in Apollinis Clarii ſpecu lacuna eſt, cujus potu mira redduntur oracula bibentium breviore vita.* Pauſanias in *Achaicis*, Colophonii τὸ μὲν ἱερὸν τὸ ἐν Κλάρῳ, καὶ τὸ μαντεῖον ἐκπαλαιοτάτε γενέσθαι νομίζουσι: *templum in Claro, & oraculum jam olim fuiſſe autumant.* A Mantone filia Tireſiæ originem ejus ducere videtur Lycophron, Κλάρου μιμάλλων, ἢ μελαγκραίας κόπις. Tzetzes, Clarus ὄρος καὶ πόλις Ἀσίας πρὸς Κολοφῶνα, *Mons, & urbs Aſiæ ad Colophonem.* Μελαγκραίρα ἡ Σίβυλλα παρὰ τὸ μελαίνειν τὴν φράσιν, τοὺς χρησμοὺς: *Melanchræra Sybilla, quod oracula ejus tenebricoſa eſſent.* κόπις *garrulam* ſignificat a ſermone ſecando, ex lachrymis. Mantus fons Clarius, ut Scholiaſtes Apollonii lib. I. notat. Euſtathius, Clarius Colophonis navale fuit ἀπὸ τοῦ κλήρου, *a ſorte*, quod per ſortem Apollini obtigerit, ut ipſius Dei oraculum eſſet. Scholiaſtes Apollonii Clarum urbem Colophoni propinquam, Apollini ſacram, ubi oraculum ei a Manto Tireſiæ filia exſtructum. Maximus Tyrius Sermone XXVI. fæminam in Claro vaticinari ait, γυναῖον δὲ τὸ τυχὸν Δελφικὸν Πυθοῖ, ἢ Θεσπρωτὸν ἐν Δωδώνῃ, ἢ Λίβυν ἐν Ἄμμωνος, ἢ Ἴωνα ἐν Κλάρῳ, ἢ Λύκιον ἐν Ξάνθῳ, ἢ Βοιωτὸν ἐν Ἰσμηνίῳ, τούτους ἅπαντας τῷ δημοσίῳ ὁσημέραι συγγινομένους: *Muliercula diobolaris Delphica apud Pythonem, Dodonæ Theſprotia, Libyca ad Ammonem, Jon in Claro, Lycia in Xantho, Bœotia apud Iſmenum, quæ omnes quottidie in publico verſantur.* Nicander,

In Clario luco non lædit Scorpius ictu,
Vipera non morſu, ſed neque dira phalanx.

Vide Ælian. lib. X. cap. IV. *de animantib.* Tacitus lib. II. *Annal.* cap. LIV. *Appellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non fœmina illic, ut apud Delphos, ſed certis e familiis, & ferme Mileto accitus Sacerdos numerum modo conſultantium, & nomina audit: tum in ſpecum degreſſus hauſta fontis arcani aqua ignarus plerumque literarum, & carminum edit reſponſa verſibus compoſitis, ſuper rebus, quas quiſque mente concepit. Et ferebatur Germanico per ambages, ut mos eſt oraculis, maturum exitium ceciniſſe.* Strabo tamen Tacito æqualis, oraculum Clarium ævo ſuo nullum fuiſſe indicat, Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν: *Colophon urbs Jonica, ante quam ſaltus Clarii Apollinis, in quo oraculum olim vetuſtum fuit.* Ammianus lib. XIX. *Et prorſus*, inquit, *ita res agebatur, quaſi Clarum, Dodonæas arbores, & effata Delphorum olim ſolennia, in Imperatoris exitium ſollicitaverint multi.* Philoſtratus lib. IV. cap. I. οἱ μὲν ἐκ τοῦ ἐν Κολοφῶνι μαντείου, οἱ δὲ ἐκ Διδύμων, οἱ δὲ ἐκ τοῦ περὶ τὸ Πέργαμον Ἱεροῦ. *Cum ipſum quidam ex oraculo Colophonio venire prædicarent alii ex Didimæo, alii ex Pergameo templo.* Vide Pauſaniam in *Corinth.* fol. 46. Servium ad 4. *Æneid.* fol. 209. Clementem Alexandrinum in *Protrept.* fol. 4. Statium lin. VIII. *Thebaid.* Vibium Sequeſtrum *de Montibus*.

CAP. IX.
De Mileſii Oraculo.

APOLLO Mileſius, & Didymæus Orpheo dicitur in *Hymno Apoll. Suffim.* v. 7.

Βάκχιε, καὶ Διδυμεῦ ἑκάεργε λόξια ἁγνέ.

Apollinem Mileſium, Didymæum, & Phileſium, eumdem eſſe volunt. Origen. lib. I. *contra Celſum*, ὁ πεπιστευμένος παρ' Ἕλλησιν εἶναι Θεός, ὁ Πύθιος, καὶ Διδυμεύς. Solin. cap. LII. *Ut altaria ibi strueret Apollini Didymæo.* Macrobius lib. I. *Satur.* cap. XVII. Didymæum Apollinem dictum ait, quod geminam ſpeciem ſui numinis præfert ipſe, illuminando, formandoque Lunam. Oraculum illud deſcribitur ab Jamblich. *lib. de myſt. Ægipt.* Vide Macrob. *Saturnal.* lib. I. cap. XVII. Strabonem lib. VII. & IX. lib. XIV. Branchi, & Apollinis amores commemorat. Branchi oraculum Apollini tribuitur. Luctatius ad hæc verba Statii lib. VIII. *Thebaid.* verſ. 198.

—— & intonſi claudet penetralia Branchi.

Branchus, inquit, *Apollinis eſt filius, & ipſe futurorum peritiſſimus Deus*: ut ipſe alibi,

—— patrioque æquatus honore
Branchus.

Varro *divinarum rerum* de Brancho ita refert: *Olus quidam decimus ab Apolline, cum in peregrinatione pranderet in littore, ac deinde proficiſceretur, oblitus eſt filium nomine Simerum, qui pervenit in ſaltum Patronis cujuſdam, & cum eſſet receptus, cœpit cum ſuis pueris capras paſcere. Aliquando prehenderunt cygnum, & illum veſte cooperuerunt. Dumque ipſi pugnant, uter illum patri munus offerret, & eſſent fatigati certamine, rejecta veſte mulierem invenerunt, & cum fugerent, revocati ab ea moniti ſunt, ut Patron unice Simerum diligeret puerum. Illi, qui audierant, Patroni indicarunt. Tunc Patron Simerum pro filio ſuo nimio dilexit affectu, eique filiam ſuam ducendam locavit uxorem. Illa cum prægnans eo eſſet, vidit in ſomnis per fauces ſuas introiſſe Solem, & exiſſe per ventrem. Ideo infans editus Branchus vocatus eſt, quia mater ejus per fauces ſibi viderat uterum penetraſſe. Hic cum in ſilvis Apollinem oſculatus fuiſſet, comprehenſus eſt ab eo, & accepta corona, virgaque, vaticinari cœpit, & ſubito nuſquam comparuit. Templum ei factum eſt, quod Branchiadon nominatur, & Apollini Phileſio pariter conſecrata ſunt templa, quæ ab oſculo Branchi, ſive certamine puerorum Phileſia nuncupantur.* Strabo lib. XVII. διὰ λόγων ἐν Βραγχίδαις ἀποθεσπίσεις, *Oracula reddi ſermone apud Branchidas.* Lib. XIV. μετὰ δὲ τὸ Ποσείδιον τὸ Μιλήσιον ἑξῆς ἐστι τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος, τὸ ἐν Βραγχίδαις: *Poſt Neptunium Mileſium deinceps eſt oraculum Didymæi Apollinis in Branchidis*, ſurſum verſus circiter octodecim ſtadia. Incenſum eſt a Xerxe. Branchidæ cum fugienti Perſæ theſauros Dei tradidiſſent, una abierunt. Poſtea Mileſi templum omnium maximum condiderunt, eſtque intus, & extra πολυτελὲς ἄλσος, *ſaltus magnificus*. Ibi fabulæ Branchum fuiſſe dicunt, & amorem Apollinis. Idem lib. IX. τοῦ δὲ Μαχαιρέος ἀπόγονόν φασι Βράγχον τὸν προστατήσαντα τοῦ ἐν Διδύμοις ἱεροῦ: *Hujus Macharei de ſtirpe poſtea natum ferunt Branchum.* Herodotus lib. I. cap. XLVII. οἱ δέ τινες ἐπέμποντο τῆς Μιλησίης ἐς Βραγχίδας: *Alii* a Crœſo *miſſi ſunt ad Branchidas oræ Mileſiæ.* Item, τὰ δ' ἐν Βραγχίδῃσι τῇσι Μιλησίων ἀναθήματα Κροίσω ἴσα τε σταθμὸν, καὶ ὅμοια τοῖσι ἐν Δελφοῖσι: *Donaria, quæ obtulerat Crœſus in Branchidis, erant æqualia pondere iis, quæ Delphis.* Item, ἦν γὰρ ἐν Βραγχίδῃσι μαντήιον ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένον, τῷ Ἴωνές τε πάντες, καὶ Αἰολέες εἰώθεσαν χρέεσθαι: *In Branchidis erat oraculum pervetuſtum, quo Jones, Æoleſque omnes communiter uti conſueverant.* Oraculum hoc in Mileſiorum agro eſt ſitum ſupra Panormum portum. Photius in *Bibliotheca* pag. 227. ex Conone, Branchus ἐξ Ἀπόλλωνος ἐπίπνους μαντικῆς γεγονὼς ἐν Διδύμοις τῷ χωρίῳ, καὶ μέχρι τοῦ νῦν χρηστηρίων Ἑλληνικῶν ὧν ἴσμεν μετὰ Δελφοὺς κράτιστον ὁμολογεῖται τὸ τῶν Βραγχίδων. Pag. 232. αὐτὸς δὲ τότε Βράγχος προεστήκει τοῦτε ἱεροῦ καὶ τοῦ μαντείου. Hunc Branchum ait fuiſſe *filium* Smicri cujuſdam, & Mileſiæ *nobilis puellæ, Branchus ab Apolline afflatus. In Di-*

A *dymis in hunc diem post Delphos omnium Græciæ oraculorum est optimum Branchi oraculum. Is præerat templo, & oraculo.* Sozomenus Licinium ait expertum esse oraculum Milesii Apollinis Didymæi, qui respondit Homericis verbis,

Ὦ γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.

O senior, vexat juvenis te miles in armis, &c.

Plinius lib. v. cap. xxix. *In Jonia primus sinus Balicus, Posideum promontorium, & oppidum oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymæi Apollinis, a littore stadiorum viginti.* Pomponius Mela lib. i. cap. xvii. *Milesium oraculum Didymæi Apollinis apud Branchidas.* Terentianus libro *de* B *Metris.*

Hymnum Branchiadæ Phœbo cantasse, Jovique
Pastorem Branchum, cum captus amore pudico
Fatidicas sortes docuit depromere Pæan.

Branchus Thessalus fuit dilectus Apollini, unde *Branchiades Apollo.* Apulejus in *Psyches fabula, Dei Milesii vetustissimum percunctatur oraculum.* Lactantius lib. iv. refert oraculum Milesium de Christo.

C A P. X.
De Apollinis Diriadotæ Oraculo.

C FUIT & oraculum Apollinis Diriadotæ in Argolide, de quo Pausanias in *Corinthiacis*: ἀνιόντων δὲ ἐς τὴν ἀκρόπολιν, ἔστι μὲν τῆς Ἀκραίας Ἥρας τὸ ἱερὸν, ἔστι δὲ ναὸς Ἀπόλλωνος, ὃν Πυθαεὺς πρῶτος παραγενόμενος ἐκ Δελφῶν λέγεται ποιῆσαι, &c. *Ascendentibus in arcem est fanum Junonis Acrææ, quæ præsidet arcibus, & templum Apollinis, quem Pythaeus primus cum Delphos advenisset, dicitur fecisse, simulacrum quod nunc est æreum & rectum, Diriadotes Apollo dictus, quia & hic locus dicitur Diras. Mulier est, quæ vaticinatur, abstinetque viri consuetudine. Cum autem de nocte* D *agna immolata sit singulis mensibus, mulier gustato sanguine a Deo corripitur.* θυομένης δὲ ἐν νυκτὶ ἀρνὸς κατὰ μῆνα ἕκαστον γευσαμένη τοῦ αἵματος ἡ γυνὴ κάτοχος τοῦ Θεοῦ γίνεται.

C A P. XI.
De Oraculo Apollinis Logii.

FUIT & Apollo Λόγιος, oraculorum Præses, de quo Sophocles apud Philostratum lib. iv. cap. xii.

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδὲ Μοῦσαι, καὶ Ἀπόλλων Λόγιος.

E *Non enim Juppiter erat qui mihi hæc prædicaret, neque*
Musa, neque Apollo Oracularis.

C A P. XII.
De Sarpedonio.

FUIT & oraculum Apollinis Sarpedonii, de quo Zosimus lib. x. ἐν Σελευκίᾳ τῇ κατὰ τὴν Κιλικίαν Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἵδρυτο καλουμένου Σαρπηδονίου, καὶ ἐν τούτῳ χρηστήριον: *Seleuciæ, quæ est in Cilicia fuit templum Apollinis Sarpedonii, & ibidem oraculum.* F Is Cilicibus, quos locustæ infestabant aves Seleuciadas dedit, a quibus hac lue liberati sunt. de oraculo Sarpedonis Basilius Episc. Seleuciæ Isau. lib. *de Thecla*: ἣ ἐπιτειχίζει ἑαυτὴν τῷ δαίμονι τῷ Σαρπηδόνι τῷ καταλαβόντι μὲν τὴν ἐπὶ τῆς θαλάττης χηλὴν, πολλοὺς τε πλανῶντι, καὶ ἀποβουκολοῦντι τῆς πίστεως δι᾽ ἀπάτης ποικίλης, καὶ κιβδήλου χρησμολογίας: *Thecla se tanquam murum opponit dæmoni Sarpedoni, qui promontorium ad mare occuparat, multos decipienti, & a fide abducenti per adulterina, & fallacia oracula.*

C A P. XIII.
De Myrinæo.

APOLLINIS Myrinæi, & Grynæi oraculum perantiquum fuit, Strabo lib. iii. *Grynæum Myrinæorum oppidum, & Apollinis pervetustum oraculum.* Plin. l. xxxii. c. ii. *Nam in Lyciæ Myris fonte Apollinis, quem Curium appellant, ter fistula evocati pisces veniunt ad Augurium.* Stephan. *Gryni oppidum Myrenæorum, ubi vetustum oraculum Apollinis, Ælianus, in Myrensi sinu Lyciæ Apollinis templum est, ad cujus Sacerdotem vitulinas carnes distrahentem Orphi pisces adnatabant, & vaticinabantur.* Virgilius *Ecl.* vi. vers. 72.

His tibi Grynæi nemoris dicatur origo.

In hoc nemore serpens ab Apolline occisus, ut Servius ait, quod in Joniis finibus a Gryno filia Apollini consecratum est, quo qui intrarent, eis vincula detrahebantur, ait Varro. Oracula item ab Apolline reddebantur per Myricæ ramos, unde & Myricæus Apollo, de quo Nicandri Scholiast. in *Theriac.* Vigilius lib. iv. *Æneid.* vers. 345. 346.

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.

Servius, *Clazomenæ civitas est Asiæ, juxta hanc nemus est Grynæum, ubi Apollo colitur.* Statius libro i. *Thebaid.* vers. 696. & seqq.

Phœbe parens seu te Lyciæ Patarææ nivosis
Exercent dumeta jugis, seu rore pudico
Castalidæ flavos amor est tibi mergere crines
Seu Trojam Thymbræus habes, ubi fama volentem
Ingratis Phrygios humeris subiisse molares.

C A P. XIV.
De Patarœo.

PATARÆI Apollinis oraculum commemorat Pomponius Mela lib. i. cap. xv. Qui Pataram Apollinis delubro nobilem facit, quod opibus, & oraculi fide Delphico simile, unde Patarœus Apollo. Constat enim, ait Servius, Apollinem sex mensibus hyemis apud Pataram Lyciæ civitatem dare responsa, & sex mensibus æstivis apud Delum, ideo Virgilius libro iv. *Æneidos* vers. 143. 144.

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

Herodotus lib. i. ἐν Πατάροισι τῆς Λυκίης ἡ πρόμαντις τοῦ Θεοῦ ἐπεὰν γένοιτο, ἐς ὁμιλίαν ἀνδρῶν οὐ φοιτᾷ: *Antistita Dei Pataris Lycia consuetudine virorum abstinet.*

C A P. XV.
De Abæo.

IN Phocæis apud Abas templum fuit Apollini Abæi, & oraculum, ait Herodotus l. viii. cap. xxxiii. Ἄβας τῶν Φωκαίων ἀπικόμενος ἐπὶ τὸ χρηστήριον, *Profectus Abas Phocæorum ad oraculum.* Hesychius, Ἄβαι περὶ τὴν Φωκίδα τόπος οὗ μαντεῖον Ἀπόλλωνος Ἀβαίου, non (ut vulgo male) Ἀσαβαίου: *Abæ propter Phocidem locus ubi oraculum Apollinis Abæi, antequam Delphis poneretur*, ait Stephanus. Philo apud Eusebium lib. viii. *Demonstrat.* Φαῦλλον φθινώδει νόσῳ συντακῆναι ἐν τῷ ἐν Ἄβαις ἱερῷ, *Phayllum contabuisse in templo apud Abas.* Stephanus, Ἄβαι πόλις Φωκεῦσιν ἔνθα ἱερὸν Ἀπόλλωνος. ἦν δὲ τοῦτο μαντεῖον πρὸ τοῦ ἐν Δελφοῖς. Strabo, οὐδὲ νῦν αἱ Ἄβαι τὸ μαντεῖον ἄποθεν τῶν τόπων τούτων ἐστίν. *Neque oraculum in Abis longe abest ab eo loco.* Herod. l. i. τοὺς μὲν ἐς Δελφοὺς ἰέναι, τοὺς δὲ ἐς Ἄβας τῶν Φωκέων. *Alios ivisse Delphos, alios Abas Phocensium,* Pausan. in *Phocaicis*, a Xerxe vetustis-

ſimum Abæi Apollinis oraculum incenſum eſſe ait A Philoſtrat. lib. IV. cap. VIII. τὸ ἐν Ἄβαις ἱερὸν, τὸ μαντεῖον τὸ ἐν Ἑλικῶνι. Templum in Abis inviſit Apollonius.

CAP. XVI.
De Corypæo.

FUIT & oraculum Apollinis Corypæi apud Corypen Theſſaliæ urbem. Nicander in *Theriacis*, μαντείας Κορυπαῖος ἐθήκατο, καὶ θέμιν ἀνδρῶν: *Vaticinia Corypæus poſuit, & juſtitiam hominum.* B

CAP. XVII.
De Tegyræo.

ORACULUM item Apollinis Tegyræi fuit prope Locridem, ut Plutarchus in *Pelopida*, ὃ ἄχρι τῶν Μηδικῶν ἤκμαζε τῆς προφητείαν Ἐχεκράτους ἔχοντος, *quod uſque ad Medorum expeditionem* in Græciam *floruit Echecrate vate.*

CAP. XVIII.
De Oropæo.

ITEM Oropæi Apollinis, ἱερὸν, καὶ μαντεῖον, *Sacrarium, & oraculum* apud Oropen Eubœæ urbem, ut Stephanus libro *de Urbibus.* C

CAP. XIX.
De Myſta.

ITEM Apollinis Myſtæ fanum, qui per ſomnia reſponſa dare ſolitus, ut Artemidor lib. II. *de Somniis* ſub finem.

CAP. XX.
De Eutreſita.

ITEM Apollinis Eutreſitæ, Εὐτρησίτου oraculum nobile, ait Stephanus, apud Eutreſin pagum, qui ducit ex Theſpiis Plateam. D

CAP. XXI.
De Hieræo.

ITEM Hieræi Apollinis oraculum, de quo Livius lib. XXXVIII. cap. XII. XIII. *Tranſgreſſi Mæandrum ad Hieram comen pervenerunt. Fanum ibi auguſtum Apollinis, & oraculum. Sortes autem verſibus haud inconditis dare vates dicuntur.* Stephanus Ἱερὰ κώμη, δῆμος Καρίας, *Hiera vicus, populus Cariæ.* E

CAP. XXII.
De Chomæo.

APOLLINIS item Chomæi, de quo Ammianus Marcell. lib. XXIII. *Poſt hanc Seleucia ambitioſum opus Nicatoris Seleuci, qua per duces veri Cæſaris expulſata, avulſum ſedibus ſimulacrum Chomæi Apollinis, perlatumque Romam in æde Apollinis Palatini Deorum antiſtites collocarunt.* Statius lib. VII. *Thebaid.* verſ. 343. & ſeqq. multa loca Apollini ſacra commemorat. F

Quis tibi Phœbeas acies, veteremque revolvat
Phocida? quis Panopen, quis Aulida, quis Cypariſſon,
Et valles Lebdea tuas? &c.

CAP. XXIII.
De Soractino Apolline.

FUIT & oraculum Apollinis Soractini, de quo Strabo lib. V. & Virgil. lib. XI. *Æneid.* verſ. 785. & ſeqq.

Summe Deum, ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus veſtigia planta.

Sacerdotes dicebantur Hirpini, & Hirpiæ, ut Plinius, Strabo, Servius.

CAP. XXIV.
De Sminthio.

SMINTHII Apollinis meminit Lactant. lib. I. cap. VII. Macrobius lib. I. cap. XVII. Ammian. Marcell. Macrob. Smyntheus ὅτι ζέων θεῖ, *quia fervens currit.* σμίνθος *murem* ſignificat a quo Homeri Scholiaſtes Sminthium dici vult. *Iliad.* I. σμίνθος τόπος τῆς Τρῳάδος, ἐν ᾧ Ἀπόλλωνος Σμινθίου ἱερόν. Ovidius in *Faſtis*, lib. VI. verſ. 425. 426.

Conſulitur Smintheus, lucoque operatus opaco,
Hos non mentito reddidit ore ſonos.

Strabo lib. XIII. *In urbe Chryſa eſt Apollinis Sminthei delubrum, & ſimulacrum. Mus pedi ſtatuæ ſubjectus eſt.*

CAP. XXV.
De Parnopio.

ITEM Apollinis Parnopii oraculum, qui πάρνοπας, *Bruchos*, ſeu *locuſtas* ſuſtulit. Alii πάρνοπας,, *Culices* eſſe volunt. Vide Pauſan. in *Atticis*. Ejus ſimulacrum a Phidia factum.

CAP. XXVI.
De Beleno.

ITEM Apollinis Beleni apud Gallos & Aquilejenſes. Herodianus lib. VIII. *Nonnulla oracula gerebantur patrii cujuſdam numinis victoriam promittentis. Belenum vocant indigenæ,* Βέλιν δὲ καλοῦσι (Βέλενον melius) τοῦτον Ἀπόλλωνα εἶναι θέλοντες.

CAP. XXVII.
De Thurxeo.

ITEM Apollinis Thurxei, Θυρξέως, apud Pauſ. in *Achaicis*: Κυανέων δὲ τῆς πρὸς Λυκίαν πλησιαίτατα χρηστήριον Ἀπόλλωνός ἐστι Θυρξέως. παρέχεται δὲ ὕδωρ τὸ πρὸς ταῖς Κυανέαις εἰς ὃ ἐνιδόντα ἐς τὴν πηγὴν ὁμοίως πάντα ὁρᾷ ὁπόσα θέλει θεάσασθαι: *Prope Cyaneas in Lycia Apollinis Thurxei eſt oraculum. Aquam autem ad Cyaneas præbet, in quam qui intuetur, omnia in fonte videt quæcunque ſcire vult.*

CAP. XXVIII.
De Hyſio.

ITEM Hyſii Apollinis χρηστήριον, ab Hyſia Bœotiæ urbe, in cujus templo puteus, quo potus Sacerdos vera canebat, ait Pauſanias.

CAP. XXIX.
De Spondio.

APUD Apollinem Spondium Thebis oracula reddita ſcribit Pauſanias.

CAP. XXX.
De Triopio.

APUD Triopium Apollinem oraculum ponit Herodotus lib. I. Nam in certamine Apollinis Triopii tripodes victoribus constituebantur ærei, quos acceptos Deo ipsi donare oportebat.

CAP. XXXI.
De Ismenio.

APUD Ismenium Apollinem oraculum; ubi lapis, δίφρος Μαντοῦς, *sedile Mantus*. Sacerdos dicitur δαφνηφόρος, ut Pausanias. Maximus Tyrius sermon. XXV. *Cum venisset ad Ammonem, aut ad Thesprotios, & quercum, quæ est apud eos, aut ad Parnassii oraculum, aut ad Ismeni vocem fatidicam, aut ad Choros qui Deli sunt*, ἐπὶ Ἄμμωνα ἀφικόμενον, ἢ ἐπὶ τὴν Θεσπρωτῶν γῆν, ἢ τὴν ἐκεῖ δρῦν, &c. Herodotus lib. VIII. cap. CXXXIV. ἀπικόμενος ἐς Θήβας τῷ Ἰσμηνίῳ Ἀπόλλωνι ἐχρήσατο. ἔστι δὲ κατάπερ ἐν Ὀλυμπίῃ ἱροῖσι αὐτόθι χρηστηριάζεσθαι: *Cum venisset Thebas Ismenium Apollinem consuluit. Licet autem & ibi ut Olympiæ inter cæsa & porrecta oraculum consulere.*

CAP. VXXII.
De Ptoo.

APUD Ptoum Apollinem data responsa. Herodotus lib. VII. & Pausan. Dicitur a Ptois Thebanis montibus. Plutarch. lib. *de Oracculor. defectu. oraculum ad Ptoum antiquissimum, & celeberrimum*, μαντεῖον περὶ τὸ Πτῷον πρεσβύτατον χρόνῳ, καὶ δόξῃ κλεινότατον, ubi duæ προφήτιδες, & tertia vates succedanea subsederat. Herod. lib. VIII. c. XXXV. καὶ ἐς τοῦ Πτώου Ἀπόλλωνος τὸ τέμενος, ἔστι δὲ Θηβαίων, κέεται δὲ ὑπὲρ τῆς Κωπαΐδος λίμνης πρὸς οὔρεϊ ἀγχοτάτω Ἀκραιφίης πόλιος: *& in templum venit Apollinis Ptoi, quod est Thebanorum, situm supra paludem Copaidem ad montem proximum Acræphiæ urbi.*

CAP. XXXIII.
De Tegræo.

TEGRÆI Apollinis oraculum commemorat Plutarchus in *Pelopida*, & lib. *de defectu Oraculor.* ubi duo fluvii, quorum alter Palmam, alter Oleam præterfluit.

CAP. XVXIV.
De Apolline Aperta.

APERTA, inquit Festus, dicitur Apollo, quia patente cortina responsa daret. Scaliger *Apertam* quasi ἠπειρώτην, Æolice ἀπειρώταν dictum esse ait, quod peregrinus Deus sit. Parum mihi probatur hæc magni viri conjectura, quod Romani non minus fuerint Epirotæ, & continentis habitatores, quam Græci; a quibus Apollo Romam venit.

CAP. XXXV.
De Tenero.

TENERUS quidam filius Meliæ, & Apollinis apud Ismenum oraculum habuit. Eumdem arbitror fuisse cum oraculo Apollinis Ismenii. Pindar. od. II. *Pythion.* v. 5. & seqq. ἴτε γὰρ Μελίαν χρυσέων ἐς ἄδυτον τριπόδων θησαυρόν, ὃν περίαλλα ἐτίμασε Λοξίας Ἰσμήνιον δ' ὀνόμαξεν ἀλαθέα μαντείων θῶκον: *Ite ad Meliam in aditum aureorum Tripodum thesaurum, quem Apollo Ambiguus eximie honoravit, Ismeniumque vocavit, verum divinationibus locum.*

CAP. XXXVI.
De Archigeta.

FUIT & oraculum Apollinis Ἀρχηγέτου ductoris Principis. Thucydides lib. VI. de Sicilia agens, *Chalcidenses Græcorum primi Apollini Archigetæ aram posuerunt, ubi quoties e Sicilia solvunt oracula petituri primum sacrificant.*

CAP. XXXVII.
De Lycio.

LYCII Apollinis oraculum nobile, in Lycia ob Lupos fugatos, ut Festus. Virg. l. IV. *Æneid.* v. 346.

—— Lyciæ jussere capessere sortes.

Sidonius,

Non sortes Lyciæque Cæritumque Responsa.

Item lib. IV.

Nunc Lyciæ sortes, nunc & Jove missus ab ipso,
Interpres Divum.

Apollo Λυκοκτόνος, Sophocli in *Electra*, cui Lupi immolari, αὐτὴ δ' Ὀρέστα τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ ἀγορὰ Λύκειος, hoc est, *Oreste, forum Lyceum Dei Lupicidæ*. Lycius Apollo a Lycio quem vicit, ait Festus, aut a candore, quia Sol Λευκός, aut quia transfiguratus in Lupum cum Cirene concubuit. In Lyciæ regione, Patara lucus fuit, ubi Apollo responsa dedit, ait Servius.

CAP. XXXVIII.
De Aqua Cyanea.

ITEM, ut ostendimus ex Pausania, aqua fuit ad Cyaneas Apollinis sacra, in qua futura cernebantur.

CAP. XXXIX.
De Bajano.

APOLLINIS Bajani oraculum fuit apud Capitolinum in *Albino* cap. V. *Cornua in templo Apollinis Bajani ab eodem posita jam Tribuno diu fuisse dicuntur, quod cum ille sortem de fato suo tolleret, his versibus eidem dicitur esse responsum.*

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumque rebellem.

CAP. XL.
De Telmessio.

TELMESSII Apollinis oraculum Stephan. ponit. *Telmessus*, inquit, *ex Hyperboreis venit, & in Caria constitit, ubi Telmessii Apollinis fanum posuit, & oraculum.* Telmessum seu Telmissum vocant fratrem Galeotæ, qui in Sicilia vaticinatus est. Ab oraculis Apollo Προόψιος, *Præsagus*, & Μαντῷος dictus est, ut Plutarcus lib. *de tranquillit.*

CAP. XLI.
De Selinuntio.

SELINUNTII Apollinis oraculum fuit Selinunte, ut Strabo lib. X. Ellopem προσκτήσασθαι, Αἴδηψον, καὶ Ὀροβίαν, ἐν ᾧ μαντεῖον ἦν ἀψευδέστατον. ἦν δὲ μαντεῖον καὶ τοῦ Σελινουντίου Ἀπόλλωνος, *acquisivisse præterea* (vide an legendum προσκτίσασθαι, *condidisse*, quia eum prius dixerit κτίσαι Ἐλλοπίαν) *Aidepsum, & Orobiam, ubi oraculum erat veracissimum, quod Apollini Selinuntii fuit.*

CAP.

Cap. LXII.
De Corintho.

CORINTHI Apollinis oraculum apud Messenios fuit in ora maritima, ubi morbi levabantur, narrante Pausania lib. IV.

Cap. XLIII.
De Heliopolitano.

HELIOPOLITANI Apollinis simulacrum aureum consulebant absentes, & præsentes, missis diplomatibus consignatis. Macrob. lib. I. *Satur.* cap. XXIV. Hujus templi apud Assyriorum Heliopolim religio etiam divinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est. Vehitur enim simulacrum Dei Hieropolitani ferculo.

Cap. XLIV.
De Gemini Apollinis Oraculo.

GEMINUS Apollo dictus, quia eodem partu cum Diana sorore a Latona in lucem editus est. Idem omnino fuit cum Didymæo Apolline. Gemini Apollinis oraculi meminit Paul. Diaconus lib. II. *hist. Miscel. Licinius expertus est oraculum Delphici, Geminique Apollinis* voluit Didymæum interpretari.

Cap. XLV.
De Philesii Apollinis Oraculo.

PHILESIUS Apollo dictus est ἀπὸ τῦ φιλήματος Βράγχε, *ab osculo Branchi*. Ejus oraculi meminit Arnobius lib. I. *Delius Apollo, vel Clarius, Didymæus, Philesius, Pythius, & is habendus divinus est.* Macrobius lib. I. *Satur.* cap. XVII. *Apollo Philesius, quod lumen ejus exoriens amabile, amicissima veneratione oculorum consalutamus.*

Cap. XLVI.
De Thymbræi Apollinis Oraculo.

THYMBRÆUS Apollo dictus a Thymbra Campo, qui Trojæ proximus fuit, ut scribit Strabo lib. XIII. Statius,

Seu Trojam Thymbræus habes.

Virgilius *Æneid.* lib. IV. vers. 83.

Da propriam Tymbrææ domum. ——

Luctatius *ad Statium, Thymbræum agrum Tymbra berba plenum esse ait, in quo est nemus, & templum Apollinis, ubi a Paride Achilles occisus est.* Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. XVII. Θυμβραῖος ὅτι τȣ̀ς ὄμβρȣς θεὶς, *quod est Deus imbricitor*. Hesychius, Θύμβρα τόπος τῆ ἰλίȣ περὶ τὸ Θύμβρον λεγόμενον ποταμὸν, τῆ ἀρχαίας πόλεως ἀπέχοντα σαδίȣς δέκα, ὅπȣ γε καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος Θυμβράκȣ: Puto legendum, Θυμβραίȣ.

Cap. XLVII.
De Pergameni Apollinis Oraculo.

PERGAMENI templum Apollinis fuit celebre, quo Æneas a Diomede vulneratus ab Apolline delatus est apud Homer. lib. V. *Iliad.*

—— θῆκεν Ἀπόλλων
Περγάμῳ εἰν ἱερῇ, ὅθι οἱ νηός γ' ἐτέτυκτο.

In omnibus Apollinis templis dæmones responsa dabant.

Cap. XLVIII.
De Templo Lybistini Apollinis.

MACROBIUS lib. I. cap. XIII. *Apud Pachinum Siciliæ promontorium Apollo Libystinus eximia religione celebratur. Nam cum Lybici invasuri Siciliam classem appulissent ad id promontorium, Apollo qui ibi colitur, invocatus ab incolis immissa hostibus peste, & pene cunctis subita morte intercepit, Libystinus cognominatus est.* Olim ubicunque Apollinis templa erant, ibidem & oracula fuisse dicuntur.

CAP. XLIX. Naxi fuit ara Apollinis Archegetæ, ubi quoties e Sicilia solverent, oracula petituri primum sacrificabant, ait Thucydid. lib. VI.

CAP. L. Apollinis Ἐπικȣρίȣ, ara fuit apud Phygaliam in Arcadia, quod Arcadibus peste laborantibus opem tulisset, Pausania teste.

CAP. LI. Athenis fuit ædes πατρῴȣ Apollinis. Orpheus apud Macrobium lib. I. *Sat.* cap. XIV.

Πατρὸς ἔχοντα νόον, καὶ ἐπίφρονα βȣλήν.

Quia progenerandis omnibus Sol præbet causas.

CAP. LII. Ædes fuere apud Camirenses Ἐπιμηλίȣ, opilionis Apollinis, apud Naxios Ποιμνίȣ, apud Lesbios Ναπαίȣ, apud Macrobium, Phurnutum, Pausaniam.

CAP. LIII. Platanistii Apollinis templum via Trœzenia fuit apud Pausaniam.

CAP. LIV. Item apud Trœzenios templum Θεαρίȣ, vel ut legit Hesychius, Θεωρίȣ Ἀπόλλωνος.

CAP. LV. Apud Dores templum Ἐπιβοπίȣ Apollinis, ut Dionys. Halycar. lib. IV.

CAP. LVI. Apud Mitylenæos ædes μαλλόεντος Ἀπόλλωνος, ut Thucydides libro III. & Hesychius.

CAP. LVII. Pagasæi Apollinis Templum fuit Pagasis in promontorio Magnesiæ, ut Scholiastes Apollonii Rhodii. Hesiodus in *Clypeo* vers. 70.

Πᾶν δ' ἄλσος, καὶ βωμὸς Ἀπόλλωνος Παγασαίȣ.
Omne nemus, & ara Apollinis Pagasæi.

CAP. LIVII. Ἐπιβατηρίȣ Apollinis ædes apud Trœzenios, ut Pausan. qui præerat portu solventibus. Προστατηρίȣ Apollinis fanum in Attica, ut Pausan. qui præerat ædium vestibulis. Sophocles in *Electra*, vers. 638. 639.

Κλύοις ἂν ἤδη προστατήριε,
Κεκρυμμένην μȣ βάξιν.

Audi Phœbe prostaterie meum sermonem occultum. Ubi Scholiastes, προστατήριος ὅτι πρὸ τῆς θυρῶν ἵδρυται. Tertull. *de Idololatr.* Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον, & Anthelios dæmonas ostiorum præsides legimus. Aristides *hymno in Minervam* προπύλαιον Ἀπόλλωνα vocat. Vide Pausaniam.

CAP. LIX. Callimachus apud Hyginum *de Argo*. In finibus Magnesiæ Actii Apollinis delubrum fuisse ait. Orpheus in *Argonaut.* Ἐπάκτιον littorum præsidem, ζηνὶ πανομφαίῳ, καὶ ἐπακτίῳ Ἀπόλλωνι.

CAP. LX. Templum Θεοξενίȣ Ἀπόλλωνος, apud Pellenenses in Achaja, ut Pausan.

CAP. LXI. Παῤῥασίȣ, καὶ Ἐπικουρίου Ἀπόλλωνος, templum in Lycæo Arcadiæ monte, ut Pausan.

CAP. LXII. Agyieo, seu viali Apollini Tegæates simulacra erexere, ait Pausanias lib. I. *Eliac.* παρὰ τὰς ἀγυιὰς, τουτέσι στενωπούς, angiportus. Horat. lib. IV. *Od.* VI.

Phœbe qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camenæ
Lævis Agyieu.

Suidas ἀγυιέα columnam esse ait in acutum desinentem, quam pro foribus collocant Apollini sacram. ἀγυιεὺς item ara pro foribus.

CAP. LXIII. Amyclæi Apollinis templum Amyclis, ut Polyb. lib. v. cap. XIX.

CAP. LXIV. *Κυτίνȣ Ἀπόλλωνος* delubrum fuit in Rhescynto Thraciæ, ut scribit Scholiastes Nicandri, dictus autem a *κυτίνοις*, qui sunt primi flores decidui ex malo Punica.

CAP. LXV. Daphnæi Apollinis templum Antiochus Epiphanes struxit narrante Ammiano Marcell. lib XXII.

CAP. LXVI. Oropæi Apollinis templum nobile in Orope Eubœæ civitate, ait Stephan. lib. *de Urb.*

CAP. LXVII. Hylatæ Apollinis templum in Hyla Cypri urbe fuit. Dionysius lib. III. Bassaricon, apud Stephanum.

Οἵτ' ἔχον Ὑλάται Θεȣ̃ ἕδος Ἀπόλλωνος
Τέμβρον, Ἐρύθειάν τε, καὶ εἰναλίην Ἀμαμασσόν.

Quinque tenent Hylatæ Dei sedem Apollinis Tembrum,
Erysthεam, & maritimam Amamassum.

CAP. LXVIII. Myricæi Apol. templum Lesbi fuit ramos myricæ tenentis. Scholiastes Nicandri ad Theriaca, de Oraculis per myricæ ramos.

CAP. LXIX. Tegyræi Apol. oraculum Tegyræ in Bœotia fuit, de quo Plutarchus in *Pelopida*.

CAP. LXX. Lithesii Apol. templum fuit in Litho Maleæ, de quo Stephanus, & Suidas.

CAP. LXXI. Geruntii Apol. in Thracia templum commemorat Livius lib. XXXVIIV. cap. XLI

CAP. LXXII. Apollin. Telchinii delubrum apud Lindios fuit, ut Pausan. scribit. Telchines multarum artium repertores Rhodi fuere apud Diodorum Sicul.

CAP. LXXIII. Carnei Apol. templum in Laconibus fuit, de quo Pausanias in *Laconicis*.

CAP. LXXIV. *Γενήτορος* Apol. Deli ara fuit, de qua, auctore Macrobio, Virgilius loquutus est, cum dixit,

Da pater augurium.

Cato Apollinem Genitivum vocat.

CAP. LXXV. Halæi Apollinis templum in majori Græcia fuit prope Crotonam a Philoctete exstructum, cum erroribus suis finem statueret, ut Tzetzes *ad Lycoph.*

CAP. LXXVI Themenites Apollo Syracusis in quiete responsa dabat, ut Sueton. in *Tiberio*, cap. LXXIV.

CAP LXXVII. Gergithii Apol. oraculum fuit in urbe Troadis Gergitho, ubi & Gergithiæ Sibyllæ sepulcrum, ait Stephanus, & Phlegon l. I. *Olympiad.*

CAP. LXXVIII. Προοψίȣ, seu *Præsagi* Apollinis templum fuit, ut Pausan. in *Atticis*.

CAP. LXXIX. Larisseni Apoll. templum in Campis Caystri, ut Strabo, & Stephanus.

CAP. LXXX. Πολιȣ̃, seu *cani* Apollinis delubrum Thebis fuit, ut Pausan. in *Bœotic.*

CAP. LXXXI. Stobæi Apollinis oraculum apud Abas fuisse nonnulli scribunt, sed pro Stobæo Abæus restituendus.

CAP. LXXXII. Salganei Apollinis templum fuit in Salganeo Bœotiæ oppido Σαλγανεὺς Ἀπόλλων, ut Stephanus.

CAP. LXXXIII. Marmarini Apoll. insigne templum fuit in Marmario oppido, quod Carysto vicinum, ait Strabo lib. x.

CAP. LXXXIV. Ibidem Lathræi Apoll. templum prope Calydonem ponit.

CAP. LXXXV. Ægleti Apoll. templum in Anaphe fuit prope Cretam, cujus meminit Callimachus, Αἰγλήτην, Ἀνάφην Τελχινίδι γείτονα Θήρα.

CAP. LXXXVI. Cataonis Apollinis delubrum in Cappadocia ponunt Strabo, & Stephanus. Catao-nia est ad extremam Tauri montis partem, *κατaονία μοῖρα ἐσχάτη τȣ̃ Ταύρȣ.*

CAP. LXXXVII. Cyllæi Apollinis templum Strabo lib. XIII. in agro Adramitteno ponit.

CAP. LXXXVIII. Phyllæi Apollinis fanum in agro Pthiothico fuit, ut Strabo lib. IX.

CAP. LXXXIX. Tarrhæi Apollinis delubrum in urbe Cretæ Tarrhæ ponit Stephanus, *Τάῤῥα πόλις Κρήτης ἐν ᾗ Ταῤῥαῖος Ἀπόλλων τιμᾶται.*

CAP. XC.
De Oraculo Nicephori Jovis.

ORACULUM Nicephori Jovis commemorat Spartian in *Hadriano*, cap. II. *habuit præsumptionem Imperii mox futuri ex fano quoque Nicephori Jovis manente responso*, ἱερὸν Νικηφόρȣ Διός, *victoriam ferentis Jovis*.

CAP. XCI.
De Oraculo Cælestis.

CARTHAGINE Cælestis Deæ oraculum fuisse Tertullianus, Capitolin. in *Macrino*, c. III. & Apulejus docent. Tertul. in *Apologet. Ista ipsa virgo Cælestis pluviarum pollicitatrix.* Spartianus in *Celso Tyranno, qui Peplo Deæ Cælestis ornatus est.* Capitolin. in *Pertinace*, cap. IV. *Vaticinationibus, quæ de templo Cælestis emergunt.* Junonem esse vult Apulejus *Milef.* VI. *Magni Jovis germana, & conjuga, sive tu Sami tenes delubra, sive celsæ Carthaginis, quæ te virginem vectura Leonis cælo commeantem percolit.* Pingebatur enim leoni insidens, ut Luctatius ad lib. x. *Thebaid.* S. Ambrosius item *in Symmachum* esse putat Junonem. Quidam Venerem Uraniam esse volunt. Eam Heliogabalus Deo suo Alagabalo nuptum dedit. Xiphilin. τὴν ȣ̓ρανίαν τὴν καρχηδονίων. Ammianus lib. XXII. *Deæ Cælestis argenteum breve figmentum.* Apul. *Flor.* IV. Salvian. lib. VIII. *Cælestem illam Afrorum dæmonem.* Augustin. lib. II. *de Civit.* cap. IV. De ludis Scenicis, *Cælesti virgini, quam alii Venerem, quidam Junonem, alii Cererem esse volunt.*

CAP. XCII.
De Oraculo Dei Luni.

DEI Luni Carris oraculum fuit. Spartian. in *Caracall.* cap. VII. *A Carrenis ita haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat: At vero, qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori.* Strabo l. XII. Μῆνα vocat, non Σελήνην.

CAP. XCIII.
De Castalii Fontis Oraculo.

ID in Antiochiæ suburbio fuisse docet Ammian. lib. XXII. Sozomenus lib. v. cap. XIX.

CAP. XCIV.
De Besæ Dei Oraculo.

AMMIANUS lib. XIX. cap. XII. *Oppidum est Abydus in Thebaidis parte situm extrema. Hic Besæ Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.*

CAP. XCV.
De Oraculo Antinoi.

SPARTIANUS in *Adriano*, cap. XIV. Græci Antinoum consecraverunt, oracula per eum edi asseverantes. Vetus Inscriptio, Ἀντινόῳ συνθρόνῳ

Θεῶν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ Μάρ. Οὔλπιος Ἀπολλώνιος προφήτης.

C A P. XCVI.
De Oraculo Pasiphaes.

PASIPHAES, & Hermionæ oraculi meminit Tertullianus lib. *de Anima*, *nam oraculis hoc genus stipatus est orbis, ut Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Malum, Sarpedonis in Troade, Trophonii in Bœotia, Mopsi in Cicilia, Hermionæ in Macedonia, Phasiphaæ in Laconibus.* Plutarch. in *Agide*, ἱερὸν δὲ Πασιφάης καὶ μαντεῖον ἐν Θαλάμαις τιμώμενον, ἣν τινες μὲν ἱστοροῦσι τῶν Ἀτλαντίδων μίαν οὖσαν ἐκ Διὸς, τὸν Ἄμμωνα τεκεῖν; *Templum erat, & oraculum Pasiphaæ in Thalamis urbe Messeniæ honoratum, quam nonnulli ajunt cum una esset ex filiabus Atlantis Ammonem ex Jove peperisse.* Cicero lib. I. *de Divinitat.* cap. XLIII. *qui præerant Lacedæmoniis in Pasiphaæ fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant.* Stephanus Thalamas in Messeniis ponit. Cicero Pasiphaes oraculum in agro propter urbem Lacedæmonem. Sed & Pausanias in *Laconicis*, in Thalamis Inus oraculum fuisse ait, & fanum in quo per Somnia consulentibus responsa darentur; ubi ex ære duo signa in parte quæ sub divo est, Pasiphaæ unum, (ita lege, non Paphiæ) Solis alterum.

C A P. XCVII.
De Oraculo Apollonii.

APOLLONII mortui oraculum fuit, quod ex ejus simulacro reddebatur. Ejus meminit Justinus *in quæst. ad orthod.* IV. XXIV. αὐτὸν δὲ τὸν δαίμονα τὸν ἐν τῷ ἐκείνου ἀγάλματι ἱδρυμένον, τὸν ἐν ταῖς μαντείαις ἀπατήσαντα τοὺς ἀνθρώπους ὡς Θεὸν σέβειν καὶ τιμᾶν τὸν Ἀπολλώνιον ἐφίμωσε καταργήσας αὐτοῦ τὰς μαντείας: *ipsum autem dæmonem in ejus simulacro positum, qui vaticinando deceperat homines, & jusserat Apollonium honorare ut Deum, vir Christianus obmutescere jussit, & ejus vaticinia sustulit.*

C A P. XCVIII.
De Oraculo Sinopensi.

ORACULUM Apollinis Sinope fuit. *Is qui scripsit Chrestomathe jus ad Strabonem*, ἦν ἐν Σινώπῃ Ἀπόλλωνος μαντεῖον, ὅθεν Διογένης τὸν χρησμὸν ἔλαβεν, ἵνα παραχαράξῃ τὸ νόμισμα: *Erat Sinope Apollinis oraculum unde responsum datum Diogeni, ut nummum adulteraret*, id est, consuetudinem mutaret, & a vita perdita, ad vitam frugi, & honestam transiret: apud Suidam enim νόμισμα dicitur τὸ νόμιμον ἔθος.

C A P. XCIX.
De Oraculo Æsculapii.

EUSEBIUS lib. III. *vitæ Const.* Æsculapium vocat τὸν Κιλίκων δαίμονα, ὡς ἦν ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ ἰατρῷ, πότε μὲν ἐπιφαινόμενον τοῖς ἐγκαθεύδουσι, ποτὲ δὲ τῶν τὰ σώματα καμνόντων ἰώμενον τὰς νόσους. Cum templa eversa essent jussu Constantini, ἢ τῶν νεκρῶν σωμάτων ὑπῆν ὀστέα, ξηρά τε κρανία, γοήτων περιεργείαις ἐσκευωρημένα, ἢ ῥυπῶντα ῥάκη βδελυρίας αἰσχρᾶς ἔμπλεα, ἢ χόρτου, καὶ καλάμης φορυτός: *aut ossa suberant cadaverum, & calvæ capitis aridæ, magorum curiosis artibus adornatæ, aut centones laceri ac sordidi spurcitia pleni, aut fœni, & calamorum colluvies.*

C A P. C.
De Oraculo Daphnes.

ANTIOCHIÆ fuit oraculum Daphnes, de quo Zonaras in *Juliano desertore*, ἔθυε δὲ τῷ Δαφναίῳ Ἀπόλλωνι ἑκατόμβας ὅλας χρησμὸν ζητῶν ἐξ ἑαυτοῦ. ὡς δ' ἦν τὸ εἴδωλον ἐκεῖνο κωφὸν, οἱ νεωκόροι τὴν αἰτίαν τῆς σιωπῆς ἀπαιτούμενοι, διὰ τοὺς ἐκεῖ κειμένους νεκροὺς σιωπᾶν τὸ ἄγαλμα ἔλεγον. ἦσαν γὰρ ἐκεῖ ἑτέρων τε μαρτύρων κείμενα λείψανα, καὶ τοῦ ἱερομάρτυρος Βαβύλα: *sacrificavit Apollini Daphnæo integras Hecatombas oraculum exposcens. Cum autem simulacrum sileret, æditui rogati causam, responderunt silere, quia ibi mortui siti essent. Erant enim ibi & aliorum martyrum, & ipsius Babylæ reliquiæ,* quas omnes transferri jussit Julianus.

C A P. CI.
De Redeuntibus ab Oraculo.

AB Oraculo coronati redire soliti erant. Eurip. in *Hippolyto*, τί δῆτα τοῖς δ' ἀνέστεμμαι κάρα πλεκτοῖσι φύλλοις δυστυχὴς θεωρὸς ὤν; Ubi Scholiastes, ἔθος γὰρ ἦν τοὺς ἐξ ἱεροῦ στελλομένους στέφεσθαι. Sophocl. in *Oedipo tyran.* οὐ γὰρ ἂν κάρα πολυστεφὴς ὧδε εἷρπε παγκάρπου δάφνης. Scholium, οἱ γὰρ ἐπί τινι αἰσίῳ παραγενόμενοι ἐκ Δελφῶν ἐστεμμένοι ἐπανῄεσαν. *Quid sane coronatus sum caput foliis plectilibus, cum sim Theorus infelix? Moris enim erat Theoros redeuntes e templo coronari. Non enim capite coronato laurea corona undique decerpta rediret. Qui fœlici accepto responso ex Delphis redibant, coronati erant.* Scholiastes Eurip. ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τοῦ οἴκου προσεκύνουν αὐτούς: *quando redibant ab oraculo coronati erant, & omnes domestici eos adorabant.* Polyænus l. II. *Stratag.* c. III. Ex. VIII. Epaminondas ante Leuctricum prœlium cum videret milites suos territos, jubet quendam occurrere coronatum quasi a Trophonio redeuntem. Apollon. Scholiastes l. II. ἐχρῶντο τῇ στέψει τριχῶς, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἐπὶ τοῦ μετώπου, ἐπὶ τοῦ τραχήλου τιθέμενοι τοὺς στεφάνους, διὰ τὸ θυμηδὲς τῆς τριμεροῦς ψυχῆς. Scholiastes Sophocl. in *Trachin.* ἔθος γὰρ τοὺς χρησμὸν δεχομένους παραχρῆμα γράφειν, ἵνα μὴ λάθωνται: *utebantur coronatione trifariam, in capite, in fronte, in collo; ob tres animæ facultates. Qui acceperant oraculum, illud statim scribebant, ne excideret.*

C A P. CII.
De Oraculo Ulyssis.

APUD Eurytanas Ætoliæ populos ab Euryto dictos fuit oraculum Ulyssis. Tzetzes ad hæc verba Lycophronis, Μάντιν δὲ νεκρὸν Εὐρυτὰν στέψει λεώς. *Populus autem vatem mortuum Eurytum coronabit.* Ἀριστοτέλης φησὶν ἐν Ἰθακησίων πολιτείᾳ Εὐρυταίας ἔθνος εἶναι τῆς Αἰτωλίας, ὀνομασθὲν ἀπὸ Εὐρύτου παρ' οἷς εἶναι μαντεῖον Ὀδυσσέως.

C A P. CIII.
De Oraculo prope Neocæsaream.

SANCT. Gregorius Nyssenus in *vita Sancti Gregorii Thaumaturgi*, scribit cum peregrinaretur, in urbem quandam devenisse eum, ubi *celeberrimum erat templum Deo cuidam sacrum*, cujus nomen non adscripsit, *ubi splendidus & manifestus dæmonum appulsus æditui fiebat, a quibus oracula reddebantur.* Gregorius Neocæsariensis dæmones eo templo expulit, & ædituum ad Christi cultum traduxit, τὸ δὲ ἱερὸν ἐκεῖνο ἐπισήμων ἦν, ἐν ᾧ τις φανερὰ τῶν θεραπευομένων δαιμόνων ἐπιφοίτησις τοῖς νεωκόροις ἐγίνετο, μαντικῆς τινος χρησμῳδίας

παρ' αὐτῷ ἐνεργυμένης. Loci ubi fuerit templum illud non satis memini, nec jam librum Græcum ad manum habeo.

CAP. CIV.
De Veneris Aphacitidis Oraculo.

VENERIS Aphacitidis oraculum fuit in Ægypto, ut scribit Zozimus l. I. *Apacha locus est medio inter Heliopolim & Biblum itinere, ubi fanum est Veneris Aphacitidis. Propter fanum lacus est, in quem dona aurea, argenteaque mittebantur, quæ si respuerentur, inauspicatum erat; si admitterentur, & mergerentur, auspicatum:* εἰ δὲ ἄδεκτα, καὶ ἀπόβλητα, αὐτά τε ἦν ἐπιπλέοντα τῷ ὕδατι: *si innatarent aquæ*, &c. *Ibidem erat lucus, & fanum extra viam publicam, & trivia in cacumine Libani, ubi omnis impudicitiæ ac libidinis exercitatio fuit, & schola*. Eusebius l. III. *de vita Constant.* ἄλσος ἦν, καὶ τέμενος ἔξω πάτου, τριόδων τε, καὶ λεωφόρων αἰσχρῷ δαίμονι Ἀφροδίτης ἐν ἀκρωρείας μέρει τοῦ Λιβάνου ἐν Ἀφάκοις ἱδρυμένον. σχολή τις ἦν αὕτη κακοεργίας πᾶσιν ἀκολάστοις. fol. 144. pag. I. *Dies stata fuit, qua per invocationem a cacumine Libani ignis trajiciens quasi stella per aerem lapsa in fluvium se mergebat prope fluentem. Dicebant autem astrum hoc cælestem esse Venerem.* Sozomen. lib. II. cap. V. fol. 23. pag. I. ἐν Ἀφάκοις δὲ κατ' ἐπίκλησίν τινα, καὶ ῥητὴν ἡμέραν ἀπὸ τῆς ἀκρωρείας τοῦ Λιβάνου πῦρ διάϊσσον καθάπερ ἀστὴρ εἰς τὸν παρακείμενον ποταμὸν ἔδυνεν. ἔλεγον δὲ τοῦτο τὴν οὐρανίαν εἶναι ὧδε τὴν Ἀφροδίτην.

CAP. CV.
De Herculis Oraculis in Mesopotamia.

IN Mesopotamia fuit Herculis oraculum, cujus meminit Tacitus lib. XII. *Annal.* c. XIII. *Gotarzes apud montem, cui nomen Sambulos vota Diis loci suscipiebat, præcipua Religione Herculis, qui tempore statuto per quietem monet Sacerdotes, ut templum juxta equos venatui adornatos sistant. Equi ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. Rursus Deus quas sylvas perreraverint, nocturno visu demonstrat, reperiunturque fusæ passim feræ.*

CAP. CVI.
De Herculis Oraculo Athenis ad Cynosarges.

DÆMONES etiam ad focum intra privatorum ædes ubi colebantur, interdum oracula, & responsa dabant. Suidas in voce *Cynosarges*. Κυνόσαργες τόπος τίς ἐστιν παρ' Ἀθηναίοις, καὶ ἱερὸν Ἡρακλέους: *Cynosarges locus Athenis, & templum Herculis*: hac de causa, Δίδυμος ὁ Ἀθηναῖος ἔθυεν ἐν τῇ ἑστίᾳ. εἶτα κύων λευκὸς παρὼν ἥρπασε τὸ ἱερεῖον, καὶ ἀπελθὼν εἴς τινα τόπον ἀπέθετο. ὁ δὲ περιδεὴς ἦν. ἔχρησε δὲ αὐτῷ ὁ Θεός, ὅτι εἰς ἐκεῖνον τόπον οὗ τὸ ἱερεῖον ἀπέθετο Ἡρακλέους βωμὸν ὀφείλει ἱδρύσασθαι: *Didymus Atheniensis rem divinam ad focum faciebat. Deinde canis albus abstulit victimam, & egressus in certo loco deposuit. Cum sibi metueret Didymus, ei Deus responsum dedit, ut in eo loco ubi canis hostiam reposuisset, Herculi aram poneret.* Stephanus in verbo *Cynosarges, Diomum* vocat, non *Didymum*, Δίωμος Ἡρακλεῖ ὡς Θεῷ θύων. Locum Διώμεια vocari ait.

CAP. CVII.
De Herculis per somnia Oraculo.

HERCULES & per somnia responsa dedit. Cum enim Marcus Octavius Herennius mercaturam exerceret, idque illi pro animi sententia succederet, decimam Herculi non dedit, ait Varro. Accidit autem cum navigaret ut à Prædonibus circumveniretur. Ille ut erat animi intrepidus strenue pugnavit, atque ita periculo exemptus est; cui de nocte visus adesse Hercules, qui per quietem moneret eum servatum fuisse sua ope. Quare Octavius area impetrata a magistratibus, Herculi Victori æde posuit. Vide Servium ad hæc Virgilii lib. VIII. *Æneid.* vers. 362. 363.

—— Hac limina Victor
Alcides subiit.

CAP. CVIII.
De Buraici Herculis Oraculo.

BURA Achajæ urbs fuit, ubi in specu Hercules talorum jactu vaticinia dabat, narrante Pausania. Qui Deum consulebant ante simulacrum Dei precibus conceptis quatuor talos e pluribus qui ibidem erant, super mensam jaciebant, in quibus vaticinia notis expressa.

CAP. CIX.
De Herculis Gaditani Oraculo.

POMPONIUS Mela lib III. cap. VI. *duo promontoria Gadibus fuisse* ait, *quorum in altero templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre*. In Gaditani Herculis templo fuisse oraculum, quod consuluerit Hannibal, testatur Silius lib. III. vers. 17. & seqq.

Vulgatum nec cassa fides, ab origine fani
Impositas durare trabes, solasque per ævum,
Condentum novisse manus: hic credere gaudent,
Consedisse Deum, seniumque repellere templis:
Tum queis fas & honor adyti penetralia nosse,
Fœmineos prohibent gressus.

CAP. CX.
De Drimachi Oraculo.

Ακακήσιον πόλις Ἀρκαδίας ἀπὸ Ἀκάκου παιδὸς Λυκάονος, *Acacesium urbs Arcadiæ ab Acaco filio Lycaonis*, ait Stephanus. Acacesii Mercurii templum spectabile fuit in urbe Megalopoli juxta Philippi porticum, ait Pausanias l. VIII. ubi & Oraculum apud Stephanum, Ἀλυχμη ἐν ᾗ τιμᾶται Ἄλυχμος Ἑρμῆς, *Aluchma urbs, in qua colitur Aluchmus Mercurius*. Ubi fana, ibi & a dæmonibus responsa ut plurimum. Nec enim perpetuum id fuit.

CAP. CXI.
De Drimachi Oraculo.

ATHENÆUS lib. VI. scribit Chios Drimachi servos fugitivos æquitatis memores, ei mortuo Heroum posuisse in agro suo, quod Herois mansueti, & benevoli appellarint, καὶ αὐτῷ ἔτι καὶ νῦν οἱ δραπέται ἀποφέρουσιν ἀπαρχὰς πάντων ὧν ἀφέλονται. φασὶ δὲ καὶ καθ' ὕπνους ἐπιφαινόμενον πολλοῖς τῶν χίων προσημαίνειν οἰκετῶν ἐπιβουλάς. *Et hodieque servi fugitivi primitias eorum quæ rapuerint, ei deferunt. Ajunt eum in somnis multis Chiorum apparere, & prænuntiare famulorum insidias.*

CAP. CXII.
De Apollinis ad Hyblam Oraculo.

ATHENÆUS lib. XV. ad Hyblam oraculum Apollinis esse ait, τῶν Καρῶν δεισιδαιμονίᾳ περισχεθέντων ἐπὶ τὸ μαντεῖον τοῦ Θεοῦ παραγενομένων εἰς Ὕβλαν, θεσπίσαι τὸν Ἀπόλλωνα: *Cum Cares Religio-*

A *ne ducerentur, ad Dei oraculum, quod est ad Hyblam, iverunt, quibus vaticinatus est Apollo*. Sed vide an error sit in voce *Gyblæ*, pro qua forte reponendum, εἰς Ἄβας. Cares cum Junonis delubrum vinculis alligassent, ad Apollinem Theoros miserunt.

CAP. CXIII.
De Oraculo Cenei.

STRABO lib. VII. scribit Boerebistam Getam Augusti Cæsaris ætate belli scientem ducem usum Cenei ministerio, Κενεὸν ἄνδρα γόητα, πεπλανημένον κατὰ τὴν Αἴγυπτον, καὶ προσημασίας ἐκμεμαθηκότα τινὰς, δι᾽ ὧν ὑπεκρίνατο τὰ θεῖα, καὶ δι᾽ ὀλίγου καθίστατο Θεός: *Ceneum habuit præstigiatorem, qui peragrarat Ægyptum, & vaticinia quædam didicerat, quibus se Deum ferebat, & brevi Deus factus est.*

CAP. CXIV.
De Palicorum Oraculo.

MACROBIUS lib. V. *Saturn.* scribit, Palicos fratres cum in Sicilia sterilis annus esset, consultos respondisse, ut Heroi cuidam sacrificium facerent, quo facto ubertas Siculis redierit, qui beneficii memores omne frugum genus in ara Palicorum congessere: unde etiam ex re *pinguis ara* dicta est a Virgilio lib. IX. *Æneid.* vers. 585.

Pinguis ubi placabilis ara Palici.

Stephanus, Παλικὴ πόλις Σικελίας, πλησίον δ᾽ αὐτῆς ἱερὸν Παλικῶν καὶ κρῆναι. ἔστι δὲ καὶ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι· ὅσα γὰρ ὀμνύειν τις εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν οὖν εὐορκῇ ἐπιπολάζει· ἐὰν δὲ μὴ εὐορκῇ τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται: *Palice Siliciæ urbs, proxime quam fanum Palicorum & fons. Ibi jusjurandum sanctum est. Qui enim jurat, jusjurandum in tabella scriptum mittit in aquam. Si vere jurat, tabella natat in superficie, si falso, evanescit tabella, ipse uritur.*

CAP. CXV.
De Jovis Pistoris Oraculo.

LACTANTIUS lib. I. *Quo tempore Galli Capitolium obsidebant, Jovi Pistori ara posita fuit, quod Romanos Deus in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent, eoque facto soluta est obsidio.* Ovidius lib. VI. *Fastorum* vers. 394.

Candida Pistori ponitur ara Jovi.

CAP. CXVI.
De Oraculo Mopsi.

MOPSUS Apollinis & Mantus filius, Tiresiæ nepos tanta augurandi gloria fuit, ut post mortem ei templa dicata sint, a quorum adytis sæpe homines responsa accipiunt, ait Scholiastes Statii, vel ut alii appellant, Luctatius.

CAP. CXVII.
De Oraculo Dracontæi.

IN fragmentis Imerii Chartularii hæc leges, ἐν τῷ ἱπποδρομίῳ εἴδωλα πολλὰ ἐκ τῆς Ῥώμης ἥκοντα γεγόνασι. καθεζομένη γυνὴ ἐν σελλίῳ χαλκῆ Ἀθηνᾶ. τὸ Δρακονταῖον Ἀρκαδίου μὲν ἐκτύπωμά ἐστι, ἔνθεν καὶ χρησμοὶ ἕως τοῦ δεῦρο οὐκ ὀλίγοι γεγόνασι: *In circo multa sunt simulacra quæ Roma venerunt. Mulier sedens in sellula Minerva ærea. Dracontæum Arcadii vultum expressit, unde multa oracula in hunc diem fiunt.*

CAP. CXVIII.
De Orphei Oraculo.

ORPHEI Oraculum fuit, de quo Philostrat. lib. IV. cap. IV. παρῆλθε δὲ καὶ ἐς τὸ τοῦ Ὀρφέως ἄδυτον προσορμισάμενος τῇ Λέσβῳ, φασὶ δὲ ἐνταῦθά ποτε τὸν Ὀρφέα μαντικῇ χαίρειν. *Post hæc Lesbum trajiciens Orphei adytum intravit. Ferunt autem Orpheo placuisse illic vaticinari*, quousque sibi ab Apolline concessum fuit. Cum enim neque in Grynæum, neque in Claram, nec usquam alio ubi tripus Phœbi esset, oracula petitum accederent B homines, & solus Orpheus consulentibus responderet, capite ejus nuper ex Thracia advecto, superstans Apollo: Desine, inquit, quæ mea sunt, occupare. Jam enim satis te canentem pertuli. Idem in *Heroicis* in *Philoctete*. Λέσβου δὲ ὀλίγον ἀπεχούσης τοῦ Ἰλίου δυρὸς, ἔστελλον ἐς τὸ ἐκεῖ μαντεῖον τοὺς Ἕλληνας. ἔχρα δὲ οἶμαι ἐξ Ὀρφέως· ἡ κεφαλὴ γὰρ μετὰ τὸ τῶν γυναικῶν ἔργον ἐς Λέσβον κατασχοῦσα, ῥῆγμα τῆς Λέσβου ᾤκησε: *Cum Lesbus parum abesset ab Ilio* (illud δυρὸς deleo) *miserunt Græcos ad oraculum quod ibi fuit. Dabat autem Lesbus responsa ex Orpheo. Caput enim post fæminarum facinus Lesbum appulsum hiatum & rimam* (ῥῆγμα ita interpretor, non rupem) C *incoluit*, & in cava humo vaticinabatur, unde Lesbii, cæterique Æoles, atque his finitimi Jones ipso ad vaticinia utebantur. χρησμοὶ δὲ τοῦ μαντείου τούτου, καὶ ἐς Βαβυλῶνα ἀνεπέμποντο: *Responsa hujus oraculi & Babylona transmittebantur*. Multa enim & Persarum Regi hoc caput cecinit, Cyroque illi antiquo responsum inde datum esse dicitur, *Mea o Cyre tua sunt*, &c.

CAP. CXIX.
De Cabirorum Oraculo.

D CABIRI dicti Dii Samothraces, Dii potes, apud quos Oraculum fuisse docet S. Athanasius lib. *de Incarn.* καὶ τὰ ἐν Δελφοῖς, καὶ Δωδώνῃ, καὶ Βοιωτίᾳ, καὶ Λυκίᾳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Αἰγύπτῳ, καὶ Καβείροις μαντεύματα: *& vaticinia quæ Delphis, Dodonæ, in Bœotia, Lycia, Libya, Ægypto, & apud Cabiros in Samothracia edita.*

CAP. CXX.
De Oraculo Nympharum Sphragitidum.

ANTRUM Nympharum Sphragitidum in uno E vertice est Citheronis ad occasum æstivum, ait Plutarchus in *Aristide*. ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν πρότερον, καὶ πολλοὶ κατείχοντο τῶν ἐπιχωρίων, οὓς νυμφολήπτους προσηγόρευον: *Ubi olim oraculum fuit, & multi Deo passi indigenarum, quos Lymphatos, seu Nympholeptos, correptes a Nymphis vocabant.*

CAP. CXXI.
De Oraculo Veneris Gazensis.

MARCUS in *vita Sancti Porphyrionis Gazensis Episcopi*, Veneris Gazensis oraculum fuisse F monet.

CAP. CXXII.
De Jovis Beli Oraculo.

JOVIS Beli oraculum Babylone perpetuum non fuit: Sed ubi id reddendum erat, antistita noctu in templum concludebatur. Ea virorum consuetudine abstinebat. In ultima turre, ait Herodot. lib. I. cap. CLXXXI. νηὸς ἔπεστι μέγας, ἐν δὲ τῷ νηῷ κλίνη μεγάλη κέεται εὖ ἐστρωμένη, καὶ οἱ τράπεζα

παρακέε) χυσέη. ἐ ϳ νύκτα ἐδεὶς ἐναυλίζε) ἀνθρώπων, ὅτι μὴ γυνὴ μένη τ̃ ἐπιχωρίων τ̃ ἂν ὁ Θεὸς ἕλη) ἐκ πασέων: *Templum est ingens, & in templo pulvinar magnum jacet belle stratum, & mensa aurea, neque ullus hominum nocte cubat præter mulierem unam ex indigenis, quam ex omnibus Deus delegerit. Juppiter Belus colitur in Apameæ civitate Syriæ, qui Severo Imperatori consulenti respondit*, σοι δ' οἶκος πᾶς βήσε) δι' αἵματος, Xiphilino narrante in Caracalla, *Tibi domus omnis sanguine fuso exscindetur.*

CAP. CXXIII.
De Oraculo Amphilochi.

IN Mello Ciliciæ fuit Amphilocho μαντεῖον ἀψευδέστατον τ̃ ἐπ' ἐμῦ, ait Pausanias pag. 33. in *Atticis*. *Oraculum veracissimum omnium quæ mea ætate sunt.*

CAP. CXXIV.
De Oraculo Mycenis.

MYCENIS in arce Pelopis oraculum fuit. Seneca *Thyeste*, vers. 675. & seqq.

—— Hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata, & immugit specus
Vocem Deo solvente.

CAP. CXXV.
De Oraculo Latonæ in Ægypto.

HERODOTUS de hoc oraculo loquitur in hæc verba lib. II. c. CLV. τὸ χρηστήριον τῦτο τὸ ἐν Αἰγύπτῳ ἐστὶ μὲν Λητῦς ἱρὸν, ἐν πόλει ϳ μεγάλῃ ἱδρυμένον, ᾗ ὄνομα Βυτώ. ἱρὸν δὲ ἐστι ἐν τῇ Βυτοῖ ταύτῃ Απόλλωνος, ἐ Αρτέμιδος: *Oraculum illud in Ægypto Latonæ sacrum est in magna urbe situm, cui nomen Buto; templum autem in ea urbe est Apollinis, & Dianæ, & fanum Latonæ in quo oraculum.*

CAP. CXXVI.
De Oraculo Terræ.

AEGYRÆ fuit Telluris oraculum, & fanum, *ubi Sacerdos*, ait Plinius, *Terræ vaticinatura, tauri sanguinem bibit, priusquam in specum descendat*. Pausanias meminit in *Achaicis*. In Olympia fuit μαντεῖον τ̃ Γῆς, Pausan. in *Arcadicis*, *Telluris oraculum.*

CAP. CXXVII.
De Oraculo Trophonii.

PAUSANIAS lib. IX. *Qua montes consurgunt Orchomeniis finitimi, sunt Phocenses; qua campi patent, proxima est Lebadia, a qua modice recedit Trophonii lucus. Ubi statuerit aliquis in Trophonia descendere, aliquot dies in ædicula commoratur, quæ bono genio, & bonæ fortunæ sacra est, ubi se lustrat, & calidis aquis abstinet. Hercyna fluvio se abluit, carnes ei de victimis abunde sunt. Immolat enim qui huc descendit Trophonio, & filiis, Apollini præterea, Saturno, & aliis plerisque. Adest aruspex qui exta consulat. Deducunt sacrificuli hominem noctu ad Hercynam fluvium, & ungunt oleo, ac abluunt pueri tredecim annos nati, quos Mercurios vocant. Deinde aquam Lethes fontis bibit, & obliviscitur omnium: tum Mnemosynes aquas potat, ut quæ in Trophoniis viderit memoria teneat. Mox viso simulacro quodam, tunicam indutus lineam, teniis redimitus, soleis inductis subit. Oraculum est supra lucum in monte. Intra crepidinis ambitum specus est arte excisus. In altum subsidit hiatus cubitos*

A *octo altus sine ullis gradibus, quare scalæ admovendæ sunt, ut descendat. cum descendit, futura vel ex visis, vel ex auditis cognoscit. Neminem ex iis qui eo pervaserint, non reducem evasisse affirmant, uno excepto speculatore Demetrii, qui ritus sacros non observarat. Is qui exiit e specu, primo attonitus videtur, paulo post ei pristina mens, & risus redit, quæcunque vel audierit, vel viderit, cogitur in tabulam referre*. Cætera ex eodem require. *Trophonius & Agamedem fratres ejus ajunt* γενέσθαι δεινὲς, Θεοῖς τε ἱερὰ κατασκευάσασθαι, ἐ βασίλεια ἀνθρώποις. ἐ ϳδ τῷ Απόλλωνι τ̃ ναὸν ᾠκοδομήσαντο, τ̃ ἐν Δελφοῖς, ἐ Υριεῖ τ̃ θησαυρόν. B *Fuisse peritos & solertes, ut Diis templa statuerent, & regias regibus. Nam & Apollini Delphis templum, & Regi Hyrieo ærarium extruxerunt, in quo lapidem reliquerunt, qui eximi cum vellent, & restitui posset. qua arte cum exhaurirent regias gazas, laqueo manus Agamedis comprehensa est, cujus caput ne agnosceretur, Trophonius scidit*, ἐ Τροφώνιον μὲν ἐνταῦθα ἐδέξατο ἡ γῆ διαστᾶσα, ἔνθα ἐστὶν ἐν τῷ ἄλσει τῷ ἐν Λεβαδείᾳ βόθρος τε Αγαμήδυς καλέμενος, καὶ πρὸς αὐτῷ στήλη: *Et terra discendens ibidem Trophonium suscepit, ubi in saltu Lebadiæ fossa Agamedis dicta, & ad eam columna. Merces Trophonio fuit operis* C *ab Apolline vaticinandi gloria. Parmeniscus Metapontinus e Trophonio rediens ridere non poterat. Consulit super ea re Pythiam, quæ respondet* δώσει σοι μήτηρ οἴκῳ λῶ ἔξοχα τίε, *Mater mea tibi risum concitabit, quam eximie honora. Redux videt simulacrum ligneum deforme Latonæ, ridet*. Athen. lib. XIV. *Placentis placabant angues, qui frequentes in antro erant. Egressi nunquam ex eo ridebant*, ἐ τὴν τ̃ ὄφεων ἔκπληξιν, *quod a serpentibus in stuporem dati essent*. Unde parœmia, ἐς Τροφωνίε μεμάντευται, *in specu Trophonium consuluit*, id est, ἀγέλαστός ἐστι, ait Philostratus lib. VIII. & Aristophan. Scholiast. Euripid. in *Jone*. τὰς Τροφωνίου D θαλάμας, *cubilia* vocat. Gregor. Nazianz. *Stelitent*. ταῦτα μὲν παιζέτωσαν παρ' ἐκείνοις Εμπεδοκλῆς, &c. Ubi Scholiastes, οὗτοι δὲ ἐγνώσθησαν ὅτι ἐκεῖσε ἀπέθανον ἐκ τὸ μαντεῖον φανῆναι περὶ τὸν τόπον. *Hæc ludant Empedocles, Trophonius, Aristæus, Empedotimus, qui omnes in Lebadea Bœotiæ nati vaticinati sunt, omnesque ut divinitatis famam colligerent, in specus se abdiderunt, ne reliquiæ eorum superessent*, ait Scholiastes: *ex eo innotuit eos ibi mortuos esse, quod ibidem oraculum extitit*, παροιμία ἐπὶ τῷ ὠχρωμένων, ἐς Τροφωνίε μεμάντευται: *proverbium in pallidos, consuluisti Trophonium*. Strabo lib. IX. Λεβαδεία δ' ἐστὶν, ὅπε Διὸς Τροφωνίε μαντεῖον ἵδρυται, χάσματος ὑπονόμε κατάβασιν ἔχον, καταβαίνει δ' αὐτὸς ὁ χρηστηριαζόμενος. κεῖται δὲ μεταξὺ τε Ελικῶνος, καὶ τῆς E Χαιρωνείας: *Lebadia est, ubi oraculum Trophonii sedet, habens hiatus, ac quasi cuniculi descensum. Descendit is, qui consulit: situm est inter Heliconem, & Chæroneam*. Vocatur templum Jovis Trophonii a Strabone. Livius lib. XLV. Paulus Æmilius Lebadiæ templum Jovis Trophonii adiit. Plutarchus lib. *de Oracul. defectu*, ἐδαμῦ γὰρ ἀλλαχόθι νυνὶ, ἢ Λεβαδεία ἡ Βοιωτία παρέχεται τοῖς χρῄζυσι ἀρύσασθαι μαντικῆς. *Nusquam alibi nunc Bœotia, quam Lebadiæ præbet iis, quibus opus est haurire divinationem*; ὅπυ γε τὴν Βοιωτίαν ἕνεκεν χρηστηρίων πολύφωνον ἦσαν ἐν τοῖς πρὶν χρόνοις, F *Ubi Bœotiam, quæ olim maxime vocalis fuit, & celebris oraculis*. Eos ἀγελάστυς fuisse autumant, qui Trophonium consuluissent, & non ultra annum vitam proferre, quod mendacii arguit Pausanias, qui ipse in specum oraculi causa descendisse fatetur. Socrates, Apollonius Thyanæus, Paulus Æmilius eo descenderunt, & riserunt. Proverbium itaque falsum in Agelastos, *In Trophonii descendit*. Philostratus l. VIII.

τὸ δὲ ἐν Λεβαδείᾳ στόμιον ἀνάκειται μὲν Τροφωνίῳ τῷ Ἀπόλλωνος, εἰσβατὸν μόνον τοῖς ὑπὲρ χρησμῶν φοιτῶσιν: *Lebadeæ autem spiraculum Trophonio filio Apollinis sacer est, ad quod aditus tantum iis patet, qui oraculum petunt. Posita est autem Trophonii statua non in templo, sed in colle, qui paulum templo supereminet, quem ferrei obelisci undique claudunt. Descensus adeo angustus est, ut non aliter, quam sedendo ingredi quis possit. Demittuntur eo qui intrare volunt albis vestibus induti, & mellitas placentas manibus portantes, quibus reptilia demulceant, quæ intrantibus obviam serpunt. Emittit autem terra alios quidem longe, alios longissime, quidam & ultra Locros, Phocensesque emittuntur, plerisque etiam ad Bœotiorum fines.* Plutarch. *lib. de dæmon. Socrat.* ἐμμείνας δύο νύκτας κάτω, καὶ μίαν ἡμέραν, τῶν ἄλλων ἀπεγνωκότων αὐτὸν ἤδη, ἀνῆλθε. Socrates *cum mansisset duas noctes* in Trophonii antro, *& diem unum, aliique de ejus reditu desperarent, rediit incolumis.* Scholiast. Aristophan. δός μοι μελιττοῦταν εἴσω καταβαίνων ὥσπερ ἐς Τροφωνίου. ὁ Τροφώνιος φιλόδοξος ποιήσας ἐν Λεβαδείᾳ Βοιωτίας ὑπόγειον οἴκημα ἐμαντεύετο. ὡς δὲ λιμαγχονηθεὶς ἀπέθανε, δαιμόνιόν τι τὰς μαντείας ἐτέλει. εἰσήρχοντο οὖν ἐντὸς οἱ χρησόμενοι ἔχοντες ἐν τῇ χειρὶ πόπανα: *Da mihi placentam, intus descendens, ut in specum Trophonii. Trophonius*, ait Scholiastes, *gloriæ appetens cum in Lebadia Bœotiæ subterraneam domum exstruxisset, vaticinabatur: postquam angina suffocatus est, dæmon quidam responsa dedit, subibant igitur intro consulentes, habentes in manibus placentas. Ingressus templum Apollonius: Volo, inquit, ad oraculi interiora penetrare Philosophiæ causa: permisit Trophonius, ut in specu Apollonius permaneret dies septem, quod alii nulli eorum, qui ad oraculum intrassent, concessum est*, φέρων βιβλίον ὑποφορώτατον τῇ ἐρωτήσει, *ferens libellum interrogationi respondentem*, lib. VI. cap. VIII. *Amphiarai & Trophonii oracula Apollonius perlustravit.*

CAP. CXXVIII.
De aliis Oraculis.

GERYONIS oraculum in Italia, Suetonius in *Tiberio* commemorat c. XIV. *Et mox cum Illyricum petens juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret.* Ea dicta ἀστραγαλομαντεία, cum talos in fontes jacerent. Igitur sortes ad oraculum Geryonis trahebantur prope Patavium.

CAP. CXXIX. Fuit & oraculum Leucotheæ apud Moschos, de quo Strabo lib. XI. ἐν τῇ Μοσχικῇ τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν Φρίξου ἵδρυμα, καὶ μαντεῖον ἐκείνου, ὅπου κριὸς οὐ θύεται: *In Moschica Leucothea sacellum fuit a Phrixo positum, & oraculum ejus, ubi aries non immolatur, sed homo.*

CAP. CXXX. Strabo lib. V. ad Stygem prope Cumas oraculum fuisse ait. *Ephorus eum locum Cymmeriis attribuit, scribitque ipsos in subterraneis cavis habitare, quas vocat* Argillas; *& per fossas quasdam inter se commeare, & hospites ad oraculum admittere sub terra situm, vivere autem e questu consulentium. Moris autem esse genti, ne quis Solem videat, sed nocte exeunt e cavis.* φησὶν αὐτοὺς ἐγκαταγείοις οἰκίαις οἰκεῖν, ἃς καλοῦσιν Ἀργίλλας, καὶ διά τινων ὀρυγμάτων παρ' ἀλλήλους φοιτᾶν.

CAP. CXXXI. Pausanias Ἑρμοῦ ἀγοραίου χρηστήριον, *oraculum Mercurii forensis* commemorat in *Atticis*, de quo infra.

CAP. CXXXII. In Macedonia, quam Ichnæam regionem Hesychius vocat, fuit Apollinis oraculum, Ἰχναίαν χώραν τὴν Μακεδονίαν, ἔνθα τὸ μαντεῖον ὁ Ἀπόλλων κατεῖχε.

CAP. CXXXIII. In Cilicia Dianæ Sarpedoniæ A templum, & oraculum fuit, ut Strabo lib. XIV. τὰς δὲ χρησμοὺς ἔνθεοι προθεσπίζουσι, *responsa dant fanatici.* Videtur idem fuisse cum oraculo Sarpedonis.

CAP. CXXXIV. In Ægypto Ἡρακλέος μαντήιόν ἐστι, ait Herodotus lib. II. c. CLV. *oraculum est Herculis*, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis, ac Jovis. Sed quod præcipuo honore colunt, Latonæ est, in urbe Buti.

CAP. CXXXV. Idem lib. III. prodit *plura fuisse oracula in Ægypto, quorum alia, quæ fallacia deprehenderat, sustulerit Amasis; alia, quæ veracia, donis ornarit.* Eusebius l. II. *Præparat. Evangel.* Clarium, Pythium, Didymæum, Amphiaraum, Apollinem, B Amphilochum, quibus oracula posita, vocat τερατοσκόπους, οἰωνοσκόπους, ὀνείρων κριτὰς, *prodigiorum interpretes, augures, somniorum indices.*

CAP. CXXXVI. & CXXXVII. In Scythia dormientibus responsa dantur.

CAP. CXXXVIII. Sinopæ est oraculum Autolyci, Strabo lib. II.

CAP. CXXXIX. In Thracia apud Ligyros, in adyto Liberi patris, mero hausto Sacerdos vaticinatur: Macrobius lib. I. *ad Somnium Scipionis.*

CAP. CXL. Tegyræ fuit Apollinis oraculum. Plutarchus lib. *de defectu oraculor.* ἤκμαζε δὲ τότε καὶ τὸ C περὶ τὰς Τεγύρας χρηστήριον, ὅπου καὶ γενέσθαι τὸν Θεὸν ἱστοροῦσι: *Florebat tunc oraculum ad Tegyras, ubi Deum vaticinatum dicunt.* Et duo flumina fuere, quorum alterum palmam, alterum oleam præterfluebat. Deum Apollinem intelligit.

CAP. CXLI. Dionysii oraculum fuit ad Pangæum, alii circa Hæmum ponunt, ubi *sunt & Orphei in tabulis inscriptiones*, εἰσὶ καὶ Ὀρφέως ἐν σανίσιν ἀναγραφαί. Euripides in *Alcestide*, vers. 967.

> Σανίσιν τὰς Ὀρφείας κατέγραψε γῆρυς.

In tabulis Orphei descripsit oracula. Strabo. Herodot. lib. VII. οὗτοι οἱ τοῦ Διονύσου τὸ μαντήϊόν εἰσι ἐκτημένοι, τὸ δὲ μαντήϊον τοῦτό ἐστι μὲν ἐπὶ τῶν οὐρέων τῶν ὑψηλοτάτων. D Βησσοὶ δὲ τῶν Σατρέων εἰσὶ οἱ προφητεύοντες τοῦ ἱροῦ, πρόμαντις δὲ ἡ χρέουσα, κατάπερ ἐν Δελφοῖσι: *Apud Satras oraculum est Dionysi in editis montibus. Bessi in templo vaticinantur, antistes fœmina reddit responsa, ut Delphis.*

CAP. CXLII. Rhesi oraculum in antro fuit. Euripides in *Rheso*, v. 970. & seqq. Rhesus ait.

> Κρυπτὸς ἐν ἄντροις τῆς δ' ὑπαργύρου χθονὸς
> Ἀνθρωποδαίμων κείσεται βλέπων φάος,
> Βάκχου προφήτης, ὅστε Παγγαίου πέτραν
> Ὤκησε σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσιν Θεός.

Rhesus occultus in antris terræ hujus argentiferæ Semideus jacebit, lumen spectans, Bacchi Propheta, E *qui Pangæi petram incolit; venerandus Deus iis, a quibus cognoscitur.*

CAP. CXLIII. Oraculum in Mallo dicitur *clarissimum, & verissimum*, ut Lucianus in *Philopseude*, *responsa dare diserte, ad verbum respondens iis, quæ scripta in libello dederis Prophetæ.* τὸ ἐν Μάλλῳ μαντεῖον ἐπιφανέστατον, καὶ ἀληθέστατον χρᾶν ἐναργῶς, πρὸς ἔπος ἀποκρινόμενον οἷς ἂν ἐγγράψας τις εἰς τὸ γραμματεῖον παραδῷ τῷ προφήτῃ.

CAP. CXLIV. In agro Vaticano fuit oraculum Dei Vaticani, ut Gellius lib. XVI. c. XVII. *Et agrum Vaticanum, & ejusdem agri Deum præsidem appellatum acceperamus, a vaticiniis, quæ vi, ac instinctu* F *ejus Dei in eo agro fieri solita essent.* Festus tamen Vaticanus agrum dictum esse ait, *quod pulsis Hetruscis eo potitus sit populus Romanus, Vatum responsis.*

CAP. CXLV. Alius fuit Deus Ajus cui ara statuta, quæ est in intima nova via, quod eo in loco divinitus vox edita.

CAP. CXLVI. Panis oraculum fuit apud Pisas, ubi rustici Panis afflatu futura prædicunt. Statius lib. III. *Thebaid.* v. 476. &c.

> ——— *licet aridus Ammon*

Invideat, Lyciæque parent contendere sortes,
Niliacumque pecus, patrioque æqualis honori
Branchus, & undosæ qui rusticus accola Pisæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra.

CAP. CXLVII. In Pisano agro Elæi Olympii nobile oraculum fuit, ait Strabo, unde *Pisæus Jupiter*, Pausaniæ. Item Juppiter dicitur *Panomphæus*, quod omnis vaticinii causa sit, cæteri sunt ὑποφῆται, & interpretes. Hesychius, ᾧ πᾶσα ὀμφὴ, καὶ μαντεία ἀνατίθεται. Ovidius *Metamorphos.* l. XI. v. 198.

Ara Panomphæi vetus est sacrata tonanti.

CAP. CXLVIII. In Pharis Achajæ Mercurii Agorei, *seu* forensis *est oraculum. Qui responsa petunt, ei insusurrant quod volunt, cum oleum in lampades, quæ pro simulacro ejus excubant, infuderint, assemque dederint, tum digitis obturant aures, & e templo egressi eas referant; postea quæ prima vox ad aures acciderit, est oraculi loco*, ait Pausanias.

CAP. CXLIX. Fuit, & Cereris in fonte μαντεῖον, de quo diximus in *Hydromantia*.

CAP. CL. Fuit & Amphiarai oraculum in Attica, ad quod οὐδενὶ Θηβαίων ἔξεστι μαντεύεσθαι, *nulli Thebanorum licet consulere*, ut Herod. l. VIII. cap. CXXXV. Cic. *l.* I. *de divinat. c.* XV. *Amphiaraum sic honoravit fama Græciæ Deus ut haberetur, atque ut ab ejus solo, in quo est humatus, oracula peterentur.* Legendus Pausan. in *Atticis*. In Amphiarai templo in quiete monebantur de futuris, ut prodit ibidem Herodot. Thebani maluerunt eo συμμάχῳ χρῆσθαι, ἢ μάντει, ait Herodot. qui *eodem loco* Trophonii, Apollinis Abæi, Ismenii, Ptoi, meminit. Philostratus l. II. *Apollonii*, Amphiaraus μαντευόμενος ἐν τῇ Ἀττικῇ νῦν ὀνείρατα ἐπάγει τοῖς χρωμένοις, *vaticinans in Attica inducit somnia consulentibus*. Eos, qui responsa petunt, Sacerdotes integrum diem a cibo, triduum a vino jubent abstinere, *ut pura anima sermones hauriant*, ἵνα διαλαμπάσῃ τῇ ψυχῇ τῶν λόγων σπάσῃ. Idem in Vinitore, ἀδικήσεις ἀπιστῶν τόν τε Ἀμφιάρεων, ὃν λέγεται ἡ γῆ ἐν σοφῷ ἀδύτῳ ἔχειν, Ἀμφίλοχόν τε τὸν τούτου παῖδα. *Injustus eris, si non credideris Amphiarao, quem dicitur terra sapienti adyto claudere, & Amphilochum filium ejus.* Idem in *Amphiarao*, γράφει δὲ καὶ τὸ φροντιστήριον τοῦ Ἀμφιάρεω ῥῆγμα ἱερὸν, καὶ θειῶδες· αὐτοῦ καὶ ἀλήθεια λευχειμονοῦσα, αὐτοῦ καὶ ὀνείρων πύλη. δεῖ γὰρ τοῖς ἐκεῖ μαντευομένοις ὕπνου: *Pingit & Amphiarai oraculum sacrum, & divinum antrum, ibi & veritas albata, & somniorum porta: qui enim consulunt, egent somno.* Pausanias in *Atticis*, θύουσι κριὸν, ei *arietem immolant*, cujus pellem sibi substernunt dormituri, ut somnio moneantur.

CAP. CLI. In Italia Fauni oraculum, de quo Virgilius lib. VII. *Æneid.* v. 81. &c.

—— oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, huc dona Sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Concilio.

CAP. CLII. Omolii Jovis oraculum Thebis fuit, & Omolois antistita, quæ deinde Delphos missa est. Suidas, Ὁμολώιος Ζεὺς ἐν πόλεσι Βοιωτίας ἀφ᾽ Ὁμολωίας προφήτιδος τῆς Ἐνυέως, ἣν προφῆτιν εἰς Δελφοὺς πεμφθῆναι: *Omolojus Juppiter in urbibus Bœotiæ dictus ab Omoloja prophetissa filia Enyei, quæ Delphos missa est.*

CAP. CLIII. Apud Thraces Martis est oraculum ait Herodotus lib. VII.

CAP. CLIV. Oraculum Æsculapii per somnia fuit Pergami, ut Philostratus lib. IV. c. III. τοῖς τε ἱκετεύουσι τὸν Θεὸν ὑποθέμενος ὁπόσα δρῶντες, δεξιῶν συμβόλων ὀνειράτων τεύξονται: *Consulens supplicibus, quo pacto somnia impetranda essent a Deo.* Basilius Isauriæ Episcopus, in *sancta Thecla*, lib. II. δαίμονος τοῦ παρὰ Κασταλίας σήματα ποιοῦμενου τὰς μαντείας, τῶν ἐν Περγάμῳ, καὶ ἐν Ἐπιδαύρῳ, καὶ ἐν Αἴγαις ταύταις Ἀσκληπιοῦ χρηστήρια, καὶ παθῶν λυτήρια: *Dæmonis, qui ad aquas Castalias oracula edit, item Æsculapii oracula, quæ sunt Pergami, in Epidauro, in Abis, & morborum levationes.*

CAP. CLV. In Ætolia oraculum Amphilochi, ut Aristodes *oratione in Bacchum*.

CAP. LVI. Suetonius in *Tito* c. V. Paphiæ Veneris oraculum commemorat.

CAP. CLVII. Serapidis oraculum in Ægypto fuit, cujus meminere Suidas & Cedrenus, qui Thuli Regi Ægypti quærenti, quis se Rex unquam potentior fuisset, aut esset futurus, respondit, πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς, *Primum Deus te major est, & Verbum ejus, & Spiritus.* Respondebat ut plurimum per somnia prosa oratione, ut Aristides *oratione in Serapin*.

CAP. CLVIII. Amphilyti oraculum commemorat Aristides *oratione Sicula prima*.

CAP. CLIX. Thebis Ægyptiis Jovis Beli oraculum, ubi mulier antistes, ait Herodotus lib. I.

CAP. CLX. Apios oraculum in Ægypto, μάντις τε ἦν ἄρα ἀγαθὸς ὁ Ἆπις, οὐ καθίζων μὰ δία, κόρας ἢ πρεσβυτέρας γυναῖκας ἐπὶ τινας τριπόδων, οὐδὲ μὲν πόματος ἱεροῦ ἐμπιπλάς: *Vates bonus est Apis, non puellas aut aniculas collocans in tripodibus, neque sacra oratione implens. Sed qui consulit, Deum precatur.* παῖδες δὲ ἀθύροντες ἔξω καὶ πρὸς ἀλλήλους σκιρτῶντες ἔνθεοι γενόμενοι σὺν τῷ ῥυθμῷ αὐτὰ ἕκαστα προλέγουσι: *Pueri autem ludentes foris, & saltantes inter se divino afflatu perciti ad numerum singula prædicunt, quæ vel iis, quæ apud Sagram contigerunt, veriora sint.* Ælianus in *histor. animal.* l. II. c. X. Statius l. III. *Thebaid.* Apin vocat *Niliacum pecus*, ubi Luctatius *Taurum lunatum Isidis* intelligit, *qui Ægyptiis motu corporis sui, & quibusdam signis futura prædicit.* Plin. l. VII. c. XLVI. *Sunt gemina Api Ægyptiorum delubra, Thalamos vocant, auguria populorum; alterum intrasse lætum est, in altera dira portendi.*

Hæc de variis Oraculis sublegi, quibus & alia possem addere, si operæ esset. Interim admoneo, responsa, quæ a Diis ipsis redderentur, vocari χρησμοὺς αὐτοφώνους a Luciano in *Pseudomante*, quæ a Fanaticis, aut Prophetis ὑποφητικούς. Fanatici ipsi, ὑπακοοὶ, ὑποφῆται. Apollonius lib. IV. *Argonaut.* v. 1381.

Μουσάων ὅδε μῦθος, ἐγὼ δ᾽ ὑπακουὸς ἀείδω
Πιερίδων.

Ibidem ἐπιίστορας vocat: Homerus, Θεῶν ὀαριστάς: Latini, *Interpretes*. Virgilius lib. III. *Æneid.* v. 359. 360

Trojugena Interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.

Cicero scribit, Delphica oracula versu reddi desiisse jam inde a Pyrrhi Regis Epirotarum ætate. Plutarch. lib. *de defectu Oraculor.* sub Augusto Cesare oracula cessasse docet. Symmachus l. IV. *epist.* XXXIII. *Non vides, oracula olim loquuta desiisse, nec ullas in antro Cumano literas legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de spiraculis Delphicis ullum carmen audiri.* Theodoretus tamen l. II. c. IX. *Histor. Ecclesiast.* Epiphanius, sive Cassiodorus lib. VI. cap. XLIV. *Histor. tripart.* Juliano imperante Delphicam Delum, & Dodonæa oracula in aliquo usu fuisse docent. Lege Plutarchum περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα. Sanctus Athanasius, Christi fide propagata, omnia Veterum deliramenta sensim evanuisse ostendit lib. *de Incarnat.* καὶ πάλαι μὲν τὰ πανταχοῦ τῆς ἀπάτης τῶν μαντειῶν ἐπεπλήρωτο, καὶ τὰ ἐν Δελφοῖς, καὶ Δωδώνῃ, καὶ Βοιωτίᾳ, καὶ Λυκίᾳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Αἰγύπτῳ, καὶ Καβείροις μαντεύματα, καὶ ἡ Πυθία ἐθαυμάζετο. πάλαι μὲν δαίμονες ἐφαντασιοσκόπουν τοὺς ἀνθρώ-

πους

πȣς προκαταλαμβάνοντες πηγὰς, καὶ ποταμȣ̀ς, ἢ ξύλα, ἢ λίθȣς, καὶ ἄπω τῆ μαγγανείαις ἐξέπληττον ἄφρονας: *Omnia olim ubique magicis fraudibus plena erant Delphis, Dodonæ, in Bœotia, Lycia, Lybia, Ægypto, Cabiris, Pythia in miraculum erat. Dæmones obſederant fontes, fluvios, ligna, lapides, & præſtigiis imponebant inſipientibus.*

Inter Oracula reponi poſſunt Libri fatales, quos commemorat Livius lib. v. *Deos peſtis arcendæ cauſa placandos eſſe in libris fatalibus inventum eſt.* Et Arnobius lib. VII. qui Libri Sibyllini, de quibus alibi agimus. De oraculis autem, quæ defecerunt, ipſe Apollo reſpondit apud Euſebium lib. v. *Præparat Evangel.*

Ἀμφὶ δὲ Πυθὼ, καὶ Κλαρίῳ μαντεύματα Φοίβȣ
Αὐδήσῃ φάτις ἡμετέρῃ θεμιτώδεσιν ὀμφαῖς
Μυρία μὲν γαίας μαντήϊα θέσκελα νώτῳ
Ἐβλύσθη, πηγαίτε, καὶ ἄσθματα δινήεντα,
Καὶ τὰ μὲν ἂψ χθονίοισιν ὑπαὶ κόλποισιν ἔδεκτο
Αὐτὴ γαῖα χανȣ̃σα, τὰ δ' ὤλεσε μυρίος αἰών.

De oraculo Pythio, & Clario, Phœbi oraculis dicet noſtra dictio voce veraci, infinita oracula divina ebullarunt ex dorſo terræ, & fontes & aſpiritus vorticoſi, & ea rurſum terra hians recepit ſinu terreſtri, alia infinitum ævum extinxit. Soli lucenti uni adhuc in Didymæorum convexo ſupereſt aqua fatidica Mycaleia, & ad radices Pythonis ſub jugo Parnaſſi, & aſpera Claria, horridum oſtium Phœbeæ vocis. Aliud reſponſum datum Nicæenſibus,

Πύθωνος δ' ȣ̓κ ἔστιν ἀναρρῶσαι λαλὸν ὕδωρ.

Non licet inſtaurare aquam fatidicam Pythonis. Sanctus Athanaſius lib. *de Incarnat.* πότε δὲ τὰ παρ' Ἕλλησι καὶ πανταχȣ̃ μαντεῖα πέπαυται, καὶ κεκένωται, εἴτε (lego εἰμὴ ὅτι) μέχρι γῆς πεφανέρωκεν ἑαυτὸν ὁ σωτήρ: *Unde ubique gentium oracula deſierunt, & evanuerunt, niſi quia ſeipſum in terra Servator manifeſtum fecit.*

HÆC Bulengerus de Oraculis. Quibus quum in libro tertio annexuerit de Templis, ſed Chriſtianorum, quæ propterea ad negotium noſtrum non pertinent, illis quidem relictis, putavi tamen caput XLIV. *vel poſtremum bis apponendum, quum breviter illic quædam non aliena ab eo, quod agimus, collegerit.*

JULII CÆSARIS BULENGERI,

JULIODUNENSIS

DOCT. THEOLOGI,

EXCERPTUM

DE

TEMPLIS ETHNICORUM.



EADEM pene Templis Ethnicorum forma fuit, quæ noſtris, πρόδομος, ὀπισθόδομος, *Adytum*, *Cellæ*. Publius Victor lib. *de* XIV. *Urbis regionibus*. *Ante Cellam eſt Prodomum, poſt Templum, Opiſtodomum.* Varro lib. VI. *de Ling. Lat.* *Templum tribus modis dicitur, a natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. A natura in cœlo; ab auſpiciis in terra; ab ſimilitudine ſub terra. In cœlo Templum dicitur, ut in Hecuba, o magna templa Cælitum commiſta ſtellis ſplendidis. In terra, ut in Peribœa, ſcrupea ſaxa Bacchi templa prope adgreditur. Sub terra, ut in Andromaca, Acheruſia templa alta, Orci pallida, Leti obnubila.*

Ex Ennio, *de cœlo*,

Obſita tenebris loca.
Unus erit quem tu tolles in cærula cæli
Templa.

In Augurali diſciplina *Templum* eſt cæli regio. In hymno Jani, apud Victorinum Rhetorem, unde & *Templum* pro cælo ipſo ponitur. Septimius Poeta,

Cui reſerata mugiunt aurea cæli templa.

Templum item, locus Augurum lituo definitus, quam arcem Livius lib. I. vocat. Feſtus. *Minora Templa ſunt ab Auguribus, cum loca aliqua tabulis, aut linteis ſepiuntur, ne uno amplius oſtio pateant.* Servius *ad librum primum Æneid. Templum dicitur locus manu deſignatus in aere, poſtquam factum illico captantur auguria.* Ad librum IV. *Templum non ſolum quod poteſt claudi, verum etiam quod palis, aut haſtis, aut lineis, & loris ſeptum eſt. Amplius uno exitu in eo eſſe non oportet, cum ibi ſit cubiturus auſpicans.* Feſtus, *Templum locus eſt, qui ab omni parte aſpici, vel ex quo omnis pars videri poteſt, unde Contemplari.* Varro lib. VI. *de Lingua Latina. Curia Hoſtilia Templum eſt, & tamen ſanctum non eſt*, hoc eſt, quicquid palis, haſtis, aut aliqua re ſimili claudi poteſt. Nonius, *Templum, & ſepulcrum dici poteſt Veterum auctoritate.* Virgilius lib. IV. *Æneid.* verſ. 457. 458.

Præterea fuit in tectis de marmore Templum
Conjugis antiqui.

Denique, ut loquitur Luctatius ad lib. I. *Thebaid. Penates hominum ſunt, Deorum Templa.* Templorum autem variæ fuere partes προπύλον, προπύλαια, πρόναος, πρόδομος: *Area, veſtibula*. In quibus Vitruvius lib. IV. cap. I. *Tetraſtyllum* ponit, id eſt, ſpatium quatuor columnis diſtinctum.

Hæc prima pars eſt. Altera Templi pars dicta *ναὸς*, quæ eſt aula Templi. Tertia dicta Adytum. Pollux lib. I. cap. I. *εἰ μέντοι καί τι χωρίον ἄβατον εἴη, τοῦτο καὶ ἄδυτον εἴποις ἄν, καὶ ἀψαυστούμενον, καὶ ἀθέατον, καὶ ἀνάκτορον. Si quæ Templi pars inacceſſa fuerit, intacta, quæ non videatur, dicitur adytum, & anactorum.* Cæſar lib. III. *Belli Civilis*, cap. CV. *Pergami, quæ Græci adyta vocant.* Virgilius lib. II. *Æneid.* verſ. 351.

Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis.

Servius ad lib. VI. *Æneid.* *Penetralia* vocat ſecreta Templorum, ubi Victimæ cædebantur. Lucan. lib. II. verſ. 127. 128.

Ante ipſum penetrale Deæ, ſemperque calentes
Mactavere focos.

Et lib. V. verſ. 146. 147.

—— Illa pavens adyti penetrale remoti.
Fatidicum prima Templorum in parte reſiſtit.

Dicitur & *Sacrarium*. Livius lib. XXXIX. *Pure lotus in ſacrarium deducitur.* Quarta pars eſt *Cellæ*, ubi ſimulacra reponuntur. Quinta *ὀπισθόδομος*. Harpocration, *ὁ οἶκος ὁ ὄπισθεν τοῦ νεὼ τῆς Ἀθηνᾶς, ἐν ᾧ ἀπετίθεντο χρήματα, domus pone Templum Minervæ, ubi pecuniæ repoſitæ.* In veſtibulis Templorum gradus ſæpe fuere, per quos in ipſum Templum iretur. Ovidius lib. III. *de Pont. ep.* II. verſ. 7. 8.

Templa manent hodie vaſtis innixa columnis,
Perque quater denos itur in illa gradus.

Virgilius I. *Æneid.* verſ. 452.

Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes.

In templum Jovis Capitolini per centum gradus aſcendebatur. Pollux lib. I. cap. I. *τὸ μὲν χωρίον ἐν ᾧ θεραπεύομεν τοὺς θεοὺς ἱερὸν, καὶ νεὼς, ἔνθα δὲ καθιδρύομεν σηκὸς, τέμενος. τὸ δὲ πρὸ ἱεροῦ πρόδομος, τὸ κατόπιν, ὀπισθόδομος, καὶ ἡ εἴσοδος προπύλαια. οἱ δὲ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση, τεμένη, καὶ ἕρκη, καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος περίβολος: Locus in quo Deos colimus, Templum, delubrum; ubi locamus Deos, fanum. Ante Templum locus prodomus, poſt Templum opiſtodomus, ingreſſus, veſtibulum.* Loca Deo ſacra *Saltus, fana, ſepta, ambitus καλιὰν καὶ καλιάδα ἡρώων* vocat Dionyſius Halycarnaſ. lib. III. *Origin.* quaſi nidum. *πτερύγιον*, Templi pinnaculum, *θριγκοὶ*, *pinnæ*. Pinnaculum Templi Hieroſolymitani deſcribit Joſephus lib. V. *Excidii*, cap. XIV. *κατὰ κορυφὴν δὲ χρυσέους ὀβελοὺς ἀνεῖχε τεθηγμένους ὡς μή τινι προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ὀρνέων, & in vertice aurea verucula habuit, ut ne aliqua ave inſidente inquinaretur.* Hoc erat proprie Pinnaculum, in quo quærat aliquis, quomodo potuerit Chriſtus conſiſtere, aut Jacobus ex eo præcipitari? Sed oportuit eſſe ſpatium aliquod pone verucula, ubi conſiſteretur. Lege eodem in loco accuratiſſimam Templi Hieroſolymitani deſcriptionem. Feſtus Sacella eſſe ait, loca Diis ſacrata ſine tecto. Sanctus Ambroſius lib. IV. & V. *Epiſtolarum*, Fana pro Templis idolorum ſemper ponit. Diodorus Siculus lib. XVI. omnium Siciliæ Templorum magnificentiſſimum ait *ναὸν ἑξακοντάκλινον*, Syracuſis ab Agathocle extructum. Pauſanias pagina 97. unicum Spartæ Templum fuiſſe ait, Armatæ Veneris, cui impoſitum eſſet *ὑπερῷον*, id eſt, Cœnaculum. Unde templum Heliopolitanum magnificentiſſimum apud Strabonem lib. XVII. *κατὰ τὴν εἰσβολὴν τὴν εἰς τὸ τέμενος λιθόστρωτόν ἐστιν ἔδαφος. Introitus in Templum pavimentum lapide ſtratum eſt*, cujus latitudo eſt unius jugeri, longitudo quatuor jugerum. Diciturque *Dromos*, quaſi curſus. Qua longe porrigitur, paſſim ſphinges lapideæ poſitæ ſunt, poſt ſphingas *πρόπυλον*, veſtibulum magnum, deinde aliud poſt veſtibula occurrit Templum, cujus Pronaos ingens, cui æquali *σηκὸς*, id eſt, *concha Templi*. Ad utrumque latus Pronai ſunt eæ quæ dicuntur pinnæ. Ii ſunt duo parietes æque alti atque Templum in initio inter ſe diſtantes paulo plus quam ſit lata Templi crepido. Vide Vitruvium lib. III. & IV. Heſychius, *προτεμενίσματα προπύλαια ναῶν*. Vide Joſephum lib. XII. *Originum* cap. VII. & XI. *Tholus erat columnatus rotundus*, ait Varro lib. III. cap. V. *de Re ruſtica*. Heſychius, *θόλος κυρίως καμάρα, καταχρηστικῶς οἶκος εἰς ὀξὺ ἀπολήγουσαν ἔχων τὴν στέγην κατεσκευασμένος, Tholus proprie camera, ſeu fornix, per abuſum domus, cujus tectum in acutum deſinit.* Item, *θόλος στρογγυλοειδὴς οἶκος δι' ὀστράκων εἰλυμμένος, Tholus orbiculata domus, teſtis involuta, & imbricibus tecta.* Servius ad hæc verba Virgilii lib. IX. *Æneid.* verſ. 408.

Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Tholus proprie eſt veluti ſcutum breve, quod in medio tecto eſt, in quo trabes coeunt, ad quod dona ſuſpendi conſueverant. Pro teſtudine ædificii poſuit Ovidius lib. VI. *Faſtor.* verſ. 296. & ſeqq.

Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.
Par facies Templi, nullus procurrit in illo
Angulus.

In Deorum Templis teſtudines erant auro laqueatæ, Ovidius lib. I. *Faſt.* verſ. 77. 78.

Flamma nitore ſuo Templorum verberat aurum,
Et tremulum ſumma ſpargit in æde jubar.

Item lib. I. *Faſt.* verſ. 223. 224.

Nos quoque Templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea, Majeſtas convenit ipſa Deo.

Ipſæ Templorum januæ auratæ fuerunt. Ariſtoph. in *Avibus* verſ. 495. & ſeqq.

Οὐχὶ νεὼς ἡμᾶς οἰκοδομεῖν δεῖ
Λιθίνους αὐτοῖς, οὐδὲ θυρῶσαι
Χρυσαῖσι θύραις.

Non templa nos extruere oportet lapidea illis, neque januis aureis claudere. Ovidius lib. III. *Amor. El.* IX. verſ. 43. 44. *Templa aurea* vocat:

Aurea ſanctorum potuiſſent Templa Deorum
Urere, quæ tantum ſuſtinuere nefas.

Virgilius VI. & IX. *Æneidos*, *alta Templa*. Lucretius lib. II. *Aurata Templa*. Propertius lib. IV. *Eleg.* VII.

Fictilibus crevere Diis hæc aurea Templa.

Quintilianus lib. I. cap. IV. *Inſtit. Celebria Templa.* Ovidius lib. III. *de Arte* verſ. 451.

—— Auro radiantia Templa.

Idem l. I. *de Arte* verſ. 81.

—— Factum de marmore Templum.

Virgilius l. VI. *Æneid.* verſ. 70.

Inſtituam de marmore Templum.

Ovidius l. I. *Faſtor.* verſ. 203.

Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis.

Lactantius lib. V. cap. VIII. *quod Templum non auro, & gemmarum donis ornatur.* Foribus Templi nomen Dei inſcribi ſolitum. Jamblichus libro I. *de Vita Pythag.* *ἱερὸν ἐδείματο Ἀπόλλωνι, Πυθίου ἐπιγράψας, Templum exſtruxit Apollini, cum hac inſcriptione, Pythii.* Dionyſius Halycarnaſſ. libro I. *Origin.* *καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσι οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον, Πατρὸς Θεοῦ χθονίου, Latini ei Heroum poſuerunt cum hac inſcriptione, Patris Dei terreſtris, qui Numicum amnem poſſidet.* Plutarchus in *Erotico*, *Βελεστίχης ἱερὰ, καὶ ναοὺς Ἀλεξανδρεῖς ἔχουσι, ἐπιγράψαντος δι' ἔρωτα τοῦ βασιλέως, Ἀφροδίτης Βελεστίχης, Alexandrini habent Templa Beleſtiæ, quibus Rex præſcripſit, Veneris Beleſticæ.* Cellæ autem in Tem-

plis Deorum erant, ubi asservabantur simulacra, de quibus lege Vitruvium lib. IV. Livius lib. XXVIII. *Prohibuisse statuas sibi in Capitolio in Cella Jovis poni.* Videtur σηκὸς esse Cella. Hesychius, σηκὸς ἐνδότερος οἶκος τοῦ ἱεροῦ, *Secus locus interior Templi.* Diodorus lib. I. Ἴσιδος σηκὸν ὑπάρχειν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἡφαίστου. *Cellam Isidis esse in templo Vulcani.* *Templum* erat loci sublimitate & operis dignitate præeminens, ut ait Augustinus lib. IV. *de Civitate* cap. XXIII. Apud Apulejum *Milesia* XI. Conceptum Templi est murorum ambitus, seu περίβολος. Diodorus Sicul. libro I. τῷ ἐν τῇ Μέμφει Θεῷ τὸ πρὸς ἕω προπύλαιον κατεσκεύασε, καὶ τῷ ναῷ τὸν περίβολον, *Deo Mempheos ad ortum fecit vestibulum, & templo conceptum.* Plato lib. VI. *de Legibus*, templa in ipso foro ponenda esse ait, tum ut eo populus facilius confluat, tum quia forum erat in maxime illustri, & spectabili urbis parte. τὰ μὲν ἱερὰ πᾶσαν πέριξ τὴν ἀγορὰν χρὴ κατασκευάζειν. tum quia in iis sacrosancta & inviolabilia erant publicæ pecuniæ positæ. Scholiastes Aristophanis in *Pluto*, ὀπίσω τοῦ νεὼ τῆς πολιάδος Ἀθηνᾶς διπλοῦς τοῖχος ἦν, ὅπου θησαυροφυλάκιον, *Pone Templum duplex murus fuit, ubi ærarium.* Vitruvius lib. I. *Si omnibus templis saluberrimæ regiones, aquarumque fontes idonei eliguntur, maxime Æsculapio, & Saluti.* In aditu templorum fuisse περιρραντήρια docet lib. III. Theodoretus *Histor. Eccles.* de Juliano Desertore, νεωκόροι περιρραντηρίοις τοὺς εἰσιόντας προσκαθαίροντες, *Æditui aquæ aspergine ingredientes expiabant.* Item in Templis Ethnicorum erat ἑστιατόρειον, ait Philostratus in *Damiano*, ubi convivia agitabant. Ad templum Ephesinum ibatur per porticum lapideam, quæ ad stadium porrigebatur. ἔστι δὲ αὐτὴ στοὰ ἐπὶ στάδιον λίθου πᾶσα, ait Philostratus. Sola adyta sacris vacabant: Basilica, Porticus, Pronaos usibus profanis exponebantur. Plinius lib. IV. *Epistol. De transactione hæreditatis, convenimus in ædem Concordiæ.* Cicero *pro Quintio*, *nisi ad templum Castoris quæreretur, quantum solveretur.* *Oppansa erant vela aris & statuis, quæ obducta profanorum aspectum arcebant, reducta revelabant*, ait Apulejus *Miles.* XI. Ibidem Conseptum Templi vocat, ubi Sacerdotes, æditui, initiati habitabant. Vide Templum Agrigentinum magnificentissimum apud Diodorum Siculum pagina 375. *libri Græci typis Stephani.* Aristides *de Cyziceno Templo*, νεὼν τριπλοῦν τῇ φύσει· τὰ μὲν γὰρ αὐτοῦ κατάγειός ἐστι θέα, τὰ δὲ ὑπερῷος, τὰ δὲ νενομισμένη δρόμοις καὶ ὑπὸ γῆν, καὶ κρεμαστοὶ δι' αὐτοῦ διήκοντες κύκλῳ, *Templum triplex natura est: Ejus enim una pars est subterranea: alia superior supra terram instar cœnaculi; tertia est ad cursus & sub terram.* Vide Platon. in *Critia* pagina 505. ἱερὸν ἅγιον ἄβατον ἀφεῖτο περιβόλῳ χρυσῷ περιβεβλημένον· τοῦ δὲ Ποσειδῶνος νεὼς ἦν σταδίου μὲν μῆκος, εὖρος δὲ τρισὶ πλέθροις, ὕψος δὲ ἐπὶ τούτοις σύμμετρον ἰδεῖν· πάντα δὲ ἔξωθεν περιήλειψαν τὸν νεὼν ἀργύρῳ, πλὴν τῶν ἀκρωτηρίων· τὰ δὲ ἀκρωτήρια χρυσῷ, τὰ δὲ ἐντὸς τὴν μὲν ὀροφὴν ἐλεφαντίνην ἰδεῖν πᾶσαν χρυσῷ, καὶ ἀργύρῳ, καὶ ὀρειχάλκῳ πεποικιλμένην, τὰ δὲ ἄλλα πάντα τῶν τοίχων, καὶ κιόνων, καὶ ἐδάφους, ὀρειχάλκῳ περιέλαβον. *Sacrum & inaccessibile templum, erat aureo ambitu circumdatum. Erat Neptuni templum stadium unum longum, jugera latum tria, altum vero quantum longitudo ejus, latitudoque exigere videbantur. Exteriora præter suprema fastigia argento omnia exornarunt. Nam culmina ipsa & apices auro: intus autem laquearia tota eburnea, auro, argento, orichalco varie cælata conspiciebantur. Reliqua omnia, parietes, columnas, pavimenta orichalco exornarunt.* Arnobius lib. VI. *Primus fabricator Templorum Prometheus Ægyptius,*

A *aut Merops, aut ut tradit in admirandis Varro, Jovis proles Æacus. Multa ex his Templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobantur contegere cineres, atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas. In Minervio Cecrops conditus. In templo Minervæ Larissæo, Acrisius* &c. *Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant hinc gemmæ, & sidereos evomant variata interstitia fulgores, terra sunt hæc omnia: tuguriola Diis dare, & conclavia, & cellulas fabricari.* Cellulæ pars Templi sanctior fuit, ubi Deorum simulacra reponebant. Gellius B lib. VII. cap. I. *Scipionem ait in Capitolium ventitare solitum, ac jubere aperiri cellam Jovis, atque ibi solum diu morari, quasi consultantem de Rep. cum Jove.* Theodoretus lib. III. cap. XXII. νεὼς Serapidis Alexandriæ τῶν πανταχοῦ γῆς μέγιστος, καὶ κάλλιστος. Gellius lib. XIV. cap. VII. ex Varrone, *non omnes ædes sacras Templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum esse.* Varro lib. VI. *de Lingua Latina: Curia hostilia Templum est, & sanctum non est. Templum locus est ab Auguribus effatus.* De Templis Ægyptiorum Clemens Alexandrinus lib. III. *Pædag.* cap. II. Αἰγύπτιοι ναοὶ, καὶ προπύ- C λαια, καὶ προτεμενίσματα, ἐξῆσκη τε, ἄλση τε, καὶ ὀργάδες, κίοσι τε παμπόλλοις ἐστεφάνωνται αἱ αὐλαί. *Ægyptia Templa, & vestibula, & pronai, & saltus, & luci, tum aulæ pluribus columnis suffulciuntur.* Vide Josephum lib. II. ἀρχαιότητος, & cap. XVI. lib. I. *Belli Judaici.* Ethnici donariis Templa ornare soliti erant, qualia pleraque Crœsus ad Templum Apollinis misit apud Herodotum lib. II. Phalaris Agrigent. *Epistol.* LXXXIV. misit τρίποδας Δελφικοὺς, καὶ στεφάνους χρυσοῦς καὶ ἄλλα πολλὰ πολυτελῆ χαριστήρια τῆς σωτηρίας, *Tripodas Delphicos, coronas aureas, & alia pleraque pretiosa, pro actione gratiarum ob recuperatam salutem.* Justinus lib. D XXIV. de Delphico Templo, *multa igitur & opulenta ibi regum populorumque visuntur munera, quæque magnificentia sui reddentium vota grata & Deorum responsa manifestant.* Censorinus *de die Natali.* *Illi enim, quod alimenta, patriam, lucem, se denique ipsos deorum dono habebant, ex omnibus aliquid Deo sacrabant, magis adeo ut se gratos approbarent, quam quod Deos arbitrarentur iis indigere. Itaque cum perceperant fruges, antequam vescerentur, Diis libare instituerunt, & cum agros atque urbes Deorum munere possiderent, partem quandam Templis, Sacellisque, ubi eos colerent, dicaverunt.* Strabo lib. VI. Metapontinos E ait οὕτως εὐτυχῆσαι ἀπὸ γεωργίας, ὥστε θέρος χρυσοῦν ἐν Δελφοῖς ἀναθεῖναι, *ex agricultura adeo fuisse divites, ut auream Messem Delphico Apollini dicarint.* De Donariis templi Olympici & Delphici, lege Pausaniam lib. I. & II. *Eliacon.* Euripid. in *Ione* vers. 1141. & seqq.

Λαβὼν δ' ὑφάσματα ἱερὰ θησαυρῶν πάρα
Πρῶτον μὲν ὀρόφῳ πτέρυγα περιβάλλει
Πέπλων ἀνάθημα Δίου παιδὸς, οὓς Ἡρακλέης
Ἀμαζόνων σκυλεύματα ἤνεγκεν Θεῷ.

F *Cum sumpsisset e Thesauro vela sacra acu picta, primum quidem fastigio peplorum alas circumjicit, Donarium Jovis filii, quos Hercules Amazonibus ereptos Apollini obtulit.* Donariis nomen donantis & Dei cui darentur adscriptum. Plautus in *Rudente*, *ut comprehendar cum sacra urna Venerea. Nam hæc literata est, ea ipsa cantat quæ sit.* Apulejus *Miles.* VI. *Lacinias auro literatas, ramis arborum postibusque suffixos.* In veteribus Inscrip. Donarium hoc leges:

SANCO. SEMO. PANI. DE. DECVMA. A
VICTOR. TIBI. LVCIV'. MVMMIV'.
DONVM.

Moribus antiquis pro usura dare sese
Visum animoso, perfecit se pace, rogans te
Cogendo dissolvendi, ut felicia faxis,
Perficias decumam, ut faciat veræ rationis,
Propter hoc atque aliis donis des digna merenti.

In Templis autem non tantum erant donaria, verum & quia sancta & inviolata, in iis thesauri, παρακαταθῆκαι, testamenta reponebantur, ut Strabo lib. XIV. Xiphilin. in *Commodo*; πῦρ εἰς τὸ εἰρηναῖον ἐμπεσὸν τὰς ἀποθήκας τῶν τε Αἰγυπτίων, καὶ τῶν Ἀραβίων φορτίων ἀπενείματο, *Ignis cum incidisset in templum Pacis, merces Ægyptiorum & Arabum depastus est*. Apud Suetonium cap. LXXXIII. Julius Cæsar testamentum suum Virgini Vestali Maximæ demandaverat. Apud eundem cap. CI. Testamentum Augusti depositum apud Virgines Vestales. Apud Plutarchum M. Antonii testamentum Vestalibus Virginibus concreditum. Ulpianus lib. III. *de Tabul. exhibendis. Si Custodiam testamenti Æditu us suscepit*. Ideo templa militum excubiis sepiri solita, ut Herodianus scribit.



MYSTERIA
CERERIS ET BACCHI
IN VASCULO EX UNO ONYCHE

SERENISSIMI ET REVERENDISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FERDINANDI ALBERTI

DUCIS BRUNSWICENS. ET LUNEBURG. CAPITULI ARGENTORAT.
EVANGELICI SENIORIS, ETC.

PER EPISTOLAM

AD DOMINUM HUNC SUUM CLEMENTISS.

EVOLUTA

A

JOHANNE HENRICO EGGELINGIO,

REIPUBL. BREMENS. SECRETARIO.

TU. *PRINCEPS*. OB. QUEM. SESE. TRANSCENDERE. VISA EST

NATURA. OMNIPARENS. ET. VIS. SECRETA. MINERVÆ


PONE. SUPERCILIUM. TRISTI. NEC. DESPICE NUTU

HÆC. TUA. QUÆ. COGNATA. TIBI. *MIRACULA*. SANXI





VASCULI DESCRIPTIO A SERENISSIMO TRANSMISSA.



ASCULUM hoc Sacrificale Gentium, dictum est Mantuanum *ideo, quod olim fortissimo Heroi, FRANCISCO ALBERTO, DUCI Saxoniæ Inferioris, Cæsareo tunc temporis Campi-Duci, post expugnatam* Mantuam, *Hoc, tanquam pretiosissimum & rarissimum in percelebri illo* Gazophylacio Mantuano, *a milite quodam gregario, cui* 100. *Ducatorum pro hoc ipso dedit, oblatum fuit. Hic Serenissimæ Principi, Dominæ CHRISTINÆ MARGARETÆ, natæ DUCI Mekelenburgi & Gustrovii, Conjugi suæ quondam Carissimæ, idem illud Testamento reliquit. Hæc itidem, facta dispositione Testamentaria, ad Serenissimam Principem, Dominam SOPHIAM ELISABETHAM, Ducem Brunsvicens. & Guelferbytens. Germanam suam unicam, hoc ipsum devolvit. Quæ, Mater Celsissima, idem illud Vasculum Serenissimo Principi FERDINANDO ALBERTO, DUCI Brunovicens. & Luneburgens. tanquam Prælegatum quoddam vigore Testamenti & Codicilli donavit. Rarum hoc & pretiosum Vas in viridi Capsula, boloserico intrinsecus & extrinsecus obducta, funiculoque argenteo cincta, continetur. Cujus ansa, pes, operculum, canaliculus, & juncturæ, auro inclusa; Vasculum ipsum circumcirca antiquis Romanis gentilium Sacrorum & Sacrificiorum Imaginibus mire exornatum. In æstimationem Bonorum Hereditatis PRINCIPIS,* Lapis hic, *ex quo Vas constat; ob raritatem & summum pretium a Gemmarum Mangonibus haud potuit æstimari, multo minus, ob venas in ipso mire ludentes, & ob Imaginum Antiquitatem, nomine proprio insigniri. Tandem propter ductus in eo conspicuos Onyx creditus & cognitus. Fuisse, qui* 60000. *ad usque* 90000. *Imperiales pro illo licitati sint, Acta referunt. Taxatum eundem esse pretio* 150000. *Imperialium, maternæ hereditatis Inventarium prodit.*

SERENISSIME AC REVERENDISSIME

PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME.



AGNUM est, PRINCEPS OPTIMORUM MERITISSIME, [a] Tuum istud Naturæ Artisque Miraculum, immo totius gentilis Theologiæ compendiosum Mysterium, quod, ut quantulacunque mea evolutum opella, publici juris facerem, quotidiano adeoque benigno efflagitasti Mandato: Nam ipse eas, quas a primo statim illius adspectu concipiebam Ideas, necdum opinabar satis maturuisse; non exiguum enim tempus impendendum fuisset inquisitioni operis prope infiniti, ab illo præsertim, qui continuis, licet haud magnis, ut scis, CLEMENTISSIME, distringitur negotiis. Utendum deinde cum Quinctiliano, in proœm. *Instit. orat.* vers. 388. Horatii consilio, qui in *Arte Poetica* suadet, ne præcipitetur editio,

—— *Nonumque prematur in annum:*

A Ut scilicet refrigerato inventionis amore, diligentius hanc repetitam, tanquam Lector perpenderem. Ita non omittere quidem, sed premere illud negotium cogitabam, quo pudori meo sapienter consulerem; ni vis major accessisset, quæ mihi omnem hujus consilii rationem conturbavit: Fas enim mihi uno FERDINANDI ALBERTI imperio ab omni me reprehensionis molestia liberare & in sola obsequii gloria universam epistolaris hujus commentationis, vel laudem vel veniæ spem collocare.

Innatam, vel potius inspiratam esse in Protoplasto Mortalibus immortalis Numinis reverentiam, B docet extra anni solisque viam provecta Religio [b]. Cujus, ut optime nosti PRINCEPS DOCTISSIME, [c] non postrema pars semper fuere sacrificia: ab ipso quidem universi Conditore DEO, post lapsum Adami, in commonefactionem de futuro sacrificio Messiæ promissi in ara crucis offerendo, certa ordinatione instituta, sed postmodum Satanæ, Dei Simiæ, instinctu & directione; utpote qui omnibus modis se summo

---

a *Hoc elogio mactatur DIVUS M. AUREL. CLAUDIUS in Nummo meo rariss.*
b *Cic.* de Univers. C. Animum ex sua mente & Divinitate genuit Deus.
c *Doctissimi Titulum etiam Regibus fuisse tributum, ostendit Gerb. Feldmann. in* De Titulis Honorum capite LII.

Deo in cultu æquari vult, perversa [a]; ita *ut Hujus veritatem transmutarent in falsitatem, & colerent res conditas ac servirent eis præterito conditore, miseri Homines*. Rom. c. 1. vers. 25.

Illustre ejus rei exemplum ostentat incomparabile illud, atque regiis olim annumerandum Gazis; SACRIFICALE VASCULUM, quod in splendida, ac omni priscæ recentisque curiosissimæ supellectilis genere instructissima Pinacotheca Tua possides, PRINCEPS MAGNIFICENTISSIME; In quo, an *Naturæ* luxuriam, an *Artis* excellentiam, an *Antiquitatis* reverentiam magis admirer, hæreo [b]. Hoc tantum scio; nec integriorem, nec elegantiorem, nec pretiosiorem Tuo illo, in Europa inveniri ONYCHEN. Tantæ enim Magnitudinis, qualis hic ad vivum expressus est, vel nudum nec ullis violatum signis, quanti putas esse valoris? Murrhina quondam vasa ex Onyche fuisse fabricata putat Anselmus Boetius de Boot, in *Hist. lap.* l. II. capite LXXXV. & probat, post Georg. Agricolam lib. VI. *de Nat. fossil.* Antonius Guibertus in *Dissertatione de Murrhinis* cap. X. indubitatum autem relinquunt Plinii & Appiani loca, infra nobis adducenda: Quæ enim Hic *Pocula ex Onyche* Gemma facta dicit, Ille diserte *Murrhina* appellat. Verum enim ingentis ea tunc fuisse pretii Paulus JCtus l. III. §. 4. ff. *de suppell. leg.* & Plinius l. XXXVII. *Nat. hist.* c. II. ostendunt. Tranquillus in *Aug.* cap. LXXI. auctor est, Augustum, Alexandria capta, nil sibi præter unum *Murrhinum* calicem ex instrumento regio retinuisse; Piaculum foret hic præterire, quæ in publicis illis Ephemeridibus, quas Novellas vulgo vocant, nuper adnotavi: Amstelodami inter 7. & 8. diem Mensis Maii, furto ablatum est Scrinium argenteum, in quo, cœtera inter pretiosa, præstantissimus erat pulcherrimus & maximus Onyx, aureo incrustatoque cinctus margine: Longitudo ejus quinque pollicum, latitudo trium, crassities vero dimidii, cui similem non novimus: Ast, quid amabo, Hic ad Tuam istam *in arctum coactam rerum naturæ Majestatem*? Plinius *Procem.* lib. XXXVII. Consideranti præterea hujus lapidis duritiem, Adamantis paullo inferiorem, opus istud esse existimandum est viginti minimum annorum, Artificis solertissimi, ita colores Lapidis distinctos convexis applicantis figuris, ut non tam Ars, qua ipsa eas Natura pulcherrimas finxisse videatur.

Verum, meum nunc erit ostendere primum *Nomen* hujus Vasis, *Ubi* olim factum fuerit & in quem *usum*: Deinde dare ejus *Mythologiam* historicam & Mysticam, quantum quidem ope Auctorum antiquorum & probabilis conjecturæ; quali, juxta Strabonem lib. IV. *Geogr.* in hujusmodi rebus, par est esse contentum, fieri poterit accuratam.

Nomen itaque GUTTI fuisse arbitror; *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis Guttum appellarunt; & quo sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominavere: hinc in Sacrificiis remansit Guttum & Simpulum*; inquit Varro lib. IV. *de L. L.* p. m. 31. Aliud nimirum erat vas quo vinum prægustabatur ante Sacrificium, & aliud quo illud inter victimæ cornua effundebatur, sicut & in Aram, in ignem & per totum sacrificium. Illud igitur inter Guttum & Simpulum discrimen in ipsis Altaribus erat, quod ad libandum ante Sacrificium Simpulum deserviebat, Guttum vero ad idem fundendum in Sacris. Dicebantur autem Libamenta, tam prægustationes quam effusiones, quoniam uno eodemve vino utraque Libamenta fiebant, sic dicta a LIBERO Patre, qui primus tam vini quam Libationum existimatur inventor [c], ut voluit Ovidius lib. III. *Fast.* v. 732.

Nomine ab Auctoris ducunt LIBAMINA nomen.

Quo vero *tempore* & *ubi* fabrefactum fuerit Guttum hoc, non facile dictu; Id tantum in confesso est, inchoatum & perfectum fuisse Seculo tam artibus quam superstitione & vanitate Theologiæ Ethnicæ florentissimo: Hæc penitius considerantem, adnotantemque ea quæ de Mithridate a Pompejo devicto & triumphato Appianus memoriæ prodidit: *In Talauris*, inquiens de Bellis Mithrid. *quam urbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium M. M. poculorum EX ONYCHE GEMMA FACTORUM COMPACTORUMQUE AURO inventa sunt*, &c. *eorum pars a Dario Hystaspis filio Successoribus per manus tradita fuerat; partem ex Ptolomæorum Regum Gaza Cleopatra penes Coos deposuerat; unde Mithridates a civibus tradita deportaverat; partem ipse Rex paraverat ac collegerat, elegantioris suppellectilis percupidus*. Hæc, inquam, perpendentem, quem non in suspicionem adducant originis splendidissimæ nostræ Gemmæ? præsertim cum prælaudatus ille Antiquitatis Promuscondus diserte scribat Plinius lib. XXXVII. cap. II. *Pompejum tertio Triumpho, quem Mithridate victo egerit, primum in urbem MURRHINA induxisse, primumque eum sex pocula Capitolino Jovi dicasse*. Mithridatem præterea, in reliqua ingenii magnitudine Sacrorum imprimis BACCHI peculiariter fuisse curiosum; ex eodem Plinio adnotavi in Procemio Dissertat. per Epistolas de Nummis quibusdam abstrusis Neronis Imp. pag. 4. & 5. Nam & ipse *Dionysus Bacchus & Liber nominabatur*. Cic. orat. *pro Flacco*, Vid. Juven. *Satyr.* XV.

Hujus Dei Sacra in Ægypto, prodigiosa illa Deorum Parente, instituta, juxta Theodorum Siculum, lib. I. cap. II. Herodian. lib. III. per Melampum quendam in Græciam introducta, ex hac vero in Italiam, ut pleraque alia, quæ inter & Cereris Thesmophoria, sub Isidis nomine in Ægypto cultæ, profecta fuisse, nemo est Litteratorum qui ignorat. Vidend. Phornutus in *Cerere*. Pausan. in *Corinth.* Herodotus l. II. & Diodorus multis locis.

Hæc sunt illa, PRINCEPS CLEMENTISS. quæ pulcro ordine Tuum repræsentat faberrimi vetustissimique operis Κειμήλιον.

Verum, antequam ea evulgem, liceat mihi proclamare solemne illud hisce Mysteriis carmen Callym. in *Hymnis*:

Ἑκὰς ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός.

Claud. l. I. *de rap. Proserp.*

Gressus removete Profani!

Scio enim, non defore tales, qui in *Baccho* nostro, id est, in *Sole* maculas deprehendent, & *Cererem* nostram, Terram Matrem non benigno dente colent [d], sed Theonino proscindent. At profecto sub TUI NOMINIS splendore, SERENISSIME PRINCEPS, quasi sub Tutelaris Genii patro-

a Grotius lib. IV. *de verit. R. Chr.*

b Lib. X. *Cod. de vet. jure enucl.*

c *Vide Joh. Bapt. Casalium* de profan. Rom. ritibus cap. XV.

d *Vomeris dentem, cujus ope sulcis semina condere solent Agricolæ, designare porcum Cereri sacrum, innuit Phornutus in* Cerere.

patrocinio, nihil nobis fuerit pertimescendum [a]: Hinc ovans, cum prisca sacrificantium turba, horum Numinum Sacra aggredior

GUTTUM lætusque prebendo.

In *tria* istud aureæ binæ Zonæ dividunt *Segmenta*, quorum *medium* in *tres* iterum, atque in ipsa Gemma satis conspicuas distinguitur *Classes*.

Prima CEREREM habet stantem in Sacello, & geminas tenentem faces, flammis comprehensas Ætneis, quibus sibi prælucens, pergebat ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis, Proserpinam a Plutone raptam. Vide Claudianum lib. III. *de Raptu Proserp.* & Ovid. lib. V. *Metam.* item lib. IV. *Fastor.* Nivea tota tegitur veste, repertu Filiæ lætata Εὐόπῃ, quæ ejus raptu consternata pullam vestem induerat Μελαίνῃ. Apul. l. II. *Met.* Jul. Aurelius *de cognom. Deorum* lib. II. cap. VI. Claud. l. cit. Pulcram comam (Homerus *Odyss.*) Mitella textili, qualem Græcis Mulieribus tribuit Apulejus lib. VII. *Metam.* Seneca in *Hippol.* vers. 320. 321.

Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

Atque inde non inconcinne φοινικόπεζα, ut reor, Pindaro dicta.

Pone stat Cereris PROSERPINA puer; simili, sed dextrum humerum cum pectore & pedibus nudante amictu, vestita [b]. Capillus præterea hujus, uti & trium aliarum Figurarum, eum in modum comtus est, qualem nummi Græci, & vetustiores Romani præmonstrare solent, atque ideo de antiquitate Gemmæ, non leve suggerunt argumentum. Retro respicit Dea, sinistraque floridum attollit Papaver.

Ante *Fœmella* soccis itidem induta, in canistro poma præferens, &

Masculus, uti videtur, Barbatus, caput vitta vel fascia revinctus, cœtera nudus. Hos Semones POMONAM & VERTUMNUM Maritum ejus interpretor, grata Ruricolis Numina.

Primam hanc Classem a *Secunda* distinguit Cereri.

—— Luco dilectior omni
Laurus.

Claudianus *de Rapt. Proserpinæ* lib. III. vers. 74. 75. *Libero* quoque, *ut Triumphorum Deo, sacrata.* Tertull. *de Corona Mil.* cap. XII.

Mox *eadem Diva* procedit in curru cum TRIPTOLEMO, cujus

Angues alati strident, & squamea curvis
Colla levant attrita jugis:

apud Claudianum *de Rapt. Prof.* l. I. vers. 12. 13. *Triptolemus vero Eleusinus*, ut est apud Phornutum in *Cerere*, *fertur per universum orbem disseminasse frumentum, cum veheretur a curru Cereris, quem volantes serpentes trahebant.* Hi autem *Terram* præ cœteris animantibus commonstrare videntur, quod eam, toto pene corpore perrepentes verrant. Hieron. Aleander in *Exposit. Zonæ Antiquæ statuæ.* Vel idem dicendum quod in *Proserpinæ* Etymo Varro lib. IV. *d. L. L.* & Arnobius l. III. *adv. Gent.* protulerunt, significare videlicet, aut radices, aut segetes ipsas, quæ cum parum attollantur, quasi per terras serpere videantur.

Verum enim vero quid Dea dextra prætendat, Delius natator, aut Oedipus aliquis conjector explicet; Neque enim an Flos sit, an Fructus, an ex Frugibus quid confectum, an instrumentum denique ad Agri frugumve culturam spectans, tuto affirmaverim; dicam tamen infra, quid hac de re suspicer.

Huic interim

—— Brachia nuda nitent
Collectæ & tereti nodantur jaspide vestes.

Claudianus lib. II. *de Rapt. Proserpinæ*, vers. 40. Ex comæ ornatu, qui cum Cereris illlo Eleusiniæ, quam Jacobus Spon, *Voyage du Levant* Tom. II. pag. 216. exhibet, plane convenit, a Pictore vero non satis accurate hic expressus est; ætatem nostri artificii subolfacere licebit.

Ante currum BACCHUS humi procumbit seminudus, sinistra Cistæ mysticæ innixa uvam prensans vini Inventor.

Supervolitat ex Antro suo quasi proruens ZEPHYRUS. Tibull. lib. I. *El.* X.

Profluit huic *violis* / *pomis* *candidus ante sinus.*

Alæ ejus, uti & præmemoratorum Serpentum, velocitatis signum sunt, etiam iis notum, qui necdum ære lavantur. Ventos alatos finxere non tantum Gentes [c] sed & ipsi Hebræi, quorum Rex & Poeta in Lyricis carminibus cecinit Psalm. XVIII. vers. II.

Επετάσθη ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων.

Et Psalmo CIV. vers. 3.

Περιπατῶν ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων.

Graphice vero Zephyrum depingit Claudianus *de Rapt. Prof.* lib. II. vers. 88. & seqq.

—— Ille novo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat;
Quaque volat vernus sequitur color; omnis in herbis
Turget humus, medioque patent convexa sereno, &c.

Tertia Classis Sacrificantium turbam aperit Græcanicam, *Sacra* enim *Cereris per Græcas semper curata sunt Sacerdotes*, ait Cicero *pro Corn. Balbo* cap. XXIV. quarum tres apud Ovid. l. V. *Metam.* vers. 110.

—— Albenti velatæ tempora vitta.

quam a ritu RICAM Latini dixere, quod Romano ritu sacrificium cum fœminæ faciunt, capita velant. Varro lib. IV. *de L. L.* add. Festus & apud eum Granius. Communis enim omnium Flaminum & Sacerdotum lex erat ab Hebræis petita, ut capite velato Sacra peragerent [d], ob reverentiam scilicet ac verecundiam erga Deos. Apud Senec. *Natur. Quæst.* lib. VII. cap. XXX. *Egregie Aristoteles ait: Nunquam nos verecundiores esse debere quam cum de Diis agitur; Si intramus Templa compositi? Si ad Sacrificium accessuri vultum submittimus, TOGAM ADDUCIMUS, si in omne genus modestiæ fingimur?* &c.

Toga nempe in sacrificiis caput obvelabant Romani [e]. Hinc Spartianus de Hadriano cap. XXVI. *Natali suo ultimo, cum Antoninum commendaret, Prætexta sponte delapsa, caput ei operuit:* Heic recte quidem corrigunt Lipsius notis ad Taciti *Annales*, lib. II. & post eum Casaubonus, Gruterus, Salmasius, Boxhornius, *Aperuit*, sed non explicant Spartiani mentem; Is enim, mea quidem, inter signa mortis Hadrianum istud imprimis habuisse, indigitare vult, sacrificantem tanquam *candidatum* Ἀποθεώσεως; Aperto namque capite fa-

a *Phornutus in* Cerere, *& Virg. lib.* I. Georg.
b *Vid. Gasp. Scioppius* ad Priap. carm. 86.
c *Add. prælaud. Spon.* libr. allegato pag. 135. *au tour des vents.*
d *Vid. Kipping.* in Antiq. Rom. T. I. c. XII. n. 18. *Levit.* X. vers. 6.
e *Octav. Ferrarius* de Re Vest. l. I. c. X.

ciebant Dii, & inter Divos relati, testibus antiquis nummis [a]: Hæc extra alia est ratio Veli Divinitatis insignis, de quo videndi Tristanus *Tom.* III. *ad Nummum Constantini M.* 13. & Alb. Rubenius *de Gemma Tiberiana p. m.* 204. At hæc obiter.

Prima Sacerdotum dextra *Sacrum* adfert *Porculum*, sinistra *Papaver* [b]. *Porci*, inquit Varro *de Re Rust.* lib. II. *qui a partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab Antiquis Sacres, quod tum dicuntur primum ad Sacrificia idonei. Mysticam Porcum* vocat Tibullus lib. I. *Eleg.* X. vers. 26. Ad quem locum optime notat Jos. Scaliger: *Mystica propter Cererem: Itaque in Nummo Q.* VIB[. *C. F. cusa est Ceres cum porca* [c].

Ideo autem Cereri Sus, quod excavatis scrobibus fruges convulsisset, meritas luit pœnas, ut canit Ovidius.

Hostia Sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Dicitur & Porcos interfecisse Ceres, ut refert Phornutus *de Nat. Deor. in Cerere, quod istud animal segetem depascere & vastare consueverit: Aut illud animal designat dentem vomeris, cujus ope sulcis semina condere solent Agricolæ.* Et paulo post: *Immolant Cereri admodum convenienter sues prægnantes, propter Terræ fertilitatem, & facilem conceptum, & absolutam maturitatem* [d]. Pergitque apposite: *offertur Cereri etiam PAPAVER: Ratio autem oblationis est talis, Papaveris rotunditas & globus, terræ formam, quæ sphærica est, repræsentat. Papaveris autem inæqualitas indicat Terræ valles & montium cacumina: Interiora autem papaveris, similia sunt arboribus & cavernis terræ. Per semina innumerabilia, terræ fœcundam generationem intellige.* Vel ideo etiam, ut Servio placuit, ad illud Maronis lib. I. *Georg.* vers. 212. 213.

—— *& Cereale Papaver*
Tempus humo tegere.

Hoc frugum Genitrici sacrum, *quod est esui sicut frumentum* (*vescum* inde eidem Virgilio, *ibidem lib.* IV. dictum) *vel quo Ceres usa ad oblivionem doloris, nam ob raptum Proserpinæ vigiliis defatigata, gustato eo acta est in soporem: vel quia Myconem Atheniensem dilexerit Ceres & transfiguratum in Papaverem, tutelæ suæ jusserit reservari: Vel quia pani aspergatur.* Accinit Ovid. *lib.* III. *Fast.*

Illa (nempe Ceres) *soporiferum parvos initura Penates*
Colligit agresti lene Papaver humo:
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.

Altera Sacerdotissa album Hircum seu caprum adducit cornibus [e]. Horat. *lib.* III. *Od.* VIII.

Voveram dulces epulas & album Libero caprum.

Virgil. lib. II. *Georg.* vers. 393.

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque & liba feremus,
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Eadem vero Baccho, qua sus Cereri, de causa, immolabatur: Ipsus ille Maro paullo ante, versu 378. & seqq.

Quantum illi (scil. viti) *nocuere greges, durique venenum*
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix,

A *Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris*
Cæditur [f].

Et Varro *de Re Rust.* lib. I. *Quædam pecudes culturæ sunt inimicæ ac veneno, ut istæ, quas dixi capræ; Eæ enim omnia novella Sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas; propterea factum ut Libero Patri repertori vitis, Hirci immolarentur, proinde ut capite darent pœnas.*

Sed & ideo Virenti Cereri mactabatur Aries, sicut testatur Eupolis.

Ἀλλ' εὐθὺ πόλεως εἶμι, θῦσαι γὰρ με δεῖ
Κριὸν χλόη Δήμητρι.
Sed recta ad urbem eo, mihi quod est opus
B *Mactare ARIETEM illic virenti Cereri.*

Læva phialam cum uva & piris adfert eadem *cicurum plantarum & arborum tum Præsidi, tum Datori:* Phornutus in *Baccho*. Eaque propter & καρπιμον etiam vocabant, & proventum ὀπώρας ab eo postulabant: Inde etiam Dendrophoriæ solemnitas in Sacris Dionysiacis & Metroacis Cereris [g].

Similes fructus in Canistro *Tertia* sedens genu sustinet, dextra vero spicam, notissimam Almæ frugum Parentis tutelam [h].

Adstat, ni fallor, PHYTALUS, propter Ficum arborem, capite fiscinam, ficis aliisque repletam fructibus, gerens. Pausanias in *Attic.* C lib. I.

Hic Cererem PHYTALUS tectis exceperat Heros
Cui primum sacri largita est semina pomi,
Quam FICUM mortale genus vocat.

Bacchum etiam Ficus inventorem, probat Pignorius, *in Expos. Mensæ Isiacæ*, ejusdemque folia huic sacra fuisse, Natalis Comes *Mythol.* lib. V. cap. XIII. & L. Gr. Gyraldus *de Diis Gentium*, *Syntagm.* VIII.

Atque hinc apparet, Sacra hæc principio non in Templis, sed sub divo fuisse peracta. Tibullus D lib. II. *Eleg.* I.

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba
Arboris antiquæ, qua lenis umbra cadit,
Aut e veste sua tendent umbracula.

Quin & Veteres Cœlum ipsum appellasse Peplum docet Porphyrius Philosophus *in Antro Nympharum*, ex Orphei auctoritate: Tale heic cernere est clarissime. Hunc sacrificiorum ritum universum prope monstrat Virgilius lib. I. *Georg.* vers. 344. & seqq.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hostia fruges.
Omnis quem chorus, & Socii comitentur ovantes,
E *Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante*
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos & carmina dicat, &c.

Ac proinde Varro lib. *de Re Rust.* cap. I. inter Agricolarum Duces *Cererem & Liberum invocat, quod horum fructus maxime necessarii ad victum, ab his enim cibus & potio venit e fundo.*

Hactenus ipsa Sacra contemplati sumus, sequuntur nunc *instrumenta* Sacrorum, quæ *INFERIOR ZONA* exhibet: Ubi primo statim loco sese offert *Calathus* cum *Mappa*; qui in eo cernuntur Globuli, panes esse ex Papavere ut cre-

a *Consulantur ex Arschotanis, Nummi Tab.* 18. *n.* 3. *Tab.* 16. *n.* 22. *Tab.* 20. *n.* 8. *Tab.* 25. *n.* 10. *Tab.* 28. *n.* 4. 8. 16. &c.
b Plaut. *Menechm. Act.* 2. *Sc.* 2. vers. 38. & vers. 15. 16.
c *Mysteria ad Cererem proprie spectare docet Phornutus* in hac Dea.
d *Sues etiam Baccho Ægyptii immolabant. Herodot.* in Euterpe lib. II.
e *Vetus inscriptio Hisp. apud Ottonem* pag. 8.
f *Plura adduxi in supra memoratis meis Epist.*
g Orpheus *in Hymno Bacchi*. Vide Casaub. *de Satyr. Poesi.* lib. I. cap. II.
h Apulejus lib. XI. *Metam.* Virgil. lib. II. *Georg.* vers. 173. Euseb. III. *Præpar. Evangel.*

dam, me adducit Dioſcorides lib. IV. cap. LV. *E ſativi*, inquiens, *Papaveris genere, quod bortenſe ſemen in panem denſatur, qui ſanis in uſu ſit*: atque hunc θυλακίτιν vocat, quaſi caniſtris aſſervatum [a]. Panum etiam recentium, tanquam Donariorum in Orgiis, meminit Demoſthenes *pro Cteſiphonte*, quem locum infra adducam.

Binæ deinde ſequuntur *Faces* decuſſatim junctæ. Lactantius lib. I. cap. XXI. *Sacra vero Cereris Eleuſiniæ, non ſunt diſſimilia; Nam ſicut ibi Oſiris planctu Matris inquiritur; ita bic ad inceſtum Patrui matrimonium rapta Proſerpina; quam quia facibus ex Ætnæ vertice accenſis in Sicilia, quæſiſſe Ceres dicitur, idcirco Sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.*

Immo & Dionyſi cognomen λαμπτῆρος *a Luminibus fuiſſe*, ejuſque Templum & Sacra apud Pellenos λαμπτήρια *nuncupata, illatis noctu intra ædem accenſis facibus*, Auctor mihi eſt & fundus Pauſanias in *Achaicis*.

. Alterum ecce *CANISTRUM*; verum quid contineat, Gemmæ foramen, ad emittendum per aureum tubulum liquorem, factum, oculis ſubducit. Caniſtri uſum in Sacrificiis fuiſſe docet Dionyſ. Halicarnaſſeus *Antiq. Rom.* lib. VII. Hadr Junius lib. I. *Animadv.* cap. IX. & altiſſimus ille antiquitatis Gurges Maro libro VIII. *Æneid.* verſ. 180.

—— *Onerantque CANISTRIS*
Dona laboratæ Cereris.

Caniſtrum vero cannis fiſſis contextum erat, unde nuncupatur: Iſidoro teſte lib. XX. *Orig.* cap. IX.

Mox *TIBIÆ* præſto ſunt, Sacrificiis ſolemnes; *Tibias*, inquit idem Iſidorus *Orig.* lib. II. cap. XX. *excogitatas in Pbrygia ferunt: bas quidem diu funeribus adbibitas, mox & Sacris Gentilium* [b]. Inde, nunquam ſatis laudatus Virgilius lib. II. *Georg.* verſ. 193.

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrbenus ad aras.

Satyros vel Bacchas Tibias inflantes, omnes quas hactenus contemplari licuit, exhibent Bacchi pompæ in monumentis antiquis, præſertim in jaſpide illa elegantiſſima, quam primus publici juris fecit I. Caſaubonus lib. I. *de Satyrica Poeſi* cap. II. Et in Nummis Trajani, Gordianique apud Triſtanum Tom. II. p. 529. & 622. Nec non Juliæ Severi, apud Seguinum *Sel. Num.* cap. IV. num. 28. &c. Rationem adfert Phornutus in *Baccbo*. *Quod Tibia in uſu ſit apud pleroſque, quando uvas decerpunt botroſque colligunt.*

Tibias quoque in Sacris fuiſſe Magnæ Deum Matris (quæ non alia ab Iſide ſeu Cerere, ut deinde oſtendam) integro capite evincit in partes jam vocatus eruditiſſ. Bartholinus lib. II. c. VIII. Mire vero, meo equidem judicio, ex illis quæ lib I. cap. V. pag. 56. & ſeqq. ob oculos ponit, illuſtratur Nummus, quem poſſideo, C. MEMMI C. F. Cererem exhibens, læva Spicas, dextra *Facem*, ut videtur Rubenio ad tab. I. num. 4. Nummor. Arſchot. *Colum* vero, ut Fulvio in *Gente Memmia*, tenentem: Nam Tibiam eſſe, & quidem *Multiforatilem*, ut Sidonius lib. IX. *Ep.* VIII. vocat, atque Apulejus *Florid.* I. paxillis ſuis conſpicuam, quovis pignore certare auſim.

PATERA porro & *URCEOLUS* luculento ſatis indicio ſunt, quo totus hic Apparatus ſit referendus; nempe ad *ſolemnem Sacrificii ritum*.

Ad quem in *Orgiis* non minus ſpectabat *PERSONA*; ipſum heic repræſentans ſeu Bacchum ſeu Apollinem; (de qua infra ſumus dicturi) quam huic ſuppoſita

FISTULA diſparibus ſeptem compacta cicutis.

Virgilius *Ecl.* II. verſ. 36. Ex Dionyſi enim Miniſtris, omnium maxime Bacchicus, Virg. ib. v. 32.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit [c],

Hinc Συρίκτης Phornuto in *Pane* nuncupatus, *Hortorum vinearumque biſpidus ille cuſtos.*

Horum dulces ſunt fructus, queis ſubſequens adimpletus eſt Saccus: de illis in præſenti nihil amplius.

De *SERPENTE* vero ex *CISTA* prodeunte plura habeo dicere.

In Bacchicis Orgiis Dracones Ciſtis includebantur: Clemens Alexandrinus in *Parænetico* per interpretem: *Quales autem ſunt Ciſtæ eorum myſticæ? oportet enim ſancta eorum revelare, & arcana enuntiare: Annon ea ſunt ſeſamides & Pyramides*, &c. *& Draco Orgium Dionyſi Baſſari?* Tanta Dionyſo veneratione Græcia erat devota, ut talibus Ciſtis paſſim Nummos ſignaret; inde, quantum ego quidem reor, *Ciſtiferorum* nomen adeptos; non, ut Hadr. Junio in *Nomenclat.* p. 233. viſum, *quod expreſſos baberent Ciſtigeros, qui Sacrorum arcana ciſtis incluſa geſtarent*: Nuſquam enim tales unquam cernere memini; quamvis eorum qui Ciſtam cum ſerpente præferrent, plurimos: Hanc igitur tanquam Aſiæ certiſſimum Symbolum in Nummis, Græcorum illorum pretium æquantibus, cuderunt Auguſtus, Antonius, Veſpaſianique; quin etiam ſed majoris formæ atque ponderis [d] AP. PULCHER AP. F. & ipſe M. TULL. Cicero, qui Ciſtiferi nummi meminit non ſemel, *in Orat. pro Domo*, lib. VII. Epiſt. XVI. & l. X. Ep. I. *ad Attic.* Ejus vero rationem ad Denarium Romanum fuiſſe ut XV. ad XIII. docet nos Feſtus apud Joſ. Scaligerum *de Re Nummar.* Sed hæc obiter: *Ciſtellam eam a Coſtis ex canna vel ligno quibus contexebatur, nominatam* fuiſſe, teſtem habeo Iſidorum lib. XX. *Orig.* cap. IX. ipſi autem Cereri non minus Sacram, Nummum Sabinæ Arſchotanum, Tab. XL. num. 4. Sed ut ad *Serpentes orgiaſticos* revertamur: Hi ex illo erant Anguium genere, quos Græci παρείας vocant [e]. Demoſthenes *pro Cteſiphonte*, interprete H. Wolffio: *Interdiu autem præclaros illos cœtus per viam ducens feniculo & populo redimitos, Serpentes, quos PARIOS vocant, elidens*, & *ſuper caput efferens, & clamitans, Evoe Saboe, & interim ſaltitans, Hyes Attes, Attes Hyes, auſpex & dux & picifer* (ciſtifer) *& vannifer, & ejus generis aliis nominibus, ab aniculis ſalutabare, mercedem pro iſtis ab aliis accipiebas placentas & ſcriblitas & RECENTES PANES.*

De Panibus ſupra mentionem feci; de Mercede id tantum monendum: Apud Romanos Lege prohibitum fuiſſe, ne, præter Idææ Matris famulos, eoſque juſtis diebus, quis ſtipem cogeret. Cicero lib. II. *de LL.* Adeatur Cl. Bartholinus l. c. Verum de his ſatis, neque enim mihi prolixiori eſſe permittit inſtituti ratio.

Caput Senile promiſſa barba venerandum, SILENI *Perſonam* eſſe dico; fuit etenim

—— *Cuſtos famuluſque Dei Silenus alumni.*

Horat. *de A. P.* v. 239. jungatur Nemes. *Eclog.* III. verſ. 27. & ſeqq.

---

a *Andr. Schottus* ad *Ant. Auguſtini* Dial. II. in Annona.
b *Confer. Caſp. Bartholinus* de Tibiis Veter. lib. II. cap. VII. & ſeqq.
c *Lucianus in* bis Accuſato.
d *Apud Seguinum* Sel. Num. cap. III. N. 2. & 4.
e *Plura in banc rem addicit Alb. Rubenius in* Nummo ASIA RECEPTA.

Larvis in Orgiis usos fuisse, late monstrat Tristanus in Explicatione Vasis Antiqui, Tom. II. *Comment. Hist.* pag. 622. & seqq. Immo, ex his originem ducere, detegit Virgilius noster lib II. *Georg.* vers. 387. & seqq.

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
Et Te Bacche vocant per carmina leta, Tibique,
Oscilla ex alta suspendunt mollia Pinu.

In Ptolomaica Pompa apud Dipnosophistam, traducuntur *cum Tympanis, Mitris, Thyrsis etiam* πρόσωπα σατυρικὰ, κωμικὰ, καὶ τραγικά.

Personam quoque cum Thyrso in Megalesiacis conjungit Juvenalis *Satyra* VI. vers. 70. 71.

—— *Tristes*
Personam Thyrsumque tenent.

quæ neque hic disjuncta sunt;

Fasciculum enim istum vicinum, *Thyrsorum*, vel potius *Ferularum* esse autumo; nam Thyrsus eo etiam distat ἀπὸ νάρθηκος, quod acie lanceæ munitus esset Thyrsus, ideo λογχωτὸς θύρσος & θυρσόλογχον vocabatur [a]: Hæ vero ferro omnino carent: Verum

Cur Ferulam Bacchus manibus gerit atque Papaver?
Dic mihi cur veteres hoc voluere Patres?
Scilicet, ut vino plenus det corpora Somno,
Postridie pœnas se meruisse sciat.

Flor. Schonhovius *Embl.* XI.

Verum enimvero & ego has merito darem, si Tua, PRINCEPS CLEMENTISSIME, abuterer Patientia: Quare ad reliqua hujus Negotii, MYSTICA scilicet, pedem, sed compendioso gradu, promovebo. Ea vero maxima sunt totius Theosophiæ Gentilis & vetustissima, ad quæ cætera omnia, tanquam centrum suum collimant.

Principes Dei, inquit Varro lib. IV. *de Ling. Lat. sunt COELUM ET TERRA: hi Dei iidem qui in Ægypto Serapis & Isis*; (Eusebio *Osiris & Isis.*) Est autem *Isis* apud Herodotum lib. II. (add Phornutus in *Cerere* & Euripides in *Bacchis*. Diod. lib. I. cap. II. Jung. Macrobius lib. I. *Sat.* cap. XVIII. nec non Plutarchus in *Iside & Osiride*) *Quæ Græca lingua dicitur* Δυμήτηρ, *id est, Ceres. Osiris est Dionysus, id est, Liber*. Et secundum Diodorum *Isis cum Luna, Cerere atque Junone, Osiris cum Sole, Serapide, Dionyso*, &c. in unum veluti corpus rediguntur.

Cum enim SOLE, generationis omniumque prope bonorum Auctore agente, nil pulcrius, nil utilius conspicerent cæci Pagani; TERRA patiente nil benignius, utpote quæ instar Matris pariat & enutriat omnia, (Varro loco jam jam adlegato) *Istum Patrem, Hanc* merito Deorum ac Hominum *Matrem* vocarunt; Arnobius lib. III. *adv. Gent.* atque ad hæc tandem Numina retulerunt, quæ sub varia Nominum appellatione longe lateque venerabantur. Vid. Hier. Aleander *in expl. Tab. Heliacæ* pag. 103.

Hic vero dolere subit infelicem istorum cæcitatem, *quorum Deus venter*, ut verbis utar Apostoli *Phil.* III. vers. 19. Siquidem eos sibi Deos constituebant, qui ventri infervirent, Fruges nimirum & fructus, Terram præterea ac Solem Lunamque, tum tempus, pluviam, aerem, ventum; quæ omnia nasciturис conducunt rebus alimento idoneis.

Ideo ergo (ut Serpentem, *Solis Solique*, in nostra Gemma non semel obvium Hieroglyphicon, iterum tangam) *ad ipsum SOLEM* juxta Macrobium lib. I. *Saturn.* cap. XX. *species Draconis refer-*

A *tur, quia præstat ut humana corpora, velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant virorem, ut virescunt Dracones per annos singulos pelle senectutis exuta*. Cumque *similem in modum sata semina in segete renascuntur, Angues etiam TERRAM ejusque* uliginem aut παλιγγενεσίαν Goropio Becano *denotare videntur* [b].

Eo non minus spectare dixerim, ex implexis frondibus, floribus, pomis, fructibus, frugum spicis, boumque craniis, quod in *TERTIO* & superiori vasculi nostri *SEGMENTO* contuemur *Jugamentum lemniscatum*, Fœcunditatem *Telluris*, vi *Solis*, per quatuor Anni partes provenientem, dubio procul præmonstrans. Liceat mihi istud am- B plius ostendere vel saltem hariolari ex iis, quæ in *prima medii segmenti classe* nobis sunt proposita; *Quatuor* ibi spectata *Signa, quatuor Anni tempora* non inepte denotare credas.

Ceres enim pedes, caput, totumque adeo corpus contra frigus munita, facibusque instructa, *Hyemem* adumbrat & subterraneum calorem, qui Hyemis tempore a circumstante frigore inclusus, radices frugum mirifice auget, seminibusque vim impertit percoquendi alimenta aut augescendi.

A tergo adstans *Proserpina*, pectore, pedibusque nudis, & florem Cerealis tenens papaveris, C floriparum *Ver* depingere videtur & dulcia gelidæ divortia Brumæ [c]; Ideo autem respicere, quod præceps retrogradientem post se contempletur Solem. Atque hic Torridam *Æstatem* nudis nobis aperit *Vertumnus*,

A quo vertentis fructum percepimus anni,
—— *Quique fuit veri Messoris imago,*
Tempora sæpe gerens fœno religata recenti.

Propert. lib. IV. *Ec.* II. Ovid. l. XIV. *Met.* fab. XVI. Dicitur autem Vertumnus Donato (*ad Terent. Adelph. A.* 2. *Sc.* I. ad finem & *A.* I. *Sc.* 2. *Hecyræ*) *DEUS, qui rebus ad opinata revertentibus præest*; Atque ideo Varroni l. I. *de R. R.* inter *Deos Agricolarum Consentis sub Bono eventu* colitur, *quoniam sine successu ac bono eventu frustratio est non cul-* D *tura*.

Marito conjuncta Uxor *Pomorum Patrona, Autumnum* designat, Varro *de L. L.* lib. VI. Quæ, apud Ovidium loco mox citato,

Rus amat & ramos felicia poma ferentes:
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus,
Unde tenet Nomen.

Vestita est plurima corporis parte & calceata, nam apud Asmenum in Tetrastich. Virg. *oper. subjunct.*

Autumno dat Hyems mistum vicina teporem.

Verum de his satis cum subsequenti dictum sit Ju- E liani Epigrammate, ibidem,

VERE gravis fundit Tellus cum FLORIBUS Herbas.
Frugiferas Arvis fert ÆSTAS torrida MESSES.
POMIFER AUTUMNUS tenero dat Palmite fructum.
Mox Humus HYBERNIS albescit operta PRUINIS.

PECUDUM illa *CRANIA* in Encarpo (ut Vitruvius libro IV. vocat) & *Sacrificia* denotant, uti in Nummo Augusti Arschotano, tab. 14. n. 9. F &, qua sine nulla fit *Generatio, Corruptionem*; Utramque ob causam in Monumentis sepulchralibus frequentissima. Vid. *Antiq.* J. J. Boissardi. Ad istam in Humano Genere Genituram fortean referendum erit, quod *Ceres* in curru stans Dextra prehendit; Et quidem, si Tu, PRINCEPS

a *Is. Casaub.* de Satyr. vet. Poesi lib. I. cap. II. pag. 97. *Phornutus* in Baccho.
b Lib. V. Hierogl. *Serpentis & Mundi sympathiam ac consensum fuse pertractat J. P. Valerianus.*
c *Vid. Probus ad* lib. I. Georg. *Virgil.* vers. 212.

INDULGENTISSIME, permiseris, dixerim, sed non nisi operto capite, & submissa honoris præfatione: *NATURAM* esse, sive *Genitale arvum*. Gell. lib. XIX. cap. IX. Quemadmodum enim *BACCHO SOLI*, tanquam *GENERATIONIS PATRI*, *Ithyphallos subrigebat Græcia*, *& Simulacris virilium Fascinorum territoria cuncta florebant*; sic non immerito *CERERI TERRÆ*, *ut MATRI Generationis*, *muliebre Organon* sacrabat. Arnobius lib. V. *adv. Gentes*. Clare Augustin. lib. VII *de Civ. Dei* cap. II. & III. ex mente Paganorum: *LIBER emissionem seminis Viris confert, hoc idem LIBERA, quæ Ceres seu Venus est, Fœminis*. Hinc igitur Apulejus lib. XI. *Metam.* sub init. ita invocat: *Regina Cœli, sive tu CERES alma frugum Parens originalis, seu Cœlestis Venus, quæ primis rerum exordiis Sexuum diversitatem generato amore sociasti, & æterna sobole humanum Genus propagasti*. Atque eodem plane Symbolo in Mysteriis Magnis Eleusiniæ Cereris, Canephoras in cista operta *Muliebrium Naturam* deferre solitas scribit Theodoritus [a]; Nec aliud in Orgiis Bacchi & Cereris *Fascino* significabatur & *Vanno*.

Possem etiam dicere, *Quatuor* heic indicari *Elementa* quasi Alimenta dicta, quod ex iis rerum naturalium substantiæ constituantur & sustententur; Per *Cererem* nempe *Terram*; Per *Triptolemum*, noctu in ignem a Dea clam obrutum, *Ignem*; Per *Zephyrum*, *Aerem*; Et per *Bacchum* a Nymphis educatum, atque Eundem apud Ægyptios cum Nilo, *Aquam* [b]. Sed nugari mihi amplius non licet, neque Tua, PRINCEPS CLEMENTISSIME, diutius abuti patientia. Verbulo itaque, ne quid intactum relinquam, monebo saltem: *Bacchum* Cistæ innixum [c] *Securitatem*, quam rustica vita amat, indicare; Phornutus in *Baccho*. *Secundum quandam rationem Bacchus pacis nomen meretur, cicurum namque plantarum tum Præses, tum Dator existit, propter has enim conservandas fœdera ineuntur; nam Hostium arbores cæduntur*, &c. Pulchre hinc Romæ, in Hortis Carpensibus, super Porta, qua descenditur ad fontem, dormiens conspicitur Agricola, caputque brachio genu imposito fulciens; hac subscriptione:

Et secura quies, & nescia fallere vita;

Jan. Jac. Boissardus *Antiq. Rom.* par. IV. pag. 72.

Quam etiam ob rem agreste Papaver Securitati olim dicatum erat non immerito.

Seminudus autem apparet Bacchus, *quo*, ut idem loco prælaudato edocet Phornutus, *ostendat morum detectionem, quæ in compotationibus, ubi plus satis adbibitur, accidere solet, hinc vinum Græcis vere οἶνος dicitur*: Vel quia *Sol* de die terram illustrat, de nocte absconditur & super nostrum Hemisphærium caligines fuga sua inducit.

Multo his possem plura addere [d] PRINCEPS SAPIENTISSIME, sed ipsa θεσμοτέτη [e] Ceres aurem mihi vellit & vetat Epistolæ legem transgredi; quare, uti ad antiquum *Græcorum morem*, *Illam hujus Sacrificii initium constitui*, *ita Eandem quoque hic finem facio* [f], & TUAM SERENITATEM Christiani orbis, atque adeo Litterariæ Reipubl. bono, longum vivere & florere candidissime optans! in veteri illa solemnique Formula concludo: FACTUM EST DOMINE QUOD IMPERASTI

Secundum vetus Calendarium apud Lambecium in Appendice ad lib. IV. comment. de Bibl. Cæs. pag. m. 285.

Bremæ e Museo meo, ipso *vindemiæ* die, i. e. Nonis Septemb. Anni Christiani CIↃ. IↃC. LXXXII.

REVERENDISS. TUÆ CELSITUD.

Devotiss. Servulo
JOHANNI HENRICO EGGELINGIO.

---

a *Vid. L. G. Gyraldus* Synt. XIV. in Cerere.
b *Servius* ad lib. I. Georg. vers. IX. *verba: Uncique puer monstrator aratri*.
c *Consul. Nummi antiqui.*
d *Plura qui desiderat, Mythologos adeat, & quos passim citavimus Auctores.*
e *Phorn.* in *Cerere* sub finem, *Cic.* Act. VII. in Verrem, *Ovidius* lib. V. Met. vers. 343.
f *Phornutus* iterum ibidem.

JOANNIS MEURSII
PANATHENÆA
SIVE
DE MINERVÆ ILLO GEMINO FESTO,
LIBER SINGULARIS.

VIRIS CLARISSIMIS

JANO. GRUTERO. J. C.

HIST. PROFESS
BIBL. PAL. PRÆF

GERARDO. JOAN. VOSSIO

COLL. ILL. HOLL
ET. WESTFR. ORD
REGENTI
MUSARUM. ET. GRAT
GEMINIS. ANTIST.
GEMINIS. AMICIS
OPT. MAX

PANATHENÆA

UNIUS. GEMINO. NOMINE. DEÆ
GEMINUM. UNO. NOMINE. FESTUM

JOANNES MEURSIUS

AMICITIÆ. MONUMENTUM
DO. DICO. CONS
LIB. MER
A. H. M. D. M. A

SERIES CAPITUM.

CAP. I.

JOANNIS MEURSII

PANATHENÆA

SIVE DE

MINERVÆ

GEMINO ILLO APUD ATHENIENSES FESTO,

LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

Panathenæa, festum Minervæ apud Athenienses maximum.



INERVÆ festum apud Athenienses multo celeberrimum fuisse Panathenæa, res est omnibus satis nota. Sed quo modo celebrari illud solitum, non æque omnibus constat. Mihi visum, quæ de eo observavi, illu-
B strandæ Antiquitati, hic proponere. Mentio ejus apud *Hesychium*. Παναθήναια. ἡ τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴ, καὶ ἀγών. *Panathenæa, Atheniensium festum & ludus*. Et apud Eustathium, *ad Iliad. β'*. Ἑορτὴ γὰρ κοινὴ πάντων Βοιωτῶν· ὥσπερ καὶ ἡ τῶν Ἰώνων, Πανιώνια. ὅμοιον καὶ τὸ, Παναθήναια. *Festum enim commune omnibus Bœotis: quemadmodum & Ionibus Panionia. Simile etiam istud, Panathenæa*. Et *alibi*. Ὁμοίου δὲ τύπου τοῖς Πανιωνίοις καὶ τὰ Παναθήναια ἑορτή. *Similis quidem formæ Panioniis est quoque festum Panathenæa*. Minervæ autem, quod jam dixi, sacrum fuisse, multi nos Auctores
C docent. Pollux *lib*. I. *c*. I. *sect*. XXXII. ubi festa quædam recenset. Μουσῶν, Μουσεῖα. Ἑρμοῦ, Ἕρμαια. Διὸς, Διάσια, καὶ Πάνδια. Ἀθηνᾶς, Παναθήναια. *Musarum, Musæa. Mercurii, Mercurialia. Iovis Iovialia, & Pandia. Minervæ, Panathenæa*. Scholiastes Euripidis *Hecuba*. Παναθήναια, ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς. *Panathenæa, festum Minervæ*. Theodoretus *Therapeut*. VII. Τούτοις, καὶ ἑορτὰς, καὶ πανηγύρεις, καὶ δημοθοινίας, ἐπιτελεῖν ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀλάστωρ ἐνομοθέτησε, Πάνδια μὲν, καὶ Διάσια, τῷ Διΐ. καὶ Ἥραια, τῇ Ἥρᾳ. καὶ τῇ Ἀθηνᾷ, Παναθήναια. *Illis enim festa, & solennitates, & epulas pu-
D blicas, celebrare hominum pernicies constituit, Pandia quidem, & Iovialia, Iovi, Iunonia, Iunoni, & Minervæ Panathenæa*. Libanius *Declam*. XIV. Μηδ᾽ ὁράσθω τίνων ὁ βωμὸς, μέχρις ἂν θεραπεύηται Παναθηναίοις μὲν Ἀθηνᾶ, μυστηρίοις δὲ Δημήτηρ. *Neque videatur igitur ara, usque dum colitur Panathenæis Minerva, mysteriis Ceres*. Erat vero longe maximum. Scholiastes Aristophanis Νεφέλαις. Παναθήναια ἑορτὴν παρ᾽ Ἀθηναίοις εἶναι μεγίστην ᾄδεται. *Panathenæa festum apud Athenienses maximum esse celebratur*.

CAP. II.

E *Prius* Ἀθήναια, *inde* Παναθήναια *dicta*.

AC primitus quidem Ἀθήναια dicebantur. *Harpocration*, ubi de iis agit. Πρὸ τούτου δὲ
A Ἀθήναια ἐκαλεῖτο, ὡς δεδήλωκεν Ἴστρος ἐν τρίτῃ τῶν Ἀττικῶν. *Ante eum vero Athenæa dicebantur, ut indicavit Ister in tertio rerum Atticarum*. Suidas. Τὰ δὲ Παναθήναια, πρότερον Ἀθήναια ἐκαλεῖτο. *Panathenæa, primitus Athenæa vocabantur*. Pausanias *in Arcadicis*. Οὐχὶ ἔτι δὲ τὰ παρ᾽ Ἀθηναίοις Παναθήναια τεθῆναι πρότερα ἀποφαίνομαι. τούτῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι Ἀθήναια ὄνομα ἦν. *Nondum vero ab Atheniensibus Panathenæa instituta fuisse priora decerno: nam ludo isti Athenæa nomen erat*. Invenioque eo nomine apud Scholiasten Aristophanis *Avibus*. Τῇ Ἀθηνᾷ, Πολιάδι οὔσῃ, πέπλος ἐγίνετο παμποίκιλος, ὃν ἀνέφερον ἐν τῇ πομπῇ τῶν Ἀθηναί-
B ων. *Minervæ Poliadi contigit peplus variegatus, quem efferebant in pompa Atheniensium*. Inde Παναθήναια dicta, postquam Theseus omnes Atticæ inhabitatores a vicis in unas Athenas reduxisset. Pausanias, *loco jam citato*. Παναθήναια δὲ κληθῆναι φασὶν ἐπὶ Θησέως, ὅτι ὑπὸ Ἀθηναίων ἐτέθη, συνειλεγμένων εἰς μίαν ἁπάντων πόλιν. *Panathenæa vero vocata dicunt sub Theseo, quia Atheniensibus posita fuerunt, jam cunctis in unam urbem congregatis*. Vel quod Atticæ populi ea celebrarent. Plutarchus *Theseo*. Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν. *Panathenæa commune fecit
C sacrificium*. Scholiastes Euripidis *Hecuba*. Παναθήναια, ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς, πάντων Ἀθηναίων συνιόντων ἐκεῖσε. *Panathenæa, festum Minervæ, omnibus Atheniensibus ad illud convenientibus*.

CAP. III.

Antiqua valde; quippe ab Erichthonio primum, Orpheove, instituta: atque a Theseo renovata.

ERANT vero antiquissima; adeoque cum E-
D leusiniis certabant. Aristides *in Panathenaica*. Ἐνδοξότατοι πάντων οἱ κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἀγῶνες. καὶ μὴν τούτων πρεσβύτατος ὁ τῶν Παναθηναίων. εἰ δὲ βούλει, ὁ τῶν Ἐλευσινίων. *Celeberrimi ludi omnium qui in Græcia; & illorum quidem vetustissimus est Panathenæorum. vel si velis, Eleusiniorum*. Origo eorum ante Thesei tempora fuit: &, cum prius Ἀθήναια dicerentur, ab eo Παναθήναια sunt appellata, ut vidimus *in citatis jam* Pausaniæ *verbis*. De Theseo auctore, est Plutarchi quoque locus, *in ejus vita*. Τὸ ἄστυ, τήν τε πόλιν, Ἀθήνας προσηγόρευσε· καὶ Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν. *Astu,
E & urbem Athenas vocavit. Et Panathenæa commune fecit sacrificium*. Sunt qui ad Erichthonium ea referant. *Harpocration*. Ἤγαγε δὲ τὴν ἑορτὴν (τὰ Παναθήναια) Ἐριχθόνιος ὁ Ἡφαίστου, καθά φασιν Ἑλλάνικός τε καὶ Ἀνδροτίων, ἑκάτερος

ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος. *Celebravit autem festum (Panathenæa) Erichthonius Vulcani filius, uti narrant Hellanicus & Androtion, uterque in libro primo Atthidos.* Alii Orpheum auctorem faciunt. Theodoretus *Therapeut.* I. Καὶ τῶν Διονυσίων, καὶ τῶν Παναθηναίων, καὶ μέντοι καὶ τῶν Θεσμοφορίων, καὶ τῶν Ἐλευσινίων, τὰς τελετὰς Ὀρφεὺς, ἀνὴρ Ὀδρύσης, εἰς τὰς Ἀθήνας ἐκόμισεν. *Et Dionysiorum, & Panathenæorum, atque etiam Thesmophoriorum, & Eleusiniorum initia Orpheus, vir Odryses, Athenas invexit.* Sed distinguendum est, sciendumque; duplicem festi institutionem esse: ac primæ auctorem Erichthonium, sive Orpheum; a quo nempe Ἀθήναια dicta: alterius Theseum, qui Παναθήναια illa appellaverit. Video distinctionem apud *Suidam.* Παναθήναια, ἑορτὴ ἐπὶ τῷ ἐπὶ Θησέως γινομένῳ συνοικισμῷ. πρῶτον ὑπὸ Ἐριχθονίου, τοῦ Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς, ὕστερον δὲ ὑπὸ Θησέως, συναγαγόντος τοὺς δήμους εἰς ἄστυ. *Panathenea, festum institutum ab cohabitatione sub Theseo facta, primum ab Erichthonio Vulcani filio & Minervæ, posterius ab Theseo, congregante populos in urbem.* Quæ totidem verbis Apostolius, *Cent.* XV. *Proverb.* LXXX. Prioris institutionis, quæ ab Erichthonio facta, meminit etiam Apollodorus *lib.* III. *c.* XIII. Ἐν δὲ τῷ τεμένει τραφεὶς Ἐριχθόνιος ὑπ' αὐτῆς Ἀθηνᾶς, ἐκβαλὼν Ἀμφικτύονα, ἐβασίλευσεν Ἀθηνῶν. καὶ τὸ ἐν ἀκροπόλει ξόανον τῆς Ἀθηνᾶς ἱδρύσατο, καὶ τὴν Παναθηναίων τῶν ἑορτὴν συνεστήσατο. *In templo vero Erichthonius ab ipsa Minerva enutritus, pellens Amphictyona, regnare cœpit Athenis. Ac in arce statuam Minervæ erexit, & Panathenæorum festum instituit.* Eadem mox *cap.* XIV. refert Ægeum, Thesei patrem, celebrasse. Αὐτὸς δ' (ὁ Αἰγεὺς) ἧκεν εἰς Ἀθήνας, καὶ τὸν τῶν Παναθηναίων ἀγῶνα ἐπετέλει. *Ipse vero (Ægeus,) contendit Athenas, & Panathenæorum ludum celebrabat.* Vocat ille utrobique, pro sui ævi appellatione, Παναθήναια, quæ tunc temporis Ἀθήναια indigetata. Idem facit Diodorus Siculus *Biblioth. lib.* IV. Τῶν δὲ Μίνωος υἱῶν Ἀνδρόγεως μὲν εἰς τὰς Ἀθήνας κατήντησε, Παναθηναίων συντελουμένων, Αἰγέως βασιλεύοντος. *Minoris autem filiorum unus Androgeus Athenas venit, Panathenæis exactis, Ægeo regnante.*

CAP. IV.

Nonnullis eadem cum Quinquatribus Romanorum existimata, itaque nomina apud Auctores commutata.

SUNT qui eadem cum Quinquatribus Romanorum existimaverint, aut Quinquatria eadem cum Panathenæis. Itaque est apud Charisium *lib.* I. *Quinquatrus.* Παναθήναια. Et auctores, qui res Romanas Græce scribunt, Quinquatrus vocant Παναθήναια. Dionysius Halicarnasseus *Antiquit. Roman. lib.* II. Ἑορτὴ δ' αὐτῆς ἐστι περὶ τὰ Παναθήναια, τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνί. *Festum autem eorum incidit circa Panathenæa in Mense dicto Martio.* Et Xiphilinus in *Domitiano.* Καὶ τὰ Παναθήναια μεγάλως ἑόρταζε. *Et Panathenæa splendide celebravit.* Et Athenæus, rem quæ Romæ gesta narrans, *lib.* III. Τῆς δὲ τῶν Παναθηναίων ἑορτῆς ἐπιτελουμένης, δι' ἣν καὶ τὰ δικαστήρια οὐ συνάγεται, ἔφη, γενέθλιός ἐστι τῆς Ἀλέκτορος Ἀθηνᾶς. *Quum vero celebraretur Festum Panathenæorum, propter quod nec tribunalia coguntur, dixit, natalis dies virginis Minervæ.* Ut autem Græci Quinquatrus Romanorum Παναθήναια interpretantur, ita τὰ Παναθήναια Atheniensium vicissim *Quinquatrus* vertit Plinius, *lib.* XXXV. *cap.* XI. *Simus (pinxit) juvenem requiescentem in officina fullonis, Quinquatrus celebrantem.*

CAP. V.

Per quot dies celebrari ea solita?

INITIO uno tantum die celebrata. Apparet ex Thucydidis loco, *l.* VI. Περιμένων δὲ Παναθήναια τὰ μεγάλα, ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγένετο, ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν πέμψοντας ἀθρόους γενέσθαι. *Exspectans Panathenæa magna, quo solum die non suspectum fiebat, cives pompam sequuturos armis instructos plures coire.* Postea in plures prolatum. Scholiastes Euripidis *Hecuba.* Τὰ Παναθήναια, ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς, πάντων Ἀθηναίων συνιόντων ἐκεῖσε, καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, πολλὰς ἡμέρας πανηγυριζόντων. *Panathenæa, festum Minervæ, omnibus Atheniensibus ad illud convenientibus, reliquisque Græcis, multos dies feriantibus.* Idque factum ornatus, & magnificentiæ, causa. Aristidis id verba indicant *in Panathenaica.* Ἐνθυμητέον καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ συμβόλου τῶν λόγων, ὅτι οὐδὲ τὴν τῶν Παναθηναίων αὐτὴν ἑορτὴν ἡμῖν μιᾶς ἡμέρας ἀνάγκη μετρεῖν. ἀλλ', εἴ γε καὶ τοῦτο δεῖ, προσθεῖναι καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἡμερῶν, κόσμου χάριν, καὶ σεμνότητος, ἀνεῖται. *Colligendum etiam ex ipso argumento orationum, quod neque ipsorum Panathenæorum festum nobis uno die necesse sit metiri. Sed etiam si illud placuerit, præstat, addere multitudinem quoque dierum, ornatus & celebritatis gratia.* Et ecce prima eorum nox commemoratur apud Epitectum Ἀπομνημονεύμασι, in *Eclogis* Stobæi, quas penes me ἀνεκδότους habeo. Ἐν τῇ προτέρᾳ νυκτὶ τῶν Παναθηναίων ἐδόκεεν ὁ Ἵππαρχος ἄνδρα οἱ ἐπιστάντα μέγαν, καὶ εὐειδέα, αἰνίττεσθαι τάδε τὰ ἔπεα. *In priore nocte Panathenæorum somniabat Hipparchus sibi virum adstantem magnum & speciosum, obscure hæc verba significare.* Sed corrupta illic verba ita restituo. ἐ. ὁ Ἵππαρχος ἄνδρα οἱ ἐπιστάντα μ.

CAP. VI.

Ac duplicia quidem erant; illa, Minora: ista, Majora. Scholiastæ Aristophanis ingens error indicatus. Quo item utraque tempore acta? Circa minora aperiri mare cœptum.

SCIENDUM vero duplicia fuisse; illa Minora, ista Majora appellata. Atque illa quotannis, ista quinto demum anno agitata. *Suidas,* Διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνησι· τὰ μὲν, καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. τὰ δὲ, διὰ πενταετηρίδος. ἃ καὶ μεγάλα ἐκάλουν. *Duplicia Panathenæa celebrabantur Athenis. alia quidem, per singulos annos. alia vero, per quinquennium. quæ etiam magna vocabant.* Quæ totidem verbis ante illum Harpocration dixerat, quem transcripsit, uti solet. Anonymus *in Argumento Midianæ* Minora tertio quoque anno, non quotannis, celebrari consuevisse nobis refert. Διάφοροι παρὰ Ἀθηναίοις ἤγοντο ἑορταί, ἐν αἷς ἦν τὰ Παναθήναια. ἅπερ ἦν διπλᾶ, μικρά τε, καὶ μεγάλα. καὶ τὰ μὲν μεγάλα, κατὰ πενταετηρίδα ἐτελεῖτο, τὰ δὲ μικρὰ, κατὰ τριετηρίδα. *Diversa apud Athenienses celebrantur festa, inter quæ erant Panathenæa. Verum hæc erant duplicia, parva & magna. Magna quidem per quinquennium perficiebantur. parva vero per triennium.* Magnus error est Scholiastæ Aristophanis, qui Minora ulla fuisse negat. Ad istum enim *Pace v.* 420.

Καὶ σοὶ τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναι' ἄξομεν.

Et tibi magna nos Panathenæa celebrabimus.

Ita notat. Οὐχ ὡς καὶ μικρῶν ὄντων τοῦτό φησιν, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν. *Non illud dicit, ac si parva quoque fuerint, sed gratiam tantum aucturus.* Minora celebrata postridie Bendideorum; idest, XX. mensis

Thargelionis: majora vero, Hecatombæonis XXIII. Proclus in *Timæum Platonis, Comment.* I. Εἰ δὲ, ὡς ἑξῆς ῥηθήσεται, καὶ Παναθηναίων ὄντων ὑπόκειται, δῆλον ὅτι τὰ μικρὰ ἦν ταῦτα τὰ Παναθήναια. τὰ γὰρ μεγάλα, τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἤγετο τρίτῃ ἀπιόντος. *Si vero, ut deinceps dicetur, & Panathenæis existentibus subjicitur, manifestum est quod parva fuerint illa Panathenæa. Magna enim peragebantur tertio die Hecatombæonis finientis.* Dixi minora postridie Bendideorum acta; unde est, quod postea ait, & hæc, & ista, circa idem tempus fuisse. Ἐν τοῖς μικροῖς, (Παναθηναίοις) ταῦτα γὰρ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐπετελεῖτο τοῖς Βενδιδείοις. *In parvis, (Panathenæis) hæc enim circa idem Bendidiis tempus peragebantur.* Et alibi iterum, satis clare. Ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια (τὰ μικρὰ) τοῖς Βενδιδείοις εἵπετο, λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταί. καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτάς. *Quia Panathenæa (parva) sequebantur Bendidia, dicunt commentatores. Et Aristoteles Rhodius narrat, Bendidia in Piræeo vigesimo die Thargelionis celebrari, sequi vero ad Minervam spectant festa.* Ubi observa, vigesimum diem Bendideis assignari ab Aristotele illo Rhodio; cum alii dicant, decimo nono celebrari consuevisse. Verum leve id discrimen, & unius tantum diei. Et Minoribus aperiri quidam mare, ac navigari iterum cœptum, nobis tradunt; quod alii Dionysiis vernis adscribebant. Est in hanc rem iste Aristotelis locus, Περὶ ζώων γενέσεως, *lib.* I. *cap.* XVIII. Ἐκ τῶν Παναθηναίων ὁ πλοῦς. *Ex Panathenæis navigatio.* Nam de Minoribus capi debet; cum Majora Hecatombæone, sive Junio, agerentur. Ac de istis κατ' ἐξοχὴν loqui censendus Maximus Tyrius, cum a vere ea separat, quo minora peragebantur, *Dissert.* XXXIII. Καὶ διέλαχον αὐτοῖς ὧραι τὰς ἡδονάς. ἦρος, Διονύσια. μετοπώρου, μυστήρια. καὶ ἄλλην ὥραν ἔχει ἄλλος θεός. Παναθήναια, Σκιρροφόρια, Ἁλῶα, Ἀπατούρια. *Et dividebant apud ipsos anni tempora voluptates. Vere Dionysia. Autumno mysteria. Et aliam anni partem alius Deus obtinet. Panathenæa, Scirrophoria, Haloa, Apaturia.*

CAP. VII.

Et certamen in minoribus celebratum; idque triplex. Ejus cura Athlothetis demandata. Illi quot, & unde lecti? ac quam diu munere isto fungi soliti?

IN minoribus certamen erat. *Hesychius.* Παναθήναια, ἡ τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴ, καὶ ἀγών. *Panathenæa, Atheniensium festum, & ludus.* Apollodorus *lib.* III. *cap.* XIV. Ἧκεν εἰς Ἀθήνας, καὶ τὸν τῶν Παναθηναίων ἀγῶνα ἐπετέλει, *Pervenit Athenas, & Panathenæorum ludum celebravit.* Aristides *in Panathenaica.* Ἐνδοξότατοι πάντων οἱ κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἀγῶνες. καὶ μὴν τούτων πρεσβύτατος, ὁ τῶν Παναθηναίων. *Celeberrimi omnium sunt ludi qui per Græciam celebrantur. Et eorum quidem vetustissimus, Panathenæorum.* Pausanias *Arcadicis.* Τούτῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι Ἀθήναια ὄνομα ἦν, Παναθήναια δὲ κληθῆναι φασὶν ἐπὶ Θησέως. *Illi enim ludo Athenæa nomen erat. Panathenæa vero vocatum dicunt sub Theseo.* Et quidem triplex; equestre unum, alterum gymnicum, tertium musicum: eorumque omnium cura Athlothetis demandata, qui decem lecti, ex unaquaque tribu singuli, annos quatuor magistratu fungebantur. Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* VI. Ἀθλοθέται δέκα μέν εἰσιν, εἷς κατὰ φυλήν. δοκιμασθέντες δὲ, ἄρχουσι τέτταρα ἔτη, ἐπὶ τῷ διαθεῖναι τὰ Παναθήναια, τόν τε A μουσικὸν, καὶ τὸν γυμνικὸν. καὶ τὴν ἱπποδρομίαν. *Arbitri quidem decem sunt, unusquisque secundum tribum. Probati vero, imperant quatuor annos, ad Panathenæa ordinanda, musicum, & gymnicum, & equestre certamen.* Ac musici quidem certaminis, gymnicique, meminit Aristides *in Panathenaica.* Συνίσμεν δὲ δήπου καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν γυμνικὸν, καὶ ἔτι μᾶλλον τὸν τῆς μουσικῆς, οὐκ εἰσάπαξ ὁριζόμενον, ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῃ τελευτῶντα, ὡς εἰπεῖν, τῇ ἡμέρᾳ. *Novimus vero etiam certamen gymnicum, & multo magis musicum, non semel destinatum, sed singulis diebus, ut ita dicam, finiens.*

B

CAP. VIII.

Primo equestre agitatum, idque lampadarium erat. Ab initio pedestre, quando equestre esse cœperit? Quonam tempore, item ubi celebratum?

PRIMO die equestre actum. Observo apud Platonem *de Repub. lib.* I. Dicit enim pridie se descendisse in Piræeum, ad spectanda Bendidea. Ecce verba. Κατέβην χθὲς εἰς τὸν Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος, προσευξόμενός τε τῇ θεῷ, καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι. *Descendi pridie* C *in Piræeum cum Glaucone Aristonis filio, precaturus Deam, & simul volens festum spectare.* Ac non multo post subjungit. Λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ. *Lampas erat ad vesperam ex equis Deæ.* Jam supra dixi, Panathenæa hæc minora postridie Bendideorum inchoata; itaque clarum est, primum certamen equestre fuisse. Meminit ejus Plutarchus *Phocione.* Τῷ γὰρ βουλομένῳ ἀγωνίζεσθαι, ἀποβάτην ἀφῆκεν, οὐχὶ τῆς νίκης ὀρεγόμενος, ἀλλ' ὅπως ἐπιμεληθεὶς καὶ ἀσκήσας τὸ σῶμα, βελτίων ἔσοιτο. *Filium volentem certamen inire, desultorem demisit, non victoriam appetens, sed ut meditans & corpus exercens, melior fieret.* Et Xe- D nophon *in Symposio.* Ἦν γὰρ Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἱπποδρομία. *Erat enim Panathenæorum magnorum equestre certamen.* Ita Athenæus *lib.* IV. Νικήσαντος γοῦν αὐτοῦ ἵπποις Παναθηναίοις. *Vincente igitur ipso equis Panathenæis*, &c. Eratque idem lampadarium. Plato, *loco jam citato.* Λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ. *Lampas erit ad vesperam ab equis Deæ.* Lampade autem Panathenæis certatum fuisse, quemadmodum Prometheis, & Vulcanalibus, docet Aristophanis Scholiastes *Ranis.* Ὁ τῆς λαμπάδος ἀγὼν τρίτον Ἀθήνησιν ἤγετο. κατὰ τὰ Προμήθεια, Ἡφαίστεια, Παναθήναια. *Lampadis certamen triplex Athenis celebrabatur. In festo* E *Promethei, Vulcani, & Panathenæorum.* Et *Harpocration.* Τρεῖς ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος, Παναθηναίοις, Ἡφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. *Tria celebrant Athenienses festa lampadis, in Panathenæis, Vulcanalibus & Prometheis.* Et observare est apud Aristophanem *Ranis*, *v.* 1085. &c. ubi ita Bacchus loquitur.

Μὰ Δί' οὐ δῆθ' ὥς τ' ἀπεφαυάνθην,
Παναθηναίοισι γελῶν, ὅτε δὴ
Βραδὺς ἄνθρωπός τις ἔθει, κύψας,
Λευκὸς, πίων, ὑπολειπόμενος,
Καὶ δεινὰ ποιῶν. κᾆθ' οἱ Κεραμῆς
F Ἐν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
Γαστέρα, πλευρὰς, λαγόνας, πυγήν.
Ὁ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλατείαις
Ὑποπερδόμενος,
Φυσῶν τὴν λαμπάδ' ἔφευγε.
Per Deum non equidem, nam dissilui,
In Panathenæis ridens, quando
Tardus quis homo currebat, curvus,
Candens, bibens, relictus,
Et ægre affectus, ac deinde figuli.

In portis feriebant ipsius
Ventrem, latera, illia, nates,
Verberatus vero in plateis
Suppedens
Extinguens lampada, fugit.

Primitus pedestre erat; moxque equestre esse cœpit, ætate Platonis. Ipse indicat, loco semel iterumque citato, *de Rep. lib.* I. Ἄρά γε, ἦ δ᾽ ὅς, οὐδ᾽ ἴστε ὅτι λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ᾽ ἵππων τῇ θεῷ. ἀφ᾽ ἵππων; ἦν δ᾽ ἐγώ. καινόν γε τοῦτο. λαμπάδια ἔχοντες διαδώσουσιν ἀλλήλοις, ἁμιλλώμενοι τοῖς ἵπποις; ἢ πῶς λέγεις; οὕτως, ἔφη ὁ Πολέμαρχος. καὶ πρός γε, παννυχίδα ποιήσουσιν. *Igitur ajebat ille, non novistis lampadem futurum ad vesperam ex equis Deæ. Ex equis? dicebam ego: id vero novum. Lampadunculas habentes per vices dabunt sibi, certantes equis; aut quomodo dicis, ajebat Polemarchus; ac præterea pervigilium facient.* Ubi illud item observa; vesperi factum, & noctem quoque insequentem pervigilio transigi itidem incœpisse. Locus vero certaminis hujus Ceramicus. *Suidas.* Κεραμεικὸς, τόπος τῆς Ἀττικῆς ὑψηλὸς, ὅπου ἐπετέλουν Ἀθηναῖοι κατ᾽ ἔτος λαμπάδος ἀγῶνα. *Ceramicus, locus Atticæ altus, ubi celebrabant Athenienses singulis annis lampadis certamen.* Etymologici *Auctor.* Κεραμεικὸς, τόπος Ἀθήνησιν, ὅπου ἐπετέλουν οἱ Ἀθηναῖοι κατ᾽ ἐνιαυτὸν, λαμπαδοῦχον ἀγῶνα. *Ceramicus, locus Athenis, ubi celebrabant Athenienses singulis annis lampadarium certamen.* Plura de eo in Opere nostro *De Festis Græcorum*, propediem cum bono Deo publicando.

CAP. IX.

Post hæc gymnicum, etiam Εὐανδρίας ἀγὼν *dictum. Quando institutum, & ubi agitatum? Stadium illi suum fuit,* Παναθηναϊκὸν *nuncupatum; a Lycurgo primum structum, & ab Herode renovatum.*

POST equestre puto gymnicum celebratum; & conjecturam inde facio, quod hoc musico multo antiquius. Mentio ejus est in Senatusconsulto Atheniensium, quod exstat inter *Hippocratis* opera. Ἀναγορεῦσαι τε τὸν στέφανον Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις, ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ γυμνικῷ. *Declarare coronam in Panathenæis magnis, in certamine gymnico.* Meminit quoque Zenobius *Cent.* IV. *Proverb.* VI. Ὑπὸ τῶν Ἀθήνησι νέων ἀνῃρέθη διὰ φθόνον, ἐν τοῖς Παναθηναίοις νικήσας πένταθλον. *Ab juvenibus Athenis occisus est ob invidiam, quum in Panathenæis vicisset pentathlon.* Et Athenæus *lib.* V. Αὐτόλυκος Παναθήναια παγκράτιον ἐστεφανώθη. *Autolycus pancratio Panathenæis coronatus est.* Atque hoc ipsum esse censeo, quod aliis Εὐανδρίας ἀγὼν appellatum. Ecce apud *Harpocrationem.* Παναθηναίοις Εὐανδρίας ἀγὼν ἤγετο. *Panathenæis virtutis & roboris certamen agebatur.* Et apud Andocidem *Orat. in Alcibiadem.* Καίτοι τυγχάνω νενικηκὼς εὐανδρίᾳ, λαμπάδι, τραγῳδοῖς. *Quinto victor sum robore, lampade, tragœdis.* Institutum vero illud Olymp. LIII. anno III. Eusebius *in Chronico* ad istud tempus diserte notat. Ὁ τῶν Παναθηναίων γυμνικὸς ἀγὼν ἤχθη. *Panathenæorum gymnicum certamen actum est.* Anonymus *in Descript. Olymp.* quadriennio serius memorat, in Olympiadis nempe LIV. anno III. quo Hippoclides prætor erat, ΙΠΠΟΚΛΕΙΔΗΣ. Παναθήναια ἐτέθη. *Hippoclides. Panathenæa instituta sunt.* Nam de gymnici certaminis in Panathenæis institutione verba illa capienda, alias falsa. Celebrari autem solitum juxta paludem, quæ inter Piræeum, & Tetracomum Herculis, sita; in Echelidarum populo. *Stephanus.* Ἐχελίδαι. δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Ἐχέλου ἥρωος. οὗτος δὲ ἀπὸ ἕλους τόπου, μεταξὺ ὄντος τοῦ Πειραιέως, καὶ τοῦ Τετρακώμου Ἡρακλείου· ἐν ᾧ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν τοῖς Παναθηναίοις. *Echelidæ. populus Atticæ ab Echelo heroe. Hic vero ab Helo loco quodam, inter Piræum sito & quatuor vicorum templum Herculis. In quo gymnica certamina in Panathenæis constituerunt.* Ita enim locum illum emendandum monui nuper, libro *De Pop. Atticæ.* Et proprium illis stadium erat, Παναθηναϊκὸν appellatum, ad Ilissum flumen, prope Ardettum. *Hesychius.* Ἄρδηττος, τόπος ὑπὸ τὸν Ἰλισσὸν, ἐγγὺς τοῦ Παναθηναϊκοῦ σταδίου. *Ardettus, locus circa Ilissum, prope Panathenaicum stadium.* Et *Harpocration.* Ἄρδεττος, τόπος Ἀθήνησιν, ὑπὲρ τὸ στάδιον τὸ Παναθηναϊκόν. *Ardettus, locus Athenis, supra stadium Panathenaicum.* Philo Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. Συναγαγὼν ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ (σταδίῳ) τοὺς συμμάχους, ὀρνίθων ἀγῶνα ἐπέδειξε. *Congregans in Panathenaico (stadio) commilitones, avium certamen ostendit.* Philostratus *in Herode, Sophist. l.* II. Τὸ οὖν στάδιον ἔφασαν ὠνομάσθαι Παναθηναϊκόν. *Stadium igitur dixerunt appellatum Panathenaicum.* Exstructum id a Lycurgo Rhetore. Plutarchus *in ejus vita.* Καὶ τῷ σταδίῳ τῷ Παναθηναϊκῷ τὴν κρηπῖδα περιέθηκεν, ἐξεργασάμενος τοῦτό τε, καὶ τὴν χαράδραν ὁμαλὴν ποιήσας. *Et stadio Panathenaico crepidinem circumposuit, perficiens hoc, & vallem planam & æqualem faciens.* Sed mox, temporis tractu collapsum, restauravit ex albo lapide Herodes sophista, ad eam adeo magnificentiam, quæ cætera theatra longe antecelleret. Philostratus de eo, *loco jam citato.* Στεφανωθεὶς δὲ καὶ τὴν τῶν Παναθηναίων, καὶ ὑμᾶς, εἶπεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τῶν Ἑλλήνων τοὺς ἥξοντας, καὶ τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἀγωνιουμένους, ὑποδέξομαι σταδίῳ λευκοῦ λίθου, καὶ εἰπὼν ταῦτα, τὸ στάδιον, τὸ ὑπὲρ τὸν Ἰλισσὸν, εἴσω τεττάρων ἐτῶν ἐπετέλεσεν, ἔργον ξυνθεὶς ὑπὲρ πάντα τὰ θαυμάσια. οὐδὲν γὰρ θέατρον αὐτῷ ἁμιλλᾶται. *Coronatus autem etiam ob Panathenæa, & vos, inquit, viri Athenienses, & ex Græcis eos qui accedent, & ex luctatoribus qui certabunt, excipiam stadio albi lapidis. Et quum hæc diceret, stadium, quod est supra Ilissum, intra quatuor annos perfecit, opus construens supra omnia miracula. nullum enim theatrum cum illo contendit.* Hoc ipsum est, de quo Pausanias *Atticis* agit. Διαβᾶσι δὲ τὸν Εἰλισσὸν, χωρίον Ἄγραι καλούμενον, καὶ ναὸς Ἀγροτέρας ἐστὶν Ἀρτέμιδος, ἐνταῦθα Ἄρτεμιν πρῶτον θηρεῦσαι λέγουσιν, ἐλθοῦσαν ἐκ Δήλου. καὶ τὸ ἄγαλμα διὰ τοῦτο ἔχει τόξον. Τὸ δὲ, ἀκούσασι μὲν οὐχ ὁμοίως ἐπαγωγὸν, θαῦμα δ᾽ ἰδοῦσι, στάδιόν ἐστι λευκοῦ λίθου· μέγεθος δὲ αὐτοῦ τῇδε ἄν τις μάλιστα τεκμαίροιτο· ἄνωθεν ὄρος ὑπὲρ τὸν Εἰλισσὸν ἀρχόμενον ἐκ μηνοειδοῦς καθήκει τοῦ ποταμοῦ πρὸς τὴν ὄχθην, εὐθύ τε καὶ διπλοῦν. τοῦτο ἀνὴρ Ἀθηναῖος Ἡρώδης ᾠκοδόμησε, καὶ οἱ τὸ πολὺ τῆς λιθοτομίας τῆς Πεντέλησιν ἐς τὴν οἰκοδομὴν ἀνηλώθη. *Trajicientibus Ilissum, locus occurrit Agræ dictus, & fanum Agroteræ Dianæ. Ibi Dianam primum venatam fuisse dicunt, quum venisset ex Delo; & propterea statua ejus arcum tenet. Hoc vero audientibus quidem non simili modo acceptum, miraculum vero videntibus, stadium est candidi lapidis. Magnitudo ejus ita potissimum conjiciatur. Superius mons supra Ilissum incipiens ex lunata forma descendit fluvii ad ripam rectus & duplex. Illud Atheniensis Herodes exstruxit, & plurimum ex lapidicinis Pentelicis eam ad exstructionem consumpsit.*

CAP. X.

Inde musicum, a quo institutum, & quo agi solitum? Concentus in eo tibicinum, Συναυλία *indigetatus; & insignis ea de re Hesychii locus restitutus. Cithara quis primus victor, & quando, fuerit? Laudes quoque aliquorum decantatæ, & chorus circularis datus; ac quatuor fabulis a poetis concertatum, quæ conjunctio* Τετραλογία *appellata.*

NUNC ad musicum veniamus, cujus mentio apud Plutarchum, *lib. de Musica.* Τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ, ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος. *Illud quidem indicat Panathenæorum scriptum, quod de musico certamine.* Aristides in *Panathenaica, loco jam citato.* Συνίσμεν δὲ δή που καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν γυμνικὸν, καὶ ἔτι μᾶλλον τὸν τῆς μουσικῆς, οὐκ εἰσάπαξ ὁριζόμενον. *Novimus equidem certamen gymnicum, & multo magis musices, non semel decretum.* Institutum autem a Pericle, & in Odeo agi solitum. Plutarchus *in ejus Vita.* Φιλοτιμούμενος δὲ ὁ Περικλῆς τότε πρῶτον ἐψηφίσατο μουσικῆς ἀγῶνα τοῖς Παναθηναίοις ἄγεσθαι. καὶ διέταξεν αὐτὸς, ἀθλοθέτης αἱρεθεὶς, καθότι χρὴ τοὺς αὐλιζομένους αὐλεῖν, ἢ ᾄδειν, ἢ κιθαρίζειν. ἐθεῶντο δὲ καὶ τότε, καὶ τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν Ὠδείῳ τοὺς μουσικοὺς ἀγῶνας. *Ingenti studio actus Pericles tunc primum constituit, ut certamen musices in Panathenæis ageretur. Et ordinavit ipse, præfectus certaminis creatus, qua ratione oporteret tibicines tibias inflare, aut canere, aut pulsare citharam. Spectarunt autem & tunc & deinceps in Odeo musica certamina.* Ac tibicinum concentus erat, Συναυλία appellatus. Pollux *l.* IV. *cap.* X. Ἀθήνησι δὲ καὶ Συναυλία τις ἐκαλεῖτο, συμφωνία τις αὐλητῶν, ἐν Παναθηναίοις συναυλούντων. *Athenis vero etiam* Συναυλία *quædam vocatur, concentus tibicinum, tibias pariter inflantium in Panathenæis.* Neque alio respexit Eustathius *ad Iliad.* φ'. Ἀπὸ τοῦ αὐλοῦ καὶ Συναυλία ἐκαλεῖτο, ὁ τῆς συμφωνίας ἀγὼν ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ, χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος. *Ab tibia* Συναυλία *vocatur, quod certamen est concentus mixtum ex tibia & rythmo, sine sermone pronunciantis.* Meminit Sophocles *Acrisio*, apud *Hesychium*; cujus locus insigniter luxatus, & corruptus. Βίδην, εἶδος κρούματος. Σοφοκλῆς Ἀκρισίῳ. Βηρσαβεέ, μύρω Σολομῶντος. καὶ τόπος περὶ τὴν ὀρεινὴν τῆς Παλαιστίνης, ὡς ἐπιψάλλειν βίδην ταί * καὶ ξυναυλίαν, ἄλλοι βίθυν. Ecce, vox Βηρσαβεέ hic loco non suo collocata; & transpositus versus Sophoclis. Ita repono, & emendo. Βίδην, εἶδος κρούματος. Σοφοκλῆς Ἀκρισίῳ.

Ὡς ἐπιψάλλειν βίδην τε, καὶ ξυναυλίαν.

Ἄλλοι, βίθυν. Βηρσαβεέ, μήτηρ Σολομῶντος. καὶ τόπος π. τ. ὀ. τ. Π. *Biden, species pulsus. Sophocles in Acrisio.*

Sicuti accinere biden & concentum tibiarum.

Alii, βίθυν *scribunt. Bersabee, mater Solomonis. Est & locus circa montanum tractum Palæstinæ.* Et cithara quidem primus hic vicit Phrynis Mitylenæus, Olymp. LXXV. anno I. Anonymus *in Descript. Olymp.* ad istud tempus. Φρύνις, κιθαρῳδὸς Μιτυληναῖος, πρῶτος δόξας κιθαρῳδῆσαι παρ' Ἀθηναίοις, Παναθήναια ἐνίκησε. *Phrynis, citharœdus Mitylenæus, primus visus ad citharam cantasse apud Athenienses, Panathenæa vicit. Suidas.* Φρύνις, κιθαρῳδὸς Μιτυληναῖος. ὃς ἐδόκει πρῶτος κιθαρίσαι παρ' Ἀθηναίοις, καὶ νικῆσαι Παναθήναια. *Phrynis, citharœdus Mitylenæus. Qui existimatus est primus citharam pulsasse apud Athenienses, & vicisse Panathenæa.* In hoc certamine decantatæ laudes Aristogitonis, Harmodii, & Thrasybuli; quorum ultimus, Phyla progressus, Athenas a triginta tyrannis liberavit. Philostratus *De Vita Apollonii, lib.* VII. *cap.* II. Διῄει δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ Παναθήναια τὰ Ἀττικὰ, ἐφ' οἷς Ἁρμόδιός τε καὶ Ἀριστογείτων ᾄδονται, καὶ τὸ ἀπὸ Φυλῆς ἔργον, ὃ καὶ ὁμοῦ τριάκοντα τυράννους εἷλε. *Inspiravit quidem ipsis Panathenæa Attica, in quibus Harmodius & Aristogiton canuntur. Et facinus ex Phyle, quod etiam simul triginta tyrannos sustulit.* Chorus quoque circularis exhibebatur. Lysias *in* Ἀπολογίᾳ δωροδοκίας. Καὶ ἐπὶ Διοκλέους (ἄρχοντος) Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς κυκλικῷ χορῷ (ἀνήλωσα) δραχμὰς τριακοσίας. *Et quum Diocles (imperaret) in Panathenæis parvis circulari choro (impendit) dragmas trecentas.* Itaque hic erant etiam χορηγοὶ, qui sumptus suppeditarent. Meminit eorum Xenophon *De Republ. Athen.* Πρὸς δὲ τούτοις, χορηγοῖς διαδικάσαι εἰς Διονύσια, καὶ Θαργήλια, καὶ Παναθήναια. *Ad hæc, choragis judicia exercere ad Dionysia, Thargelia & Panathenæa.* Poetæ etiam concertabant quatuor dramatibus simul, quorum quartum satyricum esset; eaque fabularum conjunctio Τετραλογία vocitata. Diogenes Laertius *in Platone, lib.* III. Τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις. ὧν τὸ τέταρτον ἦν Σατυρικόν. τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο Τετραλογία. *Quatuor dramatibus certabant, Dionysiis, Lenæis, Panathenæis, Chytris. Quorum quartum erat Satyricum. Quatuor autem illa dramata vocabatur tetralogia.* Qua de re, si tanti est, vide, quæ notavi nuper *in fine* Sophoclis.

CAP. XI.

His certaminibus qui vicissent, sodalibus suis epulum dabant; ipsi vero, coronam accipiebant, eamque oleaginam: & oleum etiam, ex iis oleis, quæ Μορίαι *appellatæ, & juxta Academiam erant. Alii collatum fuisse dicunt. Erat autem urceus totus; & exportare Attica licebat, quod alias vetitum.*

QUI certaminum horum aliquo victor esset is, cum quibus certasset, sodalibus epulum dabat. Observare est apud Athenæum *lib.* IV. *cap.* XIX. Ἦν δὲ ὁ Φῶκος καὶ φιλοπότης. νικήσαντος γοῦν αὐτοῦ ἵπποις Παναθηναίοις, ὡς ὁ πατὴρ εἱστία τοὺς ἑταίρους, συνελθόντων εἰς τὸ δεῖπνον, λαμπρὰ μὲν ἦν ἡ παρασκευὴ, καὶ τοῖς εἰσιοῦσι προσεφέροντο ποδονιπτῆρες οἴνου δι' ἀρωμάτων. *Erat enim Phocus compotationibus deditus. Itaque quum vicisset equis in Panathenæis, quum pater epulas præberet sodalibus, convenientibus illis ad cœnam, splendidus, quidem erat ipse apparatus, & ingredientibus offerebantur pelluvia plena vino cum aromatibus.* Et *lib.* V. *cap.* II. Καλλίας μὲν γὰρ συνάγει τὸ συμπόσιον, ἐπειδήπερ τὰ παιδικὰ αὐτοῦ Αὐτόλυκος Παναθήναια παγκράτιον ἐστεφανώθη. *Callias etenim convocat convivium, postquam deliciæ ejus Autolycus in Panathenæis pancratium fuerat coronatus.* Ipse vero præmii loco coronam accipiebat. Indicant illa Philostrati *in Herode, Sophist. lib.* II. Στεφανωθεὶς δὲ καὶ τὴν τῶν Παναθηναίων, καὶ ὑμᾶς, εἶπεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι καὶ τῶν Ἑλλήνων τοὺς ἥξοντας, καὶ τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἀγωνιουμένους, ὑποδέξομαι σταδίῳ λευκοῦ λίθου. *Coronatus vero ob victoriam in Panathenæis partam, & vos, inquit, viri Athenienses & ex Græcis qui venient, & athletarum eos qui certaturi sunt, excipiam in stadio candidi lapidis.* Item Athenæi *jam citata.* Αὐτόλυκος Παναθήναια παγκράτιον ἐστεφανώθη. *Autolycus ob Panathenæum pancratium coronatus fuit.* Et quidem oleaginam. *Suidas* in Παναθήναια. Καὶ ὁ νικῶν στεφανοῦται ἐλαίᾳ πλεκτῇ. *Er victor coronatus oleagineo serto.* Atque hoc est, quod Plinius ait, *lib.* XV, *cap.* IV. *Athenæ quoque victores olea coronant.* Deinde oleum quoque illi donabatur, ex istis oleis, quæ Μορίαι nuncupatæ. Scholiastes Sophoclis *Oed. Col.* Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης καὶ τοῖς νικήσασι τὰ Παναθήναια ἐλαίου τοῦ ἐκ μορίων γινομένου δίδοσθαι φησί. *Aristoteles*

vero scribit etiam victoribus Panathenæorum dari oleum ex moriis factum. Lucianus *De Gymn.* ubi certaminum præmia enarrat. Τοῖς Παναθηναίοις τὸ ἔλαιον τὸ ἐκ μορίας. *Panathenæis oleum ex moriis*. Erant vero illæ juxta Academiam. Aristophanis Interpres *Nubibus*. Ἀλλ' εἰς Ἀκαδημίαν. Ἐνταῦθα γὰρ διέτριβον οἱ φιλόσοφοι. ἦν γὰρ καὶ γυμνάσιον, ἀπὸ Ἀκαδήμου τινὸς, καταλείψαντος τὴν κτῆσιν ἑαυτοῦ πρὸς ἐπισκευὴν τοῦ τόπου. περὶ αὐτὸν δὲ ἦσαν αἱ ὄντως ἱεραὶ ἐλαῖαι τῆς θεοῦ, αἱ καλοῦνται μορίαι. *Sed ad Academiam. In ea emim versabantur philosophi. Erat enim Gymnasium ab Academo quodam dictum, qui reliquit possessionem suam in loci illius præparationem. Circa eum vero erant vere sacræ oleæ Deæ, μόριαι dictæ*. Nonnulli tradunt, ad hoc oleum contribuisse, quicunque oleas haberent. Idem Scholiastes *ibidem*. Μορίαι ἐλαῖαι ἐκλήθησαν, διὰ τὸ πάντα ἄνθρωπον, κεκτημένον ἐλαίας, ἀναγκάζεσθαι μέρος τι παρέχειν εἰς τὰ Παναθήναια. *Moriæ oleæ vocatæ sunt, quia unusquisque homo possidens oleas, cogatur partem quandam tribuere ad Panathenæa*. Et hoc est, quod *Panathenaicum* vocat Plinius lib. XIII. cap. I. *Panathenaicum suum (oleum) Athenæ perseveranter obtinuere*. Et accipiebant urceum totum. Scholiastes *Aristophanis*. Κέραμον ἐλαίου ἐλάμβανον οἱ νικῶντες. *Urceum olei accipiebant victores*. Etiam Pindari, *Nemeonic. Od.* X. Διὰ δὲ τούτου σημαίνει τοὺς τὰ Παναθήναια νενικηκότας· τίθενται γὰρ Παναθηναίοις ἐν ἐπάθλου τάξει ὑδρίαι πλήρεις ἐλαίου. *Per hoc autem innuit illos, qui Panathenæa vicerunt. Ponuntur enim in Panathenæis in ordine præmiorum hydriæ oleo plenæ*. Mox *iterum*. Τοῖς ἀθληταῖς, τοῖς τὰ Παναθήναια νενικηκόσι, δίδοται ὑδρία ἐλαίου πλήρης. *Athletis, qui in Panathenæis vicerunt, datur hydria oleo plena*. Et, cum oleum Athenis exportare nemini ullum omnino liceret, his tamen honoris ergo illud suum, quod præmii vicem accepissent, exportare concedebatur. Idem Scholiastes, *loco citato*. Οὐκ ἔστι δὲ ἐξαγωγὴ ἐλαίου ἐξ Ἀθηνῶν, εἰ μὴ τοῖς νικῶσι. *Illicita est exportatio olei ex Athenis, nisi victoribus*.

CAP. XII.

Pyrrichistæ quoque dati, iique pueri investes. Et cur id factum?

PRÆTER tria hæc certamina etiam pyrrichistæ dati. Lysias Ἀπολογίᾳ δωροδοκίας. Καὶ Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς ἐχορήγουν πυρριχισταῖς ἀγενείοις, καὶ ἑπτὰ μνᾶς. *Et in Panathenæis parvis chorum instruxerunt, pyrrichistis imberbibus, & septem minas*. Ubi observa, quod pyrrichistas darent Panathenæis minoribus juvenes investes, ut Latini illi veteres loquebantur. Idem videre est apud Aristophanem *Nubibus*, v. 984. &c. ubi ita ille de pueris loquitur.

Σὺ δὲ τοὺς νῦν εὐθὺς ἐν ἱματίοισι διδάσκεις ἐντετυλίχθαι,
Ὥστε μ' ἀπάγχεσθ', ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις αὐτοὺς,
Τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων, ἀμελῇ τῆς Τριτογενείας.
Tu vero illos nunc statim vestibus doces involvi,
Ut suffocentur, quando saltare in Panathenæis eos oportet,
Clypeum nervi prætendens, negligat Tritogeniam.

Ad quem locum *Scholiastes*. Ὠρχοῦντο γὰρ ἐν ὅπλοις ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ παῖδες. *Saltabant enim armis induti in Panathenæis pueri*. Causa autem, cur pyrrichistæ dati fuerint, quantum conjicio, quia Minerva, cui sacra Panathenæa, profligatis Titanibus, pyrricham saltasse crederetur. Dionysius Halicarnasseus *lib.* VII. Ἑλληνικὸν δὲ ἄρα καὶ τοῦτο ἦν ἐν τοῖς πάνυ παλαιὸν ἐπιτήδευμα, ἐν ὅπλοις ὄρχησις, ἡ καλουμένη πυρρίχη. εἴτε Ἀθηνᾶς πρώτης ἐπὶ Τιτάνων ἀφανισμῷ χορεύειν καὶ ὀρχεῖσθαι σὺν ὅπλοις τὰ ἐπινίκια ὑπὸ χαρᾶς ἀρξαμένης. εἴτε παλαίτατον ἔτι Κουρήτων αὐτὴν καταστησαμένων. *Græcum autem & illud olim erat vetus exercitium, in armis saltatio, vocata pyrricha. Sive Minerva prima in Titanum pernicie chorum ducere & saltare in armis signa victoriæ præ gaudio inceperit. seu quod a vetustissimo tempore adhuc Curetes eam instituerint*. Et Dioscuris quoque ejus modulos tibia accinuit. Scholiastes Pindari *Pythionic. Od.* II. Ὁ δὲ Ἐπίχαρμος τὴν Ἀθηνᾶν φησὶ τοῖς Διοσκούροις τὸν ἐνόπλιον νόμον ἐπαυλῆσαι. *Epicharmus scribit, Minervam Dioscuris in armis saltandi modulum tibia accinuisse*. Hoc est, quod Aristides ait, *Orat. in Minervam*. Διόσκουροι δ' ὑπ' αὐτῇ (τῇ Ἀθηνᾷ) πυρριχίζουσι. *Dioscuri sub ipsa (Minerva) pyrricham saltant*. Porro triremibus apud Sunium quoque certatum. Luculenter *Lysiæ* locus in hanc rem est, quem citare initio capitis jam incepi, ex Ἀπολογίᾳ δωροδοκίας. Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς ἐχορήγουν πυρριχισταῖς ἀγενείοις, καὶ ἀνήλωσα ἑπτὰ μνᾶς. νενίκηκα δὲ τριήρει μὲν ἁμιλλώμενος ἐπὶ Σουνίῳ ἀναλώσας πεντεκαίδεκα μνᾶς. *In Panathenæis parvis chorum præbebant pyrrichistis imberbibus, & impendi septem minas. Vici vero trireme certans in Sunio, erogatis quindecim minis*.

CAP. XIII.

Et gladiatores; idque quando initium sumpserit, & quam diu obtinuerit?

POSTEA etiam, cum nimirum Romano imperio Athenæ subessent, Romanorum item more gladiatores dari cœpti, in theatro, quod in arce, magno pretio ad id empti, homines nequam, mangones, scortatores, adulteri, vecticularii, sectores Zonarii, aliique ejus generis. Idque ad tempora Apollonii Tyanei usitatum, qui abolevit. Philostratus narrat *in ejus Vita*, lib. IV. cap. VII. Διωρθοῦτο δὲ κἀκεῖνο Ἀθήνησιν. Οἱ Ἀθηναῖοι ξυνιόντες εἰς τὸ θέατρον τὸ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει, προσεῖχον σφαγαῖς ἀνθρώπων, καὶ ἐσπουδάζετο ταῦτα ἐκεῖ μᾶλλον, ἢ ἐν Κορίνθῳ νῦν. χρημάτων τε μεγάλων ἐωνημένοι ἤγοντο μοιχοί, καὶ ἀνδραποδισταί, καὶ πόρνοι, καὶ τοιχωρύχοι, καὶ βαλαντιοτόμοι, καὶ τὰ τοιαῦτα ἔθνη. οἱ δὲ ὥπλιζον αὐτοὺς, καὶ ἐκέλευον ξυμπίπτειν. ἐλάβετο δὲ καὶ τούτου ὁ Ἀπολλώνιος, καὶ καλούντων αὐτὸν εἰς ἐκκλησίαν Ἀθηναίων, οὐκ ἂν ἔφη παρελθεῖν εἰς χωρίον ἀκάθαρτον, καὶ λύθρου μεστόν. δοκεῖτέ γάρ μοι προϊόντες, ἐπειδὴ τὰ Παναθήναια πέμπετε, μηδὲ βοῦς ἔτι, ἀλλ' ἑκατόμβας ἀνθρώπων, καταθύσειν τῇ θεῷ. *Restituit & illud Athenis. Athenienses congregantes in theatrum quod in arce, delectabantur jugulationibus hominum, & ei rei studuerunt tunc magis, quam nunc Corinthi: multa pecunia empti ducebantur adulteri, & mancipia, & scortatores, & parietum effossores & crumenarum incisores, & similes gentes. Illi vero armabant ipsos, & jubebant confligere. Sustulit autem illos Apollonius, & quum vocarent eum Athenienses in concionem, non inquit se ingredi locum immundum & tabie plenum. Videmini enim mihi progressi, Panathenæa celebratis, neque boves amplius, sed hecatombas hominum mactaturi Deæ*.

CAP.

CAP. XIV.

Nefas autem quicquam horum ludorum spectare in veste tincta; & pecunia ex ærario populo data, redimendo in theatro loco.

HORUM vero ludorum nullum fas spectare in veste tincta; qui fecisset, in jus rapi ad agonothetam solitus, ejus arbitrio puniendus. Lucianus *in Nigrino*. Ὅτι δὲ οὐκ αἰσχύνονται πενίαν ὁμολογοῦντες, ἐμέμνητο πρός με φωνῆς τινὸς, ἣν ἀκοῦσαι πάντων ἔφη κοινῇ προεμένων ἐν τῷ ἀγῶνι τῶν Παναθηναίων. ληφθέντα μὲν γάρ τινα τῶν πολιτῶν ἄγεσθαι παρὰ τὸν ἀγωνοθέτην, ὅτι βαπτὸν ἔχων τὸ ἱμάτιον ἐθεώρει· τοὺς δὲ ἰδόντας ἐλεῆσαί τε, καὶ παραιτεῖσθαι. καὶ τοῦ κήρυκος ἀνειπόντος, ὅτι παρὰ τὸν νόμον ἐποίησε, τοιαύτῃ ἐσθῆτι θεώμενος, ἀναβοῆσαι μιᾷ φωνῇ πάντας, ὥσπερ ἐσκεμμένους συγγνώμην ἀπονέμειν αὐτῷ, τοιαῦτά γε ἀμπεχομένῳ, μὴ γὰρ ἔχειν αὐτὸν ἕτερα. *Quod non puduerit ipsos paupertatem confitentes, in mentem duxit mihi vocem quandam, quam audivisse se dixit ab omnibus pariter editam in certamine Panathenæorum. Nam quum civis quidam comprehensus duceretur ad præsidem ludorum, quia tincta veste indutus spectasset. Spectatores miserti illius erant, & precabantur veniam. Et quum præco prædicaret, quid contra legem fecisset, tali veste spectans, reclamaverunt omnes una voce, tanquam deliberatione habita censentes veniam indulgendam ei, sic jam induto, propterea quod aliam vestem non haberet.* Erogari vero pecunia ex ærario in populum solita, qua sibi ad spectandos ludos locum in theatro redimeret. *Hesychius*. Θεωρικὰ χρήματα, τὰ εἰς θεῶν τιμὰς καὶ ἑορτὰς διδόμενα ἐν τοῖς Παναθηναίοις, καὶ Διονυσίοις, ἅτινα ἐν τῷ θεάτρῳ ἐδίδοτο. *Theoricæ vel spectaticæ pecuniæ, quæ datæ sunt in Panathenæis, & Dionysiis, in Deorum honores & festa, quales in Theatro dabantur.*

CAP. XV.

Sacrum etiam ingens factum; ad quod bovem urbes omnes, quæ coloniæ Atheniensium, mittere solitæ. Unde visceratio quoque, & epulum, populo; in quo pocula usitata, Παναθηναϊκὰ *indigetata.*

SACRA porro etiam facta, ad quæ urbes Atticæ omnes, sive quæ coloniæ Athenarum essent, bovem mittere immolandum tenebantur. Unde visceratio item, & epulum, populo. Inde est illud Comici *in Nubibus* v. 385. 386.

> Ἤδη ζωμοῦ Παναθηναίοις ἐμπλησθεὶς, εἶτ' ἐταράχθης
> Τὴν γαστέρα. ——
> *Jam jure in Panathenæis impletus, postea turbatus fuisti*
> *Ventrem.* ——

Ubi *Scholiastes*. Ἐν τοῖς Παναθηναίοις αἱ Ἀττικαὶ τοῖς Ἀθηναίοις πόλεις ἔπεμπον βοῦς. ὅθεν ἡ δαψίλεια τῶν κρεῶν. *In Panathenæis Atticæ urbes Atheniensibus mittebant boves. Unde abundantia carnium.* Et *alius*. Ἐν τοῖς Παναθηναίοις πᾶσαι πόλεις, αἱ ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν ἀποικισθεῖσαι, βοῦν θυσόμενον ἔπεμπον. *In Panathenæis omnes urbes, quæ ab Athenis derivatæ sunt, bovem mactandum mittebant.* Et hic pocula usitata, magna illa, quæque congios binos caperent, aut plus etiam; quæ Παναθηναϊκὰ dicta. Athenæus *lib.* XI. Ἦσαν δὲ καὶ ὀνύχινοι σκύφοι, καὶ συνδέσεις τούτων μέχρι δικοτύλων, καὶ Παναθηναϊκὰ μέγιστα, τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ μείζονα. *Erant & onychini scyphi, & capacitas illorum fuit usque ad duas cotylas, & Panathenæa maxima quædam erant duorum congiorum, quædam vero etiam majora.*

CAP. XVI.

In Majoribus eadem fere usitata.

HACTENUS mihi de Minoribus Panathenæis sermo fuit, nunc Majora explicanda. In his eadem omnia acta esse existimo. Ecce, de certamine equestri, apud Xenophontem habes, *in Symposio*. Ἦν γὰρ Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἱπποδρομία. *Erat vero in Panathenæis magnis equorum certamen.* Et de gymnico, est videre apud Demosthenem *Orat.* Περὶ τοῦ στεφάνου. Δεδόχθαι τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, στεφανῶσαι Χαρίδημον, καὶ Διότιμον, χρυσῷ στεφάνῳ, καὶ ἀναγορεῦσαι Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι. *Visum fuit senatui & popolo, ut coronarentur Charidemus & Diotimus aurea corona, & proclamarentur festo Panathenæorum magnorum in gymnico certamine.* Item in Senatusconsulto Atheniensi, quod inter *Hippocratis* Opera reperitur. Ἀναγορεῦσαί τε τὸν στέφανον Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις, ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ γυμνικῷ. *Et proclamare coronam in Panathenæis magnis, in certamine gymnico.* Ac gymnasiarcha tunc e singulis tribubus unus datus; qui pecuniam ipse de publico accipiebat, in tribules expendendam. Anonymus *in Argumento Midianæ*. Ἐν μὲν οὖν τοῖς μεγάλοις (Παναθηναίοις) γυμνάσιά τινα ἐγίνοντο· καὶ προυβάλλετο ἀφ' ἑκάστης φυλῆς εἷς γυμνασίαρχος, λαμβάνων χρήματα, εἰς τὸ γυμνάζειν τοὺς ἐπιτελέσοντας τὴν ἑορτὴν, καὶ δώσων τὰς τούτων δαπάνας τοῖς τῆς ἑαυτοῦ φυλῆς. *In magnis quidem (Panathenæis) exercitia quædam fiebant. Et constituebatur ab unaquaque tribu unus præses exercitii, accipiens pecunias, ut exerceantur qui festum celebrabunt, & daturus illorum impensas illis qui ex sua tribu.* De pyrrichistis, locus est Lysiæ *in* Ἀπολογίᾳ δωροδοκίας. Ἐπὶ δὲ Γλαυκίππου ἄρχοντος, εἰς πυῤῥιχιστὰς Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ὀκτακοσίας. *Quum imperaret Glaucippus, ad Pyrrichistas in Panathenæis magnis octingenta.*

CAP. XVII.

Nisi quod peplus tunc deductus. Scholiastæ Aristophanis error quidam indicatus.

QUÆDAM tamen speciatim tunc duntaxat usitata observavi. Inter hæc deductio pepli. Plato mihi disertus testis, *in Euthyphrone*. Καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος, μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων, ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. *Sed & in magnis Panathenæis peplus, plenus talibus figuris, ducitur in arcem.* Plautus *Mercatore, Act.* I. *Sc.* v. 66. &c.

> *Neque nisi quinto anno quoque posse tum visere*
> *Urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum,*
> *Rus rursum confestim exigi solitum a patre.*

Hunc pertinet etiam fragmentum ejusdem, apud Servium *Æneid.* l. I.

> *Nunquam ad civitatem venio, nisi cum infertur peplum.*

Virgilius *in Ciri:*

> *Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo;*
> *Qualis Erechteis olim portatur Athenis,*
> *Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,*
> *Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro.*

Harpocration. Περὶ τοῦ πέπλου, τοῦ ἀναγομένου τῇ Ἀθηνᾷ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις, οὐ μόνον παρὰ τοῖς ῥήτορσιν ἐστὶ μνήμη, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς κωμικοῖς. *De peplo, qui deducebatur Minervæ in magnis Panathenæis, non tantum apud rhetores fit mentio, sed apud comicos. Moschopulus.* Πέπλος, ἐξαιρέτως ἔνδυμά τι, ὃ ἀνῆγον τῇ Ἀθηνᾷ ἐν τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις. *Peplus, eximie vestimentum quoddam, quod deducebant Minervæ in magnis Panathenæis.*

Itaque errat vehementer Scholiastes Aristophanis *Equitibus*, singulis annis, id est minoribus Panathenæis, factum dicit. Verba *ejus* ecce ista Ἐπεσκευάζετο δὲ ὁ πέπλος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ ἐπεμπέυετο ἐν τοῖς Παναθηναίοις. *Reparabatur igitur peplus singulis annis, & cum pompa ferebatur in Panathenæis.*

CAP. XVIII.

Ille vero qualis fuerit, quidve in eo intertextum? Libellus, Πέπλος, inscriptus an sit Aristotelis Stagiritæ, per occasionem quæsitum. Deinde quo colore fuerit? Lutatii error. A quibus textus. & texturæ quæ præfectæ? Ἐργαστῖναι. *Item quando? Scholiastæ Euripidis error.*

QUALIS autem peplus fuerit, non abs re facturum me existimavi, si hic dicerem. Erat nempe velum navis Panathenaicæ. *Suidas* Ἰδίως παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις πέπλος τῆς Ἀθηναϊκῆς νεὼς, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ. *Proprie apud Athenienses peplus est Athenaicæ navis, quam Athenienses exstruebant Minervæ.* Et intexta illi Titanomachia, resque in ea a Minerva præclare gestæ. Euripides *Hecuba*, v. 466. &c.

Ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
Τᾶς καλλιδίφρου Ἀθαναίας, ἐν κροκέῳ πέπλῳ
Ζεύξομαι ἅρματι πώλους,
Ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις.
Ἢ Τιτάνων γενεὰν,
Τὰν Ζεὺς ἀμφιπύρῳ κοιμίζει
Φλογμῷ Κρονίδας.

Aut Palladis in urbe, pulchrum currum habentis Minervæ, cum croceo peplo jungam currui equos, in artificiosis variegatis crocum florem imitantibus tapetibus. Aut Titanum genus, quod Jupiter candenti aufert flamma Saturnius. Scholiastes Aristophanis *Equitibus*, ubi de peplo. Ἐνεγέγραπτο δὲ ἐν αὐτῷ ὁ Ἐγκέλαδος, ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ. ἦν δὲ τῶν γιγάντων εἷς. *Inscribebatur quoque in eo Enceladus, quem occidit Minerva. Erat autem unus e gigantibus.* Quæ totidem quoque verbis *Suidas*. Virgilius *Ciri*.

Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ,
Magna giganteis ornantur pepla tropæis,
Horrida sanguineo pinguntur prœlia cocco.
Additur aurata dejectus cuspide Typho,
Qui prius, Ossæis consternens æquora saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale deæ velum solenni in tempore portant.

Scholiastes Euripidis *Hecuba*. Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῇ Ἀθηνᾷ πέπλον, ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς θεοῦ, πολεμικῆς οὔσης, καὶ ἃ κατὰ γιγάντων ἐπράξατο μετὰ τοῦ Διός. *Mos erat Athenis, ut virgines texerent Minervæ peplum, habentem egregia gesta Deæ, quæ bellatrix fuit, & quæ contra gigantes egit cum Jove.* Proclus *in Timæum Platonis, Comment.* I. Ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν. *Panathenæorum peplus habet gigantes victos ab Olympiis Diis.* Erant præterea etiam intexta, quæ alii viri excellentes fortiter fecissent. Servius *ad Æneid.* I. *Peplum Minervæ consecratum erat. In hoc depingebantur ex more apud Athenienses, qui strenue se in bello gessissent.* Inde est, quod tales qui essent, ἄξιοι τοῦ πέπλου dicantur ab Aristophane *Equitibus*, v. 508.

Εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
Ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι, καὶ τοῦ πέπλου.

Laudare volumus parentes nostros, quia
Viri erant hac quidem terra digni, & peplo.

Inde quoque Aristotelis libellus, virorum præstantissimorum elogiis pepli instar intertextus, Πέπλος ab eo inscriptus fuit. Eustathius *ad Iliad.* β΄. Ἱστορεῖ δὲ ὁ αὐτὸς Πορφύριος, ὅτι Ἀριστοτέλης σύγγραμμα πραγματευσάμενος, ὅπερ ἐκλήθη Πέπλος. *Narrat verso ipse Porphyrius, quod Aristoteles quoque scriptum composuerit, dictum Peplus.* Sed an Aristoteles ille Stagirites? ut per occasionem hoc dicam valde ambigo. Neque enim a Diogene Laertio inter Opera ejus recensetur. Deinde diserte alium quendam Aristotelem auctorem facit Joannes Tzetzes *in Hesiodum, lib.* I. Ἀριστοτέλης γὰρ, ἢ ὁ φιλόσοφος, μᾶλλον δὲ, οἶμαι, ὁ τοὺς Πέπλους συντάξας. *Aristoteles enim, sive ille philosophus, potius vero, existimo, ille qui Peplos composuit.* Sed hoc ἐν παρόδῳ. Postea per adulationem sciverunt quoque Athenienses, ut Antigonus & Demetrius ibi item intexerentur. Plutarchus testatur *in Demetrio.* Ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς, (τόν τε Ἀντίγονόν τε καὶ τὸν Δημήτριον) ἐψηφίσαντο. *Ut intexerentur peplo (Antigonus & Demetrius) cum Diis, statuerunt.* Sed id Diis iratis factum, mox apparuit. Narrat enim Plutarchus *ibidem non multo post.* Ἐπεσήμαινε δὲ τοῖς πλείστοις τὸ θεῖον. ὁ μὲν γὰρ πέπλος, ὥσπερ ἐψηφίσαντο, μετὰ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἀθηνᾶς προσενυφηναμένων Δημήτριον καὶ Ἀντίγονον, πεμπόμενος διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ, μέσος ἐῤῥάγη, θυέλλης ἐμπεσούσης. *Numen vero plurimis significavit. Peplus enim, prout decreverant, cum Jove & Minerva intextis Demetrio & Antigono, dum fertur per Ceramicum, medius laceratus est, irruente procella.* Erat vero colore candido, clavis aureis interstinctus, ac sine manicis. Lutatius *ad Theb.* x. *Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat. Sed hoc peplum primum ab Atheniensibus institutum, quod matronæ suis manibus faciebant, & inter triennium numinibus offerebant.* Ad colorem quod attinet, eum croceum fuisse Euripides tradit, in citato *Hecubæ* loco.

— Ἐν κροκέῳ πέπλῳ
Ζεύξομαι ἅρματι πώλους,
Ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις.

Cum croceo peplo jungam currui equos, cum artificiosis variegatis florem croceum imitantibus tapetibus. Nisi forte ita dixerit ob clavos aureos, quibus interstinctus erat. Atque hoc verum esse potest. Sed non semel errat Lutatius; nam neque matronæ texebant, sed virgines, ut statim dicemus: deinde non Diis quibusvis offerri solebat, sed Minervæ tantum uni. Texebant autem virgines aliquot, quibus præfectæ duæ ex illis, quæ Ἀῤῥηφόροι nuncupatæ. Etymologici *Auctor*. Ἀῤῥηφόροι, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ μέχρις ἕνδεκα. τούτων δὲ δύο διεκρίνοντο, αἱ διὰ τῆς ὑφῆς τοῦ ἱεροῦ πέπλου ἤρχοντο καὶ τῶν περὶ αὐτόν. *Arcana gestantes, ab annis septem usque ad undecimum. Ex illis autem binæ eligebantur, quæ texturæ sacri pepli & aliis rebus ad illum spectantibus præessent.* Quæ totidem verbis *Harpocration* etiam tradit in Ἀῤῥηφορεῖν. Illæ vero, quæ texebant, Ἐργαστῖναι dicebantur. *Hesychius*. Ἐργαστῖναι, αἱ τὸν πέπλον ὑφαίνουσαι. *Peplum texentes fœminæ.* Ac texturam ordiebantur die Pyanepsionis mensis tricesimo, quo τὰ Χαλκεῖα celebrabantur. Etymologici *Auctor* in Χαλκεῖα. Ἔστι δὲ ἕνη καὶ νέα Πυανεψιῶνος, ἐν ᾗ καὶ ἱέρειαι μετὰ τῶν ἀῤῥηφόρων τὸν πέπλον διάζονται. *Est vero ultimus dies Pyanepsionis, in quo & sacerdotes cum arcanorum gestatoribus peplum inchoant.* Ergo errat Scholiastes Euripidis *Hecuba*, qui Panathenæis texi consuevisse nobis Auctor. Ὕφαινον δὲ (τὸν πέπλον) ἐν τοῖς Παναθηναίοις. *Texebant vero (peplum) in Panathenæis.*

CAP. XIX.

Cum magna pompa deduci solitus; quæ extra urbem instituta, in Ceramico, idque juxta Leocorium, quod ibi erat. Pompæ descriptio. Peplus e navi suspensus, quæ Minervæ apparata, per Ceramicum ad Cereris Eleusiniæ templum ducebatur. Et navis illa terra ibat, instrumentis subterraneis provoluta, implente sinum vento secundo; quam in rem Virgilii locus illustratus. Mox templum Cereris circumvecta, præter murum Pelasgicum, & Apollinis Pythii templum, in locum suum perducebatur. Inde peplus in arcem ductus, præter Mercurios; unde tabulatum ibi Aristagoræ a Demetrio collocatum. Ejus partes inferiores si contaminari forte contigisset, erat destinatus quidam, qui ablueret, Καταvίπτης appellatus. Mox Minervæ simulacro insternebatur, cui e floribus lectus apparatus erat, Πλακὶς dictus.

PEPLUM istum ingens pompa prosecuta, quam spectemus. Instrui eam *extra urbem* moris erat. Frontinus *Strateg. lib.* IV. *cap.* VII. *Athenienses, cum subinde a Lacedæmoniis infestarentur, diebus festis, quos Minervæ sacros extra urbem celebrabant*, (designat hæc Panathenæa) *omnem quidem colentium imitationem expresserunt, armis tantum veste celatis*. Et quidem in *Ceramico*. Thucydides *lib.* VI. Καὶ ὡς ἐπῆλθεν ἡ ἑορτὴ (τῶν μεγάλων Παναθηναίων) Ἱππίας μὲν ἔξω ἐν τῷ Κεραμεικῷ καλουμένῳ μετὰ τῶν δορυφόρων διεκόσμει, ὡς ἕκαστα ἐχρῆν τῆς πομπῆς προϊέναι. *Et cum advenisset festum (magnorum Panathenæorum) Hippias quidem extra urbem in Ceramico, loco ita dicto, cum satellitibus ordinat, prout necesse erat quæque ante pompam procederet*. Idque juxta *Leocorium*. Disco ex eodem Thucydide, *lib.* I. Τῷ Ἱππάρχῳ περιτυχόντες, περὶ τὸ Λεωκόριον καλούμενον τὴν Παναθηναϊκὴν πομπὴν διακοσμοῦντι, ἀπέκτειναν. *Hipparchum occurrentes, circa locum Leocorium dictum Panathenaicam pompam ordinanti, eum occiderunt*. Erat vero illud in medio *Ceramico*. *Hesychius*. Λεωκόριον, τῶν Λεὼ θυγατέρων μνημεῖον, τὸ καλούμενον Λεωκόρειον, ἐν μέσῳ τῷ Κεραμεικῷ. *Leocorium, monumentum filiarum Leo, vocatum Leocorium, in medio Ceramico*. Universa autem pompæ ratio hæc erat. Suspendebatur e navi, Minervæ apparata, peplus, de quo nobis dictum; eumque per Ceramicum totum, ubi pompam institutam jam ostendi, usque ad Cereris Eleusiniæ templum deducebant. *Suidas*. Παρὰ Ἀθηναίοις πέπλος, τὸ ἄρμενον τῆς Παναθηναϊκῆς νεώς, ὃν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ διὰ πενταετηρίας. ἧς καὶ τὴν πομπὴν διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ ἐποίουν μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου. *Apud Athenienses peplus, est velum Panathenaicæ navis, quam Athenienses exstruebant Minervæ singulis quatuor annis. Cujus quoque pompam per Ceramicum ducebant usque ad Eleusinium*. Per Ceramicum ductum peplum, Plutarchi etiam verba ostendunt *in Demetrio*. Ὁ μὲν γὰρ πέπλος, ὥσπερ ἐψηφίσαντο, μετὰ τοῦ Διὸς τῆς Ἀθηνᾶς προσενυφαινομένων Δημήτριον καὶ Ἀντίγονον, πεμπόμενος διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ, μέσος ἐρράγη. *Peplus enim prout decreverant cum Jove & Minerva adtextis Demetrio & Antigono, dum fertur per Ceramicum, medius disrupit*. Ibatque navis illa non mari, sed terra. Heliodorus *Æthiopic. lib.* I. Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἀγομένων, ὅτε τὴν ναῦν Ἀθηναῖοι ἐπὶ γῆς τῇ Ἀθηνᾷ πέμπουσιν. *Quum Panathenæa magna celebrabantur, quando navem Athenienses per terram Minervæ mittunt*. Scholiastes Aristophanis *Pace*. Τῇ δὲ Ἀθηνᾷ ἦγοντο (τὰ μεγάλα Παναθήναια) διὰ πέντε ἐτῶν, ὅτε καὶ ἡ ναῦς ἐπὶ γῆς πλέει παρ' αὐτοῖς. *Minervæ vero celebrabant*

A (*magna Panathenæa*) *singulis quinque annis, quando & navis per terram navigat apud eos*. Ac trahebatur non jumentis, quod male viri quidam docti opinantur; sed per machinas subterraneas, remis impulsa, volvebatur per Ceramicum ad Cereris Eleusiniæ templum, uti dixi: idque circumvecta, præter murum Pelasgicum, & Apollinis Pythii templum, in locum suum deducebatur. Philostratus *in Herode*, *Sophist. lib.* II. Κἀκεῖνα περὶ τῶν Παναθηναίων τούτων ἤκουον, πέπλον μὲν ἀνῆφθαι τῆς νεώς, ἡδίω γραφῆς, ξὺν οὐρίῳ τῷ κόλπῳ. δραμεῖν δὲ τὴν ναῦν, οὐχ ὑποζυγίων ἀγόντων, ἀλλ' ὑπογείοις μηχαναῖς ἐπολισθαίνουσαν. ἐκ Κεραμεικοῦ ἄρασαν χιλίᾳ κώπῃ,
B ἀφεῖναι ἐπὶ τὸ Ἐλευσίνιον. καὶ περιβαλοῦσαν αὐτὸ παραμεῖψαι τὸ Πελασγικόν, κομιζόμενον παρὰ τὸ Πύθιον, ἐλθεῖν οἷ νῦν ὥρμισται. *Illa etiam Panathenæis bis audivi, peplum quidem suspensum esse navis, jucundiorem pictura, cum prospero sinu. Currere autem navem, nullis jumentis trahentibus, sed subterraneis machinis furtim procedentem. Ex Ceramico solventem mille remis, pervenisse ad Eleusinium. Et circumflectentem illud præteriisse Pelasgicum, delatum versus Pythium, venisse, eo, ubi nunc stationem tenet*. Et implebatur sinus vento ferente. Vides in istis *Philostrati* verbis. Ἤκουον, πέπλον μὲν ἀνῆφθαι τῆς νεώς, ἡδίω γραφῆς, σὺν οὐρίῳ
C τῷ κόλπῳ. *Audivi, Peplum quidem suspensum esse navis, jucundiorem pictura, cum prospero sinu*. Atque hoc est, quod Virgilius *in Ciri* intellexit, cum ait.

——peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere cursum.

D Inde in arcem itum fuit, præter Mercurios; qui Athenis locus quidam, ut nuper ostendi, *Attic. Lect. lib.* VI. *cap.* XVIII. Hinc est, quod tabulatum ibi amasiæ suæ Aristagoræ, ut spectaret commodissime, Demetrius posuit. Athenæus *lib.* IV. *c.* XIX. Τοῖς δὲ Παναθηναίοις, ἵππαρχος ὤν, ἰκρίον ἔστησε πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς Ἀρισταγόρᾳ, μετεωρότερον τῶν Ἑρμῶν. *In Panathenæis autem, quum esset equitum præfectus, tabulatum extruxit Aristagoræ juxta Mercurii statuas, altius Mercuriis*. In arcem deductum peplum fuisse, ex Platone manifestum, cujus iste locus *Euthyphrone*. Ὁ πέπλος, μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων, ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. *Peplus,*
E *plenus talium picturarum, deducitur in arcem*. Quod si inter deducendum partes forte inferiores inquinari contigisset, erat constitutus aliquis, qui purgaret, Καταvίπτης appellatus; & munus illud inter sacra numeratum. Etymologici *Auctor*. Καταvίπτης, ἡ ἐπώνυμόν τινος, ἢ ἱερωσύνη Ἀθήνησιν, ὁ τὰ κάτω τοῦ πέπλου τῆς Ἀθηνᾶς ῥυπαινόμενα ἀποπλύνων. *Καταvίπτης, vel cognomen cujusdam, vel Sacerdotium Athenis illius, qui inferiora Pepli Minervæ contaminata abluebat*. In arcem vero cum deduxissent, Minervæ simulacro insternebant. Licet colligere e Polluce, *lib.* VII. *cap.* XIII. Καὶ ὅτι μὲν ἐπί-
F βλημά, ἐστι, τεκμήραιτ' ἄν τις ἐκ τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων. *Et quod ad insternendum sit, conjicere quis potest ex Minervæ pepli*. Hoc quoque innuunt ista Lutatii *ad Theb. lib.* X. *Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat*. Cui Minervæ simulacro lectus ille, floribus stratus, quique Πλακὶς dicebatur, paratus fuisse videri potest. Meminit ejus lecti *Hesychius*. Πλακίς, κλινίδιον κατεσκευασμένον ἐξ ἀνθῶν τῇ ἑορτῇ τῶν Παναθηναίων. *Placis, lectulus apparatus ex floribus in festo Panathenæorum*.

CAP. XX.

In pompa senes incedebant, cum oleæ ramo; unde Θαλλοφόροι *dicti. Hesychii locus restitutus. Illi autem ad hoc lecti, qui florente forma essent. Aristophanis dicterium, & Grammaticorum error. Etiam anus, pariter ac senes, deducebant.*

IN hac pompa omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo incedebat. Primo senes ramum oleæ gestantes, unde Θαλλοφόροι illi nuncupati. Etymologici *Auctor*. Θαλλοφόρος, ὁ πομπεύων Ἀθήνησι τοῖς Παναθηναίοις, καὶ ἐλαίας κλάδον φέρων. λέγουσι δὲ καὶ γέροντας θαλλοφόρους, πρὸς οὐδὲν ἄλλο χρησίμους, ἢ πρὸς τὸ θαλλὸν φέρειν. *Ramum gestans, qui pompam ducit Athenis in Panathenæis, & olivæ palmitem gestat. Dicuntur autem & senes ramum gestantes, nulli alii rei apti, nisi ad ramum gestandum.* Corruptus hac in re *Hesychius*. Θαλλοφόρος, ὁ πομπεύων Ἀθήνησι τοῖς Παναθηναίοις, καὶ ἐλαίας κλάδον φέρων. λέγει δὲ καὶ γέροντας θαλλοφόρους, πρὸς οὐδὲν ἄλλο χρησίμους, ἢ πρὸς τὸ θάλλειν. *Ramum gestans, qui pompam ducit Athenis in Panathenæis, & olivæ palmitem fert. Dicit autem & senes ramum gestantes, nulli alii rei idoneos, nisi ramis ferendis.* Restituo verba illa postrema. Ἢ πρὸς τὸν θαλλόν. Eustathius *ad Odyss. ζ'*. Καὶ θαλλοφόροι δέ τινες ἦσαν ἐν Ἀθήναις. τοιοῦτοι δ' ἐν τισιν ἑορταῖς οἱ γεραίτεροι. *Et ramum gestantes quidam erant Athenis. Illi autem in quibusdam festis erant omnium maxime senes.* Iterum *ad Odyss. ρ*. Θαλλοφόρος, παροιμιακῶς, ὁ πρὸς μηδὲν χρήσιμος ἄλλο, ἢ βοσκήμασι θαλλὸν παραβάλλειν. *Ramum gestans, proverbialiter, qui nulli alii rei idoneus est, nisi pecoribus virgulto objiciendo.* Dicunt Grammatici, senes fuisse ad nullam rem aliam utiles, ceu decrepitos; idque hauserunt ex dicterio Comico Aristophanis *Vesp. v. 448. &c.*

Οὐκέτι πρεσβυτῶν ὄχλος
Χρήσιμος ἐστ' οὐδ' ἀκαρῆ.
Σκωπτόμενοι γὰρ αὖ ἐν
Ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
Θαλλοφόροι καλούμεθ'.
Nullius pretii est senum turba.
Idonea est nec quidquam,
Traducimur enim, siquidem in
Viis omnibus
Ramum gestantes vocamur.

Ubi *Scholiastes*. Θαλλοφόρους γὰρ ἔφη, βουλόμενος τοὺς γέροντας δηλῶσαι. ἐπειδὴ ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. *Ramum enim gestantes inquit, volens senes indicare: quia in Panathenæis senes ramos tenentes pompam ducebant.* Falluntur autem, dum dicterium istud Comici, quo irridet ille senes, veritatem putavere. Nam mos legi, quibus forma adhuc florens, & qui bene ætatem ferrent. Xenophon mihi *in Symposio* testis valde luculentus. Ἀλλ' οὐδὲ μέντοι ταύτῃ γε ἀτιμαστέον τὸ κάλλος, ὡς ταχὺ παρακμάζον. ἐπεὶ ὥσπερ γε παῖς γίγνεται καλὸς, οὕτω καὶ μειράκιον, καὶ ἀνὴρ, καὶ πρεσβύτης. τεκμήριον δὲ, θαλλοφόρους γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται. *Sed neque in hac parte vituperanda est pulchritudo, tanquam cito deflorescens. Quoniam ut puer nascitur bonus, ita & juvenis, & vir & senex. Argumentum autem est quod ramum gestantes Minervæ pulchros senes eligant.* Et e Xenophonte Juncus *lib. de Senectute* apud Stobæum *Serm.* CXII. Ἀλλὰ δὴ καὶ τὸ εὐπρεπὲς παραμένει αὐτοῖς, (de senibus loquitur) ὥστε καὶ κατ' ἀγορὰν, καί που ἐν θεάτροις ὀφθέντες, οἷα δὴ ἐν ἀγέλῃ βοῶν καὶ ἵππων, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῆς ἀγέλης, τὸ εὐπρεπὲς παρέχουσι δῆλον τοῖς ἁπάντων ὀφθαλμοῖς. μάλιστα δὲ ἐν ταῖς ἱεροῖς θύοντες ἐστεφανωμένοι, περιβλεπτότεροι τῶν ἱερῶν γίνονται. ὅ, τε νόμος αὐτοὺς ἐκείνους χειροτονεῖ τῇ Ἀθηνᾷ, ὥς φησι Ξενοφῶν ὁ φιλόσοφος, θαλλοφόρους. *Sed & decorum manet apud ipsos, ita ut & in foro, & alicubi in theatris conspecti, quemadmodum in grege boum & equorum, & putantur præesse gregi, decorum manifestum præbent in omnium oculis. Potissimum vero in sacris sacrificantes coronati, spectatiores, quam ipsa sacra, fiunt; etiam Lex illos ipsos eligit Minervæ, ut habet Xenophon philosophus, ramum ferentes.* Nec senes tantum in hac pompa cum oleæ ramo, sed & anus. Scholiastes Aristophanis *citatis Vespis*. Ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. ὡς οὖν εἰς οὐδὲν ὄντων χρησίμων αὐτῶν, ἔξω τοῦ θαλλοφορεῖν, οὕτως αὐτοὺς ἐπέσκωψεν. ὁ μέντοι Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ, οὐκ οἶδα ἐξ ὅτου ποτὲ, καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς Παναθηναίοις ὑπείληφε θαλλοφορεῖν. *In Panathenæis senes ramos habentes pompam ducebant. Quemadmodum igitur nulli rei hi idonei erant præterquam ramis gestandis, ita illos traduxit. Attamen Dicæarchus in Panathenaico, non novi, ex quo tandem, etiam anus in Panathenæis existimavit ramum ferre.*

CAP. XXI.

Viri quoque, ætate florentes, iique cum armis; & mulieres. Illos inquilini secuti, cum ligonibus, Σκαφηφόροι *nuncupati; istas, eorum uxores, cum hydria,* Ὑδριαφόροι *dictæ. Ælianus restitutus, & Hesychius illustratus.*

INDE viri, ætate florentes, iique cum armis. Hinc illud Thucydidis, *lib.* VI. Καὶ αὐτοῖς τὰ μὲν ἄλλα πρὸς τοὺς ξυνεπιθησομένους τῷ ἔργῳ ἐπέπρακτο. περιμένοντες δὲ Παναθήναια τὰ μεγάλα, ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγένετο, ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν πέμψοντας ἀθρόους γενέσθαι. *Expectabant autem Panathenæa magna, quo solo die, non suspectum est, si in armis cives illi, qui pompam ducent, frequens adsint.* Et quidem cum clypeo, atque hasta. Ille ipse *mox*, in re eadem. Μετὰ γὰρ ἀσπίδος, καὶ δόρατος, εἰώθεσαν τὰς προπομπὰς ποιεῖν. *Nam cum scuto, & hasta, consueverant deductiones facere.* Atque hos inquilini sequebantur, cum ligone; unde etiam Σκαφηφόροι appellati. Huc pertinet *Hesychii* locus. Σκαφηφόροι, οἱ μέτοικοι οὕτως ἐκαλοῦντο. σκάφας γὰρ ἔφερον ἐν Παναθηναίοις. *Ligones enim ferebant in Panathenæis.* Deinde fœminæ comitabantur; quas secutæ inquilinorum uxores, hydriam ferentes. Clarum est Æliano *Var. Hist. lib.* VI. *cap.* I. Ἀθηναῖοι δὲ ὕβριζον καὶ ἐκείνην τὴν ὕβριν. εὐτυχίας γὰρ λαβόμενοι, τὴν εὐπραγίαν σωφρόνως οὐκ ἤνεγκαν. τὰς γοῦν παρθένους τῶν μετοίκων σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς ἠνάγκαζον ταῖς ἑαυτῶν κόραις. τὰς δὲ γυναῖκας, ταῖς γυναιξί. τοὺς δὲ ἄνδρας, σκαφηφορεῖν. *Athenienses autem contumeliosi fuerunt ea quoque contumelia. rebus enim prosperis fruentes, felicitatem prudenter non tulerunt. Itaque virgines inquilinorum hydrias gestare in pompis coegerunt suis puellis: Mulieres autem mulieribus. Viros vero, ligones ferre.* Quæ postrema sane verba mutila censeo, ac restituendum omnino, Τοὺς δὲ ἄνδρας, σφίσι σκαφηφορεῖν. Nam cives viros sequebantur inquilini cum ligone; mulieres vero, virginesque, illorum uxores, filiæque: illæ, cum hydria; istæ, cum umbella, ac sella, ut statim dicam. Ut autem in inquilinis viri ab hoc opere Σκαφηφόροι, ita mulieres Ὑδριαφόροι nuncupatæ. Pollux docet, *lib.* III. *cap.* Σκαφηφόροι. οὕτω τοὺς μετοίκους ὠνόμαζον. καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν, Ὑδριαφόρους. ἀπὸ τοῦ ἔργου ἑκατέ-

ρυς. *Ligones ferentes: ita inquilinos vocabant, & uxores illorum Hydrias ferentes. ab opere utrosque.* & de mulieribus capiendum istud in *Hesychii* glossis. Ὑδριαφόροι. μέτοικοι. *Hydrias ferentes, inquilini.*

CAP. XXII.

Et ephebi, pæana canentes; cum corona, ac chlamydeque. Ea corona e milio erat, chlamys nigra; idque quare, & quam diu? inde alba, & a quo id institutum?

VIROS subsequuti ephebi chlamydati, & coronati, pæanem deæ proprium canebant. Heliodorus *Æthiopic. l.* I. Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἀγομένων, ὅτε τὴν ναῦν Ἀθηναῖοι ἐπὶ γῆς τῇ Ἀθηνᾷ πέμπουσιν, ἐτύγχανον μὲν ἐφηβεύων, ᾄσας δὲ τὸν εἰωθότα παιᾶνα τῇ θεῷ, καὶ τὰ νενομισμένα προπομπεύσας, ὡς εἶχον στολῆς, αὐτῇ χλαμύδι, καὶ αὐτοῖς στεφάνοις, ἔρχομαι οἴκαδε ὡς ἐμαυτόν. *Quum agerentur Panathenæa magna, quando navem Athenienses per terram Minervæ mittunt, fui quidem ephebus, canens vero suetum pæanem deæ, & præcedens in pompa ex more solennitatis, sicuti eram stola, ipsa chlamyde, & ipsis coronis, venio domum ad me.* Coronam eorum milii ramos fuisse arbitror; qualem in aliis quoque pompis habuisse animadverto. *Hesychius.* Μίλιον, δένδρον ὅμοιον ἐλάτῃ, ᾧ τοὺς νέους στεφανοῦσιν ἐν ταῖς πομπαῖς. *Milium, arbor similis abieti, qua juvenes coronant in pompis.* Chlamys vero, qua induti, nigra erat; propter luctum ob mortem Coprei, quem ab aris Heraclidas avellentem Athenienses interfecerant. idque obtinuit ad Herodem usque Atticum, qui in albam commutare eam jussit. Accipio ex Philostrato *in Herode* hoc, quem dixi, *Sophist. l.* II. Μετεκόσμησε δὲ καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἐφήβους εἰς τὸ νῦν σχῆμα, χλαμύδας πρῶτον ἀμφιέσας λευκάς. τέως γὰρ δὴ μελαίνας ἐνημμένοι τὰς ἐκκλησίας περιεκάθηντο, καὶ τὰς πομπὰς (de Panathenæis illi sermo est) ἔπεμπον, πενθούντων δημοσίᾳ τῶν Ἀθηναίων τὸν κήρυκα τὸν Κοπρέα, ὃν αὐτοὶ ἀπέκτειναν, τοὺς Ἡρακλείδας τοῦ βωμοῦ ἀποσπῶντα. *Ornatum vero epheborum Atheniensium formavit ad hodiernum habitum, chlamydas primum induens albas. Hucusque enim atras induti, conciones circumsidebant, & pompas ducebant, lugentibus publice Atheniensibus præconem Copreum, quem ipsi occiderant, Heraclidas ab ara avellentem.*

CAP. XXIII.

Denique virgines procedebant, cum canistris; unde Κανηφόροι *dictæ. His injecta velamenta,* Ἰστριανίδες *appellata. Adservata vero ab illis, qui* Ἀρχιθέωροι *dicti, eamque in rem Andocidis locus restitutus. Et, pompa instante, hi inter virgines distribuebant; castitati, prius quam id facerent, per aliquot dies operam dantes. Virgines autem e primatibus istæ erant; sororque Harmodii contumelia hic affecta. Cum virginibus filiæ inquilinorum ibant, pro pedissequis; umbellamque, & sellam, ferentes: unde etiam* Διφροφόροι *appellatæ.*

POST hoc virgines sequebantur, cum canistris; in quibus ea, quæ ad sacra facienda necessaria: unde ille Κανηφόροι appellatæ. *Hesychius.* Κανηφόροι. ἐν ταῖς πομπαῖς αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι ἐκανηφόρουν, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. *Canistra ferentes in pompis virgines quæ præstantes dignitate canistra ferebant, quemadmodum & in Panathenæis.* Idque a tempore Erichthonii, ut initio commemoravi, usitatum. *Harpocration in* Κανηφόροι. Περὶ τῶν κανηφόρων Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος φησίν, ὡς Ἐριχθονίου βασιλεύοντος πρῶτον κατέστησαν αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ, ἐφ' οἷς ἐπέκειτο τὰ πρὸς τὴν θυσίαν, τοῖς τε Παναθηναίοις, ταῖς πομπαῖς. *De ferentibus canistra Philochorus in secundo libro Atthidis inquit, Erichthonio regnum capessente primum constitutas fuisse virgines nobiles ad ferenda canistra deæ, quibus imposita erant illa quæ ad sacrificium pertinent, & in Panathenæis, & pompis.* Et injecta his canistris velamenta, Ἰστριανίδες nuncupata. *Hesychius.* Ἰστριανίδες, αἱ Σκυθικαὶ στολαί. καὶ παρὰ Ἀθηναίοις σκεπάσματα, οἷς ἐκάλυπτον τὰ ἱερὰ κανᾶ. *Istrianides, Scythicæ stolæ. & apud Athenienses velamenta, quibus tegebant sacra canistra.* Asservari autem illa, ut reliqua pompæ instrumenta, solita apud eos, qui Ἀρχιθέωροι dicti. Observare est apud Andocidem *Orat.* Κατ' Ἀλκιβιάδου. Τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος, ὡς εἰς τὰ πινάκια τῇ προτέρᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε, καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε. *Pompæ fercula ab Architheoris requirens, utpote ad victoriæ festum primo sacrificii die usurpaturus, illusit, & reddere noluit.* Quem locum, insigniter corrptum, sic restituendum censeo. Ὡς εἰς τἀπινίκια τῇ προτέρᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος. Et hi, cum instaret pompa deducenda, inter virgines laturas distribuebant; sed eorum tanta veneratio erat, ut, priusquam ea attingerent, aliquot dies castitati operarentur. Clarum e Demosthenis verbis, *in extrema Aristocratea.* Ἀλλ' Ἀνδροτίων ὑμῖν πομπείων ἐπισκευαστής. Ἀνδροτίων, ὦ γῆ, καὶ θεοί. καὶ τοῦτο τὸ ἀσέβημα ἔλαττόν τινος ἡγεῖσθε; ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι δεῖν, τὸν εἰς ἱερὰ εἰσιόντα, καὶ χερνίβων καὶ κανῶν ἁψόμενον, καὶ τῆς πρὸς θεοὺς ἐπιμελείας προστάτην ἐσόμενον, οὐχὶ προειρημένων ἡμερῶν ἀριθμὸν ἁγνεύειν μόνον, ἀλλὰ τὸν βίον ὅλον ἡγνευκέναι τοιούτων, ἐπιτηδευμάτων, οἷα τούτῳ βεβίωται. *Sed Androtion vobis pompæ ferculorum instructor. Androtion, o terra diique! & hanc impietatem minorem ulla alia esse putatis? Ego enim quidem existimo decere, illum qui ad sacra intrat, & qui lavacra canistraque attinget, & qui præfectus cærimoniæ erga deos erit, non solum prædicto dierum numero caste agere, sed & universam vitam his studiis castam transegisse, qualia ille vixit.* Erant vero, quæ canistra hæc portabant, virgines plane primariæ; neque is honos qualibuscunque habebatur. *Hesychius.* Αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι ἐκανηφόρουν τῇ θεῷ, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. οὐ πάσαις γὰρ ἐφεῖτο κανηφορεῖν. *Virgines nobiles canistra ferebant quemadmodum & in Panathenæis. Non autem licebat omnibus canistra ferre.* Et *Harpocration.* Κατέστησαν αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ. *Constitutæ sunt nobiles virgines ad ferenda canistra deæ.* Itaque Harmodii soror, tamquam hoc honore indigna, ab Hipparcho rejecta per contumeliam fuit. Thucydides *lib.* VI. Τὸν δ' οὖν Ἁρμόδιον (ὁ Ἵππαρχος) ἀπαρνηθέντα τὴν πείρασιν, ὥσπερ διενοεῖτο, προὐπηλάκισεν. ἀδελφὴν γὰρ αὐτοῦ κόρην ἐπαγγείλαντες ἥκειν, κανοῦν οἴσουσαν. λέγοντες, οὐδὲ ἐπαγγεῖλαι τὴν ἀρχήν, διὰ τὸ μὴ ἀξίαν εἶναι. *Harmodium igitur (Hipparchus) abnuentem tentationem, quemadmodum concepit, contumelia affecit. nam sororem ejus virginem, quum denuntiassent illi ut veniret ad canistrum ferendum rejecerunt. dicentes, neque illi omnino annuntiatum esse, quia esset indigna.* Maximus Tyrius *Dissert.* VIII. Καὶ ἀδελφὴν Ἁρμοδίου, Παναθηναίοις ἥκουσαν ἐπὶ τὴν πομπήν, κανηφοροῦσαν, ἐξήλασεν ἐπ' ἀτιμίᾳ. *Et sororem Harmodii, Panathenæis venientem ad pompam, canistrum ferentem, rejecit ex contemptu.* Meminit etiam Plato *Hipparcho.* Λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν χαριεστέρων ἀνθρώπων καὶ ὁ θάνατος αὐτοῦ γενέσθαι οὐ διὰ τὴν τῆς ἀδελφῆς (τοῦ Ἁρμοδίου) ἀτιμίαν, τῆς κανηφορίας. ἐπεὶ τοῦτό γε εὔηθες. ἀλλὰ τὸν μὲν Ἁρμόδιον γεγονέναι

παιδικὰ τοῦ Ἀριστογείτονος, καὶ πεπαιδεῦσθαι ὑπ' ἐκείνου. *Dicitur autem ab elegantioribus viris etiam mortem illi evenisse non ob ignominiam sororis (Harmodii) canistri lationis. Quoniam illud stultum foret. Sed Harmodium fuisse delicias Aristogitonis, & institutum ab eo.* Sequebantur autem virgines has pedissequæ, quæ umbellam, & sellam, ferrent. Observare, ecce, licet apud Aristophanem *Avibus ult.*

> Φέρε μοι σκιάδιον, ἵνα με κἂν ὁ Ζεὺς ἴδῃ
> Ἄνωθεν, ἀκολουθεῖν δοκῶ κανηφόρῳ.
> *Fere mihi umbellam, ut me si Jupiter videat*
> *Desuper, sequi videar canistrum ferentem.*

Ad quem locum *Scholiastes.* Ταῖς γὰρ κανηφόροις σκιάδιον καὶ δίφρον ἀκολουθεῖ τις ἔχουσα. *Etenim canistra ferentes sequitur aliqua umbellam & sellam tenens.* Quæ totidem verbis *Suidas in* Δίφρος. Erant vero hæ pedissequæ inquilinorum filiæ. Clarum ex *Harpocratione*, in Σκαφηφόροι, Προσέταττεν ὁ νόμος τοῖς μετοίκοις ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν. τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν, ὑδρεῖα, καὶ σκιάδια. *Jussit lex inquilinis in pompis, ut ipsi quidem ligones ferrent. Filias autem illorum hydrias, & umbellas.* Et ex Æliano, *Var. Hist. lib.* VI. *cap.* I. Τὰς γοῦν παρθένους τῶν μετοίκων σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς ἠνάγκαζον (οἱ Ἀθηναῖοι) ταῖς ἑαυτῶν κόραις. *Virgines igitur inquilinorum umbellas ferre in pompis coegerunt (Athenienses) suis puellis.* Atque illæ, a sella, quam ferebant, Διφροφόροι indigetatæ. Etymologici *Auctor.* Διφροφόροι, αἱ ταῖς κανηφόροις εἵποντο, δίφρους ἐπιφερόμεναι. *Sellas ferentes, quæ canistra ferentes sequebantur, sellas adferentes.* Quæ apud Hesychium quoque habes, totidem verbis. Estque mentio etiam earum apud Hermippum *in Comœdia*, Θεοὶ *inscripta.*

> — ὥσπερ αἱ κανηφόροι
> Λευκοῖσιν ἀλφίτοισιν ἐντετριμμένοις,
> Ἐγὼ δ' ἕνεκα τῶν ψαλάθων τὴν διφροφόρον.
> — *quemadmodum quæ canistra ferunt*
> *Albis farinis intritis,*
> *Ego vero propter * . . . . selligeram.*

Et *Nicophon* Χειρογαστόρων γονῇ.

> — αὐτὸς ὀλίγον γ' ἄναγ' ἀπὸ
> Τῆς διφροφόρου, χρηστὸς εἶ, καὶ κόσμιος.
> — *ille parum, secede ab*
> *Sellam ferente, probus es, & decorus.*

* Quæ læva mens impulerit Auctorem, ut hos Comicos citaret, quasi bene notos, ipse dixerit. Scimus sane hæc abrupta fragmenta ex Scholiaste Aristophanis *ad Aves* petita esse; ubi utinam interpretatus fuisset vocem ψαλάθων.

CAP. XXIV.

Agmen pueri claudebant, tunicis amicti, quæ Πανδαμικοὶ *nuncupatæ. Curam vero pompæ omnem* οἱ Νομοφύλακες *sustinebant, fascia alba coronati. Pollucis locus emendatus. Ubi instrui pompa solita.* Πομπεῖον.

AN & pueri in hac pompa? Speciatim nusquam invenio; sed fuisse, ut in cæteris, non est dubium: nam in omnibus indistincte etiam ibant, idque tunicis induti, quæ Πανδαμικοὶ nominatæ. Occurrit in *Hesychii* Glossis. Πανδαμικοὶ, παιδικοὶ χιτῶνες ἐν ταῖς πομπαῖς. *Pandamici, pueriles tunicæ in pompis.* Habes pompam universam, ordine suo explicatam; Nunc dicendum, penes quosnam instruendæ ejus cura; deinde, ubi instrui solita. Ac curam quidem instruendæ *οἱ* Νομοφύλακες sustinebant, fascia alba redimiti. Pollux. *lib.* VIII. *cap.* VIII. *sect.* VII. Ἵππαρχοι δὲ δύο, ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων αἱρεθέντες, ἐπιμελοῦνται τῶν πολεμίων. οἱ δὲ φύλαρχοι, δέκα. εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης, τῶν ἱππέων προΐστανται. καθάπερ οἱ ταξίαρχοι τῶν ὁπλιτῶν. νομοφύλακες μὲν, ἐστεφάνωνται στροφίῳ λευκῷ. τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇ θεῷ. *Equitum vero magistri duo, ex omnibus Atheniensibus lecti, curant res militares. Tribuni autem, decem; Unus e tribu quaque, equitibus præsunt. Quemadmodum duces ordinum armatis. Legum custodes quidem, coronati sunt fascia alba. Pompam autem ducunt Deo.* Quem locum, luxatum, corruptumque, sic restituendum censeo. ἐ. τῶν πολέμων. τῶν ἱππέων προΐστανται, καθάπερ οἱ ταξίαρχοι τῶν ὁπλιτῶν. οἱ δὲ φύλαρχοι, δέκα. εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης, νομοφύλακες μὲν, ἐ. σ. λ. Et in fine, π. πέμπουσι τῇ θεῷ. Nam pompam hanc Minervæ intelligit, quæ ἡ θεὸς simpliciter, & κατ' ἐξοχὴν, ab Atheniensibus dicebatur, ut notum Græcæ linguæ peritis. Instrui autem illic solita, ubi reliquæ. Erat enim ædificium quoddam Athenis, instruendis pompis proprium, urbi ingressis a Piræeo, prope Cereris. Observo apud Pausaniam *Atticis.* Εἰσελθόντων δὲ εἰς τὴν πόλιν (ἐκ Πειραιῶς) οἰκοδόμημα ἐς παρασκευὴν ἐστι τῶν πομπῶν, ἃς πέμπουσι, τὰς μὲν ἀνὰ πᾶν ἔτος, τὰς δὲ καὶ χρόνου διαλείποντος. καὶ πλησίον ναός ἐστι Δήμητρος. *Ingredientibus vero urbem (ex Piræeo) ædificium occurrit ad præparationem pomparum, quas ducunt, alias quidem singulis annis, alias autem quoque intermisso tempore. Et prope est templum Cereris.* Et accurate attendenti totum illum *Pausaniæ* locum apparebit, fuisse inter portam Piraicam, ac sacram.

CAP. XXV.

Deinde Homeri quoque carmina a rhapsodis recitata; idque a quo institutum?

PRÆTER pompam hanc, etiam rhapsodi carmina Homeri recitabant. Lycurgus *Orat. in Leocratem.* Βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τὸν Ὅμηρον παρασχέσθαι ἐπαινῶν. οὕτω γὰρ ὑπέλαβον ὑμῶν οἱ πατέρες σπουδαῖον εἶναι ποιητὴν, ὥστε νόμον ἔθεντο, καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη. ἐπίδειξιν πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ὅτι τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων προῃροῦντο εἰκότως. *Volo vero vobis Homerum quoque laudans proferre. Sic enim putarunt patres vestri serium esse poetam, ita ut legem tulerint, qua singulis quinque annis festo Panathenæorum solius ex aliis poetis carmina a rhapsodis recitarentur; indicium Græcis præbentes, optima opera præferri decenter.* Institutum id ab Hipparcho, Pisistrati F. Plato testis *in Hipparcho*, ubi de eo verba facit. Ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί. καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι. *Qui alia & multa & bona opera sapientiæ edidit, Homerique carmina primus deduxit in hanc terram: Et coegit rhapsodos Panathenæis ob æstimationem exinde illa canere, quemadmodum nunc adhuc illi faciunt.* Et Ælianus, *Var. Hist. lib.* VIII. *cap.* II. Ἵππαρχος, ὁ Πεισιστράτου παῖς, πρεσβύτατος ὢν τῶν Πεισιστράτου, καὶ σοφώτατος ἦν Ἀθηναίων οὗτος, καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐκόμισε πρῶτος εἰς τὰς Ἀθήνας, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς τοῖς Παναθηναίοις αὐτὰ ᾄδειν. *Hipparchus Pisistrati filius maximus natu inter filios Pisistrati, & sapientissimus erat Atheniensium, primusque Homeri carmina attulit Athenas, & coegit rhapsodos Panathenæis illa canere.*

CAP. XXVI.

Coronæ quoque honoris ergo aureæ datæ, publice in certamine gymnico per præconem pronuntiabantur. Præco etiam Athenienſibus pariter atque Platæenſibus bene ut eſſet precabatur; idque quando inſtitutum? Captivi quoque dimitti ſoliti.

QUIN honore quos inſigni affectos vellent, coronam auream his donabant, idque publice per præconem in gymnico certamine pronuntiabant. Apparet ex Senatuſconſulto Athenienſium, in hoc *Opere* ſemel a me, iterumque, allegato. Δεδόχηται τῷ δήμῳ μυῆσαι αὐτὸν τὰ μυστήρια τὰ μεγάλα, καθάπερ Ἡρακλέα τὸν Διός. καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν στεφάνῳ χρυσῷ, ἀπὸ χρυσῶν χιλίων. ἀναγορεῦσαί τε τὸν στέφανον Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις, ἐν τῷ ἀγῶνι τῷ γυμνικῷ. *Viſum fuit populo initiare ipſum myſteriis magnis, quemadmodum Herculem Jovis. Et coronare ipſum corona aurea aureorum mille. & pronuntiare coronam in Panathenæis magnis, in certamine gymnico.* Et ex altero, quod extat in *Inſcriptionibus Antiquis*, pag. CCCCV. ΤΟΤΕ ΠΡΩΤΟΝ ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΟΙΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΟΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΔΗΛΩΙ ΤΙΜΗΘΗΝΑΙ ΧΡΥΣΩΙ ΣΤΕΦΑΝΩΙ ΑΝΑΓΟΡΕΥΟΜΕΝΩΙ ΕΝ ΤΩΙ ΕΝ ΑΣΤΕΙ ΘΕΑΤΡΩΙ. *Tunc primum in Panathenæis fecit populum Athenienſium qui in Delo honorari corona pronuntiata in theatro civitatis.* Eſtque hac ipſa de re inſignis locus Demoſthenis. *Orat.* Περὶ τοῦ στεφάνου. Δεδόχθαι τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, στεφανῶσαι Χαρίδημον, καὶ Διότιμον, χρυσῷ στεφάνῳ. καὶ ἀναγορεῦσαι Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις, ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι. *Placuit ſenatui & populo, coronare Charidemum, & Diotimum aurea corona: & pronuntiare in Panathenæis magnis, in gymnico certamine.* Præterea in his, ut in aliis item feſtis quinquennalibus, præco Athenienſis conceptis verbis precabatur, ut Athenienſibus pariter, ac Platæenſibus, bene eſſet; idque a pugna Marathonia inſtitutum, in qua illi, in ſiniſtro cornu poſiti a Miltiade, fortiter fecerant. Hoc accipimus ex Herodoto, *lib.* VI. *c.* CXI. Τελευταῖοι δὲ ἐτάσσοντο, ἔχοντες τὸ εὐώνυμον κέρας, Πλαταιέες. ἀπὸ ταύτης γάρ σφι τῆς μάχης, θυσίας Ἀθηναίων ἀναγόντων ἐς

A πανηγύριας τὰς ἐν τῇσι πεντετηρίσι γινομένας, κατεύχεται ὁ κῆρυξ ὁ Ἀθηναῖος, ἅμα τε Ἀθηναίοισι λέγων γίνεσθαι ἀγαθὰ καὶ Πλαταιεῦσι. *Ultimi vero collocati ſunt, tenentes ſiniſtrum cornu, Platæenſes. Ab hac enim pugna eſt, quod cum Athenienſes ſacrificia ducunt ad publicos conventus, qui ſingulis quinque annis fiunt, comprecatur præco Athenienſis, ſimul Athenienſibus dicens fieri bona & Platæenſibus.* Ad extremum captivos etiam vinculis ſolvere tunc permiſſum. Ulpianus *in Demoſthenis Timocrateam.* Κατὰ πέντε ἔτη ἤγετο τὰ Παναθήναια. τότε δὲ ἐξῆν ἀφεῖσθαι τῶν δεσμῶν τοὺς δεσμώτας, διὰ τὴν πανήγυριν. *Poſt quinque annos agebantur Pa-*
B *nathenæa. Tunc vero licebat ſolvere vinculis captivos, ob feſtum.*

CAP. XXVII.

Qui cætera feſta quinquennalia curabant, Ἱεροποιοὶ *apellati, Panathenæa hæc non curabant quæ etiam a Themiſtocle exule celebrata. Denique eorum myſtica ratio.*

ILLUD autem, prius quam finiam, minime mihi prætereundum; cum feſta cætera quinquennalia οἱ Ἱεροποιοὶ curarent, ſola eos Panathenæa non
C curaſſe. Etymologici *Auctor* in Ἱεροποιοί. Καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι, πλὴν Παναθηναίων. *Et quinquennalia omnia curant, præter Panathenæa.* Etiam illud admonendum, Themiſtocli exuli apud Magneſios celebrata. Athenæus *lib.* XII. Πόσις δ᾽ ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν. τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν λαβόντα, θῦσαι Ἀθηνᾷ, καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι. *Poſis autem in tertio Magneticorum, dicit Themiſtoclem, Magneſiæ cum accepiſſet coronæ ferendæ principatum, ſacrificaſſe Minervæ, & vocaſſe feſtum Panathenæa.* Myſticam vero inſtituti hujus feſti ra-
D tionem Proclus tradit, in *Timæum* Comment. I. Ἡ δὲ τῶν Παναθηναίων (ἑορτὴ ἔοικε δηλοῦν) τὴν ἀπὸ τοῦ νοῦ καθήκουσαν εὐταξίαν εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν διάκρισιν τὴν ἀσύγχυτον τῶν κοσμικῶν ἐναντιώσεων. φιλόσοφος γὰρ ἅμα καὶ φιλοπόλεμος ἥδε ἡ θεός. *Panathenæorum vero (feſtum videtur indicare) bonum ordinem ab mente in mundum pertinere, & diſcrimen non confuſum mundanis contrarietatibus. Eſt enim ſapientiæ ſimul & belli ſtudioſa dea.*

FINIS.

JOANNIS MEURSII

ELEUSINIA

SIVE,

DE

CERERIS ELEUSINÆ

SACRO, AC FESTO,

LIBER SINGULARIS.

NOBILISS. ET AMPLISS.

JOANNI DVVENVORDIO,

EQVESTRIS ORDINIS VIRO, DOMINO DVVENVORDÆ, VORSCHOTÆ, &c.

ROCHO HONARDO,

SVPREMI IN HOLLANDIA SENATVS CONSILIARIO PRIMARIO.

HADRIANO PAVWIO,

EQVITI, VRBIS AMSTELODAMENSIS SYNDICO.

ACADEMIÆ CVRATORIBVS.

ITEM,

AMPLISS. PRVDENTISSIMISQVE,

PETRO DEIMANNO,
ÆMYLIO HOGEVENIO,
CLEMENTI BAERSDORPIO, JC.
GERARDO LEONARTIO,

VRBIS LEIDENSIS CONSVLIBVS, EORVM COLLEGIS;

JOANNES MEVRSIVS

DEDICO, CONSECROQVE.



CUM vos Academiæ ſuæ Illuſtriſſimi ac Potentiſſimi Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines præfeciſſent, committendum non putavi, quin proferrem in publicum aliquid; quod & obſervantiæ meæ in vos monumentum eſſet, ſtudiumque illuſtrandæ Academiæ, in qua Profeſſorem jam novennium ago, teſtaretur. Idque facere ELEUSINIA iſta volui; quæ nunc edo, nomini veſtro conſecrata. Cupiebam paullo citius; ſed, dum me Typographus differt, mora injecta eſt. Verum tamen, ſi placuero, ſatis adhuc maturatum; ſi diſpliceo, etiam nimis. Sed humanitas illa veſtra, æquitaſque, & in literatos amor, credere jubent; fore, ut non diſpliceat vobis, quod placere imprimis opto. Quam ob cauſam, ſi potitus voto fuero, erit cur non parum mihi gratulandum exiſtimabo. Non ego anxie, aut ambitioſe nimis, nunc me commendatum eo; iſtud tantum aſſevero, nullum in ordine noſtro eſſe, qui ſe vobis, ſuaque omnia, approbari magis velit: quod ut merear, uti operam ſemper dabo; ita quoque, ſi impetravero, operæ me feciſſe pretium non exiguum arbitrabor.

Viri Nob. & Ampl.

Deum Opt. Max. rogo, uti vos quam diutiſſime ſanos, & incolumes, ſervet. Lugd. Bat. ad diem IV. Jun. cIↃ IↃ XIX.

AD LECTOREM.



O tibi, benigne Lector, ELEUSINIA; quibus ſacris tota Græcia, immo orbe univerſo, nihil unquam celebratius, ſanctiusve, habitum fuit. Proprium de illius Opus olim Melanthius nobis dederat. Laudat ecce Athenæus *lib.* VII. *c.* XXI. Μελάνθιος δ' ἐν τῷ Περὶ τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων, καὶ μαινίδα, ὅτι καὶ θαλάττιος ἡ Ἑκάτη. *Melanthius vero in libro de Eleuſiniis myſteriis, etiam triglam, & mænida, quia & maritima eſt Hecate.* Et Scholiaſtes Comici *Pluto.* Ἔθος γὰρ ἦν, ἐν οἷς τις ἱματίοις μυηθείη, εἰς θεοῦ τινος ταῦτα ἀνατιθέναι, ὥσπερ δηλοῖ καὶ Μελάνθιος ἐν τῷ Περὶ μυστηρίων. *Mos enim erat, in quibus veſtibus quis initiatus eſſet, illas in Dei cujuſdam templo deponere, ut indicat etiam Melanthius in libro de Myſteriis.* Iterum *Avibus.* Τοῦτο οὖν ἐκήρυξαν κατ' αὐτοῦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἐν χαλκῇ στήλῃ ἔγραψαν, ὥς φησί Μελάνθιος ἐν τῷ Περὶ μυστηρίων. *Illud igitur proclamarunt ſingulis annis Athenienſes, & æneæ columnæ inſcripſerunt, quemadmodum inquit Melanthius in libro de Myſteriis.* Etiam Menander quidam. Habes apud eundem Scholiaſten *ibidem.* Μένανδρος δὲ ἐν τῷ Περὶ μυστηρίων προφέρεται τῆς χαλκῆς στήλης ἀντίγραφον. *Menander autem in libro de Myſteriis profert reſcriptum columnæ æneæ.* Item Hiceſius. Meminit Clemens in *Protreptico.* Σκυθῶν δὲ οἱ Σαυρομάται, ὥς φησιν Ἱκέσιος ἐν τῷ Περὶ μυστηρίων, ἀκινάκην σέβουσιν. *Scytharum vero Sauromatæ, ut inquit Hiceſius in libro de Myſteriis, acinacem colunt.* Quorum lucubrationes poſtquam amiſimus; animum induxi, quantum in me, hanc jacturam reſtituere. Quæſo te, ne invidere publico velis, docte Lector, ſi tibi alia quædam inſuper obſervata. Facile illud, in tam lato eruditionis campo, *In quo*, ut *Auſonius* ait, *alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia.* Dein, ſi alibi me erraſſe deprehendes; quod non mirum in iſtis tenebris, cum ſacrorum arcanorum, tum abſtruſæ antiquitatis; mone candide, & ſine ullo loliginis ſucco, quod me facere iu meis vides, gratiaſque magnas agam. Quod ſi neutrum tibi in promptu, iſtis utere; & me ama, bene Rei Literariæ, bene tibi, cupientem. Vale.

SERIES CAPITUM.

CAP. I.

Eleusinia sacra, Μυστήρια *dicta per excellentiam. Quanta dignitate fuerint, & qua frequentia celebrata.*

II. *Instituta ab Erechtheo; vel, ut alii volunt, Cerere: quibusque illa communicaverit. Alii ad Eumolpum eorum institutionem referunt; ac quis iste Eumolpus fuerit, quotus nominis. Suidæ in re illa error, & Auctoris Etymologici. Alii Musæum auctorem faciunt.*

III. *Deinde ubi, & qua de causa, instituta. Ceres a Celeo hospitio excepta; & ab Jambe, aut Baubone, ad risum permota.* Καλλίχορον, *puteus Eleusine; ad quem Eleusiniæ fœminæ choreas primum instituerunt, & hymnum Deæ cecinerunt: atque in illo mystas considere nefas.* Ἀγέλαστος πέτρα Ἄνθινον *puteus. Eleusinii quanam conditione sese Atheniensibus subjecerint.*

IV. *In quem finem instituta crederentur.* Τελετὴ *cur appellata.*

V. *Erant vero duplicia; Majora, ac Minora. Et hæc quidem in Herculis gratiam instituta; isque ubi initiatus.*

VI. *Loco utraque diverso acta. Clementis locus emendatus. Etiam tempore. Viri magni illic lapsus indicatus.*

VII. *In Majoribus initiari, in Minoribus prælustrari moris erat, ac præparari; idque ad Ilissum flumen. Lustrandi autem in pelle victimæ, Jove immolatæ, a daducho statuebantur. Ad lustrationem;* Ἴμερα, *sive* Ἴσμερα *dicta. Qui lustrabat, is* Ὑδρανὸς *appellatus. Sacra quoque, & vota, facta; & castitati opera data. Sacra autem porco facta, eoque fœmina, gravidaque; quam abluebant in portu Cantharo. Plutarchi locus restitutus.*

VII. *In Minoribus,* Μύσται *dicti erant; in Majoribus vero,* Ἐπόπται. *Unde* Ἐποπτεύειν *illi; ipsa sacra,* Ἐποπτικὰ *dicta. Demetrius præter morem solitum eodem tempore mysta, & epopta, factus. Mystarum locus in vestibulo, Epoptæ intra adytum admissi. Ac facti Epoptæ tantum Majoribus, & quo temporis intervallo. Plutarchi locus emendatus.*

IX. *Initiatio noctu facta. Initiandi in sacello Agræ exiguo, Eleusine in amplissimo, mysteriorum leges, ac ritus, accipiebant. Erant vero myrto coronati; ac templum ingressi manus sibi abluebant.*

X. *Illic, mentem prius, manusque puras habere jussi, & peritiam linguæ Græcæ, ritus mysteriorum prælectos describebant.* Πέτρωμα. *Libri rituales. Inde nonnulla interrogati, verba solennia respondebant.*

XI. *Tum varia illis spectacula objecta, & voces variæ. Claudianus emendatus.* Αὐτοψία. *Membrum quoque muliebre ibi ostensum. Tertulliani hallucinatio.* Cereris mundus. *Apulejus explicatus. Post initiationem acclamari solitum,* Κόγξ, Ὄμπαξ. *Inde singuli discedentes, locum aliis concedebant.*

XII. *Quam initiandi vestem induissent, eam nunquam deponebant, nisi detritam, laceramque; ac tum Cereri, & Proserpinæ, dedicabant: vel ad fascias puerorum utebantur.*

XIII. *Initiabat* ὁ Ἱεροφάντης *Appellatus, cujus nomen initiato dicere vetitum. Isque in habitum creatoris ornabatur: veste, coma ac strophio, insignis: ætate, ac voce, peculiari. Nec cuiquam illa dignitas data fuit, nisi qui Atheniensis. Eu-*

A *napii locus restitutus. Ac fungebatur munere eo ipsius posteri,* Εὐμολπίδαι *nuncupati. Suidæ error, & correctus locus quidam. Hierophanta etiam* Μυσταγωγὸς *dictus.*

XIV. *Daduchus quoque, & præco, adhibiti; item* ὁ ἐπὶ βωμῷ. *Daduchus coma, & strophio, distinctus; totam vitam munere suo fungebatur; &, si vellet, uxorem ducebat. Solus hoc nomine appellatus, & Solis effigiem præ se ferens, ut præco Mercurii, & minister ad aram Lunæ.*

XV. *Præfectus mysteriis* ὁ Βασιλεὺς, *ejusque circa ista munus. Item* οἱ Ἐπιμεληταὶ, *numero quatuor; iique unde legi soliti. Præter illos* Ἱεροποιοὶ *etiam decem. Pollucis locus emendatus.* B

XVI. *Initiari Atheniensium liberi soliti, adhuc pueri; nec Athenienses tantum, sed Græci omnes: nisi quod Socrates, & Demonax, neglexerunt. Item Romani in quibus Atticus, & Augustus. Etiam Anacharsis, Scytha; & mulieres, quæ* Μέλισσαι *appellatæ.*

XVII *Initiati ad virtutem obstricti putabantur, & consilia a deabus Eleusiniis recta accipere; feliciores item esse in hac vita, & post mortem apud inferos multo honoratiores; ac priorem in consessu locum tenere. etsi nonnulli, Amori qui initiati, eos esse feliciores existimarent.*

C XVIII. *Non initiati autem, Cereris templo prohibebantur; unde belli cum Philippo Atheniensibus causa fuit. Dein post mortem apud inferos in luto jacere credebantur.*

XIX. *Prohibiti autem initiari peregrini; & extra ordinem initiati Hercules, Bacchus, Dioscuri, Æsculapius, & Hippocrates. Sorani error indicatus. Barbari quoque exclusi his sacris, & homicidæ, quamlibet involuntarii; magi item, & præstigiatores alii: denique impii, & scelerati, qualescunque.*

XX. *Sed nec prodere non initiatis ea licitum fuit; &* D *si quis hic deliquisset, ei mortem lex statuebat. Diagoræ Melii proscriptio. Æschyli periculum. Numenii somnium. Nec commune cum his quicquam sibi quisquam capiebat. Ac ne ipsis quidem Diis divulgare illa licitum. Quin ut eloqui, ita audire nefas erat. Ceres quoque nomine mystico nuncupata. Tamen nihil apud Cretenses occultatum.*

XXI. *Quando incohari solita, & quot dies agitari. Polyænus ea de re emendatus.*

XXII. *Primus dies,* Ἀγυρμὸς *dictus. Plutarchi locus restitutus. Eoque initiatio facta.*

E XXIII. *Secundus vero,* Ἅλαδε μύσται *vocitatus. Hesychii locus emendatus, & Polyæni. Chabriæ illo ipso die victoria navalis, omenque ab eo ex nomine captum. Plutarchi locus emendatus.*

XXIV. *Tertio die sacra facta; & mullus ei immolatus, isque Æxonicus, tanquam qui præstaret cæteris. Itaque ille Cereri sacer, duobus de causis; nec gustabant eum mystæ. Additum hordeum, e campo Rhario. Nec fas quicquam abjicere foras, aut Junonis sacerdoti inde gustare; ejusque templum claudi solitum, cum Cereris sacra peragerentur: ut & Cereris, cum Junoni sacra fierent. Omnia ei immolata,* Θύα *dicta.*

F XXV. *Quarto calathi processio, curru vecti, quem trahebant juncti boves. Pone fœminæ, cistas ferentes, sequebantur. Eæ cistæ fasciis puniceis vinctæ; quidque in iis occultatum. Ac cur mala in illis Punica, & papaver. Strabi Galli error ostensus.*

XXVI. *Quinto mystæ cum accensis facibus ibant;*

viri pariter, fœminæque. Noctu autem id factitatum; & faces quoque dedicatæ, certatumque de earum magnitudine. Dein quamobrem res hæc omnis instituta. A

XXVII. *Sexto Jacchum producebant. Claudianus hallucinatus. Jacchus myrto hic coronatus, & non hedera. Dies ex re* Ἴακχος *dictus. Deductio autem a Ceramico usque Eleusinem facta, ac per fora. Iacchus facem manu gestans fingebatur, & quam ob rem. Ac templum sibi proprium habebat. Deductusque cum choreis, saltu, & cantu; qui item* Ἴακχος *nuncupatus. Etiam cum æris sono. Qui ducebant, aqua e Proserpinæ Rheto lustrabantur. Iacchus vero hic Iovis, Cererisque, filius.* B *Arriani ea in re error ostensus. Cuique producendi ejus cura data,* Ἰακχαγωγὸς *nominatus. Porta, qua exire soliti,* Ἱερὰ *dicta; obiterque, qua cadavera efferebantur, quomodo appellata fuerit, indicatum: & correctus Theophrastus. Via quoque* Ἱερὰ *dicta; ac Plutarcho nomen ejus restitutum. Polemonis etiam de eadem liber proprius. Et suburbium,* Ἱερὰ Συκῆ *nuncupatum; in quo mystæ, Eleusine redeuntes, interquiescere consueverunt. In via Cephissus, ponte stratus; in quo scommata spectatores desidentes in prætereuntes mystas jaciebant. Unde* Γεφυρίζειν *dictum, &* Γεφυρισμοί. C *Ultra pontem, qua intrabant Eleusinia,* Μυστικὴ Εἴσοδος *vocabatur. Post, munita Decelea, ac terrestri itinere clauso, mari Jacchus duci cœpit; nisi quod semel Alcibiades pompam in armis via usitata duxit: daduchi vice, ut nonnulli putant, functus.*

XXVIII. *Septimo certamen erat, idque multo antiquissimum; in quo victor hordeum accipiebat. Etymologus ea de re emendatus, item Suidas. Hordeum autem præmium datum, quia primum Eleusine illud natum, ut ferebant.*

XXIX. *Octavus,* Ἐπιδαύρια *dictus; quia Æsculapii honori, post mysteria Epidauro venientis, institutus. Initiatio iterum tum fieri solita, & secunda quoque sacra. Philostrati locus emendatus.*

XXX. *Nonus, ultimusque idem,* Πλημοχὸη *indigetatus, qua de causa. Plemochoæ tunc duæ impletæ, & eversæ, cum verbis mysticis.* Κοτυλίσκος. Ῥῆσις μυστική. Ὑἐ, Τοκῦε. Μυστηριώτιδες σπονδαί.

XXXI. *Per hos dies manum injicere ulli vetitum, & libellum supplicem offerre; quæque hic delinquentis mulcta. Fœminis quoque Eleusinem bigis vehi interdictum; idque a quo; & quæ delinquentium mulcta. Aristophanis Scholiastæ hallucinatio. Jurare etiam per mysteria usitatum; ac quæ ad hæc necessaria, asinis Eleusinem vecta. Mystæ nec mustellum edebant; neque, ut videtur, salem.*

XXXII. *Continuata vero hæc sacra ad Imperatores Christianos; & cum tollere Valentinianus vellet, Prætextato intercedente, adhuc manserunt. Semel tantum intermissa, ob captas Thebas. Hierophanta apud Eunapium falsus vates. Tandem eversa a Theodosio Seniore.*

XXXIII. *Celebrata vero præterea a Celeensibus, Phliasiis, Pheneatis, Lacedæmoniis, Parrhasiis, Cretensibus, & Romanis. Claudii Cæsaris conatus, Hadriani factum.*



JOANNIS MEURSII
ELEUSINIA
SIVE,
DE
CERERIS ELEUSINIÆ
SACRO, AC FESTO,
LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

Eleusinia sacra, Μυςήρια *dicta per excellentiam. Quanta dignitate fuerint, & qua frequentia celebrata.*

CERERIS Eleusinæ sacra, Eleusinia nuncupata, libro singulari tradita, in plenam hominum Antiquitatis studiosorum cognitionem nunc proferre mihi visum. Erant vero nominis tanti, & dignitatis, ut majoris in Antiquitate omni nulla essent: adeo ut, cum plura etiam plurium deorum haberentur, *κατ' ἐξοχὴν* sola Μυςήρια sint vocata. Id passim observare apud Auctores licet. De eorum dignitate iste est Aristotelis locus, *Rhet. lib.* II. *cap.* XXIV. *Τὰ μυςήρια πασῶν τιμιωτάτη τελετή. Mysteria sunt omnium honoratissima festivitas.* Aristides *Eleusinia.* *Τίς γὰρ Ἑλλήνων, ἢ τίς Βαρβάρων, οὕτω σκαιὸς, ἢ ἀνήκοος; ἢ τίς οὕτω σφόδρα ἔξω τῆς γῆς, ἢ θεῶν; ἢ, συλλήβδην εἰπεῖν, καλῶν ἀναίσθητος, πλὴν τῶν κάκιστ' ἀπολουμένων, οἱ ταῦτ' ἔδρασαν, ὅστις οὐ κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος τὴν Ἐλευσῖνα ἡγεῖτο, καὶ πάντων ὅσα θεῖ' ἀνθρώποις ταυτὸν φρικωδέστατόν τε καὶ φαιδρότατον: Quis enim Græcorum, aut quis Barbarorum, ita lævus, aut imperitus? aut quis ita longe extra terram, aut deos? aut, ut breviter dicam, sine sensu rerum bonarum, præterquam illi pessime perditi, qui hæc patrarunt, qui non commune quoddam terræ delubrum Eleusinem existimaverit, & omnium quæ divina hominibus, illud maxime horridum & splendidissimum.* Pausanias *Phocicis.* *Οἱ γὰρ ἀρχαιότεροι τῶν Ἑλλήνων τελετὴν τὴν Ἐλευσινίαν πάντων ὁπόσα ἐς εὐσέβειαν ἥκει τοσούτῳ ἦγον ἐντιμοτέραν, ὅσῳ καὶ τοὺς θεοὺς ἐπίπροσθεν ἡρώων. Vetustiores enim Græcorum initia Eleusinia ex omnibus quotquot ad pietatem spectant tanto præstantiora duxerunt, quanto deos anteposuerunt heroibus.* Prætextatus apud Zosimum *lib.* IV. vocat, *τὰ συνέχοντα τὸ ἀνθρώπειον γένος ἁγιώτατα μυςήρια. Conservantia humanum genus sanctissima mysteria.* Hinc Σεμνὰ Euripides dixit, *initio* Hippolyti.

> *Σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυςηρίων.*
> *Et ad conspectum celebritatemque augustorum mysteriorum.*

Quin & inde eorum dignitas colligi potest, quod Romani ludos suos seculares, de quibus pronuntiare præco solitus; *Tales neque visos unquam, nec videndos*: ad eorum æmulationem egerint. Herodianus *lib.* III. *cap.* XXVI. *Εἴδομεν δὲ ἐπ' αὐτοῦ καὶ θέας τινῶν παντοδαπῶν θεαμάτων ἐν πᾶσι θεάτροις ὁμοῦ, ἱερουργίας τε καὶ παννυχίδας, ἐπιτελεσθείσας εἰς μυςηρίων ζῆλον. αἰωνίους δὲ αὐτὰς ἐκάλουν. Vidimus vero ejus tempore & ludos quorundam omnigenarum spectaculorum in omnibus theatris simul, sacrificia quoque & pervigila peracta ad mysteriorum initiationem. Æterna autem illa vocabant.* Dein, pro nominis claritate, summa etiam ea frequentia celebrata. Philostratus *in Vita Apollonii, l.* IV. *c.* VI. *Εἰς δὲ τὸν Πειραιᾶ εἰσπλεύσας περὶ μυςηρίων ὥραν, ὅτε Ἀθηναῖοι πολυανθρωπότατα Ἑλλήνων πράττουσιν, ἀνῄει ξυντείνας ἀπὸ τῆς νεὼς εἰς τὸ ἄστυ. Ad Piræeum autem navigans circa tempus mysteriorum, quando Athenienses maxima inter Græcis frequentia faciunt, ascendebat festinans e navi ad urbem.* Immo concursum ad hæc fuit ab omni Græcia. Lysias in *Andocidem* indicat. *Καὶ τίνα γνώμην οἴεσθε ἕξειν τοὺς μύστας τοὺς ἀφικομένους, ἐπειδὰν ἴδωσι τὸν βασιλέα ὅστις ἐστὶ, καὶ ἀναμνησθῶσι πάντα ἠσεβημένα αὐτῷ; ἢ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς, ἢ θύειν εἰς ταύτην τὴν ἑορτὴν βουλόμενοι, ἢ θεωρεῖν; Et quam opinionem putatis habituros initiatos venientes, ubi viderint regem qualis est, & in memoriam revocaverint omnia impia facta ejus; aut reliquos Græcos, qui propter hoc festum, aut in hoc festo sacrificare volunt, aut sacra legatione uti.* Ac vis frequentiam istam scire? ecce tibi triginta millia, numerum finitum pro infinito, apud Herodotum *lib.* VIII. *c.* LXV. *Ἰδεῖν κονιορτὸν χωρέοντα ἀπὸ Ἐλευσῖνος, ὡς ἀνδρῶν μάλιστά κῃ τρισμυρίων. ἀποθωυμάζειν τε σφέας τὸν κονιορτὸν, ὅτεών κοτε εἴη ἀνθρώπων, καὶ πρόκατε φωνῆς ἀκούειν, καί οἱ φαίνεσθαι τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυςικὸν Ἴακχον. εἶναι δ' ἀδαήμονα τῶν ἱρῶν τῶν ἐν Ἐλευσῖνι γινομένων τὸν Δημάρητον. Vidisse pulverem procedentem ab Eleusine, tanquam virorum ferme triginta millium. Admiratosque fuisse illos pulverem, quorumnam hominum esset; tunc statim vocem adire illum, & visam vocem esse mysticum Jacchum. Fuisse autem ignarum sacrorum, quæ in Eleusine fiunt, Demaretum.*

CAP. II.

Instituta ab Erechtheo; vel, ut alii volunt, Cerere: quibusque illa communicaverit. Alii ad Eumolpum referunt institutionem eorum; ac quis iste Eumolpus fuerit, quotus nominis. Suidæ in re illa error, & Auctoris Etymologici. Alii Musæum auctorem faciunt.

ORIGO eorum ab Erechtheo rege fertur: quem, delata ex Ægypto Athenas magna frumenti copia, regem ab Atheniensibus ejus beneficii ergo constitutum, sacra hæc Cereris communicasse ipsis tradunt. Diodorus Siculus *lib.* I. *Γενομένων ὁμολογουμένως αὐχμῶν μεγάλων κατὰ πᾶσαν σχεδὸν τὴν οἰκουμένην, πλὴν*

Αἰγύπτου, διὰ τὴν ἰδιότητα τῆς χώρας, καὶ φθορᾶς ἐπιγινομένης τῶν τε καρπῶν, ἐξ Αἰγύπτου τὸν Ἐρεχθέα κομίσαι διὰ τὴν συγγένειαν σίτου πλῆθος εἰς τὰς Ἀθήνας. ἀνθ᾽ ὧν τοὺς εὖ παθόντας βασιλέα καταστῆσαι τὸν εὐεργέτην. τοῦτον δὲ παραλαβόντα τὴν ἡγεμονίαν, καταδεῖξαι τὰς τελετὰς τῆς Δήμητρος ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰ μυστήρια ποιῆσαι, μετενεγκόντα τὸ περὶ τούτων νόμιμον ἐξ Αἰγύπτου. *Quum orta esset ex omnium confessione siccitas ingens per totum ferre terrarum orbem, excepta Ægypto, ob proprietatem regionis, & pernicies quoque frugum accessisset, Erechtheus ex Ægypto advexisse ob consanguinitatem frumenti copiam Athenas. Pro quibus bene affectos regem constituisse benefactorem. Quumque ille adeptus esset imperium, ostentavisse initia Cereris Eleusine, & mysteria instituisse, transferentem illorum morem ex Ægypto.* Alii ajunt, Cererem tunc Athenas venisse, & frumenti donatione Athenienses in illa annonæ caritate sublevasse; ideoque tunc illi ista sacra Eleusine instituta. Aristides *Eleusinia*. Ποιηταὶ, καὶ λογοποιοὶ, καὶ συγγραφεῖς πάντες ὑμνοῦσι, Κόρην τὴν Δήμητρος ἀφανῆ γενέσθαι χρόνον ἔστιν ὅν. Δήμητρα δ᾽ ἐπέρχεσθαι γῆν πᾶσαν καὶ θάλατταν, ζητοῦσαν τὴν θυγατέρα, τέως μὲν οὐν οἵαν τε εἶναι εὑρεῖν. ἐλθοῦσαν δὲ εἰς Ἐλευσῖνα, τήν τε ἐπωνυμίαν ποιῆσαι τῷ τόπῳ, καὶ τὴν Κόρην εὑροῦσαν, ποιῆσαι τὰ μυστήρια, καὶ γενέσθαι δὴ τὸν σῖτον παρὰ μὲν ταῖν θεαῖν τῇ πόλει τῶν Ἀθηναίων. *Poetæ, & historici, & scriptores omnes divulgant, Proserpinam Cereris non apparuisse per aliquod tempus. Cererem autem peragrasse terram omnem & mare, quærentem filiam, huc usque tamen non potuisse invenire. Quum vero Eleusinem venisset, & cognomen loco dedisset, & quum invenisset Proserpinam, fecisse mysteria, & contigisse frumentum ab illis quidem deabus urbi Atheniensium.* Diodorus *loco citato*. Καὶ τὴν θεοῦ δὲ παρουσίαν εἰς τὴν Ἀττικὴν γεγονυῖαν κατὰ τούτους τοὺς χρόνους παραδεδόσθαι κατὰ λόγον, ὡς ἂν τῶν ἐπωνύμων ταύτης καρπῶν κομισθέντων τότε εἰς τὰς Ἀθήνας, καὶ διὰ τοῦτο δόξαι, πάλιν ἐξ ἀρχῆς τὴν εὕρεσιν γεγονέναι τοῦ σπέρματος, δωρησαμένης τῆς Δήμητρος. ὁμολογεῖν δὲ καὶ τοὺς Ἀθηναίους, ὅτι βασιλεύοντος Ἐρεχθέως, καὶ τῶν καρπῶν διὰ τὴν ἀνομβρίαν προηφανισμένων, ἡ τῆς Δήμητρος ἐγένετο παρουσία πρὸς αὐτοὺς, καὶ ἡ δωρεὰ τοῦ σίτου. πρὸς δὲ τούτοις αἱ τελεταὶ καὶ τὰ μυστήρια τῆς θεοῦ τότε κατεδείχθησαν ἐν Ἐλευσῖνι. *Et Deæ quidem adventum in Atticam contigisse eis temporibus traditum fuisse merito, ita ut dictæ ab illa fruges importatæ sint tunc Athenas, & ideo putari, denuo inventionem contigisse seminis, benigne donante Cerere. Fateri etiam Athenienses, regnante Erechtheo, & frugibus ob siccitatem ante absumptis, contigisse adventum Cereris ad ipsos, & donationem frumenti. Insuper, initia & mysteria Deæ tunc ostentata sunt in Eleusine.* Et, ecce, Athenienses Cereri tribuebant. Quo pertinent ista Isocratis *Panegyrico*. Πρῶτον μὲν οὖν; οὗ πρῶτον ἡ φύσις ἡμῶν ἐδεήθη, διὰ τῆς πόλεως τῆς ἡμετέρας ἐπορίσθη. καὶ γὰρ εἰ μυθώδης ὁ λόγος γέγονεν, ὅμως αὐτὸν καὶ νῦν ῥηθῆναι προσήκει. Δήμητρος γὰρ ἀφικνουμένης εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτε ἐπλανήθη, τῆς κόρης ἁρπασθείσης, καὶ πρὸς τοὺς προγόνους τοὺς ἡμετέρους εὐμενῶς διατεθείσης ἐκ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς οὐχ οἷόν τε ἄλλοις ἢ τοῖς μεμυημένοις ἀκούειν, καὶ δούσης δωρεὰς διττὰς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι, τούς τε καρποὺς, οἳ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ τὴν τελετὴν, ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν. *Primum itaque, quo primum natura nostra indiguit, ab urbe nostra profectum est. Etsi enim fabulosus sermo sit, tamen illud nunc narrare decet. Quum enim Ceres pervenisset in regionem nostram, quum errasset, Proserpina rapta, quumque erga majores nostros benigne affecta esset ob beneficia, quæ nullis aliis nisi initiatis fas audire, & dedisset dona duo, quæ maxima fuerunt, fruges nempe, quæ causa fuerunt nobis ne pecorum more vivamus, & initia, quorum qui participes sunt, & de vitæ exitu, & de universo ævo dulciores spes habent.* Ac primi a Cerere initia hæc edocti sunt Triptolemus, Diocles, Eumolpus, & Celeus. Exstat hac de re Homeri fragmentum ex Hymno in Cererem apud Pausaniam *Corinthiacis*.

> Δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε, Διοκλεῖ τε πληξίππῳ.
> Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ᾽ ἡγήτορι λαῶν,
> Δρησμοσύνην ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσιν.
>
> *Docuit Triptolemum, & Dioclem frænatorem equorum,*
> *Ut & robur Eumolpi, Celeumque ducem populorum,*
> *Ministerium sacrorum, & indicavit orgia omnibus.*

Clemens *Protreptico* Baubonem nominat, Dysaulem, Triptolemum, Eumolpum, & Eubuleum. Ὤικουν δὲ τηνικάδε τὴν Ἐλευσῖνα οἱ γηγενεῖς, Βαυβὼ, Δυσαύλης, καὶ Τριπτόλεμος. ἔτι δὲ Εὔμολπός τε καὶ Εὐβουλεύς. *Habitabant vero tunc Eleusinem indigenæ ex terra Baubo, Dysaules, & Triptolemus. Adhæc Eumolpus & Eubuleus.* Ac vis scire quales fuerint? Triptolemus bubulcus, Eumolpus opilio, Eubuleus subulcus: Clemens *ibidem*. Βουκόλος ὁ Τριπτόλεμος ἦν, ποιμὴν δὲ ὁ Εὔμολπος, συβώτης δὲ ὁ Εὐβουλεύς. *Boum pastor Triptolemus erat, ovium vero Eumolpus, suum autem Eubuleus.* Arnobius variat, *lib.* v. *Qui illud temporis has partes incolebant, terrigenæ; quibus nomina hæc fuerunt: Baubo, Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Eubuleus porcorum, gregis lanitii Eumolpus.* Alii mysteriorum originem referunt ad Eumolpum, non Cererem; a quo Εὐμολπίδαι postea Athenis dicti. *Hesychius*. Εὐμολπίδαι, οὕτως οἱ ἀπὸ Εὐμόλπου ἐκαλοῦντο, τοῦ πρῶτον ἱεροφαντήσαντος. πολλοὶ δὲ γεγόνασιν ὁμώνυμοι Εὔμολποι. *Eumolpidæ, ita vocabantur qui ab Eumolpo, primo sacrorum antistite. Multi autem fuere Eumolpi cognomines.* Sed, cum plures eo nomine, ut Hesychius clare dicit, quisnam iste Eumolpus fuit? Isaacius Tzetzes ad *Lycophronem* potius quis non fuerit dicit; quam, quis fuerit. Εὔμολπος, οὐχ ὁ Θρᾷξ, κατὰ Ἴστρον, ἀλλ᾽ ὁ θεὶς τὰ μυστήρια, ἐκέλευε ξένους μὴ μυεῖσθαι. *Eumolpus, non ille Thrax, secundum Istrum, sed qui instituens mysteria, probibuit ne peregrini initientur.* Item Scholiastes Sophoclis *Oed. Col.* Ἀξιοῦσιν ἔνιοι πρῶτον Εὔμολπον ποιῆσαι τὸν Δηϊόπης τοῦ Τριπτολέμου τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καὶ οὐ τὸν Θρᾶκα. καὶ τοῦτο ἱστορεῖν Ἴστρον ἐν τῷ Περὶ τῶν ἀτάκτων. *Existimant aliqui primum Eumolpum filium Deiopes, Triptolemi nepotem instituisse mysteria, quæ in Eleusine, non autem Thracem. Illudque scribere Istrum in libro de Inordinatis.* Erat vero Eumolpus iste non Thrax, ut distingui vides; sed alius, tertius ejus nominis, Musæi filius, quintus a Thrace. Accipe stemma. Eumolpus primus, Thrax origine; hujus filius, Ceryx erat; hujus, Eumolpus secundus; hujus rursum, Antiphemus; hujus, Musæus poeta; hujus denique, Eumolpus tertius; mysteriorum, ut volunt, auctor. Docet Scholiastes Sophoclis, *loc. cit.* ex Acesodoro, & Androtione. Ἀκεσόδωρος δὲ πέμπτον ἀπὸ τοῦ πρώτου Εὐμόλπου εἶναι τὸν τὰς τελετὰς καταδείξαντα, γράφων οὕτως. Κατοικῆσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι πρῶτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας, εἶτα Θρᾶκας, τοὺς μετὰ Εὐμόλπου παραγενομένους πρὸς βοήθειαν εἰς τὸν κατ᾽ Ἐρεχθέως πόλεμον. τινὲς δέ φασι καὶ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν,

τὴν

τlὼ συντελουμϐλὼ κατ' ἐνιαυτὸν ἐν Ἐλδσῖνι Δήμητ͂ρι ϗ Κόρῃ. Ἀνδροτίων μὲν οὖν γράφει, οὐ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τlὼ μύησιν, ἀλλ' ὑπὸ τούτου Εὔμολπον πέμπτον γεγονότα. Εὐμόλπου γὰρ, γενέσθαι Κήρυκα. τοῦ δὲ, Εὔμολπον. τοῦ δὲ, Ἀντίφημον. τοῦ δὲ, Μουσαῖον τὸν ποιητlὼ. τοῦ δὲ, Εὔμολπον, τὸν καταδείξαντα τlὼ μύησιν, ϗ ἱεροφαντlὼ γεγονότα. *Acesedorus autem quintum a primo Eumolpo esse qui initia constituerit, ita scribens. Narrant autem primum indigenas inhabitasse Eleusinen, dein Thraces, qui cum Eumolpo advenerunt in auxilium belli contra Erechtheum. Quidam vero dicunt, etiam Eumolpum invenisse initiationem; quæ peragitur singulis annis Eleusine Cereri & Proserpinæ. Androtion quidem scribit, non Eumolpum invenisse initiationem, sed illum qui quintus ab isto Eumolpo natus. Nam ex Eumolpo natum Cerycem. Ex eo autem Eumolpum, a quo Antiphemus, ut ex eo Musæus poeta, ab eoque Eumolpus, qui docuit initiationem, & antistes fuit.* Male *Suidas* a secundo quintum tradit. Εὐμολπίδαι, γένος ὑπὸ τῦ Θρακὸς, ὃς ϗ τlὼ μύησιν εὗρεν. ἢ ὑπὸ τοῦ Μουσαίου ἱοῦ, ὃς lὼ ὑπὸ τῦ δευτέρου πέμπτος. *Eumolpidæ, genus a Thrace, qui & initiationem invenit. Aut a Musæo filio, qui a secundo erat quintus.* Idem error *Etymologici* quoque *Auctoris*. Εὐμολπίδαι, γένος Ἀθήνησιν. ὑπὸ Εὐμόλπυ τοῦ Θρακὸς, ὃς ϗ τlὼ μύησιν εὗρεν. ἢ ὑπὸ τοῦ Μουσαίου, ὃς lὼ ὑπὸ τῦ δευτέρου πέμπτος. *Eumolpidæ, genus Athenis. Ab Eumolpo Thrace, qui & initiationem invenit. Aut a Musæo, qui erat a secundo quintus.* Alii rursum non Eumolpo huic tertio rem assignant, sed Musæo, ejus patri. Tertullianus. *Apologetico. Orpheus Pieriæ, Musæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ, initiationibus homines obligarunt.*

CAP. III.

Deinde ubi, & qua de causa, instituta. Ceres a Celeo hospitio excepta; & ab Jambe, aut Baubone, ad risum permota. Καλλίχορον, puteus Eleusine; ad quem Eleusiniæ fœminæ primum choreas instituerunt, & hymnum Deæ cecinerunt: atque in illo mystas considere nefas. Ἀγέλαστος πέτρα. Ἄνθινον puteus. Eleusinii quanam conditione sese Athenienfibus subjecerint.

ELEUSINE instituta, res est nota. Sed quæ causa? Venit eo, Proserpinam filiam, a Plutone raptam, quærens Ceres; ac fatigata requievit juxta puteum, Καλλίχορον dictum; & a Celeo hospitio recepta, a mœrore exhilarata, atque ad risum perducta fuit. Exponit fuse Apollodorus *Bibliothecæ lib.* I. *cap.* V. Πλούτων δὲ, Περσεφόνης ἐρασθεὶς, Διὸς συνεργῦντος, ἥρπασεν αὐτlὼ κρύφα. Δήμητ͂ρ δὲ, μῦ λαμπάδων νυκτός τε ϗ ἡμέρας κῦ πᾶσαν τlὼ γlὼ ζητοῦσα περιῄει. μαθοῦσα δὲ παρ' Ἑρμιονέων, ὅτι Πλούτων αὐτlὼ ἥρπασεν, ὀργιζομένη θεοῖς, ἀπέλιπεν οὐρανόν. εἰκασθεῖσα δὲ γυναικὶ, ἧκεν εἰς Ἐλδσῖνα. ϗ πρῶτον μὲν ἐπὶ τlὼ ἀπ' ἐκείνης κληθεῖσαν Ἀγέλαστον ἐκάθισε πέτραν, παρὰ τὸ Καλλίχορον φρέαρ καλούμενον. ἔπειτα πρὸς Κελεὸν ἐλθοῦσα, τὸν βασιλεύοντα τότε Ἐλδσινίων, ἔνδον οὐσῶν γυναικῶν, ϗ λεγουσῶν τούτων παρ' αὐτὰς καθίζεσθαι, γραῖα τὶς Ἰάμβη, σκώψασα τlὼ Θεὸν, ἐποίησε μειδιᾶσαι. *Pluto autem, Proserpinam deperiens, adjuvante Jove, rapuit ipsam furtim. Ceres vero, cum lampadibus nocte & die per universam terram illam quærens circuibat. Edocta autem ab Hermionensibus Plutonem ipsam rapuisse, irata diis, reliquit cœlum. Similisque facta mulieri, pervenit Eleusinen. Et primum quidem in petram ab illa vocatam Agelastam resedit, ad puteum Callichorum dictum. Postea ad Celeum profecta, qui*

A *tunc imperabat Eleusiniis, quum intus essent mulieres, & juberent apud se ut consideret, anus quædam Jambe, deridens deam, fecit ut rideret.* Proclus *Chrestom. Gramm.* Οἱ δὲ, ὑπό τινος Ἰάμβης θεραπαινίδος, Θρᾴττης τὸ γένος. ταύτlὼ φασὶ, τῆς Δήμητ͂ρος ἀνιωμένης ἐπὶ τῇ τῆς θυγατ͂ρὸς ἁρπαγῇ, προσελθεῖν ἐπὶ τὴν Ἐλδσῖνα ἐπὶ τῇ νῦν Ἀγελάστῳ καλουμένῃ πέτ͂ρα καθημένlὼ. ϗ διά τινων χλευασμάτων εἰς γέλωτα προαγαγέσθαι τὴν θεόν. *Alii vero a quadam Jambe ministra, Thracica genere. Hanc ajunt, quum Ceres sollicita esset de filiæ raptu, venisse Eleusinem ad petram nunc Agelastam dictam. Et ob quædam jocularia ad risum provocavisse deam.* Meminit Ovid. *Fast.* IV. *v.* 502. *&c.*

B

> *Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.*
> *Hic primum sedit gelido mœstissima saxo,*
> *Illud Cecropidæ nunc quoque triste vocant.*
> *Sub Jove duravit multis immota diebus,*
> *Et lunæ patiens, & pluvialis aquæ.*
> *Sors sua cuique loco est, qui nunc Cerealis Eleusis*
> *Dicitur, hæc Celei rura fuere senis.*

Et quæ plura illic sequuntur, inspicienda. Alii & a Baubone hospitio exceptam, & risum illi concitatum ferunt modo obscœno. Clemens *Protreptico*. Καὶ δὴ, οὐ γὰρ ἀνήσω μὴ εἰπεῖν, ξενίσασα ἡ Βαυβὼ τlὼ Δηὼ, ὀρέγει κυκεῶνα αὐτῇ. τῆς δὲ ἀναινομένης λαβεῖν, ϗ πιεῖν οὐκ ἐθελούσης. πενθήρης γὰρ lὼ. περιαλγὴς ἡ Βαυβὼ γενομένη, ὡς ὑπεροραθεῖσα δῆθεν, ἀναστέλλεται τὰ αἰδοῖα, ϗ ἐπιδεικνύει τῇ θεῷ. ἡ δὲ τέρπεται τῇ ὄψει ἡ Δηὼ, ϗ μόλις ποτὲ δέχεται τὸ ποτὸν, ἡσθεῖσα τῷ θεάματι. *Quin etiam, non enim remittam non dicere, hospitio excipiens Baubo Cererem, præbet illi potum mixtum. Illa vero recusante accipere, & detrectante bibere. (erat enim luctuosa) ægerrime id ferens Baubo, utpote quæ esset contemta, revelat pudenda, & ostendit divæ. Ceres autem oblectabatur illo visu, & vix tandem admisit potum, recreata illo spectaculo.* Et ex eo fuse Arnobius *lib.* V. illic videndus. Putei Callichori, ubi consedisse Ceres commemoratur, meminit, quoque Nicander *Theriacis*, *v.* 484. &c.

C

D

> —— τὸν μέν τ' ἐρέει φάτις οὕνεκ' Ἀχαιὴ
> Δημήτηρ ἔβλαψεν, ὅθ' ἄψεα σίνατο παιδὸς
> Καλλίχορον περὶ φρέαρ, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις
> Ἀρχαίη Μετάνειρα θεlὼ δείδεκτο περίφρων.
> —— *& huic quidem dicit fama, unde Achæa*
> *Ceres læsit, quum membra læsisset pueri*
> *Callichrum circa puteum, quando in Celei ancillis Therapnis*
> *Vetusta Metanira deam excepit prudens.*

E

Callimachus *Hymno in Cererem*, *v.* 15. 16.

> Τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστης νήσου δράμες ὀμφαλὸν Ἔνναν,
> Τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ χαμάδις ἐκαθίσαο φρητί.
> *Ter autem ad pulcherrimæ insulæ cucurristi umbilicum Ennam:*
> *Ter ad Callichorum hunc desedisti puteum.*

Inde est, quod illic primum Eleusinæ mulieres chorum instituerunt, & hymnum deæ cecinerunt. Pausanias *Atticis*. Ἐλδσινίοις δέ ἐστι μὲν Τριπτολέμου ναὸς, ἔστι δὲ Προπυλαίας Ἀρτέμιδος, ϗ Ποσειδῶνος Πατ͂ρός. φρέαρ τε καλούμενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλδσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν, ϗ ᾖσαν ἐς τ͂ θεόν. *Apud Eleusinios autem est quidem Triptolemi fanum, est autem Propylææ Dianæ, & Neptuni patris. Puteusque dictus Callichorus, ubi primum Eleusiniorum mulieres chorum egerunt, & cecinerunt in laudem deæ.* Juxta hunc puteum saxum erat, in quo sedit, Ἀγέλαστος πέτρα inde dictum. Apollodorus *loco citato*. Ἧκεν εἰς Ἐλδσῖνα, ϗ πρῶτον μὲν ἐπὶ τὴν ἀπ' ἐκείνης κληθεῖσαν

F

Ἀγέλαστον ἐκάθισε πέτραν, παρὰ τὸ Καλλίχορον φρέαρ καλούμενον. *Venit Eleusinem, & primum quidem consedit in petra ab ipsa Agelasto dicta, ad puteum Callichorum vocatum.* Scholiastes Aristophanis *Equitibus*. Ἔστι δὲ καὶ Ἀγέλαστος πέτρα καλουμένη παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅπου καθίσαι φασὶ Θησέα μέλλοντα καταβαίνειν εἰς ᾅδου. ὅθεν καὶ τοὔνομα τῇ πέτρᾳ. ἢ ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅτε ἐζήτει τὴν Κόρην. *Est autem Agelastus petra vocata apud Athenienses, ubi sedisse ferunt Theseum descensurum ad inferos. Unde & petræ nomen: vel quod ibi sederit Ceres flens, quando quærebat Proserpinam.* Et quæ sequuntur, verbo tenus exscripta ex *citatis* jam Apollodori *verbis*. Proclus *Chrestom.* Ταύτην φασὶ, τῆς Δήμητρος ἀνιωμένης ἐπὶ τῇ τῆς θυγατρὸς ἁρπαγῇ, προσελθεῖν ἐπὶ τὴν Ἐλευσῖνα, ἐπὶ τῇ νῦν Ἀγελάστῳ καλουμένῃ πέτρᾳ καθημένην. *Hanc ferunt, Cerere anxia ob filiæ raptum, accessisse ad Eleusinem, insedisse petræ nunc dictæ Agelasto. Hesychius*: Ἀγέλαστος πέτρα, ἐν τῇ Ἀττικῇ. ἐφ' ἧς ἐκαθέσθη ἡ Δημήτηρ, ὅτε τὴν Κόρην ἐζήτει. *Agelastus petra, in Attica. in qua sedit Ceres, quum Proserpinam quæreret.* Ovidio *Saxum triste* dicitur, *Fast. lib.* IV. *v.* 503. 504.

> *Hic primum sedit gelido mœstissima saxo,*
> *Illud Cecropidæ nunc quoque* Triste *vocant.*

Alii volebant, sedisse Cererem non in puteo Callichoro, qui Eleusine erat, sed in alio, extra Eleusinem in via Megarensi sito, cui Ἄνθινον nomen erat. Pausanias *Atticis*. Ἑτέρα δὲ ὁδὸς ἐξ Ἐλευσῖνος πρὸς Μέγαρα ἄγει. Ταύτην ἐρχομένοις τὴν ὁδὸν, φρέαρ ἐστὶν Ἄνθινον καλούμενον. ἐποίησε δὲ Πάμφως ἐπὶ τούτῳ τῷ φρέατι καθῆσθαι Δήμητρα, μετὰ ἁρπαγὴν τῆς παιδὸς, γραῒ εἰκασμένην. *Altera via ex Eleusine ad Megaram ducit. Hanc viam egredientibus, puteus se offert floridus dictus. Finxit vero Pamphus ad illum puteum sedisse Cererem, post raptum filiæ, vetulæ similem.* Clemens *Protreptico* puteo Eleusine insedisse deam refert, sine ejus tamen nomine. Ἀλωμένη ἡ Δηὼ κατὰ ζήτησιν τῆς θυγατρὸς τῆς Κόρης, περὶ τὴν Ἐλευσῖνα, τῆς Ἀττικῆς δέ ἐστι τοῦτο τὸ χωρίον, ἀποκάμνει, καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπουμένη. *Errabunda Ceres ob investigationem filiæ Proserpinæ, circa Eleusinem, Atticæ autem est ille locus, defatigata fuit, & puteo adsedit tristis.* Quam ob rem nec mystis huic puteo insidere licitum, ne lugentem imitari viderentur. Clemens *ibidem*. Τοῦτο τοῖς μεμυημένοις ἀπαγορεύεται εἰσέτι νῦν, ἵνα μὴ δοκοῖεν οἱ τετελεσμένοι μιμεῖσθαι τὴν ὀδυρομένην. *Illud initiatis vetari mos est hodieque, ne videantur consummati imitari lugentem.* Hac itaque de causa Cereris sacra, de quibus agimus, Eleusinii acceperunt, fuitque ea res in istis repræsentata. Augustinus *de Civitate Dei*, lib. VII. cap. XX. *In Cereris autem sacris prædicantur illa Eleusinia, quæ apud Athenienses nobilissima fuerunt. De quibus nihil iste interpretatur, nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit; & ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit.* Arnobius *lib.* V. *Eleusinia illa mysteria, & sacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquisitione Ceres fessa, oras ut venit ad Atticas, triticeas attulit fruges?* Synesius in *Calvitii Encomio*, postquam de frugibus quædam dixit, addit. Ἐπὶ τούτοις Ἐλευσὶς ἄγει τὰ Δήμητρος ἀνακαλυπτήρια. *Post has Eleusis celebrat Cereris arcana.* Ludens, quæ μυστήρια alii, ἀνακαλυπτήρια dicit; in quibus nempe Cereris acta revelarentur. Minutius *Octavio* de errore Cereris ait. *Ceres, facibus accensis, & serpente circumdata, errore subreptam & corruptam Liberam anxia, & sollicita, vestigat. Hæc sunt Eleusimia.* Ac tam acriter ea semel accepta Eleusinii defenderunt, ut bello cum Atheniensibus inferiores, non alia lege sese iis submiserint, nisi ut ista retinerent. Pausanias *Atticis* luculentus mihi testis. Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεὺς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπου. καταλύονται δὲ ἐπὶ τοῖσδε τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους ὄντας, ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετήν. *Quum autem Eleusiniis pugna contingeret adversus Athenienses, occubuit quidem Erechtheus, occubuitque Immaradus Eumolpi filius, finiverunt autem hisce conditionibus bellum, ut Eleusinii ad alia Atheniensibus obedientes essent, peculiariter peragerent initia.*

CAP. IV.

In quem finem instituta crederetur. Τελετὴ *cur appellata.*

ITA autem induxerant animum, ut ad vitam corrigendam instituta existimarent. Cicero *de Leg.* lib. II. cap. XIV. *Multa eximia, divinaque, videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse; tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati, sumus: initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus.* Iterum *Verr.* V. c. LXXII. *Teque, Ceres, & Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum, ac religiones ferunt, longe maximis, atque occultissimis, cæremoniis continentur: a quibus initia vitæ, atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & civitatibus data, ac dispertita, esse dicuntur.* Phurnutus, ubi *de Cerere*. Μυστήρια δ' ἄγειν ἤρξαντο αὐτῇ, φιλοσοφοῦντες ἅμα τῇ εὑρέσει τῶν πρὸς τὸν βίον χρησίμων, καὶ τῇ πανηγύρει χαίροντες, ὡς μαρτυρίῳ χρώμενοι, τοῦ πεπαῦσθαι μαχομένους αὐτοὺς περὶ τῶν ἀναγκαίων. *Mysteria autem celebrare cœperunt illic, disserentes simul cum inventione illorum quæ vitæ utilia sunt, & festivitate gaudentes, tanquam utentes testimonio, quod quieverint bellare ipsi ob necessaria.* Arrianus in *Epictetum*, lib. III. cap. XXI. Ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεστάθη πάντα ταῦτα (de mysteriis his illi sermo est) ὑπὸ τῶν παλαιῶν. *Ad disciplinam & emendationem vitæ constituta sunt omnia hæc ab antiquis.* Quin ideo quoque initiatio Τελετὴ dicta, quia ea quandam quasi perfectionem vitæ adferre credebatur. Maximus Monachus *in* Dionysii Areopagitæ Περὶ τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας, *cap.* I. Τελετὴ λέγεται κατὰ τοὺς τῶν Ἑλλήνων φιλοσόφους, ἡ μετάδοσις τῶν μυστηρίων, ἅτε τελειοῦσα τὸν μυούμενον, καὶ τελειωτικὴ τυγχάνουσα τῶν προσιόντων τοῖς τοιούτοις. *Consummatio dicitur juxta Græcorum philosophos, traditio mysteriorum, quia perficit initium, & consummatoria sunt illorum qui ad hæc accedunt.* Iterum in Epistolam *ejusdem* ad Demophilum VIII. Καὶ τελετὰς ἐκάλουν, ὡς τελειούσας, καὶ εἰς τὸ τέλειον ἀγούσας τοὺς τελουμένους. *Et consummationes vocarunt, utpote perficientes, & ad perfectum ducentes initiatos.* Etymologici Auctor *in* Τελετή. Χρύσιππος δέ φησι, τοὺς περὶ τῶν θείων λόγους εἰκότως καλεῖσθαι τελετάς. χρῆναι γὰρ τούτους τελευταίους, καὶ ἐπὶ πᾶσι, διδάσκεσθαι. τῆς ψυχῆς ἐχούσης ἕρμα, καὶ κεκρατημένης, καὶ πρὸς τοὺς ἀμυήτους σιωπᾶν δυναμένης. μέγα γὰρ εἶναι τὸ ἆθλον, ὑπὲρ θεῶν ἀκοῦσαί τε ὀρθὰ, καὶ ἐγκρατεῖς γενέσθαι αὐτῶν. *Chrysippus autem dicit, sermones de divinis merito vocari consummationes. oportere enim illos postremos, & post omnia addisci. Animo habente stabilimentum, & corroborata, & ad non initiatos silere valida. Magnam enim esse*

luctam, & de diis audivisse recta, & illorum esse tenaces.

CAP. V.

Erant vero duplicia; Majora; ac Minora. Et hæc quidem in Herculis gratiam instituta; isque ubi initiatus.

ERANT vero hæc duplicia; Majora illa, de quorum institutione jam a nobis dictum; ista, Minora: quorum hæc origo fertur. Hercules Eurysthei jussu Cerberum ex inferis abducturus, cum descendere ad inferos, nisi initiatus, nollet; Eumolphum adit, ut ab eo initiaretur. At cum lex vetaret, peregrinum initiari; neque tamen denegare id Herculi auderet, Atheniensium amico, ac bene de illis merito; adoptavit eum Pylius, atque ita initiatus fuit. Scholiastes Homeri *Iliad.* Θ'. Τελεσθέντων τῶν τῦ Ἡρακλέους ἄθλων ἐν μηνὶ καὶ ἔτεσιν ὀκτὼ, μὴ προσδεχόμενος Εὐρυσθεὺς τόν τε τῶν Αὐγείου βοσκημάτων ἆθλον, καὶ τὸν Ὕδρας, ἑνδέκατον ἐπέταξεν ἆθλον αὐτῷ, τὸν Κέρβερον ἐξ ᾅδου κομίζειν. εἶχε δὲ οὗτος τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλὰς, τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος. μέλλων οὖν ἐπὶ τοῦτον ἀπιέναι, ἦλθε πρὸς Εὔμολπον εἰς Ἐλευσῖνα, βουλόμενος μυηθῆναι. ἦν δὲ οὐκ ἐξὸν ξένοις τότε μυεῖσθαι. διὸ γίνεται Πυλίου θετὸς υἱὸς, καὶ παραγινόμενος ἐμυεῖτο. *Quum perfecti essent Herculis labores mense & annis octo, nec admitteret Eurystheus Augiæ equorum certamen & hydræ, undecimum imposuit illi certamen, Cerberum ex inferno ducere. Habebat autem hic tria quidem canina capita, caudam vero draconis. Adversus hunc igitur egressurus, venit ad Eumolphum in Eleusina, cupiens initiari. Erat vero illicitum peregrinis tunc initiari, propterea factus est Pylii adoptivus filius, & accedens initiabatur.* Hinc Lycophroni *Alexandra* Μύστης dicitur, v. 1327. 1328.

Σὺν θηρὶ βλώξας τῷ σπάσαντι δηΐας
Μύστῃ τροπαίας μαστὸν εὔθηλον θεᾶς.
Cum leone adveniens ad convellentem exuvias
Initiatum, & victricis ubera fœcunda deæ.

Ubi *Isaacius Tzetzes*. Μύστῃ. τῷ Ἡρακλεῖ. διότι ἐμυήθη ἐν Ἐλευσῖνι τὰ δι᾽ αὐτὸν λεγόμενα μικρά. Εὔμολπος γὰρ, οὐχ ὁ Θρᾴξ, κατὰ Ἴστρον, ἀλλ᾽ ὁ θεὶς τὰ μυστήρια, ἐκέλευσε ξένους μὴ μυεῖσθαι. ἐλθόντος δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ θέλοντος μυεῖσθαι, τὸν μὲν τοῦ Εὐμόλπου νόμον φυλάττοντες, θέλοντες δὲ καὶ τὸν κοινὸν εὐεργέτην Ἡρακλέα θεραπεῦσαι, οἱ Ἐλευσίνιοι ἐπ᾽ αὐτῷ τὰ μικρὰ ἐποιήσαντο μυστήρια. *Ad Initiatum, nempe Herculem, quia initiatus est Eleusine illis quæ per eum dicuntur parva. Eumolpus enim, non Thrax, juxta Istrum, sed qui instituit mysteria, jussit peregrinos non initiari. Veniente autem Hercule Eleusina, & cupiente initiari, Eleusinii quidem legem Eumolpi servantes, volentes vero communi benefactori Herculi inservire, in eo parva peregere mysteria.* Atque hæc, ut vides, Minora dicta. Scholiastes quoque Aristophanis *ad Plutum secundam*. Μεγάλα καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελοῦντο ἐν Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. μὴ ὄντων δὲ πρότερον μικρῶν, ἐλθόντος Ἡρακλέους, καὶ θέλοντος μυηθῆναι, ἐπειδὴ νόμος ἦν Ἀθηναίοις, μηδένα ξένον μυεῖν, αἰδεσθέντες τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν, καὶ ὅτι φίλος τε ἦν τῆς πόλεως, καὶ υἱὸς τοῦ Διὸς, ἐποίησαν μικρὰ μυστήρια, ἐν οἷς αὐτὸν ἐμύησαν. *Magna & parva mysteria peragebantur in Eleusine Atticæ. Quum autem antea non exstitissent parva, veniente Hercule, & cupiente initiari, quoniam lex erat apud Athenienses, neminem peregrinum initiari, reveriti ejus virtutem, & quod propitius fuerit urbi, & filius Jovis, egerunt parva myeria, quibus ipsum initiaverunt.* Et *alibi* ad eandem fabulam. Ἔστι καὶ μικρὰ μυστήρια, γινόμενα δι᾽ Ἡρακλέα. Ἡρακλῆς γὰρ ἐπιστὰς, ἠξίου μυεῖσθαι. ἔθος δὲ ἦν τοῖς Ἀθηναίοις, ξένον μὴ μυεῖν. μὴ βουλόμενοι δὲ λῦσαι τὸ ἔθος, μηδὲ ἀπῶσαι τὸν εὐεργέτην Ἡρακλέα: ἐπενόησαν μυστήρια εὐμετάδοτα. *Sunt & parva mysteria, facta ob Herculem. Hercules enim accedens rogabat initiari. Mos vero erat Atheniensibus, peregrinum non initiare. Nolentes vero solvere morem, neque abigere benefactorem Herculem, excogitaverunt mysteria quæ facile communicari poterant.* Verum initiatio hæc Herculis ubi facta? An non Eleusine? Videtur. Ecce Homeri Scholiasten, in *citatis statim verbis*. Ἦλθε πρὸς Εὔμολπον εἰς Ἐλευσῖνα, βουλόμενος μυηθῆναι. *Venit ad Eumolpum Eleusinem, volens initiari.* Ac clare *Isaacius Tzetzes*. Ἐμυήθη ἐν Ἐλευσῖνι τὰ δι᾽ αὐτὸν λεγόμενα μικρὰ μυστήρια. *Initiatus est Eleusine mysteriis quæ propter eum parva vocantur.* Tamen alii Melitæ accidisse tradunt, Aristophanis Scholiastes *Ranis*. Ἡ Μελίτη δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾗ ἐμυήθη Ἡρακλῆς τὰ μικρὰ μυστήρια. *Melite populus Atticæ, apud quem Hercules initiatus est parvis mysteriis.* Et magna Cereri, minora Proserpinæ propria esse credebantur. Scholiastes Comici ad *citatam Plutum*. Ἦσαν δὲ τὰ μὲν μεγάλα, (μυστήρια) τῆς Δήμητρος. τὰ δὲ μικρὰ, Περσεφόνης τῆς αὐτῆς θυγατρός. *Erant autem magna (mysteria) Cereris. Parva vero, Proserpinæ ejus filiæ.*

CAP. VI.

Loco utraque diverso acta. Clementis locus emendatus. Etiam tempore. Viri magni lapsus indicatur.

SED neque in eodem loco celebrari utraque solita. Majora enim Eleusine, minora Agris habebantur. De majoribus res vulgata est; de minoribus, ecce istum *Stephani* locum. Ἄγρα, καὶ Ἄγραι, χωρίον, ἑνικῶς καὶ πληθυντικῶς. ἔστι δὲ τῆς Ἀττικῆς, πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται. *Agra, & Agræ, locus, singulariter & pluraliter. Est autem Atticæ, ante urbem, in quo parva mysteria celebrantur.* Itaque hæc etiam τὰ ἐν Ἄγρᾳ, vel ἐν Ἄγραις, appellata. Eustathius ad *Iliad.* Β'. Ἔτι δὲ καὶ Ἀγροτέρα Ἄρτεμις, ὡς καὶ ὁ Κωμικὸς δηλοῖ, ἢ καὶ Ἀγραία παρὰ Πλάτωνι κατὰ Παυσανίαν, ἀπὸ χώρας πρὸς τῷ Ἰλισσῷ. ἡ κλῆσις Ἄγρα, καὶ Ἄγραι. οὗ τὰ μικρὰ ἤγετό φησι μυστήρια, ἃ ἐλέγετο τὰ ἐν Ἄγραις. *Adhuc autem & Agrotera Diana, ut Comicus etiam indicat, quæ & Agræstis apud Platonem secundum Pausaniam, ab loco ad Ilissum. Nomen Agra est, & Agræ. Ubi parva agebantur, dicit, mysteria, quæ dicuntur in Agris.* Corruptus est hac de re insignis Clementis locus in *Protreptico*. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια, καὶ τὰ ἐν Ἁλιμοῦντι τῆς Ἀττικῆς, Ἀθήνησιν περιώρισται. *Sed illa quidem in Sagra mysteria, & quia in Alimunte Atticæ, loca Athenis vicina.* Restituendum omnino censeo. Τὰ μὲν ἐπὶ Ἄγρᾳ μυστήρια. *Illa quidem in Agra mysteria.* Porro ut non unus utrisque locus fuit, ita nec tempus. Nam majora, Boedromione mense; minora, Anthesterione acta. Plutarchus *Demetrio*. Τὰ μικρὰ (μυστήρια) τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο. τὰ δὲ μεγάλα, τοῦ Βοηδρομιῶνος. *Parva (mysteria) mense Anthesterione peragebantur. Magna vero Boedromione.* De majoribus, est videre apud Demosthenem *Olynth.* III. ubi, postquam Boedromionem dixit, ita inquit. Τούτου τοῦ μηνὸς μόλις μετὰ τὰ μυστήρια δέκα ναῦς ἀπεστείλατε. *Hoc mense fere post mysteria decem naves solverunt.* Plutarchus *Phocione*. Ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα Χαβρίας Ἀθηναίοις καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ

ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος. *Magnorum autem mysteriorum tempore vicerunt, & præbuit vini congiarium Chabrias Atheniensibus singulis annis, sexto & decimo die Boedromionis*. Et significat hæc ipsa in *Alexandro*. Ἡ μὲν οὖν σελήνη τοῦ Βοηδρομιῶνος ἐξέλιπε, περὶ τὴν τῶν μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν. *Luna itaque mense Boedromione defecit, circa mysterium Athenis initium*. Item Theophrastus in *Eth. Char.* cap. Περὶ ἀδολεσχίας. Καὶ ὡς Βοηδρομιῶνος μέν ἐστι τὰ μυστήρια, Πυανεψιῶνος δὲ Ἀπατούρια, Ποσειδεῶνος δὲ κατ' ἀγροὺς Διονύσια. *Et quemadmodum mense Boedromione mysteria sunt, Pyanepsione vero Apaturia, Posideone autem in agris Dionysia*. Pertinentque huc ista Aristidis in *Eleusinia*. Καὶ δὴ προσάγει μὲν, ὦ γῆ καὶ θεοί, τὰ μυστήρια. Βοηδρομιὼν δὲ οὗτος ἑτέρας τὰ νῦν δεῖται βοῆς. *Et appropinquant quidem, o tellus diique, mysteria. Boedromion vero hic, ut nunc est, alio clamore indiget*. De minoribus, clarus est Plutarchi locus in *Demetrio*, quem citavi; & memoria labitur vir magnus, qui Pyanepsioni asscribit. Capiendus autem de iis Philostrati locus *de vita Apollonii* lib. IV. cap. VI. Ἐς δὲ τὸν Πειραιᾶ ἐσπλεύσας περὶ μυστηρίων ὥραν, ὅτε Ἀθηναῖοι πολυανθρωπότατα Ἑλλήνων πράττουσιν, ἀνῄει ξυντείνας ἀπὸ τῆς νεὼς εἰς τὸ ἄστυ. προϊὼν δὲ, πολλοῖς τῶν φιλοσοφούντων ἐνετύγχανε, Φαληράδε κατιοῦσιν. ὧν οἱ μὲν, γυμνοὶ ἐθέροντο. καὶ γὰρ τὸ μετόπωρον εὐήλιον τοῖς Ἀθηναίοις. *In Piræum autem navigans circa mysteriorum tempus, quando Athenienses frequentissimum Græcorum conventum faciunt, adscendebat intente ab navi in urbem. Progrediens vero incurrebat in multos ex philosophis descendentibus versus Phalera: quorum nonnulli nudi æstivabant; etenim autumnus apud Athenienses calidus*. Et alter iste Maximi Tyrii, *Dissert.* XXXIII. Τὰ δὲ Ἀθηναίων τί χρὴ λέγειν; πάντα μεστὰ ἑορτῆς τὰ Ἀττικά, πάντα θυμηδίας. καὶ διέλαχον αὐταῖς ὥραι τὰς ἡδονάς. ἦρος Διονύσια, μετοπώρου μυστήρια. *Atheniensium vero res quid opus referre? omnia Attica plena festivitatis, omnia hilaritatis. Et diviserunt sibi ipsis tempora voluptates; veris Dionysia, autumni mysteria*. Uterque autumni tempus indicat; & Anthesterion, uti volunt, Novembri Romanorum respondet.

CAP. VII.

In Majoribus initiari, in Minoribus prælustrari moris erat, ac præparari; idque ad Ilissum flumen. Lustrandi autem in pelle victimæ, Jove immolatæ, a daducho statuebantur. Ad lustrationem istam quæ adhibita. Ἴμερα, sive Ἴσμερα. Qui lustrabat, Ὑδρανὸς dictus. Sacra quoque, & vota, facta; & castitati opera data. Arrianus emendatus. Sacra autem porco facta, eoque fœmina, gravidaque; quam abluebant in portu Cantharo. Plutarchi locus restitutus.

IN Majoribus initiari solebant. Indicat Aristophanes *Pluto* Act. IV. Sc. II. v. 23.

Μῶν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

Num igitur initiatus es in ipsa (veste) magnis.

In Minoribus lustrabantur, & initiationi præparabantur. Scholiastes Comici, *loco citato*. Ἔστι τὰ μικρὰ (μυστήρια) ὥσπερ προκάθαρσις, καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων. *Sunt parva (mysteria) tanquam præcedens purgatio, & præparatio magnorum*. Ac lustrari quidem solitos, qui initiari cuperent, res est certa. Sopater in *Divis. Quæst.* Μέλλων δὲ τοῖς καθαρσίοις, τοῖς πρὸ τῆς τελετῆς, ἐντυγχάνειν, ἐκάλουν εὐδαίμονα ἐμαυτόν. *Ad lustrationes vero solitas ante initia, accessurus, vocarunt beatum me*. Idque ad Ilissum flumen. Polyænus *l.* V. *c.* XVII. §. I. Ταῦτα μὲν δὴ συνέθεντο παρὰ τὸν Ἰλισσὸν, οὗ τὸν καθαρμὸν τελοῦσι τοῖς ἐλάττοσι μυστηρίοις. *Hæc quidem transegerunt ad Ilissum, ubi lustrationem peragunt minoribus mysteriis*. Hinc est, quod Ilissi μυστικαὶ ὄχθαι dicuntur ab Himerio in *Eclogis Declam.* Πατρικὸν ὄλβον ῥίψας εὐδαίμονα, παρ' Ἰλισσοῦ μυστικαῖς ὄχθαις ἐσκήνημαι. *Paternam felicitatem projiciens beatam, ad Ilissum, juxta ripas mysticas tentorium fixi*. Et Ilissus θεσπέσιος apud Dionysium in *Periegesi* v. 424.

Τοῦ διὰ θεσπεσίη φέρεται ῥόος Ἰλισσοῖο.

Per quam divini fertur fluxus Ilissi.

Lustrandi autem in pelle victimæ, Jovi immolatæ, unde Διὸς κώδιον dicta, a daducho statuebantur. *Suidas*, Διὸς κώδιον, οὗ τὸ ἱερεῖον Διῒ τέθυται. θύουσί τε τῷ Μειλιχίῳ καὶ τῷ Κτησίῳ Διΐ. τὰ δὲ κώδια τούτων φυλάσσουσι, Διὸς προσαγορεύοντες. χρῶνται δ' αὐτοῖς, οἵ τε Σκιρροφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες, καὶ ὁ δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ ἄλλοι τινες, πρὸς τοὺς καθαρμοὺς, ὑποστρωννύοντες αὐτὰ τοῖς ποσὶ τῶν ἐναγῶν. *Jovis vellus, cujus victima Jovi immolata est. Mactant enim & Milichio & Ctesio Jovi. Vellera vero earum servant, Jovis prædicantes. Utuntur autem illis, & qui Scirophoriorum pompam parant, & daduchus Eleusine, & alii quidam, ad lustrationes, substernentes illa pedibus eorum qui nefas fecerunt*. Fiebat autem variis modis. Procopius Gazæus in *Deuteronomium*. *Quid igitur de purificationibus in lege constitutis dicemus? Primum quidem, præ se figuram purificationis melioris ferre; insuper vero, a Græcanicis differre: quod eæ cum incantationibus, salibus, lauro, bordeo, mari, & transitione per ignem, fieri solebant*. Quin flores quoque, & corollæ, huc allatæ; eaque Ἴμερα nuncupata. *Hesychius*. Ἴμερα, τὰ πρὸς τοὺς καθαρμοὺς φερόμενα ἄνθη, καὶ στεφανώματα. Ἴμερα, *flores ad lustrationes ferri sueti, & corollæ*. Alii Ἴσμερα appellabant. Itaque in iisdem Hesychii *Glossis* alibi reperies. Ἴσμερα, τὰ εἰς τοὺς καθαρμούς. Ἴσμερα, *quæ ad lustrationes*. Nempe ex duplici ejusdem vocis lectione duplicem nobis glossam dedit doctissimus Grammaticus. Qui vero initiandos lustraret, Ὑδρανὸς nuncupabatur. Idem *Hesychius*, Ὑδρανὸς, ἁγνιστὴς τῶν Ἐλευσινίων. Ὑδρανὸς, *sacrator Eleusiniorum*. Præterea sacris prius, & votis etiam, rite factis, ac præmisso castitatis exercitio, initiari sese dignos efficiebant: alias nihil profutura initiatio putabatur. Arrianus in *Epictetum* lib. III. cap. XXI. Καὶ παρὰ τόπον ταῦτα ὠφελεῖ, καὶ παρὰ καιρὸν, καὶ μετὰ θυσίας δὲ, καὶ μετ' εὐχῶν, καὶ προηγνευκότα, καὶ προδιακείμενον τῇ γνώμῃ, ὅτι ἱεροῖς προσελεύσεται, καὶ ἱεροῖς παλαιοῖς. οὕτως ὠφέλιμα γίνεται τὰ μυστήρια. *Et ad locum hæc prosunt, & ad tempus, & vero cum sacrificio, & cum precibus, & castitate usum, & ante præparatum animo, quia sacris accedit, & sacris vetustis. Hoc modo utilia fiunt mysteria*. Et mox corrigendus idem *eodem loco*, in re eadem. Σὺ δὲ ἐξαγγέλλεις αὐτὰ, (τὰ μυστήρια.) καὶ ἐξορχῇ, παρὰ καιρὸν, παρὰ τόπον, ἄνευ θυμάτων, ἄνευ ἁγνείας. *Tu vero enuntias illa (mysteria) & profanas, ob tempus, ob locum, sine sacrificiis, sine castimonia*. Perperam editur. ἄνευ θυμυμάτων, ἄνευ ὑγιείας. Ac meminit quoque lustrationis præmissæ, & castitatis, Schol. Comici, in *verbis citatis*; & *Clemens*, statim mihi laudandus. Hostia autem, quam, qui initiari vellent, immolabant, porcus erat. Trygæus apud Aristophanem *Pace*, v. 439. 440.

Ἐς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.
Δεῖ γάρ μυηθῆναί με, πρὶν τεθνηκέναι.
Ad porcum mihi nunc fœnerato tres drachmas.
Oportet enim initiari me, antequam moriar.

Ubi *Scholiastes*. Τοῖς μυουμένοις ἐστὶν ἔθος χοιρίδιον θύειν ἐξ ἀνάγκης. *Initiatis mos est porcum mactare ex necessitate*. Itaque χοιρία μυστηρικὰ dicit *Acharnensibus*, v. 738.

Χησεῖτε φωνὰν χοιρίων μυστηρικῶν.
Effundite vocem porcarum mystericarum.

Et *mox*, v. 753. χοίρους μυστικάς. *porcas mysticas*.

ΔΙ. Τί δαὶ φέρεις; ΜΕ. χοίρους ἐγώνγα μυστικάς.
DI. *Quid igitur fers?* ME. *porcas ego mysticas.*

Ad quem locum *Scholiastes*. Διὰ τὸ ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς Δήμητρος θύεσθαι χοίρους. *Quia in mysteriis Cereris mactantur porcæ*. Et observa, quod dicat χοίρους μυστικά, genere fœminino; immolabant enim porcum fœminam, ut cum Veteribus dicam. Varro *de Re Rust.* lib. II. cap. IV. *Ab suillo genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur. cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur.* Et quidem gravidam. *Phurnutus*. Θύουσι δὲ ὗς ἐγκύμονας Δημήτρει. πάνυ οἰκείως. τὸ πολύγονον, καὶ εὐσύλληπτον, καὶ τελεσφόρον, καθιστάντες. *Mactant autem sues gravidas Cereri. omnino apte. aliquid fecundum, & concipiens facile, & fœtum perferens, constituentes*. Vides caussam; quia id animal valde fecundum, & facile conciperet, fœtumque perferret. Prius vero, quam mactarent, in portu Cantharo abluebant. Docet nos hanc rem Plutarchus *Phocione*. Μύστην δὲ, λούοντα χοιρίδιον ἐν καθαρῷ λιμένι, κῆτος συνέλαβε, καὶ τὰ κάτω μέρη τοῦ σώματος ἄχρι τῆς κοιλίας κατέπιε. *Mystam autem, lavantem porcum in Cantharo portu, cete corripuit, & inferiores partes corporis usque ad ventrem deglutivit*. Sed corruptum locum censeo, ac restituendum omnino, Ἐν Κανθάρῳ λιμένι. Nam Cantharus erat unus e tribus Piræei portubus, ut nuper docui lib. *de Populis Atticæ*, in Πειραιεύς.

CAP. VIII.

In Minoribus, Μύσται *dicti erant; in Majoribus vero*, Ἐπόπται. *Unde* Ἐποπτεύειν *illi; ipsa sacra*, Ἐποπτικὰ *dicta. Demetrius præter morem solitum eodem tempore mysta, & epopta, factus. Mystarum locus in vestibulo, Epoptæ intra adytum admissi. Ac facti Epoptæ tantum Majoribus, idque quo temporis intervallo. Plutarchi locus emendatus.*

UT autem recte rem teneamus; lustratio ista, cæteraque minoribus mysteriis præmitti solita: in ipsis vero, doctrinæ arcana fundamenta accipiebant; ut in magnis plene demum de omnibus mox edocebantur. Clemens *Strom.* V. Οὐκ ἀπεικότως ἄρα καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. μετὰ ταῦτα δέ ἐστι τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων. τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων. οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ, καὶ περινοεῖν τὴν φύσιν, καὶ τὰ πράγματα. *Non indecenter ergo & mysteria, quæ apud Græcos, incboant lustrationes, quemadmodum & apud barbaros lavacrum. Post hæc autem sunt parva mysteria, doctrinæ quoddam fundamentum habentia, & præparationis futurorum: Magna vero, universorum. Discere non amplius restat, contemplari autem, & comprehendere naturam, & ipsa facta*. Iterum *Strom.* VII. Καὶ πρὸ τῆς τῶν μυστηρίων παραδόσεως καθαρμούς τινας προσάγειν τοῖς μυεῖσθαι μέλλουσιν ἀξιοῦσιν. ὡς δέον, τὴν ἄθεον ἀποθεμένους δόξαν, ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τρέπεσθαι παράδοσιν. *Et ante mysteriorum traditionem lustrationes quasdam adhibendas initiari volentibus censent. Utpote quum oporteat, impiam deponentes opinionem, ad veram converti traditionem*. Huc pertinent, quæ antea dixerat, initio *Strom.* IV. Τότε δὴ τὴν τῷ ὄντι γνωστικὴν φυσιολογίαν μέτειμεν, τὰ μικρὰ πρὸ τῶν μεγάλων μυηθέντες μυστηρίων. *Itaque tunc revera cognoscendam naturæ contemplationem aggredimur, parvis ante magna initiati mysteria*. Et hæc est, quæ Τελετὴ dicitur Proclo, in *Plat. Theol.* lib. IV. cap. XXVI. Προηγεῖται γὰρ, ἡ μὲν τελετὴ, τῆς μυήσεως. αὕτη δὲ, τῆς ἐποπτείας. *Præponitur enim perfectio quidem initiationi. Illa vero contemplationi*. Sed nihilominus hæc mysteriis accensa. Inde Clemens *Strom.* I. Ἀγὼν γὰρ καὶ ὁ προαγὼν, καὶ μυστήρια τὰ πρὸ μυστηρίων. *Certamen enim & præludium certaminis, & mysteria sunt quæ præcedunt mysteria*. Atque ita accipienda Polyæni *verba, supra citata*; in quibus ait, lustrationem fieri solitam minoribus mysteriis, quæ tamen illa antecedebat. Ad minora admissi, Μύσται; ad Majora, Ἐπόπται dicti. Ac notat discrimen Suidas *in* Ἐπόπτης. Διαφέρει μύστης καὶ ἐπόπτης. Scholiastes Aristophanis *Ranis*. Σύμμαχος οὕτως αὐτῇ τῇ λέξει φαίνεται συνεχῶς λέγειν. εὐφημοῦντες τὴν τῶν μυστηρίων ἐποπτείαν. οἱ δὲ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες, μύσται καλοῦνται. οἱ δὲ παραλαβόντες αὐτὰ τῷ αὖθις ἐνιαυτῷ, ἐφορῶσι τὰ μυστήρια, καὶ ἐποπτεύουσι. *Symmachus ita ipso hoc dicto videtur continenter loqui. Celebrantes mysteriorum contemplationem. Qui vero ea suscipiunt sequenti postea anno, inspiciunt mysteria & contemplantur*. Suidas ex eo. Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες, λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύσται. μετ' ἐνιαυτὸν δὲ, ἐπόπται, καὶ ἔφοροι. *Qui mysteria suscipiunt, dicuntur in principio quidem mystæ: post annum vero contemplantes, & inspectores*. Plutarchus *in Alcibiade*. Τοὺς δ' ἄλλους ἑταίρους, μύστας προσαγορεύοντα, καὶ ἐπόπτας. *Reliquos vero sodales mystas appellantem, & contemplantes*. Himerius in *Eclogis*, *in Dialogi Procemio*. Οὐ μιμησάμενος τὸν μυστικὸν νόμον, ὃς ἐπόπτη τε καὶ μύστῃ μερίζει τὸν χρόνον, ἀλλὰ τὸν αὐτὸν ἐν ταυτῷ μύστην τε ὁμοῦ καὶ προφήτην τῆς ἱερᾶς τελετῆς τῶν ἐν σοὶ λόγων δεξάμενος, ἔδωκας ἀπλήστως τῶν ἐκεῖθεν ναμάτων ἐμπλήσασθαι. *Non imitatus mysticam legem, quæ contemplanti & mystæ distribuit tempus, sed ipsum eodem tempore mystam simul & prophetam sacræ initiationis sermonum in te excipiens, dedisti ita facultatem replendi ex his scaturiginibus, ut satietas non fatigaret*. Philochorus Ἀτθίδος *lib.* X. apud Harpocrationem *in* Ἀνεπόπτευτος. Τὰ ἱερὰ οὗτος ἀδικεῖ πάντα, τά τε μυστικὰ, καὶ τὰ ἐποπτικά. *Sacra ista ille violat omnia, & mystica & epoptica*. Et minora erant quasi προτέλεια quædam, & præparatio, ad majora. Huc pertinet iste Euripidis *versus:*

Ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.
Somnus parva mortis mysteria.

Estque elegantissimus locus Marini, in *Vita Procli*. Ἀχθέντα δὲ διὰ τούτων ἱκανῶς ὥσπερ διά τινων προτελείων, καὶ μικρῶν μυστηρίων, εἰς τὴν Πλάτωνος ἦγε μυσταγωγίαν, ἐν τάξει, καὶ οὐχ ὑπερβάθμιον πόδα, κατὰ τὸ λόγιον, τείνοντα. καὶ τὰς παρ' ἐκείνῳ θείας ὄντως τελετὰς ἐποπτεύειν ἐποίει. *Deductum vero per illa ad modum veluti per quædam præparationes sacras, & parva mysteria, ad Platonis duxit mystagogiam, ordine, & non immodicum progressum, secundum oraculum, intendentem. Et quæ apud illum divinæ vere exstant initiationes, contemplari faciebat*. Et Themistii, Orat. *in patris obitum*. Καὶ τὸ σχῆμα ὅλον μονονοὺ δῆθεν ἐπῆν Ἀριστοτέλους τοῖς μυστηρίοις, ἅπαντα δὲ ὅμως συνανεῴγνυτο τῶν σοφῶν τὰ ἀνάκτορα, καὶ συνεπώπτευσας ἂν τὰ ἱερά. *Et quod ad faciem tantum non universam videlicet inhærebat Aristotelis mysteriis, omnia nibi-*

lominus simul cognovit sapientium templa, & utique A *simul contemplatus & mysteria*. Et in altera ad Jovianum Imp. Ἔξω τοῦ νεὼ τὰ προτέλεια μυήσας, εἰς τὰ ἀνάκτορα τὴν τελετὴν καταθήσεται. *Extra aedem praeparationes sacras docens, in templis initiationem persolvet*. Itaque duplex erat μύησις; prior, minoribus; secunda, majoribus mysteriis fiebat; post quam Ἐπόπται, ut post primam Μύσαι, dicti; ut jam ostendi. Pertinentque eo *Harpocrationis* verba, in Ἐπωπτευκότες. Οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει, Ἐποπτεύειν λέγονται. *Initiati Eleusine in secunda initiatione, contemplari dicuntur.* Et epoptam factum esse, Ἐποπτεύειν indigetabant. B In *citatis* Harpocrationis *verbis*. Ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει ἐποπτεύειν λέγονται. *In secunda initiatione contemplari dicuntur*. Xiphilinus in *Hadriano*. Ἀφικόμενος δὲ ἐς τὴν Ἑλλάδα, ἐπώπτευσε τὰ μυστήρια. *Perveniens autem in Graeciam, contemplatus est mysteria*. Aristophanes *Ranis*, *v.* 755. 746.

—— μάλα γ᾽ ἐποπτεύειν δοκῶ,
Ὅταν καταράσωμαι λάθρα τῷ δεσπότῃ.
—— *potius quidem contemplari videor,*
Quando devovebo clam dominum,

Plutarchus in *Demetrio*. Ἐπώπτευον δὲ τὸ πλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλείποντες. *Contemplabantur autem minimum ab magnis annum intermit-* C *tentes*. Hinc sacra Ἐποπτικά, in citatis Philochori verbis; & apud Platonem in *Symposio*. Ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐρωτικὰ ἴσως κἂν σὺ μυηθείης, τὰ δὲ τέλεα, καὶ ἐποπτικά, ὧν ἕνεκα καὶ ταῦτά ἐστιν, ἐάν τις ὀρθῶς μετίῃ, οὐκ οἶδ᾽ ἂν οἷός τ᾽ εἴης. *Illa quidem igitur amatoria fortasse si & tu edoctus sis, perspecta vero, & contemplativa, quorum causa etiam haec sunt, si quis recte perpendat, nescio qualis fueris*. Plutarchus *Demetrio*. Μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν, ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν, παραλαβεῖν. *Doceri, & universam initiationem a parvis usque ad contemplativa, accipere*. Nec epoptis fieri licebat, nisi majoribus his mysteriis. Itaque inusitatum fuit D in Demetrio, qui simul ac semel mysta, & epopta, fieri voluit. Qua de re est iste Plutarchi locus, in *ejus Vita*. Τότε δ᾽ οὖν ἀναζευγνύων εἰς τὰς Ἀθήνας, ἔγραψεν, ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν, ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν, παραλαβεῖν. τοῦτο δ᾽ οὐ θεμιτὸν ἦν, οὐδὲ γεγονὸς πρότερον. *Tunc autem revertens Athenas, scripsit, velle quum illuc advenisset statim institui, & initiationem universam, a parvis usque ad contemplativa accipere. Illud vero non receptum erat, neque factum antea*. Et Philochori e *decimo* Ἀτθίδος, apud *Harpocrationem* in Ἀνεπόπτευτος. Δημητρίῳ μὲν οὖν ἴδιόν τι ἐγένετο παρὰ τοὺς ἄλλους, τὸ E μόνον ἅμα μυηθῆναι καὶ ἐποπτεῦσαι, καὶ τοὺς χρόνους τῆς τελετῆς τοὺς πατρίους μετακινηθῆναι. *Demetrio quidem igitur proprium quid contigit praeter alios, ut solus simul initiaretur & contemplaretur, & tempora initiationis patria commutarentur*. Ac mystae, in sacrarii tantum vestibulo consistebant; epoptae facti, intra ipsum adytum admittebantur. Colligere est e Senecae loco, *Nat. Quaest.* lib. VII. cap. XXXI. *Non semel quaedam sacra traduntur. Eleusis servat, quod ostendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus; in vestibulo ejus haeremus. Illa arcana non* F *promiscue neque omnibus patent. Reducta, & interiore sacrario clausa, sunt*. Psellus Ἀναγωγαῖς, ubi de *Sphinge*. Ἐπὶ τῶν λεγομένων τελετῶν, τὰ μὲν ἄδυτα ἦν, ὡς δηλοῖ καὶ τοὔνομα· τὰ δὲ παραπετάσματα προβέβληται, ἀθέατα τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις φυλάττοντα. ἐν δὲ ταῖς Ἐλευσινίαις, ἀνεμίγνυντό τε ταῦτα, καὶ ἀνεγυμνοῦτο τὰ κεκρυμμένα. ἐγίνετο γὰρ τοῦτο ἐν περιόδοις ἐτῶν, ἵνα μὴ τὰ ἀβέβηλα βεβήλοις πολλάκις ὀπτάνοιτο. *Quod ad initiationes, quae dicuntur, alia quidem adyta vel recondita erant, ut innuit* A *etiam nomen. Vela autem propendebant, invisibilia, quae in adytis, custodientia. In Eleusiniis vero, commiscentur illa, & revelantur occultata. Fiebat enim illud in circuitu annorum, ne profana sacrosanctis mixta saepius cernerentur*. Huc pertinent ista quoque Procli in *Timaeum*, Commentario II. Τῶν ὑπὸ τῆς τελεστικῆς ἱδρυμένων ἀγαλμάτων τὰ μέν ἐστιν ἐμφανῆ (ita lego, non ἀφανῆ.) τὰ δὲ ἔνδον ἀποκρύπτεται, σύμβολα τῆς θεῶν παρουσίας, ἃ καὶ μόνοις ἐστὶ γνώρισμα τοῖς τελεσταῖς. *Imaginum per consecrationem positarum aliae quidem sunt conspicuae, alae vero intus absconduntur, pignora deorum praesentiae, quae etiam solis sunt notae conse-* B *crantibus*. Et ecce, ne epoptis quidem, atque in adyta jam admissis, omnia revelabantur; sed adservabantur quaedam, non adspicienda ulli, praeter quam ipsis sacrorum praefectis, qui mystas, epoptasque, creabant. Fiebant vero epoptae in magnis mysteriis, ut jam dixi; id est, quinto demum anno; nam singulis quinquenniis ea celebrari solita. Tertullianus *Adversus Valentinianos*. *Nam & illa Eleusina haeresis, & ipsa Atticae superstitionis, quod tacent, pudor est. Idcirco aditum prius cruciant; diutius consignant, quam initiant: cum epoptas ante quinquennium instituunt, ut opi-* C *nionem suspendio cognitionis aedificent*. Atque hoc de iis est capiendum, qui ipsis mysteriis majoribus initiabantur; nam quos primis minoribus initiari contigisset, iis opus quadriennium exspectare; quos secundis, triennium; quos tertiis, biennium; quos quartis, unum tantum annum: idque minimum intervallum omnium erat. Et de his Plutarchus sentit in *Demetrio*. Ἐπώπτευον δὲ τὸ πλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. *Conspiciebant autem minimum ab magnis annum interponentes*. Sed luxatus, corruptusque, iste locus; & legendum, Ἐπώπτευον δὲ ἐπὶ τῶν μεγάλων, τὸ ἐλάχιστον ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. *Conspiciebant* D *autem in magnis, minimum interponentes annum*. Epoptae enim fiebant in magnis, anno minimum uno, postquam mystae facti essent; non autem post magna anno uno, in minoribus: quod ista lectio prae se fert.

CAP. IX.

Initiatio noctu facta. Initiandi in sacello Agrae exiguo; Eleusine in amplissimo, mysteriorum leges, ac ritus, accipiebant. Erant vero myrto coronati; ac templum ingressi manus sibi abluebant.

E NUNC mysteria inspiciamus; & qui circa ea ritus. Ac primo sciendum, noctu fieri initiationem solitam. Inde Cicero *de Leg.* lib. II. cap. XIV. *Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidaeque nostri, & antiqua illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus?* Scholiastes Aristophanis *Ranis*. Νύκτωρ ἐτελεῖτο τὰ μυστήρια. *Noctu peragebantur mysteria*. Gregorius Nazianzenus *Orat.* Εἰς τὰ ἅγια φῶτα. Αἰσχύνομαι γὰρ ἡμέρᾳ δοῦναι τὴν νυκτὸς τελετήν. *Pudet enim diei dare noctis initiationem*. Evagrius *Hist. Eccles.* lib. I. cap. XI. Καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καθ᾽ ἓν μόνον ἐπαινετά, ὅτι γε ἥλιος οὐχ ὁρᾷ, ἀλλὰ τῷ F σκότῳ συνοικεῖν κατεκρίθησαν. *Et quae Eleusine mysteria, ob unam rem tantum laudanda, quod sol non videat, sed tenebris habitare condemnata sint*. Qui initiarentur illis, in sacello quodam exiguo, mysteriorum participes fiebant. Indicat hoc Dion Chrysostomus *Orat.* XII. Κοινῇ δὲ ξύμπαν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, τὴν ὁλόκληρον καὶ τῷ ὄντι τελετὴν μυούμενον, οὐκ ἐν οἰκήματι μικρῷ, παρασκευασθέντι πρὸς ὑποδοχὴν ὄχλου βραχέως ὑπὸ Ἀθηναίων, ἀλλ᾽ ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ, ποικίλῳ καὶ σοφῷ δημιουργήματι, μυρίων ἑκάστοτε θαυμασίων φαινομένων. *Communi-*

ter autem omne hominum genus, integram & vere perfectam initiationem edoctum, non in domicilio parvo, exstructo ad receptaculum turbæ parvæ ab Atheniensibus, sed in hoc mundo, variegato & sapiente opifiuio, innumeris identidem admirandis apparentibus. Atque hoc de minoribus mysteriis accipiendum, quæ celebrari Agræ solita, ut jam supra commemoravi: nam majoribus, quæ celebrata Eleusine, si initiatio fieret, in templo etiam Eleusinio, in sacello, quod amplissimum, illa facta. Designat illud idem Dion, in *eadem Oratione*. Σχεδὸν ὖν ὅμοιον, ὥσπερ εἴτις ἄνδρα Ἕλλωα, ἢ βάρβαρον, μυεῖσθαι παραδιδὺς, εἰς μυστικόν τινα οἶκον, ὑπερφυῆ κάλλει καὶ μεγέθει, πολλὰ μὲν ὁρῶντα μυστικὰ θεάματα, πολλῶν δὲ ἀκούοντα τοιούτων φωνῶν, σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ αὐτῷ φαινομένων, ἄλλων τε μυρίων γινομένων. *Fere igitur simile, ac si quis virum Græcum, vel barbarum, sacris instituendum tradens, in mysticam quandam domum, eminentem pulchritudine & magnitudine, multa quidem videntem mystica spectacula, multas vero audientem tales voces, tenebris & luce alternatim ei apparentibus, aliisque innumeris contingentibus.* & quæ sequuntur. Hoc ipsum intelligit Arrianus in *Epictetum*, lib. III. cap. XXI. Τί ἄλλο ποιεῖς ἄνθρωπε, ἢ τὰ μυστήρια ἐξορχῇ, καὶ λέγεις· Οἴκημά ἐστι καὶ ἐν Ἐλευσῖνι, ἰδὲ καὶ ἐνθάδε. ἐκεῖ ἱεροφάντης, ἐγὼ ποιήσω ἱεροφάντην. *Quid aliud facis homo, an mysteria profanas, & dicis. Ædes est etiam in Eleusine, ecce & hic. Illic antistes, & ego faciam antistitem.* Estque hic locus, qui Μυστοδόκος δόμος dicitur Aristophani in *Nubibus*, *Act.* I. *Sc.* IV. *v.* 26. &c.

—— εὔανδρον γᾶν
Κέκροπος ὀψόμεναι πολυήρατον.
Οὗ σέβας ἀῤῥήτων ἱερῶν, ἵνα
Μυστοδόκος δόμος
Ἐν τελεταῖς ἀναδείκνυται.

—— viris copiosam terram
Cecropis contuentes multum amabilem.
Cujus cultus reconditorum sacrorum, ubi
Mysteria recipiens ædes
In initiis sanctis offenditur.

Straboni nuncupatur Μυστικὸς σηκὸς, *lib.* IX. Εἶτα Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς Ἐλευσινίας, καὶ ὁ μυστικὸς σηκὸς, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος, ὄχλον θεάτρου δέχεσθαι δυνάμενον. *Dein Eleusin urbs, in qua Cereris templum Eleusiniæ, & mysticum septum, quod extruxit Ictinus, turbam theatri recipere valens.* Ubi observa; si tanta fuit τοῦ μυστικοῦ σηκοῦ amplitudo, quantam oportet templi fuisse. Erant vero corona mytea caput redimiti. Isaacius Tzetzes in *Lycophronem*. Οἱ μυούμενοι μυρσίνῃ ἐστέφοντο. *Initiandi myrtea coronabantur.* Scholiastes Comici *Ranis*. Μυρσίνης στεφάνῳ ἐστεφανοῦντο οἱ μεμυημένοι· οὐχ, ὥς τινες νομίζονται, κισσίνῳ. *Myrti corona cingebantur initiandi; Non, ut quidam putant, hederacea.* Ac templum cum ingrederentur, manus sibi, sumpta e sacro malluvio aqua, abluebant. Accipio ex Lysia, *Orat.* in Andocidem. Καὶ ἁπτόμενα τοῖς ἱεροῖς, περὶ ἃ ἠσέβησεν. εἰσῆλθεν εἰς τὸ Ἐλευσίνιον, ἐχερνίψατο ἐκ τῆς ἱερᾶς χέρνιβος. *Et incidit in sacra, circa quæ impie egit. Ingressus est Eleusinium, manus lavit ex sacro gutturnio.*

CAP. X.

Illic, mentem prius, manusque puras habere jussi, & peritiam linguæ Græcæ, ritus mysteriorum prælectos describebant. Πέτρωμα. *Libri rituales. Inde nonnulla interrogati, solennia quædam respondebant.*

AC principio, cum cætera puri esse jussi, tum manus quoque, mentemque, puras ut haberent, & linguam Græcam, jubebantur. Libanius *Declam.* XIX. Ἐπεὶ δὲ μυστηρίων ἐμνημόνευσα, βούλομαί τι τῶν ἐκεῖθεν εἰπεῖν. ἔστι δὲ οὐ τῶν ἀῤῥήτων, ὃ μέλλω λέγειν. οὗτοι γὰρ τά τ' ἄλλα καθαροῖς εἶναι τοῖς μύσταις ἐν κοινῷ προαγορεύουσιν, οἷον τὰς χεῖρας, τὴν ψυχὴν, τὴν φωνὴν Ἕλλωας εἶναι. *Quoniam autem mysteriorum memini, volo quid eorum illinc dicere. Est autem non ineffabilium, quod dicturus sum. Illi enim & alia puros esse initiatos in communi jubent, nempe ut manus, animam & vocem Græci sint.* Ac quod ad manuum puritatem attinet, est *mox* alius quoque locus. Ἀπὸ τῆς Ἐλευσῖνος, οὐ καθαροῖς ἥκειν τὰς χεῖρας τοῖς μύσταις προαγορεύουσιν. *Ab Eleusinis, quo puris venire manibus initiatis mandant.* Tum mysteriorum ritus ipsis legi, prolatis libris e lapidibus duobus, inter se coagmentatis quam aptissime, quod Πέτρωμα appellabant, in quo illi asservati. Disco e Pausaniæ *Arcadicis*; ubi, de Pheneatis agens, eodem illos cum Atheniensibus modo Eleusinia celebrasse commentatur. Φενεάταις δὲ Δήμητρός ἐστιν ἱερὸν Ἐλευσινίας, καὶ ἄγουσι τῇ θεῷ τελετὴν τὰ ἐν Ἐλευσῖνι δρώμενα, καὶ παρὰ σφίσι τὰ αὐτὰ φάσκοντες καθεστηκέναι. Παρὰ δὲ τῆς Ἐλευσινίας τὸ ἱερὸν πεποίηται Πέτρωμα καλούμενοι λίθοι δύο, ἡρμοσμένοι πρὸς ἀλλήλους, μεγάλοι. ἄγοντες δὲ παρὰ ἔτος ἣν τινα τελετὴν μείζονα ὀνομάζουσι, τοὺς λίθους τούτους τηνικαῦτα ἀνοίγουσι, λαβόντες γράμματα ἐξ αὐτῶν, ἔχοντα τὰ ἐς τὴν τελετὴν, καὶ ἀναγνόντες ἐπήκοον τῶν μυστῶν, κατέθεντο ἐν νυκτὶ αὖθις τῇ αὐτῇ. *Pheneatis autem etiam Cereris est templum Eleusiniæ, & celebrant deæ initia quæ in Eleusine fiunt, & apud se illa ipsa dicentes constituta. Prope vero Eleusiniæ fanum factum est Petroma, ut vocantur lapides duo, conjuncti invicem, magni. Celebrantes autem quotannis festum, quod initio magna vocant, hos lapides tunc aperiunt, accipientes litteras ex illis, habentes illa quæ ad initia pertinent, & quum legerunt ita ut exaudierint mystæ, deponebant rursus in eadem nocte.* Vides autem in *citatis istis verbis* e lapide gemino constructum opus, Πέτρωμα dictum, recondendis illic libris ritualibus. Neque dubium, quin Athenis idem fuerit: si quidem, ut *Pausanias* docet, Pheneatæ eadem cum Atheniensibus omnia habuerint. Atque hos ritus, sibi prælectos, initiandi describebant. Tertullianus *Apol. Volentibus initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum adire; quæ præparanda sint, describere.* Quod ad libros rituales vero attinet, eorum quoque mentio occurrit apud Galenum, Περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως, *ipso initio libri* VII. Καὶ μυστηρίων βίβλους ἐτόλμησαν ἔνιοι τῶν ἀμυήτων ἀναγινώσκειν, ἀλλ' οὔτ' ἐκείνας ἔγραψαν οἱ γράψαντες τοῖς ἀμυήτοις. *Et mysteriorum libros ausi sunt quidam non initiatorum legere, sed neque illos qui scripserunt, scripserunt non initiatis.* Deinde rogare singulatim universos hierophanta, an edissent; & an nondum? Libanius *loco citato*. Καὶ ἰδίᾳ πάλιν, τὸ, σίτου. καὶ τὸ, μὴ σίτου δὲ ἐγεύσω. *Et privatim rursus, illud frumentum. & illud, non frumentum autem gustavisti.* At respondebant illi ad hæc, cibum quidem non gustasse, sed bibisse cyceonem, quem e cista accepissent, deinde in ca-

lathum reposuissent, & inde in cistam. Haurio illa ex Clemente in *Protreptico*, Τὸ συνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων. Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. *Tessera Eleusiniorum mysteriorum. Jejunavi, bibi cyceonem, accepi e cista, operatus deposui in calathum, & e calatho in cistam.* Et ex Arnobio *lib.* v. *Eleusinorum vestrorum notas, & origines, produnt urbes, & antiquarum elogia litterarum. Ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis. Jejunavi, atque ebibi cyceonem. ex cista sumpsi, & in calathum misi. accepi rursus, in cistulam transtuli.* Ac jejunasse se dicebant, quantum video, ad repræsentandam Cereris quoque in luctu suo a cibo, potuque, abstinentiam; de qua Clemens, *loco citato*. Ξενίσασα ἡ Βαυβὼ τὴν Δηώ, ὀρέγει κυκεῶνα αὐτῇ. τῆς δὲ ἀναινομένης λαβεῖν, καὶ πιεῖν οὐκ ἐθελούσης, πενθήρης γὰρ ἦν, περιαλγὴς ἡ Βαυβὼ γενομένη, &c. *Hospitio cum excepisset Baubo Cererem, præbet cyceonem illi. Illa autem recusante accipere, & bibere nolente, lugens enim erat, molesta Baubo facta.* Quæ habes quoque apud Arnobium, *libro citato*. Callimachus *Hymno* in Cererem, v. 12.

> Οὔ πίες, οὔτ' ἄρ' ἔδες τῆνον χρόνον. ——
> *Non bibisti, neque edisti illo tempore.*

Et *mox*, v. 17.

> Αὔσταλέα, ἄποτός τε, καὶ οὐ φάγες. ——
> *Arida, & sine potu, & non edisti.*

Unde Νήστειρα dicitur Nicandro in *Alexipharmacis*, I. 130.

> Νηστείρης Δηοῦς μορόεν ποτόν. ——
> *Jejunæ Cereris letalem potum.*

Ubi *Scholiastes*. Τῆς Περσεφόνης ἁρπαγείσης ὑπὸ τοῦ Πλούτωνος, ἡ μήτηρ αὐτῆς ἡ Δηὼ περιήρχετο νῆστις ζητοῦσα αὐτήν. *Proserpina cum rapta esset ab Plutone, mater ejus Ceres erravit jejuna quærens illam.* Dein bibisse cyceonem se dicebant; quod Ceres quoque, persuasa tandem a Baubone, id fecisset. Habes apud *Nicandrum, Clementem, Arnobium*, locis citatis.

CAP. XI.

Tum varia illis spectacula objecta, & voces variæ. Claudianus emendatus. Αὐτοψία. *Membrum quoque muliebre illic ostensum. Tertulliani hallucinatio.* Cereris mundus. *Apulejus explicatus. Post initiationem acclamari solitum*, Κόγξ, Ὄμπαξ. *Inde singuli discedentes, locum aliis concedebant.*

POST hæc varia illis spectacula objecta fuere, ac multa audiri; & lux modo, modo tenebræ, apparere: alia denique plura ostendi. Dion Chrysostomus *Orat.* XII. Ὥσπερ εἴ τις ἄνδρα Ἕλληνα, ἢ βάρβαρον, μυεῖσθαι παραδιδοὺς, εἰς μυστικόν τινα οἶκον, ὑπερφυῆ κάλλει καὶ μεγέθει, πολλὰ μὲν ὁρῶντα μυστικὰ θεάματα, πολλῶν δὲ ἀκούοντα τοιούτων φωνῶν, σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ αὐτῷ φαινομένων, ἄλλων τε μυρίων γιγνομένων. *Ac si quis virum Græcum, vel barbarum, sacris instituendum tradens, in mysticam quandam domum, eminentem pulchritudine & magnitudine, multa quidem videntem mystica spectacula, multas vero audientem tales voces, tenebris & luce alternatim ei apparentibus, aliisque innumeris contingentibus.* Themistius *Orat.* in Patrem. Ὁ μὲν ἄρτι προσιὼν τοῖς ἀδύτοις, φρίκης τε ἀνεπίμπλατο καὶ ἰλίγγου. ἀδημονίᾳ τε εἴχετο καὶ ἀπορίᾳ συμπάσῃ, οὐδ' ἴχνους λαβέσθαι οἷός τε ὤν, οὔτε ἀρχῆς ἡστινοσοῦν ἐπιδράξασθαι εἴσω φερούσης. ὁπότε δὲ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἀναπετάσας τὰ προπύλαια τοῦ νεὼ, καὶ τοὺς χιτῶνας περιστείλας τοῦ ἀγάλματος, καλλύνας τε αὐτὸ, καὶ ἀποσμήξας πανταχόθεν, ἐπεδείκνυ τῷ μυουμένῳ μαρμαρύσσον τε ἤδη, καὶ αὐγῇ καταλαμπόμενον θεσπεσίᾳ, ἥ τε ὁμίχλη ἐκείνη, καὶ τὸ νέφος ἀθρόον ὑπερρήγνυτο. καὶ ἐξεφαίνετο ὁ νοῦς ἐκ τοῦ βάθους, φέγγους ἀνάπλεως καὶ ἀγλαΐας, ἀντὶ τοῦ πρότερον σκότους. *Ille quidem modo adiens adyta, & horrore replebatur & vertigine. Etiam angore tenebatur & dubitatione omni, neque vestigium sumere valens, neque principium qualecunque eripere quod intro ferret. Quum vero propheta iste reseravisset vestibula templi, & tunicas circumjecisset statuæ, illamque ornasset, & abstersisset ab omni parte, ostendebat initiato coruscantem jam, & fulgore splendentem divino, nebulaque ista, & nubes conferta subrumpebatur. Et apparebat mens ex profunditate, lumine repleta & serenitate, pro prioribus tenebris.* Iterum in fragmento insigni apud Stobæum, *Serm.* CXIX. Πρὸ τοῦ τέλους αὐτοῦ τὰ δεινὰ πάντα, φρίκη, καὶ τρόμος, καὶ ἱδρὼς, καὶ θάμβος. ἐκ δὲ τούτου, φῶς τι θαυμάσιον ἀπήντησε, καὶ τόποι καθαροὶ, καὶ λειμῶνες ἐδέξαντο, φωνὰς, καὶ χορείας, καὶ σεμνότητας ἀκουσμάτων ἱερῶν, καὶ φαντασμάτων ἁγίων, ἔχοντες. ἐν αἷς ὁ παντελὴς ἤδη, καὶ μεμυημένος, καὶ ἐλεύθερος γεγονὼς, καὶ ἄφετος, περιιὼν ἐστεφανωμένος ὀργιάζει. *Ante sacram functionem ejus gravia omnia, horror & tremor, & sudor, & stupor. Ex illo autem lux quædam miranda occurrit, & loca pura, & prata excipiebant voces, & choreas, & majestatem auditionum sanctarum, & apparitionum sacrarum, habentia. In quibus ille jam consummatus, & initiatus, & liber factus, & dimissus, circumiens coronatus orgia celebrat.* De spectaculis istis mysticis, est Aristidis quoque locus *Eleusinia*. Κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος τὴν Ἐλευσῖνα ἡγεῖτο. καὶ πάντων ὅσα θεῖ ἀνθρώποις, ταυτὸν φρικωδέστατόν τε καὶ φαιδρότατον. τίνι δ' ἄλλῳ χωρίων, ἢ μύθων φῆμαι θαυμαστότερα ἐφύμνησαν, ἢ τὰ δρώμενα μείζω ἔσχε τὴν ἔκπληξιν, ἢ μᾶλλον εἰς ἐφάμιλλον κατέστη ταῖς ἀκοαῖς τὰ ὁρώμενα; ὅσα μὲν δὴ θέας ἐχόμενα εἶδον γενεαὶ παμπληθεῖς ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἐν τοῖς ἀρρήτοις φάσμασι. *Commune quoddam terræ templum Eleusina existimabat. Et omnium quotquot divina hominibus, hunc maxime horribilem & luculentum. Quem autem alium regionum, aut fabularum rumores admirabiliore cantu extulerunt, vel quæ peraguntur majore vi percellunt, aut potius in certamen statuerunt cum auribus visa? quæcunque quidem igitur spectaculo accensenda vidi, progenies impletæ viris & mulieribus in reconditis apparitionibus.* Item Procli, in *Plat. Theol.* lib. III. cap. XVIII. Ὥσπερ ἐν ταῖς ἁγιωτάταις τελεταῖς πρὸ τῶν μυστικῶν θεαμάτων ἔκπληξις τῶν μυουμένων, οὕτω δὴ κἀν τοῖς νοητοῖς πρὸ τῆς τοῦ ἀγαθοῦ μετουσίας τὸ κάλλος προφαινόμενον ἐκπλήττει τοὺς ὁρῶντας. *Quemadmodum in sanctissimis initiationibus ante mystica spectacula perplexio initiandorum, ita etiam intelligendis ante boni participationem pulchritudo apparens percutit spectantes.* Et Plethonis, in *Scholiis* ad Oracula Magica Zoroastris. Εἴωθε τοῖς πολλοῖς τῶν τελουμένων φαίνεσθαι κατὰ τὰς τελετὰς κυνώδη τινὰ καὶ ἄλλως ἀλλόκοτα τὰς μορφὰς φάσματα. *Consuevit multis initiatorum apparere per initiationes caninæ quædam, & alias monstrosæ aspectu apparitiones.* Ac mox, Τὰ δὲ τελουμένοις φαινόμενα, κεραυνοὶ, καὶ πῦρ, καὶ εἴ τι ἄλλο, σύμβολα ἄλλως ἐστὶν, οὐ θεοῦ τὶς φύσις. *Quæ initiatis apparent, fulmina, & ignis,*

& si

& si quid aliud, symbola alias sunt, non dei quædam natura. Et respexit ad hæc Seneca *Epist.* xc. *Hæc ejus initiamenta sunt, per quæ non municipale sacrum, sed ingens omnium Deorum templum, mundus iste, reseratur: cujus vera simulacra, verasque facies cernendas mentibus protulit. nam ad spectacula tam magna hebes visus est.* Claudianus De *Raptu Proserpinæ*, lib. I. v. 7. &c.

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram dispergere culmina lucem,
Adventum testata Dei. jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit
Cecropidum. ——

Sed *secundo versu* legerim,
—— *& claram dispergere fulmina lucem.*

Nam inter ea, quæ spectari, fulmen erat. Ecce tibi in *citatis* Plethonis *verbis*. Τὰ δὲ τελουμένοις φαινόμενα, κεραυνοὶ, καὶ πῦρ. *Initiatis autem apparentia, fulmina & ignis.* Et spectatio horum omnium in istis sacris, Αὐτοψία appellata. Psellus in *Scholiis* in Oracula jam citata Zoroastris. Αὐτοψία ἐστιν, ὅταν αὐτὸς ὁ τελούμενος τὰ θεῖα φῶτα ὁρᾷ. *Contemplatio suis oculis autem est, quando ipse, qui initiatur, divina lumina videt.* Inter ea, quæ spectanda exhibebantur, membrum etiam virile ostensum. Tertullianus *Adversus Valent.* cap. I. *Tota in adytis divinitas, tota suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis revelatur.* Sed errare eum censeo; & Bacchi illud sacris factum, in quibus ostensi phalli, quæ res nota: hic muliebre membrum erat. Distinguit clare Theodoretus *Therap.* lib. VII. Καὶ γὰρ αἱ τελεταὶ, καὶ τὰ ὄργια, τὰ τούτων εἶχεν αἰνίγματα. τὸν κτένα μὲν ἡ Ἐλευσὶς, ἡ φαλλαγωγία δὲ τὸν φαλλόν. *Nam & initiationes & orgia habebant sua ænigmata. pectinem quidem Eleusis, Phallagogi vero mentum.* Nempe, quia Baubo Cererem, ostenso eo, ad sumendum cyceonem permovisset; uti notum ex *Clemente*, & *Arnobio*. Illa autem, quæ spectanda initiatis præbebantur, *Cereris mundus* Apulejo nuncupantur, in *Apologia sua*. *Majus piaculum decernis, speculum philosopho, quam* Cereris mundum *spectare profano.* Atque hunc in modum initiatis acclamatum mox; Κὸγξ, Ὄμπαξ. *Conx, Ompax.* *Hesychius.* Κὸγξ, Ὄμπαξ. ἐπιφώνημα τοῖς τετελεσμένοις. *Conx, Ompax; acclamatio initiatis.* Eaque acclamatione quasi dimissi, discedebant; alisque, itidem initiari cupientibus, locum dabant. Libanii verba istuc pertinent, *Declam.* XVI. Καλὸν δ' ὥσπερ καὶ μυστηρίων μετασχόντι ἀπελθεῖν, καὶ τελεσθέντα τὰ τοῦ δήμου μυστήρια, παρέχειν μετ' αὐτὸν ἄλλοις τισὶν εἰς τὴν τελετὴν παρεῖναι. *Pulchrum vero tanquam & mysteriorum participem discedere, & postquam peregeris populi mysteria, præbere post se aliis quibusdam accedere ad initiationem.*

CAP. XII.

Quam initiandi vestem induissent, eam nunquam deponebant, nisi detritam, laceramque; ac tum Cereri, & Proserpinæ, consecrabant: vel ad fascias puerorum utebantur.

INITIATI, qua tunc veste amicti essent, eam nunquam deponebant, nisi longo usu tritam, laceramque. Scholiastes Aristophanis *Pluto secunda.* Ὁ δὲ μυούμενος, τὸ ἱμάτιον, ὃ ἐφόρει ἐν τῇ μυήσει, οὐδέποτε ἀπεδύετο, μέχρις ἂν τελέως ἀφανισθῇ διαῤῥυέν. *Initiatus vero vestem, quam in initiatione gerebat, nunquam deponebat, donec omnino speciem universam perdidisset dilaceratum.* Ac tum Cereri, & Proserpinæ, consecrabant. Inde est iste

Aristophanis jocus *fabula citata*, Act. IV. Sc. I. v. 42. &c.

ΚΑΡ. Τὸ τριβώνιον δὲ τί δύναται πρὸς τῶν θεῶν,
Ὃ φέρει μετὰ σοῦ τὸ παιδάριον τουτὶ; φράσον.
ΔΙΚ. Καὶ τοῦτ' ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν.
ΚΑΡ. Μῶν οὖν ἐμυήθης ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;
ΔΙΚ. Οὔκ. ἀλλ' ἐνεῤῥίγησ' ἔτη τρισκαίδεκα.
CAR. Sed tritum pallium quid vult per Deos,
Quod fert tecum iste puerulus? dicito.
JV. Et illud dedicaturus venio ad Deum.
CAR. Num igitur in ea initiatus es magna?
JV. Non. sed in eo rigui per annos tredecim.

Ubi *Scholiastes*. Παίζει παρὰ τὸν Ἐλευσίνιον νόμον. ἔθος γὰρ ἦν, ἐν οἷς τις ἱματίοις μυηθείη, εἰς θεοῦ τινος ταῦτα ἀνατιθέναι. ὥσπερ δηλοῖ καὶ Μελάνθιος ἐν τῷ Περὶ μυστηρίων. Πάτριόν ἐστι, ταῖς θεαῖς ἀφιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες. *Ludit ad legem Eleusiniam. Mos enim erat, in quibus aliquis vestibus initiatus fuisset, in Dei alicujus templo eas dedicare. prout significat Melanthius in scripto de Mysteriis. Patrium est mystis consecrare deabus etiam vestes, in quibus fuissent initiati.* Nonnulli illas ad infantum sibi fascias reservabant. Scholiastes idem, *ibidem*. Ἔνιοι δὲ τὰς τοιαύτας στολὰς εἰς τέκνων σπάργανα φυλάττουσι. *Nonnulli autem istas vestes ad fascias infantum servant.*

CAP. XIII.

Initiabat ὁ Ἱεροφάντης appellatus, cujus nomen initiato dicere vetitum. Isque in habitum creatoris ornabatur: veste, coma, ac strophio insignis: ætate, ac voce, peculiari. Nec cuiquam illa dignitas data fuit, nisi qui Atheniensis. Eunapii locus restitutus. Ac fungebatur munere eo per omnem vitam, idque sine matrimonio; unde, castitatis studio, cicutæ liquore se ungebat. Primus autem Hierophanta Eumolpus fuit, isque tertius; & ab eo ipsius posteri, Εὐμολπίδαι *nuncupati. Suidæ error, & correctus locus quidam. Hierophanta etiam* Μυσταγωγὸς *dictus.*

QUI autem initiabat, Ἱεροφάντης dicebatur. *Hesychius.* Ἱεροφάντης, μυσταγωγὸς, ἱερεὺς, ὁ τὰ μυστήρια δεικνύων. *Hierophanta, Mysteriorum dux, sacerdos, mysteria docens.* Diogenes Laertius in *Chrysippo*, lib. VII. cap. CLXXXVI. Ὁ ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις (τὰ μυστήρια) λέγει. *Hierophanta non initiatis (mysteria) exponit.* Et nomen hujus prodere nefas illis erat, qui ab illo initiati. Eunapius ingerit *in Maximo*. Ὡς δὲ καὶ ταῦτα εἶχε καλῶς, ἀκούσας τι πλέον εἶναι κατὰ τὴν Ἑλλάδα παρὰ τῷ ταῖν θεαῖν ἱεροφάντῃ, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ὀξὺς ἔδραμε. τοῦ δὲ ἱεροφάντου κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὅστις ἦν τοὔνομα, οὐ μοι θέμις λέγειν. ἐτέλει γὰρ τὸν ταῦτα γράφοντα, καὶ εἰς Εὐμολπίδας ἦγε. *Quum igitur hæc quoque egregie essent acta, quum audivisset aliquid amplius esse in Græcia apud Dearum Hierophantum, citus etiam ad illum cucurrit. Hierophantæ autem istius temporis quod fuerit nomen, non mihi fas dicere; consecrabat enim eum qui hæc scribit, & in Eumolpidas duxit.* Ornabatur vero in effigiem creatoris. Eusebius *De Præp. Evang.* lib. III. Ἐν δὲ τοῖς κατ' Ἐλευσῖνα μυστηρίοις, ὁ μὲν ἱεροφάντης εἰς εἰκόνα τοῦ δημιουργοῦ ἐνσκευάζεται. *In mysteriis autem Eleusiniis hierophanta quidem ornatur ad effigiem opificis.* Insignis vero veste erat, coma, & strophio; dein ætas quoque, & vox, propria. Arria-

nus in *Epictetum*, l. III c. XXI. Οὐκ ἐσθῆτα ἔχεις, ἣν δεῖ τὸν ἱεροφάντην. οὐ κόμην, οὐ στρόφιον, οἷον δεῖ. οὐ φωνὴν, οὐχ ἡλικίαν. *Non habes vestem, quam oportet uti hierophantam. non comam, non redimiculum, quale convenit, non vocem, non ætatem.* De veste, est etiam videre apud Plutarchum *Alcibiade*. Ἔχοντα στολὴν, οἵανπερ ἱεροφάντης ἔχων δεικνύει τὰ ἱερά. *Indutum veste, qualem habens hierophantes monstrat sacra.* Non autem hierophantæ esse cuiquam licitum, nisi qui Atheniensis, nullisque aliis sacris obstrictus. Inde est hoc apud Eunapium, in *Maximo eodem*, quem citavi, non multo post. Καὶ φανερῶς διαμαρτυρόμενος, ὡς μετ' αὐτὸν ἱεροφάντης γενήσοιτο, ὡς μὴ θέμις ἱεροφαντικῶν ἅψασθαι θρόνων. ἐπὶ δὲ θεοῖς ἑτέροις καθιέρωται, καὶ ὀμώμοκεν ἀρρήτους ὅρκους, ἑτέρων ἱερῶν μὴ προστήσεσθαι. προστήσεσθαι δὲ ἔλεγεν ὅμως αὐτὸν, μηδὲ Ἀθηναῖον ὄντα. *Et palam testificatus, quemadmodum post eum futurus esset hierophanta, quasi nefas esset tangere thronos hierophanticos. Sed aliis Diis consecratur, & juravit arcanas jurandi formulas, non curaturum alia sacra. Attamen dicebat eum præstitem futurum, etsi Atheniensis non esset.* Sed corruptum locum istum sic restituo. ἱ γενήσοιτο, ᾧ μὴ θέμις ἱεροφαντικῶν ἅψασθαι θρόνων, ἐπειδὴ θεοῖς ἑτέροις κ. *Futurus esset, cui nefas erat hierophanticos tangere thronos, quoniam aliis Diis conf.* Fungebatur vero hoc munere per totam vitam, & matrimonio abstinebat; contra quam apud Celeenses, ubi & quarto quoque anno legi novus quispiam poterat, & uxorem ducere item permittebatur. Pausanias in *Corinthiacis*. Τῆς δὲ πόλεως αἱ Κελεαὶ πέντε που σταδίους μάλιστα ἀπέχουσι. καὶ τῇ Δήμητρι ἐνταῦθα δι' ἐνιαυτοῦ τετάρτου τὴν τελετὴν, καὶ οὐ κατὰ ἔτος, ἄγουσι. ἱεροφάντης δὲ οὐκ ἐς τὸν βίον πάντα ἀποδέδεικται. κατὰ δὲ ἑκάστην τελετὴν ἄλλοτέ ἐστιν ἄλλος σφίσιν αἱρετὸς, λαμβάνων, ἢν ἐθέλῃ, καὶ γυναῖκα. καὶ ταῦτα μὲν διάφορα τῶν ἐν Ἐλευσῖνι ὀνομάζουσι. *Celeæ autem quinque admodum stadia ab urbe absunt. & Cereri illic quadrienniis singulis, non unoquoque anno, sacrum celebrant. Hierophanta vero non ad omnem vitam creatur; sed per singula festa diversus ab illis eligitur, habens etiam si volet uxorem. Et hæc quidem discrepantia ab Eleusiniis nominant.* Ac, quia matrimonio abstinendum ipsi, ut castitatem observare recte posset, cicutæ liquore se ungebat. Interpres vetus Persii *Sat.* v. *Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi exstinguit; unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent.* Vel, ut alii, sorbitione e cicuta utebantur. Hieronymus *Contra Jovinianum* lib. I. *Hierophantas Atheniensium usque hodie cicutæ sorbitione castrari (legant.) & postquam in pontificatum fuerint electi, viros esse desinere.* Hoc est, quod dicit ad Gerontiam *de Monogamia*. *Hierophanta apud Athenas evitat virum, & æterna debilitate fit castus.* Primus autem fuisse Eumolpus commemoratur; & ab eo, qui de gente ipsius essent, Εὐμολπίδαι nuncupati. *Hesychius*. Εὐμολπίδαι. οὕτως οἱ ἀπὸ Εὐμόλπου ἐκαλοῦντο, τοῦ πρώτου ἱεροφαντήσαντος. πολλοὶ δὲ γεγόνασιν ὁμώνυμοι. *Eumolpidæ. Ita posteri Eumolpi vocabantur, qui primus hierophanta fuit: multi autem fuerunt eodem nomine.* Ineptit *Suidas*, qui Hierophantam quendam tradit. Ἱεροφάντης, οὕτω φασὶ τὸν πρῶτον ὠνομάσθαι ἱεροφάντην, τὸν ἀποφήναντα ἐκ τοῦ πολέμου ἀπιόντα τὰ ἱερά. *Hierophantes, sic dicunt primum appellatum fuisse hierophantam, qui decernebat ex bello discedentia sacra.* Atque in fine legendum etiam, ἐκ τοῦ Εὐμόλπου ἀπιόντα τ. ἱ. *ex Eumolpo digressa s.* Fuit autem hic Eumolpus non Thrax iste, primus nominis; verum tertius, a priore isto quintus, ut supra ostendi *cap.* II. Et ex Eumolpidis legi deinceps hierophantas consuevisse, testis Arnobius *lib.* v. *Eumolpus, a quo gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen; &, qui postea floruerunt, hierophantæ.* Clemens *Protreptico*. Τὸ Εὐμολπιδῶν τὸ ἱεροφαντικὸν δὴ τοῦτο Ἀθήνησι γένος (ἀπ' Εὐμόλπου) ἤνθηκε. *Eumolpidarum hierophanticum illud Athenis genus (ab Eumolpo) floruit.* Et vis exemplum? ecce tibi apud Tacitum, *Historiarum* extremo IV. *Timotheum Atheniensem, ex gente Eumolpidarum, quem, ut antistitem ceremoniarum, Eleusi exciverat, quænam illa superstitio, quod numen, interrogat.* Vocat *Antistitem ceremoniarum*, quem ἱεροφάντην Athenienses. Porro, ut hoc caput finiam, hierophanta etiam Μυσταγωγὸς dictus. *Hesychius*. Ἱεροφάντης, μυσταγωγὸς, ὁ τὰ μυστήρια δεικνύων. *Hierophantes, mystagogus, mysteria monstrans.* Et *alibi*. Μυσταγωγὸς, ἱερεὺς ὁ τοὺς μύστας ἄγων. *Mystagogus, sacerdos mystas ducens.* Huc alludens *Menander*,

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου.
Unicuique dæmon viro adest
Statim nascenti mystagogus vitæ.

Symmachus *lib.* IX. *epist.* IX. *Eundemque in domus tuæ sacrarium tanquam mystagogus induco.* Et antea dixerat, *lib.* IV. *epist.* XXVI. *Hunc in amicitiam tuam tanquam mystagogus induco.* Et *lib.* VII. *epist.* XLV. *Eos in clientelam tuam quasi mystagogus inducam.*

CAP. XIV.

Daduchus quoque, & præco, adhibiti; item ὁ ἐπὶ βωμῷ. Daduchus coma, & strophio, distinctus; totam vitam munere suo fungebatur; &, si vellet, uxorem ducebat. Solus hoc nomine appellatus; & Solis effigiem præ se ferens, ut præco Mercurii, & minister ad aram Lunæ.

PRAETER hierophantam partes hic quoque suas habebant daduchus, & præco. Arrianus recenset singulos, *Comment.* in Epictetum III. cap. XXI. Τί ἄλλο ποιεῖς, ἄνθρωπε, ἢ ἐξορχῇ τὰ μυστήρια, καὶ λέγεις. οἴκημά ἐστι καὶ ἐν Ἐλευσῖνι, ἰδοὺ καὶ ἐνθάδε. ἐκεῖ ἱεροφάντης, καὶ ἐγὼ ποιήσω ἱεροφάντην. ἐκεῖ κῆρυξ, κἀγὼ κήρυκα καταστήσω. ἐκεῖ δᾳδοῦχος, κἀγὼ δᾳδοῦχος. *Quid aliud facis, o homo, quam exsultas mysteria, & dicis. conclave est & in Eleusine, ecce & hic: ibi hierophantes, & ego faciam hierophantem: ibi præco, & ego præconem statuam. ibi facitenens, & ego facitenens.* Et Plutarchus in *Alcibiade*. Ἐν δὲ τούτῳ δούλους τινὰς καὶ μετοίκους προῆγεν Ἀνδροκλῆς ὁ δημαγωγὸς, ἄλλων τε ἀγαλμάτων περικοπὰς, καὶ μυστηρίων παρ' οἶνον ἀπομιμήσεις τοῦ Ἀλκιβιάδου, καὶ τῶν φίλων, κατηγοροῦντας. ἔλεγον δὲ Θεόδωρον μέν τινα δρᾶν τὰ τοῦ κήρυκος, Πολυτίωνα δὲ τὰ τοῦ δᾳδούχου, τὰ δὲ τοῦ ἱεροφάντου τὸν Ἀλκιβιάδην. Et mox. Θεσσαλὸς, Κίμωνος, Λακιάδης, Ἀλκιβιάδην Κλεινίου, Σκαμβωνίδην, εἰσήγγειλεν ἀδικεῖν περὶ τὼ θεὼ, τὴν Δήμητρα καὶ τὴν Κόρην, ἀπομιμούμενον τὰ μυστήρια, καὶ δεικνύοντα τοῖς ἑαυτοῦ ἑταίροις ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, ἔχοντα στολὴν, οἵανπερ ἱεροφάντης ἔχων δεικνύει τὰ ἱερὰ, καὶ ὀνομάζοντα αὐτὸν μὲν ἱεροφάντην, Πολυτίωνα δὲ δᾳδοῦχον, κήρυκα δὲ Θεόδωρον Φηγαιέα. *Interea vero servos aliquos & inquilinos produxit Androcles tribunus plebis, & aliorum simulacrorum recisiones, & mysteriorum in vino imitamen-*

ta Alcibiadis, & amicorum accusantes. Dicebant autem Theodorum quidem quendam facere opus præconis, Polytionem vero partes facitenentis, hierophantæ autem Alcibiadem .... Thessalus, Cimonis, Laciades, Alcibiadem Cliniæ, Scambonidem detulit injurium esse circa Deas Cererem & Proserpinam, imitantem mysteria, & ostendentem suis sociis domi suæ, indutum veste, qualem habens hierophantes monstrat sacra: & appellantem se hierophantem, Polytionem vero facitentem, præconem vero Theodorum Phegæensem. Hierophantæ, ac daduchi, meminit etiam Sopater in *Divis. Quæst.* Καὶ μύστης ὢν τὸν ἱεροφάντην ἅμα καὶ δᾳδοῦχον τεθέαμαι, καὶ τὴν τελετὴν ἐκείνην εἶδον, ἣν οἱ μεμυημένοι πάντες ἐπίστασθε. *Et mysta quum esset, hierophantem simul & facitentem vidi, & cærimonias illas spectavi, quas initiati omnes novistis.* Utque hierophanta coma, & strophio, insignis erat; ita daduchus. Observare est apud Plutarchum *Aristide.* Ὧν ἦν καὶ Καλλίας ὁ δᾳδοῦχος. τούτῳ γάρ τις, ὡς ἔοικε, τῶν βαρβάρων προσέπεσεν, οἰηθεὶς βασιλέα, διὰ τὴν κόμην, καὶ τὸ στρόφιον. εἶναι. *Quorum erat & Callias facitenens. huic enim aliquis, ut videtur, barbarorum accidit, opinatus regem propter comam & redimiculum.* Et munere eo totam vitam fungebatur, ut hierophanta. Indicant Pausaniæ verba ista *Atticis.* Τούτους δὲ ἐς τὸν τέταρτον πρόγονον Λέοντα δᾳδούχους πάντας ὑπῆρξε γενέσθαι παρὰ τὸν βίον τὸν αὐτῆς. πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφὸν Σοφοκλέα εἶδε δᾳδουχοῦντα. ἐπὶ δὲ τούτῳ, τὸν ἄνδρα Θεμιστοκλέα· τελευτήσαντος δὲ καὶ τούτου, Θεόφραστον τὸν παῖδα. *Illos enim ad quartum ex progenitoribus Leontem facitenentes omnes esse contigit per vitam hujus; primum quidem fratrem Sophoclem vidit facitenentem; post hunc vero maritum Themistoclem. hoc autem etiam mortuo Theophrastum filium.* Atque uxorem illi ducere licitum erat, quod hierophantæ interdictum. Ecce in *citatis illis* Pausaniæ *verbis.* Πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφὸν Σοφοκλέα εἶδε δᾳδουχοῦντα. ἐπὶ δὲ τούτου, τὸν ἄνδρα Θεμιστοκλέα. *Primum quidem fratrem Sophoclem vidit facitenentem; post hunc vero maritum Themistoclem.* Non autem quivis facem gestans δᾳδοῦχος dictus, sed κατ' ἐξοχὴν hic, de quo agimus. Eustathius ad *Illiad.* α'. Διαφέρει ὁ δᾷδας ἔχων ἁπλῶς, καὶ ὁ ἐν τοῖς κατ' Ἐλευσῖνα μυστηρίοις δᾳδοῦχος. *Differt faces tenens simpliciter, & ille in Eleusinis mysteriis facitenens.* Ad præconem quod attinet, de eo est Pollucis locus, *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXII. Κῆρυξ, ὁ μέν τις τῶν μυστικῶν, ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ἑρμοῦ, καὶ Πανδρόσου τῆς Κέκροπος. *Præco, alius quidem mysticorum, ab Geryce Mercurii filio, & Pandrosi filiæ Cecropis.* Quin præter daduchum, ac præconem, quartus item aliquis erat, ad aram ministrans, Ὁ ἐπὶ βωμῷ nuncupatus; utque creatoris hierophanta, ita daduchus Solis, præco Mercurii, & ὁ ἐπὶ βωμῷ effigiem Lunæ repræsentabat. Eusebius *De Præp. Evang.* lib. III. Ἐν δὲ τοῖς κατ' Ἐλευσῖνα μυστηρίοις ὁ μὲν ἱεροφάντης, εἰς εἰκόνα τοῦ δημιουργοῦ ἐνσκευάζεται· δᾳδοῦχος, εἰς τὴν ἡλίου. καὶ ὁ μὲν ἐπὶ βωμῷ, εἰς τὴν σελήνης· ὁ δὲ ἱεροκήρυξ, Ἑρμοῦ. *In mysteriis autem Eleusinis hierophanta quidem ad effigiem opificis adornatur; facitenens ad illam solis; & ille qui aræ ministrat, ad lunæ; sed hieroceryx, Mercurii.*

CAP. XV.

Præfectus mysteriis ὁ Βασιλεὺς, *ejusque circa ista munus. Item οἱ* Ἐπιμεληταὶ, *numero quatuor; iique unde legi soliti. Præter illos* Ἱεροποιοὶ *etiam decem. Pollucis locus emendatus.*

PRAEERAT vero mysteriis, ὁ Βασιλεὺς appellatus. *Hesychius.* Βασιλεὺς, ἄρχων τὶς Ἀθήνησι, μυστηρίων προνοῶν. *Rex, magistratus Athenis, mysteria procurans. Etymologici Auctor.* Παρὰ Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος βασιλεὺς πρῶτον μὲν μυστηρίων ἐπιμελεῖται. *Apud Athenienses dictus Rex primo quidem mysteriorum curam gerit.* Pollux *lib.* VIII. *cap.* VIII. *sect.* III. Ὁ δὲ Βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε. *Rex autem mysteriis præest.* Habes quoque apud *Harpocrationem*, & *Suidam.* Et vota ritu patrio nuncupabat, ac sacra faciebat Eleusine, atque Athenis in Eleusinio: curabatque, ne quis in mysteria quicquam, aut sacra, delinqueret. Lysias in *Andocidem.* Φέρε γάρ, ἂν νυνὶ Ἀνδοκίδης ἀθῷος ἀπαλλαγῇ ἡμῶν ἐκ τοῦδε τοῦ ἀγῶνος, καὶ ἔλθῃ κληρωσάμενος τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ λάχῃ βασιλεὺς, ἄλλο τι, ἢ ὑπὲρ ἡμῶν καὶ θυσιάσει, καὶ εὐχὰς εὔξεται κατὰ τὰ πάτρια, τὰ μὲν, ἐν τῷ ἐνθάδε Ἐλευσῖνι, τὰ δὲ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ ἱερῷ, καὶ τῆς ἑορτῆς ἐπιμελήσεται μυστηρίοις, ὅπως ἂν μηδεὶς ἀδικῇ, μηδὲ ἀσεβῇ περὶ τὰ ἱερά. *Age enim, si nunc Andocides sine noxa discedat ex hoc nostro certamine, & venerit sortitus inter novem archontes, denique sortiatur magistratum Regis, aut quid aliud, & pro nobis sacra facturus sit, ac vota facturus ritu patrio, alia quidem in ea, quæ hic est, Eleusine, alia autem in sacro Eleusinio, & festi administraturus mysteria, ut ne quis injuste, neque impie egerit circa sacra.* Atque initio edicebat, ut, quisquis hostis, sacris abstineret. Pollux *loco jam citato.* Προαγορεύει δὲ (ὁ βασιλεὺς) τοῖς ἐναντίοις, ἀπέχεσθαι τῶν μυστηρίων. *Prænunciat vero (Rex) contrariis, abstinere mysteriis.* Deinde postridie mysteriorum ex lege Solonis senatum in Eleusinio cogebat, cogniturus de iis, qui in mysteria, aut sacra, deliquissent. Andocides *Orat.* Περὶ μυστηρίων. Ἐπειδὴ γὰρ ἤλθομεν Ἐλευσινόθεν, καὶ ἡ ἔνδειξις ἐγεγένητο, προσῄει ὁ βασιλεὺς περὶ τῶν γεγενημένων ἐν Ἐλευσῖνι κατὰ τὴν τελετὴν, ὥσπερ ἔθος ἐστίν. οἱ δὲ πρυτάνεις προσάξειν ἔφασαν αὐτὸν πρὸς τὴν βουλὴν, ἀπαγγεῖλαι τ' ἐκέλευον ἐμοί τε καὶ Κηφισίῳ παρεῖναι εἰς τὸ Ἐλευσίνιον. ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε, κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. *Postquam enim venimus Eleusinem, & demonstratio fieret, aggrediebatur Rex peragenda Eleusine in festo, ut moris est. Prytanes vero delaturos se eum ad senatum dixerunt, mihique & Cephisio mandarunt significare, ut adesset ad Eleusinium. Senatus enim illic confessurus erat ex lege Solonis, quæ jubet, proximo post mysteria die consessum facere in Eleusinio.* Sed non solus Βασιλεὺς curabat mysteria, verum cum eo etiam οἱ Ἐπιμεληταὶ dicti. Pollux *lib.* VIII. *cap.* VIII. *sect.* III. Ὁ δὲ Βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν. *Rex autem mysteriis præest cum Curatoribus.* Erant vero hi quatuor numero, & a populo legebantur; duo ex civibus Atheniensibus, tertius autem ex Eumolpidis, quartus ex Cerycibus. *Etymologici Auctor.* Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων. Παρὰ Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος Βασιλεὺς πρῶτον μὲν μυστηρίων ἐπιμελεῖται μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν, οὓς ὁ δῆμος ἐχειροτόνει. τέσσαρες δὲ ἦσαν. εἷς δὲ, ἐξ Εὐμολπιδῶν. καὶ εἷς, ἐκ Κηρύκων. *Curator mysteriorum. Apud Athenienses is qui Rex dicitur,*

primo quidem mysteriorum curam gerit cum Curatoribus, quos populus legebat. Erant vero quatuor, unus vero ex Eumolpidis, item unus ex Cerycibus. Quæ totidem pene verbis *Harpocration*, & *Suidas*, ex *Aristotele*. Meminit τῶ Ἐπιμελητῶ τῶ μυστηρίων Demosthenes in *Midiana*. Ὑμεῖς γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐχειροτονήσατε τοῦτον τῆς παράλου ταμίαν ὄντα τοιοῦτον οἷός ἐστι. καὶ πάλιν ἵππαρχον, ὀχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐν πομπαῖς οὐ δυνάμενον. καὶ μυστηρίων Ἐπιμελητὴν, καὶ Ἱεροποιόν. *Vos enim, o viri Athenienses, creavistis hunc navis Parali quæstorem talem, prout est; & rursus equitum præfectum, quum vehere per forum in pompis non posset; & mysteriorum curatorem, & sacrificulum.* Ad hos in mysteriis majoribus Ἱεροποιοὶ erant, decem numero, qui sacra facerent. Pollux *lib.* VIII. *cap.* VIII. *sect.* XXVI. Quæ est Περὶ ἱεροποιῶν. Δέκα ὄντες οὗτοι, ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρικὰς τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ἡρακλείων, τὴν Ἐλευσῖνι. *Illi decem numero, immolabant libamenta quinquennalia, illa in Deum, Braurone, Herculaneorum, Eleusine.* Ita locum illum, hodie corruptissimum, emendandum censeo.

CAP. XVI.

Initiati his mysteriis Atheniensium liberi, adhuc pueri; nec Athenienses tantum, sed Græci quoque alii omnes; nisi quod Socrates, & Demonax, neglexerunt. Item Romani; in quibus Atticus, & Augustus. Etiam Anacharsis, Scytha; & mulieres quæ Μέλισσαι *appellatæ.*

CURABANT autem Athenienses his mysteriis liberos suos, adhuc pueros, a certo tempore initiari; quemadmodum etiam in Samothracis fiebat. Terentius in *palliata fabula* Phormione, *Act.* I. *Sc.* I. *vers.* 13. &c.

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt. ——

Ubi Donatus. *Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, in insula Samothracia a certo tempore pueros initiari, more Atheniensium.* Ac, si in pueris neglectum foret; saltem, ut ante mortem fieret, summo studio operam dabant. Inde ille apud Aristophanem *Pace*, *vers.* 375.

Δεῖ γάρ μυηθῆναί με, πρὶν τεθνηκέναι.
Oportet enim initiari me, priusquam moriar.

Socrati, & Demonacti, probro datum, quod initiationem neglexissent. Lucianus *Demonacte*. Καί τινες ἐπ' αὐτὸν (τὸν Δημώνακτα) ἀνέστησαν Ἄνυτοι καὶ Μέλιτοι, τὰ αὐτὰ κατηγοροῦντες, ἅπερ κἀκεῖνοι τότε (τοῦ Σωκράτους) ὅτε θύων ὤφθη πώποτε, ὅτε ἐμυήθη μόνος ἁπάντων ταῖς Ἐλευσινίαις. *Et quidam contra eum (Demonactem) insurrexerunt Anyti ac Meliti, eadem exprobrantes, quæ illi tunc (Socrati) neque visus sit sacrificans unquam, neque initiatus sit solus omnium deabus Eleusiniis.* Nec Athenienses tantum, sed Græci omnes, hisce sacris initiandos se sistebant. Herodotus *lib.* VIII. *c.* LXV. Τὴν δὲ ἑορτὴν ταύτην, (de Eleusiniis illi sermo) ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἀνὰ πάντα ἔτεα τῇ μητρὶ καὶ τῇ κόρῃ, καὶ αὐτέων τε ὁ βουλόμενος, καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, μυεῖται. *Festum vero istud celebrant Athenienses singulis quinquenniis Matri ac Filiæ, & ipsorum quicunque vult, ac reliquorum initiatur.* Immo non duntaxat Græci, sed quæcunque etiam gentes. Cicero de *Natur. Deorum*, lib. I. c XLII.

Omitto Eleusinam sanctam illam, & augustam;
Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.

Itaque ipsi quoque Romani; inter quos Atticus, ad quem Brutus apud Ciceronem *Tusc.* I. *Reminisce*, A *quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis.* Et ipse Atticus, apud eundem *de Leg.* lib. II. cap. XIV. *Excipis, credo, illa (mysteria) quibus ipsi initiati sumus.* Augustus quoque Imperator. Dion Cassius *lib.* LI. Τά τε ἐν τῇ Ἑλλάδι διῴκησε,) loquitur autem de Augusto) καὶ τῶν τοῖν θεοῖν μυστηρίων μετέλαβεν. *Ac res in Græcia ordinavit, & mysteria Dearum suscepit.* Suetonius in *ejus Vita*, cap. XCIII. *Athenis initiatus, cum postea Romæ pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticæ Cereris disceptaretur, & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio, & corona circumstantium, solus audiit disceptantes.* Quin longinquæ etiam gentes. Nec temere B est illud, in *citato* apud Ciceronem loco,

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.

Quod Anacharsidis causa dictum puto; qui, cum Scytha ipse esset, tamen & civis Atheniensis factus fuit, & his sacris initiatus. Lucianus *Scytha*. Καὶ ἐμυήθη μόνος βαρβάρων Ἀνάχαρσις, δημοποίητος γενόμενος· εἰ χρὴ Θεοξένῳ πιστεύειν, καὶ τοῦτο ἱστοροῦντι περὶ αὐτοῦ. *Et initiatus fuit solus ex barbaris Anacharsis, adscitus civis, siquidem oportet fidem habere Theoxeno, etiam istud de eo narranti.* Himerius in *Eclogis*. Ἤγαγε δὲ ἄρα ὁ τοῦ πυρὸς τοῦ κατ' Ἐλευσῖνα πόθος καὶ Ἀνάχαρσιν, καὶ Σκύθην, ἐπὶ C μυστήρια. *Duxit vero jam quoque ignis in Eleusine cupiditas Anacharsin & Scythen ad mysteria.* Nec viri tantum initiati, verum etiam sequior sexus; & quidem ætatis omnis, ac dignitatis. Apulejus *Mil.* XI. *Influunt turbæ sacris divinis initiatæ, viri, fœminæque, omnis ætatis, & omnis dignitatis.* Aristides *Eleusinia*. Ὅσα μὲν δὴ θέας ἐχόμενα εἶδον γενεαὶ παμπληθεῖς εὐδαιμόνων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἐν τοῖς ἀρρήτοις φάσμασιν. *Quæcunque quidem spectari decet, viderunt familiæ admodum multæ felicium virorum ac mulierum in illis arcanis spectaculis.* De fœminis, videre est etiam in *Inscriptione antiqua*:

D SACRATÆ. APUD. ELEUSINAM.
DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORÆ.

Mulieres vero initiatæ, Μέλισσαι dictæ. *Hesychius*. Μέλισσαι, αἱ τῆς Δήμητρος μύστιδες. *Melissæ, Cereri initiatæ.* Porphyrius de *Nymph. antro*. Τὰς Δήμητρος ἱερείας, ὡς τῆς χθονίας θεᾶς μύστιδας, Μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν. *Cereris Sacerdotes, tanquam terrestri Deæ initiatas, Melissas antiqui vocabant.* Alii sacerdotes Cereris ita dictas esse volunt. Scholiastes Euripidis *Hippolyto*. Τὰς ἱερείας (Δήμητρος) Μελίσσας ἐκάλουν οἱ ποιηταί. *Sacerdotes (Cereris) Melissas vocabant poetæ.* Item Pindari, *Pythionic.* Od. IV. Μελίσσας κυρίως τὰς τῆς Δήμητρος E ἱερείας φησί. *Melissas proprie Cereris sacerdotes dicunt.* Atque ita capiendus Callimachus *Hymno in* Apollin. vers. 110.

Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι.
Cereri autem non ex quolibet aquam ferunt Melissæ.

CAP. XVII.

Initiati ad virtutem obstricti putabantur, & recta a deabus Eleusiniis consilia accipere; feliciores denique esse in hac vita, & post mortem apud inferos multo honoratiores; ac priorem in consessu locum tenere: etsi nonnulli, Amori qui initiati, eos esse feliciores existimarent.

QUI autem initiati, credebantur ad vitam quandam meliorem capessendam, eamque quam rectissime possent instituendam, quasi sacramento quodam obstricti esse. Huc pertinent illa Ciceronis de *Leg.* lib. II. cap. XIV. *Multa eximia, divinaque, videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vi-*

tam hominum attulisse; tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus. neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus, & etiam cum spe meliore moriendi. Et ille apud Sopatrum in *Divis. Quæst.* Καὶ τῶν μυστηρίων ἀξιωθεὶς, ἐδεόμην καὶ τῆς παρ' ὑμῶν ἀρίστης παιδεύσεως· ἐζήτουν κατ' ἐμαυτόν, ὅστις παρ' ὑμῶν καὶ ἤθεσι καὶ λόγοις τὸν ἄριστόν με λόγον παιδεύσειεν. *Et mysteriis dignus habitus, petebam quoque illam apud vos optimam institutionem; quærebam apud me, quis apud vos & moribus & verbis optimam doctrinam me docere posset.* Et alius *ibidem*. Καθάπερ ἄλλῳ μυστηρίῳ προτελεσθεὶς τῇ σιωπῇ, τῶν ἄλλων ἁμαρτημάτων λοιπὸν τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἐκάθαιρον. καὶ πρὸς τὴν θείαν τῶν θεῶν τελετὴν ἐπειγόμενος, ἐκκλίνειν τῶν ἁμαρτημάτων ἐσπούδαζον. *Tanquam alio mysterio initiatus silentio, ab aliis peccatis reliquam meam vitam purgabam; & ad divinam Deorum initiationem festinans, evitare errores laborabam.* Aristides *Eleusinia*. Σαφέστατα δὴ πανήγυρις αὕτη (de mysteriis nostris loquitur) καθάρσιον ἦν καὶ μανιῶν, καὶ πάσης ἀτόπου συμφορᾶς. *Manifestissime autem solennitas hæc est purgatio & ab stultitia, & ab omni indecente casu.* Quin & consilia sibi recta a deabus Eleusiniis, Cerere, ac Proserpina, suppeditari arbitrabantur. Ita Pericles apud Sopatrum, in *citato semel iterumque Opere*. Πιστεύω ταῖς ἐν Ἐλευσῖνι θεαῖς, τοῦτον μοι ἐκβεβηκέναι τὸν νοῦν, καὶ τὸ στρατήγημα τοῦτο ἐξ ἀνακτόρων δοῦναι τῶν μυστικῶν. *Credo deabus Eleusiniis, hanc mihi incessisse mentem, & istud consilium ex adytis dedisse mysticis.* Immo longe aliis feliciores censebantur. Hinc Chorus Aristophanis *Ranis*, Act. I. Sc. IV. vers. 133.

Χωρῶμεν ἐς πολυρρόδους
Λειμῶνας ἀνθεμώδεις,
Τὸν ἡμέτερον τρόπον
Τὸν καλλιχορώτατον
Παίζοντες, ὃν ὄλβιαι
Μοῖραι ξυνάγουσι.
Μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος,
Καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν,
Ὅσοι μεμυήμεθ', εὐ-
σεβῆ τε διήγομεν
Τρόπον, περί τε ξένους,
Καὶ τοὺς ἰδιώτας.
Eamus in roseos
Campos floridos,
More nostro
Pulcherrimo
Ludentes, quem felices
Eumenides congregant.
Nobis enim solis sol
Et lumen hilare est,
Quotquot initiati sumus, bene
Piamque transigimus
Vitam, & apud extraneos.
Et proprios.

Theon in *Paradigm.* Κάλλιστον μὲν οὖν, καὶ τῶν μεγίστων ἀγαθῶν, τὸ μυστηρίων μετέχειν. *Pulcherrimum quidem igitur, & maximorum bonorum, consortem esse mysteriorum.* Nec in vita tantum, sed morte etiam, melius cum illis actum iri opinio erat. Crinagoras *Anthologiæ* lib. I. cap. XXVIII.

Εἰ καί σοι ἑδραῖος ἀεὶ βίος, οὐδὲ θάλασσαν
  Ἔπλως, χερσαίας τ' οὐκ ἐπάτησας ὁδοὺς,
Ἔμπης Κεκροπίης ἐπιβήμεναι. ὄφρ' ἂν ἐκείνης
  Δήμητρος μεγάλης νύκτας ἴδῃς ἱερῶν.
Τῶν ἄπο κἂν ζωοῖσιν ἀκηδέα, κεὖτ' ἂν ἵκηαι
  Ἐς πλεόνων, ἕξεις θυμὸν ἐλαφρότερον.

Et si tibi semper stabilis vita, neque mare
  Navigasti, litoreasque non calcaveris vias.
Statim Atticam ingredi, ut in ea
  Cereris magnæ noctes videas sacrorum.
A quibus tum inter vivos innoxium, tum si veneris
  Ad plures, habebis mentem leviorem.

Isocrates in *Panegyrico*, ubi de Cerere, quæ fruges Atheniensibus, & initia, est largita. Καὶ δούσης δωρεὰς διττὰς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι, τούς τε καρποὺς, οἳ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ τὴν τελετὴν, ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν. *Et dantis duplicia dona, quæ sunt maxima, tum fructus, qui in casu fuerunt, ne bestiarum more viveremus, & sacrum, quo initiati & de vitæ fine & omni ævo, dulciores spes habent.* Aristides *Eleusinia*. Ἀλλὰ μὴν τό γε κέρδος τῆς πανηγύρεως, οὐχ ὅσον ἡ παροῦσα εὐθυμία, οὐδ' αἱ τοῦ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις, καὶ ἀπαλλαγαί. ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διάξοντας. *Attamen fructum hujus sacri adeo non præsens lætitia, neque præcedentis temporis vexationum remissiones & dispulsiones; sed & de morte dulciores fovere spes, tanquam melius peracturos.* Et inter mortuos honoratiores futuri credebantur. Scholiastes Aristophanis *Ranis*. Φιλοτιμότεροί εἰσιν ἐν ᾅδου οἱ μεμυημένοι. *Conspectiores sunt apud inferos initiati.* Quin priorem quoque locum in consessu inter beatos habituri. Diogenes Laertius in *Vita cognominis Cynici*, lib. VI. cap. XXXIX. Ἐν ᾅδου προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι, *Apud inferos priore loco initiati honorantur.* Et Auctor *Axiochi*, ubi de beatorum post mortem statu. Ἐνταῦθα τοῖς μεμυημένοις ἐστί τις προεδρία. *Hic initiatis est quædam prioris loci dignitas.* Majoris tamen felicitatis compotes fieri a nonnullis putabantur, qui Amoris sacris essent initiati. Itaque ille ait apud Plutarchum Ἐρωτικῷ. Ἀγαθὸν μὲν, ὦ ἑταῖρε. τῆς ἐν Ἐλευσῖνι τελετῆς μετασχεῖν. ἐγὼ δὲ ὁρῶ τοῖς ἔρωτος ὀργιασταῖς καὶ μύσταις ἐν ᾅδου βελτίονα μοῖραν οὖσαν. *Bonum quidem, o amice, sacri Eleusinii participem esse. Ego autem video initiatos sacris amoris, & sacerdotibus apud inferos feliciorem partem concedi.* Hanc illorum spem perstringit Clemens in *Protreptico*. Ἄξια μὲν οὖν νυκτὸς τὰ τελέσματα, καὶ πυρὸς, καὶ τοῦ μεγαλήτορος, μᾶλλον δὲ ματαιόφρονος, Ἐρεχθειδῶν δήμου· πρὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, οὕς τινας μένει τελευτήσαντας, ἅσσα οὐδὲ ἔλπονται. *Dignæ quidem igitur tenebris nocturnis & igne initiationes illius magnanimi, sed potius vani Erechthidarum populi; præterea etiam reliquorum Græcorum, quos mortuos manent ea, quæ non sperant.*

CAP. XVIII.

Non initiati autem, Cereris templo prohibebantur; unde belli cum Philippo Atheniensibus causa fuit. Dein post mortem apud inferos in luto jacere credebantur.

QUI initiati non essent, iis templum Cereris intrare non licebat. Atque hæc Atheniensibus belli cum Philippo rege causa fuit. Liv. *Hist.* l. XXXI. cap. XIV. *Contraxerant autem cum Philippo bellum Athenienses, haud quaquam digna causa: dum ex vetere fortuna nihil præter animos servant. Acarnanes duo juvenes per initiorum dies, non initiati, templum Cereris, imprudentes religionis, cum cætera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit, absurde quædam percunctantes; deductique ad antistites templi, cum palam esset, per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus, interfecti sunt.* Hinc est,

quod Cererem, Proserpinam, aut Jacchum, mysteriorum præsides Deos in somnis videre, non initiatis malum esse Artemidorus dicit, *Onirocrit.* lib. II. cap. XLIV. Δημήτηρ δὲ, καὶ Κόρη, καὶ ὁ λεγόμενος Ἴακχος, τοῖς μεμυημένοις ταῖς θεαῖς ἀγαθόν τι, καὶ οὐ τὸ τυχὸν, σημαίνουσι. τοῖς δὲ ἀμυήτοις, πρότερον τινὰ φόβον, καὶ κίνδυνον, ἐπάγουσι. *Ceres vero, & Proserpina, & ille qui dicitur Iacchus, illis qui Deabus initiati sunt, aliquid bonum & non vulgare significant: non initiatis autem primum quendam metum & periculum adducunt.* Ac post mortem apud inferos in luto jacere putabantur. Plato *Phædone.* Καὶ κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι καταστήσαντες, οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος, καὶ ἀτέλεστος, εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται. *Et periclitantur etiam nostri auctores harum religionum, non eos esse inanes, sed reipsa olim clanculum innuere, eum qui non initiatus nec consummatus descendat ad inferos, in stercore abjectum iri.* Aristides *Eleusinia*, de re eadem. Ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διάξοντας, καὶ οὐκ ἐν σκότῳ τε καὶ βορβόρῳ κεισομένους, ἃ δὴ τοὺς ἀμυήτους ἀναμένει. *Sed etiam de morte suaviores habere spes, tanquam melius acturos, nec fore ut in caligine & stercore jaceant; illa autem manent profanos.* Hunc Themistii pertinet locus in *fragmento* quodam insigni apud Stobæum *Serm.* CXIX. Καὶ συνέσιν ὁσίοις καὶ καθαροῖς ἀνδράσι τὸν ἀμύητον ἐνταῦθα τῶν ζώντων ἀκάθαρτον ἐφορῶν ὄχλον, ἐν βορβόρῳ πολλῷ καὶ ὁμίχλῃ πατούμενον ὑφ' ἑαυτοῦ, καὶ συνελαυνόμενον. *Et adest sanctis purisque viris illam non initiatam hic viventium impuram aspicere turbam, in stercore multo & caligine calcatam ab se ipsa, & compulsam.* Et Diogenis Cynici responsum ad amicos, consulentes, ut initiari ante mortem vellet, apud Laertium *lib.* VI. *cap.* XXXIX. Γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μὲν, καὶ Ἐπαμεινώνδας, ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται. *Ridiculum, dixit, si Agesilaus quidem & Epaminondas in stercore versaturi sunt; viles vero quidam initiati in beatorum insulis futuri.* Item iste Cydonii locus, lib. de *Contemnenda Morte.* Καὶ τοῦτ' ἐστὶν ἡ ἐσχάτη κακοδαιμονία, καὶ ὁ βόρβορος, καὶ τὸ σκότος, ἢ κείσεσθαι τοὺς ἀμυήτους ἔχει γνώμη. *Et hæc est extrema infelicitas, & stercus, & caligo, in qua projectum iri non initiatos obtinet.*

CAP. XIX.

Probibiti autem initiari peregrini; & extra ordinem initiati Hercules, Bacchus, Dioscuri, Æsculapius, & Hippocrates. Sorani error indicatus. Barbari quoque exclusi his sacris, & homicidæ, quamlibet involuntarii; magi item, & præstigiatores alii: denique impii, & scelerati, qualescunque.

ARCEBANTUR autem initio his mysteriis peregrini, neque fas initiari illos erat. Apollodorus *lib.* II. Ἦν δὲ οὐκ ἐξὸν ξένοις τότε μυεῖσθαι. *Non erat autem licitum peregrinis initiari.* Quæ totidem verbis Homeri Scholiastes *Iliad.* Θ. Scholiastes Aristophanis *Pluto secunda.* Νόμος ἦν Ἀθηναίοις, μηδένα ξένον μυεῖν. *Lex erat Atheniensibus, neminem peregrinum initiare.* Itaque cum initiari Hercules cuperet, atque hac lege prohiberetur, instituta sunt Minora, ut supra dixi, quibus initiatus fuit. Atque hic primus e peregrinis initiatus. Aristides *Orat.* in Herculem. Ἔτι δ' αὐτῇ (τῶν Ἀθηναίων πόλει) καὶ φιλίας συμβόλαια πρὸς Ἡρακλέα πάμπολλα ὑπῆρχεν, ἄλλα τε, καὶ ὅτι πρῶτον ξένον ἐμύησεν, ἕως ἦν ἐν ἀνθρώποις. *Præterea illi (Atheniensium urbi) & pignora amicitiæ cum Hercule valde multa erant, tum alia, tum quod primum peregrinum initiaverit, dum erat in hominibus.* Iterum *Panathenaica.* Ἡρακλέος ἀπελθόντος ἐξ ἀνθρώπων, ἡ πόλις καὶ νεὼς καὶ βωμοὺς ἱδρύεται πρώτη, καθάπερ καὶ προσελθόντα τοῖς μυστηρίοις ἐτίμησε πρῶτον ξένων. *Hercule ex hominibus digresso, urbs & templa & aras exstruit prima, sicut etiam antea mysteriis honoravit primum peregrinorum.* Et rursum *Leuctrica* I. Ἡρακλεῖ μυστηρίων μετάδοσις πρώτῳ ξένων. *Herculi mysteriorum communicatio primo peregrinorum.* Præter Herculem, qui primus fuit, initiatus etiam Bacchus. Auctor *Axiochi.* Καὶ τοὺς περὶ Ἡρακλέα τε καὶ Διόνυσον, κατιόντας εἰς ᾅδου, πρότερον λόγος ἐνθάδε μυηθῆναι, καὶ τὸ θάρσος τῆς ἐκεῖσε πορείας παρὰ τῆς Ἐλευσινίας ἐναύσασθαι. *Et Herculem & Bacchum, degressos ad inferos, prius rumor est hic initiatos esse, & fiduciam profectionis ad illa loca ab Eleusinia incendisse.* Dein Dioscuris iste quoque honos habitus, adoptante illos Aphidno, quemadmodum Herculem Pylius etiam adoptaverat. Plutarch. *Thesee.* Οὐδὲν γὰρ (οἱ Τυνδαρίδαι) ἠξίωσαν, ἁπάντων κρατοῦντες, ἀλλ' ἢ μυηθῆναι. μηδὲν ἧττον Ἡρακλέους τῇ πόλει προσήκοντες. καὶ τοῦτο οὖν ὑπῆρξεν αὐτοῖς, Ἀφίδνου ποιησαμένου παῖδας, ὡς Πύλιος Ἡρακλέα. *Nihil enim (Tyndaridæ) petiverunt, omnium potentes, præterquam initiari, nihil minus quam Hercules urbem contingentes: idque igitur aderat illis, Aphidno procreante liberos, ut Pylius Herculem.* Aristides *Eleusinia.* Μυηθῆναι δὲ ξένων πρώτους Ἡρακλέα, καὶ Διοσκούρους, ἀγῶνά τε γυμνικὸν γενέσθαι πρῶτον Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. *Initiatos autem fuisse peregrinorum primos Herculem & Castoras, & certamen gymnicum fuisse primum Eleusine Atticæ.* Et Æsculapio. Philostratus in *Vita Apollonii* l. IV. c. VI. Τοῦτο δὲ ἐνόμισαν Ἀσκληπιοῦ ἕνεκα, ὅτι δὴ ἐμυήσαντο αὐτὸν ἥκοντα Ἐπιδαυρόθεν ὀψὲ μυστηρίων. *Id autem statuerunt Æsculapii causa, quod initiaverant eum venientem ab Epidauro vespera mysteriorum.* Pausan. *Corinthiacis.* Ἀθηναῖοι τῆς τελετῆς λέγοντες Ἀσκληπιῷ μεταδοῦναι, τὴν ἡμέραν ταύτην Ἐπιδαύρια ὀνομάζουσι. *Athenienses dicentes Æsculapio dedisse communionem sacri, diem illum vocant Epidauria.* Etiam Hippocrati. Exstatque hac de re Senatusconsultum Atheniensium, in quo ista ecce verba Δεδόχθαι τῷ δήμῳ μυῆσαι αὐτὸν τὰ μυστήρια τὰ μεγάλα δημοσίᾳ, καθάπερ Ἡρακλέα τὸν Διός. *Visum fuit populo initiare eum mysteriis magnis publice, sicut Herculem Jovis filium.* non recte Soranus, in *ejus Vita*, secundo id ab Hercule ipsi contigisse nobis tradit. Καὶ λαμπρῶν ἔτυχε τιμῶν παρὰ Κῴοις, ἀλλὰ καὶ Θετταλοῖς, καὶ Ἀργείοις, καὶ Ἀθηναίοις· οἵτινες καὶ δεύτερον αὐτὸν ἀφ' Ἡρακλέους δημοσίᾳ τοῖς Ἐλευσινίοις ἐμύησαν, καὶ πολίτην ἔγραψαν. *Et splendidos nactus fuit honores ab Cois, sed & Thessalis, & Argivis, & Atheniensibus, qui etiam secundum illum ab Hercule publice Eleusiniis initiarunt, ac civem scripserunt.* Nam ante Hippocratem etiam Baccho, & Dioscuris, illud factum jam ostendi. Postea admissi peregrini omnes, præter barbaros; idque in Medorum, & Persarum, odium. Isocrates *Panegyrico.* Εὐμολπίδαι δὲ, καὶ Κήρυκες, διὰ τὸ τούτων μῖσος, (de Medis, Persisque, loquitur) καὶ τοῖς ἄλλοις βαρβάροις εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν, ὥσπερ τοῖς ἀνδροφόνοις, προαγορεύουσιν. *Eumolpidæ vero & Cerices propter illorum odium quoque alios barbaros arcere sacris, tanquam homicidas pronunciaverunt.* De barbaris locus Luciani est *Demonacte.* Ἐτόλμησε δέ ποτε καὶ Ἀθηναίους ἐρωτῆσαι δημοσίᾳ, τῆς προρρήσεως ἀκούσας· διὰ τίνα αἰτίαν ἀποκλείουσι τοὺς βαρβάρους, καὶ ταῦτα, τοῦ τὴν τελετὴν αὐτοῖς καταστησαμένου Εὐμόλπου βαρβάρου, καὶ Θρᾳκὸς ὄντος. *Ausus fuit autem aliquando etiam Athenienses palam rogare præfatione audita; qua de causa excluderent barbaros, idque quum Eumolpus sacri auctor fuisset barbarus, & Thrax.* Exclusi quoque homicidæ. Ecce, in *citatis* jam Iso-

cratis *verbis*. Τοῖς ἄλλοις βαρβάροις εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν, ὥσπερ τοῖς ἀνδροφόνοις, προαγορεύουσιν. *Reliquis barbaris interdicere sacris, tanquam homicidis, præfantur*. Theon in *Paradigmatis*. Κάλλιστον μὲν οὖν, καὶ τῶν μεγίστων ἀγαθῶν, τὸ μυστηρίων μετέχειν· ἀλλὰ καὶ τούτων τῶν μυστηρίων (τὸν ἀνδροφόνον) ἀποκεκλείκασι, καὶ οὐδὲ τοῖς ἀκουσίοις φόνοις παντελῶς συγγνώμην εἴασαν εἶναι. *Pulcherrimum quidem igitur, & maximis bonis, mysteriorum consortem esse. Sed & his mysteriis (homicidam) arcuerunt, & neque fortuitis cædibus omnino statuerunt veniam esse*. Et observa, nec involuntariæ cædi veniam fuisse. Magi etiam, & præstigiatores quilibet. Philostratus in *Vita Apollonii*, lib. IV. cap. VI. Ὁ δὲ ἱεροφάντης οὐκ ἐβούλετο παρέχειν τὰ ἱερά. μὴ γὰρ ἄν ποτε μυῆσαι γόητα, μηδὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἀνοῖξαι ἀνθρώπῳ μὴ καθαρῷ τὰ δαιμόνια. *Hierophantes autem nolebat præbere sacra: nunquam enim initiatum fuisse præstigiatorem, neque Eleusinem aperuisse homini impuro Deos*. Ac simpliciter omnes impii, & scelerati. Itaque initio per præconem edicebatur, Ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός. *Procul, procul, quisquis nefarius*. Vel, Ἑκὰς, ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι. *Procul, procul este profani*. Lampridius in *Alexandro Severo*, c XVIII. *In sacris Eleusiniis dicitur, ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit*. Inde est illud Theocriti, *Id.* III. *vers.* 50. 51.

——ζαλῶ δὲ φίλα γύναι Ἰασίωνα,
Ὃς τόσσων ἐκύρησεν, ὅσ' οὐ πεύσεισθε βέβαλοι.
—— *æmulor autem, cara mulier, Jasionem,*
Qui talia adeptus fuit, qualia vos profani non noscetis.

Suetonius *Nerone*, cap. XXXIV. *Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii, & scelerati, voce præconis submoverentur, interesse non ausus est*. Horatius *lib.* III. *Od.* I.

Odi profanum vulgus, & arceo.

Ubi vetus *ejus* Interpres. *Profani, sacris non initiati, qui a sacris arcebantur*. Hinc insolens illud Demetrii factum, qui Aristagoræ meretrici prope ipsa adyta sellam posuit, ut mysteria spectaret. Narrat Athenæus *lib.* IV. Ἐλευσῖνί τε μυστηρίων ὄντων ἔθηκεν αὐτῇ (τῇ Ἀρισταγόρᾳ) θρόνον παρὰ τὸ ἀνάκτορον, οἰμώζεσθαι φήσας τοὺς κωλύσοντας. *Et quum Eleusine mysteria peragerentur, posuit ipsi (Aristagoræ) sellam prope adytum, plorare jubens vetituros.*

CAP. XX.

Sed non prodere non initiatis ea licitum fuit; & si quis hic deliquisset, ei mortem lex statuebat. Diagoræ Melii proscriptio. Æschyli periculum. Numenii somnium. Nec commune cum his quicquam sibi quisquam cupiebat. Ac ne ipsis quidem Diis divulgare illa licitum. Quin ut eloqui, ita audire nefas erat. Ceres quoque nomine mystico nuncupata. Tamen nihil apud Cretenses occultatum.

UTQUE ad sacra hæc profani non admissi, ita nihil etiam illis evulgare fas putatum, Lysias in *Epistola* ad Hipparchum. Οὐ γὰρ θέμις ὀρέγειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα. οὐδὲ γὰρ βεβήλοις τὰ ταῖν Ἐλευσινίαιν θεαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι. κατ' ἰσότητα δὲ ἄδικοι, καὶ ἀσεβεῖς, ἀμφότεροι οἱ ταῦτα πράξαντες. *Non enim fas porrigere occurrentibus ea quæ per tot agones adquisita sunt. Neque enim profanis Eleusiniarum Dearum mysteria narrari. Perinde autem injusti & impii utrique talia facientes*. Quæ corruptissima hodie leguntur apud Jamblichum, *lib.* I. *c.* XVII. Plato *Theæteto*. Ἄθρει δὲ περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ. *Vide autem circumspicientes, ne quis non initiatorum exaudiat*. Quem Platonis etiam locum, etsi sine Dialogi nomine, citat Clemens *Strom.* V. Diodorus Siculus *lib.* III. Καὶ τὰ παρεισαγόμενα κατὰ τὰς τελετὰς, περὶ ὧν οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν τὰ κατὰ μέρος. *Et instituta ad initiationes, de quibus nefas est non initiatis particulatim inquirere*, Nicetas in *Gregorii Nazianzeni Orat.* εἰς τὰ ἅγια φῶτα. *Nota sunt hæc Græcæ superstitionis hierophantis, quibus inviolabili lege interdictum erat, ne hæc atque hujusmodi mysteria apud eos, qui his sacris minime initiati essent, evulgarent*. Hunc pertinet proverbium, Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια. *Attici Eleusinia*. *Tarrhæus*. Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια. ἐλλείπει τὸ, καθ' ἑαυτούς· λέγει δὲ Δοῦρις, ὅτι ὅταν καθ' ἑαυτοὺς συλλεγέντες τινὲς πράττωσί τι, ἐπιλέγουσιν ἑαυτοῖς. Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια. *Attici Eleusinia: deest, apud se ipsos. Dicit autem Duris, quando aliqui inter se congregati aliquid faciunt, solitos super eo dicere sibi, Attici Eleusinia*. Habes quoque apud Zenobium *Cent.* II. *Proverb.* XXVI. Diogenianum *Cent.* I. *Proverb.* LI. & *Cent.* II. *Proverb.* XXXVIII. Justinus initio lib. V. *Mysteria Cereris initiorum sacra nullo magis, quam silentio, solennia*. Tertullianus *Adversus Valentinianos*, cap. I. *Nam & illa Eleusinia, hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent, pudor est*. Sophocles *Oed. Col. vers.* 1103. &c.

Οὗ πότνιαι σεμναὶ τιθηνοῦνται τέλη
Θνατοῖσιν, ὧν καὶ χρυσέα
Κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακεν
Προσπόλων Εὐμολπιδᾶν.
Ubi venerabiles sacerdotes fovent sacra
Mortalibus, quorum etiam aurea
Clavis linguæ imposita est
Ministrorum Eumolpidarum.

Ubi *Scholiastes*. Ἐπεὶ ἄρρητα τὰ μυστήρια, καὶ καθάπερ κλεισὶν ἡ γλῶσσα κατείληπται, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐξενεγκεῖν. *Quoniam mysteria enunciare non licet, & quasi clavibus lingua continetur, ut ne quid efferat*. Gregor. Nazianz. *Orat.* XXXIV. Οἶδεν Ἐλευσὶς ταῦτα, καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων, καὶ σιωπῆς ὄντως ἀξίων, ἐπόπται. *Ista novit Eleusis, & illi, qui rerum tacendarum, & vere silentio dignarum sunt præstites*. *Hermias* Διασυρμῷ τῶν ἔξω φιλοσόφων. Πυθαγόρας, καὶ οἱ τούτου συμφυλέται, σεμνοὶ, καὶ σιωπηλοὶ, παραδιδόασιν ἄλλα μοι δόγματα, ὥσπερ μυστήρια. *Pythagoras ejusque contribules, graves ac taciturni, tradiderunt alias mihi sententias, velut mysteria*. Mucius apud Dionysium Halicarn. *lib.* V. Δήμῳ μὲν φράζειν, ἃ διανοοῦμαι πράττειν, οὐκ ἀσφαλὲς, μή τις ἴδια κέρδη περιβαλόμενος, πρὸς τοὺς πολεμίους αὐτὰ ἐξενέγκῃ, δέον αὐτοῖς ὥσπερ μυστηρίου ἀπορρήτου φυλακῆς. *Populo quidem edere, quæ constituo facere, non est tutum, ne quis propriis commodis imminens ea ad hostes efferat, quum oporteat eis adhibere custodiam velut mysterii prorsus tacendi*. Inde est istud Senecæ *Hippolyto*, *vers.* 107.

Jactare tacitis conscias sacris faces.

Et Statii *Sylv.* IV. *Carm.* VIII. *vers.* 51.

Votivam taciti quassamus lampada mystæ.

Ovidius de *Arte Amandi*, lib. II. vers. 691.

Quis Cereris ritus audet vulgare profanis?

Mercurius Trismegistus *lib.* XIII. Πρόσεχε, παῖ. ἀρρήτων γὰρ ἐπακούεις μυστηρίων. *Attende, fili: nam celanda exaudis mysteria*. Hinc est illud Augusti factum, quod Suetonius nobis narrat in *ejus Vita*, c. XCIII. *Athenis initiatus, cum postea Romæ pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio, & corona circumstantium, solus audiit disceptantes*. Hesychius. Μύστης, τελούμενος, σιωπηλός.

Mysta, consecratus, taciturnus. Inde Μυστηριώδης σιωπὴ, apud Eunapium in *Juliano*. Καταπτηξάντων δὲ ὥσπερ διοσημίαν, καὶ σιωπῆς κατακεχυμένης μυστηριώδους. *Trepidantum vero velut ad cœleste prodigium, & effuso mysterioso silentio*. Et, Ἐν μυστηρίῳ κατέχειν, apud Justinum Martyrem in *Epistola* ad Diognetum. Ἐν ὅσῳ μὲν οὖν κατεῖχεν ἐν μυστηρίῳ, καὶ διετήρει τὴν αὐτοῦ βουλὴν, ἀμελεῖν ἡμῶν, καὶ ἀφροντιστεῖν, ἐδόκει. *In quantum igitur pro mysterio continuit, & custodiebat suum propositum; videbatur nobis sine cura & sollicitudine agendum*. Basilius Magnus in *Psalmum* XLV. Ὑπὲρ ἀπορρήτων, καὶ τῶν ἐν μυστηρίῳ κεκρυμμένων. *De rebus non dicendis & occulendis in mysterio*. Et Aretæus malagma quoddam suum secretius, hinc petita ratione, Μυστήριον vocat. Locus est χρονίων παθῶν θεραπ. *lib.* II. *cap.* VII. Καὶ τὸ μάλαγμα, ἐπίκλησιν τὸ χλωρόν· καὶ τοὐμὸν, τὸ μυστήριον. *Et emplastrum, quod vocatur viride, & hoc meum, quod (est) mysterium*. Quod si quis hæc divulgasset, ei mortem lex statuebat. Sopater in *Divis. Quæst.* Νόμος, τὸν ἐξειπόντα τὰ μυστήρια τεθνάναι. *Lex, ei qui enunciat mysteria moriendum esse*. Hinc proscriptus ab Atheniensibus fuit Diagoras Melius, ac propositum talentum unum ei, qui interfecisset ipsum; duo, qui vivum adduxisset. Suidas *in* Διαγόρας ὁ Μήλιος. Ἐκήρυξαν κατ' αὐτοῦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἐν χαλκῇ στήλῃ ἔγραψαν· τῷ μὲν ἀποκτείναντι, τάλαντον λαμβάνειν· τῷ δὲ ἄγοντι, δύο. ἐκηρύχθη δὲ τοῦτο, διὰ τὸ ἀσεβὲς αὐτοῦ. ἐπεὶ τὰ μυστήρια πᾶσι διηγεῖτο, κοινοποιῶν αὐτὰ, καὶ μικρὰ ποιῶν, καὶ τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι ἀποτρέπων. *Præconio vulgarunt contra eum Athenienses, & inscripserunt æreæ columnæ; interficienti talentum præmium fore; ducenti autem (captivum) duo. Id pronunciarunt propter ejus impietatem, quoniam mysteria omnibus enarrabat, exponens ea in commune, & extenuans, & dehortans eos, qui initiari volebant*. Quæ iisdem verbis Scholiastes quoque Comici *Avibus* dicit. Ac respexit Athenagoras in *Legatione*. Διαγόρᾳ μὲν γὰρ εἰκότως ἀθεότητα ἐπεκάλουν Ἀθηναῖοι, μὴ μόνον τὸν Ὀρφικὸν εἰς μέσον κατατιθέντι λόγον, καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι δημοσιεύοντι μυστήρια. *Diagoram enim quidem juste impietatis accusaverunt Athenienses, qui non modo Orphicum in medium protulisset sermonem, & Eleusinia publicarat mysteria*. Etiam Æschylus, cum nonnulla de mysteriis in tragœdiis quibusdam divulgasse videretur, in extremum mortis discrimen adductus fuit. Eustratius ad *Ethic. Nicomach.* lib. III. cap. I. Δοκεῖ Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξότισι, καὶ Ἱερείαις, καὶ ἐν Σισύφῳ Πετροκυλιστῇ, καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ, καὶ ἐν Οἰδίποδι. ἐν γὰρ τούτοις πᾶσι περὶ Δήμητρος λέγων, τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι ἔοικε. λέγει δὲ καὶ περὶ Αἰσχύλου Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι, ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμὸν, καὶ Ἀρεοπαγιτῶν αὐτὸν παραιτησαμένων, ὡς ὀφείλοντα κριθῆναι πρῶτον. *Videtur Æschylus dicere quædam arcana in Equitantibus fœminis, & in Sacerdotibus, & in Sisypho saxi volutatore, & in Iphigenia, & in Oedipo. In illis enim omnibus loquens de Cerere, videtur curiosius tetigisse secretiora. Loquitur autem de Æschylo etiam Heraclides Ponticus in primo de Homero, ut qui in periculum venerit trucidandi in scena, quia videbatur aliqua secreta proferre, nisi illud præsentiens refugisset ad Bacchi aram, & Areopagitis illum exigentibus, quasi qui deberet primo judicari*. Clemens *Strom.* II. Ὡς Αἰσχύλος, τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπὼν, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθεὶς, οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας αὑτὸν μὴ μεμυημένον. *Sicut Æschylus quum mysteria in scena enuntiasset, in Areopago judicatus, ita dimissus fuit, quum demonstravisset se non initiatum*. Et Numenio numinum ob hanc rem offensam somnium ostendit, quod Macrobius nobis refert, in *Somn. Scip.* lib. I. cap. II. *Numenio denique inter Philosophos occultiorum curiosiori, offensam numinum, quod Eleusinia sacra interpretando vulgaverit, somnia prodiderunt. Viso sibi ipsas Eleusinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar videre prostantes; admirantique, & causas non convenientis numinibus turpitudinis consulenti respondisse iratas; ab ipso se adyto pudicitiæ vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas*. Adeoque nihil sibi cum eo commune cupiebant, qui hic peccasset; immo ne domum quidem, aut iter. Hinc Horatius *lib.* III. *Od.* II. *v.* 24. &c.

—— vetabo, qui Cereris sacrum.
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus fragilemque mecum
Solvat phaselum. ——

Quin silentium hoc adeo necessarium omnes arbitrari, ut ne ipsis quidem Diis enarrare fas putarent. Hoc Tibulli ista innuunt, *lib.* III. *Eleg.* V. *v.* 7. 8.

Non ego tentavi, nulli temeranda Deorum,
Audax laudandæ sacra docere Deæ.

Atque ut proloqui crimen erat, ita audire. Apulejus *Milesia* XI. *Quæris forsitan anxie, quid deinde dictum, quid factum? dicerem, si dicere liceret; cognosceres, si liceret audire. sed parem noxam contraherent aures, & linguæ, temerariæ curiositatis*. Pausanias *Atticis*, ubi de Eleusine agit. Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ, τό τε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν, καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν ὅπως ὧν θέας εἴργονται, δῆλα δή που μηδὲ πυθέσθαι μετεῖναι σφίσιν. *Quæ vero intra murum templi sunt, somnium vetuit scribere, & non initiatis ut quorum arcentur spectaculo, sane nec sciscitari illis permissum*. Inde est illud apud Catullum:

Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Hinc est, quod *Verenda* dicitur Eleusis apud Sidonium, *Carm.* IX.

Non cum Triptolemo verendam Eleusin.

Quin ipsa Ceres in his sacris non Δημήτηρ, suo nomine; verum Ἄχθεια, mystice dicta. Habes in Hesychii *Glossis*. Ἄχθεια, ἡ Δημήτηρ, μυστικῶς. *Achthea, Ceres, mystice*. Atque hæc ita apud Athenienses sese, Græcosque omnes, habuere; nisi quod apud Cretenses divulgare ea licitum, quod & illi testimonium esse volebant, originem eorum sibi deberi. Diodorus Siculus auctor, *Bibliothecæ* lib. V. Περὶ μὲν οὖν τῶν θεῶν οἱ Κρῆτες τῶν παρ' αὐτοῖς λεγομένων γεννηθῆναι τοιαῦτα μυθολογοῦσι. τὰς δὲ τιμὰς, καὶ θυσίας, καὶ περὶ τὰ μυστήρια τελετὰς, ἐκ Κρήτης εἰς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους παραδεδόσθαι λέγοντες, τοῦτο φέρουσιν, ὡς οἴονται, μέγιστον τεκμήριον· τήν τε γὰρ παρ' Ἀθηναίοις ἐν Ἐλευσῖνι γενομένην τελετὴν, ἐπιφανεστάτην οὖσαν σχεδὸν ἁπασῶν, καὶ τὴν ἐν Σαμοθρᾴκῃ, καὶ τὴν ἐν Θρᾴκῃ ἐν τοῖς Κίκοσιν, ὅθεν ὁ καταδείξας Ὀρφεὺς ἦν, μυστικῶς παραδίδοσθαι. κατὰ δὲ τὴν Κρήτην ἐν Κνωσσῷ νόμιμον ἐξ ἀρχαίων εἶναι φανερῶς τὰς τελετὰς ταύτας πᾶσι παραδίδοσθαι, καὶ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐν ἀπορρήτῳ παραδιδόμενα, παρ' αὐτοῖς μηδένα κρύπτειν τῶν βουλομένων τὰ τοιαῦτα γινώσκειν. *Igitur de Diis quidem, qui apud ipsos dicuntur nati, talia Cretenses fabulantur. Honores vero & sacrificia & initiationes circa mysteria ex Creta ad alios homines fuisse proditas dicentes, illud afferunt, ut opinantur, maximum documentum. Etenim conspectissimam istam fere omnium quæ apud Athenienses Eleusine peragitur, eamque quæ Samothrace, eamque quæ* in

in Thracia apud Ciconas, unde primus auctor Orpheus erat, mystice tradi. Sed apud Cretas in urbe Gnosso legitimum ab antiquo esse palam initiationes illas omnibus tradi, & quæ apud alios in operto traduntur, apud ipsos nemini occultare eorum, qui talia volunt cognoscere.

CAP. XXI.

Quando incboata mysteria; &, quot dies agitata. Polyænus restitutus.

DIXI supra quonam mense agi solita; nunc de die, quo incepta; & quot dies agitata, est dicendum. Ac quo die inchoata, age primum ostendamus. Plutarchus in *Alexandro*, ubi pugnam ad Arbela commemorat, undecimo die post mysteriorum initium commissam eam nobis refert. Ecce verba. Ἡ μὲν οὖν σελήνη τοῦ Βοηδρομιῶνος ἐξέλιπε, περὶ τὴν τῶν μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν. ἑνδεκάτῃ δὲ ἀπὸ τῆς ἐκλείψεως νυκτί, τῶν στρατοπέδων ἐν ὄψει γενομένων, Δαρεῖος μὲν ἐν ὅπλοις συνῆγε τὴν δύναμιν, ὑπὸ λαμπάδων ἐπιπορευόμενος τὰς τάξεις. *Luna quidem igitur Boedromionis eclipsin passa fuit circa principium Atheniensium mysteriorum. Undecima vero nocte ab deliquio, exercitibus in mutuum conspectum progressis, Darius quidem in armis collegit omne robur, ad faces circumiens ordines.* In Camillo vero dicit XXVI. die factum. Τοῦτο δὲ αὖ πάλιν Πέρσαι μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἕκτῃ μὲν ἐν Μαραθῶνι, τρίτῃ δ᾽ ἐν Πλαταιαῖς ἅμα καὶ περὶ Μυκάλην ἡττήθησαν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων. πέμπτῃ δὲ φθίνοντος, ἐν Ἀρβήλοις Ἀθηναῖοι τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, ἧς Χαβρίας ἐστρατήγει, τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον. *Partim vero rursus Persæ mense Boedromione, sexta quidem in Marathone, tertia vero ad Platæas simul & circa Mycalen victi sunt ab Græcis: quinta vero finientis in Arbelis Athenienses victoria navali ad Naxum potiti sunt, ubi Chabrias dux fuit, circa Boedromionis plenilunium.* Ergo si his XXVI. diebus undecim detrahas, habebis mensis decimum quintum; in quem mysteriorum initium incidisse, ex *Plutarcho* jam accipimus. Sed per quot dierum spatium agitata? Non hoc certo affirmaverim. Corruptissimus est omnino Polyæni quidam locus, qui XXXIX. statuit. Exstat iste *libro* III. *cap.* XI. §. II. Χαβρίας περὶ Νάξιον ναυμαχῶν ἐνίκησε Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα. αὐτὴν τὴν ἡμέραν ἐπιτήδειον τῇ ναυμαχίᾳ κρίνας, ὅτι ἦν μία τῶν λθ΄. μυστηρίων. *Chabrias ad Naxum classe pugnans vicit Boedromionis die sexta decima, quum decerneret illum diem opportunum navali conflictui esse, quoniam erat unus* XXXIX. *mysteriorum.* Itane plus mense toto impensum sacris istis fuerit? Ne quis credat. Certe nimium exerrat numerus; vereorque, ne hic factum, quod in explicandis somniis *alibi* Artemidorus tradit, novem fieri triginta novem. Idque arbitror; & scribendum, τῶν θ΄. μυστηρίων. Nam novem dies observasse mihi videor; ac de quibusdam, certa dicam; de quibusdam, conjectura tantum utar: cujus mihi venia danda, in re obscura; & quam primus, sine duce, investigo.

CAP. XXII.

Primus dies, Ἀγυρμὸς dictus. Plutarchi locus restitutus. Eoque initiatio facta.

ERGO, ut a me ostensum, primus mysteriorum dies in decimum quintum mensis incidit. Nomen vero illi, Ἀγυρμόν. *Hesychius* luculentus testis. Ἀγυρμὸς, ἐκκλησία, συγκρότησις. ἔστι,

A δὲ πᾶν τὸ ἀγειρόμενον. καὶ τῶν μυστηρίων ἡμέρα πρώτη. *Agyrmus, ecclesia, congregatio. Est vero omne quod congregatur, & mysteriorum dies prima.* Corruptum ego illud video apud Plutarchum, in *Demetrio*; ubi de eo, initiari cupiente. Στρατοκλέους γνώμην εἰπόντος, Ἀνθεστηριῶνα τὸν Μουνυχιῶνα ψηφισαμένους καλεῖν, καὶ νομίζειν, ἐτέλουν τῷ Δημητρίῳ τὰ πρὸς ἀγοράν. *Stratocle sententiam dicente, quum decrevissent Anthesteriona appellare Munychionem, idque ratum habere, præstabant Demetrio commeatum.* Nam quid hoc est? ἐτέλουν τῷ Διονύσῳ τὰ πρὸς ἀγοράν. *præstabant Demetrio commea-*
B *tum.* Neque injuria sese torquet hic vir magnus, Isaacus Casaubonus. Omnino rescribendum censeo. ἐ. τ. Δ. τὰ πρὸς ἀγυρμόν. *præstabant Demetrio ea quæ ad cœtum.* Vult enim dicere, præparasse ipsos Demetrio, quæ ad inchoanda mysteria, & initiandum eum, necessaria. Quippe primo illo die initiatio fieri solita; cujus ritus jam explicui capp. X. & XI. Ac respectum huc existimo a Dionysio Halicarn. *Antiquit. Rom.* lib. II. Ἑορτὴ τε παρ᾽ αὐτοῖς οὐδεμία μελανείμων ἢ πένθιμος ἄγεται, κοπετοὺς ἔχουσα καὶ θρήνους γυναικῶν ἐπὶ θεοῖς ἀφανιζομένοις, ὥσπερ Ἕλλησιν ἐπιτελεῖται περί τε Περσεφόνης ἁρπαγὴν, καὶ τὰ Διονύσου πάθη, καὶ
C ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. οὐδ᾽ ἂν ἴδοι τις παρ᾽ αὐτοῖς, καίτοι διεφθαρμένων τῶν ἐτῶν ἤδη, οὐ θεοφορήσεις, οὐ κορυβαντιασμοὺς, οὐκ ἀγυρμοὺς, οὐ βακχείας, καὶ τελετὰς ἀπορρήτους. *Et festum apud eos nullum in pullo aut lugubribus agitur, planctus habens & lessos mulierum de Diis obscuratis, prout ab Græcis celebratur circa Proserpinæ raptum, & ærumnas Bacchi, & quæ his similia. Nullus apud eos videat, quamvis corruptis jam annis, non impletas Deo mentes, non Corybantum lusus, non congregationes, non Bacchicos ululatus, & arcanas initiationes.*

D

CAP. XXIII.

Secundus vero, Ἅλαδε μύσται appellatus. Hesychius emendatus, & Polyænus. Chabriæ hoc die victoria navalis, omenque ab eo ex nomine captum. Plutarchi locus emendatus.

SECUNDUS, mensis decimus sextus, Ἅλαδε μύσται nuncupatus; quia, ut colligo, admonere præco sacrorum illos solitus, uti ad mare se conferrent. Est *Hesychii* locus quidam, e quo capio; sed corrupte hodie editur. Ἅλα* δεύνυται. ἡμέ-
E ρα τις τῶν Ἀθήνησι μυστηρίων. *Hala* * *denystai. dies quidam mysteriorum Athenis.* Nisi me conjectura fallit, rescribendum. Ἅλαδε μύσται. *Ad mare sacerdotes.* Et clarissime Polyænus nos docuerat; sed corrupta valde verba: ac partem eorum jam restitui supra, *cap.* XXI. partem vero nunc restituam. Exstant *Strategematum* lib. III. cap. XI. §. II. ubi de navali victoria Chabriæ agit, apud Naxum reportata. Χαβρίας περὶ Νάξον ναυμαχῶν ἐνίκησε Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα. αὐτὴν τὴν ἡμέραν ἐπιτήδειον τῇ ναυμαχίᾳ κρίνας, ὅτι ἦν μία τῶν λθ΄. μυστηρίων. οὕτω γέ τοι καὶ Θεμιστοκλῆς τοῖς
F Πέρσαις ἐναυμάχησε περὶ Σαλαμῖνα. ἀλλὰ οἱ μὲν περὶ Θεμιστοκλέα σύμμαχον ἔσχον τὸν Ἴακχον γολλάδα μύσται. *Chabrias ad Naxum prælio navali pugnans vicit Boedromionis die sexto supra decem, ipsum illum die judicans oportunum navali prælio, quoniam erat unus triginta novem mysteriorum. Sic sane etiam Themistocles cum Persis mari conflixit ad Salamina. Sed Themistocles quidem commilitonem habuit Jacchum golladai mystæ.* De dierum ibi numero, per quos celebrata mysteria, emendationem meam jam proposui; restant

duo in fine verba, item mendosa; & in medio, unde avulsa, reponenda. Itaque totus iste locus sic legendus. Χαβρίας περὶ Νάξον ναυμαχῶν, ἐνίκησε Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα. αὐτὴν ἡμέραν ἐπιτήδειον τῇ ναυμαχίᾳ κρίνας, ὅτι ἦν μία τῶν μυστηρίων, Ἅλαδε μύσται. ὥσπερ γέ τοι καὶ Θεμιστοκλῆς τοῖς Πέρσαις ἐναυμάχησε περὶ Σαλαμῖνα. ἀλλὰ οἱ μὲν περὶ Θεμιστοκλέα σύμμαχον ἔσχον τὸν Ἴακχον. *Chabrias ad Naxum nav bus pugnans, vicit Boedromionis sexto die supra decem, illum diem judicans oportunum navali prælio, quoniam erat unus mysteriorum, dictus Ad mare mystæ. Sic sane etiam Themistocles cum Persis mari conflixit ad Salamina; sed Themistocles quidem commilitonem habuit Jacchum.* Affirmaverim, veram hanc lectionem esse; sed judicio tamen Lectoris eruditi, ejusque qui judicio valeat, rem permitto. Et vis rei fundamentum? Chabrias sibi eo mysteriorum die pugna navali decertandum existimavit; quasi ipso illius nomine, quo ad mare vocabatur, invitatus; & omen quoque victoriæ inde aliquod capiens. Porro quod victoriam istam Chabriæ attinet, ut hoc obiter etiam dicam, iste item Plutarchi locus *Phocione* est. Πρώτην οὖν ἐκείνην ναυμαχίαν ἡ πόλις αὐτὴ δι᾽ αὑτῆς ἀγωνισαμένη τοῖς Ἕλλησι μετὰ τὴν ἅλωσιν, καὶ κατατυχοῦσα, τόν τε Χαβρίαν ὑπερηγάπησε, καὶ τοῦ Φωκίωνος, ὡς ἀνδρὸς ἡγεμονικοῦ, λόγον ἔσχεν. ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα Χαβρίας Ἀθηναίοις καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος. *Primum igitur istud navale prælium urbs ipsa per se præliata Græcis post expugnationem, & feliciter defungens, tum Chabriam valde amavit, & Phocionem, ut virum imperatorium, in sermone & cura habuit. Vicerunt autem magnis mysteriis, præbuitque vini congiarium Chabrias Atheniensibus in annos singulos sexto die super decem mensis Boedromionis.* Ac corrigendus omnino idem, lib. *de Gloria Athen.* Ἕκτῃ μὲν ἱσταμένου Βοηδρομιῶνος εἰσέτι νῦν τὴν ἐν Μαραθῶνι νίκην ἡ πόλις ἑορτάζει· ἕκτῃ δ᾽ ἐπὶ δέκα μηνὸς οἰνοχοεῖται τῆς Χαβρίου περὶ Νάξον ἐπινίκια ναυμαχίας. *Sexto quidem stantis Boedromionis etiam nunc victoriam Marathoniam urbs celebrat: sexto autem mensis post decem vinum fundit ad memoriam victoriæ maritimæ Chabriæ ad Naxum.* Minus recte est in vulgatis. Ἕκτῃ δὲ μηνὸς οἰνοχοεῖται. *Sexto autem mensis vinum fundit.* Ortum mendum e numerorum confusione, ς΄. & ις΄.

CAP. XXIV.

Tertio die sacra facta, & mullus ei immolatus, isque Æxonicus, tanquam cæteris præstantior. Itaque sacer ille Cereri, duabus de causis; neque eum gustabant mystæ. Additum hordeum, e campo Rhario. Nec fas quicquam foras abjicere, aut Junonis sacerdoti inde gustare; ejusque templum claudi solitum, cum Cereris sacra peragerentur: ut & Cereris, cum Junoni sacra fierent. Omnia ei immolata, Θύα *dicta.*

IN tertium diem, qui mensis decimus septimus erat, sacra facta collocabimus; nam hæc reliquis præmissa, ut religiosi erant Athenienses, vero simile. Immolabant autem mullum; ideoque inter ea, quæ in sacris Eleusiniis fieri solita, refert Melanthius, Περὶ τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων, *De mysteriis in Eleusine.* Videmus apud Athenæum, *lib.* VII. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν τοῖς Περὶ θεῶν, τῇ Ἑκάτῃ (eadem hæc cum Cerere, & Diana; unde etiam Τρίμορφος dicta) φησὶ θύεσθαι τρίγλην, διὰ τὴν τοῦ ὀνόματος οἰκειότητα. τρίμορφος γὰρ ἡ θεός. Μελάνθιος δ᾽ ἐν τῷ Περὶ τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων, καὶ τρίγλην, καὶ μαινίδα. *Apollodorus vero in libris de* A *Diis, Hecatæ scribit immolari mullum propter nominis similitudinem. quippe triformis dea. Melanthius autem in scripto de mysteriis in Eleusine, & mullum, & sepiam.* Hoc est, quod Phurnutus ait, ubi de *Diana* agit. Καθιέρωσαν δὲ καὶ τρίγλην αὐτῇ, διὰ τοὔνομα. *Consecrarunt autem & mullum illi propter nomen.* Et erat ille non quilibet mullus, sed Æxonensis. Observo ex Nausicrate Ναυκλήροις, cujus fragmentum istud producit Athenæus, *libro citato.* Ναυσικράτης δ᾽ ὁ κωμῳδοποιὸς ἐπαινεῖ τὰς Αἰξωνικὰς τρίγλας ἐν Ναυκλήροις, λέγων οὕτως.

—— μετ᾽ αὐτῶν εἰσὶν ἐκπρεπεῖς φύσιν
B Αἱ ξανθοχρῶτες, ἃς κλύδων Αἰξωνικὸς
Πασῶν ἀρίστας ἐν τόποις παιδεύεται.
Αἷς καὶ θεὰν τιμῶσι φωσφόρον κόρην,
Δείπνων ὅταν πέμπωσι δῶρα ναυτίλοι.
Τρίγλας λέγεις. ——

Nausicrates vero comicus laudat Æxonicos mullos in Navium magistris, dicens ita:

—— cum illis sunt decori corpore
Flavicolores, quos fluctus Æxonicus
Omnium optimos in locis educat.
Quibus quoque Deam honorant luciferam puellam,
C *Cœnarum quando mittant dona navitæ;*
Mullos ais.

Ideo autem Æxonensis mullus capiebatur, tanquam qui præstaret cæteris. Vides in *citatis* Nausicratis *versibus.*

—— ἃς κλύδων Αἰξωνικὸς
Πασῶν ἀρίστας ἐν τόποις παιδεύεται.
—— quos fluctus Æxonicus
Omnium optimos in locis educat.

Cratinus *Trophonio.*

Οὐδ᾽ Αἰξωνίδ᾽ ἐρυθρόχρων ἐσθίειν ἔτι
Τρίγλην. ——
Neque Æxonicum rubrum edere amplius
D *Mullum.* ——

Hesychius. Αἰξωνίδα τρίγλην. δοκοῦσι κάλλισται εἶναι αἱ Αἰξωνικαὶ τρίγλαι. *Æxonicum mullum. videntur optimi esse Æxonici mulli.* Itaque sacer Cereri mullus habebatur, & a mystis colebatur. Plutarchus de *Solertia Anim.* Τρίγλην δὲ τοὺς ἐν Ἐλευσῖνι μύστας σεβομένους ἴστε. *Mullum vero mystas Eleusinios venerantes nostis.* Ælianus duas nobis hujus rei causas tradit, *Hist. Anim.* lib. IX. cap. LI. Τρίγλης πέρι ἀνωτέρω εἶπον. ὃ δὲ οὐκ εἶπον, νῦν ἐρῶ. ἐν Ἐλευσῖνι τιμὰς ἔχει ἐκ τῶν μυουμένων. καὶ διπλοῦς ὁ λόγος τῆς αἰτίας τῆσδε. οἱ μὲν φασιν, ἐπεὶ τρὶς τοῦ ἔτους τίκτει, οἱ δὲ, ἐπεὶ τὸν λαγὼν ἐσθίει, ὅ- E περ ἀνθρώπῳ θανατηφόρος. *De mullo supra locutus sum. Quod autem non dixi, nunc prodam. Eleusine honores habet ex initiatis. Et duplex sermo de causa hac. Alii quidem ferunt, quia ter anno parit: alii vero, quia leporem* (n. marinum) *devorat, qui homini letalis est.* Itaque neque gustabant mullum. Idem Ælianus *Operis citati* eodem libro, cap. LXV. Τῆς δὲ τρίγλης οὐκ ἂν γεύσαιντο οἱ αὐτοὶ μύσται. *Mullum vero non gustaverint mystæ.* In his sacris ad molas, & liba, hordeum quoque adhibebatur, quod in campo Rhario natum. Pausanias *Atticis*, ubi de Eleusine agit. Τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον πρῶ- F τον σπαρῆναι λέγουσι, καὶ πρῶτον αὐξῆσαι καρπούς. καὶ διὰ τοῦτο οὐλαῖς ἐξ αὐτοῦ χρῆσθαι, καὶ ποιεῖσθαι πέμματα εἰς τὰς θυσίας καθέστηκεν. *Campum vero Rharium primum seminatum fuisse dicunt, ac primum auxisse fructus; & propterea hordeo inde uti & fingere liba ad sacrificia instituit.* Atque ex iis nihil foras abjicere licitum. Scholiastes Comici *Equitibus.* Οὐκ ἐξῆν τὰ θυόμενα Δημήτερι καὶ Περσεφόνῃ ἔξω ἀφιέναι. *Non licebat immolata Cereri ac Proserpinæ extra emittere.* Neque ex his gustare quicquam fas Junonis sacerdoti; quin tem-

plum ejus Deæ, cum Cereri fieret, claudebatur: ut & Cereris, cum Junoni ſacra facerent. Servius *Æneid.* IV. *Cum Eleuſinæ Cereris ſacrum fit, ædes Junonis clauditur; item, cum Junoni Eleuſinæ fit, templum Cereris clauditur; nec ſacerdoti Junonis licet guſtare, unde Cereri ſit libatum.* Quæ autem Cereri, ac Proſerpinæ, immolata; ea Θύα appellata. Habes in Heſychii *Gloſſis*. Θύα, ἀρτύματα, Κύπριοι. ἔνιοι, τὰ ἀρώματα. Καλλίμαχος. Εὔπολις, τὰ πέμματα. λέγεται δὲ καὶ τὰ θυόμενα ταῖν θεαῖν. *Thya, libamenta, Cyprii: alii, aromata. Callimachus, Eupolis liba. Dicuntur autem etiam immolata Deabus.*

CAP. XXV.

Die quarto calathi proceſſio erat, qui curru vehebatur, bobus trahentibus. Hunc cum ciſtis mulieres ſequebantur. Eæ ciſtæ faſciis puniceis redimitæ, quidque in iis occultatum. Ac cur mala in illis Punica, & papaver. Strabi Galli error oſtenſus.

QUARTO die, qui octavus decimus menſis, calathi proceſſio fuit, ut exiſtimo. Ejus mentio apud Callimachum eſt, *Hymno citato, verſ.* I. &c.

Τῶ καλάθω κατιόντος ἐπιφθέγξαθε γυναῖκες,
Δάματερ, μέγα χαῖρε, πολύτροφε, πουλυμέδιμνε.
Τὸν κάλαθον κατιόντα χαμαὶ θάσησθε βέβαλοι,
Μηδ᾽ ἀπὸ τοῦ τέγεος, μηδ᾽ ὑψόθεν αὐγάσησθε,
Μὴ παῖς, μηδὲ γυνὰ, μηδ᾽ ἃ κατεχεύατο χαίταν.
Μὴ τόκ᾽ ἀπ᾽ αὐαλέων ςομάτων πτύωμες ἄπαςοι,
Εσπερος ἐκ νεφέων ἐσκέψατο πανίκα νεῖται.
Calatho deſcendente acclamate mulieres
Ceres, multum ſalve, copioſa nutrix, multorum modiorum!
Calathum deſcendentem deorſum ſpectate profani.
Neque ab tecto, neque ſuperne intueamini,
Non puer, nec mulier, nec quæ demiſit comam.
Non quod ab arido ore ſpuimus jejuni,
Veſper ab nubibus vidit, quando incedit.

Et obſerva; inter procedendum acclamatum a mulieribus fuiſſe, χαῖρε Δήμητερ. Deinde humi ſpectare profanos debuiſſe, non e tectis, aliiſve locis editis; nec ſpuendum tum fuiſſe: deinde circa veſperam id factum. Erat vero calathi repræſentatio, quo Proſerpina flores lectos repoſuerat. Clemens meminit in *Protreptico*. Καὶ τὰ Φερεφάττης ἀνθολόγια διηγήσομαί σοι, καὶ τὸν κάλαθον, καὶ τὴν ἁρπαγὴν τὴν ὑπὸ Αἰδωνέως. *Et Proſerpinæ collectiones florum tibi narrabo, & calathum, & raptum ab Plutone.* Vehebatur autem calathus curru. Scholiaſtes Callimachi, *loco citato*. Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις, ἐν ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ, ἐπὶ ὀχήματος φέρεσθαι καλάθιον, εἰς τιμὴν τῆς Δήμητρος. *Mos erat Athenis ſtatuto die in vehiculo portari calathum in honorem Cereris.* Et incedebat tarde hic currus, trahentibus bobus; eſtque hic intelligendus, de quo Virgilius *Georg.* lib I. verſ. 163.

Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra.

Habebat autem non rotas radiatas, quemadmodum alii; ſed tympana, axi cohærentia, & cantho ferreo juncta. Probus ad *citatum* Virgilii *locum*. *Imperiti ea ploſtra appellant. Sunt enim vehicula, quorum rotæ non ſunt radiatæ; ſed tympana, cohærentia axi, & juncta cantho ferreo. Axis autem cum rota volvitur; nam rotæ circa ejuſdem cardinem adhibentur. Hoc vehiculum in ſacris Cereris arcanæ, quæ Eleuſina appellatur, ab oppido Eleuſine Attico; & id ducunt boves.* Poſt hunc fœminæ incedebant, ciſtas myſticas bajulantes. *Suidas* meminit. Κισοφόρος. ἔοικε ἱερὰς τὰς κίςας τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν θεαῖν. *Ciſtophorus. videtur ſacras ciſtas Bacchi & Dearum (alludere.)* Catullus in *Carmine* de Nuptiis Pelei, *v.* 257.

Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis.

Et alluſit Ovidius *de Arte*, lib. II. v. 609. *&c.*

Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis,
Nec cava veſanis ictibus æra ſonant;
Attamen inter nos medio verſantur in uſu,
Sed ſic, inter nos ut latuiſſe velint.

Hinc Μυςιπόλοι ταλάροιο dicuntur Nonno, *Dionyſ.* XIII. *verſ.* 188. 189.

Οἵ τ᾽ ἔχον ἀγλαόπαιδος Ἐλευσινίην χθόνα Δηοῦς
Μυςιπόλοι ταλάροιο. —
Et qui habent lætæ ſubole Eleuſiniam terram Cereris
Myſtæ calathi.

Erantque illæ faſciis purpureis redimitæ. Obſervo apud Plutarchum in *Phocione*. Τότε δὲ περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας αἱ ταινίαι μὲν, αἷς περιελίττουσι τὰς μυςικὰς κοίτας, βαπτόμεναι, θάψινον ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα, καὶ νεκρῶδες, ἀνήνεγκαν. *Tunc autem circa illos dies tæniæ quidem, quibus circumvolvunt myſticos lectos, tinctæ flavum colorem pro purpureo & moribundum abſtulerunt.* Et in his reconditæ ſeſamides, pyramides, lanæ elaboratæ, liba multis diſtincta umbilicis, micæ aliquot ſalis, draco, mala Punica, corda, ferula, hederæ, placentæ, & papavera. Clemens *Protreptico*. Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίςαι αἱ μυςικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπεῖν. οὐ σησαμαῖ ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροί τε ἁλῶν, καὶ δράκων, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου, οὐχὶ δὲ ῥοιαὶ πρὸς τοῖςδε, καὶ καρδίαι, καὶ νάρθηκές τε, καὶ κιττοί; πρὸς δὲ καὶ φθοῖς, καὶ μήκωνες; ταῦτ᾽ ἐςὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. *Quales vero etiam ciſtæ myſticæ? Oportet enim denudare ſacra eorum, & illa non dicenda efferre. Nonne illa ſeſamæ, & pyramides, & volumina lanæ, & liba umbilicata, & micæ ſalium, & draco, ſacrum Bacchi Baſſarei? Nonne autem inſuper mala Punica, & corda, & ferulæ, & hederæ? adhuc quoque placenta & papavera? Hæc ſunt illa ſancta.* Ad mala Punica quod attinet, meminit eorum Artemidorus, *Onirocrit.* lib. I. cap. LXXV. Ῥοιαὶ δὲ, τραυμάτων εἰσὶ σημαντικαὶ, διὰ τὸ χρῶμα. καὶ βασάνων, διὰ τὰς ἀκάνθας. καὶ δουλείας, καὶ ὑποταγῆς, διὰ τὸν ἐν Ἐλευσῖνι λόγον. *Mala autem Punica ſignificationem habent vulnerum propter colorem, & cruciatuum propter ſpinas, & ſervitutis ac ſubjectionis per narrationem Eleuſiniam.* Cauſam video a Proſerpinæ facto, quæ apud Plutonem mali Punici granum ediſſe dicebatur. Apollodorus *lib.* I. Ὁ Πλούτων, ἵνα μὴ πολὺν χρόνον παρὰ τῇ μητρὶ καταμείνῃ, ῥοιᾶς ἔδωκεν αὐτῇ φαγεῖν κόκκον. *Pluto ne longo tempore apud matrem maneret, mali Punici dederat ei edendum granum.* Lutatius ad *Theb.* III. *Cum filiam ſuam Ceres raptam a Dite comperiſſet, conqueſta, a Jove impetravit, ut ei filia redderetur; ita tamen, ſi nihil apud inferos guſtaviſſet. & cum in eo fuiſſet, ut matrem filia ſequeretur, Aſcalaphus, qui apud inferos erat, dixit Proſerpinam e pomario Ditis e malo Punico guſtaſſe tria grana.* Et huc reſpectum a Lucano, *lib.* VI. *verſ.* 739. &c.

Eloquar immenſo terræ ſub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes; quo fœdere mœſtum
Regem noctis ames; quæ te contagia paſſam
Noluerit revocare Ceres. —

De papavere, Cereri ſacro, & cauſa rei, habes apud Phurnutum, ubi de *illa dea* agit:

Ἀνατιθέασι δ' αὐτῇ καὶ τὰς μήκωνας, κατὰ τὸν λόγον. τὸ, τε γὰρ στρογγύλον, καὶ περιφερὲς, αὐτῶν παρίστησι τὸ σχῆμα τῆς γῆς, σφαιροειδοῦς οὔσης. ἡ, τε ἀνωμαλία τὰς κοιλότητας, καὶ τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀρῶν. Consecrant ei quoque papavera juxta narrationem. Nam rotundum & orbiculare illorum statuunt figuram terræ, quæ est sphærica; & inæqualitas cavitates ac tubera montium. Inde nimirum *Cereale* dixit Virgilius *Georg.* l. I. v. 21. 213.

Nec non & lini segetem, & Cereale papaver,
Tempus humi tegere. ——

Ubi *Servius* causam non unam addit. *Cereale papaver; vel, quod est esui, sicut frumentum: vel, quo Ceres usa est, ad oblivionem doloris. Nam ob raptum Proserpinæ vigilis, gustato eo, acta est in soporem. vel, quia Miconem Atheniensem dilexit Ceres; & transfiguratum in papaverem, tutelæ suæ jusserit reservari. vel, quia pani aspergatur.* De doloris oblivione, in inquirenda filia Proserpina est Strabi Galli etiam locus, *Horti* Carm. XV.

Et Cereale quidem nugarum in parte papaver
Hac memorare placet, quod raptæ mœsta puellæ
Mater, ut immensis optata oblivia mentem
Exuerent curis, fertur Latona vorasse.

Sed in eo haud parum errat, quod pro Cerere Latonam dicat. Porro *Cereale* item nominavit Columella, *lib.* X.

Allia cum cepis, Cereale papaver anetho
Jungite. ——

CAP. XXVI.

Quinto die cum facibus mystæ incedebant; viri pariter, fœminæque. Noctu autem id factitatum; & faces quoque dedicatæ, certatumque de earum magnitudine. Dein quamobrem res hæc omnis instituta.

QUINTUS dies, qui in mensis decimum nonum incidebat, is fuisse videri potest, cui ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα nomen fuit. Fulgentius indicat, *Mytholog.* lib. I. *Hanc (Proserpinam) etiam mater cum lampadibus raptam quærere dicitur; unde &* LAMPADUM DIES *Cereri dedicatus est.* Tunc nimirum cum facibus accensis incedebant. Hinc istud Statii, *Sylv.* IV. Carm. VIII. *v.* 50. 51.

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ.

Juvenalis *Sat.* XV. *v.* 141. 142.

—— *quis enim bonus, & face dignus*
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos.

Quo loco Interpres ejus Vetus. Arcana *dicit, mystica; nam in templo Cereris sibi invicem facem cursores tradunt.* Claudianus *de Raptu Proserpinæ*, in initio *lib.* I. nempe, *v.* 9. 10.

—— *templumque remugit*
Cecropidum, sanctasque faces extollit Eleusis.

Et alludit Aristophanes *Ranis*, Act. I. Sc. VI. *v.* 43. 44.

—— καὶ δάδων γέ με
Αὔρά τις προσέπνευσε μυστικωτάτη.
—— *Et facum me*
Aura aliqua adflavit secretissima.

Nec viri tantum faciebant, sed & fœminæ. Observo apud Senecam *Hippolyto*, ubi ita de se Phædra, *v.* 105. *&c.*

Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mistam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces.

Ab his facibus λαμπάδες ἀκταὶ Sophocli *Oed. Col. v.* 1040. 1041.

—— ἢ πρὸς Πυθίαις,
Ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς.
—— *aut ad Pythias,*
Aut lucernas oras.

Ubi *Scholiastes*. Καὶ εἴη, λαμπάσιν ἀκταῖς λέγων, λαμπαδευομέναις, καὶ καταλαμπομέναις ὑπὸ τῆς μυστικῆς φλογός. *Et sit, lucernas oras dicens, lucernis illuminatas, & splendentes ab mystica flamma.* Æschylus in *re eadem.*

Λαμπραῖσιν ἀστραπαῖσι λαμπάδων θένει.
Splendidis fulguribus lucernarum gemit.

Et id noctu factitatum. Aristides clare indicat *Eleusinia.* Ὦ δᾷδες, ὑφ' οἵων ἀνδρῶν ἀπέσβεσθε. ὦ δεινὴ, καὶ ἀφεγγὴς ἡμέρα, ἢ τὰς φωσφόρους νύκτας ἐξεῖλες. *O faces, a quibus viris exstinctæ estis? O gravis & obscura dies, quæ illas luciferas noctes exemisti!* Quin cives etiam faces Deæ dedicabant, de magnitudine inter sese concertantes. Inde sunt ista Theophrasti in *Eth. Charact.* cap. Περὶ ἀδολεσχίας. Δάμιππος μυστηρίοις μεγίστην δᾷδα ἔστησε. *Damippus mysteriis maximam facem statuit.* Nempe hoc facto repræsentabant errantem cum face ab Ætna accensa Cererem. Lactantius *lib.* I. *cap.* XXI. *Sacra vero Cereris Eleusinæ, non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiritur, ita hic ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina. quam quia facibus ex Ætnæ vertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur, iccirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Justinus Martyr ad *Græcos* Orat. II. Ὁ μὲν Πλούτων τὴν Κόρην ἥρπασε, καὶ ἡ Δήμητρα ἀλωμένη κατὰ τὰς ἐρήμους, τὸ τέκνον ἐζήτει. καὶ τοῦτον τὸν μῦθον εἰς ὕψος ἤγαγε τὸ ἐν Ἐλευσῖνι πῦρ. *Plutus quidem Proserpinam rapuit, & Ceres errans per loca deserta filiam quærebat. & hanc fabulam in altum evexit ignis Eleusine.*

CAP. XXVII.

Sexto Iacchum producebant. Claudianus hallucinatus. Iacchus myrto hic coronatus, & non hedera. Dies ex re Ἴαχος dictus. Deductio autem a Ceramico usque Eleusinem facta, idque per fora. Iacchus manu facem gestans fingebatur, & quam ob rem. Ac templum sibi proprium habebat. Deductusque cum choreis, saltu, ac cantu; qui item Ἴακχος nuncupatus. Etiam cum æris sono. Qui ducebant, aqua e Proserpinæ Rheto lustrabantur. Iacchus vero hic Jovis, Cererisque, filius. Arriani ea in re error ostensus. Cuique producendi ejus cura data Ἰακχαγωγὸς nominatus. Porta, qua exire soliti, Ἱερὰ dicta: obiterque qua cadavera efferebantur, quomodo appellata fuerit, indicatum: & Theophrastus emendatus. Via quoque Ἱερὰ dicta; ac Plutarcho ejus nomen restitutum. Polemonisque de eadem liber proprius. Suburbium etiam Ἱερὰ Συκῆ indigetatum; in quo mystæ, Eleusine redeuntes, interquiescere consueverunt. In via Cephissus, ponte stratus; in quo scommata spectatores desidentes in prætereuntes mystas jaciebant. Unde Γεφυρίζειν dictum, & Γεφυρισμός. Ultra pontem, qua intrabant Eleusina, Μυστικὴ Εἴσοδος vocabatur. Post, munita Decelea, ac terrestri itinere clauso, mari Iacchus duci cœpit; nisi quod semel Alcibiades pompam in armis via usitata duxit, daduchi vice, ut nonnulli putant, functus.

SEXTUS dies in vigesimum incidebat; & hunc inter mysteria fuisse, ex Andocidis loco apparet, *Orat.* Περὶ τῶν μυστηρίων. Ταῖς δ' εἰκάσι, μυστηρίοις τούτοις, δοὺς Κηφισίῳ χιλίας δραχμὰς, ἐνδείκνυσί με, καὶ εἰς τὸν ἀγῶνα τοῦτον καθίστησιν. *Vigesimo autem die, illorum mysteriorum tempore, præbens Cephisio mille drachmas, exhibet me, & in hoc certamen constituit.* Et Iacchum tunc produ-

cebant. Plutarchus docet *in Phocione*. Εἰκάδι ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη, μυστηρίων ὄντων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεος Ἐλευσινάδε πέμπουσι. *Vigesimo die mensis Boedromionis inductum est præsidium, quum agerentur mysteria, in quo Iacchum ex urbe versus Eleusina deducunt*. Iterum in *Camillo*. Καὶ μετὰ ταῦτα φρουρὰν Ἀθηναῖοι Μακεδόνων ἐδέξαντο περὶ αὐτὴν τὴν εἰκάδα τοῦ Βοηδρομιῶνος, ᾗ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσιν. *Et post hæc præsidium Macedonum Athenienses exceperunt circa ipsum vigesimum diem Boedromionis, quo mysticum Iacchum educunt*. Scholiastes Aristophanis *Ranis*. Μία τῶν μυστηρίων εἰκάς ἐστιν, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι. *Unus dies mysteriorum vigesimus est, quo Iacchum educunt*. De hac Iacchi productione sunt isti versus Aristophanis, *citatis Ranis*, Act. I. Sc. VII. v. 3. &c.

Τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο, δέσποθ', οἱ μεμυημένοι
Ἐνταῦθά που παίζουσιν, οὓς ἔφραζε νῷν,
Ἄδουσιν οὖν τὸν Ἴακχον. —
Hoc illud est, domine, initiati
Illic alicubi ludunt, quos dicebat modo,
Canunt igitur Iacchum.

Et isti Claudiani, de *Raptu Proserpinæ*, lib. I. vers. 16. &c.

—— lætusque simul procedit Iacchus,
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues,
Ebria Mæoniis fulcit vestigia thyrsis.

Sed errat ille, & imperitum ritus Atheniensis sese esse ostendit, cum hedera coronatum Iacchum, ut alias erat, in his sacris nobis canit. Nam coronam hic e myrto, non ex hedera, gestabat Chorus apud Comicum *Ranis*, *loc. cit. v.* 10. &c.

Ἴακχ' ὦ Ἴακχε,
Ἐλθὲ τόνδ' ἀνὰ λειμῶνα χορεύσων,
Ὁσίους ἐς θιασώτας,
Πολύκαρπον μὲν τινάσσων
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
Στέφανον μύρτων.
Iacche, o Iacche,
Veni in hunc campum choream nexurus,
Sanctos ad collusores,
Fructibus plenam quidem quatiens
Circa caput tuum affluentem
Coronam e myrtis.

Et huc pertinet, quod mystæ quoque myrto coronati fuerunt; ut supra docui, *cap.* IX. Atque hic dies ex re Ἴακχος nuncupatus. *Hesychius*. Ἴακχος, τὸν Διονυσον. ἢ μίαν ἡμέραν μυστηρίων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσιν. *Iacchum, Bacchum. vel unum mysteriorum diem, in quo Iacchum educunt*. Deducebant vero a Ceramico Eleusinem. Aristophanis Scholiastes, *citatis Ranis*. Εἰς Ἐλευσῖνα ὁδεύουσιν, ἀπὸ τοῦ Κεραμεικοῦ προπέμποντες τὸν Διόνυσον. *Eleusinem commeant, ab Ceramico prosequentes Bacchum*. Idque per fora. *Hesychius*. Διαγόρας. Διόδωρος ὁ Ταρσεὺς ἀναγινώσκει περισπῶν, Διαγορᾶς. διὰ τὸ τοὺς μύστας βακχάζειν, τουτέστιν ᾄδειν τὸν Ἴακχον, δι' ἀγορῶν βαδίζοντας. *Diagoras. Diodorus Tharsensis legit circumflectens, Diagoras, quia mystæ bacchantur, id est, canunt per fora euntes*. Erat vero hoc Iacchi simulacrum facem gestans; quia nimirum ipse cum matre Proserpinam raptam face accensa quæsivisset. Inde est illud apud Aristophanem *Ranis*, in Chori cantu, Act. I. Sc. VII. vers. 25. &c.

Ἔγειρε φλογέας λαμπάδας. ἐν χερσὶ γὰρ ἥκεις
Τινάσσων Ἴακχε,

A Νυκτέρου τελετῆς φωσφόρος ἀστήρ
Φλογὶ, φέγγεται δὲ λειμών.
Excita flammantes faces. in manibus enim venis
Quatiens Iacche,
Nocturni sacri lucifera stella
Flamma, splendet vero campus.

Et *mox*, v. 35. *&c.*

Σὺ δὲ λαμπάδι φλέγων,
Προβάδην ἔξαγε πανθηρον, ἕλειον δάπεδον,
Χοροποιὸν, μάκαρ, ἥβαν.
Tu vero face ardens,
B *Præcedens educito in florulentum paludosum solum,*
Choreas statuentem, beate, juventutem.

Et ita fingebatur. Ecce apud Pausaniam *Atticis*, ubi de templo Cereris. Καὶ πλησίον ναός ἐστι Δήμητρος. ἀγάλματα δὲ, αὐτή τε, καὶ ἡ παῖς, καὶ δᾷδα ἔχων Ἴακχος. *Et prope est ædes Veneris. Simulacra vero, tum ipsa, tum filia, & facem tenens Iacchus*. Templum autem proprium habebat, cujus mentio apud Plutarchum *Aristide*. Ὁ δὲ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει φησὶ μνημονεύειν Ἀριστείδου θυγατριδοῦν εὖ μάλα πένητα Λυσίμαχον, ὃς ἑαυτὸν ἐκ πινακίου τινὸς
C ὀνειροκριτικοῦ, παρὰ τὸ Ἰακχεῖον λεγόμενον καθεζόμενος, ἔβοσκε. *Phalereus autem in Socrate dicit meminisse Aristidæ ex filia nepotem bene pauperem Lysimachum, qui se ipse ex tabella quadam somniorum conjectiones docente, ad Iacchi templum sedens, pascebat*. Deducebant vero cum multo plausu, cantu, choreis. Hinc illa apud Herodotum, *lib.* VIII. *cap.* LXV. Ἔφη δὲ Δικαῖος ὁ Θεοκύδεος, ἀνὴρ Ἀθηναῖος, φυγάς τε, καὶ παρὰ Μήδοις λόγιμος γενόμενος τοῦτον τὸν χρόνον, ἐπεί τε ἐκείρετο ἡ Ἀττικὴ χώρη ὑπὸ τοῦ πεζοῦ στρατοῦ τοῦ Ξέρξεω, ἐοῦσα ἔρημος Ἀθηναίων, τυχεῖν τότε ἐὼν ἅμα Δημαρήτῳ τῷ Λακεδαιμονίῳ
D ἐν τῷ Θριασίῳ πεδίῳ, ἰδεῖν κονιορτὸν χωρέοντα ἀπὸ Ἐλευσῖνος, ὡς ἀνδρῶν μάλιστα κη. τρισμυρίων· ἀποθωϋμάζειν τε σφέας τὸν κονιορτὸν, ὅτεών κοτε εἴη ἀνθρώπων, καὶ πρόκα τε φωνῆς ἀκούειν, καὶ οἱ φαίνεσθαι τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυστικὸν Ἴακχον. *Dicebat autem Dicæus Theocydæ filius, vir Atheniensis, exul, & apud Medos sapiens tunc habitus, quando tondebatur Attica regio ab exercitu Xerxis, deserta ab Atheniensibus, tunc casu cum Demarato Lacedæmonio consistentem se in Thriasio campo, vidisse pulverem venientem ab Eleusine velut hominum triginta millium: ipsosque admiratos fuisse pulverem, quorum tandem hominum foret, ac statim*
E *audivisse vocem, & visam fuisse illi vocem esse mysticum Iacchum*. Et ista apud Plutarchum, in *Themistocle*. Ἐν δὲ τούτῳ τοῦ ἀγῶνος ὄντος, φῶς μὲν ἐκλάμψαι μέγα λέγουσιν Ἐλευσινόθεν, ἦχον δὲ, καὶ φωνὴν, τὸ Θριάσιον κατέχειν πεδίον, ἄχρι τῆς θαλάττης, ὡς ἀνθρώπων ὁμοῦ πολλῶν τὸν μυστικὸν ἐξαγόντων Ἴακχον. *Quum sic ageretur ludicrum, lumen ajunt magnum exsplenduisse ab Eleusine, sonum vero & vocem replevisse campum Thriasium, usque ad mare, quasi multorum simul hominum educentium mysticum Iacchum*. Himerius in *Eclogis*. Θηβαίων πεσόντων, τὴν τελετὴν ἀπεκλείσαμεν, ἵνα μὴ τοῖς Θηβαίων θρήνοις ἀντιβοῶμεν τὸν Ἴακχον.
F *Thebanis occisis clausimus festum, ne Thebanorum lugubri cantui responderemus Iaccho*. Et hic cantus, strepitusque, Ἴακχος quoque, pariter ac dies, dicebatur. *Hesychius*. Ἴακχον. τὸν Διόνυσον. ἢ μίαν ἡμέραν τῶν μυστηρίων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι. καὶ ἡ ᾠδὴ, ἣν οἱ μεμυημένοι ᾄδουσι. *Iacchum, Bacchum, vel unum diem mysteriorum, in quo Iacchum educunt; & cantilena, quam initiati canunt*. Aristophanes *Ranis*, Act. I. Sc. VII. vers. 5.

Ἄδουσιν οὖν τὸν Ἴακχον. —
Canunt igitur Iacchum. —

Eustathius ad *Iliad.* ν'. Ἴακχος, οὐ μόνον ὁ ἐπὶ Διονύσῳ ἦχος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος. *Iacchus, non tantum sonus ad Bacchum, sed etiam ille ipse.* Atque hoc est, quod μυστικὸν μέλος dicitur Aristidi in *Eleusinia*. Τῇ δ' Ἐλευσῖνι τοσοῦτον περιῆν, ὥστ' οὐκ ἀπόρθητος μόνον, ὡς εἰπεῖν, διεγένετο, ἀλλὰ καὶ συνιούσης τῆς ναυμαχίας, ἐξεφοίτα μὲν ὁ Ἴακχος συνναυμαχήσων, νέφος δὲ ὁρμηθὲν ἀπ' Ἐλευσῖνος, καὶ ὑψωθὲν ὑπὲρ τῶν νεῶν, ἐγκατέσκηψεν εἰς τὰς ναῦς ἅμα τῷ μέλει τῷ μυστικῷ. *Eleusini autem hoc privilegium aderat, ut non tantum a vastatione, ut sic dicam, fuerit immunis, sed etiam commissa navali pugna exibat quidem Iacchus simul pugnaturus, nubes autem exoriens ab Eleusine, & elevata super naves, impetum fecit in eas simul cum cantu mystico.* Habes vero cantus hujus chorearumque repræsentationem apud Aristophanem *Ranis*. Ad strepitum quod attinet, æris quoque hic sonus adhibitus. Vellejus *lib.* I. *cap.* IV. *Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt, alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet.* De æris sono, huc allusum est ab Ovidio, de *Arte Amandi* lib. II. v. 609. &c.

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,
Nec cava vesanis ictibus æra sonant.
Attamen inter nos medio versantur in usu;
Sed sic, inter nos ut latuisse velint.

De re eadem Justinus *Hist.* lib. II. cap. VIII. *Megarenses, memores illati ab Atheniensibus belli, & deserti, ne frustra bellum movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri, naves conscendunt. Qua re cognita, dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis locat; jussis matronis solito clamore, ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare.* Huc pertinet illud Statii, *Theb.* VII. *vers.* 411. 412.

Et non assuetis pernox ululavit Eleusis
Mensibus. —

Quæ Iacchum deducebat multitudo, e Proserpinæ Rheto aqua abluebatur, lustrabaturque; nam, ut per occasionem hoc dicam, duæ erant prope Eleusina scatebre, Ῥειτοὶ dictæ: quarum Cereri sacra illa, ista Proserpinæ. quæ Cereri sacra, versus mare profluebat; quæ Proserpinæ, versus urbem: ejusque aqua, hæc quam dixi, multitudo lustrabatur. *Hesychius* luculentus auctor. Ἐν τῇ Ἀττικῇ δύο εἰσὶν οἱ πρὸς τῇ Ἐλευσῖνι Ῥειτοὶ, ῥωγμοί. καὶ ὁ μὲν πρὸς τῇ θαλάττῃ, τῆς πρεσβυτέρας θεᾶς νομίζεται. ὁ δὲ πρὸς τῷ ἄστει, τῆς νεωτέρας. ὅθεν τοῖς λουτροῖς ἁγνίζεσθαι τοὺς θιάσους. *In Attica duæ sunt prope Eleusinem fluentes scatebræ; quarum altera ad mare consecrata erat seniori Deæ; altera vero ad urbem juniori; unde lavacris purificabantur thiasi.* Erat vero Iacchus hicce, (nam plures olim existimati, ut ex *Diodoro Cicerone*, aliisque satis notum) Jovis, Cererisque filius; sive, ut alii, Proserpinæ. Meminit ejus Diodorus *lib.* III. Δεύτερον δὲ μυθολογοῦσι γενέσθαι Διόνυσον ἐκ Διὸς, καὶ Περσεφόνης. ὡς δέ τινες, καὶ Δήμητρος. *Secundum vero fabulantur fuisse Bacchum ex Jove & Proserpina; ut vero nonnulli, & Cerere.* Arrianus eos sequitur, qui Proserpinæ tradiderunt. Locus exstat de *Exped. Alexandri* lib. II. Καὶ Ἀθηναῖοι Διόνυσον, τὸν Διὸς καὶ Κόρης, σέβουσιν. ἄλλον τοῦτον Διόνυσον. καὶ ὁ Ἴακχος ὁ μυστικὸς τούτῳ τῷ Διονύσῳ, οὐχὶ τῷ Θηβαίῳ, ἐπᾴδεται. *Et Athenienses Bacchum Jovis & Proserpinæ filium venerantur; alium hunc Bacchum; & Iacchus mysticus huic Baccho, non Thebano, cantatur.* Verum errat. Nam Proserpinam si cum Cerere accensa face inquisivit, ut initio commemoravi, atque idcirco res hæc instituta fuit, oportet Cereris filius fuerit, non Proserpinæ. Cui vero producendi ejus cura, Ἰακχαγωγὸς dicebatur. Invenio nomen apud Pollucem, *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXXI. Ἰακχαγωγὸς γὰρ, καὶ Κουροτρόφος, καὶ Δᾳδοῦχος, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἴδια τῶν Ἀττικῶν. *Iacchi ductor enim, & Puerorum nutritor, & Facis accensor, ac quæ talia propria Atticorum.* Duci vero e Ceramico intra urbem consuevisse Eleusinem, jam notavi. Ac porta quidem, qua exibant, Ἱερὰ cognominata: sive, Atticorum more, plurali numero, Ἱεραὶ πύλαι: Invenio nomen apud Plutarchum, in *vita Syllæ*. Αὐτὸς δὲ Σύλλας τὸ μεταξὺ τῆς Πειραϊκῆς πύλης, καὶ τῆς Ἱερᾶς, κατασκάψας, καὶ συνομαλύνας, περὶ μέσας νύκτας εἰσήλαυνε φρικώδης. *Ipse autem Sylla murum inter portas Piraicam & Sacram, quum subruisset & coæquavisset, circa mediam noctem invectus fuit terribilis.* Et apud Theophrastum, *Ethic. Charact.* cap. Περὶ ἀναισθησίας. Πόσους οἴει κατὰ τὰς Ἱερὰς πύλας ἐξενηνέχθαι νεκρούς. *Quot existimas per Sacras portas elatos fuisse mortuos?* Sed legendum illic censeo, κατὰ Ἠρίας πύλας, *per sepulchrales portas*. Nam qua porta cadavera efferrent, Ἠρίαι πύλαι dicebantur. Etymologici *Auctor* id ostendit. Ἠρίαι, πύλαι Ἀθήνησι. διὰ τὸ τοὺς νεκροὺς ἐκφέρεσθαι ἐκεῖ ἐπὶ τὰ ἠρία, ὅ ἐστι τοὺς τάφους. *Sepulchrales portæ Athenis; quia mortui illic efferebantur ad sepulchra, quæ Græcis Eria.* Atque hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Quin, ut porta Ἱερὰ dicta, qua exibant; ita via, qua ducebant. Etymologici *Auctor*. Ἱερὰ Ὁδὸς, ὁδός τις ἦν, ἡ εἰς Ἐλευσῖνα ἄγουσα, ἣν ἀπίασιν οἱ μύσται. *Sacra Via, via quædam erat Eleusinem ducens, per quam descendebant mystæ.* Suidas. Ἱερὰ Ὁδὸς, ἣν οἱ μύσται πορεύονται ἀπ' ἄστεος ἐπ' Ἐλευσῖνα. *Sacra Via, quam mystæ frequentabant ab urbe versus Eleusina.* Quæ habet ille, ut plura alia, ex *Harpocratione*. Pausanias *Atticis*. Ἰοῦσι δὲ ἐπ' Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν, ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ὁδὸν Ἱερὰν, Ἀνθεμοκρίτου πεποίηται μνῆμα. *Euntibus versus Eleusina ex Athenis, quam Viam Sacram vocant Athenienses, exstructum est monumentum Anthemocriti.* Plutarchus in *Vita Isocratis*. Οὗ ἐστι τὸ μνῆμα ἐπὶ τὴν Κυαμῖτιν πορευομένοις, κατὰ τὴν Ἱερὰν Ὁδὸν, τὴν ἐπ' Ἐλευσῖνα. *Cujus est monumentum ad Fabriam proficiscentibus per Sacram Viam, quæ fert Eleusina.* Et corruptum eundem puto in *Alcibiade*. Οὐδένα κόσμον εἶχεν ἡ τελετὴ, κατὰ θάλασσαν πεμπομένη. ἀλλὰ καὶ θυσίαι, καὶ χορεῖαι, καὶ πολλὰ τῶν δρωμένων καθ' ὁδὸν ἱερῶν, ὅταν ἐξελαύνωσι τὸν Ἴακχον, ὑπ' ἀνάγκης ἐξελείπετο. *Nullum ornatum habuit solennitas ad mare deducta. Sed & sacrificia, & choreæ, & multa illorum sacrorum, quæ in via fiebant, quando educunt Iacchum, ex necessitate prætermittebantur.* Attende enim. Prius ab eo commemoratæ sunt θυσίαι. quænam igitur alia illa sacra erunt, insuper facta? Rescribendum omnino censeo, τῶν δρωμένων καθ' Ὁδὸν Ἱερὰν. *Faciendorum in Via Sacra.* Cessabant tum, inquit, sacrificia, & choreæ; deinde multa, quæ per Viam Sacram agi id temporis solita. Ac de illa proprius Polemoni liber olim scriptus. *Harpocration*. Βιβλίον οὖν ὅλον Πολέμωνι γέγραπται Περὶ τῆς Ἱερᾶς Ὁδοῦ. *Liber igitur integer ab Polemone scriptus est de Sacra Via.* Et suburbium, in qua ficus, Ἱερὰ Συκῆ appellatum: ubi mystæ, sacra in Urbem reducentes, consuevere interquiescere. Animadverto apud Philostratum *in* Apollonio Atheniensi, *Sophist.* lib. II. Ἐτάφη δὲ ἐν τῷ προαστείῳ τῆς ἐς Ἐλευσῖνα λεωφόρου. ὄνομα τῷ προαστείῳ, Ἱερὰ Συκῆ. τὰ δὲ Ἐλευσινόθεν ἱερὰ, ἐπειδὴ εἰς ἄστυ ἄγουσιν, ἐκεῖ ἀναπαύουσιν. *Sepultus autem est in suburbio viæ*

publicæ versus Eleusina. Nomen suburbio Sacra Ficus. Sanra vero Eleusine venientia, quando ferunt in urbem, illic requiescunt. Meminit τῆς Ἱερᾶς Συκῆς *Hesychius.* ἱερὰ, θυσία, κειμήλια, ἢ συκῆ, ἐν τῇ ἐς Ἐλευσῖν' ἀγούσῃ ὁδῷ. *Sacra, immolatio, cimelia, aut ficus, in via ducente Eleusinem.* Dirimebat autem viam Cephissus fluvius, quem transibant, ponte instratum. Observare est apud Strabonem *lib.* IX. Ποταμοὶ δ' εἰσὶν, ὁ μὲν Κηφισσὸς, ἐκ Τρινεμέων τὰς ἀρχὰς ἔχων, ῥέων δὲ διὰ τοῦ πεδίου, ἐφ' οὗ καὶ ἡ γέφυρα, καὶ οἱ γεφυρισμοί. *Fluvii vero sunt, Cephissus quidem ex Trinemensibus initia habens, fluens autem per campum, a quo etiam pons, & pontani joci.* In hoc ponte desidebant, qui in transeuntes scommata jacerent. Unde factum, ut Γεφυρίζειν pro *Conviciari* dicerent. *Suidas.* Γεφυρίζων, χλευάζων, ἐξευτελίζων. *Pontis proprium faciens, subsannans, deprimens.* Item Γεφυρισταὶ, Maledici, Conviciatores. *Hesychius.* Γεφυρισταὶ, οἱ σκῶπται. ἐπεὶ ἐν Ἐλευσῖνι ἐπὶ τῆς γεφύρας τοῖς μυστηρίοις καθεζόμενοι ἔσκωπτον τοὺς παριόντας. *Pontani derisores; quia Eleusine in ponte per mysteria considentes conviciabantur prætereuntes.* Et Γεφυρισμοὶ, pro Conviciis, in *citatis* Geographi *verbis.* Apud Ammonium de *Diff. Voc.* Γεφυριασμὸς est, & alia quoque origo datur. Σκῶμμα Γελοίου, Εὐτραπέλου, καὶ Γεφυριασμοῦ διαφέρει. *Convicium ab ridiculo & scurril. & pontano joco differt.* Et *mox.* Γεφυριασμὸς δὲ, ἀπὸ τοῦ τοῖς Ἀθήνησιν ἐπὶ τῶν γεφυρῶν ἐπιγράφειν ἤτοι ἔμμετρα, ἢ καὶ δίχα μέτρων, διασυρμούς τινῶν. *Pontana jaculatio ab eo, quod Athenis in pontibus scribebant vel in versiculis, vel sine metris, derisiones quorundam.* Sed scribendum est, Γεφυρισμοῦ, & Γεφυρισμός. Nam Γεφυρίζω dicebant, non Γεφυριάζω. Meminit quoque Ælianus, *Hist. Anim.* lib. IV. c. XLIII. Καὶ τί δεῖ καταλέγειν τε καὶ ἐπαντλεῖν τὸν τοιοῦτον ὄχλον; κεκήρυκται γὰρ Διονύσια, καὶ Λήναια, καὶ Χύτροι, καὶ γεφυρισμοί. *Et quid opus est recensere & exantlare tantam turbam? Percrebuerunt enim Dionysia, Lenæa, & Cytri, & pontana convicia.* Pontem istum cum transiissent, via erat Μυστικὴ Εἴσοδος nuncupata, qua Eleusinem ingrediebantur. Ecce tibi Istri verba e primo Ἀτάκτων, apud Scholiasten Sophoclis *Oed. Col.* Πρὸς τὸν Κηφισσὸν ἕως τῆς Μυστικῆς Εἰσόδου εἰς Ἐλευσῖνα. ἀπὸ ταύτης δὲ βαδιζόντων εἰς Ἐλευσῖνα, τὰ ἐπ' ἀριστερᾷ μέχρι τοῦ λόφου τοῦ πρὸς ἀνατολὰς τοῦ Αἰγιάλεω. *Ad Cephissum usque ad mysticum introitum in Eleusinem. Ab eo enim meantibus in Eleusinem, quæ ad sinistram usque ad collem qui est ad orientem Ægialei.* Atque hæc via ordinaria deducendi Iacchi erat; sed, munita Decelea, cum iter impeditum esset, mari pompa hæc omnis ducta: nisi quod semel Alcibiades, dux exercitus designatus, summa omnino magnificentia in armis deduxit itinere terestri usitato. Narrat in *Vita ejus* Plutarchus; nec pigebit locum asscribere, valde insignem. Πάντων γεγονότων τῷ Ἀλκιβιάδῃ κατὰ γνώμην, καὶ πληρουμένων ἑκατὸν τριηρῶν, αἷς αὖθις ἐκπλεῖν ἔμελλον, φιλοτιμία τις οὐκ ἀγεννὴς προσπεσοῦσα κατέσχεν αὐτὸν ἄχρι μυστηρίων. ἀφ' οὗ γὰρ ἐπετειχίσθη ἡ Δεκέλεια, καὶ τῶν εἰς Ἐλευσῖνα παρόδων ἐκράτουν οἱ πολέμιοι παρόντες, οὐδένα κόσμον εἶχεν ἡ τελετὴ, πεμπομένη κατὰ θάλασσαν. ἀλλὰ καὶ θυσίαι, καὶ χορεῖαι, καὶ πολλὰ τῶν δρωμένων καθ' Ὁδὸν Ἱερὰν, (ita enim jam legendum esse monui) ὅταν ἐξελαύνωσι τὸν Ἴακχον, ὑπ' ἀνάγκης ἐξελείπετο. καλὸν οὖν ἐφαίνετο τῷ Ἀλκιβιάδῃ καὶ πρὸς θεῶν ὁσιότητα, καὶ πρὸς ἀνθρώπων δόξαν, ἀποδοῦναι τὸ πάτριον σχῆμα τοῖς ἱεροῖς, παραπέμψαντα πεζῇ τὴν τελετὴν, καὶ δορυφορήσαντα παρὰ τοὺς πολεμίους. *Quum omnia Alcbibiadi ex sententia contigissent, & instructis quinquaginta triremibus, quæ mox enavigarent, ambitio quædam non ignobilis incessens detinuit eum usque ad mysteria. Nam a quo tempore immunita erat Decelia, & transituum versus Eleusinem domini erant hostes præsentes; nullum ornatum habebat solennitas, quæ ducebatur ad mare. Sed & immolationes & choreæ, & multa peragendorum in Via Sacra, quando educunt Iacchum, ex necessitate prætermittebantur. Videbatur igitur pulchrum Alcibiadi, & ad Deorum cærimoniam & ad hominum gloriam, reddere patrium decorem sacris, pedibus deducentem festum, & stipantem præter hostes.* Et *mox.* Ὡς δὲ ταῦτ' ἔγνω καὶ προεῖπεν Εὐμολπίδαις, καὶ Κήρυξι, σκοπὰς μὲν ἐπὶ τῶν ἄκρων ἐκάθισε, καὶ προδρόμους τινὰς ἅμ' ἡμέρᾳ προεξέπεμψεν. ἱερεῖς δὲ, καὶ μύστας, καὶ μυσταγωγοὺς ἀναλαβὼν, καὶ τοῖς ὅπλοις περικαλύψας, ἦγεν ἐν κόσμῳ, καὶ μετὰ σιωπῆς, θέαμα σεμνὸν, καὶ θεοπρεπὲς, τὴν στρατηγίαν ἐπιδεικνύμενος, ὑπὸ τῶν μὴ φθονούντων ἱεροφαντίαν, καὶ μυσταγωγίαν, προσαγορευομένην. *Quum vero hæc rescivisset & significasset Eumolpidis & Cerycibus, speculatores quidem in collibus locavit, & præcursores quosdam cum ipso die ante emisit: sacerdotes autem & mystas, & sacrorum doctores assumens, & armis circumsepiens, duxit ordine & cum silentio spectaculum grave & Dea dignum, ducatum ostendens apud homines non invidos magisterium sacri & arcanorum prosequutionem dictam.* Et sunt, qui hinc Alcibiadem daduchi munus obiisse nobis tradant. Nam de hac deductione capiendus iste Cyri Sophistæ locus, *lib.* Περὶ διαφορᾶς στάσεως. cap. Περὶ δοκιμασίαν. Μετὰ τὰ κατὰ Κύζικον Ἀλκιβιάδης δαδουχεῖν δοκιμάζεται. *Post res ad Cyzicum gestas Alcibiades eligitur ad facem ferendam.*

CAP. XXVIII.

Septimo certamen erat, idque multo antiquissimum; in quo victor hordeum accipiebat. Etymologus ea de re emendatus, item Suidas. Hordeum autem præmium datum, quia primum Eleusine illud natum, ut ferebant.

SEPTIMO, qui vigesimus primus mensis erat, certamen assignare libet. Meminit ejus Aulus Gellius, *lib.* XV. *cap.* XX. *Eleusinio, & Theseo, certamine pugnavit; & coronatus est.* Id omnium antiquissimum. Aristides *Panathenaica.* Ἐνδοξότατοι πάντων οἱ κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἀγῶνες. καὶ μὴν τούτων πρεσβύτατος ὁ τῶν Παναθηναίων. εἰ δὲ βούλει, ὁ τῶν Ἐλευσινίων. *Laudatissimi omnium in Græcia agones. Et quidem eorum vetustissimus ille Panathenæorum: sin autem vis, Eleusiniorum.* Iterum *Eleusinia.* Μυηθῆναι δὲ ξένων πρώτους Ἡρακλέα, καὶ Διοσκούρους. ἀγῶνά τε γυμνικὸν γενέσθαι πρῶτον Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. *Initiatos autem fuisse ex peregrinis Herculem & Castoras; & agonem gymnicum fuisse primum Eleusine Atticæ.* Et præmium victori hordeum erat. Scholiastes Pindari, *Olymp.* Od. IX. Ἄγεται δὲ αὐτόθι, (de Eleusine loquitur) ἀγὼν Κόρης καὶ Δημήτερος, ὃς καλεῖται Ἐλευσίνια. οὗ ἔπαθλον, κριθαί. *Celebratur vero illic agon Proserpinæ & Cereris, qui vocatur Eleusinia; cujus præmium erat mensura hordei.* Ac mutilum censeo Etymologici Auctorem *in* Ἐλευσίς. Ἐλευσίνια, ἑορτή. καὶ τοῖς νικῶσι τὰ Ἐλευσίνια ἆθλον ἐδίδοτο. *Eleusinia, festum. & vincentibus Eleusinia præmium dabatur.* Restituenda in fine vox, quæ excidit, ἆθλον ἐδίδοτο κριθαί. *Præmium dabatur hordei mensura.* Eodem modo laborat *Suidas,* apud quem itidem est. Ἐλευσίνια. τοῖς νικῶσι τὰ Ἐλευσίνια ἐδίδοτο ἆθλον. *Eleusinia. vincentibus Eleusinia dabatur præmium.* Et huc fortasse respexerit Plinius, *l.* XVIII. *c.* VII. *Antiquissimum in cibis hordeum; sicut Atheniensium ritu Menandro auctore, apparet.* Causam hordei dati arbitror, quod id primum Eleusine inventum fuerit. *Phurnutus.* Οὐλαὶ δὲ λέγονται, αἱ κριθαί. Ἐλευσὶς δὲ ὁ τόπος, ὅπου πρότερον εὑρέθησαν. *Molæ autem dicuntur*

grana hordei. Eleusis vero locus, ubi primum repertæ sunt. Atque hoc est, quod dicit Aristides *Eleusinia*, loco citato. Ἀγῶνά τε γυμνικὸν γενέσθαι πρῶτον Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς, καὶ τὸ ἆθλον εἶναι τοῦ καρποῦ τοῦ φανέντος. *Et agonem gymnicum fuisse primum Eleusine Atticæ, & præmium esse fructus illic nati.*

CAP. XXIX.

Octavus, Ἐπιδαύρια dictus; quia Æsculapii honori, post mysteria celebrata Epidauro advenientis, institutus. Initiatio iterum tunc fieri solita, & secunda quoque sacra. Philostrati locus emendatus.

OCTAVUS dies, qui vigesimus secundus mensis, Ἐπιδαύρια dictus fuit. Id Philostratus non docet, de *Vita Apollonii* l. IV. c. VI. Ἐς δὲ τὸν Πειραιᾶ ἐσπλεύσας περὶ μυστηρίων ὥραν, ὅτε Ἀθηναῖοι πολυανθρωπότατα Ἑλλήνων πράττουσιν, ἀνῄει ξυντείνας ἀπὸ τῆς νεὼς εἰς τὸ ἄστυ. *Navigans autem in Piræeum circa tempus mysteriorum, quando Athenienses præ Græcis abundant hominum multitudine, ascendebat festinans ab navi in urbem.* Ac mox subjungit. Ἦν μὲν δὴ Ἐπιδαυρίων ἡ ἡμέρα. *Erat quidem Epidauriorum dies.* Inde autem diei nomen, quod Æsculapius, cum Athenas Epidauro adveniret, ut initiaretur sacris, jamque mysteria peracta essent, denuo in illius gratiam Athenienses & initiationem, & secunda item sacra, instituissent. Philostrat. *loc. cit.* Τὰ δὲ Ἐπιδαύρια μετὰ πρόρρησίν τε, καὶ ἱερεῖα, δεῦρο μυεῖν Ἀθηναίοις πάτριον ἐπὶ θυσίᾳ δευτέρᾳ. τουτὶ δὴ ἐνόμισαν Ἀσκληπιοῦ ἕνεκα, ὅτι δὴ ἐμυήσαντο αὐτὸν ἥκοντα Ἐπιδαυρόθεν ὀψὲ μυστηρίων. *Epidauria vero post allocutionem, & victimæ, illic initiare Atheniensibus patrium post immolationem secundam. Istud sane constituerunt propter Æsculapium, quod initiarunt eum venientem ab Epidauro vespera mysteriorum.* Sed corrupta *illic* verba sic emendo, καὶ ἱερεῖα δεύτερον μυεῖν Α. π. *Et victimæ secunda vice initiare A. p.* Itaque illo quoque die, si qui primo neglexissent, aut initiari forte non potuissent, initiari moris erat, & secunda sacra fieri. Quod ex *citatis jam* Philostrati *verbis* discimus. De Epidauriis, & initiato item Æsculapio, est Pausaniæ quoque locus *Corinthiacis*. Μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τόδε ἐν Ἐπιδαύρῳ τὸν θεὸν γενέσθαι. τὰ γὰρ Ἀσκλήπεια εὑρίσκω τὰ ἐπιφανέστατα ἐξ Ἐπιδαύρου. τοῦτο μὲν γὰρ Ἀθηναῖοι τῆς τελετῆς λέγοντες Ἀσκληπιῷ μεταδοῦναι, τὴν ἡμέραν ταύτην Ἐπιδαύρια ὀνομάζουσι, καὶ θεὸν ἀπ' ἐκείνου φασὶν Ἀσκληπιόν σφισι νομισθῆναι. *Testatur autem mihi etiam istud, Epidauri Deum fuisse. Æsculapii enim festum invenio splendidissimum ex Epidauro. hoc enim Athenienses dicentes se fecisse Æsculapium consortem festi, diem istum Epidauria nominant, & Deum ab eo tempore ajunt Æsculapium ab ipsis receptum.*

CAP. XXX.

Nonus, ultimusque idem, Πλημοχόη *nuncupatus, qua de causa. Plemochoæ tunc duæ impletæ, & eversæ, cum verbis mysticis.* Κοτυλίσκος. Ῥῆσις μυστική. Ὕε, Τοκυῖε. Μυστηριώτιδες σπονδαί.

NONUS, qui vigesimus tertius mensis erat, ultimusque mysteriorum, Πλημοχόη dicebatur. Pollux *l.* X. *c.* XX. Τάχα δὲ καὶ πλημοχόην. ἔστι δὲ κεραμοῦν ἀγγεῖον, οὐκ ἔχον ὀξὺν τὸν πυθμένα, ἀλλ' ἑδραῖον τε καὶ στάσιμον. ᾧ χρῶνται τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων, ἣν ἀπ' αὐτοῦ καλοῦσι Πλημοχόην. *Forsan vero etiam plemochoen. Est vero testaceum vas, non habens acutum fundum, sed sessilem ac stabilem, quo utuntur per ultimum mysteriorum diem, quem ab eo vocant Plemochoen.* Et hoc plemochoas binas implentes, ad ortum unam statuebant; alteram vero, ad occasum: inde utramque, mystica quædam verba profati, evertebant. Athenæus *l.* XI. Πλημοχόη, σκεῦος κεραμοῦν, βεμβικῶδες, ἑδραῖον ἡσυχῇ. ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσιν, ὥς φησι Πάμφιλος. χρῶνται δὲ αὐτῷ ἐν τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσιν, ὥς φησι Πάμφιλος, Πλημοχόας. ἐν ᾗ δύο πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολάς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσί τε ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. *Plemochoe, vas testaceum, instar turbinis, paulatim fastigiatum in fundo, quod alii appellant cotyliscum, ut ait Pamphilus. Utuntur autem eo per ultimum mysteriorum diem, quem inde appellant, ut ait Pamphilus, Plemochoas; in quo implentes duas plemochoas, alteram quidem versus ortum, alteram autem versus occidentem erigentes, evertunt etiam superdicentes sermonem mysticum.* De impletis plemochois, est *Hesychii* etiam locus. Πλημοχόη. τῇ ὑστεραίᾳ ἡμέρᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσι πλημοχόας. *Plemochoe. ultimo die mysteriorum cotyliscos implent, quos vocant plemochoas.* Sed in eo variat, quod postridie mysteriorum facta tradat, quæ postremo eorum die alii dicunt. Vas vero istud πλημοχόη, a quo huic diei nomen, etiam Κοτυλίσκος dictum. Ecce in *citatis* Athenæi *verbis*. Πλημοχόη, σκεῦος κεραμοῦν, ὃ Κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσιν. *Plemochoe, vas testaceum, quod nonnulli cotyliscum appellant.* Et in *Hesychii*. Τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσι πλημοχόας. *Postremo mysteriorum die cotyliscos implent, quos vocant plemochoas.* Estque ejus in rem eandem *alibi* quoque ista glossa. Κοτυλίσκος, κρατηρίσκος, ᾧ χρῶνται οἱ μύσται. *Cotyliscus, parvus crater, quo utuntur mystæ.* Sine dubio τὴν πλημοχόην, de qua agimus, intellexit. Porro de eversis illis plemochois est Euripidis iste versus, sive Critiæ, in *Pirithoo*.

> Ἵνα πλημοχόας τάσδ' εἰς χθόνιον χάσμ' εὐφήμως
> Προχέομεν. ——
>
> *Ut has plemochoas in terrenum hiatum inter fausta omnia*
> *Profundamus.* ——

Ubi dixit, Εὐφήμως προχέειν; quod Athenæus, ἀνατρέπειν ἐπιλέγοντας ῥῆσιν μυστικήν. *Evertere superdicentes sermonem mysticum.* Et fuerit fortasse ῥῆσις illa μυστική, quam tradit Proclus in *Timæum*; e quo discimus, cœlum prius aspicientes, Ὕε; inde in terram despicientes, Τοκυῖε clamasse. Locus exstat *Commentariorum* V. Εἰς δὲ τούτους βλέποντες καὶ ἐν τοῖς Ἐλευσινίοις ἱεροῖς, εἰς μὲν τὸν οὐρανὸν ἀναβλέποντες, ἐβόων Ὕε. καταβλέψαντες δὲ εἰς τὴν γῆν, Τοκυῖε. *Versus eos autem spectantes & in Eleusiniis sacris ad cœlum quidem sursum videntes clamabant fili: deorsum vero ad terram cernentes, Tocyie.* Hæc vero plemochoarum eversio erat quasi libatio quædam; eaque designari censenda apud Pollucem *l.* I. *c.* I. *sect.* XXXI. Ubi Μυστηριώτιδες σπονδαὶ commemorantur. Ὀνομάζονται δὲ καὶ μυστηριώτιδες σπονδαί, καὶ μυστικαὶ ἡμέραι. *Nominantur vero etiam arcanæ in mysteriis libationes, & dies mystici.* Item apud Aristidem *Eleusinia*. Μόναι δ' αἱ μυστηριώτιδες σπονδαὶ τοὔνομα ἔσωσαν, καὶ μόνοις Ἐλευσινίοις ὑγίαινεν ἡ Ἑλλάς. *Solæ autem istæ arcanæ libationes nomen servaverunt, & solis Eleusiniis bene valet Græcia.*

CAP. XXXI.

Per hos dies manum injicere ulli vetitum, & libellum supplicem offerre; quæque hic delinquentis mulcta. Fœminis quoque Eleusinem bigis vehi interdictum, idque a quo; & quæ delinquentium mulcta; Aristophanis Scholiastæ hallucinatio. Jurari etiam per mysteria usitatum; ac quæ ad hæc necessaria, asinis Eleusinem vecta. Mystæ nec mustellum edebant; ut videtur, neque salem.

ITA ergo nunc mysteria enarravi; restant quædam circa ea, quæ adjungam. Per hos dies neminem apprehendere licitum; idque clare animadvertere est ex Demosthenis istis verbis *Midiana*. Τί οὖν ποιήσαντες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατεχειροτονήσατε τοῦ Εὐάνδρου. τοῦτ' ἀκούσατε. ὅτι δίκην ἐμπορικὴν καταδικα-

δικασάμενος τῷ Μενίππῳ, ἐκ ἔχων πρότερον λαβεῖν αὐτὸν, ὡς ἔφη, τοῖς μυςηρίοις ἐπιδημῦντος ἐπελάβετο. κατεχειροτονήσατε μὲν διὰ ταῦτα, καὶ ὐδοτιῶν ἄλλο προσῆν. *Quid igitur parantes, viri Athenienses, damnavistis Evandrum. Id audite. Quia litem mercatoriam male temperans Menippi, non valens antea eum apprehendere, sicut dixit, per mysteria advenam comprehendit. Damnavistis quidem propterea, nec quidquam aliud aderat.* Nec libellum supplicem offerre. Quod si quispiam fecisset, eum causa indicta mori oportebat. Ita Andocidis inimici inquiebant, ut ipse narrat *Orat.* Περὶ τῶ μυςηρίων. Κατηγόρησαν δὲ μυ καὶ περὶ ἱκετηρίας, ὡς καταθείην ἐγὼ ἐν τῷ Ελευσινίῳ. νόμος δὲ ἦν πάτριος, ὃς ἂν θῇ ἱκετηρίαν μυςηρίοις, τεθνάναι. *Sed etiam me accusaverunt de supplicatione, quasi deposuissem ego in templo Eleusinio. Lex autem erat patria, quisquis supplicationem posuerit mysteriis, mori.* Et mox: Πάλιν ὁ Καλλίας ςὰς ἔλεγεν, ὅτι εἴη νόμος πάτριος, εἴ τις ἱκετηρίαν θείη ἐν τῷ Ελευσινίῳ, ἄκριτον ἀποθανεῖν. *Rursum Callias stans dixit legem esse patriam, si quis supplicationem posuerit in templo Eleusinio, indemnatum mori.* Sed id negat *Andocides*, & mulctam tantum mille drachmas esse dicit. Habes postea, in *sequentibus* illic verbis Ἡ δὲ ςήλη, παρ' ἧ ἕςηκας, χιλίας δραχμὰς κελεύει ὀφείλειν, ἐάν τις ἱκετηρίαν θῇ ἐν τῷ Ελευσινίῳ. *Columna vero, ad quam stetisti, jubet mulctare mille drachmis, si quis supplicationem ponat in templo Eleusinio.* Ne qua mulier bigis ad hæc veheretur; quæque id faceret, ut sex mille drachmas penderet, a Lycurgo institutum. Plutarchus in *ejus Vita*. Εἰσήνεγκε δὲ νόμυς, ἐπὶ ζεύγυς μὴ ἀπιέναι γυναῖκα Ελευσινάδε, ὅπως μὴ ἐλαττῶνται ὑπὸ τῶ πλυσίων· εἰ δέ τις φωραθείη, ἀποτίνειν δραχμὰς ἑξακισχιλίας. *Introduxit autem leges, curru juncto non abire fœminam versus Eleusina, ne vituperaretur ab divitibus. Si qua deprehenderetur, solvere denariorum sex millia.* Ælianus *Var. Hist.* l. XIII. c. XXIV. Λυκῦργος ὁ ῥήτωρ ἔγραψε, μὴ ἐλαύνειν τὰς γυναῖκας ἐν τοῖς μυςηρίοις ἐπὶ ζευγῶν, ἢ τῇ δρώσῃ τῦτο ἐπηρτῆσθαι ζημίαν, ἣν γε ᾤετο ἀξίαν ἀποχρῶσαν. *Lycurgus rhetor scripsit, non vehere mulieres in mysteriis curru juncto, aut istud facienti imminere mulctam, quam putavit destinans sufficientem.* Antea illud usitatum. Itaque anus apud Aristophanem *Pluto secunda* loquitur, *Act.* IV. *Sc.* IV. *v.* 55. &c.

Μυςηρίοις δὲ τοῖς μεγάλοις ὀχυμένην
Επὶ τῆ ἀμάξης, ὅτι προσέβλεψέν μέ τις,
Ετυπτόμην διὰ τοῦθ' ὅλην ἡμέραν.
Mysteriis autem magnis vehentem
In curru, quia me aliquis adspexit,
Verberabar ideo totum diem.

Ubi *Scholiastes*. Αἱ τῶ Αθηναίων γυναῖκες ἐπὶ ἁμαξῶν ὀχύμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ελευσίνια ἀπήρχοντο. *Atheniensium mulieres curribus vehentes ad magna Eleusinia abibant.* Verum errat, quod hæc tantum magnis facta mysteriis putet. Insolentem Midiæ luxum insectatur Demosthenes, qui uxorem ad mysteria bigis albis Sicyoniis veheret. Locus est in *Midiana*. Καὶ εἰς μυςήρια τὴν γυναῖκα ἄγει, κἂν ἄλλοσέ πυ βύληται, ἐπὶ τῷ λευκῷ ζεύγυς τῷ ἐκ Σικυῶνος. *Et ad mysteria uxorem ducit, & si quando alias vult, in albo jugo ex Sicyone.* Jurari etiam per hæc solitum animadverto. Alciphron in *Epistola* Leontii *ad* Lamiam. Νὴ τὰ μυςήρια, νὴ τύτων τῶ κακῶν ἀπαλλαγὴν, ὡς, ἐνθυμηθεῖσα τὸ Τιμάρχυ τῶ χωρισμὸν, ἄρτι ἀπέψυγμαι. *Per mysteria! per horum malorum depulsionem! quam considerans discidium Timarchi, modo exanimatus fui.* Iterum in altera Menandri ad *Glyceram*. Εγὼ, μὰ τὰς Ελευσινίας θεὰς, μὰ τὰ μυςήρια αὐτῶν, ἃ σοὶ καὶ ἐναντίον ἐκείνων ὤμοσα πολλάκις, Γλυκέρα, μόνος μόνῃ, ὡς ὐδὲν ἐπαίρω τὰ ἐμά. *Ego, per Deas Eleusinias! per mysteria illarum! quæ tibi & coram illis juravi sæpe, Glycera, solus soli, quam nihil extollam*

A *mea.* Quæ vero ad hæc necessaria, ea asini Eleusinem devehebant. Aristophanes *Ranis*, v. 159.

Νὴ τὸν Δί' ἐγωγ' ὄνος ἄγων μυςήρια.
Per Jovem! ego asinus ducens mysteria.

Ubi *Scholiastes*. Τοῖς μυςηρίοις ἐξ ἄςεος εἰς Ελευσῖνα διὰ τῶ ὄνων φέρυσι τὴν χρείαν. *Mysteriis ex urbe Eleusinem per asinos ferunt necessitates. Hesychius.* Ονος ἄγει μυςήρια. Τοῖς μυςηρίοις ἐξ ἄςεος εἰς Ελευσῖνα κομίζυσι τὰ πρὸς τὴν χρείαν διὰ τῶ ὄνων. *Asinus ducit mysteria. Mysteriis ex urbe versus Eleusinem portant ea quæ sunt ad usum per asinos.* Tarrhæus. Ονος ἄγων μυςήρια. ἐπὶ τῶ παρ' ἀξίαν πραττόντων. τοῖς γὰρ μυςηρίοις ἐξ ἄςεος εἰς Ελευσῖνα διὰ τῶ ὄνων ἔφερον τὰ
B εἰς τὴν χρείαν. *Asinus ducens mysteria; de illis quibus contingunt aliqua præter meritum. Nam mysteriis ex urbe ad Eleusinem per asinos ferebant necessaria.* Habes etiam apud *Suidam*, & Apostolium *Cent.* XIV. *Proverb.* L. Porro mystæ, ut nec puteo insidere illis licitum, neque mullum item edere, ut suis locis *supra* jam a me ostensum; ita nec mustellum fas gustare ipsis. Rem, & causam, Ælianus nobis tradit, *Hist. Anim.* l. IX. c. LXV. Οἱ μυύμενοι ταῖν θεαῖν ὐκ ἂν πάσαιντο γαλεῦ φασίν. ὐ γὰρ εἶναι αὐτὸν καθαρὸν ὄψον, ἐπεὶ τῷ ςόματι τίκτει. *Initiati deabus nequaquam comederint mustelam, dicunt. Neque enim*
C *esse ipsum purum obsonium, quia ore parit.* Et videtur, neque fabam fas fuisse. Nam hoc puto Pausaniæ locum in *Atticis* velle. Τῶν κυάμων ἀνενεγκεῖν ὐκ ἔςι σφίσιν ἐς Δήμητρα τὴν εὕρεσιν. ὅςις δὲ ἤδη τὴν τελετὴν Ελευσῖνι εἶδεν, ἢ τὰ καλύμενα Ορφικὰ ἐπελέξατο, οἶδεν ὃ λέγω. *Fabarum deferre non licet ipsis inventionem ad Cererem. Quisquis vero jam vidit cærimonias Eleusine, aut vocata Orphica perlegit, novit quod dico.*

CAP. XXXII.

Continuata vero hæc sacra ad Imperatores Christianos; & cum tollere Valentinianus vellet, Prætextato intercedente, adhuc manserunt. Semel tantum intermissa, ob capitas Thebas. Hierophanta apud Eunapium falsus vates. Tandem eversa a Theodosio Seniore.

D

CONTINVATA autem hæc sacra ad tempora usque Imperatorum Christianorum. Testatur Hieronymus *Adversus Jovinianum*, extremo primo. *Hierophantas quoque Atheniensium (legant) usque hodie cicutæ sorbitione castrari.* Tollere ea Valentiniano animus, post excessum Juliani rerum potito; verum tamen, Prætextati patrocinio, obtinuerunt.
E Zosimus *Hist.* l. IV. Επεὶ δὲ καὶ νόμων εἰσφορὰς ἐγνώκει (ὁ Οὐαλεντινιανὸς) ποιεῖσθαι, ἀφ' ἑςίας ὥσπερ ἀρξάμενος, τὰς νυκτερινὰς ἐκώλυε θυσίας ἐπιτελεῖσθαι. τοῖς μυσαροῖς μὲν ὖν πραττομένοις ἐμποδὼν διὰ τῦ τοιῦδε νόμυ γενέσθαι βυλόμενος. ἐπεὶ δὲ Πραιτεξτᾶτος ὁ τῆ Ελλάδος ἀνθύπατον ἔχων ἀρχὴν, ἀνὴρ ἐν πάσαις διαπρέπων τῶ ἀρεταῖς, τῦτον ἔφη ἀβίωτον τοῖς Ελλησι καταςήσειν τὸν βίον, εἰ μέλλοιεν κωλύεσθαι τὰ συνέχοντα τὸ ἀνθρώπειον γένος ἁγιώτατα μυςήρια κατὰ θεσμὸν ἐκτελεῖν, ἐπέτρεψεν, ἀργῦντος τῦ νόμυ, πράττεσθαι τὰ πάντα κατὰ τὰ ἐξ ἀρχῆς πάτρια. *Quia vero etiam legum lationes decreverat (Valentinianus) facere,*
F *velut ab Vesta incipiens, prohibebat nocturna sacrificia peragere; probrosis quidem igitur facinoribus per hanc legem volens obsistere. Postquam vero Prætextatus, Græciæ proconsul, vir omnibus virtutibus, hanc vitam diceret minime vitalem fore ut constitueret Græcis, si prohibere vellet illa sanctissima mysteria humanum genus continentia ex ritu fieri, permisit, cessante lege, fieri omnia more antiquitus patrio.* Semel tantum intermissa; cum nimirum, captis ab Alexandro Thebis, in luctu summo versarentur. Plutarchus, ubi de ea re agit, *Alexandro.* Αθηναίοις δὲ δυηλλάγη,

καίπερ οὐ μετρίως ἐνεγκοῦσι τὸ περὶ Θήβας δυστύχημα. καὶ γὰρ τὴν τῶν μυστηρίων ἑορτὴν ἐν χεροῖν ἔχοντες, ὑπὸ πένθους ἀφῆκαν. *Cum Athenienſibus vero reconciliatus eſt, quanquam non pro materia ferrent illam Thebarum cladem. Etenim myſteriorum feſtum in manibus habentes, præ dolore omiſerunt.* Himerius in *Eclogis*. Ἀλέξανδρος δὲ τὴν πόλιν καὶ μετὰ Θήβας ᾐσχύνετο. καίτοι γε εἶχέ τι τότε τῇ πόλει καὶ μέμψασθαι, ἡμεῖς γὰρ, Θηβαίων πεσόντων, τὴν τελετὴν ἀπεκλείσαμεν, ἵνα μὴ τοῖς Θηβαίων θρήνοις ἀντιβοῶμεν τὸν Ἴακχον. *Alexander vero urbem quoque poſt Thebas reverebatur, quamvis tunc haberet aliquid, propter quod eam reprehenderet. Nos enim, quum Thebani cecidiſſent, feſtivitatem præcluſimus, ne Thebanorum leſſis occentaremus Iacchum.* Hierophanta apud Eunapium in *Vita Maximi*, prædicebat Juliano, ſub ipſo hæc ſacra ceſſatura. Καὶ εἰς τοσόνδε ἐξικνεῖτο προνοίας, ἐφ᾽ ἑαυτοῦ τὰ ἱερὰ κατασκαφήσεσθαι καὶ διωθήσεσθαι ἔφασκε. κἀκεῖνον ζῶντα ταῦτα ἐπόψεσθαι, διὰ φιλοτιμίαν περιττὴν ἀτιμαζόμενον. καὶ προτελευτήσειν γε αὐτοῦ τὴν θεραπείαν ταῖν θεαῖν. *Et in tantum exceſſit providentiæ, ſua ætate templa everſum iri ac dirutum dicebat: eumque vivum iſta viſurum, propter nimiam ambitionem deſpectum, & prius morituram ejus venerationem quam Dearum.* Sed eum divinationis falſum, res oſtendit; & ſublata, ut videtur, a Majore Theodoſio; quem Gentilium fana, ac ſacra, evertiſſe Hiſtoriæ tradunt.

CAP. XXXIII.

Celebrata vero præterea a Celeenſibus, Phliaſiis, Pheneatis, Lacedæmoniis, Parrhaſiis, Cretenſibus, & Romanis. Claudii Cæſaris conatus, Hadriani factum.

SED an alibi Eleuſinia agitata? Etiam apud Celeenſes, ac Phliaſios. Et apud illos quarto quidem quoque anno; mutabaturque hierophanta, ſi videretur, ſingulis quadrienniis, feſti tempore: eique uxorem ducere licitum. Pauſanias teſtis *Corinthiacis*. Τῆς δὲ πόλεως αἱ Κελεαὶ πέντε που σταδίους μάλιστα ἀπέχουσι. καὶ τῇ Δήμητρι ἐνταῦθα δι᾽ ἐνιαυτοῦ τετάρτου τὴν τελετὴν, καὶ οὐ κατὰ ἔτος ἄγουσι. ἱεροφάντης δὲ οὐκ εἰς τὸν βίον πάντα ἀποδέδεικται. κατὰ δὲ ἑκάστην τελετὴν ἄλλοτέ ἐστιν ἄλλος σφίσιν αἱρετὸς, λαμβάνων ἣν ἐθέλῃ καὶ γυναῖκα. καὶ ταῦτα μὲν διάφορα τῶν ἐν Ἐλευσῖνι ὀνομάζουσι. τὰ δ᾽ ἐς αὐτὴν τὴν τελετὴν, ἐκείνων ἐστὶν εἰς μίμησιν. ὁμολογοῦσι δὲ καὶ αὐτοὶ μιμεῖσθαι Φλιάσιοι τὰ ἐν Ἐλευσῖνι δρώμενα. *Ab urbe autem Celeæ ſtadia admodum quinque abſunt; & Cereri illic quolibet quadriennio feſtum, non quotannis celebrant. Hierophanta autem non in omnem vitam deſignatus eſt. Sed quovis feſto alius illis eſt electus, ſumens quoque ſi velit uxorem. Et hæc quidem differentia ab illis, quæ Eleuſine fiunt, appellant. Quæ vero ad ipſum ſolemne referuntur, ſunt ad illorum imitationem. Immo vero ipſi fatentur Phliaſii ſe imitari ea, quæ Eleuſine peraguntur.* Celebrabant quoque Pheneatæ, eodem quo Eleuſinii modo. Idem Pauſanias *Arcadicis*. Φενεάταις δὲ καὶ Δήμητρός ἐστιν ἱερὸν Ἐλευσινίας, καὶ ἄγουσι τῇ θεῷ τελετὴν τὰ ἐν Ἐλευσῖνι δρώμενα. καὶ παρὰ σφίσι τὰ αὐτὰ φάσκοντες καθεστηκέναι. *Apud Pheneatas autem eſt & Cereris templum Eleuſiniæ, & celebrant Deæ ſolennitatem; per eadem quæ fiunt Eleuſine, etiam apud ipſos eadem dicentes obtinuiſſe.* Item Lacones, apud quos agon tunc thymelicus. *Heſychius* Ἐλευσίνια, ἀγὼν θυμελικὸς παρὰ Λάκωσιν. *Eleuſinia, certamen thymelicum apud Laconas.* Etiam Parrhaſii, in urbem a Cypſelo rege exſtructam ubi conveniſſent, lucum, & aram, Cereri Eleuſiniæ conſecrarunt; feſtumque ipſi inſtituerunt, in quo de forma mulieres certarent, Χρυσοφόροι appellatæ. Athenæus *lib.* XIII. Νικίας ἐν τοῖς Ἀρκαδικοῖς ἀναθεῖναί φησιν αὐτὸν Κύψελον πόλιν κτίσαντα ἐν τῷ πεδίῳ περὶ τὸν Ἀλφειόν. εἰς ἣν κατοικίσαντας Παρρασίων τινὰς τέμενος καὶ βωμὸν ἀναστῆσαι Δήμητρι Ἐλευσινίᾳ. ἧς ἐν τῇ ἑορτῇ καὶ τὸν τοῦ κάλλους ἀγῶνα ἐπιτελέσαι, καὶ νικῆσαι πρῶτον αὐτοῦ τὴν γυναῖκα Ἡροδίκην. ἐπιτελεῖται δὲ καὶ μέχρι νῦν ὁ ἀγὼν οὗτος, καὶ αἱ ἀγωνιζόμεναι γυναῖκες Χρυσοφόροι ὀνομάζονται. *Nicias in Arcadicis poſuiſſe ait ipſum Cypſelum urbe condita in campo circa Alpheum, in qua colonos inductos quosdam Parrhaſiorum fanum & aram excitaviſſe Cereri Eleuſiniæ, in cujus feſto etiam peragi certamen pulchritudinis, & primum viciſſe uxorem ipſius Herodicen. Etiam hoc tempore iſte agon peragitur, & in certamen venientes fœminæ nominantur Auriferæ.* Et Cretenſes; apud quos vulgare etiam arcana licitum. Diodorus Siculus *lib.* V. Περὶ μὲν οὖν τῶν θεῶν οἱ Κρῆτες τῶν παρ᾽ αὐτοῖς λεγομένων γεννηθῆναι τοιαῦτα μυθολογοῦσι: τὰς δὲ τιμὰς, καὶ θυσίας, καὶ τὰς περὶ τὰ μυστήρια τελετὰς, ἐκ Κρήτης εἰς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους παραδεδόσθαι λέγοντες, τοῦτο φέρουσιν, ὡς οἴονται, μέγιστον τεκμήριον. τήν τε γὰρ παρ᾽ Ἀθηναίοις ἐν Ἐλευσῖνι γινομένην τελετὴν, ἐπιφανεστάτην σχεδὸν οὖσαν ἁπασῶν, καὶ τὴν ἐν Σαμοθρᾴκῃ, καὶ τὴν ἐν Θρᾴκῃ ἐν τοῖς Κίκοσιν, ὅθεν ὁ καταδείξας Ὀρφεὺς ἦν, μυστικῶς παραδίδοσθαι. κατὰ δὲ τὴν Κρήτην ἐν Κνωσσῷ νόμιμον ἐξ ἀρχαίων εἶναι φανερῶς τὰς τελετὰς ταύτας πᾶσι παραδίδοσθαι. καὶ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐν ἀπορρήτῳ παραδιδόμενα, παρ᾽ αὐτοῖς μηδένα κρύπτειν τῶν βουλομένων τὰ τοιαῦτα γινώσκειν. *De diis quidem igitur apud ipſos genitis Cretenſes hæc fabulantur. Honores autem & ſacrificia, & ſolennitates circa myſteria ex Creta aliis hominibus traditas eſſe dicentes, ejus rei hoc afferunt maximum, ut opinantur, argumentum. Nam quod apud Athenienſes Eleuſine colitur feſtum, quod eſt fere ſplendidiſſimum omnium, idque quod in Samothrace, & quod in Thracia apud Ciconas, unde erat Orpheus auctor, myſtice traditum eſſe. At in Creta in urbe Cnoſſo fas antiquitus eſſe palam iſtas initiationes omnibus tradi: & quæ apud alios in operto tradita ſunt, apud illos neminem occultare, ſi velint illa cognoſcere.* Quin apud Romanos etiam. Ac transferre primus conatus Claudius Cæſar, ſed non fecit. Suetonius in *ejus Vita*, cap. XXV. *Sacra Eleuſinia etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt.* Fecit poſtea Hadrianus. Aurelius Victor in *ejus Vita*. *Ceremonias, leges, gymnaſia, doctoreſque curare occœpit; adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret: atque initia Cereris, Liberæque, quæ Eleuſina dicitur, Athenienſium modo Roma percoleret.* Hinc eſt, quod in Cæſaribus ait Julianus, ubi *de eo*. Μετὰ τοῦτον ἐπεισέρχεται βαθεῖαν ἔχων ὑπήνην ἀνὴρ σοβαρὸς, τά, τε ἄλλα, καὶ τὴν μουσικὴν ἐργαζόμενος, εἴς τε τὸν οὐρανὸν ἀφορῶν πολλάκις, καὶ πολυπραγμονῶν τὰ ἀπόρρητα. *Poſt hunc ingreditur profundam habens lanuginem vir gravis, cæteraque & muſicam edoctus, & ſæpius reſpiciens in cælum, & inquirens curioſe in arcana non dicenda.*

FINIS.

JOANNIS NICOLAI

ILMA SCHWARTZB.

DE

RITU ANTIQUO ET HODIERNO BACCHANALIORUM COMMENTATIO.

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

COMITI AC DOMINO

DNO. ALBERTO ANTHONIO

SACRI ROMANI IMPERII QUATUOR-VIRO, COMITI DE SCHWARTZBURG ET HOHNSTEIN, DGNASTÆ ARNSTETI, SONDERSHUSÆ, LEUTENBERGÆ, LOHRÆ AC CLETTENBERGÆ

JOHANNES NICOLAI

S. P. D.



SI ingenio antiquiora complector ſecula, in quibus vana ſuperſtitio dementavit mortalium animos, honorem atque cultum ſoli æterno Numini debitum variis rebus, hominibus pariter ac beſtiis, imo ſenſu & vita deſtitutis exhibitum fuiſſe, non ſine ſtupore deprehendo. Quod quamvis penitus me confirmet Senec. *ep.*CXVII. Cic. *l.* I. *c.* VIII. *de Legib.* omnibus gentibus inſitam de Deo opinionem eſſe; nec ullam unquam fuiſſe adeo extra leges & mores poſitam, ut non aliquos Deos crederet; tamen idem illud me terrore complet, tot populos in ſtolida ſua ſententia permanſiſſe, quiſnam rerum omnium opifex eſſet, inſuper habentes. Quos itidem velut bruta, quæ cum vita & animam amittunt, hac ex vita emigraſſe haut dolerem, modo pœnæ futuri, quod ſperamus, ſeculi haut eſſent ſubjecti, commiſſum nefas perpetuis ſuppliciis luituri. Equidem non deſunt, qui illorum innocentiæ patrocinari malint, & culpam, ſi quæ dicenda eſt, non ipſis delinquentibus, quos ignorantia abſolvit, ſed ipſi Deo Ethnicis ſe non manifeſtanti imponere nequaquam dubitent. Verum neſciunt illi, quam turpiter & impudenter illi divinæ veritatis teſtimonio obloquatur, qua edocemur, naturæ Autorem ex operibus admirandis prorſus ſatis cognoſci poſſe, cum hæc viſibilia arguant inviſibilis Dei Majeſtatem. Noluerunt itaque eum animo inquirere, cujus opera oculis intuebantur. Quapropter in delirio ſuo perſtiterunt, & pro Diis colere cœperunt, quos Deorum loco haberi fas non eſſe emunctioris naſi Gentiles, *Socrates*, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Epictetus*, *Cicero*, cenſuerunt. Quorum cum tanta eſſet multitudo, ut vix numerari poſſent, unoquoque ferme ſingularem ſibi Deum fingente, inde certas illorum conſtituerunt claſſes, Cic. *l.* II. *de Legibus*. In quarum una Dii, quos natura & origine Deos eſſe putabant, qui tamen, quod vetuſtate confirmati eſſent, Dii majorum gentium dicti ſunt, ut teſtatur Ludov. Vives *ad c.*XII. *l.*XVIII. Auguſtin. *de Civit. Dei.* Qui viciſſim diſtributi in *Conſentes* & *Selectos*. *Conſentes* duodecim erant, ſex feminæ & totidem mares.

Juno, *Veſta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*,
Mercurius, *Jovis*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Selecti octo, tres CORPORALES, *Sol*, *Luna Tellus*, quinque SPIRITUALES, *Genius*, *Janus*, *Saturnus*, *Pluto*, *Bacchus*. Voſſ *l.* I. *c.* XVIII. *de origin. & progreſſ. Idololat.* In altera claſſe teſte Cicer. *l.* II. *de Legib.* habebantur ii, quos virtutes & merita ſua ad cœlum vocaſſent, inque numerum Deorum relati eſſent. Et hi, ut *Lucret.* refert, INDIGETES dicebantur, vel Voſſ. *l.* I. *c.* XII. *de orig. & progreſſ. Idololat.* Qualis Æneas, canente Ovid. XIV. *Metam.* v. 607. 608. fuit.

---- Quem turba Qurini
Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.

Indigetis tamen nomine ab Ascanio fuit appellatus, cum pugnans cum Mezentio nusquam comparuisset, in cujus quoque nomine templum construxit his verbis. *Patri Deo Indigeti, qui Numici amnis undas temperat.* Talis quoque Evander fuit, cujus ductu Arcades Italiam ingressi sunt, cujusque ope ac studio Itali litteras & agriculturam didicerunt, ut referunt Livius *l.* I. *c.* VII. Dionys. *l.* I. *p.* 25. cui quoque Romani quotannis apud montem Aventinum juxta portam trigeminam sacra fecerunt. Talis *Romulus*, qui ad paludem Capreæ exercitus delectum facturus, nimbo cælitus delapso evanuit, & ad Deos abiisse creditur: in quorum numerum relatum quoque esse, & mutato nomine *Romuli* nomine *Quirinum* appellatum ipse Julio Proculo indicavit. Sabell. *l.* I. *c.* VIII. Plut. in *Rom.* p. 35. *Sext. Aurel. Victor.* Hac ratione *Augustus* & *Tiberius* Dii facti sunt: nempe suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Inde dicavit cœlo *Tiberius Augustum*, sed ut Majestatis numen induceret. *Claudium Nero*, sed ut irrideret. *Vespasianum Titus*, *Domitianus Titum*, sed ille ut Dei filius, hic ut frater videretur.

Tertiam classem *Divæ* constituunt, propter quas datur in cœlum ascensus: unde plerisque virtutibus extructo sacello, divinos decreverunt honores. Rosin. l. II. c. XVIII. *Antiq. Rom.* Animas quoque defunctorum, quas LEMURES, MANES, LARES, dixerunt, colendas esse existimarunt, sed ut puto solatii & memoriæ causa. Erat & certus numerus, quos rustici, ut custodirent arva, segetes & pecora invocabant, quales erant PAN, PALES, FLORA, PILUMNUS, TERMINUS, HIPPONA & alii, de his disserit Natal. Com. *l.* I. *c.* VIII. *& seqq.* Agnoscebant & sylvarum Numina, ut SATYROS, SILENOS, SYLVANOS & PRIAPUM, *Oreates*, *Faunos*, inter quos SATYRI dicuntur *Bacchi* comites fuisse. Verum cujus penna numerum Deorum Gentilium describere potest? Hinc ex omnibus unum *Bacchum*, & inde orta *Bacchanalia*, cum temporis ratio id non dissuadeat, considerandum elegi. Collectum igitur specimen rudi minerva depictum, ad pedes, *Comes Illustrissime*, tuos humillime depono, obnixe rogans, velis id virtutum radiis clementer illustrare; Hoc enim tantum sub *Illustrissimo Tuo Nomine* publicare debui, cum omnia, quæ habeam, a Tua Illustrissima Clementia ad me venerint Accipe igitur, *Come Illustrissime*, quæ *Tua* sunt, & benigna Clementia subjectiss. Clientem ulterius refocilla. Nihil reliquum est, nisi ut Altissimo Generositatem vestram una cum spe & flore patriæ jucundissimo devote commendem, vitamque iis longævam & prosperos domi forisque successus a Deo humillime precer, qui hæc non mea tantum, sed & multorum aliorum subditorum rata esse vota jubeat, ad nominis sui sacro-sancti gloriam reique publicæ emolumentum. Dabam Helmstadii, die VIII. Septemb. Anno MDCLXXIX.

EXIMIO JUVENI

Dn. JOHANNI NICOLAI

φιλολόγῳ καὶ φιλογλώττῳ,

Si quis inter Cives Academiæ Juliæ alius, eruditissimo.

PERCURRI obiter tuam de Baccho Commentationem, neque enim potui aliter ob morbum, quo ultra semestre eheu decumbo; in eaque diffusæ lectionis tuæ vestigia, & illam observitandi singularem industriam summe sum admiratus, serio exoptans, ut multi ista ætate prodeant, qui tua laudabilia legant vestigia; Et Deus Opt. Max. provideat tibi Patronos & Mæcenates, qui industriam tuam opibus suis fulciant, ita fiet, ut Germania nostra non habeat sibi metuere a barbarie, quæ multis videatur post bellum imminere. Salve mi Nicolai, & rem porro gere feliciter.

Tui Studiosissimus

CHRISTOH. SCHRADER.

DUM tua natales Lenæi pagina Patris
Oblitos ritus priscaque sacra refert:
Ipsa tibi plaudit Clio: promittere lucem
Incipiuntque sibi secla vetusta novam.
Porticus hunc orbem credebat cana renasci:
Aut nunquam, aut docta tu fore crede manu.

Eximio atque Eruditissimo Dn. Autori, Amico dilectissimo, de præclaro indefessæ industriæ specimine gratulatur

HENRICUS WIDEBURGIUS,
Logices Prof. Publ. & Ordin.

IN Vvidis male uvido servire rupibus Baccho,
Corpusque sanum mente cum sana Sabazio offerre,
Et horrida eructare lingua fœtidum Evii fulmen,
Insana proles seculi dulcissimum bonum credit.
Mi NICOLAI, adsuete semper sanctioribus curis,
Docta manu solertius prodire nunc facis siccum
Ex abditis vix cognitum recessibus suis Bacchum,
Ut sana mens sub sanitate corporis magis firma,
Et lingua, sancto inebriata Spiritu, sonet carmen,
Cœlestibus dignum Choris, plausumque dante Sancta Echo.
Industriam dudum Tuam probare Juliæ Patres,
Et relliquas nunc siste lucubratiunculas nobis:
Magni per orbem FRITSCHII sic demereberis laudem,
Exque abditis mox eveheris altius: brevi fiat!

Id quod DNO. NICOLAI, *fautori & Amico suo, ob pietatem & eruditionem honoratissimo, ex animo precatur*

M. HENNINGUS KOCH,
Eccl. Helmstad. P.

NICOLEOS noster num Bacchanalia vivit?
De quibus & scripto & voce disertus agit.
(Nempe fere in vita sequimur quæ lingua profatur,
Mentis & interpres, scribere dextra capit)
Haut ita: Musarum, non Bacchica sacra frequentat
Nicoleos, diti dans bona multa penu.
Est fallax Titulus: de quo quid scripserit ille
Perlege: sic, quidnam sentiat ille, scies.

Doctissimo Dno. Autori, Amico suo dilectissimo, egregium hoc variæ eruditionis specimen edenti applaudebat

M. CHRISTOPHORUS TOBIAS WIDEBURGIUS.

TURPIA quæ Bacchi fuerint sacra quæque Lupercis
Orbem dum doctum pectora docta docent;
Illa simulque docent usus quod tempore nullo
Cum Baccho fuerit dulcis amice tibi.
Sic perge in cœptis, & Bacchi sperne coronas,
Pulchra magis Musæ reddere serta solent.
Horum suavis odor madidarum vincit odorem,
Horum crede viror post quoque fata manet.

Ita in gratiam doctissimi Dni. Autoris Amici sui suavissimi scribebat,

JOHANNES HUMMEL,
Rector Sch. Sen.

INDEX CAPITUM.



JOHNA-

JOHANNIS NICOLAI

ILMA SCHWARTZB.

DE

RITU ANTIQUO & HODIERNO BACCHANALIORUM COMMENTATIO.

CAP. I.

De ortu & educatione Bacchi.



BACCHANALIA dicuntur a *Baccho*, qui nomen habet *ἀπὸ τοῦ βαχέειν*, id eſt, *incompoſite vociferari*. Euſtath. vult *ἀπὸ τοῦ βακχεῖν*, quod ſignificat *ululare*, *incondite clamare*, uti Bacchæ facere ſolebant. vid. Franciſc. Sanctii Brocenſ. *comm. in Alci. JCti. celeb. Emblemat. pag. m.* 100. *Liber* quoque dictus eſt a licentia, quia ebrii ad loquendum redduntur proni, juxta illud Horat.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum.

Vel a *liberando*, vinum ſiquidem animum curis liberat pellitque triſtitiam, teſte Ovid.

Cura fugit — mero.

Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ rugaque frontis abit.

Et hoc indicat Horat. *lib.* II. *Od.* II. diſſipat curas mordaces. add. *Od.* XVIII. *lib.* I. *Carm.* Natal. Com. *lib.* IV. *cap.* III. *pag.* 497. DIONYSUS quoque appellatur, ut Diodor. Sicul. ait *lib.* IV. *pag.* 211. a Διὸς Jovis & *Nymphis Nyſæis*, a quibus educatus. Roſin. *Antiquit. Roman. lib.* II. *c.* II. *pag.* 308. Lucian. *Tom.* II. *pag.* 7. Nempe Διόνυσος ex Διὸς υἱὸς, σ. prius poſt υ. trajecto, ι. item trajecto ante υ. ſed deinde in ν. converſo. Conf. Gerard. Joan. Voſſ. *lib. de origine & progreſſ. Idololat. pag. m.* 146 Auſonius breve habet carmen *Epigr.* XXX. quo complectitur varia nomina, quæ apud varios populos ſortitus eſt Bacchus. *Ogygia me Bacchum vocat. Oſirim Ægyptus putat. Myſtæ Phanacem nominant. Dionyſon Indi exiſtimant. Romana ſacra Liberum. Arabica gens Adoneum.* vid. Alexand. ab Alexand. *l.* VI. *c.* IV. *pag.* 630.

Dicitur *Jovis* & *Semeles* filius. vid. Martial. *l.* V. *Epigr.* LXXIII. *p.* 317. De cujus ortu Lucianus *Tom.* II. *pag.* 5. & 7. Semelem dolis aggreſſa eſt Juno, perſuadet illi, ut petat a Jove, quo cum fulmine & fulgure ad ſe veniat, promittit & jurat ſe daturum quidquid petitura eſſet. Ovidius *lib.* III. *Metam.* quæ cum verbis his inducta crediditſet, veniſſetque Jupiter, ſecum portans fulmen, conflagravit tectum, ipſaque *Semele* ex igne periit. Partum autem adhuc imperfectum, Jupiter intra femur incluſit, ut ibi perficeretur. Tertio igitur menſe poſt Bacchum peperit. Et hinc putant Bacchum dici Dionyſum, quod pupugerit Jovis

A femur, cum natus eſſet cornutus, ideoque *Athenæus* ſcribit: Eum cum injuria natum eſſe. conf. Euripid. in *Bacchid.* Hinc dictus BIMATER. Diod. Sicul. *lib.* V. *pag.* 197. Præter *Semelem* enim ipſi & Patris femur fuit mater. Lucian. *pag.* 7. *Tom.* II. Imo vocatus DITHYRAMBUS, quia, ut ait Gilbert. Cognat. ad *Tom.* I. *pag.* 868. *Lucian.* bis natus velut e duabus januis prodierit. conf. Franciſ. Sanct. Brocenſ. in *And. Alcia. Emblem. p. m.* 100. Natal. Com. *lib.* V. *cap.* X. *pag.* 472. & 473. ſtatuit Bacchum Jovis femori non eſſe incluſum, ſed ab ipſis Nymphis e cineribus maternis ſtatim ereptum & educatum; & ita ſcribit:

B

E cinere ut Bacchum Nymphæ cepere ſorores,
Membraque laverunt fonte perennis aquæ.
Junctus amicitia eſt Nymphis: ſi forte repellas,
Natum de flammis experiere Deum.

Quod femori Jovis dicatur incluſus, id ita interpretatur Diodor. Sicul. *lib.* II. *pag.* 123. Locus ille quo peſtem a copiis ſuis depulit Merus, id eſt, *femur*, appellatur: hinc etiam Græci Bacchum in femore nutritum poſteris tradiderunt.

Educatus eſt a Nymphis in Civitate *Nyſa*, quam in Arabia Felici Cham Oſiridis pater condidit, & Nyſam, id eſt, *Aſylum* vocavit, teſte Edward. Simſon. C *Chron. Cathol. ann. Mund.* 1782. *Noæ* 726. *Par.* I. *fol. m.* 16. vel antro Nyſæ. Diodor. Sicul. *lib.* IV. *pag.* 211. Euripid. *in Bacch.* Tunc fœtum ſublatum Jupiter *Mercurio* tradidit cum mandato, ut in Niſæ antrum, quod inter Phœniciam & Nilum jacet tranſportatum Nymphis ſollicita educandum opera commendaret. Hinc factum, ut a Jove, quem Δία Græci vocant, & Nyſa, quod in hac nutritus ſit, *Dyonyſus* vocaretur. vid. Edward. Simſon. *Chron. Cathol. lib.* I. Gerard. Joan. Voſſ. *lib.* I. *de orig. & progreſ. Idol. pag. ſupra cit.* Quod etiam indicat Lucian. *Tom.* I. *pag.* 7. *In Nyſam hinc ablatum tradidi illum Nymphis enutriendum Dionyſum cognominatum.* D

Alii ab hederæ uſu & ſimili in Dionyſum ſeu Bacchum ſtudio nomen deducunt: Hinc *Ptolomæus* & *Mithridates* aliique Dionyſii dicuntur. De Mithridate obſervavit *Clemens*, quod notaverat olim Tull. *Orat. pro Flacco*: Mithridatem Deum illum, Patrem, Conſervatorem Aſiæ, illum Dionyſum Bacchum, Liberum nominabant; ac præter *Appianum*, innuit etiam alibi Dio Pruſeus *orat.* XXXVII. Cauſas quoque illius appellationis eidem tributæ tradentem audies Plutarch. *lib.* I. *Sympoſ. quæſt.* VI. Neque aliter Ptolomæi exemplo, qui non Dionyſus ſolum, ſed νέος ὁ Διόνυσος, ſeu *Junior Bacchus* dictus, ut præter *Porphyr.* aliaque Græca *Scalig.* excerpta, liquet præterea ex *Menandro pro-*

tectore; ita *M. Antonius* omni ejusdem Dei cultu adsumpto hedera, pampino, MINOR DIONYSUS olim nuncupatus: quem cultum præter Plutarch. *in M. Anton.* & Dionem *lib.* XLVIII. aliquot nummi adhuc ei tribuunt. Solemnis nempe hæc Regum Asiæ & Ægypti insania, ut Liberi Patris cultum & nomen adsumerent. Igitur *Epiphanes*, qui Judæis imperavit hedera coronatus pompam agebat Libero Patri. Ob hanc causam apud Arnobium *lib.* III. Bacchos hederatos dictos autumo.

Porro fabulantur, quod Bacchus Nymphas illas, ad quas ipsum enutriendum detulerat Mercurius ob acceptum lactis & educationis beneficium, in stellas mutaverit, easque vocaverit Hyadas, teste Apollodoro *lib.* III. Et enarrator *Arati* ait vocatas fuisse Hyadas non a pluvia, uti quidam crediderunt, sed a Baccho, quia vocatus est HYES, ut *Scholiastes Euripidis* ait: Postquam Bacchus a Nymphis educatus fuit in antro Nysæ, gratum animum contestatus Nymphas illas in Hyadas convertit. Pausan. *lib.* III. *pag.* 195. scribit, quod INO profuga in agrum suum venerit, ibique Liberum Patrem alendum susceperit. Ubi monstratur antrum, quo infantem enutrierit: cujus campum vocant Bacchi hortum.

CAP. II.

De Forma Bacchi.

HÆC pauca adducta sient de ortu & educatione. Nunc paucula etiam proferam de forma ejus, qua inter alia cornibus Taurinis fingebatur. Audiamus Porphyr. in aureo libello *de abstinent.* III. Græci Baccho cornua Taurina adaptarunt. Quod igitur hunc attinet, liquet, quod non frustra Ταῦρος dictus fuerit ab antiquis Poetis, quod Athenæus, *lib.* XI. *Deipn.* observat; quibus etiam nominibus apud *Euripidem* aliquoties designatur; & quo etiam respexit Plutarch. *lib.* V. *in quæst. Græc.* Bacchum innuens, ἄξιε Ταῦρε, bubulis nempe cohonestatum cornibus. Hinc eundem Tauri seu Tauriformis nomine & habitu, apud *Cyzicenos* cultum, idem *Athenæus* notat. Hinc festum Ταυροπολία in honorem ejus institutum. Sic apud Ægyptios *Bacchi* simulachrum Tauri forma extitisse; apud *Argivos* autem βουγενῆ eundem dictum autor est Plutarch. *de Isid.* & *Osirid.* Cur vero cornua taurina Baccho attributa, varia adferunt Veteres; aut ad natales demonstrandos, quod *Cornigeri Ammonis* esset filius, juxta Diodor. Sicul. *lib.* III. aut quod bobus sub jugum ductis primus sementem fecerit, aut a vini ferocia, quod nimio vino homines truces fiant, cum *Festo* & veteri Interprete ad *Horatium*; aut denique, quod cornibus usi sint antiqui ad pocula, vid. Cassian. a Puteo, Athen. *lib.* II. *fol. m.* 476. Xenophon *lib.* VII. Johan. Baptist. Casalius *de Conviviis & Triclin. fol. m.* 325. unde Bacchum cornigerum depictum, & Ταῦρον Poetis dictum adserit Eustathius *ad Iliad. N. pag.* 917. Cornu sane antiquitus poculi loco fuisse adhibitum, docet etiam alter Hom. Schol. *ad Iliad.* Θ. *v.* 189. qui vulgo *Didymus* creditur, πρὸ τοῦ γὰρ εὑρεθῆναι τὴν ποτηρίων χρῆσιν, κέρασιν ἔπινον· ita enim postrema emendanda, pro quo corrupte legitur εἰς κέρας ἔπινον. Nec aliter *Athenæus*, & in hunc Casaubon. *Animadv. lib.* XI. *c.* VII. *fol. m.* 795. indicant. Inde vero Ταῦροι dicti videntur pincernæ apud Ephesios. Hesychius, Ταῦροι, οἱ παρὰ Ἐφεσίοις οἰνοχόοι: quanquam non in *Bacchi* sed *Neptuni* sacris ita appellatos apud Eustathium ad *Iliad.* Υ. *pag.* 1205. legam. Imo non pocula tantum, sed Taurina etiam Tympana Bacchantium apud *Claudianum*:

Insudant tonsis Satyri, Taurinaque pulsu
Baccharum Bromios invitant tympana remos.

Ad pedes Bacchi *Pantheriscum* pingere soliti sunt Veteres. Sciendum autem sacras huic Deo Tigrides, Lynces, Pantheras & postremas in primis, quas Bacchi proinde Symbolum vocat Philostratus *lib.* I. *Imag.* & in quas proinde conversas Bacchi nutrices vulgo fabulantur Poetæ. Hinc *Panthera* juxta eundem *Philostratum* in Pamphilia reperta (*lib.* II. *de Vit. Apoll. cap.* I.) cum torque aureo & Armeniis literis, REX ARSACES DEO NYSÆO. Nota etiam ratio ejus rei, petita ex natura & indole, quod hoc animal vino nimis deditum narratur, unde vinosum vocatur Oppiano *lib.* IV. *Cyneg. v.* 319.

Θηρσὶ φιλακρήτοισιν ἐμήσατο Παρδαλίεσσι.
Feris vinosis excogitavit Pantheris.

Adeo ut non alia arte in eo capiendo utantur venatores, quam apposito illi potu, ex quo continuo solet ebriari, quod Arabum historiæ narrant. Hinc mos ille Veterum in Bacchi simulacris *Pantheriscum* ad pedes ejus statuendi, in quem Deus ille e scypho vinum effundit, quem dextra tenet, sinistra autem thyrsum; docet id Hero περὶ αὐτοματοποιητ. ubi illo habitu Bacchum depictum vulgo tradit. conf. Tristan. *tom.* II. *pag.* 77. 207. 208. & 236. Oppian. *lib.* III. *Cyneget.* Finem huic capiti impono epigrammate *viri celeberrimi* ICti And. Alciat. *Emblem.* XXV. *pag. m.* 105.

Bacche Pater, quis te mortali lumine novit?
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnosida vidit:
Atque illo pinxit tempore qualis eram.
Cur juvenis, teneraque etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cum superare senem?
Muneribus quandoque meis si parcere disces
Junior, & forti pectore semper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua desunt:
Quos (nisi dementeis) talia signa decent?
Hæc doceo, nostro quod abusus munere sumit
Cornua: & insanus mollia sistra quatit.
Quid vult ille color membris pene igneus? (omen
Absit) an humanis ureris ipse focis?
Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Ignivomo: infectum pulvere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit undis:
Qui non ardenti torret ab igne jecur.
Sed nunc me doceas qui vis misceerier? & qua
Te sanus tutum prendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumsisse falerni
Qui cupit hoc sumi pocula more juvat.
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
Ultra: alacer sed mox ebrius inde furit.
Res dura hæc nimium, sunt pendula guttura, dulce
Tu fluis. Heu facile commoda nulla cadunt.

CAP. III.

De variis Epithetis Bacchi.

OPERÆ pretium quoque esse judico ut hic antequam progrediatur, epitheta quædam adducam. (1) dictus fuit EVIUS. Horat. *lib.* I. *Od.* XVIII.

—— Monet Sithoniis non levis Evius.

Statius *lib.* II. *Thebaid. v.* 71.

Et tunc forte dies noto signata Tonantis
Fulmine, prærepti cum Te tener Evie partus
Transmisere patri.

Horat. *lib.* II. *Od.* XIX. *v.* 7.

—— Even, parce Liber,
Parce gravi metuende thyrso.

Causa quare dicatur Evius est, quia ebrii clamare solent EVIO, EVIO. Ovid. *lib.* I. *de Arte Amandi v.* 568. 569.

Pars hymenæa canunt, pars EVIO, EVIO *clamat:*
Sic coeunt sacro nupta deusque toro.

Et Perf. *Satyr.* I. verf. 101. 102.

—— *Et Lyncem Mænas flexura corymbis*
EVION *ingeminat: reparabilis adsonat Echo.*

Levin. Torrent. *ad* Horat. *lib.* I. *Od.* XVIII. Probabilis, ait, illorum eft fententia, qui fic appellatum exiftimant, quod, cum bello Giganteo ftrenue fe admodum geffiffet, Jupiter eum collaudans Εὖ υἱὲ dixit. Vocatus eft EVIUS Bacchus, ut ait Tiraquellus *ad lib.* VI. *cap.* IX. Alexand. ab Alexand. *pag. m.* 630. quod cum in Gigantomachia dimicans non apparuiffet, Jupiter pater a Gigantibus difcerptum judicavit, dixitque Heu! quæ vox Gementis eft, deinde adjecit υἱός, id eft, *Filius.* Acron tamen *in Horat.* ait: Bacchum in ea contra Gigantes pugna in Leonem a Jove mutatum, Gigantem interfeciffe in confpectu Patris, ad cujus facinoris comprobationem dixerit Jupiter Εὖ υἱὲ, id eft, *bene fili.*

(II.) SABAZIUS dictus eft, ut & *Sabazini* a σεβάζεσθαι, *venerari*, quo epitheto eum infignivit *Orpheus*, ut & Ariftophan. *in Vefpis.* ejufque facra appellata funt *Sabafia.* Oppian. *lib. Cyneget.* Demfter. *ad lib.* II. *pag.* 316. Rofin. *Antiquit. Roman.*

(III.) BASSAREUS cognominatus eft ab oppido Lydiæ Baffara, ubi præcipua religione colebatur: vel a BASSARIDE vefte quadam talari, qua in ipfius facrificiis BASSARIDES Bacchæ utebantur. Sic explicat id Torrent. *ad Horat. Od.* XVIII. *Carm. lib.* I. BASSAREUS dictus eft Bacchus a veftis genere, qua *Baffarides Bacchi facerdotes* induebantur.

(IV.) NYCTELIUS dicitur, cujus meminit *Plutarchus*; & ratio defumpta eft a nocturna vociferatione: Quamvis Servius malit illum ita dici ab *Orgiis*, feu facris Bacchi, quæ noctu celebrantur. Ita enim ait ad *lib.* V. verf. 302. *Æneid.* Liberi Sacra tertio quoque anno innovabantur, & quæ alia quam plurima, quæ collegit Ovidius *lib.* IV. *Metamorph.* quem vide.

CAP. IV.

De variis geftis, inventis, & cafibus Bacchi.

UT accedam iterum ad id, a quo regreffus fcil. poft Nativitatem, qua a Junone, Semele licet extincta, odio habitus, quæ Juvenem ita perfecuta eft, ut vaftum per orbem acquiefcendi locum fibi parare cogeretur. Defeffus itinere, cum fub arboris umbra quieti fe dediffet, ejus tibiam amphisbæna anguis utrinque caput habens momordit. Qui vehementi terrore percitus ferpentem vitis palmite, cum nulla alia re facilius interfici queat, fubito interemit. vid. Demetr. Chlorus, Natal. Com. *lib.* V. *cap.* XIII. Cum vero ftabilem commorandi locum non inveniret in Ægyptum, inde in *Syriam* abiit, ubi hofpitio *Prothei Ægyptiorum Regis* exceptus (*Protheus* enim qui *Homero* dicitur ἅλιος γέρων *Marinus fenex*, in *Ægypto* regnaffe fertur circa tempus belli Trojani. Hujus Regis quoque mentionem facit Virgil. *Æneid. lib.* XI. *v.* 262.

Atrides Protei Menelaus ad ufque columnas
Exulat;)

haut diu fubftitit, fed ad *Cybellam Phrygiæ* urbem aggreffus, a *Rhea Cybeles* ceremonias edoctus per *Thraciam* ad *Indos* contendit.

A Inducto nomine *Rheæ Cybeles*, notandum, *Rheæ* nomen ἀπὸ τοῦ ῥέειν derivari, quod eft *fluere*, quia uti *Phornut.* ait, eft caufa pluviæ, Voff. *lib.* II. *c.* LIV. *pag. m.* 606. *de Idol.* five quæ ratio eft *Camilli Andociani*, quod omnes frugum opumque benignitates ab ipfa fluant ad homines. Gentium Sacerdotes pro ἀὴρ dixerunt, literis trajectis, ἤρα, & poftea ἔρα, quæ eft *terra*: fed myfterii gratia dicere voluerunt ῥέα. Dicta quoque eft *Ops*, quod Terra omne opus ad vivendum fuppeditet, quod opes præcipue in re pecuaria & agricultura confiftebant. CYBELE dicta eft a *Cybelo* monte, ubi expofita fuit, Diodorus Sicul. *lib.* III. *pag.* 191.
B mons ifte fuit in Phrygia, vel a CYBELE, qui primus hujus Deæ Sacerdos fuit. Servius, *tefte* Rofin. *lib.* II. *cap.* IV. *Antiqu. Rom. pag.* 221. fcribit: eam denominari a κύβεσθαι τὴν κεφαλὴν *a capitis rotatione*, quia id hujus Deæ Sacerdotibus proprium fuit, quod per furorem motu capitis comam rotantes ululatum pronunciarent. Sed Feftus *lib.* III. ait. CYBELE mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κύβηβον dicunt. Aft optima fententia a loco Phrygiæ.

Cum autem India nullis urbibus, quæ vi Bacchici exercitus refifterent, inftructa effet, inde to-
C tam ille peragravit, prædamque agere, nec non multa devaftare loca cœpit. Modum tamen condendi urbes ipfis indicavit. Vinum quoque inveniffe dicitur, vitemque e rubro mari in Græciam transtuliffe. Athenæus *lib.* XV. *cap.* V. *ex* Philoni. Medic. Quod inventum multi damnant, illudque contemnunt, cum videre liceat plurimos fuavis liquoris dulcedine inefcatos, in vitiorum turpitudinem prolapfos, fibi contumeliam, aliis injuriam inferre. Quo permotus Lycurgus Dryantis filius Edonorum Rex, tefte Edward. Simfon. *Chron. Catbol. par.* II. *ann. Mund.* 2674. *fol. m.* 21.
D ne fubditi fui immoderato meri ufu ftimulos nocendi & anfam peccandi affequerentur, vineta excidit omnia, non cogitans, quod iratum Deum alio fobrio caftigare potuiffet: vid. Plutarch. *l. de audiendis Poetis.*

Hiftoriam de Lycurgo Bacchas profequente obiter attigit Homer. *lib.* VI. *Iliad.* Plenius rem geftam refert Diodor. Sicul. *Bibliothec. lib.* III. Dionyfus ex Afia copias in Europam tranfmiffurus inquit cum Lycurgo THRACIÆ, quæ Hellefponto alluitur, tyranno iniit amicitiam. Ibi vero cum ille fuas Bacchas in amicam, ut putabat, regionem
E tranfportaffet, militibus præcepit Lycurgus ut noctu MAENADAS invaderent, cunctasque una cum ipfo Duce interimerent. Tum Dionyfus ab indigena, cui THAROPS nomen, de infidiis edoctus, clam ad exercitum in adverfo adhuc litore confidentem transfretavit, at Lycurgus interim oppreffas, quotquot erant, MAENADAS in loco quem NYSUM appellant, interemit. Dionyfus vero transvecto exercitu Thracas pugna vicit, Lycurgumque oculis effoffis cruci affixit. Poftea THAROPI, ut gratiam pro beneficio reponeret, Thraciæ regnum tradidit, eumque Orgia edocuit. Dio-
F nyfum quoque in exercitu fuo habuiffe mulierum agmen haftis thyrfo involutis inftructum, ait idem Hiftoricus *lib.* IV. Et *Philochor.* tefte *Eufeb.* prodidit, hunc SEMELES filium σὺν τοῖς ἄρρεσι καὶ τὰς θηλείας armaffe: unde & θηλύμορφος defcribitur, quia mifcellum ex viris & feminis exercitum confcribebat.

Hic vero dubium moveri poffet, quod Bacchus non fit inventor vini, cum in Sacra Scriptura *Genef.* IX. dicatur: *Et Noe plantavit vineam.* Ubi variæ Interpretum fententiæ. Vatabli *annotata* ita legunt: *Hebraifmi duo, vir terræ pro agricola:*

& cœpit & plantavit, pro cœpit plantare: Sic autem verti debet: Cœpit autem Noe. Quibus verbis non significat tunc primum colendis agris operam dedisse Noe, sed potius illum collecto animo quantumvis esset senex rediisse ad agrorum culturam, & pristinos suos labores. An autem VINITOR *fuerit incertum est.* Clar. *Mercerus* putat vineæ plantandæ usum, & vini exprimendi esse inventum a *Noa*. *Ego*, inquit, *cum Hebræis ex textu colligi puto, quod primus vineam plantaverit, cum alias vineæ ante non sit facta mentio; & nunc dicatur, quod cum esset agricola, cœperit vineam conserere.* Erant quidem & ante diluvium vites, unde succus aliquis colligi potuit in morem vini. Nam omnes res naturales diebus sex, ab orbis initio creatæ fuerant, ut deinceps naturæ tantum propagatio esset, non rerum novarum procreatio. Sed qui vites serie quadam plantaret multas simul, quod vineam vocamus, (aliud enim est vitis, aliud vinea, etsi Galli interdum non distinguant, sua voce VIGNE utrumque complectentes,) nullus ante Noe fuerat: non ergo vitem, ut vulgo putatur, Noe primus plantavit. Sic Rambam, Kimchi *in lib. Radic.* aliique Hebræi sentiunt ex ratione vocum. Vini ergo usum docuisse Noe, & invenisse non dubitarim, etsi potuerit aliquis usus vini ante Diluvium esse, non ita tamen studiose elaboratus ex plantatione multarum vitium simul, quæ est vinea.

Hinc quidam plane in ea sunt opinione, & quasi ex Nomine *Noæchi*, *Bacchi* nomen componere satagunt, sed falso. conf. Gerard. Joan. Voss. *lib.* I. *de orig. & progressu Idololat. cap.* XIX. *pag. m.* 144. quam responsionem *cit. loco* vide. Noe vini repertorem fuisse ut concederem, ita Janum fuisse Italorum, Bacchum Græcorum, nullus concedo, quamvis decepti ab *Annio Viterbiensi Monacho*, & nimia sacra cum profanis conciliandi prurigine ita senserint viri pii, & eruditi. Dixit ille Monachus apud Scriptores idem esse Noe, Janus, Ogyges, Vertumnus, Cœlum, Sol. quæ nugæ sunt nugacissimæ. Unde in fabulas itum est. Bergomas: *Postmodum terra ad propriam naturam reversa, ipse* Noe *vir agricola esse cœpit, & exercere terram, & cuncta animantia ad pascua emittere. Cumque (ut plerique ajunt) caprarum hircum in* Coricum Ciliciæ *provinciæ montem ad pascua emisisset, ibidem labruscas comedens, e vestigio inebriatus est. Quamobrem cætera animantia cornibus petere cœpit. Quo comperto,* Noe *protinus labruscæ virtutem agnoscens ipsam statim sanguine leonis, porci, agni & simiæ inseruit. Id indicium, quod antequam homo bibat de vino, sit instar agni, qui nihil quicquam novit, & sicut ovis: Si bibat decenter, fortis est ut leo, & dicit sibi similem non esse in mundo: Cum bibit plus æquo, porco fit adsimilis, qui se inquinat lotio & sordibus* אחר וכרכר. *Inebriatus adsimilis fit Simiæ, stanti, saltanti, ludenti, producenti coram omnibus turpiloquium oris, nec scienti quid faciat.*

Sed hæc commenta Judæorum sunt, & quilibet ex his veritatem, si lubet, perspicere potest. Mihi vero, quando de Baccho sermo est, quod Inventor vini fuerit, verisimile illud videtur, quod docuerit primum usum vini Græcos, sicuti Noa Orientales. Cum vero homines immoderate vino uterentur, factum hinc, quod ebrietatem contraxerint, quam Græci Μέθην vocant, & nonnullis videtur hoc vocabulum derivatum a Μέθυ, quod a *Poetis* pro vino usurpatur, eo quod ebrietas vino maxime committitur. Athenæus *lib.* x. *cap.* XII. & Casaubon. *in Animadvers. fol. m.* 738. Eustathius & alii eandem utriusque nominis notationem afferunt *ἀπὸ τοῦ μεθιέναι*, eo quod vinum immoderate assumptum hominis mentem statu suo deturbet: nam ΜΕΘΗ & ΜΑΝΙΑ *mentis depravationem* significat: *παροινία* est *amentia*, ut vertit vir eruditus, ne temulentia quidem aut vinositas; verum ex temulentia nascens ὕβρις, *petulantia & injuria*. Quibus addere licet Philonis *περὶ φυτουργίας Νῶε* testimonium: Quidam, inquit, ΜΕΘΗΝ volunt dictam, *ὅτι τῆς μεθέσεως τῆς ψυχῆς αἰτία γίγνεται*, *quia causa est relaxationis ac remissionis animi*. Alii tamen *ἀπὸ τοῦ μετὰ τὸ θύειν*, id est, *post sacrificationem* ΜΕΘΗΝ & ΜΕΘΥΕΙΝ volunt denominari, propterea, quod peractis sacrificiis in deorum honorem olim liberaliori potui indulgere fas esse existimabant, teste Athenæo *lib.* II. Idem etiam Philo Judæus refert *loco cit.* ubi docet prisci seculi homines, non nisi peractis votis & sacrificiis placato numine post purificationem corporum & animarum aquis ablutos, & sacrarum legum cognitione imbutos, lætitiæ genioque indulsisse.

CAP. V.

De Vini usu, & mixtura: quid Bonus Deus? Romanis mulieribus illicitum bibere vinum. & de Fatua.

REPERTO a Baccho vini usu, cum alii intemperanti voluptate, alii furiis insanirent, alii vino & crapula obruti mortuis similes conciderent, ingruente pluvia dissolutum est convivium, & vinum quod in poculo erat residuum aqua dilutum casu est. Reversi vero discussis jam nebulis ad locum, gustarunt vinum, aqua temperatum, mite sane & minime molestum perceperunt delectamen. Qui modus dein receptus & retentus fuit, teste *Athen.* & *Poll.* Athenæus meminit, *l.* x. *c.* VII. ubi scribe Dioclis locum hoc modo: Πῶς δὲ καὶ κεκραμένον πίνειν τὸν οἶνον δεῖ με; τὰ τέτταρα καὶ δύο. *Quomodo temperatum vinum bibere me oportet? quatuor aquæ, vini duo.* hanc fuisse antiquissimorum Græcorum vini temperaturam, auctor *Hesychius*. *Athenæus* vero contrarium scribit, qui Diocleis verbis subjicit: Ab hac igitur temperatura, quæ præter consuetudinem erat, natum fortasse proverbium usu tritum, aut quinque aut tria: non autem quatuor. Verum enim vero sciendum nullam fuisse communem omnibus Græcis certam ΚΡΑΣΙΝ. Aristophanes in *Equitibus* temperamenti meminit, quod ait ejus Interpres habitum omnium optimum: *cum quinque partium tres aquæ, duæ erant vini*. Hinc de *Alcæo* quoque legitur, quod jusserit miscere vinum; verba refert iterum *Athenæus*, quæ Latine versa ita sonant: *Postea ait Alcæus in eo carmine, misce quantocyus in cratera vinum suavissimum.* Et hi qui miscebant vinum, POCILLATORES seu Pincernæ vocabantur, de quibus vid. Bulenger. *de Conviv. lib.* IV. *cap.* VI. Johan. Baptist. Casal. *de Conviv. fol. m.* 325.

Et hinc fluxisse credo morem antiquum, quo, allato in Convivium vino, ingenti clamore bonum Deum invocant venerantes Bacchum, cujus quoque in memoriam poculum sublatis mensis circumferunt, quod poculum BONI DÆMONIS appellant, quod verus Deus invenisset, vel sumtum cum moderamine utile sit ac salutare. Juxta Theologiam Gentilium Ἀγαθοὶ Θεοὶ, seu Δαίμονες dicebantur Genii boni, qui Regioni præsidebant, & a quibus bona fluere putabant. Varia vero sibi eligebant animalcula, quibus ejusmodi vim inesse æstimabant, uti videre est in Ægyptiis, qui Draconem ceu tutelarem loci ejus genium pingebant. Notatu dignum numisma apud *Cl. Patinum* videtur, cujus inscriptio DIONYSOPOLITARUM. Præfert hic nummus in priori parte Gordiani & Serapidis capita, in posteriori vero serpentem tortuosum, cum inscriptione ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ, urbis Pon-

ticæ cum Tomo seu Scythiæ illius quæ postea inter sex Thraciæ Provincias relata, & cujus celebriora oppida DIONYSOPOLIN & Tomum recenset Ammian. *l.* XXVII. *cap.* IV. Apollinem & Bacchum tutelare utriusque loci numen signant nummi apud *Goltzium*, a quo altera quoque a Dionyso (Baccho) nomen accepit. Etenim *Ægyptiorum* imprimis hanc fuisse de Serpentibus ac Draconibus opinionem, ut divini aliquid illorum naturæ tribuerent, docuit *Philo Bibliens.* apud *Eusebium*: ac proinde ut loci Genium ac Tutelam eorum symbolis adumbrarent; alia monumenta præsto sunt, in quibus, aut Dracones id genus coronati, aut cum Caduceo, Sistro, Spica, aut cum Serapide depinguntur. Quo nomine etiam ΑΓΑΘΟΙ ΔΑΙΜΟΝΕΣ, seu *Boni Genii* iisdem nuncupati, ut observatur in nummo Ægyptio *Cimeliarchii Regii Parisiensis*; in quo illinc Neronis effigies, hinc Draco coronatus cum inscriptione aliquantum exesa, ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. ceu Νέος Ἀγαθὸς Δαίμων.

Ut inde certe liqueat, non solis Phœnicibus ita appellatum Draconum genus, de quo ajebat *Philo* apud Euseb. *lib. de Præparat. Evang.* I. Φοίνικες δὲ αὐτὸ ΑΓΑΘΟΝ ΔΑΙΜΟΝΑ καλοῦσιν, *Phœnices vero ipsum* BONUM GENIUM *vocant*. Quomodo & Servius *comment. ad lib.* III. *Georg.* interpretatur Ἀγαθοὶ Δαίμονες, *quos Latini genios vocant*. Ita Venerem dictam videas Θεὸν Πανάγαθον in inscriptione veteri, & in alia rursus ephebi hujus Antinoi exemplo, BONO DEO puero Phosphoro; quomodo alias & Bona Juno vocatur apud *Poetam*.

Et tu lætitiæ Bacchus dator, & Bona Juno.

Quomodo igitur reum poterimus vinum agere, quod constet intemperantiam nostram tantæ dementiæ causam existere. Equidem diffiteri non licet, sæpe illud mentem offuscare, ut exinde Plato *lib.* II. *de LL.* pueris ante annum ætatis decimum octavum & Romana severitas, & hodienum Turcica teste Hottinger. *Histor. Oriental.* mulieribus usum vini interdixerit, illis, ne ingeniis noceret, his, ne lacte Veneris ad prava incenderentur. Hac de re scribit Athenæus ex *Polybii Historia sexta*, Παρὰ Ῥωμαίοις ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον. τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. ex quibus verbis intelligendum non prorsus abstemias fuisse Romanorum mulieres: non enim ab omni vino abstinebant, sed tantum a *temeto*: quam vocem in antiqua Romuli lege ea de re lata positam fuisse conjicio ex Aulo Gellio *lib.* X. *cap.* XXIV. Passum inter vinorum dulcium genera censeri dubitare non possum, cum auctorem habeam Plinium *lib.* XIV. *cap.* IX. Varron. *de vit. popul. Roman. lib.* I. Quare etiam Ulpian. *lib.* IX. *ff. de tritico, vino, oleo, legato, vini appellatione & passum* posse intelligi, diserte docet. Claves cellæ vinariæ mulieribus Romanis non permittebant. Nota enim historia ejus matronæ, quæ ut refert Plin. ex *Fabio Pictore*, quod loculos in quibus erant claves vinariæ cellæ resignavisset, a suis inedia est mori coacta. Addit, si qua fœmina vel gustaverit vinum, nulla opus criminatione, quippe cum ipsum crimen inter osculandum se prodat.

Quapropter Pompilius Faunus FATUAM FAUNAM virgis myrteis ad mortem usque cecidit, quod contra mores clam vini ollam ebibisset, factaque esset ebria. Romani BONAM vocant DEAM, & culta ab iis fuit Kalendis Maii. Et hæc inter Deas indigetes sit, si vel mater *Midæ* fuerit Regis, ut *Phryges* volunt: vel *Nympha Drias Fauni Regis Aborigenum conjux*; quorum utrumque apud Plutarchum *in Cæsare* legitur: Aborigenes vero gentem fuisse Italiæ antiquissimam refert *Festus*, & Faunum teste Lactantio *lib.* I. *cap.* XXII. Orpheo σύγχρονον fuisse, conf. Edward. Simson. Angli *Chronic. Cathol. Part.* II. *fol. m.* 85. Vel quod ex *Varrone* a Macrobio refertur, Fauni Regis filia; adeo pudica, ut extra γυναικωνῖτιν nunquam sit ingressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, nec a viro visa sit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur. Sed quam male tanta pudicitia a *Varrone* memorata, convenit cum ejus ebrietate; de qua sic ex *Sexto Clodio* scribit Arnob. *in sexto*: Faunam *igitur* Fatuam BONA *quæ dicitur* DEA, *transeamus: quam myrteis cæsam virgis quod marito nesciente, seriam meri ebiberit plenam*, Sextus Clodius *indicat sexto de diis Græcorum, signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta; nec myrteas fas sit inferre verbenas; sicut suis scribit in Caussalibus Putas.*

Quærendum igitur hic utrum in hoc dissensu potius *Varroni* aut *Sexto Clodio* assentiendum? neutri inquit Vossius *lib.* I. *de Idololat. pag. m.* 95. cum nullus inter Aboriginum Reges, qui Faunus dictus; sed Faunus non animalis, verum naturalis Deus: quippe idem ac Silvanus, sive PAN: quod testatur Sext. Aurel. Victor *de origine gentis Roman.* & Servius in *lib.* IV. *Æneid.* Idem eo confirmatur quod *Dionysius* tradit, Panicos terrores a Romanis ad Faunos, ut auctores referri. Ipsa etiam Fauni appellatio fecerit fidem. Sic enim propter vaticinia dicebatur a Græco φαύω, pro φάω: unde φαύσκω, & cum reduplicatione πιφαύσκω, hoc est, λέγω, unde itidem faustus, quasi φαυστὸς, quia bona φαύσκει, *dicit*. Idem colligere est ex nomine, quod uxori datum. Nam FATUAM vocarunt, non quasi stolidam putarent, sed ut vaticinatricem, a fatu sive prædictione futurorum: uti & vatibus inde nomen. Nam Vates & φάτης velut a προφάω sive πρόφημι Prophetes, imo & ab eadem origine φάω fanum, ob oracula dicuntur; licet postea aliqua inter fana & templa differentia intercedat. FAUNUS ergo non Rex fuit Aborigenum, sed Deus universitatis, sive rerum natura, qui aliter Pan, & dicitur ratione virtutis activæ; idemque fuit ac Tellumo BONA DEA, ratione virtutis passivæ, ut propterea eadem sit ac Tellus. Hoc ex ipsis nominibus colligitur. Nam BONA DEA aliter dicta FAUNA & FATUA; ita a φάω sive fatu oraculorum Fatua. Conf. plur. *cap.* II. *de Sacerdot. fol. m.* 369. Joan. Baptist. Casal. *lib. de urbis ac Roman. Imper. olim splendore*. Quare virgis myrteis cæsa dicatur ex Gerard. Joan. Voss. *de Idololat. lib.* I. *pag. m.* 95. cognoscere licet.

CAP. VI.

De mystico Bacchi intellectu.

SEMPER in fabulis aliquid veri latere nemo dubitat, quod ad Sacram Scripturam applicari possit, itaque Bacchum nullum alium, quam Mosen fuisse asserit Gerard. Joan. Voss. *lib.* I. *cap.* XXX. *de origine & progressu Idol. pag.* 236. Sacri Annales de Mose referunt, quod in Ægypto sit natus anno mundi 2464. teste Salian. Annal. sacris *tom.* II. *fol. m.* I. & ut observ. *Schalsch. hakk. pag.* II. Mosen natum esse ann. XXXVII. post obitum Levi; Alii tamen dicunt, ut *Zem. Dav. P.* I. natum anno 368. Aliis tamen placet natum esse Mosen anno 2373. sed nulla solida ratione nituntur; quo & referri potest conjectura Aben Ezræ *Exod.* II. *v.* I. matrem Mosis JOCHEBED tum egisse annum ætatis 130. Pharaonis autem jussu ab obstetrice inclusus arcæ in profluentem abjectus, sin-

gulari tamen Numinis ope per Tyranni filiam servatus, & filii loco educatus.

Ut autem res clarior evadat, tota historia referenda est. Tempora in quibus nascebatur Moses erant turbulentissima, quarum calamitatum compendium exhibet Patricid. *pag.* 25. citante Hotting. *lib.* I. *de usu ling. Oriental. in Theolog. c.* VIII. *pag.* m. 396. *Surrexit Rex Aegypti, qui Josephum non noverat.* Dixit ergo suis consiliariis: Aucti utique sunt filii Israel, neque fidimus ipsis, quia si hostis contra nos prodiret, ipsi suppetias ferrent, & Imperio Ægyptiaco se subducerent. Mandavitque Pharao obstetricibus, ut interimerent omnem genitum ex filiis Israel masculum, eumque mari submergerent. Atque sic occisi & maris undis suffocati sunt infantes numero innumeri. conf. Elmacin. *pag.* 46. Hoc tempore Moses quoque in lucem editur forma elegans & decorus, *Exod.* II. 2. ubi a LXX. Interpr. ΑΣΤΕΙΟΣ dicitur, quos secuti sunt S. Paulus, scribens ad *Hebræos cap.* XI. 23. & S. Stephan. *in Act.* VII. 20. gratus Deo, quia scil. habuit a Deo gratiam in facie, ut ibi interlin. Chrysost. *hom.* XXVI. *in epist. ad Hebr.* ait eum scitum & elegantem, non natura, sed gratia, sive supra naturæ conditionem. Eadem exponens Basil. *hom.* I. *in Hexa.* Moses sane is est, inquit, qui etiam dum pendens ad matris ubera Scripturæ testimonio probatur amabilis Deo fuisse. Sic recte ΑΣΤΕΙΟΝ vertit Interpres Gregor. Nyssen. *in Vita Mos.* pulchritudinem, quomodo a Salomone dicitur *Fallax gratia & vana Pulchritudo*, confer. Phil. Jud. *lib.* I. *de Mosis Vita*, Rupert. *lib.* I. *in Exod. cap.* VIII. Fabulatur de hac eleganti forma Impostor *Muhammed*, teste Cl. Hottingero *lib.* I. *cap.* III. *histor. Oriental. ex Kessæo pag. m.* 79. quem vide.

Hæc pulchritudo corporis nativum parentum amorem exacuit, ut spreto Pharaonis consilio & edicto, infantem tribus mensibus absconderent. Clemens Alexand. *lib.* I. *Strom.* idem asserit. Cur autem longiori tempore servatus, rationem afferunt *Lyran.* & *Lipoman.* quod Ægyptii custodes tertio quoque mense domos scrutarentur, ut pueros infantes auferrent & perderent, conf. Joseph. *lib.* II. *An. cap.* V. & Phil. *lib.* I. *de Vit. Mos.* Qua necessitate mater Mosis, quam Patricid. JOCEBED vocat, mota, fiscellam scirpeam sive arculam junceam conficere & linito bitumine, puerulum impositum projecit ad Nili ripam, ubi minus profunda erat aqua, in urbe Tzana, que metropolis fuit Νόμυ sive ditionis TANITICÆ, ut alluvone fluminum interficeretur. Factum autem est, ut Pharaonis filia exiret, lavandi gratia. Hanc Joseph. THERMUTIM vocat, & S. Epiphan. *hæres.* LXXVIII. *fin.* filiam Amenophis. Artapanus autem apud Eusebium *lib.* IX. *de Præpar. cap.* IX. vocat MERRIN filiam Palmenothis. PirK. Eliez. *cap.* XXVIII. ita loquitur: Filia Pharaonis Bithia percussa erat gravibus plagis, neque poterat se lavare in calidis aquis, sed descendit, ut lavaret in fluvio. Arabs Patricid. *cap.* XXV. SIHHOUN nuncupat. Extracto miserta est, & jussit ut educaretur. Accersebatur ipsius Mosis mater, auxilio sororis ejus, quod tamen *Pharaonis* filia ignorabat. Conf. Hottinger. *lib.* I. *de usu linguar. Oriental. in Theol. cap.* VIII. *pag. m.* 403. Salian. *Annal. sacr. Tom.* II. *fol. m.* 2. Ex his constat Natales Mosis Ægyptum fuisse; & in loco conveniunt fabulosa nugamenta; cum & Ægyptii Bacchi natales sibi tribuant, teste Orph. *in hymn.* qui cum lucem adspexisset, Cadmus Semelem & filium arcæ inclusit eamque abjecit in mare, quæ undarum æstu & procellarum impetu jactata, ad fines Brasiæ delata est, ubi mater honesta sepultura affecta, puer vero apud Brasiatas educatus est.

Hinc nomen Mose ortum quidam existimant, ut *Origenes*, Joseph. *Antiq. Judaic. Scriptor. lib.* II. *antiq. cap.* V. *p.* 45. Quia, inquit, projectus fuerat in aquam profluentem, ab hoc casu nomen est sortitus: aquam enim Ægyptii ΜΩ, & ΥΣΗΣ servatum, vocant. vid. *Oedip.* Athanas. Kirch. *Tom.* I. *pag.* 122. Conf. Exercitat. Anti-Morin. *pag.* 48. *Hotting. Histor. Orientalem pag. m.* 76. Smegma Oriental. *lib.* I. *de usu linguar. Oriental. in histor. Theolog. cap.* VIII. *pag. m.* 399. Joseph. *lib.* I. *contra Apionem pag.* 846. Idem e Patribus sentit Clemens Alexandrin. *lib.* I. *Stromat. pag.* 162. Adscribam verba ejus a *Gentiano Herveto* in Latinum versa: *Deinde puero imponit nomen Regina* MOSES, *quia ex aqua sustulisset*. R. Aben-Ezra *in comment.* suo ad *Exod.* II. 10. sic scribit: *Nomen Moscheh translatum est ex lingua Aegyptiaca in linguam sanctam: fuitque nomen ejus in lingua Aegyptiaca* MONIOS. *Atque sic scriptum in libro* עבירת תארמה *translato ex lingua Aegyptiaca in linguam Arabicam; etiam in libris sapientum Græcorum*. E recentioribus supra citavi quosdam, inter quos *Athanasius Kircherus*, (quem nonnulli, nescio cur, tam avide sequuntur) nomen Mosis autumat esse Ægyptiacum, eosque graviter errare asserit, qui id nominis ab Hebraica voce משה deductum volunt. Verum enim vero minime errare, qui hujus originem Ebraicam statuunt. Recte Megelander noster Lutherus *Tom. Jenens. Latin. fol. m.* 192. b. Moses, inquit, interpretatur non MOYS, quod est aqua, ut somniant quidam, sed ab assumendo, seu assumtus seu extractus, quia de aqua sumtus est.

Favet huic sententiæ expressa litera *Exod.* II. 10. quam si quis attente legat, non facile calculum adjiciet *Kircheri* aliorumque commento. Crevit autem puer & adduxit *mater* Mosis, *Exod.* VI. 20. eum ad filiam Pharaonis, fuitque ei in filium; Et vocavit nomen ejus MOSCHEH, dixit enim quia ex aquis משיתהו *extraxi eum*, vel *extraxisti eum*. En manifestam nominis rationem; משה a משה *extraxit, eduxit*, non vero *servavit*. Tribus tantum in locis hoc verbum legitur, scil. *Exod.* II. 10. II. *Sam.* XXII. 17. & *Psalm.* XVIII. 17. estque semper conjunctum cum מן המים *ex aquis*. Vides igitur B. Lector ut hæc optime cum Baccho conveniant. Sed Liberum bimatrem appellant, num & id de Sancto Dei servo dici poterit? dubitarem itaque, nisi divinius testimonium omnem mihi dubitationem adimeret. Etenim præter matrem, quæ ipsum enixa est, & alteram indeptus est filiam *Pharaonis*, a qua educatus, & in omne Ægyptiorum doctrinæ genus institutus. In aula enim Pharaonis educatus, & ut Eliez. *cap.* XLVIIII. putat: Omnes aulicos ipsum honorasse. Ita Schalf. *pag.* II. b. Literatura Ægyptiaca fuisse imbutum Elmacin. *pag.* 47. Et educatus est in castro Pharaonis, institutus in omnibus scientiis & disciplinis; peritus omnium gestarum rerum & Annalium, eruditus in omni eruditione & sapientia Ægyptiorum, confer. *Philo & Ezechiel. Poet. apud Clement. &* Justin. Matyr. *in orat. ad gent.* S. Basil. *homil.* I. *in hexam.* Salian. *Annal. Eccles. Vet. Testam. Tom.* II. *fol. m.* 6. *ann. mund.* 1468. Johan. Henr. Hottinger. *Smeg. Oriental. lib.* I. *de usu ling. Orient. in histor. Theolog. cap.* VIII. *pag. m.* 403.

Et ne quis me pugnantia proferre putet, quod LIBERUM, quem Mosen indigitamus, modo a Tyranni Ægyptiorum filia, modo a BRASIÆ incolis nutritum esse dicam: sciendum, penes Brasiæ Sacerdotes omnem reddere culpam, quippe ad honorem suæ Urbis pertinere existimarunt, si fingerent, quæ in Ægypto contigerunt, apud se evenisse. Voss. *lib.* I. *cap.* XXX. *de orig. & pro-*

gress. Idololat. Quapropter commenti sunt Brasiæ eum educatum, quem tamen filia Regis, quod esset forma divinus & indole generosus, educaverat. Joseph. *lib.* V. *cap.* V. *Antiquit. Judaic.* Porro LIBER educatus dicitur in monte Arabiæ *Nysa* nomine, sed & hoc conciliare facile est. In Arabia est desertum Sin & mons Sina, ex quo mutata vocali, Nysam habes: in quo ideo eundem educatum esse putatur, quod Moses in Arabia XL. annis exulem egerit, conf. Cl. Johan. Henr. Hotting. *Smeg. Orient. lib.* I. *de usu ling. Orient. in Theol. Histor. cap.* VIII. *pag. m.* 413. Edward. Simson. *Chron. Cathol. an. mund.* 2468. *Part.* I. *fol. m.* 35. Dein in Ægyptum regressus Israelitis ducem se in Arabiam præstiterit. Ubi cum transiisset mare rubrum, varia cum Arabiæ & vicinis principibus bella gessit, de quibus *Patricid. Arabs* (quem Cl. Hotting. *Smegm. Oriental. pag. m.* 425. citat) ita loquitur. Petituri Palæstinam, prohibebantur; adituri tractum Amalekitarum, reprimebantur; redituri in Ægyptum, metuebant incolas ejus. Occidit autem Moses Regem Chesbon & Sihonem, vastavitque domicilia eorum, interfecit viros, eorum uxores vero captivas duxit. Et e medio sustulit Regem Midian, regnum depopulatus. Interfecit etiam Regem Og. De Baccho itidem narrant Athen. *lib.* I. *pag.* 16. Nonn. *lib.* XX. *Dionysiac.* Plut. *de Isid. & Osirid.* Theodoret. *serm.* III. *Therap.* profugisse illum ad mare rubrum, & exulem eum fuisse: Postmodum vero ipsum in Arabiam cum exercitu suo profectum, & ab istius Rege Lycurgo, quem amicum sibi futurum pollicebatur, pene per insidias sublatum. De LIBERO traditum est, in exercitu circumduxisse viros pariter ac feminas, conf. Diodor. Sicul. *lib.* III. Nonn. *lib.* XX. *Dionys.* addit & describit etiam hoc Edward. Simson. *Chron. Cathol. Part.* II. *fol. m.* 21. Dionysum in exercitu suo habuisse mulierum agmen hastis thyrso involutis instructum: Sed quid Moses? nonne & is plebem sanctam duxit, in qua non modo senes, viros, sed & feminas & pueros videre licuit.

BACCHUS Leges ac Judicia instituit, quem propterea θεσμόφορον vocat Orpheus. Moses Leges Dei in jugo Sinai latas populo servandas exhibuit, *Num.* XX. *vers.* 21. Hic in deserto SIN petram fuste percutiens, aquam eduxit: Id fabulæ non ignorant, cum dicant, unam e Bacchis in solenni Orgiorum celebratione, arrepto thyrso petram percussisse, & aquam hinc promanasse. Euripid. *in Bacch.* & Pausan. *lib.* V. *pag. m.* 266. referunt. Hinc id factum esse autumo, quia thyrsus liberalitatis Symbolum judicabatur, uti ex antiquitate hoc elucescit. Illud autem controversiam movebit, quod Moses vinum non invenerit, hæc siquidem laus Noachi juxta Poetas Liberi est. Nihilominus Mosi vel hac ratione nomen LIBERI dari poterit, quod populum suum deduxerit usque ad terram, quæ lacte & vino fluit, & apum nectare. Ex his luce meridiana clariora videntur, quod sæpissime veritas fabulis occultetur.

CAP. VII.

De variis locis ubi cultus fuit.

At multis maximis honoribus affectum fuisse Bacchum, testantur historiæ, imo certa loca constituta fuisse, in quibus cultus. Nemini innotum, quod in civitate NYSA Thracum cantharo cultus. Non minore *Nicæa*, non Liguriæ sed Bithyniæ urbs coluit honore, quippe in iisdem Pater Liber ΠΡΟΠΑΤΩΡ vocatur. Apud Cyzicenos tauriformis nomine & habitu honorabatur. In cujus proinde honorem institutum in ea urbe festum ΤΑΥΡΟΧΟΛΙΑ licet ex *Hesychio* colligere, Ταυροχόλια ἑορτὴ ἐν Κυζίκῳ. Casaub. *in not. ad* Athen. *cap.* XVI. *fol. m.* 451. Festi cujusdam meminit, quod nomine Tauropoliorum inscribitur, omnis turpitudinis & obscœnitatis plenum, & ab hoc si ita esset, arbitror non multum differre. Verum falsum hoc esse a Joanne Seldeno *in lib. docti. de Synedr. Ebræorum lib.* III. *cap.* XIV. *p. m.* 301. *seqq.* demonstratum est. Sic apud Ægyptios Bacchi simulachrum Tauri forma exstitisse; apud Argivos autem βουγενῆ eundem dictum, auctor est Plutarchus *in Isid. & Osirid.*

Lactantius *lib.* I. *cap.* XXII. Alexander ab Alexandro *lib.* VII. *cap.* XIX. *pag.* 363. Gerard. Joan. Vossius *de origin. & progress. Idololat.* referunt, quod Orpheus cultum, quo mortales prosequantur Bacchum, & solenne Festum tertio quoque anno celebrandum instituerit in monte BOEOTIÆ, istumque ritum Thracibus fecerit notum. Bacchi memoria quoque Limnis celebratur (de hac videatur *Ortelius*) ubi vetustiora Bacchanalia certo tempore repetuntur. ÆGYPTUS notitiam sacrorum Bacchi habet. Herod *lib.* II. *pag.* 118. Athenienses, qui non solum in Græcia, sed cunctis gentibus enitebant, teste Cornel. Nepot. *in Vit. Attic. cap.* III. a quibus humanitas, doctrina, religio, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur, magnum quoque exhibuerunt honorem. Quorum urbem, Justin. *lib.* II. *cap.* VI. referente, Musæ velut templum habent, quæ non tantum Græciæ, ut Thucyd. *lib.* II. *cap.* VIII. informatrix, non tantum communis, Diodor. Sicul. *l.* XIII. omnium hominum schola, Cic. *l.* IV. *epist. fam.* XII. sed nobilissimum orbis Gymnasium, de quo vid. Joan. Meurs. *in lib. de fortun. Athen. cap.* VII. *pag. m.* 64.

Hos secuti alii populi in cultu Bacchi. Colebatur apud LACEDÆMONIOS Liberi Patris simulacrum hasta insigne non thyrso. Sane thyrsus hasta fuit, cujus mucro hedera lambente protegebatur, quod significabat (inquit Macrobius) vinculo quodam patientiæ obligandos impetus furoris, habet enim hedera vincendi obligandique naturam: Vini vero calor ad furorem sæpe hominem propellit, conf. Lil. Gregor. Gyrald. *histor. deor. Syntagm.* VIII. *fol. m.* 374. Ab INDIS Bacchus Deus SARON nominabatur, qui vini confector interpretatus dicitur, ut *Chares Mitylenæus* ait: Prope fontem MELIASTARUM, teste Pausan. in *Arcad.* Orgia & festa sacra ab indigenis celebrabantur. Hinc quoque a regione, ubi colebatur, MAEONIUS dicitur. Virgil. *Georg.* IV.

—— Cape Mæonii carchesia Bacchi,

conf. Servius *in h. l.* A LIGYREIS Thraciæ populis, apud quos adytum fuit consecratum, ex quo oracula reddebantur, mero copiose epoto, in CAMPANIA Neapolitani barbatum celebrant. THEBANI templum, prope theatrum exstruebant, ut est apud Pausan. *in Bœot.* Cephalena Dionysum METHYMNÆI colebant, oraculo moniti. Pausf. *in Phoc. Dionys.* Syciten Dionysum scribit Solibius cultum a LACEDÆMONIIS, quasi dicas ficulneum. Hesychius tamen Syceaten legere videtur, ideo vero sit appellatum: nam & ab eo ficum repertam tradunt. Nam & NAXII Dionysi simulacra ita effingebant, ut ora nunc ex vite, nunc ex ficu conformarent. Quin & Baccho ÆGYPTII diem quendam festum agebant, ut Herodot. *in lib.* II. scribit, sine porcis: sed ejus loco phallorum ficulneorum a collo pendentium statuæ cubitales e nervis compactæ, quas fœminæ circumferebant. CHOES sa-

crum Baccho instituit Themistocles a mensura seu vase; ita ab Argivis colebatur. Templum quoque exstructum apud PALLENSES, in quo celebritas agebatur, quam ab eo λαμπτηρίαν vocabant a *facibus*, quæ accendebantur. Noctu enim ea solemnitas celebrabatur. LAVINI, teste August. lib. VII. *de Civit. Dei* cap. XXI. turpitudinem Liberi Patris celebrant, & sic ex *Varron.* scribit: *In oppido* LAVINIO *unus* Libero *totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec illud membrum per forum transvectum esset. Imo ejusmodi pestis turpissimâ usque ad* ROMANOS *pervenit, quo ejusmodi festa celebrata antiquissima monumenta demonstrant, ubi in monte Viminali seu Nomentana, quo vites & vinum crescebat nobilissimum* (testibus Columell. *de Re Rust. lib.* III. *c.* III. Plin. *lib.* XIV. *cap.* II. Martial. *epigram. l.* I. *epigr.* LXXXV. *lib.* X. *epigr.* XL. *lib.* XIII. *epig.* CXIV.) *Baccho templum erectum.* confer. *lib.* IV. *cap.* XXI. *fol. m.* 156. *l.* II. Paul. Aringhi *de Roma subterranea*. Meminit etiam templi Baccho exstructi Prochorus *discipul. Joan. Apostol. & Evangel. in histor. quæ habetur in Bibliothec. Patrum.* libri autem dicti Prochori *pag. est* 163. *cap.* XXXIX. ubi hæc leguntur: *Ad templum Liberi Patris venimus, quem Deum asserebant, & in hoc pollutum templum introivit multitudo populorum, offerens vinum multum & abundantiam ciborum.*

CAP. VIII.

De Symbolis & animalibus Baccho sacris.

SYMBOLA ejus quod attinent, notandum, quod altera manu thyrsum, altera scyphum teneat, imo & hoc observandum, Bacchum vehiculo insidentem cum bijugibus Pardis, sinistra quidem thyrsum, dextra autem scyphum tenentem, vinum non solum in Pantheriscum, sed & in Pantheram aperto ore fundere. Quo respexisse videtur Oppianus *l.* III. *Cyneget.*

Qua causa etiam nunc vino valde exultant
Capientes ore Liberi Patris magnum munus.

Sunt autem hæc insignia Bacchi LIBERALIUM Symbola. Accedit ad hoc quod etiam Baccho pineæ nuces attribuantur, sicuti videndum in antiquis BACCHANTIUM monumentis, nuces scil. pineas thyrsorum fastigio impositas esse. Imo inde factum esse arbitror, ut ΚΩΝΟΙ etiam dicti sint iidem thyrsi, quod erudite *Hesychius* notat, Κῶνοι οἱ θύρσοι, &c.

Animalia vero Baccho sacra erant varia. (1.) erat PANTHERA, de quo animali ita loquitur Spanhemius *Dissert.* III. *de præstant. & usu Numism. pag.* 164. quod cum Caprigeno ob varietatem pellium fere conveniat. Hinc Philostrat. *Imag. lib.* I. Symbolum Bacchi vocat: πάρδαλις τοῦ Θεοῦ σύμβολον, & in quas conversas Bacchi nutrices fabulantur vulgo Poetæ. Hinc Panthera juxta eundem Philostratum *lib.* II. *de Vit. Apoll. cap.* I. in Pamphilia reperta cum torque aureo, & Armeniis literis, REX ARSACES DEO NYSÆO. A maculis pellis Hebræis dicitur נמר, & *variæ* Romanis dictæ eædem feræ: tum Cantharus ille, quem unguibus apprehendit, vinosis Pantheris admodum conveniens. Familiare insuper in Asia feræ genus, ac vel imprimis in Caria & Lycia, ut liquet ex *Agatharcide* apud Phot. *Cod.* CCL. *cap.* XXXV. ac præterea ex Æliano *lib.* XVII. *cap.* XLIII. cui ΠΑΡΔΑΛΙΣ, ΚΑΡΙΚΗ ΚΑΙ ΛΥΚΙΑΚΗ vocatur. Plura legat benevolus Lector apud Clariss. Bochart. *Hieroz.* (2.) LYNCES, teste Spanhemio, loco mox citato. (3) TIGRIS, vid. dictus Autor pag. 123. & forsitan ab Lynce aqua illa, cujus meminit *Philo*, qui navigationem in Æthiopiam teste Strabone *lib.* II. conscripsit, & apud Antigonum Carystium *c.* CLX. legitur, nomen accepit, quod mentes hominum immutet, quasi vinum bibissent. vid. Gerard. Jo. Vossius *de Idololat. pag. m.* 687.

CAP. IX.

De diversis temporibus celebrandi Bacchanalia.

BACCHANALIA alia Martio, alia in vindemia celebrabantur inter initia Septembris, aliquando alio anni tempore, & quidem privatim ceu sacrum quoddam, quæ quidem XVII. & XVI. Cal. Mart. celebrabantur, potu vini uberiori solennitas complebatur. Unde scribit Tacitus *lib.* XI. Ann. *cap.* XXXI. Cum Messalinam Claudio Cæsare marito absente introducit ludicrum tale, ut tegeret adulterium, celebrasse; *At Messalina*, inquit, *non alias solutior luxu, adulto autumno simulacrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri prela, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, juxtaque Silius hædera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.*

Describuntur tales etiam ludi cum sacris Bacchi a Tito Livio *lib.* IX. *Decad.* IV. *Via una corruptelæ*, inquit, *Bacchanalium erant. Mater adolescentem appellat, se pro ægroto vovisse: ubi primum convaluisset, Bacchis eum se initiaturam damnatam voti, Deum benignitate exolvere id velle, decem dierum castimonia opus esse, decimo die cœnatum, deinde pure lautum, in sacrarium deducturam.* de quibus vid. Wolffgang. Laz. *comment. Reip. Rom. lib.* X. *cap.* IX. *fol. m.* 487. Porro LIBERALIA a Libero puto esse dicta, in quibus etiam Annæ Perennæ sacra fiebant, cum largioribus poculis, quorum originem Naso *l.* III. *Fastor.* describit, *v.* 661. *&c.*

Hæc quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
Fama, nec a vera dissidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta tribunis,
Fugit, & in sacri vertice montis abit.
Jam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos
Victus, & humanis usibus apta Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna bovillis
Pauper, sed multæ sedulitatis, anus,
Illa, levi mitra canos incincta capillos,
Fingebat tremula rustica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane solebat
Dividere. hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta, signum posuere Perennæ,
Quod sibi defectis illa ferebat opem.

Varios quoque adhibitos fuisse mores, variasque ceremonias in his usurpatas ita canit;

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul a ripis, advena Tybri, tuis.
Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.
Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.
Pars ibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen, vinoque calent; annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Illic & cantant quicquid didicere theatris,
Et jactant faciles ad sua verba manus;
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica comis:
Cum redeunt, titubant, & sunt spectacula vulgi:
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit nuper (visa est mihi digna relatu)

Pom-

Pompa, ſenem potum pota trahebat anus.

Liberaliorum meminit & Inſcriptio Vetus Romæ trans Tyberim, in Eccleſia Mariæ:

LIBERO PATRI SANCTO SACRVM
S. CELIVS PRIMITIVVS ET PVBLI-
CA ANTILIA VOTO SVSCEPTO
D. D.

Celebrabantur etiam VIII. Cal. April. & VIII. Cal. Mart. HILARIA, quo ſcil. tempore primum omnium Sol longiorem diem protendere incipiebat. Porro in hujuſcemodi feſtivitate mulieres Veneri ſacra faciebant. Ad quæ illud Sueton. *in Auguſto, cap.* XCVIII. *Exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum & obſoniorum, rerumque miſſilium; nullo denique genere hilaritatis abſtinuit.* Hæc ſequebantur PALILIA *Pali* Deæ paſtorali dicata, a *Romulo* XX. April. inſtituta. Meminit horum Sueton. *in Caligul.* Saltabatur autem PALILIIS per ignem, ut apud Saxones Superiores quibuſdam in locis Die Johannis fieri ſolet. de quibus vid. Wolffgang. Laz. *comment. Reip. Rom. lib.* XI. *fol. m.* 872. Ovid. IV. *Faſtor.* Varr. *lib. rei ruſt.* III. *cap.* I. Cicer. *lib.* V. *de divinat.* Tibull. *lib.* II. *eleg.* VI. Ovid. *lib.* XIV. *Metam.* Propert. *lib.* IV. *eleg.* I. & IV. VINALIA & QUIRINALIA poſt Lupercalia celebrabantur in Februario, XII. Cal. Febr. quo die vinum novum Jovi libare mos erat, dolio hauſtum; quod nos feſto Martini facere conſuevimus. De his extat mentio apud Liv. *lib.* V. *decad.* V. PRIAPI quoque ſacra VII. Cal. Auguſt. peragebantur, quo die matronæ Priapi virilis figuram, extra portam Collinam ad ædem Veneris cum pompa ſacrorum ferebant. Ad hæc ſacra Priapi alludit Prudentius contra *Symmachum*, *lib.* I. cum de Diis gentilium tractat:

Hic Deus e patrio prænobilis Helleſponto
Venit adusque Italos ſacris cum turpibus hortos
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, & ruris ſervat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem viſere ramo,

Non dubitandum quin alii fuerint populi, qui certis temporibus anni hilares ſe exhibuerint & Bacchanalia & ritum hunc celebrarint. Lucem hujus rei accendit illud Ezech. *cap.* VIII. *v.* 14. *ubi* Propheta ita loquitur: *Ecce mulieres ſedebant, deflentes Thamuzum.* Et per mulieres intelligit *Junius* ſacerdotes Iſidis impudiciſſimas, quæ phallos & ithyphallos geſtabant (quemadmodum σαλληφορίοις, id eſt, Pamyliis viri Sacerdotes *Oſiridis*) indutæ veſtibus lineis publica lupanaria incolebant in domo Jehovæ cum pueris meritoriis. Imo quinto menſe quem *Ab*, Syrorum more, Sabæi appellant: *Exprimunt vinum novum Diis ſuis, eique varia indunt nomina.* Tunc etiam infantem recens natum diis ſuis mactant, de quo Arabs quidam (quem D. Joh. Henr. Hotting. *Hiſtor. Orient. lib.* I. *cap.* VIII. *pag. m.* 273. *de relig. Sab. Nabat.* citat) hæc refert verba: *Mactatur infans, qui verberibus contunditur, uſque dum fuerit comminutus. Poſtea caro ejus ſumta commiſcetur farinæ ſimilagineæ, croco, cariophyllis, placentæquæ parvæ, fiſci inſtar, inde pinſuntur, & in furno novo coquuntur.* Hinc venit, ut peculiari nomine Bacchum dixerint, de quo Tertullianus in *Apologet.* quem DISAREM (alii Diapharem ſcribunt, ſed vitioſe, alii Dyſarem) inter veterum Arabum numina refert. Bacchus (non ut *Suidas* voluit, Θεὸς vel Θεὸς Ἄρης, Mars) intelligitur. Unde *Heſychius.* Δυσάρην τὸν Διόνυσον Μαβαταῖοι, ὥς φησιν Ισίδωρος, id eſt, *Duſarim, Bacchum Mabatæi (Nabathæi) vocant, ut ait Iſidorus.* conf. *Hiſt. Oriental. lib.* I. *cap.* VIII. *de religione Veter. Arab.* Hotting. *pag.* 236. de vario Bacchanalia celebrandi tempore vid. Alexand. ab Alexand. *Genial. Dier. l.* VI. *c.* XIX.

CAP. X.

De Inventore Bacchanalium, & Ovatione.

ÆGYPTIOS primos inventores fuiſſe nullum eſt dubium; refert enim Herod. *l.* II. *p.* 118. quod feminæ Ægyptiacæ præeunte tibia Bacchum canant, & hymnis glorioſius prædicent. Verum quis ad Græcos pertulerit, inquirendum. MELAMPUS, inquit Diodor. Sicul. *lib.* IV. *pag. m.* 211. vir ſapiens, & (ut verbis Edward. Simſonis Angli utar, *Part.* II. *Chron. Cathol. fol. m.* 20.) Vates inſignis & aruſpex, AMYTHAONIS filius, Crethei Æoli nepos, qui ex Tyrone Salmonei filia genuit Pheretem, Æſonem, & Amythaonem. Hic Amythaon ex IDOMENE uxore duos ſuſcepit filios, BIANTEM & MELAMPUM, hic ſacra Baccho ſancita ab Ægyptiis indicavit Græcis, quamvis non omnem rationem iſtorum complexus fuerit, cum ea, quæ in Grecia peraguntur ab Ægyptiorum ſacris haut leviter diſcrepent. Herodotus *loco jam cit.*

In multis itaque Græciæ oppidis per unumquodque triennium, teſte Diodoro Sicul. *lib.* IV. *pag.* 211. Bacchanalia a cœtu mulierum peraguntur, quo quidem tempore Deum inter homines verſari autumant. Virgines itaque ſolenni ritu thyrſos geſtant, & lymphatico furore actæ ovant, Deum venerantes ſuum, Alexand. ab Alexandro *lib.* VI. *cap.* XIX. *pag.* 363. Quid quoque OVATIO ſit, paucis tangam, modo prius quædam de Melampi geſtis adducam, unde forſitan hic ritus promanavit. Cum tres filiæ Prœti Argivorum Regis, Lyſippe, Iphinoe & Iphianaſſa, in inſaniam incidiſſent, MELAMPUS Amythaonis filius, qui τὴν διὰ φαρμάκων θεραπείαν, *potionandi rationem*, primum invenerat, ſe virginibus ſanitatem reſtituturum pollicetur, ſi tertiam partem regni accipiat, uti narrat *Apollodor.* de hac inſania Servius ad Maron. *Eclog.* VI. *verſ.* 48. *Melampus pacta mercede ut Cyrianaſſam uxorem cum parte regni acciperet, infecto fonte, ubi ſolita erant bibere, purgavit.* vid. plur. *Philandri annotat. ad* Vitruv. *l.* VIII. *c.* XIII. Plin. *l.* XXV. *c.* V.

Cognito autore dixi me quoque acturum de OVATIONE, cujus paulo ante mentionem feci. Tenendum igitur quod genus quoddam Triumphi fuerit, & peractum, cum duces belli res proſpere geſſiſſent, ſed non ita magnas ut juſto triumpho dignæ viderentur. Unde dicatur, non conſentiunt autores. Alii derivant a particula exclamandi O O. quaſi ita clamaverint. Alii ab Ove, nam oves immolabantur in minori triumpho, ut boves in majore. Cauſa OVATIONIS proditur a Gellio *lib.* V. *cap.* VI. Ovandi autem & triumphandi cauſa eſt, cum aut bella non rite indicta, neque cum juſto hoſte geſta ſunt; aut hoſtium nomen humile & non idoneum eſt, ut ſervorum piratarumque, aut deditione repente facta impulverea, ut dici ſolet, incruentaque victoria obvenit, cui facilitati aptum eſſe Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, ſed quaſi Venereus triumphus foret. Plutarchus *in Vita Marcelli*: Ovans non invehitur curru, neque laureatus, neque concinitur tubis, ſed pedibus ingreditur calceatus, modulantibus multis tibiis, myrtum geſtat, placatus magis, quam metuendus. conf. Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* V. Wolffgang. Lazius *Reip. Rom.* in exter. *Provinc. bello acquiſit. l.* IX. *fol. m.* 772.

CAP. XI.

De variis Bacchanalium mysteriis, caussis & ritibus, & quare instituta Bacchanalia?

MYSTERIA, caussas & ritus describit Julius Firmic. Mater. *de errore profanar. religionum c.* VI. *fol. m.* 115. in hunc modum: *Adhuc supersunt aliæ superstitiones, quarum secreta pandenda sunt Liberi & Liberæ, quæ omnia sacris sensibus vestris specialiter intimanda sunt, ut & in istis profanis religionibus sciatis mortes esse hominum consecratas.* LIBER *itaque Jovis fuit filius regis scil. Cretici. Hic cum fuisset adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem studiosius, quam decebat. Uxor Jovis, cui Junoni fuit nomen, novercalis animi furore commota, ad necem infantis omnifariam parabat. Proficiscens peregre pater, quia indignationes tacitus sciebat uxoris, ne quid ab irata muliere dolo fieret, idoneis custodibus tutelam credit filii. Tunc Juno oportunum insidiarum nacta tempus, & ex hoc fortius inflammata, quia proficiscens pater, & solium regni puero tradiderat, & sceptrum custodes primum regalibus præmiis corrupit, & ita trucidavit.*

Reverso patre filia ordinem facinoris exponit. Tunc pater funesta calamitate cladis, TITANES *suppliciis afficit, cum tamen nullis solatiis mitigaretur, imaginem ejus ex gypso, plastico opere perfecit, & cor, ex quo facinus fuerat sorore deferente, delectum in ea parte plastæ collocant, qua pectoris fuerant lineamenta formata. Post hæc pro tumulo extruit templum, & pædagogum pueri constituit sacerdotem. Huic* SILENUS *fuit nomen. Cretenses ut furentis Tyranni sævitiam mitigarent, festos funeris dies statuunt, & annuum sacrum trieterica consecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut passus est. Vivum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis commemorationibus excitantes, & per secreta silvarum clamoribus dissones ejulantes fingunt animi furentis insaniam, ut illud facinus non per fraudem factum, sed per insaniam crederetur, præfertur cista, in qua cor soror latenter absconderat, tibiarum cantu & cymbalorum tinnitu, crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiuntur.*

Fuit & alius LIBER *apud Thebas tyrannus magicæ artis potestate conspicuus. Hic cum muliebres animos venenis quibusdam & carminibus occupasset, pro arbitrio suo crudelia facinora furentibus imperabat, ut mente captas nobiles fæminas & libidinum ministras haberet & scelerum. Verum scelera hæc per occultorum sacrorum antistitem in Hetruriam delata sunt. Sed uti ingenium hominum proclive semper est ad libidinem, ita cum sacra hæc voluptati licet iniquæ & detestandæ ansam præberent, festa illa nocturna liberiore in usu cœperunt esse. Noctu instituebantur, ut videas vitiorum naturam, quæ tenebris velari amant, cum tamen Genius ille nobiscum sit, nostraque observet facta.*

Quare sacra Bacchanalium celebrata, testatur Alex. ab Alexand. in *Genial. Dier. lib.* VI. *cap.* XIX. cum in hæc prorumpit verba: *Et quoniam ad animæ purgationem pertinere dicerent, vannum quo triticum purgatur, & ovum sphærali figura adhibebant.* Vannum ad sacra pertinere satis constat ex Apulejo *lib.* II. *Metam.* ubi is loquens de sacris Isidis, quam Cererem nonnulli esse putant: *Quintus*, inquit, *auream vannum, aureis congestam ramulis, & alius ferebat amphoram.* Quod etiam non obscure indicat Virgil. *lib.* I. *Georg. v.* 166.

Arbuteæ crates, & mystica vannus Iacchi.

Ad quem locum Philarg. *cit.* Frider. Taubmannus Comment. pag. m. 131. dicit: *Vannus est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, & Libero sacrum facere: unde mystica dicitur: Alii ex eo, quod* Isis *fra-*

A *trem* Osirin, *id est, Bacchum a Typhone fratre in frusta quinque & viginti discerptum vanno collegit,* id est, *cribro, ut hac de caussa forte adhibita sit vannus in mysticis & arcanis* BACCHI *sacris.* Observat & P. Victorius ad *Varr.* Vannum in sacris *Liberi* habitam Græcis λίκνον sive λίκμον: & μυστικὰ λίκνα apud Plutarch. in *Alex.* & λικνοφόρος legitur. *Pierius* monet in Cod. Roman. legi *mustica*, unde quidam hic vannum musteam in sacris intellexerunt, per quam vinum percolaretur: quod alias per saccum fiebat; unde vinum saccatum *Theophrasto* &
B *Polluci*.

Servius vero inquit, quod *Liberi* Patris sacra ad purgationem animæ pertinerent, & sic homines ejus mysteriis purgarentur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est quod dicatur, Osiridis membra a Typhone dilaniata, Isis cribro superposuisse. Nam idem est Liber Pater in cujus mysteriis vannus est, quia (ut diximus) animas purgat. Unde & Liber, ab eo *quod liberet*, dictus est: quem *Orpheus* a gigantibus dicit esse discerptum.

CAP. XII.

De turpissima Denudatione.

C CONVENIEBANT NUDI (teste Flavio Blondo *l.* II. *de Roma Triumphante*) *viri cum nudatis omnia membra muliebribus, matronis, viduis & virginibus ad sacra, velut discrimen omne extinxissent.* In statu innocentiæ legimus quidem hominem nudum fuisse, *Gen.* II. non quod nuditas incognita fuisset, ut ait August. sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Verum post lapsum ignominiæ & turpitudinis est sine vestibus ambula-
D re, ut refert Moses Barcepha *l. de Paradis. P.* I. *c.* XVIII. ita scribens: *Is affectus, qui circa ea membra versatur, cum pertinacior, difficiliorque sit cæteris omnibus animi perturbationibus, quæ in nobis sunt, opus erat verecundia, tanquam fræno injecto, quo peccatum ea in parte cobiberetur, & simul ut nos ipsi ad habendum odio peccatum induceremur, ex quo illius modi verecundia in nobis nata sit.* Et vero cum arbitrii nostri libertas non satis valeret sola hunc affectum domare, atque ad se reverendum adigere, adjunxit ei Deus verecundiam, quo saltem communi utriusque opera cohiberetur, exscindereturque; Arbitrii quidem liberi judicio in anima, verecundiæ ve-
E ro frænis in corpore. conf. *S. P. N.* Anast. Sinait. Patriarch. Antioch. *anagog. contempl. in Hexam. l.* X. *fol. m.* 255.

Hinc NUDITAS in Scriptura Sacra sæpissime pro membro genitali sumitur, & nuditatem communi verbo ערוה appellat, quod sine ignominia ac pudore in hoc corruptæ naturæ statu nudari nequeat. Exemplum habetur *Gen.* IX. 22. 23. ubi vitio vertitur Chamo, quod turpi verendorum Patris denudati spectaculo oculos suos paverit, & Parente imprudenter illuso, etiam fratres suos in ejus contemtum adducere tentaverit. In hoc significatu usurpatur *Exod.* XX. 26. *Levit.* XVIII. 16. Ubi *Para-*
F *phrast. Chald. Onkelos*, auctore Paulo Fagio, hoc ita explicat: *Ad revelandam turpitudinem.* Vox Hebræa ערוה *Ervah* proprie *nuditatem* denotat, deducta a verbo ערה *Arah*, quod *denudare & discooperire* significat: Hinc ערוה, ut *Aben-Ezra* dicit, *res turpis denudata, quæ opus habet, ut contegatur.* Nuditatem ergo vocat Hebraismus partes pudendas, per antiphrasin, quod nunquam esse debeant denudatæ. conf. Nahum. III. 5. Habac. II. 15. non discedit ab hoc Phrasis illa *Levit.* XX. *vers.* 19

Carnem ſuam nudare, & videre alicujus nuditatem. Et quia ignominia major mulieri accidere non poteſt, quam ſi pudenda ejus denudata palam omnibus conſpicienda præbeantur.

Itaque nuditas metaphorice ſumpta quamvis rem turpem denotat. Daniel Feſſel. *in Adverſar. Part.* I. *lib.* II. *cap.* I. Deus ſeu judex juſtus ſevere prohibuit *Levit.* XX. & hujuſmodi denudatio in hoc facta eſt feſto. CAUSAM quod attinet, cur veſtes depoſuerint? non fuit ad eluendas ſordes corpori adhærentes, & hac ratione aliquo modo excuſandi fuiſſent. At in Sacris ubi Deum adorant, ubi pietas eminere, ubi honeſtas conſpici debet, eas detegere partes, quas verecundia nos occultare jubet, quo jure id excuſari queat, videant ipſi qui Bacchanalia celebrant. Ad ſimilem vero modum alludit Baruch. Cujus verba *cap.* VI. *v.* 43. ita ſonant: *Mulieres vero cinctæ funiculis in viis ipſis ſedent, accendentes acus eorum. Sed quando aliqua earum abſtracta ab aliquo ex tranſeuntibus compreſſa fuerit, alteram probro afficit, quod non fuerit appetita, ſicut ipſa fuit, neque funiculus ipſius diſruptus fuerit.*

Ad quem locum *Olympiodorus* notat & vult τὰ ΣΧΟΙΝΙΑ fuiſſe περιζώματα ſeu *cingula*, quibus pudenda duntaxat operiebant, cætera nudæ. Σχοινία, ſcribit, φησὶ τὰ περιζώματα. Καλύπτουσαι γὰρ μόνα τὰ τοῦ σώματος ἀσχήμονα, τὰ λοιπὰ παρεγύμνουν προσκαλούμεναι τοὺς ἐραστάς. Quem morem in *Satyrico ſuo* tangit Petronius: *Cum ego negarem me cognoſcere domum, video quoſdam inter titulos nudaſque meretrices furtim ſpatiantes.* Philæmon Comicus:

Στῆσαι πριάμενόν τε γυναῖκας κατὰ τόπους
Κοινὰς ἅπασι, καὶ κατεσκευασμένας,
Ἑστᾶσι γυμναί.
Præſtare conductum inter mulieres ad locos
Omnibus communes, & præparatas,
Stant nudæ.

Tacit. *lib.* XV. *Annal contra ſcorta viſebantur nudis corporibus.* Artemidorus *l.* II. ἡ δὲ ὅλη γυμνὴ, (Ἀφροδίτη) ἑταίραις καὶ μόναις ἀγαθὴ, καὶ ἐργασίας σημαντική: *tota vero nuda (Venus) amicis & ſolis bona, & quæſtus ſignificatrix.* Cyprian. *cap.* VI. *de Spectacul.* Per proſtitutarum nuda corpora. Hinc *Dio*: γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τὰς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς, ὥσπερ αἱ πόρναι· καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων: *Nudusque ſemper præ foribus ipſius adſtans, quemadmodum meretrices, & telam aureis circulis intertextam disjiciens.*

In feſto quoque hoc moris erat inter cetera pompæ illius impudicæ fercula a viris muliebri veſtitu indutis geſtare inſolitæ magnitudinis virilia membra, quæ Græco nomine PHALLOS & ITHYPHALLOS appellabant, & hæc ipſa membra in templorum propylæis, & in ipſis templis nudata omnium oculis proponi, ut autor eſt Lucian. ille Samoſaten. *in libell. de Dea Syria.* conf. Ignat. martyr. & Epiſcop. Antiochen. ad Philadelphenſ. *epiſt.* VIII. *Schol. fol. m.* 30. Græci enim, poſtquam ſacrorum Bacchicorum ritus, & Orgiorum ſolemnitates ab Ægyptiis accepere, membrum illud in myſteriis, initiationibus & ſacrificiis hujus Dei PHALLI nomine honorabant. Hæc Diodor. Sic. *lib.* I. *Biblioth. lib.* II. *Tetrabibl. de Aſſyriis, Perſiſque & Ægyptiis*: Sacra ſunt apud eos membra generationi deſtinata ob Solis, Saturni, Veneriſque aſpectus, qui ſeminales ſunt. De his ſpurciſſimis ſacris conſule Euſtahtium *l.* I. *Iliad.* Haud dubie reprehenſio illa Ezech. *cap.* XVI. *verſ.* 26. de Phallis intelligenda eſt. Ex his turpitudo hujus feſti clare perſpicienda eſt, de quibus in *ſequente capite* pluribus agetur, inprimis de feſto illo, huic ſimili, Beelphegor, ſeu Priapi.

CAP. XIII.

De feſto & ritibus Beelphegor turpiſſimis.

QUOD feſtum hoc in omnibus Bacchi feſto convenerit, luce meridiana clarius eſt. Fuit autem idolum hoc, BEELPHEGOR vocatum, *Moabitarum & Midianitarum* Deus, de hoc ita B. Hieron. *lib.* II. *in Oſe. cap.* IX. BEELPHEGOR idolum *Moabitarum*, quod nos PRIAPUM poſſumus appellare. Atque idem *lib.* I. *contra Jovinianum*: Phegor in lingua Hebraica Priapus dicitur. Similiter Iſidor. Orig. *lib.* VIII. *cap.* XI. BEELPHEGOR interpretatur idolum ignominiæ: Idolum enim fuit Moab. cognomento Baal, ſuper montem Fegoor; quem Latini Priapum vocant, Deum hortorum. Hic teſte Servio *in illud* IV. *Georg. tutela Priapi; Priapus*, inquit, *fuit de Lampſaco civitate Helleſponti, de qua pulſus, propter virilis membri magnitudinem.* confer. Gerard. Joan. Voſſius *de Origine & progreſ. Idololat. lib.* II. *cap.* VII. *p. m* 340. Elias Schedius *de Diis German. p. m.* 84. *ſeqq.*

BAALPHEGOR ſeu Priapus nihil aliud eſt, quam ſeu naturæ, ſeu cæli, ſeu ſolis vix generatrix, cælitus ſeſe diffundens per univerſum orbem, maximeque ſe exerens, tum in plantis, unde & in hortis PRIAPI ſimulacrum conſtitui ſolet; tum in animalibus, etiam hominibus. Hinc Arnobius *in* IV. *Etiamne Mutunus, cujus immanibus pudendis horrentique faſcino, veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis & optatis?* Etymon valde convenit, ſi פעור *pogor* ſit a פער *pagar*, quod eſt *apertum ac nudatum eſſe*, ut loquitur Andr. Maſius in *Joſ.* XIII. 20. Figura autem PRIAPI hæc erat, vir nudus. Et huc reſpexiſſe videntur, qui Phegor turpitudinem eſſe dixerunt. conf. Origen. *Num. hom.* 20. Eli. Sched. *de Diis German. pag. m.* 84. 85. Gerard. Joan. Voſſ. *loc. cit.* dicit: Quæ de Priapo diximus, hic etiam locum habent; quia ut Græcis Priapus, ita Orientalibus BEELPHEGOR, ſtabat erecto pene, oreque ejus membri nudo ac operto, ad denotandum, quemadmodum in animantibus ab ea parte proflueret τὸ σπέρμα, ita ab hoc numine in totam rerum naturam promanare vim omnem ſeminalem. Imo & Sol putatur, qui omnia radiis ſuis illuſtret detegatque. vid. Gerard. Joan. Voſſ. *de orig. & progreſſ. Idololat. pag.* 343. R. Moſ. Maimonid. de Idololat. *pag.* 48. *cum not.* Dionyſ. Voſſii.

Sed adverſus ea, ſcil. BAAL-PHEGOR eſſe Priapum, ac utroque Solem denotare, aliquis obduxerit locum Athenæi, qui Priapum ait eſſe non Apollinem, ſed Bacchum. Sic enim ſcribit, *lib.* I. *Lampſaceni Priapum venerantur, qui idem ac Bacchus, nempe epithetum ejus, haut ſecus ac* THRIAMBUS & DITHYRAMBUS. Ideo Phallicum carmen alii Baccho, alii Dionyſio adſcripſere. Ariſtophanis Scholiaſtes *in Acharnenſes*: *Phallica dicuntur carmina, quæ canuntur in phallum: quod eſt in Bacchum, vel ſecundum alios Priapum. Phallus autem & Ithyphallus dicitur Priapus.* Hujus generis carmina habentur apud *Hephæſtionem* & *Dionyſium Halicarnaſſeum*. conf. Caſaub. *animadverſ. in Athen. lib.* VI. *cap.* XV. *fol. m.* 442. 443. ubi de Bacchi ita loquitur verſibus Hermogenes: fuere initio iſti, BAKXE, BAKXE. Male enim capit illius mentem Scholiaſtes, qui de Ityphallicis neſcio quid ad hunc locum muginatur, nodum quærens in ſcirpo. Terentianus Maurus:

Ithyphallica porro dicarunt
Muſici Poetæ,
Qui ludrica carmina Baccho
Verſibus petulcis
Grajo cum cortica phallo
Tres dabant trochæos,

Ut nomine fit sonus ipso,
Bacche, Bacche, Bacche.

Plura qui de hoc Festo turpissimo legere desiderat, evolvat Eliam Schedium *de Diis German. pag. m.* 84. seqq. Gerard. Joan. Vossium *de Origin. & progress. Idololat.* lib. II. cap. VII. p. 343. Maimon. & ejus commentat. Dionys. Vossium *de Idolol. pag. m.* 37.

CAP. XIV.

De Sacerdotibus Bacchi, ritibus eorum, & unde apud Saxon. Infer. das Fußwaschen?

FOEMINÆ Bacchi sacerdotes dicuntur Thyades. THYAS vero una erat Baccharum, quas quidam ἀπὸ τοῦ θεῖν, quod est *insane currere* dictas volunt. Commotis autem sacris dicit Virgil. *lib.* IV. *Æneid. vers.* 301. quia in sacrorum renovatione commovebantur simulacra. De his Valer. Flacc. *lib.* VI.

Mox rapuere Deum jamjam quotcunque paratæ
Thyades, infusis per sua colla columnis.

MÆNADES Martial. *lib.* XI. *epigr.* LXXXV.

Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus.

Quare ministræ MÆNADES dictæ, & Bacchus ipse MÆNOLES, quasi totus furens, (ut scribit D. Clemens *Euseb.* citante) Diodorus *Sicul. lib.* II. *cap.* II. indicat. *In multis Græcis urbibus triennio Bacchides mulieres conveniunt: apud quas de more virgines thyrsum ferunt in honorem Dei Bacchantes eique per cœtus sacrificantes. Postremo memoriam* MÆNADUM, *quæ feruntur illi Deo astitisse, hymnis & cantu renovant.* Et de his Ovid. *lib.* IV. *Fast. v.* 457.

Mentis inops rapitur, ut quas audire solemus
Threicias fusis Mænades ire comis.

Juvenal. *Satyr.* VI. *vers.* 315. 316.

— Et cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant ululante Priapo
MÆNADES ——

BACCHÆ Ovid. *lib.* VI. *Fastor.* ELELEIDES. Idem in Epist.

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actæ.

MIMALLONIDES. Addatur hic id, quod de Mimallonibus Ovid. de *Art. Amand.* lib. I. scribit, v. 541. &c.

Ecce MIMALLONIDES sparsis in terga capillis;
Ecce leves Satyri prævia turba Dei;
Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet, & pressas continet arte jubas.
Dum sequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque petuntque,
Quadrupedem ferula dum malus urget eques;
In caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt Satyri, surge, resurge pater.

Et præterea de Mimallonibus Sidon. Apollinar. in *præfat.* Panegyr. Antem. August. consul.

Tum Faunis Dryades Satyrisque Mimallones actæ
Fuderunt lepidum rustica turba melos.

ÆDONIDES Lucanus *lib.* I.

Ædonis Ogygio decurrit plena Lyeo.

EUHYADES Horat. *lib.* III. *Carm.* od. XXV. BASSARIDES Sidonius:

Rotat Enthea thyrsum Bassaris.

TRIETERIDES Stat. *lib.* IV. *Theb.* Hinc apud *Virgil.* Trieterica Orgia triennalia sacra dicuntur, quia tertio quovis anno celebrabantur. Dicuntur Orgia vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς *a furore*, vel ὀρῶν, id est, *montibus*, ubi hæc sacra fiebant: hic enim mons Thessaliæ juxta Bœotiam Libero Patri sacer: ex quo clamor veluti numinis Bacchas vocabat.

A Quemadmodum vero ex vestitu cujusvis Dei Sacerdotes cognoscebantur, ita Druydæ candidis amiciebantur vestibus, hic color illis maxime gratus. Plin. *lib.* XVI. *cap.* XLIV. Idem *lib.* XXIV. Legitur a Druyda candida veste vestito. Et Magi, ut *Diog. Laert.* scribit, candidis vestiebant se vestibus. conf. Ovid. *lib.* X. *Metam.* Idem *lib.* IV. *Fast.* vid. & Pausan. in *Arcadic.* de *sacris Deæ Clithoniæ*. Alii ex purpura confectas gestarunt. Alii muliebria vestimenta, in sacris Veneri dicatis, quod Jul. Firmic. cap. VIII. lib. *de errore profan. relig.* tradit; & Assyrios Venerem coluisse scribit: Cui aliter servire sacerdotum chorus non potest, nisi effœminent
B vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri dedecorent. Et Philocor. apud Macrob. *lib.* III. *Sat. cap.* VIII. *in Attide* scribit Lunæ sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili; quod eadem & mas æstimatur & fœmina. Ita in hoc Festo Sacerdotes nullis vestibus amicti erant, sed nudi discurrebant, *lymphati per urbem* Virgil. VII. *Æneid v.* 377. & ut Interpres ejus, furore correpti, crines in humerum solutos demittebant, & teste *Virgil.* Sacrum pascebant crinem. Inde Tibull. de *Baccho & Apolline*, qui & ipse κουροτρόφος;

C *Et decet intonsus crinis utrumque Deum.*

Quod autem Baccho crinem sacrasse & nutrisse dicit; alludit ex antiquorum superstitione ad θρεπτήριον πλόκαμον: ubi Diis, quorum tutelæ se manciparant pro sospite secundaque valetudine, crines alebant. Vid. Turneb. *lib.* VII. *cap.* XIV.

Meminit etiam hujus ritus *Baronius*, cum in hæc prorumpit verba: *Putamus insuper Dominum alludere voluisse ad eam, quæ in Syria erat Idololatriam; cum videlicet Deam Syriam circumferentes, quasi divino quodam perciti spiritu essent, phanatice multa jactabant: cujus ritus quoque Apulejus meminit.* Verum enim vero hanc conjecturam longe
D petitam esse, & *Baronium* ritum hunc, de quo loquitur, non intelligere, apparet ex ipsa locutione, qua utitur. Quid enim est phanatice multa jactare? Sacerdotes Matris Deum, quæ & Dea Syria dicebatur, in ducenda pompa & obeundis religionis suæ ritibus, soliti comam jactare; Observabamus, inquit Isaac. Casaubon. *Exerc.* XIV. ad *Annal. Baton. pag. m.* 290. ad Lampridii *Heliogabalum*, Græcos scriptores in hujus ritus mentione σείειν τὴν κόμην ἄνετον dicere, quod *Varro*, *Ulpian.* J.C. *Lampridius*, *Isidor.* alii Latini semper dicunt, jactare comam inter fanaticos. *Apulejus* pluribus expressit hoc modo: *denique capite demisso, cervices lubri-*
E *cis intorquens motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum.* Lucianus in *Asino* dixit: τὴν κεφαλὴν κάτωθεν ἐν τοῦ αὐχένος ἑλίσσειν.

Baronius qui non intelligebat tot verborum circuitu hoc tantum significari, quod alii Scriptores dicunt, JACTARE CAPUT, ac ne illud quidem satis capiebat, quid esset, jactare caput vel comam, pro eo dixit, jactare multa: putavit enim jactare hic significare πολυλογεῖν, ac proinde hunc ritum ad multiloquium pertinere, qui error vix sit ferendus in aliquo. Meminit hujus consuetudinis *Theodoretus*, cujus locum subjiciam, ut eo melius Lector
F intelligat, nihil quicquam verba Christi, quæ *Baronius* citat, cum hoc ritu convenire. Sic ille *de Oracul. lib.* X. *Festa vero & sacrificia ceu nefandos & horribiles quosdam dies, in quibus caro cruda comeditur, & distractiones corporis fiunt cum jejuniis & fatigationibus, & ad sacra ipsa obscœna verba funduntur, aliæque fiunt insaniæ agentium se cum turbatione cervicisque jactatu, nulli Deorum consecrari dixerim.* Et ut Hieron. *in epitaph. Paulæ matris*, Homer Star. *l.* VI. *Theb.* Euripid. *in Iphig. Taur. in luctu crines positi & laxati erant.*

Hoc modo Sacerdotes Bacchi discurrebant, & tremulis ululatibus æthera complebant. Porro ferulis cædunt homines, & ejus modi Sacerdotes LUPERCI vocabantur. Et horum originem quidam a Bacchanalibus derivant, ut Alexander ab Alexandro *l.* VI. *c.* XXIX. Quidam a Sacerdotibus Pani volunt, qui in Lupercalibus nudi & solis subligaculis præcincti discurrebant, & scutica obvios feriebant. Fiebat autem in hunc modum; jugulant capras, inde nobilibus duobus adolescentibus adductis alii gladio cruento frontem tingunt, alii statim imbuta lana lacte detergunt eam: detersa ridere adolescentes oportet. Hinc tergoribus dissectis Caprarum in subligendo discurrunt nudi, obvium quemque scuticis cædentes; Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum ratæ. Quinimo multæ principes feminæ ex composito offerunt se illis, ac manus ferientibus sicut in ludo literario exhibent, creduntque id ad facile puerperium prægnantibus & infœcundis proficere conceptum. Itaque Ovid. *lib.* II. *Fastor. v.* 427. 428.

Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optatum nomen habebis avi.

confer. Prudent. *Hymno* XIV. *Peristeph. v.* 161. Plutarch. in *Romul.& Cæsar.* Et *Festus Pompejus* CREPPOS dicit Lupercos esse vocatos, a crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes.

(Cæterum non absurdum fuerit hoc loco subjicere LUPERCALIA, quæ non solum ludi erant, verum etiam inter sacra referebantur,& ab initio Novembris celebrabantur, ad mitigandos lupos, ne pecoribus obessent, instituta fuisse. Sunt enim eo tempore nive & gelu ingruentibus sævissimi & maxime famelici. Porro qui hæc sacra obibant LUPERCI vocabantur sacerdotes, de quibus paulo post dicetur: qui steriles mulieres fœcundas reddere solebant, si loris ex corio caprorum ab his verberatæ forent. Manet horum sacrorum nobis vel umbra quædam in his cæremoniis, quas appellitant *Wolffefeyer, die Wolff avvren, die Wolffpfaffen.*)

Atque ab hoc, consuetudo illa, quæ hujus loci in usu, originem traxisse videtur, qua viri fæminæque ferulis discurrunt, quibus eorum pedes cædunt, quos norunt sibi familiaritate devinctos, ut largiantur aliquid, quo habeant, unde die isto hilariter vivant. Germanice vocant *das Fussvvaschen.* Quæ consuetudo a nulla alia re promanavit, quam a ritu supra nominato. Diebus enim Bacchanal. eo insolentiæ processere homines, ut mulieres virique ornati hedera, crine fluxo, cum thyrsis velut insanientes & furore afflatæ obvios ferirent: ministri quoque fanatici non minore vesania ferulas gestarent, iisque occurrentes cæderent.

Hanc consuetudinem pravam refert Wolffgang. Lazius *lib.* X. *comment Reip. Roman. fol. m.* 845. inquiens: *In Lupercalibus homines quidam nudi discurrebant, tanquam insanirent.* Unde *Cicero* M. Antonium insectatur, quod in Lupercalibus, in quibus sedebat Cæsar amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus, se Lupercum exhibuerit: & nudus, unctus, ebrius insectante populo Romano, concionatus sit, capitique Cæsaris diadema imponere cum omnium luctu tentaverit. Ad hujusmodi Lupercalia alludit Maro l. VIII. *Æneid.* quem vide, verba sic incipiunt, *Vix ea dicta* — usque *Panos de more Lycæi.* Quo in loco *Landinus*, Lupercalium originem repetens, ita scribit ex Dionysio *Antiquit. Roman. Evandrum ex Pallantio urbe*, inquit, *Arcadiæ in Italiam venisse* (quod etiam refert Jon. Baptist. Casal. *de urb. Rom. & Imp. Splendor. l. de sacrif. & Sacerdot. cap.* II. *fol. m.* 369. *edit. Rom.*) *sexaginta annis ante res Trojanas: creditumque esse* Mercurii *filium &* Nymphæ *ejusdem* Arcadiæ *incolæ, quam* Græci *quidem* Themin *esse dicunt, Deique patientem sive fatidicam demonstrant. Qui vero res Roman. scripserunt* Carmentam *dixere.*

Quo autem duxit, venerunt: quoniam dissidente populo, pars inferior viribus ultro excessit; receptusque est liberaliter a Fauno rege Aboriginum, pronepote, ut ajunt, Martis: atque ab eo data est portio agri, quantam voluerunt Arcades, qui pauci erant: hique elegerunt, præmonstrante Carmenta, *collem Tyberi vicinum, parvumque oppidum condiderunt, appellantes* Pallatium *a metropoli eorum in* Arcadia: *construxerunt quoque isthic, admonente eos* Carmenta, *templum* PANI LYCÆO ARCADI DEO VETUSTISSIMO, *in loco quem Romani* LUPERCAL *dixerunt. Erat autem antiquitus (ut dicitur) antrum petris magnum sub colle arbusto denso contectum, & fontes sub petris profundi, adhærensque rupibus saltus crebris arboribus, & quidem magnis opacus: ubi ara Deo constructa, sacrificia patria perficiebant: quæ etiam nunc* Romani *sacra perficiunt mense* FEBRUARIO, *cum Zona pellis caprinæ discurrentes, prægnantium fœminarum dextras ad facilem partum verberant.*

Alludit ad hujusmodi Lupercalium Ludos eorumque originem Naso lib. II. *Fast.* & hoc eleganti carmine describit, *v.* 267. &c.

Tertia post Idus nudos aurora Lupercos
Aspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite Pierides, sacrorum quæ sit origo,
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades, Arcadiis plurimus ille jugis.
Testis erat Pholoe, testes Stymphalides undæ,
Quique citis Ladon in mare currit aquis:
Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini,
Altaque Trœzene, Parrhasiæque nives.
Pan erat armenti, Pan illic numen aquarum,
Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Transtulit Evander sylvestria numina secum:
Hic, ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat.
Inde Deum colimus, devectaque sacra Pelasgis,
Flamen ad hæc prisco more dialis erat.
Cur igitur currant, & (cur sic currere mos est)
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?
Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus, & subitas concitat ipse feras.
Ipse Deus nudus, nudos jubet esse ministros,
Nec satis ad cursus commoda vestis erat.

Caussam quoque & stultitiam in Lupercalibus usitatam reddit idem Ovid. l. II. *Fastor.* Et hujusmodi stultitiæ reliquiæ ad nos Christianos venere: & sic patet, quamobrem sub finem *Februarii* insaniamus adhuc Christiani, quæ solennia VASTHANGIUM appellant: quod tamen alienissimum esse deberet.

CAP. XV.

De Larvatis faciebus, & aliis vestibus.

NIHIL quoque novi ut hoc tempore homines larvis se exornent, quæ consuetudo non aliunde, quam a Festo hoc turpissimo originem traxit. Græci enim in festis Bacchi fæcibus ora aspergebant. Hinc Horat. *in Arte Poet.* ritum hunc tangit, v. 276. &c.

Ignotum Tragicæ genus invenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse Poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque, peruncti fæcibus ora.

Item fecerunt Judæi, teste Anton. Margarit. in lib. *de fid. Judæorum*, dicente: *Decimo quarto Februarii festum celebrant, quod vocant* PURIM, *in quo commessationes instituunt, pergræcantur, luxuriantur,*

inebriantur, ludunt & vestes mutant. Alii luto seu stercore se inquinabant, alii nigredine se deformabant, quod priscis temporibus in usu fuit.

Quæ iterum prava consuetudo ad Christianos venit, & quoque non sine fervore detestati sunt Theologi scriptis plurimis hæc Orgia Bacchi; ut D. Hunnius *in epist. ad Roman. c.* XII. ubi ait: *non solum Christiana religio, sed etiam humana ratio redarguit eos, qui Ethnico illo Bacchanaliorum festo, horrendis Diabolorum larvis assumtis non aliter, ac si furiosi essent, circumcursitant*. D. Gerhard. *in Homil. Evang. p.* I. *pag. m.* 977. D. Meisner. in *Meditat. ad Evang. pag.* 233. D. Christ. Matth. in *Ethic. p.* 262. Jacob. *Herrn. Schmidt de Bacchanal.* Dn. Meelfuhrer. in *Concione Anti-Bacchica*. Ex jure tum legum placitis, tum exemplis festum hoc improbatur. Illis quidem, quando in genere lex dicit, quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, *l.* 15. *ff. de condit*. Institut.

Ad hoc accedebat, quod in Festo Bacchi rusticorum pubes indueret corticum quasdam formas, quibus risum cæteris moverent, quem morem tangit Virgil. *lib.* II. *Georg. v.* 384.

Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt, risuque soluto:
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Ubi clare demonstratur per ora corticibus cavatis intelligi personas sive larvas de cortice arborum factas, vel verecundiæ remedium, vel risus argumentum. Additur, Oscilla, quæ larvæ & προσωπεῖα sunt, ut ex Macrob. *lib.* I. *cap.* VII. & XI. sat cognoscimus, quæ in *αἰώραις* & jactationibus ludicris rustici ori opponebant, ut essent magis ridiculi. Tangit Atheniensium morem & *Maurus Terent.* a quo jactationes ipsas & CERNUATIONES, quas Gr. *αἰώρας*, etiam Oscilla appellarunt. Hactenus Scaliger: qui plura ad Ausonium *lib.* II. *cap.* XXVI. ubi & *Brodæi* hallucinationes detexit: item ad *Festum*. Etiam *Turnebus* Oscilla hic quædam quasi suspendicula interpretatur, quibus se in aere suspendentes agitabant. vid. Fr. Junium ad illud *Tertullian. l. de Pallio, Oscillum penduli impetus*, &c. Multi etiam in hoc sunt *Servius*, *PROBUS*, & ex professo Bulengerus *lib.* I. *cap.* XXXIII. *de Theatro*. In quibus sunt, qui Oscilla obscœnæ etiam partis imagunculas, quas φαλλοὺς dicunt, hic sunt interpretati.

Verum hos imitari non decet Christianum (I.) cum Deus expresse severe prohibuit, *ne mulier induatur veste virili, nec vir utatur veste fœminea: abominabilis est apud Deum, qui facit hæc, Deut.* XXII. conf. Paul. Fag. *ad Paraphras. Chald. Onkel.* Quem textum de personatis *Tertullianus* & *Procopius* explicant. Et non est lex quædam ceremonialis vel forensis una cum politia Judaica abrogata, sed est lex moralis, quæ adhuc hodie durat; quia occasione mutati vestitus multa scelera committi possunt, secundum *Mantuanum*:

Cuncta sub ignotis lascivia vestibus audet.

(II.) Quia injurii sunt hi larvarum autores in creationem suam primævam, Deus enim formavit hominem ad imaginem suam: hi vero transformant se ad imaginem Diaboli, ex sanis fiunt insani, furiosi, Satyri, asini, muli, in quibus non est intellectus nec ratio, *Psalm.* XXXII. *v.* 9. dum sermonem occultant, stultosque se simulant. At hoc faciunt Bacchantes, qui debebant esse templum Dei: Ergo dictum Pauli I. *Cor.* VI. *v.* 19. fulmen erit omnibus Bacchi cultoribus, D. Himmel *in Pass. Acad. Hom.* IV. *pag.* 53.

Jus quoque civile in *l. vestis ff. de auro & argen. legato*, vestimenta constituit virilia, puerilia, muliebria, communia & familiaria. Muliebria sunt quæ matris familias causa comparata, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione, veluti sunt stolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ. Communia autem sunt, quibus promiscue mulier cum viro utitur, veluti ejusmodi penula *ein Reitmantel*, palliumve est: de qua distinctione Alexander ab Alexand. *lib.* V. *Genial. dier. cap.* XXI. Hinc patet, pallia & penulas mulierum larvatis non competere, & absque reprehensione iis uti neminem posse, extra omnem dubitationis aleam positum est, conf. Georg. Christoph. Waltheri JC. *postill. Theolog. Juridic. politic. pag. m.* 211. *seqq.*

Et hinc etiam factum, quod mandatorum horum contemtoribus pœna remanserit, & sæpe non sine salutis suæ discrimine. Tempore Bacchanaliorum Comites HOENLOENSES consanguineum suum EVERARDUM in arce Waldenberga habitantem invisere voluerunt. Ut autem matronis & virginibus exhiberent ludicrum, FAUNORUM personas assumserunt. Et ne forsitan pravæ consuetudini fraudi essent, si non & ipsi insanirent, ideo personati civitatem ad arcis radices sitam ingressi sunt, jocis, variis gesticulationibus illius loci incolas exhilararunt. Verum illis nec consciis, nec animadvertentibus, alius eodem habitu amictus se associat, gnaviter lepida & ludicra illa perficiens. Quærunt illi, unde & quisnam esset? nihil nisi se & bonum esse fratrem, & illorum socium respondit. Redeunt Comites circa vesperam in arcem, & hic histrio sequitur: intrant illi conclave, & hic se insinuat cum iis, convivas ad lusum provocat, projectis in mensam tesseris. Forte una fortius & majore impetu projiciendo in terram decidit, quam cum personatus puer manibus excipere cuperet, ex improviso adstantis Comitis vestem, cui pili pice agglutinati erant, face accendit. Quo casu cæteri, territi, quid facerent ignari, misero isti suppetias ferre cupiunt, qui & ipsi lucido correpti igne mediis in flammis periclitati sunt. Ministri non minus subito consternati metu, ad labrum, quod antea aqua repletum erat, accurrunt, flammam extincturi, sed illud eo momento exaruerat. Alii adducunt vas ingens, limpida aqua onustum, quod tamen in limine præ nimia festinatione de manibus portantium delapsum aquam omnem effudit. Quidam cadum afferunt, sed frustra. Nam inter eundum is fatiscere incipit. Unde Comites hi in flore ætatis misere ustulati perierunt.

Simile in Galliis accidit in Aula Caroli VI. cum nobilis cujusdam celebrarentur nuptiæ, quibus Rex ipse intererat. Etenim nocturnum aliquod spectaculum convivis exhibituri, miris vestibus se deformabant, vultu in imaginem oris leonini efformato, Rex nudus erat, corpore tamen oleo delibuto, ut pili adhærere possent. Ita præbebat speciem hispidi hominis. Mox cum cæteris personatis choreas, quas Itali MASCHARADAS appellant, agitabant, carmina cantantes, tota interim Aula ad spectaculum hoc concurrente. Ludovicus autem regis frater amore visendi propius accessit, facemque manibus admovit, ex qua forte scintilla in Regis corpus delapsa, & in cæteros, subitum concitavit incendium. Rex injectis multis vestibus vix servatus est: quatuor igne absumti sunt; quintus in promi condi cellam proruens vino & aqua affatim se perluit, & vix salutem sibi servavit. Et jure meritoque huc referendum, quod Demades Orator Philippo Macedonum Regi dicebat: Cum natura TIBI PERSONAM REGIS INDUE-

RIT, NONNE PUDET THERSITEM A GERE.

Præterea etiam erat mos in Saturnalibus, ut servi sumerent vestitus dominorum, & e contra domini servorum, vocabaturque talis mutata vestis Synthesis, quam hodie a mutando dicimus. Atque illam vestium mutationem ab Hercule defluxisse ostendit Naso *lib.* II. *Fast.* ubi Fauni sacra, quæ sunt Lupercalia, describit, quo pacto cum Hercules cum Lyda puella in sacris Bacchi vestem mutasset, FAUNUS qui deperibat in puellam, in antro obscuro nocte comprimere cum puellam vellet, in Herculeum vestitum, quem mentita scil. mulier erat, inciderat, & pudefactus aufugerat. Meminit hujus vestium mutationis, consuetudinisque in Saturnalibus & Jureconsultus in *l. Titia ff.* Atque nec silentii peplo involvendum, hunc ludum utrique sexui fuisse communem. Verum mulieres hac se ratione Calend. Marr. vestiebant, conf. plur. Wolff. Laz. *Comment. Reip. Rom. lib.* X. *fol. m.* 643.

CAP. XVI.

De Conviviis Bacchanaliorum.

CONVIVIA apud Christianos in usu fuisse nemo est qui dubitet. Trium generum potissimum erant. (I.) EUCHARISTICA, de quibus vid. Matth. Zimmerman. *differt. histor. Theolog. ad Tertull. Apolog. cap.* XVIII. *§.* XXXV. *sect.* II. *pag. m.* 16. in quibus scil. ordine conveniebant, non ob epulas, sed panis pro cibo adponebatur, pro obsonio sal, pro condimentis hysopus. Deinde proponebatur dictum Scripturæ, quod etiam explicabant. (II.) CHARITATIVA, quibus veteres Græci in memoriam resurrectionis Christi epulis communiter convivabantur. Meminit Dn. Adam Olearius *in der vormehrten Persianischen und Moschkovvitischen Reisebeschreibung* pag. 216. ex Martin. Crus. *Not.* in histor. Ecclesiast. Turco-Græc. agaparum Parentalium, quas Russi KUTJA vocant, in illis distribui singulis de Benedicto pane. Græci vero vocant *ψωμίον ἀγάπης bucellam Charitatis.* Fiunt vero hæ agapæ non sine magna luxuria & temulentia. De charitativis hodiernis, quibusdam in locis infrequentibus, quæ vocantur *Freudenmahle, Schlegel, Krantzle,* vid. STUCK. *de antiq. Convivandi ritu l.* I. *cap.* XXXII. *pag.* 121. Fessel. *lib.* I. *cap.* XIII. *ad vers. de Agap.* (III.) BAPTISMALIA, de quibus prædict. Matth. Zimmerman. *§.* 77. p. 56. 57.

In Cœmeteriis etiam peragebantur Convivia Natalitia, Funeralia & Concubialia, qua ratione Nazianzen. de *Vit. aiff.* ait: *Non insuper ad sacrum aliquod epulum vel natalitium, vel funebre, vel connubiale, cum pluribus currens.* de quibus vid. Aringh. *lib.* VI. *cap.* XXVII. *Part.* II. *fol. m.* 600. *seqq.* Convivia funebria Gentilitiæ superstitionis homines defunctis suis instituebant, quemadmodum Tertull. *de Res. Carn.* ab initio loquitur: *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quicquam, escam desiderare præsumant.* Et quidem quoddam parentandi genus tunc extitisse, dum epulæ ad monumentum defunctorum comedendæ deferrentur, conf. Tertul. *de Testim. anim. cap.* IV. *Moris etiam est,* inquit Hierony. *lugentibus ferre cibos & præbere convivium, quod Græci* ΠΕΡΙΔΕΙΠΝΑ, *& a nostris vulgo vocantur* PARENTALIA: *unde & in Proverbiis dicitur: Date siceram morientibus.* Hujuscemodi epulum Gentiles superstitiose nimis Diis sacrabant, nefas deinde putantes ex illo quicquam attingere aut comedere. Cæterum hic mos a Gentilibus promanans usque ad Augustini tempora inolevit, quem postea hic acriter perstrinxit, *Sermon.* XV. conf. Tertull. *lib. de Resur. Anim. c.* II.

DE NATALITIIS vero, quæ olim in Festis B. B. Martyrum diebus peragi quotannis consueverant, Gregor. Nyssen. expresse meminit in *B. Gregorii Thaumaturgi gestis*, verba ejus hæc sunt: *Cum animadvertisset, quod propter corporis voluptates simplex & imperitum vulgus in errore simulacrorum cultus permaneret; quo maxime in præcipuum in eis interim assequeretur, ut vanis superstitionibus relictis, ad Deum converterentur, permisit, ut in memoriam Sanctorum se exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.* Non vero crapula mentem occupabat, sed in his epulis aqua calida convivis præbebatur ad bibendum, quæ apud Gentiles in eorum conviviis in usu erat, ut ex Seneca constat, qui libro *de Ira* isthæc in rem præsentem ait, *lib.* II. *cap.* XXII. *Irascuntur boni viri pro suorum injuriis, sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur.* Et ex Paulo Jcto *lib.* XVIII. *de fund. Instr. Nec multum refert inter cacabos & ahenum, quod super focum pendet, his aqua ad potandum calefit; in illis pulmentarium coquitur.* confer. Juvenal. *Sat.* III. Martial. ad *Sextilian. l.* I. *Epigr.* XI. *l.* VIII. *Ep.* LXIII. *l.* XIV. *Ep.* XCV.

Verum enim vero an in Festo Bacchanalium ejusmodi convivia sint, valde dubitatur; quoniam homines modo conveniunt, ut ventris voluptatibus indulgeant, & fluxis & momentaneis deliciis fruantur, cibosque evanescentes ingerant; adeoque hæc loca non temperantiæ, sed crapulæ, atque hæc tempora non spiritualis assensus. Cum præcipue dies illos in otio transigunt, & sepositis publicis pariter ac domesticis negotiis animum dant quieti, velut piaculum sit, eo tempore ad laborem se accingere. Quapropter & illi qui toto anno, ne diem quidem dimittunt, quin aliquid effecerint, in Bacchanaliis tamen optimo, quod habeant, se ornantes, vacui ab omni munere inveniuntur. Helluantur quoque, & convivia licet intempestiva obeunt, & si quid lucrari poterunt, isti parcunt insumere usque ad hoc tempus. Unde toto anno non tam intemperanter vivitur, quam tempore Bacchanaliorum. Tum recte colunt Patrem Liberum, si omissis necessariis curis, vino & opiparis cœnis sese oblectent. Olim Conviviorum Græcanicorum *τὸ κεφάλαιον* fuit in potatione positum, teste Isaac. Casaub. *in animadvers. in Athen. l.* VIII. *c.* XIV. *fol. m.* 624.

Non procul abeunt convivia, quæ vocantur CHARISTIA sexto Calend. Febr. inter cognatos celebrata. Symposium erat, & fere Bacchanaliorum instar cum largo vino, ut hodie adhuc is apud nos in solennitate ante stultorum solennia mos durat: quem his verbis describit Ovid. *l.* II. *Fastor. vers.* 633. *&c.*

Et libate dapes, ut grati pignus amoris
Nutriat intictos missa patella cibos.
Jam tibi suadebit placidos nox humida somnos,
Larga precaturi sumite vina manu.

Minime in his conviviis virtutes convivarum observantur & officia, a quibus (I.) requiritur SOBRIETAS, quam Christus ipse indicare voluit, cum dicitur sumsisse panem cum Pharisæis, ubi per panem non ea, quæ ad delicias, sed quæ ad necessariam corporis curam pertinent, intelliguntur. Perhibentur tria convivii pocula, vel ut alii tres acini uvarum, primum dicunt ad sanitatem seu ad necessitatem, secundum ad hilaritatem, ter-

tium ad insaniam. Nonnulli secundum primo subnectunt (ut ita quatuor sint) nimirum ad sanitatem. Sed raro, quod ultra naturam est, sanitati convenit, quia natura paucis contenta. (II.) MODESTIA, ut cuivis honorem debitum exhibeat. Consentit hac sententia Aristotelis doctrina de honore, *non esse eum pronunciantis in potestate ejus, qui honore afficiatur, sed ejus qui afficiat*. Consentiunt & Jura, ubi dicitur honorem petenti non esse offerendum, cap. *sicut is qui* 30. *l. quæst.* 6. *fugienti vero dandum cap. in scripturis* 9. 8. *quæst.* 1. Roland. *de commissar. lib.* VIII. *cap.* III. *n.* VI. (III.) COMITAS, ut non quævis dicta in sinistrum interpretentur sensum, sed blandis verbis adversario occurrant, illudque aureum Simonidis, quod alii Xenocrati tribuunt,

NON ULLI TACUISSE NOCET, NOCET ESSE LOCUTUM.

observent. (IV.) VERITAS, ne unus alteri insidietur captiunculis suis. (V.) URBANITAS, ut temporis & loci habeant rationem: de quibus videatur Gregor. Christoph. Walther. J. C. *postilla Theologo-Juridico-Polit.* pag. m. 676. 677. seqq.

Verum hoc tempore sanctissimo homines legem sibi datam esse putant, his diebus se gerant, omnes namque ita fere vivere videmus, & minores majorum exemplum sequuntur, veluti pecudes antecedentium greges. Cum tamen Frugalitas maxime requiritur, quam Gentiles (modo & Christiani) in summo habuerunt honore, quod Cyrus apud Ammian. *lib.* XXI. Trajanus apud Alexand. *l.* V. *c.* XXI. & Epaminondas, qui ad cœnam sumptuosam vocatus abiisse dicitur, clare demonstrant. Quibus non inepte occini posset id, quod quidam rei pecuniariæ præfectus Principi occinere ausus fuit: *Wenn man alle Tage vvill Martins nacht halten, vvo vvill man eindlich Gänse gnung nehmen.* Imo huc spectat illud Jurisconsultorum: *Reipubl. interesse ne quis re sua male utatur.* Et huc spectasse nonnulli putant, quod habetur in aurea Bulla Carol. IV. ubi omnes principes tempore durantis conventus communia convivia, *gemeine gastungen* (hodie *Panquet*) celebrare prohibentur. Et hæc de conviviis his intempestivis sunto.

CAP. XVII.

De tibiis, tympanis, cymbalis & choreis Bacchanaliorum.

TIBIÆ in festo hoc adhibebantur, quas inflari jubebantur Lydio more, quo furor Bacchicus concitatur, quarum concentu ad saltandum inflammabantur. Varia autem tibiarum genera fuisse Autores referunt. Athen. quinque genera tibiarum fuisse testatur *pag.* 648. Tibia olim virgo *p.* 619. *tibiæ virginales & viriles*. In usu etiam fuerunt heroibus fistulæ. Agamemnon fistularum tibiarumque sonos audit. Vid. Athen. *l.* I. *p. m.* 16. habebanturque in conviviis, spectaculis & bello, de quibus supra citatus autor sic scribit: *Tibia tantum commessationum administra est, Spectaculis commoda, quibus pugnant ardentibus animis pugiles. Et ut quasi temulenti apud se non sint, in conflictibus bellicorum agminum duces. Jam o Bacche Rex*, &c. conf. Athen. *l.* XV. *fol. m.* 665. *Puero tibias promptas esse jam oportuit eumque jam inflasse. Et hæ tibiæ* HEMIOPÆ *dicebantur, minores iis quas perfectas vocant. Per translationem dixit Ixion, hemiopon & minorem cito magnos devorat. Sunt autem istæ tibiæ eædem cum iis, qua pueriles vocant, quibus cum in commissionibus non esset locus, utebantur ad convivia, ideo teneras* *dixit illas Anacreon.* conf. Isaac. Casaubon. in *animadvers. ad Athen. lib.* IV. *cap.* XXV. fol. m. 314. ubi plura.

Non solum in prædictis tibicines locis erant constituti, verum etiam in luctu, teste Ambros. *in Luc. cap.* VIII. *In more receptum erat, ut in omnis ductione funeris tibicines ad incendendos, excitandosque confluentium luctus adhiberentur, &* PRÆFICÆ, *hoc est, mulieres, quæ mercede conducebantur ad deflendum laudandumque defunctum.* conf. Paul. Aringh. *lib.* I. *cap.* XVIII. *fol. m.* 91. *Rom. subterran.* Persius *Satyr.* III. *vers.* 103. canit.

Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compositus lecto.

Et apud Romanos cum aliquis decessit, tibicines cantant & amici convocantur, testandi gratia, eum neque veneno, neque ferro interiisse. Victor *l.* IX. *V. L. cap.* XIV. Cares itidem & Phœnices in luctu tibiis uti solent magnitudine palmi, lugubre quiddam & stridulum sonantibus. Eæ autem tibiæ Phœnicum lingua GINGRÆ vocantur, quod iis in Adonidis luctu uti soleant. Erasmus in *Adag.* ex Athen. *lib.* IV. *Deipnos.* Senec. *de mort. Claud.* conf. Artemidor. *l.* I. *Oneirocrit.* Gell. *l.* XX. *c.* XI. aliosque plurimos. Et hoc loco tibiæ non luctus, sed lætitiæ causa adhibebantur, quo animus facilius ad hanc moveretur; Hodienum adhuc hic mos viget, dum diebus Bacchanalium tibiis aliisque instrumentis Musicis canunt homines, minime perpendentes tempus hoc tristissimum esse, quo de Passione Christi acerbissima prædicatur.

Pergimus nunc ad alia instrumenta Baccho sacra. Supra dixi Bacchum a Cybele sacrificia didicisse. Huic igitur sacra fuerunt CYMBALA ex ære, ex quibus, referente Clement. Alexand. *Admonit. ad Gentes*, biberunt, & TYMPANA, ne vox queritantium inter stupra & cædes exaudiretur. Tympana conficiebantur ex tergo animantis, unde Stat. Papin. in VIII. *Thebaid. v.* 221. 222.

—— Gemina æra sonant, Idææque terga
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Atque huic se adjunxit Catullus.

—— Sequimini
Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant

Et Lucretius *lib.* II. *v.* 618. 619.

Tympana tenta tonant palmis & cymbala circum
Concava raucisonoque minantur cornua cantu.

Porro ex tympano comedisse citatus autor indicat. Julius Firmicus formulam lib. *de Error. Profan. Relig.* refert: *De tympano manducavi, de cymbalo bibi; & religionis secreta perdidici.* conf. Gerard. Joan. Vossius *lib.* II. *de Origin. & progres. Idololat.* pag. m. 604. 605.

Tertium in hoc capite quod attinet ad Choreas liquet ex Aristophane, qui dicit *Τίνι Δαιμόνων ὁ κῶμος; Cuinam Deorum hæc commessatio & tripudium fiet?* non opus ut diu quæram causam, offert hanc Catullus *eleg.* LXV.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis.
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore.
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
EUOE bacchantes euoe capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra juvenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgya cistis,
Orgya quæ frustra cupiunt audire profani,
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multis raucisonos efflabant cornua bombos.

Ex

Ex Aristophane Θεσμοφορ. patet, v. 949. &c.

Σὺ κισσοφόρε Βάκχειε δέσποτ' ἐγὼ δὲ κώμοις
Σὲ φιλοχόροισιν μέλψω.
Εὔιον ὦ Διόνυσε,
Βρόμιε, καὶ Σεμέλας παῖ.

Tu hederifer Bacche Domine: ego vero comessationibus
Te chorealibus celebrabo.
Euion o Bacche,
Bromie, & Semeles fili.

Ex Ovid. *Metamorph.* lib. III. v. 528. &c.

Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri.
Turba ruit, mixtæque viris, matresque nurusque,
Vulgusque, & Proceres, ignota ad sacra feruntur.
Quis furor Anguigenæ proles Mavortia vestras
Attollit mentes? Pentheus ait, ærane tantum
Ære repulsa valent? & adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? ut quos non bellicus ensis,
Non tuba terruerint, non strictis agmina telis,
Fœmineæ voces, & mota insania vino,
Obscœnique greges, & inania tympana vincant?

Innuere videntur Curtius *libro* VIII. *cap.* X. *Credo equidem non divino instinctu, sed lascivia esse provectos, ut passim hederæ ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore similes bacchantibus vagarentur.*

Præterea danda judicia CHORAGIS in Liberalia, Thargelia, Panathenæa, Promethealia, Vulcanalia, idque quotannis. Idem in Romana Republ. expresse pro me defendit Tacit. *Annal.* l. XI. cap. XXXI. *At Messalina non alias solutior luxu, adulto autumno simulachrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri prælia, & fæminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.* Omnia complectitur Siccama in *Fast. Calendaribus* cap. IX. de Sacris & Feriis mensis & Martii dicens: *Liberalia Sacra Liberi Patris, quibus viri & mulieres Heroum & Nympharum habitu per urbem bacchantes compositis modis saltarent, ornatique hedera & crine fluxo vinum libaque ex melle circumferrent.*

In honorem Cybeles in ipsius Festo tripudiare & saltare consueverunt, videatur Catullus *Eleg.* LXIV.

—— —— sequimini
Phrygiam ad domum. Cybelles Phrygia ad nemora
Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant.
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi Sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa divæ volitare vaga cohors.
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus aliis cecinit nova mulier:
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat.
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant,
Viridem citus adit properante pede chorus
Furibunda simul anhelans vaga vadit animo egens
Comitata tympano Atys per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ Ducem sequuntur Gallæ pede propero:
Itaque ut domum Cybelles tetigere lassulæ,
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.

Videatur Propertius *lib.* III. *eleg.* XV.

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Levis odorato cervix manabit olivo,
Et feriet nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ,
Capripedes calamo Panes hiante canent,
Vertice turrigero justa dea magna Cybelle
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

Videatur Apuleii *lib.* VIII. *Metam. Die sequenti variis coloribus indusiati, & deformiter quisque forma-*

A *ti, facie cœnoso pigmento delita, & oculis obunctis graphice prodeunt, mitellis, & crocotis, & carbasinis, & bombicinis injecti. Quidam tunicas albas in modum lanceolarum quoquoversum fluente purpura depictas, cingulo subligati, pedes luteis induti calceis, Deamque serico contectam amiculo mihi gerendam imponunt, brachiisque suis humeris tenus renudatis adtollentes, immanes gladios & secures, EVANTES EXSILIUNT, INCITANTE TIBIÆ CANTU LYMPHATICUM TRIPUDIUM.*

Hujus furentis & vesani tripudii meminit quoque Seneca *Epistol.* CVIII. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium*
B *alacres vultu & animo, nec aliter concitantur, quam solent Phrygii tibicines sono semiviri, & ex imperio furentes.* Meminit Lucianus in *Nigrino*: Ὥσπερ γὰρ οἱ τοῦ Φρυγίου αὐλοῦ ἀκούοντες οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὁπόσοι αὐτῶν, τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, ἐπεὶ δὲ πρὸς τὸ μέλος ὑπομεμνήσκονται τοῦ πάθους. *Sicut Phrygiæ tibiæ sonum qui audiunt, non omnes in furorem aguntur, sed qui Rheæ sacrati addictique sunt, illi reminiscuntur eo signo affectus.* Sic Israelitæ quoque & falsum & verum Numen festivis tripudiis & choris in publica celebritate celebrarunt. Sic Vero Numini in publica festivitate tripudiis honorem cum sociis habuit David, cum Arca Dei Phi-
C listæis rursus ablata esset & erepta, de quo II. *Samuel.* VI. vers. 14. & 15. Item, *Judic.* capite XXI. vers. 21. & 23. De falso Nomine habemus *Exod.* capite XXXII. Vitulus ille aureus ab Aarone Israelitis in deserto erectus, & in cujus honorem choros, tripudia & commessationes agitabant, erat conflatus ad exemplar bovis, nempe APIS & SERAPIS, quos Ægyptii pro præcipuo Numine colebant, ut testantur Chrysostom. Theodoret. *ad Psal.* CXVI. Basil. *Conc. de jejun.* Hieron. *ad Ose. cap.* IV. Origin. *homil.* VII. *in Exod.* Clemens Roman. *recognit. lib.* I. Tertull. *advers. Judæ.* La-
D ctant. *Instit. lib.* IV. *capite* X. Ambros. *libro* I. *de Pœn. cap.* VI. *in Ps.* XXXVI. Unde verissime colligo Ægyptios quoque tripudiis, cantationibus & saltationibus Deos suos, præcipue Apin & Serapin coluisse: probo insuper clarius ex Plutarcho περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος. Ἃ δ' ἐμφανῶς δρῶσι θάπτοντες τὸν Ἆπιν οἱ ἱερεῖς, ὅταν παρακομίζωσιν ἐπὶ σχεδίας τὸ σῶμα, βακχείας οὐδὲν ἀποδεῖ. καὶ γὰρ νεβρίδας περικαθάπτονται, καὶ θύρσους φοροῦσι, καὶ βοαῖς χρῶνται καὶ κινήσεσιν, ὥσπερ οἱ κάτοχοι τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμοῖς. διὸ καὶ ταυρόμορφον Διόνυσον ποιοῦσιν ἀγάλματα πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων, αἱ δὲ Ἠλείων γυναῖκες καὶ παρακαλοῦσιν εὐχόμεναι, ποδὶ βοείῳ τὸν θεὸν ἐλθεῖν
E πρὸς αὐτάς, Ἀργείοις δὲ βουγενὴς Διόνυσος ἐπίκλην ἐστίν, ἀνακαλοῦνται δ' αὐτὸν ὑπὸ σαλπίγγων ἐξ ὕδατος, ἐμβάλλοντες εἰς τὴν ἄβυσσον ἄρνα τῷ πυλαόχῳ, τὰς δὲ σάλπιγγας ἐν θύρσοις ἀποκρύπτουσιν, ὡς Σωκράτης ἐν τοῖς περὶ ὁσίων εἴρηκεν. *Quæ autem palam faciunt Sacerdotes, dum Apidis cadaver rate advectum sepeliunt, nihil distant a Bacchi sacrificio, quippe & hinnuleorum pelles circum appendunt, & thyrsos gestant, iisque utuntur clamoribus & motibus, quibus Bacchico furore correpti dum orgia peragunt*, &c.

F Non absimilis huic sententiæ Polydor. Virgil. *lib.* V. *cap.* II. *p. m.* 388. ita scribens: *Post hunc (denominatum ludum Israelitarum) paris prope lasciviæ ludus ad nos transiit. Nam ut illi in Quinquatriis minoribus & Megalensibus personati per urbem ludendo incedebant: ita nostri morem induendi personas, non uno, vel altero die, nec sacrorum causa, sed turpi insaniendi studio duos continuos menses ante Quadragesimæ initium, stolide servant, sub quibus inveterata jam delirandi licentia, sexcenta flagitia quotidie faciunt.* Recte quoque de hac re scribit Rivet. *Comm. in Exod.* XXXIII. *pag.* 263. Conferantur festivitates Pontificiorum &

eorum celebratio cum cantibus, choreis, comessationibus. plur. vid. *Mosch olatr. populi Israelit.* Georg. Mœbii *pag. m.* 61. *seqq.*

Qualis autem hæc saltatio fuerit, & quibus gestibus perageretur, videre licet apud Plutarch. in *Sympos. quæst.* xv. Dicebat Ammonius, saltationes tres partes habere, PHORAN, SCHEMA, DEIXIN, quæ Latine lationem, speciem, ostentationem fortasse dixeris. Saltationem enim e motibus & habitibus (Scheses ipsi vocant) certis constare, ut cantilenam e sonis & intervallis. Hic autem quies, sive mansio, finis est saltationis. Motibus ergo nomen lationum tribuitur: habitus sive dispositiones species appellant, in quas motus isti desinunt, quando Apollinis, aut Panis, aut Bacchæ alicujus exprimentes formam corpore & ejus dispositione sic conquiescunt.

Hodierno die nullum festum apud Peguanos in India sine tripudiis prælerlabitur. Audi Vincent. le Blanc in *Itinerario suo* Gallice conscripto *cap.* XXIII. *lib.* I. ita in Latinam linguam conversa ejus verba sonant: *Sacrificio (quo nempe festis diebus Diabolo virgines immolant) exacto. Sacerdotes, consuetas sibi vestes exuentes horribilissimas & monstruosas exutarum loco induunt, Ita deformati in excelsa theatra conscendentes choros agitare incipiunt, musicum cum instrumentum ad saltationis signum inflatum fuerit. Primo tuba ista submisse præcinente, & ipsi languide circumgyrantur, donec cum intentiori ejus cantu inter diras, quas evomunt, & horribilissimas exsecrationes, & devotiones, ipsorum saltatio paulatim fervescens tandem in meram insaniam Baccharum more erumpat, qua animo impotentes tam fervide tam cito circumrapiuntur, ut quidam labori, & fervori succumbentes, & deficientes in terram procidant, dum interim reliqui adhuc validi nihilominus inceptas choreas indesinenter & ardenter continuent, horribili crotalorum & tintinnabulorum sonitu præterea aures lacessente & ad tripudium accommodato. Simul ac quis in terram prolapsus, id est, a Diabolo occupatus fuerit, insanius & horribilius reliquorum tripudium incalescit ac inardescit, & ita tamen (quod admirandum est) ut ne latum quidem unguem saltandi ordinem & modum transgrediantur. Sed quod magis stupendum est, fertur, quod Diaboli se huic tripudio immisceant & cæteros Sacerdotes quasi turbine circumflectant. Idque ex eo colligitur, quod licet plurimi animum agentes in terram prosternantur, numerus tamen BACCHANTIUM non decrescat. Hoc etiam ex membrorum agilitate, qua super socios eminent, colligitur, cum alias ejusdem coloris & formæ veste, quia illi amicti, assistent. Hæc causa, cur hæc tripudia adspicientes horrore ineffabili stupendum in modum corripiantur, adeo ut sese in alium erigentibus comis & sudore de corpore defluente externati & dementati nec loqui, nec videre, nec progredi valeant*, &c.

Apud Persas etiam Festi dies tripudiis celebres sunt. Videatur Adamus Olearius in *Itinerario suo Persico*. Sic ibi scribit: *Septimo istius mensis magnum Festum cujusdam maximæ notæ apud Persas Divi celebrabatur, ad quod vulgares adhibebantur cæremoniæ. Nos etiam illas videre desiderabamus. Cum jam CHAN & CALENTER eo advenissent, nobis ut recte omnia contemplaremur spatium per ministros est factum. Et sub extento panno ad duas ulnas in altitudinem porrecto, in sede CHATIB sive summus Pontifex residebat, qui facie venerabilis & veste cærulea conspicuus, clara voce devotissime admodum per biborium vitam & mortem Prophetæ AALY canebat. Hunc summum Pontificem multi circumsedebant minoris nominis Sacerdotes, omnes candidis mitris capite redimiti, qui inter legendum pauca submisse cantitabant, & qualibet exacta cantilena quidam ex eis alta voce exclamabat, MALEDICTUS QUI AALY INTERFECERIT. Ad quod concio uno tono respondebat, BISCD BAD, KEM BAD, hoc potius magis quam minus fiat. Cum jam ad interitum AALY legendo perventum, omnis populus ejulare & plangere incipiebat, ut singultus omnium ora & corpus quateret.*

Post hæc serica vestis CHATIB sive Papæ donabatur, quam e vestigio induere oportebat. Deinde tres Sandapilæ nigro panno obductæ circumferebantur, prima AALY sandapila erat, secunda duorum ipsius filiorum HASSANS & HOSSEINS; circumferebantur etiam duæ capsulæ cæruleo velamento instratæ, quæ relictos spirituales AALY libros continebant. Item duo formosi equi. Quidam in pertica turriculam gestabant, ex qua quatuor acinaces propter ornatum & phaleras vix conspicibiles prominebant. Multi capitibus impositas quasdam arculas plumis, tæniis & floribus distinctas habebant; hi salientes & tripudiantes ad tympanorum, ahenorum, tibiarum & cymbalorum sonitum subsultabant. Quidam pueri manibus tenentes perticas, circumsalientes, humerosque sibi invicem percutientes alternis vicibus vociferabantur, HEIDER, HEIDER, HASSAU, HOSSEIN. Tripudiatur quoque in Turcarum celebritatibus, de quibus videri poterit Moquet *lib.* v. Et ab hac consuetudine nostras venisse choreas autumo, qua inter Christianos fere quovis Festo & Bacchanaliis saltationes peraguntur, ita ut hæc inveterata consuetudo vix tolli poterit.

CAP. XVIII.

De Bacchanal. Romæ introductis & abrogatis, & Gentilibus quibusdam odiosis.

LIBIDINOSA hæc sacra Romam quoque Terrarum gentiumque Deam penetrarunt. Qui quidem peregrinus & improbus Dei cultus diu quidem latuit in abdito, tandem tamen, multis in consortium nefariorum scelerum pertractis, per EBUTIUM adolescentem detectus fuit. Hunc namque mater DURONIA sacris initiari optat, ut voto pro valetudine juvenis, cum difficili decubuisset morbo, facto liberetur. Hic matris propositum ac consilium HISPALÆ FECENIÆ libertinæ, nobili alias scorto, cujus ipse amore flagrabat, clam indicavit. Quæ perturbata adolescentis sermone in caput eorum minas & pericula detestari incipit, qui id suasissent. Ipsi præterea incipit aperire, quod sacrarium illud sit corruptelarum omnis generis officina, quodque initiatus & introductus velut victima Sacerdotibus tradatur. Orat deinde eum, ne eo se præcipitet, ubi omnia nefanda patienda primum, deinde facienda essent.

Redeunti domum mater præsente vitrico T. Sempronio Rutilio indicat, quo die sacris initiandus, & quid primo, quid secundo, quid cæteris diebus festi istius faciendum sit. Qui tamen negat, se quicquam eorum factorum, nec sibi initiari in animo esse. Tum mater confestim exclamat, HISPALÆ eum concubitu decem noctes carere non posse, & eum quatuor cum servis domo exegit. Ejectus domo ad EBUTIAM amitam se contulit, de injuria matris conquestus, cujus autoritate rem ad POSTUMIUM ALBINUM Cos. detulit, qui investigatus multis pœnam ob hoc sacrum tulit. vid. Livius *lib.* XXXIX. *cap.* IX. *seq.* Jul Firmic. *de error. profan. religion.* Imo EBUTIAM antiqui moris uxorem ad se accersivit, quæ lacrymis prosecuta infortunium adolescentis qui spoliatus esset boni suis, quod obscenis sacris initiari noluerit. Cos. Sulpiciam rogat, ne gravetur HISPALAM ad se accersere, cujus petitis satisfacit, & libertinam ad se venire rogat. Percontata ipsam est præsente POSTHUMIO, ritum & consuetudinem celebrandi Bacchanalia. Quod ubi audivit, tantus tremor omnium membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non posset. Negavit primo quidem periculi metu se quicquam de sacris istis scire, confirmata autem quod tuto Romę habitatura sit, rem omnem edisserit. Initio nempe fuisse

Sacrarium, nec quemquam virum eo admitti ſolitum. Poſt vero, ubi viri feminis permixti, noctiſque licentia acceſſit, nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermiſſum, plura virorum inter ſe quam feminarum fuerunt ſtupra. Si qui minus patientes dedecoris aut ad facinus pigriores eſſent, pro victimis immolati ſunt, nihilque nefas duxerunt.

Addit HISPALA hanc ſummam inter eos religionem eſſe, viros velut mente capta cum jactatione fanatica corporis vaticinari; matronas Bacharum habitu crinibus paſſis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demiſſaſque in aquam faces, quia vivum ſulphur cum calce inſit, integra flamma afferre. Raptos a Diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conſpectu in abditos ſpecus abripiant, eos eſſe qui aut conjurare aut ſociari facinoribus aut ſtuprum pati noluerint. confer. Elias Sched. *de DIs German. pag. m.* 88. Polydor. Virgil. *de rerum invent. lib.* III. *cap.* XVII.

His enarratis ſubito terrore conſternatus Poſthumius, omnia ordine Senatui expoſuit, qui feſti illius rabioſa turpitudine ſic erubuit, ut in urbe Roma eſſe prohiberet. Enim vero inquiſitum eſt in eos, qui ita coiviſſent, & mutuis ſe polluiſſent ſtupris. Simulque Triumviris Capitalibus demandatum eſt, ut vigilias diſponerent per urbem ſervarentque, ne qui nocturni cœtus fierent, utque ab incendiis caveretur. Ipſe Poſthumius gravi quadam oratione plebi Bacchanalium furores exponit, quod in urbe talia committerentur, quæ Romuli Nepotibus eſſent indigna, quæque Majorum ſuorum gloriam offuſcarent. Concione dimiſſa, urbe tota magnus fuit terror, qui non mœnibus ſe continuit aut finibus Romanis, ſed paſſim per urbem imo totam Italiam vagari cœpit. Conſulibus autem injunctum eſt, ut omnia Bacchanalia Romæ primum, deinde per totam Italiam diruerent. Unde mox Senatus conſulto edictum eſt, ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia eſſent. Et ita Liberum Patrem cum myſteriis ſuis Coſſ. Senatus autoritate non modo Urbe, ſed univerſa Italia eliminarunt. vid. de his Alex. ab Alex. l. VI c. XIX. *Genial. dier.* Cic. *l.* II. *de LL. pag.* 228. Tertull. *Apolog. c.* VI. Petr. Faber *l.* II. *c.* I.

Licet in LATIO Coſſ. iſtum morem colendi Bacchum ſuſtulerint, tamen non toto orbe eliminarunt. Etenim, ut hoc prius in medium adducam, Peruani, teſte Pontan. *lib.* IV. *progymnaſm.* LXX. *pag.* 502. in Inſula S. Crucis certis anni diebus lymphata mente in ſylvas aguntur, vaſtamque ſolitudinem & inconcinnis ſaltibus vocibuſque inconditis replent, inclamantes per præruptos ſcopulos, denſaque arbuſta; per ardentes etiam prunas & mortiferas ſerpentes incedunt ſine ulla noxa. Quid nos Germani ante annos non adeo multos? apud quos olim quidem plus boni mores valuerunt, quam apud alios bonæ leges? Tanta & tam nefanda conſuetudo vigebat, velut Dæmones, relicto orco, mentes hominum per certos dies occupaſſent. Et id non quibuſdam urbibus familiare. Sed toti regioni, omnibus in immodeſtum lætitiæ ac hillaritatis genus ſolutis, carmen neſcio quod, aut cujus in Dei memoriam pſallentibus. Et quamvis Magiſtratus nulli neque labori neque conatibus pepercerit, a tanta turpitudine vindicare patriam; tamen ſucceſſus conſiliis non reſpondit, quod, quæ diuturno uſu invaluere, facile exſcindi nequeant. Sine dubio interim dicit Caſpar Barthius *l.* XII. *p.* XXXI. *Adverſ.* fateor, morem iſtum fanaticum e Paganiſmo profectum, confirmante me Synodo Bavarica ſub Thaſſilone habita Anno DCCLXXIII. quæ ita de pravo more iſto ſcribit: *Illas vero balationes & ſaltationes, canticaque turpia ac luxurioſa, & illa luſa Diabolica non faciat nec in plateis, nec in domibus, neque in ullo loco, quia hæc de Paganorum conſuetudine remanſerunt.*

Videmus itaque noſtra quoque Bacchanalia Paganiſmo deberi. Cui rei nomen ipſum indicium eſt, tam quondam celebre ac divulgatum, ut omnes turpiſſimi motus, & fœdi ſaltus, geſtuſque dicerentur Bacchaniæ. Celebrabant autem majores noſtri Bacchanalia ſua illo tempore, quo Eccleſiæ Doctores populum e ſacra pergula erudire incipiunt de paſſione ac morte Servatoris noſtri. Poſtquam vero ſat diu inſanivere, templum ingrediuntur cineribus ſe reſpergentes. Iſque dies vocatur, refert Polydor. Virgil. *lib.* VI. *cap.* III. DIES CINERUM a Papa D. Gregorio conſecratus; ad Quadrageſimam enim quæ erat jejunio ſacra, dies adjecit quatuor, in quorum primo cineres ſunt conſecrati. conf. Rupert. Abbat. Tuitienſ. tract. *de divin. offic. l.* IV. *c.* X. *fol.* 917. *Biblioth. Patr.* quibus more Judæorum pœnitentiam agentium, a Sacerdote aſpergitur populus his verbis: MEMENTO HOMO, QUIA CINIS ES, ET IN CINEREM REVERTERIS, IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, AMEN. Hoc ſacro tempore Chriſtiani inſaniunt, ut Turca impium iſtum morem non ſine vitio noſtri ſuis indicaverit.

AUGERIUS BUSBEQUIUS epiſt. III. inquit: *Tempore Quadrageſimæ* (verba citati autoris ſunt) *apud nos etiam in bene moratis civitatibus, nedum in caſtris omnia perſtrepunt ludo, choreis, cantu, clamoribus, commeſſationibus, ebrietate, furore denique & inſania: ut non fruſtra creditum ſit, hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii cauſa veniſſet, reverſum domum retuliſſe. Chriſtianos certis diebus bacchari & furere, donec genere quodam cineris in templo reſperſi redirent ad ſe & convaleſcerent.* Reprehenderunt hanc inſaniæ turpitudinem ipſi olim Scythæ apud Herodot. *l.* IV. *c.* XXIII. Scytes Scytharum Rex a matre ſua Græcis literis eruditus, ſemper Græcum potius, quam Scythicum morem vivendi tenebat, quem obſervabat in urbe Boryſthenitarum: & tum cætera inſtituta, tum imprimis ſacra iſtius urbis colebat, imo Bacchi etiam ſacris initiatus eſt. Scythæ ſemper probro dabant Græcis conſuetudinem celebrandi Bacchanalia, negantes rationi conſentaneum eſſe excogitare Deum, qui homines ad inſaniam adigat. Sed Græci reſpondent: VOS QUIDEM SCYTHÆ NOS IRRIDETIS, QUOD BACCHANALIA AGAMUS, QUODQUE NOS DEUS OCCUPET. AT NUNC DEMUM HIC VESTRUM QUOQUE REGEM OCCUPAVIT. NAM BACCHANALIA EXERCET A DEO IN DEMENTIAM ACTUS. Primores Scytharum hominem ſecuti ſunt, quos Boryſthenita ille deductos clanculum in turri collocavit, ut explorarent Regis mores. Scythæ Regem bacchabundum videntes, rem ingentis calamitatis duxerunt, digreſſique, ea, quæ viderant, omni exercitui indicarunt. Scytes ad lares reverſus, videt a ſe Scythas deficere & fratrem Octomatadem eligere. Quare in Thraciam fugit: ſed eum frater eſt inſecutus, & captum trucidavit.

Ludos quoque & commeſſationes e medio tollere Patribus viſum eſt. Hic Canones Synod. Sext. Conſtantinopolitan. qui habentur *Tom.* III. *Concil. pag.* 324. *edit. Rom.* ita converterem, MAJUMÆ celebritatem de qua Julianus Imperator Miſopog. *p.* 116. *ὑμῶν δ' ἔδια μὲν εἰς τὰ δεῖπνα, καὶ τὰς ἑορτὰς τοῦ Μαϊουμᾶ χρήματα ἀπολέσαντες.* Mulierecularum molles & libidinoſas ſaltationes Patribus Africanis auctoribus Imperatores data lege prohibuerunt, ut liquido conſtat ex can. LX. *Cod. Canon. Eccleſ. Afric.* Quibus diebus (natalibus Martyr.) etiam quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exerceant: ut matronalis honor & innumerabilium fæminarum pudor devote venientium ad ſacratiſſimum diem, injuriis la

ſcivientibus appetatur, vid. Divi Auguſtini *epiſt.* ccxii.

CAP. XIX.

De arbore Baccho ſacrata, & ritu coronandi ſimulachra.

NEMINI ignotum, quod Gentiles cuivis Deo certam tribuerint arborem, ex cujus frondibus coronas perficiebant. Hinc HECATE fingebatur coronata quercu, ut Sophocles in *Rizotom.* prodidit:

O Sol, o Rex, & ignis
Sacer in via habitantis Hecates,
Haſta quam per cœlum
Recte fert, ac terræ habitat ſacra Trivia
Coronata quercubus plurimis.
Super humeris ſpinis Draconum.

Quercus enim magno afficiebatur honore, ita ut vocales Gentiles ſtatuerent. vid. Peucer. *de Oracul.* In Cerealibus etiam Sacris quercu coronabantur ad perpetuam accepti ab illa Dea beneficii memoriam, ut Virgil. *lib.* I. *Georg.* ſcribit. Sane in Apollinis ſacris ex auro Corona erat, ut Apollon. Rhod. *l.* xi. *Argon.* In Herculis ſacris corolla populea adhibebatur. Maro *l.* viii. *Æneid.*

Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Quoniam autem aliæ arbores Diis aliis fuerunt conſecratæ, idcirco Diis ſacrificaturi varias etiam coronas capiti imponebant. Antiquiſſimus planes coronas intexendi eiſdemque caput exornandi apud ſingulas fere orbis terrarum nationes mos extitit, & ut a profanis Gentilium ritibus auſpicer, in ſacrificiis potiſſimum quæ idolis offerebantur Coronæ adhiberi conſuevere: Sacrificantes quippe, ut Athen. *lib.* xxv. ait, id quod Diis offerebant, coronabant. Inde Plaut. in *Amphitr.* dicit: *Serta unguenta, coronas ferre Veneri, Cupidini.* Et hanc ob cauſam potiſſimum fiebat, quia corona perfectionis ſymbolum erat. Hinc apud Rhodigin. *lib.* xxvii. *c.* xxvi. Antiqui conviviis coronati accumbebant, ac ſi coronis, quas tunc capiti præferebant, annonæ fertilitatem rerumque omnium copiam ſymbolice inaugurantes, lætitiam exhiberent. At ſi morem hunc ad ſua derivem initia, coronarum ejuſmodi origo & cauſa item illa potiſſimum extitit, quod cum diſcumbentes multo convivales inter epulas ſe vino ingurgitarent, ne caput ſubinde doleret, faſcia illud linea vel certe lanea vinciebant.

Hæc enim ut Feſtus ait primum cunctis corona ad manus fuit, verum luxu ſubinde immane aucto, ad novas ſibi delicias concinnandas, comparata tum ex frondibus, tum ex floribus, aut calidis aromatibus, ſerta adhibita ſunt, quæ humani capitis meatus molliter, ut vinum facile perſpiret, adaperiunt, quod ex Nardo potiſſimum corona præſtare conſuevit: vel certe ex frigidis interdum coronæ inſtruebantur, ut opportune meatus temperamento adſtringentes æſtuantis vini vim valide comprimerent: ad quod apte quidem corona ex violis, roſis & hedera item intexta adhibebatur. Quis enim neſcit, quod Liber ſeu Bacchus hedera, ut Plutarch. iii. *Sympoſ. c.* i. ait, Bacchantes ludenteſque coronavit? Hedera ſuo videlicet ebrietatem frigore, quo minus a vino liberaliter epotantes læderentur, reſtinguente. Has porro convivales coronas capiti, aut fronti, vel certe temporibus circumdabant, aut feſtivum in morem lætitiæ gratia de collo ſuſpendebant, juxta quod apud Ezechiel. *cap.* xxiii. intemperantes illi homines, qui ad ſuas olim turpitudines explendas Hieroſolymam ventitabant, feſtivis coronis hiſce utebantur: *Poſuerunt*, inquit, *armillas in manibus eorum, &*

A *coronas ſpecioſas in capitibus eorum.* Quo magis enim blandas inter delicias laſcivirent, coronas capitibus ob lætitiæ ſymbolum præferebant.

Sane & Bacchi coronis exornatas fuiſſe aras teſtantur carmina, quæ Demoſthenes in oratione *contra Midiam* adducit:

Αὐδῶ Ἐρεχθείδαισιν ὅσοι Πανδίονος ἄστυ
Ναίετε, καὶ πατρίοισι νόμοις ἰθύνεθ' ἑορτὰς,
Μεμνῆσθαι Βάκχοιο, καὶ εὐρυχόρους κατ' ἀγυιὰς
Ἱστάναι ὡραίων Βρομίῳ χάριν ἄμμιγα πάντας
Καὶ κνισᾶν βωμοῖσι κάρη στεφάνοις πυκάσαντας.
Impero vobis Erechthidis, qui Pandionis urbem
B *Colitis, & patriis legibus ſolemnia facitis,*
Memores ſitis BACCHI, & per latas vias
Solvatis paſſim grates Baccho omnes
Coronate rite aras ſacris coronis.

In ſacrificiis DIONYSIACIS ſeu BACCHICIS myrto caput coronabatur, Veneri alias ſacra, ut ait Timarchidus in *l de coron.* & Ariſtophanes in *Ranis*, Act. i. Sc. viii. verſ. 13.

Πολύκαρπον μὲν τινάσσων
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
Στέφανον μύρτων.
Fructiferam quidem quatiens
C *Circa caput tuum virentem*
Coronam myrtorum

Veneri dicatam fuiſſe arborem hanc teſtatur Pauſanias in *Eliacis*, & Virgil. *Eccl.* vii. *v.* 62. vel quia cum a mari exiſſet, latuit in myrto, ne nuda conſpiceretur: Vel, quia fragilis eſt, ut amor inconſtans, vel, quia jucundi odoris. conf. Servius *ad h.l.* Hac coronatam fuiſſe in cerebri illo certamine de Pulcritudine in Idæo monte ſcribit Nicander in *Alexipharmacis*. Non autem ſoli Veneri ſacra erat, ſed etiam Baccho, ut Ariſtophanes in *Ranis* teſtatur, *loco cit.* cujus verba Latine ita ſonant:

D *Bacche, Bacche,*
Veni per hoc pratum tripudians,
Sacros ad initiantes.
Fructiferam concutiens
Circa caput tuum virentem
Coronam myrtorum.

CAP. XX.

De Sacrificiis Baccho dicatis, aliiſque Diis Gentilium.

E NULLA gens tam barbara fuit, quæ non cultu ſibi aliquo Deum propitium facturum putavit. Patet hoc ex exemplis Patrum ante legem datam, quam primum enim recta ratio in iis ſeſe exeruit ſacrificia Deo obtulerunt, poſtquam vero ad Idololatriam pervenit, loco animalium ad ſacrificia deſtinatorum homines immolarunt, & eodem fere tempore, quo Idololatria tempore SARUGI generatione quinta incepit: ejus rei teſtis eſt Eutychius Alexandrin. e verſione Pocockii inquiens: *Eodem tempore, cum mortuus eſſet vir quidam dives, filius ipſius ſtatuam ſibi ad patris ſui ſimilitudinem confectam tumulo ipſius impoſuit, collocato etiam ibi ſervo qui illam cuſtodiret. Cum advenien-*
F *tes deinde fures, quicquid filio domi ſuæ fuit ſurripuiſſent, profectus ille ad patris ſui tumulum flere & conqueri apud ſtatuam iſtam auream, quaſi apud patrem ſuum, cœpit. Allocutus ergo Diabolus e ventre ſtatuæ, ne fleas, inquit; abi tantum & allato filio tuo natu minimo, ipſum mihi in ſacrificium mactans, ſanguine ejus calenti te abluas; ita fiet, ut ego omnia tibi quæ perdideris reſtituam. Hinc mactato filio incantamenta docuit, atque cœperunt homines filios ſuos Diabolo mactare.*

A Hinc SATURNO qui Rex BELUS putatur, quem Scriptura Moloch vocat, filios chariſſimos mactare ſolebant. Quod delectabile cacoethes a Phœnicibus Tyriiſque acceptum coloniſeorum POENI in Africam propagarunt. Quemadmodum autem homines filios ſuos SATURNO immolare cœperunt, ita ipſe SATURNUS filium ſuum unigenitum Cœlo patri devovit, & immolavit, ut ejus ſanguine peſtem, quæ in homines graſſabatur, extingueret, & MUTHUM ex Rhea gnatum poſt mortem conſecravit, quem Plutonem & mortem Phœnices vocant, teſte Philone Biblio. Sic gentes ex ſanguine ſuo Dæmonibus libamina libare inſtituerunt, *Pſalm.* XVI. 4. In principio autem has victimas humanorum corporum Saturno immolarunt & combuſſerunt: ſicut hiſtoria Barlaam Damaſceno adſcripta ſatis teſtatur. conf. Tertull. *Apologet. c.* IX. Plat. *polit. pag.* 315. Hieronym. *in Eſa. lib.* XIII. *cap.* XLVI. Athanaſ. *contra Gent. pag.* 21. Orig. *contra Celſum, lib.* V. Et hæc conſuetudo apud Tyrios reſediſſe videtur, qui ante Herculis adventum hoſpites immolare ſolebant, ut refert Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiq. Rom. lib.* I. *c.* XLI. *p.* 33.

Et apud eruditos in confeſſo eſt Syros omnium primos cum Tyriis cruentam hanc immolationem machinatos fuiſſe, cujus rei teſtes Porphyr. *lib.* XI. & Phil. Bibl. in *hiſtor. Phœnic.* de Sanchumaſtis, quod apud eos ejuſmodi ſacrificia in uſu fuerint. Cum vero Syria antiquis temporibus ſub ſe Aſſyriam, Meſopotamiam, Babyloniam, Phœnic. & Palæſtinam tanquamRegni ſui partes complecteretur, juxta Philipp. Cluver. *introduct. in Geograph. lib.* V. *cap.* XX. non negari poteſt, quod & ipſi Chananæi ſanguinei iſtius cultus authores exſtiterunt, conſtat hoc ex *Levit.* XVIII. 21. *&* 24. *Deut.* XVIII. 9. 10. *&* XII. 31. *Sapient.* XII. 5. ipſos homines filios dæmonibus oblatos immolaſſe. Hinc ad alios venit populos, ſcil. Moabitas, v. *Reg.* I. XXVI. 17. 2. *Reg.* XVII. 31. Ægyptios, Arabes, Saracenos, Perſas aliosque. A Syris peſtis hæc Scythas corripuit, & trans mare ad Pœnos ſeu Carthaginenſes, Gallos, Germanoſque volavit. Præter hos denominatos inſanierunt Sabæi, Hotting. *de relig. vet. Sab. l.* I. *c.* VIII. *p. m.* 114. Tyrii, *Cart. l.* IV. ex quibus Carthaginenſes, Juſtin. *lib.* XVIII. Euſeb. *de præpa. rat. Evang. lib.* IV. Auguſt. *de Civit. Dei l.* VII. *c.* XIX. Imo hæc conſuetudo tam altas egit radices, ut hodierno adhuc die plurimorum Africæ populorum mentibus & religioni inhæreat, ſicut apud incolas CABO LAHOU in Guinea, in regno MAKOKO inferioris Æthiopiæ, imperio KALAMAUSE aliiſque, de quibus Dapper. *in deſcript. Africæ p.* 266.

Pari ratione BUSIRIS Ægypti Rex omnibus annis Jovi hoſpites immolavit. vid. Hygin *fab.* XXXI. Apollodor. *l.* II. *Biblioth. p.* 104. Iſocrat. *in laudem Buſirid.* Oroſ. *l.* V. *c.* I. Serv. *in* III. *Georg.* Simile facinus LYCAON Arcadiæ Rex perpetravit, de quo ita Pauſan. *l.* VIII. At hic, ad Jovis Lycai aram infante mactato humanum ſanguinem libavit. Quid dicam de JUNONE, cui antiquitus homo fuit mactatus, Porphyr. *l.* XI. quod Sacrificium in eodem loco Soli oblatum fuiſſe dicit Geiſ. *de victim. human. p. m.* 120. Manethon in libro *de pietate & inveterata ignorantia* inquit: *Sacrificabant* JUNONI *tres homines, qui explorati non ſecus ac vituli vegeti*, &c. SOL etiam humano ſanguine & cruentis immolationibus apud Æthiopes placatus; teſte Heliodor. *Æthiop. l.* X. ſic ſcribente: *Scis quod maſculum Soli, fæminam autem Lunæ offerre & ſacrificare lex poſtulat*. Et in ſcriptura per Belem intelligunt; nam Belem Phœnicibus lingua ſua Solem dici probat Herodian. *l.* VIII. *in Maximino p.* 302. confer. Johan. Henr. Hotting. *hiſtor. Orient. l.* I. *cap.* VIII. Legitur apud Ditmarum *l.* I. *p.* 12. *hiſtor.* quod Dani quotannis menſe Januario XCIX. homines & totidem equos cum canibus occidere & immolare conſueverunt, & ſine dubio hoc ſacrificium Soli oblatum fuiſſe creditur, quia Soli in gentiliſmo ſacri fuerunt & equi: unde apud Sabæos Soli pullos gallinarum comburere receptum eſt, ut Maimonid. *More Nevoc. cap.* XXVI. oſtendit.

B Non minore fervore hominum mactatione Dianæ ſacrificia nefanda fuerunt, ſicut ejus teſtis Phornutus *lib. de natura Deorum*, de Diana, conf. Hygin. *fab.* CXX. CXXII. Pauſan. *Attic. p.* 16. Serv. *in l.* XI. *Æneid.* Dianæ OREILOCHÆ cruentas immolationes adſcribit Ammianus Marcell. *l.* XXII. Imprimis Scythæ hunc ritum proſecuti ſunt, quo naufragos pro hoſtiis jugulabant. Græ gor. Nazianz. *Monad. in Baſil. Mag. Vit.* Ab hac conſuetudine GERMANI non receſſerunt, qui Mercurium maxime coluerunt, eique certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habuerunt. Tacit. in *Germ. p.* 635. Dicitur & Teutanes Mercurius ab Annio Viterbienſi in *l.* V. Beroſ. Babylon. cui cognomentum ſacrificus C ritus indidiſſet, quod eos redderet pallentes, qui ſibi gratis immolabantur. Meminit etiam Porphyr. *l.* XI *de abſtin.* quod Minervæ in Laodicea circa Syriam quotannis Virgo ſacrificata fuerit.

Denique etiam BACCHO ſacrificia peculiaria donabantur, ſacrificabantur qui minus patientes eſſent ſcorti. Imo Potmiarum incolæ circa Thebas habitantes, ut peſtilentiam ſibi incumbentem ſufflaminarent, puerum pubeſcentem BACCHO mactare coacti ſunt, de quo in hunc modum ſcribit Pauſanias *l.* IX. *Et ibidem eſt Liberi Patris ædes cognomine* ÆGOBOLI, id eſt, *capream cædentis. Ita enim aliquando accidit, ut dum ſacrificarent per temulentiam eo vecordiæ proceſſerint, ut ipſum* D LIBERI *Patris Sacerdotem occiderint, quod piaculum cum peſtilentia conſecuta eſſet, ex Delphici Apollinis reſponſo puerum* LIBERO *jam pubeſcentem mactandum ac ceperunt potiſſimum autem corpore exſecto.*

Non ſolum homines ad ſacrificia adhibebant in Sacrificiis BACCHI, ſed & ovum ſphærali figura, teſte Alex. ab Alex. *in Genial. dier. l.* VI. *c.* XIX. quia ad animæ purgationem pertinere dicebant. Hinc *vannum* addebant, quo triticum purgatur, Nam & vannum ad ſacra pertinere ſupra viſum.

Hodie vero hujuſmodi ritus in uſu non eſt, quo homines ſacrificantur, attamen reliquum, quo in E certis urbibus & Regionibus tempore Bacchanalium placentulæ quædam coquuntur, nullum eſt dubium, quin ritus hic promanarit a Veterum libandi modo, ubi primitias offerebant, ſeu inter ſacrificia libamina dabant: qui modus etiam a Judæis obſervatus, de quo in Sacra Scriptura. Et hæc ſunt quæ brevibus *de Bacchanaliorum ritu tam antiquo, quam hodierno* ſcribere volui. Deus igitur T. O. M. Rempublicam ab ejuſmodi malis conſuetudinibus diutius ſalvam & tutam ſervare velit, quo ſcandala, & vitia vitentur, pietas vero omni in loco vigeat.

F I N I S.

JOHANNIS JACOBI HELLERI

DIETENHEMIA-FRANCI

DE

DEO IGNOTO ATHENIENSIUM

EXERCITATIO.

JOHANNIS JACOBI HELLERI

DIETENHEMIA-FRANCI

DE

DEO IGNOTO ATHENIENSIUM

EXERCITATIO.

I. UANQUAM Gentiles, cum semel perversas de Deo opiniones admiserunt, & in indagando ejus cultu deliramenta magis prurientis suæ rationis sequebantur quam naturæ vestigia, omnem propemodum, quæ in hominum mentibus, veluti scintilla in cinere resplendescens, adhuc reliqua est de Deo, notitiam spissa errorum caligine obfuscarent, ac fœdis pravarum opinionum commentis coinquinarent, quin penitus fere everterent; tum splendidis jucundisve Poetarum mendaciis, & præclaris quorundam & admirandis facinoribus decepti in nefandam & adversus omnem rationem excogitatam πολυθεότητα, veluti profundissimam abyssum præcipites prolaberentur & ultra triginta millia Deorum, ut prodidit Hesiodus, sibi confingerent, & religioso cultu prosequerentur: Non tamen quocunque tempore defuerunt inter omnes Gentes sanioris capitis homines, præsertim sapientiæ studium tractantes, qui sese erroribus, quibus tot tantique populi temere erant impliciti, evolverunt, & dispulsa caligine, in qua cœcæ volutabantur plurium mentes, inveteratam in eorum animis de Deorum multitudine opinionem correxerunt, & naturæ quasi manuducentis vestigia sequentes eo sese elevarunt, ut verum hujus mundi Architectum & Summum rerum omnium Moderatorem in universa natura relucentem, oculis licet nictitantibus qualique eminus viderent.

II. Quod ne quis me auribus dare existimet, omnium instar esse possunt Athenienses, οἱ πρὸς τὰ τῶν Θεῶν εὐσεβέστατα διακείμενοι, ut dicit Isocrates in *Panegyrico*; quorumque urbs, quemadmodum illustre quoddam omnium artium Musarumque emporium, ita idololatriæ quoque erat quasi domicilium. Eam idolis refertam notat Lucas *Act.* XVII. com. 16. ut interpretatur Casaubonus & cum eo reliqui. Qua ex re Pausanias in *Atticis* in hac una urbe plura bene idola, quam in reliqua Græcia commemorat, & de Atheniensibus loquens, majorem eos, quam alii pietatis in Deos curam habuisse refert, dum non contenti illis Diis, qui communiter antiquitus essent recepti, quorumque ingens erat multitudo, peculiares quoque Deos, velut Conysalum, Orthonam,
A Priapum, & Tychona, ut ex Strabone refert Lilius Gyraldus primo Syntagmate *Historiæ Deorum*, sibi efformarunt: Et præterea, teste *ibidem* Pausania, Pudorem, Famam, Alacritatem, Impudentiam, Calumniam & hujuscemodi innumeros ridiculos & obscœnos Deos superstitione abrepti coluerunt, quod iis exprobrat & vitio vertit Cicero secundo *de Legibus*. Et testantibus harum rerum Scriptoribus, montibus etiam, vallibus, fluviis, imo stabulis, & pudet dicere quibus aliis locis, peculiares præfecerunt Deos, quorsum citari solet Arnobius sexto *contra Gent.* Id quod festivo quodam dicterio excepit apud Petronium ille in *Sa-*
B *tyrico: Utique nostra regio tam præsentibus plena est Numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem invenire.* Duplo etiam plura agitabant festa, quam alii Græciæ populi, quod ex Xenophonte annotavit Beza, *Comment. ad cap.* XVII. *Act.* & pluribus exposuit Joh. Meursius Antiquitatum doctissimus in *Græcia Feriata*. Nihilominus in mediis hisce tenebris, quibus erant immersi, perpetuo inclinarunt mentes, veritatis nimirum & conscientiæ stimulis acti, ad illa principia, quæ verum Numen commostrant: Et quamvis ex inveterato in animis eorum errore & sinistro pravæ con-
C suetudinis amore plus vanis indulgerent commentis, fictitiisque Diis suis tenaciter inhærerent, simulacra illis, dies festos, ludos, pulvinaria, aras ædesque sacras statuendo, acerris etiam thuris & mactatis e grege victimis eosdem honorando, manus quoque mentesque supplices ad illos ut suprema Numina protendendo: Natura tamen & inscripta cordibus eorum æterna immutabilisque lex invitos subinde retraxit, & unicum verumque Deum, qui solus naturam fecit & rebus præsidet universis, ejusque Divinitatem & virtutem omni cultu unice dignam perpetuo & oculis ipsorum ingerebat, & auribus insonabat, & animis
D infundebat: Sed illi animi oculos auresque obturantes præfracte reluctabantur Magisterio naturæ; atque ita hinc circumfusi luce naturæ, inde spissis opinionum tenebris circumventi, velut insanientibus in mari ventis nunc huc nunc illuc delati perpetuo fluctuarunt incerti; atque verum Deum numinibus suis & σεβάσμασι magna copia confictis accenserunt, & pari superstitione venerati sunt, vel potius dehonestarunt, & sic falsa veris & æra lupinis miscuerunt.

III. Atque hoc quidem ita se habere, præter monumenta profana Scriptores quoque Sacri &

Novi

Novi Fœderis historia passim egregie confirmant; atque testatur Magnus ille Gentium Doctor, qui omnia Gentilium tradita, mores atque scripta si quisquam alius cognita & explorata habuit. Ac speciatim de Atheniensium Δεισιδαιμονία notabilis extat locus *Act.* XVII. ex quo clarum esse potest, eos vero quoque Deo, quamvis non ita ut par erat cognito, cultum utut superstitiosum exhibuisse. Nam Apostolus postquam Athenas venerat, enormem superstitionem quæ urbem hanc invaserat, diligenter observavit, & aras Diis Gentilibus præpostero pietatis studio copiose extructas studiose perquisivit, atque earum unam IGNOTO DEO consecratam atque inscriptam deprehendit, qua inscriptione Verum Numen indigitari intellexit. Ita enim ipse in Areopago constitutus loquitur ad Viros Athenienses: *Διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο; Αγνώστῳ Θεῷ. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν.* Non vero attinet hic varias Interpretum commentationes super hunc locum cumulare, & veluti crambem reponere. Maximam enim partem ita se habent (bona venia dictum sit) ut vel suspectæ fidei a cordatis merito habeantur, præsertim quæ Jesuita Salmero in expositione hujus loci ex Hugone & Lyrano affert de Dionysio Areopagita, cujus Scripta supposititia & haustam exinde de eo narrationem fabulosam esse arguit Rivetus *Crit. Sacr.* lib. I. cap. IX. & alii plures ibidem nominati; vel magis conjectanter quam vere dicta videantur, neque satis cum Textu congruant, veluti inter alia sunt, quæ leguntur apud Cornelium a Lapide, hausta ex Hilduino Archiep. Rhemensi, in *Vita S. Dionysii*. Id vero studebimus efficere, Athenienses Vero Deo hanc posuisse aram, ac deinceps, qua occasione hoc ab ipsis factum sit, exponere allaborabimus.

IV. Quod si vero nihil quicquam, sola certe nos moveret Apostoli Autoritas, quo minus faciamus cum Salmerone, qui D. Hieronymum secutus, aram hanc non Ignoto Deo, ut Apostolus asseruit, sed, ut habet Hieronymus *ad cap.* I. *Ep. ad Tit.* DIIS ASIÆ & EUROPÆ & AFRICÆ, DIIS IGNOTIS & PEREGRINIS inscriptam fuisse vult. Deceptum enim utrumque hanc opinionem hausisse ex Philostrato & Pausania alii jam observarunt; quibus addi possunt Græca Scholia a Beza citata. Ita enim Philostratus, libro VI. *Hist. de Vita Apollonii*. *Ἀθήνησιν*, inquit, *ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται*; & Pausanias *Eliacorum* primo cum de aris magnis & parvis in Olympia & Jove Olympio, *πρὸς αὐτῷ*, ait, *δ' ἐστὶν ἀγνώστων θεῶν βωμός*. Scholia vero Græca hanc afferunt inscriptionem: *Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, Θεῷ Ἀγνώστῳ καὶ Ξένῳ*. Quæ fere gemina est Hieronymianæ; quæ enim pars Orbis hodie Africa dicitur, eadem Priscis Libya erat, quod vel ex Lucano, nono *Pharsaliæ* patet. Sed nullum hic Scholiastes testem profert, nec ipse, ut innuit Beza, *αὐτόπτης*. Neque vero fraudi nobis sunt Philostratus & Pausanias, concedimus enim utrique fidem, nec quicquam vetat cum H. Grotio *Com. ad h. l.* credere, fuisse Athenis aras multitudinis numero inscriptas, fuisse & unam unius numero. Et maxime fit verisimile, Athenienses, quod præter exemplum erant superstitiosi & *πολυθεότητι* addicti, ultra propria sua idola Deos quoque aliarum Gentium, sibi nomine & progenie ignotos coluisse, ipsisque hoc nomine rem sacram fecisse, quod testatur Philostratus cit. non quidem ut prodessent, sed metu ne nocerent, quemadmodum vis & origo vocis *Δεισιδαιμονίας*, de Atheniensibus ab Apostolo hic usurpatæ insinuare videtur, & approbat Erasm. Schmidius in *Comment.* Enimvero inscriptionem,

A de qua nunc nobis est sermo, *ἑνικῶς* fuisse conceptam, Sacri Scriptoris credere nos jubet *αὐτοπτία* & verborum clara & perspicua ratio. Nec vero mihi officit Hieronymi Auctoritas, qui Apostolum ad inscriptionem numero *πληθυντικῷ* conceptam respexisse putat. Nam ab ipsis Græcis Patribus, nominatim Chrysostomo & aliis refellitur, qui inscriptionem numero *ἑνικῷ* conscriptam, quippe ad quam respexerit Apostolus, retinent ac tuentur; ut indicavit Excell. & celeberrimus Polyhistor DN. SCHURZFLEISCHIUS nobis summopere suspiciendus. Et fidem nobis insuper facit Dialogus, qui *Philopatris* inscribitur, & in-
B ter Luciani opera reperitur, Luciano tamen a multis abjudicatur, revera tamen perantiquus est, & merito hic laudatur. Autor vero Dialogi non tantum per Deum Atheniensium ignotum jurat, sed & in fine Dialogi ait: *Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσαμεν.* Et vero similius est, inquit B. Glassius, *Rhet. S.* tr. II. cap. VII. in singulari inscriptionem illam aræ formatam fuisse; si enim secus esset, procul dubio Paulus occasionem inde sumsisset, *πολυθεΐαν* Gentilium prius perstringendi, quam de uno vero Deo sermo-
C nem fecisset.

V. Neque vero alium, quam verum Deum, summum illud præpotensque Numen quod sui sensum humanis mentibus insevit, Athenienses hac *ἐπιγραφῇ* voluisse profiteri, *συνάφεια* Apostolici sermonis indubium facit: *Ὃν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ*, inquit Apostolus, *καταγγέλλω ὑμῖν.* Non autem annunciavit *εἴδωλον* aliquod aut *Δαίμονα*, vel aliud Gentile numen, sed Deum *ποιήσαντα τὸν κόσμον, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ*; qui est *Κύριος ὑπάρχων οὐρανοῦ καὶ γῆς*; ut habent ibidem verba. Neque hoc sine autoritate dico; ita sentiunt post Veteres B. Waltherus in *Miscell.* Qu XC.
D Heinsius in *Exercit. S. ad h. l.* Dietericus in *Antiqq. Bibl.* Calovius in *Bibl. Ill.* & alii. Non tamen propterea mihi fit verisimile, quod salva illorum qui aliter existimare videntur autoritate dictum velim, Judæorum Deum præcise voluisse denotare aræ hujus Autores, quem idcirco ignotum dixerint, quod Judæi nomen ejus *τετραγράμματον*, quo eum invocabant, tam studiose occultabant, neque in vulgo efferebant, veriti ne Gentilium Id ludibrio exponeretur, vel etiam in populo Dei vilesceret. At vero nullum ullibi legitur vestigium, voluisse Gentiles aut Athenienses eundem cum Judæis Deum colere, secus placide admisis-
E sent Apostolum, quem Judæum eumque doctum esse non facile ignorabant, & ex eo instructionem in religione Judæorum sollicitassent, neque tantopere eum ut spermologum & novorum Deorum annunciatorem traduxissent & irrisissent, veluti factum esse Hist. Sacra refert. Et credibile est, instituturum fuisse Apostolum sermonem suum de Deo Judæorum, vel saltem hunc dicendo attigisse, secus quam fecit. Equidem novisse Athenienses Verum Deum, eumque hujus aræ inscriptione designasse, deinceps plenius constabit; hunc vero eundem esse quem etiam Judæi colant, ipsi ignorabant, quod vel ex Lucani Hemistichio cla-
F rum est, quo *dedita sacris incerti Judæa Dei* dicitur in secundo *Pharsaliæ*, sive *de Bello Civili*; quod ignoretur quem Deum Judæi colant. Plutarchus vero in *Symposiacis* quarto ex tabernaculorum festo Bacchum fuisse conjectabat: Alii Saturnum, ut est apud Tacitum in quinto *Historiarum*: Alii (quod infandum dictu) asinum agrestem, qui ipsis inopia aquæ & siti fatigatis largas aquarum venas monstraverit. Ut est apud utrumque. Neque enim poterant Gentiles ex cultu Judaico, qui a Deo

rum Gentilium cultu immane quantum diſtabat, certi quid colligere, nec aliunde de eorum religione quicquam ſcire; quin potius Judæis, qui ſermonis genere, morum rigore & elegantia cæteriſque inſtitutis ab omnibus terræ populis erant ſeparati, inviſi magnopere Gentiles, hi illorum religionem ut ſuperſtitioſam & abſurdam ridebant, eorumque mores ut ſordidos & parum convenientes proclamabant, quod ſtrenue facit Tacitus, mendaciorum (ut Septimius ait) loquaciſſimus, qui *loco cit.* multa comminiſcitur ridicula de Judæis & eorum ritibus; quod pariter Senecam feciſſe & Judæorum ſacramenta reprehendiſſe Auguſtinus ſcribit ſexto *de C. D.* cap. XI. Juſtinus quoque *lib.* XXXVI. multa vana de Judæis & eorum inſtitutis fingit; & alii plures profani Scriptores. Tantum abeſt, ut Athenienſes per ignotum Deum Judæorum voluerint intellectum.

VI. Verum nihilominus æternumque Numen, quod neque mutabile neque interiturum eſt, idemque adeo cum Judæis, ſed diverſa ratione cognitum, diverſoque modo honorarunt. Nec diu quærendum eſt, opinor, qui factum fuerit, ut Athenienſes ſuperſtitionis & idololatriæ quædam quaſi mancipia, & a vera religione immane quantum remoti, Vero tamen Deo cultum tribuerent, eumdemque ignotum profiterentur. Proclivis eſt & aperta hujus rei ratio. Et ſi teſtimoniis pugnare prius licet, maxime in hanc rem facit, quod Apoſtolus Dei notitiam hominum mentibus eſſe inſcriptam teſtatur, *Rom.* I. Et iterum ex operibus dicit potuiſſe Gentiles agnoſcere Deum ejuſque æternam potentiam. Enimvero poſſe hominem, qui non deſes eſt naturæ ſcrutator, tametſi revelato lumine deſtituatur, ſola rectæ rationis opera Deum tum ex natis ſecum principiis, tum ex attenta rerum, quas orbis ambitus claudit, inſpectione cognoſcere, poſt omnes accurate demonſtravit Excell. DN. DONATI Patronus ac Præceptor noſter æternum colendus in *Theologia naturali* publico omnium uſui nuper expoſita, quæ huc transferre multum quidem conduceret, ſed anguſtia paginarum iniqua prohibet. Atqui vero non potuiſſe tantum hiſce fontibus, imo & vere cognoviſſe Gentiles Deum, primum rerum omnium Autorem, non niſi illi ignorant, qui prorſus ſunt hoſpites in Antiquitatis hiſtoria & veterum Sapientum ſcriptis: In quibus eminere deprehenduntur, quos hac in parte Chriſtianos ſcribit, (forſan melius Chriſtianis proximos dixiſſet) Juſtinus in *Apolog. ad Anton. Imp.* Plato ſcil. atque Socrates, Attici, (Ariſtoteles enim Stagirites non eſt Platonem ſecutus, nam ſecum ipſe diffidere, & ſibi invicem repugnantia dicere & ſentire videtur. In ſumma tamen unam mentem mundo præeſſe & omnium cauſam ſtatuit. Providentiam autem vel negat vel certe dubiam relinquit; obſcurorum enim verborum involucris ſuam mentem propoſuit; & idcirco omnino certi aliquid de Deo ex Ariſtotele afferri non poſſe, ſentiunt eruditi, nominatim Gyraldus & Voſſius) Cicero vero & Seneca apud Romanos. Quibus accenſeri meretur Marcus Antoninus Imperator gentilis in egregio libello, quem Græco idiomate conſcripſit, & in duodecim capita diſpoſuit, quibus multa de Deo ejuſque Providentia interſperſit, quæ notari merentur. Horum autem teſtimonia de cognito ipſis naturaliter Deo huc apponere nihil attinet; hunc vero laborem ſuum imprimis fecit Auguſtinus Steuchus, qui in ſecundo *de perenni Philoſophia* multa, quæ ad hoc argumentum pertinent, non infeliciter congeſſit. In eo tamen a Voſſio notatur, quod genuinis Scriptoribus adulterinos ſecure permiſcuerit, nominatim Triſmegiſti & Sibyllarum ſcripta, quæ ſpu-

A ria eſſe atque conficta multi graves Viri putarunt. De Sibyllinis quidem Carminibus id fuſe oſtendit David Blondellus in *de Sibyllis*. De Triſmegiſto vero poſt Caſaubonum *Exercit.* I. *ad Annal. Bar.* celeberr. Conringius lib. *de Hermet. medic.* cap. IV. Mentionem tamen injiciunt hujus Triſmegiſti Plato, Cicero, & alii Scriptores antiquiſſimi & magnum apud Ægyptios Theologum fuiſſe affirmant: Confer. Gyraldus Syntagm. IX. *Hiſt. D.* Et Priſcæ etiam Eccleſiæ Doctores paſſim hæc ſcripta ad partes advocant & contra Gentiles urgent. Sed quidquid ſit de eo, hoc certum aliunde & exploratum eſſe apud omnes a partium ſtudio alienos B poteſt, *quod Gentilis etiam religionis cultores*, ut Voſſii verbis agam, *ex hac rerum machina ac ſe ipſis quoque, velut minori mundo eo ratiocinando adſurrexerint; ut viderent eſſe unum quid, quod foret a nullo, nec ab ulla ante eatur antiquitate: quod ſolum vere ſit, cœteris inde quod ſint participantibus; ab hoc poſſideri ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, omnemque perfectionem; cunctaque hæc convenire ſummo Regi ac Principi, cujus beneficio etiam, multiplici adeo agitatione motarentur, ſuoque aera hunc reciprocarent ſpiritu, & præcipue divinum illud obtinerent, quod mentem vel rationem dicimus; proinde hunc ſe* C *cunctorum opificem, hunc hominis atque univerſi moderatorem amare, ſuſcipere, intimoque animo amplexari ac colere perpetuo oportere.* Nec temere hoc a nobis dici, ipſa Gentilium confeſſione comprobatur, quorum nemo, Cicerone ipſo Gentili teſte, lib. I. *de D. N.* tam erat immanis, cujus mentem non imbuerit Dei Anticipatio ſeu Prænotio, uti interpretatur Epicureorum πρόληψιν. Neque multos illi quidem, ſed unum ſæpiſſime, imprimis cum ſeria res eſſet, animo conceperunt, qui ſit ſummus & ſupremus, & ad cujus arbitrium cuncta geruntur, quod apud Homerum philoſophiæ pleniſſimum obſervatur. Clariſſime Antiſthenes Socra- D ticus in eo libro, qui *Phyſicus* inſcribebatur, populares Deos multos, naturalem non niſi unicum eſſe dixit apud Ciceronem in primo *de N. D.* & Epictetus apud Arianum diſcendum eſſe ante omnia ait, Unum eſſe Deum, omnia regere, omnibus providere, quicquid vero faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere poſſe. Orpheus etſi fœcundus fuit in fingendis Deis, ut eum πολυθεότητα primum introduxiſſe multi exiſtimant; poſtea tamen ad meliorem rediit mentem, & in *hymno ad Muſæum*, quem ſupremam ejus ſententiam eſſe volunt, canit:

E

Εἷς δ᾽ ἔς᾽ αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Οὐδέ τις ἔσθ᾽ ἕτερος χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.

Eum ſecutus eſt Theognis, & hujus σύγχρονος Phocylides, qui in carm. adm. εἷς θεὸς, ait ἐςὶ σοφὸς, δύνατος θ᾽ ἅμα καὶ πολύολβος. & Sophocles: εἷς, ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐςὶ θεός. Quin ſuo aliorumque Gentilium nomine in Epiſtola, quæ inter *Epiſt.* Auguſt. eſt XLIII. loquitur ad Auguſtinum Maximus Philoſophus: Equidem unum eſſe De- F um Summum atque Magnificum, quis tam demens tam mente captus neget eſſe certiſſimum. Atque eadem mens fuit Philoſophorum aliis non paucis, qui Deum eſſe qui cœlum terramque fundaverit, & quæ nos gerimus audiatque & videat, teſtati ſunt, & propterea ad eum magnificandum orationibus ac ſacrificiis natura nos obligari intellexerunt, ut loquitur Averroes *in primum de Cœlo*, Socrati morem gerens, qui Deum colere vocat legem, quæ apud omnes homines valeat. Plato in *Phædro*.

VII. Atque ita viderunt quidem Gentiles par-

tiam traditione, partim rationibus edocti, esse Deum, cujus judicio & numine, quæcumque fiunt, geruntur, quique coli a nobis vellet: Verum cum præpostera ratione ulterius inquirere pravis aliis opinionibus præoccupati satagerent, qualis ille Deus esset & quæ ejus divinæ naturæ ratio, infinitam & profundissimam Divinæ potentiæ, Sapientiæ, Sanctitatisve deprehenderunt abyssum, nulla humana ratione exhauriendam, nedum ipsorum mentibus, quæ inscitiarum tenebris undiquaque erant obnubilatæ, quibusve quamplurimi & velut hæreditarii de Sanctissimo Numine errores insederant. Et quamvis fuerint nonnulla bene nata ingenia, quæ in hujusmodi rebus altius penetrare & divinius sapere potuissent; mox tamen grave ipsis fuit inquirere in divina; & quod vel rectam viam non tenerent & naturæ vestigiis non ut par erat insisterent; vel laboris molestiam fugerent; vel in fœdas despumarent libidines & voluptatibus diffluerent; vel denique id per publicam receptamque semel superstitionem non integrum esset, a rerum divinarum meditatione retrahebantur ad vana ipsorum commenta. Alii tot Sententiarum dissimilitudine transversim rapiebantur, nec quid decernendum sit discernere poterant. Hinc tametsi vere cognoscerent Deum, eumque in opere elucentem viderent; mentes tamen plerorumque excœcatæ ad res divinas æque se habebant, ac oculi vespertilionum se habent ad lumen solis, ut loqui amat Aristoteles II. *Met.* I. Et quo magis has mente assequi contenderent, tanto gravioribus sese involverunt difficultatibus, quibus cum se feliciter, revelata luce destituti, extricare non poterant, animi eorum attoniti hærebant, neque quid de Deo statuant, quove eum appellent nomine, habebant. Quod quam vere a nobis dicatur, arguit illud Simonidis factum, de quo cum quæsiisset Tyrannus Hiero, qui aut qualis sit Deus? deliberandi causa sibi unum diem postulavit; cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit; & cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret rei causam, quia, respondit ille, quanto diutius considero & acrius mentem intendo, tanto mihi videtur res obscurior; ut est apud Ciceronem *loco cit.* Et ipse hic Romanorum doctissimus, qui de Deo rebusque divinis egregie sapuit, & non raro optime statuit, summam tamen inscitiam hac in parte confitetur. Et hanc ob rem quod Sai erat Principis Deæ fanum ita inscribebatur: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον. Καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. Autor est Plutarchus in libello eruditis valde approbato *de Iside & Osiride*. Et observavit Gyraldus, Deum innominabilem passim ab antiquis nuncupatum; quod Plato ita effert: Θεὸς ἄρρητος καὶ ἀνωνύματος; & Apulejus hoc modo interpretatur: *Deus indicibilis & innominabilis*. In *Parmenide* Plato Deum non definiri posse perhibet, non scientia capi, quocirca neque nominari neque dici posse, neque cogitatione comprehendi. Et alibi summum Deum nec scribi unquam nec dici posse fassus est, ut prodit Plotinus *Enn.* VI. *lib.* IX. Hinc Martianus Deum ἀγράμματον appellat, qui literis scribi nequeat, notante Gyraldo. Quin & multo ante Platonem Trismegistus, si vera ejus sunt scripta, & ipse Θεὸν ἀνώνυμον dixit, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύνατον ἀνθρωπίνῳ στόματι λεληθεῖσαι, in *Asclepo*. Qua ex re & Apollinis Delphicum Oraculum ita cecinit, οὗ τὸ ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ut rursus habet Gyraldus primo *Syntagmate*.

VIII. Quæ cum ita se omnino habeant, jam non amplius Divinationis res est, definire, qui fuerit ille IGNOTUS ATHENIENSIUM DEUS. Nempe per-

A sentiscebant Athenienses, saltem qui non omnem humanitatem exuerant, se quotidie tot tantisque beneficiis superfundi, qualia nec ipsi promerebantur, nec a Diis suis expectare & sollicitare sustinerent, vel certe petita ab iis non consequerentur: Spectabant, & supra & intra hunc terrarum & marium globum se diffundentes, naturæ adeo ingentis, ac nihilominus formosæ, ordinem dispositissimum, vires innumeras, nec capacissimo hominis ingenio comprehensibiles, inque cunctis constantiam plane singularem & admirabilem; Quæ & alia multa innumera non nisi a præstanti aliqua æternaque natura, ut Ciceronis verbis a- B gam, quæ sola sit sapientissima & egregie erga hominum genus affecta, rerumque omnium curam gerat exquisitissimam, hoc est, a solo Deo proficisci advertebant. Cujus & æternam virtutem in se ipsis expressam, quam conscientiam vocant, sentiebant, qua eum suspiciendum celebrandumque confiteri cogebantur; & hunc eundem Deum a tot sapientissimis & in rebus gerendis spectatis Philosophis inculcari animadvertebant; neque tamen vel oculis cernere vel manibus contrectare, neque mentibus comprehendere immensam ejus & incontiguam Divinitatem poterant; nec habebant quo ipsum, nisi Deum communi apud se no- C mine, appellabant, cum cætera numina suis certis nominibus compellare possent; ejus denique colendi modum & rationem nesciebant, cum reliquis sua peculiaria sacra ritusque assignata haberent. Sed cum nihilominus huic Deo religiosum cultum exhibere fas justumque ducerent, & ad id se multis beneficiis occultoque instinctu obligari recte putarent; factum est ut eum tamquam IGNOTUM DEUM superstitiosa sua veneratione honorarent. Atque huc etiam facit illud Epimenidis Cretensis inventum; Nam cum Athenienses gravi peste correpti se colendis Diis Patriis fatigassent, & ni- D hil ab iis opis impetrassent, Epimenides facile ex iis quæ supra exposuimus intellexerat, præter Atheniensium numina, esse & alium supremumque Deum, qui maximam habeat potentiam, & forsan hujus afflictionis Autor sit, quapropter sacra facere jussit Θεῷ προσήκοντι, id est, *Deo convenienti*, ad quem hæc res proprie pertineret, quive potestatem haberet pestilentiæ averruncandæ, qui non est alius quam Verus Deus, penes quem vitæ & necis est arbitrium, sed Epimenides eum convenientiori nomine appellare nesciebat; ut est apud Laertium in *Epimenide*. Fallunt vero illi, qui existimant, aram de cujus inscriptione ha- E ctenus tradidimus, esse eandem, quæ monito Epimenidis pestilentiæ tempore sit erecta. Non enim ἀγνώστῳ, sed προσήκοντι Θεῷ sacrificare jussit Epimenides; neque Laertius ullam meminit aram cum inscriptione ἀγνώστῳ Θεῷ facta, sed βωμοὺς ἀνωνύμους *aras absque nomine inscripto*. Non tamen negaverim, eumdem utrobique Deum fuisse intellectum. Non absimili ratione res se habebat apud Romanos, qui cum terra tremeret, id Divinæ potentiæ argumentum esse facile senserant, incertum vero ignotumque Deum esse, per quem terra moveretur, ad populum pronunciarunt, cum tamen non ignorarent, sapientiores præsertim, F quod Cicero satis arguit, terræ motum ejus Dei opus esse, qui universæ naturæ ut supremus moderator præest, & rerum causas ita disposuit & ordinavit; id vero populo manifestandum non censuerunt, ne abstraheretur a consueta religione, & Deos Patrios, quos summa animi veneratione amplecteretur, quorumque metu coercendus esset, postea contemneret, quemadmodum retulit A. Gellius *l.* II. *c.* XXVIII. Denique ad institutum nostrum declarandum & confirmandum

pertinet illud Ovidii, qui cum traditione acceperat, mundum esse a Deo conditum, nec tamen quis ille Deus sit, satis cognoverat, neque eum proprio aliquo nomine ex more Gentilium appellare poterat, Quisquis fuit ille Deorum, ait in primo *Metamorph.* quo sibi ignotum hunc Deum profitetur, aliquo tamen modo cognitum; cognitum confuse & potentia, ignotum distincte & actu, ut distinguere docet Aristoteles 1. *post. Anal.* c. 1. Longe autem ab hoc nostro instituto differunt illi Dii Gentilium incerti, quibus hoc nominis ideo inditum est, quod incerta eorum sit Divinitas, nec certa eorum ratio reddi possit, qui sint; cum Dii certi illi essent, de quibus nullo modo dubitari potest, veluti est Sol, Luna, Terra & cœtera. De utrisque egit Varro in iis libris, quos rerum divinarum & humanarum scripsit, ut memorat Augustinus lib. VII. *de C. D.* c. XVII. Add. Lud. Vives in *Notis* & Lilius Gyraldus *l.c.* Diversissimi etiam sunt Θεοὶ Ξένοι vel Ξενικοὶ, quos Cicero Deos Alienigenas & Hospites appellare videtur, in quorum honorem Theoxenia celebrabantur, de quibus Pausanias in *Achaicis*. De iis etiam egit Casaubonus *in Athæneum lib.* IX. *cap.* III.

IX. Ex iis igitur, quæ hactenus disputavimus, clarum esse unicuique potest, qui mente utitur, agnovisse Athenienses pariter ac cœteros Gentiles, Deum Optimum Maximum, ejusdemque æternam & immensam Divinitatem pio instituto colendam putasse. Et nequicquam contra nos efficiet, qui hæc veritati parum consentanea & adversus experientiam esse dixerit, eo quod Athenarum cives tam nefandas superstitiones naturali Dei notitiæ oppido quam contrarias foverint, & quemadmodum in ingressu attigimus, tot millia numinum religiose adoraverint, quæ consistere cum vero Deo neutiquam possint. Sed qui recte rem æstimat, & ea quæ diximus & dein dicturi sumus probe tenet, expeditam hujus rei rationem & in promtu esse intelliget. Nam πολυθεΐα apud Ethnicos non rationis error fuit, cum nihil ullius momenti adferre valent ejusdem Patroni, cur plures quam unum statuere Deum potius conveniat; se lapsus erat turpissimus imperiti vulgi pauca ex veritate, ex opinione pleraque æstimantis. Et Philosophi certe solo lumine naturæ ducti facile intellexerunt, errore populorum factum esse, ut tot Dii inducerentur, idque multis displicuisse testatur Augustinus lib. VI. *de C. D.* c. 1. aliorum testimonia producit Coqueus in *Commentariis ad hunc Augustini locum*. Quamobrem cordatiores sæpe salse irriserunt, quæ de Diis horumque cultu adeo absurde tradita sunt, quod palam facit Lucianus, præsertim in eo Dialogo, qui *de Sacrificiis* est, idemque fecisse sed clanculum Euripidem accepimus. Plato passim notat vanitatem πολυθεΐας; itemque Seneca graviter invehitur in Deorum multitudinem. Sed & Cicero in suis *de Natura Deorum*, quamvis ex instituto Academicor. nihil definiverit, futilitatem tamen Deorum ita ostendit, ut non pauci mussitarint, statui debere per Senatum, ut illa Ciceronis scripta penitus aboleantur, testis est Arnobius citatus. Nec dubium est, multo acrius insectatos fuisse hanc impietatem Philosophos, si per publica judicia & præposterum populi zelum impune ipsis licuisset. De Platone quidem constat, quod quamvis Deos populares non agnosceret, metu tamen populi eo abripi se passus est, ut iisdem sacrificaret, (quod videre est ex libb. VIII. & XII. *de L. L.*) & morte Doctoris sui deterritus sæpe opinionem populi est secutus; & confessus est, quod veram de Deo opinionem propter ignorantiam plebis proferre securum non sit. Socrates enim eo quod Deos non existimaverit esse, quos civitas coluit, ab Anyto & Melito impietatis accusatus, ab Atheniensibus autem, ducentis & octoginta sententiis pluribus, quam absolveretur, ad Cicutam fuit damnatus, ut est apud Ciceronem in primo *de Oratore*. Ut autem meliora a falsis utcumque discernantur, tradita Deorum in tria genera distribuerunt Prudentiores, naturale, civile, & fabulare, quorum primum hauritur ex Naturæ mysteriis, alterum ex Legislatorum decretis, tertium ex Poetarum figmentis, ut habet Augustinus quarto *de C. D.* c. XXII. & ex hoc Vossius lib. II. *de Idololatria Gent.* cap. 1. Nam inter præcipuas πολυθεΐας causas fuisse Poetarum effrænatam fingendi licentiam & libidinem, omnium constans est sententia, quod Herodotus antiquissimus Scriptor suo jam ævo agnovit, cujus verba in *Euterpe*, ut Latine ea refert Gyraldus *loco cit.* ita habent: *Unde singuli Deorum extiterint, an cuncti semper fuerint, aut qua specie, hactenus ignoratum est, nisi nuper atque heri, ut sic dicam. Nam Hesiodus atque Homerus, quos quadringentis non amplius annis ante me opinor extitisse, fuere, qui Græcis Deorum prolem introduxerunt, eisque & cognomina & honores, & diversa artificia & figuras attribuerunt*: hæc Herodotus. Hinc Homerum apud inferos torqueri dicebat Pythagoras propter fabulas de Diis inventas, ut refert Cicero. Et hanc causam esse existimo, quod Plato decimo *de LL.* Poetas e Rep. exterminandos voluerit. Aliæ præterea redduntur rationes, quo pacto vana hominibus irrepserit religio, ut plures Deos coluerint; eas vero hic prosequi non licet, videri autem possunt apud Ciceronem secundo *de N. D.* Gyraldum Syntagmate primo *Hist. Deor.* Klozium Disp. VI. *Theologiæ Naturalis*. Inter omnes vero has causas non postrema est, quod rudes & simplices homines, cum Deum & Creatorem videre non possent, ad visibiles creaturas prolapsi, & nimia earum admiratione abrepti non universam modo naturam, sed singulas quoque partes pro numinibus habuerunt. Ac similiter homines bene meritos, & qui magna & admiranda vel virtutum, vel cœterarum rerum præclara facinora efficerent, fœda adulatione in Deos retulerunt. Tanta mentes invasit dementia, sæpe etiam eorum, qui sapientiæ haberentur Antistites. Atque hac de re egit Gerh. Jo. Vossius V. C. per totum laudatissimum opus *de Origine & progressu Idololatriæ*.

S. D. G.

F I N I S.

JACOBI SPONII,

MED. DOCT. COLLEGIO MEDICORUM LUGDUNENS. AGGREGATI,

IGNOTORUM
ATQUE OBSCURORUM QUORUNDAM
DEORUM ARÆ,
NOTIS ILLUSTRATÆ.

CUM QUORUMDAM ERUDITORUM EPISTOLIS AD EANDEM REM PERTINENTIBUS.

D. GEORGIO WHELER,

NOBILI ANGLO,

ANTIQUITATIS STUDIOSISSIMO,

MIHIQUE AMICITIÆ JURE CONJUNCTISSIMO,

JACOBUS SPONIUS

SALUTEM.



IGNOTI Dei aram, quæ olim Divo Paulo orationis ad Areopagum materiam ſuppeditavit, fruſtra a nobis Athenis quæſitam noſti, *Vir amiciſſime*, nec quidem ullam recentem Inſcriptionem ad illius imitationem, ut nobis imponere voluit recens Athenarum deſcriptor, perſuaſus forte a Seldeno qui libro *de Diis Syris* ſuppoſititiam iſtam obtrudit, quaſi Athenis extaret; ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ ΘΕΩΙ ΑΓΝΩΣΤΩΙ ΚΑΙ ΞΕΝΩΙ, Id eſt, *Deis Aſiæ & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto & peregrino*. Purum putum figmentum. Verum illius loco, ut te Athenis reducem inſolito aliquo xenio excipiam, en Deorum aliquot per orbem cultorum Aras, nobis quidem fere ignotorum, cultoribus vero apprime cognitorum, cum e contra Athenienſibus ignotus Deus ille eſſet, quem ipſis prædicabat Apoſtolus.

Nullus autem dubito, quin hæc Antiquitatis venerandæ monimenta liber ſis accepturus: cum alia ejuſdem generis inviſendi & inquirendi cauſa, mecum Græciæ peregrinationem ſuſceperis, longam, difficilem, periculoſam. Non dixerim *faſtidioſam*, ſiquidem itineris moleſtias eximebant, plus quam quater centum Græcæ Inſcriptiones nobis detectæ perluſtratæque. Meminiſtine, *Vir amiciſſime*, quanta cum voluptate ingentem illum Sarcophagum Thyatiræ obſervabamus, quantaque ſollicitudine nos afficiebat ille Turca, qui vel ſimulatione vel ſuperſtitione quadam, prohibere volebat quominus inſculptum epitaphium deſcriberemus. Qua etiam perfuſi lætitia, & alacritate locos illos celebres, nunc fere tantum nomina luſtrabamus, Delum, Trojam, Epheſum, Delphoſque in ſuis ruderibus ſemi-ſepulta. Tandem laboribus noſtris finem faciamus, contenti in muſeo peregrinari, modo cum Oleario Perſidem obambulantes, modo cum Busbekio Turciam percurrentes, modo cum Bellonio Ægyptum petentes, moxque Schedas noſtras revolventes. Interea dum ad tuos perveneris, habes hic quod mediteris; quod ſi omnia aſſequi non poſſis, illud tamen capias quæſo, me tibi Amicitiæ obſequiive ſymbolam libens animo dedicaſſe. Γάσυ, μάτιαμυ, ὁ Θεὸς νὰ δώσῃ νὰ πάεις καλᾶ εἰς τὸ τόπον συ, καὶ νὰ εἶναι πολύχρονος.

Lugduni, pridie Idus Septemb. 1676.

MONITUM
AD
LECTOREM.



ON ea mihi mens fuit, candide Lector, ut Deos omnes ignotos, obſcuriſve cognominibus inſignitos hic insererem. Alias apud Gruterum eorum turbam offendiſſem, Bacurdum, Corniſcam, Endovelicum, Latobium, Voſegum, Sebethum, Surgaſteum, Jovem Eiazium, Ladicum, Saranicum & Dolichenum, Martem Britovium, Ciradinum & Leucetium, Mercurium Arcetium, Artajum, alioſque quamplures. Verum id potius cogitavi ex his quæ in ipſius Theſauro *deſiderantur oſtendere quantum ſpicilegium nobis adhuc reliquerit: Siquidem ex ſolo Deorum titulo, atque ex eis ſolum quorum ignota obſcurave fama, non parvum numerum proferre poſſum, intra aliquot annos quibus huic collectioni Gruteriani ſupplementi animum applicui. Collegerat certe ut audii Inſcriptionum ſex millia Doctiſſimus Reineſius, eaſque nunc in lucem prodituras ſperamus. Ter mille J. Baptiſta Donius Florentinus, mille Peireskius, bis mille Cardinalis Barberinus, & totidem Vir magnæ eruditionis Nicolaus Heinſius: ego qui inter eos ſtrepo velut anſer inter olores, Latinas ſaltem ter mille, Græcas ſexcentas. Unde conjici facile poteſt ex iis ejuſdem atque Gruterum molis emerſurum eſſe volumen. Hæc te volebam, Lector, neſcius ne abires. Vale.*

INDEX ARARUM,

QUÆ IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR.

J A-

JACOBI SPONII,


MED. DOCT. COLLEGIO MEDICORUM LUGDUNENS. AGGREGATI,

IGNOTORUM ATQUE OBSCURORUM QUORUNDAM DEORUM ARAE, NOTIS ILLUSTRATÆ.

GENEVÆ.

Ara prope fluvium Arvam effossa.

I. JOVIS CINGIDVI.






AB *Jove principium, Musæ, Jovis omnia plena*. Plena scilicet ejus delubris, aris, statuisque;subque variis cognominibus colebatur Jupiter Optimus Maximus, pro variis locis ubi ejus cultus peculiariter vigebat, proque diversis beneficiis quæ mortalibus concedi ab ipso credebant gentes superstitionibus deditissimæ. Sic Jovis Tonantis, Fulguratoris, Custodis, Statoris, Capitolini epigrammata passim videre est in antiquis monumentis. Sed quid sibi velit insolens istud epitheton, Iovis optimi maximi *Cingidui*, cui *Stabulo & Aulus* aram dedicaverant, assequi perarduum. Est quidem pagus, Geneva horis distans non amplius quinque, *Gingin* vocitatus, a quo quidem derivari posset, si modo de nominis illius loci antiquitate constaret. An vero potius Jupiter Genevæ cultus *Cingiduus* dictus esset *a cingentibus* eam urbem montibus circumvicinis. Sed leves nimium conjecturæ, ignotique Dei primum occupet locum, donec solertior aliquis eum divinarit. Depravata cæterum hæc Inscriptio apud Guichenon *Histor. Sabaud.* typographorum forte vitio. Sic enim ibi legitur *Jovi O. M. Cingi duo & Aulus*, divisa scilicet hac voce *Cingiduo*, & sequenti *Stabulo* omissa.

II. JOVIS TARANUCI.

Sibenici in Dalmatia.



Nec facilius Jovem istum in Dalmatia cultum, barbaroque nomine *Taranucum* indigitatum cognoscere valebimus, cui *Arria Successa* nobis non minus ignota votum solvebat. Sic ergo cum Jove suo valeat, nosque ad alia properare concedat, animo revolventes quod apposite dixit Arnobius contra Gentes, *Tot esse monstra quot Jovis nomina*.

III. JOVIS FAGVTALIS.

Romæ, fragmentum in horto S. Sylvestri.

..... AVGVST. VICI IOVIS
FAGVTAL.
..IMP. NERVA DIVI NERVAE
TRAIANO
....ICO PONT. MAX. TRIB.
POT. XIII. IMP. VI.
..... POLLIONIS TRIB. PLEB.
AED. REG. III. VETVSTAT.
....GISTRI ANNI CXXI. SVA
IMPENSA RESTITV...
.... PHOEBVS A. NONIVS
A. L. ONESIMVS
....CALLISTVS L. VALERIVS
EVTICHVS.

Fagutalis Jovis sacellum a Fagu arbore ipsi sacra, quæ intus servabatur, a Festo, Varrone, Plinioque memoratum est: sed ideo omittere visum

sum non est, quod in aliis antiquis marmoribus non occurrat. Statuitur autem a Publio Victore in quinta urbis regione, non autem in decima ut habet Rosinus, delubrum istud. Hæc autem Inscriptio sculpta fuit, in alicujus ædificii restaurationis memoriam, Trajano Augusto imperante Tribunitiaque potestate decimum tertium gaudente, a quartumviris sub finem memoratis.

IV. JOVIS PECORALIS.

In insula Naxo

Supra montem, ad ingressum cryptæ scriptum.

ΟΡΟΣ

ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ.

Id est:

Mons

Jovis Pecoralis.

Excellentissimus D. Marchio de Nointel, Regis Christianissimi ad Turcarum Monarcham Legatus, insulas Archipelagi perlustrans pervenit ad *Naxon* nunc *Naxia* vocatam, ubi montem insulæ eminentiorem conscendens, in vertice reperit cryptam a natura in rupe cavatam, in cujus ingressu superscripta erat hæc Inscriptio, ΟΡΟΣ ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ, quam explicavit *Mons Jovis Pecoralis*: *μῆλα* enim Homero, *pecora* seu *oves* dicuntur, *μηλωτὴς ovium pastor*, Hesychio: Sed quam ob rationem insulsi illi Naxiotæ Jovi suo pecorum custodiam commiserint ignorare me fateor, quid enim Jovi cum ove? An forte quod is infans caprarum lacte nutritus esset, capras postea in protectione sua habere voluerit? Illæ enim sub pecorum genere comprehensæ. Naxos certe omnigenis pecudibus producendis alendisque feracissima est, non minus quam generosissimis vinis, unde in ea insula Bacchi tumulum fuisse fama fuit & superest. Arcum enim quendam marmoreum inibi extantem Bacchi sepulchrum nunc vocant. Cæterum ut etiam aliquid animi gratia subjungamus, prædictus Dominus Legatus qui mihi id communicare dignatus est, profundam hanc cryptam subire ausus, eam mirificis naturæ operibus ornatam repperit, stupendisque aquæ congelationibus, lapideisque stillicidiis, & paulo intus sculpta Græcorum antiquorum nomina, qui illam subintraverant, non quidem in intimos ejus recessus, uti prædictus D. Legatus, qui ibi duos dies commoratus, eam nova Inscriptione Christo consecravit, ejusque elegantem descriptionem Regi Christianissimo transmisit.

V. JOVIS SERENI, &c.

Romæ.

I. S. I. P. D. M.
ISIDI SALVTARI
PRO SALVTE Q. VERGILII
MODESTI CASSIA MAT. †
V. S. D.

† Mater.

Hosce obscuros primæ lineæ characteres quorum ignoratione ignota fingeremus numina, exponebat Vir Doctissimus & in Antiquis versatissimus *D. Jo. Petrus Bellori* Summi Pontificis antiquarius, hoc pacto, *Jovi Sereno Junoni Placidæ Diis Magnis*, quorum cognominum Jovis & Junonis alia expromere exempla facile esset.

VI. JVNONIS B. OPITVLANTIS.

Nemausi, apud Guyranum.

L. ET INNONI B. OP.
IMPER. PONI
NEMAVSENSES.

Hanc vero eruditus Guyranus excussit, in literis ad me datis, *Libero & Junoni Bene Opitulanti imperarunt poni Nemausenses*: ubi *Inoni* pro *Junoni* fabrili mendo sculptum esse contendit. *Liber* autem sive Bacchus a Nemausensibus colebatur, ob generosissimas vineas, quibus regio abundat. *Juno* vero *bene opitulans*, alia non est quam *Juno Lucina*, quæ parturientibus opitulabatur: nec male conveniunt Liber & bona Juno, utrique enim communia sacra fiebant, *Æneid.* IV. *v.* 738.

VII. QVADRIBIS.

In ruinis Carnunti, prope Viennam Austriæ pago Pedernel, recens effossa. Ex D. Mayer Lugd.

SILVANAB. ET
QVADRIBIS AVG. SACRVM
C. ANTONIVS VALENTINVS
VET. LEG. XIIII. G. MVRVM
A FVNDAMENTIS CVM
SVO INTROITO ET PORTICVM
CVM ACCVBITO VETVSTATE
CONLABSVM IMPENDIO
SVO RESTITVIT
GENTIANO ET BASSO
COS.

Silvanæ Faunæque Sylvarum Præsides Deæ, quæ & Dryades & Hamadryades aliis dictæ, nescio quæ monstra hic habeant sociata: an seminumina quadriviis præsidentia, quales in viis biviisque Hermi seu Mercurii ab Antiquis culti. Quo cæterum tempore hoc epigramma posuerit *Cajus Antonius Valentinus veteranus legionis decimæ quartæ geminæ*, patet ex consulatu notato *Gentiani & Bassi*, qui in annum urbis conditæ 963. incidit, partusque virginei 210. *Silvanarum* autem mentio elegantem Inscriptionem mihi in mentem revocat, ab Grutero ignoratam, ut & cætera quæ a nobis hic exhibentur. Hancque mihi communicavit R. P. Ruffinus Franciscanus, a Guichenone etiam citatam, *Histor. Sab.*

In urbe Aixme Tarantasiæ, in Alpibus.

Silvane sacra semicluse fraxino,
Et hujus alti summe custos hortuli.
Tibi hasce grates dedicamus musicas.
Quod nos per arva perque montis † alpicos
Tuique luci suaveolentis hospites,
Dum jus guberno, remque fungor Cæsarum
Tuo favore prosperanti sospitas
Tu me meosque reduces Romam sistito,
Daque Itala rura te colamus præside.
Ego jam dicabo mille magnas arbores
T. Pomponni Victoris Proc.
Augusto.

† Montis pro montes.

VIII. SILVAN. CAMINESIS.
Romæ, in villa Ducæ Cæsarini.

M. ANTON. BATES

VALERIA PROFVTVRA
ET MARCVS ANTONIVS
HYMETVS COM FILIS SVIS
DONVM DEDIT SANCTO
SILVANO CAMINESI
CLODIO ALEXANDRI
MANCIPE CASSIA DEVTERA

Quale sit cognomen istud *Caminesi*, Silvano attributum, fari nequeo, cum neque officium, neque locus, neque aliud mihi in mentem veniat a quo derivari videatur.

B

IX. SILVANI FLAVIORVM.
Extra Romam, in vinea prope Turrim vulgo de Pignatara.

SILVANO FLAVIORVM
CASSIANVS T. FLAVI AVG.
LIB. CELADI LIBERTVS
FECIT VNA CVM FLAVIS
CASSIANO ET AMANDO
FILIS INCHOATA
ANTONINO AVG. PIO P. P.
DEDICATA XV. K. APRIL.
SCIPIONE ORPHITO ET
SOSIO PRISCO COS.

C

Silvanum familiæ suæ hic venerantur Flavii tres, pater & filii. Mirum est Ethnicos tot Deos coluisse, sed mirum magis unum ex iis numinibus in tot adhuc Deos distraxisse, quot erant templa, aut aræ iis dicatæ. Corrigit vero hæc Inscriptio Fastos Capitolinos, qui statuunt sub Antonino hunc Consulatum his verbis, *Ser. Cornelius Scipio Orfitus & Q. Nonius Priscus*, ubi loco *Nonii*, repone ex Lapide *Sosii*.

D

X. DEI PENINI.

In Magno monte Divi Bernardi, basis columnæ.

LVCIVS LVCILIVS
DEO PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM DEDIT.

E

Pennini Dei sive *Penni* qui in Alpium vertice colebatur, mentio est apud Titum Livium, sed *Penini* legendum ex hac Inscriptione constat. *Pen* autem, a quo *Penini* cognomen Celtica Lingua, re cujusque summitas & caput intelligebatur, unde Alpibus nomen, quæ Germanica lingua *Alpen* vocantur, & *Apenninis*, qui Italiam in longitudinem percurrunt, ob eorum scilicet montium cacumina. Hinc etiam *Penna* vicus in edito colle Diensis agri, & non longe a Massilia *Penes* pagus pariter supra collem, ubi quædam antiquitatis monumenta videbantur, de quibus plura Boessius in *Miscellis*. Inde nomen huic Deo qui in his montium verticibus

F

A

colebatur, sub habitu juvenis dextram tollentis, sinistram demittentis, eratque ipsius statua columnæ imposita, quam Augustus victis Salassiis Alpinis gentibus dejecit, eique Jovis statuam substituit, cum Inscriptione in substituta basi, IOVI. O. M. GENIO LOCI FORTVNAE REDVCI TERENTIVS VARRO. Guichenon *Histor. Sab.*

XI. NYMPHAR. GRISELICAR.
In pago Greoulx *Provinciæ Gallicæ, ad balnea reperta*

NYMPHIS XI.
GRISELICIS

Nemorum Deas sequatur Nympharum chorus, quæ hoc in pago verisimiliter olim *Griselo* dicto, cum recentiori nomine *Greoulx* conveniente *Griselicæ* cognominabantur, balneorum illic celebrium custodes.

XII. NYMPHAR. PERCERNIVM.

Vasione.

NYMPHIS AVG.
PERCERNIBVS
T. GINGETIVS
DIONYSIVS
EX VOTO

Quam vero ob rationem *Percernium* agnomen sibi adsciscant Nymphæ Vasionenses, tam mihi ignotum est, quam quod ignotissimum, hoc dumtaxat me non latet *Percernios* fuisse nonnullos, inter Romanos, eorumque quatuor nomina legi in Inscriptionibus Gruterianis, verum aliquisne ejus familiæ Percerniæ Vasionem translatus fuerit, qui Nymphis istis nomen suum commodaverit, hic opus, hic labor est.

XIII. AQVAR. ALBVLARVM.

Romæ, apud Sculptorem ædis Barberinæ.

AQVIS ALBVLIS
SANCTISSIMIS
VLPIA ATHENAIS
CLAVD.... AVG...
LIS VXOR
LIBENS.

Nobilissimum Italiæ fluvium Tiberim, prius dictum *Albulam* ex Dionysio Halicarnasseo discimus, is enim *Antiquit. Rom.* lib. I. refert Regem Albæ Tiberinum, cum prælio juxta flumen commisso periisset, abreptusque esset aquæ currentis impetu, fluvium qui prius Albula vocabatur *Tiberin* de suo nomine vocatum reliquisse: verum ad eas antiquitates tam dissitas recurrere non opus est, cum ex Strabone *Geogr.* lib. v. habeamus, planiciem eam per quam delabitur Aniene fluvius, *Albulas* etiam perfluere *aqua frigidas*, quæ ex pluribus fontibus delapsæ, ad varios morbos potæ aut pro balneo usurpatæ remedium præbent, inde ab utilitate, earum sanctitas asseverata.

XIV. CLATRAE.

Romæ, Tabula ærea apud Falerios, ex Peiresk. Schedis.

APOLLINI.	CLATRAE
hic subest fig. Apollinis nudi, dextra lyram tenentis, Sinistra fulmen radiato capite, sed modius supra caput instar Sarapidis	*hic subest fig. Isidis stolatæ, dextra sistrum & serpentem gestantis, sinistra mensuram, cui inscriptum* ΠΥΧΟΝ.

infra legitur hæc Inscriptio.

LERPIRIOR.SANTIRPIOR. PVIR.FOR.
FOVFER. VERTIER. PIERIR. VOTIR.
FARER. VEF. NARATV. VEF. PONI.
SIRTIR.

Mirum esset hic Apollinem sub habitu tam vario designatum esse, fulmen enim Jovem, modius Sarapidem, lyra Apollinem notant, nisi jam nobis notum esset Serapidem inter Ægyptios cultum eundem esse ac Jovem & Ammonem & Solem & Æsculapium, quod præter Tacitum, Athenæum aliosque authores ex nummo Antonini Imp. a Seguino in lib. *de Selectis Numismatibus* pag. 3. jam vulgato constat, in cujus parte aversa cernitur caput barbatum instar Jovis, modio supra caput instar Sarapidis, radiis coronatum ad instar Apollinis, cum cornu Ammonis & Plutonis tridente. Mihi etiam contigit videre Jaspidem antiquam Constantinopoli apud D. Couvel Legati Anglici Capellanum, in quo circa caput Sarapidis Inscripta hæc verba, ΕΙΣ ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ, id est, *unus Jupiter Serapis*, unde cum tot numina & eorum dotes in se contineret Serapis, non mirum si ipsi alium lapidem preciosum insculpserint, quem prædictus Anglus possidet, cum his verbis circa caput Serapidis, ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ: *magnum nomen est Serapidis*.

Verum quid sibi velit nomen illud *Clatræ* sociæ figuræ superscriptum? Isidem quidem sistrum & mensura Nili indigitant. Sed vox ea ignota. ΠΥΧΟΝ autem cubitum vel aquæ mensuram vel ulnam crescentis Nili in templo Serapidis fuisse refert Socrates *lib.* I. *cap.* XIV. quam Constantinus ad Ecclesiam Alexandrinam deferri jussit: & ΠΗΧΥΣ Herodoto, Aristophani *ulna*, *cubitus* est. Subjectas quatuor lineas lingua Hetrusca scriptas esse, ex similibus quæ apud Gruterum extant, ubi nonnulla verba eadem occurrunt, verisimile est. Sed qui eas interpretabitur erit mihi magnus Apollo.

XV. DEI VINTII.

Seyssel ad Rhodanum.

DEO VINTIO
POLLVCI
CN. TERENTIVS
BILLONIS FILIVS
TERENTIANVS
EX VOTO.

An Pollux Castoris frater *Vintii* cognomen assumat ex urbe *Vence* in Provincia, quæ olim *Vincium* aut *Vintium* appellata est, asserere non ausim, cum procul ab ea urbe reperiatur hic lapis: quamquam similis denominatio in Inscriptione *Marti* dicata, non mediocriter me movet, ut id pro certo statuam: ea enim his verbis, in dicta *Ventiorum* urbe legitur, MARTI VINCIO M. RVFINVS SAL. IIIIII VIR ET INCOLA CEMENEL. EX VOTO, Id est, *Marti Vincio Marcus Rufinus Felix Saliniensis & incola Cemenelensis ex voto*. *Salinium* in Provincia, nunc vocatur *Castellane*, *Cemenelium* vero *Cimies*.

XVI. CAELESTIS.

Florentiæ in palatio magni Ducis, ex Africa allata.

CAELESTI AVG. S.
Q. MALLIVS PRIMVS
AD AMPLIATIONEM
TEMPLI ET GRADVS
DONAVIT .X CXXV.
VOT. SOL. LIB. ANI

Id est, *Cælesti Augustæ sacrum Quintus Mallius Primus ad ampliationem templi & gradus donavit Sestertia CXXV. voto soluto libenti animo*. Quænam autem Dea illa Cælestis, conjici posset ex alia Inscriptione, ubi Bona Dea quæ a mulieribus Romanis colebatur, id cognomen habet. Sic enim in ea legitur, Arculi in Italia. *Bonæ Deæ sanctissimæ Cælesti L. Pasquidius Festus redemptor operum Cæsaris, quod adjutorio rivom aquæ Claudiæ Augustæ sub monte Æfliano consumavit Imp. Domitiano Cæs. Aug. Germ. Cos. VI. Non. Jul.* Unde Cælestem hanc Deam eamdem esse ac Bonam Deam asserere quis posset. Verum idem cognomen Veneri etiam tribui video in antiquis Inscriptionibus, ideoque res in incerto hæret. At forte quispiam *Aug.* Augusto esse dicet, sed ex ipso se minime in antiquis marmoribus explicandis versatum esse proderet, nec nobis hac in re palmam præriperet. Certum enim legendum *Cælesti Augustæ*, ut in aliis, *Junoni Augustæ*, *Marti Augusto*, *Veneri Augustæ*, sexcentisque similibus. Quodque in propositum nostrum est sequentem Inscriptionem Florentiæ reperi, in hortis Marchionis Richardi: INVICTAE CAELESTI AVR. ONESIMVS D. D.

XVII. DIANAE RAESIANAE.

Romæ repert. in via Appia.

DIANAE RAESIANAE Q. RAESIVS
Q. FIL. SVRDINVS CVM RAESIA
HERCVLANIOLA.

Privatum hoc Dianæ cognomen non dubium est quin ab illa *Ræsiorum* familia fuerit derivatum, a templo scilicet aut sacello in eorum ædibus erecto. Hujus autem Quinti Ræsii Quinti filii Surdini aliud epigramma citatur a Spanhemio, in quo *miles veteranus cohortis septimæ vigilum* appellatur: sic se habens.

RAESIANORVM FAMILIAE
Q. RAESIVS Q. FIL. PAC.
SVRDINVS MIL. VETER.
COH. VII. VIGIL. V.F. SIBI
ET SVIS LIBERIS IDEM
LIBERTIS LIBERTABVSQVE
SVIS DDXL. IN HYPOGVM
TESTACI........

XVIII. TOGOTIS.

In Hispania prope Tagum.

TOGOTI
L. VIBIVS
PRISCVS
EX VOTO

Joannes Mariana qui primus hanc Inscriptionem protulit lib. 1. *de Regis institutione*, legendum censebat *Toxoti*, ut sit cognomen Dianæ ab arcu & sagittis tractum, sed nihil temere immutandum, faciliusque nos in opinionibus nostris, quam sculptorem in literis suis errare: magisque placet Reinesio *Togoti*, quod nomen Hispanicum barbarumque alicujus Dei indigenæ redolet, vide fusius apud eumdem authorem *Epist.* p. 241.

XIX. MATRIS DEVM ANGISTES.

Venetiis, in palatio Grimani.

ΜΗΤΡΗ ΘΕΩΝ ΑΓΓΙΣΤΕΙ
ΑΜΕΡΙΜΝΟΣ ΟΙΚΟΝΟΜΟΣ ΤΗΣ
ΠΟΛΕΩΣ ΕΥΧΗΝ.

Id est,

Matri Deum Angisti
Amerimnus œconomus
Urbis, votum posuit.

Insculpta est in superiori marmoris parte sedens Cybele capite turribus coronato, cum duobus leonibus ad pedes, qui ipsius typus est frequens, sicut & cognomen Matris Deum, cui titulus alter additur intellectu difficilis, ΑΓΓΙΣΤΕΙ scilicet, doctioribus forte notus. Sæpius etiam integro cognomine dicebatur Mater Deum magna Idæa, quod in monte Phrygiæ Ida coleretur, sicuti in elegantissima sequenti Inscriptione nuper Deæ Vocontiorum reperta, ubi priores quatuor literæ M.D.M.I. significant, *Matri Deum magnæ Idææ.*

X X.

Deæ Vocontiorum, vulgo Die.

M. D. M. I.

SACR. TRIB. TAVR. FECER. CVM SVIS HOSTIS ET APPARATIB. OMNIB. L. DAGID. MARIVS PONTIF. PERPET. CIVITAT. VALENT. ET VERVLLIA MARTINA. ET VERVLLIA. MARIA. FIL. EORVM PRO SALVTE. IMP. ET CAESAR. PHILLIPPORVM. AVGG. ET OTACILIAE. SEVERAE AVG. MATRIS CAES. ET CASTROR. PRAEEVNTIBVS. SACERDOTIBVS. IVNI. TITO. XV. VIR ARAVSENS. ET CASTRICIO. ZOZIMIONE CIVITAT. ALBENS. ET BLATTIO PATERNO. CIVITATIS. VOC. ET. FABRICIO. ORFITO LIBER. PATRIS. ET. CETERIS. ADSISTENTIBVS SACERDOTIBVS V.S. L.M. LOCO VIRES CONDITAE DIE PRID. KAL. OCT. IMP. PHILIPPO AVG. ET TITIANO COS.

Si cui facessant negotium voces abbreviatæ ut in lapide sculptæ sunt, en eas integras.

Matri Deum magnæ Idææ. Sacræ Tribus Taurobolium fecerunt cum suis hostiis & apparatibus omnibus Lucius Dagidius Marius Pontifex perpetuus civitatis Valentiæ & Verullia Martina & Verullia Maria filia eorum pro salute Imp. & Cæsaris Philipporum Augustorum & Otaciliæ Severæ Augustæ Matris Cæsaris & Castrorum præeuntibus Sacerdotibus Junio Tito quindecemviro Arausensi [1] & Castritio Zosimione civitatis Albensis [2] & Blattio Paterno civitatis Vocontiorum [3] & Fabri-

1 *Orange.* 2 *Viviers.* 3 *Die.*


A cio Orfito Liberto patris & ceteris adsistentibus Sacerdotibus, voto soluto libens merito. Loco vires conditæ. Die pridie Kalendas Octobris Imperatore Philippo Augusto & Titiano Consulibus.

Sacræ Tribus, id est, sacris destinatæ. *Taurobolium* est sacrificium Taurorum, quorum sanguine perfundebantur ii qui id percipiebant. Idque Taurobolium percipere dicebatur, ut in hac Inscriptione Romæ in villa Burghesia a me descripta, *M. D. M. I. DD. NN. Constantio & Maximiano Nobb. Cæss. Conss. XVIII. Cal. Maii Julius Italicus V.C. XVVIR. S. F. Taurobolium percepi Felic.*

Vires Tauri ni fallor sunt ipsius testiculi, qui ad B imitationem Sacerdotum Cybeles abscindebantur.

X X I.

Patavii apud Excell. Comitem Lazara.



Varias explicationes pati possunt hæ duæ literæ I. D. Sic *Jovi Deo* intelligi posset, ut in nummis antiquis, vel *Isidi Dominæ*, qualem Bononiæ vidi sic incipientem, *Domini Isidi*, &c. Verum alia excogitare cuique licitum sit: forte etiam ignotus aliquis D Deus vel Dea, cui *votum solvebat Cajus Helvius Romanus pro se & suis.*

XXII. NORTIAE.

Romæ in villa Cesarini.

Festi Avieni Poetæ, insignis memoria.

R. FESTVS DE SE AD DEAM NORTIAM.
FESTVS MVSONI SVBOLES PROLESQVE AVIENI
VNDE TVI LATICES TRAXERVNT CAESIA NOMEN
NORTIA TE VENEROR LARE CRETVS VVLSINIENSI
ROMAM HABITANS GEMINO PROCONSVLIS AVCTVS HONORE
CARMINA MVLTA SERENS VITAM INSONS INTEGER AEVVM
CONIVGIO LAETVS PLACIDAE NVMEROQVE FREQVENTI
NATORVM EXSVLTANS VIVAT ET SPIRITVS OLLIS
CAETERA COMPOSITA FATORVM LEGE TRAHVNTVR
SANCTO PATRI FILIVS PLACIDVS
IBIS IN OPTATAS SEDES NAM JVPITER AETHRAM
PANDIT FESTE TIBI CANDIDVS VT VENIAS
IAMQVE VENIS TENDIT DEXTRAS CHORVS INDE DEORVM
ET TOTO TIBI IAM PLAVDITVR ECCE POLO

Festus, inquit Suidas, floruit tempore Valentis Romani Imperatoris, missusque fuit in Asiam Proconsul, unde non dubium est quin id de isto *Festo Avieno intelligat*, quem gemino Proconsulis auctum honore carmen nostrum perhibet. *Vulsinium* autem, quo lare cretus erat, urbs fuit Italiæ prope lacum qui nunc *Lago di Bolsena* vocatur, cujus etiam civis erat celebris ille ex suis majoribus *Musonius* Philosophus Stoicus Apollonii Tyanei familiaris, quorum ad se invicem circumferebantur epistolæ, ut monet Suidas. Sublatus autem a Nerone propter ipsius loquendi libertatem. Alterius etiam Musonii sub Joviano Imperatore Valentiniani & Valentis prædecessore meminit prædictus auth. Legiturque forte ex ipsius posteris unus anno Christi 450. Gennadius Valerius Corvinus Avienus Consul in Fastis Capitolinis, & anno 501. & 502. & alii duo Rufius magnus Faustus Avienus senior, & junior.

Quænam autem Dea illa *Nortia* fuerit, quam suis carminibus veneratur Rufius Festus, dicere difficile est; eam quidem in agro Sutrinorum præcipue cultam constat ex Tertulliano in *Apologetico* his verbis. *Romanas ut opinor Provincias edidi, nec tamen Romanos Deos earum: quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur. Crustuminiensium Belventinus, Narniensium Viridianus, Æsculanorum Ancaria, Volsiniensium Nursia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore est pater Curis.* Ubi forte ex lapide reponenda esset *Nortia* ad Volsinienses.

XXIII. PROXVMORVM.

Vasione.

PROXVMIS
SENECA SECVNDI
FIL.
V. S. L. M.

Ibidem:

PROXSVMIS
POTITA C. COD
ONI F. V. S. L. M.

Nec facilius vobis nota faciam numina hæc sive Deos sive Deas, quibus *Seneca* nescio quis *Secundi filius* & *Potita Caii Codoni filia votum solvunt libens merito*. Quis enim ea nunc noverit, quæ forte olim vicinis, proximisque tantum innotuerant.

XXIV. COMEDOVORVM.

Aquis Sabaudicis, vulgo Aix en Savoye.

COMEDOVIS
AVGVSTIS
M. HELVIVS SEVERI
FIL. IVVENTIVS
EX VOTO.

Quodnam insuper barbarum, Allobrogicumve numen nobis hic *Marcus Helvius Severi filius Juventius* obtrudat, mirari potius licet, quam suspicari. Cave autem tu ipse suspicari me forte nomen hoc male scripsisse, eo quod paulo aliter a Guichenone exhibeatur Sed ei fidere me prohibent sexcenti alii errores in ejus Inscriptionibus dispersi; & meis oculis usurpatum examinatumque pro genuino habere non dubites precor, & deprecor, candide Lector.

A

B

C

D

E

F

XXV.
Romæ in villa Cesarini.

HERCVLI PONDERVM
Q. AEMILIVS VIBIANVS
B. TRIB. COH. III.
. . . .

Hercules ne ponderum custos fuerit, ob justitiam & æqualitatem ab eo dilectam, an vero in ejus templo deposita pondera ut in templo Opis. B. TRIB. COH. III. *Beneficiarius Tribuni cohortis tertiæ*.

XXVI. HERCVLIS SOMNIALIS.
Florentiæ, in ædibus Caroli Strozzi Senat.

V. F.
CVLTORES HERCVLIS
SOMNIALIS IN .....
DIS MANIBVS SIBI ET
POSTERISQVE SVIS II QVI
INFRA SCRIPTI SVNT
Q. CAECILIVS. Q. GALLV-
CELLANVS T. FABIVS
L. ATTILIVS
SEX. SCVTARIVS.

Quam ob causam *Somnialis* cognomen habuerit Hercules incompertum mihi est, cum is Vigilantissimus fuerit Heros: at sane omnia Veterum Somnia discutere velle, somniantis animi exercitium foret.

XXVII. GEN. FAMIL. MON.
Romæ, in villa Montalto.

GENIO
FAMIL. MONETAL.
DEMETRIVS CAES. N. SER.
EPAPHRODITIANVS
DE S. P. D. D

Geniorum apud antiquos infinitus erat numerus. Genium enim suum habebant Provinciæ, urbes, Senatus, populus, Collegia, Imperatores, familiæ, & personæ. Intelligo autem per familiam monetalem, varios opifices, qui cudendæ monetæ operam dabant, quorum pars in sequenti Inscriptione legitur quam in villa Matthæi Romæ exscripsi,

Herculi Augusto Sacrum Felix Augusti libertus optio & exactor auri arg. æris item signatores suppostores Malliatores Monetæ Cæsaris nostri.

Cæterum huic Genio familiæ monetalis aram hanc *Demetrius Cæsaris nostri servus Epaphroditianus de sua pecunia dedicaverat*.

XXVIII.


Romæ.

HERMA DE SVO DAT
GENIO CANONIS ATTALI LIBERTI
GENIO PACICLENIS ATTALI SERVI.

Canon norma, mensurave est, sed quid ad rem nostram? Citatur a Falconerio talis Inscriptio, *Titiano & Gallieno Consulibus Tertullus Decii libertus ex figula* Canonis *operis Doliaris prima*: hæc in figulina tegula inscripta, additque *Canon* forte tributum est quod solvebant figuli. Sed aliud hic significare scio, quid autem, nescio.

XXIX. FOTVNAE TORQVAT.

Romæ apud Cardinal. de Maximis.



Dedicat. FORTVNAE
TORQVATIANAE
Q. CAECILIVS
NARCISSVS D D.

Torquati Romæ illustres a Manlio Torquato oriundi, qui torque hosti detracto hoc cognomen sumpsit, in eaque familia, ut nos docet Inscriptio, ara fortunæ erat dicata, quæ inde Torquatiana dicebatur, a Quinto Cæcilio Narcisso, quem utrum is fuerit idem cum eo *Narcisso* qui Claudio ab epistolis erat, nihil est quod aut suadere aut dissuadere possit.

XXX. HOSIRI.

Romæ.

MUTILLIA
ALBANA
HOSIRI ET
FORTVNAE
SVPERAE
IMPERIO
POSVIT.

Hosirum numen ignotum hic habes, neque enim Osiris est, qui sine aspiratione scribitur & genitivo habet Osiridis. Sed notissimum erat Mutilliæ Albanæ, siquidem ipsius Hosiri Imperio, id est, ejus jussu & Fortunæ superæ aram posuerat.

XXXI. MATRON. VEDIANT.

Prope Nicæam Provinciæ Gallicæ.

MATRONIS
VEDIANTIABVS
P. ENISTALIVS P. F.
CL. PATERNVS CEMENELENSIS
OPTIO AD ORDINE Δ LEG. XXII.
PRIMIGENIAE PIAE FIDELIS
L. M.

Meminit in Italiæ descriptione Plinius populorum Provinciæ contiguorum ab Oriente qui ab eo *Vediantii* vocantur, & a Ptolemæo Οὐεδιάντιοι, quorum metropolis erat Cimelium seu Cemenelium, nunc *Cimies* vulgo dictum, cujus civis erat *Publius Enistalius Paternus Publii filius* tribu *Claudia Decurio legionis vigesimæ secundæ*, qui Matronis illius regionis hoc lubens adscripserat votum. Matronæ autem illæ Deæ quædam erant provinciis, urbibusque invigilantes, eædemque & *Matres* dictæ, ut in sequenti Lapide.

XXXII. MATRVM GERUDAT.
S. Esteves in Provincia.

MATRIBVS
GERVDATIABVS
IVLIA MINIA
V. S. L. M.

A Suspicatur, conjicit, divinat nonnunquam noster antiquitatis tutelaris genius: sed sæpe etiam silet, imperitiæque quam temeritatis argui præfert. Matres quidem seu Matras, ut aliquando barbare vocitantur, exposuit eleganter Doctissimus Chorerius in *Viennensium Antiquitatibus*, sed istud *Gerudatiarum* ascitum cognomen, quo ex loco, peculiarive casu elicitum fuerit, me prorsus latet. Observa autem in Inscriptione Gruteriana pag. XCII. legendum *Matrabus* non *Mairabus*, ut erratum est in operis illius indice. Eædemque Matres in hac brevi Inscriptione Græce designantur: *Agathæ* (vulgo *Agde*) in foro. ΑΡΗΙ ΜΗΤΡΑΣΙ ΚΑΙ
B ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣ. Id est, *Marti, Matribus, & Jovis filiis* Castori & Polluci.

XXXIII. HER. AVSC.

In Aquitania.

FANO HER. AVSC.
ORRITS. HE SACRVM
G. VAL. VALERIANVS.

Fano Herarum Auscarum interpretatur author *Notitiæ Vasconiæ* qui eam adducit: secunda linea
C ignota. Aquitanorum ait Mela clarissimi sunt *Ausci*, & Novempopulanos commendant *Ausci*, & Vasates, inquit Ammianus Marcellinus. *Heras* autem, *Matres*, & *Matronas* pro iisdem habitas esse censeo.

XXXIV. AVFANARVM.

Lugduni.

PRO SALUTE DOM.
N. IMP. L. SEPT. SEVERI
D AVG. TOTIVSQVE DOMVS
EIVS AVFANIS MATRONIS ET MATRIBVS
PANNONIORVM ET
DELMATARVM
TI. CL. POMPEIANVS
TRIB. MIL. LEG. I. MIN.
LOCO EXCVLTO CVM
DISCVBITONE ET TABVLA
V. S.

Hanc solam ex nostris Inscriptionibus citatam habemus a Grutero, sed lineis ultimis quinque
E truncatam. Eam autem si velis sine abbreviationibus legere, sic habe. *Pro salute Domini nostri Imperatoris Lucii Septimii Severi Augusti totiusque domus ejus Aufanis Matronis & Matribus Pannoniorum & Delmatarum, Tiberius Claudius Pompejanus militum Legionis primæ Minerviæ, loco exculto cum discubitone & tabula votum solvit.* Eæ autem *Aufanæ Matronæ* in Pannoniis, Dalmatiaque notæ, salutisque Severi custodiam habentes, quæ fuerint ignorare facilius est, quam detegere.

F XXXV. SVLEVARVM.


Romæ. Ex Schedis Eruditiss. D. Fabretty.

SVLEVIS ET CAMPESTRIBVS
SACRVM T. AVRELIVS QVINTVS ⊳ LEG. VIIX. GEMINAE
VOTVM SOLVIT LAETVS
LIBENS DEDICAVIT VIII. K.
SEPTEMBRES BRADVA ET
VERO COSS.

Obmutesco iterum in istis numinum monstris, *Sulevis Campestribusque*, quibus *Titus Aurelius Quintus Centurio legionis decimæ septimæ geminæ votum solvit*. Dedicatio autem aræ illius *Octavo Kalendas Septembres accidit Bradua & Vero* Consulibus, qui integro nomine in Fastis Capitolinis *Titus Vibius Varus* & *Apius Annius Bradua* nuncupantur, qui Consultus incidit in annum CLXI. æræ Christianæ *sub Antonino Pio*. Adsunt autem in superiori parte lapidis Deæ tres sedentes, infra quas sacrificium verris a figuris quibusdam sagatis peragitur.

XXXVI. DVLLOVI.

Vasione.



Ibidem:

DVLOVIO

Ibidem:

INO DVLOVI VIVOS

In priori illa basi sculptus est Deus *Dullovius* sedens palmis circumdatus. Sed quis hic Deus alibi gentium ignotus? Vasionensis quidem cum toties ejus nomen repetatur. Sed plura a me non quæras, si repulsam pati nolueris.

XXXVII. TRITTIÆ.

In Provincia, territorio de Pierre-feu.



Hujus etiam loci indigenam Deum adorat *Marcus Vibius Longus*, non minus mihi ignotus, quam ipsius numen.

XXXVIII. DEÆ SEG.

Fori Segusianorum, vulgo Feurs *repertum*.

DEAE
SEG.
F.
PONDO
X.

A Pondus antiquum hic exhibeo ex ære, nobis septem librarum & semis pondo, antiquis Romanis decem librarum, siquidem illa duodecim tantum unciis constaret. Habet autem literis extantibus argenteis Inscriptionem hanc DEAE SEG. F. PONDO X. quam D. de la Mure, in *Historia sua Foresiana*, explicavit *Deæ Segusianorum Fori Pondo decem*. Id enim pondus in urbe *Feurs* repertum fuit, quæ olim erat *Forum Segusianorum*. Quæ autem Dea illa fuerit ambiguum: urbis quidem protetrix, geniusve peculiaris. Forte etiam Diana quæ ob sylvarum copiam apud Segusianos colebatur, unde in eadem urbe corpus *Fabrorum tignuariorum* in B antiqua Inscriptione legitur.

XXXIX. EVMELI.

Neapoli.

ΕΥΜΕΛΟΝ ΘΕΟΝ ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΑΤΟΡΣΙΝ ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ ΤΩ ΦΛΑΥΙΩ ΤΕΚΝΩ.

C *Eumelum Deum patrium Tribuum Eumelidarum magistris T. Flavius Pius curator posuit cum Flavio filio*. Herois cujusdam Eumeli meminit Pausanias in *Achaicis*, quem Patrensium primum Regem conditoremque ait, unde forte quis conjiciat non *πατρῶον* legendum, sed *πατρέον Patrensium*. Verum temere nihil immutandum. Neapolis autem cum fuerit Græcorum colonia, non dubium est quin Deos semideosque coluerit.

XL. MORITASGI.

In ruderibus Alesiæ urbis apud Heduos.

D TI. CL. PROFESSVS NIGER
OMNIBVS HONORIBVS APVD
AEDVOS ET LINGONAS FVNC-
TVS DEO MORITASGO PORTI-
CVM TESTAMENTO PONI IVS-
SIT SVO NOMINE ET IVLIAE
VIRGVLINAE VXORIS ET FI-
LIARVM CL. PROFESSAE ET
IVLIANAE VIRGVLAE.

Hæc de eo Reinesius *Epistolar. pag.* 683. ex Cæsaris Commentariis, lib. V. *de Bello Gallico* cap. LIV. E constat ejus in Galliam adventu *Moritasgum* apud Senonas in autoritate fuisse: Cavarinum ejus fratrem a Cæsare ibidem constitutum: Hinc cur ea pars Galliæ Deum *Moritasgum*, cujus notitiam etiam Romani homines Claudiæ Juliæque gentis, translati in Gallias, uti alii Endovelici & Togotis Hispanorum Lusitanorumve localium numinum, habere potuerint satis manifestum est. Sive autem Cæsarianum istum sive alium *ὁμώνυμον* e majoribus ejus Senonum Regibus antiquiorem, a suis pro Deo habitum dixerimus, perinde est: eo tamen inclino ut posterius præferam, fueritque Cæsare Gallias F adquirente divinitas Moritasgi & cultus vetus apud Senonas religio, non eo primum tempore cœpta in memoriam meritorum olim Regis & Imperii, eique mortuo divini honores decreti, dedicato eidem intra urbem porticu a Tiberio Claudio Professo, ejusque uxore ac filiabus.

XLI. BELADVCADRI.

In Britannia.

DEO BELADVCADRO
LIB. VOTVM FECIT IOLVS.

Non alius est Deus iste, quam qui apud Gruterum levi differenter Belatucadri nomine insignitur, nec ex nova hac Inscriptione aliquam lucem fœnerari licet, quod qualeve fuerit numen. Hoc tamen certum est fuisse privatum aliquod Britannorum Deum, nusquam enim alibi ipsi litatum esse ex monumentis antiquis eruimus.

XLII. NEHALENNIÆ.

Domburgi repertæ ad mare nunc Vestcapell. in Britan.

DEAE NEHALENNIÆ
OB MERCES RITE CONSER-
VATAS M. SECVND. SILVANVS
NEGOTIATOR CRETARIVS
BRITANNICIANVS
V. S. L. M.

Ibidem:

DEAE NEHALENNIAE
SEXT. NERTOMARIVS
NERTONVS
V. S. L. M.

Habentur & aliæ sex similes apud Reinesium, cujus hic verba referemus. *Repetitio ejusdem numinis in pluribus lapidibus eodem loco effossis confirmat Deam Nehalenniam fuisse ἐπιχώελον populorum circa ista Oceani æstuaria olim habitantium & negotiationibus trans mare deditorum, ipsique Oceano & fluminibus advenis præsidere creditum numen.* Idemque author asserit has Inscriptiones sculptam habere in uno latere Deam sedentem canistrum fructibus plenum gestantem, in aliis vero lateribus Neptunum & Mercurium conspici, quod etiam observavi in earum typis æri mandatis. Cæterum *negotiator artis Cretariæ:* ut alibi apud Gruterum negotiator *Cretarius*, qui cretam negotiabatur. *Britannicianus*, eo quod in Britannia fodinæ Cretariæ essent: ex Plinio *lib.* XXXV. *cap.* XVII.

XLIII.

Nemausi, ex Peiresk. Schedis.

...ΝΕΜΑΥΣΩ...
ΟΥΑΠ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ.

Id est:

Nemauso (Deo)
Ulpium Trajanum Cæsarem
Augustum.

Nemausum, quem Herculis filium nonnulli afferunt, inter Deos a Nemausensibus repositum fuisse evincunt marmora & nummi, ut jam orbi erudito exhibuit Clariss. Patinus, lib. *de nummis æreis mediæ formæ*: ubi ejus caput casside armatum in nummo coloniæ Nemausensis cernitur. *Hinc enim vetustissimus bene merentibus referendi gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur*: ex Plin. *lib.* VII. *cap.* VII. Is enim Nemausus, unus ex ejus urbis priscis heroibus censebatur, qui nomen suum ei imposuerat. Ejusdemque Dei Nemausi mentio fit in sequenti Inscriptione mihi ab erudito Guyrano communicata.

DEO SILVANO ET LIBERO
PATRI ET NEMAVSO
...ARCHVS SINODI.

XLIV. DEI TYRIMNI.

Thyatiræ.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΑΝΤ. ΚΛ. ΑΛΦΗΝΟΝ ΑΡΙΓΝΩΤΟΝ ΚΡΑΤΙΣ-
ΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ. &c. ΤΟΝ ΚΑΙ
ΣΕΜΝΟΤΑΤΟΝ ΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ
ΘΕΟΥ ΤΥΡΙΜΝΟΥ ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ.

Id est:

Bonæ Fortunæ
Antonium Claudium Alfenum Arignotum potentissimum Procuratorem Augusti, &c. & Venerandissimum Sacerdotem primi parentis Dei Tyrimni, Tinctores venerantur.

Nolui totam hanc Inscriptionem citare quæ longissima est, titulisque illius *Alfeni* plena, eo quod minus ad propositum nostrum faciat, eamque ad aliud opus reservandam censeam. Florebat is *Antonius Alfenus Arignotus* Caracallæ temporibus, ut ex aliis lapidibus constat. Eum autem *Tyrimnum* Thyatirenorum ἐπιχώελον & indigenam Deum fuisse, patet ex ipsius memoria sæpius in marmoribus ejus urbis repetita, præsertimque in alio, ubi ΤΟΥ ΠΡΟΠΟΛΕΩΣ ΤΥΡΙΜΝΟΥ legitur: quod præterea templum ejus ante urbem fuisse monet. Hoc autem monumentum *Alfeno* erectum a Tinctoribus Thyatiram inhabitantibus: ibique forte purpuræ tingebantur, quarum commercium tractabat Lydia illa Thyatirena Philippis habitans, quæ a Divo Paulo ad Christi fidem conversa fuit, *Act. Apost.* cap. XVI.

F I N I S.

EPISTOLAE
INTER
I. SPONIUM
ET ERUDITOS VIROS
DE
PRÆCEDENTIBUS
INSCRIPTIONIBUS.

Eruditissimi Viri

NICOLAI BON,

Cretensis, Juris utriusque Doctoris,

ad Authorem

EPISTOLA.

Clarissime ac eruditissime Vir S. Pl.



IGNOTORUM Deorum aras quas nuperrime in lucem dare cœpisti, ac itineris tui delicias amicis ac posteris exantlare læto animo deliberasti, bene factum est. De prima illa Inscriptione *Jovis* nonnulla mihi dicere suppeditant. Arduum quidem esset de Jove *Cingiduo* quærere, ni lumen de lumine, ac lumen lumini adderemus. Jupiter enim Optimus Maximus aliquando a monte, a flumine, a civitatibus denominatus.

Cinga fluvius est Hispaniæ Citerioris ex Pyrenæis montibus fluens, de quo Lucanus *lib.* IV.

—— Camposque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus, & littora cursu
Oceani pepulisse suo: nam gurgite misto
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Nec mirum ideo si a *Cinga* fluvio, *Cingiduus* Jupiter dictus. Diceres potius *Cingaduus* non *Cingiduus*. Quinimo temera propositio mea esset, Inscriptionem Genevæ repertam prope flumen Arvam, in Hispaniæ Citerioris partibus ponere: Hæc occurrunt mihi objicienda, tu facilius solve.

Cæterum gratias ago, pro Inscriptionibus ad me missis quæ tibi de Neocoris occurrerunt. Albertum Rubenium quem mihi indicas possideo, verum diversa sum ab eo sententia, circa *Neocoros*, ut te aliquando perlegere juvabit, in eo libro cui adornando incumbo, illum forte brevi editurus. Mihi credas quæso, circa hanc materiam me evolvisse quicquid libri, nummi, marmoraque suggerunt; ne tamen si quid in ea re me juvare poteris omittas, neque me amare desinas,

Venetiis 17. Octob.
1676.

Tuum NICOL. BON.

A *Ex Epistola* R. P. ÆGIDII LACARRY, *Claromonti, Matheseos & Theologiæ Professoris, celeberrimique Chronographi.*

INSCRIPTIO *Jovis Fagutalis* col. 240. sculpta est anno Dominicæ Incarnationis 110. quo incidebat Tribunitia potestas XIII. Trajani IMP. VI. conjunctum cum Tribunitia potestate XIII. erroris convincit nummum Occonis pag. 207. qui Consulatum V. Trajani cum Imperatore VIII. combinat, siquidem anno decimæ tertiæ, decimæ quartæ & decimæ quintæ Tribunitiæ potestatis, ejus-
B que sexti Consulatus, Trajanus erat duntaxat Imperator VI.

Col. 242. ubi legitur *Gentiano & Basso Coss.* Scribis anno Dom. 210 Gentianum & Bassum fuisse Consules. Necesse igitur est ut Gentianus fuerit *Consul suffectus*, siquidem juxta Fastos correctiores, anno Dom. 210. vel 211. *Pomponius Bassus* Consul erat ordinarius, eum *Quinto Epidio Rufo Loliano*, non autem cum *Gentiano*.

Col. 243. Correctio & substitutio *Sosii* in locum *Nonii* proba mihi videtur, convenitque anno Domini 149. Habent autem Fasti solum *Ser. Cornelius Orfitus*, omissa voce *Scipio*. Sed sæpius
C ex quatuor nominibus quæ Consul aliquis possidebat, tria tantum aut duo referebant. Imperatorum tempore proprium nomen erat ultimum, verum ante Imperatores proprium erat penultimum. Ad Priscum autem quod attinet is forte quatuor his nominibus insigniebatur *Q. Nonius Sosius Priscus*.

Inscriptio col. 244. Jovi O. M. dicata, Terentii Varronis est, annoque Urbis conditæ 719. ante Christ. 25. quo tempore prædictus Terentius Varro Salassios debellavit, sub hasta venditis quatuor supra quadraginta millibus. Tuncque temporis fabricata est Augusta Prætoria in eamque missa colonia Prætorianorum militum. Hi Salassii (ubi
D nunc *la val d' Aoste*) e Gallia oriundi erant, hæcque vallis Alpes Peninas a Graiis Alpibus dividit.

Quodnam autem judicium feram de Inscriptione col. 246. hæreo, ubi *Festus rivum Aquæ Claudiæ Augustæ sub monte Æstiano consummavit, Imperatore Domitiano Cæsare Augusto Germanico Consuli VI. Non. Julii*. Dubium enim meum est an debeam numerum VI. Consuli, vel Nonis Julii referre. Mihique concludendum videtur Nonis Julii non Consuli referendum, eo quod Domitianus nondum Augustus esset in suo VI. Consulatu, cum tamen in Inscriptione Augustus designetur.

Ex Responsoria Epistola.

Quod mones, *Vir eruditissime*, Gentianum non notari Consulem in Fastis, ut col. 242. asserebam, forteque suffectum fuisse, repono eundem esse Gentianum illum quem tu Q. Epidium Rufum Lollianum vocitas. Sic enim Fasti Siculi eo anno, *Gentiano* & *Basso*. Fasti vero Capitolini tom: III. hist. Augustæ typis Wechelianis, horum Consulum nomina sic habent, *Q. Epidius Rufus Lollianus Gentianus* & *Pomponius Bassus*. Non tamen idem de altero Consule statuendum existimem, qui in Fastis *Nonius*, in lapide a me exscripto legitur *Sosius*, quasi forte, ut ais, Consul integro nomine vocatus fuerit *Q. Nonius Sosius Priscus*; sunt enim duæ familiæ diversæ *Nonia* & *Sosia*. Duo enim cognomina habere Romanum aliquem sæpius contigit, non item duplicem familiam, nisi adoptaretur in aliam, in quo casu nomen familiæ suæ genuinæ in cognomen mutabat, veluti Scipio Africanus, qui in gente Æmilia natus erat, adoptatus in Corneliam, dictus est *Cornelius Scipio Æmilianus*. Igitur standum vel Fastis Capitolinis qui Nonium, vel lapidi qui Sosium exhibet. Mihi autem plus authoritatis habere videntur antiqua marmora, quam libri nunc typis mandati, olim toties descripti, & a descriptoribus alterati.

JACOBO SPONIO,

Litteraturæ elegantioris amatori, & rei Antiquitariæ promotori sagacissimo,

A. GALLANDIUS

χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

VIR DOCTISSIME,

Cum heri D. VAILLANT & ego una essemus in Museo D. de Creil, quod iis, quos vulgo *Curiosos* vocant, Dominicis & aliis festis diebus patet, quæreremque ab eo numquid novi haberet, quod, vel ad numismata antiqua, vel ad rem literariam spectaret: habeo, inquit, a D. Sponio libellum *de Diis Ignotis*, quem ad me misit: simulque legendum si vellem obtulit. Eo libentius annui, quod cum non ita pridem te e Græcia reducem sciam, de Diis illis aliquot a me ex veterum marmorum ruderibus ibidem annotatis mentionem habiturum te existimarem; animusque erat experiendi num tu & ego in eadem incidissemus. Itaque post discessum e Museo, cum illo domum venio, libellum in manus traditum evolvo, in *Jovem Pecoralem* incido. Tum Jovem illum novi, inquam. At, postquam quid de eo narrares percurrissem, non cohærent quæ de eo D. Sponius: res aliter se habet, atque hic refert. Dein, cum e titulis te nullum alium e Græcia Deum non prius notum attulisse agnovissem præter Thyatirenorum *Tyrimnum*. Habeo, inquam D. Vaillant, quiddam de Diis ignotis, quod erit colligam, & ad Sponium mandabo una cum iis, quæ mihi quam illi, de *Jove Pecorali* perspectiora sunt, ut si opusculum illud iterum editurus sit aliquando, id inserat: si prius meam ad eum epistolam te missurum & commendaturum spondeas. Hoc pro amicitia cum libenter spopondisset, discessi ab eo lætus, quod te noscendi tamdiu quæsita, sese tandem obtulisset occasio. Cogitabam vero, quandoquidem eras domi, qua via mihi ad te accessio fieret, ut tibi quidquid habeo Inscriptionum antiquarum ut cum tuis conjungeres & ederes, offerrem ac communicarem. Siquidem te quater centum collegisse audio e Græcia, ego autem vix centum: quarum non dubito plurimam partem te possidere, cum fieri non possit ut eædem tibi & mihi non obviæ fuerint: tamen agnosco ex tuo libello me habere aliquot tibi non visas, quandoquidem in illis Deorum quorundam ignotorum sit mentio, de quibus tu ne verbum quidem: Duas aut tres hic apponam, postquam totum id quod ad Jovem Pecoralem attinet exposuero. Nam, o *Sponi* πολυμαθέστατε, illa crypta admirabilis marmoreis & crystallinis congelationibus spectantium animos obstupefaciens, nihil cum illa Inscriptione,

ΟΡΟΣ ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ

habet negotii, neque ad cryptæ ingressum scripta. Crypta enim in insula *Antiparo*, Inscriptio vero *Naxi*, in clivo, qui ad montis totius insulæ altissimi verticem ducit, ita ut a crypta ad Inscriptionis locum, Italica plusquam XXX. millia intercedant, & Paros Naxum inter & Antiparum interponatur. Narranti mihi fidem adhibeas, nam primus fui qui cryptam illam singularem D. *Nointelii* jussu adii & subii, ut me referente num res digna esset, ad eam invisendam itineri se daret; primus etiam qui prædictam Inscriptionem legi. Itaque in illa crypta quæ sita est in extremitate insulæ Antipari versus Libycum, quinque millibus a pago qui solus in insula habitatur, nulla alia adest Inscriptio præter illam quæ antiquorum Græcorum, qui visendi causa accesserunt, nomina exhibet, & aliam ex qua præter illud nomen ΔΟΜΝΑ, nil legere potui, quod tota stillicidiis congelatis obtecta & obliterata esset. Nostra vero hæc

ΟΡΟΣ ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ

sculpta visitur characteribus antiquissimis in petra marmorea rudi & impolita, quæ scalprum nunquam passa est nisi ut hos reciperet, juxta viam qua itur a pago satis magno, cui nomen ἀπέρατος, ad verticem montis quem hodie οἰνησιῶται *Zia*, ab illo proculdubio Jove nuncupant: scis enim apud hodiernos Græcos quam sint litteræ δ. & ζ. affines. Indicata mihi fuit a Papa quodam Græco, qui cum sciret *D. Nointelio* summum apicem petenti, ut inde vicinas Archipelagi Insulas consideraret, transeundum, mecum libenter venit ut petram illam mihi ostenderet. Hanc etiam D. Legatus ipse de via prospectavit. Statim mihi & aliis patuit unde hodierna hujus montis appellatio; nec adeo mihi difficile fuit conjicere qua ratione adducti Jovi Pecorali eum consecrarint: animo enim occurrebat, Montes, quod alte in aerem sese attollant, esse sub Jovis ditione, antiquos autem, hunc illi deo, ut totius insulæ celsissimum, utpote qui a centum & viginti millibus Italicis conspicitur, tantundem enim spatii a Naxo ad Chium, ex cujus parte occidentali tempore sereno spectatur, dedicasse, ac Pecoralem dixisse, quod pascua sint illic abundantissima, ad quæ, ut nunc fit, omnis generis pecora abigebant. Enimvero circumquaque, nil nisi ovium & caprarum greges videbamus, qui tenellulas & autumnales herbas depascebant, ac cistum maxime, cujus humore glutinoso, quem ladanum vocamus, barbas suas mense Junio inficiunt capræ. Porro ex illo vertice, qui acutissimus est & in medio fere insulæ positus, sequentes Ægæi maris insulæ & scopuli oculis usurpantur, atque equidem in gyrum hoc ordine ab oriente versus meridiem, *Pathmos*, *Stenousa*, *Schinousa*, *Amorgos*, *Astypalæa*, a meridie versus occasum, *Therasia*, quæ nunc *Santorini*, *Ios* ubi sepultus Homerus, *Pholegandros*, & ab occasu versus boream, *Milos*, *Paros*, *Antiparos*, *Siphnus*, *Seriphus*, *Thermia*, *Cea*, *Syrus*, *Eubœa*, *Andros*, *Tenos*, *Delos*, & *Myconus*. Ita ut *Naxos* media ferme omnium Cycladum esse videatur. Ut memoria ad posteros manaret Legatum e Gallia missum illuc ascendisse; hanc Inscriptionem jussus a D Marchione *Nointelio* incidi curavi in marmor album, marmoreus enim fere totus ille mons, a

ſculptore qui e proximo pago accerſitus fuerat. *Ex hoc vertice montis Jovis Meloſii Maris Ægæi circumvicinas inſulas conſiderabat Car. Fran. Olier de Nointel: Imp.Gall.Legatus XXIV.Nov.MDCLXXII.* Antrum etiam habet mons ille a parte occidentali, cujus aditus anguſtus, ſed ſtatim poſt ingreſſum ſe ſe in altum expandit & in longum, ſed non in profundum: congelationes habet aliquot, ſed raras, nec pulchritudine cum antri Antiparii congelationibus conferendas. Nullam ibi Inſcriptionem reperi, cum illuc me contuliſſem cum nobili quodam e comitatu D. Nointelii. Totam illam inſulam quam poſt Lesbum totius Archipelagi pulcherrimam exiſtimo, ipſa Chio non excepta, maxima ex parte peragravi, tum in D. Nointelii comitatu, tum ſolus, ut ſi quid rarum & ſua curioſitate dignum eſſet referrem. De ſepulchro tamen illo *Bacchi*, de quo mentionem facis, nil audivi, niſi de quibuſdam monumentis lapideis, quos mihi ajebant verſus montem quemdam, dictum Coronum conſpici, quæ religione aut ſuperſtitione potius neſcio qua nemo audet recludere. Nam quod ad arcum marmoreum quem memoras: is in ſcopulo tantiſper ab inſulæ continenti ſub caſtro ea parte quæ Parum reſpicit remoto, extat: nec aliud omnes eſſe norunt quam portam templi cujuſdam, quod Bacchi potius quam alterius Dei eſſe crediderim, cujus disjectos lapides ſtupendæ molis marmoreos una cum totius ædificii Ichnographia, omnes admirantur. Habes ergo, mi Sponi, totam de *Jove Pecorali* hiſtoriam quomodo ſe habet. Nunc ad Deos ignotos. Num de Deo *Archiocrate* quidquam accepiſti? en habes hic Inſcriptiones duas in quibus ille:

ΠΟΠΛΙΟΣ
ΤΟΥΤΡΩΡΙΟΣ
ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ
ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ
ΙΣΙΔΙ, ΑΝΟΥΒΙΔΙ, ΑΡΧΙΟ
ΚΡΑΤΕΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ
ΣΤΑΣΕΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟ
ΚΛΕΟΥ ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ

Alia:

ΘΡΑΣΕΑΣ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ
ΥΠΕΡ ΞΑΤΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΤΟΛΛΑΣ
ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΤΟΛΛΑΣ
ΚΑΙ ΚΟΚΥΤΟΥ ΤΕΚΝΩΝ
ΙΣΙΔΙ ΣΕΡΑΠΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ
ΑΡΧΙΟΚΡΑΤΕΙ ΘΕΟΙΣ ΣΥΝ
ΝΑΟΙΣ ΚΑΙ ΣΥΝΚΩΜΟΙΣ
ΕΥΧΗΝ

Priorem exſcripſi ex marmore in Inſula Delo ad radices Cynthii montis. Libenter illud in navim transferri voluiſſem, ſed cum longe a littore abeſſet, non niſi cum labore & difficultate ſumma id fieri poterat. Alteram vero habui ex parva columna aut cippo potius qui in Capucinorum Chienſium horto locum habet. Archiocrati jungito *Herculem Catalaſchium* quem ex pſephiſmate quodam Deliaco in Patroni alicujus gratiam lato deprehendi. Verba excerpta ex pſephiſmate quod longiſſimum eſt, & in cujus enucleatione oculorum pene jacturam feci, adeo exigui erant & obliterati characteres, ita ſe habent:

ΑΝΑΘΕΙΝΑΙ ΔΕ ΑΥ-
ΤΟΥ ΚΑΙ ΕΙΚΟΝΑ ΓΡΑΠΤΗΝ ΕΝ ΤΩ
ΤΕΜΕΝΕΙ ΤΟΥ
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΚΑΓΑΛΑΣΧΗΟΥ
ΑΝ ΑΥΤΟΣ ΒΟΥΛΗΤΑΙ

Præterea *Jovem Promontorialem* notavi ex quodam Smyrnenſium numiſmate quod ex una parte Jovis caput exhibebat cum hac Inſcriptione ΖΕΥC·Α-

A ΚΡΑΙΟC, & ex alia proram navis cum hoc verbo: CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Oro ut iſta qualiacumque ſunt æqui bonique conſulas, atque ſi quod erratum benigne condones. Si quid his reponendum, aut ſi quid me opus habeas; literas tuas mihi reddet D. Vaillant. Αλλ' ἐπειδὴ ἡ ἀφεντία σας ἠξέρει Ρωμαῖκα, θέλω νὰ κάμω τὸ τέλος τὴν ἐπιστολήν μου, μὲ ἐτούτην τὴν γλῶσσαν, καὶ νὰ βεβαιώνω σᾶς πῶς ἔχω μεγάλην ἐπιθυμίαν νὰ πιστεύσῃς· ὅτι εἶμαι μὲ τὴν ὅλην καρδίαν μου καὶ ψυχήν μου.

Ολος σὰς ὁρισμὸς τῆς ἀφεντίασσας,
Α. ΓΑΛΛΑΝΔΙΟΣ.

Dabam Pariſiis 20. Octob. 1676.

B

RESPONSIO.

VIR ERUDITISSIME,

DUPLICI modo gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, tum quod tui notitiam avide a me optatam ultro obtuleris, tum quod nonnullas obſervationes ad obſcurorum Deorum aras mihi communicatas eſſe volueris: pro utroque favore maximas ſum habiturus in æternum gratias, imo & repenſurus, ubi ſe præbuerit occaſio. Jamque
C reum fatentem habes, in eo quod me erratum monuiſti circa locum, ubi *Jovis Pecoralis* Inſcriptio. Cum enim de utraque crypta & Naxi & Antipari ſermonem excellentiſſimi D. Legati auribus, memoriaque uſurpaſſem, utriuſque ideam apud me non probe diſtinctam pro una eademque habui. At felicius, faciliuſque ignotis tuis numinibus inſuper propoſitis larvam detraham, neque enim ſi nihil unquam de Deo *Archiocrate* acceperim culpa mea eſt, cum is nuſpiam neque cultus fuerit, nec ea quod magis mireris bina epigrammata a te propoſita ejus mentionem fecerint. Primum enim illud marmor Deliacum ipſemet oculis luſtravi & ſche-
D dis meis adjeci, atque diſtincte perlegi ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ, non autem ΑΡΧΙΟΚΡΑΤΕΙ.

Harpocrates autem apprime notus, inter Ægyptios cultus, ab eiſque ad alias nationes Romanas Græcaſque derivatus: quem ſilentii Deum exiſtimantes digito ad os appoſito depingebant. Anubis autem & Harpocrates Sarapidis & Iſidis filii erant, unde in hoc lapide ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙ vocantur, id eſt, *Jovis Filii*. Hunc enim Serapidem, inquit Suidas, alii Jovem eſſe dixerunt, alii Nilum, & ex gemma antiqua col. 245. jam notavi. Unde non mirum eſt cum ſit una eademque Deorum familia ibi conjunctim legi, & in altera Inſcriptione a te,
E Vir Doctiſſime, exſcripta ΘΕΟΙ ΣΥΝΝΑΟΙ ΚΑΙ ΣΥΝΚΩΜΟΙ vocitari, id eſt, *eodem in templo cultiſimulque habitantes Dii*. Sic & eos ſimul memorat Ovidius IX. *Metam.*

—— cum qua latrator Anubis
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis.
Quique premit vocem digitoque ſilentia ſuadet,
Siſtraque erant, nunquamq; ſatis quæſitus Oſiris.

Ubi penultimo verſu Harpocratem dignoſcis noſtrum, cui cum aliis eadem ſacra fiebant. Unde lapidi utrique ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ reponere non dubitandum eſt, ſicut & in ultimo ΕΑΥΤΟΥ pro ΞΑ-
F ΤΟΥ quod nihil ſignificat. De Hercule vero quem *Catalaſchium* dictum putas, nec dum conſtat, id enim marmor Conſtantinopoli perluſtrans, ſic legebam attentius intuitus, ΕΝ ΤΩ ΤΕΜΕΝΕΙ ΤΟΥ ΗΡΑΚΛΕΟΥ ΚΑΤΑ ΛΑΣΧΗ.. ΟΥ ΑΝ ΑΥΤΟΣ ΒΟΥΛΗΤΑΙ, ita ut illud ΚΑΤΑ nihil aliud eſſe videatur quam *juxta*, ut denotet locum juxta quem templum illud Herculis poſitum erat, nec ſi cognomen Herculis fuiſſet in ſequenti hujus templi repetitione omitteretur. ΚΑΙ ΣΤΗΣΑ ΤΩΣΑΝ ΕΝ ΤΩ ΤΕΜΕΝΕΙ ΤΟΥ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΤΟ ΔΕ &c.



DEORVM DEARVNQVE CAPITA EX VETVSTIS NVMISMATIBVS COLLECTA, EFFIGIATA, ET EDITA E MVSEO ABRAHAMI ORTELLII

Jupiter autem *Acræus*, & alii plures ignoti Dii a me in nummis observati sunt: sed lapides modo me relaturum, Jovem lapidem juraveram. Nec libris ignotum est *Acræi* cognomen, siquidem Junonis *Acrææ* quæ erat in Promontorio Græciæ adversus Sicyonem apud Titum Livium *lib.* XXXII. & Jovis *Acræi* itidem in Græcia apud eundem authorem mentio habetur. Nec statim istud *Acræi* cognomen, intelligendum est de templo in aliquo promontorio sito: nam & ipsemet Pausanias Junonem Acræam memorat in arce Argolica, quæ longe abest a mari. *Ἀνιόντων τε ἐς τὴν ἀκρόπολιν, ἔστι μὲν τῆς Ἀκραίας Ἥρας τὸ ἱερόν.* Nec mirum, *ἄκρα* enim antiquis, sicut & nunc recentioribus Græcis *ἄκρες*, B non tantum *promontorium* indigitat, verum etiam & *cacumen* & *angulum*: quod Amasæum Pausaniæ interpretem fefellit, qui hunc locum authoris sui Latine reddens, *ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ, δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ ΑΚΡΑΝ ἡλίῳ δόντος τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως*, sic ait, *qui cum isthmum Neptuno, Soli vero* promontorium, *quod urbi imminet, adjudicasset*, &c. Cum dicere debuisset *montis cacumen quod urbi imminet*, videlicet montem illum, ubi postea arx Corinthi fabricata est, quæ ideo *acrocorinthus* alias audit: sicuti & Athenis arx vertici monticuli imposita *acropolis* vocabatur. Sed in re tam plana diutius C non immoror. *Δὲν μιλῶ περισσότερον, μόνε κάμνω τέλος, παρακαλῶντας τὸν Θεὸν νὰ δώσῃ τῆς ἀφεντίας σας πολλοὺς χρόνους, καὶ ὅλα τὰ θελήματα σας ὅσον ἄξιος εἶσαι καὶ ὅσον ἐπιθυμῶ, διάτι εἶμαι πάντα μὲ τὴν καρδίαν,*

Τῆς γραμματισμένης αὐθεντίας σας

8. *Novemb.* 1676.

Ταπεινότατος δοῦλευτὴς καὶ Σκλάβος Ἰάκωβος Σπὼν, ἰατρός.

Ex Epistola D. SIBON *in suprema Aquensium Curia advocati.*

D MISSA est ad me jam urnula fictilis ex urbe Antipoli (*Antibe*) quæ ibi reperta in lapideo sarcophago, supra stantem æream laminam habebat, hisce characteribus inscriptam.

VIGILIA METIA
MASSAE FILIA
MARTI OLLOVDIO
V. S. L. M.

Si quid poteris divinare quæso ut mihi communices, &c.

E *Resp.* Vigilia Massæ filia, Λ enim aliquoties sic λ sculpi in Inscriptionibus observavi, *Marti Olloudio* ignotorum nostrorum Deorum non ingrato comiti *votum solvit libens merito*. Quid enim illud *Olloudii* cognomen sibi velit, ignoro, nisi forte ab *ὄλλυμι*, quod est *perdo, destruo*. Mars enim humani generis *destructor* merito vocaretur. Sicut e contra Mercurius, Æsculapius, Jupiter conservatores, F restitutoresque audiunt, ut in hac brevi Inscriptione ad sinum Corinthiacum, in ruderibus cujusdam urbis a me reperta, loco Πεντάγιει vocato.

I. O. M.
RESTITVTORI
AVRVNTIVS
NOVATVS P. Posuit.

Simili pacto Apollinis etymon tradit Servius, ab *ἀπόλλυμι perdo*, minus forte ad propositum; de quo consule Vossii *Etymologicum*.

Ad Inscriptiones,

II.am IOVIS TARANVCI.
XXIIª MATRVM GERVDATIARVM.
XLIIª NEHALENNIÆ.

Tractatum tuum, mi Sponi, *de Diis Ignotis* avide perlegi, cum autem quid a me observatum fuerit tibi notum facerem obnixe rogaveris, lubens meritoque præstabo.

Galli Jovem suum *Taranis* sive Taramis nomine insigniebant, illique victimas humanas immolare solebant, teste Lucano.

Et Taranis Scythiæ non mitior ara Dianæ.

Inde petitum videtur, Jovis *Taranuci* epitheton, quem forte Arria Successa ex Gallia oriunda in Dalmatia venerabatur.

Dominus Bernardus nobilis eruditissimusque Anglus Jovem *Taranucum* dici censebat pro Tonante, eo quod vox *Taran* in partibus Britanniæ australibus *tonitru* significet, atque in Dalmatiam ex veteri Lingua Celtica transiisse hanc dictionem; nisi malueris Celtas aliquot in celebri illa in Græciam & Asiam transmigratione illic hæsisse.

Nymphæ sive matres *Gerudatiæ* col. 251. meo quidem sensu erant urbis *Gerundæ*, quæ nunc etiam Girona in Catalaunia, tutelares Deæ; quamvis enim hæc ara in Provincia extet, nil me locorum distantia movet, nec absonum ullo modo videtur Provincialem aliquem uti Catalaunum inibi commorantem Catalaunensi numini votum solvere, sicuti nemo jam miratur Gallum Italumve aliquem se Divo Jacobo Compostellæ devovere.

Deæ Nehalenniæ epigrammata, quæ refers non reperiuntur in Britannia, verum in *Zelandia* ad insulam Valcheren tribus leucis ab Mildeburgo. Sed te turbavit vox Britannicianus. Minutolius noster Græcæ linguæ Professor eruditus, qui in hac ultima urbe diu commoratus est, mihi retulit se multoties ambulationis ergo Vestcapellam profectum esse, ibique sacellum aris huic Deæ dicatis refertum animadvertisse, quarum aliæ absque ulla Inscriptione, aliæ vero inscriptæ. Nonnullæ imaginem Deæ insculptam præbent, eaque sedens exprimitur dextra canistrum fructibus onustum gestans, sinistra piscibus plenum, sicque erat illa,

Diva maris terræque potens.

Tota autem illa regiuncula aræ Inscriptionesque istæ ita obviæ sunt, ut vix domus aliqua inter Medioburgum & Vestcapellam iis careat, veluti in pago Steenhove sequens hæc

DEAE NEHALENNIAE
SERVATVS THERONIS FIL. filius.

Hæc habebam proponenda, interim vale, meque amare perge,

Tuum Jacobum Flournoy.

Ex Epistola Viri Illustrissimi DIONYSII SALVAGNII BOESSII, *in suprema Fisci apud Delphinates Curia Primarii Præsidis, ad authorem.*

MARMOR antiquum in villa mea nomine *Vonrey* possideo, decem ab hinc milliaribus, in quo hæc Inscriptio legitur:

MERCVRIO AVG.
ARTAIO
SEXTVS GEMINIVS
CVPITVS
EX VOTO

Erutum fuit ex agro pagi *Beaneriſſant*, in via quæ Lugdunum tendit quatuor ab hac urbe leucis, ibique supersunt templi cujusdam rudera vepribus obruta, hodieque locus ille *le Til*, sive Tilia vocatur, eo quod ante aliquot annos insignis ac peran-

tiqua tilia illic viseretur, sicuti veterum Ethnicorum mos erat arbores juxta Deorum delubra collocare. Eandem Inscriptionem me apud Gruterum legisse memini, verum is eam Viennæ citat ad Divi Petri, ubi nunquam fuit. Non dubitarem autem sex leucis ab Lugduno distantem pagum Artas hujus Dei denominationem suppeditasse.

Egregium Dei Sylvani epigramma quod col. 242. profers, jam mihi ante triginta annos communicaverat defunctus Episcopus Genevensis; sed tertio versu legebat *maximas*, non autem *musicas*, quod autopsia certius affirmari posset.

Viri eruditiss. A. GALLANDII *Epist. secunda.*

SI redditæ tibi fuerint, mi Sponi, literæ quas Whelero tradidi, animadvertere potuisti prævidisse me, quæ de Archiocrate responsurus eras, quanquam enim sic legisse me sim certus, nolim tamen negare id vel sculptoris errore pro ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ utrobique excidisse, vel linguæ quodam vitio forte aliquando ΑΡΧΙΟΚΡΑΤΕΙ pronunciatum fuisse. Ad alia propero; Non mihi in mentem venerat, sicut tibi, vocem ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ referri debere ad Anubidem & Harpocratem, utpote Serapidis sive Osiridis filios, quem antiqui pro Jove habuerunt: censebamque Castorem & Pollucem designari, qui ab omni ævo tali gaudent nomine, nec aliud adhuc dum mihi persuadere possum. Etsi enim Plutarch. tractatu *de Iside & Osiride* asserat Anubim Osiridis ac Nephthys filium esse, illegitimo quidem connubio, cum Nephthys soror esset Isidis legitimæ Serapidis uxoris & conjunx Typhonis, Harpocratem vero Osiride & Iside natum esse, nihilominus cum nullum apud authores exemplum suppetat, quo constet par istud Deorum ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΥΣ vocitatos fuisse, veterem vocis illius significationem retinere satius mihi videtur.

Accedit ad hoc quod cum Delos sit insula, fieri potest ut qui Inscriptionem illam posuit, votum aliquod Castori & Polluci solvere debuerit, utpote nautarum & navigantium protectoribus Diis. Quod vero Jupiter atque Serapis unum & idem numen sint, præter invictas quas attulisti rationes hoc addam, me Juliæ Domnæ Græcum nummum Smyrnæ comparasse, quem Thesauro regio addidi. Is in aversa parte Clazomeniorum nomen inscriptum habet cum Serapidis typo, eodem prorsus habitu ac Jupiter, nisi quod ΠΗΧΥΝ sive modium capiti impositum habeat.

Canon cujus col. 250. meministi nihil ignoti recondere videtur. Est enim viri alicujus nomen proprium, scilicet Attali illius liberti, veluti & subsequens servus Pasiclenis nomine venit. Vale.

Responsio.

BINAS a te accepi literas, vir eruditissime, meque tibi ideo non parum devinctum fateor, quod tuas observationes mihi tradere pergas.

ΔΙΟΣΚΟΡΟΙ certe vocabantur Castor & Pollux, & eos intelligi in Deliensi marmore non admodum renuo, verum tamen quod epitheton istud aliis quam ipsis nonnunquam tributum fuerit, est mihi præ manibus non contemnendum argumentum. Inscriptionem enim vidi, in qua Cabiri etiam Dioscuri appellantur.

Venetiis, in Palatio Grimani, ex Græcia allata.

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ
ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕΡΕΥΣ
ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΘΕΩΝ
ΜΕΓΑΛΩΝ ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ
ΚΑΒΕΙΡΩΝ ΕΝ ΤΟΙ
ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ
ΜΕΤΑ ΛΥΚΙΣΚΟΝ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩΙ
ΙΔΡΥΣΑΤΟ

Priusquam eam oculis usurpassem, dubitavi num forte a descriptore omissum esset ΚΑΙ, ut legeretur ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΚΑΒΕΙΡΩΝ: verum non aliter sculptum est ac jam exhibuimus.

Quidam asserebant Cabiros esse Vulcano satos: alii vero, inquit Strabo, Jovis & Calliopes filios esse, nec a Corybantibus differre. Forte autem Dii Magni vocabantur, quod eorum ira inexorabilis esset, ut ex Pausaniæ *Bœoticis* colligere licet. Sicuti ergo Cabiri Dioscuri vocabantur aliquando, utpote qui Jovis filii non secus ac Castor & Pollux censebantur, pari ratione Anubim & Harpocratem ita nuncupari non absurdum est.

Cæterum ad Inscriptionem tuam Chiensem, obortus mihi nuper scrupulus, circa Deorum istorum titulum, qui ΣΥΝΝΑΙΟΙ & ΣΥΝΚΩΜΟΙ appellantur, quid scilicet sibi velit ultima vox ista, & an non potius legendum ΣΥΝΒΩΜΟΙ, *ad idem altare culti*, quemadmodum ab Antiquis usurpatum est.

De Canone quæ observasti, equidem videtur fuisse servi illius nomen, quanquam omnino aliena a nomine proprio sit vox ista.

Tritiæ quam Inscriptio XXXVII. exhibet, mentionem fieri apud Pausaniam repperi, ubi de Tritia urbe Achaica hæc infit. *Alii*, inquit, *a Marte tradidere Tritiam Tritonis filiam compressam fuisse, Minervæ Sacerdotem dum virgo esset: Melanippum Marte & Tritia natum urbem condidisse, & a se auctam de matris nomine appellasse. Ibidem Marti & Tritiæ rem divinam facere solemne habent.* Unde conjicere est Vibium Longum huic Deæ votum solventem fuisse origine Græcum, in partibus illis Galliæ commorantem, vel saltem huic innotuisse viro Deam Tritiam, sive fuerit in Achaja duntaxat culta, sive etiam ex Græcia in Galliam transmissus fuerit ipsius cultus.

Occurrit mihi Reinesii *Epistolas* versanti, Juno cum duobus insolitis epithetis. IVNONI STYGIAE CRESCENTINA MATRILIA CVM FILIO SVO V. S. L. M. & IVNONI PATVLCIAE T. FABATIVS TABVLARIVS OST. & PROCVRATOR FISCI PATRONVS COLLEG. LENVNCVL. IIII. VIR. QVINQVEN. D. D. Hæc Ostiæ reperta ubi Lenunculariorum erat collegium: verum illud Patulcii epitheton Jano dicatum erat, quia bello ejus valvæ patebant, & Clusii, quia pace claudebantur: unde Ovid. *lib.* I. *Fastor.*

Inde vocor Janus, cui cum Cereale Sacerdos
Imponit libum farraque mista sale.
Nomina ridebis, modo namque Patulcius *idem,*
Et modo sacrifico Clusius *ore vocor.*

En aliam elegantem Inscriptionem ad Deos nostros pertinentem, ex schedis Ligorii, ut eam refert manuscriptus codex Claudii de Bagarris celebris olim antiquarii, in qua *Fortunæ Barbatæ* mentio fit, subque viri barbati dextra temonem tenentis habitu sculpitur; sic autem se habet;

FORTVNÆ BARBATÆ
SACR.
L. AVRELIVS MARCELLIANVS
AVG. LIBERTVS EXCERPTOR
V. S. L. M.

Erat ergo Fortuna virilis, non secus ac Fortuna muliebris. Dii enim ut quibusdam placet utriusque sunt sexus: quod præcipue de Luna observatur, quæ aliquando in nummis habitu virili exprimitur, tuncque Deus Lunus audit. Sic Venerem masculam statuæ quædam exhibent, vetusque Poeta Calvus confirmat:

Pollentemque Deum Venerem.

Sed hæc notiora, quam ut persequi debeamus. Vale ac Fave.

A. GALLANDII *Epist.* III.

NON me mediocriter turbavit epistola tua ultima, ob eam quam profers Palatii Grimani Inscriptionem, ut enim ingenue fatear, mi Sponi, si Cabiros Dioscuros vocare liceat, ut ex ejus textu colligere verisimile fit, quo pacto authores antiquos conciliabimus ignoro. Etenim juxta Hesychii sententiam Cabiri sunt Vulcani filii. Hæcque ille ad V. *κάβειροι. πανὺ δὲ τιμῶνται ἔτοι ἐν Λήμνῳ ὡς Θεοὶ, λέγονται δὲ εἶναι Ἡφαίςου παῖδες.* Quod non nisi probatiorum authorum testimonio fultus affert, inter quos recensendus Strabo, qui Casmilum vel Camilum unum ex istis Diis Vulcano & Cabira satum esse ait, alios vero tres (in universum enim quatuor erant) ab dicto Casmilo genitos esse, cum tribus Nymphis Cabiridibus. Secundum ergo hanc authoritatem non erant Jovis filii. Audiendus adhuc Sch. Apoll. Rhodii, in suis *ad primum librum Scholiis*: eorum illic nomina ex antiqui authoris fide recenset. *Τέσσαρες δὲ εἰσὶ τὸν ἀριθμόν. Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν ἔν ἐςὶν, ἡ Δημήτηρ. Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη. Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅδης. ὁ δὲ προςιθέμενος Κασμῖλος Ἑρμῆς ἐςὶν, ὡς ἱςορεῖ Διονυσόδωρος.* Ita ex iis quatuor solus Casmilus Jovis filius erat, si pro Mercurio accipiatur. Verum enimvero, cui fides magis adhibenda est, Dionysodoro, an Acusilao apud Strabonem, dum Casmilum istum Vulcani filium affirmat? Etiamsi autem hunc pro Mercurio sicque Jovis gnato agnoscere animus esset, an ideo alii, quibus Jupiter parens non est Dioscurorum titulum merentur.

Circa alterum dubium mihi facile persuadeo excidisse vocem ΣΥΝΚΩΜΟΙ pro ΣΥΝΒΩΜΟΙ, prior enim nihil aliud significare posset, quam *comessationum socios*, quod nihil ad rem nostram.

Ad titulum Matris Deum ΑΓΓΙΣΤΕΙ col. 247. symbolam meam conferam. Itaque dubito annon sculptum sit ΑΓΙΣΤΕΙ sive ΑΓΙΣΤΗΙ: nam nil moror ultimam syllabam ΤΕΙ: Obvia enim est diphthongus ΕΙ pro Η. Illa autem vox ΑΓΙΣΤΕΙ nil aliud esset apud me, nisi ΣΕΒΑΣΜΙΑΙ. Habeo mihi hac in re authorem Hesychium, qui admodum favet in vocibus *ἁγιςεῖν* & *ἁγιςεύει*. Priorem ita exponit *σέβειν, ἁγνεύειν*; posteriorem vero *σέβεται*. Utraque autem vox non aliunde, quam ab *ἁγιςὸς*, cujus fœmininum *ἁγιςή*. Suidas huic opinioni non adversatur in vocibus *ἁγιςεύειν* & *ἁγιςείας*. Verum dum Pausaniam evolvo, is mihi difficultatis ambages recludit: pagina enim Aldinæ editionis 174. narrat de Agdistide & Atti fabulam: cum vero mihi notum esset, hæc eadem fere ab aliis Rheæ seu Matri Deorum tribui, ad Hesychium confugio in voce *Ἄγδιςις*, ubi ille rem omnem aperit: *Ἄγδιςις*, inquit, *ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ τῶν Θεῶν*. Ipse etiam Pausanias non obscure eandem esse cum Matre Deorum indigitat, quandoquidem a Dindymene matre aliam non fuisse *ἄγδιςιν* innuit. Itaque non dubita, mi Sponi, pro ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΑΓΓΙΣΤΕΙ legere mecum, ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΑΓΔΙΣΤΕΙ. Vide totam historiam apud Pausaniam *loco cit.* Strabo de eodem nomine non conticuit *lib.* X. ubi varias Matris Deorum appellationes recenset. Nam certe quamvis illic scribatur *Ἄίςιν*, optime Casaubonus notavit legendum esse *Ἄγδιςιν*, ex Hesychii textu supra laudato. Sed vir ille alias diligentissimus Pausaniam de Agdistide eadem non inspexerat.

Col. 254. Vocem ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ in Inscriptione Græca de Deo Eumelo, interpretatus es *tribuum magistris*. Verum, pace tua dixerim, alia est expositio investiganda: siquidem ΦΡΗΤΡΙΑ, sive ΦΡΑ-

A ΤΡΙΑ tribum Latine non significat, utpote cum sit tertia pars Tribus sive *φυλῆς*. *Φρατρία*, inquit Suidas, *ἐςὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς*. Ii vero qui ex eadem erant *Phratria* *φράτορες*, seu *φρήτορες* vocabantur, teste eodem Suida, qui prioribus verbis hæc addit, *φράτορες δὲ οἱ τῆς αὐτῆς φρατρίας μετέχοντες*. Pollux etiam huc facit *lib.* III. *cap.* IV. cum ait: *καὶ τὸ σύςημα φρητρία, οἱ δὲ καθ' ἕκαςον, φράτορες*. *Societas equidem phratria, singuli vero phratores*: Hæc enim nomina e Græcis Latina facere mihi potius est, cum nulla sint meo judicio, quibus commode efferri possint. Notandum vero tum Phratriam B tum Phratores hoc sensu referri tantum ad Tribus Athenienses. Verum & Phratria & Phratores aliam significationem ab illa diversam obtinent. Audi Hesychium, *φρήτρα καὶ φρήτρη φρατία* (corrigo & lego *φρατρία*) *συγγένεια, πατρικὴ γενεά*. & in V. *φράτορας*, post allatam priorem significationem, subjungit *συγγενεῖς*. Suidas similiter idem scribit, *φράτορας δὲ τὰς συγγενεῖς καλῦσι*. Ex his colligere est, hanc postremam significationem priori, in Inscriptione de qua agitur, anteponi debere.

Restat ut videamus quomodo propria dictione Latina exprimi valeat. Nodum hunc nobis scite C & ad rem solvet Cicero in *Topicis*. *Gentiles*, inquit, *sunt qui eodem inter se nomine sunt*. Vides hic idem Eumelidarum nomen *φρήτορσιν* illis convenire. Itaque abunde constare mihi videtur veram hujus Inscriptionis interpretationem hanc esse: *Eumelum Deum patrium (paternum* etiam rite dixeris) *gentilibus Eumelidarum, Titus Flavius Pius curator posuit cum Flavio filio*. Atque Eumelum magis placet *patrium*, quam Patrensem dici, quamvis credam hunc Eumelum eundem esse cum eo, quem Pausanias, non Strabo (qui error typographi tui est) Patrensium fuisse conditorem affirmat. Nec abs re alienum est, fieri potuisse ut illa Inscriptio D Patris aliquo casu Neapolim transvecta fuerit, aut certe Pius ille jure quodam hospitii cum Eumelidis qui Patris forsan commorabantur contracto, Eumeli gentilis eorum statuam, ut eis gratum faceret, erexerit. Gentilem Eumelum voco eodem sensu quo Tullius, *Quæst. Tusc. lib.* I. Tullum ex septem Regibus unum, suum gentilem vocat, ubi agit de Pherecyde, de quo ait: *Antiquus sane, fuit enim meo regnante Gentili*. Vale.

NICOLAI BON, J. U. D. & *Academici Dodonæi, Epistola altera.*

E QUANDOQUIDEM, Vir Clariss. Musarum fercula, quibus gaudeo delibare dedisti, priorem que epistolam meam, & quæ de Jove Cingiduo excogitaveram in lucem dedisti, ac nonnulla dicere & dictis addere commonuisti ad Inscriptiones tuas, quas iterum percurri hæc referre audebo.

Proximos qui in Inscriptione XXIII. recensentur referri censeo ad Penates, quorum proximitas familiaribus inest, qui tutelares domorum, patriæ domesticique vocantur: Unde Cicero *de natura Deorum* Penates illos dicebat qui penes nos sunt, F vel non longe absunt ab hac vita, seu quia penitus insident. Quinam ideo nobis penatibus proximiores?

Hercules Ponderum, Inscript. XXV. forte sic dictus, quod cœlum sustinendum Herculi ab Atlante datum fuerit, quia Hercules ab eo res Astronomicas, & stellarum motus didicerat. Octavius Strada nummum ni fallor Marci Aurelii refert, in quo Hercules Zodiacum, & vasti orbis molem sustinet.

Inscript. XXVI. *Herculis Somnialis*. Somnialem

A Herculem reperio, qui ſomno expergefactus latrones clava interfecit, in cujus honorem erecti ſunt Pinarii & Potitii Sacerdotes. Somnialem etiam Herculem invenio in pugna Pygmæorum, unde Alciatus cecinit,

Dum dormit, dulci recreat dum corpora ſomno, &c. Sed meliori ſententia Somnialem perpendo Herculem qui ægrotis bona ac ſaluberrima ſomnia ſperanda dedit: mos ideo ægrotantium erat ad ædem Herculis accedere, ut in ſomniis de ægritudine curanda monerentur.

B *Fortuna Torquatiana* Inſcript. XXVIII. Duplicem fortunam invenio in Torquatis, unam in Cajo Manlio, deplorandam, alteram in C. Nonnio Aſprenate cognomento Torquati, laudandam, qui aureo torque in ludis Trojanis etſi lapſu debilitatus, ab Auguſto donatus fuit, ut refert Suetonius in *Aug.* ſed arguendus Carolus Stephanus, qui fortunatiſſimum recenſet Valerium Torquatum, cum tamen nullus ex familia fuerit Valeria qui cognomento Torquati potitus ſit.

Jupiter Acræus, cujus col. 262. meminiſti, apud Smyrnæos colebatur, nam promontorium penès illos fama dignum celebratur, quod Nautis, & Mercatoribus illic negotia adimplentibus notum, corrupto ſed vernaculo idiomate *S.Giovanni d'Acri* nunc vocatur. Ibi forte delubrum aliquod Jovis antiquum erat, cum non minus cæteris gentibus ſuperſtitione clari fuerint Smyrnæi, imo & primatu Aſiæ, a quo Aſiarchæ ex templorum ſolemnitate Neocori S. C. permittente facti ſunt, nec admiraberis ſi in arce Argolica, vel Megaris Juno Acræa vocabatur, Heſychius enim Venerem & Dianam Acræam in monte Acro apud Ægyptios narrat, quibus Melampus devictis hoſtibus templum conſtruxerat: ſed quid ad nos? Extra menſam vagari & alienæ appoſita fercula temere ſubripere non licet.

FINIS.



STEPHANI BYZANTINI
GRAMMATICI
DE
DODONE
FRAGMENTUM,

QUO TOTA VETERUM DOCTRINA ET FABULATIO DE PERANTIQUO ORACULO ISTO CONTINETUR

CUM EXERCITATIONIBUS RECOGNITIS

JACOBI GRONOVII.

PRÆFATIO.



AULO jam plura in hoc vivendi stadio spatia emensus video & agnosco sic quoque comparatum esse, ut alii dies non quidem alios mores ac diversam vitam ferant, sed nec minus mutent studiorum vel in scribendo vel in meditando modum. Ad hanc Academiam primo vocatus experiebar vigere ea tunc judicia de studio linguæ Græcæ mihi commissæ. & ejus poliendæ genere plane non probanda; immo & notitiam illius sedere apud certos homines, quos omnia alia potius quam istam partem tentavisse apparebat; adeo ut non possem supersedere exemplo, quo rebus probarem, eam minime politam ab illis fuisse. Nec erat præsentius aut cum pari demonstrationis efficacia conjunctum specimen, quam Fragmenta ista Stephani in Seguierianis pluteis diu occultata, sed tandem producta ab eo, quem quia sanguinis propinquitas revereri compellebat, tanto libentius favere huic progressui tantoque junctius ea ipsa commendari mihi credere debebam. Interim tamen me peregrinante servierant illa non ad severam sacratissimæ hujus doctrinæ venustamque administrationem, sed verius ad æmulam quandam ostentationem, & εὐχερῆ κουφότητα scribendi nescio quid, certe quod ipsi auctores non intelligebant, unde pateret eos voluisse quidem aliquid conari, sed apparatu decoro destitutos. Utinam obtinuisset, atque etiamnum obtineret ea lex, Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo! Certe prisci Quirites quem laudare volebant, eum agricolam vocabant non diligentem & operis sedulum, non qui bene lætas glebas nosset eligere, in quibus niteret ejus labor: quomodo ut ad alia multa, ita nonnullos ad Stephanum venisse animadverto, non tam cum ratione, quam vento potius quodam impactos; sed bonum agricolam, qui & illa providisset, & instrumenta cætera omnia caute comparavisset, iisque uteretur apte. Similiter sane in nostro negotio prodest parum, nosse Græca, auctorem eximium labori suo legisse, & scire parva mutatione facta voces literasque transfundere, quæ quidem ambæ sic transfusæ Cajanum assem non merentur, quippe consilium scribentis nec aperientes manifestius, nec ingenium doctius splendidiusque, quam appareat ante; & similia multa, quæ mœsti sane novimus & facta & nunc fieri ab illis muscis, quæ fragrantissima illa residuæ & superstitis vetustatis unguenta, hoc politissimos mellitissimosque sublimium in Græcia vetere & Latio ingeniorum odores insidendo inquinant ac perdunt. Sed video me incidere rursus in veterem querelam, quam vitare proposueram, & vitabo quoque posthac; unde deletis omnibus illorum annorum notis ipsam Stephani pericopen cum Latino vero sensu offeram, tanto favorabiliore studio fruituram, quod præter pauca vicinas literas sortita vocabula urbium, quæ hodieque in sordibus jacent, nec ex notis etiamnum adspersis intelligi possunt, id solum specimen sit non modo laboris, quem adhibuit, & ordinis, quo digessit opus suum magnus ille a Byzantio Grammaticus, sed etiam doctrinæ ac judicii. Euge eximium & laudabilem Seguieriani scrinii in his custodiendis favorem! Denique si non ista respici placet; at Græciam illustrare libet, cujus singulare & longævum lumen fuit Dodone, & quæ de illo celeberrimo loco ad posterorum memoriam tradita sunt, in hanc periochen conjecta habemus, ut exinde omnes commentatores, ut Eustathibus, aliique ex hoc ipso epulo partes suas petierint. Quod in honorem & pretium antiquitatis facturus, rogo ut quod jure videor rogare posse, quisquis ea lecturus est, intendat cogitationem in ea, quæ nunc scripta huc congeruntur, potius, quam qua occasione quondam elaborari ista cœperint.

STEPHANI BYZANTINI GRAMMATICI DE DODONE

EXCERPTUM MEMBRANÆ SEGUIERIANÆ,

QUO TOTA VETERUM DOCTRINA ET FABULATIO DE PERANTIQUO ORACULO ISTO CONTINETUR

CUM EXERCITATIONIBUS RECOGNITIS

JACOBI GRONOVII.

[1] ΔΩΔΩ'ΝΗ *πόλις τῆς Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ,* A [2] *καθ' ἣν Δωδωναῖος Ζεὺς, Δωδώνης μεδέων. καὶ Διονύσιος·*

Δωδώνης ἤπειρος ἀπείριτος ἐκτετάνυσται.

Φιλό-

DODONE urbs Molossidis in Epiro, a qua Dodonæus Jupiter, Dodones Imperator. & Dionysius;

Dodonæ continens immensa porrecta est.

Philo-

1. *Δωδώνη πόλις Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ.*) Satis clare affirmationem suam proponit Stephanus, & definitionem loci, quo sita sit Dodone, circumscribit, quam nos quoque pro certissima habemus; sed quæ ab non levibus momentis videtur impelli & everti. Quæ tamen antequam colligamus, præmittendum hic est tractari veram Geographiam, & ex historia ac chronologia probatam; neque si quis minutus scenæ artifex epitheto singulari hunc Jovem & ejus oraculum prosequutus est, inde debere de Geographia concludi. Itaque primum ipse pater eruditionis nostræ Homer. *Iliad.* B. 479. hinc abit cantans:

—— *Μενεπτόλεμοί τε Περραιβοὶ*
Οἳ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί' ἔθεντο.
—— *Bellicosique Perrhæbi*
Qui circa Dodonem hiemalem sedes posuerunt.

Ex quibus concludit Vir Nobilis in *Antiqua Græcia* p. 325. ab Homero Dodonem in Perrhæbia poni. Rursus idem in *Odyss.* Ξ. 327. Ulyssem ignoratum inducens narrantem Eumæo, quemadmodum ejectus fuerit ad Thesprotos, quorum rex Phidon eum hospitio exceperit, tum subnectit, *τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι,* &c. *eum vero Dodonem ivisse dixit.* Qua in narratione, quia de Thesprotis mentionem facit, ac Dodonæi oraculi meminit, inde regioni Thesprotiæ claritatem dedisse Jovis Dodonæi oraculum, affirmat Ludovicus Nonnius *ad Græciam Goltzii* p. 14. maxime quum & Pindarus *Θεσπρωτίδα* (sic recte Nonnius, negligenter Grentemesnilius p. 326. Strabonem citat quasi *Θεσπρωτικὴν* scripserit) dixerit, sed ita tamen, ut posterioribus sæculis, Strabone teste, concedat Molossorum juri attributam fuisse. Quin etiam ad hæc verba sic Eustathius: *Ποιεῖται δὲ μνήμην καὶ Δωδώνης πόλεως Θεσπρωτικῆς ποτε, εἰ καὶ ὕστερον ὑπὸ Μολοττοῖς φασὶν ἐγένετο.* *Facit vero mentionem etiam Dodones urbis quondam Thesproticæ, etsi deinceps sub Molossis dicunt fuit.* Hujus autem illa verba successionem quandam & imperii mutationem notantia respexisse videtur Ubbo Emmius, scribens *Dodonæ fanum cum oraculo Jovis famosissimo quondam ditionis Thesprotiorum, sed aucta Molossorum potentia Molossidi adscriptum.* Sic quoque Herodotus II. 56. refert se audivisse ab Dodonæis, mulierem ex Ægypto per Phœnices transvectam *πρηθῆναι ἐς Θεσπρωτούς. ἔπειτα δουλεύουσα αὐτόθι, ἱδρύσασθαι ὑπὸ φηγῷ πεφυκυίῃ Διὸς ἱρόν.* *Venditam fuisse ad Thesprotos: deinde servientem*

A *ibidem, erexisse sub fago enata fanum Jovis.* Et pariter Strabo, ut audivimus jam ex allegatione Nonnii, tum ipse Dodonem olim sub Thesprotorum imperio agnoscens, tum a tragicis & Pindaro Thesprotida Dodonem appellari testatus, addens tamen, *ὕστερον δ' ὑπὸ Μολοττοῖς ἐγένετο.* Quin etiam Pausanias l. I. in *Atticis* p. 30. *τῆς δὲ γῆς τῆς Θεσπρωτίδος ἐστι μέν που καὶ ἄλλα θέας ἄξια, ἱερόν τε Διὸς ἐν Δωδώνῃ καὶ ἱερὰ τοῦ θεοῦ φηγός.* *Regionis autem Thesprotiæ sunt quidem ibi etiam alia visu digna, fanum nempe Jovis in Dodone sacraque dei fagus.* Denique etiam, nequid his varietatum ludibriis abesset, fabularum scriptor sub Higini nomine & Molossos & Dodonem in Macedoniam transfert c. 225. *Thessalus templum* (scil. fecit) *quod est in Macedonia Jovis Dodonæi in terra* B *Molossorum.* Sed quod absurdissimum est, ipse Stephanus hanc sic concisam pronunciationem videtur refutare. Nam quum, ut audiemus, mox infra repellat Philoxenum duas Dodonas statuentem, id ita illic facit, ut Thessalicam tantum Dodonem repudiet, ac Thesproticam admittere videatur: unde fit, ut qui nunc ponat Dodonem in Molosside, vix quinque versibus post transferat eandem in Thesprotiam. His ergo mutationibus ac hæsitationibus ut opitularetur Grentemesnilius, statuit in *Græcia Antiqua* p. 326. & eum sequuti alii, hanc Dodones regionem videri modo Perrhæbiæ, modo Thesprotiæ, nunc Molossidi dari pro temporibus, quibus invaluerunt ii populi, qui sui juris eam fecerunt regio- C nem; ac Molossidem concludit olim Thesprotiam vocatam & partem Thesprotiæ fuisse, & denique Molossiæ nomen prævaluisse Thesprotiæ. Et fateri debemus fieri posse, ut eædem regiones, quæ ante paucos annos accensebantur alteri corpori, postea ab vicino populo occupatæ ab aliis scriptoribus attribuantur his ipsis, qui nuperrime occupaverunt. Et quod in mentem mihi commodum venit, maximus ille Bochartus observat, quum in Persicarum gentium, quæ Samariam translatæ sunt, catalogo Susancæi & Elymæi in sacris Litteris separatim nominentur, quasi distinctæ gentes, tamen ab alio rursum Susan, quæ Susiorum metropolis, D describi in provincia Elam. Ut aliquid saltem ponderis habere videatur hæc componendi ratio. Quæ tamen ipsa si admittatur, tum spinæ exsurgent non paucæ, tum nihil prorsus auxilii redundabit ad Stephanum. Nam si Molottis fuerit pars Thesprotiæ, aut in ea parte Molottidis, quæ

inhærebat Thesprotiæ, fuerit Dodonæ, profecto non τ̃ Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ, sed τ̃ Μολοσσίδος ἐν Θεσπρωτίᾳ urbem dicere debuit Stephanus. Nam Stephanus Epiro Thesprotiam non attribuit, sed cautissime quidem & Thesprotos dicit habitare circa sinum Ambracium, & rursus Ambraciam urbem vocat Thesprotiæ, exclusa undique Epiro. Et habuit is tam certe auctores suos, quam apud Photium Helladius, quum dixisset Græcos omnem terram vocare ἤπειρον, ausus fuit addere Ἤπειρος δὲ ἰδίως ἡ Θεσπρωτίας, *Epirus autem proprie & Thesprotiæ*, ultra fidem porrecta notatione.

Ex quo patet, etiamsi grate accipiamus conciliationem Palmerianam, forsan aliis scriptoribus paulum succurri, at Stephanum, cui nos consultum volumus, & quem ut eruditissimum virum amamus maxime, quique adeo in causa fuit, ut ad considerationem nostram hoc quidquid est admiserimus, hærere in eadem culpa & sibi obloqui. Quid ergo est? Nempe plane censemus eos scriptores, qui in Thesprotia aut Perrhæbia ponunt Dodonen, non bene intellexisse Homerum. Scilicet omnis eruditionis materia semper fuit Homerus, etiam Geographiæ. Id ex Strabone, id ex aliis est manifestum. Prout ergo is fuit intellectus, hinc omnibus disciplinis regula dictata fuit. Hinc quum is ipse Homerus nunc ad Thesprotorum, nunc ad Perrhæborum mentionem Dodonem citaret, aliis hos, illos aliis præferentibus fingenda fuit imperii quædam mutatio, & bella, quæ fuerunt nunquam. Neque enim Homerus dicit plane in Thesprotis fuisse Dodonen; sed ait hominem, qui venerat ad Thesprotos, & ab rege eorum liberaliter erat exceptus, eum se intellexisse ivisse ad Dodonem, non utique sitam in ea ipsa Thesprotorum regione, sed ubicumque, sive in Molossis, sive alibi. Id enim Homerus nec determinat, nec determinare necesse habuit, ita ut ex eo loco ad situm Dodonæ nihil possit deduci. Itaque hic nequeo adorare auctoritatem vel Eustathii vel Tragicorum vel cujusquam aliorum istius generis; præsertim quum quid hic negotii lateat, videatur satis aperire Scylax, notans Molottos brevi prorsus spatio pertinuisse ad mare juxta Cassopos, quibus ab altero adjacent versus Boream Thesproti: καθήκουσι δὲ κατὰ μικρὸν ἐπὶ τ̃ θάλατταν, *pertinent vero exiguo spatio ad mare*, nempe spatio stadiorum XL. (at illi priores singuli cursu dimidiati diei) quum in mediterraneis late possideant. Hinc videtur accidisse, ut navigaturi ad consulendum hoc oraculum soliti fuerint appellere ad regionem vel Cassoporum vel Thesprotorum, quibus utrisque Molossi fuerunt a tergo, & regio celebratur ἀλίμενος, quum in litore exiguo Molossorum statuatur portus nullus. Itaque voces Homericas junctim intelligere immerito maluerunt, nec est, cur eos sequatur aliquis.

Sed nec alter locus Homeri quidquam officit, quo minus certa sit positio Dodones in Molottide. Nam quum recenset hoc modo, *& bellicosi Perrhæbi, Qui circa Dodonem domus posuerunt*, illud περὶ *circa* non utique notat proxime habitantes, & ante omnia vicinos, ut excludant Molossos, in quorum ultima parte & maxime Perrhæbis finitima potuit stetisse illa Dodone nostra. Etiam circa Woerdam novimus habitare Ultrajectinos, nec propterea tamen hæc extra eorum fines sita esse definit. An quum Æschylus ἐν Ἱκέτισι vers. 264. dicit τήνδε Περραιβῶν χθόνα, Πίνδου τε τἀπέκεινα Παιόνων πέλας, ὄρη τε Δωδωναῖα, *hanc Perrhæborum terram, & ulteriora Pindi prope Paones, montesque Dodonæos*, ideo illa omnia sunt unus locus? Certe hæc simillima istis Homericis. Ne dicam, quod ad locum Homeri, ubi is Dodonen ad Perrhæbos refert, notet Didymus Δωδώνη χωρίον ἐν τ̃ περβορείῳ τ̃ Θεσπρωτίας, *Dodone regiuncula in ultraboreali parte Thesprotiæ*, plane

A contra sententiam auctoris & verborum, quæ illic ante oculos habebat. Quare quum satis constet perinfirma illa esse omnia, decernimus & appellamus cum Stephano Δωδώνην πόλιν τ̃ Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ, *Dodonen urbem Molossidis in Epiro*, idque ita, ut credamus eam fuisse ab initio & semper deinceps in potestate Molossorum: & quum de Perrhæborum aut Thesprotorum potentia ac dominatione super Molossos nuspiam certum aliquid legamus, opinamur vanas esse conjecturas, quas sibi finxerunt veteres illi eruditi. Historiam certam requirimus, non commentantium suspiciones. Illa vero aperte docet Molossos omnibus ætatibus in sua regione satis claros fuisse, & monumenta nomini suo per certas occasiones ampla etiam & insignia prodidisse, ut sub Perrhæbis latitare non debeant. Molossorum primum in ea regione regnum fuisse testatur Justinus ex Trogo lib. XVII. Id ipsum & vetustissimam hanc appellationem probat fabularis historia manifeste, quum & Ἀϊδωνεὺς audiat Βασιλεὺς Ἠπείρου τ̃ ἐν Μολοττοῖς, *Aidoneus rex Epiri quæ in Molottis*, ut dicitur apud Eustathium ad Dionysium, ut solet, ex aliis id habentem. Cujus Aidonei ætatem inde licet colligere, quod apud Plutarchum legitur Theseus εἰς Ἤπειρον συναποδημῆσαι, ἐπὶ τ̃ Ἀϊδωνέως θυγατέρα τ̃ Μολοσσῶν βασιλέως, *in Epiron una peregre profectus est ad Aidonei filiam Molossorum regis*: etsi Pausan. l. II. p. 125. dicat, ὅτε σὺν Πειρίθῳ Θησέως ἀπελθόντος ἐς Θεσπρωτοὺς, *quando cum Pirithoo Theseus abivisset ad Thesprotos*. Hinc etiam altius repetendo & antiquitatis cognitæ causa potest videri Ovidius obsidem ab Lycaone interimendum impie duxisse de gente Molossa. Rursus post Theseum Æneas ἐκ Μολοσσῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθὼν μετ' Ὀδυσσέως, *e Molossis in Italiam veniens cum Ulysse*, memorabatur in aliqua narratione, ut ab scriptore catalogi sacerdotum Junonis Argivæ relatum fuisse testatur Dionysius Halicarnasseus; ut mirum profecto sit ab nonnullis scribi Molossos κατῆχθαι ὑπὸ Πύρρου ποτὲ τ̃ Νεοπτολέμου παιδὸς, *deductos fuisse sub Pyrrho quondam Neoptolemi filio*, ut est apud auctorem Perigeseos ad Nicomedem, latius id ipsum declarante Servio *ad Virgilium* III. *Æn.* 319. qua'i Pyrrhus Andromachen habuerit legitimam uxorem, & ex ea filium Molossum susceperit, a quo Molossia dicta sit pars Epiri, quam Helenus postea a fratre Chaone Chaoniam nominaverit. Adeo de omnibus omnia nonnulli maluerunt edere, quam tacere, quod esset incognitum. Paulus Æmilius LXX. Epiri urbes uno die delevit; quod quum ex Polybio retulisset Strabo, addit, Μολοττῶν δὲ ὑπάρξαι τὰς πλείστας, *Molossorum fuisse plerasque*. Quando has sui juris fecit Molossus? utrum inter Philippi primi & posterioris ac Persei tempora? at toto illo tempore Χάονας καὶ Μολοττοὺς τ̃ ἀεὶ Μακεδόνων λείαν, *Chaones ac Molossos semper Macedonum prædam*, vocat Appius apud Plutar. An vero ante Macedonas per Philippum erectos? qua quæso temporis parte? Ex Plutarcho enim novimus a quibusdam scriptoribus primum a diluvio Phaethontem creditum fuisse regem Thesprotorum & Molossorum. Hic in æquo gradu junctos videmus, neque aut de Thesprotis aut de Molossis quidquam constituere possumus. Sed ibidem audimus ex aliis, quibus profecto non defuit sua auctoritas, Deucalionem & Pyrrham templo apud Dodonem constructo habitasse ibi Molossis. Tempore Themistoclis in Epirum fugientis non memoratur ibi aliquis ex Thesprotis regnasse apud eundem Plutarch. sed Ἄδμητον, ὃς βασιλεὺς μὲν ἦν Μολοττῶν, *Admetum, qui rex quidem erat Molottorum*, haud dubie eos nominans ut principem gentem. Rursum scribit idem Molossos seditione concitata & Æacide ejecto, filios Neoptolemi adscivisse. Ergo & hoc tempore Molossi non cedunt cuiquam Epirotarum po-

pulo majorem dominationem. Sic igitur quum ab optimis agnoſcatur conditio Molottidis, etiam oraculi Dodonæi poſſeſſio illi ab eiſdem tribuitur. Cicero lib. I. Divinat. *Maximum vero illud portentum iiſdem Spartanis fuit, quod cum oraculum ab Jove Dodonæo petiviſſent, de victoria ſciſcitantes, legatique illud in quo inerant ſortes, collocaviſſent; ſimia quam res Moloſſorum in deliciis hæbebat*, &c. Martianus Capella lib. VI. pag. 209. *Moloſſique Dodonæi Jovis fano inclito celebrati.* Hinc diſtincte admodum jam nominatus auctor Periegeſeos ad Nicomedem: Μετὰ δὲ τοὺς Θεσπρωτοὺς Μολοττοὶ λεγόμενοι οἰκοῦσιν, ἥ τε Δωδώνη Διὸς μαντεῖον. Ἵδρυμά ἐστι δ᾽ οὖν Πελασγικόν. Ἐν τῇ μεσογείῳ δ᾽ εἰσὶ μιγάδες βάρβαροι, οὓς καὶ προσοικεῖν φασι τῷ χρηστηρίῳ. Μετὰ τοὺς Μολοττοὺς δὲ Ἀμβρακία, &c. *Poſt Theſprotos autem Molotti nuncupati habitant, Dodoneque Jovis oraculum; eſt autem fabrica Pelaſgica. In mediterraneis vero ſunt immixti barbari, quos etiam habitaſſe dicunt juxta oraculum. Poſt Molottos Ambracia*, &c. Hunc certe locum cum ſua Epiri tabula componere non auderet Laurenbergius. Unde etiam oportet ſtatui illum Pyrrhum, qui ſe Moloſſum in inſcriptione profeſſus erat, ideo ἀναθῆναι τῷ ἐν Δωδώνῃ Διί *poſitos fuiſſe in Dodone Jovi* clypeos Macedonum ex victoria Antigoni, ut refert Pauſanias citato loco. Ut neſciam, quam bene conſilium Dionyſii tyranni exſequatur Diodorus Siculus etiam in loco jam ſignato, quo ſcribit eum conſtituiſſe ἄφνω μεγάλαις δυνάμεσιν ἐπιπλεῦσαι τοῖς κατὰ τὴν Ἤπειρον τόποις, καὶ συλήσειν τὸ ἐν Δελφοῖς τέμενος, γέμον πολλῶν χρημάτων, *repente magnis copiis navigaſſe ad loca Epiro adjacentia, & expilaſſe Delphicum fanum, plenum multis opibus*. Potuit ita fieri. Sed quum impetus ejus ſolam Epirum pro ſcopo habeat, certe intellexit τὸ ἐν Δωδώνῃ τέμενος, non alterum ἐν Δελφοῖς, ut perperam editur. Ergo & Plinius non dubitata quaſi hiſtoria in præfat. lib. IV. Hiſt. Nat. *Selli, Hellopes, Moloſſi, apud quos Dodonæi Jovis templum oraculo illuſtre*. Et hæc illi omnia ex antiquioribus auctoribus petierunt. Quando ergo illum felicem diem, quo Theſprotii pro parte ignobili ſuæ dominationis habuerunt Moloſſos? quando Moloſſi id excuſſerunt jugum? Quid futilius eſt, quam cenſere, quum Strabo ſub Tiberio ſcribens ponat in Moloſſide, Pauſanias ſub Antoninis in Theſprotia, Stephanus citeriori tempore in Moloſſide, tunc eos ita ſolitos ambigere & variaviſſe limitem & imperium? non ſecus ac ſi liberæ fuiſſent gentes, atque otium tam dives illis ac laſcivum fuiſſet, quum in duriſſima ſervitute, ſine opum nervis, ſine viribus agerent, ac nihil egregium aut memorabile geſtum ab iis noverimus. Tum enimvero vacavit illis ſcilicet de Dodone arma movere, quum ea eſſet nullius ultra pretii, utpote ceſſante oraculo ac ſilente. Quid jam ſi videamus ipſum Strabonem, ubi ad veriorem hiſtoriam venit, illepidiſſime vacillantem? Incipiens de gentibus Epiroticis ſcribere pag. 323. prodit. Τῶν μὲν οὖν Ἠπειρωτῶν ἔθνη φησὶν εἶναι Θεόπομπος τεσσαρεσκαίδεκα. τούτων δ᾽ ἐνδοξότατα Χάονες καὶ Μολοττοί, διὰ τὸ ἄρξαι ποτὲ πάσης τῆς Ἠπειρώτιδος, πρότερον μὲν Χάονας, ὕστερον δὲ Μολοττούς, οἳ καὶ διὰ τὴν συγγένειαν τῶν βασιλέων ἐπιπλέον ηὐξήθησαν. τῶν γὰρ Αἰακιδῶν ἦσαν· καὶ διὰ τὸ παρὰ τούτοις εἶναι τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντεῖον, παλαιόν τε καὶ ὀνομαστὸν ὄν. *Epiroticas quidem gentes ait eſſe Theopompus quatuordecim: Earum vero nobiliſſimæ Chaones & Moloſſi, propterea quod olim toti Epiro imperaverunt, primum quidem Chaones, poſtea vero Moloſſi, qui & ob cognationem regum magna fecerunt incrementa: erant enim ex Æacidis; & eo quod apud ipſos eſſet Dodonæum oraculum, vetuſtum ac celebre.* Indulgeamus Straboni Chaonas, quia utique primas Molottis non daturos ſe apparet conjuraviſſe. Utique veriſſima eſſe, quæ refert de Æacidarum cognatione, ipſe rex Pyrrhus affirmat inſcribens ſpoliis in templo Ἰτωνίδος Ἀθηνᾶς conſecratis ΠΥΡΡΟΣ ὁ ΜΟΛΟΣΣΟΣ: rurſum quum ex eo quæreretur, cur non potius ſuo tempore Demetrium opprimeret, quam mallet περὶ τῶν ἐν Μολοττοῖς ἱερῶν καὶ τάφων διαγωνίσασθαι, *pro Molotticis fanis ſepulcriſque decertare*. Nuſpiam Theſproti, ignoti Perrhæbi, aut quædam ſingularis mutatio ac tranſitio dominii. Et quam bene diſtinguit fines Theſprotorum ab Molotticis Livius lib. VIII. ſcribens Acherontem ex Moloſſide fluentem, Theſprotico ſinu in ſtagna inferna accipi? Quæ Geographica egregie conveniunt cum verbis Scylacis antea productis & inſpectis. Et hinc intelligenda Herodoti verba V. 92. ἐς Θεσπρωτοὺς ἐπ᾽ Ἀχέροντα ποταμόν, *ad Theſprotos verſus Acherontem fluvium*.

Nihilominus Lud. Nonnius in commentario *ad Græcos Goltzii nummos* abſque dubio in Theſprotia ſtatuit oraculum Dodonæum, atque adeo omnem commemorationem ejus in caput de Theſprotia conferendum judicavit. Quod tantum abeſt, ut ſequi debeamus, ut invictum præbeant illi ipſi nummi argumentum, nihil ad Theſprotos pertinuiſſe oraculum Dodonæum, ac peſſima argumentatione ipſe ad Theſprotos Dodonen retulerit. Sunt illic nummi ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ & ΘΕΣΠΡΩΤΙΩΝ. In nummis Theſprotiorum (addunt enim illi jota, cum aliis ſit ignoratum) videas faciem regis Pyrrhi ab una parte, ab altera nunc Victoriam cum quadriga, nunc equitem haſta trucidantem militem proſtratum. Itaque nihil hic, unde evinci poteſt Theſpotiorum fuiſſe oraculum Dodonæum. At vero in





nummis Epirotarum, quos hic addo, paſſim nunc facies Jovis Dodonæi, nunc Jovis & alterius fœminæ, nunc ſolius fœminæ: ab altera vero nummorum parte nunc aquila eſt Jovis ales, nunc Jovis κηπτός, nunc bos, & circumvolvitur his omnibus corona, cujus folium apertiſſime apparet eſſe querneum (ſic quoque ait Plutarchus Μακεδόνας κλάδους δρυὸς ἀναστέφεσθαι, διὰ τὸ καὶ τοὺς περὶ ἐκεῖνον, Pyrrhum, ἐστεφανωμένους εἰσορᾶν. *Macedones ramis querneis coronari, eo quod etiam Pyrrhum coronatum viderent,*) ut jam ex nummis plane oraculi Dodonæi poſſeſſio vindicetur Epirotis. In quibus Epirotis ſi quis tam tenax eſt, ut tamen Moloſſos eſſe neget, quibus nummi id tribuant, ſed aliam quandam Epiri nationem: reſpondeo utique conſtare certiſſime ex nummis, Theſprotos prorſus ab ſacra Dodonæ quercu alienos eſſe; rurſum conſtare ex iiſdem nummis, Epirotas utique fuiſſe ejus poſſeſſores, at ex ſcripto-

ribus eos Epirotas definiendos esse non alios, nisi solos Molossos, & rectissime definivisse Stephanum. Hic itaque mirari satis nequeo aut esse aut fuisse aliquos, qui Molossorum nomen recentius bello Trojano statuunt, & ab Molosso Heleni filio deducunt. Ne multa, sunt meræ gerræ Siculæ. Cæterum abire hinc nequeo, quin diligentius inspiciam nummos illos satis insignes, quorum mentio facta est. Nam quum Lud. Nonnius venit ad explicationem faciei muliebris, quæ apparet in iis nunc sola, nunc comitata Jovem; hanc Nonnius ait procul dubio esse faciem Junonis; & causam suæ pronunciationis addit, nullam enim Deam veteres Jovi, præter Junonem, conjungebant. Quod Nonnianum est ipsum merum Lactantii lib. I. *Instit.* c. XI. *Jupiter enim sine conturbernio conjugis coli non solet.* Etsi addat ille etiam *filiæque*, ex Capitolio Romano, quæ hic locum non habet. Unde etiam tanto facilius sub imagine Jovis Hammonis potuerunt regem effingere apposita ei muliere, ut fit in marmore apud Caninum tab. 98. & ab aliis repetito. Apparet vero Nonnium quum ista scriberet, nequaquam cogitavisse de Jove Hercinnaque apud Lebadiam cultis, ut vocavit Livius. Itaque hactenus patior id in Nonnio, quem novimus non semper fuisse circumspectissimum, nec etiam satis ingenioso apparatu instructum. Sed quod nuper quoque primarius ille æris & argenti pristini æstimator Pet. Seguinus in *Selectis Numism.* pag. 51. hæc verba sibi excidere passus sit, quasi res certa esset, *ut Junonis Reginæ, quam simul cum Jove Dodonæo in Epirotarum nummis videmus*, id vero non concoquo. Quid enim? an sic gigantes sumus, ut Epirum trans mare Jonium in Aventinum transjiciamus? Nihil Dodonæis fuit unquam cum Junone, aut Junone Regina. Et tamen hæc istius Deæ contemplatio ita perstrinxit oculos, ut ne modo quidem caverit Harduinus in nummis istis male illustratis scribere pag. 154. *Ex parte altera Jovis ipsius vultus expressus, vel Jovis simul ac Junonis.* Contumaci sane arrogantia; quæ occupavit quoque interpretem Thesauri Palatini, ut scriberet pag. 254. *In tertio & quarto Jovis capiti adjunctum caput Junonis est*; quum in Brandeburgico reposita ea ipsa tabula obliviscatur fæminei capitis. Nam quæ sit ea mulier, patefacient verba Strabonis lib. VII. pag. 329. Κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν ἄνδρες ἦσαν οἱ προφητεύοντες. Καὶ τοῦτ' ἴσως καὶ ὁ ποιητὴς ἐμφαίνει. ὑποφήτας γὰρ καλεῖ, ἐν οἷς τάττοιντο ἂν καὶ οἱ προφῆται. ὕστερον δ' ἀπεδείχθησαν τρεῖς γραῖαι, ἐπειδὴ καὶ σύνναος τῷ Διῒ προσαπεδείχθη ἡ Διώνη. *Initio quidem viri fuerunt vaticinantes. Et illud forsan etiam poeta significat; nam sublocutores vocat, quibus comprehenduntur etiam prophetæ. Deinceps vero constitutæ sunt tres anus, quoniam Dione etiam in contubernium templi Jovis est recepta.* Patefaciat Demosthenes oracula ab quercu Dodones data recensens *adversus Midiam*. ὁ τοῦ Διὸς σημαίνει θεωροὺς ἐννέα πέμπειν διὰ ταχέων τῷ Διῒ τῷ Δωδωναίῳ ἀροτρεῖς βοῦς, τῇ δὲ Διώνῃ βοῦν. *Jovis filius mandat novem legatos sacrorum causa mittere celeriter Jovi Dodonæo aratores boves, Dionæ vero bovem*, &c. Et de falsa legatione contra Æschinem. Ἅπασι τοίνυν μιᾷ γνώμῃ παρακελεύεται κολάζειν τοὺς ὑπηρετηκότας τι τοῖς ἐχθροῖς, ὁ Ζεὺς, ἡ Διώνη, πάντες οἱ θεοί. *Omnes igitur una mente adhortatur punire illos, qui aliquid subministraverint hostibus, Jupiter, Dione, omnes Dii.* In Epistola IV. contra Theramenem: Καὶ ταῦτα οἶδα καὶ τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον καὶ τὴν Διώνην ἀεὶ λέγοντας ἐν ταῖς μαντείαις. *Et hæc scio etiam Jovem Dodonæum & Dionen semper dicere in oraculis.* Porro hic ipse Jupiter quum in quercu sua tantopere exsultet, eamque capiti etiam suo & uxoris circumdet, ex ea præbet se cognoscendum. Nam certe quidem querneam coronam fuisse Jovis ostendit Ovidius lib. III. *Trist.* el. I.

En domus hæc, dixi, Jovis est; quod ut esse putarem
Augurium menti querna corona dabat.

Et Tertullianus: *Præferuntur etiam illis Etruscæ: hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes ad deducendas tensas cum palmatis sumunt.* Sed quum Joves fuerint plures, patet non esse Capitolinum illum, sed alium; quum jamdiu Ill. Scaliger in doctis illis Conjectaneis probaverit ex Sophocle & Catullo, numina infera, ut Hecaten, Parcas, solita fuisse coronari quercu. Nempe hæc regio erat multis de inferno celebrata fabulis, ubi & fluvius erat Acheron, & stagna inferna notabat Livius, & nomen Αἰδωνέως quasi sedem habebat, fortassis ab propria hujus Jovis apud suos appellatione derivatum. Itaque & Dionen hanc (cujus faciei fila certe in meo nummo quum sint longe alia ac Goltziana & Palatina, quibus propterea nihil fido, ideo ecty-



pum accurate hinc expressum appono) quæ fuerit, facile adsequeremur, si huc referri oporteret ex Ovidio lib. VI. *Fast.* 713. *Dodoni Thyene* vel *Thione*, ut MSS. præbent; vel Νύμφαι Δωδωνίδες majore numero aut circa Bacchi nutrimenta notæ; aut Hyadum postea appellatione magis claræ apud Higinum & Scholia Germanici in Tauro aliosque; vel ex Servio sic commentante *ad librum* III. *Æn.* 466. *Vel Dodonæos* lebetas vocat, *quales sunt in templo Dodonæi Jovis. Hæc autem regio in finibus Ætolorum* (potuit extendisse limites. nisi tamen *Hellorum* aut *Sellorum* scripserit) *est, ubi Jovi & Veneri templum a veteribus fuerat consecratum.* Nec mireris cum Venere jungi Jovem, quum & in Cypro Veneris insula nominetur Sacerdos Jovis apud Justinum in Historia Didonis. Verum ista Serviana sunt admodum vaga & porrecta. Itaque limitemus. Hujus nempe Jovis & Diones filiam dixit Venerem Πάνδημον omnis antiquitas, cujus testimonia post Scaligerum in Conjectaneis pag. 29. collegit Tristanus tom. II. pag. 365. Hæc vox Græca quum ex illis appareat, quam diverso respectu & notatione intellecta fuerit Græcis, vix potest esse ambiguum, quin hæc ipsa Venus sit illa, cui Servius ab Dionysio Halicarnasseo lib. IV. cap. 19. scribitur consecravisse θησαυρὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει (perinde ut Dione mater talem nemorosum locum sortita fuit) καθιδρυμένον, *thesaurum Veneris in nemore depositum*, eamque cognominari Libitinam, quo conferretur aliquid ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων, quo nullum magis πάνδημον & omni populo incumbens munus reperiri potest. Unde etiam hanc Epiroticam Dionen plane non aliam intelligo, quam istam in Sicilia celebratam Proserpinam ex campo Hennæo ab Stygio hoc vel Dodonæo Jove raptam versus Acherontem.

2. *Καθ' ἣν Δωδωναῖος Ζεὺς, Δωδώνης μεδέων.*) Vehementer mihi placuit sententia Josephi Scaligeri negantis, se videre, quomodo e dignitate Stephano aliqua interpretatio posset adjici. Unde quoque Salmasium novimus consilium vertendi hujus Lexici, quod ante formaverat, abjecisse; & plane

Φιλόξενος δὲ ὁ τὴν Ὀδυσσείαν ὑπομνηματίζων, δύο φησὶ, 3 Θετταλικὴν καὶ Θεσπρωτικὴν, οὕτω· Δωδώνην νῦν φησὶ τὴν Θεσπρωτικὴν, 4 ἐν ᾗ τὸ μαντεῖον ἐκ τῆς δρυός· ἑτέρα δὲ ἡ Θετταλικὴ, 5 ἀφ' ἧς ὁ Ἀχιλλεὺς καλεῖ τὸν Δία. 6 Ἔοικε δὲ ὅπως 7 ἐπιλελῆσθαι τὸ,

—— 8 Ἀμφὶ

A Philoxenus autem, commentans Odyssean, dicit duas, Thessalicam & Thesproticam, ita: *Dodonen nunc ait Thesproticam, in qua oraculum ex quercu. Altera vero Thessalica, a qua Jovem Achilles vocat.* Videtur vero ita oblitus fuisse ejus;

—— *Circa*

hunc laborem non dubitavit supervacuum vocare magnus Casaubonus. Nunc autem illustriora eluxerunt tempora, neque cessaverunt homines male seduli vacua interpretatione Stephanum obscurare. Nam quis Latinus legens illas versiones, *a qua Jupiter Dodonæus, qui Dodonæ præsidet*, vel *apud quam Dodonæus Jup. qui D. p.* vel minimum concipere potest ejus, quod intendit Stephanus? Plane quidem id est κατὰ ποιητικὴν ἑρμήνειαν, ut dicit Eustathius & solent loqui Græci Grammatici. Sed id plane non vult Stephanus, neque ipse exponit velut glossam Ζεὺς Δωδωναῖος. Ut jam diximus, nihil erat quondam apud Græcos tota literatura, atque adeo etiam Grammatica, nisi explicatio *Iliados* & *Odysseæ*. Hoc omne erat ejus artificium. Id Stephanus, utpote Grammaticus, quoque nunc facit, non quod dicere velit ab Dodona esse Jovem Dodonæum, & hunc postea sic explicet, qui Dodonæ præsidet, quasi Δωδώνης μεδέων sit interpretatio vocis Δωδωναῖος; sed simpliciter ait Dodonen urbem esse, unde apud Homerum haberetur Δωδωναῖος Ζεὺς, & rursum alio loco Δωδώνης μεδέων. cui sive addatur, sive auferatur δυσχειμέρου, certe manum ideo non verterim; neque fieri potest, ut non antiquitas fragmenti hujus castior videatur, quam immunda ista Hermolai epitome. Certe sicut hic Δωδώνης μεδέων, ita Thales phialam mittens Apollini Milesio inscripsit μεδέοντι Νείλεω δήμου, ut ex Callimachi jambis testatur in vita ejus Diogenes Laertius. Certe quod innuo, etiam probat aperte Hesychius: Δωδωναῖε, ἐπίθετον Διὸς ἀπὸ Δωδώνης, διὰ τὸ ἐκεῖ τιμᾶσθαι τὸν θεόν. *Dodonæe, epitheton Jovis ab Dodone, quia illic colitur is Deus.*

3. Φησὶ, Θετταλικὴν καὶ Θεσπρωτικὴν, οὕτως.) Nisi fallor, justam operam huic deposito loco, & notis pravis confixo antea non secus ac si bos ab Molosso tractaretur, adhibuimus, & ita, ut ipsam veram manum ac sententiam Stephano restituerimus. Unde si ex ullo alio loco, certe ex hoc patet, quanta licentia truncarit Stephanum Hermolaus in epitome quæ videri potest. Est enim illud οὕτως proprium eorum, qui commentantes citare coguntur aliorum verba; quibus præmitti ea vocula fere solet, ut inserta aliena ab suis distinguat. Sic paulo infra: ὁ τεχνικὸς ἐν τῷ α τῆς καθόλου λέγων οὕτως. *Technicus in primo universæ dicens ita*. Et rursum: Ἀπολλόδωρος οὕτως ἐτυμολογεῖ. *Apollodorus ita originem deducit*. Scilicet hic disputabitur ab Stephano contra Philoxenum, quod egregio testimonio & non parum digniore quod huc afferatur, quam Strabo, affirmat Eustathius etiam a Grentemesnilio citatus ad Iliados B. Δωδώνη δὲ πόλις Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ, ὡς ὁ τῶν ἐθνικῶν καταγραφεὺς δηλοῖ, ᾧ οὐδὲ ἀρέσκεται τοῖς εἰποῦσιν αὐτὴν Θεσπρωτικὴν καὶ Θετταλικήν. *Dodone autem urbs Molossidis in Epiro, sicut gentilium descriptor explanat, cui etiam non placent dicentes Thesproticam & Thessalicam*. Itaque ut id fieri appareret sine ulla fallacia, apponit & citat Stephanus ipsa verba Philoxeni, & ut loquebantur Grammatici Græci, præmittitur ἀπόφασις περὶ τοῦ ἐγκειμένου κεφαλαίου, quæ quidem Philoxeni verba continuantur usque post vocem Δία. Propterea istas voces in Latinis alio charactere signavi. Tum subjicitur judicium ac censura Stephani & reprehensio, adjecta causa longe urgentissima, qua docet Philoxenum nimis festinasse, dum

prima modo verba Homeri adspicit, non consideratis sequentibus. Tantum enim quia Achilles precatur Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, inde statim conclusit Philoxenus esse Dodonam in Thessalia, cujus gentile

B attribuat Jovi tanquam populari Deo Achilles. At si perrexisset in exigendis Homeri verbis, qui deinceps satis ostendit, quam Dodonam ab Achille respici faciat, dum Sellos circa eam describit, melius & prudentius egisset Philoxenus. Id enim non potest capi de Thessalica quadam, sed prorsus de Molossica vel Thesprotica. Hæc vis est argumentationis satis perspicue nunc elucens.

4. Ἐν ᾗ τομο * ον) Ita legitur in antigraphis fideliter ex MS. expressis, unde utique quum nec minima ansa arripi juste queat conjiciendi ἐν ᾗ ἐμαντεύετο, ut verbum ἐμαντεύετο hic passive sumatur, quum etiam infra, ut passim, in verbis illic citatis

C occurrat active; etiam particula τὸ sic moveatur loco & ex medio rejiciatur ad finem contra seriem ab Stephano præscriptam: putavi leniter commodeque supplevisse avunculum meum Samuelem Tennulium, qui & primus protulit, id quod edidi: præsertim quum idem Eustathius ibidem habens ante oculos hunc ipsum Stephani locum, addat, ἔνθα ἱερὸν, καὶ τὸ ἐκ δρυὸς μαντεῖον τοῦ Δωδωναίου Διὸς, *ubi templum & oraculum ex quercu Dodonæi Jovis*, quum Æschylus ἀμφὶ Δωδώνην collocet Μαντεῖα θακόν τε τοῦ Θεσπρώτου Διὸς, *Oracula & delubrum Thesproti Jovis*, quum Pausaniæ in *Achaicis* τὰ ἐκ τῆς δρυὸς μαντεύματα, *vaticinia ex quercu*, Scymno Chio Δωδώνη dicatur Διὸς μαντεῖον.

D 5. Ἀφ' ἧς ὁ Ἀχιλλεὺς, &c. Ut nunc clare patet, argumentabatur Philoxenus haud dubie non alium Jovem Dodonæum ab Achille invocari, quam qui esset ipsi popularis & in Thessalia cultus. Quod quum sit verissimum, tum patet inde præceps Grentemesnilii, quum allegasset ac recitasset verba Eustathii jam superius a nobis posita, putantis deceptum esse Philoxenum Perrhæborum duplicium nomine, quorum pars una Thessaliam, pars altera habitaverit montana Thesprotiæ. Quæ, ut confusa plurimum miserari satis nequeo. Nam in Stephano primum vel nostro vel vulgatis ejus excerptis nulla

E mentio Perrhæborum. Etiam in verbis Philoxeni prorsus nulla. Deinde quanto, quæso, errore Philoxenum scribentem commentarios *in Odyssean*, & ne quidem somniantem de Perrhæbis, supponit verbis Homeri in *Iliados* B. 450. deductum? ubi quia Perrhæbos nominat Homerus, inde vero Philoxenus ducens argumentum suæ opinionis ex verbis Homeri in *Odyssea*, debuit deceptus fuisse nomine duplicium Perrhæborum. Egregie sane. Immo cur non potius gemina aliarum urbium in illis locis ratione? Certe sic Τίσαιον alii ἀκρωτήριον Θεσσαλίας, οἱ δὲ Θεσπρωτίας, ut testantur scholia ad Apollonii Argonautica 1. 568. Sic ipsa epitome nostri Stepha-

F ni, quum primo Κῦφος πόλις Περῥαιβίας dixisset, mox subjungit, Δύο δ' εἰσὶ Κύφοι, ἡ μὲν Περῥαιβίας, ἡ δὲ Θετταλίας, καὶ ποταμὸς Κῦφος. *Duæ autem sunt Cyphi, altera quidem Perrhæbiæ, altera vero Thessaliæ, & fluvius Cyphus*. Cur non istorum aliquod potius transversum egit illum Homeri commentatorem, quam potius Perrhæbi? Sed plane alterius argumenti falsitate deceptus est Philoxenus, nempe quod Achilles illum invocaret cogno-

—— [8] Ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται [10] ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

—— *Circa autem Selli*
Tui habitant interpretes, illotis pedibus humi cubantes.

Πῶς

Quo-

mine Δωδωναίου, quem verisimile non erat nisi popularem Deum adoraturum.

6. Ἔοικε δὲ οὕτως ἐπιλελῆσθαι, &c.) Ab his verbis incipit judicium Stephani, quo significat quid de ista commentatione Philoxeni statui oporteat; & quidem ita, ut in hac collectione Philoxenus ab Stephano agatur omnino negligentiæ aut memoriæ subdolæ reus, quod sequentia Homeri verba neglexit, quæ palam faciunt eum Jovem ab Achille adorari, cujus famuli & accolæ erant Selli, quos notissimum erat non manere in Thessalia. Quod quum non viderit Grentemesnilius, juste cum eo queror. Nam debuit videre, & potuit ex ipso hoc Eustathio *ad Iliada* Π. sic commentante. Δύο Δωδῶναι κατά τινας, ἡ μὲν Θεσσαλίας, ἡ δὲ Μολοσσίας, ἧς καὶ μεμνῆσθαί φασιν ἐνταῦθα τὸν Ἀχιλλέα, διὰ τὸ δυσχείμερον αὐτὴν ἱστορεῖσθαι, καὶ τὸ τοῦ Διὸς ἱερὸν ἐκεῖσε εἶναι τὸ κατὰ τὸν μαντικὸν φηγόν. *Duæ Dodonæ sunt juxta quosdam, altera Thessaliæ, altera vero Molossiæ, cujus etiam meminisse dicunt istic Achillem, quia hiemi obnoxia illa memoretur, & Jovis templum ibi sit ex vaticina fago.* Est enim illic non dissimile argumentum Stephaniano; nulli enim sunt Selli, nisi circa oraculum ex quercu. Itaque qui Dodonen jungit & Sellos, non potest alium locum intelligere, nisi eum extra Thessaliam in Molossia. Cui Stephanianæ ratiocinationi id potest addi, quod licet ne Homerus quidem Sellorum mentionem fecisset, ne sic quidem processura fuerit sententia Philoxeni, neque sequebatur, non alium Jovem Dodonæum ab Achille invocari, nisi qui certe esset in Thessalia, patria sua, cultus. Loquetur pro me Servius qui sicut notavit ad XII. *Æn.* 768. constare *omnes in periculis suis deos patrios invocare, & ideo illis vota solvere, quorum familiarius numen opitulari sibi credant*; idque exemplo confirmat ad X. *Æn.* 421. *Tybri pater. Vicinum invocat numen, circa cujus ripas bella tractantur*: ita etiam non omisit scribere ad XI. *Æn.* 761. *Apollinem Soractis invocat montis: de quo Turno auxilia constat venisse, licet possit fieri, ut alterius loci homo, alterius loci invocet numen.* Sic verbis illis Servii defectis ad IV. *Æn.* 345. *Thymbrææ demum * licet in Delo acceperit oraculum*, adscripsit parens meus, *Thymbrææ. Locus iste eo servit, ut ostendat nomina Deorum a locis tracta ubique posse usurpari.* Denique parem Philoxeno errorem erravit Scholiastes Æschyli ad Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις v. 169. Ὄγκα ἡ Ἀθηνᾶ παρὰ Θηβαίοις ἐτιμᾶτο. ἐπιδέχεται δὲ τὴν ἐπιχώριον Ἀθηνᾶν καλῶν εἰς βοήθειαν, ὡς ὁ Θετταλὸς τὸν Δία, λέγων, Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, Καὶ ὁ Λύκιος τὸν Ἀπόλλωνα, Κλῦθι ἄναξ, ὅς που Λυκίης ἐν πίονι δήμῳ Εἶς. *Onca Minerva apud Thebanos colebatur: adprecatur autem popularem Minervam vocans ad auxilium, ut Thessalus Jovem, dicens, Jupiter Rex Dodonæe; & Lycius Apollinem, Audi Rex, qui alibi Lyciæ in fertili populo Es.* Jam vero verbum ἐπιλελῆσθαι, tam confidenter revocavi pro supposito ἐπικεκλῆσθαι, ut stupeam, quæ causa moverit viros doctos ita abhorrere ab unica vetere membrana, & non potius presse fixeque illi adhærere, quum & sententia ipsa satis id confirmet, & sit in communi usu familiarissimum ac tritum; immo patet passim ex Scholiastis ante omnes id placuisse illis, qui τὴν κριτικὴν administrabant, παρόραμα aliquod in alio notantibus? Aureus certe Longinus (neque enim prænomen Dionysii in MSS. mihi occurrit) sic, quum notaret diversitates illas admirandas inter Iliada & Odyssean, tandem subnectit: λέγων δὲ ταῦτ' οὐκ ἐπιλέλησμαι τῶν ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ χειμώνων, καὶ τῶν περὶ τὸν Κύκλωπα, καί τινων ἄλλων. *dicens autem ista non oblitus sum tempestatum in Odyssea, & eorum de Cyclope, & quorundam aliorum.*

7. Ἐπιλελῆσθαι τό, Ἀμφὶ δὲ Σελλοί) Sic quoque sequentia jure constitui, utpote existimans fecisse nunc Stephanum, quod faciunt omnes non modo Grammatici, sed quicunque aliquid commentantur, quoties alterius scriptoris verba quædam allegant. Hinc igitur imitatus sum Casauboni exemplum, qui verba Athenæi, Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Σώφρονος τῶν εἰς τοὺς ἀνδρείους μίμους προθεὶς τὸ καταπυγοτέραν τὴν ἀλφηστᾶν, φησὶν, ab Dalecampio sic versa, *Apollodorus Atheniensis libro de temperante, quem edidit adversus mimos viros, quendam nominatim propositum Alphestis esse dixit magis cinædum*, reddit Latine *Apollodorus Atheniensis commentariorum in Sophronem libro* III. *ubi viriles ejus mimos interpretatur, præpositis poetæ verbis* καταπυγοτέραν τὴν ἀλφηστᾶν *scribit*. Et quidem verissime. Sic nuper debui explicare Hesychiana ista: Πάλος κλῆρος ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι πρὸς τὴν ἄρνησιν τοῦ λαγχάνοντος, κατὰ τό· κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες. *Sors ab quatiendo ad negationem sortientis, juxta illud: Sortes autem in galea ænea quatiebant sumentes.* Quum absurdis modis nuper ea arripiens scordalus nugator, neque animadvertens quid esset, aut unde venisset vulgatum καὶ τὸ, infinita temeritate illic mutaret ὡς ἐν τῷ. Sic Servatorem nostrum narrat Marcus IX. 23. quum sive Γραμματέων seu reliquæ turbæ aliquis allato filio, quem occupaverat πνεῦμα ἄλαλον, orasset opem, sed subdubitans de ejus potentia, his verbis: ἀλλ' εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν, *sed si quid potes, adjuva nos*, respondere volentem, omitteret hæsitationem, & tantum persuasus Jesum posse, dubitationem converteret in fidem, dixisse: τὸ εἰ δύνασαι, πίστευσαι. *Illud si potes, crede*, hoc est, illud quod dixisti, illa tua verba si potes, crede, vel credere te oportet; prout iste articulus pluribus ita locis adhibetur in sacris literis.

8. Ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται, &c.) Sic correximus, quum vulgo ratio adversativæ haberetur nulla. Sic autem scripsisse Stephanum non, dico, putamus, sed certo scimus; quum in MS. plane aut vacuus duabus literis locus sit relictus, aut duo conspiciantur asterisci, quod didicimus ex accurata ratione notarum primi editoris, viri doctissimi. Atque ita integram citationem Homerici loci apposuit Stephanus. Cæterum in hoc loco mirum ab eodem Homero circa Dodonen dici habitare Sellos, qui libro II. *Iliados* illic statuit Perrhæbos, ut vidimus. Quid ergo? an hic diversitatem captabimus inter ἀμφὶ & περὶ? Nom placet. Sed & Selli, & Perrhæbi, & Thesproti circa Dodonen habitabant, quum tamen ipsa esset in finibus Molottiæ, & maxime vicinos haberet Sellos quoque in ipsa Molottide. Cæterum de Sellis est præclarum testimonium Aristotelis, testati veterem Græciam esse plagam circa Dodonen & Acheloum, tunc addentis: ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοὶ, νῦν δὲ Ἕλληνες. *Habitabant enim Selli istic, & illi tunc appellati quidem Græci, nunc vero Hellenes.* Ex quo loco apparet, quum tantopere disputatum fuerit, utrum Helli an Selli appellandi sint, haud dubie antiquissimo tempore Ἑλλοὺς vocatos fuisse, quum inde nomen habeant Ἕλληνες. Istam disputationem videre est apud Strabonem lib. VII. pag. 328. qui cavet pronunciare διὰ

re διὰ τὴν ἀμφίβολον γραφὴν, *propter ambiguam ſcripturam*, & quum pauca verba Apollodori ſubjeciſſet, quibus is referebat putare multos ἀπὸ τῶν ἑλῶν τῶν περὶ τὸ ἱερὸν, *ab lacubus circa templum*, vocatos fuiſſe Ἕλλους, tandem apponit, τὸν μέν τοι ποιητὴν οὐ λέγειν Ἕλλους, ἀλλὰ Σελλοὺς ὑπολαμβάνει τοὺς περὶ τὸ ἱερὸν, *Poetam tamen non dicere Hellos, ſed Sellos exiſtimat illos circa templum*. Sic enim legendum, quum vulgo legatur Ἕλλους, Ἕλλας, Ἕλλους, & longe hinc ſit, quod ſuſpicabatur Caſaubonus Σελλοὺς τοὺς Ἕλλους. Non tamen propterea vitioſe ſcripſerunt poſteri Σελλοὺς, quippe quibus placuit articulum aſperum mutare frequenter in ſibilum, quod poſt Caſauboniana ad Strabonem p. 32. jam fere omnibus notatum. Unde poteſt placere iſtorum Grammaticorum, quos narrant antiqui in Homero legiſſe Ἀμφὶ δέ σ' Ἕλλοὶ &c. Præterea autem ab his Sellis opportuna & commoda atque adeo una ſperare, ſi quid video, auxilia poteſt in loco cauſario Antoninus Liberalis. Verba ſunt narrat. IV. in lite de Ambracia. ὁ δὲ Ἡρακλῆς ἀπεδείκνυεν Ἀμβρακίαν τε καὶ τὴν σύμπασαν Ἤπειρον οὖσαν ἑαυτοῦ. πολεμήσαντας γὰρ αὐτῷ Κελτοὺς καὶ Χάονας καὶ Θεσπρωτοὺς καὶ σύμπαντας Ἠπειρώτας. *Hercules vero demonſtraverit Ambraciam & univerſam Epirum eſſe ſuam. Nam ſecum bellaviſſe Celtos & Chaonas & Theſprotos & omnes Epirotas.* Sane remotiores videntur Celtæ, quam ut hic nominentur. Itaque Lud. Nonnius ad Græcos Goltzii nummos hanc Antonini narrationem repetens, ſatis ſe egiſſe putavit, ſi omiſſis hic Celtis & Chaonibus Theſprotiſque unos modo nominaret Epirotas. Grentemeſnilius ſine hæſitatione Celtos alibi. Prudentius ſane, quam ii, qui ſe invicem nuper ad eum auctorem depexuerunt. Nam quum prior, qui Stephanum verſaverat, repente ille ſubjeciſſet Κελαίθους, alter id ſtatim eo uſque probavit, niſi quis meliora docere habeat. Utique non debuit tantum indulgeri. Præterquam enim quod iſti Κέλαιθοι omnibus ſint ignoti præter Rhiano fabularum jocoſarum & abſconditarum ſcriptori, qui nobis etiam ignoratos noluit abire Γενοαίους (Muſæ, veſtram fidem! quæ incondita nomina!) utique dicuntur pars Theſprotorum a Stephano. At jam apud Antoninum Hercules dicit ſe Theſprotos viciſſe, utique in illis etiam Celæthos. Profecto longe melius fuerat illos Κελτοὺς non moviſſe, quum utique & Alexandro Magno ſupra Epirum contra Getas & Syrmum Triballorum regem bellum gerenti dicatur legatos veniſſe Κελτοὺς τοὺς περὶ τὸν Ἀδρίαν, *Celtas circa Adriaticum mare*, ut eos vocat Strabo, τοὺς ἐπὶ τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ ᾠκισμένους, *in Jonio ſinu collocatos*, ut Arrianus: etiam ſub nomine Celtarum, quandoque Thraces intellectos: etiam Adriaticum mare aliquando Celticum vocatum. Sic excuſari quodam genere poſſent illi Κελτοί. Sed omnino omnia dictant Antoninum ſcripſiſſe Σελλοὺς, quæ nulla eſt mutatio; & tam prave hinc abiguntur Selli, quam abſurde nuper nonnulli in Statio ſuſtinuerunt cogitare Sellas Epiri urbem, ut ei patriam darent. Dicit ergo Hercules, ſe Sellos, Chaonas, Theſprotos & reliquos Epirotas ſubjeciſſe, &c.

9. Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται.) Hæc enim ſequitur ex Homero Sellorum iſtorum vel Hellorum deſcriptio, quam notabilis, tam obſcura & plurimas interpretationes paſſa, de quibus ne nunc quidem tranſactum eſt: qui locus ſi utique perire & inter medentium manus diſtrahi debet, liceat mihi quoque tractare ſaltem vulnera, & perfuſoriam ſpecioſamque humanitatem præſtare, ut morienti ludicris meis necem maturem & cruciatuum longiores moras donem. Primo igitur Homerus Sellos illos ſic vocat ὑποφῆτας. Quomodo quum loquatur Homerus, atque ſcriptor ſit omnium antiquiſſimus, concludit Strabo viros primis temporibus fuiſſe in iſto horrendi veteratoris auditorio interpretes, non fœminas. Verba ſunt, quæ ſupra vides allegata. Certe tamen fæminas Plutarchus in *Phocione* ſcribit: Χρησμὸν ἐξενηνόχασιν αἱ Δωδωνίδες τῇ πόλει τὰ ἀκρωτήρια τῆς Ἀρτέμιδος φυλάσσειν. *Oraculum urbi protulerunt Dodonides promontoria Dianæ cuſtodire.* Et ex Proclo memorabilem hiſtoriam refert Photius, quum Thebani Panactum vicinam urbem defenderent contra Pelaſgos & conſulta Dodona accepiſſent ſortem, victuros eſſe, ſi maximum nefas admiſiſſent; ἔδοξεν, ait, αὐτοῖς ἀσεβημάτων μέγιστον εἶναι τὴν χρησμῳδήσασαν αὐτοῖς τὸν χρησμὸν ἀνελεῖν. Καὶ ἀνεῖλον. Αἱ δὲ περὶ τὸ τέμενος συνιέρειαι δίκην λαβεῖν ἀπῄτουν τοῦ φόνου τοὺς Θηβαίους, Θηβαῖοι δὲ οὐκ ἐπιτρέπουσι γυναιξὶ μόναις. *Videbatur illis impiorum facinorum eſſe maximum illam quæ oraculum ipſis dediſſet, necare. Et necaverunt. Sed ſociæ ſacerdotii circa templum flagitarunt accipere vindictam cædis ab Thebanis. Thebani vero litem non permittunt ſolis fæminis*, & quæ ſequuntur. Addi memorabile teſtimonium de his fæminis poteſt ex Zenobio in proverbio Βοιωτοῖς μαντεύσαιο, ubi non ſolum dicitur ἀπεκρίνατο ἡ προφῆτις ἡ ἐν Δωδώνῃ, ſed etiam nominat Μυρτίλαν τὴν προφῆτιν, fere quaſi eſſet eadem ex Proclo hiſtoria, ut hinc pateat & fæmina, & ejus moris antiquitas. Sed & Pythagoræ tempore celebratur fæmina. Nam quum ſcribere Jamblichus l. I. c. XI. eum admiratorem fuiſſe ejus, qui ætates fæminarum diſtinxiſſet vocabulis, quæ etiam in Græco ſermone darentur Deabus & ſimilia, adjungit, ᾧ σύμφωνον εἶναι τὸ καὶ τοὺς χρησμοὺς ἐν Δωδώνῃ καὶ Δελφοῖς δηλοῦσθαι διὰ γυναικός. *Cui conſonum eſſe id quod oracula Dodonæ & Delphis indicentur per fœminam.* Nihilominus obtinuit quoque de viris opinio, quum ad eandem ſententiam audiamus convenire Origenem lib. VII. contra Celſum. Καὶ ὁ Δωδώνης δὲ μεδέων δυσχειμέρου, παρ' ᾧ εἰσι οἱ προφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι, ἀποδοκιμάσας τὸ τῶν ἀνδρῶν εἰς προφητείαν γένος, ταῖς Δωδωνίσι χρῆται, ὡς καὶ Κέλσος παρέστησεν. *Sed & Dodonæ hibernæ princeps, apud quem ſunt vates illotipedes, humicubæ, improbans virorum ad vaticinia genus, utitur Dodoniſin, prout etiam probavit Celſus.* Quin etiam magnus Scaliger poſtea in Euſebium ὑποφήτας & προφήτας & Τομούρους quoque eoſdem hoc loco potuit agnoſcere. Sed ut verbo dicam, quam verum eſſe opinor id quod ineptiunt de Tomuris, tam certum quoque reor eſſe de viris hujus oraculi miniſtris. Primo enim Homeri locum, cui infulcire volunt Τομούρους, ſatis vindicavit ad Strabonem Caſaubonus. Deinde non magis, quia monti Tomaro adſita eſt Dodone, inde queunt dicti fuiſſe ſacerdotes Τόμουροι, quam a monte Parnaſſo, cui adjacebant Delphi, inde inſervientes oraculo dicti fuerunt Πάρνουσσοι. Tertio ſi utique Τόμουροι dicti fuerunt generaliter vates, quod facile Grammaticis concedo, & ſi Homerus eos operi ſuo inſerens reſpexerit Dodonem, utique teſtatur Caſaubonus in Mſs. Strabonis Τομοῦραι ſcribi non Τόμουροι. Ut certe ipſius Homeri, ſi ita ſcripſit, auctoritas mulieri id munus afferat, non viro. Nam quod eam vocem Euſtathius interpretetur μαντεῖαι, & ad rem ipſam transferat, offucias facit. Jam vero nos quidem præſtare non poſſumus, prout ſinguli ſcriptores voce illa ὑποφήτης abuti voluerint, & ei numerum locumque dare vocis προφήτης, atque adeo eandem ſignificationem concedi utrique. Equidem Alexander Pſeudomantis plane pro eodem habet apud Lucianum,

Τιέμεναι κέλομαι τὸν ἐμὸν θεράποντα προφήτην,
Οὐ γάρ μοι κτεάνων μέλεται ἄγαν, ἀλλ' ὑποφήτου,
Honorari volo meum miniſtrum prophetam;
Non enim mihi bonorum cura admodum eſt, ſed prophetæ.

Ut Hesychius etiam alterum per alterum explicet, & sic alii. Sed tamen hoc quoque constat Homerum potuisse hic scribere προφῆται, si aut voluisset, aut earundem virium vocabula esse censuisset ὑποφήτης & προφήτης, ut certe temere Origenes citare non dubitaverit προφῆται, more solito, prout memoria suppeditabat, quomodo Homerum non scripsisse scimus. Quin etiam hoc constat natura esse claram differentiam inter illa ὑποφήτης & προφήτης, de quibus collecta sunt satis multa. Quanquam si ne hæc quidem valeant ad arcendam ab Homerico vocabulo & sensu omnem suspicionem de viris sacerdotibus, age, dicant summi illi viri, quo tempore illic viri famulati sint, aut quod oraculum uspiam per viros dicatur illic datum? Contra sunt omnia. Primum Herodotus ait oraculum constitutum esse ab fœminis: deinde se quoque quum illuc venisset, fœminas illic oraculum tenentes convenisse: neque tamen ullam interea mutationem accidisse memorat. Quod ut etiam exemplis ac testimoniorum documentis probemus, inter Herodoti ætatem & primam constitutionem evenit, ut Calydone Coræsus Baccho sacratus Callirhoen frustra amans fastidientem, vindictam petierit a Baccho. Unde orta lue pestifera, quum Calydonii censerent Dodonæum oraculum esse consulendum, quid ait Pausanias ista narrans in *Achaicis* pag. 438? *τοῖς γὰρ ἤπειρον ταύτην οἰκοῦσιν αἱ πέλειαι καὶ τὰ ἐκ δρυὸς μαντεύματα μετέχειν μάλιστα ἐφαίνοντο ἀληθείας. Nam continentem istam habitantibus columbæ & oracula ex quercu maxime videbantur verum prædicere.* Nihil de viris Pausanias. Jam vero quum Calydon eversa sit ab Hercule, sequitur, hanc historiam superare ætatem Herculis, hoc est, antiquissimis temporibus illic oracula data esse per fœminas, non viros, ut perperam colligit & nobis persuadere vult Strabo, nisi si inter ætatem Herculis & primam oraculi constitutionem probare potuit aliquam mutationem. Etiam ætate Herculis eas duravisse docet locus infra ab ipso Stephano ex Sophocle citatus. Herodotum autem verissima testari de suo tempore novimus ex historia Lysandri, qui rebus gestis impotens factus tum alia conatus est, tum *ταῖς ἐν Δωδώνῃ περὶ τὸ μαντεῖον οὔσαις ἱερείαις προσενέγκαι λόγους, fæminis in Dodona circa oraculum versantibus obtulisse sermones* ad eas corrumpendas dicitur Diodoro Siculo lib. XIV. His si apponantur ea, quæ ex Plutarcho, Proclo, & Jamblicho jam allata sunt, opinor ea sufficere probando. Quæ restant igitur tempora, quæ somniare potuerunt Strabo & Origenes, quibus illud pontificium viri administraverunt? Profecto non alia, quam quæ fuerunt nunquam, certe quæ ipsis fuerunt ignorata. Etsi facile Origenem culpa omni liberem, censeamque undecunque in ejus libros devenerit illud προφῆται, illum non putasse unquam viros sacerdotes fuisse, sed ἀποδοκιμάσας scil. ab initio non post aliquot annos, quibus inceperat uti viris, sed ita ut nunquam usus fuerit. Restat ergo, ut videamus, quid sint ὑποφῆται, a quibus Strabo & Scaliger inducti sunt in eam opinionem. Equidem hæsitasse jam olim in vicinia ista vocabulorum viros egregios patet ex anxietate Hen. Stephani, qua utrosque circumrodit. Sed certe discrimen fuisse olim colligas satis ex brevibus scholiis ad Homerum, *Ὑποφήτας γὰρ λέγουσι τοὺς περὶ τὰ χρηστήρια ἀσχολουμένους, καὶ τὰς μαντείας τὰς γινομένας ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐκφέροντας. Subvates enim dicunt eos qui occupantur circa oracula, & vaticinia, quæ eduntur ab sacerdotibus, efferunt.* Accipiunt igitur & colligunt *οἱ ἱερεῖς* primi oracula; & hi omnino sunt prophetæ, prout etiam in sacerdotio Antinoi eosdem nunc *ἱερεῖς*, nunc προφήτας dici monuit Is. Casaubonus ad Spartianum: quibus quum illa contigerunt, ad alios efferre & enunciare statuuntur ὑποφῆται. Neque intelligo, cur vocem *ἱερέων* suspectam ibi habeat Stephanus: nisi si ad Dodonæum oraculum istam explicationem adstringentes malimus *ἱερειῶν*, ut sint fæminæ. Quod si vocula πρὸ ponetur pro ὑπὸ, jam quoque πρότερον ponetur pro ὕστερον. Sed προφητεύειν esse diversum ab ὑποφητεύειν ex sua sententia statuit etiam manifeste Varinus. Et quid est, quod notarunt alii, Epimenidem ὑποφήτην magis quam προφήτην, qualem Porphyrius Danielem impie finxit? Dico igitur eos ὑποφήτας dici eruditissime ab Homero non alio respectu, quam quo Lætorius se profitetur æditum apud Suetonium Augusto cap. v. *Cum C. Lætorius adolescens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut æditum soli quod primum D. Augustus nascens attigisset*: quam quo apud Tacitum lib. XII. Annal. 61. Cos dicitur *Dei Æsculapii ministra insula*; quo apud Philostratum in Heroicis λευκοὺς ὄρνιθας dicitur Achilles *θεράποντας ἑαυτοῦ πεποιῆσθαι κοσμοῦντας αὐτῷ τὸ ἄλσος, albas aves ministras suas fecisse, ut ornarent ejus lucum*, quia ardeæ dicebantur in ista insula morari: quo apud Appianum libro II. Civil. Atheniensibus in bello civili deprehensis jubetur parci, quod aspicerentur *ὡς ἱερεῖς τῶν θεσμοφόρων, tanquam sacerdotes Thesmophorarum Dearum*: denique quo Hennenses egregie describit Cicero IV. in Verr. *Henna non urbs videtur, sed fanum Cereris esse; habitare apud se Cererem Hennenses arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ atque antistites Cereris esse videantur.* Erant Selli ὑποφῆται, ut reliquis majestate oraculum inclytis ædibus passim & maxime in Asia ingentem novimus adhæsisse turbam & populos insulariorum. Sic mihi videtur Homerus Sellos dixisse ὑποφήτας, tantum quia ipsorum juris & in ipsorum territorio ac finibus sitæ essent Dodonææ sortes. Immo ad cognitionem liquidissimam horum Sellorum ὑποφητῶν & mulierum oraculo servientium facit unice exemplum persimile ex Herodoto Polymnia cap. 103. ubi inter Satras Bessi dicuntur *οἱ προφητεύοντες τοῦ ἱροῦ*, quum tamen sit πρόμαντις. Itaque quid est quod jactari video ad Διὸς ὑποφήτην Apollinem ab Scholiaste Sophoclis appellatum per hæc verba? *Et à quoy se raporte ce vers d'Eschyle, cité par Macrobe, & qui à esté publié dans le Recueil des Fragmens de ce Poete,* Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός; *& d'où, pour le dire en passant, on peut voir que ces mots de* ὑποφήτης *&* προφήτης *se prennent souvent pour la meme chose, comme on pourroit le prouver encore par d'autres autoritez, s'il en estoit icy question; & ainsi que ces deux mots ne sont pas toujours d'une nature & signification aussi differents, que pretendent des Critiques modernes.* Licet enim audire illa ipsa, in quibus quanta mendacii libertas? Nam in Æschyli fragmento recte ponitur προφήτης, ut ubique ponitur, & supra adeo id non negatur, ut diserte adfirmetur, non Scaligeri tantum nomine, sed fatendo scriptores voci ὑποφήτης dedisse numerum locumque vocis προφήτης atque adeo eandem significationem concedi utrique. An potest amplius declarari usum apud auctores inquisitum satis & notum esse? Sed esse id fragmentum Æschyli ab Macrobio citatum tale, ut non sit relatum inter reliqua ejus fragmenta ab Stanleio collecta, unde in mentem venire potuit, ut talia scriberentur? Editio Æschyli Stanleiana est ad manum omnibus. Versiculus in quo currit vox προφήτης, Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διὸς, nequit haberi pro fragmento, quum ipse in integro loco suo exstet *Εὐμενίδ.* vers. 19. Totum vero Macrobii

locum ex libri quinti Saturnaliorum fine cum diſticho priore citat illic Cl. Stanleius; nec citat modo, ſed & emendare conatur, ut attente is conſideraverit omnia. An cogitari ergo poteſt illud diſtichon non annotatum eſſe ab eo in numero reliquorum fragmentorum? Immo id exſtat relatum in iſta editione optima pag. 640. ſub tragœdia ΙΕΡΕΙΑΙ. Docte magis egiſſet, ſi annotatum fuiſſet ex iſta tam venditata farragine fragmentorum Callimachi ab utroque collectore omiſſum eſſe fragmentum ὡσεὶ ἀσπίδ' ἀλαιὸν ἑλῶν, quod ab viris ſane melioribus diu annotatum & correctum ita vel prope in luce poſitum fuit ab illis omiſſum.

10. Ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.) Agnoſcimus memorabiliora etiam epitheta his ἀγχιθέοις Sellis ab divino vate attributa, & tanto magis cognoſcenda, quo celebratiora fuerunt antiquis, frequentiora in citando, & magis de illis controverſia relata, oſtendente & ad allegoriam iſtam manifeſtandam offerente Euſtathio, 1. ὡς μὴ προϊόντας τοῦ ἱεροῦ, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ θέλοντας ποδανιπτῆρα, ὃ καὶ ἐν τῷ τοῦ Εὐριπίδου Ἐρεχθεῖ δηλοῦται, εἰπόντος ὅτι πηγαῖς οὐχ ὑγραίνουσιν πόδας, *tanquam non progredientes ex templo, & ideo nec cupientes ſolia ad pedes lavandos, quod etiam in Euripidis Erechtheo declaratur, dicentis eos fontibus non madefacere pedes.* 2. ἀνιπτάμενοι τῶν κάτω ταῖς διανοίαις διὰ τὴν ἐν ταῖς μαντείαις φιλοσοφίαν, *ſubvolantes ex inferioribus per cogitationes ope philoſophiæ, quæ eſt in oraculis.* Addit deinde locum Eubuli de philoſophaſtris ἀνιπτόποδες, χαμαιευνάδες, ἀερίοικοι, ἀνόσιοι, λάρυγγες, ἀλλοτρίων κτεάνων παραδειπνίδες; *illoti pedibus, humicubæ, aeris incolæ, profani, guttura, alienorum bonorum ligurritores.* Quæ quidem omnia nihil ſunt niſi φθόγγοι ἐς ἀέρα; ita tamen, ut ſi & Selli fuerint ſic inviſi diis hominibuſque, ſicut perverſi illi apud Eubulum philoſophaſtri, non invideam illis hanc belluinam impuritatem. Verum priora placuerunt gentilibus, placuerunt Chriſtianis, ſcribente Theologo apud Stobæum περὶ τῶν μοναζόντων. Ὁρᾷς τοὺς ἀβίους τούτους καὶ ἀνεστίους, καὶ ἀσάρκους, μικροὺς καὶ ἀναίμονας, καὶ θεῷ κατὰ τοῦτο πλησιάζοντας, τοὺς ἀνιπτόποδας, καὶ χαμαιεύνας, *vides illos non viventes & ſedis egenos, & carne defectos, tenues, & ſine ſanguine, & Deo per id propinquantes, iſtos illotis pedibus, & humicubas.* Sed fruitus eſt ſicuti admiratione, ita citatione harum deſcriptionum Maximus Tyrius. Hinc in diſſertat. III. Γῆν δὲ νέμονται θεῶν ἄνθρωποι, οὐ χαμαιεῦναι καθ' Ὅμηρον, οὐδὲ ἀνιπτόποδες, *terram vero poſſident ſubvates Deorum homines, non humicubæ juxta Homerum, neque illotipedes.* Et XVI. Οἱ δὲ χαμαιεῦναι καὶ ἀνιπτόποδες ἐν Δωδώνῃ θεραπεύοντες δρῦν παρ' ἐκείνης, ὡς ὁ Θεσπρωτῶν λόγος, χρησμῳδοῦσιν, *ſed iſti humicubæ & illotipedes in Dodone venerantes quercum ex illa, ut Theſprotorum ſermo eſt, vaticinantur.* Sed nihil inde ad verum. Utinam Euripidis ſupereſſet Erechtheus, ut plane conſtaret nobis ſermonem illic de Sellis eſſe! Res foret tanto notabilior, incolas Tmari montis nunquam irrigare pedes, aqua abundantiſſimi, & centum fontibus teſte Plinio ab Theopompo circa radices celebrati, & inprimis illum Ἀναπαυόμενον non ſine gloria & antiquorum plauſu remittentis: adeo ut nonnulli originem τῶν Ἑλλῶν voluerint repetere ἀπὸ τῶν ἑλῶν, *ab paludibus.* Cæterum huc uſque non novi ad religionem vel hanc vel ullam pertinuiſſe ignaros laticis pedes, adeo ut ἀπλύτοις ποσὶ διεξιέναι τι etiam proverbio notaverint: niſi quod etiam ex Julio Firmico audimus III. 7. *Faciet etiam in templis manere ſordide & ſic ſemper incedere, & qui nunquam tondeant comam.* Sed ut vitentur ambages, in apographis ſcriptum animadverti, haud dubie ex ipſo MS. ὑποφῆται ἂν ἱππόποδες. Ut meo periculo eſſe nolim ita ab Homero ſcriptum eſſe; Sic fateri non erubeſco mirifice me commotum in illa inexſpectata mutatione verſus Homerici ab tot per omnia ſæcula viris doctiſſimis lecti, commentationibus illuſtrati & allegati: qui cum ſiluerint omnes, quibus oculis hanc unam Stephani membranam adſpiciendam putabimus? Ipſene Stephanus ita legit & ex ſententia ſua ſic citat? an reliquis omnibus Homeri exemplaribus corruptis, ſolus ipſe habere potuit inquinatæ puritatis? Profecto impenſe etiam incipio inclinare ad hanc lectionem. Nam quum vulgati illius ἀνιπτόποδες vel ob ſordes concipi nequeant; tum hujus expoſitio & oppido præclara eſt, & habet ſub ſe neſcio quid latens. Nimirum ſine difficultate id explicare poſſumus, non quod Selli habuerint pedes equinos, ſed ut notet celeripedes, ut ἱπποβάμονες κάμηλοι, de quibus multa viri docti, vel magnipedes, ut quoque ſummi viri obſervaverunt ſolitam eſſe illam compoſitionem ex ἵππος augmentum addere & magnitudinem rei alicui; ut ſtaturæ grandioris fuerint fortaſſe Selli, cujus proportionem ex pedibus Homerus voluit dare cognoſcendam. Sed, ut dico, aliquid videtur ſecretius latere: videlicet ut jam videamus hos antiquiſſimos Sellos eſse partem Centaurorum ac Lapitharum, qui non modo in Theſsalia, ſed etiam in Perrhæbia vixerunt. Id conſtabit ex ipſo Stephano, qui ſcripſit, Γύρτων πόλις τῆς Θετταλίας καὶ Περραιβίας. *Gyrton urbs Theſſaliæ & Perrhæbiæ.* Plane ut dubitabatur de Sellis ac Dodone. Jam vero certum eſt Gyrtonem fuiſse regnum Ixionis, & poſt eum Pirithoi, in cujus nuptiis contigit pugna Centaurorum & Lapitharum; unde & Gyrtonii quondam Phlegyæ vocati ab horum patre Phlegya, ſic ut circa Perrhæbiam hi vixerint; quorum vocabulis fieri facile potuit, ut involuti & immixti numerentur Selli. Ἱππόποδες ad exemplum inſigne nummi antiqui cum inſcriptione ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, ut doctiſſime poſt aliorum longas tædioſiſſimæ vanitatis ῥήσεις expoſuit Vir Clariſſimus Car. Patinus, etſi illic plane ſit equus inſidentem habens equitem & pro pede dextro anteriore humanum pedem, tenentem inferiore planta convoluta fuſtem & circumjectum anguem. Sed nos vocabuli compoſitionem modo adſpicimus. Unde quos Homerus deſcribit ἱππόποδας χαμαιεύνας, quid aliud credimus eſse, quam de quibus alii ſcripſerunt *pedibuſque virum proculcat equinis,* aut *Fuſus in Oſſææ villoſis pellibus urſæ?* Sunt hæc per vetuſtatem caliginoſa ſatis; nihilominus rimam certe lucis in tanta caligine ſic quoque nobis præbent excerpta Hermolai, in voce Ἄμυρος ſcribentis. Εὔπολις δὲ Ἀμύρους αὐτοὺς λέγει, πλησιοχώρους τῆς Μολοττίας, ἐκ τούτου καὶ Ἀμυραῖοι λέγονται. Σουίδας δὲ ἐν ταῖς γενεαλογίαις, ὅτι οὗτοι ἐκαλοῦντο Ἐορδοί. ὕστερον δὲ Λέλεγες οἱ αὐτοὶ, καὶ Κένταυροι, καὶ Ἱπποκένταυροι. *Eupolis vero Amyros eos dicit, confines Molottiæ; ex eo etiam Amyræi dicuntur. Suidas autem in genealogiis, quod illi vocabantur Eordi; poſtea vero Leleges hi ipſi, & Centauri & Hippocentauri.* Amyri propinqui ſunt Molottiæ: etiam Selli, aut tum quando cum Dodone Perrhæbis attribuebantur, aut quum per ſe gens eſsent, erant propinqui Molottis. Hi ex teſtimonio Suidæ poſtea etiam Centauri vel Hippocentauri, hoc eſt, Homerici ἱππόποδες vocati. Sed & quam bene χαμαιεύνας vocat? propterea, ut vilis eorum pateſiat victus. Nimirum Sophocles in Trachiniis eos vocat ὀρείους καὶ χαμαικοίτας, ubi mirus interpres *veteres* vertit prius adjectivum pro *montanos*; ſcilicet iſti homines duram plerumque tolerant vitam. Quo illuſtrius huc eſt teſtimonium Strabonis de parte Luſi-

Πῶς γὰρ τύπον μέμνηται ἀπὸ τῆς Θετταλικῆς καλῶν αὐτόν;

11 Οὕτω δὲ καὶ Ἐπαφρόδιτος· Ἐν τῇ π΄. τῆς Ἰλιάδος τιμᾷ τοὺς ἐν Δωδώνῃ ἔχοντας ἐπιφανὲς μαντεῖον. Τὸν δὲ εἰς Δωδώνην φάτο βήμεναι. 12 Ἐπικέκληται δὲ Ἀχιλλεὺς τὸν ἐν τῇ Θετταλίᾳ γειτνιῶντα Θεὸν, 13 ὡς καὶ ὁ Πίνδαρος εὔχεται τῷ Λυκηγενεῖ, καὶ ὁ Χρύσης τῷ Σμινθεῖ. 14 Τὸν

Quomodo enim horum fecit mentionem ab Thessalica eum vocans?

Ita autem & Epaphroditus: In Iliadis septimo decimo honorat eos, qui habent Dodonæ conspicuum oraculum: *Hunc autem dixit ivisse Dodonen.* Achilles vero illum in Thessalia, vicinum cognominavit Deum, ut etiam Pandarus invocat Apollinem in Lycia sacratum, & Chryses Smintheum. Hunc

tanorum lib. III. pag. 154. ἅπαντες δὲ οἱ ὄρειοι λιτοὶ, ὑδροπόται, χαμαιεῦναι, *omnes autem montani tenues victu, aquæpotores, humicubæ*. Agnoscitis eadem duo Sellorum & Lusitanorum istorum epitheta: atque ita relinquentes Homerum, compellimur hoc loco adferre incredibilem sociationem rerum disjungendarum in Viri doctissimi, quem nominare propterea abstineo, lib. II. Republ. Hebræor. cap. 14. *Sacerdotibus somnum capere haud nefas fuit. Non culcitæ tamen, non tomenta mollem illis requiem fecerunt: dormiendum humi in solo erat: ut hoc illis commune fuerit cum Delphici Apollinis sacrificulis, qui a Callimacho perquam eleganter dicti sunt* Γηλεχέες θεράποντες ἀσιγήτοιο λέβητος. Vix credi potest ab tanto ingenio hæc venisse, & non ad Delphicum Apollinem, sed ad Dodonæum Jovem pertinent.

11. Οὕτω δὲ καὶ Ἐπαφρόδιτος. Ἐν τῇ Π΄. τῆς Ἰλιάδος τιμᾷ τοὺς ἐν Δωδώνῃ &c.) Ita distinguimus hunc locum, quem alioqui ita nulla lux illuminat, ut meris tenebris obscuretur. Nec ambigua est hæc pronunciatio mea, si adhibeantur omnia, quæ ad hunc locum ante me adducta fuerunt ac prodita, ac ratio habetur distinctionis, qua fuit discerptus admodum inficete. Epaphroditus scripsit Ὁμηρικὰ & diversas partes ex Homero illustrare studuit; non vero per ordinem ad quoslibet libros commentando processit ac versus. Ipse Stephanus ita aliquoties citavit, ut in indice notavit Xylander. Denique versatos pessime omnes in hac parte docent Latina, quæ annexuerunt, Romanis auribus nequaquam ferenda, sed nec intelligenda. Nam quis est, qui in Iliada Π΄ ab Epaphrodito dicit commentaria scripta esse, aut quomodo is dici potest τιμᾷν Dodonæos aut quare id faceret? Nemo illud ibi facit, nisi Achilles vel in Achille Homerus, quod ita esse patet planissime ex nostra distinctione. Res enim sic est, ut Stephanus velit probare consortes ejusdem erroris fuisse Philoxenum & Epaphroditum. Philoxenum jam condemnavit; Epaphroditum ergo aggreditur, quem fautorem fuisse ejusdem sententiæ & statuisse Dodonas duas, ut videtur, utroque decepto per similitudinem Δωδώνης & Βωδώνης,, per ipsius verba allegata demonstrat, ex se præmittens, Οὕτω δὲ καὶ Ἐπαφρόδιτος. Quibus subnectit ipsa Epaphroditi verba ἐν τῇ Π΄ τῆς Ἰλιάδος τιμᾷ &c. Nempe ait in Homericis suis, ubi locum hunc Iliados quoque versavit, Epaphroditus hoc modo, Achillem vel in Achille Homerum in libro Π΄ Iliadis venerari eos, qui Dodone habent illustre oraculum. Et quinam sunt isti? nempe non alii, nisi Selli; hos enim solos Homerus nominat. Ista ex Epaphroditi commentariis excerpta continuantur usque ad vocem Σμινθεῖ. Quod si observes, omnia prorsus clara erunt; idque ut fieret, in Latinis ea per characteris diversitatem signari decuit. Neque tamen hæ cogitationes inhæserunt solis Philoxeno & Epaphrodito. Sunt prorsus eadem, quæ agglutinantur Scholiis Æschyli in Septem contra Thebas v. 169. Ἐπεύχεται δὲ τὴν ἐπιχώριον Ἀθηνᾶν καλῶν εἰς βοήθειαν, ὡς ὁ Θετταλὸς τὸν Δία, λέγων, Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, καὶ ὁ Λύκιος τὸν Ἀπόλλωνα, καὶ ὁ Ἰδαῖος, Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων. *Comprecatur vero popularem Minervam vocans in auxilium, sicut Thessalus Jovem, dicens, Jupiter Rex Dodonæe, & Lycius Apollinem, & Idæus, Jupiter pater ab Ida rex.*

12. Ἐπικέκληται δὲ Ἀχιλλεὺς) Quum Stephanus religiose Epaphrodito reliquerit suum verbum, id nuperi nescio quo jure aut prætextu censuerunt illi adimendum, supponentes ἐπικέκληκε. Opinatus fui id ab eis factum, quia forsan hoc active usurpari negabant, certe sibi non persuadebant. At vero etiam in Actis Apostolorum meminisse debuerant Lucam dicentem tum Judæos λιθοβολεῖν τὸν Στέφανον, ἐπικαλούμενον καὶ λέγοντα: Κύριε Ἰησοῦ, *lapidavisse Stephanum, invocantem dicentemque; Domine Jesu*, plane ut Achilles ἐπικέκληται τὸν Δία *invocavit Iovem*: tum Paulum similiter Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι *Cæsarem invoco*. Certe etiam Arrianus lib. I. scribit, ὅσοι τοὺς φυγάδας ἐπικεκλημένοι ἦσαν, *quotquot invocaverant exules*. Etiam Eustathius scribit ad Iliad. Γ, πάντας ἐπικαλεῖται θεοὺς, καὶ οὐ μόνον Δ καὶ Γῆν, καὶ Ἥλιον, *Omnes invocat Deos, & non solum Iovem & Terram & Solem*. Et plura talia, quæ debuerant arcere ab mala vi inferenda verissimæ antiquæ lectioni. Sed pergimus cum Epaphrodito.

13. Ὡς καὶ ὁ Πίνδαρος εὔχεται τῷ Λυκηγενεῖ.) Illi, qui notis scribendis lucem huic fragmento infundere voluerunt, inter alia maxime sedulitatem suam sic probaverunt, ut superstitum scriptorum locos, quos citat Stephanus, diligenter contulerint, sic ut ne minimas quidem mutationes prætermiserint, atque etiam ου in Herodoto pro ο legi notam fecerint. Imo etiam, ubi invenire locum non potuerunt nescio quid agentes (sane in verbis Pausaniæ de Dymæis sic loquuntur, quum nos certo certius meminerimus ea in Pausania legisse) id non tacent. Itaque primum mirabar, cur quum hac in re alibi tam fuerint solliciti, cur, dico, idem non faciant in hoc loco Pindari. Scimus Pindarum in Nemeis dicere προφῶνας Δωδωνάθεν ἀρχομένους: commentatores veteres testari ab eo dictam Δωδώνην Θεσπρωτίδα, etiam Lycii Apollinis mentionem occurere. De Apolline Λυκηγενεῖ & in Lycia genito nihil cognitum. Quin etiam tanto plus operæ in hoc loco ponere debuissent, quod videatur palam absurditatis esse plenissimus. Quid enim? an sicut ad Achillem pertinet Thessalia, & ad Chrysen Smynthe, sic Lycia regio Asiæ ad Pindarum clarum ex Thebis Bœotiæ poetam? Vide quantum incommodum obtrudatur commentariis optimi Epaphroditi, nonnisi literæ unius corruptela. Scribendum enim Πάνδαρος. Allegat Stephanus vel Epaphroditus ex Homero exempla, in quibus Dii cives ac populares ab unoquoque invocantur. Sic ab Achille, ut vult, Dodonæus Jupiter, a Chryse Smintheus Apollo, a Pandaro Lycio item Lycius Apollo. Pandarus enim Lycius ex præcepto Minervæ apud patrem poetarum Illiade Δ, 101. & 119. Εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι Λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ, *Preces autem misit ad Apollinem Lycium, arcu inclitum*, & debuit illos admonere hujus nominis ipse Stephanus in Ζέλεια, ubi de ejus sepulcro: sicut ex Strabone lib. XIV. apparet nomen frequens in Lycia, ubi etiam notat eum Pinaris sortitum fuisse heroicos honores: & quem cum Sarpedone ab

14 Τὸν δὲ Δωδωναῖον ἔλεγον καὶ ναῖον. Ζηνόδοτος δὲ γράφει 15 Φηγωναῖε, ἐπὶ ἐν Δωδώνῃ πρῶτον φηγὸς ἐμαντεύετο. Καὶ Σουΐδας δέ φησι, Φηγωναίου Διὸς ἱερὸν

Hunc vero Dodonæum dixerunt quoque Neum. Sed Zenodotus scribit *Phegonææ*, quia in Dodone primum fagus edidit oracula. Et Suidas vero dicit esse

Theocrito nominari ἀριστῆας Λυκίων *præstantes virtute in Lyciis*, bene notavit Casaubonus. Et quid multa? Sunt ipsæ voces Eustathii ad Iliad. B. 824. Ὅτι δὲ Λύκιος ὁ Πάνδαρος, καὶ ὅτι Λυκία ὑπ' αὐτῷ ἦν, ἐν ᾗ Ζέλεια, δηλοῖ τό, Οὐδέ τις ἐν Λυκίῃ σεῦ εὔχεται κρείττων εἶναι. διὸ καὶ Λυκηγενεῖ Ἀπόλλωνι ἐν τοῖς ἑξῆς εὔξεται, *Pandarum vero fuisse Lycium, & Lyciam sub eo fuisse, in qua Zelia, declarat hic versus; Neque quis in Lycia te precatur ut melior sit. Unde etiam Lycio Apollini in sequentibus vota facit*: & mox ex Arriano de Pandaro. διὸ καὶ Λυκηγενεῖ Ἀπόλλωνι ἐκεῖνος εὔχεται τῷ ἐγχωρίῳ, *propterea etiam Lycium Apollinem iste precatur popularem*. Et habet quoque Homericum hunc versiculum Etymologus in voce Εὐχή. Sed ut Philoxenus, sic quoque Epaphroditus & Eustathius argumentantur tum acumine valde hebeti, tum infaustissimo successu. Primum enim si non plane alieno, certe incerto utuntur exemplo hujus Pandari, & explicationem multis improbatam afferunt pro certa de voce Homerica Λυκηγενής, in qua quidem exponenda malo testibus Macrobio & aliis quibuscunque credere derivantibus ab Λύκη, quæ prima lucis creperæ pars, quam illis, qui id accipiunt pro Λυκιηγενής. Certe nunquam video dictum Λύκη pro Lycia, ut quidem Θρᾴκη pro Thracia, multo minus Ἀσιηγενής pro Ἀσιηγενής, ut in animum inducere mihi nequeam apud Homerum & alios eruditissimos Græcos potuisse illud Λυκηγενής abire pro Λυκιηγενής. Juvat aliquid Servius ad XII. *Æneid*. 516. scribens: *Appellat autem Lyciam a Lyce nympha, ex qua habuit Apollo filium nomine Lycadium*. Tum Minerva jubet Pandarum vovere hecatomben Apollini, non ideo, quod in Lycia natus esset ac populare numen, sed tanquam κλυτοτόξῳ, præsidi sagittariæ artis, ut dirigeret telum suum in Menelaum. Hoc nomine ut nunc ipsi iste Ἀπόλλων adesset, necesse habet. His si addantur, quæ contra Philoxenum dicta sunt, oppido patet fraus infelicissima argumenti Epaphroditi.

14. Τὸν δὲ Δωδωναῖον ἔλεγον καὶ ναῖον.) Hic quidem in tenebris dimicamus. Et deplorandum est adeo regnare vel inertiam vel invidiam, ut postquam primi descriptores ita ediderunt certissimo errore, nullus postea consulere membranam priscam aut voluerit aut potuerit. Καναῖος vel Κλιναῖος (ita enim in voce Κάναι apud Hermolaum emendavit Rutgersius pro vulgato Κιναῖος, ubi MS. Perusinus legebat Καιναῖος) Jupiter cognitus affatim & clarus est. Sed licet id ita se habeat, atque etiam literæ plurimum conveniant, quia is longe gentium memoretur, huc transferri nequit. Hæreo & fateor me nescire, quid pronunciare debeam, quum sententiam Stephani non capiam, utrum de loco Homerico ista quoque dicat, ut pro Δωδωναῖε aliam ibi appellationem noverint antiqui, an vero in genere nomen aliquod, quo hunc Jovem Dodonæum vocaverunt, quæ multa sunt. Quin etiam dubium videtur ipsiusne Stephani verba hæc, an sint accessio & reliquiæ verborum Epaphroditi. Itaque tanto plus loci hujus indignam corruptelam comploravi, quanto acrius vidi alios dicere hic scribendum esse καὶ Βωδωναῖον, eamque visum iri lectionem indubitatam, quum ea mutatio vix hominem sonet. Si enim nunc statuamus dixisse Stephanum, alüs eundem vocari Bodonæum, quid fiet illis, quæ mox a Stephano subjiciuntur ἕτεροι δὲ γράφουσι Βωδωναῖε? an ea vel minimum differunt? an non eadem sunt? an adeo stupide balbutivit Stephanus, ut non satis putavit rem unam semel dicere? Sed ut hæc leviter refutantur, ita difficilior nodus est, quid videatur periisse. Ortelius Καιναῖον, ut est in Epitome Hermolai, volens admittit. Chaonium huc Jovem quoque nominatum fuisse docet Hermolaus ex Euphorionis versu Ζηνὸς Χαονίοιο προμαντιες ηὐδάξαντο, *Jovis Chaonii vates loquuti fuerunt*, ac Valerius Flaccus lib. I. *Dodonida quercum*.

Chaoniique vides famulam Jovis.

Etiam Τμάριος Ζεὺς ἐν Δωδώνῃ agnoscitur ab Hesychio, cujus imaginem tam erudite restituit in notis ad Claudianum Nic. Heinsius. Θεσπρωτὸν Δία voluit appellare Æschylus in Prometheo vincto. Sed & Ἄρειος Ζεὺς colebatur ἐν Πασσάρωνι χωρίῳ τῆς Μολοττίδος, *Passarone regiuncula Molottidis*, teste Plutarcho in Pyrrho. Et quis non credat plura fuisse ei cognomina in urbibus vicinis? Sed quum omnia considero, statuo, ut dixi, prius nos esse certos debere, utrum ista verba sive Stephani sive Epaphroditi agant de loco Homeri, ubi is dicit Δωδωναῖε, velintque indicare, quomodo alii pro isto epitheto legerint in Homero, an γενικῶς innuant aliam quamcunque Jovis hujus appellationem. Quod si fit, & non respiciunt locum Homeri, qui literas accurate contempletur, putabit scripsisse Stephanum, τὸν δὲ Δωδωναῖον ἔλεγον καὶ Ἀχαιόν, *sed Dodonæum dixerunt quoque Achæum*. Hoc verum est, & quidem antiquissimis temporibus, nec modo in ipso illo numine, sed quovis incola Dodonæ, cujus insigne exemplum nobis reservavit Pindarus in Nemæis 7. Ἐὼν δ' ἐγγὺς Ἀχαιὸς οὐ μέμψεταί μ' ἀνὴρ Ἰονίας ὑπὲρ ἁλὸς οἰκέων, *Propinquus autem Achæus non vituperabit me vir Jonium super mare habitans*. Ubi in scholiis hic Ἀχαιὸς non explicatur, nisi Ἠπειρώτης, aut Μυρμιδών, aut eorum aliquis, qui ταχθέντες ὑπὸ Νεοπτολέμου ἀπηλλάχθησαν εἰς τὴν Μολοσσίαν, *conscripti sub Neoptolemo discesserunt in Molossiam*, & tandem plane Δωδωναῖος. Cujus scholii fidem docte confirmant verba Plinii 4. 7. *Ibi* (Thessaliam vocavit) *genitus rex, nomine Græcus, a quo Græcia. ibi Hellen, a quo Hellenes. Hos eosdem Homerus tribus nominibus appellavit, Myrmidonas & Hellenas & Achæos*. Patet ex conjectu ipso oculi, quam prona sit confusio literarum χ & ν. Quod si de versu Homerico agatur (id quod censeo) qui non constabit, nisi quatuor syllabas ea vox impleat, etsi queant alia dari nomina huic Jovi congrua & quatuor syllabarum, prorsus reor voluisse Stephanum scribere Τὸν δὲ Δωδωναῖον ἔλεγον καὶ Κασσωπαῖον. Vide modo epitomen Hermolai in voce Κασσώπη.

15. Φηγωναῖε.) Vix aliter possum aspicere hanc Zenobianam varietatem, quam quod placuerit ei specimen dare ejus, quod modo dixi, posse excogitari similia nomina perinde grandia, ut more ingenii luxuriantis luserit. Nam certe non Φηγωναῖος, sed Φηγαλεὺς cognominatus fuit ab fago Διόνυσος. Hoc Græcum est, illud Zenobianum meditatum, etsi fulcire conatus fuerit Suidas testimonio suo. Et plura forsan exstarent, si superesset Antiphanes, qui ἐν Δωδώνῃ citatur ab Athenæo. Equidem φηγὸν quam dicit, memorat quoque Lucianus: Τί ἂν ἐποίησας, εἴ σοι ἡ τῆς Ἀργοῦς τρόπις ἐλάλησεν, ὥσπερ ποτὲ ἡ φηγὸς ἐν Δωδώνῃ αὐτόφωνος ἐμαντεύετο? *Quid tandem fecisses, si tibi carina Argus loquuta fuerit, sicut quondam fagus apud Dodonen sua voce præcinebat futura*? ut & inferius fragmen-

ἱερὸν εἶναι ἐν Θεσσαλίᾳ [16], καὶ τοῦτον ἐπικαλεῖσθαι. Ἕτεροι δὲ γράφουσι Βωδωναῖε· πόλιν γὰρ εἶναι [17] Βωδώνην, ὅπου τιμᾶται. Κινέας δέ φησι [18] πόλιν ἐν Θεσσαλίᾳ εἶναι, καὶ φηγὸν, καὶ τὸ τοῦ Διὸς μαντεῖον εἰς Ἤπειρον μετενεχθῆναι.

Ὠνόμασται δὲ [19] κατὰ Θρασύβουλον, ὡς [20] Ἐπαφρόδιτος [21] ὑπομνηματίζων τὸ β′ αἴτιον, [22] ἀπὸ Δωδώνης μιᾶς τῶν Ὠκεα-

esse in Thessalia templum Jovis Phegonæi, & eum invocare. Alii ſucribunt *Bodonæe*: urbem enim esse Bodonen, ubi Jupiter colitur. Cineas autem dicit urbem in Thessalia esse, & fagum, & oraculum Jovis in Epirum esse translatum,

Sed ſecundum Thraſybulum, ut Epaphroditus commentans ſecundum Αἴτιον, appellata eſt ab una Ocea-

ta Sophoclis παλαιὰν φηγὸν agnoſcunt, & Euphorion φηγὸν Διός.

16. Καὶ τοῦτο ἐπικαλεῖσθαι.) Et quid denique proderit, ſi legamus καὶ οὕτως ἀπὸ τούτου ἐπικαλ. vel omiſſa voce οὕτως tantum καὶ ἀπὸ τούτου? Quæ perbella iſta ſententia, *in Theſſalia fanum eſt Jovis Phegonæi, & ab illo Jupiter Phegonæus denominatur*? Ergo Jupiter Phegonæus ab fano Jovis Phegonæi, hoc eſt, ab ſe ipſo denominatur; quam acrimoniam non aſſequor. Tantundem enim ſcio. At nihil tanti mali in hoc loco. Quippe ſcribendum erat minima mutatione καὶ τοῦτον ἐπικαλεῖσθαι, *& hunc invocari*, nempe ab Achille apud Homerum, vel *invocare* Achillem. Id enim ſolum fuit omnium Grammaticorum opus, Homerum explicare, & locus Homeri de Jove Dodonæo fuit ipſis cauſa, ut fere omnes Dodonen tangerent.

17. Βωδώνην.) Et quis non credat per hujus appellationis ſimilitudinem ortum fuiſſe univerſum illum diſſenſum de Theſſalica & Moloſſica Dodone, quem in præcedentibus voluit redarguere Stephanus? Nam & urbem iſtam Theſſalam fuiſſe conſtat, & ipſe Stephanus ſuo loco eam recenſuit. Nec hi Bodonæi forſan inviti viderunt ſuam urbem & Moloſſicam confundi & pro eadem haberi, quod etiam imitamento veri oraculi apud ſe inſtituto videntur auxiſſe, adeo ut fere inde opinari liceat quoſdam fuiſſe inductos, ut ita loquerentur, quaſi duæ fuiſſent inde etiam natæ loquutiones, & quum apud alios invenirent Dodonæum æs, apud alios Theſprotium lebetem, crediderint ea differre, & hinc tanquam diverſa ſuſtinuerint conjungere, tanto in hac confuſione excuſatiores, quod ſcribebant eo tempore, quum Dodonæ gloria & tantus æris ſonitus jam obſoleviſſet ac taceret, nec ipſi ad eum convertere ſe poſſent. Id accidiſſe Clementi in Protreptico patet aliiſque. Certe enim non hæc monitio Stephani & rejectio Theſſaliæ ab Dodone ſic potuit efficax eſſe, ut non redirent quicunque ad veterem cramben: unde ne auctor Etymologici quidem abſterritus fuit ſcribere in v. Κύπελς: Καὶ γὰρ εἴποτε σπανίως ἐπίθετα ἐξενήνοχεν Homerus ἀπὸ τόπου, οὐδέποτε ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἡρωϊκοῦ προσώπου κατὰ τὸ εἰκὸς ἑαυτῷ λέγων. Ἀχιλλεὺς μὲν γὰρ Θεσσαλὸς ὢν φησι, Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικέ. *Etenim quamvis raro adjectiva ab loco extulerit, nunquam ex ſe, ſed ex heroica perſona, prout illi videbatur, dicens. Nam Achilles quidem Theſſalus quum eſſet, ait, Jupiter Rex, Dodonæe, Pelaſgice.*

18. Πόλιν ἐν Θεσσαλίᾳ εἶναι καὶ φηγόν.) Hæc ab Stephano ſic poſita eſſe, ut indicarent ignotam hactenus veterem urbem, nequeo in animum inducere. Id tamen judicarunt interpretes vel omittenda vocula καὶ vel tranſponenda. Sed quum nuſpiam illa urbs Theſſaliæ Φηγὸς agnoſcatur, ne quidem apud ipſum Stephanum ſuo loco, facile illam non condimus, & maluimus interpretari ex veritate, quam præbent Græca. Nempe id eſt, quod modo dixi, ob certas cauſas fuerunt & alii, fuit & Cineas, qui & urbem in Theſſalia eſſe dixerunt, fagumque ac totum oraculum quoque fuiſſe in Theſſaliam deportatum.

19. Κατὰ Θρασύβουλον.) Bentlejus hæc citans etiam projicit, pro Θρασύβουλον fortaſſe legendum Θράσυλλον: quod plane nullum poteſt ſaporem habere. Nam & Varinus agnoſcit in Dodonæis antiquitatibus citari Thraſybulum debere, ubi quum narraviſſet famam de Deucalione, qui ab una Oceanidum Dodone appellaverit locum, addit; ὡς Θρασύβουλος καὶ Ἀκεστόδωρος ἱστοροῦσι, *ſicut Thraſybulus & Aceſtodorus memorant*. Quæ negari nequeunt petita eſſe ex his Stephani reliquiis, ubi etiam Aceſtodorus mox ſequitur. Sed & Scholia Homeri ex Thraſybulo hoc eodem ſcribunt Epirum vocatam Dodonam addita late explanata hiſtoria,

20. Ἐπαφρόδιτος) Ille ipſe, quem citat quoque Scholiaſtes Æſchyli, & obſervavit Caſp. Barthius ad Statium.

21. Ὑπομνηματίζων τὸ β′ αἴτιον,) Non modo mendum his verbis ineſt nullum, ſed & quanto acrius examinetur, eo quæſitius & electius ex veterum more dicta eſſe apparet; ut mirer tam projectam regnare inſcitiam, quæ etiam iſta aggredi audeat mutando τὸ β′ αἰτιῶν. Edidit Callimachus librum, cui titulus erat Αἴτια, perinde ut Varronem quoque ſcripſiſſe Latine docent Grammatici, & poſtea Plutarchus, ab quo etiam in Amator. pag. 761. memoratur ἐν τοῖς αἰτίοις Διονύσιος ὁ ποιητής: *in Cauſalibus Dionyſius poeta*. Quæ quid fuerint, docent exempla apud Servium ad illa in I. *Æn.* 412. *Dextræ jungere dextram. Majorum hæc fuerat ſalutatio; cujus rei τὸ αἴτιον id eſt cauſam Varro Callimachum ſecutus expoſuit*. & VII. *Æn.* 778. *Exponit τὸ αἴτιον. Nam Callimachus ſcripſit αἴτια, in quibus etiam hoc commemorat*. Ex eodem libro haud dubie ſcribit Macrobius 3. Satur. 8. *Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait dixiſſe Callimachum Tuſcos Camillum appellare Mercurium*. Quod opus quum conſtet Græce ſcriptum fuiſſe, & quidem elegiaco carmine, ut adſeverat Salmaſius ad Solinum, & certa ſunt exempla, (hinc & Varro id vocat *poemata* in lib. VI. L. L. pag. 27. *Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni*, etſi in ea voce facile latere poſſet *ætiis*) miratus ſum ſtuporem dicam an furorem ejus, qui Fulgentio tantas nugas nuper impoſuit, & inter alia ad locum Fulgentii iſtum, *Jentaculum dicitur guſtatio. Callimachus inteſia. Jentaculum proferre Jovi*, ſumpta anſa ex conjectura Gothofredi corrigentis in Αἰτίοις ſic notavit: *Forte ſcripſit barbare in ætia pro in ætiis*. Quaſi vero iſta Latina verba potuerint eſſe excerptum ex Callimachi libro Αἰτίοις, cui primo probandum erat vel innotuiſſe Latinam linguam: quod ut ne ipſum quidem fieri poteſt, ita certum eſt in libro illo ut inſcriptionem, ſic quoque ſcriptionem ipſam Græcam fuiſſe. Et tamen jam ante hos ipſos Callimachi Αἴτια teſtimonio Fulgentii dicit nota eſſe Wouwerius in Polymathia. Hæc quondam. Interim vidi jam Urſinum in appendice ad Ciacconii Triclinium citaviſſe (Callimachus αἰτίοις: *Jentaculum proferto Jovi*) Adeo vetus eſt ibi illud αἰτίοις ut pudere oporteat venientes ita ſero circumrodere tamen iſta oſſa. Rurſus tamen ad has nugas acceſſit nuper Cl. Bentlejus ille tamdiu αἰτίοις Callimachi repletus adeo, ut nec Ἔπη ejus nec Ἐπίσια tolerare queat (non magis, quam Cangius ad Chronicon Paſchale) ſcribens in epiſtola Malelæ annexa neſcio an his meis ſtimulis excitus (Illud vero incredibile videatur Cyrenæum illum Latine loqui & quidem verſu: nam ſic

lego. *Jentaclum proferre Jovi*. Sed minuit admirationem, quod Fulgentius & Mnaseæ Εὐρωπιακὰ & Demosthenis Philippica vertit Latino sermone conscripta) Et causa profecto & depositio mirationis temeraria, ut levis illa lectionis mutatio. Attamen in fragmentis quoque postea Callimachi sub numero x. reposuit (Callimachus intesta: *Jentaculum proferre Jovi*. Viri eruditi emendant *in Etiis* sive Αἰτίοις) velut oblitus poeticæ suæ lectionis. Ita sicut apparet conspectum fuisse inter eruditos hunc locum, apparebit quoque prave ab eis tractatum esse. Nam res ipsa clamat Fulgentium scripsisse; *Callimachus: In testa jentaculum proferre Jovi*. Parvula scribæ aberratio tantopere potuit avertere. Ita enim testas adhibebant, ut in privatorum mensis, ita & deorum. Talia sunt apud Ovidium II. Fast. *Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ. Hæc habeat media testa relicta via*; apud Tibullum lib. II. *Samiæ convivia testæ*. Fragmentum Varronis fere aperit, cur & apud Deos: *Cælum est testa, item vitellum, terra: inter illa duo humor quasi in sinum clusus aeri, in quo calor*. Nempe Varro scripsit librum, quem nomine Callimachi appellavit, ut alium, qui dictus est Cato; alium, qui Gallus Fundanius, & similes. Hinc citavit ista Fulgentius. Hunc vero Callimachi librum ubi citant auctores, plerumque videmus eos scribere Καλλίμαχος αἰτιῶν πρώτῃ, αἰτιῶν δευτέρᾳ, aut αἰτιῶν πρώτῳ, &c. cujus exempla sunt in Stephano contracto, ubi certe MSSti codices ita habent, quos violente mutari debere miror cur pronuncietur. Illi vero, qui eas illustrarunt commentando, ipsum volumen libenter videntur vocasse αἴτιον. unde commentaria ipsorum allegantur ὑπομνήματα εἰς πρῶτον αἴτιον, εἰς τὸ δεύτερον αἴτιον. Id quod non modo liquet ex ipso Stephano, sed etiam ex Etymologico, tum in voce Ἄσυρον, ubi ait Θέων ἐν ὑπομνήματι τῷ τοῦ β' αἰτίου, *Theon in commentario rerum secundi causalis*, tum isto ipso loco, quem alii citant Θέων ἐν τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ α' αἰτίου Καλλιμάχου, *Theon in commentariis primi causalis Callimachi*, quum interim in Æschyli Scholiaste citetur Ἐπαφρόδιτος ἐν ὑπομνήματι Καλλιμάχου αἰτίων β', *Epaphroditus in commentario Callimachi causalium secundi*. Hinc non debet incontaminatæ veteris membranæ fides violari, quum edit τὸ β' αἴτιον, nec cogitari τὸ β' αἰτιῶν. Etenim τὸ πρῶτον αἴτιον, τὸ δεύτερον αἴτιον dictum est eleganter, ut *Claudius annali quinto* pro quinto annalium libro, quod jam tot ante annos observavit ad Martialem Scriverius: & sequi non dubitarunt eruditissimi quique, non aliter ac *primam fabulam* dixit lepor Terentianus de ingressu comœdiæ. Neque id alienum est ab festivitate Stephani. Sic Βάλαγρος, qui res Macedonicas collegit, nominatur in hoc ipso fragmento in Δυρράχιον ἐν Μακεδονικοῖς, at apud Stephanum contractum in Ἄμολβος, ὡς Βάλαγρος ἐν Μακεδονικῇ δευτέρᾳ. Sic Rhianus in vocibus Ἄτλαντες & Βολίνη citatur ἐν Ἀχαϊκῶν δευτέρῳ vel δευτέρᾳ, at in Ἀπία nominatur Ῥιανὸς ἐν Ἀχαϊκῷ δευτέρῳ. Sic scholia Sophoclis citant Istrum ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἀτάκτων, Suidas autem ἐν τρίτῳ ἀτάκτῳ. Quid? an ista omnia mutationibus contaminabuntur? similiter in Γερλωία, nisi volumus adhærere MS. Perusino clare exhibenti ἐν α' καταλόγων, profecto putarem vulgatum Ἡσίοδος καταλόγων exstitisse ex male intellecto Ἡσίοδος καταλόγῳ γ', hoc est, *καταλόγῳ τρίτῳ, libro tertio catalogi*. Κατάλογον enim vocavit Hesiodus id opus, ut plane testatur Pausanias in Atticis pag. 80. Suidas etiam hunc ipsum librum notat, ὑπὸ γῆν οἰκοῦντας λέγοι τοὺς ὑπὸ Ἡσιόδου ἐν γ' καταλόγου καταδαίους ὀνομαζομένους, *habitantes sub terra dixerit eos qui ab Hesiodo in tertio catalogo subterraneos nominatos*: & plane ut nunc censemus Stephanum, sic Scholiastes Apollonii ad

A librum secundum, ἐν ᾗ τῷ γ' καταλόγῳ, loquens de Hesiodo. Hæc nos olim; quæ nescio cur non moverint Bentlejum, sic quoque in fragmentorum Callimachi collectione pag. 310. citantem ὑπομνηματίζων τὸ β' Αἰτίων, contra sanctam membranæ unicæ auctoritatem, contra moris Græci festivitatem, cum vulgo ut glande vesceretur. Et sic quidem nos antiquam & veram Stephani manum stabilientes, procederemus ad sequentia, nisi admonitio Fulgentii me vellicaret, scriptoris profecto minime digni, ut is aliquem moretur, nisi fragmenta aliorum & pauca quædam interspersa eum commendarent. Quæ fere sola quum hominis ingenui & ingeniosi laborem mererent, utpote perquam corrupta, admo-

B dum frustratus sum in expectatione mea, videns nuper nihil in illius editione nisi saburram semilatinarum vocum, & constructionum: at ubi doctrina, ubi judicium, ubi ingenium requiritur, illic eum pessimo fato destitui. Illustrissimum hujus rei exemplum sunt illa lib. 3. pag. 103. *Prœtos Pamphyla lingua sordidus dicitur, sicut Hesiodus in Bucolico carmine scribit dicens: PEP Igrosis tu fulve ulactis menes emorum, id est, sordidus uvarum bene calcatarum sanguineo rore*. Absit enim, ut tam depravati simus, ut exemplo Scriverii accusemus Fulgentium citare ex Hesiodi Bucolico versum, qui Græcus non est, sed Barbarus, a quodam Afro vel

C Vandalo prave imitatum. Cujus temerariæ pronunciationis nulla fuit certa causa Scriverio, nisi ipsius ignorantia. Absit quoque, ut cum Casaubono tam audentes sustineamus esse, ut nulla contemplatione habita literarum, quæ sunt in MSS. non secus ac si non essent, putemus belle hunc locum restitutum esse, si quis versum Græcum subjiciat qualemcunque, (quod nimis sæpe sustinuit magnus ille vir) qui incertam, unde venerit, versionem exprimat, & προῖτος vocabulum vere Pamphylum, & quod ipse ignoravit, censeat esse Hesiodeum. Tali exemplo potuit etiam If. Vossius ad Catullum adhibere

D Pamphylam linguam, ut explanaret aliquam Græcæ partem, & quia Pamphylos dixisse ἄδρα pro ἄνδρα notat Hesychius, hinc Græciæ totius χάλαδρον debet credi. Grandia commentaria, nuper ad Fulgentium edita, sicut pagina 277. & 278. hiant exsultantque in filiabus Anii, scilicet quia illic abutebatur auctor ingenio Ludovici Nonnii, quem & loca & emendationes easdem ante tot annos prodidisse constat ad nummos Goltzii, & Josiæ Merceri ad Dictyn, ad hunc locum nihil, nisi quod Leidensis MS. Græca sic repræsentet, *Pritos ista fluen tactis mene semorum*. Hæc ignave præterire non oportebat. Ostendunt enim literæ latere Græcum,

E & bene Græcum elegantissimeque, quod tale esse non dubitamus, Βρίθωσι σταφυλῆς εὐστάκτης μῆνες ἔνωροι. *Adfluunt gravesque sunt uva bene onerata menses tempestivi*. Habemus ex Homero σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν ἀλωὴν, *uvis valde abundantem aream*; & τράπεζαι οἴνου βεβρίθασι, *mensæ vino adfluunt*, ex Hesiodo πέτηλα βριθόμενα σταχύων, *folia gravida aristis*, ex Chrysostomo ἄμπελον καρπῷ βριθομένην, *vitem fructu copiosam*. Latina versio videtur εὐπεπατημένης in animo habuisse, vel εὐπάκτης, & Ovidianum illud de Autumno, *calcatis sordidus uvis*, sed aliter Græci versiculi prisca testimonia, & εὔστακτος bene græcissat, etsi exem-

F pla alia sint nulla reliqua. Μῆνες autem ἔνωροι sunt plane ipse autumnus, vel, ut alii, autumnitas. De his quum dixisset Hesiodus βρίθωσι, Fulgentius similitudinem analogiæ, qua annotatum jam sæpe est OE solere cum I commisceri, ad Prœtum traxit, idque Pamphyla ait lingua scripsisse Hesiodum; opinor, eadem fide, qua Valesius ad Harpocrationem notat ab Solino Amalcium mare barbari nominis explicationem statui. Nisi fortasse Pamphyla

intelligi potest Æolica, cujus oppidum Cumen audiverat Hesiodi patriam esse. Sed concedimus omnia Fulgentio, nos Hesiodi eximium versiculum reparavisse lætamur.

22. Ἀπὸ Δωδώνης μιᾶς τῶν Ὠκεανίδων νυμφῶν.) Hæ rationes ἄλογοι omnino prætextæ fuerunt ab illis, quibus placuit veram hujus nominis originem fabulis & vanis conjecturis, quas præbet vel fœmina, vel vir, vel fluvius, solita appellationum incrementa apud Græcos, involvere. Ex quibus hanc speciem quidem sic adjuvare possemus. Nimirum omnia antiquissima ad se traxerunt Ægyptii, & plurimum injuste; nec nisi ex narrationibus inconditis ultimæ vetustatis petito velamento. Tali modo Herodotum Δωδωναίων ἡγεμόνας referentem ad Ægyptios videre licet in Erato cap. 53. Si pari etiam exemplo factum putemus in hac Πελειάδι, & censeamus pro Thebis Ægyptiis intelligendam nobis esse ipsam Babylonem in Oriente, non erimus oppido vani, ut spero. Jam vero si eadem Babylonica lingua apud incolas posterioribus quoque temporibus obtinuisset, quæ tempore hujus Πελειάδος inde discedentis in Græciam, audimus hodieque ignicolarum Persarum Gaures primi sacerdotis & superstitionis ejus conditoris Ebrahim-zer Ateucht matrem etiam nominari Doghdon. Quæ etsi fabulosa merito existimantur, patet tamen sermone isto Asiatico tale nomen fœmineum formatum fuisse aut formari posse, quæ mari in Græciam advecta Oceanide credita & parvula immutatione Δωδὼ vel Δωδώνη dicta. Sed qui a fabulis voluerunt esse immunes, nec hariolari nympham illam Dodonen, infra audimus eos a δίδωμι deducere, scilicet quia Græciam exire aut nolebant aut non poterant. Inde ergo ad Physica accedendum fuit. Quibus non acquiescens Grentemesnilius ab sono lebetis vel ab hominibus vel vento pulsati & Δωδὼ ingeminantis nomen loco dat. Probo leporem & dulcedinem compositionis: veritatis nullam agnosco scintillam; nec fons inventi hujus potest credi alius fuisse, quam quod lubuit illi ludere imaginem etymologiæ in bucina ab bou bou jam antiquitus deductæ. Hactenus tamen prodest, ut innuat veterrimam appellationem videri Dodo, non Dodon, non Dodone, quod certum est. Itaque & ad bisyllabi istius rationem formanda est etymologia, non ad trisyllabum Dodone, quod posterioris temporis inventum est, quum poliri incepissent Græca; quicquid etiam Strabo lib. 8. statuat ab Simmia contractam esse Δωδώνην in Δωδὼ, ut ab aliis poetis factum est in quibusdam appellationibus, quum Simmias videatur usus vetustissima pronunciatione. Unde est, quod illas voculas dod & jona, quæ nuper evolaverunt in lucem, tanquam composituras originem hujus appellationis, nesciri fuisset melius, & bona fide relinquimus afflatis ab hoc ære capitibus & deliris silicerniis, etiam ubi nemo eos rogat, crepitantibus more Dodonæo, quum oblivisci nequeant nugarum, quas primis annis temere attraxerunt. Et quam diversæ sunt sententiæ? Admirabilis ille Bochartus & alii maximi viri quam multis ostenderunt origines fabularum ortas cusasque ex appellatione & nomine & sono vocis alicujus. Sic λυγκούριος, quum etiam aliquid ipso sono præferret, fabulam fecit de urina lyncis. Et talia infinita. At hic noster contra ex sono facit nomen. Sed ut hoc abeat, refutatur Grentemesnilii opinio ab illo ipso, quod allegat, Strabonis supplemento. Nam si fuit ille æris tinnitus donarium Corcyræorum, ut illic dicitur, ergo jam ante illud donarium celebris erat hæc regio Dodo, & tum nomen hoc, tum famam oraculis e quercu (ita enim fere habent antiquissima, non ex ære) editis nacta erat; sin, haud dubie non statuissent illic donarium Corcyræi, nisi divinitas ac majestas loci innotuisset. Nec tantum; sed quæ plurima fuit donariorum solennitas, Corcyræi id videntur statuisse ad testandum gratam voluntatem ob beneficium oraculi. Quod donum si contemplari libet, dixeris hoc æs ibi sacratum fuisse ab eis, quum spectris infestarentur, contra quæ sonus æris credebatur καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων, *purus & abigens inquinamenta*, ut notat Scholiastes Theocriti. Nec vero videri posset donarium ab solis Corcyræis sacratum, sed ab variis consultoribus, inde profecto more, ut æneum quid dedicaretur. Hinc alii consecraverunt columnam istam, alii aliud; ut ita appareat non esse habendas has contrarias sententias, ut facit Stephanus, sed diversas & varias, inde ortas, quod quum alius legisset ista donaria illic posita, alius alia, omnia ænea, & simul eodem tempore sonantia, differenter traxerint vocem æris vaticinantis. Probabiliter utique ista lacinia Strabonis declarat ante illius æris sonitum fuisse illic jam Dodona, ut prima nominis origo inde nequeat venire. Probet igitur Grentemesnilius non ante lebetem illic consecratum fuisse in mundo nomen Dodones: tum speciem quandam habere istud commentum incipiet. Dudanim hinc removet Bochartus. Dodo viri nomen apud Judæos fuisse claret ex 2. Samuelis XXIII. 9. Et quod speciosum satis est, habemus primam nostræ Dodonæ syllabam in vetere *Asdod*. Græca Azoto, quam ab robore deducunt periti. Sed quid vagamur? postquam singula circumspexi, consultissimum existimo decurrere ad Phœnissam Διδώ. Hanc eandem puto appellationem. Video quod Europæi per ω, id ad Orientalibus & Asiaticis prope Africam pronunciatum per ι. Quod Græcis ac Italis σινδὼν, id Hebræis, Chaldæis, Arabibus Sadin, Sedin, & Syris Sedun, ait Bochartus. Mutatio eadem observata fuit in Sor, Sar, Tur, ad Tyrum notandam. Supponamus itaque eosdem Orientales, populares, partem discessisse in Africam, partem in Græciam. Nihil mirum, si pars Africana retinuerit patrium Dido, Græca vero quamcunque per occasionem illud mutaverit in Dodo, ut factum in σινδών. Vix dixerim, an huc faciat Διδωνία Scylaci cognita insula sub Marmaridis. Ita sæpius accidisse opinor, ut earundem gentium per alias regiones profectarum linguæ discrepuerint. Certe mihi non persuadetur Ἤπειρον partem illam extimam & litoralem Græciæ sic dictam ad diversitatem insularum adjacentium Corcyræ, Zacynthi &c. ut volunt. Tales objectas litori insulas in qua parte orbis non invenimus; nec tamen eo respectu unquam proprium vocabulum regio aliqua sortita fuit. Omnino igitur mihi non eripitur, quin populares eorum, qui mediterraneo mari trajicientes terram mari clausam & velut continentis fidem dixerunt Ἰβηρίαν, & ei parem Ἰσπανίαν, per Asiam minorem & Græciam profecti, quam partem mari claudi viderunt, appellaverint Ἤπειρον, ab eadem radice, terminatione & literis ad linguæ ipsorum placitum formatis. Hanc vero Elissam inquit Etymologus, κληθῆναι ὕστερον τῇ Συρίων φωνῇ Διδὼ, διὰ τὸ πολλὰ πλανηθῆναι ἀπὸ Φοινίκης ἀπάρασαν ἐπὶ Καρχηδόνα. τῇ γὰρ Φοινίκων φωνῇ τὴν πλανῆτιν Διδὼ προσαγορεύουσι, *vocatam fuisse postea Syriorum sermone Dido, quoniam multum erraverint ab Phœnice proficiscens versus Carthaginem. Nam Phœnicum sermone erraticam appellant Dido*. Idque confirmat linguæ Asiaticæ notitia. Plus erravit ac circumvagata est hæc Dodo. Et hæc a nobis hactenus. Sed quum verissime agnoverim ab summo doctore proditum, etymologias esse ἀλαζόνας μάρτυρας; facile patior alia requiri ab illis celsis, qui tanta se peritia illarum rerum, quas maxime ignorant, censeri jubent, ut tan-

tanquam Joves Dodonæi etiam oracula edere videantur stultis. Quæ si ullius digiti tactu moveas, ita sane discutias, ut statim ad varia transiliant non veritatis indagine, sed conjectandi facilitate & copia. Prout olim hoc periculum meum communicandum putavi cum Viro tum ab his literis instructissimo, tum mihi inprimis ob plurima merita & intimæ admissionis familiaritatem & ipsius collegii honorem, Venerando D. Stephano Le Moyne, qui & tunc sibi paria obvenisse testatus est, & insuper gratiæ meæ nonnulla donavit, quæ, tanquam hujus ludicri emblema & ornamentum, ad polituram Dodones annectenda judicavi.

VIRO CLARISSIMO

D. GRONOVIO.

Credis ergo nostras aliquid esse nugas etiam non laboriosas, & chartis vis illini ea, quæ de Dodonæo oraculo cum rheda veheremur ad Paetsium V. S. ex tempore nuper disserebam. Non ita lubens obtempero. vereor quippe, ne quæ verbis prolata & quasi fugitiva voce enarrata, ingrata non videbantur, scriptis tandem consignata & attentius considerata vilescant & contemnantur. Spero tamen meliora, & qua es humanitate nostras conjecturas æqui bonique consules. Prætermissis ergo multis quæ Dodonæum oraculum spectant, & quæ procul dubio exhauriet industria tua & eruditio non vulgaris, dicc ex Oriente petendam lucem qua totum istud negotium fœliciter possit illustrari. Eo nos ducit Herodotus in Euterpe, qui istius oraculi originem arcessit a fœminis captivi quas Phœnices vendiderant. Nam captivos olim vendere moris erat, & hoc præcipue apud Phœnicas & Tyrios obtinebat. Hinc ipsius Dei querelæ Joelis c. 3. *vers.* 3. 6. 8. *vendidistis o Tyrii filios meos Græcis; quod se lege talionis vindicaturum minatur ipse Deus. Quod revera præstitit, & captivorum venditio adhuc diu post obtinuit. Quod patet exemplo Judæorum temporibus Adriani Imperatoris, & exemplo Christianorum ipsorum qui inter varia supplicia quibus vexari solebant, etiam vendebantur & in longinquas & peregrinas terras deportabantur. Hoc patet difficillimo loco ad Hebræos* XI. 37. *Scio quid ad illum locum dicant viri eruditi: existimo tamen ibi non* ἐπειράσθησαν *legendum, sed* ἐπράθησαν venditi sunt, *quod egregium fundit sensum & moribus istius sæculi prorsus convenientem. Quod tamen dictum velim salva virorum ad miraculum doctorum autoritate.*

Phœnices ergo dicuntur vendidisse istas fæminas captivas, a quibus tandem fluxerit oraculum Dodonæum. Alia tamen subit mentem cogitatio, hic non agi de captivis venditis, sed vocem, quæ apud Phœnicas & Cananæos vendere significat, fucum fecisse Græcis fabulatoribus, & illis fraudi fuisse. Nam vox eadem quæ vendere significat, notat negotiari, commercium facere, & mercaturam exercere. Adeo ut istæ fœminæ non fuerint venditæ, sed erant mercaturam exercentes מכודות, *quod notat quidem venditas, sed notat etiam contrahentes & commercia facientes; quod apprime convenit Phœnicibus, qui mercaturæ exercitio per omnes maris mediterranei plagas & oras admodum se commendarunt.*

Dicuntur vero sacerdotes, & forsan erant non fœminæ sed mares mercatores, qui in Epiro & juxta Molossos templi & oraculi fundamenta jacere aliquando tentarunt. Tanquam fœminæ vero repræsentantur, quia apud Judæos, res excellentes & quæ dignitate alias videntur superare, fœminino genere aliquando exprimi solent; quod patet exemplo τοῦ קהלת *Ecclesiastis, quo Ecclesiastes Salomo repræsen-*

A *tatur, licet vox Hebraica sit generis fœminini, & fœminam præconio verbi Dei se commendantem proprie designet.*

Esto vero, fuerint fœminæ, & pro columbis habitæ. Hoc certe figmentum Phœnicibus & linguæ Phœniciæ originem suam debere videtur. Nam primo Phœnices, Assyrii, Ægyptii, nomina animalium mitiorum & magis mansuetorum fœminis imponere solebant. Sic Rachel dicitur quasi ovis, Tabita quasi dorcas & caprea, Aiala cerva, δάμαλις *juvenca, Isis hirundo, Sipphora passercula, Carmione columba vinearum, Taira columba, Semiramis columba montana. Quæ omnia sigillatim exponere non patitur instituti nostri ratio. Non mirum ergo si fœ-* B *minæ istæ nomen columbæ induerint, & columbæ sint indigetatæ more apud Phœnicas & Orientales usitatissimo.*

Sed ut ingenio aliquo modo indulgeam, dictæ forsan istæ fœminæ columbæ, quia erant sacerdotes Jovis & oraculis fundendis ministrabant. Jam vero apud Orientales Arabas maxima est affinitas inter voces, quæ columbam & quæ sacerdotem designant. אמים *Aimam enim notat sacerdotem, &* חמם *Hamam notat columbam. Cum ergo sacerdotes dicerentur istæ fœminæ, columbæ creditæ sunt, quia vox quæ sacerdotem designabat proxime ad eam, quæ columbam significat, videtur accedere. Et hinc for-* C *san aliquis non nimium judicio præceps existimaret, ortum habere id quod narratur de una istarum columbarum, quod nimirum in Libyam deflexerit, & occasionem præbuerit celebrando Jovis Hammonis oraculo, quod oraculum ab Hamo seu Chamo originem duxit. Sed cum vox ista ad Hamam quod columbam notat accederet, ideo a columba originem traxisse censuerunt, quasi oraculum diceretur Jovis Hamonis, id est, Jovis columbini, quod ministerio columbæ oracula sua fundere apud multos existimaretur.*

Insuper & istud liceat addere, fœminas istas oraculi Dodonæi sacerdotes fuisse forsan ex posteris Iavan, D *& quasi Ionicas. Jam vero* Iavanit & Iavanot *notat quidem Ionicas ex posteritate Iavanis oriundas, sed notat etiam columbam & columbas. Adeo ut cum fœminæ istæ Ionicæ essent, propter amphibologiam vocis, quæ etiam columbam denotat, columbæ esse existimarentur. Sic vocum varia significatio errorem sæpe parit. Nec aliunde exempla petenda, quam ex ipsa ista voce* יונים *columbæ sive Iones. Nam occurrit apud Gorionidem, & vocis istius significatio duplex viros de litteris egregie meritos in errorem stupendum induxit. Narrat quippe Gorionides, Herodem Hierosolymis transtulisse & aluisse* יונים *quod* E *reddunt viri magni per Ionas & Græcos, quasi Herodes milites & satellites Græcos alere voluerit: cum reddendum sit columbas quas in columbario ibi peculiariter exstructo ali & curari voluerit, ut ex tota loci serie facile colligi potest. Eadem amphibologia errori patrocinante factum est, ut contrario sensu Græcæ & Ionicæ mulieres pro columbis habitæ fuerint, quia eadem vox notat columbam, & fœminam Ionicam. Hinc factum, ut columbæ sacerdotes templi & oraculi Jovis Dodonæi tandem haberentur.*

Suspicatus sum aliquando hoc fluxisse ex cacozelia quadam, & prava oraculorum divinorum rationis F *imitatione. Nam cum oracula divina olim funderentur ex medio duorum Cherubinorum alatorum, tanquam ex medio duarum avium & volucrum, facile hoc potuit Diabolus detorquere, & exemplo oraculorum divinorum alia obtrudere, ubi interrogantibus, per volucres & columbas duas, responsa reddi censerentur. Nam sicut oracula quæ reddebantur per Urim, per Tummim, per Teraphim, imitari conatus est per smaragdum Ægyptii sacerdotis apud Ælia-*

num, per auſpicia acuminum apud Ciceronem, per oracula Themidis, per Trophonium oraculum; ſic oracula ex propitiatorio & ex medio Cherubinorum alatorum per aviſpicia, per οἰωνοσκοπίαν, par columbas referre & repræſentare auſu nefando aggreſſus eſt.

Sed forſan nonnemini magis arguta videbitur quam vera hæc conjectura. Ideo illi non ipſe ita fidens ad hanc mallem deflectere. Nimirum, oraculum iſtud Dodonæum, quod miniſtram cenſebatur habere columbam, originem habere a Deucalione, qui ut narrant mythologi propter undas diluvii in arca latitans monitus per columbam ſiccatas eſſe aquas tandem ex arca egreſſus eſt, & in honorem Jovis templum condidit in quo per columbam oracula fundebantur. Quæ omnia Noachum, diluvium tempore Noachi, liberationem Noachi, corvum & columbam Noachi qua ſiccatas aquas animadvertit, erectionem altaris in monte Ararat per Noachum repræſentare, nemo ſanus negaverit. Certe ovum ovo non eſt ſimilius quam fabula Deucalionis cum hiſtoria Noachi. Ibi quippe videtur Deucalion quaſi Noechalion Noe altiſſimus, vel quies Altiſſimi. Videmus diluvium, videmus arcam, videmus liberationem, vidimus monentem columbam, cujus etiam memoria occurrere mihi videtur in ipſa voce Dodone. Nam vox illa notat vel amabilem columbam, vel errantem & vagantem columbam, רודה enim vel amabilem vel errantem ſignificat, & יונה Ona ſive Jona, unde propheta Jonas, ſignificat columbam; Adeo ut Dodone notet amabilem columbam, vel columbam errantem, & peregre adventantem. Quod de variis columbæ Noachicæ erroribus quæ ad Noachum ipſum ultimo non rediit facillime poteſt intelligi.

Nec prætermittendum, illam ramo arboris quam ore geſtabat ſignificaſſe aquas minui, & exareſcere. Hinc fabulæ oraculi Dodonæi aſſutum columbas ibi oracula fudiſſe ex arbore vel quercu vel fago vel alia arbore vocali, & loquaci. Hæc primo intuitu ſatis ſe mihi probabat iſta conjectura. Sed quidni etiam dicemus arbores iſtas vocales, & oracula reddita a columbis arbori inſidentibus originem etiam traxiſſe ex variis ſacræ Scripturæ hiſtoriis male habitis & interpolatis.

Forſan ex Arbore ſcientiæ boni & mali, quæ non minimum fuit Paradiſi terreſtris ornamentum. Nam cum hoc ſuboluiſſet Ethnicis arborem talem exſtitiſſe quæ bonum & malum doceret, qua erant ſupinitate, facile ſe induci ut crederent paſſi ſunt, arbores extitiſſe docentes & doctores, quæ voce prolata hominibus facienda & fugienda, bonum & malum ſignificarent.

Forſan ex Rubo ex quo Deus locutus eſt, ubi cum Moſi interroganti voluntatem ſuam aperuerit, potuit etiam Diabolus, peſſimus Dei ſimius, apud cultores ſuos obtrudere tales numinis loquentis voces & oracula.

Forſan etiam ex arboribus fagis, quercubus, ſub quibus Patriarchæ ſedere, docere, & Deum colere ſolebant, quod variis exemplis facile foret comprobare. Cum vero Patriarchis divinam inquirentibus voluntatem ſub iſtis arboribus reſponſa redderentur, idem Diabolus inſtitutum apud ſuos voluit promovere, & facile hominibus iſtis perſuaſit ſupremum Numen, lucis in iſtis, vocali quodam reſponſo arcana ſua reſerare. Et cum luci iſti & adyta veneranda, דביר dicerentur, a verbo דבר id eſt loqui, hinc eſt quod ſibi finxerunt Deum in iſtis adytis loqui, vel ipſa adyta, lucos, arbores, quercus, interrogantibus reſpondere. Adeo vero homines invaſerat iſta opinio Deum in lucis & nemoribus mentem ſuam hominibus aperire, ut fere ubique oracula redderentur in nemoribus & ſylvis, & Judæi ipſi, etiamſi Tabernaculo & poſtea Templo elegantiſſimo fruerentur, a lucis tamen & cultu religioſo in nemoribus celebrando non potuerint abſtinere. Imo cum Romæ viverent lucos frequentabant, & captivitati ſuæ ſolatium quærebant mediis in ſylvis, & nemorum horrore venerando. Sic cantat Poeta tuus.

Nunc ſacri Fontis Nemus & Delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque ſupellex.

Et iterum

Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem
Interpres Legum Solymarum & magna ſacerdos
Arboris, & ſummi vera internuncia Cœli.

Memini Virum Magnum hoc intelligere de Arbore Aurea, viti nimirum iſta appenſa ad valvas templi Hieroſolymitani, de qua uterque Joſephus & alii quamplurimi. Ingenioſa ſane conjectura, quæ ſpecie quadam oculos perſtringit, ſed cui tamen fidem meam non poſſum accommodare. Satius eſt hoc intelligere de nemore Judæis locato ut ibi proſeuchas haberent & ſacra ſua peragerent.

Niſi & hoc magis arrideat, vetulam Judæam, dici ſacerdotem arboris, quia vox Hebraica quæ notat arborem & quercum, Deum etiam ſignificaret. Adeo ut diceretur כהן אלה ſacerdos Dei. Cum vero אלה notet etiam arborem & quercum, hinc eſt quod a poeta dicatur & magna ſacerdos Arboris.

Nec forſan aliunde quam ab hac vocis אלה amphibologia, quærenda eſt interpretatio iſtius commenti, quod nimirum in oraculo Dodonæo, columbæ ex quercu reſponſa funderent. Nam cum אלה notet Deum a voce אל id eſt robur, quia Deus eſt robuſtiſſimus; & eadem vox etiam quercum & robur ſignificet, proclivis fuit lapſus ad fraudem & interpolationem. Nam cum narraretur oraculum fundi ab אלה a Deo, eo per amphibologiam vocis deflexerunt, ut crederent oraculum fundi a quercu, miniſterio columbæ.

Nam columbæ etiam nemora frequentabant, & quercuum habitatione capiebantur. Hoc patet eximio loco Pſal. LVI. I. *qui crucem fixit omnibus commentatoribus & a nullo præterquam Bocharto fuit intellectus. Dicit David fugitivus apud Achim ſe eſſe* כיונה אלם רחוקים *ſicut columbam roborum ſeu quercuum in locis remotis & ſylvis longinquioribus. Nam ibi* אלם *eſt pro* אֵלִים *quod fortes & robuſtos ſignificat, & vox iſta ad quercus & robora ſignificanda ſæpiſſime etiam uſurpatur. Quod cum ita ſit, pro oraculis Dei, oracula arborum & quercuum ineptiſſime ſunt excogitata.*

Et quia oracula & vaticinia denotantur per vocem נחש *quæ æs etiam & lebetes ſignificat, hinc in oraculo Dodonæo ænea crepitacula, lebetes, tripodes ſunt excogitata, cum tantum oracula & vaticinia venirent intelligenda. Hæc vero Vir Cl. raptim ſcripſimus, quæ ſi arrideant bene eſt, ſi vero non, uno halitu diffiare, unaque litura illa potes expungere. Ne tamen expungas nomen noſtrum ex eorum ordine, qui nomen, virtutem, eruditionem tuam magis impenſe colunt.*

Lugd. Batav. XI. Kal. Nov.
A. CIƆ IƆCLXXXI.

Ὠκεανίδων νυμφῶν. Ἀκεσόδωρος δὲ ἀπὸ Δωδώνου τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης. εἰκὸς δὲ ἀπὸ Δωδῶνος ποταμοῦ, ὃν παρατίθησιν 23 ὁ Τεχνικὸς ἐν τῷ α΄ τῆς καθόλου, λέγων οὕτως· Δωδὼν ποταμὸς Ἠπείρου. Διτταὶ δ᾽ εἰσὶ Δωδῶναι, αὕτη καὶ ἡ ἐν Ἰταλίᾳ, καθάπερ ἄλλοι καὶ Μνασέας.

24 Λέγεται καὶ Δωδών, ἧς τὴν γενικὴν Σοφοκλῆς Ὀδυσσεῖ Ἀκανθοπλῆγι. 25 Νῦν δ᾽ οὔτε με εἰς Δωδῶνος, οὔτε Πυθικῶν γύας ἀπείσειεν. Καὶ δοτικὴν Δωδῶνι ναίων 26 Ζεὺς ὁ μίσθιος βροτῶν. Καὶ ἐν Τραχινίαις· Ὡς τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε Δωδῶνι δισσῶν ἐκ πελειάδων

Oceanidum Nympharum Dodone. Sed Acestodorus a Dodono, filio Jovis & Europæ. Probabile autem a fluvio Dodone, quem juxta ponit Technicus in libro primo artis universalis, ita dicens: *Dodon fluvius Epiri*. Duæ autem sunt Dodonæ. hæc & altera in Italia, prout alii & Mnaseas.

Dicitur etiam Dodon, cujus genitivum Sophocles in Ulysse spinis cæso: *Nunc autem neque ad Dodonis neque Pythicorum terras me abegerit*. Item dativum: *Dodone habitans Jupiter ille mercenarius mortalium*. Et in Trachiniis: *Sicut antiquam fagum sonuisse*

23. Ὁ Τεχνικὸς ἐν τῷ α΄ τοῦ καθόλου.) Dum operose demonstrant intelligi ab Stephano Herodianum, interpretantur autem *Technicus libro primo historiæ universalis*, in notis vero observant *librum de universali ab Herodiano consignatum*; quid credemus? Certe falsum est historiam universalem ab Herodiano scriptam: satis vanum etiam Universale illud. Atqui clare citat Eustathius in Iliad. Β΄ pag. 201. Ἡρωδιανὸς δὲ ἐν τῇ καθόλου προσῳδίᾳ, *Herodianus vero in universi prosodia*. Hæc non est historia. Multo minus admitto, quod scribit bonus senex observans ex Stephano contracto in Καρία vocari eum librum ἡ καθόλου χρῆσις, deceptus mala distinctione, quæ vulgo talis est: Ἡρωδιανὸς δὲ ἐν τῇ καθόλου χρήσει, ἑπόμενος διὰ διφθόγγου φησίν. Plane ibi putat librum illum vocatum *Generalis usus*, ut patet tum ex interpretatione, tum ex iis quæ collegit de Herodiano. Sed res ipsa obloquitur iis. Nam prorsus adeo in hoc libro non secutus fuit Herodianus ea, quæ in libro de Orthographia statuit, ut contra clare dicatur per diphthongum ibi scripsisse. Immo distinguendum erat, Ἡρωδιανὸς δὲ ἐν τῇ καθόλου, χρήσει ἑπόμενος, hoc est *in libro* qui inscribitur ἡ καθόλου, *usum* vulgarem *secutus*. Et hic locus quoque probat eum librum de prosodia agere. Etiam Apollonii Rhodii Scholiast. ad II. 793. Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ πέμπτῳ τῆς καθόλου, agens quoque de flumine Βιλλαῖος, ut nunc citatur in Dodone. Et apud Varinum in v. ἀζυζηλῷ. Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ ἕκτῳ τῆς καθόλου. Sed & Scholiastæ Aristophanis ad Pacem citatur Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ ια΄.

25. Λέγεται καὶ Δωδών.) Nempe ab variis scriptoribus ille locus varie appellatus est, Dodona, Dodon, Dodo, per ἀποκοπὴν, ut Strabo, vel συνήθη Δωριέων βραχυλογίαν, *suetam Doriensium loquendi brevitatem*, ut Plutarchus appellabat, notante Casaubono; ut ego opinor, per veterem terminationem, quæ servabat maxime primigeniam originis notationem, prout Eustathius quoque scribit ad β΄ Ἰλιάδος, τὸ δὲ πρωτότυπον αὐτῆς Ἑρμιών, *primitivum vero ejus Hermin*, quamvis alios non neget primitivum ejus statuere Ερμιόνη. Itaque plerisque regionum vel urbium vocabulis in hanc terminationem cadentibus accidisse animadvertimus si non tres illas, utique duas mutationes. Sic Καρχηδὼ Καρχηδών, sed incredibili alternatione scribitur apud Diodorum Siculum lib. 4. pag. 234. εἰς Σαρδώ, at seq. pag. εἰς Σαρδῶνα. lib. 5. pag. 312. εἰς Σαρδόνα. pag. 297. Σαρδώ, & Σαρδῶνος. at lib. 14. pag. 286. quum etiam in contextu sit Σαρδώ, notant in margine scrib. Σαρδῶνα. Sic Σκάρδων Σκαρδώνη, Σάλων Σαλώνη. Ῥίζων Ῥιζώνη. Σισάπω, Σισάπων, Σισαπώνη. Μύγδων Μυγδώνη. Γύρτων Γυρτώνη. Λήρων Ληρώνη ad Strabonis lib. IV. notavit Casaubonus & Νάρβων Ναρβώνη & lib. V. Οὐήρων, Κρέμων, Δέρτων. Quo minus admittenda conjectura ejusdem in Strabonis libro VI. Οὐιβῶνα pro Οὐιβώναν reponentis. Etiam Κύδων Κυδωνία.

25. Νῦν δ᾽ οὔτε με εἰς.) Sunt verba Sophoclis, hoc est, integro numero suo constantes jambi. Itaque si jam admittamus scripsisse Stephanum, νῦν δ᾽ οὔτε μὲν εἰς Δωδῶνος οὔτε Πυθικῶν γῆν τις ἀπείσειεν, vel etiam, νῦν δ᾽ οὔτε μὲν εἰς Δωδῶνος οὔτε Πυθικῶν γυναῖκάς τις ἀπείσειεν, quas duas rationes ad sanandum hunc locum propositas esse video, age, redigant hunc jambum in numeros & syllabas suas requisitas. Profecto sudabunt satis. Posterius vero supplementum adeo minime ferri potest, quia nulla defectus nota aut vacuo spatio in MS. indicari hiatum aliquem novimus, quod temere faciunt editiones tribus asteriscis illitis. Itaque ex vocibus sic cohærentibus Πυθικῶν γύτις ἀπείσειεν, omissis stellulis scribendum erat, Νῦν δ᾽ οὔτε μ᾽ εἰς Δωδῶνος οὔτε Πυθικῶν γύας ἀπείσειεν. *Nunc autem neque me ad Dodonis, neque Pythicorum agros dimiserit*. Vox est propria poetarum. Strabo lib. primo & quinto decimo ex Euripide in Bacchis inducente Bacchum sic loquentem.

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας.

Linquens vero Lydorum plenos auri agros.

Et ipsius Sophoclis in Oedipo Coloneo: οἱ δὲ πλησιονγύαι *vicina autem arva.* Propterea inductis asteriscis verum reposui.

26. Ζεὺς ὁμέστιος βροτῶν.) Sic quidem conjectando reposuerunt editores. Strabo Sic etiam velut re bene gesta citat Bentlejus ad Callimachi Lavacrum Palladis. Ego tamen maneo in sententia, quam nuper aperui, ut opiner aliud latere. Nam MS. habet Ζεὺς ὁμι...ος βροτῶν. Dein video vocem ὁμέστιος jungi tertio, non secundo casui. Sic Orphica apud Clementem Alex. ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι, *immortalibus aliis contubernales*. Præterea non Jupiter Dodonæus tantum ὁμέστιος βροτῶν, sed omnia numina, quorum vel oracula vel fana agnoscuntur. Ex literis MSti. proprie veniret ὁμίστιος, quo Ionica dialectus utitur, ut videri potest in Herodoto. Sed ea nihil ad Sophoclem. Quin etiam in Ajace Μαστιγοφόρῳ apud Sophoclem Tecmessa obtestatur πρός τ᾽ ἐφεστίου Διὸς *per domesticum Jovem*; id plene Scholiastes exponit συνοίκου. addens: οἱ γὰρ συνοικοῦντες τὸν ἐφέστιον Δία προτείνουσιν, *nam vicini domesticum Jovem protendunt*. Et sic a Stephano contracto in Ἀρπάκη citatur Ἀφροδίτη Ἐφέστιος & Διοσκούρους Ἐφεστίους nominatos agnoscit Theodoretus. Sed quod nuper latere aliud dicebam, nunc produco corrigens ὁ μίσθιος βροτῶν, *ille mercenarius hominum*. Sic per risum & invidiam illic vocatus fuit ab aliquo, qui & ipse ob oraculum cogebatur aliquid donare, perinde ut Persius Sat. 2. *qua tu mercede Deorum Emeris auriculas*. Id quod sæpe illis oraculis exprobratum fuit, ut citatur ex ipso nostro Sophocle. Μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος, *vaticina enim tota argenti cupida natio*. Et sic descripsit hoc oraculum Hesiodus in versibus ab Sophoclis Scholiaste conservatis de Ellopia, cui Dodonen esse in limite extremo ait: ὃς δὴ κεῖθι μολὼν Θεὸν ἄμβροτον ἐξερεείνῃ Δῶρα φέρων ἔλθῃ δὲ σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσι, *quisquis illuc profectus Deum benignum salutaverit, dona ferens autem venerit felicibus auguriis*. Hinc illa apud Lucianum irrisorem: πλίνθους τῷ Πυθίῳ Χρυσᾶς ἀνατίθησι μισθὸν τῶν χρησμῶν, *lateres Pythio aureos*

δων ἔφη. Καὶ Καλλίμαχος· [27] Τὸν ἐν Δωδῶνι λεγόμενον ἕνεκα χαλκὸν ἤγειρον. Καὶ τὴν [28] αἰτιατικὴν φησιν Εὐφορίων Δωδῶνα ἐν Ἀνίῳ.

Ἵκομεν ἐς Δωδῶνα [29] Διὸς φηγοῖο προφῆτιν.

[30] Λέ-

sonuisse olim Dodone geminis ex columbis dicit. Et Callimachus: *Æs Dodone quod dicitur propterea suscitaverunt*. Et Euphorio accusativum effert Dodonem, in Anio.

Venimus ad Dodonem Jovis fagi fatidicam.

Dici-

consecrat mercedem oraculorum. Et πωλοῦσι τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἀγαθὰ καὶ ἔνεστι πρίεσθαι παρ᾽ αὐτῶν, *vendunt hominibus bona & licet emere ab illis*. Et, Ἄλλο τι ἀπραγμονέστερον ὑποθήσομαί σοι, ὡς μὴ ἱερεῖα καταθύεις ταυτὶ καὶ θυσιάζῃς τῷ, μηδ᾽ ἱερέα τινὰ τῶν μεγαλομίσθων παρακαλεῖν, *Aliud quid minus laboriosum tibi suppeditabo, ut ne victimas immoles illi, neque sacrifices isti, neque sacerdotem aliquem istorum pretiosorum advoces*. Et, Μισθὸς ἐφ᾽ ἑκάστῳ χρησμῷ δραχμὴ καὶ δύ᾽ ὀβολώ, *Merces cujusque oraculi drachma & duo oboli*. Quin etiam ἐργαστήρια τῆς μαντικῆς, *institoria fatidicæ artis*, dicuntur apud eundem Delphis, Clari & in Didymis. Hinc illud Menandri, Μόνον δίδου. Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς ὑπηρέτας θεούς, *Tantum dona. Ipsos enim habebis famulos Deos*. Hinc etiam Apollo apud Lycophronem Κερδῷος θεός, *Lucrinus deus*. Et huc referri debet ἐργασία τοῦ πνεύματος Πύθωνος, *quæstuaria ratio spiritus Pythonis*, in Actis Apostolorum c. XVI.

27. Τὸν ἐν Δωδῶνι λεγόμενον ὃν ἠχώχαλκον ἤγειρον.) In quibus verbis omnia sanequam obtuse & improbe acta sunt. Dicunt enim se invenisse in antigrapho ἑκάχαλκον. Sed damnant ut vocem nihili, & vulgatam lectionem optime se habere, nec sollicitandam, & simile compositum esse ὁλόχαλκον. Quo pertinent, quid faciunt, oro, hæc omnia? Etenim si retineamus ἠχώχαλκον, cui bono erit vocula ὃν, illic in medio commatis destituta ac fœde neglecta? Quid autem dici potest simile inter ἠχώχαλκον & ὁλόχαλκον? alterum est adjectivum, alterum hic faciunt substantivum: aut quomodo ἠχώχαλκον significare potest *æs resonans*, vel *echo resonans æs*, ut explicari video? Quanquam ἠχώχαλκος substantive dici non possit, non magis quam ὁλόχαλκος, πολύχαλκος, ὑπόχαλκος, γυιόχαλκος & similia alia. σάκη ἐπίχαλκα Hesych. Quod si ἠχώχαλκος bene composita vox esset, debuisset proprio vocabulo reddi *ærisonus*, quod ad Claudianum illustravit Nic. Heinsius, vel *ærisonorus*, si ex Servio admitti placet; sicut ineptit, qui nuper scripsit χάλκειος esse *æreus* vel *ærisonus*. Cur autem ἑκάχαλκον vox a MSto confirmata magis est nihili, quam ista improba & temeraria inventa? Denique ut liquide pareat nihili plane hic esse illud ἠχώχαλκον; Callimachus pleraque versibus scripsit: ex illis unus hic est, ut ex MStæ lectionis vestigiis docemur. Jam vero qualis versus procedet, sic admittatur illud tantopere placens ἠχώχαλκον? Misereor talium ingeniorum. Nos, ne quid sine Theseo tentemus, quod unicum nobis relictum est ad Callimachi manum recuperandam, sequimur MStam lectionem, ex qua clarissime patet Callimachum scripsisse

—— τὸν ἐν Δωδῶνι λεγόμενον ἕνεκα χάλκον
Ἤγειρον.
—— *propterea æs quod dicitur in Dodone*
Excitaverunt.

Ultima enim vox est initium sequentis versiculi. Agit Callimachus de dubio quodam aut periculo, quod ut expediretur, illi, de quibus sermo est, inquit auctor, oraculum Dodonæum consulendum censuerunt: id quod poetice his verbis & eleganter extulit, *quamobrem celebratum Dodone æs excitarunt*; vel si in singulari intelligas verbum, *excitabam*. Plane ut apud Homerum in Odyssea, quoque dicitur ire ἐς Δωδώνην, ὄφρα θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ, *versus Dodonem, ut Dei ex quercu alte comosa Jovis mentem audiret*. & apud Æschylum, ὁ δ᾽ ἔς τε Πυθὼ κἀπὶ Δωδώνην πυκνοὺς θεοπρόπους ἴαλλεν, *ille vero & Pytho & Dodonen crebros Dei consultores misit*. & apud Parthenium in Eroticis cap. III. εἰς Ἤπειρον ἐλθὼν χρηστηρίων τινῶν ἕνεκεν, *in Epirum profectus ob quædam oracula* Ulysses. Et similem sententiam ex Æschylo adducit Palmerius a Grentemesnilio in Græcia pag. 48. Quid apertius? Et ita quidem nos olim istud tum illustrare conabamur, tum corrigebamus; de quo arbitria sibi sumens Bentlejus in nupera editione Callimachi, ait quam facile & in proximo fuisse veram lectionem indagare. Sed præter tres illos antecessores cur ne Eduardo Bernardo quidem via veri patuit? Itaque non tam innuit facile fuisse, quam, opinor, vituperat fata, quod non ipse unus ex tribus primis editoribus hujus fragmenti fuerit; sic facile in primis editionibus fuisset vera lectio indagata. Nunc quum tribus id difficile fuerit, mihi quidem testor id non tam facile fuisse, quam facile ipsi fuit abjecta omni ingenui pudoris nota per ingratam lasciviam contrectare Scaligeriana, eaque venditare pro suis, & quæ Vir iste Illustris signavit ad Catulli Hymenæum & versum, *Quid tum si carpunt tanta quem mente requirunt*, citato Callimachi fragmento ex commentario Olympiodori & allegatione Ciris Virgilianæ pag. 319. recoquere sine ulla ejus laude. Verum ipsi quidem statuo id tam facile tamque in promptu fuisse ita scribere, quam facile posuit pag. 340. Παγχαῖον Ζῆνα removens χάλκεον, & Panchæam vocare insulam, quia Euemerus dixit se πλεῦσαι ἐς Παγχώους, *navigavisse ad Panchoos*, quos Plutarchus ait μηδαμόθι γῆς γεγονότας μηδὲ ὄντας, *nuspiam terrarum vel fuisse vel esse*: quam facile pro Κάπαιος potuit legere Καχύπαεις pag. 329. quam facile potuit pag. 312. citare codices MSS. Holstenii ad Stephanum, quos ille nullos unquam habuit; quam facile pag. 309. ὑψιζώνος reponere potuit pro ὑψιζώνω, & interim nihil intelligere: quam facile pag. 419. potuit nominare Scaligerum, eumque gloriari ista sua non occupavisse; sed omittere Salmasium, qui in Solinianis & duo loca Hesychii & verba Aristophanis conduxit: quam facile potuit pag. 389. Φωκείων interpretari *Phocæensium*. quam facile potuit pag. 459. scribere Isaacum Casaubonum & Cl. Salmasium esse *in hoc grege*, quem absurdum titulum in talibus viris nemo hic auderet publicare, nisi &c. nullo in publicum commodo. Nam quod mutat quoque participium præsens in λελεγμένον, est ipsius insolentia. Quippe & contra fidem veteris membranæ id facit, & meticulose timet, ne secunda syllaba in voce λεγόμενον male producatur. Sed quid? an λελεγμένον est *quod dicitur*? Et quæ illa tota interpretatio? *quia æs quod dicitur Dodonæum excitavisse*.

28. Αἰτιατικὴν φησιν Εὐφορίων.) Fere dixeris hinc excidisse fragmentum ex Sophocle citatum in quarto casu, perinde ut in duobus præcedentibus. Nam apud Varinum hæc video in Ἑρμιόνη. Ἕτεροι δὲ προπαροξύτονον μέν φασι τὴν Ἑρμιόνην, Ἑρμιόνα δὲ εἰπεῖν ὅμοιον, ὡς καὶ Σοφοκλῆς Δωδῶνα τὴν Δωδώνην. Itaque sicut reliquos casus ex uno Sophocle, ita & quartum inde petiisse videri potest, adjecto postea Euphorione, ut Callimachum apposuit in tertio.

29. Διὸς φηγοῖο προφῆτιν.) Recte & accurate Pinedo *Jovis fagi fatidicam*, quum alius *Jovis famini*, qui credebat opinor de straminea Romuli

30 Λέγεται δὲ καὶ εἰς Ω. Σιμμίας ὁ Ρ῾όδιος.
31 Ζηνὸς ἕδος Κρονίδαο μάκαιρ᾽ ὑπεδέξατο Δώδω.
32 Ηδύνατο δ᾽ ἡ Δωδῶνος γενικὴ μετὰ τῆς λοιπῆς κινήσεως καὶ

Dicitur vero etiam in O, ut Simmias Rhodius:
Jovis Saturnii ſedes beata Dodo ſuſcepit.
Poterat vero *Dodonis* genitivus cum reliqua inflexione

caſa & fictilibus ac faginis diis agi. Neque enim unquam eſt auditus Jupiter faginus hoc ſenſu. Eſſe autem poteſt duplex interpretatio harum vocum; vel quod fuerit προφῆτις Διὸς, qui nihil aliud erat quam φηγὸς, ut doceat non ſtatuam illic propriam Jovis fuiſſe, (etſi poſtea factam vel ipſi nummi doceant) ſed quod per fagum fuerit exhibitus Jupiter. Sic Jupiter fagus dicetur, ut *Jovem lapidem jurare*, Polybio Δία λίθον ὀμνύειν, ut *lapis Iſrael* Geneſeos XLIX. 24 λίθος ὅ ἐστι Ισραήλ. *Jovi Fulguri*, apud Feſtum. Et ſic Maximus Tyr. diſſert. XXXVIII. ἄγαλμα Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς, *imago Jovis Celtica ſublimis quercus*. Etiam ex Heſiodo in fragmentis ſic revocarunt viri docti Δωδώνην φηγὸν, *Dodone fagus*, non *Dodonæa*, ut interpretantur alii. Et ſic Joſephus τὴν Ακκάρων θεὸν Μυίαν, *Accarorum deam Muſcam*, dixit. Vel etiam προφῆτιν φηγοῖο quæ erat Διὸς, aut quæ erat ſacra Jovi, quaſi τελοῦσα τῇ φηγῷ τοῦ Διός. Ut Prudentius hymno V. *Miniſter altaris Dei*. Agnoſce autem hoc loco Δωδῶνα eodem modo & reſpectu dici προφῆτιν, quo ſupra cenſuimus Sellos dici ab Homero ὑποφήτας.

30. Λέγεται δὲ καὶ εἰς ω.) Non ſatisfaciunt. Nam & λήγεται non minus ſuſpectum eſt, quum Grammaticis vix ſit in uſu, niſi tantum λήγει. Sic in Βρίγες, Πυλῶις, Σύκαι, τὰ εἰς γας λήγοντα, non ληγόμενα. Diſplicet etiam λέγεται δὲ καὶ διὰ τοῦ Ω, quia ſic quidlibet fieri poteſt ex quolibet. Itaque his ſancte præfero vulgatum. *Dicitur vero etiam in* Ω ſcil. terminans. Et ſane videtur Stephanus ſic loquens reſpicere ad ſuperiora illa Λέγεται καὶ Δωδών. Cæterum in verſu Euphorionis antigrapha non exhibent ἵκομεν, ſed duabus vocibus ἵκτο μὲν, & id tempus rurſus occurrit ex Rhiano in voce Δώτιον.

31. Ζηνὸς ἕδος Κρονίδαο μάκαιρ᾽ ὑπεδέξατο Δώδω.) Interpretantur concordes & confidentes *Sedem Jovis ſuſcepit Dodo*. Ut primum Latina videamus, certe non ita loquentes videmus antiquos, ut terra aut civitas aliqua dicatur ſuſcipere ſedem alicujus, ſed potius ſuppeditare, ſubjicere, præbere ſedem, & ipſa ſuſcipit homines. Ovidius VI. Met. de Latona: *Quam vix erratica Delos Errantem accepit.* Livius 21. 44. *Quos ſuus ager, ſua terra fugientes accipient.* Auſonius. *Orta ſalo, ſuſcepta ſolo.* Prudentius hymno V. de Vincentii artubus. *Prius relatos denique Humus quieta ſuſcipit.* Sic & alii, nec minus quoque Græci. Strabo lib. IX. pag. 399. de Pſaphide, ubi oraculum Amphiarai, ὅπου φυγόντα τὸν Αμφιάρεων, ὥς φησὶ Σοφοκλῆς, Εδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις, Αὐτοῖσιν ὅπλοις καὶ τετρωρίστῳ δίφρῳ, *Ubi fugientem Amphiaraum, ut ait Sophocles, accepit rupta Thebana tellus cum ipſis armis & quadrijugo curru*. Apud Ariſtophanem dicit Plutus προσκυνῶ χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος ἥ μ᾽ ἐδέξατο, *adoro & omnem terram Cecropis, quæ me accepit*. Præterea ſicut non nego, & ἕδος & ſedem venire a verbis, quæ idem ſignificant, ut proinde illa ipſa quoque idem ſignificare poſſint; ita an quum Græci dixerunt ἕδος θεοῦ, id Latini interpretati ſint *ſedem Dei*, id vero controverſum cenſeo. Certe diverſis modis adhibetur, & quod clarum eſt, ex collatione Caſauboni videmus id quod Vitruvius auguſte dixit *inter deorum ſedes dedicari*, id Suetonium protuliſſe *ſimulacra juxta deos*, Dionem περὶ ἀνδριάντος vertiſſe. Quod vero Suetonius ex recta ratione Latini ſermonis *ſedem auream in curia*, Dioni videmus eſſe δίφρον ἐπίχρυσον, ſed & ſic ἕδος Θεσσαλικὸν in Hippocrate exponi dicitur ab H. Stephano δίφρος Θεσσαλικός. Et quum Arrianus lib. VII. de expedit. Alexandri ſcribit eum in Græciam remiſiſſe τὸ Αρτέμιδος τῆς Κερκαίας ἕδος, non ſedem, ſed ſimulacrum intellexit, ut bene Vulcanius. Plane autem Dionyſius Halic. ἕδη θεῶν dixit pro ſtatuis ac ſimulacris. Et Appianus in Mithrid. Τὸ δὲ τῆς Αθηνᾶς ἕδος, ὃ Παλλάδιον καλοῦσι, καὶ διοπετὲς ἡγοῦνται. *Minervæ autem ſimulacrum, quod Palladium vocant, & cælo lapſum exiſtimant.* Sic Tibullianum illud *Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum*, exponere per θεῶν ἕδη novi Deſ. Heraldum. Quia vero an hic fuerit ſimulacrum, maxime priſcis illis temporibus, (etſi in nummis ſciamus id exſtare) dubito: propterea reor τὸ ἕδος hoc loco eſſe primi caſus, & per appoſitionem jungi voci Δώδω, & interpretor, *Jovis Saturnii ſedes beata ſuſcepit Dodo*. quam ſententiam & interpretationem meam confirmat ipſe Stephanus contractus in voce Ερύθεια præclaro ſatis exemplo ex Dionyſio: οἵτ᾽ ἔχον Υλάταο (ſic recte habet MS. Peruſinus, & vulgo male ὑλάοιο) θεοῦ ἕδος Απόλλωνος Τέμβρον, *& qui habuerunt Hylatæ dei ſedem Apollinis Tembron*. Nam & ibi Tembrus ipſa dicitur ἕδος Apollinis, ut nunc Δώδω ἕδος Jovis. Quin & apud Danielem I. 2. ita Σενναὰρ οἶκον τοῦ θεοῦ *Sennaar domus Dei*. Nec vero difficile eſt divinare, quoſnam hic antiquus poeta dixerit ſuſceptos in hoc fagutal (ſic enim diſco veteres vocaſſe locum ſacrum, in quo erat fagus Jovi ſacrata arbor) & hanc ſedem Jovis. Nam de Deucalione & Pyrrha plenæ ſunt fabulæ. Plutarchus in Pyrrho: ἔνιοι Δευκαλίωνα καὶ Πύῤῥαν εἱσαμένης τὸ περὶ Δωδώνην ἱερὸν αὐτόθι κατοικεῖν ἐν Μολοσσοῖς, *Nonnulli Deucalionem & Pyrrham, quum condidiſſent templum circa Dodonen, illic habitare in Moloſſis*. Etiam poteſt intelligi adventus Thebaicæ Πελειάδος, de qua Herodotus.

32. Ηδύνατο δὲ ἡ Δωδῶνος γενικὴ &c.) Quum viverent ac doceri & revocari poſſent malarum ſcriptiuncularum auctores, libens ſuccurrere volui, monſtrandis ſedibus, ubi latebat aberratio in hoc loco intelligendo. Nunc illi χρηστοὶ, ut liceat de eis ſecuro mihi eſſe: & exſtant hæ ipſorum reliquiæ, quæ ad hæc noſtra comparari poſſunt, ſi cui placeat fata hujus partis paulo interius recognoſcere. Edens igitur nunc & diſtinguens, prout illi debuerant me antecedentes & laborem hunc meum, quem aliis rebus dare poteram, avertentes edidiſſe & diſtinxiſſe, aperio egregiam Stephani obſervationem in eo, quod huic vocabulo uſus attulit, per grammaticæ Græcæ præcepta illuſtrandus. Quum enim inveniantur aut videantur inveniri tres varietates primi caſus Δωδώνη, Δωδὼν, Δώδω, nihilominus obliquorum caſuum duas tantum varietates placuiſſe ex exemplis apparet, partim ab Δωδώνη, partim ab Δωδὼν: ab tertia nihil reperiri adfirmat. Id quod propterea notabilius eſt, quod ille nominativus Δωδὼν, unde venit declinatio Δωδῶνος, Δωδῶνι, toties occurrens apud ſcriptores & per Sophoclis frequentationes jam in præcedentibus certiſſime approbata; ille inquam ipſe nominativus vix exſtitiſſe alibi deprehendebatur tam ab aliis, quam ab ipſo Stephano noſtro, viro perdocto & ad inveſtigandum maxime ſedulo. Nam quod ſupra ὁ Τεχνικὸς dixit ex citatione Stephani Δωδὼν ποταμὸς, (quem agnovit etiam Euſtathius) id Stephanus pro exemplo & ſic probabili, ut inde imitatio licita trahi poſſet, non agnovit, haud dubie propterea, quia ſine auctoritate ille id poſuit; quam Stephanus merito

ϛ κλίσις εἶναι τ̃ Δωδὼν, εἴπερ ἦν ἐν χρήσει τ̃ πόλεως ἡ ὀρθεῖα. Διόπερ ἔοικεν ὁ τεχνικὸς μεταπλασμὸν ἡγεῖσθαι. 33 Τὸ ἐθνικὸν ταύτης ἄῤῥητον, ὡς πεπονθυίας. 34 Εἰ

xione etiam declinatio esse primi casus *Dodon*; si quidem urbis nominativus erat in usu. Quare videtur Grammaticus mutationem terminationis statuere. Ejus gentilicium non est usurpatum, utpote cui aliquid accidit. Si vero quis appel-

additam voluit, & quum nec ibi addita esset, nec ipse alicubi eam terminationem invenisset, jure id flocci fecit. Quid quod iste nominativus illic adhibeatur tantum de fluvio, non de urbe aut oraculo. Fluvium vero illic alii dixerunt Σελλήεντα, alii agnoverunt ἀναπαυόμενον ὕδωρ, *requiescentem aquam*. Atque adeo prorsus de voce Δωδὼν affirmat Stephanus, quod de Σεὺς in Etymologico magno scribitur, nempe, τὸ σεὺς ἐδὲ ἐν χρήσει εὕρηται κατὰ τὴν ὀρθεῖαν, ἀλλὰ κατὰ τὰς πλαγίας, *vocula* Seus *non in usu invenitur per casum rectum, sed in obliquis*. Et sunt talia plura. Pergit igitur Stephanus pronunciare de hoc dubio, nempe Διόπερ ἔοικεν ὁ Τεχνικὸς μεταπλασμὸν ἡγεῖσθαι. Hic enim rursus ponenda est nota τελείας στιγμῆς. Tractat in Grammatico suo opere Herodianus, quem τὸν Τεχνικὸν jam ante quoque vocavit & sæpe Eustathius (etsi alios quoque doctos Grammaticæ auctores illo nomine intelligi sciam) de hac ipsa voce Δωδὼν, & quum eam terminationem nullis scriptoribus nec prosa nec versu unquam inveniret usurpatam, (nisi quod ipse nescio unde novit Δωδὼν ποταμὸς) & tamen Δωδῶνος genitivum & aliam omnem κλίνησιν passim adhiberi, censuit tandem ille videri sibi in eo regnare metaplasmum, ut Δωδῶνος quidem in genitivo, in recto tamen casu Δωδώνη vel Δωδὼ, non Δωδὼν dicerent: quippe quum regulariter Δωδῶνος derivari non possit nisi ab Δωδὼν: Δωδὼ autem in genitivo debeat edi Δωδῦς. Hic simplicissimus & tam MStæ lectioni, quam Græcarum vocum notationi congruus est sensus, quem interpretatio facit clarum; & præter hujus opem quoque is omnino corroboratur a verbis omni ex parte geminis Stephani contracti in Γραϊκός. Γραῖκες δὲ παρὰ Ἀλκμᾶνι αἱ τῶν Ἑλλήνων μητέρες. ἔστι δὲ ἢ μεταπλασμὸς, ἢ τῆς Γραὶξ ὀρθεία; κλίσις ἐστὶν, *Græces autem apud Alcmanem matres Hellenum. Est vero aut metaplasmus, aut nominativi Graix est declinatio*. Hic quoque metaplasmum agnoscit Stephanus; nam secundum vulgarem analogiam deberet dici Γραικαὶ a masculino gentili Γραικός. Ergo, inquit, in eo, quod appellantur Γραῖκες, aut est metaplasimus, quæ figura facit, ut mutetur justa ac debita in casu & declinationibus terminatio, aut addit, si non erit metaplasmus, veniet a nominativo singulari Γραὶξ, qui rarenter & forte nunquam reperitur. Non ovum ovo similius. Quædam vocabula in certis casibus talem metaplasmum passa collegit Rittershusius ad Oppiani lib. III. Cynegeticorum, & Festus id dicit *metaplasticos* (μεταπλαστικῶς) *usurpari apud poetas*. Et quod hic pronunciatur de voce Γραῖκες, id quoque respondendum est de voce Ἔρυκες, quomodo eum populum vocat Dionysius Halic. qui ut plurimum Ἔρυκοι, ab singulari Ἔρυκος, quam solam terminationem in usu esse novimus. Sic in Hesychio βράκες considerat dictum esse per metaplasmum Casaubonus ad Suetonii Augustum. Sic factum in *Daix*, qui Ammiano *Daicus*, ut ad ejus librum XXIII. notavit magnus Valerius. Itaque quod Stephanus in Αἶγα judicat de Artemidoro (Ἀρτεμίδωρος δὲ Αἶξ εἶπε τὴν ὀρθεῖαν, οὐκ ἀναλόγος, *Artemidorus vero Aix dixit rectum casum, non pro solita norma*) revera ineptit si promontorium id appellaverunt aut ipse aut alii Αἶγα. Non potest aliter, quam αἶξ, αἰγὸς, αἰγαῖος. Si genitivus fuisset αἶγος, valuisset αἴγιος. Denique si paria volumus, talia omnibus modis sunt,

quæ ex hoc ipso Herodiano descripsit Etymologus in Κέρκυρ: & de metaplasmo, quemadmodum fit μεταποίησις, vel μετάθεσις, vel μετασχηματισμὸς τοῦ τελικοῦ, *transpositio ejus quod est in fine*, multa habet Eustathius ad Iliad. A. ubi etiam τῇ Δωδώνῃ dicit accidere aliquando metaplasmum, ubi quidem κοινῶς διὰ τοῦ η τὸ τελικὸν, ποιητικῶς δὲ διὰ τοῦ ι κατὰ μετάπλασιν, *communiter per η fit terminatio, sed poetice per literam ι ope transmutationis hujus*.

33. Τὸ ἐθνικὸν ταύτης ἄῤῥητον, ὡς πεπονθυίας.) Hæc separatim posita sunt ab Stephano verba, & hinc quoque nunc ante & post separari debent. Egerat enim huc usque de substantivo & ejus declinatione. Nunc transit ad adjectivum gentile, & de eo judicat; nempe gentile ab hac appellatione Δωδὼν non inveniri, nec uspiam usitatum occurrere, plane ut in V. Βερέκυνθος notat γενικὴ τῆς ὀρθείας ἀῤῥήτου, *genitivus nominativus inusitati*, pro quo alii dicunt ἀχρήστου. Itaque genitivi rationem habendam esse & habitam fuisse docet, quum sicut ab genitivo *Pleuronis* notum est gentile *Pleuronius*; ita ab genitivo *Dodonis* videatur derivatum esse *Dodonius*, quod usurpat; sed Latinus, Claudianus: *Cesserit inventis Dodonia quercus aristis*. Videlicet omne negotium hoc est, eum non concedere adjectivum Δωδώνιος venire recta ab nominativo Δωδὼν, quia ea vox nulla est, certe non usurpata, sed ab hujus genitivo. Præterea quoque ipsum Δωδώνιος reperiri vix usquam & melius abstineri; interdum tamen id nobis vix licere, ut in versu, ubi Δωδωναῖος semper locum non habet. Tunc ait, si utique ejus adjectivum allegandum erit, nempe si de re vel homine agatur, qui sit ex loco Dodone, & inde Dodonæus vocetur, eoque uti ob certam causam non licuerit, & syllaba contumax repugnaverit, ut est apud Martialem IX. XI. ubi videri potest Scriverius, poterit usurpari Δωδώνιος; quod licet non probet auctoritas, tamen analogia defensum iri. Data plurima sunt poetis, & inter alia satis notabile observatum alibi a Grotio, quum versus heroicus non admitteret Αἰνέας, factum Αἰνείας: & tamen derivatum inde mutavit rursum in Αἰνεάδας, non Αἰνειάδας. Hanc vero analogiam agnoscit etiam Stephanus in Βυβὼν, quæ inde exigebat Βυβώνιος, sed usus ex more Lyciorum maluit Βυβωνεύς. In qua tamen argumentatione nonnihil claudus est Stephanus; nam etiamsi Δωδώνιος dicatur, & Πλευρώνιος adjectivum certum sit venire a Πλευρῶνος, ac similia nonnulla; tamen id non statim constat hoc ipsum Δωδώνιος venire ex casibus obliquis vocis Δωδὼν, quum plane possit deduci ab Δωδώνη, ut Παλλήνη, Παλλήνιος, Παλληναῖος, Δύμη, Δύμιος Δυμαῖος. Quin immo sicut ipse Stephanus ab voce Πλευρὼν deducit quoque gentile Πλευρονεύς: ita ab Hesychio etiam agnoscitur Δωδωνεὺς, nescio an fortassis ab scriptore Lycio usurpatum. Quod si vera credenda est conjectura Grentemesnilii, vox Δωδωνίας usurpatur a Scylace in capite de Illyriis. quod nimiæ ipsius mutationi non credo: tum nec Δωδωνία regio apud antiquos nota; nec Atintanes uspiam vicini referunt Dodonæ. Porro illud πεπονθυίας interpretatus sum *passi*, vel *quod est passum*, quia propria vox Grammaticorum agentium de illis, quæ syllabis quibusque vocum accidunt. Sic Scholia Homeri ad Iliados Ψ vers. 3. Ἀκέφαλον καλεῖται τοῦτο τὸ μέτρον· πέπονθε γὰρ κατ' ἀρχὰς ὁ στίχος, *capite trun-*

34 Εἰ δέ τις χρηματίσειεν, ἔσαι Δωδώνιος, ὡς Πλευρῶνος Πλευρώνιος, Καλυδῶνος Καλυδώνιος.

Τῆς μέντοι Δωδώνης Δωδωναῖος. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ· Μολοσσῶν πρὸς μεσημβρίης οἰκέουσι Δωδωναῖοι. Καὶ Ὅμηρος.

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε.

Καὶ Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις· 35 Δωδωναίῳ κυνὶ βωλοκόπῳ τίτθη γεράνῳ προσεοικώς. Καὶ τὸ θῆλυ Δωδωνὶς ἀπὸ τοῦ Δωδώνη, ὡς Παλλήνη Παλληνίς. Ἀπολλώνιος.

Στεῖραν Ἀθηναίη Δωδωνίδος ἥρμοσε φηγοῦ.

Καὶ

A appellandus fuerit, erit Dodonius, ut Pleuronis Pleuronius, Calydonis Calydonius.

Attamen Dodonæ Dodonæus. Hecatæus in Europa: *Molossorum ad meridiem Dodonæi habitant*. Et Homerus:

Jupiter Rex Dodonæe.

Et Cratinus Archilochis: *Dodonæo cani occanti mamma grui assimilis*. Et fæmininum est Dodonis, a Dodone, ut a Pallene est Pallenis. Sic Apollonius.

Carinam Pallas Dodonide aptavit ex quercu.

Et

truncum vocatur istud metrum: versus enim in principiis passus est. Etymologus in voce Σωτηρία· Τὸ σῶς ἀπὸ τοῦ σῶος πέπονθε· πρὸς ὃν ἔστιν εἰπεῖν, τί οὖν ἀπὸ τοῦ πεπονθότος γίνεται παράγωγον. *Vox σῶς ab voce σῶος bisyllaba passa est: cui licet oggerere, quid igitur ab eo quod passum est, fit derivativum?* Hæc Πάθη vocant. Sic habemus Τρύφωνος περὶ παθῶν τῶν λέξεων, *Tryphonis scriptum de iis, quæ accidunt vocibus*. Itaque in Dodon quoque est πάθος ἀποκοπῆς, ἥ ἐστιν ἀφαίρεσις συλλαβῆς κατὰ τὸ τέλος, *passio amputationis, quæ est ablatio syllabæ in fine*, pro Dodone. De his passionibus vocum scripsit Herodianus, de quo insigne testimonium servavit Varinus, quum disputaret de voce ἔγκασι per ἐγκάτοισι, & concluderet non esse syncopen, addit. ἄμεινον οὖν μεταπλασμὸν λέγειν. ἔστι γὰρ ἐγκάτοισι, καὶ κατὰ μεταπλασμὸν ἔγκασιν, ὡς ἄστροις ἄστρασιν, οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ παθῶν: *Melius igitur est statuere metaplasmum. Est enim vox quatuor syllabarum ἔγκασιν, & per metaplasmum fit trisyllabica ἔγκασιν, sicut pro voce ἄστροις usurpant vocem ἄστρασιν. Sic Herodianus in scripto de passionibus*. Quæ sunt ipsa illa, quæ tractavit Eustathius in loco proxime citato.

34. Εἰ δέ τις χρηματίσειεν.) Vix fieri potuit, ut cogitarem, nedum ut rebus deprehenderem posse fieri, ut hæc loquutio pravo exciperetur sensu: quum tam conspectus esset locus, & cui Christiano non cognoscendus? Utique ille est, qui debet nosse τοὺς μαθητὰς πρῶτον ἐν Ἀντιοχίᾳ χρηματίσαι Χριστιανούς, *discipulos primum Antiochiæ appellatos fuisse Christianos*; quum Paulus in divina epistola dicat Ὕπανδρος γυνὴ μοιχαλὶς χρηματίσει, *mulier viro juncta adultera appellabitur*. Et ubi non occurrit apud reliquos Græcos? dicente Plutarcho Ξανθίους οὐ πατρόθεν, ἀλλ' ἀπὸ μητρὸς χρηματίζειν, *Xanthios non ab patre, sed ab matre appellari*: Stephano in Ἠλία, Μύσων εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν χρηματίζων, *Myson unus septem sapientum appellatus*: in Θέστις, Θεστίτης χρηματίζει, *Thestites appellatur*: Harpocratione in v. Δημοτευόμενος, δήμου κοινωνεῖν καὶ χρηματίζειν ἀπ' αὐτοῦ, *populi esse consortem & ab eo appellari*. Et jamdiu ad Diogenis Laertii Solonem notarunt viri docti præter Lexicographos, ut vere nunc me intellexisse sperem & vertisse, nisi ubique placeat cum Erasmo *audire* vel cum Martiale *sonare* VII. 6. *Invictusque tua Cæsar in urbe sonas.*

35. Δωδωναίῳ κυνὶ βωλοκόπῳ τίτθη γεράνῳ προσεοικώς.) Placuit opinor ludere illis, qui hæc verba tam corrupta potuerunt interpretari *Dodonæo cani occanti*, vel *glebas frangenti mamma grui assimilis*. Quis oro ille canis occans vel glebas frangens? utrum rastro an rostro, pedibus an cauda? Plenum ludibrio. Non est κύων βωλοκόπος & occans, sed quidem βωλοκλόπος, furans & auferens frusta carnium, aut βωμοκλόπος, dum sacerdos frontem vertit ad deceptam plebem, ex altari rapiens partes victimarum. Sed ut hoc abeat, ita Græca tam bene non didici, ut capiam syntaxin τίτθη προσεοικὼς *mamma persimilis*, multo minus κυνὶ τίτθη γε-

B ράνῳ προσεοικώς. Tradant has & constructiones & interpretationes suæ tribui, nos aliter docti & Barbaras illas dicimus, non Græcas, nec Cratino convenientes, & interpretari metuimus. Ita quondam non dubitavi aperte me denudare, cum omni favore exspectans aliunde commodiorem huic fragmento opem: ad quam unus se, quantum animadvertere potui, erexit eximius ille & doctissimus nuper collega meus Steph. Le Moyne, cum quo sæpius de hac Dodone sermones sociaveram & cujus epistolam supra retuli. Ille inter Pygmæos occasione rapta, post citata mea verba, aliter hæc scribit posse accipi, & hinc tres minimum paginas
C Notarum ad Varia Sacra huic loco impendit, quas legere licet pag. 754. & operæ pretium est. Sed & ipse aliter hæc ab eo accepta optarem; & postea quum ex eo quærerem, cur Cratini Menandri fragmenta commisceret, quæ erant omni genere diversa (id enim facit, & quum Stephanus diserte citet ex Cratino, nominato etiam ejus dramate, scribit loqui Menandrum vel Cratinum ex Menandro: quod quæso quale? an forsan quoniam utrobique occurrit τίτθη, inde eadem utriusque loci materia?) præsertim quum nec in Cratini loco quoddam vestigium appareret loquacis fœminæ; nihil respondebat, nisi ita sibi in mentem venisse, & ita
D posse esse tamen. Quod quidem dicebam nihil esse, & omnino, mi lector, si inspexeris, dicas prorsus idem. Nihil enim commune huic loco Cratini cum altero Menandri, qui sequetur in fine citatus propter diversissimam causam. Addebam secundo, quum scriberet (Est & similis ista τίτθη seu mamma & mammosa muliercula & clamosa fæmina βωλοκόπῳ γεράνῳ grui occanti.) cur impingeret in eandem offensionem malæ constructionis, ut per eum diceretur τίτθη προσεοικὼς γεράνῳ; negabat se ad id attendisse, quod tamen debere ab eo fieri contendebam. Ita nihil profeci. Et sane quis Do-
E donæum canem interpretabitur æs, quod instar canis motum & agitatum per totum diem latrat? Sic restat certe etiamnum palma integra, ad quam spero contendet quandoque alius. Interim hæc dicam. Δωδωναίῳ κυνὶ simpliciter accipi oportet de gente illa celebrata Molossorum canum, cujus stirpem & originem prodidit Pollux lib. V. cap. V. Et de eo fragmentum habet Suidas in v. Σκληρός. Σκληρότερος ὑλακτῶν Ἠπειρώτου κυνὸς συμφορᾷ ἐπετρίβετο, *Asperius latrans Epirotico cane calamitate atterebatur*. In eo si monstrum aut ærea fabrica concipi deberet, posset simile comparandi genus esse, quod occurrit in Festo Pompejo Scaligeri:
F *Sucula est machinæ genus teretis materiæ & foratæ ac crassæ tanquam uber scrophæ*, & nescio quid Lucilii, *Tamen aliti verruca aut cicatrix medius papulæ differunt* apud Nonium Marcellum. Verum non ita censeo, & intelligi debet verus canis Molossus. Huic syntaxin bonam facile addidero, sententiam & manum Cratini potius ab alio opperiar, quam me restituere jactabo. Quo mihi tamen satisfacio, indico me solitum legere: Δωδωναίῳ κυνὶ βωλοκόπῳ τίτθην γεράνῳ προσεοικώς. Sed

Καὶ Σοφοκλῆς Ὀδυσσεῖ Ἀκανθοπλῆγι· 36 Τὰς Θεσπιώδεις ἱερείας Δωδωνίδας.

Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν α. περὶ θεῶν, τὸν Δωδωναῖον οὕτως ἐτυμολογεῖ. Καθάπερ οἱ τὸν Δία Δωδωναῖον μὲν καλοῦντες, ὅτι δίδωσιν ἡμῖν τὰ ἀγαθά. 37 Πελασγικὸν δὲ, ὅτι γῆς πέλας ἐστίν.

Ἔστι δὲ καὶ Δωδωναῖον χαλκεῖον παροιμία ἐπὶ τῶν πολλὰ λαλούντων, ὡς Μενεδήμων φησὶν, ἀπὸ τοῦ τὸν ναὸν τοῦ Δωδωναίου Διὸς τοίχους μὴ ἔχοντα, ἀλλὰ τρίποδας πολλοὺς ἀλλήλων πλησίον, ὥστε τὸν ἑνὸς ἁπτόμενον παραπέμπειν διὰ τῆς ψαύσεως τὴν ἐπήχησιν, 38 ἑκάστῳ διανέμειν τὸν ἦχον, ἄχρις αὖθις τοῦ ἑνὸς ἐφάψηται.

Et Sophocles Ulisse spinis flagellato: *Fatidicas sacerdotes Dodonidas.*

Apollodorus autem in libro primo de Diis, Dodonæi ita originem derivat: *Sicut illi, qui Jovem quidem Dodonæum vocant, quod dat nobis bona; Pelasgicum vero, quia est prope terram.*

Æs vero Dodonæum est quoque proverbium in eos, qui multa loquuntur, ut Menedemon ait, ab eo, quod templum Jovis Dodonæi non habens parietes, sed multos tripodas sibi invicem appositos; ut qui unum attingit, per tactum transmittat resonantiam, unicuique impertiat repercussionem, donec iterum attingat illum unum. Pro-

quam vocet γεραιὸς τίτθην hæsito, & judico inspiciendam esse membranam Parisiensem.

36. Τὰς Θεσπιώδεις ἱερείας Δωδωνίδας.) Neque enim periculum inde oriturum reor, quod sic edam, quum vulgo habeatur ἱερέας, quum istuc quoque alludat Philostratus in Iconibus pag. 830. Ἐνταῦθα ἱέρειαι Δωδωνίδες ἐν στρυφνῷ τε καὶ ἱερῷ τῷ εἴδει, *illic sacerdotes Dodonides in rigido & augusto conspectu.* Sed etiam has Dodonidas habuimus antea ex Plutarcho. Et prius verbum dubitari vix potest, quin ex hoc loco Sophoclis petierit Dionysius Halic. lib. I. Ὁ τρόπος παραπλήσιος τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι, πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη περιστερὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο: *modus similis illi qui memoratur quondam apud Dodonæos fuisse, nisi quod ibi quidem in quercu sacra sedens columba vaticinari dicebatur.* Itaque sic quoque patet hinc mulieres fuisse horum oraculorum præsides & internuncias inter hunc Jovem & eos, qui consulerent, atque adeo easdem, quas supra vocavit δισσὰς πελειάδας. Quas ita in hoc sacro appellaverunt nomine volucrem exprimente, ut in sacris Mithræ & aliorum numinum ex animalibus nominaverunt eos, qui operabantur. Sed ista relinquimus ut aliena, & satis erit colligere aliqua nostris Dodonisin similia. Tale equidem est, quod intellexerunt nonnulli in locutione populari Πύθου χελιδόνος, *sciscitare hirundinem*, qui explicant fuisse παροιμίαν ἀπό τινος χελιδόνος θεολόγου καὶ τερατοσκόπου καὶ περὶ τῶν τελετῶν διειλεγμένου; *proverbium ab aliquo Chelidone Theologo & monstrorum inspectore & qui de initiationibus disseruit.* Hinc etiam apud Aristoph. dicunt aves: Ἐσμὲν δ' ὑμῖν Ἄμμων, Δελφοὶ, Δωδώνη, Φοῖβος Ἀπόλλων, ut corrigebat Heinsius pro δαίμων. Nec alienum videtur, quod scribit Josephus lib. v. Ἀρχαιολ. cap. 6. Δεβώραν τινὰ προφῆτιν, μέλισσαν δὲ σημαίνει τοὔνομα κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν: *Deboram quandam faticinam, apem vero denotat nomen in lingua Hebræorum.* Cæterum ut nostris πελειῶν adhæreamus, scholia Theocriti notant ad Idyll. XIII. Αἱ Πελειάδες φησὶ Καλλίμαχος τῆς βασιλίσσης τῶν Ἀμαζόνων ἦσαν θυγατέρες, αἳ Πελειάδες προσηγορεύθησαν. *Peliades, ait Callimachus, reginæ Amazonum erant filiæ, quæ columbæ appellatæ sunt.* Immo ut manifeste mos vaticinantium pateat, Alexandra ait apud Lycophronem: Δυοῖν πελειῶν ὠρφανισμένην γοναῖς, *duarum columbarum spoliatam subole*, ubi scholia dicunt ὀρφανὴν καὶ ἔρημον οὖσαν τῆς γονῆς τῶν δύο περιστερῶν ἤτοι Ἰφιγενείας καὶ Ἑρμιόνης, *orbatam & desertam prole duarum columbarum vel Iphigeniæ & Hermionæ.* Par equidem dubitatio sic apud quosdam fuit appellationis Μυῖα muscam notantis, quam videre licet apud Seldenum de Diis Syris pag. 301. Et sane licuit has quidem non minori jure sic vocare, quam Attici etiam Πελασγοὺς nominarunt πελαργοὺς *ciconias*, videlicet διὰ τὸ πλανητικόν· πλάνητες γὰρ ἦσαν διὰ πενίαν, καὶ δίκην ὀρνέων ὅποι τύχοι ἐπεφοίτων, *propter erraticam vitam: errones namque erant ob paupertatem, & instar avium ubicunque ingrediebantur*, prout scribunt Grammatici. Atque ita apparet *Chaonis ales* dicta Ovidio in libro secundo artis, sed cui sic non est necessarium auxilium, quod Democrito adfinxisse Plinium vituperat Gellius x. 12. quasi avium certarum confuso sanguine gigneretur serpens, quem si quis ederit, linguas avium & colloquia interpretaturum statuit; fabula suspicor ex Dodonæis diptychis ferme exorta. Denique has ita Pelejadas confirmare omnino Jovem ac Dionen, hoc est, Venerem credet, quisquis legerit collectanea ejusdem Seldeni de Diis Syris in Syntagm. II. cap. 3.

37. Πελασγικὸν δὲ ὅτι γῆς πέλας ἐστίν.) An igitur & ipsos Pelasgos ita considerare potuit iste Apollodorus? Etenim ab Pelasgis hanc considerationem inchoari oportuit? Certe illud Homericum hemistichium ubique cantatur. Et quis non in eo speculatus aliquid fuit, quum non aliter Homerus Jovem talem dixisse videatur, quam de Junone Dionysius in Periegesi Σάμος ἱμερόεσσα Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης, aut Δήμητρος ἱερὸν Πελασγίδος ab Pausania in Corinthiacis dictum fuit, & ab Ovidio itidem lib. II. artis, *Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas Dicere.* Omnino perinde id habendum, ac quum Hellos dixit is ipse etiam ἀπὸ τῶν ἑλῶν apud Strabonem. Utique si Græci tam bene cogitarunt de hoc Dodonæo & Pelasgico Jove, nullam habuit Casaubonus causam ita cogitandi de minis Caligulæ, quasi ille denunciasset Jovi apud Suetonium Αἶαν Δωδώνην περάω σε. Nuper quidem procax manus citavit Δωδωναῖε Πελάσγιε exstare apud Strabonem cum versione Latina *Dodonæe & Pelasgie.* Quæ diversitas etiam augetur ab ingenio Plutarchi scribentis in libro πῶς δεῖ τ. π. α. Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, quasi duo posteriora scribi oporteret per ὑφὲν, ὡς τὸν ἐκ τῆς γῆς ἀναθυμιώμενον ἀέρα διὰ τὴν ἀνάδοσιν Ἀναδωδωναῖον ὄντα: *notam contractionis in unum, velut aerem ex terra exhalatum per exæstuationem remissicium in altum.*

38. Ἑκάστῳ διανέμειν τὸν ἦχον.) Ex scriptis quæ ipsi auctores ad posteros prodidere, arbitrari potest unusquisque, quo robore aggressi ante me sint omnes hanc partem, dum amaro certe judicio erga optimam membranam obdurant condemnare hanc ejus scripturam, & temere subjiciunt διαμένειν, quod plane est incongruum, ut apparet ex interpretatione, quam dedit. Διανέμειν quid aliud hoc loco est, quam ipsum Lucretianum *didere?* Ac tanto majore cum reverentia liber manuscriptus & usus verbi hujus tractandus erat, quod unice is faciat ad illustrandas Πράξεις τῶν Ἀποστόλων IV. 17. ἀλλ' ἵνα μὴ ἐπὶ πλεῖον διανεμηθῇ εἰς τὸν λαὸν, quod doctissimos viros interpretari video *serpere*, si nihil aliud, alieno verbo. Et opportuna ad hunc locum verba Octaviani ad Antonium apud Appianum III. Civil. ἀρκέσειν ἐμοὶ τήν τε τοῦ πατρὸς δόξαν, ἂν διαμένῃ, καὶ τὴν τοῦ δήμου διανέμησιν, ἐὰν ἐάσῃς δο-

ψηται. 39 Ἡ παροιμία δὲ οὐ φησὶν εἰ μὴ χαλκίον ἐν, ἀλλ' οὐ λέβητας ἢ τρίποδας πολλούς.

Προσθετέον οὖν τῷ περιηγητῇ Πολέμωνι ἀκριβῶς τὴν Δωδώνην ἐπισαμένῳ, καὶ Ἀρισείδῃ τὰ τούτου μεταγεγραφότι, λέγοντι κατὰ τὸν Β'. Ἐν τῇ Δωδώνῃ σύλοι β'. παράλληλοι καὶ παρεγγὺς ἀλλήλων· καὶ ἐπὶ μὲν θατέρου χαλκίον ἐσὶν οὐ μέγα, τοῖς δὲ νῦν παραπλήσιον λέβησι· ἐπὶ δὲ θατέρου παιδάριον ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ μασίγιον ἔχον, οὗ κατὰ τὸ δεξιὸν μέρος ὁ τὸ λεβήτιον ἔχων κίων ἕσηκεν.

A Proverbium vero non dicit, nisi æs unum; non vero lebetes & tripodes multos.

Assentiendum igitur Polemoni periegetæ, qui accuratæ Dodonen cognovit; ut quoque Aristidæ, qui ejus opera descripsit, dicenti in libro secundo. Dodone sunt duæ columnæ parallelæ & sibi invicem vicinæ: Et in altera quidem est æneum vas non magnum, sed hodiernis simile lebetibus; in altera vero puerulus, habens in manu dextra flagellum, ad cujus dextram partem stat

θῆναι: *satis futuram mibi & gloriam patris, si permaneat; & populo destinatam distributionem, si patiaris dari.* Sed ut agnoscatur penitus in horum verborum intellectu frustratos esse commentatores, inspicienda est illorum propius interpretatio. Dicunt, si unum percutias, per contactum transmitti strepitum, qui perdurat, usque dum sonus ad unum illum redierit. Ergo sub verbo postremo ἐφάψηται intelligunt ἦχος vel ἐπήχησις, ut sonus illum unum tangat, non autem ipse ille, qui tetigit. At vero id est falsissimum. Nam non durat strepitus, usque dum ad unum illum sonus redierit; sed durat, usque dum ille, qui unum tetigerit, rursus illum unum tangat: ut si non tangat (quæcunque demum illa fuerit machina) millies sonus semel excitatus in orbem eat & ad unum illum redeat; sive tactus ille reprimat quassationem tripodis, sive impediat sonitum. Itaque verba illa αὖθις ἐφάψηται accipienda sunt cum intellectu prioris vocis ἁπτόμενος. Cui explicationi meæ plenam fidem dabit unus Philostratus in Iconibus pag. 830. addens post alia Dodones cimelia, χαλκῇ τε Ἠχὼ ἐν αὐτῷ τετίμηται, ἣν οἶμαι ὁρᾷς ἐπιβάλλουσαν τὴν χεῖρα τῷ στόματι, ἐπειδὴ χαλκεῖον ἀνέκειτο τῷ Διὶ κατὰ Δωδώνην, ἠχοῦν ἐς πολὺ τῆς ἡμέρας, καὶ μέχρι λάβοιτό τις αὐτοῦ, μὴ σιωπῶν. Vides illum non dicere λάβοιτο ἦχος, sed homo aliquis. Et magni sane refert scire hunc locum ab alio quodam post me ad oram Callimachi fuisse annotatum. Neque enim commoditas ejus clara satis esset, nisi id publicaretur ab illis insane gloriosis.

39. Ἡ παροιμία δὲ οὐ φησὶν, εἰ μὴ χαλκίον ἐν ἄλλῳ λέβητας ἢ τρίποδας πολλούς.) Hæc jacebant omni genere infelicissima, & quum legitime piaculum mererentur, infanda hallucinatione damnari videbantur, adeo ut verterentur: *Proverbium non ait nisi æs, apud alium lebetes & tripodas multos*. Nec vel horum auctoribus vel aliis constare poterat, quid sibi vellent ista *apud alium*. Quis enim erat? Eo tetrius mihi id occurrebat, quod intelligebam antigrapha, quomodo etiam legitur in autographo, habere χαλκίον ἐν ἄλλῳ. Id merito repudiari clamabatur. Itaque eos valere jubebam in suo Velabro. Nos non credebamus ulterius tanquam olearios cogi de compacto agere, & hominis prudentis elegantisque putavimus esse ex illis inconditis aurum educere. Subnascebantur enim mihi veriora veris. Etenim scripsit Stephanus, ἡ παροιμία δὲ οὐ φησὶν, εἰ μὴ χαλκίον ἕν, ἀλλ' οὐ λέβητας ἢ τρίπ. Nimirum Stephanus reprehendit & coarguit hanc vulgarem istius parœmiæ expositionem, &, ut hoc faciat merito, adjicit in hac parœmia non tripodas & lebetes multos memorari, sed unum æris frustum, unum vas æneum; ut Herodotus lib. IV. vocat vas capax sexcentarum amphorarum in Exampæo consecratum, & Scholiastes Theocriti in Idyll. II. χαλκίον & λέβητα pro eodem habet, ac porro probatur ex notis Causaboni ad Theophrastum, qui etiam tetigit in notulis ad Marci caput VII. Dicitur enim Δωδωναῖον χαλκεῖον, non Δωδωναῖα χαλκεῖα, aut Δωδωναῖοι λέβητες. Sunt tamen nonnulli scriptores, qui multitudinem ali-

B quam vel tripodum vel lebetum hic agnoscunt. Asconius Pedianus in Divinat. *Delubra, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonæi Jovis aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur*. Dionysius Halic. I. 19. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενον αὐτοῖς χρησμὸς, ὅν φησι Λεύκιος Μάμιος, ἀνὴρ οὐκ ἄσημος αὐτὸς ἰδεῖν ἐπί τινος τῶν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Διὸς κειμένων τριπόδων γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένον. Sed sane potuerunt fuisse complures illic tripodes, sed tantum ab aliis passim consecrati ac suspensi, non item continuum hunc fundentes sonitum. Itaque & illi scriptores, qui istum soni & famæ hujus C auctorem innuunt, accurate numero singulari utuntur. Sic ab Etymologo in voce Γῆγεν. quum legerem citatum fragmentum Callimachi Γηλοχέες θεράποντες ἀσιγήτοιο λέβητος, non dubitabam id de Dodone dictum esse, quum postea id occurrere vidi in hymno in Delum de hac ipsa re. Verum ibi in Callimachi codicibus legitur γηλεχέες, & idcirco, ut sunt hodie nasuti, jubemur nunc ibi quoque corrigere literam o, ut Etymologus citarit γηλεχέες. At quæ fides, quæ auctoritas illius mandati? An Etymologus non potuit ex memoria sic scripsisse γηλοχέες, de ea voce perinde co-D gitans, ut est ἄλοχος pari mutatione? Ego certe non audio tales correctores. Item Lucanus libro VI.

> *Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,*
> *Nec quæsisse libet, primis quid frugibus altrix*
> *Ære Jovis Dodona sonet.*

Sic enim habent Mss. non *Ore*: nec invideo, si & olim viderint alii ita legendum, ut habeant, quo se jejune satis venditent. Atque ita quidem argumen-E tatio Stephani manifesta & lucida, non tamen consummata, & quæ non potius videatur cavillationem aliquam continere, quam liquidam rationem. Nam non quia χαλκίον vel æs modo nominatur, inde colligi debuit etiam vere non fuisse nisi unum æris frustum & infallibili velut argumento refutare alios lebetas & complures. Quoties enim id non fit? An non scribit Scaliger ad Copam? *Nam Calyborium in omni Gallico idiomate est crepitus æris aut vasorum æneorum*. Quid veteres? Non Ovidius dixit *Æra Ære repulsa*? Non Plautus *Mecum habet patagus, æs, morbus*, de quo Macrob. v. Saturn. 19. Sed ut comparentur Græca cum Latinis, an non F Virgilius dicit in lib. VI. Æneid. de Salmoneo, *Demens qui nimbos & non imitabile fulmen Ære & cornupedum cursu stimularat equorum*? at quomodo de eodem Græci? nonne interdum μετὰ λεβήτων χαλκῶν alii? nonne Tzetzes ἐν λέβησι? & Manilius *missisque per æra quadrigis*? Quæ utique sunt simillima. Immo etiam Suetonius testatur ab Augusto fuisse Jovis Tonantis ædis fastigium tintinnabulis redimitum, κώδωνα αὐτῷ περιῆψε id ipsum exprimente Dione in libro LIV. Quod quidem satis intelligo, neque opus judicio emendare κώδωνας.

κεν. ὅτ' ἂν ἢν 40 ἄνεμον συμβῇ πνεῖν, τοὺς τῆς μάστιγος ἱμάντας χαλκοῦς ὄντας, ὁμοίως τοῖς ἀληθινοῖς ἱμᾶσιν αἰωρουμένους ὑπὸ τοῦ πνεύματος, συνέβαινε ψαύειν τοῦ χαλκίου, καὶ τοῦτο ἀδιαλείπτως ποιεῖν, ἕως ἂν ὁ ἄνεμος διαμένῃ. 41 Καὶ κατὰ μέν τοι τοὺς ἡμετέρους φησὶν ὁ Ταῤῥαῖος.

42 Εἰ μὲν λάβῃ τῆς μάστιγος, οἱ δὲ ἱμάντες πο- ***πεπ-

stat columna pelviculam sustinens. Cum igitur ventum accidit flare, etiam flagelli funes quum sint ænei, non secus ac veri & naturales funes a vento sublevatos, contingit ferire illud æneum vas, idque sine intermissione facere, quamdiu ventus perseverat. Et secundum nostros affirmat Tarræus.

Si quidem acceperit flagellum, illi funes ceciderunt:

Sane etiam quod Polemon στύλυς & χαλκίον sic distinguit, sicut sunt diversa; ita apud Pausaniam χαλκίον ponitur pro στύλῳ in Corinthiac. pag. 124. Πέραν δὲ τῦ τάφυ χαλκεῖόν ἐστιν ὐ μέγα, ἀνέχει δὲ αὐτὸ ἀγάλματα τρία. Ita certe intelligunt vertentes *cippum*, aliter quam interpretantur in Strabone χαλκεῖον ἐν τῷ ἱερῷ ἔχον ὑπερκείμενον ἀνδριάντα. Ego ut donarium tale fuisse non inficior, quale describitur ab Polemone, ut multa suspicor paulatim donaria ex ære & strepitum acuentia illuc venisse; ita dubito, an ideo lebetes abigantur, & Polemoniacum istud nimis artificiosum videtur. Deinde quid istud ad quercum? Quum in proverbio dicebant quoque ἵππον Θεσσαλικὴν, Λακεδαιμονίην τε γυναῖκα, etiam de uno exemplo intelligebatur? Itaque arcessita magis videtur objectio Stephani quam veridica. Attamen quod ad ipsum attinet, verba quidem ejus, vere a nobis reposita, sunt plane contraria sententiæ ac verbis Strabonis lib I. pag. 29. consentientis posse Homeri tempore nomen Nili notum non fuisse, & neque ipsum Homerum scivisse, τὰ στόματα εἰ μὲν ἦν ἀφανῆ, καὶ ὀλίγοις γνώριμα, ὅτι πλείω καὶ ὐχ ἕν. Et quoniam hac istarum literarum sola consideratione locum hunc insignem restitui, ipsa fati similitudine admoneor Josephi, ut pulcherrimum ejus auctoris sensum, sed labantem, in iisdem literis instauratum hic subnectam. Est is libro I. Ἀρχαιολογ. cap. 16. de Rebecca objurgante socias virgines, quod aquam petenti Abrahami servo denegassent: μίαν δὲ ἁπασῶν ἐκείναις τε τῆ πρὸς τὸν ξένον ἐπιπλήττειν δυσκολίας τινός. ἀλλ' ὐ κοινωνήσειν πρὸς ἀνθρώπυς αὐτάς ποτε, αἳ μηδὲ ὕδατος μετέδωσαν λέγυσαν. Quæ sic vertit Gelenius. *una omnium objurgatis reliquis negando eas unquam inter homines versatas, quæ ne aquam quidem impertirent.* Longe a Josephi mente, a qua etiam longius abit Gallica interpretatio tantopere, sed falso, jactata. *Rebecca les entendant parler de la sorte, leur dit, qu'elles estoient bien inciviles de refuser cette grace à un etranger, & en mesme temps luy en offrit avec beaucoup de bonté.* quasi nescio quæ loquatur. Nihil bene perceptum sive ob distinctionem male conlocatam, sive ob divisas literas, quæ jungi debent. Id quod sic faciendum: μίαν τῆς πρὸς τὸν ξένον ἐπιπλήττειν δυσκολίας· τίνος ἄλλυ κοινωνήσειν πρὸς ἀνθρ. Hoc est, *unam ex illis objurgasse istam inhumanitatem ac duritiam in hospite dicentem, quid tandem aliud illas cum hominibus communicaturas, quæ ne aquam quidem impertirent?* Plenissima sententia.

40. Ἄνεμον συμβῇ πνεῖν τὺς τῆς μάστιγος ἱμάντας χαλκῦς.) Nihil habet hic locus, quo se commendare possint interpretes ejus. Adeo mirum in modum aberrantibus palam monstrare debui, quid exigerent Græca, sed & quid Latina. Id olim feci. Video tamen omissum tunc a me fuisse indicium pravissimæ distinctionis, qua hunc locum fatigant, quum post vocem ἱμᾶσιν ponant notam ejus, quam nullam esse debere autumo, & conjuncto sensu dici illa ὁμοίως τοῖς ἀληθινοῖς ἱμᾶσιν αἰωρυμένυς ὑπὸ τῦ πνεύματος. Id quod nunc feci, & prout fieri potuit, in interpretando expressi. Ἱμάντας vocat aut Stephanus aut Polemon, non quod tales vere erant, (quippe erant ex ære, unde vel funes, vel lora fieri nequeunt) sed & ex inopia vocabulorum & ex similitudine ita debuerunt appellari, ut in multis fecerunt Latini perinde ac Græci. Talis Suetonio *charta plumbea*, quarum vocum altera vere destruit alteram. Tales ab aliis dictæ sunt *ungulæ ferreæ*, ab aliis *paginæ marmoreæ* similiaque. Ideoque plane non oportebat cogitari fuisse flexiles funiculos. Non fuere flexiles, non fuere funculi; sed frusta æris in longum ac tenue ducta & quomodocunque suspensa patuerunt procellis & vento agitanda ad instar veri & levis lori. Sic apud Dioscoridem quum amiantus lapis dicitur ἱμαντώδης πρὸς θέαν, novi probe ab summis viris illic verti *in speciem flexilis instar lori*; sed profecto nihil ab Dioscoride dicitur de flexili, neque capio τὰ *in speciem flexilis*. Nam amiantus non est vel flexilis, vel in speciem flexilis, sed bona fide durus, ut reliqui lapides. Sed aspectui obvenit velut ex funiculis & loris compositus, quæ etiam invicem avulsa, ut avelli & separari possunt, materiam præbent telis pannisque; ut λῶμα exponuntur ab Græcis ἱμαντώδη φυτά. Sic quum omnis μάστιξ debeat supponi esse multifida & discissa in plures a tenues ut ita dicam cirrhos, potuit Polemon scribere ἱμαντώδη χαλκία. Præterea ex hujus loci postremis verbis apparet in expositione Strabonis de ære Dodonæo ab viris doctis illas voces μακρὺς ἤχυς ἀπειργάζοντο perperam verti *magnos sonos edebant.* Non enim illic agitur de soni magnitudine, sed longitudine, continuatione ac tractu.

41. Καὶ κατὰ μέν τοι τὺς ἡμετέρους φησὶν ὁ Ταρ.) Non intelligo. Vertunt, *quod secundum nostros etiam Tarrhæus fatetur*. Quinam sunt illi nostri? quid *secundum nostros*, quos nullos ante nominavit? Nec in tali serie nihil habet vocula τοι, quod notabile agat. Forte scripsit Stephanus. καὶ κατὰ μὲν τύτυς ἡμέτερός φησιν Ταῤῥαῖος. Nam sæpius vox τύτυς aut τύτων contra fas nunc divulsa est, nunc ex duabus in unam contracta. De Tarrhæo autem Lucillo est in Vita Apollonii Rhodii, & Rutgers. I. Variar. 3. & 4. 18. & tetigit Tristanus tom. III. pagin. III.

42. Εἰ μὲν λάβῃ τῆς μάστιγος, οἱ δὲ ἱμάντες πο***πεπτώκασι.) Sic est in apographis, & credo item esse in autographo, ut duæ literæ ante asteriscos temere vulgo supprimantur: unde evenit quoque, ut sententia in mendis hæreat. Lego. ἐὰν μὲν λάβῃ τις τῆς μάστιγος, οἱ δὲ ἱμάντες πόῤῥω πεπτώκασι. Sive malus dæmon, seu fraus sacerdotum miseros rudesque animos decepit, videtur ea opinio inolevisse de hoc superstitioso opere, ut si quis attingere auderet, id profanaretur & dissolutum interiret. Qualis narratiuncula obtinebat de insula solis Nocala, quam disjecit Nearchus, ut videre est in Arriani Indicis; & de rupe Austro sacra apud Pomponium Melam lib. I. Vel etiam potuit ita esse fabricatum, ut tangendo frangeretur, quomodo de Phidia in clypeo Minervæ narrant tum alii, tum Apulejus de Mundo. Tale quid Dodone fuisse narratum videtur, ut vertendum sit; *si quis attigerit flagrum, lora procul statim ceciderunt.* Non est insuavis usus vocis Græcæ πόῤῥω & Latinæ *procul*, nihil aliud notantis, nisi passim dispersimque. Sic Prudentius in Psychomach. p. 145.

Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit
Et procul in partes ensem crepuisse minutas.

& vers.

*** πεπτώκασιν. 43 Παρὰ μέν τοι τῶ ἐπιχωρίων τινος ἠκούσαμεν, ὡς ἐπείπερ ἐτύπτετο μὲν ὑπὸ μάστιγος; ἠχεῖ δ' ἐπὶ πολὺν χρόνον, ὡς χειμερίου τῆς Δωδώνης ὑπαρχούσης, εἰκότως εἰς παροιμίαν παρεγένετο. Μέμνηται αὐτῆς Μένανδρος ἐν Ἀῤῥηφόρῳ.

44 Ἐὰν δὲ κινήσῃ μόνον τὴν Μυρτίλην
Ταύτην τὶς, ἣν τίτθην καλεῖ, πέρας ποιεῖ
Λαλιᾶς. Τὸ Δωδωναῖον ἂν χαλκίον, ὃ
Λέγουσιν ἠχεῖν, ἂν παράψηθ' ὁ παριὼν,
Τὴν ἡμέραν ὅλην, καταπαῦσαι θᾶττον,
Ταύτην λαλοῦσαν· νύκτα γὰρ προσλαμβάνει.

A derunt. Attamen ab incolarum aliquo audivimus, quemadmodum quia flagello quidem verberabatur, multo autem tempore sonus durabat, quum Dodone tempestatibus sit exposita, cesserit merito in proverbium. Ejus meminit Menander in Arrhephoro.

Sed si quis illam Myrtilen tantummodo
Moveat, alumnam quam vocat, monstrum exhibet
Sermonis. Æs Dodonium, quod dicitur
Sonare, si fors tetigerit quis transiens,
Totum diem, se continebit, ante quam
Hæc garriendo: nam simul noctem adjicit.

& vers. 687. de Discordia.

Scissa procul palla, structum & serpente flagellum
Multiplici, media camporum in strage jacebant.

Haud dubie ex imitatione Virgilii; *Serta procul tantum capiti delapsa jacebant*. Videntur tamen ex Stephano aliqua periisse.

43. Παρὰ μέν τοι τῶ ἐπιχωρίων ἠκούσαμεν.) Ita negligenter editum. In MS. & utroque antigrapho habetur ἐπιχωρίων * ος ἠκούσαμεν. Lege; παρὰ μέν τοι τῶν ἐπιχωρίων τινὸς ἠκούσαμεν, *ab aliquo incolarum*.

44. Ἐὰν δὲ κινήσῃ μόνον &c.) Hic Menandri locus quum sit amplum jucundissimi ejus ingenii & perquam opportuni spiritus testimonium, tamen ita legebatur, ut plenus tesquis nihil contineret, nisi sarmenta sine viticulo; non aliunde oriente hac inamœnitate, quam quod suo ingenio non utique rerum vetustarum capacissimo servire præferebant, quam fidelissimæ membranæ. Hinc quum in hac legeretur ἂν παράψηθ' ὁ παρ. editoribus placebat παρήψαθ' nescio quo eligendi pravo arbitrio ad sententiam inquinandam, quum possent videre idem tempus ita positum item in his Herodoti plane eisdem. II. 45. ἣν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν ὑός, *si quis tetigerit illorum præteriens suem*. Plutarchus pag. 502. de garrul. τὴν μὲν γὰρ ἐν Ὀλυμπίᾳ στοὰν ἀπὸ μιᾶς φωνῆς πολλάς ἀντανακλάσεις ποιοῦσαν, ἑπτάφωνον καλοῦσι. τῆς δ' ἀδολεσχίας ἂν ἐλάχιστος ἅψηται λόγος, εὐθὺς ἀντιπεριηχεῖ κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀνικήτους φρενῶν, *nam porticum Olympiæ ab una voce multas reflectiones moventem vocant septemvocam: at garrulitatem si minimus tetigerit sermo, statim undique resonat movens fides indomitas mentium*. Præterea verus sensus obscurabatur, quod descripserant male ἄντι χαλκεῖον, quum in autographo accentus primæ voculæ esset gravis ἂν τι, indicio nimirum, illud quod sequitur τι, non adeo esse particulam, aut syllabam ejus alteram, sed signum vocis perperam inchoatæ, quod sic solum reliquerit librarius, ut in scribendo evenire solet. Sed etiam edebant πέρας λαλιᾶς, quum in MS. extaret πέτρας. Πέρας quidem est vox Menandro usitata, sed suo loco. Sic novimus alibi eum scripsisse, πέρας γὰρ αὔλειος θύρα ἐλευθέρᾳ γυναικὶ νενόμιστ' οἰκίας. Sed id suo & opportuno loco. Fecimus ergo aliquid in æternam hujus lingulacæ memoriam, & pulcherrimos Menandri versus ita restituimus. In quibus agnoscimus sensum plenissimum & festivissimum de ista Myrtile, quæcunque fuit illa τίτθη, quo titulo etiam comœdiam ab Menandro scriptam fuisse scimus. Novius in exodio suo bene defunctum se fuisse opi-

nabatur, quum illi fuisset alia hoc modo descri-
B pta, quæ *quando ad ludos venit, alii quum tacent totum diem argutatur ut cicada*. Plus exhibuit Menander. Et nescio sane, an non similis fuerit locus illi apud Diogenem Laertium lib. IV. ubi Arcesilaus ἄλλου πολλὰ φλυαροῦντος; οὐδὲ τίτθης αὐτὸν χαλεπῆς τετυχηκέναι ἔφη. Certe istam infinitam muliebris sexus immoderationem notavit alia tamen in re sic quoque Alexis. Ἐὰν δὲ μὴ χαίρῃ, γελῶσα διατελεῖ τὴν ἡμέραν. Nec minus jocosum illud Plauti: *Pisces ego credo, qui usque dum vivunt lavant, Minus diu lavere, quam hæc lavat Phronesium*. Sed comparationem hanc cum ære Dodonæo ab Menandro excogitatam videtur
C admodum amavisse Themistius, qui eam transtulit ad loquacitatem Sophistæ, quem si salutaveris, ait ἀλλ' εὐθὺς ὑπηχεῖ τὸ Δωδωναῖον χαλκεῖον, *sed statim subsonat Dodonæum æs*. Quod ipsum in tetriore causa posuit ex Aristide Photius in Bibliotheca, scribens de quibusdam: Ἐπειδὰν δέ τινας εἰπεῖν κακῶς δέῃ καὶ διαβαλεῖν, τῷ Δωδωναίῳ μὲν οὐκ ἂν εἰκάσαις αὐτοὺς χαλκείῳ: *quum vero oportet male quibusdam dicere & calumniari, Dodonæo quidem non comparaveris eos æri* &c. Quibus adde ad notitiam & auctoritatem Dodones hoc etiam oraculum, quod auctor collectionis proverbiorum Alexandrinorum sub nomine Plutar-
D chi in bibliotheca Medicea sic notavit: Ἄδακρυς πόλεμος· ἐπὶ τῶν ἔξω τινος χαλεποῦ πράγματος κατορθέντων. ὁ γὰρ Δωδωναῖος προεῖπε Λακεδαιμονίοις πολεμοῦσι πρὸς Ἀρκάδας μάχην ἄδακρυν ἔσεσθαι. συμβαλόντες δὲ μετὰ ταῦτα ἐνίκησαν μηδενὸς ἀποθανόντος. *Bellum indefletum; de illis, qui sine gravi aliqua molestia bene agunt. Namque Dodonæus prædixit Lacedæmoniis contra Arcadas bellantibus fore pugnam sine lacrimis. Congressi igitur postbac vicerunt nemine interfecto*. Quæ vides Zenobio & Schotto non plane fuisse incognita. Et hæc tum ad amabilis (ut verissime vocatur Ausonio) Menandri, cujus hanc Ἀῤῥηφόρον summopere com-
E mendat testimonium Pollucis lib. x. pag. 500. hanc τρυγόνος λαλιστέρου Myrtilen, tum ad Stephanicæ Dodones vel cognitionem vel illustrationem congessisse sicut quondam juvit, ita post annos admodum octodecim licuisse renovare, singularem Dei pacem agnosco & interpretor. Nec id potuit fieri sine aliquo incremento; quum ab eo tempore hanc pericopen peculiari curæ meæ traditam fovere non desierim, tum alia meditatione, tum vel maxime semper satagens & circumspiciens, si caput rei, hoc est, ipsius Dodonæ originem & etymon paulo curiosiore via posset
F indagari. Quam curam meam tunc quidem res ipsa declaravit per proditam epistolam viri egregii, sed nimium variis, nimium arcessitis & male fundatis conjecturis spissatam. Itaque inde nihil, quam fides mea adfirmata fuit, ut crederem nihil lucis etiamnum ad sedem ejus patefactum esse, & non minus obductam caliginosamque

eam mensuram, donec obscura & crepera ex solis Hebraicis lampas admoveretur. Quæ ut aliunde accedat denique clarior, & simul hæc opera mea colophonis luculentissima accessione coronatam se gaudeat, appendo fulgidam prorsus & radiis omnino maxime coruscis illuminantem omnia faciem ab ingenio & doctrina Reverendi A & Eruditissimi collegæ mei Jacobi Triglandi post colloquia de hoc reducto Molossidis secessu plurima denique accensam, cui & propter opem hanc Dodonæ præstitam, & tantam indulgentiam petitioni & amicitiæ meæ datam publice libenterque gratias laudesque ago.



JACOBI TRIGLANDII, I. F. I. N.

SS. THEOL. D. & PROFESSORIS,

h. t. ACADEMIÆ LUGD. BATAVÆ Ti RECTORIS,

CONJECTANEA

AD

QUÆDAM OBSCURA FRAGMENTI

DE DODONE

LOCA.

JAC. TRIGLANDII CONJECTANEA DE DODONE.

D. JACOBO GRONOVIO JAC. TRIGLAND S.



Uid dicam hoc esse rei, eruditissime ac celeberrime Gronovi, *quod meam quoque Symbolam eas inter lautitias requiris, exquisitissimumque reconditæ eruditionis apparatum, quem effusis Elegantis* Thesauri *opibus erudito orbi liberaliter instruxisti? quasi in mea tenuitate, qui* [A]

Custos sum pauperis horti,

quicquam repositum foret, quod ad hasce faceret delicias; vel tuum esset me consulere, qui ipse regnans in [B] *hoc Studiorum genere, velut aliquod Oraculum Græciæ, dum altum iis in Patria silentium, Lugduni in Batavis quotidie conveniris. Aut ubi maxima, denique, Virorum nomina (quos merito veneror) omnem, nec* Dodonæam *modo, quercum jam dudum excussērunt, aliquid factum sit reliqui industriæ hominis, quem severiora Sacra ab his amœnitatibus arcent; & longe diversa Studiorum Sparta sibi vindicat totum. Sentio itaque me eas hic in Symplegadas delatum, unde vix dabitur egredi, quin facienda sit meæ qualiscunque existimationis, aut tuæ gratiæ quædam jactura. Malim tamen, quandoquidem necesse est, in eam partem peccare: ac potius facere testatum non potuisse me quod ego vellem, claram satis his tenebris lucem inferre; quam nolle experiri, quod Tu pro ami-* [C] *citiæ, & communis Collegii, jure adeo amanter voluisti. Mitto igitur, sed timida manu,* αὐτοσχεδίασμα, *earumque cogitationum specimen, quæ relegenti nobile* Stephani Byzantini Fragmentum de Dodone *ad difficilia quædam, si non deposita, ejus loca subierunt. Non velut sententiam, sed leves conjecturas; properatumque abortientis ingenii fœtum, dum turba negotiorum undequaque circumstat, operæ urgent impatientius, opusque hoc tuum carceres mordet: cui, citato gradu ad plausus palmamque exilienti, vel minimam, ab hisce ludicris, moram injici nefas est. Verum id facile perspexeris. Hoc vero memineris velim, opellam hanc, licet ab amico impositam, ad Te veni-* [D] *re tanquam incorruptum censorem, & Præstitem. Cujus auctoritas, falce in alienam a me messem immissa, audendi mihi temeritatem indulgeat; atque inexhausta Doctrinæ penus erroribus, atque inopiæ benigne medeatur. Tu igitur cense, judica, obelo transfige, quantum, & ubi volueris! certus mihi nihil hic probari admodum posse, quod tuo judicio displicebit. Immo potius spongiam cape, & æternis damna tenebris totum; non enim is sum, qui*

Se principibus permixtum agnoscat Achivis.

Vale, & ad literarum decus perenna. Lugd. Batav. Pridie Kal. Mart. Anno Æræ vulgaris MDCXCIX.

CAP. I.

Dodonæi Oraculi origo ex Ægypto, secundum Herodotum. Narrationis fides. Auctor Captiva Sacerdos. Osiris Ægyptiorum & Adonis Phœnicum Græcorumque idem Deus. Ceremoniarum convenientia. Uterque Sol. Bybli primum vocatus Adon. Quid Ἀβωβᾶς *apud Hesychium. Ex Adon, & præfixa particula* ד. *Dodon. Quod probatur variis argumentis. Molossia olim* Ἀδανίη. *Lingua Pelasgorum vetus Barbara.*

§. I. PEROBSCURUM, multaque Doctorum indagine vexatum, *Dodones* Etymon investiganti consultum ante omnia videtur, quin imo necessarium, ad ipsa ejus regredi incunabula; ultimamque Oraculi memoriam, verbo saltem, recordari. Nata etenim fere sunt nomina cum rebus. Et, si quis Instituti, Artis, aut Beneficii, præsertim quum nobile atque divinum, auctor extitit, ad partes suas, & decus, simul pertinere haud injuria existimat, appellationem illi tribuere quæ rei, personæ, tempori, rationibusque suis conveniat; quoque, velut elogio, famæ deinceps consecretur. Non alia, nisi fallor, ratione igitur melius, aut maturius, etiam judicium de Origine, & sensu nominis *Dodones* ferri poterit, quam si ipsam rei, Oraculique, originem cum cura lustremus. Institutionis historiam nobis servavit *Herodotus* libro secundo cap. LIV. cujus summa tantum legens vestigia, hæc velim attendi. Δύο γυναῖκας ἐκ Θηβαίων ἐξαχθῆναι ὑπὸ Φοινίκων. *Duas fæminas, Thebis* (Ægyptiis) *a Phœnicibus abductas.* Nec vili quidem conditione, aut imæ caveæ fuisse, verum ἱρείας *Sacerdotes.* Ad servarum nihilominus locum redactas τὴν μὲν εἰς Λιβύην πρηθεῖσαν, τὴν δὲ εἰς Ἕλληνας, *harum unam in Libya fuisse venundatam; alteram in Græcia.* Tam iniquæ vero sortis pertæsas, arte in consilium adhibita, ταύτας τὰς γυναῖκας εἶναι τὰς ἱδρυσαμένας τὰ Μαντήϊα πρώτας, ἐν τοῖσι εἰρημένοισιν ἔθνεσι, *illas ipsas fæminas fuisse quæ primæ apud dictas gentes Oracula constituissent.* Modum vero quo illud obtinuit *mulier quæ in Græcia illa, quæ prius Pelasgia vocabatur veniit,* Cap. XLVI. exequitur: *venditam tandem esse Thesprotis* ἔπειτα δουλεύουσαν αὐτόθι ἱδρύσασθαι ὑπὸ φηγῷ πεφυκυίῃ Διὸς ἱρόν, *atque deinde ancillantem ibidem condidisse* (technis ibi memoratis) *sub fago enata fanum Jovis.* Quodque magnopere observandum, condidisse ὥσπερ ἦν εἰκὸς, ἀμφιπολεύουσαν ἐν Θήβῃσι ἱρὸν Διὸς, ἔνθα ἀπίκετο, ἐνταῦθα μνήμην αὐτοῦ ἔχειν, (quæ verba ab erudito *Herodoti* Interprete non bene accepta, sic verterem,) *quemadmodum*

consentaneum erat, quæ Jovis in Templo Thebis ministrasset, isthic loci quo venerat, illius memoriam conservare.

§. II. Nihil equidem causæ est cur quispiam hic fidem *Herodoti* sollicitet, aut præcipuum hujus narrationis argumentum, si a dolosa stultissimæ divinitatis affectatione discesseris, queat rejicere; omni quippe dubitaturo, in ipsius *Herodoti* persona *rogantis unde id quod commemorabant, adeo compertum haberent?* jam olim responderunt, *Ζήτησιν μεγάλην ἀπὸ σφέων γενέσθαι τ̃ γυναικῶν τουτέων ...., πυθέσθαι ϑ̓ ὕστερον ταῦτα περὶ αὐτέων, τάπερ δὴ ἔλεγον*: *Majorem in modum se institisse vestigare de his mulieribus .... & postea hæc, quæ dicebant, de iis audisse.* lib. II. cap. LIV. Ista dicentibus *Thebanis* a quibus discesserant, his gemina sub ficto *columbarum* symbolo tradiderunt *Dodones* Sacerdotes, ubi una istarum mulierum sedes sibi, Jovique, tandem fixerat. *Herod.* lib. II. cap. LV. *audivit hæc Historicus* horum Sacrorum ipse *αὐτόπτης* & *Thebis*, & *Dodone*, in rem quasi veniens præsentem. Quando autem locorum non modo, sed & stirpis, naturæque, intercapedine dissitæ gentes, ubi nulla potest esse mentiendi conspiratio, de re eadem, utrisque cognita, narrando consentiunt maximum merito Veri præjudicium debet censeri. Et, undenam melius quæso cujuscunque negotii, nisi ubi gestum est, memoria, & testificatio repetetur? Si ita constet *Ægyptiam* fœminam fuisse cui *Dodonæi Oraculi* debentur natales, eadem opera etiam intelligetur, eam, ut *consentaneum* dixit Herodotus, *memorem* fuisse Patrii ritus, & istius Dei, cujus obiverat antea *Thebis* ministerium. Præjudicia Religionis in pueritia susceptæ pertinaciter inhærent. Captivis, varioque distractis servitio, nec animus erat, nec occasio aliarum gentium ceremonias penitus addiscendi. Quas, etsi jam aliquid forte didicerant, cum longe perfectius nossent ipsi Doctores, nihil poterant ipsis conciliare vel gratiæ, vel auctoritatis; quid novum igitur *Græcis*, cujus semper fuerunt curiosissimi, peregrinumque in scenam producendum fuit, quod apud rudem, & glandibus etiamnum vescentem populum, attentionem pareret, ac admirationem. Neque opus est verbis; clarissime, cum aliis, *Herodotus*, qui vidit, affirmat *Dodones* sacra plane ad illa *Thebarum* esse conformata lib. II. capp. LVII. LVIII. *ἡ δὲ μαντηΐη ἥτε ἐν Θήβῃσι τῇσι Αἰγυπτίῃσι καὶ ἐν Δωδώνῃ παραπλήσιαι ἀλλήλῃσι τυγχάνουσι ἐοῦσαι. ἔστι δὲ καὶ τ̃ ἱρῶν ἡ μαντικὴ ἀπ' Αἰγύπτου ἀπιγμένη .... καὶ παρὰ τούτων Ἕλληνες μεμαθήκασι.* h.e. *Suntque simillima inter se Oracula, & illud apud Thebas Ægyptias, & hoc apud Dodonam; estque divinandi in templis ratio ab Ægypto adscita .... & ab iis Græci didicere.*

§. III. Transfretandum itaque est in Ægyptum, ut vera *Dodonæi Jovis* incunabula, sua per vestigia, deprehendamus. Et circumspiciendus aliquis Deus qui religiose habitus ab *Thebanis*, deinde etiam a Græcis, præcipue *Epirotis* & *Molossis* meruit coli. Quique utrobique gaudeat Oraculo, & ceremoniis *παραπλησίῃσι* *geminis*; tum etiam potuerit nominibus *Δωδών*, & *Δωδώνη* commode originem dare. Ejusmodi vero Numen, in quo hæc omnia luculenter conspirent, *Osiris* dictus *Thebanis*, *Phœnicibus* & *Græcis Adonidis* titulo adoratus, mihi habetur. Eandem namque esse, sub diverso nomine, Divinitatem, Docti qua Veteres, qua Recentiores mire consenserunt. *Ausonius* gemino Epigrammate, vetustiorum explicans sententiam id docuit, Græco, Latinoque:

Epigr. XXIX.

Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ, Μυσῶν δὲ Φανάκης.
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς.
Πυρογενής, δίκερως, τιτανολέτης, Διόνυσος.

A
Epigr. XXX.

Ogygia me Bacchum vocat.
OSIRIN Ægyptus putat.
Mysi Phanacen nominant.
Dionyson Indi existimant.
Romana Sacra Liberum.
Arabica gens ADONEUM.

Idem videre est apud *Macrobium Saturnal.* lib. I. Et *Marcianum Capellam de Nuptiis Philologiæ* lib. II. versus finem:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur OSIRIN

B
Dissona Sacra Mitram, Ditemque, ferumque Typhonem .....
Ammon & arentis Lybies, ac Byblius ADON.

Nomine ADON ergo *Bybli*, vetustissima *Phœniciæ* urbe, OSIRIS ille *Thebarum* cœpit vocari; quorsum etiam quotannis sacer inventi *Osiridis* nuncius, magna festivitate, solebat transmitti. Atque inde, qua late patet *Græciam*, aliasque terras, hic Deus, & Dei Sacra, cum tempore, peragrarunt; quod notius est quam ut in hisce angustiis conveniat probare: satis est audisse ipsum nostrum *Stephanum*, de *Amatho* urbe *Cypri*. *Ἀμαθοῦς, πόλις Κύπρου ἀρχαιοτάτη. ἐν ᾗ ΑΔΩΝΙΣ ΟΣΙΡΙΣ ἐτι-*

C
μᾶτο, Amathus, urbs Cypri antiquissima; in qua ADONIS OSIRIS colebatur. Maxima quoque hinc inter *Osiris* & *Adonidis* ceremonias, Pompamque, deprehenditur similitudo, ut facile agnoscas illud *Herodoti παραπλήσιον*. *Osiris*, quod vel pueri norunt, SOL fuit *Ægyptiis*; nec alius *Adonis Græcorum* antiquis. Hymnus *in Solem* qui *Orphei* nomen præfert:

Εὔβουλε, πολύμορφε, τροφὴ πάντων ἀρίδηλε.
Κούρη, καὶ κόρε, σὺ πᾶσιν θάλος αἰὲν ΑΔΩΝΙ.

Osirin amissum gravissime annuo deplorabant festo *Ægyptii*; ac mox iterum invento effusissime læta-

D
bantur. Cujus ritus *κακοζηλία* aliquando tenuit Israelitas Ezech. VIII. 14. ubi Vulgat. *Ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Et revera paria esse facta solenni *Adonidis* Sacro non ignorat qui, ut *Lycophronem*, *Aristophanem*, *Plutarchum*, aliosque præteream, suavissimi *Theocriti Συρακουσίας Ἀδωνιαζούσας* Idyllio XV. tantummodo legerit. *Etymol. magn.* *Ἀδωνιασμός, ὁ ἐπὶ τῷ Ἀδώνιδι θρῆνος.* *Osiridi* acceptam ferunt inventionem cultioris victus, frumenti. *Plutarch. de Iside & Osir.* ad *Adonidem* quoque refert *Hesych.* & Græcus *Theocriti Scholiastes* ad vers. 112. Idyll. *ιε*. ubi *Arsinoe* Regina in festo, quod ab ipso *Ἀδώνια*

E
—— Πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν
Πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι.

Notans *εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυροὺς καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προαστείοις* &c. Hinc, *ἐν παρόδῳ*, illustrari queat quod paucis intellectum in Hesychio *Ἀβωβάς, ὁ Ἄδωνις ὑπὸ Περσαίων.* Illud *Ἀβωβὰς* quid aliud est quam *Chaldæum* אביבא *Syrorum* ܐܒܝܒܐ *Arab.* أنبوب quod *culmum* & *aristam* notat; ut *Theocriti Schol.* vocari memorat *Adonin σῖτον σπειρόμενον, satum frumentum.* ad Idyll. III. §. 48. *Bos* familiare *Osiridis* symbolum fuit. An huc spectent quoque *Boum* Imagines in *Epirota-*

F
rum Nummis conspicui, quoniam Oraculum nostrum horum dos erat, & depositum, & non modo ad pingues *Epiri* boves, qui & alibi pascuntur, præsertim cum in aversa parte *Jupiter* ille *Dodonæus* exhibeatur, folia *quercus* &c. ut monuit Clariss. *Gronovius*, peritiores arbitrentur. *Osiriden* in pompa deducebant *Ægyptii*; similem *Adonidis pompam* elegantissime nobis descripsit Idyll. XV. *Theocritus*; plura, quæ addi queant, nec lectorum ferret patientia, nec eruditum judicium desiderabit.

§. IV. Ab hoc porro *Adonide* quomodo *Græcis*, aut potius ΑΔΩΝ, sicut apud *Byblum* primitus indigetabatur, commode & *κατ' ἀναλογίαν*, derivari *Dodonæi Oraculi* nomen, & Numen, nunc quidem credimus, donec meliora, paratissimi discere, ab doctioribus edoceamur, his argumentis inducti: *Adon*, *Adonis*, nempe vel *Adoneus*, ut est apud *Plautum*, & *Ausonium*, Latinis, Græcis, Phœnicibus, quin & Arabibus, varia terminatione pro hominum Idiomatumque genio, nuncupatus, ut Hebraicum אדון, notat *Dominus*. *Hesychius*: Αδῶνις. Δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. Quemadmodum, alio quidem vocabulo eadem tamen notione, plerique Orientalium בעל *Baal* consueverant SOLEM, qui idem hic *Adonis* est, ἐξόχως salutare. Adjungamus nunc huic assertioni, de antiqua *Ægyptiorum Lingua* B. *Hieronymi*, diligentissimi antiquitatum, Linguarumque Scrutatoris judicium: ex *Comment. in Jesaiam* cap. XIX. *Lingua Canaanitis* INTER ÆGYPTIAM & HEBRÆAM MEDIA EST, *& Hebrææ magna ex parte affinis*. Unde liquet trium harum Linguarum, sicut Populorum, conspicua satis vicinia. Et *Canaanitidem*, quæ *Hebrææ* admodum *affinis*, *inter Ægyptiam* & puram *Hebraicam*, quasi *Medium* quoddam (ut vocant) Participationis, fuisse. Ita nihilominus ut hæ duæ postremæ, licet nec matre, nec toto genere diversæ, se invicem bene intelligere haud potuerint Ps. 114. 1. quod & ipsum in multis aliis, nostris temporibus, usuvenit. Istud eruditissimi Patris, qui ipsa loca, variaque Veterum, quæ nobis *Tempus edax rerum* invidit, isthic in Bibliothecis monumenta, oculis & sagaci mente, lustravit, de his Linguis judicium profecto pluris mihi est quam recentis alicujus consarcinatoris, & τῇ ὑποθέσει servientis ut *Græcæ Ægyptiam* consimilem faciat, pronuntiata. Neque admodum difficile esset haud una ratione, & speciminibus etiam, *Hieronymi* opinionem stabilire, nisi jam aliud ageretur. Habent vero Linguæ memoratæ *Canaanitis*, Chaldæa, Syra &c. hunc morem, ut nominibus millies præponant *præfixum*: sive separatum די *Di*, sive in conjunctione ד. D. duplici cummaxime usu, scopoque: 1. ut, vel *Genitivum* notet, v. gr. 1. Sam. 1. 9. *Eli Sacerdos sedebat in latere liminis templi Domini*. *Chaldæo* sonat: ...בסטר ספא דהיכלא דיי ועלי בהנא יתיב vel 2. exponatur per *qui*, *quæ*, *quod*. Nemo *Chaldæum*, *Syrumque* textum leviter potest inspicere, & non habere frequentissima, quæ oculos feriant, exempla. Parili ratione *Ægyptiis* litera Ϯ *Dei*, cujus potestas literatissimo *Kirchero* in *Prodromo Copto* exponitur *Di*, non eadem tamen vocali semper signanda, usurpatur. Fuitque, quicquid videatur contra sentire Vir Doctissimus, certe olim in primis, tam *Masculini*, quam *Fœminini* generis, quemadmodum די & ד. in Linguis quas *Hieronymus* dixit *affines*. Item in *Samaritana*. *Doctiss. Cellarius* in *Grammat.* c. 5. *Usitatissimum est Samaritis præfixum D. sicut Syris, utriusque Generis, & Numeri*. Et *Hebræis* ש. Quo magis, quum ipso fatente *Kirchero*, hoc Ϯ verbis primæ personæ *communiter* præfigatur, *Primit. Ling. Copt.* cap. IV. quidni idem in nominibus quoque obtinebit? Imo vehemens mihi suspicio est, antiquarum multas Linguarum hoc *Generum* in Nominibus *discrimen*, quale Recentiores, *Grammaticam* ad normam *Græcæ Latinæque* adornantes, scrupulosius forte fuerunt consectati, aut ignorasse penitus, aut neutiquam curate attendisse. De *Æthiopica* laudatissimus *Ludolfus* lib. III. cap. V. *De cæteris sæpe dubitavimus an ullum generis discrimen apud*

A *Æthiopas daretur, ob creberrimam generis Enallagen*. At vero *Æthiopum* Colonia *Ægyptii* quondam perhibentur. Itaque ut tandem isthæc ad propositum nostrum applicemus, secundum hanc rationem ex nomine *Adon*, ejusque præfixo articulo ד *Dei* regulariter, non uni genti, emergit *Diadon*, *De-adon*, per (:) h. e. *D-adon* דאדון. in quo ὦ μεγάλυ, & accentus in ultima syllaba vocis Δωδὼν, quoque ratio videtur latere. Ita ut si exprimendum foret *Oraculum, urbem*, esse *Adonis*, dicendum fuerit דאדון *De-adon*, ut de *Thebis* Διός πολις. & absolute *Veneris, Dianæ*, pro *Templo Ven.* &c. Aut *Jupiter qui-Adon*, ἐπεξηγητικῶς; sicut *Jupiter Belus*, *Jupiter*
B *Hammon* &c. per appositionem *Græcis*, quum nomen peregrinum suo *Jovi* conjungunt, ut hic Ζεὺς Δωδωναῖος. Cur A primæ syll. O sit pronuntiatum, causam statim prodemus.

§. V. Hæc autem nostra sive observatio, sive conjectura, præterquam quod ad ipsum, unde omnis manat notitia, fontem digitum intendat; Historiæ dictatis, & Grammaticæ congruat; suaque adeo se commendet simplicitate, quum non aliunde melius quam a Deo qui præest, & colitur, alicujus Religionis nomenclatura repetatur; haud parum insuper, sequentia si attendamus, fulcie-
C tur. 1.° Articulum ד, D aut די, DI, non raro in eandem compositionem, cum nominibus quibus præfigebatur, coalescere, ut hic אדון & ד Ex. c. 1. Ezræ IV. 9. דהוא *Debavè*, *qui fuit*. Nomen *Viri*, cum (:) E. rapidissimo, vix audiendo. hinc LXX. Δαυαῖοι. Deut. 1. 1. דיזהב *Dizababb* nomen loci, ab *auro* desumtum. דדן *Dedan*, Gen. X. VII. & XXV. II. *qui judicat*, ut exponunt doctissimi *Polyglottorum* Collectores, statuentes *gentem Æthiopicam*, &c. Quod 2.° antiquissimus *Molossorum* Rex, apud *Plutarchum in Theseo*, inde appelletur Αδωνεὺς, eodem nomine; quia primi gentium Reges fere pro Diis habiti, aut appellatione cum iis confusi, ob-
D viis exemplis. Prout hunc Αϊδωνέα in *Jovem*, sed inferum sive *Plutonem*, transformatum quoque ex *Plutarcho*, *Ausonio*, aliisque novimus. 3.° Quænam potior dabitur causa cur, *Hesychio* teste, Αδανία πρότερον ἡ Μολοσσία ἐκαλεῖτο, *Molossia primum* sit *Adania vocata*? 4.° Neque deterrere quemquam debet *Barbarum* hoc modo nomen in *Græcam* gentem, religionemque, inferri; sed multo magis in hac nostra expositione confirmare: quoniam hoc ipsum apud *Dodonen Herodotus* didicit *Pelasgos*, vetustissimos *Græciæ* incolas, & oraculi *Dodonæi* fundatores, teste *Hesiodo*, in fragmentis ab *Leone Allatio* editis, ... Δωδώνην, φηγόν τε Πελασγῶν ἕδρανον
E ἦκεν, initio *lingua* usos *Barbara*, Herodot. lib. I. cap. LVII. *Barbara* etiam nomina, & aliunde adscita, *Diis* suis imposuisse; & semel imposita constanter servasse. Quum prius nullo nomine Diis vota nuncuparunt. Ἔθυον δὲ πάντα πρότερον οἱ Πελασγοὶ θεοῖσι ἐπευχόμενοι, (ὡς ἐγὼ ἐν Δωδώνῃ οἶδα ἀκούσας) ἐπωνυμίην δ' οὔνομα ἐποιεῦντο οὐδενὶ αὐτέων, οὐ γὰρ ἀκηκόεσάν κω &c. *Pelasgi antea in Deorum invocatione, tum omnia immolabant, (quemadmodum ego apud Dodonam audiendo cognovi) tum nulli Deorum aut cognomen, aut nomen imponebant.*
F *Quippe quod nondum audissent*. Quid tum postea? Ἔπειτα δὲ χρόνου πολλοῦ διελθόντος ἐπύθοντο ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἀπιγμένα τὰ οὐνόματα τῶν θεῶν, &c. *Multo deinde progressu temporis Deorum nomina audiverunt ex Ægypto allata*. Iisque oraculum *Dodonæ* consulentibus εἰ ἀνέλωνται τὰ οὐνόματα, τὰ ἀπὸ Βαρβάρων ἥκοντα; ἀνεῖλε τὸ Μαντήϊον χρᾶσθαι. *Numquid Nomina quæ a Barbaris advenissent, adsciscerent? Oraculum redditum est, ut iis uterentur*. Quo satis intelligitur Oraculum e re sua respondisse, quod *barbaram* etiam suam Originem sciret; quare, absque eo, teneras *Græcorum* auriculas, horrisonis sæpe vocibus,

radi juſſiſſet? Ideo ne peculiare quidem *Dodonæo* eſt oraculo habere nomen peregrinum; alii etiam eandem ſortem ſubiiſſe videntur. Quid eſt *Danaus* Ægypto veniens, primusque *Argivorum* rex, niſi דנא *Dana*, Græcorum flexioni aptatum? ſignificans *Judicem*, quomodo ſupremum Magiſtratum antiqui homines vocitabant. Noti ſunt Pœnorum *Suffetes*, Iſraelitarum שופטים. unus filiorum *Jacobi* dictus דן *Dan, qui populum ſuum judicabit* Gen. XLIX. 16. Πυθὼν, & *Pythius* Apollo Eruditiorum conſenſu nomen habet a *Dracone*, ſic vocato; quod nemo recte aſſequetur niſi qui ad *Barbaram* Etymologiam ſe contulerit, ubi פתן *Serpentem* notat. Et plura id genus quæ ſileo prudens, quia eruderandis *Pelaſgæ* linguæ, ac monumentorum, reliquiis hanc operam non navamus.

§. VI. Removendus potius eſt ſcrupulus, ſed quem nemo Linguarum Orientalium peritus movebit, in noſtra hypotheſi non eaſdem ſervari *vocales*; in *Adon* primam ſyllabam ſonare A, in *Dodon* O. Non hic adferam quam facilis & conſueta multis caſibus ſit Vocalium permutatio; ſed jubebo tantum replicare *Hebraicæ* Linguæ rudimenta; ubi Cl. *Buxtorfius*, aliique monent Grammatici, *Kamets* efferri non per A clarum productumque, uti nos nunc quidem ſolemus, ſed *A obſcurum, & quaſi cum O mixtum*. Quod etiam plerique obſervant *Judæi*; addam *Syris*, aliisque, Hebræum *Kamets* planiſſime ut *Dſekopho* ſeu O perpetuo pronunciari. Et, ſi quis exempla deſideret, quo veritas iſta reddatur illuſtrior, non deſunt innumera, quæ *Hebræis* & *Phœnicibus* per A, aut aliam vocalem prolata, *Græci*, & LXX. interpretes tamen per O extulerunt, in Σοδὼμ, Γόμοῤῥα, Γοδολίας, Μολὸχ, Μοσὸχ, Σολομὼν &c. Αμανὸς, Numen *Perſiæ* apud *Strabonem* lib. XI. in MSS. monente *Caſaubono*, quoque legitur Ωμανὸς. Hoc in eodem fragmento, eademque Regione *Moloſſidis*, mons idem modo Τμάρος, modo Τόμαρος. Et, ſupra quod vel ipſe rigor nihil poſſet exigere, quando *Dodonæi* Oraculi inventrix *Ægyptia* fuit, Ægyptii eundem morem tenuere: מים *Maim Hebræis* eſt *Aqua*, *Ægyptiis* Μῶϋ. *Philo*, qui vixit *Alexandriæ*, de *vita Moſis* lib. II. Τὸ γὰρ ὕδωρ οἱ Αἰγύπτιοι Μῶϋ καλοῦσι, *namque Ægyptii aquam Mou appellant*. Unde *Targum* Jonath. Exod. II. eandem vocem מוי prudenter retinuit מוי דנהרא שחילתיה מן *ex*, MOI, *aqua fluvii eduxi eum*. Urbes Ægypti, *Sais* etiam *Sois*; *Memphis*, nunc *Maphe*, nunc *Momph*, apud Athanaſ. *Kircherum* vocatæ inveniuntur. Adeo ut nulla ſuperſit, hac quidem parte, difficultas quæ aliquem debeat aut poſſit morari.

CAP. II.

Dodone *an a* דודנים Dodanim? *Varia ejus lectio. an a* Dodone *fluvio? an a* דודה יונה, *an a* דוד *vel* דודא Lebes? *an a* Δω, Δω, *ejus ſono. Urbes a Diis, qui colebantur illic, nomen ſortitæ.* Dodonem *fluvium in* Moloſſide *non conſtat fuiſſe.* דודה *non eſt adject. fœm.* דוד *I. Sam. II. 14. a* LXX. *non vertitur* Lebes; *ille fuit in* columna *poſitus* Dodone. *At non inſtrumentum vaticinandi, ſed fagus. &c.*

§. I. EXPOSITIS iis quæ me ad ita ſentiendum de *Dodone* impulerunt, de quibus liberrimam *Græciæ* literatæ *Amphictyonibus* ſententiam non permitto ſolum, ſed peto; magnorum Virorum (quorum doctrina, nomenque nobis ſummo in pretio eſt) meritis hoc ſane debemus ut oſtendamus non temere, vel abſque cauſa, nos hic ab illorum inventis ſeceſſionem feciſſe. Triplex potiſſimum reperio apud Eruditos de hac re Opinionum genus. 1. Quidam hinc *Dodones* nomenclaturam repetunt, a *gente*, cujus poſſeſſio illud erat oraculum, quæ dicta fuerit Geneſ. X. 4. quondam דודנים *Dodanim*. Hoc ſuperiori ſeculo jam viſum eruditiſſimo, & optimo, *Peucero* de *Divinationibus pag.* 223. Aut a *Dodone fluvio*, uti *Herodianus*, ſeu Τεχνικὸς teſte *Stephano*, voluit. 2. Vel referunt ad *miniſtram mulierem*, quæ horum ſacrorum inventrix, quum συμβολικῶς Πέλεια *Columba* audiret a Dodonæis, admodum doctis viris allubeſcit *Dodonen* tanquam דודה יונה *Dodah Jonah*, *Columbam amabilem*, vel *columbam errantem* vocari. 3. Sunt denique qui propius ad ipſa Oraculi penetralia mentem advertentes, quia ibi *lebes ſonorus* fuit, Χαλκεῖον Δωδωναῖον toto orbe vel adagio celebratiſſimum, hinc quoque nomenclaturam cenſent deduci: ſive ab ipſo *lebete*, quia Hebr. דוד vel דודא 1. Sam. II. 14. per *Lebetem* a *Senioribus* & *Vulg.* redddatur. Sive jam a *ſono* quem ederet pulſatus: Δω, δω, quæ laudatiſſimi *Palmerii* ſententia eſt, at parum a Doctis laudata. In quibus ut ingenii laudem, doctrinæque copiam exoſculor lubens; ita, ſi modeſte animi ſenſa liceat promere, aliquid tamen deſidero ut rei, & rationi, ſatisfaciant. In cunctis id quidem, quod non a *Deo* ipſo, urbis & oraculi *Præſide*, ut rationi & mori magis conſentaneum, ſed aliunde, & a minoris momenti cauſa, denominationem *Dodones* arceſſant. Contra quam *Ægyptiis*, ut alios taceam, in more poſitum erat; ubi *Dioſpolis*, *Hermopolis*, *Heliopolis*, *Kunopolis*, *Lucopolis*, *Heracleopolis* &c. & multæ aliæ civitates a Præſidibus Diis nominabantur. Contra alterius Ægyptiæ mulieris, *Sororis* vatis *Dodoneæ*, exemplum; quæ in *Libya* nomen ſuo μαντείῳ non aliunde quam ab *Jove Hammone*, ibi culto, quæſivit. Quoniam, ſicut obſervavit ſupra *Herodotus*, εἰκὸς ἦν &c. *par erat*, quæ *Thebis Sacra Jovis obiiſſet*, *eo loci*, *ad quem venerat Ejus memoriam ſervare*. Quod ad ſingula, vix perſuadeor nomen *Dodones* a דודנים venire, etſi *ſonus* reſpondeat ſatis, qui ſic arbitrandi illecebra præcipue fuit. Nam & lectio incerta eſt vocabuli, & id ipſum vagum nimis foret, ac indeterminatum. Quod nunc legimus Gen. X. 4. דודנים *Dodanim* *Eſdras* olim, *expeditus* ille & Propheticus *Scriba*, 1. Chron. I. 7. nec ille tantum, ſed Pentateuchus *Samaritanus*, *Græci Seniores* &c. legebant רודנים *Rodanim*. Tum, ſi jam demus legendum *Dodanim*, plures ab iis populi, & coloniæ provenerunt, in ipſa quin imo *Gallia Lugdunum*, ſi maximo credimus Bocharto. Ut adeo hoc laxum ſit nimis, & communius quam ut ſecreto cuidam, in Epiri *Moloſſide*, angulo fuerit peculiare; præſertim angulo ubi horrida ſylva, & uliginoſæ paludes, cujuſmodi ſedes, in has regiones *Dodanim* primum immiſſi nequaquam, ſed arva plana, & prata ridentia dubio procul elegerunt. Qui *Dodonen* fluvium in *Epiro*, eumque Dodoneæ appellationis cauſam allegant, ſicuti Τεχνικὸς ille, Doctis creditus *Herodianus*, apud *Stephanum* hoc noſtro fragmento, meum ſane non difficulter ſuffragium ferrent, ſi revera & hoc flumen, & nominis antiquitatem, & ſitum non in *Epiro*, quæ latiſſime patet, ſed circa hujus Oraculi ſedem in *Moloſſide* ſatis probarent. Tralatitium eſt enim flumina & fontes oppidis, hominibus, imo Diis cognomen peperiſſe. Nec cauſa fuit cur aliam ego Etymologiam circumſpicere inſtitui, quam quod viderem homini Grammatico, & ἱστορίᾳ quadam, aut levitate forſan conſilii, niſi mendum ſubeſt, ad memorandum fluvium Δωδὼν compulſo Senatum Criticorum perparum hic fidei habere; dum *Strabo*, *Pauſanias*, *Mela* &c. ignorant & ſilent. Atque ipſe *Stephanus* dubitanter, non ex ſua ſententia, ſed *Technici* auctoritate memoravit. Quo factum ut doctiſſimi viri, de *Dodone* com-

mentantes, quidvis potius arripuerint, quam ut *Dodonem* fluvium ex *Utopia* in *Molottidem* transmitterent. Facilius nihilominus hoc crederem *Technico*, quam *Dodonem Hebraice* quasi דודה יונה *Dodah Jonah*, *Dilectam columbam* vocari. Cum Grammatica namque hæc originatio non facile in gratiam redibit. In constructione apud *Hebræos* ut norunt tyrones, *adjectivum*, quod hic præcedit, regulariter sequitur suum *substantivum*. Et דוד quidem *Dilectus* vertitur sæpe; verum ideo non *adjectivum* est, unde flecti possit דודה *dilecta*, quod nuspiam hoc sensu legitur. Sed nomen est (ut ajunt) *substantivum* formæ דור, אור, קול, סוף, בוש &c. & notat *Amor*. Cant. I. 2. 4. & 4. 10. *abstracte*, idque sæpe *numero* plurali, ad intendendam vim significationis adhibetur, ubi aliquis compellatur quem summo complectimur affectu, ut *Sponsa Sponsusque* se invicem in *Cantico Canticorum*. Quemadmodum Græcis Latinisque vulgatissimum ut ἔρως, *Amor*, pro dilectissimo ponatur. *Ignat*. ὁ Ἔρως μου ἐσταύρωται, *Virg*. Eclog. VII. *Nymphæ noster Amor Libethrides*. *Propert*. lib. III. Eleg. XVIII. *Atridæ magno cum stetit alter amor*. sic 1. Chron. XXVII. 4. דודי *Dodai*, *mei amores*, nomen est Viri. Unde tamen non licet *adjectivum* ex illo vocabulo formare, quod *amata* interpretaretur. דודה quidem ab eadem radice extuberat, sed aliud notat, *Amitam* scilicet Exod VI. 20. ac itidem *substantivum* est, ut a בוש est בושה Mich. VII. 10. *pudor*. a סוף *finis* סופה *tempestas*, *turbo*, Jes. XVII. 13. &c. quæ nemo sanus pro nominibus adjectivis aut capiet, aut adhibebit. Et quis tandem ita has Sacerdotes *Dodonæas* compellasset, *Dilecta* mea *columba*? Quod amatorium esse constat & ὑποκοριστικὸν Cant. V. 2. VI. 9. adeoque pessime sonare, atque accipi debuit a mulieribus viduitatem & castimoniam, specie saltem, rigide professis. Quo etiam hieroglyphicam hanc πελειῶν seu *Columbarum*, quæ ipsis data fuit, nomenclaturam pertinuisse postea docemus.

§. VII. Ita gradatim ad *Lebetem* sumus delati, quæ Hebr. דוד *Doud* sonet, ex qua meritissimi Viri *Dodonem* deducunt. Fatemur quidem hujusmodi χαλκεῖον *Lebetem* impositum columnæ ibi fuisse, & juxta, in simili columna, collocatam Statuam quæ flagelli verberibus, ad edendum sonum, ventorum ope aut Mechanices, eum pulsaret; Teste *Suida*, & aliis. *Καὶ ἀνδριὰς ἵστατο ἐν ὕψει ῥάβδον κατέχων, καὶ περὶ αὐτὸν λέβης ἵστατο, καὶ ἔπαιεν ὁ ἀνδριὰς τὸν λέβητα.* Etiamsi arguta sane, & elegans hæc sit cogitatio, nescio quomodo a me non impetrat assensum hisce de causis, de quibus peritus Lector judicabit. Vereor enim, ut aliis magis quam suis oculis crediderit Vir magnus, quum scripsit 1. Sam. *cap*. (non IV. sed) II. Commat. 14. Seniores, & veterem Interpretem דוד vel דודא *Dud* vel *Duda* per *Lebetem* reddidisse; quod huic substernitur opinioni fundamentum. Narratur ibi impudentissimum filiorum Eli sacrilegium, qui fuscinula tridente optimam Sacrificiorum partem sibi, ex vasis in quibus continebatur, velut Harpyiæ rapiebant. Vasa isthæc 1. Sam. II. 14. aliis 16. quatuor distinctis Nominibus, hoc ordine recensentur. כיור. דוד. פרור & קלחת. Quæ Seniores quomodo sint interpretati, vehementer incertum est. Mire enim in hoc versu *Editiones* variant: *Complutensis*, & eam secutæ habent tria vocabula quæ hisce respondebunt. *Καὶ καθίει αὐτὴν* (κρεάγραν) *ἐν τῷ λουτῆρι, ἢ εἰς τὴν χύτραν, ἢ εἰς τὸ χαλκεῖον*. *Sixtina*, ab *Morino* Edita *Parisiis* An. 1620. quam *Polyglotta* Lond. sequuntur, *καὶ ἐπάταξεν αὐτὴν εἰς τὸν λέβητα τὸν μέγαν, ἢ εἰς τὸ χαλκεῖον, ἢ εἰς τὴν χύτραν*. *Wecheliana*, a *F. Junio*, ni fallor, curata An. 1597. c. II. vers. 16. ejus Edit. loco καθίει aut ἐπάταξε exprimit *καὶ καθῆκεν αὐτὴν εἰς τὸν λέβητα τὸν μέγαν, ἢ εἰς τὸ χαλκεῖον, ἢ εἰς τὴν χύτραν*. Unde evidentissime patet, cum negligentius Græcos Interpretes hunc locum tractasse, qui quatuor verba Hebraica tantum tribus Græcis reddidere; tum pejus habitum a librariis, quam ut illi possimus inniti. Denique si quid inde concludi queat hoc totum illam expositionem convellere, neutiquam stabilire. In Complutensi Edit. nulla λέβητος mentio; in duabus reliquis *primo loco*, sic quidem ut ordine respondeat Hebraico כיור & non דוד quod *secundum* est vocabulum. Nec simpliciter ponitur λέβης, sed cum Epitheto ὁ μέγας. quo ipso capacissimum *labrum* aut *concha* intelligitur vocata כיור Exod. XXX. 18. ubi abluendi Sacerdotes, & victimæ; saltem ex mente eorum, qui hic λουτῆρα, Græce ut in Exodo est, transtulerunt. Ut λέβης hic loci τῷ כיור serie conveniat, nequaquam τῷ דוד quod videntur vertisse χαλκεῖον; quam vocem cur non potius, quam λέβης, hic in scenam doctissimi viri produxerint equidem ignoro, cum non minus, imo magis omnium ore celebretur *as* Dodonæum, quam *Lebes*; adeoque ad eam rem facere potius vocabulum χαλκεῖον; nisi quod *Kircheri* forte Concordantias, aut laboriosissimum *Castellum* absque examine secuti fuerunt. Quibus condonandum *in magno opere subrepere somnum*. At דוד *Doud* Hebræis proprie magis *Canistrum* aut *calathum* notat; uti *Seniores* Κάρταλλος, κάλαθος, κόφινος transtulere. Si tamen omnino Comma velimus ubi דוד λέβης ab iis vertitur, extat 2. Chron. XXXV. 13. hac mente, ut *ahenum* significet in quo *coquebatur*. Triplex itaque, si accurate distinguimus, 1. Sam. II. 14. quoad modum, aut temporis momenta, videtur describi rapinæ designatio. Ut filii Eli *fuscinulam immiserint* vel cum, post mactationem victimarum, frusta essent בכיור *in Concha* ad lotionem. Exod. XXIX. 17. 2 Chron. IV. 6. vel בדוד *in Calatho* aut sacra lance, qua portabantur; vel denique, potius quam ut rapaces manus abstinerent, בקלחת פרור & ex *lebete* & *olla*, adcoque mediis quasi flammis quibus jam coquebantur, prædam petivisse. Verum hæc leviora. Gravius est istud eos fere qui in hanc opinionem propendent, præ se ferre ac si *lebes Dodonæ*, ipse funderet Oracula; essetque *fatidicus*, palmariumque vaticiniorum instrumentum. Uti & *Nazianzenus* in *Julianum* scribens *Invect*. I. οὐκ ἔτι λέβης μαντεύεται, *non amplius Lebes vaticinatur*. Qui Error (salvo honore maximorum Virorum) mihi videtur manifestarius. Oraculum quippe non *Lebes*, sed Sacra *Quercus*, aut *Fagus* (quæ una ex quinque speciebus quercuum *Theocriti* Scholiasti ad Idyll. nonum recensitis) edebat. Id infinita scriptorum, & testium, seges comprobat, qui uno ore, atque agmine *Jovis* responsa a *Quercu*, non a *Lebete* data pronuntiaverunt. Vatum Pater *Homerus* Odyss. XIX. canit:

> Ἐκ ΔΡΥΟΣ ὑψικόμοιο Διός βουλὴν ὑπακοῦσαι.
> *Ex QUERCU sublimibus comis Jovis consilium audire*.

Sophocles hinc δρῦν πολύγλωσσον λέγει, *Quercum* dicit *multilinguem*, teste *Eustath*. Quid si eam ob causam, quod non una Dialecto, ut *Amphiarai*, apud *Plutarc. de Def. Orac.* consulentibus ederet responsa? aut *sonante arbore*, folia quasi *linguarum*, ut speciem, ita usum referrent? *Pausanias* in Achaic. dicit: τὰ ἐκ τῆς δρυὸς μαντεύματα. *Oracula Quercus*. *Suidas*. Ἵστατο Δρῦς ἐν ᾗ Μαντεῖον ἦν. *Stabat Quercus, in qua erat Oraculum*. Et, εἰσιόντων τῶν μαντευομένων ἐκινεῖτο δῆθεν ἡ Δρῦς ἠχοῦσα, *Ingrediendibus autẽ illis qui Oraculum consulebant*, MOVEBATUR IPSA QUERCUS RESONANS. Qua arte id fieri forte potuerit suo loco inquiremus. *Etymol. magn.* ἐμαντεύετο ἐν τῇ δρυΐ *vaticiniũ petebat in quercu*, &c. Inde *Lycophron* in *Alexandra* v. 1319. navim Ar-

γῶ

γὼ λάληθρον *loquacem* indigetat, ὅτι ἡ τροπὶς αὐτῆς A ἐκ τῆς Δωδωναίας δρυὸς ἦν, ut bene Scholiastes exponit. Mitto cæteros. Una ergo, & singularis Sylvæ quercus huic ministerio perhibetur deputata *Aristoteli*, *Straboni*, *Philostrato*, *Suidæ* &c. cui etiam insederat illa πέλεια, cum condendum hic Oraculum *fraude Pelasga*, quasi cœlitus jussa, admoneret.

§. IV. At dicat aliquis forte, *Quercum* vaticinatam se ultro fateri, at id non impedire quo minus idem fecerit *lebes*, ut hæc *Gregor. Nazianz.* copulavit, *l. c.* Οὐκέτι φθέγγεται Δρῦς, οὐκ ἔτι λέβης μαντεύεται. Cui in promptu respondere est: de *Lebete* id antiquos, & classicos auctores non testari, de *Quercu* centies. Tum iste *Lebes* Oraculo B nostro, hinc & nomine *Dodones*, multum ætate fuit inferior. Utpote ἀνάθημα Κορκυραίων, *Donarium Corcyræorum*. Teste *Strabone* in Excerptis lib. VII. Extitit ergo dudum ante *Lebetem* Μαντεῖον; nec *Corcyræi* Oraculum, puto, dabant, sed pro benigno Oraculi responso venerationis, & grati animi, insignia hunc *Lebetem*, quæque eo pertinent, dedicaverunt. Prout solent hujusmodi Fanorum Ornamenta in dies mutari, & augeri. Et res ipsa clamat, adeo ut mirandum accidat Summos Viros hanc mentem induere potuisse. Quid enim? an ulli ignotum est quod iste *Lebes flagello* vicinæ C *imaginis* (cujus rei tota descriptio est apud Strabonem l. c.) spirante vento percussus συνεχῶς *continuo* sonaret? *Menander*, apud *Stephanum* hoc in Fragmento, Δωδωναῖον χαλκεῖον λέγουσιν ἠχεῖν, ἂν παρήψαθ' ὁ παριὼν τὴν ἡμέραν ὅλην. *Æs Dodonæum dicunt sonare totum diem, si quis transiens illud tetigerit*. *Callimachus* Hymno in *Delum* vers. 286. ejus meminit, epitheto ἀσιγήτοιο λέβητος, *Lebetis silere nescii*; & docet satis tritissimum Adagium quod inde manavit. Jam, amabo, tecum reputa, erudite Lector, an hujusmodi inanis, ac perpetua garrulitas & genio quadret, & auctoritati μαντείῳ, Sapientis est paucis multa dicere. Imperatoriæ Ma- D jestati, tanto magis divinæ, convenit brevitas. Sapientissimus *Salomon* acturis apud Deum *pauca verba* commendat Eccles. v. 1. Gnaviter id Diabolus, Dei Simia, etiam est imitatus. *Philostratus Vit. Apollonii* lib. VI. *ipse nosti, qui ab oraculo aliquid poscit, brevi admodum oratione quid poscat, exponit*. Brevi itidem sermone, qui faciebat magis ad dignitatem, & expositionem ambiguam, ὁ Λοξίας sua voluit verba admetiri. Quæ praxis quam sit ab illo *perpetuo* & strepente hujus ἀσιγήτου *Lebetis* tinnitu diversa, imo contraria, me etiam tacente, quivis intelligit. Flantibus ventis *perpetim* Lebes sonabat. Libens hic ego rogave- E ro an itaque perpetim erant consultores? aut temere, & in vanum divinam hanc vocem, sive quis esset, sive non esset Rogator, profudit? quo nihil ineptius, aut ad Oraculi contemtum potuit magis spectare. Quanto prudentius de *quercu*, verissime μαντείῳ, *Suidas* observat, non, nisi *ingredientibus qui consulebant, resonuisse*. Hæc igitur infinita loquacitas χαλκείου causam *Proverbio* præbuit, ut de *homine inepto*, & *Rabula*; pro *muliere garrula*, festive dicatur *Æs Dodonæum*, quemadmodum pueris notum est; & in eo novum ite- F rum argumentum, hunc *Lebetem* sonantem genuinum χρηστήριον proprie non fuisse. Quid enim? cum hoc jaciatur in opprobrium, adeone stulti vel impii Græci Scriptores cuipiam existimabuntur, ut Instrumento Oraculi reddendi ejusque Sanctitate, quando id ipsum iis maxima esset in veneratione, ad jocos, convitia, & contumeliam quotidie tamen & palam abuterentur? honoratissimum esset Oraculum, & sacrum ejus nomen ad futiles nihilominus & *Battos* designandum a Viris gravibus adhiberetur? Quemadmodum in Histrionia, & ab Circulatoribus, ludicra quædam solent præmitti; arti quam profitentur haud plane dissimilia, ut Spectatorum animos expectatione detineant, ita mihi fit verisimile ad hoc *Lebetem*, nullo hominum manus admovente, *sonantem* positum fuisse *Dodonæ*, atque comparatum, ut gustus quasi daretur consulentibus, & specimen quo viso citius certiusque τῇ Δρυΐ, mirabiliter quoque ἠχούσῃ, admissi in secretiorem Templi locum, aures, animum, credulitatemque commodarent.

§. V. Quod si ne ab ipso quidem *Lebete Dodones* Nomen descendit, eadem opera evidentissimum erit ab sonitu Δω, δω quem fingitur tinniendo efformasse, adhuc multo minus derivandum videri. Nam, præterquam quod ejusmodi soni, & syllabarum imitamina, ludentium sint fere, & captantium cachinnos; atque adeo *scenæ* magis, quam *Sacerdotibus* tribuenda, qui religionis & reverentiæ auctoramentum, non risus quærunt; quis dixit Nobilissimo Viro *Lebetis* pulsati strepitum has literas Δω, δω expressisse? inarticulatum Pelvis alicujus fragorem quivis in alias vocales, & syllabas accipere potest, & frangere pro lubitu. Nos, nunc certe, aliter eum adumbramus. Quo magis in repetito tali Coccysmo nihil est suavitatis, & gratiæ; Cum tamen nos *Suidas* docuerit, quod ex illo *Lebete* ἦχός τις ἐναρμόνιος ἀπετελεῖτο, *Harmonicus aliquis sonus formaretur*. Quem longe alio modo, aliisque syllabis veteres, v. gr. Θρεττανελὸ *Thret-tane-lo* apud *Aristoph.* in *Pluto* aliisque similibus tonis, nequaquam hoc uno, & incondito Δω, δω repræsentarunt.

CAP. III.

Jupiter Βωδωναῖος. Βωδώνη *civitas ubi sita, in Thessalia an Perrhæbia? autorum dubitatio. Est eadem cum* Dodone. *Videtur componi ex* בי Domus *&* ארון Dominus. *Multæ urbes olim dictæ* Domus *hujus, aut illius Divinitatis, etiam* Thebæ Ægyptiæ, *&c.*

§. I. INNOTUIT ex iis quæ hactenus sunt disputata, spero, aliquantulum, meam de *Dodones* Etymo atque origine suspicionem, cum rei, tum historiæ, non omnium pessime quadrare, quando per se quidem & seorsim hoc nomen spectatur. Placet nunc experiri num aliis, quæ plura ad *Dodonem* attinentia hoc in Fragmento supersunt, obscurissimis nominibus, vocibusque, claritatis aliquid vel adjumenti, eadem via, possimus adferre. Quemadmodum enim Naturæ Mystis tale mundi Systema optimum habetur, ex quo non hoc, aut illud, sed cuncta *Phænomena* rite queunt explicari; sic ea in solvendis Scriptorum nodis, & expediendis Literarum ænigmatis methodus præferenda merito videtur quæ non uni tantum *Dubio*, verum omnibus circumstantiis satisfacit, & ad reliquas, quæ cohærent, difficultates si non plane levandas, minuendas tamen, portam aperit latiorem. Exploremus itaque an longius nostræ hypotheseos sese extendat utilitas. Invenitur hoc Fragmento paulo post initium Τὸν δὲ Δωδωναῖον ἔλεγον καὶ ναῖον. Quam vocem ναιον tanquam capite diminutam Eruditi restituunt ex sequentibus Βωδωναῖον. *Dodonæum* (Jovem) *quoque dixerunt Bodonæum*. Deinde, Πόλιν εἶναι Βωδώνην ὅπου τιμᾶται, *Bodonem urbem esse ubi* (Jupiter) *colitur*. Magnopere optarem doctissimi explanatores aliquanto uberius declaravissent, quid hoc sit Nominis Βωδώνη? quæ civitas? quibus cognita, aut habitata? namque aut silent, aut sitim excitant magis, quam restinguunt; & ipse hic ita defungitur ὁ Ἐθνογράφος, ut quæ apud alios reperit

dicat; quid sit reapse dicere non habeat. Quare tanto paratior mihi debebit esse venia, in densissimis palpanti tenebris, si a janua etiam aliquatenus subinde aberrem. Primo quidem scriptura temeranda non videtur. Differentia inter Βωδώνη & Δωδώνη haud est ab errantis librarii, sed ipsius *Stephani* manu. Invenit apud Priscos auctores, Βωδώνην ante, in propria vocum serie τοῦ B. agnoscens collocavit, *Apollodorum* aliosque qui hujus meminerint testes appellans. Immo ubi φηγωναῖον Δία apud *Suidam* exaratum, *alii*, inquit, velut melius substituunt, Βωδωναῖον. Inficiandum igitur non est quod olim fuerit civitas Βωδώνη nominata. Verum ubi locorum, gentiumve invenienda, sic definiunt ut decet incertissimos. *Apollodorus* credit πόλιν Περραιβικὴν *urbem Perrhæbicam*. *Stephanus* autem eum castigans *Thessalicam*: Οἱ δὲ ὀρθῶς Θετταλίας. *Verum alii recte Thessaliæ adscribunt*. At nimium ego vereor, *Bodonem* Thessaliæ ex eadem officina, qua altera quoque orta est *Dodone* in *Thessalia*, procusam; æstuantis videlicet *Grammatici*, aut interpretis alicujus, commento. *Thessaliæ Dodonem* jam diu Doctiores proscripserunt. Vellem ego, si per Criticorum suffragia liceret, itidem *Bodonen*. Quis namque Veterum Geographorum in illa regione Βωδώνην posuit, aut agnovit? cur *Stephanus* tot loca de *Dodone Epiri* aut *Molottidis* congerens, qui *Bodonen Thessalicam*, non Grammaticus exponat, sed Auctor memoret, ne unum quidem nominavit? Idoneum non habuit, Nec potest causari aliquis obscuram, & ideo tacitam fuisse. Qui enim istud? cum tota *Thessaliæ* regio, *Achillis* Patria, notissima fuerit antiquis, Historicorum non modo Commentariis, sed Poetarum quoque studiis decantatissima. quomodo tacita, quam idem nobilissimæ *Dodones* Deus incoluit; ubi omnium votis, & pari religionis concursu, ac laudum sanctimonia Jupiter *Bodonæus* in dies celebrabatur?

§. II. Dicam quod res est. Βωδώνη & Δωδώνη quemadmodum ejusdem *Jovis* habitaculum, sic *loci* plane ejusdem nomina, diversa tantum nomenclatione, diversam ob causam imposita, quoque fuerunt; quo factum ut *Apollodorus* non male mea sententia, dixerit Βωδώνη, πόλις Περραιβική, *Bodone, urbs Perrhæbica*, secundum eandem mentem qua nostram *Dodonem Philoxenus*, alii, at minus accurate *Perrhæbis* vindicarunt. Hæc veritas aliorum jam Doctorum se oculis, calamoque ingessit. Sed quæ hujus instituti ratio, aut vocabuli sensus, qui panderet, non inveni. Ex nostra tamen Hypothesi tenue lucis vestigium videtur emicare. Βωδώνη scilicet mihi est *Domus Adonis*. Quod rei & loco optime convenire nemo negabit; imo & *Stephano*, ex *Simmia Rhodio* hunc versum laudanti:

> Ζηνὸς ΕΔΟΣ Κρονίδαο μάκαιρ' ὑπεδέξατο Δωδώ
> *Jovis Saturnii SEDEM beata DODO suscepit.*

Ostendendum modo est quod sic consuetudo, & Analogia, recte observentur. Veteribus nempe usitatissimum fuit loca, Regiones, Civitates insignire nominibus, quæ eas hujus aut illius *Divinitatis, Domum* aut *Sedem* esse significarent. Hinc ex voce בית *Beth*, & *Dei*, aut *rei* cujuscunque nomine proprio concretis, innumeras urbibus appellationes indiderunt. *Bethel, Beth-Dagon, Beth-pebor*, & *Bethsemes*, quod Græce notat Ἡλιόπολις; quæque per *Canaanitidem, Phœniciam*, vicinasque terras plura loquacem

> *Delassare valent Fabium.*

Idem *Ægyptios* fecisse multis exemplis jam ante cap. II. §. I. laudatis, quibus addi possent alia, est comprobatum. Imo, quod vehementer huc facit, ipsas *Thebas*, secundum LXX. & Celeb. *Bochartum*, *Phaleg* lib. I. cap. I. unde *Dodonæi Dux fœmina fa-*
cti oriunda erat, ita solebant appellare. נוא-אמון Nahum. 3. 8. vel נוא-המון Ezech. 30. 15. hoc est *sedem, mansionem, urbem Ammonis*, vel *Hammonis*. Frequentius tamen simpliciter *No* נוא Ezech. XXX. 14. 16. &c. quod Hebraice est נוה *Nave, habitaculum*, per excellentiam quia maxima; *Jovis* & Imperii sedes. Unde *Græci* Ἄστυ, *Romani urbs*, de primaria Reipublicæ Metropoli, per ἀντονομασίαν imitando videntur usurpasse. Quid magis itaque vero simile quam *Ægyptiam* Sacerdotem vel ejus asseclas, *Pelasgosve* more patrio novam *Osiris-Adonis* in *Molottide* mansionem, pari modo Βωδώνην, id est, ut ego interpretor, *Adonis mansionem* aut *sedem* appellasse? Atque in eo, reor, nullus inveniret difficultatem, si modo Βωδώνης vocabulum eam compositionem, sensumque admittere, facili ratione possit monstrari. Hoc nunc agamus. בית Beth *Domus, mansio* multis nominibus præfigi ante satis est dictum. Observandum est autem, *Chaldæos, Cananæos, Syros*, in statu in primis constructo aut compositione non plenarie בית *Beth*, sed בי *Be* pronunciare. prout ultimis sæpe literis, ubi duriuscule sonant, omissis ad gratiorem elocutionem, aut alias ob causas, multæ gentes, & *Galli* hodieque, ut ait *Satyricus*

> - - - *Tenero supplantant verba palato.*

Ejus commatis est בי *Be* pro בית *Beth*, quod in *Chald. Paraphrasi, Talmude*, alibi, sæpissime invenire est. Omnium vero maxime tunc ת. solet elidi quando ejusdem organi litera ד. D. aut ת. T. proxime subsequitur; quia molestum est, & nisum quendam loquentis requirit duabus continuis syllabis literas hujusmodi homogeneas proferre. Qui mihi minus credet, audiat versatissimum in hisce *Ligtfootum Cent. Chorogr. in Math.* cap. LII. de urbe *Bitter*, quam funestissima Judæorum clades nobilitavit: בית-תר *Beth-Tar*, & NB. *abjecto* ת. *T. primo, quod in voce* בית *domus est usitatissimum*.

§. III. Vadimonio tali constituto, non nimium nobis, credo, sumemus dicentes בי-אדון *Be-Adon* notare *Domum, Templum Adonis*. Quod in ea Civitate, aut potius subjecto Nemore, *Adonis* Oraculi, & honoris, sui *Sedem* firmasset. Componendi ratio nihil insolens habet, Judice *Ligtfooto*; fidemque facientibus exemplis: בי-תר *Betar Domus inquisitoris*. Vulgo *Bitter*. בי-רבנן *Be-Rabbanan, Schola Doctorum, Talm. Megilla* fol. 28. 2. בי-אבידן *Be-Abidan, Talm.* in *Abodah Sarah* fol. 17. 2. לא אתית לבי אבידן א"ל ומאי טעמא *rogarunt eum*, (Rabbi *Eliezerum* Gentiles,) *cur non venis in Beabidan*? Quid est vero *Beabidan*, ut hunc locum ἐν παρόδῳ illustrem? exponunt quidem *Glossæ*, & Celeberr. *Ligtfootus* in *Epist. ad Corinth.* cap. XVI. 19. *est Domus* vel fanum, *ubi*... *Sacrificant Idolo*. Quod vero illud idolum sit non dicunt, sed *alio sensu occurrere* in *Talm. Sabbath* fol. 116. pro *Bibliotheca* quasi, vel loco ubi *Libri* asservantur מינים *Hæreticorum*, id est, Christianorum, & *contra Judæos disputatur*. Sed sicut ego quidem existimo ביא בידן nec proprie *Domum Idoli* alicujus, nec *Disputationis* notat, aut *Librorum sensu alio*. Hæc omnia enim a notatione vocis sunt aliena. Sed *Be-abidan* significat *Domus perditionis* ex בי & Hebr. אבדן *Ps.* LXXXVIII. 12. aut *Chald.* אבדן *Jer.* XII. 17. & hunc titulum, *eodem sensu*, & animo male precandi, locis tribuunt cunctis, sive sit Templum Idoli, sive Lyceum, ubi libri & Disputationes, sive aliud quodcunque quod illorum modo perfidiæ est inimicum. Verum redeamus in viam. At ne quis cavilletur hæc esse *Talmudica* & recentioris ævi, age ex Sacra antiquitatis Historia unum alterumque in casu simillimo addamus. Jos. XXI. 27. בעשתרה *B'estara* est *Domus Astartes* notissimi Idoli. Quamobrem Syrus simpliciter habet ܒܥܫܬܪܘܬ *Et Astaroth.* Domo Idoli,

ipſoque Idolo, eodem ſignatis vocabulo; ut *Græcis* ἕδος & *Sedem* imaginis, & ipſam *imaginem* complectitur. *Jer.* XLVIII. 23. legimus בית מעון *Beth-Mahon. Joſ.* XIII. 17. plene *Beth-Baal-Mahon*. At vero *Num.* XXXII. 3. contrahitur in בעון *Be-hon* pro *Be-Mahon*, *Domo* Idoli aut Baal *Mahon*. Tandem, ne Lectori multitudo exemplorum faſtidium pariat, finio, ſi unum tantum ex Græca *Etymologici Magni* penu tanquam coronidem adjecero: Βηπάγων, inquit, ὁ Κρόνος ὑπὸ φοινίκων. *Betagon Saturnus apud Phœnices*; quouſque id verum, nec ne ſit, nunc quidem non diſquiro. Hoc extra diſputationis aleam eſt Βη-πάγων referre בי-דגון *Be-Dagon; Domus Dagon*, quod *Phœnicum* Numen celeberrimum. Vide 1. *Maccab.* x. 83. & XI. 4. poſt tantam geminæ compoſitionis Nominum ſegetem æquus mihi Lector igitur permittet putare אדון בי *Be-adon* ſimili ratione *Domum* eſſe, *templum*, & *mãſionem Adonis*, ut *Be-aſtara*, *Be-on*, *Be-Dagon*, &c.

§. IV. Atque ita hactenus ſpiſſa involutum caligine nomen apud *Stephanum* Βώδων, & Græca terminatione Βωδώνη, ut Δώδων, Δωδώνη, iſthinc pro virili illuſtravi. Neque expecto ut quis hic iterum nobis negotium faceſſat de differentia vocalium A. & O. in *Be-adon* & Βωδώνη; cui jam fecimus ſatis *cap.* I. verſ. 5. §. 6.

§. V. Et nihil ſcit in Linguis Orientalibus qui ignorat facillime unam vocalem alterius vicem ſubire, cujus rei teſtium nubes ad manum eſt. Capiamus Marci III. 17. ubi Servator *Jacobum* & *Johannem filios Tonitrus*, (alludens forſan Job XXXIX. 28.) dignatur vocare. Quam diverſo, pro linguarum varietate, id ſono effertur! *Hebraice* eſt בני רעם *Bene-Rabam*. *Hieronymus Latine* adumbravit, ſua ætate, *Bane-Reem*. *Syrus* ܒܢܝ ܪܓܫܐ *Benai-Rangmo*: ac O, quod nuſpiam eſt, *Græci* interſerunt & ſcribunt Βοανεργές. Sed longius digredi ab exemplis quæ præ manibus habemus, non libet: quod *Behon* habuimus Num. XXXII. 3. *Samaritanus* legit *Boan*. Quod *Joſuæ* XXI. 27. *Be-ſtarah*. LXX. Βοσόρα. Vulg. *Boſra*. & in ipſo Nomine noſtro *Adon*, *Pœnus* ſalutans, apud *Plautum* in *Pœn.* Act. v. Sc. 2. *Avo-donni* effert id, quod Hebr. eſt חוה אדוני *Have-Adoni vivas Domine mi*. Hæc *ſalutandi* erat olim *formula*. *Dan.* II. 4. & III. 9. Juvenalis *Sat.* VIII.

—— *Vivas, & originis hujus*
Gaudia longa feras.

חוה eſt *vive*, veteres enim dixerunt חוה & חיה *vixit*, ut הוה & היה *fuit*. Inde *ave*, *have*, ſalutantibus uſurpatum, plane eſt *Hebraicum* quemadmodum ingenioſiſſime jam magnus Scaliger obſervavit. Qui iſta ad animum revocat neutiquam mirabitur ſi *Be-Adon*, antiqui etiam *Pelaſgi* effati quandoque fuerint Βωδώνη. Explicationi huic non leve pondus accederet, ſi vir Clariſs. hujus Fragmenti primus editor, translationem dediſſet genuinam horum verborum, Τὸν δὲ Δωδωναῖον ἔλεγον καὶ ... ναῖον, quod ſupplent Βωδωναῖον. Ille autem vertit: *Dixerunt quoque* TEMPLUM *Dodonæum*. Si id eſſet probum, gauderet noſtra Βωδώνης expoſitio ipſo *Stephano* conſentiente, vel auctore. Sed humani quid paſſus eſt vir doctus; abeunt ab eo, nec immerito, reliqui Interpretes & Commentatores. Ac paulo firmiore ni fallor tibicine ſubnixa eſt hæc noſtra opinio, quam ut tam fragili paxillo ſuſpendamus.

CAP. IV.

Sacerdotes primariæ *Dodones* fœminæ. *dictæ* πέλειαι μέλαιναι Columbæ nigræ. *Quod ſi ſimpliciter capiatur Straboni fabula. Ergo figurate: unde illa metaphora? Servius ex Homonymia derivat*. Πέλειαι *notat* columbæ *&* vates. *Qua lingua oſtenditur*. 5. *Columbarum ſpecies*. פליא *probatur eſſe* οἰνὰς *ex Talmude*. *Et nigri coloris*. *an* πέλεια *a nomine primæ inventricis? melius ab Ægyptiorum Hieroglyphicis, ubi Columba Symbolum cælibis & caſtæ mulieris*. *Herodoti ratio rejecta*. *Cur Nigræ? Ægypti terra nigra*. *Nilus* שיחור. *Conjectura de Oraculi modo*. *Reſponſum memorabile de Deo*.

§. I. VIDIMUS de *Oraculo*. Nunc alienum non erit aut indignum, ut ejus *Sacerdotes* paulo propius contemplemur; quæ tantum ingenio, atque fallendi artibus valuerunt, ut Græciam non modo, ſed orbem univerſum ſui nominis fama, & veneratione Reſponſorum impleverint. Non dubitandum eſt, quin uti prima inventrix, ita primariæ & ſuccedentes in hoc munere miniſtræ fuerint *fœminæ*. Id ex *Herodoto*, *Strabone*, *Pauſania* &c. notum. Et quidem ordinario *tres* numero. Strabo lib. VIII. quemadmodum etiam *Herodotus*, *Dodonen* inviſens, tres ἱρηΐας ſuo tempore invenit. Quarum nomina etiam poſteritati tranſmiſit, lib. II. cap. LV. Τῶν τῇ πρεσβυτάτῃ οὔνομα ἦν Προμένεια, τῇ δὲ μετ᾽ αὐτὴν Τιμαρέτη, τῇ δὲ νεωτάτῃ Νικάνδρη. *Quarum antiquiſſimæ nomen erat* Promeneæ, *proximæ* Timaretæ, *minimæ natu* Nicandræ. Eum quippe ſexum variis, neque ignotis de cauſis, Diabolus ad fucum & fallacias, ſeducendo hominum generi commodiſſimum ſemper reputavit. Vocabantur hæ, Πέλειαι. *Pauſanias* lib. x. in *Phocicis*: Αἱ Πέλειαι παρὰ Δωδωναίοις ἐμαντεύσαντο. *Peleæ apud Dodonæos vaticinabantur*; ad imitationem videlicet ſuæ Auctoris. Ita enim *Dodonæorum* Antiſtites narrabant: Δύο πελειάδας μελαίνας ἐκ Θηβέων τῶν Αἰγυπτιέων ἀναπταμένας, τὴν μὲν αὐτέων ἐς Λιβύην, τὴν δὲ παρὰ σφέας ἀπικέσθαι. *Geminas Thebis Ægyptiis* COLUMBAS NIGRAS *advolaviſſe, unam quidem in Lybiam, alteram ad ipſos veniſſe*. Atque ibi ἱζομένην δὲ μιν ἐπὶ φηγὸν αὐδάξασθαι φωνῇ ἀνθρωπηΐῃ ὡς χρεὸν εἴη μαντήϊον αὐτόθι Διὸς γενέσθαι. *Inſidentem fago, humana voce elocutam eo loci* Jovis *Oraculum condi debere*. Quamobrem vero hæ *vates* COLUMBÆ audierint, & NIGRÆ, quoque modo vel Impoſtura effecerint, ut homines crederent ab arbore *Fago*, aut *Quercu* divina fundi oracula exponi meretur. Si enim hæc ſimpliciter atque ad literam capias, in cenſum ſtultiſſimarum fabularum cum *Strabone* erunt referenda, lib. VII. de Epiro: Τὰ περὶ τῆς Δρυὸς καὶ τῶν πελειῶν μυθευόμενα. *De quercu & columbis*, ſunt, *conficta*. Et res ipſa teſtatur. Humanam enim vocem naturales *Columbæ* ſonare, vel ſimulare non poſſunt.

§. II. Arcanus itaque ſenſus ſubeſt, quem Doctiſſimi Viri poſt *Servium* Grammaticum, ab *homonymia* derivant vocabuli. Qui ad verſum 13. Eclog. IX. Virgil.

Chaonias dicunt aquila veniente columbas.

Ita commentatur: *Chaonias*, id eſt, *Epiroticas, nam in Epiro dicitur nemus fuiſſe, in quo reſponſa dabant columbæ, quod ideo fingitur, quia lingua Theſſala* Peliades, *&* Columbæ *&* Vaticinatrices *vocantur*. Hoc docti paſſim laudant atque ſequuntur. Verum nec *Servius*, nec illi, neque ὁ πολυμαθέστατος Belgii *Varro J. Ger. Voſſius* quidem, de Idololat. *lib.* I. *c.* 7. pandit, qua ratione id verum reperiatur. Ubi iterum nobis ad linguam *Barbaram*, quam initio *Pelaſgi* loquebantur, populumque eundum eſt, unde *Græci* ſuas *literas*, & cum literis Doctrinam multosque mores, accepere. Ex ea conſtabit פליא ſignificare & aviculam ex genere *columbarum*, aut ſupparem; & *mulierem*, non quidem diſtricte *Vatem*, ſed per circumlocutionem, ac μετωνυμικῶς. פלייה vel פליא primo notare avem,

Columbæ similem, docemur ex *Talmud. Massech. Sabbath.* cap. 9. fol. 90. verſ. & Rabbi *Nathan* in Lexico eruditiſſimo *Aruch:* rogant כיאדי מאי צפורה כרמים אמר רב פליא *Quænam eſt avis vinearum ?* reſpondit Rab *Pelias fera* vel *agreſtis*. Illam vero ad genus *Columbarum* ſpectare, docet aperte notata ejus proprietas, quod *avis ſit vinearum*, id eſt, οἰνὰς; una ex ſpeciebus quas quinque enumerat *Ariſtoteles*, & ex eo *Athenæus* lib. IX. Περιστερῶν μὲν εἶναι ἓν γένος, εἴδη δὲ πέντε· περιστερά, ΟΙΝΑΣ, φὰψ, φάσσα, τρυγών. *Unum columbarum genus eſſe, ſpecies vero quinque: Columba OINAS, Phaps, Phaſſa, turtur*. Οἰνὰς Græce a *vino* vel *vinea* derivari indubium eſt; ſive jam a *colore*, ſive quod tantum appareat tempore vindemiæ, ſive alia de cauſa ita vocetur. Pollux certe accuratiſſimus verborum arbiter lib. IV. cap. III. in earum vocum ponit cenſu, quæ ἀπὸ τοῦ οἴνου dicuntur; exponitque οἰνίας δὲ καὶ οἰνὰς ἡ ἀγρία περιστερά. *Oinias* & *Oinas eſt agreſtis columba*. Plane ut ſupra Rabbi explicavit. *Syri* ut animi ſui ſenſa clarius monſtrarent nomen *Carmiounna* ܟܪܡܝܘܢܐ, ex ܟܪܡܐ *vinea*, & ܝܘܢܐ *columba* compoſitum, ei fecerunt. Sic patet quo modo, quoque *reſpectu* פליא ſit Columba. Nunc פליה ſimul eſt participium *Pebil*, aut verbale a פלה *Chald.* פלי quod *ſeparare a communi more*, & *vita*, & *naturæ* legibus ſejungere ſignificat. Unde in Niphal נפלא eſt *mirabilem* eſſe. Quod optime quadrat hujuſmodi fœminis fatidicis, quæ ſede, ritibus, vivendi inſtituto & arte divinandi a reliquis diſcrepantes ita ſibi admirationem conciliabant, quod *viduarum* inſtar μεμονωμένας ut Apoſt. loquitur 1. Tim. v. 5. cælibes vitam ab omni virorum contagio *ſeparatam* degebant, aut degere volebant videri. Quod vitæ genus cum ſolæ *Sacerdotes* Vateſque contra communem mulierum, Græcarum præcipue, indolem ſectarentur, factum videtur ut vox iſta פליא *metonymia adjuncti* vatem quoque ſignaret, & ita poſſit defendi *Servius*; ſic apud Judæos a *Separando* Pharizæi; & Chriſtiani quoſdam Ἀναχωρητὰς vocarunt.

§. III. Verum ut ut non male iſta ſe habeant, ſuſpicor nihilominus aliud huic nomini, quam ſterilem *Homonymiam*, cauſam dediſſe: hæc apta quidem eſt jocis; apud vulgus, aut exiguo tempore cuipiam forte cognomen imponet, ſed quod in re ſacra, ubi gravitas atque modeſtia regnare debent, Viri ſapientes tam lubrico & inani fundamento perennem, & ad ſera tranſmittendum tempora, titulum venerandis Vatibus aut indiderint ipſi, aut ab aliis inditum recipere voluerint Sacerdotes, neſcio an ſatis ex dignitate illarum ſtatuatur. Duplex mihi, & potior ratio cogitanti ſuccurrit: Fieri potuit ut princeps hujus ordinis Sacerdos, *Ægyptia* illa mulier, nomen aliquod habuerit quod *Columbam*, aut ſimilem avem ſignificaret. Ægyptiarum hoc etenim mulierum uſitatum nomen fuiſſe diſcimus ex *Tzetzæ Chiliad.* VI. ubi memorat quænam *Cleopatræ*, Ægypti reginæ, dexterrimæ fuerint in ordinandis capillis ancillæ,

Τῇ Κλεοπάτρῃ τῇ σοφῇ τῇ καὶ ὡραιοτάτῃ....
Πρὸς ἐπιμέλειαν τριχῶν καὶ τῶν ὀνύχων ἦσαν
Χαρμιοῦνω &c.
Cleopatræ ſapienti & formoſiſſimæ....
Ad curam capillorum & unguium erant
CHARMIOUNO &c.

quod eſſe Syriacum ܟܪܡܝܘܢܐ (§.II. allatum) jam incomparabilis vidit *Bochartus*; & nos evicimus §. II. ipſiſſimam eſſe avem πέλειαν, quomodo fœminam, Oraculi proxenetam, *Dodonæorum* Antiſtites indigitabant. Sic *Columba*, *olor* & ſimilia etiamnum apud Noſtrates in vulgatis fœminarum appellationibus cenſentur. An vero a moribus

A vel æquitate abluderet, ſi quis exiſtimet hanc primam, ut ita dicam, *Reginam Sacrorum*, una cum Sacerdotii decore nomen ſuum, accepti μνημόσυνον beneficii, ſignumve honoris ſucceſſoribus, aut comitibus, tradidiſſe? Sicut *Potitii*, & *Pinarii* arbiverunt diutiſſime *Herculis Sacerdotes*, a primis iis, qui docente ipſo *Hercule* hæc Sacra inſtituerant. *Dionyſ. Halicarn.* lib. I. *Titii*, a *Tito Tatio* juxta *Tacitum* Annal. lib. I. c. 54. qui *Sabinorum* Sacrorum, dum in Urbe retineri placuit, adminiſtrationem in ſeſe reciperent. Ne hic *Auguſtales Sacerdotes*, *Sodales Flavios*, *Hadrianales*, *Ælianos*, *Antonini* &c. in Hiſtoriis obvios producam.

B §. IV. Longe tamen huic rationi prætulerim alteram, quæ magis genium ſapiet aſtutæ mulieris, Ægyptiacæque gentis. Solebat iſta, præcipue Religionis Myſteria quodque eo ſpectabat, non clare enunciare, ſed involucro Hieroglyphicorum, figuris proprietatibuſque Animalium occultius adumbrare. Nihil notius. Huc ſtatim animum flexi, quum de ſenſu & origine πελειῶν diſpiciendum eſſet. Invenio nempe apud *Horum Apollinem* in *Ægyptiorum Hieroglyphicis*, quem edidit Cauſinus, §. 1. 30. hanc obſervationem. Γυναῖκα χήραν ἐπιμείνασαν ἄχρι θανάτου θέλοντες σημῆναι ΠΕ-

C ΡΙΣΤΕΡΑΝ ΜΕΛΑΙΝΑΝ ζωγραφοῦσι. *Viduatam mulierem quæ ad mortem permanſerit in eo ſtatu volentes ſignificare* NIGRAM *pingunt* COLUMBAM. Eaque ipſa eſt appellatio, ut vides, qua *Dodones* Antiſtites apud *Herodotum* duas haſce, ex *Ægypto* adventantes, Mulieres deſignabant. Et appoſite; quoniam gravi mulctatæ exilio, conjugibus & Patria, partim religione, partim neceſſitate deſtitutæ, errabant, omnigenam præ ſe ferentes in vita cælibe caſtimoniam & ſanctitatem. Quam eo uſque extendebant *Ægyptii*, ut non modo hæ Sacerdotes abſtinerent Venere, ſed ipſæ quoque fœminæ nuptæque puellæ, quamdiu *Sacris Iſidis* (quæ

D Oſiridis maxime cognata) operam dabant a Viris, & amatoribus, deberent ſecubare. Hinc τῇ *Io* male precatur *Propertius* lib. II. Eleg. XXXIII.

Atque utinam Nilo pereat, quæ ſacra repente
Miſit matronis Inachis Auſoniis.
Triſtia jam redeunt iterum ſolemnia nobis,
Cynthia jam noctes eſt operata decem.
Quæ Dea tam cupidos toties diviſit amantes &c.

Ab *Lucio*, recente ſuo conſecraneo, *Iſis*, Apulej. lib. XI. diſerte exigit *religioſa miniſteria*, & *tenacem caſtimoniam*. Jam *fidei* & *pudicitiæ* proponi certas columbarum ſpecies velut exemplar, tritiſſi-

E mum eſt; Plinius lib. X. cap. XXXIV. *Pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria*. Nec modo, quod aliquis queat regerere, in vita conjugali, ſed cælibe etiam & a viris diſcreta. *Horus* dixit ea repræſentari non conjugatam, at quæ *abſque conjuge ad mortem uſque perſeveraret*. Tales putem *Columbas* nutriiſſe *Jovem* in *Creta*; ut Athenæi lib. XI. *Mæro Byzantia*: Τὸν μὲν ἄρα τρήρωνες ὑπὸ ζαθέῳ τρέφον ἄντρῳ. *Illum quidem columbæ ſub divino antro nutriebant* &c. *Caſſandræ Vatis*, ipſumque *Apollinem* eludentis, *Virginitas* eſt teſtatiſſima; illa

F vero apud *Lycophronem*, in *Alexandra* ſe non modo φάσσαν *Palumbem*, ſed & οἰνάδα *vinaginem*, id eſt, ut vidimus, ipſiſſimam Πέλειαν deſcribit, tunc maxime quando, ſuo metuens pudori, deplorat virginitatem victoris audacia periclitari. His verſib.

Τῆμος βιαίως φάσσα, πρὸς τόργυ λέχος
Γαμφαῖσιν ἅρπαις ΟΙΝΑΣ ἑλκυσθήσομαι.
Tunc violenter Palumba ad accipitris lectum
Fancibus harpes COLUMBA raptabor.

Πελειὰς *Græcis* eſt idē quod πέλεια, promiſcue enim *Herod.* de hiſce uſurpat; nunquid vero *Callimachus ſeptem Reginæ Amazonum filias* Πελειάδας προσ-

ἀγορδυχῦται *Peliadas cognominari* dicit apud *Theocriti Scholiaſten* Idyll. XIII. παρθενδιώτας; licet *Virginitatem colerent*, qua meruerunt cœlo ſtelliſque inſeri. Cum propriis nominibus appellarentur Κοκκυμὼ, Πλαυνία, Πρῶτις, Παρθενία, Μαῖα, Στονυχία, Λαμπαδώ. Referri huc queat quod una trium πελειῶν, & natu quidem minima quæ tempore erat *Herodoti* Νικάνδρα vocaretur, quaſi quæ *viros*, eorumque *viciſſet* deſiderium. Judicet lector num paulo magis itaque concinna, & perſonis conveniens hæc videatur explicatio, quam ſi a frigida *Æquivocatione* repetamus. Et an quidem rem acu ipſe tetigerit *Herodotus* lib. II. cap. LVII. cui πελειάδες δοκέουσι κληθῆναι.. διότι Βάρβαροι ἦσαν, ἐδόκεε δὲ σφι ὁμοίως ὄρνισι φθέγγεσθαι, *videntur dictæ Peliades... quia Barbaræ eſſent, & ſimile quid avibus ipſis viderentur ſonare*. Quod longiuſcule certe petitum. Nil enim columbis commune cum Barbaris; & ſi tantum voluiſſent exprimere non intelligi earum ſermonem, quid eo magis faciebat *columba* quam quævis alia? quum hoc *omnibus* ex æquo *avibus* conveniret; & ipſe *Herodotus* eam ob cauſam in ſubjuncta ratione, quaſi hanc objectionem declinans, poſuerit non ὁμοίως τῇ πελειάδι, ſed generatim τοῖς ὄρνισι φθέγγεσθαι.

§. V. Solida magis eſt illa *Herodoti* ratio, quam etiam ponit confidentius, quum declarat cur NIGRÆ *columbæ* habeantur, lib. II. cap. LVII. Μέλαιναν δὲ λέγοντες εἶναι τὴν πελειάδα σημαίνουσιν ὅτι Αἰγυπτίη ἡ γυνὴ ἦν. *Nigram autem Columbam eſſe dicentes, Ægyptiam fœminam ſignificant*. Nigror ille non ſolum in Epitheto μέλαινα, ſed ipſo vocabulo πέλεια continetur. Hoc enim differt πελειὰς ab vulgari *columba*, quemadmodum *Ariſtoteles*, & *Athenæus* lib. IX. notarunt, quod *Pelias ſit minor; columba magis manſueſcat*. NIGRAM eſſe *Peliadem, parvam, rubris pedibus & aſperis*. Οἰνὰς *Vinago Euſtathio* creditur nomen ſortita, quoniam οἰνωπὸς τὸ χρῶμα *vinum* vel *uvas*, ubi maturuerint nigricantes, *adſpectus* colore *referret*. Utque hunc *nigrorem* potiſſimum innuerent videntur non *columbæ*, aut *palumbis*, quod alias aptius notiuſque fuiſſet, ſed Πελείας appellationem prætuliſſe. Cur autem *Nigras* vocitare placuerit & non alius coloris, aſſentior *Herodoto*: quia norant *Ægyptias*. in quam rationem duæ adhuc aliæ potuerunt concurrere. Equidem *Aegyptum* ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν. *Nigrum habere ſolum, ut quæ maxime*, prodidit *Plutarch.* de *Iſid.* & *Oſiride*. *Nilus* in SS. Literis dicitur שיחור Jeſ. XXIII. 3. a שחר *denigrari*. Idem *Plutarchus* veterem *Aegypti* appellationem, Χημία, hinc quoque deducit (חום quippe ſignificant *Nigrum* Gen. XXX. 32.) dum veram a *Chamo* ignoraret; non mirum igitur quum *Terra*, *Aqua*, *Regio Aegypti a Nigrore* dicerentur, *Aegyptias* mulieres quoque *Nigras* cognominari. 2. acceſſit, quod (uti monſtratum eſt) in *Hieroglyphica* gentis ſapientia *atra Columba* mulieris viro carentis modeſtum triſtioremque ſtatum commode figuraret. 3. Denique nil impedit reſpectum quoque aliquem habitus, & veſtimentorum forte fuiſſe, ſiquidem *Oſiridis-Adonis Miniſtræ*, cujus coloris veſtes induerint quæ ſimiles πελείας, & quas uxor ejus *Iſis* gerebat apud *Apulejum*, cui fingitur apparuiſſe lib. Metam. XI. quum ipſi *Pallia nigerrima ſplendeſcens atro nitore*, &c. in luctus indicium, an ad gravitatem?

§. VI. Quando jam de fatidicis hiſce fœminis ſermo inſtitutus eſt, haud erit abs re noſtra alienum, hujus Oraculi quouſque conjectando aſſequi licet methodum paulo propius ſpeculari. Quod Hiſtoriæ ſilent, & illæ celatum quam maxime cupiverunt, quo modo quibuſque technis totius orbis illuderent credulitati aſtutiſſimæ, neutiquam ſimplices, *Columbæ* exponere aliquatenus; nam plene id demonſtrare altum apud antiquos ſilentium, mille τῆς μυελοτέχνου artes, & varians ſæpe Hiſtoricorum relatio nequaquam permittunt. Sunt qui *Lebetem* vaticinatum volunt; alii *Columbas*. Multo autem maxima & ſanior pars Sacræ *Quercui* vindicat hanc prærogativam; *Pauſanias Achaicis* l. VII. Ἠπειρώταις αἱ πέλειαι, καὶ τὰ ἐκ δρυὸς μαντεύματα μετέχειν μάλιστα ἐφαίνετο τῆς ἀληθείας, *apud Epirotas Columbæ, & ex Quercu Oracula maxime videbantur veritati affinia*. Lebetem non contemnendis, ut quidem videtur, argumentis ab hoc munere cap. I. §. 7. 8. excluſimus. Reliquæ duæ ea conciliari ratione queant, quod Vaticinium partim a quercu, tanquam primaria Oraculi ſede; partim ab his Vatibus columbis, ſed velut arboris interpretibus, proficiſceretur. Quotiens igitur quiſpiam conſulturus Jovem Dodonæum ad interiora admittebatur, ſacra illa vetuſtiſſimaque, ſeu *quercus* ſeu *fagus*, nam idem eſt genus, primo *movebatur*. *Suidas*: εἰσιόντων τῶν μαντευομένων ἐκινεῖτο δῆθεν ἡ δρῦς. mota mox varium *edebat ſonum* ἠχοῦσα. Hunc vero ſonum obtrudebant ſuperſtitioſiſſimæ turbæ pro Jovis reſponſo. Hoc freti canone, quem erant commenti, quod αἱ τῶν Δαιμόνων φωναὶ ἄναρθροί εἰσι, *Deorum voces non ſint articulatæ*, cui ex tonitru (Dei *voce* Pſalm. XXIX.) colorem forte quærebant. Quas voces cum rogator audiret quidem, nullus vero intelligeret, præſto aderant hæ Sacerdotes, quæ, velut Arcanorum Jovis & linguæ Δαιμόνων peritæ, iſtas pro re nata, ut perſonis, tempori, rebus convenire, pro verſutia & antegreſſa indagine judicabant, conſulto interpretarentur. Formula eadem erat quæ *Moſis* & *Prophetarum* τάδε λέγει ὁ Ζεὺς, *hæc dicit Jupiter*; ut illi נאם יהוה

§. VII. Quonam autem artificio procurarent, ut *intrantibus* qui reſponſa petebant, *arbor commota ſonaret*, ipſæ optime dixerint. Si licet conjicere, hunc fieri potuit in modum: ut aliquis ſive mulier, ſive vir, aut in denſiſſimis arboris ramis, aut cavo potius trunco abſconditus, quateret quercum. Vel ſi argutior fuerit ſonus, ſiſtro, familiariſſimo in hac religione atque Ægyptiis inſtrumento, artificioſum ederet ſonum, ab his Vatibus pro lubitu explicandum. Occaſionem ſic ſuſpicandi dedit *Herodotus* de ramorum *frondibus*, qui primam inventricem ἱζομένην ἐπὶ φηγὸν, *inſidentem fago* inducit, & Scholiaſtes Sophoclis ad verſum 174. *Trachin.* ὑπεράνω τοῦ ἐν Δωδώνῃ μαντείου δύο ἦσαν πέλειαι δι' ὧν ἐμαντεύετο ὁ Ζεὺς &c. *ſupra Oraculum, in Dodone, duæ erant columbæ, per quas Jupiter vaticinia edebat*. De trunco autem ſuſpicionem movit *Heſiodus* in *Eois*:

Τὴν Ζεὺς ἐφίλησε καὶ τὸ χρηστήριον εἶναι
Τίμιον ἀνθρώποις, ΝΑΙΟΝ Δ'ΕΝ ΠΥΘΜΕΝΙ ΦΗΓΟΥ
Ἔνθεν ἐπιχθόνιοι μαντεύματα πάντα φέρονται.

Hanc (Dodonam) *Jupiter ita amavit ut voluerit æſtimatiſſimum illic eſſe hominibus* ORACULUM HABITANS IN FUNDO FAGI *unde terrigenæ omnia reportant vaticinia*. Et hoc magis ſe probat mihi quam illud ὑπεράνω Μαντείου *ſupra Oraculum*, *Scholiaſtæ Sophoclis*. Non modo quoniam longe præſtantior eſt auctor *Heſiodus*; & in numero Sacerdotum πελειῶν, quas *duas* ponit, cum *tres* fuerint teſte *Strabone* aliiſque, *Scholiaſtes* manifeſto deceptus, in reliquis æque potuerit falli; ſed maxime quoniam tutiores in caudice latebræ, magiſque ad impoſturas accommodatæ. De *Minerva Claudianus*,

Arbore præſaga tabulas animaſſe loquaces.

In cavitatibus arborum homines olim habitarunt, ex iis teſte Hiſtoria multi vocem inexpectato emittentes, fraudibus, fabulis, præſtigiis benignam

materiem præbuere; eo usque ut fingerent, quia in his degebant subinde, ex iis homines natos. *Virgil.*

Gensque Virum, truncis & duro robore nata.

Interim non possum non unum harum Πελειάδων memorabile responsum, speciminis ergo, vel versum proferre, quem ab interitu vindicavit *Pausanias* in *Phocicis* lib. x.

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστι, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ!
Γᾶ καρπὼς ἀνίει, διὸ κλήζετε ματέρα γαῖαν.
Jupiter erat, Jupiter est, Jupiter erit, o magne Jupiter!
Quæ fructus emittit, terram ideo Matrem vocate.

Qui primus versus manifeste est περίφρασις divini nominis יהוה. vel אהיה אשר אהיה, Exod. III. quod per Mosen, horrendaque Dei judicia Ægyptiis innotuit nimis; & junctum superiori, Mosis prophetarumque, Formulæ Τάδε λέγει ὁ Ζεὺς, evidentissimo argumento est quantum sæpe Ægyptii, ex S. S. Literis, aut doctrina *Hebræorum* in suos usus transtulerint, etsi fœde interpolatum.

CAP. V.

Circa Dodones fanum Selli. Ἑλλοὶ *an* Ἐλλοὶ *scripserit Homerus. S ultimum præcedentis vocis, sæpe librarii appingunt capiti sequentis. An Populus, & quo sensu? Barbari habiti. Videntur esse ab Hello primo Oraculi indice. Certis familiis tributa Deorum ministeria. Ita & Hellis forte. Sic omnia apte fluunt. Cur ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι.*

§. I. QUUM tanta esset ab omni ævo Dodonæi Oraculi Religio atque celebritas, fieri haud potuit quin frequenter antiqui Scriptores illius injicerent mentionem. Inque ea mentione quædam leviter tangerent, vel insinuarent, quæ quamdiu floreret, erant notissima, postea vero oblivione, ac densa temporum nube obducta, ignota penitus & crux Grammaticorum evaserunt. Ejus generis aliqua extant in *Homero*; in versibus quos dum Stephanus noster ad illustrandam materiem adduxit, illi ipsi multo magis illustrationem deposcunt. In horum censu est mox ab initio de Σελλοῖς ὑποφήταις ex *Homeri Iliad.* Π. versu 234. ubi Achilles Jovem allocutus *Dodonæum* ait:

——*ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ*
Σοὶ ναίεσ' ὑποφῆται. ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι.
——*Circum autem Selli*
Tui habitant Vates, illoti pedibus, humi dormientes.

Quæ non minus obscura quam *Sibyllæ* folia, vel dubium aliquod Oraculi responsum, pridem doctissimorum virorum industriam exercuerunt quærentium cum quomodo legenda, tum quomodo sint intelligenda? Num Σελλοὶ, vel Ἑλλοὶ vocandi sint hi ὑποφῆται, tam vetus & ambigua est disputatio, ut *Strabo* jam moverit, neque voluerit definire. Omnino ego tamen facerem cum eruditissimo Collega *Homerum* scripsisse potius ἀμφὶ δὲ σ' Ἑλλοὶ, quam ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ ob rationes quas ibi videre est. Et quia in hac periodo σε & σοὶ mutuo respectu & παρανομασίᾳ sibi respondent; eleganter, & ἐμφαντικωτέρως dictum est *circa TE habitant TUI vates*, quam si ἀμφὶ sit indeterminatum sine objecto, & casu quem regat. Ut *Virgil.* Eclog. v. TU *decus omne* TUIS &c. Æneid. lib. II.

——*addere Trojæ*
TEQUE TUOS*que juvat*, &c.

tum facili lapsu Σ præcedens cum sequenti syllaba in eandem vocem veteribus in libris, si incipiat vocalis, a librariis festinantibus solet conjungi; ut exploratum iis qui Mss. versarunt. Unum quod forte occurrit exemplum producam ex nostro *Herodoto*, ubi de Oraculis agit lib. I. cap. XLVI. Crœsus διέπεμπε ἄλλους ἄλλῃ, τοὺς μὲν ἐς Δελφοὺς ἰέναι, τοὺς δὲ ἐς Ἄβας τὰς Φωκέων, *aliis alio dimissis, quibusdam Delphos, aliis* (hæc male omisit Interpres) *ad Abas urbem Phocensium.* Ubi ex contagio præcedenti Σ olim exarabatur Σαβάς. Tantoque magis id fieri potuit, cum σ' quemadmodum hic apud *Homerum*, solum per se staret. Atque in veterrimis Mss. vix interpunctionum notæ antiquitus usurpentur. Sic tamen non negavero, quod recte observat *Casaubonus*, adspirationem sæpissime transire σ adeoque cum tempore Σελλοὺς a quibusdam potuisse appellari. Nihilominus ἀπ' ἀρχῆς οὐ γέγονεν οὕτω, *ab Initio non ita* videtur *fuisse*. Tandem, quia Πίνδαρος Ἑλλοὺς αὐτοὺς κληθῆναί φησι χωρὶς τοῦ πρώτου σ. ut est apud *Didymum* in Comment. ad *Homeri* Iliad. Π. ac Docti post *Aristotelem* ab hisce Ἕλλωες repetunt, ego autem istos ab Ἑλλοῦ. De quo statim.

§. II. Qui an *Populus* fuerint, eo sensu & amplitudine quo vulgo accipimus *nationem*, admodum mihi incertum deliberandumque videtur. Quis etenim veterum Historicorum horum meminit, ut *Nationis* in *Epiro* habitantis? Natio cujus regionem incoluit *Jupiter Dodonæus Molossi* vocabantur & quandoque latius *Chaones*, *Thesproti*, *Perrhæbi*, &c. *Sellos* memorandi primus auctor *Homerus*, qui reliquis præiit, nec *populum* dicit: Imo tantum abest ut dicat, ut omnia in *Homero* arguant contrarium. Titulo cunctos promiscue honorat ὑποφητῶν: Ἑλλοὺς ὑποφήτας. quis vero integram nationem audiit ex *vatibus* constantem? *Locum* assignat non e longinquo, sed ἀμφί σε *in circuitu* Jovis, hoc est interprete *Strabone* lib. VII. περιοικοῦντας τὸ ἱερὸν *habitarunt circa* FANUM Jovis; qui cum sit sanctissimus locus, Sacrorum ministris non toti alicui nationi, omnium minime Βαρβάροις *Barbaris*, ut *Helli* fuerunt, *Strabo* ibid. ad habitandum solet concedi. Integræne nationi hæc conveniet, aut *Religionis* severitas, aut vitæ sordes, ut sint omnes ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι, *illotis pedibus, & humi cubantes?* Neque satisfaciet si dicamus antiquissimis forte seculis sedes isthic occupasse postea mutatas, quandoquidem *Achilles* suo tempore ut ἀμφὶ Δία ναίοντας, *circa Jovem habitantes*, etiamnum inducit. Non dissimulabo quid mihi venerit in mentem, ita tamen ut non pro Veritate venditem, sed pro tenui divinantis conjectura. De qua Eruditi despicient. Quum primum illa Mulier Ægyptia hujus Oraculi, fuco atque fallaciis, condendi caperet consilium, quivis intelligit sine alicujus ope, & forsan conscientia, solam & *servam* rem tanti momenti haud aggredi potuisse, minus perficere. Quum *insidens fago* πέλεια pronuntiabat, *Jovis* delubrum hic erigendum, opus fuit utique aliquo teste, & nuntio qui miraculosum hoc ex arbore jussum in vulgus spargeret, & fidem narrando propagaret. Id probatione non eget. Quis vero huic rei operam suam addixerit, ex antiquis dubio procul scriptoribus, *Didymus*, vel quisquis ille sit *Homeri* Commentator nobis feliciter scripto reliquit: ad *Iliad.* Π. Ἑλλὸς ὁ δρυτόμος, ὥς φασι πρῶτος καταδείξας τὸ Μαντεῖον, *Hellus lignator* (quercuum) *dicunt, erat primus qui hoc Oraculum* hominibus *monstravit*. Sumo mihi tanquam probabile, quod nescio an aliquis jure eat negatum, quando *honos* huic haberi cœptus est Oraculo, istius *Helli* habitam quoque rationem videri. Sive composito egerit cum Ægyptia, sceleris pretium; sive casu, intentus operi, primus vocem perceperit, ad Dei tanto eum favore dignantis exemplum. Consequens est ut, cum hæc constituta Sacerdos auxilio egeret, atque ministeriis, nulli potius quam *Hello* ejusque familiæ hoc munus fueri delatum. Certis enim *familiis*, & bene meritis, ministeria olim templorum, & *Sacerdo-*

tia conſueverant deputari. In *Delio* templo auctor eſt *Athenæus* lib. VI. fuiſſe *κήρυκας, ἐκ γένους τῶ κηρύκων τῶ τῆς μυστηριώτιδος, Cerycas ex genere Cerycum; ea* (nempe familia vel ſtirpe) *quæ myſteriis intenta*. Si ſuppar aliquid Hello obtigiſſe ponamus, omnia quæ de *Hellis* apud *Homerum*, *Strabonem*, &c. rite ſibi concinent, & quinam hi tandem fuerint tam obſcura nocte non amplius erit immerſum. Videamus.

§. III. Primo quidem familiis eorum, qui adiumenti quicquam aut decoris ad Deorum ſacra Religionemque primi contulerant, hunc honorem ſervatum, ut Aliis in ſanctis muneribus præferrentur, & mores & æquitas, conſentiente hiſtoria, ubique tulerunt. Vel ſemidoctis id notum: & dubitans videat cur *Potitiorum*, & *Pinariorum familiæ* Sacerdotium *Herculis* apud Romanos peculiari privilegio ceſſerit. Idem igitur de *Hello* uti credamus ſuadet ratio; non quidem primarium Sacerdotium, honoremque τῆς προφητείας, is erat πελειῶν, ſeu fœminarum, ſed ſecundas, tertias, quartaſque partes, varia munerum partitione, illi illiuſque familiæ, tributas. Maximo enim opus erat ad inſtruendam hanc Scenam hominum Choragio. Unde in *myſteriis* & *Teletis Ægyptiacis Græciſque* &c. noti μῦσαι, μυσταγωγοὶ, τελεσαὶ, ὀργιασαὶ, Ιεροφάνται, δᾳδῦχοι, κήρυκες, σπονδοφόροι, ἱερήϊαι, παναγεῖς, πυρφόροι, ὑμνῳδοὶ, ὑμνήτριαι, &c. *Myſtæ, Sacrorum duces, Initiatores, Orgiorum miniſtri, Doctores, Faciferi, Præcones, Caduceatores, Sacerdotes, Sancti, Igniferi, Cantores, & Cantatrices*, &c. apud *Pollucem*. 2. Commode ἀπὸ τῦ Ελλῦ venient Ελλοὶ, ſicuti ἀπὸ τῦ Δαναῦ, Πελασγῦ, Δαναοὶ, Πελασγοὶ, &c. abſque vocabuli incremento. 3. De nullis melius affirmes, quod de *Hellis* Antiqui, *Barbaros* fuiſſe. Quid cogitamus? Græcoſne ſe, aut ſuorum aliquos nota *Barbarorum* diſtuliſſe? vel genti peregre adventanti, extra cauſam divini Miniſterii, proximis Oraculi locis ultro voluiſſe cedere ſanctiſſimam Sedem? non putem. *Hellus* autem hic viliſſimo & laborioſiſſimo ſimul operi Δρυτόμυ ſeu *Lignatoris* mancipatus, omnem *Barbari* ſpeciem refert: ſervorum quippe tam dura erant miniſteria: ex *Barbaris*, ſive emptis, ſive prælio victis fere ſervos habere mos erat, & adhibere ad labores iſtiuſmodi graviores. Ut apud *Hebræos* quoque qui cædendis lignis inſerviebant *Gibeonitæ*, ſervi erant & peregrini. Fierique potuit ut eadem miſera vitæ ſervilis conditio inter Ægyptiam ancillam, & hunc Barbarum Lignatorem, tanto facilius arctiorem conciliaverit familiaritatem. 3. *Locus habitationis* optime ſuffragatur: in *circuitu Fani*, ut *Strabo* atque *Homerus*. Jam eum adſignatum communiter Miniſtris Sacrorum, majoris minoriſve gradus, Æditnis, ſimilibuſque res vulgatiſſima eſt. Mos iſte a Levitis, cingentibus in caſtrametatione Tabernaculum *Num*. 1. 53. uſque ad hodierna Romanenſium templa circumdata Cœnobiis viguit. In *Oſiridis* Æde parilem obſervatam conſuetudinem ad ſera tempora dicet *Ruffinus* lib. II. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. XXIII. Templi *Serapidis*, qui idem *Oſiris* arcanam, occaſione deſtructionis, revelans πολιτείαν: *Locus occultis aditibus mutuo in ſemet diſtinctis, uſum diverſis miniſteriis & clandeſtinis officiis exhibebat. Jam vero ... extrema totius ambitus ſpatia occupant Exedræ & Paſtophoria, Domuſque in excelſum porrectæ, in quibus vel Æditui, vel hi quos appellabant ἁγνεύοντας, ſolebant manere*. 4. Quod ſi ad Hellos quoque pertinet Ελλοπίη, ſicut aliqui in Euſtathio ἀφ' ὧν (Ελλῶν) καὶ Ελλοπίαν τὸν περὶ Δωδώνην τόπον καλεῖσθαι. Hoc ipſum quoque rationibus noſtris impenſe quadrabit. Ager enim, neque parvi ſæpe ſpatii, ſive jam ad Templi majorem reverentiam, ſive in uſum & ſuſtentationem Sacrorum ſumtuum ac Miniſtrorum adſignari conſuevit. Iterum ab Ægypto quin & Heliopoli non diſcedam, ne quis tricetur. *Potipherah*, cujus filiam *Joſeph* duxerat uxorem, erat *Sacerdos ON* Gen. 41. 45. hoc Seniores vertunt Ηλιοπόλεως. Huic, & reliqis Sacerdotibus certum חק & telluris *demenſum* Pharao adſignaverat, quod noluit benignus prorex Joſephus acquirere; quum cæteri omnes Ægyptii in ſumma famis anxietate Agrorum ſuorum pretio victus vitæque redimerent uſuram. Gen. 47. 22. Portio iſthæc audiebat ארמתם *Terra eorum*. Si jam ſacra *Dodones* Thebarum illis, Ægyptique, erant ut forma ita lege juribuſque παραπλήσια, quid magis fuit decorum quam Ελλοῖς, tanquam Jovis Miniſtris & ὑποφήταις, aliquam pariter tribui regionis partem quæ *Terra illorum*, hoc eſt, ab iis Ελλοπίη potuerit denominari? quam, non ut ſpatioſiſſimam Regionem, ſed τόπον περὶ Δωδώνην definitum *circa Dodonem locum* ex Philochoro Strabo lib. 7. declaravit.

§. IV. His inſiſtentes veſtigiis, melius quoque detegemus quid ſibi velint excogitata iſthæc Epitheta, quibus hos Ελλῦς Homerus porro depinxit:

Ανιπτόποδες, Χαμαιεῦναι.

Illotis pedibus, terram pro cubili habentes.

Hæc toti Nationi, ut ſupra monitum, non conveniunt, ſed bene ſatis Religioni ὑποφητῶν, & rigidis Templi miniſtrorum Inſtitutis: utrumque etenim, tam ad *luctum* qui in Αδωνείοις & *Oſiridis* cultu frequens ac magnus; quam ad *domandam cupiditatem* ſpectat, *Caſtimoniam, ſeveramque vivendi rationem*, cujus ſtudioſiſſimi *Ægyptii* Sacerdotes voluerunt videri. In Luctu ſemper nefas fuit Judæis *lavari; Humi procubuere ſeptem diebus & noctibus* Amici, acerbiſſimum animi dolorem, & συμπάθειαν *Jobo* ſignificaturi, Jobi cap. II. In Sacris *Junonis*, celebratis menſe Majo νενόμισαι Ιερὰν τῆς Ηρας σκυθρωπάζειν, μήτε ΛΟΥΟΜΕΝΗΝ μηκαῦτα, μήτε κοσμυμένην. *Leges jubent Junonis antiſtitem eſſe tetricam*, ILLOTAM, & *inornatam*. *Plutarch*. Quæſt. Roman. 86. Ægyptios imitatus eſt *Pythagoras*; a *Pythagora* auſterum hoc vitæ regimen traductum eſt ad *Phariſæos* ex parte, & *Eſſæos*. De *iſtis Epiphanius* fuiſſe qui collectos ſibi calculos ſubſternerent, aut ſpinas ſubjicerent, aut aſſeres latitudine non amplius dodrantali pararent, in quibus poſt veſperam jacebant, idque quatuor, octo, decem Annis continuis, *ne ullam corporis labem contraherent* διὰ τὸ δῆθεν μὴ σωματικόν τι παθεῖν. In talibus occupata fuit illa ἀφειδία τῦ σώματος, Col. II. 23. quam tantopere, ad captandam populi auram & admirationem, oſtentabant. Non prætereundum eſt ſilentio quod præcipue eam ob cauſam humi, in *pelle* pecudis mactatæ, aut aliter cubarent, qui hanc praxin credebant fatidici Spiritus & divinorum Somniorum blandam conciliatriculam; quod votum ὑποφητῶν palmarium erat. Norant Ægyptii quod Joſepho celebratiſſima illa, de ubertate & fame ſeptem annorum, prædictio in cuſtodia dure cubanti innotuerat. Manifeſte eo hunc ritum *Maximus* retulit *Tyrius* diſſert. XXVI. poſteaquam varias, quibus Vaticinandi facultatem ambiverint, aut impetraverint, ceremonias recenſuit, ut Vates *Delphica Tripodi inſideat, Ioniæ ὑποφήτης hauſtam e fontibus aquam ebibat*. Subjungit quid egerint οἱ ἐν Δωδώνη θεραπεύοντες δρυῒ *qui Dodonæ quercum colunt*: οἱ δὲ χαμεῦναι καὶ ἀνιπτόποδες παρ' ἐκείνης (δρυὸς) μαθόντες χρησμῳδῦσι. *Hi vero humi cubantes, & illotis pedibus ab ea* (quercu Jovis) *edocti vaticinantur*. Vel ut ſignificantius χρησμῳδῦσι transfert Muſarum decus *Daniel Heinſius*: *& diſcunt futura, & aliis dicunt*. Tales vero mihi videntur Ελλοὶ. Quos ſi alicubi *Grammatici* ἔθνος vocarint, quomodo veterum nul-

li, aut incogitantia erroris factum est; aut eo sensu, quo capitur pro ordine quocunque aut societate, non hominum modo sed & animalium; quemadmodum τὸ τ̃ ἱερέων ἔθνος dixit *Aristoteles*,

CAP. VI.

Ὑποφῆται quid. Cur ita Sellos vocet Homerus? an Dodonæ mares ministri? varii dignitatis & prophetici Spiritus gradus. Quercus sonabat. Πέλειαι *Oraculi non editores, sed interpretes. Earum formula* ὁ Ζεὺς τάδε λέγει. *Judæis Doctoribus erat etiam* מתורגמן Glaucias *quo sensu Petri interpres vix bene intellectum. Cur Helli Homero* Τομοῦροι? *mons Tmarus unde?*

§.I. NONDUM omnes in *Homericis*, de *Dodone*, versibus scopulos sumus prætervecti. Sollicite indagant Eruditi quæ sapiens, & genuina prudentissimo Poetæ subfuerit ratio, quare, non solito vatum cognomine προφήτας, sed ὑποφήτας vocavit? de quo antequam meam opinionem proferam aliquid præmittendum est de *Personis* ad quas vaticinandi donum, vel cura *Dodonæ* spectabat. Firmiter tenendum est summo in gradu, & loco principe, fuisse tres illas mulieres Πελειάδας. Non tamen ab altera parte committendum, ut ab Ἀντιλήψεων & adjutorum officio *Viri* penitus excludantur. Multa erant in quibus fœminæ per se impares Virorum ingenium, robur, sapientiam, & manus poscebant. Mactanda sacrificia, speculanda Consulentium voluntas atque arcana, pangenda ex tempore carmina, & id genus alia plurima, quæ effecerunt ut *Thebis*, hujus Oraculi matre & πρωτοτύπῳ, in *Libya*, & *Delphis* ejus velut Sororibus, nam *Dodoneæ* mulieris *Libycam* Herodotus appellat *Sororem* lib. II. c. 56. in ministerio Templi *Viros* etiam inveniamus. Quin *Mares* Sacerdotes Dodonæ, *Bœotis* saltem, responsa fatidica dedisse, *Ephoro* lepidam narranti Historiam credidit *Strabo* lib. VIII. de *Bœotia*. Non possumus existimare hos alios fuisse, quam de *Hellorum* genere, quos diserte hic ὑποφήτας *Homerus* agnoscit. Immo ministros, non mares tantum sed fœminas hujus Oraculi Sacerdotes, post primam, credibile est ejus plerumque familiæ extitisse. Nam quum prima Πελειὰς Ægyptia, cælibem agens vitam, fatis concederet, debuit procul est dubium substitui alia, & ita deinceps; neque video unde justius, aut promptius, quam ex eo sanguine, qui optime de constituendo hoc Fano meruisset. Quamquam incertus sim, & ad causam perinde est, an omnes Ἐλλοὶ Δρυτόμοι *Helli* istius *Lignatoris* posteri, an quædam stirps, aut delecti homines solum ex iis, ad sacra hæc admitterentur. Numerus enim forte major fuit cum tempore, & alius etiam generis negotia erant obeunda. Eligat lector quod volet, nostræ nihil decedet hypothesi. Nam etsi omnes quis ponat ὑποφήτας, Sacerdotibus & prophetis in Ægypto uxorem ducere non plane negatum, vel *Potipheræ* exemplo, soceri *Josephi*; si modo stato Festorum tempore secubarent. Quotquot autem *quercui Jovis* famulabantur, accepisse pro modulo suo divinandi facultatem, ex Herodoto diligentissimus *Tiraquellus* aliique docti notarunt. Erant adeo, si bene putamus, tres qui dispare gradu & auctoritate huic adessent Μαντείῳ: Δρῦς, aut *Jupiter*, qui auctor primarius mystico sonitu, πελειὰς *mulier* quæ sonitum hunc pro arbitrio explicabat; denique Ἐλλοὶ *Helli* qui mulieri, aut Deo ubi necesse, succollabant iis in officiis quorum cap. 5. §. 3. ex Polluce quædam recensuimus; exemploque *Delphici* Oraculi, ubi Prosa oratione concepta *Strabo* tradit ἐντείνειν εἰς μέτρον ποιητάς τινας ΥΠΟΥΡΓΟΥΝΤΑΣ τῷ ἱερῷ *Poetas quosdam, Fani SUBMINISTROS, in versus numerosque redigere*. Lib. IX. in *Phocide*.

§. II. Qui jam una considerat quænam vi compositionis, ususque frequentioris, sit ὑποφήτου notio, comperiet aliquid dicere minus, & inferius quam vocabulum Προφήτης; q. d. *sublocutor*, *subvates*. Etsi non inficier quandoque ab auctoribus hanc distinctionem non accurate servari; qui tamen nihil temere & sine judicio creditur egisse *Homerus*, causam satis habuit conspicuam in animo cur Ἐλλοὺς, sive jam viros, sive etiam fœminas *vates*, dixerit deliberate ὑποφήτας. Nam & τάξει, donis, & dignitate viri erant inferiores Mulieribus, quæ κατ' ἐξοχὴν Ἱέρειαι & Προφήτιδες respectu rogantium dicuntur. At eædem rursus in ordine ad *Deum*, aut *quercum* quæ oracula, ipsis tantum interpretanda, proprie fundebat, merito quoque ὑποφῆται salutabantur, utpote non auctores Oraculi, sed delatores tantum, ac Interpretes: τάδε λέγει ὁ Ζεὺς. *Ista dicit Jupiter*. Hæc genuina vocabuli δύναμις. Apud *Suidam* ὁ Ἀπόλλων ὑποφήτης ἐςὶ τοῦ Πατρός. quid id est rei? παρ' ἐκείνου λαμβάνει τὰς Μαντείας, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐκφέρει. AB IPSO ACCIPIT *Vaticinia, & hominibus effert*. Nihil est clarius. Hunc in modum exposuit *Didymus* ὑποφῆται ὑπομάντεις. Et, ὑποφήτας γὰρ λέγουσι τοὺς περὶ τὰ χρηστήρια ἀσχολουμένους, καὶ τὰς Μαντείας τὰς γινομένας ὑπὸ τ̃ Ἱερέων ἐκφέροντας. Sive jam *efferant* versu, sive renuntient absenti vel attonito, sive quadantenus exponant Theologice, &c. Sive χρησμῳδοὶ sint, sive θεολόγοι, ut ipse declarat. Ita commentatus est *Eustathius*: ὑποφῆται δὲ ὡς ΥΠΟφητεύοντες τῷ ΠΡΟφητεύοντι ἐκεῖσε θεῷ. Tandem ipse *Herodotus*; qui illas Vates Dodonæas ideo Προμάντιας *Vice-Vates* appellavit. *Hebræis*, etiam extra Templi vel Μαντείου adyta, hoc genus *interpretum* fuit familiare, dicebaturque מתורגמן *Meturgeman*, qui non tam ex una lingua in aliam quid transferebat, sed quod celebris Doctor erat locutus aliis qui longius aberant, vel audire & intelligere non poterant fideli opera, & clariori quandoque sermone insinuabat. Non alio sensu fuit *Glaucias* apud *Alexandrinum Clementem* Stromat. lib. VII. Πέτρου ἑρμηνεὺς. *Petri interpres*, id est מתורגמן, ut *Nachmani Resch Lakisch*; & alii aliorum fuerunt. Qui Judæorum Doctorum mos, si notior fuisset, non adeo, & æstuaret *Baronius* ad A. C. 45. §. 32. ... qua mente *Marcus*, dein *Glaucias*, diceretur *Petri Interpres*; Et breviori gyro potuissent Viri summi reportare de Pontificiis victoriam, quum ex mentione *Interpretis* concludunt perperam *Apostolos* alio idiomate, quam quo nunc extant, sua scripsisse.

§. III. Omnium vero minime constat quid voluerit Poeta cum *Dodones*, quos hic vocat ὑποφήτας, in *Odyssea* dixerit Τομούρους. *Amphinomus* nihil procis aggrediendum suadet

Ην μὲν κ' αἰνήσουσι Διὸς μεγάλοιο Τομοῦροι.
Nisi id probent Jovis Magni Tomouri.

Dicitur vulgo quidem id nomen a vicino monte Τμάρος, aut Τόμαρος adeptos, quod jure repudiat in cultis Exercitationibus Clar. Gronovius, quem vide. Verum ubi tum pedem figemus? apparet quemadmodum ante in *Iliade*, sic nunc in *Odyssea*, affectavisse Poetam ut quæsitis, & singularibus, *Epithetis* mirabilem, & aliis Græcorum inassuetum, habitum istorum hominum moresque, vivo depingeret colore. Ideo voluit ὀνοματοποιεῖν, & novæ rei nova vocabula aptare. ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι &c. ejus Commatis itidem est τομοῦροι. Quod, si quid video, ut reliqua peculiare aliquod Hellorum ὑποφητῶν attributum, occulte continebit. Hoc ausim affirmare; sed quale tandem id sit, meum non est dicere. Ignorans, an quidem quæ subeunt deceat, bona

cum

cum lectoris venia, proferre. Quando tamen jacta est alea, progrediamur. Scimus *Ægyptios* olim *Sacerdotes*, undecunque profluxerit quod jam non agitur, tum *Doctos* atque *Prophetas* quidem *Circumcisione* usos; non adeo populum, Ἱερέας καὶ σοφωτάτους, *Sacerdotes* & *sapientissimos* ait *Josephus* c. App. lib. II. *Origines in Epist. ad Rom. Apud Ægyptios nullus aut Geometriæ studebat aut Astronomiæ; nullus certe Astrologiæ & Geneseos, qua nihil divinius putant, secreta rimabatur nisi circumcisione suscepta. Sacerdos apud eos, Aruspex, aut quorumlibet Sacrorum Minister, vel ut illi appellant Propheta, omnis circumcisus est.* Faciebantque illud ἁγνείας *puritatis* adipiscendæ majoris ergo. Non utique *corporeæ*, quid enim quæso huc facit circumcisio? olidum, quamvis circumcisum, Judæum quis munditie nitido *Athenarum*, *Romæ*, aut *Persidis* civi volet prælatum? sed exemplo *Abrahami*, qui maximo *Ægyptiis* in pretio erat *Gen.* xx. magis *spiritalis*; etsi id non satis perciperent Idololatriæ, sciebant tamen, aut fando acceperant, familiarius Se, & suam sapientiam, Deum patefacere iis qui erant circumcisi; confer Deut. IV. 6. 7. experti viderant hoc in *Josepho*, aliisque *Patriarchis*. Atque hæc judiciosissimo Græcorum Patrum *Theodoreto* circumcisionis Ægyptiacæ origo. *Quæst.* III. *in Exod.* inquirit unde sciverit *filia Pharaonis* Mosen, quem videbat, infantem *Hebræum* fuisse? & respondet ἡ περιτομὴ τοῦτο δεδήλωκεν, *Circumcisio hoc indicavit*. Pergit ἐντεῦθεν δῆλον, ὡς Αἰγύπτιοι κατ' ἐκεῖνον, οὔπω περιετέμνοντο τὸν καιρόν· ὕστερον δὲ τοὺς Ἑβραίους ζηλώσαντες, τὸν τῆς περιτομῆς ἠσπάσαντο νόμον.

§. IV. Jam iterum repetendum est, quæ *Dodonæi* Sacrarii quasi clavis perpetua, *Dodonæi Jovis* & *Osiridis Thebani*, Oraculi Sacrorumque omnem rationem omnino esse *geminam* & παραπλήσιον; *Herodoto* judice αὐτόπτῃ. Quid hinc sequitur? nisi *Dodonæos* ὑποφήτας, ex *Ægyptii Prototypi* ritu, quid suppar in se admittere religione quadam potuisse? cum non alia lege ullum *Ægypti Hierophantæ* in Arcanorum conscientiam admiserint: ideo Πυθαγόρας τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκὼς δι' αὐτοὺς περιετέμετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν, τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι Φιλοσοφίαν.

A *Pythagoras cum Ægyptiorum Prophetis congressus, propter eos etiam fuit circumcisus, ut adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret Philosophiam. Clems Alex. Strom. lib.* I. quod si verum est, nemo certe facile convincet falsi, jam hic forte invenimus τομούρους. Vel uti in Mss. & magis adhuc propinquum τομούρας. Οὐρὰ Græcis sumitur *metaphorice* pro ea parte quæ indicat virum. Hesych. οὐρὰ, τὸ αἰδοῖον. Ut & apud *Horatium* Sat. II. l. I. aliosque, *cauda*.

—— *Caudamque salacem*
Demeteret ferro.

Cum innumeris verbis, aut nominibus, ab initio jungendis hoc vocabulum componitur, hinc κόθουρος, κόλουρος, μείουρος, νώθουρος, μύζουρος, &c.
B quid vetat ut parili flexione sit fabricatum τόμ-ουρος cui ἡ οὐρὰ τέτμηται, ad morem Ægyptiorum? Quippe ψωλοί *recutiti*, tam familiaris est *Ægyptiorum appellatio*, ut absolute pro iis sæpissime dicatur. *Aristophanis Commentator* ad *Plutum*: ψωλὸς κατὰ Σουίδαν ὁ λειπόδερμος, ὀξυτόνως. οἱ δὲ Αἰγύπτιοι ψωλοὶ λέγονται, τοῦτ' ἐστι περιτετμημένοι. Et Aristophanes in *Avibus*: ψωλοὶ πεδίονδε *circumcisi in campos*! formula proverbii jactati in Ægyptios messis tempore. Ita *Schol.* κατὰ τὴν παροιμίαν, ὅτι ἐπὶ τῶν Αἰγυπτίων ἦσαν ψωλοὶ πολλοί. Retinebit, vereor, Lectorem ab assensu, quod meum quoque initio tardavit, parum videri pro decoro & gravitate Poematis *Homerici* his in partibus ludere. Verum ubi perpendi *Homerum* de his *Dodonæis* agentem studio
C rara & inassueta vocabula composuisse; loquentem induci juvenem procumque, satis honestam esse rei, non nisi vitio nostro inhonestæ, circumlocutionem, hoc me non adeo commovit; nec nimium commovebit forsan alios, qui haud magis gravia cognomina non jam Sacerdotum, sed Dearum Καλλιπύγου, *Pertundæ*, *Premæ*, Dei *Mutini*, &c. non in Poemate, sed templis cogitaverit apud Gentiles sonare. *Tmarus* Mons, Barbaræ linguæ subsidio, queat a *Tamar*, aut plur: *Tmarim* תמרים h.e. *Palmis*, aliisque arboribus quæ in eo crescerent, non male appellari. Hæc ut æquus Lector boni consulat rogo, dum temporis iniqui spatiis excluso hæc relegere, nedum limare, aut plura quæ possem addere, vix licet.

INDEX CAPITUM.

F I N I S.

JO. ANTONII VENERII,

NOBILIS VENETI,

DE

ORACULIS

ET

DIVINATIONIBUS

ANTIQUORUM,

TRACTATUS SUCCINCTUS, ET EXQUISITUS.

L E C T O R.

QVISQVIS ES EGREGIE CORDATVS, PROBE PIVS,
JO. ANTONIO VENERIO PATRITIO VENETO
PRIMVM BENE OMINARE:
DEIN LIBELLVM HVNCCE IN MANVS SVME,
IN QVO LICEBIT
ERVDITIONEM INSPICERE PRÆCLARAM, ET DOCTRINAM:
NON E SCHOLASTICORVM CENTVRIONVM MANIPVLIS
EVOCATAM,
SED E VETERIS ARCANÆ SAPIENTIÆ SVMMORVM DVCVM
PLANE IPSIS HVC CONDVCTAM COHORTIBVS:
AD HÆC
MVLTIPLICEM LECTIONEM, ET RERVM VSVM:
TETRICAM TANDEM ORACVLORVM
DISCIPLINAM,
ITA EXPOLITAM, ITA EVULGATAM:
VT, QVÆ ANTEHAC IN IPSIS LATVERE MYSTERIORVM
ABDITIS, NVNC DEMVM IN LVCE PRODEANT,
ELEGANTIORI ORNATV AD MAJESTATEM COMPOSITA;
NVLLO FOEDA SITV VETVSTATIS.
HVIC TV VIRO LONGE CLARISSIMO
LVBENS FAVE; ET MAXIMAM IN EO CVM NOBILITATE
SCIENTIAM AGNOSCE,
RARAM HOC SÆCVLO AVEM, ET VT SVPERVACANEAM,
ITA OSCINEM TEMPORVM FELICIORVM:
INTERIM DVM ILLE
MAJORA SPONDET, TV EXPECTAS, ET EXPOSCIS,
ACCIPE OBLATIVUM DE BONIS ARTIBVS AVGVRIVM,
LEGE, ET VALE.

FRANCISCUS CORTESIUS.

INDEX CAPITUM.

JO. ANTONII VENERII,

NOBILIS VENETI,

DE

ORACULIS

ET

DIVINATIONIBUS

ANTIQUORUM.



IN longo, laboriosoque libro, quem *de Religione* teximus, & apud Nos, ut multa dies, ac litura coerceat, adhuc retinemus, de Idololatricæ Religionis interitu sermonem habentes, inter causas, cur illa perierit, Oraculorum defectum numeravimus, quibus hominum fides erga Deos, illos præcipue nitebatur. Nam, cum primum Christiana Religio per orbem vulgari cœpit, Oracula fere omnia loqui desierunt: Cujus rei duo Ethnici Auctores, Porphyrius, & Plutarchus, præ cæteris testes sunt. Primus, qui in Christianos aliquando invehens dixit: *Mortales, ex quo Jesus colitur, nullam ex Diis utilitatem sensisse;* Alter, qui *de Oraculorum defectu* libellum composuit; quærens causam, cur defecerint? Nam sua ætate, præter unum aut duo, cætera omnia defecta, & obscurata tradit. Hos, quantumvis doctos viros, falsa Religio ita obcæcaverat, ut veram hujus rei causam noscere nequiverint: quæ, procul dubio, Christi in Terram adventus fuit. Sustulerat enim Dominus potestatem tenebrarum; & malis Dæmonibus vires ademerat, quibus Hominum genus fallere solebant. Quod Apollo Pythius fateri coactus est: quia (teste Nicephoro Calisto, in primo *lib. Historiæ Ecclesiasticæ*) is a Cæsare Augusto, quis in Imperio successurus esset, interrogatus, diu tacuit; & cum iterum atque iterum respondere, silentiique causam aperire, rogaretur, hæc tandem carmina protulit:

Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Lactantius quoque Firmianus, hanc veritatem in dies clarius apparuisse, testatur: cum in libri *de Vera Sapientia* cap. XXVII. tantam crucis virtutem sua ætate fuisse, scribat, ut, cum Idololatræ Diis immolare vellent, si quis fronte cruce signatus aderat, nec sacra litare, nec a Vatibus ullum responsum habere, quirent. Verum, quamvis procul dubio hæc vera sint; Nobis, prophanorum Auctorum sententias, de Origine, ac interitu Oraculorum, in hoc libro exponere, & examinare, mens est, quia ab eorum ineptiis, nostræ Religionis veritas clarius etiam patebit. Sed prius, cujusmodi Oracula ista fuerint, declarare oportet: Nam, cognito effectu, de causa facilius loquemur.

CAP. I.

Qualia fuerint Oracula Antiquorum.

PORPHYRIUS, & Jamblichus, tria Oracula ex omnibus, ut præcipua, commemorant. Unum apud Colophones in Ionia; ubi aqua bibita vaticinandi virtutem præbebat. Alterum apud Branchides, in eadem Provincia; ubi non aquam bibens, sed vapores ex aqua hauriens, divinabat. Tertium in Delphis; ubi ad os antri sedens vaticinabatur. Hujus Oraculi Delphici Origo, a Diodoro Siculo, in lib. *de vita Philippi Regis Macedonum*, exponitur. *Fama est*, inquit, *Oraculum hoc a Capris inventum fuisse, hincque Delphos, cum illud consulunt, Caprarum sacrificia offerre. Nam, cum eo in loco, ubi nunc Templi ostium est, Terræ hiatus pateret, quando circum pascentes Capræ in illum forte intuebantur, insuetam vocem statim emittere, gestibusque & saltibus ita exultare cœperant; ut Pastores admiratione afficerentur. Unde unus aliquando e Pastoribus, curiositate motus, ad cavum accedere, & intus inspicere ausus est: cum illico eadem perturbatio, quæ capris obvenerat, illum corripuit, & divino furore vexatus, futura prædicere cœpit. Hujus rei fama, per Regionem vulgata, plures illuc, ad hæc mirabilia perspicienda, traxit; & omnibus, experiendi gratia ad antrum accedentibus, idem, quod primo, evenit. Quare una omnium mente judicatum est, terrestre Oraculum ibi reperiri, & aliquandiu hic mos servatus fuit, ut, qui Oraculum consulturi adiverant, ad hiatum ipsimet se prosternerent, & alter alteri mutuo responsa daret. Verum, cum sæpe, divini illius furoris agitatione, aliquem interire contingeret: statutum fuit, Fœminam eligi, quæ ab Oraculo prædictiones acciperet, & cunctis responderet: cui, ut tutus ad hiatum esset accessus, machinam super ipsum, tribus pedibus fultam, ædificarunt, quæ Tripus nuncupatur.* Hæc de Oraculo Delphico Diodorus. Quibus ex Herodoto addendum est; non unam Fœminam tantum, quia non suffecisset; sed plures huic Oraculo simul inserviisse. Scribit enim Herodotus in *Erato*: *Perialam, vaticinantium mulierum Antistitem apud Delphos, a Cleomene donis corruptam.* Ex quibus, vaticinantes mulieres Delphis non unam, sed plures fuisse, apparet. De

aliorum duorum Oraculorum origine, nil reperi. Sed Fœmina iis etiam præsidebat, quæ multis ritibus, & cæremoniis (teste Jamblicho) ad Deum recipiendum, se parabat, antequam ad aquas accederet, & in furorem verteretur. Branchidicaque mulier, in hac præparatione, triduum conterebat, antequam responsa daret. Præter hæc tria Oracula, idem Diodorus Siculus, in libro *de vita Alexandri*, de alio meminit, quod erat in Libya, & Jovis Ammonis nuncupabatur: estque illud, a quo magnus Alexander, ipsius Jovis filius, dictus fuit. Oraculum istud peculiari quodam modo habebatur. Templum inter multas arbores constructum erat, prope fontem Solis, propterea nominatum, quia ejus aquæ, Sole accedente, frigidæ, & recedente, calidæ evadebant. Unde in meridie, frigidissimæ, & noctis gallinicinio, calidissimæ reperiebantur. In hoc templo, Dei simulacrum, smaragdis, aliisque gemmis compositum, residebat, quod Sacerdotes mane, aurea quadam navi impositum, humeris gestabant, quo ei voluntatem eundi esse noverant, magna Virginum, Matronarumque turba, pæana canentium, & Deum cantu patrio laudantium, subsequente. Non refert autem Diodorus modum, qui ab Oraculo isto in dandis responsis servabatur: neque Nos apud alios illum invenimus. Cæterum, hoc Ammonis Oraculum Delphico antiquius fuisse, ex Pausania conjicimus. Scripsit enim, in libro *de rebus Eliacis*, Pausanias; constare, Græcos Libycis Oraculis, olim usos fuisse; cum extent aræ, in Ammonis Templo ab Eleis dedicatæ; in quibus incisum sit, de quo Oraculum Elei consuluerint, & quod responsum acceperint. Verisimile autem non videtur, Eleos tunc temporis longinquum Oraculum extra Græciam consulturos adiisse, dum tanti nominis Delphicum propinquum habuissent. Idem Pausanias, in libro *de rebus Phocicorum*, docet; cur Oraculum Delphicum Apollini adscriptum sit; & inquit, illud in initio Telluris fuisse nuncupatum, quia Tellus ore suo responsa dabat; Tellurem postea illud Themidi donasse, & Themidem Apollini tandem tradidisse. In quibus Pausaniæ dictis, non minima quidem latent mysteria. Nam, cum Oraculum istud a Terræ hiatu proveniret; primi illius Inventores, nil ulterius considerantes, Telluris illud dixerunt, sed posteri, cognoscentes, nil a Terra, absque Cœli virtute, fieri, & non omnia, sed honesta a Diis petenda, Themidi Deæ, ex Cœlo, Terraque ortæ, & cujus munus erat, mortales docere, quid a superis petere fas esset, idem adscripsere; ut scilicet significarent, Oraculum non a Terra tantum; sed a vi ex Cœlo, Terraque emergente, produci, & monerent singulos, ne injusta petituri illud adirent. Recentiores tandem, perspicientes Solem Patrem omnium, quæ in Terra fiunt, & sine illius ope nil oriri, sed communem matrem tot effectus, ab eo gravidatam, parere, Apollini, solari Numini, Oraculum donarunt. His quatuor Oraculis, alias in Ægypto antiquiora reperiebantur. Nam Ægyptus omnibus Regionibus antiquior dicitur; & ab eo in cæteras Provincias, præcipueque in Græciam, omnis falsa Religio manavit; Herodotusque tradit, duas Fœminas, Jovis Thebani Sacerdotes, ex Ægypto digressas, duo Oracula, Delphicum in Græcia, & Dodonæum in Africa, condidisse; quibus duobus Oraculis, Nos illa duo Ioniæ recentiora putamus. Nam Iones, Asiæ minoris Populi, originem habuere a Ionibus Græcis, qui eo migrarunt. Verum, utcunque de antiquitate sit; certum est, hæc quatuor Oracula mirabilitate, & fama, cæteris omnibus anteisse.

Non desunt tamen alia, silentio minime prætereunda, quæ ab Ipso Pausania memorantur, ut unum Apollinis, apud Corinthios; cui Virgo, viri consuetudine prohibita, assidebat: quæ noctu, singulis mensibus, agna (ut vocant) facta, & victimæ sanguine illico postea libato, divino furore replebatur. Et aliud maxime veridicum, (ut inquit) in fonte ante Cæreris Ædem, apud Achæos; ex quo rerum omnium, & morborum præcipue, futura cognoscebantur eventa; quod erat hujusmodi. Demittebant consulentes speculum, tenui suspensum funiculo, usque ad aquam, ita, ut illius summitatem attingeret: postea sacrificiis, & precibus, Deam conciliabant, quo facto, in speculum intuebantur, & ex imaginibus, quas in illo videbant, an æger victurus, vel moriturus esset, poterant divinare. Apud Cyaneos quoque, Apollinis Tyrei Oraculum reperiebatur, ubi, qui in fontem descendebant, omnia, quæ desiderabant, vaticinabantur. Vesta etiam suum Oraculum apud Corinthios habebat, ubi illam consulentes, cum thure incenso, lucernis accensis, & nummo donato, benevolam prius reddidissent, interrogabant, & ad ipsius simulacri os aurem illico apponebant; quam postea manu prementes, templo egrediebantur, & egressi aperiebant, primamque vocem, quæ aure patefacta excipiebatur, Oraculi responsum judicabant. Tandem aliud Herculis Oraculum, in eadem Corinthiorum regione fuit, ubi ex talorum jactu futura noscebantur. Tali erant variis litteris inscripti, ita ut ex eis verba componi possent; hos, qui Oraculum consulebant, Deo precibus prius placato, manu confuse sumptos super mensam jaciebant, & ex litteris, quas monstraverant, verba componendo, verborum sensum, Oraculi responsum existimabant. Hæc omnia Oracula a Pausania referuntur: præter quæ adfuerunt etiam nonnulla, quibus ipsamet Deorum simulacra loquebantur, nec multis etiam mulieribus fatidicis, ac vatibus, nulli certo Numini assistentibus, Antiquitas caruit. Aderant quoque multi Doctores, non quidem ipsi furore perciti; sed qui fanaticorum dicta intelligere, somniorum significata noscere & ex victimarum extis, aviumque volatu, futura prædicere gloriarentur. Horum omnium causas, cur fuerint, & cur esse desierint, ex profanis Auctoribus requiremus. Et quia hæc omnia in Idololatrica Religione fuerunt, quid de his, ab illius Sacerdotibus, Theologisque creditum sit, prius investigandum, & ab Ægyptiis, ut antiquioribus, ac a Mercurio Trismegisto, illorum Theologiæ auctore, incipiendum est.

Cap. II.

Exponitur sententia Mercurii Trismegisti.

Mercurius Trismegistus (teste Marsilio Ficino) primus Theologiæ auctor fuit: & ab eo omnes alii Theologi emanarunt: qui unus post alterum quinque fuerunt: Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras, Philolaus, & Philolai discipulus Plato; a quo ipsa Theologia penitus absoluta est. Mercurius, ut quidam dicunt, viginti-mille; ut alii referunt, triginta sex-mille, quingenta, & viginti-quinque, volumina conscripsit; sed ex tantis duo tantum, Pimander, & Asclepius, supersunt; ex quibus, quid ille de Oraculis senserit, exquirere possimus. Aliorum vero quatuor Theologorum libros tempus omnes delevit: quocirca eorum sententiæ non satis constant, nihilominus ex Plutarcho, Porphyrio,

Jamblicho, aliisque recentioribus illa Theologia initiatis, quænam esse potuerint, comprehenditur. Platonis mens, cum tot illius libri habeantur, nemini eis studenti ignota esse potest. Mercurius ergo putavit, præter cœlestes Deos, naturas alias, inter illos & Homines medias, reperiri; quas Angelos, & Dæmones, & aliquando terrenos Deos appellat. His omnium Oraculorum, ex statuis loquentium, ortus & interitus causam attribuit; videlicet, ut Oracula durent, quousque Dæmones in statuis morantur; & eadem pereant, cum illi ex eis egrediuntur, cur vero hæc ab ipsis Dæmonibus fiant, varias rationes adducit. Eos, inquit, Regionem, inter Cœlum & Terram interjectam, incolere, & ex herbis, lapidibus, aromatibus, aliisque terrestribus, vim divinitatis naturalem in se habentibus, constare: Unde, ut prope nos habitantes, & nobis quasi amica cognatione junctos, amore erga humanum genus affectos esse; propereaque Hominibus, prout illorum natura fert, diversis modis auxiliari; fortibus futura prædicendo, & alia ad nos pertinentia curando. In statuas quoque, a nobis constructas, ingredi, & ex illis responsa dare; multosque annos in eis, ob varias causas, morari. Primum, quia statuæ ex materia eis congruenti factæ sunt, deinde, quia Homines multis illecebris eos in illis detinere sciunt; ut frequentibus sacrificiis, hymnis, laudibus, & harmonicis concentibus, quibus delectantur. Nam, cum ex terrestribus constituti sint; voluptate, dolore, aliisque passionibus, non carent. Ex statuis postea exire: sive quia ipsæ statuæ tempore corrumpantur: sive quia earum cultus ab Hominibus prætermittatur; sive quia ipsi Dæmones, ob aliquam negligentiam, irascantur colentibus; sive tandem, quia morandi satietate affecti sint. Ne vero Mercurius incredibilia dixisse visus esset; dicta pro viribus probat; & Hominis naturam, quantum potest, in primis extollit; ne, Oracula ab illo formari potuisse, mirum sit. Hominem ergo, animal venerandum, & prædicandum, magnumque Mundi miraculum, appellat; qui ex omni natura constitutus sit, cœlesti, terrena, mortali, ac immortali, & omnibus tam superioribus, quam inferioribus, jungatur; parte, quæ ex anima, sensu, spiritu, & ratione constat, divinis; parte, quæ ex igne, aere, aqua, terraque conficitur, sublunaribus: sed quando se ipsum a cupiditatibus earum rerum separat, quas mortalis pars appetere solet, animumque a corpore abstrahit; tunc quasi in essentiam Dei transfiguretur, & cœlicolis vel præstantior, vel dignitate par, evadat, potestatemque maximam acquirat: ita ut, quemadmodum Deus cœlestium deorum est effector; ita ipse Deos illos, qui in Templis habitant, efficere possit, statuas videlicet, animatas sensu, & spiritu plenas, præsciasque futurorum. Hujusmodi, subjungit, Proavos nostros fuisse; qui tamen cœlestis Dei perfectam cognitionem non habuerint. Nam, eo cognito, Deos terrenos non curassent, sed ingrati de illo, & a Divina Religione valde aberrantes, artem, qua Deos efficerent, excogitarunt; statuasque extruxerunt, in quas, cum ipsi animas creare non possent, Dæmonum, vel Angelorum animas evocarunt. Hæ autem vocatæ, venerunt: tum quia horum Hominum magna vis erat; tum quia Angeli & Dæmones, tantam cognationem cum Hominibus habent, ut ad nostri obsequium propria natura trahantur. Hæc est Mercurii de Oraculis sententia, ex illius libris a Nobis excerpta, & quam paucissimis explicata: Quæ Oracula aliquando omnia defutura, his verbis prædixit: *Linquetur Ægyptus;*

A *& Terra, quæ fuit Divinitatis sedes, Religione viduata, Numinum præsentia destituetur: alienigenis enim Regionem istam, terramque complentibus, non solum neglectus Religionum; sed, quod durius, quasi legibus præscripta pœna, a Religione, pietate, cultuque divino prohibitio erit. Tunc Terra ista sanctissima, sedes delubrorum atque templorum, sepulchris, mortuisque plenissima videbitur. O Ægypte, Ægypte, Religionum tuarum solæ supererunt fabulæ, incredibiles Posteris tuis, solaque supererunt verba, incisa lapidibus, tua pia facta narrantibus: & inhabitabit Ægyptum Scythes, aut alius vicinæ Barbariæ Populus; Divinitasque repetet Cœlum.* B His dictis hæc paulo inferius addit: *Nova constituentur jura, lex nova: nil sanctum, nihil religiosum, nec cœlo, nec cœlestibus dignum, audietur, aut credetur.* Hæc aliaque similia, Mercurius, quibus Mahometanam superstitionem vaticinatus videtur; & defectum Oraculorum, neglectui, defectuique Religionis tribuit; dicens, Oracula defutura, quando Homines Religionis expertes impiique evadent, neque enim tunc Idola colent, neque ea fabricabunt; neque in illis Dæmonum animas introducere valebunt; Dæmones vero, cum se neglectos viderint, ab antiquis etiam statuis di- C scedent. In his tenebris ergo Mercurius fuit; ut Oraculorum defectum Hominum vitiis, & Dæmonum iræ potius, quam Divinæ potentiæ, adscripserit. Nunc, quid de Sibyllis, & Vatibus etiam crediderit, videamus.

Hos quoque divina virtute putat vaticinari; sed quomodo eos Dii suo spiritu repleant, non declarat. Cæterum, inquit, Hominem Diis nulla ratione melius, quam Religione, jungi, eos enim nostris admirationibus, venerationibus, laudibus & obsequiis, delectari: propterea Musarum chorum e Cœlo in Terram demisisse; ut sonis & cantibus harmonicis, eos colere possi- D mus. Tunc vero perfectissimam esse Religionem, quando a singulis cupiditatibus, & omnium rerum, quas mortalis pars appetit, desiderio, animus separatur, quia ipse ad divina, & mortalia, simul adjici nequit; imo eo magis a Divinis sejungitur, & partis superioris vim amittit; quo magis mortalibus mancipatur. Sed hac de causa paucos in Terrarum Orbe Religiosos reperiri, quia plurimos corporeæ, terrestresque voluptates, a Divinitatis contemplatione, abstrahunt; quorum anima insanabilibus vitiis vulnerata, inscitia & imperitia quoque opprimitur; & iisdem passionibus, quas Brutorum animæ patiuntur, E obnoxia evadit: quocirca, cum a Divinis omnino sejuncta, & tota in terrestria sit immersa, a divina mente prorsus destituitur; quæ iis contra, quæ bonæ, piæ, puræ, sanctæ, religiosæque sunt, semper adest, contraque imminentia mala opem fert: eas ab ignorantia liberans, nocte per somnia, die per portenta, per aves, per victimarum viscera, per Spiritum, & per Sibyllam docens; ita ut præterita, præsentia, & futura, noscant; claram intelligentiam adipiscantur; & ipsi Divinæ essentiæ, prout fieri potest, similes fiant. Quare ex hac Mercurii doctrina nil aliud F percipitur; quam Sibyllas, & Vates, esse Dei opus, ad proborum, religiosorumque Hominum beneficium; quorum mens tanto fulgore ab ipso Deo illustretur, ut propheticis dictis enunciata intelligere, & a malis cavere possint. Non cognoscitur vero, quo modo Sibyllas, & Vates Deus hac vaticinandi virtute repleat; sed a Porphyrio, & Jamblicho, id explicabitur, qui ab ipso Mercurio forsan didicerunt, cum multos illius libros isti viderint, quos Nos non habemus, & hanc tam præcipuam doctrinæ partem ab eo

Prætermissam fuisse, verisimile non sit. Verum quia de Angelis, & Dæmonibus, tam a Mercurio, quam ab aliis Theologis, mentio sæpe fit: ut dictis claritas insit, quid Angeli, & Dæmones apud hos fuerint, antequam ulterius progrediamur, operæ pretium est indicare.

Cap. III.

Antiquorum sententia de Angelis, & Dæmonibus.

Antiqui, licet Deorum, & Dæmonum nominibus (ut notat Plutarchus) promiscue sæpe usi sint, non tamen Deos, & Dæmones, idem esse, immo plurimum differre, putarunt: neque tamen, ut Nos, naturam Dæmonum invisam, detestandam, & infimam; sed nobilem, amandam, colendam, humanisque animis præstantiorem, crediderunt, quod inde evenit; quia post Diluvium Homines, iterum numero aucti, & per orbem divisi, cum veri Dei notitiam amiserint; Angelorum quoque, ac Dæmonum veram cognitionem perdidere, & quemadmodum humana prudentia, Orbem Deo carere non posse, cognoscentes, summi Creatoris loco, falsos Deos excogitarunt, ita, plurium effectuum causas ignorantes, quas Deo tribuendas non putabant, naturam Dæmonum longe aliam ab ea, quæ sit, statuerunt: neque eam ab Angelica distinxere, nisi loco (ut quidam dicunt) & parva quadam excellentia: ex Dæmonibus eos, qui partem Cœlo proximiorem habitant, Angeli nomine vocantes. Cæterum, ut plurimum ab omnibus, Dæmones Angeli quoque nuncupati fuere, ob nunciandi officium, quo assidue fungi credebantur. In quem errorem Antiquos, non tam humani ingenii cæcitas, quam ipsorum communium Hostium fraus impulit; qui hinc Hominum genus subjicere, & Deo Cœlestibusque debitos honores usurpare voluere. Propterea hæc falsa de Dæmonibus doctrina, antiquissima est, & hujus inventionem, quidam Zoroastri, quidam Assyriorum Magis, & quidam Ægyptiis, tribuunt. Sed quicunque illius auctores fuerint, ipsi hac de causa eam excogitarunt. Videntes, & audientes multa mirabilia, ut voces in aere, statuas loquentes, Homines fanaticos, qui futura prædicere, & vocibus peregrini sermonis, quem nunquam didicerant, uti scirent, ac alia Naturæ humanitatisque vim superantia, neque hæc a Diis cœlestibus fieri putantes: quia eos a materialibus nimis abstractos, & a Nobis sejunctos credebant, cum quilibet effectus suam habeat causam: alias Naturas, inter humanam & divinam existentes, cœlestibus Diis inferiores, & Hominibus proximiores, ponere coacti fuerunt, in quas omnium mirabilium causas conferrent. Has autem reperiri, Plato duabus præcipuis probat. Prima in *Convivio*, quæ est hujusmodi. Postulat Orbis perfectio, cuncta, quæ in eo sunt, vinculo quodam connecti. Quod cum in corporibus optime factum inspiciatur; quia elementa se mutuo tangunt, & quæ ex illis contraria invicem sunt, mediorum interpositione simul in Mundo, quasi in uno corpore, junguntur: idem in animis fieri credendum est. Quare, cum Dii & Homines natura maxime distent: Dæmones interjici debent, qui medium locum impleant, & distantes conjungant, idque non solum natura, sed muneris functione etiam præstent, interpretando, & trajiciendo humana ad Deos, & divina ad Homines, videlicet Deorum monita, & præcepta, ad nos, preces, & sacrificia nostra, ad illos. Secunda ratio in *Epinomide* sic adducitur,

A quinque præcipua corpora in orbe reperiantur, Terra, Aqua, Aer, Æther, & Ignis; Terraque habeat sua animalia, ut Homines, & Ignis sua, ut Sydera, suis tria reliqua carere, verisimile non est, non enim, quia non videntur, debemus illa inficiari. Nam a corporum qualitatibus, ut Animalia cernantur, vel non cernantur, evenit: & Terrestria quidem, ob terræ densitatem, igneaque, ob ignis lucem, visibilia sunt: Aerea vero, & Ætherea, ob horum elementorum raritatem, visui non patent: Aquea autem, ut Semidei, aliquando apparent, magnam admirationem videntibus afferendo. Quare Dæmones, æthe- B reum ac aereum, in tertia mediaque Regione reperiri, Plato statuit: quos, ob laudabile munus, quo funguntur, Nos precari, colereque debeamus. Huic Platonis sententiæ, omnes Academici, sequentibus seculis, semper assensere. Nam Plutarchus in *lib. de defectu Oraculorum*, scripsit, omne inter Deos & Homines commercium ab iis tolli, qui Dæmonum genus non concedunt; cum naturam interpretem, & administram, removeant. Apulejus, in *libro de Deo Socratis*, Deos, inquit, adeo sublimes esse, ut nullus eorum Hominibus misceatur; nihilominus eorum C cultum non auferendum, quasi preces nostras non audiant, & nostra vota ad eos non perveniant; quia sunt quædam divinæ mediæ Potestates, inter æthera & terras, in hoc aeris spatio positæ; quibus desideria nostra, preces, merita, & munera, ad Deos referuntur, & a Diis etiam ad Nos suppetiæ portantur. Proclus quoque, in commentatione Platonis dialogi, qui dicitur *Alcibiades primus*, scriptis mandavit, neminem recte considerantem, aliam quandam nobis proximam providentiam, ad nostra omnia pertinentem, præter Dæmonicam, inventurum: quia Dæmon omnia, quæ in nobis, & circa Nos sunt, gubernat. D Cæterum, Marsilius Ficinus, præ cæteris diligentius, in *Theologiæ Platonicæ lib.* IV. & in pluribus Platonis *dialogorum* commentationibus, & argumentis, Platonicam opinionem explicat ac defendit: asserens, aqueos Semideos esse illos, qui Nereides vocantur ab Orpheo; & Zoroaster inquit, in Africa, & Perside, cerni in quibusdam sublimioribus aquæ exhalationibus, ab iis, qui acutioribus oculis præditi sunt. Et quia dicere aliqui potuissent, nil opus esse Dæmonibus & Semideis, ne aer, & aqua suis animalibus careant, quandoquidem aer avibus, & aqua piscibus abundat; Confutat Marsilius pluribus rationibus sententiam E hanc. Primum, quia pisces, & aves terrestria potius, quam aquea & aerea animalia, sunt: cum in terra degant, & terrestri cibo utantur, nec ulla avis ultra montium vertices volet; deinde, quia non debent hæc elementa rationalibus animatis carere: cum terra his non careat; & tamen inferius, viliusque elementum sit. Quod si aliquis quæreret, cur non in aere, & æthere, quemadmodum in terra, & aqua, duplicis generis animalia reperiantur, videlicet ratione prædita, & rationis expertia? Respondet Marsilius, ab inferiorum elementorum impuritate, provenire Animalium irrationalium procreationem, propterea que ea a F cæteris, purioris substantiæ elementis, non procreari. Hæc est Marsilii Ficini, Platonicæ sententiæ de Dæmonibus, explicatio: De quibus Plato non idem sensit omnino, quod Theologi Ægyptiorum. Mercurius enim appellat Dæmones, terrenos Deos, & putat, eos ex herbis, lapidibus, & aromatibus constitutos, terrestribus qualitatibus præditos; & propterea terrenarum rerum oblatione delectari. Plato vero Dæmones, ætherea, aereaque animalia vocat; non quia ter-

terreſtris ſubſtantiæ expertes omnino ſint, ſed quia ex æthere, aut aere, præcipue conſtent. Mercurius etiam mali & ultoris Dæmonis, ſæpe mentionem facit: quia cum ex eis, quæ a Dæmonibus fieri credidit, quædam bona, quædam mala eſſent; Dæmonum genus, in bonum, & malum diviſit, & huic ſententiæ omnes Ægyptiorum Theologi poſtea aſſenſi ſunt. Sed Plato (ut mihi videtur) nullos malos Dæmones poſuit: cum eos ex purioribus elementis, quam Homines, conſtare, & laudabili munere fungi, putavit. Verum, quia ob mala, quæ in orbe fiunt, Antiqui malos Dæmones cogitarunt, & hos quarundam etiam divinationum auctores crediderunt: propterea illorum, de malis Dæmonibus, & de ipſo malo, ſententia diſtinctior, & copioſior, eſt explicanda.

CAP. IV.

Quid de Malo, ac de Malis Dæmonibus, ſenſerit Antiqui.

QUONIAM bona, & mala in Orbe procul dubio reperiuntur; (nam ſanitatem ægritudo aufert; generationis opera corruptio deſtruit; & virtutibus vitia adverſantur) immo in his ſublunaribus nullum bonum tam ſincerum exiſtit, quin eidem multa mala admiſta ſint: magnum antiquis ſapientibus negotium datum eſt, unde hæc diverſa; an ab eodem, vel a diverſo principio, proveniant; inquirendi. Et Homerus, quamvis clariſſimum ei, ſine exemplo, illuxerit ingenium; in hoc certe non divinus Vates, cum bona malis permiſta videret, & cuncta a Deo proficiſci crederet; finxit, in Jovis limine, duo jacere dolia plena ſortibus; unum bonis, alterum malis; e quibus Jupiter miſturam quandam faciat, quam Nobis impertiat: indeque Hominibus, nec bona, nec mala prorſus; ſed hæc invicem confuſa, eveniant. Quæ Homeri opinio, cum ipſe etiam iram, libidinem, odium, omneſque perturbationes affectuum Diis alias attribuerit, poſterioribus Poetis pejora dicendi occaſionem præbuit; videlicet, Hominum genus, ut a Titanibus originem ducens, Diis odio eſſe, & ab illis propterea in Terrarum orbe, quaſi in carcere quodam, detineri, & omnibus miſeriis circumveniri. Verum hæc ab omnibus Sapientibus, qui ante, & poſt Homerum fuere, confutata ſunt. Nam neque Magi, qui Ægyptiis antiquiores dicuntur, (teſte Plutarcho in libro *de Iſide, & Oſiride*) conſonum exiſtimarunt, ut primus aliquis poneretur, qui Cauponis inſtar, e duobus doliis veluti liquorem quendam miſceret, ac diſtribueret, & Plato Homerum e ſua Republica expulit: dicens, bonorum ſolum Deum eſſe auctorem; malorum autem, quamlibet aliam, præter Deum, cauſam quærendam. Quoniam igitur bonum a malo non oritur, & nihil abſque cauſa fit: Zoroaſtri, Magorum Principis, ſententia fuit, duo principia contraria, ſive duos Deos, contrariis deditos artibus, reperiri: quorum altero bona, altero mala efficiuntur, & bonorum effectorem Deum, malorum Dæmonem, vocavit; propriaque etiam nomina ambobus indidit: Oromazem illum, Arimanium hunc dicens, & ex rebus ſub ſenſum cadentibus, primum inquit luci, alterum tenebris ſimiliorem, & primo victimas pro gratiis agendis, & bonis impetrandis: ſecundo, mali averruncandi cauſa, immolandas: a primo bonos, a ſecundo malos Deos fuiſſe creatos, & inter hos alium Deum intermedium, nomine Mitram, exiſtere, ſed fatale tempus appetere, quo Arimanius

A omnino perdatur: Terraque omnis æquabilis, & plana, vel una civitas beatorum hominum, evadat: qui una lingua tantum utantur, ne quid ad felicitatem deſit. Hæ Magorum fabulæ, a Manichæis omnino fere poſtea receptæ ſunt; quos D. Dionyſius Areopagita, libro *de divinis nominibus*, rejecit: probans, in pejorem errorem labi, qui duo principia ponunt, quam qui malum a Deo provenire opinantur. Nam, ſi duo rerum principia, invicem contraria & repugnantia, reperiri concedatur: nec Deus ipſe a detrimento, moleſtiaque, procul aberit, ſiquidem non deſit, quod ipſum quoque perturbet. Ægyptii vero Magis

B prorſus non aſſenſere; non enim ob mala, quæ in rerum natura videntur, unum generale principium malorum, Deo adverſum; ſed ob injuſta, quæ probis Hominibus evenire creduntur, malos Dæmones poſuere; ut ex Porphyrio, & Jamblicho patet, quorum hic, in libro *Myſteriorum*, hæc ſcripſit. *Verum, ſi quis forte convicerit, ex imprecationibus ad ſuperos factis, adverſa quædam aliquibus injuſte contingere, alias quaſdam præter Deos, bonaque Numina, cauſas inquirere compellemur, quas ſi forte non invenerimus, non tamen ob hoc ſuſpicari aliquid debemus de Diis, indignum di-*

C *vina natura, eaque ſcientia certa, quæ de bonitate Deorum noſtris intelligentiis eſt innata, in qua procul dubio Græci omnes Barbarique conſentiunt. Proinde, cum malorum ſpecies diverſæ ſint, atque diſſidentes, non in unam, ſed in diverſas referendæ ſunt cauſas. Si verum eſt, quod de Idolis dicebamus, improbiſque Dæmonibus, hinc ſane exoritur multiplex origo malorum.* Hæc Jamblichus. At quæreres; Unde malos Dæmones originem habuiſſe, Ægyptii crediderint: cum, ex eorum doctrina, dici nequeant a Deo creati? Opinio Ægyptiorum fuit, omnes Dæmones a Deo bonos creatos, ſed quoſdam, electione prava, ſponte malos

D evaſiſſe. Quod a Pherecyde Syro etiam comprehenditur, qui ſcripſit, multos Dæmones, Ophioneo ſerpentino duce, defeciſſe a Jove, & Jovem eos ad inferos deturbaſſe, quo ipſi nunc Homines trahere conantur. Neque in hoc quidem ſolum, ſed in omni fere malorum Dæmonum natura explicanda, Ægyptii cum Chriſtianis Theologis convenerunt. Unde enim, niſi ex Ægyptiorum cupa, Porphyrius & Jamblichus perpotarunt, malorum Dæmonum proprium eſſe mendacium; hos eſſe eos, qui in oraculis mentiuntur, & turpia conſulunt: hos omnia agere, ut Dii videantur, & Poteſtatem eis præſidentem cupere pro Deo

E maximo haberi, propter eaque veritatem aliquando dicere, ut fidem noſtram ſibi concilient, & quædam bona quandoque præſtare, ut nobis boni appareant? Facile igitur Magis & Ægyptiis fuit, malorum cauſam aſſignare: cum illi malos Deos, & iſti malos Dæmones, conſtituerint, ad quos mala poſſent referri. Sed malorum, quæ in Natura fiunt, ut ægritudinum, corruptionum, & hujuſmodi; quam originem Ægyptii reperient, cum eorum culpam in malos Dæmones non conferant? Et Plato, qui omnes Dæmones bonos credidit, unde hæc, & cujuſvis generis mala, proficiſci dicet? quod ad Ægyptios attinet, Mer-

F curius, in *Pimandro*, huic dubitationi abunde ſatisfacit: inquit enim, has paſſiones creata opera ſequi, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. Unde quemadmodum Faber ferrarius non induxit rubiginem, neque animati corporis genitor cœnum ac fordes: eodem modo nec Deus etiam malum, ſed generationis perſeverantia mali cauſam præbet, & propterea Deus mutationem rebus inſtituit, ſeu quandam generationis ipſius purgationem. Ex qua doctrina colligitur, a

A Deo non solum mala non fieri: sed impediri, & alia bona ex illis educi. Nam, cum necesse sit, generata corrumpi, ut generatio perpetua fiat: corruptio non quidem a Deo: sed a passionibus generationem consequentibus, provenit, & Deus pro sua bonitate facit, ut ex unius corruptione alia res generetur, quod est, veluti generationem, corruptionis sordibus inquinatam, abluere, ac purgare. Unde in eodem *Pimandro* scripsit, falsis quibusdam appellationibus Hominum mentes turbari: quia neque generatio vitæ creatio est: sed latentis vitæ explicatio: neque corruptio mors est, sed potius occultatio. Plato vero, hanc Mercurii B sententiam omnino recepisse videtur. Nam in *Politico* inquit, Mundum, cum prius deformis & absque ordine esset, præsenti ornatu a Deo decoratum, & ipsum ordine, quem habuit, certo temporis spatio sponte motum fuisse, sed quia natura corporea, mutationis expers omnino esse non potest, immo priscæ naturæ fomes Mundo semper inest; hinc fieri, ut, procedente tempore, ipse ab accepto ordine discedat, ac deformetur; periculumque subeat, ut cum omnibus, quæ in eo sunt, prorsus dissolvatur. Sed Deus, primi ordinis auctor, eum in tanto discrimine positum videns, miseretur, & resumptis gubernaculis, iterum C astat, & præsidet, ægrotantiaque omnia & dissoluta corrigit, ac in ordinem restituit, Orbemque a senectute & morte plene liberat. Quare omnium naturalium malorum culpa, in naturam corpoream, materiamque, a Platone confertur. Unde non sine causa Plotinus, nil boni in materia reperiri, & naturam corporum eatenus malam, quatenus materiam participat, scripsit. Malorum autem, quæ Hominibus eveniunt, Plato, quædam nostra culpa tantum oriri, & quædam esse mala, quamvis nobis videantur, existimat. Nam, si de pœnis loquamur, quibus a Deo affi-D cimur, hæ quidem malæ non sunt: cum improbitatis medicina sint, qua justiores reddimur. Soli vero improbitati, & ignorantiæ, mali nomen convenit; sed hæc a corpore tantum proveniunt: quia anima humana, antequam corpus ingrediatur, respicit Ideas, & vera entia noscit, corporeisque cupiditatibus non est obnoxia. Tantum vero abest, ut, ex Platonis sententia, Deus horum malorum causam det: ut quinimmo scriptum sit in *Timæo*, neque etiam illam animæ nostræ partem, quæ perturbationibus afficitur, a Deo creatam fuisse, sed inferioribus Diis, ut hanc conderent, & ad immortalem naturam mortalem texentes, Hominem facerent, Deum mandasse: E quia, si a Deo solo Homines fierent, Diis adæquarentur. Non putavit ergo Plato a suprema Mentis divinitate, quid posse fluere, nisi divinum, impassibile, & immortale, adeoque bonum, ut non solum evadere non possit malum, sed neque receptaculum malorum. Quam sententiam Plutarchus, & Philo postea amplexi sunt. Nam ille, in libro *de Animæ procreatione*, dixit, non omnem animam nostram esse Dei opificium: cum verisimile non sit, eam partem a Deo conditam fuisse, quæ perturbationem, rationi ad-F versantium, fons est, & hic, in libro *de Mundi fabrica*, scripsit: Hominem, cum prudentiæ, & imprudentiæ, fortitudinis, & timiditatis, justitiæ, & injustitiæ, honesti, & turpis, boni, & mali, ac, (ut summatim dicatur) virtutis, & vitii capax sit, non solius Dei opus esse: quia non conveniebat, Deum, qui Hominum Pater est, Filiis suis malorum causam dare, sed ipsum, ad constituendum Hominem, alios tanquam cooperatores vocasse, a quibus fieret pars receptrix malorum: & propterea plurium numerum adhibentem, ut in libro *Genesis* habetur, *Faciamus Hominem*, dixisse, plures enim ad Hominis constitutionem convenerant. Itaque Philo, quamvis sacris Litteris imbutus, sanctissimam Trinitatem ignorans, in Platonis errorem lapsus est. Mihi vero eorum opinio magis probatur, qui dicunt, malum inter ea, quæ existunt, non numerari; sed defectum privationemque tantum esse, cujus sententiæ fuit Proclus, in libro *de Malo*, & Athanasius, in oratione *contra Idola*. Sed in hac quæstione nunc morari non possumus; ne a proposito Nos adducat: cum ad Porphyrii, & Jamblichi sententiam, de Oraculis, explicandam, accedere jam debeamus.

Cap. V.

Quam sententiam de Oraculis, & Vatibus, Porphyrius habuerit.

Porphyrii sententia, ex illius libris *de Abstinentia ab esu carnium*, & *de Sacrificiis*, ac ex iis etiam, quæ de illo a Jamblicho, illius Discipulo, referuntur, comprehenditur. Is omnis vaticinationis, tam bonæ, & legitimæ, quam pravæ, & reprobandæ, causam afferre conatur: & vaticinationem legitimam, ad Deum supremum, inferioresque Deos, & bonos Dæmones, ac ad ipsam etiam Animæ nostræ naturam; vaticinationem vero pravam, ad Dæmones malos, & Religionis abusum, refert; in quibusdamque cum Mercurio convenit, & in quibusdam ab illo dissentit. Convenit cum Mercurio, in Animæ natura explicanda, &, ad futurorum prævisionem, abstrahendæ mentis a corpore necessitate adducenda. Dissentit autem, in opinione de Deorum, ac Dæmonum natura, & cultu: ut infra patebit. Quemadmodum igitur Mercurius in *Pimandro* sensit, animas Hominum esse divinas, & immortales; sed in corporis molem dispersas, voluptate, & dolore ceu rivulis duobus, ex ipso corpore scaturientibus, depravatis, in diviniorique parte oppressas, omnium rerum, quas prius sciebant, oblivisci, pulcrique, ac boni visione privari; & propterea, si priorem statum recipere, & futurorum præsciæ iterum evadere cupiant, mortalis partis appetitus despicere, & Religioni contemplationique se dare debere, ut Divinæ Menti rursus jungantur. Ita & Porphyrius docet. Nam, in libris *de Abstinentia ab esu carnium* inquit; intellectuales substantias Nos fuisse, ac esse olim creatas, puras ab omni sensu, & irrationali natura; sed, cum duabus facultatibus præditi essemus, altera ad superiora, altera ad inferiora vergente; nequeuntes in superiori intelligibilique statu semper manere, ad inferiora descendisse, sensibusque junctos esse: ex qua conjunctione, omnes inferiores facultates, quæ sensibus, & corpore ad suas actiones utuntur, emanarint; non secus, ac Terra, cum tritici semen amisit, avenæ producantur. Quod si ad pristinum statum revertere optemus; unicam viam reperiri, videlicet horum omnium, quæ ex conjunctione cum mortali Natura contraximus, rejectionem: imitando eos, qui, cum ab exteris Nationibus domum redeunt, peregrinos mores, ab alienigenarum consuetudine acceptos, deponere conantur. Id facientes, in secundo libro *de Sacrificiis*, asserit transferri ad Deum, & in semetipsis Deum habere: naturamque rerum intelligere, & evadere vates Jovis familiares. Itaque unam, & meliorem vaticinationis causam, Porphyrius reddit; quam Josephi Historici testimonio probat: a quo scriptum est, ex illa Religiosorum Hominum secta apud Hebræos, quæ Essæorum

nuncupabatur, multos Prophetas evasisse: quia illi vitam abstinentia, tolerantiaque mirabili, ac divino cultui deditam, agebant. Huic causæ duas alias addit; quæ tamen ambæ non sine abstractione fiant. Prima, ab animæ nostræ natura: secunda, ab inferioribus Diis, Dæmonibusque, provenit. Primam ergo appellat passionem animæ, in cogitatrice facultate: quæ aliquando ex vehementibus fixisque cogitationibus; aliquando ex corporis affectione, ut ex melancholia, phrenesi, ectasi, & ebrietate, fiat. Tunc enim mens, cum a corporeis facultatibus maxime alienata sit, sua natura præsagit. Secundam inquit esse Deorum, vel Dæmonum afflatum: qui, & ipsi, quando vim divinandi in Nos infundere volunt, mentem nostram, ut illam recipere possit, a corporeis facultatibus sejungunt, non secus, ac vinum, melancholia, aliique morbi facere soleant: hinc Vates, & Sibyllas, in ipso vaticinandi actu, furere, & bacchari. Et quia quærere aliquis potuisset, cur non omnes apud omnia Oracula eodem modo afflentur? Respondet Porphyrius Deorum, Dæmonum, & Animarum naturam, non eandem esse; sed ex diversa ratione distingui: quam primi ad ætherea: secundi ad aerea: & animæ ad terrena corpora, habent: propterea diversis modis, ac rebus, mentis alienationem Nobis evenire: & hinc quosdam aqua bibita, alios vapore ex aqua hausto, alios halitu ab ore Antri recepto; & alios cymbalorum tibiarumque sono, vel alia musica, furore divino repleri, ac vaticinari. Quoniam vero tunc temporis multi Deorum in statuis degere credebantur, qui sacrificiis lætari monstrabant: unde animalia sacrificandi mos invaluerat: Porphyrius, hujus rei causam assignans, a Mercurio valde dissentit. Dixerat enim Mercurius, terrenos Deos terrenis qualitatibus præditos esse; & propterea sacrificiis, & suffimentis gaudere, & in statuis morari; quia statuæ ex cognata illis materia compositæ sint. Porphyrius vero, bonos Deos, vel Dæmones, his delectari, non probat. Nam, cum beneficæ naturæ sint, viventium bona procurant; non destructionem desiderant, hincque, & Nos, ab Animalium occisione, dehortandi occasionem sumit, dicens, eorum cæde remotiores Nos fieri a Diis: quia, si vitam intelligentem agere, in pristinumque statum redire cupimus, debemus ab iis omnibus, quibus corpus maxime pinguefit, abstinere; & nos ipsos ita componere, ut externis rebus, quam minime fieri possit, indigeamus: utinamque sine cibo, & potu vita posset traduci, quia Diis, qui alienis non egent, similiores evaderemus, & mens nostra, corporalium facultatum exercitio non impedita, ignorantia purgata, Dæmonum monita intelligeret, & futura prævideret. Præterquam quod, animalium cæde, vis immitis & ferina in nobis invalescit, humanitatemque, ac mansuetudinem amittimus; sicque a Diis magis sejungimur, qui veræ pietatis & justitiæ sunt amatores. Immane vero esse, animalia occidere; constat, inquit, ex eo quod ipsa naturæ a nobis non valde diversæ existunt, cuncta enim animam habent, & nulla anima rationis omnino est expers: quia id inanimato competit, quod animato prorsus opponitur: & quia Natura non dedit animalibus sensus, ut tantum sentiant, sed ut sentiendo utilia & nocitura cognoscant; hæcque fugiant, illa sequantur: quod sine ratiocinatione, judicio, ac memoria, fieri nequit: & tandem, quia sermone interiori, ac exteriori, animalia loqui cognoscuntur, quem Nos non intelligere, non est mirum: cum nec etiam multorum Barbarorum sermonem intelligamus; qui Nobis indistinctam vocem emittere potius videntur. Sed ex antiquis, & recentioribus Sapientibus quidam, animalium sermonem se intelligere testati sunt: ut Melampus, & Tiresias apud Antiquos, & Apollonius Thyaneus apud recentiores, qui Hirundinem aliis aliquando nunciantem, Asinum tritico onustum ante portam Urbis cecidisse, & triticum humi esse diffusum, audivit. Unde, inter animata non aliam reperiri differentiam, putat Porphyrius, præter eam, quæ majori, & minori efficitur, ut scilicet quibusdam plus, quibusdam minus rationis, inquit, & id Aristotelis etiam auctoritate probare conatur, quia, cum scripserit Aristoteles, animalia sensibus acutioribus prædita, cæteris prudentia præstare; non videtur animas essentiæ, sed majoris, & minoris differentia distinxisse: cum non a seipsis, sed a corporibus majorem vel minorem aptitudinem, ad suas facultates exercendas, accipiant. Quare, quemadmodum Perdices volatu carere non dicuntur, eo quia Astures velocius volent: ita nec cætera animalia rationis expertia dicenda sunt, quia magis intelligat Homo. Ridiculum vero putat dictum eorum, qui ab animalibus, quodcunque rationabiliter fieri videtur, natura, non ratione, agi, asserunt, quasi ratio non etiam in Nobis natura, sed accidens, esset. His a Porphyrio ita explicatis, docet, quomodo in Deorum cultu ipsi Nos gerere debeamus: aitque, Deo supremo & maximo, cum purus, & immaterialis omnino sit, nil materiale offerendum; immo neque voce, neque sermone animi intimo, eum coli debere; quia hæc corporeæ passionis expertia prorsus non sunt: sed silentio puro venerandum esse, mentemque ei, ad ejus contemplationem elatam, dicandam. Nam optima ipsi, & omnibus Diis, oblatio est, pura mens, & animus perturbationis vacuus, & perfecta Divinitatis rerumque omnium cognitio. Cæteros autem Deos inferiores, sermone, & oblatione rerum, quas Nobis largiuntur, esse colendos, terrestresque fructus, ac flores, quædamque alia eorum naturæ quodammodo cognata, eis donari oportere, ut ignis Soli ac Lunæ, & quia eorum ope præcipue intelligimus; primitias intelligentiarum nostrarum, quemadmodum faciebant Pythagorici, qui circa lineas numerosque versati, istorum plurima Diis obtulerunt; alium numerum Palladem, alium Dianam, alium Apollinem nominantes: hisque Deos advocare soliti erant, quorum opera ad vaticinationem, seu ad alicujus rei notitiam, sæpe utebantur. At, quia consuetudine receptum erat, ut Diis animalia sacrificarentur: Porphyrius omnem hujus consuetudinis causam in malos Dæmones confert; utque id cognoscatur, utrorumque Dæmonum, tam bonorum, quam malorum, naturam describit. Boni igitur Dæmones sunt, inquit, animæ spiritui adjunctæ, sed spiritum ratione superantes; corpusque harmonica proportione compositum habent, & cum beneficæ naturæ sint a benefaciendo nunquam desistunt: propterea magnas locorum partes, sub Luna positas, gubernant, animalibus, fructibus, ventis, artibus, singulisque rebus omnes diverso munere præsunt, omnium utilitatem curant; Naturam humanam cum divina conjungunt: humana Diis, & divina Hominibus, nuntiant; imminentia mala a Nobis avertunt; multaque nobis per somnia, per voces, & per alia signa, significant, quibus vera bona percipere possimus. Id enim Nobis vere bonum est, liberos a malis Dei voluntatem noscere, & cum intellectuales simus, cognitione illius, qui optimus & sanctissimus est, mentem nostram illustratam habere. Utinamque bonorum Dæmonum significata Nos intelligeremus. Nam omnia mala vitantes, veris bonis frueremur. Sed non quilibet illa cognoscit, quemadmodum non quivis,

sed qui litteras tantum didicerit, legere sit. His A Dæmonibus animalia sacrificanda non sunt: quia eorum natura benefica, viventium bonis, non destructione, lætatur. Dæmones vero mali, animalium sacrificiis delectantur: quia ipsi sunt animæ spiritui adjunctæ, sed ei ratione cedentes; corpusque inconcinne compositum, & male affectum habent vaporibus, suffitionibus, libamine, nidoreque carnis, & sanguinis pinguescens, indeque vires sumens, iræ & cupidinum impetu feruntur, quæ veloces, & violentæ in illis existunt, proutque his instigantur, detrimenta omnibus inferunt, omniumque malorum sunt auctores; pestis, penuriæ, terræmotus, turbinum, æstus, incendii, B & si quæ alia, præ cæteris autem lædunt Hominum genus, mentem nostram pro viribus depravantes, rerum inferiorum cupidines in Nobis excitantes, Nosque a Deo prorsus sejungentes: iis vero mendaciis imprimis Nos fallunt, ut Deos diversæ naturæ ab ea, quæ illis est, existimemus, & falsa bona pro veris habeamus. Hinc Poetarum multos pravo spiritu afflant: ut turpia de Diis canant, & eos iræ, voluptati, ac dolori obnoxios, eorumque malorum auctores describant, quæ nobis ab ipsis malis Dæmonibus eveniunt; & ut felicitatem in dominatione, divitiis, aliisque extrin- C secis bonis positam, afferant; quia nos, Poetici sermonis elegantia, metrique suavitate rapti, & ipsius vi quasi stupidi, rebus incredibilibus fidem præbemus: propterea que seditiones, bella, pluraque alia facinora committimus; quibus Orbis errore ac confusione repletur, & veros Deos colere credentes, ipsis malis Dæmonibus sacrificia offerimus; quo ipsi valde gaudent. Nam ambitiosi sunt, proque Diis haberi cupiunt, & primus, qui eis præsidet Dæmon, maximus existimari affectat; unde in victimarum extis, quid veri quandoque prænuntiant, ut fide nostra sibi conciliata, in majoribus Nos decipere queant, D & interim Nos in earum cultu persistamus. Verum, quamvis publica Civitatum utilitas postulet, ut obsequiis & sacrificiis hi mali Dæmones, ne Reipublicæ noceant, placentur & leniantur; homines tamen, puro temperatoque animo præditi, nil eos timent: nec illis opus habent, quia puri animi sanctitateque munitum virum aggredi non audent; vel aggressum lædere non valent; immo illius minas valde timent. Unde Sacerdotes, malos Dæmones minis terrere, & ad aliquid faciendum cogere solent, his verbis utentes: *Nisi vos ita feceritis, cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcana in abysso abscondita* E *vulgabo*. Quibus minis ipsi deterrentur: habent enim cogitatricem facultatem stupidam, ac infirmam, quæ vehementioribus dictis agitatur, ac stupet. Hæc ex mente Porphyrii, est illegitimæ vaticinationis, quæ in sacrificiis ex animalium visceribus habebatur, causa. Huic, ne quid desiderari possit, rationem earum vaticinationum etiam adjungit, quæ a veneficis Hominibus præbebantur. Et has inde provenire asserit: quia viri isti deglutinant jecur, aut cor, aut aliud membrum præcipuum cæsorum animalium, quorum F animæ, illius membri amore cognationeque raptæ, in ipsa Hominum corpora intrent, ibique existentes vaticinentur. Sunt enim, inquit, omnium animalium animæ præsagæ futuri, quando a corpore separatæ existunt, & sua corpora adhuc valde diligunt: tuncque magis, cum ea violenter reliquerunt. Unde circa ipsa morari, & sæpe lamentari, auditæ sunt. Quare Venefici, harum dilectione, ad sua ministeria abutuntur, & propterea quidam talparum, vel Asturum, vel cervorum corda edentes, futura prædicunt. Hæc sunt, quæ a Porphyrio, de Oraculis, & Vaticinationibus, dicta, partim ab illius, partim a Jamblichi libris, colligere potui. De harum rerum defectu, nullum sermonem ab eo habitum reperi: sed illius mens, ex hac doctrina, conjicitur a Mercurii Trismegisti sententia nihil diversa, videlicet, defecisse hæc omnia, ob amissum cultum illorum Deorum, ac Dæmonum, a quibus proficiscebantur. Convenit enim id cum illo etiam illius impie dicto, *Mortales nullam utilitatem ex Diis sensisse, ex quo Christum cœperint venerari*. Verum Jamblichus, quamvis Porphyrii Discipulus, in multis ab illo dissentit: quare ipsius quoque sententia est perpendenda.

Cap. VI.

In quibus Jamblichus a Porphyrio differat, & quam Vaticinationum causam adducat.

Jamblichus doctrinam supernaturalem, Theologicam magis, quam Porphyrius, tradit: immo Porphyrii sententiam refellit, quotiescumque ille quid corporeæ passionis Diis, aut Dæmonibus, attribuit, vel naturalem aliquam causam reddit eorum, quæ ab illis proveniunt. Unde omnes Deos, & Dæmones, supra materiam ac Naturam elatos, & omnem vaticinationem opus divinum existimat: & nihilominus, contra Porphyrium ad Deorum cultum, & ad præsagitionem assequendam, animalium sacrificia, aliaque materialia, adhiberi vult. Quare ut hujus sententia pateat, quid de Diis, de Dæmonibus, de Anima, & de Vaticinatione, senserit, distincto ordine explicare debemus. De principiis ergo Divinitatis, eadem Jamblicho, quæ omnibus antiquis Ægytiis, opinio fuit. Isti unum primum, & supremum Deum posuere: quem nec ens, nec intellectum, nec essentiam, nec esse ipsum; (quia his omnibus supereminet, & antecedit) sed unum super ens, & super intelligibile dixerunt; de quo Plato etiam, in *Parmenide*, optime disserit. Ab hoc uno super ente, unum primum ens emanasse putarunt, qui & ipse Pater essentiæ super essentiam sit, magisque proprio nomine *Unitas* vocetur: quia est potius unum, quam ens, & est pater omnium intelligibilium, videlicet Idearum; *Mensque*, *opifex Mundi*, a Platone in *Timæo* nuncupatur. Tertio igitur ordine post ipsum, & in ipso, sunt Ideæ; quas Jamblichus appellat invisibiles Deos; quorum quoque essentia, unitas quædam sit, sed hanc unitatem quandam nominari ait; quia ipsa unitas nil aliud est, quam ipsum primum essentiæ principium. Est autem unius essentiæ, non solum quælibet Idearum: sed omnes Ideæ sunt unum etiam inter se: quia una communis unitas dilatatur in omnes, & per communem unitatem, videlicet per primam mentem, cunctæ exsistunt: ad quam, ut ad unum objectum, principium, & finem, omnes simul, absque ulla temporis differentia, in eodem momento referuntur. Neque omnibus ipsis simul, quia singulæ res diversas respiciant, unitatem competere negandum est. Nam earum essentialis unitas rerum multitudinem antecedit; neque possunt res natura posteriores, unitatem Ideis, natura prioribus, auferre. His invisibilibus Diis, Dii visibiles, mundanique succedunt, & istorum quoque unitas est: quia Ideis juncti sunt; quarum unitate ipsi inter se junguntur, neque id eis corpora impediunt: quia cœlestes eorum animæ, quamvis corporibus præditæ sint, nil ab illis suscipiunt; sed quid potius illis dant. Diversa enim est ratio cœlestium, & inferorum: quia materiæ in inferioribus vis tan-

ta est, ut formam materialem reddat, in cœlestibus vero tantum forma valet, ut materia formalis fiat: & corpora potius animalia, quam animæ corporales dici debeant. Quare cœlestes Dii, vocari jure incorporei possunt: quia nil corpora obstant eorum excellentiori actioni, vitæque felicitati; immo eos, ad ipsum unum tendentes, sponte sequuntur: neque ipsa animas continent, sed illis excellentiori quodam modo continentur, & quemadmodum apud Nos cuncta corpora, potentia (ut vocant) materiali unum sunt: ita Dii omnes unitate, quæ in eo ab Ideis profluit, quasi actu quodam, sunt unum. Et isti nulla Mundi parte continentur, nec ulli præfinito loco adsunt; sed ubique sunt, & quilibet Deus cuilibet parti Mundi totus adest; cujuslibetque stellæ anima, non tam in sua stella, quam ubique est, quia natura divina infinita, & incomprehensibilis, continet omnia; nec ipsa loco ullo continetur. Et quamvis alii Deorum aerei, alii aquei vocentur, & diversis Mundi plagis diversa Numina distribuantur, id a natura Deorum non provenit, quorum providentia universalis est, sed quia una Mundi pars unius potius, quam alterius Dei actiones, & munera, suscipere est apta: propterea unius Dei virtus, in uno potius, quam in altero loco, apparet. Ideo varias Mundi plagas, ædes, & statuas, Dii sortiti dicuntur: qui licet hoc, vel illud, potissimum illustrent, nil tamen communicant cum locis, aut corporibus, in quibus agunt: cum omnis materiæ sint expertes nullique alterationi, divisioni, mutationi, aut cujuslibet generis passioni, obnoxii. His mundanis Diis proximi sunt Dæmones, & Dæmonibus Heroes. Inter hos hæc differentia reperitur, ut Dæmones superiores sint, ad Deosque magis accedant, Heroes vero degant inferius, & cum humanis animis magis conveniant. Differunt Dæmones a Diis, in multis: eorum enim providentia non est ita universalis, ut illa Deorum, quæ ad omnia tendat, sed particularis magis, circaque res quasdam atque Provincias versatur: neque suis corporibus adeo supereminent, ut Dii, sed eis arctius juncti sunt. Nam Deos, suorum corporum gubernatio, a divinarum Idearum contemplatione nihil abstrahit: immo agendi vim ipsi a contemplatione accipiunt, & ipso intelligendi actu cœlos movent, eoque facilius, quo attentius speculantur, Unde nulla naturæ diversitas, ac multitudo, eis inest: quia, licet duo illis competant, contemplari, & agere, non tamen unitatem amittunt. Nam actio in eis nil aliud est, quam quid a contemplatione proveniens. At Dæmonibus actio contemplationem aliquando impedit; ita ut non tam contemplantes, quam agentes dici possint, nihilominus nec ipsi, nec Heroes, ullius passionis corporeæ participes sunt; sed impassibiles, & sempiterni, quia, cum ministri Deorum sint, sequanturque Deos in Mundi ordine conservando, si passio illis inesset, nullus ordo servaretur. Quare male facit Porphyrius, distinguendo Deos ac Dæmones ex habitudine, quam ad æтherea aereaque corpora habent: non enim debent priora, & causæ ex effectibus, posterioribusque, distingui. Heroum & Dæmonum munus est, traducere divina ad nos, & nostra ad Deos: quare disponunt ita Deorum dona, ut a nobis suscipi possint, & sic præparant nos, ut illa suscipere valeamus, exprimunt etiam nobis, quæ sunt occulta, & ineffabilia in Diis; conciliant omnia mundana inter se, & omnis harmonici consensus sunt auctores. Post Dæmones, postremo loco humanæ Animæ reperiuntur, quæ & ipsæ inter Divinorum genera collocantur. Harum essentia, est Dei cognitio: quia

A præcipuum esse animæ, est intellectus junctus contemplationi Deorum, in quo idem est, esse & intelligere divina, Sed quemadmodum Deorum proprietas est unitas; ita Animarum proprietas est declinatio ad multitudinem: quia inclinant ad movenda, vitalique spiritu replenda corpora, & ad congruendum cum omnibus: quocirca priori intellectuali statu omisso induunt formam illam, quæ humanam speciem constituit; & qua tam variis vivendi generibus vivunt, ut cum omnibus conveniant. Jam ergo Jamblichi sententia, de naturis Deorum, Dæmonum, &
B Animarum, explicata; quid ipse vaticinationem esse dixerit, videamus. Omnis vera legitimaque divinatio, est, inquit Jamblichus, opus divinum; quamvis multæ ipsius species reperiantur. Nam, quamvis aliquando in somniis, aliquando in extis animalium, & in aliis vilibus ac materialibus, futura videantur: & aliquando nos ipsi illa prænoscamus, numquam tamen hæc fieri possunt absque numine, operaque Deorum: quia vaticinatio non potest ab aliis deduci, quam a Diis, qui continent in seipsis terminos scientiæ omnium rerum. Quod patet etiam ex eo, quod omnia, quæ in ipso divinationis opere fiunt, su-
C perant Naturæ Humanitatisque modum, unde non a Naturæ Humanitatisque viribus fieri possunt: quia deterius præstantiora efficere non valet. Miracula vero, quæ videntur, sunt hujusmodi. Sæpe, in sacrificatis animalibus, præcipua membra, ad vitam necessaria, non reperiuntur. Aves quoque, ex quibus auguria captantur, se ipsas aliquando præcipitant, vel ad saxum allidunt, vel alio modo necant: ita ut non a se ipsis, sed divina vi, moveri constet. Flammæ etiam in aere aliquando apparent. Tandem ipsi Prophetæ, in ipsa vaticinationis actione, per i-
D gnem aliquando intacti transeunt; vel, si uruntur, aut punguntur, non sentiunt. Quare fallitur Porphyrius, dum præsagium, passionem animæ in cogitatrice facultate, appellat. Nam anima humana corpore caduco obumbrata, nullam habet vim, ad opus divinum præstandum: deinde, omnis anima vaticinaretur, si id ei ex natura propria conveniret. Neque oportet illas vaticinationes afferre, quæ somniando cogitandoque fiunt. Nam somniis, cogitationibus, affectibusque nostris naturalibus, raro, & casu, adtingimus futurorum veritatem; & omnis hujusmodi præsagitio, conjecturæ potius, quam præsagitio-
E nis, nomen meretur. Sed omnis vera divinatio in nobis ex divinitate provenit: quando a Diis anima nostra illustratur. Signumque est, quia, cum vaticinamur, omni humana cogitatione & actione caremus, nostrumque statum non animadvertimus: neque humano more movemur; sed toti divino furore corripimur: Deusque in nobis pro anima est, & operatur. Hanc vero nostram a nobis ipsis alienationem, Porphyrius male comparat ei, quæ ab ebrietate, melancholia, aliisque morbis, provenit; hac enim in deterius labimur: at illa Deorum in melius deducimur. Sed erroris Porphyrii, ait Jamblicus, hæc causa fuit: quia,
F cum videret, ad vaticinationem assequendam, apud Oracula preces adhiberi, aqua, multisque materialibus, opus esse; & ipsum Vatem recedere a naturali statu: nescivit harum causas assignare, nisi dicendo vaticinationem esse passionem animæ cum inspiratione dæmonica; & Deos quandam cognationem cum materia habere: Verum Jamblichus horum omnium causas reddit: Deos nihilominus a materia prorsus abstractos, & vaticinationem opus tantum divinum asserens. Ipsius ergo doctrina hæc est. Anima nostra, cum

intellectus contemplativus, junctusque Diis prius A fuerit, & mox in alteram vitam, videlicet in humanam, descenderit, qua, multarum inferiorum facultatum exercitio, ab ipsis Diis valde sejuncta remotaque est, si in primum statum redire, felixque evadere cupit: oportet, ut se omnibus inferioribus solvat, quantumque potest a corpore, omnibusque potentiis abstrahat, quæ ex conjunctione corporea, & ex corporis desiderio emanarunt. Id autem si efficere voluerit, contemplans Deos facultate rationali, operam perdet: quia facultas nostra rationalis, quæ non convertitur nisi ad considerationem eorum, quæ sensibus & cognitione offeruntur, decipiet nos, materiali cor- B poreaque figura Deos repræsentando. Quare opus est, hanc quoque omittere, & non solum a corpore, sed ab omnibus potentiis, quæ cum corpore, & cum materia, ullam cognationem habent, prorsus sejungi, quia tunc in priorem vitam regressi, quæ est (ut diximus) Deorum cognitio, essentiæ tactu Deos attingemus; & juncti Diis, videbimus omnia, quæ spectant ad Mundum superiorem & inferiorem, & veras præsagitiones assequemur. Nam rationes rerum, dependent a rationibus, quæ sunt in Diis: unde Vates & Sibyllæ præviderunt multa pericula Populis im- C minentia, monueruntque eos, ut caverent. At dicet aliquis; Quo pacto obtinebimus abstractionem hanc? Respondet Jamblichus; Religione: cujus tanta est vis, ut possit aliquando nos, absque Dæmonum Heroumque opera, jungere Diis. Sed raro quidem id accidit. Nam tantam perfectionem Sacerdotes, in fine Sacerdotii, vix consequuntur, unde oportet Diis, ac Dæmonibus mediis, ut plurimum uti. Verum subjunges: Si Dii, ac Dæmones, materiæ & corporibus supereminent, & omnis passionis prorsus expertes sunt: cur eos precamur? Et cur ad vaticinationes multa materialia, & corporea, adhibemus? Respondet Jam- D blichus: neque preces, neque materialia, ratione Deorum, sed nostri causa tantum, adhiberi: ut scilicet his mediis, ad Deos recipiendo, præparemur. Dii enim, inquit, neque precibus moventur; neque ob sacra male peracta irascuntur; sed nos, supplicando, sacraque peragendo, ad Deos convertimur, illisque jungimur. Neque dicat Porphyrius, usum rerum materialium, in sacris, haud congruum esse Diis, qui a materia, omnino separati existunt. Nam ipsa etiam materia, cum a Patre omnium Opifice facta sit, potest aliquando tantam perfectionem acquirere, ut apta evadat ad Deos suscipiendos: & in materialibus E multa quoque latent immaterialia, quæ sunt congrua Diis: ut rationes, species, ac mensuræ; & tanta Deorum bonitas est, itaque Dii ad benefaciendum prompti sunt; ut parva rerum nostrarum congruitas nobis sufficiat, ut ex illis aliquid hauriamus, diffundunt enim ipsi suum lumen per omnia, usque ad inferiora; neque ipsam materiam illo carere permittunt. Unde, quodcunque materiæ purum, perfectumque est, ad Deos suscipiendos idoneum existit; ipsaque etiam Terra Deos suscipere est apta, immo fatidica Deorum potestas adeo ubique adest, & omnia replet, ac F illustrat, quæ sint ad suscipiendum parata; ut in quolibet elemento, animali, ac naturali, pro ipsius capacitate, quid ad præsagitionem conferens impressum reperiatur: & Hominibus adeo inserviunt Dii; ut in calculis lignis, virgis, lapidibus, frumento ac farina, indicia præbeant futurorum. Unde quidam Vates per farinam vaticinati sunt. Oportet ergo, & animam nostram, & etiam res materiales, præparare, ut Deum recipere possint; præparatur vero anima nostra, apud Colophonium & Delphicum Oraculum, aqua fontis, vel halitu ex antri ore spirante: quia spiritus divinus implet aquam, vel halitum. virtute quadam ad vaticinationem conferente; videlicet purgatoria, qua Sacerdos hauriens purificatur, accomodaturque sic Deo, ut illum capere valeat. Apud alia autem Oracula, aliis rebus præparamur, & in primis Musica: quia anima nostra, in Mundo intelligibili, audivit harmoniam divinam; cujus reminiscitur, quando audit melos, habens aliquid similitudinis cum illo divino, & hac memoria vehementer afficitur, hocque affectu redditur familiaris Deo, ita ut divino spiritu affletur, & mirabilia faciat. Sed apud omnia Oracula, reddimur præcipue apti, ad Deos recipiendos, precibus, & veneratione, immo opus nullum in sacris unquam efficitur, absque supplici cultu Deorum: quia frequens hæc veneratio tollit humanos mores nostræ cogitationis, & horum loco infert divinos, animamque ad Deum totam convertit, ac perficit ea, quæ insunt nobis apta ad divinorum Numinum tactum, nosque magis ad divinos splendores capiendos assuefacit. Verum, si quæras, cur Homines variis modis afflentur; & cur afflati non eadem, sed diversa, agant? Respondet Jamblichus: id evenire ex diversis proprietatibus Deorum. Si rursus quæras, cur tam multa, & diversa, in sacrificiis adhibeantur? Respondet idem, quia multa Numina ad idem opus divinum concurrunt: unde oportet res omnibus consentaneas adhibere. Nam quilibet superior Deus, habet multos alios inferiores Deos, ac Dæmones, ordinatim subjacentes, & antequam ille superior sacrificio adsit, omnes inferiores illius ordinis moventur. Quare, quemadmodum, si una chorda frangatur, harmonia tota dissonat: ita uno prætermisso Numine absque debito ritu, sacrum opus suam integritatem non habet. Debitus vero cultus Deorum, ac Dæmonum, qui materiæ præsunt, est earum rerum oblatio, quarum gubernationi præpositi sunt, Neque, ut dicebat Porphyrius, animalium sacrificium est confutandum, quasi vapor, ab animalibus exhalans, nares turbet Deorum. Nam Dii nullam passionem a materialibus pati possunt; præterquam quod nullus vapor terrenorum valde sursum ascendit: sed per animalia solemus eos Deos advocare, qui animalibus illis præsident, & ignis, qui in sacrificiis adhibetur, materiam destruit, & ab illius vinculis solvit ea, quæ per essentiam immaterialia quidem erant, sed materiæ alligata reperiebantur; solutaque reddit idonea, ad Deorum receptum.

Hæc de vaticinationibus, & de cultu Deorum Jamblichus docet: dicens tamen, hujusmodi sacrificiis nil illum indigere, qui mente elevatus, & a corpore omnino abstractus est: quia hic ad immateriales Deos, per sublimia se attollit, & inferiora nil curat. Sed quia id paucissimis contingit, & plurimi Hominum ad Naturæ opera inferius vergunt, nonnullique etiam medium tenent, inter purum intellectum, ac Naturam, & ut plurimum in sacris ea petimus a Diis, quæ sunt ad vitam humanam accommodata, modus sacrificandi, pro rebus hujusmodi, congruus erit is, qui eum corporibus, & cum generatione, habeat commercium; non qui sit a materia, & corpore penitus separatus. Præter has vaticinationes, hactenus memoratas, aliam, (inquit Jamblichus) in iis somnis habemus, quæ divinitus mittuntur. Quando enim vigilamus, utimur ut plurimum ea vita, quæ nobis cum corpore communis est, sed cum dormimus, animus a corpore solvitur; & illa vitæ species separata, & intellectualis exper-

giscitur in nobis, & futura in suis rationibus præ-noscit, quia Anima nostra, generabilium rationes se ipsa complectitur, præter quam quod in eo statu magis est apta recipere Deos. Sed nulla est certa divinatio in iis somniis, quæ humanitus nobis a cogitationibus, curisque diurnis contingunt, hæc enim raro, ac casu, vera prædicunt, & ut plurimum nos decipiunt. His vaticinationum generibus expositis reliqua omnia vocat Jamblichus malorum Dæmonum dolos, qui mentiantur, & fallant, turpiaque consulant, & peragant.

Tandem commemorat Jamblichus quasdam vaticinationes, arte factas a quibusdam, Idola quædam struentibus ex certis materiis, que corporum cœlestium influxus recipiant. Sed has inquit longe inferiores esse iis, quæ a Diis proveniunt, & fallaces multum, conjecturarumque nomine potius nuncupandas. At aliquis objiciet: Quid prosunt divinationes Deorum immissæ iis, qui se a corpore solvunt, Diisque jungunt, si Vates ut plurimum, cum vaticinantur, extra se positi sunt, & quid dicunt, ignorant: fierique potest, ut futura prænoscentes, illis tamen nesciant, vel nequeant uti? Hanc quoque difficultatem Jamblichus tollit: asserens, Deos, una cum præsagitione, facultatem etiam, ad præcavenda incommoda, nobis suggerere. Et hæc est omnis Jamblichi, de Oraculis, & Divinationibus, doctrina, ex illius libro *de Mysteriis* a nobis collecta, & paucis explicata. De horum vero defectu, nil ipse litteris mandavit: sed certe a Mercurii sententia non alienus fuit, videlicet, hæc defecisse ob eorum Deorum neglectum, prætermissumque cultum, quia ad illorum munera suscipienda non idonei simus. Jamblichi opinione exposita, quid Plato, ultimus horum Theologorum, de his senserit, perscrutemur.

CAP. VII.

Quid a Platone, ac ab illius Asseclis, de vaticinationibus doceatur.

Plato harum omnium causas ad Dæmones refert. Nam in *Convivio* dicit, omnes vaticinationes, Sacerdotum diligentia circa sacrificia, expiationes, incantationes, & divinationem omnem, atque Magicam, a Dæmonibus, naturæ mediæ inter Deos, ac Homines, emanare; & per hos, vigilantibus nobis, ac dormientibus, colloquium inter Deos, ac Homines confici: Verum de ritu sacrificiorum, & sacrorum usu, ad Deos advocandos, nil locutus est: nihilominus, cum Ægyptiæ illius Theologiæ sacris initiatus fuerit, credi potest, ipsum iis, quæ Theologi illi docuerant, assensum fuisse: Mercuriique certe, & Porphyrii doctrinam potius, quam Jamblichi, secutus est, quia, in *Epinomide*, solos Deos dolore, voluptateque liberos, sapientia, & cognitione penitus gaudentes: sed Demones passionibus obnoxios, doloris participes, bonos viros amare, & malos odio habere, testatur: & cum ipse etiam duos animæ status ponat, unum ante, & alterum post introitum in corpus: primum statum, non alia via, quam ope facultatis ratiocinantis, recuperari, in *Phædro* scripsit. Quæ doctrina a mente Jamblichi aliena est.

Sed ut id clare intelligatur, omnem Platonis sententiam, ex *Phædro*, *Timæoque* collectam de his, explanemus. Animæ nostræ, ingenitæ & immortales sunt, & antequam corpus ingrediantur, assident convivio Deorum, divinasque dapes gustant: videlicet veritatis contemplatione nutriuntur, veraque entia conspiciunt; scilicet Ideas, non autem adumbratas potius, quam ve-

A ras res intuentur, quæ in eodem statu nunquam consistunt, sed semper generantur, cujusmodi hæc sensibilia inferiora sunt. Quæ res igitur, cur ab hoc statu discedentes, in corpora descendant? Et inquit Plato, quia similes sunt alato currui, cui præsit Auriga, & qui duobus inter se dissidentibus equis vehatur, quorum alter bonus, alter malus exsistat: quocirca dura & difficilis vectura sit. Nam equus bonus sequi vult Deos, & per eam viam currum ducere, qua illi incedunt, at equus malus calcitrat, resilit, ad terramque vergit, ac trahit. Unde magnus labor, ac certa-
B men Aurigæ proponitur: in quo multas alarum pennas currui sæpe confringit, & descendere cogitur, labens, prout plures vel pauciores pennas confregerit, in generationem perfectioris, vel imperfectioris viri, scilicet aut Philosophi, aut Regis, aut Poetæ, aut Militis, aut Tyranni, aut alterius conditionis, in quo statu, si ab humanis studiis segregatus, quantum potest, divinis inhæret; amissas recuperat alas. Sunt autem (ut metaphoram explicemus) duo equi, bini animæ instinctus: quorum uno, ad vitam supernam, & intellectualem; altero ad inferiorem, & generativam, corpora animantem, nutrientem, propen-
C dit; & equus, qui dicitur pravus, frangit binas ipsius animæ alas, videlicet (ut Marsilius Ficinus interpretatur) intellectus & voluntatis propensiones, ad veritatem, & bonitatem divinam. Recuperantur vero istæ alæ (ait Plato) ope ratiocinationis, quæ ex multis sensibilibus format unum universalem conceptum: quo recordatur anima eorum, quæ olim vidit Deo juncta: & tunc, hæc inferiora despiciens, reflectitur ad vera entia, quæ sunt sursum. Hæc de animæ abstractione ab humanis Plato; qua nos non Vates fieri, ut prisci illi Theologi dixerunt; sed rerum, quas in altera vi-
D ta vidimus, memores, & cognitores testatur. Alterius igitur abstractionis mentionem facit in *Timæo*, quam vaticinationi idoneam asserit, & est, quando vel morbo, vel somno, vel divino aliquo raptu, anima e suo statu dimovetur. Nam ipsa, dum sanæ mentis sumus, sensuum, & ratiocinationi officiis impeditur, & non patet afflatui divino: propterea non sapientes, sed fatidici vaticinantur; qui omnia, quæ in ipso furore dicunt, ignorant. Unde Lex jubebat sapientes viros illis præesse; a quibus eorum dicta notarentur, & interpretarentur. Sapientes isti, (subjungit Plato) Prophetæ vocabantur, re autem vera non erant
E Prophetæ, sed interpretes vaticinationum. Quomodo vero isti furentes, & mente alienati, vaticinari possint, comprehenditur ex eodem *Timæo*. Nam ibi inquit Plato; Deos minores a supremo Deo, hominem, quantum fieri poterat, perfectiorem formare: jussos, mandati divini memores, deteriorem etiam nostri partem ita instituisse, ut & ipsa veritatis quodammodo particeps foret, & in ea vaticinia explerentur, propterea illam in jecore collocasse, & jecoris naturam lenem, claram, dulcem, amaritudinis participem, variisque aliis qualitatibus præditam, fecisse: ut omnium cogitationum, ex mente descendentium, figuras in se ipsa
F suscipere, & aspectui reddere posset; horumque receptione aliquando terreretur, aliquando lætaretur, aliquando mansuefieret, aliquando doleret, & pro eorum diversitate, diversis afficeretur modis. Cum vero hæc de Jecore, & de animæ parte, qua concupiscimus, docuisset Plato; nil ulterius explicat, quomodo in hac parte vaticinationes expleantur. Sed illius mens facile noscitur, in hac enim natura, quæ omnium simulacrorum recipiens est, Dæmones futurorum simulacra imprimunt, quæ a Fatidicis prædicuntur. Fatidici

enim in illa insania, sermonem habent, de quibuscunque offeruntur cogitationi eorum. Non præstant autem Dæmones id, in sanæ mentis Hominibus: quia horum Jecora recipiunt simulacra a propria mente: neque patent iis, quæ extrinsecus immittuntur. Non tamen omnes prudentes omnino carent præscientia futurorum: quamvis etiam a furore percitis ea non percontentur. Nam probi homines amantur a Dæmmonibus, sermonemque habent cum iis, & admonentur de quibuscunque illis quæ evenire debent. Itaque Socrates Demonis familiaritate utebatur; & absque ulla afflatione monebatur de iis quæ illius intererat scire. His prædictionibus adde illam, quæ ex somniis contingit, de qua Plato nil a Jamblicho dissentit: & habebis omnem Platonicam de vaticinationibus doctrinam, quæ ex illius Dialogis colligi posset. Nam de iis, quæ ex sacrificiis, expiationibus, & incantationibus efficiuntur, & de horum etiam defectu, nil (ut diximus) ipse litteris mandavit. Verum duo Auctores Platonici, Proclus, & Plutarchus, de iis differunt. Quare horum quoque sententias explicare, opus est.

Cap. VIII.

Sententia Procli, de divinationibus per sacrificia.

Proclus, in libello, quem scripsit *de Sacrificiis, & Magia*, probat, res naturales magnam similitudinem, & cognationem inter se habere, & rationem quandam infimis ad suprema, & terrestribus ad cœlestia, inesse. Quomodo enim, inquit, planta Solissequa versus Solem semper moveretur? Et quomodo Selinetropia verteretur ad Lunam? Et cur Leones, & Galli, animalia solaria vocantur: nisi quia, pro sua natura, solaris Numinis participes sunt? Et cur Helitis lapis habet radios, quibus solares imitatur? Et cur alius lapis, qui Solis oculus dicitur, figura pupillæ oculi simili est præditus, ex cujus medio radius emicat. Hæc omnia fiunt, quia in infimis suprema, & in supremis infima existunt: in Cœloque terrena, ut in sua causa, modo cœlesti; in Terra vero cœlestia, modo terreno, reperiuntur, & omnia inferiora a superioribus proveniunt, super ordinemque rerum in unum colliguntur, quamvis sub diversis Numinibus ordinentur, & superiora dilatentur in descendendo. Quare veteris Sacerdotii Auctores, hæc scientes, cœlestibus & terrenis usi sunt: ut divinas virtutes in locum inferiorem, ob quandam similitudinem, deducerent: & cum simplicia non sufficerent; plurium mixtionem adhibuerunt; fabricantes statuas ex multis materiis, & odores multos simul componentes: ut unum, ex pluribus compositum, plures virtutes haberet, utebantur etiam iis, quæ naturarum contrarietatem tollerent; ut sulphure, & aqua marina; purificat enim Sulphur, propter odoris acumen, & Aqua marina, propter igneam qualitatem, & his recipiebant primo potentias Dæmonum, ut rebus, actionibusque naturalibus proximas, deinde a Dæmonibus, ad Deorum vires, & actiones, procedebant. Hoc modo Proclus divinationem in sacrificiis, expiationibus, & incantamentis, perfici putavit. Cur vero hæc defecerint, non declarat, sed Plutarchus copiosum sermonem habet, quem paucis aperiemus.

Cap. IX.

Plutarchi sententia, de causa, & defectu Oraculorum.

Plutarchus doctrinam partim Theologicam, partim Naturalem, tradit. Nam inquit, a veritate, & decore valde aberrare, tam eos qui Deum omnium rerum auctorem faciunt: quam eos, qui nihil a Deo effici dicunt: sed omnes dubitationes facile solvi posse ab iis, qui Dæmonum genus inter Deos, & Homines medium ponunt, & eorum, quæ eveniunt, causas, partim ad Deos partim ad Dæmones, partim ad Naturam, referunt. Quare ad Oracula hæc omnia concurrebant. Anima nostra, causa naturalis, Dæmon, ac Deus. Anima, quæ divinationem susciperet. Causa naturalis, quæ animam, ad divinationem suscipiendam, aptam redderet. Dæmon, ac Deus, qui divinationem immitterent. Animam autem, ut divinationis esset capax, oportebat sua natura omnino spoliari, & omnem ratiocinationem deponere, quia tunc inservire poterat, tanquam vehiculum, & instrumentum, Demonibus, ac Diis; qui velut præfecti, & custodes, regebant, & moderabantur omnem ipsius impetum, ac passionem. Sed, ut hæc evaderet, extrinseca naturali causa in pluribus opus erat: quamvis aliqui natura sic affecti, & constituti essent, ut hujusmodi sponte fierent. Hæc vero causa in primis erat Terra: neque mirum. Nam, cum hæc suo sinu omnes cœlestes influxus recipiat, generandique vim a Deo Sole habeat; & tot mira quotidie producat: cur non poterit etiam, aut halitum spirare, aut fontem emittere, qui mentes Hominum e sua sede dimoveat?

Has Oraculorum causas Plutarchus reddit: Cur autem perierint, ex his facile demonstrat. Nam causæ naturales, (subjungit) quamvis universæ æternæ sint, singulæ tamen intereunt: Terraque ipsa, quæ tota sempiterna, interitusque expers est varias vices in partibus patitur, & aliquæ ejus virtutes alicubi oriuntur, alicubi occidunt, alio migrant, aliunde demigrant: ut ex lacubus, & amnibus, alibi aliquando deficientibus, & alibi aliquando scaturientibus, patet. Dæmones quoque quamquis longam vitam vivant & ipsi intereunt. Nam Tiberii Cæsaris tempore, Tamo Navæ, voce ex Mari egressa, nunciatum fuit, magnum Dæmonem, nomine Pan, apud Insulas Echinadas obiisse. Quare deficiunt Oracula, deficientibus causis, ex quibus prodierant. Forsan enim Demones illi, qui Delphico, & Branchidico Oraculis aderant, mortui sunt, & Delphica Terra amisit vim spirandi ex antro illo halitum, furore Homines replentem: idemque fonti Branchidico, & Colophonio, evenit. Cumque hæc docuisset Plutarchus, sufficientem causam Oraculorum defectus assignasse putavit. Nihilominus hæc doctrina manca est: quia res naturales non omnes ubique pereunt, & Oracula, uno loco defecta, alibi prodiissent, si eorum ortus, & interitus provenisset a causa naturali. Quare mirari debemus, ipsum Christianis, de his perfectam doctrinam tradentibus, aures non præbuisse; cum suam tam imperfectam videret. Sed humani ingenii cœcitas magna est, quando fidei lumine caret, idque inde cognoscitur: quod isti sapientes Viri, miro mentis acumine præditi, de Deo, ac Demonibus, tot veritati proxima dixerint; sed veritatem ipsam attingere non valuerint. Hinc autem majorem nostra Religio gloriam consequitur. Quæ, ut clarior etiam pateat: omissis

missis Theologis, quomodo alterius generis Sapientes de his philosophati sint, considerabimus. Sed prius quædam ex dictis nascentes difficultates tollendæ sunt.

CAP. X.

Occurritur objectis, nascentibus ex supradictis.

QUAMVIS supradicti Theologi in multis discrepent inter se, omnes tamen, communi sententia, Oraculorum causas ad Dæmones referunt; qui sive ex se ipsis loquantur, sive Deorum voces nuntient, & interpretentur. Ex hoc oritur dubitatio. Nam Dæmones sunt naturæ mediæ, inter Deos & Homines, ab utrisque distinctæ: ita ut nunquam inter Divinam, Dæmonicam, & Humanam naturam, fiat mutatio: nec Deus Dæmon, aut Homo; nec Homo Dæmon, aut Deus, nec Dæmon quivis illorum unquam evadat. Et quamvis Mercurius Trismegistus, aliique Theologi, dicant, aliquando Homines fieri Dæmones, ac Deos, non significant, unam Naturam in aliam mutari, sed Hominem vivere vitam Dæmonicam, vel Divinam, quia (ut recte præ cæteris docuit Jamblichus) Animæ humanæ competit multitudo adeo, ut cum omnibus Naturis convenientiam habeat. Quomodo ergo Oracula dicebantur Jovis, Apollinis, Herculis, Vestæ, Cereris, & aliorum, qui homines fuerant? Si dixeris, quia Homines isti fuerint, ob eorum excellentem virtutem, Divinitate donati: id jam confutatum est ab illa Theologia, quæ inter Deos, & Homines fieri mutationem negat, neque enim Poetæ, nisi adulando, Reges & Cæsares Dei nomine appellarunt. Si asserueris, Homines hos non Deos factos, sed post mortem ad vitam intellectualem, Diisque proximam, reversos esse; quia singulari virtute & innocentia, in Terrarum orbe vixerint: & propterea a cæteris Hominibus, divinis honoribus, & statuis, cultos fuisse, & ipsos in Oraculis potuisse futura prædicere, quia in beato illo loco, ubi degunt, nihil ignorant; id quoque non congruet cum illorum Theologorum doctrina. Nam Plato, in *Phædro*, Animas, cum ad pristinum superiorem statum reversæ sunt, gustare quidem iterum vult dapes Deorum, scilicet cognoscere Ideas, sed nullam ipsis inferiorum competere providentiam, tradit; nisi quatenus iterum equo malo ad corpora inclinant. Si tandem forte negaveris, Jovem, Apollinem, & cæteros Deos, Homines unquam fuisse. Nam Jupiter, & Saturnus, dicuntur quidem planetæ. Unde Lucianus, in Dialogo *de Astrologia*, inquit, Saturnum ligatum fingi: quia motus illius tardus est, & alii addunt, fingi vinctum a Jove: quia Jovis planeta Saturni vires infringit, quando sub illius circulo reperitur. Alii vero tradunt, Saturnum esse tempus, & a cœlo genitum dici, quia tempus cœlestis motus est mensura: & Patri virilia exsecasse, quia cœlum, non alii, temporis generandi vim habet: & ipsum quoque a Filio Jove exsectum, & in Tartara conjectum postea fuisse, quia tempus non in cœlestia, sed in inferiora tantum, vim habet, & nullo tempore alius Mundus poterit generari, vel quia illa parte non egeat, quæ conjunctionem alterius requirit ad generandum: & mandisse Natos, quia secula consumit. Similiter asserunt alii, Junonem esse aerem: qui fæmina dicatur, cum nihil eo sit mollius, & Jovis soror, ac conjux nuncupetur, ob similitudinem, & conjunctionem, quam aer habet cum æthere, & Vulcanum esse ignem, qui ex aere natus, cæterisque Diis arma fabricare affirmetur:

A quia extenuatus aer convertitur in ignem, & calor est artifex omnium operum Naturæ, & Venerem esse animorum, & corporum similitudinem, quæ amoris inter Homines conciliatrix est: & nata fingitur e spuma Maris, quia (ut inquit Aristoteles) semen genitale animalium, est spuma sanguinis, & Æsculapium esse aerem, quia (ut tradit Pausanias) ab aere bona valetudo proficiscitur: filiusque Apollinis jure dicitur: cum Sol aeri salubritatem impertiat. Si hæc, inquam, aliaque hujusmodi affirmaveris, quorum magnam copiam apud Ciceronem, in libris *de Natura*
B *Deorum*, reperies: habebis eundem Ciceronem, cum multis aliis Auctoribus, adversum. Nam in eisdem libris hæc litteris mandavit: *Suscepit vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes Viros, in cœlum, fama, & voluntate tollerent, hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius.* Quibus Ciceronis verbis assentitur Horatius, in secundo libro *Epistolarum*, his carminibus:

> *Romulus, & Liber Pater, & cum Castore Pollux,*
> *Post ingentia facta Deorum in templa recepti,*
> *Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella*
> C *Componunt, agros assignant, oppida condunt.*

Pausanias quoque in libro *de rebus Atticis*, morem hunc, Homines Divinitate donandi a Græcis servatum fuisse, his verbis testatur. *Possum etiam alios recensere, quibus, cum homines ante fuissent, Græci divinos honores post mortem habuere: quibusque etiam urbes dicarunt; ut Eleo in Cherroneso, Protesilao in Bœotia, Lebadea Trophonio, apud Oronios Templum Amphyarao.* Denique Lactantius Firmianus in libris *de falsa Religione* cap. xv. idem ab omnibus Populis factum, his verbis demonstrat. *Privatim vero singuli populi, gentis aut urbis conditores seu viri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles,*
D *summa veneratione coluerunt, ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabirum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sangum, Romani Quirinum. Eodem utique modo Athenæ Minervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.* Quare horum omnium Auctorum testimonio, omnes isti Dii, qui Oracula edebant, Homines fuerunt, quorum etiam Origo traditur a Diodoro Siculo, in libro quarto *Historiæ rerum antiquarum*, asserente, omnes genus trahere ab Urano, primo Rege Atlantidum, Populorum Libyæ, qui habitant prope Oceanum: cum hic duos Filios habuerit,
E Saturnum, & Rheam; qui matrimonio simul juncti, genuerunt Jovem, Olympum postea nuncupatum; antequam alius Jupiter, Urani Frater, exstiterit, qui in Creta regnarit; cujus sepulcrum Cretenses ostendunt. Huic vero Diodori historiæ addit Lactantius; Jovi duos Fratres fuisse, Neptunum, & Plutonem, cum quibus Regnum partitus sit; cujus Orientalis pars ipsi Jovi, Occidentalis Plutoni, & ora maritima Neptuno obtigerit, & propterea a Poetis, omnia obliqua figuratione obscurantibus, fictum esse, in Cœlo Jovem, in Mare Neptunum, & apud Inferos Plutonem, regnare. En igitur magnum supradictis
F objectum: cum statuerint Theologi, Oracula a Dæmonibus edita, & appareat nihilominus, Numina, quæ in Oraculis colebantur, Homines fuisse.

Pro hujus igitur difficultatis solutione, nos afferemus doctrinam, quæ cum doctrina horum Theologorum congruere possit: non ignorantes, multa alia posse ab aliis afferri. Nam, ut *Themistius Philosophus* Valenti Imperatori testatus est, Idololatria fuit in plus quam tercentum sectas divisa. Sciendum ergo, antiquos Homines, amissa

veri Dei cognitione, in falsorum Deorum opinionem illico incidisse, & Solem, Lunam, Stellas, ac Elementa, veneratos esse, multaque etiam alia Numina excogitasse, prout eos ignorantia causarum impulit: cum omnibus Numen quoddam præsidere putarint, Virtute etiam excellentes Viros, & de humano Genere, ob artis alicujus inventionem, benemeritos, divinis honoribus honorarunt, & post mortem in Deorum numerum adscripserunt: cum quid majus illis humana natura fuisse, visum esset. Vulgus vero, ut par est, cœlestia, & elementaria corpora hosque etiam viros, absque ulla distinctione, pro Diis habebat, & venerabatur. Sed perspicatiores viri, rem attentius considerantes, diversam naturam Numinum invenerunt, & prout eis Mundi gubernatio, & ordo requirere videbatur, eam in corporea, & in incorporea, in visibilia, & in invisibilia Numina, distinxere: Dæmones quoque Diis inferiores cogitarunt, & humanas Animas, a Divina, Dæmonicaque Natura distinctas, cognoverunt: neque elementaria, cælestiaque corpora venerati sunt, sed Numina, quæ illis inesse opinabantur. Unde Plutarchus in opusculo *de defectus Oraculorum*, errare inquit eos, qui Solem, & Apollinem idem credunt: cum inter illos ea differentia sit, quæ inter corpus, & animam reperitur. Ovidius quoque, Cererem, & Terram non idem esse, in primo libro *Fastorum*, his carminibus testatur;

Officium commune Ceres, & Terra tuentur.
Hæc præbet causam Frugibus, illa locum.

Quare Divinitatem per omnia diffundi, & omnia gubernare, credebant, & eam in singulis rebus, ac locis, venerabantur. Homines vero pro Diis non habebant, ita ut eos in Divinam Naturam mutatos existimarent, sed Mortuorum, qui cum virtute vixerant, animas divinis honoribus honorabant, tanquam ad Deos reversas: ut horum honorum desiderio, Viventes ad virtutem inflammarent. Imposuerunt etiam sæpe Syderibus virorum nomina; ut æterna illa redderent, quemadmodum Diodorus Siculus asserit, ab Ægyptiis Solem Osiridem, & Lunam Isidem nuncupatam fuisse. Hincque postea ortum est, ut Dii Hominum nominibus vocati sint, & Oracula, quæ Deorum, vel Dæmonum erant, Hominum, qui Dii evasissent, esse viderentur. Exempli gratia: Putabant Antiqui, Numen quoddam Terræ præesse, & ab hoc Oraculum edi posse. Exstitit postea quædam Mulier, Ceres nomine, quæ multa circa frugum sationem invenit, & mirabilis in hac re fuit. Hujus nomen Posteri ut æternitati donarent, sive Terræ, sive Numini, quod Terræ præsidet, indidere. Propterea procedente tempore, Mulierem illam Deum evasisse, & Oracula dare, videbatur: cum tamen id ex illa Theologia verum non esset; sed Deus, & Dæmon, Cereris nomen jam sortitus, responsa daret. Idem etiam de aliis Oraculis dicendum: & difficultates jam sublatæ sunt. Quare ad Naturalium Philosophorum sententias considerandas jam accedamus.

CAP. XI.

Considerantur opiniones Philosophorum.

ARISTOTELES, in secundo libro *Meteororum*, Sapientes bipartito dividit: & quosdam humana sapientia præditos, quosdam ea sapientiores, appellat. Isti, ex superioribus ad inferiora descendunt: Illi, inferioribus ad superiora efferuntur. Primi supponunt quædam divina principia, ad quæ omnes effectus referant, & ad causarum, quas præcogitant, naturas, effectus accommodare conantur. Alteri, ex effectibus, quos vident, quales sint causæ conjiciunt. Primi ergo Theologi, secundi Philosophi dicuntur, & inter hos ipse quidem Aristoteles primas tenet: cum ex iis, quæ sensibus patent, nemo nec distinctius, nec subtilius, nec copiosius, philosophatus sit; immo hoc doctrinæ genus omnes ab illo didicerint. Quare, quid & ipse de his divinationibus doceat, videndum est. Mancam tamen, & imperfectam illius doctrinam cognoscemus; ut quæ ex debili sensuum lumine emersit. Ille igitur, primum nullos Deos, aut Dæmones, rerum humanarum curatores, aut cognitores, posuit: sed, quæcunque in Mundo sublunari eveniunt, corporum cœlestium motui, ac lumini, attribuit, & in primis Soli, ac Lunæ, ut majoribus, & proximioribus astris, & ei Solis conversioni, quam sub aliquo circulo, qui dicitur Zodiacus, annuatim conficit. Præter has, non alias causas ponit, & quamvis omnes sublunares effectus, ad hæc duo tantum, videlicet lumen, & motum, referre, difficile sit; non propterea ad alias occultas causas confugere vult: quia, ob nostram ignorantiam, numerum entium augendum non putat, immo nec Astronomis, occultos cœlestium corporum inflexus ponentibus, assensit; sed, cum ex sensibilibus philosophetur, & Cœli motum æternum dicat, & videat, fieri non posse, ut formæ, in materia, & quantitate existenti, virtus sit, æterno tempore movendi; & Cœlos octo tantum existimet: ideo octo formas a materia separatas excogitavit; quæ puri actus, & puræ intelligentiæ sint, & illarum quælibet uni orbi præsit. Propterea, ex illius doctrina, ortus, & interitus Oraculorum causam reddere, ita difficile est; ut plerique Philosophorum Naturalium, de his loquentes, ab Aristot. principiis recesserint, & inter hos est Avicennas, qui scripsit, non esse mirum, ab aliquibus mirabilia fieri, & futura prævideri: quia Homini bene composito, & supra materiam elato, cuncta materialia obediunt. Quæ opinio, Theologica potius, quam naturalis est, & Mercurio Trismegisto, non Philosopho naturali, conveniens. Nam Philosophus nunquam concederet, futura a nobis prævideri; quantumvis nos ipsos a materia abstrahamus, intelligendo, seu universalia, quæ conditionibus materialibus denudata sunt; seu ipsas etiam substantias separatas; quia, si abstractio hoc daret nobis, ut futura prævideremus: id multo magis substantiis separatis competeret, quæ tota essentia abstractæ a materia sunt, non, quemadmodum nos, unica potentia animæ. Nihilominus istæ, ex Philosophis, nil præter se ipsas intelligunt: quia dicunt, eas, non potentia essentiæ super addita, ut nos, sed ipsamet essentia intelligere: & in eis, esse, & intelligere, nil differre, unde, si extrinsecum aliquod intelligerent, perfectionem essentiæ ab extrinseco, ignobiliorique, haberent: quod esset absurdum. Neque dicat Avicennas, nos abstractos a corpore prænoscere futura; quia, cum omnes menti dediti sumus, acquirimus intellectum in habitu: qui est junctus intelligibilibus arctiori junctione, quam materia formæ; ita ut cum eis unum, & idem evadat: & propterea sciamus prædicere futura; quia noscamus causas futurorum. Nam Philosophi non putant, quemadmodum Astronomi, omnia, quæ fiunt, necessario fieri, sed credunt, quædam esse necessaria, & quædam contingentia, ut Aristoteles, in octavi libri *Physicorum*, tex. LIII. distinguit, dicens: *In iis quæ moventur a primo Motore absque medio, ut in cœlis, nil contingens reperitur: sed singularibus eorum, quæ moventur ab ipsa opera cœli, contingentia inest.* Horum vero futuro-

rum contingentium, negant Philosophi dari scientiam: quia scientia causam necessariam docet; cujusmodi non habent ea, quæ fieri, ac non fieri possunt: ut erant effectus particulares, qui ab Oraculis prædicebantur. Aberrat autem multo magis Avicennas, a principiis naturalibus, cum dicit; Homini recte composito omnia materialia obedire, miraculaque ab aliquibus propterea fieri. Nam quæ tam perfecta nostri compositio nobis id dare potest, ut miracula faciamus? Est doctrina Philosophorum, Agens naturale non posse quid efficere sine motu, & non movere, nisi tangendo mobile, aut proxime, aut medii alicujus interpositione. &, cum utitur medio, non longe a Mobili distare debere. Nam illius virtus, cum finita determinataque ad Mobile nimis distans non perveniret: agere autem, applicando activa passivis, & passivum debere esse appositum, ad actionem activi suscipiendam, quia non quodlibet fit ex quolibet. Hæc ergo doctrina, nullum miraculum permittit; sed utitur actione, passione, tactu, motu, & aliis mediis naturalibus. Quod si dicat Avicennas; Hominem doctum, quia scit hæc naturalia adhibere, facere multa, quæ indoctis mirabilia sint: recte dicit; nihilominus hæc vere miracula non erunt. At fallitur, dicens, Homini bene composito omnia materialia obedire: cum putet, a nostra forma mistionis bene contemperata, & harmonica, cunctas res naturales posse mutari. Nam quodlibet non agit in quod libet, sed in determinatum subjectum: & res naturales diversæ, contrariæque sunt, nec una forma in omnes agere valet. Quare Avicennæ sententia, a Philosophorum schola est omnino rejecta.

Sunt aliæ sententiæ, & ipsæ quidem a Philosophia alienæ. Nonnulli, futurorum prævisionem, intellectus Agentis lumini attribuunt. Alii eam a Deo per cœlestes intelligentias immitti dicunt. Alii asserunt, a cœlestibus intelligentiis, per cœli motum, phantasmata in nobis excitantem, produci. Qui omnes non recte ex principiis naturalibus philosophantur. Nam intellectus agens, (sive animæ nostræ facultas sit, ut placet multis Latinorum, sive una intelligentiarum, ut dicit Averroes, sive ipse primus Motor, ut asserit Alexander) nil aliud, ut omnes conveniunt, efficit, quam reddat ea, quæ prius potestate erant intelligibilia, actu intellecta: ita ut nos, ex multis individuorum phantasmatibus essentiam specificam, omnibus convenientem, abstrahere, & intelligere possimus. Nam, quemadmodum lumen dat vim coloribus, qua agant in perspicuum, & mutent visum: ita intellectus agens dat vim objectis, qua intellectui passivo indistincte se offerant, & illum ad universalium cognitionem extollant; quando autem hæc universalia intelligimus, tunc dicunt Peripatetici, esse completum, & perfectum actum nostræ intellectionis. Averroes solus nostram intellectionem ulterius etiam progredi vult; videlicet ad cognitionem intelligentiarum: quia, quando habemus intellectum speculativum, jungitur nobis (inquit) intellectus agens, ut forma: & quia ipse substantia separata est; ideo substantias separatas intelligimus. Sed Alexander non putat, nos intelligere essentiam formarum separatarum, sed solummodo materialium: quia non cognoscimus intelligentias, nisi modo quodam nobis convenienti, scilicet, ut in phantasmatibus relucent, quatenus referuntur ad ordinem & dispositionem Mundi, & sunt causæ motus corporum cœlestium, hinc enim comprehendimus, eas a magnitudine separatas esse, & quomodo se habeant ad movendum. Verum, sive Alexandri, sive Averrois, sententia vera sit, certum est, nec intellectum agentem, nec substantias separatas, ad futurorum cognitionem quid nobis conferre: quia substantiæ separatæ, secundum Philosophos, se ipsas solas cognoscunt; & junctæ nobis non possent tribuere, quod non haberent; & in rerum quiditatibus, non sunt causæ necessariæ futurorum, nisi universalium. Quare falluntur ii, qui, Averrois sententiam male explicando, putant, ipsum una cum Aristotele sensisse, Deum & cœlestes intelligentias hæc inferiora curare, & de Homine curam in primis habere, cum is sit finis, cujus gratia cætera omnia facta sunt: & propterea, ad conservandas leges, & Religiones, maxime incumbere; quia hæc ad Hominum gubernationem spectant: hinc, dum aliqua viget Religio, omnia fieri, quæ illius conservationi prosint: & ideo apud Idololatras Divinationes, Oracula, & alia mirabilia fuisse, quibus illa Religio servabatur: sed, quia rerum sublunarium natura perpetuitatem non patitur, & a Religione Idololatrica ad Christianam transitio fieri debebat, Oracula, & cætera omnia, quibus Idololatria sustentabatur, aliquando desiisse, & nova miracula visa esse, quæ nostræ Religionis incrementum darent. Hæc est doctrina Petri Pomponatii, quam non sapere Philosophiam, ex supra dictis apparet, præterquam quod nos non credimus, Aristotelem putasse Deum alicujus rei effectorem; sed finem tantum, cujus gratia cætera fiant: quia voluit eum in perfectiori genere causæ collocare, & dixit, in abstractis nullam dari distinctionem, inter intelligere, esse, & operari. Quare, ex mente Aristotelis; quidquid faceret Deus, esset ipsemet Deus: cum nesciverit ille distinguere productionem intrinsecam ab extrinseca, ut lumine fidei faciunt nostri Theologi. Quare, his confutatis, superest, ut nostram de Aristotelis mente sententiam jam proferamus.

Cap. XII.

Opinio Aristotelis, ex Auctore.

Nos, doctrina Aristotelis, dicimus, omnium mirabilium, quæ narrantur, causam assignari non posse; sed Peripateticum negare ea, quæ supra Naturæ vires sunt unquam accidisse, cr dereque potius, vel a malis Idololatricæ Religionis Sacerdotibus, lucri causa, vel ab Exercituum Ducibus, ad animandos Milites, vel a Legumlatoribus, ad Populi obedientiam legibus comparandam, conficta fuisse. Nam his de causis, Minos a Jove, & Numa a Nympha Egeria, leges sibi datas finxerunt; & Sylla prælium initurus, simulacrum Apollinis coram Militibus amplectebatur, rogans, ut promissa persolveret, quasi ille victoriam jampridem promisisset. Sertorius quoque, Cervam candidam mansuefactamque habens, hanc sibi a Diana donatam; & hac, quando pugnandum, & quando a prælio abstinendum esset, moneri, Militibus suaserat. Nec desunt alia Antiquorum vafre dicta, & facta, quibus Religionem, ad publica privataque commoda, ab ipsis adhibitam fuisse, apparet. Nihilominus, quia negari non potest, multos Homines spiritu rapi, quo a se ipsis alienantur, & in furorem versi multa dicunt & faciunt, quæ ignorant; & quæ propterea a nulla illorum animæ facultate provenire videntur; ideo Aristoteles, in primo libro *Problematum*, hujus furoris causam his verbis reddere conatur. *In quibus multa, & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignavi: in quibus permulta, & calida, ii perciti, & ingeniosi, amasii, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. Nonnulli quoque, quia color ille sedi mentis vicinus est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico fervescunt: ex*

quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes, quæ divino ſpiraculo inſpirari putantur: cum ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie, accidat. Maracus, Civis Syracuſanus, Poeta etiam præſtantior erat, dum mente alienaretur. At quibus ille calor remiſſus ad mediocritatem eſt, ii prorſus melancholici quidem ſunt, ſed longe prudentiores. Hæc Ariſtoteles, quibus ad naturalem intemperiem, biliſque incenſionem, referre vult furorem illum, quem cæteri divino afflatui attribuebant, & inquit, propterea fanaticos neſcire, quæ in furore illo dicant, vel agant; quia ea bilis incenſio mentem lædit; cum illius ſedi vicina ſit. Quæ doctrina difficultatem pati videtur. Nam quomodo læditur mens, quæ organo corporeo caret? Sed tollitur difficultas: quia mens indiget objecto, quod ei a cogitatrice facultate offertur: & ideo, quando læſa eſt cogitatrix, ita ut objecta confuſa imperfectaque offerat, mens delirat.

At quæret aliquis; Cur hic furor accidebat iis, qui Delphico Antro, vel fontibus illis apud Branchides, & Colophones, appropinquabant? Huic Ariſtoteles nil aliud quidem reſponderet, quam id, quod de Terra docuit Plutarchus: videlicet, non eſſe mirum, eam, cum tot miros effectus pariat, halitus & aquas, ea præditas vi, e ſinu alicubi emittere, qua proximi Homines in furorem inducantur. Neque, de cauſa horum Oraculorum defectus, Ariſtoteles a Plutarcho diſſentiret: ſcilicet hæc periiſſe, quia omnia terrena mutabilia ſunt, nec Terra iis in locis eam vim nunc habet. At, ſi quis peteret, cur Homines in illo furore futura prædicere ſciverint? Negaret Ariſtoteles, hanc virtutem illis fuiſſe; diceretque illius Religionis vi factum, ut conſulentes accommodarent Fanaticorum reſponſa ad futurorum prædictionem; interpretando verba, quæ reſponderant, aptandoque ea rebus, prout conſentaneum videbatur. Notandum vero, apud Delphos, & alia præcipua Oracula, non licuiſſe cuilibet conſulenti fatidicam mulierem alloqui. Nam Delphis Mulier ſecus cortinam latebat; nec ei erat, niſi cum Sacerdotibus, conſuetudo. Et Oraculum conſulturi, Templum ingrediebantur, & ante Dei ſimulacrum exponebant, quid optarent; quod a Muliere, & Sacerdotibus, ſecus altare exiſtentibus, audiebatur. Tunc Mulier tripodem aſcendebat; repletaque furore, quidquid in buccam venerat, pronuntiabat; nihilominus de his, quæ petita fuerant, loquebatur. Quia fanatici, cum delirant, ſermonem ſemper habent de iis, in quæ ante delirium cogitationem fixam habuere. Sacerdotes poſtea, prout melius poterant, Mulieris dicta in duo, vel tria carmina, conſulentium petitioni accommodata, redigebant, ſed eo verborum artificio compoſita, ut errare non poſſent. Exempli gratia; cum Crœſus, Lydorum Rex, petiiſſet a Delphico Oraculo, an bello Perſas aggredi deberet? Reſpondit Oraculum: Si bellum Perſis moveretur, magnum Regnum cito everſum fore. Crœſus bellum movit; & a Perſis victus, Regno-

A que ſpoliatus fuit. Tunc omnes in opinionem venerunt, non Regni Perſarum, ſed Lydorum, ruinam ab Oraculo prædictam fuiſſe. Hac igitur verborum ambiguitate, Populi fides erga Oracula ſervabatur: nunquam enim Conſulentes credebant Oraculum erraſſe, ſed ſe Oraculi mentem potius non percepiſſe. Non deerant præterea multi, qui Oraculorum reſponſa intelligere, interpretarique profitebantur, & in hos omnis ignorantiæ culpa conferebatur; quod Oraculi verba recte exponere neſciiſſent, quotieſcunque ſecus, ac prædictum fuerat, accidebat. At, ſi quæras ab Ariſtotele; cur hæc omnia tandem deſierint? multas cauſas aſ-
B ſignabit. Primum, quia, mutata Religione, Lymphati, non Deo pleni, ſed amentes, vel malo Dæmone capti, nunc exiſtimantur; neque eorum verba ponderantur, ut Divina; ſed vel ſtulta, vel fallacia, ut a communi Hoſte proficiſcentia, creduntur. Deinde, quia, cum multa in his Oraculis, a Sacerdotibus, & Principibus, fingerentur; Populus tandem dolos cognovit, & fidem amiſit. Sacerdotes autem, lucri cauſa, multa fingere conſueviſſe, ſacri & profani libri teſtes ſunt. Legimus in ſacra Scriptura, Danielem Prophetam, Templi ſolo cinere aſperſo, ut ambulantium pe-
C dum veſtigia in eo linquerentur, demonſtraſſe Babyloniorum Regi, quomodo Sacerdotes ſingula nocte, per occultum oſtium, Templum ingreſſi, auferebant quadraginta Oves, & ſex vini Amphoras; quas Rex Deum edere, & bibere, quotidie, putabat. Tradit Herodotus, Perialam, Delphis vaticantium mulierum Antiſtitem, donis ſubornatam, reſpondiſſe; Spartæ Regnum ſoli Cleomeni competere: quod Demarato quoque competebat. Juſtinus etiam Hiſtoricus teſtatur, Alexandrum Magnum, ab Hammonis Antiſtite, Jovis filium nuncupatum fuiſſe; quia is ab Alexandro fuerat præmiſſis Nuntiis ſubornatus. Cum
D igitur tot doli committerentur: quid mirum, ſi Populus illos tandem cognorit; ultimis præſertim Idololatriæ temporibus, quibus horum abuſus creverant, & Chriſtiani eos patefaciebant? Nam res eo impudentiæ tunc venerat; ut Adrianus Imperator Oraculum Antinoo Puero defuncto, quem in deliciis habuerat, conſtituerit, quod heroicis carminibus reſponſa daret. Cui, quæſo, quis fidem præſtitiſſet? Hæc diceret Ariſtoteles. Qui ſi interrogaretur, cur ſtatuæ loqui deſierint? nullam cauſam certe reddere poſſet: ſed unquam locutas fuiſſe negaret; itaque ſuam doctrinam mancam, & imperfectam oſtenderet: quia Mer-
E curius Triſmegiſtus, & omnes Idololatricæ Religionis Theologi, ac Hiſtorici, in hoc cum noſtris conveniunt, ut ſtatuas locutas aſſeverent. Quare patet, ob Chriſti adventum eas loqui deſiiſſe, qui malis Dæmonibus vim Homines fallendi ademerat; ut vera fides cognoſceretur, quam ut indies per orbem magis, ac magis proferat, ipſum rerum omnium ſupremum, & optimum Auctorem precamur.

F I N I S.

SYMBOLICA
DIANÆ EPHESIÆ
STATUA
A
CLAUDIO MENETREIO
CEIMELIOTHECÆ BARBERINÆ PRÆFECTO

EXPOSITA.


EDITIO ALTERA AUCTIOR,

ET AB EODEM PLURIBUS QUAM ANTEA NUMMIS,
ET ANTIQUIS MONUMENTIS ILLUSTRATA.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI FRANCISCO BARBERINO CARDINALI

FEDERICUS UBALDINUS.



ON vereor, Domine, ut hilari vultu excipiatur a te quem tibi offero Libellum: tuus enim eſt jure patrocinii; nam Clariſs. Menetrejus eum reliquit poſthumum ingenii ſui partum. Qua ergo pietate auctorem olim fovebas, & hunc fovebis certo ſcio; cum Claudium ipſum, quem tu plurimum amabas, ab oblivione in hominum memoriam ſis evocaturus. Etenim ſi præclare conſultum eſt, ut ejus, qui ſacrilega gloriæ cupidine actus Dianæ Epheſiæ templum incendit, nomen aboleretur: merito illius per univerſum terrarum orbem celebrabitur induſtria, qui pio adverſus omnem Antiquitatem ſtudio eandem Dianam inſtaurare contendit.

SYMBOLICA DIANÆ EPHESIÆ STATUA EXPOSITA.



GYPTIORUM genti antiquiſſimæ, externæque eruditionis contemptrici, moris fuit, ut quæ in ſuperiori, inferiorique recondita erant natura, ea ſolis Sacerdotibus primæque notæ viris revelaret. Indignum ſcilicet exiſtimabat ea profanis & imperitis hominibus communicari, ne in vulgus edita arcanorum religioſa majeſtas evileſceret. Ipſi itaque Hierophantæ, rerum naturam hieroglyphicis notis adumbrabant, ipſarumque adeo rerum effigies pro Diis conſecrabant: & Mercurio quidem Hermas, Soli literatos Obeliſcos, Naturæ principis & mundum adminiſtrantis imagines, offerebant. Ejus diſciplinæ ſectatorem fuiſſe conjicio primum Epheſinæ Dianæ vel inventorem, vel ſculptorem: certe tot illi adaptavit Symbola; ut arcanum & grande aliquid ſub iis intelligi voluerit. Ego in illius communis rerum parentis, & conſervatricis Naturæ typum agnoverim, quod & omnis Symbolorum ſeries oſtendit, & mellifluæ potiſſimum Apes indicant: quas benigno ſalutarique ejus numini frequenter adſcripſit Antiquitas. Verum ut commodius hæc a me Sparta illuſtretur, quatuor Epheſini ſimulacri apo-

A grapha proponam, quæ Romæ viſuntur. Priora quidem duo expreſſa ſunt ex marmoreis ſignis longe elegantiſſimis; quæ in celebri reconditæ vetuſtatis penu extant apud Eminentiſſimos Franciſcum Antonium Cardinales Barberinos, principes non minus hujuſmodi elegantiarum amore & ſtudiorum patrocinio, quam ſanguine & dignitate conjunctos. Tertium in ædibus Scipionis Lancellotti, Lauri Marchionis: ultimum apud Vincentium Juſtinianum Baſſani Marchionem aſſervatur.

Portentoſum plane, atque ab omni veterum Deorum cultu, & ornatu alienum hoc ſimulacrum videtur. Sed qui penitus omnia ejus ſymbola exa-

B minaverit, varia ſub iis myſteria reconditæ illius priſcorum Ægyptiorum ſapientiæ latere deprehendet: quin etiam ſub iſtis diverſorum animantium figuris, quibus Diana decoratur, aliqua Pythagoreorum placita & dogmata contineri animadvertet: qui Lunam circumquaque ad inſtar terræ, quam nos incolimus, grandioribus habitari animalibus, & pulchrioribus conſitam plantis arbitrati ſunt. Et hanc quidem ipſorum doctrinam, haud temere referamus ad varia hæc ſymbola, quibus Diana noſtra (quæ ipſiſſima Luna eſt) exornatur, cujus totum ferme corpus non modo diverſis animalium, verum etiam fructuum generibus veſtitum conſpicimus.

DIANÆ EPHESIÆ VARIA NOMINA.

COMMUNI & recepto indigitamento hæc Symbolica figura APTEMIC EΦECIΩN, id est, DIANA EPHESIORUM dicebatur, quamvis sub hac effigie apud remotissimas etiam gentes coleretur. Certe *Pausanias* inter alios auctor est, variis in locis Dianam Ephesiam summo in honore fuisse habitam. Nonnullis tamen aliis etiam titulis fuisse insignitam ex Veterum monumentis observabis. Ac in primis Opin denominatam apud Macrobium *Saturn. lib.*V. *cap.*XXII. reperies. B Is etenim ex Alexandro Ætolo refert, Ephesios dedicato augustissimo templo Dianæ celebrioribus Musarum alumnis præmia amplissima constituisse, ut in Deæ laudem carmina diversa componerent. In hisce peculiari encomio a quodam vate Opin dictam fuisse Dianam commemorat hoc versu:

Υ' μνῆσαι ταχίων Ὦπιν βλητῆραν οἰςῶν.

Ut celebrem jaculis ornarent laudibus Opin.

Verum enimvero præ cæteris præconiis, quibus C decorabatur, acceptus illi fuit ac peculiaris Magnæ Dianæ titulus: cujus rei præter profanos auctores testem etiam locupletissimum habemus S.Lucam *in* Act. Apostol. *cap.* XIX. *v.* 35. qui Dianam Magnam a Demetrio quodam seditioso cive cognominatam pronunciat: eo fortassis quod Ephesii Dianæ numen potentia cæteris Diis antecellere crederent; vel forte ob celebritatem augustissimi ipsius templi; aut quia inter Magnos Deos (ut scriptores vetusti referunt) numerabatur. Hoc ipsum divinus ille *Plato* de Diana etiam (ut reliquos taceam qui veterum deorum Theogonias contexuerunt) D calculo suo confirmavit, dum Solem & Lunam Magnos Deos nuncupavit. Diana demum hæc nostra opposite a Divo Hieronymo *in Epist. Paul. ad Ephesios* Polymamma denominatur, quem audire si lubet, licet venuste statuam nostram hoc modo depingentem: *Dianam Multimammam colebant Ephesii, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est, sed illam Multimammiam, quam Græci πολύμαςον vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur, omnium eam bestiarum & viventium esse nutricem.* A Minucio item Felice *in Octavio*: *Multimammia etiam Diana Ephesia depingitur.* Objicere autem posset aliquis Macrobii auctoritate fultus, E Isidis potius hanc esse, quam Dianæ effigiem: apud quem hæc habentur, *l.* I. *Saturn. c.*II. *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens Soli. Hinc est, quod continuatis uberibus, corpus Deæ omne densetur: quia vel terræ, vel rerum naturæ halitu nutritur universitas.* Et hanc *Macrobii* descriptionem firmare videntur gemmæ non paucæ, aliaque Veterum monumenta: in quibus Isis eadem forma, qua hic a *Macrobio* describitur, expressa est. Quo etiam schemate Canopum suum fingebant prisci illi Ægyptiorum Mythologi, non apposita tamen mammarum multitudine. At nostra Diana ab Iside Ægyptia differt quidem forma F aliquantulum, non autem numine, quia nullo prorsus discrimine inter se distant. Nam Diana Ephesia turritum coronamentum, & varia animantium emblemata expressa habet: Isidis vero Phariæ tempora cingunt vulturis, aut accipitris exuviæ, cum orbe patulo; reliquum autem corpus hieroglyphicis notis insignitum, vel (ut cum *Apulejo* loquar) *miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiatum conspiciebatur*: cujus ectypon

A majoris notitiæ gratia ex annulari gemma desumptum hic subjicio. (1)

Sed de Iside hoc adjiciam: nusquam cervos ejus obsequio a priscis Ægyptiis destinatos fuisse. Id ex omnibus Ægyptiorum monumentis observare liquet, in quibus cervos appictos nusquam reperies. Præterea Aristoteles *Hist. Animal. lib.* VIII. *cap.* XXVIII. & Plinius *lib.*VIII. *cap.*XXXIII. memoriæ prodiderunt, Africam primis illis seculis cervos non tulisse: atqui de more rituque priscæ illius gentis nulla animalia exotica diis patriis consecrabantur. Dianam vero hanc nostram cervis tanquam individuis comitibus semper circumstipatam videmus. Mystica tamen hæc simulacri emblemata nobis ansam conjiciendi abunde subministrare possunt, Ephesios Ægyptiorum disciplinas, & instituta præ oculis habuisse; dum tam variis symbolis Dianæ statuam adornarunt. Verum ut augustior patrii numinis majestas redderetur, non solum quæ præcipua erant Isidis attributa, sed etiam Magnæ Matris, seu Cybeles Phrygiæ muralem coronam, Cereris Eleusinæ boves & fruges, Dianæ Siculæ cervos, & rosas mutuati, novum Naturæ numen sub Dianæ indigitamento composuerunt, unico simulacro omnium prædictarum virtutes, & proprietates conjungentes. Non enim varii sacrorum ritus, vel formæ deorum diversæ apud priscos efficiebant, ut ipsa numina re differrent; quod multis rationibus Macrobius, *Saturn. lib.* II. Phurnutus, aliique Mythologi evincere contendunt, qui omnes Deos ad unicum Solis numen revocant. *Apulejus* quoque Isin, Deum Matrem, Minervam, Junonem, Dianam, Cererem, Venerem, Proserpinam, Hecaten unam eandemque esse prædicat; diversis tamen nominibus celebratam, ac multiplici specie a variis gentibus cultam. Quod & ex diversis argumentis in nostro hoc Dianæ signo expressis ostendere conabimur. Sed antequam rem ipsam aggrediar; duo antiqua Ephesiorum numismata propono, in quibus eadem prorsus effigie Diana Ephesia expressa visitur. (2)

In anteriori orbe primi nummi Trajani effigies, & hujusmodi est insciptio: AYT. KAIC. TPAIAN. CEB. alter vero, quem tanquam succenturiatum testem adduxi, exhibet in antica parte, Marci Aurelii imaginem, cum his litteris: AYT. KAIC. M. AYP. ANTΩNEINOC. CEB. cujus delineandi potestatem mihi fecere Brutus & Franciscus Gotifredi fratres, unanimes in conquirendis, & asservandis veteribus monumentis. Nonnulla etiam alia numismata eadem specie ab Ephesiis conflata, ab Huberto Goltzio, Guillelmo du Choul, Fulvio Ursino, Adolpho Occone, aliisque in lucem sunt edita. His breviter de nominibus, deque Dianæ forma præmissis, nunc ex qua materia simulacra ista Ephesii effinxerint despiciamus. (3)

STATUÆ MATERIES.

EX duobus Ephesiorum nummis prolatis titulisque adjectis, hanc nostram statuam genuinam antiquæ illius Ephesiæ Dianæ speciem referre certissime constat. Quanta vero arte & diligentia horum signorum opifices genuinam similitudinem ipsius Ephesini simulacri accurate exprimere allaborarint, præter varia symbola affabre cælata, diversus etiam ille marmorum color, ex quo hæc Dianæ signa compacta sunt, nullo negotio demonstrat: cum ad illius imitationem universum pectus ex marmore candido; vultum autem, manusque & pedes insititios ex lapide Ly-

A dio nigerrimo eos composuisse & efformasse videamus. Pervetustum enim ac celebre illud simulacrum Dianæ ex ebeno fuisse dolatum maxima veterum Scriptorum turba *Plinio* referente prodidit: idemque asserit Jornandes *in rebus Geticis*. Hoc autem non novum inusitatumque fuisse priori ævo, Pausanias *in Arcadicis* haud obscure ostendit: apud quem simulacrum Dianæ Limnatidis ex ebeno fabrefactum reperitur; At Vitruvius *lib.* II. *cap.* XI. contra sentire videtur, dum templi Ephesini signum, nec non lacunaria ex cedro facta fuisse commemorat. Alii vero vitigineum fuisse
B prædicant; inter quos Mucianus Consul apud *Plinium* habetur, qui se illud proxime spectasse dicebat. Sed hoc morosioribus examinandum relinquo. Ut ut sit, probabili conjectura assequi licet, Deæ membra prominentia vel ex nigra quadam materia composita, aut fusco aliquo colore obducta fuisse: & conjecturam meam juvant non pauca Dianæ Ephesiæ marmorea signa, quæ Romæ extant, cum facie, manibus, & pedibus ex lapide nigerrimo insertis; & hæc quidem opera eodem ferme schemate, quo hæc nostra, efficta.

Nunc ut ad incepta me referam, vetustissimos illos Dianæ mysteriorum interpretes, ex primige-
C nio gentium instituto totum Deæ corpus ex ebeno potius quam alio quovis ligno efformasse, non equidem temere conjicio, cum hoc genus ligni præ cæteris aliis, naturæ Lunaris sideris maxime congruere videatur. Nam per atrum & subobscurum ebeni colorem, noctis opacæ tenebras (quod proprium est Lunæ, seu Dianæ tempus) convenienter illi Mythologi designare potuerunt. Hæc etenim Græcis Νυκτίδρομος, Ἐννυχία, & Μελάγχρυς; Latinis, *Noctiluca*, *Noctivaga*, *Dea Noctium*, & *Noctium sidus* passim dicitur. Cumque constet, (ut supra ex *D. Hieronymo* refereba-
D mus) Naturam rerum omnium parentem sub hoc simulacro ab Ephesiis fuisse cultam; sic & ipsa nox apud vetustissimos Poetas, ut apud Orpheum *in noctis suffimento* rerum cunctarum parens habetur: quin chaos & tenebræ prima rerum exordia esse dicuntur. Non inepte igitur ex hujus disciplinæ fonte, ebeni lignum electum fuit ab Ephesitis mystis ad nocturnum Lunæ tempus designandum, & Symbolicum naturæ simulacrum fingendum: cum ejus vestigia, caliginosa etiam sapientioribus semper fuerint, ejusque virtus perspectu cognituque difficillima. Cereri autem (quam a Diana non abhorrere mox ostendam) ater etiam
E color gratus, acceptusque fuit. Unde & initia ejus ex prisco Eleusiniorum ritu, nocturno tempore potissimum peragebantur; ejusque Sacerdotibus sancitum erat, ne alia veste quam nigra uterentur. Et apud Phigalenses Ceres cognomento nigra peculiari studio colebatur, prout Pausanias *in Arcad.* observavit. Addatur insuper, ebeni lignum putredini, corruptionique minime obnoxium esse, ut Theophrastus *in Histor. Plant.* & & Plinius *lib.* XIV. *cap.* IV. annotarunt. Propterea hæc arbor inter æternas numerabatur. Æternitas vero in nummis Faustinæ Junioris, Lunam pro Symbolo sortita est. Quas ob causas proculdubio Luna, seu Natura, ebeni lignum tamquam pro-
F prium & peculiare expetit.

Sed jam vetustissimæ illius Statuæ incunabula perscrutemur. Hanc non humana arte expolitam, sed cælo divinitus missam Ephesii tam arroganter quam falso prædicabant. Ad quod vetus quidam Poeta Græcus alludens, celebritatem templi Ephesini, famam simulacri Dianæ, ipsiusque civitatis gloriam eleganti epigrammate celebravit:

Τίς ποτ' ἀπ' ὐλύμποιο μετήγαγε Παρθενεῶνα,
Τὸν πάρος ὐρανίοις ἐμβεβαῶτα δόμοις
Ἐς πόλιν Ἀνδρόκλοιο, θοῶν βασίλειαν Ἰώνων
Τὰν δορὶ, καὶ Μώσαις αἰπυτάταν Ἔφεσον;
Ἠ ῥα σὺ φιλαμένα τιτυοκτόνε μεῖζον ὀλύμπω,
Τὰν τροφὸν ἐνταυθοῖ τ' σὸν ἔθευ θάλαμον;
Quis tulit e cælo sublimem Parthenconem,
Qui fuerat superis cognitus ante Deis,
Mœnia ubi Androcli, imperiumque existit Jonum,
In claram Musis, militiaque Ephesum?
An quia grata magis cælo tibi terra sit altrix,
Percupis hic thalamum esse Diana tuum?

Sed missis fabulis, simulacrum illud potius ab Amazonibus positam dixerim: cum Ephesini templi constructio iisdem a Dionysio Periegete tribuatur, *v.* 887. *&c.*

Παῤῥαλίην Ἔφεσον, μεγάλην πόλιν ἰοχεαίρη,
Ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τετύχοντο,
Πρέμνῳ ἔνι πτελέης.
Maritimam Ephesum magnam urbem Dianæ,
Ubi Deæ ædem quondam Amazonides struxerunt,
In trunco stipite ulmi.

Vero autem propius sit, Amazones simulacrum Dianæ vovisse, ut sacram ædem ei dedicarent. Favet Callimachus *hymn. in Dianam*, *v.* 237. *&c.*


Σοὶ δὲ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι
Ἔν ποτε παῤῥαλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο,
Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ.
Tibi etiam Amazones belli affectatrices
Olim in littore Ephesi statuam posuerunt,
Fagino sub trunco.

Illud mirum, ejusmodi simulacrum intactum illæsumque remansisse, nec fuisse mutatum ipso Deæ templo septies restituto, ut Plinius *lib.* XVI. *cap.* XL. testatum reliquit. Porro eadem plane symmetria ac forma, qua reliquas Deorum imagines, primitus formatum fuisse hoc simulacrum crediderim. Sed deinde Ephesiorum hieromystæ gloriæ patrii numinis consulentes, ut varias Dianæ seu Lunæ vires, effectusque denotarent, aurea, argentea, aliaque ornamenta, pro tempore tamen, & ad libitum exemptilia excogitarunt; & diversorum animantium toreumata, & emblemata in iis exprimi curarunt. Conjecturam nostram firmat candidus ille ornatus mamoreus, quo totum Deæ corpus obducitur, quandoquidem in nonnullis aliis Dianæ Ephesiæ dissimilia a nostris symbola contiri observarim.

CORONA FLOREA, ET TURRITA DIANÆ VERTEX INSIGNITUR.

DIANÆ caput duplex cingit corona: quæ apposita fronti, florida est; altera muralis: utriusque minime vulgaris ratio, sed ab Ægyptiorum sacris petita, quos neque radiis, neque lauro, neque olea, neque quercu patriorum Deorum capita cinxisse liquet. Isidis certe capiti Vulturis aut Accipitris pennas, modo exuvias aspidis, jam bovina cornua, & orbem apponebant. Osiridis vertici calathus, seu modius pro corona erat. E fronte Harpocratis malum persicum cum foliis eminebat. Quæ hic attexenda duximus, ut Ephesios haud absimile institutum præ oculis habuisse indicaremus. Nam Dianæ vertex apud cæteras nationes sola falcatæ Lunæ sectiuncula insignis conspiciebatur. Verum, ut


1


2


3


4



I. Isidis Phariæ coronamentum cum orbe patulo, et exuviis Vulturis aut Accipitris ex anulari gemma

II. Isidis Phariæ imagines, et coronamenta cum Loto, ac Lunæ globo ex nummis Helenæ Iuliani Imperatoris Vxoris

III. Dianæ Ephesiæ simulacrum cum murali ac turrita corona ex nummis Traiani, et M. Aurelii

ut quod hujus est loci exequar, in ejus Strophio Rosæ, Chrysanthemique cum corymbis sunt: decenter quidem, cum juxta Plinii mentem *lib.* XXI. *cap.* XXV. Lunæ globum rotundum imitentur, & ad Solis repercussum aurei videantur. Ea propter *Lil. Gyraldus* coronam ex heliocryso sive chrysanthemo Dianæ attribui a priscis scriptoribus memorat; nec absque ratione, quod hoc floris genus helichrysum, seu heliochrysum denominatum perhibeant ab Helichryse quadam Ephesia puella, quæ prima e flore chrysanthemo Dianam coronavit. Quid si per rosas simul pactas, Cereris & Dianæ cognatum numen sagax Ephesiorum religio denotarit? Numquid pariter rosas Dianæ veluti montium, & hortorum dominæ, florumque procreatrici concedemus? Apulejus *lib.* XI. *Metam.* multifarias illi coronas adscribit. *Corona multiformis variis floribus sublimem distinxerat verticem.* Idemque paulo inferius, coronam rosaceam in pompa illa, & apparatu Deæ celebri a Sacerdotibus prægestari solitam pronuntiat: alibi autem *nunc, albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roseo rubore flammida*, eadem ab illo corona describitur. Quid vero aliud hæc florum varietas in Dianæ corona, quam diversos illos circulos qui circa Lunam apparent designare posset: Hos etenim constat coronas a probatis auctoribus vocari: fidemque nobis facit Plinius *lib.* II. cujus verba placet adscribere: *Existunt eædem coronæ circa Lunam, & circa nobiliora astra. Aristoteli* & nonnullis aliis Græci sermonis antesignanis hi circuli ἀλῶνες dicuntur. Quam vocem interpretes modo coronam, modo circulum vertunt. Seneca *in princ. Quæst. hunc* (inquit) *ἀλῶ nuncupant, quem nos dicere coronam aptissime possumus.* Rosaceam quin etiam coronam ad Cererem non invitus traham. Cujnam enim decentius, quam Cereri coronam ex lectissimis floribus plexam Ephesiorum religio tribuere potuisset, cum ex felici ejus gremio flores ortum ducant? Equidem corona rosacea, & florida apud Veteres hilaritatis erat indicium: hujus autem Deæ festum summo cum lusu, & gaudio antiquitus celebrabatur, prout *Phurnutus* testatur. Non pauci item alii flores intertexti, inter quos & narcissus. Ceres etenim apud *Sophoclem* narcissum, præ aliis floribus exoptat, & Magnarum Dearum coronamentum esse perhibet, quas *ejus* Scholiastes Cererem, & Proserpinam interpretatur. Item hiacynthus ex *Pausaniæ* auctoritate, qui hiacynthinas corollas sacris Cereris adhibitas fuisse prædicat in Chthoniis diebus festis. Cæterum omnibus palam est, rosam esse florum reginam, ac hujus symbolo potentiam, regnum, & imperium convenienter designari. Apposite igitur Cereri rosa competit, cum hæc sit omnium regina, ut festive notavit *Euripides*:

Καὶ φίλα Δαμάτηρ θεὰ, ἁπάντων
Ἄνασσα, ἁπάντων δὲ γᾶ τροφός.
Et amabilis Ceres Dea, omnium
Regina, omnium vero terra altrix.

Nemini autem mirum videri debet, si Ceres, seu Diana Ephesia, quæ domina mundi habebatur, duplici corona donata, exornataque fuerit: cum peculiari quodam cultu Dianam Ephesiam coronis, non autem sanguinolentis victimis cultam fuisse proditum extet. Etymol. *in* ✝ ἐφέσου. Ephesii enim *στεφάνοις διὰ θαλλῶν τὰς ἱκεσίας ποιοῦσιν, coronis per oleæ ramos supplicationes faciunt.* Dictamno etiam hanc Deam Veteres coronabant, quod partum facilem præstaret, ut *Euphorion* docuit. Sed longius fortasse provectus sum, quam oportuerit. Ad muralem coronam jam deflectamus. Cur Dianæ turrita corona? cum peculiare potius coronamentum Magnæ Matris, aut Cybeles, vel Deæ Syriæ apud vetustis-

A simos scriptores habeatur. At si quis penitus Dearum prædictarum attributa, & ceremonias perpenderit, unum idemque nomen facile deprehendet. Idipsum autem ex vetustissimorum scriptorum placitis ostendere aggrediar: & eo quidem lubentius, ut omnia symbola in Statua nostra expressa facilius elucescant. Rheam in primis a Cerere haud esse diversam non est dubitandi locus, quam Latini Opim, ut monuit Athenagoras *in Orat. pro Christianis*, vocitant, quod ipsius auxilio vita constet: vel ut *Fulgentio* placet, quod esurientibus opem ferat. Hanc poetæ prisci Deum Matrem, & Magnam Matrem nominarunt: quod non homines modo, sed omnia e terra
B proveniant. Quare *Porphyrius* Rheam, & Cererem, pro Terra capi voluit. Notus est Orphei *hymnus in Rheam*, qui eam cunctorum matrem, & mundi medium tenere memorat. Cererem vero terram ab antiquis creditam, cum multis rationibus, tum ex ipsius nomine satis constat. Quid enim est aliud Græcis Δημήτηρ, quam Γημήτηρ? Ab ipsa alimentorum largitione Platoni *in Cratylo* Δημήτηρ quasi *διδοῦσα μήτηρ* vocatur, tanquam *exhibens mater*. Huc referas liquet, illa quæ Arnobius *l.* III. ex Gentilium fabulis exarata reliquit. *Terram quidam*, inquit, *e vobis, quod cunctis sufficiant animantibus victum, ma-*
C *trem dixerunt esse magnam; eandem hanc alii, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronunciarunt.* Quibus Statuam hanc nostram quodammodo depingere videtur. Hæc nempe ex mamillis pensilibus cunctis animantibus, quæ totum ejus corpus ambiunt, alimentum porrigere, & ante pectus immensam frugum, fructuumque copiam gerere conspicitur. Quocirca a gerendis frugibus Cicero *de Nat. Deor. lib.* III. Cererem tanquam Gerem prima litera immutata dictam autumat. Ac veluti Ceres omnium bonorum largitrix, dispensatrixque credebatur, quod munus etiam Rheæ competere a nonnullis traditum est. Hanc ob causam
D illi vitigineum simulacrum tanquam cibi potusque largitrici Dædala sacravit antiquitas, *Euphorione* teste. Cererem præterea a Cybele non esse alienam docent inprimis harum cognati, germanique sacrorum ritus, Cereri enim, perinde ac Cybele tympana, & cymbala aderant, quorum sonitu Ceres in filiæ inquisitione primum usa est. Cybele porro curru vehi, & rotis sustineri credebatur: quia mundus rotatur, & volubilis est, & hæc ipsa terra eo quod pendeat in ære dicebatur, ut *Servius* docet. Ceres denique, & Isis propter Sororiam frugum inventionem, æque ambabus attributam, unum idemque numen constituunt. Triticum enim
E ab Iside primum cum hordeo hominibus commonstratum scribunt Diodorus *l.* I. & *Martianus Capella*. Et ideo in ipsius pompa triticum, & hordeum præferebant, ut ab ipsa repertas fruges testarentur. *Herodoto* Isis eadem est quæ Δημήτηρ. Cui Cedrenus *lib.* II. adstipulatur: a quibus *Diodorus* paulo ante memoratus non abludit, dum Cererem cum Iside, quæ ipsissima est cum Luna, conjungit. Unde ex primogenio tam Ægyptiorum, quam Græcorum instituto, æque ambabus boves adscripti fuerunt. Cæterum ut obscuritatis depulsetur offensa, *Martianus* iterum *Capella* no-
F bis adeundus erit, quem de Lunari orbe verba facientem sic audiamus. *In eo Sistra Niliaca, Eleusinaque lampas, arcusque Dictynnæ, tympanaque Cybeles.* Ex quibus observare est, Isidis, Cereris, Dianæ, & Cybeles attributa Lunæ etiam adscribi. Confer cum his Luciani *Deam Syriam*, & Apulejanam *Isim*, quæ minime diversa numina fuerunt, quamvis variis nominibus celebrarentur. Dianam demum in Luna cultam nemo nescit, nisi qui vetustissimos Mythologos non legerit. Hecate porro Diana, Luna, & Proserpina a *Festo*, &

Diodoro Siculo pro uno eodemque numine accipiuntur. Exinde Diana triformis fingebatur, in quam extant Horatii versus, *Carminum lib.* III. *Ode* XXII.

Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis.

Concordem hanc germanitatem etiam adnotat Virgilius,

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Magna autem illa, quam nos hic cogitamus Ephesiorum Diana, Naturæ, seu universi, & materiæ primæ vires, potestatemque sibi vendicat: cujus insignia, & ornamenta, si attente spectes, idipsum deprehendes. Quanta vero cognatio Dianæ Ephesiæ cum Iside intersit, vel hinc colligere est, quod illa, *Divo Hyeronimo* teste superius laudato, apud Ephesios Naturæ typum referebat. Hæc vero apud Ægyptios nihil aliud quam ipsummet Naturæ numen loquebatur, prout Macrobius *Saturn. lib.* VII. *cap.* XXI. & Apulejus *Metam.* VI. Ægyptiorum monumentorum peritissimi enunciant. Possent hic sexcentæ auctoritates cogi ad firmandum, immensam hanc Dearum turbam ad unicum Lunæ sivæ Dianæ numen a priscis Mythologis fuisse redactam. Sed cum res notior sit, quam ut de ea prolixior sermo habeatur, ad institutum redeamus. Et coronam hanc turritam, quæ prius Magnæ Matris, Cybeles, aut Deæ Syriæ peculiaris esse videbatur, Dianæ etiam nostræ competere ostendamus. Ac hujus quidem meminit *Halicarnasseus*, dum canistrophorarum capita corollis ornari velut Dianæ Ephesiæ simulacra perhibet. Quam vero decenter Naturæ hæc muralis corona tribuerunt, causa in promptu est: quoniam rerum humanarum regina, incolendarumque urbium rationes edocuisse credebatur; corona quippe pro muris urbium usurpatur: muri etenim tanquam urbium coronæ sunt. Hæc de corona satis superque dicta. Jam ad velum explicandum orationem convertamus.

VELO DIANÆ NOX INDICATUR.

VELO densas noctis opacæ tenebras, quibus aer circumfunditur, adumbrari pervium est. Hunc autem Dianæ velandi ritum non apud Ephesios modo, verum etiam apud Ægienses receptum fuisse a Pausanias *in Achaicis* edocemur. *Habent Ægienses vetustum Lucinæ fanum: Deæ ligneum signum a vertice ad calcem velatum, præter eos tamen, summas manus, & pedes. Sunt vero quæ non tanguntur partes e marmore pentelico. Alteram manum porrigit, altera facem præfert.* Atqui Lucina a Diana non est aliena: faces certe utrique fuere communes. Et Diana ipsa, seu mavis Luna, lumine suo ac splendore tanquam face ardenti, opaca & caliginosa, conspicua lucidaque reddit. Hujus quoque rei gratia quod noctu, & in tenebris luceat, & indicat, Noctiluca, & Noctivaga vocitata. Merito igitur velum, tanquam obscuritatis a se depulsæ indicium a tergo demissum finxerunt. Ex quo Theologiæ fonte *Apulejus* in illa luculenta, & accurata Lunæ sive Isidis descriptione pallam ei nigerrimam assignare non dubitavit. Velum præterea modestiæ, ac pudoris virginalis signum esse in confesso est. Unde hoc etiam nomine Dianæ tribuendum.

CERVORUM COMITATU DIANA GAUDET.

CERVOS Dianæ obsequio ceu ministros, & (uti sic dicam) pedissequos semper fuisse ad- A dictos vulgatissimum est. Inde est quod peculiari elogio ἐλαφηβόλος *Cervi jaculatrix* a Græcis dicebatur. Inde etiam est quod inter animalia, quæ signum Dianæ exornant, bini cervi Deæ caput circumstant: idque merito, cum reliqua quadrupedum genera pernicitate superent, adeo ut illi Mythologi velocem Lunæ cursum innuere volentes Cervos pro symbolo elegerint. Luna equidem tantæ celeritatis est, ut spatio viginti septem dierum horarumque octo totum permeet signiferum, quem Sol annuo tantum temporis curriculo perlustrat. Quo minus mirum sit Dianam cervi effigie designatum. Equidem vetus extat Pub. Licinii Gal- B lieni nummus, in quo cerva est cum hac epigraphe, DIANÆ CONSERVATRICI. In alio item numismate æneo ab ipsis Ephesiis in honorem Commodi Imp. cuso bigæ cervorum aurigante Diana, & hæ literæ circum impressæ sunt, ARTEMIC EΦECIΩN. Visitur & alius Marc. Antonini Caracallæ, in quo Dianam duæ cervæ trahunt. Præterea Callimachus *in Hymn.* & Claudianus *de Laud. Stil.* currui Dianæ cervos itidem adjungunt. Sed & ob venationis studium, quo tenetur, & cui dominatur Diana, Cervi sub ejus tutela, & præsidio sunt, Quapropter in veteribus Græcorum nummis Dia- C nam videre est venatricis habitu succinctam, ocreatam, pharetra a tergo insignem, adstante cerva. In multis vero ipsam videas in cervos sagittas ejaculantem: qua profecto de causa montes, nemoraque eidem accepta dedicataque fuerunt. Quod Horatius *l.* III. *Carm. Od.* XXII. eximie demonstrat.

Montium custos, nemorumque virgo.

Montium autem ac sylvarum tutricem dictam puto, quod in montibus cervi, & reliquæ feræ stabulentur; vel certe quia noctu incedit, ac suo splendore confragosa ac densa quæque loca perlu- D strat. Quæ *Phurnutus* respiciens Dianam ὀρεσιφοίτην *Monticolam* nominavit. Nemoribus præesse fingitur ex *Fulgentii* mente, quod arboribus, & fructuum succo augmenta ingerat. Sin autem alias rationes desideres, ob quas præsertim cervus in delitiis Dianæ fuerit, dabo. Rorem (ajunt) Jovis, & Lunæ filium esse, idque ex doctrina Poetæ vetustissimi inferius (cum de Apibus erit sermo) ostendam. Constat autem, æstivis temporibus ipsoque statim Solis exortu rorem anhelanti ore excipere, atque eo se reficere, quod ipsum Physici observarunt, & *in hieroglyphicis* Pierius. Cæterum cum cervi longissimæ sint vitæ, non male E Lunæ congruunt. Quam pro æternitatis symbolo in nummis Faustinæ Junioris expressam monuimus. Per quatuor demum hosce cervos juxta Deæ caput appositos, forte quatuor Lunæ sese mutantis facies designari poterunt. Verum illud conjectando, potius quam asseverando dictum esto.

LEONES DIANÆ IN SIMULACRO CÆLATI CONSOCIATAM SOLIS, ET LUNÆ POTENTIAM INDICANT.

F LEO quamvis Solis animal Solarisque naturæ particeps ab omni ferme Mythologorum cœtu perhibeatur; Dianæ tamen, Magnæ Matri, Cybele, Cereri, ac Isidi adscriptum fuisse vetera monumenta nobis insinuant. Quare facturum me operæ pretium puto (cum vetustissimum simulacrum discutiendum susceperim) si prisca numismata ad rem nostram stabiliendam facientia Scriptorum vice proferam. Igitur Magnæ Matris

effigies in pulcherrimo æreo nummo Faustinæ Antonini Pii filiæ, cum hac epigraphe, MATRI DEUM SALUTARI, Leonibus inclyta conspicitur. Cybelem Leoni insidentem Septimii Severi numismata referunt apud Adol. Occonem. Ejus similiter currum Leones trahunt in nummo Faustinæ Junioris apud Petrum Mareschal Patricium Bisuntinum. Hæc etiam in quarto denario Voltejæ gentis Leonum famulitio gaudet. In nummis Faustinæ Junioris Isidis Sistratæ imago cum Leone ad pedes exprimitur. Diana demum in arca illa celebri, quam Cypselidæ in Olympia dedicarunt, alata insurgebat, & Leonem ad dextram, pantheram habebat ad sinistram, ut Pausanias *in Eliac.* memoriæ B prodidit. At vero quid Leonibus cum hisce Deabus peculiare, & cur illis sacri fuerint, nobis inquirendum est. An ideo Magnæ Matri Leones solutos & mansuetos adjunxerunt, ut designarent nullum esse terræ genus tam asperum atque ferum, quod non subigi colique possit? Sic lego *Varroni* placuisse. An vero etiam ut significarent maternam pietatem omnia superare. An quod Cybeles cum Dea montana sit, vehi Leonum jugo debuit. An vero currum Cybeles Leones trahere dicuntur, quod ab iis nutrita sit? An quia Cybele, quæ & terra est, vim gignendi a Sole recipit? Solis vero præcipuum symbolum Leo, qui & Cereri ideo forsan adscriptus C fuit, quia hæc mensis Augusti tutelaris erat, ut in Kalendario antiquo habetur. Dianæ porro destinatum crediderim ob duplicem Leonis naturam: ejus enim anteriores partes, quia robore ingenti præditæ sunt, cælestia; posteriores, quia debiliores, terrestria referunt. Quæ causæ licet ad confirmationem satis sint, aliam tamen causam ex Arati *Phænom.* petere licebit, ubi ex Nigidio refert, Leonem, qui in astris locum obtinet, jussu Junonis apud Lunam nutritum, educatumque fuisse. Porro quid causæ est, cur isti quatuor Leones humeris ac brachiis Deæ insident, sibique invicem respon- D dent? Dixerim non gravate concordem Solis, & Lunæ virtutem in rebus omnibus producendis, ac fovendis per eos significari; ostendique nexum, quo terrena cælestibus conjunguntur; a quibus dum infusum recipiunt, eadem inter se, & cum cælo aptissime cohærent.

CANCER CUR EPHESIÆ DIANÆ SACER?

INTER alias imagines, quibus omne cælum distinxit antiquitas, non ignobile est Cancri si- E gnum, cujus figuram e collo Dianæ suspensam, & in extrema etiam simulacri parte appictam intueri licet. Hoc autem compactile testaceorum genus multas ob causas Dianæ sive Lunæ acceptum fuisse palam faciemus. Nam ut sub Leonis effigie Solem Mythologi cognoverunt, sic Ægyptii pro Luna Cancrum pingebant. Causa est, quod in ipsa genitura mundi Solem cum Leone, Lunam cum Cancro ortam crederent. Ad hæc Cancer cum Lunari sidere haud pauca communia habet: quippe qui frigidus, humidus, aqueus, nocturnus, & fœmineus sit. *Quod ejus a fronte protenduntur apices* F *duo rotundi, & acuti, firmi admodum, sub quibus duo cornua minora articulata,* secundum *Rondeletii* observationem. Ejus etiam corpus rotundum & compactum a Lunari sidere haud multum aberat, præsertim dum chelas expandit: tunc enim Lunæ corniculantis figuram quodammodo referre videtur. Nec ultimum decus Lunæ cornua, cui omne genus animantium cornigerum sacravit antiquitas, ob corniculatum globum. Cornua etiam inter præcipua Isidis symbola sunt: eique abjectissima insecta consecrata, ut illud Scarabæorum secundum

A genus, quod bicorne est. Præterea ut Luna ob velocem cursum incedere videtur; sic Cancer fere solus e crustaceorum genere non natat, sed incedit. Ita Aristot. *Hist. Anim. l.* 1. *cap.* 1. *Cancri quamquam aquatiles, tamen gressiles sunt, transversoque latere procedunt.* Accedit quod inter venatores annumerantur Cancri: sub Dianæ vero tutela omnes venatores fuere. Sed hoc præcipue ad rem facit (quod rerum naturalium scrutatores observarunt) Cancros vim Lunæ sentire; ea crescente pleniores & probatioris saporis fieri; decrescente vero, minui: sicut & alia chonchylia, ut canit Manilius. *Astronom.*

Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

B Longævum est etiam animal: & quemadmodum Luna reviviscere videtur, ita Cancer crusta, seu tegumento se exuit, & statim reviresсit; quod est a Physicis animadversum. Cancri præterea ad nocturni luminis splendorem accurrunt, & noctu ut plurimum pasci solent. Quæ profecto satis evincunt, Cancris multiplicem inesse cum Lunari sidere consensionem; nec sine mente, consilioque illi fuisse adsignatos. Haud tamen omittendum duxerim, quod *Goltzius* nullo citato auctore refert, Cancrum apud mystas prudentiam denotasse, & hanc C ob causam e collo Dianæ Ephesiæ suspensum. Idem apud Platonicos hominis ortum vitamque designat: volunt enim animas per Cancri januam in humana corpora dimitti: & veluti Capricornum Deorum, sic Cancrum hominum portam vocant, quod per eam egredientes animæ humanum in corpus transeant. Et hæc ad nostrum emblema aptari possunt secundum Physiologos, qui Lunare lumen naturæ generationi, ac vitæ præesse volunt. Istud etiam hic attexatur. Apud Brutios peculiari & insigni coronamento Dianæ caput Cancri testa ornatum, ut ex eorum nummis palam est. Antonini Pii numisma ab Ægyptiis signatum in aversa parte expres- D sum Cancrum habet chelas expandentem, & falcatam Lunæ sectiunculam apprehendentem. Eodem plane schemate, & pari symbolo Cancer sculptus est in veteri gemma, quæ in Pinacotheca Eminentissimi Cardinalis a Balneo adservatur. Verum ista de Cancro sufficiant. Vocant nos ad se binæ Victoriæ Dianam corollis & palmis insignientes: earum igitur explanationem aggrediamur.

VICTORIÆ BINÆ DIANAM EPHESIAM CUR COROLLIS, ET PALMIS INSIGNIUNT?

E BINÆ Victoriolæ Deæ pectus exornantes nos sollicitant, ut e sanctioribus Ephesiorum promptuariis causas repetamus, ob quas præsertim Dianæ Ephesiæ Victoriæ tribuerentur. Etenim non sine mysterio id ab Ephesiis præstitum. Hoc enim argumento cuncta submitti Lunæ potestati innuebant. Vel certe corollas memoriam esse beneficiorum a Natura sive Cerere generi humano collatorum volebant. Expressæ vero sunt alis passis, cum corollis & palmis, qui solitus est Victoriarum habitus, ut liquet ex Claudiano *de Laud. Stil. v.* 204. 205.

F *Illa duci sacras victori panderet alas,*
Et palma viridi gaudens.

Victoriæ igitur imagines adeo gratæ, acceptæque fuerunt Dianæ Ephesiæ, ut non modo eas ad pectus decorandum admiserit, verum etiam ab his coronari exoptarit; ut fidem facit Gordiani Pii æreus nummus ab ipsismet Ephesiis signatus, in quo Polymamma Diana visitur, dextra scipionem præferens, quæ e binis Victoriolis utrinque volitantibus coronatur: ante ipsam vero muliebris figura est cornu copiæ gestans. Singularis hic æreus nummus cum infinitis propemodum aliis in Museo Eminen-

A tissimi Cardinalis Francisci Barberini asservatur. Inter præcipua Victoriæ argumenta palma surgit, quæ recte Cereri tribuitur: cum per palmam justitiam designari palam sit: eo quod fructus reddat pari cum foliis æquilibrio: id quod *Pierius Valer.* observavit. Hanc autem legum inventricem esse liquet vel ex Virgilio *Æneid. l.* IV. *v.* 57. 58.

—— mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, Patrique Lyæo.

Palmam præterea ad alia numina sub nostro simulacro contenta non invitus traham. Et hanc arborem inprimis ipsamet Luna tanquam propriam facile sibi vindicabit: cum palmam hoc peculiare B cum Luna habere rerum naturalium scrutatores observarint, ut sola omnium arborum per ortus Lunæ singulos progeneret. Lunam item vitæ humanæ præesse ex mystis præmonui; atqui palma pro ipsiusmet vitæ symbolo ab *Orpheo* commendatur: nec inepte quidem, cum hæc arbor trecenta sexaginta commoda mortalibus elargiri feratur: quod optime noverant Babylonii, qui suis in hymnis hujusce arboris proprietates decantare solebant. Jam si ramorum ejus naturam attentius perscrutemur, illis cum terra peculiare quid inesse deprehendemus. Hi etenim quo majori pondere gravantur, eo plus in altum feruntur, surguntque adver- C sum pondus, ut Aristot. VII. *Problem.* & Plutar. VII. *Sympos.* referunt: pari etiam ratione, quo plus tellus sulco premitur, eo uberiorem frugum copiam agricolis suppeditat. Cæterum cum Isim in Dianæ nostro simulacro reperiri non semel inculcarim, huic etiam palmæ appictæ quadrare possunt. Nam Isidi ex recondita hierophantum doctrina calceamenta ex foliis hujusce arboris intexta, *Apulejo* locupletissimo teste, probantur: *pedes* (inquit) *ambrosios tegebant soleæ palmæ victricis foliis intextæ.* Et præterea in solemni ejus pompa, is qui tertius incedebat, palmam auro subtiliter foliatam at- D tollebat. Hæc de palmis dicenda habui.

ENCARPUS E COLLO DIANÆ DEPENDENS CUR E VARIIS FRUCTIBUS?

TERRA cum non hominum solummodo animaliumque benigna sit parens, verum etiam omnium frugum fructuumque productrix, apposite propterea Ephesii encarpum, seu jugamentum lemniscatum ex variis florum fructuumque generibus confectum e collo Dianæ dependere finxerunt, utpote cum hominibus ea suppeditarit, ac dispertierit, quibus vesci queunt. Inter præcipuos vero fructus, ex quibus sertum compositum esse videtur, poma & papavera emicant, & illa quidem convenienter, quia ob rotunditatem terræ figuram referunt. Hæc autem multiplicem ob causam Dianæ, seu mavis Cereri accepta, oblataque fuerunt. Papaver in primis apud omnes scriptores pro fertilitatis symbolo habetur: unde & Ovid. *lib.* II. *Metam.* V.

Antes fores antri fæcunda papavera florent.

Hujus etiam fructus telluris imaginem exprimere videtur, nam inæqualitas illa, seu turbinatum Papaveris corpus valles & confragosa montium ramenta denotat. Interna vero hominibus, & sub- F ditis assimilantur, uti *Phurnutus* retulit. Poterit & Legiferæ Cereri attribui propter illa receptacula æquis intervallis inter se distincta. Callimachus *in hymno ad Cererem* papaver ei assignant. Apud *Clementem Alexandrinum* inter præcipua dona, quæ Cereri offerebantur, papaver recensetur. Quam forte ob causam Virgilius *l.* I. *Georg. v.* 212. 213. papaver Cereale tanquam Cereris donum exoptatissimum prædicarit.

Nec non & lini segetem, & Cereale papaver
Tempus humo tegere.

Ob vim autem somniferam recte Lunæ nocturnoque tempori conveniet: unde & illi apud scriptores somniferi cessit appellatio. Apud *Ovidium* nox cum papaverea corona depingitur: hoc enim tempore somnus propter humectationem potissimum vires suas exercet. Reliquæ vero florum fructuumque figuræ, quas assequi facile non est, nihil aliud quam omnis generis frugum copiam designare videntur, quam terra seminibus gravidata parit, funditque liberaliter; flos etenim in plantis frugem paulo post succrescentem pollicetur. Dianæ etiam fructus grati acceptique fuerunt, ut Pausanias *in Achaic.* testatum reliquit. Apud Patrenses enim Dianæ Laphriæ sacra facientes pomiferarum cujusvis generis arborum fructus offerre solemne habebant. Non mirum igitur, si encarpus collo Dianæ appensus variis fructibus & floribus adornetur. Verum ne hic contextus incompositus dilabatur, vitta seu fascia tenui astringitur: ut per vittam obliquus flexuosusque Lunæ cursus intelligeretur.

GLANDES INDICES PRIMI CIBI DUM TERRA MANSIT INCULTA.

ENCARPI extrema querneæ glandes tanquam elenchi coronant, quæ Cereris beneficia satis superque arguunt: cum in primis rerum incunabulis hoc fructuum genus mortalibus alimenta præbuerit; sed Cereris beneficio in meliora, & mitiora commutata fuerunt. Quod aperte declarat Ovidius *in Fastis l.* IV. *v.* 401. 402.

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Quo facit & illud Virgilii *Georgicorum l.* I. *v.* 8. 9.

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Antiquitus agricolis in more positum fuit, ut quotiescumque Cereri rem divinam facerent (faciebant autem, dum spicæ frugem emittere cœperant) querneis coronis uterentur. Cujus generis coronamenti meminit Athenæus *lib.* XV. Eundem feriunt scopum Maroniani versus *Georg. lib.* I. *v.* 348. *&c.*

Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Non possum autem hic silentio præterire gravissima illa verba, quæ in invocatione Apulejana ad Lunam habentur; *Regina cæli, sive tu Ceres alma frugum* E *parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetustæ glandis remoto pabulo, miti commonstrato cibo nunc Eleusinam glebam percolis.* Postquam vero hujusce Deæ beneficio terra novis frumenti seminibus locupletata luxuriavit, glans contemni cœpta est; taleque fuit mortalium in glandiferas quercus odium, ut inde natum sit illud, ἄλις δρυός *Satis quercus.* Et hæc forte fuit ratio, cur querneas glandes huic encarpo tanquam in Deæ trophæo protomystæ suspenderint. Sed & Hecate, quæ a Luna non abludit, corona e quercu plexa decorari gaudebat, sicut *Æschylus* declarat. Addamus insuper, quod glandes appictæ Naturæ providentiam adumbrent; siquidem glandiferæ quercus primis hominibus alimenta subministrarunt. Ad hoc igitur Naturæ beneficium alludere volentes alium fructum glandibus associarunt, quem, ut ex ejus figura orbiculari & oblonga apparet, dactylum esse autumo; neque præter rationem, cum paulo ante palmam Cereris deliciis adjudicatam fuisse diximus; cujus fructus tanta est facultas, ut præterquam quod in esu sit suavissimus, ex eo etiam vina, & panem conficiant Orientales, & quadrupedibus edendum præbeant.

MAMMÆ NUTRITIONIS SIVE ALIMENTORUM SYMBOLA.

ÆGYPTIORUM Theologia, Lunam matrem mundi, a Sole gravidatam fœcunda generationis principia diffundere superstitiose credidit, ut in libros Aristotelis περὶ ἑρμηνείας scribit *Ammonius*. Ab hoc disciplinæ fonte illos suam Isim efformasse reor: & fors inde factum, ut hinc τιθήνη & πανδεχής, ex Platone apud Plutarchum *lib* I. *de Iside & Osiride* existimetur: quod sit scilicet nutrix, & susceptrix generis humani. Proinde non mirum si frequenter ejus imago pensilibus, & prominentibus mammis conspicua in priscis monumentis repræsentetur. Etiam apud *Macrobium* continuatis uberibus depingi paulo ante diximus. Ad Ægyptiorum imitationem Ephesii simulacrum Deæ Naturæ Polymammæ cum infinito scilicet uberum numero composuerunt. Cujusmodi a *Divo Hieronymo*, & Minucio Felice *in Octavio* depictam fuisse superius indicavimus. Apud *Arnobium* Cererem cum grandibus mammis efformatam intueri licet: idemque paucis lineis interjectis huic mammas item promptas adscribit. Pausanias *in Messen*. Dianæ nutricis, quæ παιδοτρόφος indigitabatur, mentionem facit. Et apud eundem *in Attic.* legere est, Athenienses delubrum Telluri puerorum nutrici exædificasse. Apud *Aristophanem* vero hæc puerorum altrix etiam vocitatur. Lucretius pariter Cererem mammosam facit hoc *versu* 1162. *l*. IV.

At gemina & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho,

Geminam dixit ac si opimam & amplam innuere voluisset. Ex adductis nemo non videt, Isidi apud Ægyptios, & *Macrobium*; Dianæ apud Ephesios, & Messenios; Telluri apud Athenienses; Cereri apud *Lucretium* & *Arnobium*, nutricis seu mammosæ elogium æque fuisse attributum: nec ab harum consortio Rhea eliminanda erit, cum & ipsa matris titulo gaudeat. Conspirare autem hæc omnia videntur, ut hasce omnes Deas sub unico Dianæ nostræ simulacro copulatas firma probatione retinere possimus. Atqui non indecenter Diana, seu mavis Ceres Polymamma a priscis illis mythologis efficta, quam superius Δημητραν dictam ὡς δὴ μητέρα ὧσαν ex vetustissimis scriptoribus protulimus: quod utique mater altrixque sit omnium, quæ in ea vitam degunt. Alii γεννητεῖραν dicunt, quod omnia pariat, & recipiat. Sed & a *Virgilio* alma dicitur, ab alendo nimirum, ut *Servius* interpretatur: benignis enim Telluris Lunæque viribus alimenta præcipue deberi Veteres agnoscebant. Hujus autem singularia beneficia Columella *lib*. III. *cap*. XXII. decantat his verbis. *Quibus alma Tellus annua vite, veluti æterno quodam puerperio læta mortalibus distenta musto dimittit ubera*. Cæterum hæc nostra multimammia genuinus est providentissimæ Naturæ typus. Apud priscos enim papillæ rotundæ atque prominentes fœcunditatis erant indicia: & hoc præsertim hieroglyphico Ægyptii ad Isidis, seu Cereris fœcunditatem, ac rerum omnium affluentiam designandam usos fuisse *Apulejus* auctor est. Nam veluti lac profusum ex uberibus saginat fœtus, ita etiam e gremio telluris fruges productæ mitia alimenta mortalibus præbent. Proinde non inconsulte inter alia fercula, quæ in pompa Isiaca a sacris Ægyptiorum antistibus præferebantur, vasculum papillæ simile ab *Apulejo* recensetur. Luna quippe partubus præesse creditur, quia illius ope, propter vim propriam humoris, fœtus adjuvatur, & in utero intumescit. Per innumeras demum mammas Naturæ adscriptas infinitum non hominum solummodo, verum etiam animantium, nec non vegetabilium numerum, quæ insimul alit, adumbrare haud dubie voluerunt. Cum videlicet pene totum Deæ corpus variis animalium figuris refertum, & diversis fructuum generibus insignitum repræsentetur. Sed & *Plutarchum* audiamus referentem, quod Lunare lumen generandi, atque humectandi vim habeat; ac tam animalium fœtibus, quam plantarum pullulationibus conducat. Unde *Apulejo* sæpius laudato Luna, sive Ceres omniparens, quasi omnia pariens & gignens dicitur. Nec vero ab hac semita discedit Mantuanus poeta, dum dixit *l*. VI. *Æneid*. *v*. 595.

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat.

Enimvero cum omnia ab ea alantur, perinde atque a nutrice & matre, signanter maternum nomen illi inditum est. Quo etiam epitheto Luna ab *Orpheo* cohonestatur, apud quem modo φερέκαρπος, modo τελεσφόρος indigetatur. Adde, si grave non est, insignem Lucretii ad hanc rem locum *l*. II. *v*. 990. *&c*.

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est: unde alma liquentis
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum: parit omnia secla ferarum
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt.
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant:
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Luculenter hoc identidem præfatus poeta & Philosophus ostendit alibi, ad quem lectorem remitto. Firmicus Maternus *Mathem. lib*. III. omnem substantiam humani corporis ad potestatem lunaris luminis pertinere auctor est. Idemque *lib*. IV. Lunam humanorum corporum matrem scienter appellat. Luna etiam, eodem referente, terræ imperium ex vicinitate sortita, omnium animantium corpora & concepta procreat, & generata dissolvit. Divus autem Augustinus *de Civit. Dei lib*. VII. Tellurem dici matrem asserit, quia plurima pariat; magnam, quia cibum cunctis subministret. Quæ omnia ambarum manuum porrectione iterum indicantur: liberalitas enim passis manibus olim figurabatur, ut scribit Diodorus Siculus *lib*. IV. Et has quidem ambas nobis porrigit, ut nos continuis beneficiis impleat, & juvet in adversis. Verum his obiter adlatis ad alia emblemata, quibus reliquum Dianæ corpus stipatur, deflectere libet. Statuæ umbilicum tres cervi occupant, de quibus cum abunde supra dictum, Sphinges explicandas suscipiemus.

SPHINGES.

UTRUMQUE Deæ latus duæ Sphinges muniunt, quæ ab Ausoniana descriptione non discrepant: juvat autem ipsummet vatem audire *in ternario numero*.

Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Inter vetustissimos vero scriptores non defuerunt, qui caudam draconis illi adjunxerint: sed in illa non morabor: consule si lubet *Herodotum*, *Ælianum*, *Plutarchum*, *Solinum*, *Diodorum*, *Plinium*, *Clementem Alexandrinum*, & *Palæphatum*, qui caninum etiam illi caput assignant. Potes præterea genuinam ejus effigiem ex infinitis propemodum monumentis antiquis observare. Hoc dicam, Sphingem Ægyptium fuisse inventum, quam ex virgine, atque leone compositam finxerunt: hac præsertim ratione ducti, quod Quintili & Sextili mensibus, sub quorum tutela Leo & Virgo sunt, Nilus exuberet, ut *Bellonius* observavit. Apud Ægyptios item constans fama est, Sphinges præ foribus ædium sacrarum Isidis & Osiridis tanquam silentii,

taciturnitatis, ac prudentiæ ſymbola fuiſſe collocatas, ut Syneſius *orat. de Provid.* memorat: quibus ſignis templa Deorum adeuntes, ut tacite vota facerent, monebantur, nec arcana numinum divulgarent, ſed myſteria ſub his latitare præſentirent. Hanc autem Ægyptiorum doctrinam ad Epheſios tranſiiſſe ex germana Iſidis, & Cereris cognatione autumare licet. Nam ſicut Sphinx Memphitica, ſacra cremoniaſque ſecluſas eſſe, & ſilentio tegi oportere innuebat; ſic non abſimili ratione Cereris initia occultanda, obſignandaque eſſe apud Epheſios figura Sphingis Dianæ ſimulacro inſculpta præmonebat. Quæ ut credibilia habeam, impellunt me tacita illa & operata Cereris apud omnes ferme gentes initia, & ſacra: quæ nulla re magis quam ſilentio conſtare *Juſtinus* memorat. Ad quæ alludens *Apulejus* ſcribit: *Cætera, quæ ſilentio tegit Eleuſis Atticæ ſacrarium*. Porro myſteria Eleuſina dicebantur, quod apud Eleuſinos primum inventa fuiſſent, in quibus ſilentii fides adhibenda erat. Μυςήεια etenim, ut *Suidas* interpretatur, ἀπὸ τῦ μύειν τὸ ςόμα dicebantur, ab ore videlicet claudendo: quod deceat eos, qui audiunt divinas ceremonias, os obturare, nec ulli moralium enunciare, ne oculis profanorum obviæ polluantur. Initiationes etiam hæc Cereris myſteria dicebantur, ut *Arnobius* obſervavit: quia ſemper profanos arcebant, ut arbitris carerent. Omni exceptione majus erit hoc Horatii lib. III. *Carm. Ode* II. ſuper hac re teſtimonium.

— Vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum.

Ad cujus etiam mentem Tibullus canit *l.* III. *v.* 199. 200.

Non ego tentavi nulli temeranda Deorum
Audax laudandæ ſacra docere Deæ.

Verum ſi in ſacris Cereris hæc religioſi arcani obſervatio tenebatur, Cybeleja ſacra non minori cultu, aut ſilentio peragebantur. Quo ſpectant illa vatis,

hinc fida ſilentia ſacris.

Cum autem nocturno tempore altum ſit ubique ſilentium, hac de cauſa Cereri, ac Cybeli noctu ſacra celebrabantur. Quanquam juxta *M. Varronis*, & *Divi Auguſtini* ſententiam multa in Cerealibus myſteriis tradebantur ad fruges maxime pertinentia, quæ omnia peculiari taciturnitate obſignanda erant. *Apulejus* item Eleuſina myſteria, lætificas meſſium ceremonias appellat. Sphinges porro ex humano ferinoque corpore conſtabant: facie plerumque muliebri, nonnumquam etiam virili; quæ Androſphinges *Herodoto* dictæ. Quo ſymbolo non inepte declaratur, Cereris beneficio ferinam illam & agreſtem mortalium priſci ævi barbariem in humaniorem, & urbaniorem vitam commutatam fuiſſe. Nam Ceres præterquam quod frumentum invenit, ejus etiam ſubigendi rationem edocuit; & leges dedit, quibus juſtitiam colere mortales didicerunt: his autem beneficiis nulla majora reperiri poſſunt. Unde non ſine cauſa ob *Ovidio* dictum eſt;

Pima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus,

Sed & alia ratio de hujuſce animalis ſymbolo hic expreſſo ſubeſſe poterit, ſi diligentius priſcorum monumenta perpendantur. Ænigmata quippe & res abſtruſas Sphinge deſignari nemo neſcit. Naturæ autem arcana in tenebris jacere; obliquas aſperaſque ſemitas eſſe, quæ mortales ad rerum naturalium intelligentiam introducunt, quis ignorat? Certe non oportet nos craſſa pinguique Miuerva abditas rerum cauſas naturæque myſteria inquirere: Sed temporis diuturnitate ſubtiliorique indagine opus eſt, ut quantulamcumque cognitionem referamus. Jam Sphingis ſymbola Gryphes excipiant.

GRYPHES, DRACONES, ALIÆQUE FERÆ.

GRYPHEM fictitium animal eſſe notum eſt, ideoque in ejus deſcriptione variant auctores. Plerique ex Aquila & Leone compoſitum volunt: Ariſtæus Proconneſius apud *Pauſaniam* incurvum illi roſtrum aquilarum more, auritumque caput illi adſcribit. Quin & Gryphem Ægyptium fuiſſe commentum vetuſtiſſima illa ænea Bembi tabula docet. In ea nempe Gryphes multis variiſque formis cælati apparent: quod indicium eſt, hoc animalis genus Iſidi gratum acceptumque fuiſſe. Quare non mirum, ſi Dianæ Epheſiæ attributi etiam
B fuerint. Quamvis non deſunt qui inter peculiaria Solis ſymbola reponant: ob igneam præcipue vim, qua præditum eſſe memorant: ut non inconcinne etiam Lunæ, quæ Solis ſoror & conjux perhibetur, tribuantur, ſcilicet ob frequentem ejus cum Sole conjunctionem, & a quo ignea fit. Iterum ſi ex Aquila & Leone Gryphes compoſiti, Aquila recte ad Solem, Leonis vero pars poſterios (quod & *Macrobius* annotavit) quia imbecillior, ad Lunare ſidus referri poterit. Sic igitur ſub hoc figmento utriuſque ſideris ſocias vires, & effectus in omnibus rebus procreandis fovendiſque Epheſios prænotaſſe autumarim. Adhæc Gryphes ob eximiam pernici-
C tatem Lunæ competere videntur: quod & de velociſſimis aliis feris paulo ante referebamus. Poſt Gryphes myſtica ſunt aliarum ferarum ſymbola, quæ Pantheras, vel Leopardos, aut Tigres referre videntur; ſed ob ſimilitudinem quarumnam potiſſimum ſint, arduum eſt dignoſcere: ideo his non immorabor, ſed ad notiora pedem referam; præſertim cum in his nihil aliud quam velocem Lunæ curſum deſignari putem.

DRACONES.

SACRORUM Epheſiorum præſides multa (ut præfati ſumus) ab Ægyptiis mutuati; non myſtico tantummdo Sphingis ſymbolo, verum et-
D iam aliis primarium civitatis numen cohoneſtare volentes, geminos Dracones antiquiſſimo ejus ſimulacro adjunxerunt. Neque hoc ſine recondito aliquo ſenſu factitatum crediderim: cum inter cætera animantium genera, quæ ſummo in honore apud Ægyptios olim fuerunt, Dracones ſive Serpentes enumerentur; quorum effigies in Iſiaca Bembi tabula non ſemel appictæ conſpiciuntur. Ac ne priſcorum vatum ſubſidio carere videamur, *Ovidium* dabimus, qui ſerpentem in pompa Iſidis deſcribit:

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

Juvenalis *Sat.* VI. etiam ſerpentem ſimulacro Iſidis
E comitem inducit hoc *verſu* 538.

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.

Tanta autem fuit apud priſcos veneratione ſerpens, ut inter præcipua gentium myſteria decantaretur. Idipſum luculenter *Clemens Alexandrinus*, *Julius Firmicus* & *Juſtinus Mart.* oſtendunt. Nec defuere, qui ſerpentibus divinitatem ineſſe dixerint: in quorum numero Tautes apud *Euſebium*, idque ex Phœnicum Theologia. Quare cum ad Græcos eadem religio, vel potius ſuperſtitio translata fuerit, Ceres potiſſimum ſerpentes elegit. Omnino Apulejana Ceres Draconum in pinnato curru conſpicua incedere fingitur. Orpheus vero *in hymnis* Ce-
F rerem in curru, Draconeſque eam trahentes deſcribit: quod ſplendide Ovidius *Faſt. lib.* IV. *v.* 493. 494. expreſſit, dum Cereris ex Sicilia profectionem deſcribit:

Quo ſimul ac venit, frænatos curribus angues
Junxit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Tale quoque eſt illud prælaudati *vatis*, dum Deam Celei Menolinæ hoſpitium deferentem recenſet:

Dixit, & ingrediens nubem trahit, inque dracones
Tranſit, & alifero tollitur axe Ceres.

Non pauca marmorea monumenta eodem plane schemate, quo hic depingitur, Cererem affictam referunt; causam vero hujusce figmenti inquirere conducit. Draconis symbolo terram significari credidere multi, quod eam toto corpore pene perrepens verrere videatur. Sed quoniam non Cereris modo numen, verum etiam Dianæ, sub hac statua agnoscebatur, Diana ipsamet adeunda erit, ut rationes ob quas serpentes seu dracones in complexum receperit, inveniamus. Pausanias *in Arcad.* scripsit, inter alia signa, quæ in Dominæ sive Heræ fano reponebantur, Dianæ unum repositum fuisse cervina pelle velatæ, pendente ex humeris pharetra, altera manu lampadem, Dracones duos altera gestante. Naturæ numen prudentissimum fuisse ex Veterum elogiis superius ostendimus. Prudentiæ enim symbolum Serpens, quem & insuper sapientiæ indicem vetustas esse voluit. Hunc præterea in deliciis fuisse ferunt propter peculiarem illam excubandi vigilandique vim, qua præditus est, & ob acutissimam oculorum aciem, quæ omnia Lunæ indefessæ competunt: siquidem suo splendore noctu cuncta collustrat. Per ejus insuper eximiam celeritatem, flexuosos meatus, lapsusque erraticos, Lunæ iter sinuosum designari potest. Dracones demum cornibus e fronte prominentibus insigniti; & hanc fortassis ob causam sub Dianæ tutela admissi fuerunt, quia omne cornigerorum genus Luna, uti jam dictum est, sibi vendicat.

BOVES.

PECULIARI quadam religione Boves Cereri, Lunæ, nec non & Isidi consecravit antiquitas. Cereri quidem ob agriculturam, quia semina vix absque aratione proveniunt. Et hoc unico symbolo telluris fœcunditas demonstratur: hujusque sub effigie a nonnullis gentibus, & præsertim a Phrygibus cultam fuisse ex priscis monumentis deprehendimus. Ægyptii quoque hieroglyphicis literis, cum terram significare volunt, ponunt bovis figuram. Dianam quinetiam in insula quadam sinus Persici tauri sub imagine summo in honore habitam fuisse *Dionysius Alexandrinus* memorat. Apud priscos vero tanta fuit hujusce animalis veneratio, ob summam illius in rusticis laboribus sustinendis patientiam ac tolerantiam, ut tam capitale esset bovem aratorem necasse, quam civem: cujus rei exemplum habetur apud *Plinium*. Hujus etiam encomium Varro *lib.* II. *de Re Rust.* decantavit his verbis: *bos socius hominum in rustico labore, & Cereris est minister*. Non absimilia ab Æliano *Var. Histor. lib.* V. c. XIV. referunt, cujus hæc sunt: *bovem aratorem, qui jugum trahit, vel in aratro, vel in plaustro ne mactes: quia ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius*. Pythagoras apud *Ovidium* mansuetam, cicuramque hujus animalis naturam explicans in hæc verba prorupit.

Quid meruere boves, animal sine fraude doloque
Innocuum, simplex, natum tolerare labores.

Hanc igitur ob causam in sacris Cereris interdictum erat ne bos adhiberetur, propter varia commoda, quæ mortalibus afferre solet. Iterum Ovid. *in Fast.*

A bove succincti cultros removete ministri.
Bos aret, ignavam sacrificate suem.
Apta jugo cervix non est ferienda securi,
Vivat, & in dura sæpe laboret humo.

Cur vero hoc animal Lunæ sit adscriptum, ante alios nobis rationem suggerit *Luctatius Grammaticus* his verbis: *Luna vero quod propius Tauro adhæreat, vacca id est bove figurabatur*. Ejus autem exaltationem esse in Tauro *Julius Firmicus*, & *Porphyrius* testantur. Lunæ currui boves Ausonius *ad Paulinum* adsignat:

Jam succedentes quatiebat Luna juvencos.

Et Claudianus:

Quo Phaeton irrorat equos, quo Luna juvencos.

In nummis antiquis Sept. Severi, Antonini Caracallæ ejus filii, nec non & Juliæ Piæ Luna stat in biga, quam gemini boves trahunt. Bovis item cornua Lunæ præsertim fuisse gratissima testatur Orpheus *hymno Dianæ*. Quin & ab illorum figura peculiare nomen sortita est: ταυρωπὸς enim & ταυροπόλος dicebatur, vel a boum cornibus, vel ab aspectu quo apparet, cum corniculata est: aut certe quia id animal terræ culturæ deputatum est. Boves item apud Ægyptios Isidi in deliciis præcipue fuerunt, uti monuit *Herodotus*, referens illis morem fuisse boves mares Osiridi, fœminas vero Isidi dedicare: cujus auctoritati *Diodorus Siculus* adstipulatur. Inter alia autem antiquitatis analecta, quæ in Museo meo asservantur, Isis ex nigro lapide effigiata visitur, supra cujus caput bovina cornua assurgunt, quibus summa, rerum abundantia, & fertilitas designatur; nam secundum Salomonis *Proverb. cap.* XIV. sententiam, *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis*. In apparatu sacrificali, seu pompa Isiaca, bos inter alia fercula a Protomystis præferebatur, ut in marmore perveteri observavi. Dianæ porro apud Romanos non secus quam Isidi apud Ægyptios, boum cornua sacrata deprehendimus. Hi etenim in vestibulo Templi Dianæ Montis Aventini ex vetustissimo ritu boum cornua affigebant. Quid si omnes hasce Deas bove gaudere diximus? Numquid etiam in ipsius Naturæ parentis deliciis esse poterunt? Certe quidem: nam ad illam omnium ciborum, & alimentorum, quibus mortales sustentantur, officium pertinere antiqui putarunt. Bovi quippe nomen a nutriendo factum volunt. Εὦ enim *nutrio* sonat: si quidem labore suo in terra exercenda nos continuo nutrit. Vetus autem Glossa super Exod. *c.* XXII. beneficia, quæ a bove percipimus, enumerans; *Bos* (inquit) *inprimis immolatur, arat, pascit carnibus, lac dat, & corium diversis usibus ministrat*. Ad hæc multiplicia commoda Hesiodus respiciens bovem inter familiæ partes reposuit. Is enim libro, qui inscribitur *Opera & Dies*, domum ex viro, muliere & bove aratore constare indicavit. Quam vero apposite Ephesii boves laboriosissimos utilissimis Apibus associarint, in hoc marmoreo Naturæ simulacro mox ex sequentibus innotescet.

APES.

SOLÆ ex volatilium, & insectorum genere Apes Dianæ consecrari, ipsiusque corpus symbolico argumento cohonestare meruerunt. Et hæ quidem ternæ utrimque effictæ, ac rosis immixtæ latera Deæ muniunt. Nec immerito sane: cum juxta præceptum *Plinii* rosæ juxta alvearia sint collocandæ. Cur vero Dianæ, Cereri, Terræ, & rerum parenti Naturæ in deliciis fuere? An cum virginitatis cultrix sit Diana, Apes ei adscriptæ ob incorruptam virginitatem? Castas profecto Apes Petr. Damianus *ep.* XV. *l.* I. describit, cum inquit: *Apes sobolem successuræ posteritatis enutriunt, ut virgines perseverent*. Quin & naturali quodam instinctu res Venereas adeo aversantur, ut eos, qui recens operam Veneri dederunt, acrius invadant, quod Plutarchus *in Conjugalibus Præceptis* annotavit. Consona etiam sunt illa, quæ de integritate earum virginali cecinit Virgilius *Georg. l.* IV. *v.* 197. *&c.*

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.

Quod ipsum luculenter Quintilianus *in declamatione*, quæ *Apes pauperis* inscribitur, ostendit his verbis: *Non illas libido progenerat, domitrixque omnium animalium Venus*. Eucherius autem Apem virginitatis symbolum esse tradit. Vide, si lubet, Albertum Magnum *l.* XVII. *de An. tract.* II. *c.* II. & miram Apum castitatem agnosces. Quare cum Diana sum-

mopere virginum moribus, ac consortio delectetur, non mirum si purissimas Apiculas in complexum tanquam aptissimas comites receperit. An non Dianæ exemplo Apes in montibus degunt, & locis ab hominum consuetudine remotis gaudent? Aliam causam habe: Apes rorem ex floribus legunt, favos inde conficiunt; non inepte igitur Dianæ seu Lunæ alumnæ dicuntur: cum Alcman poeta Lyricus, vel ipso Macrobio *Satur. lib.* VII. teste, rorem aeris ac Lunæ filium esse dixerit: & peculiari encomio Luna roscida nominetur. Aliud occurrit, quod hic attexam; Apes propter eximiam velocitatem Lunæ tribui: scite enim ab *Ovidio* agiles nuncupantur. Verum libetne, ut quid jam Apis cum Cerere peculiare habeat, disquiramus? Porphyrius *in antro Nympharum* Apes Cereris ministras statuit: numquid ob puritatem? hoc equidem sentire Pindarus *in Pith.* videtur: cujus *Interpres* ad hæc verba,

Οἱ δὲ ἐν τέτῳ λόγῳ χρησμὸς ὀρθῆσε μελίσσας.

Proprie quidem, ait, *Apes Cereris ministras appellavit propter earum puritatem: improprie vero omnes alias animantes*. Idem Pindarus *alibi* Cererem in solemnibus sacris Apibus delectari scribit: quo factum crediderim, ut cum Ceres maxime a sanguine abhorreat, mella inter alia libamina sibi asciverit. Pausanias *in Eliac.* author est, Eleos cum in Prytaneo monte Cereri sacra facerent, thure & melle subactum triticum adolevisse. Idemque *in Arcadicis* refert, Cereri Phigaliensi favos fuisse oblatos. Et hoc instituti genus ad Romanos usque transiit: nam quotiescumque Ambarvale sacrum pro maturis frugibus fiebat, favi cum libamentis offerebantur. Adeo ad impetrandas fruges Apes valere credebant. Quo mire facit quod de Trophonii Oraculi origine Pausanias *in Bœot.* prodidit, cujus verba adscribere non pigebit: *Cum unum*, inquit, *& alterum annum nullis terra imbribus irrigaretur, e singulis civitatibus Delphos missi sunt, qui opem implorarent. His siccitatis remedium exposcentibus Pythius Apollo imperavit, ut Lebadeam venientes a Trophonio mali auxilium quærerent. Lebadeam itaque profecti, cum Oraculum reperire non possent, Saon quidam Acræphniensis, collegam natu maximus cum Apum examen conspexisset, quocumque illæ divertissent, sequi statuit. Ubi igitur eas ad speciem quandam advolantes vidit, & ipse subiens oraculum, quod quærebant, illud esse intellexit*. Quo invento, quæ jamdudum inculta, & squallens terra jacuerat, imbribus tandem saturata, brevi florida, ac frugifera fuit. Quonam tandem jure Apes Cybelem attingant, videamus. Papaver, ut *Eusebius* monet, Civitatis est symbolum, ob multitudinem scilicet granorum, quæ in eo, tanquam in civitate cives stipantur. Pari ratione Apum alveare civitatis seu reipublicæ congruum potest argumentum constitui. Apum quippe labor, & vita indefessa, nihil aliud est quam exemplar reipub. optimis legibus, & civili disciplina institutæ. Quin ut hominum frequentia conservantur urbes, sic in alvearibus Apes; adeo nempe frequentiæ, & societatis amatrix est Apis (quod *Mausonius* annotavit) ut si sola relinquatur, desiderio tabescat, & moriatur: quod etiam innuit Cicero *Offic. lib.* I. *Apum examina non fingendorum causa congregantur, sed cum congregabilia natura sint fingunt favos*. Igitur sicut inter cives officia reipublicæ dividuntur, sic etiam Apes inter se labores, & opera in mellificando partiuntur: nullique licet otiari, sed ignavos abs se propellunt. Tangit hanc earum naturam Virgilius, *l.* IV. *Georg. v.* 168.

Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.

Non immerito igitur sub Cybeles famulatu Apes statuendæ, sub cujus tutela urbes. Addatur & istud, Cybelæ & Cereri æque communia fuisse cymbala; at quis nescit Apes dissipatas, & dispicatas, ut loquitur Varro *de Re Rust. lib.* III. cymbalis & plausibus in unum locum reduci? hæc sciens *Claudianus* cecinit:

—— qualis Cybeleja quassans
Hyblæus procul æra senex revocare fugaces
Tinnitu conatur Apes.

Apibus igitur & Cybelæ æra communia, sed & Lunæ quoque: consueverant quippe Veteres delinquente Luna æra pulsare: cujus moris meminit Manilius *Astron. lib.* I.

Ultima ad Hesperios infectis volucris alis,
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.

Ceres non minus digno quam proprio elogio Munifica dicebatur: ita etiam Apis munifica nuncupanda, gratis enim nobis mellificat, & sine impendio labores suos mortalibus elargitur; Denique ipsius Telluris feracitas ubertasque non potuisset alio melius, quam Apis symbolo subintelligi. Verum offert se præcipua quædam mihi ratio, cur Ephesinæ Dianæ simulacro Apes insculptæ fuerint, eamque insinuat *Philostratus* his verbis. Τί οὖν αἱ Μοῦσαι δεῦρο; τί δὲ ἐπὶ τῆς πηγαῖς τοῦ Μέλητος; Ἀθηναῖοι τῆς Ἰωνίας ὅτε ἀπῴκιζον, Μοῦσαι ἡγοῦντο τοῦ ναυτικοῦ ἐν εἴδει μελιττῶν. *Quidnam huc Musæ? Quid ad Melitis fontes? Cum Athenienses Ionicas colonias ducerent, Musæ classis duces fuere, sub Apum specie*. Quod & ante Philostratum *Himerius Sophista* annotarat, ut a Leone Allatio linguæ Græcæ peritissimo accepi. Quo factum ut in hujus beneficii recordationem Ionicarum Urbium princeps Ephesus has etiam Apes, principis sui numinis simulacro insculpserit. Hæc de convenientia symbolorum satis; nunc eaundem opportunitates explicabimus.

APUM ET MELLIS COMMODA.

PLACETNE ut Apis dotes & mellis commoda perscrutemur? Naturam veluti matrem providam, & totius generis humani susceptricem cum multis mammis supra produximus. Verum cum ipsius lactis usus ad reliquam hominis vitam educandam sufficere minime posset, indulgenter varia fructuum genera subministravit, ut facilius mortales sustentarentur. Ad hæc autem exoptatissima Naturæ dona sagax Ephesiorum religio respiciens, non sine mente cum infinitis illis papillis uberrimam fructuum copiam, quibus sertum lemniscatum refertum conspicimus, velut ex ejus sinu productam mammis associavit. Cum autem sine lactis usu, & frugibus hominis vitam posse sustentari Ephesii cognovissent; beneficio videlicet ac edulio mellis: ideo Apes Naturæ simulacro tanquam ministras hominibus necessarias adjunxerunt. Ipsemet Jupiter ante omnes, *Antonino Liberali* teste, Apum beneficentiam sensit; illi quippe in antro Cretensi vagienti Apis mella tanquam divinum nectar pro alimento dederunt. Sed convenientius sit ex Lactantio *lib.* I. *cap.* II. dicere, Melissam regis Cretensis filiam una cum sorrore Amalthea Jovem puerum educasse; illam scilicet melle, hanc vero lacte caprino. Post Jovem Beroe quoque mellis alimonio nutrita: sic refert Nonnus *Dionys.* At enimvero non uni Jovi, nec soli Beroæ mellis edulia communia: verum etiam primitivus mos erat, ut peculiariter hoc cibo pueri pascerentur. Ideo *Moschius* jubet, ut nutrix os infantis melle illinat. Apud Ovidium *Fast. lib.* IV. etiam Triptolemo infanti lac, poma, & mella edenda dantur:

Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
Pomaque & in ceris aurea mella suis.

Hieroni autem, cum jussu patris expositus fuisset, quod ex ancilla natus crederetur, humanæ opis indigenti Apes in os mella congessere: quo ostento pater ab haruspicibus admonitus filium recipiendum duxit, moribus, & disciplinis illis erudiendum

dum curavit, quibus postmodum ad præsignatam regni majestatem facile pervenit. Quare Apis eodem nutricis epitheto decorari potest, quo Diana ab *Orpheo* cohonestatur; utraque enim παιδοτρόφος, hoc est, *puerorum nutrix* est, quo etiam nomine Diana apud *Diodorum* vocatur: quod scilicet ad eam infantiam, & ciborum officium pertinere Veteres existimarent. Attexatur & illud quoque, Pindarum, cum e paterna domo pulsus & expositus fuisset, ab Apibus educatum, teste Ælian. *de Var. Hist. l.* XII. *c.* XLV. Et ejus filias paterno præsidio & opibus carentes e benigna Veneris manu casei, & mellis edulia suscepisse.

Verum enimvero hoc pretiosi nectaris alimentum non infantibus primulæ ætatis tantummodo exhibitum, quinimo grandævis, & longævis etiam hominibus pergratum salutareque fuisse priscorum paginæ nobis suggerunt. Hujusce cœlestis liquoris meminit & ipse *Homerus*, apud quem Machaoni, Nestorique annoso, mel & cepa tanquam lautissimæ dapes usui fuerunt; in quorum schola Nestoris uxor enutrita, Patroclo cepam cum melle recenti aurea in lance apposuit. Hic etiam audire juvat *Posidonium* referentem Mysios religioni indulgentes ab animantibus abstinuisse, & eam ob causam pecus omne vitasse; melle vero tantum, & lacte vitam sustentasse. Prædictis calculum suum adjicit Eustathius *in Iliad.* x. & frequentissimum Veteribus fuisse mellis usum refert. Pythagoræque exemplum adducit, qui solo melle, tanquam divino pharmaco, contentus diu vixit. Similia prodidit *Aristoxenus* philosophus & musicus nobilissimus, qui Pythagoræ sectatores utplurimum melle usos enarrat. Huc etiam traho illud *Athenæi* de Democrito, cui non modo mellis suffitus, verum etiam ipsius vapor naribus admotus tam salutare beneficium contulit, ut per multos annos sanus, & incolumis permanserit: unde interrogatus, quonam pacto diu quis sanus esse posset; Si interna, inquit, melle rigaris, oleo autem extima. Zenoni vero philosopho non cupediarum nobiles illi artifices edulia parabant, sed modico pane, & melle mensam onerare studebant, ut in ejus vita *Laertius* retulit. Sic etiam educati fuere Antiochus medicus, & Romulus Pollio, qui scientiam Apicianæ popinæ explodentes, melleis alimentis absque aliis ferculis in ultimam usque senectam vitam protraxerunt. Cæterum valeat apud nos Diophantis authoritas, qui de *Re Rustica* librum conscripsit, asserentis in longa ævi spatia vitam eos producere, qui continuo mellis esu uterentur. Hanc vero unicam ob causam Cyrnios longævos dici volunt, ut ex *Athenæo* observare licet, quod assidua mellis esitatione delectati fuerint. Potest ex præfatis hoc pretioso nectare hominis vita absque ullo alio cibo sustentari. Audi præterea, si grave non est, ipsummet *Hippocratem* medicinæ parentem, de melle differentem, *Vinum & mel optima judicata sunt hominibus, si juxta naturam & sanis, & debilibus cum temporis oportunitate, ac mediocritate, exhibeantur*; tum alibi, *mel cum aliis quidem comestum & nutrit, & bonum colorem exhibet*. Eadem *Celsi* mens fuit, atque adeo non parvum nutrimentum humanis corporibus a melle conferri scripsit; quæ ne temere, & sine ratione dicta videatur, age sis mellis proprietates expendamus.

MELLIS VIRES ET PROPRIETATES.

PRINCIPIO quidem mellita medicamenta, divinique hujus nectaris potiones quantum in medicina valeant, ipsimet medicinæ parentes *Hippocrates* & *Galenus* abunde prodidere. Quæ *Plinium* etiam non latuere: tradidit quippe mel conservandi facultate pollere, ulcera vetusta expurgare: quod & *Porphyrius* significavit. Apulejus autem Platonicus in-

A libello, quem de *Viribus Herbarum* contexuit, mirificas mellis virtutes in variis ægritudinibus, morborumque curationibus refert, observatque liquorem illum cum herbarum succis & mandragora muxtum saluberrimum esse. Porro inter præcipua remedia, quæ ebriis Medici olim adhibere solebant, panem melle oblitum Macrobius *Sat. l.* I. *c.* VII. recensuit. Mel quoque desiccandi vim habet, firmatque vulnera, ut idem autor *Satur. lib.* VII. cap. XII. observavit, his verbis: *Nam quæ udanda sunt corporis, vino foventur; quæ siccanda sunt, melle deterguntur*. Cum potiones amaræ præbendæ olim erant, poculi ora melle illinebantur. Possem infinita alia recensere; sed longioris id operæ, & aberramenti prolixioris foret. Addam tantummodo, corpora humana, non solum dum viva sunt, Apum muneribus recreari, & juvari; sed postquam etiam anima destituta sunt, beneficio mellis servari. Constat etenim, defunctos in melle sitos a fœtore & putredine defendi. Valet inprimis apud nos Xenophontis Ἑλληνικῶν *l.* V. autoritas, asserentis Agesipolin Lacedæmonium gravi morbo affectum, eoque die septimo consumptum, in melle positum, & Lacedæmonem revectum, regiaque sepultura fuisse donatum. Statius *in Silvis* scribit Alexand. Magni cadaver melle litum putredini non fuisse obnoxium. *Plinius* etiam refert Hippocentaurum Claudio Cæsari ex Ægypto illatum in melle conditum fuisse ex more rituque illius gentis: qui mos Babyloniis etiam & Assyriis familiaris fuit. Quam consuetudinem non parum juvant illa Varronis περὶ ταφῆς apud Nonium in *nomine*, Vulgus; *Quare*, inquit ille, *Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle servarent: quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possimus*.

Verum ne insipida quæ protulimus esse videantur, paucula tanquam bellaria apponam, quæ ad victus lautitiam, epularumque magnificentiam spectant. Frequentissimum apud Veteres fuisse mellis usum in obsoniis, & condimentis vulgatæ autorum paginæ abunde testantur. *Apicius* insignis ille Opsophagus ante omnes idipsum non paucis in locis significavit, quem vide, si animus est tibi ista pernoscere. Ad parandas certe in lautioribus conviviis delitias, bellaria mellita excogitata, ac in secundis mensis apposita. Sic Varro apud Aul. Gellium *l.* XIII. *c.* XI. bellaria secundæ mensæ mellita esse debere præcipit. Quo trahi possunt illa dulciarii pistoris apud *Martialem* verba:

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit, huic uni parca laborat Apis.

Placentæ etiam mellitæ avide inter convivas expetitæ; unde Horatius *epist.* II.

Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.

Placentæ utplurimum ex farina hordacea, caseo, & melle simul commixtis parabantur. Edulia autem illa, quæ in melle cocta sunt, maxime concoctionem in ventriculo juvare docet Plinius *l.* XX. *c.* IX. Idemque alibi refert semen tritum candidi papaveris cum melle in secundis mensis apponi solitum: plura prætermitto, quam describo. Ad vinum melle temperatum venio, quod vini genus in lautioribus conviviis olim expetitum: Unde est illud notum Martialis *in Xeniis*:

Attica nectareum turbatis mella Falerum;
Misceri docet hoc a Ganymede merum.

Primus omnium mortalium Aristæus mella vino miscuit; miscendi autem rationem Plinius *l.* XIV. *c.* XC. *de Re Rust.* Columella edocent. Sed quonia hæc potius gulæ irritamenta, quam res humano generi necessarias respicere videntur, ad alia luculenta Apum munera, quæ in vitæ humanæ subsidium munifice concessa sunt, pedem referre lubet.

Ceræ non infrequentiores, quam mellis uſus: hac Deorum, heroumque imagines formabantur; exornabantur atria; hinc majorum vultus ducti; accenſi Deorum funales; Pictorum tabulæ inceratæ: hinc obſerata vulnera: unde Valerii Flacci *verſus* 480. *l.* I. *Argonaut.*

Vel pice, vel molli concludere vulnera cera.

Pugillares ſeu tabellæ ceratæ, in quibus ſtylo æneo, aut ferreo literas exarabant. Plautus *in Aſinaria, Actu* IV. *Sc.* I. *v.* 22.

Nec ulla ſit cera, ubi facere poſſit literas.

Præter allata Apum munera Propolis poteſt adjungi: ſed ne longior ſim, ad Plin. *l.* XI. *c.* VII. te remitto: qui recte dixit Apes hominis cauſa genitas eſſe; nam quicquid laborioſiſſima Apum familia operatur, in communem hominum utilitatem cedit. Ex dictis liquere ſatis puto, cur Dianæ ſeu Naturæ ſacræ Apes. Iſtud tantum corollarii loco attexam, in ſanctiore Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini Ceimeliarchio gemmam videri, in qua tres Apes cum aratro expreſſæ, quarum duæ junctis ſub jugum cervicibus terram proſcindunt; altera vero coloni vice fungens ſtimulo comites excitat. Quo hieroglyphico tanquam muta quadam poeſi animos ſegnes non ſolum ad labores incitare, verum etiam tacitis religionis Eleuſinæ præceptis inſtituere Priſci ſine dubio voluerunt.

ROSÆ.

ROSÆ binæ hinc atque hinc diſpoſitæ, ſolertis ingenii arbitrio Apibus intermixtæ fuerunt, ut omnium florum fructuumque primitias deſignarent: flores certe fructus promittunt: roſæ præſertim, quas poetæ indiſcriminatim pro quibuslibet fere floribus ponunt. Horum veſtigiis Dianæ opifex inhærens roſam illi tribuit, credo ad terræ fertilitatem deſignandam. Ac licet roſas tanquam ſibi proprias Venus vindicet, non obſtat tamen quin & has Cereri adjudicemus. Percelebris enim eſt illa veſtis Cereris apud *Apulejum* ex variis florum generibus contexta. Roſacea item illa corona, de qua plenius ſupra diſſeruimus. Quid ſi & hic roſarum ornatus memoriam raptus Proſerpinæ inculcet? Ferunt quippe eam Siculis in campis roſas legentem a Plutone raptam. Ut ut ſit, Diana roſis ornata certe inducitur, nempe quod earum calices nocturno tempore utplurimum explicari ſoleant. In pompa vero Magnæ matris roſæ ante Deæ ſimulacrum ſpargebantur: ut a Lucretio *l.* II. *v.* 626. *&c.* traditum obſervavimus.

Ære atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largifera ſtipe ditantes, pinguntque roſarum
Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervas.

Pertinent igitur ad Cybelem & Lunam roſæ: nec immerito, cum florum Reginæ ſint, omnem vegetantem naturam, quæ ſuccum & alimentum e terra ducit, adumbrare creduntur.

FASCIÆ.

INFERIORA ſtatuæ tribus revincta ſunt faſciis, non dubie quin ex Ægyptiorum diſciplina, prout ex priſcis illorum monumentis ac etiam ex hieroglyphica Bembi tabula liquet; qui Iſidem verſicoloribus vittis toto corpore vinctam adumbrabant. His autem vittis Lunæ in elementorum coagmentatione varias operationes, & effectus myſtice deſignabant: vel certe, quæ *Heliodori* ſententia eſt, varias Lunæ facies, & aſpectus indicabant. Poſſis & circulos illos ſeu coronas, quibus Luna ſæpe cingitur, in faſciis intelligere. Aut forte per has innuere voluerunt, res quaſque e terra natas curſu temporis rurſum in terram redire. Luna vero, ut ſupra annotavimus, vitæ mortiſque dominium habere credebatur. Quod ſi velis has tænias ad Cererem referre, non pugnabo, cum hæc omniparens, & commune rerum omnium ſit ſepulchrum. Ideoque corpus ejus faſciis obligatum fingi potuit, ut innueretur, ſemina medio anni ſpatio ſub terra veluti in utero Cereris occuli, indeque per occultam vim reddi cum fœnore.

Soli pedes luſtrandi ſuperſunt. Sunt autem ex marmore nigro in ſe contracti, & eo modo compoſiti, quo omnium ferme Deorum ſimulacra Ægyptios formaſſe refert *Herodotus*. Ocreati non ſunt, ut in aliis Dianæ ſtatuis, ſed nudi, impedimentiſque ſoluti, ut præcipue tanti numinis propenſa voluntas, materníque affectus erga mortales dignoſcerentur.


Hæc fere dicenda habui de his ſymbolis, & hieroglyphicis: nec diutius in iis immorabor: cum liquido jam conſtare credam, hæc omnia ab Epheſiorum hierophantis præſertim electa fuiſſe, ut latentes rerum naturalium cauſas, ſub his quaſi ſub arcanis involucris obtegerent, honeſtoque philoſophiæ obtentu velarent: quo facilius cæcutientibus imperiti vulgi oculis imponerent. Sive ut per hanc figurarum ſymbolorumque varietatem, Dianam ſuam auguſtiorem redderent; ſub cujus effigie Naturæ rerum omnium procreatricis numen, ut in limine operis ex *Divo Hieronymo* attigimus, contineri volebant. Porro Naturam ipſam non modo Epheſii, verum etiam pleræque aliæ gentes tanquam Deam divinis honoribus affecerunt. Et *Macrobius* refert Iſim ſupremum Ægyptiorum numen, nihil aliud eſſe, quam terram, naturamve rerum. Epicurus vero mundi hujus gubernatorem ſolam naturam ſtatuebat: ut ex Minucio Felice *in Oct.* colligere eſt: *Etiam* (inquit) *Epicurus ille, qui Deos otioſos fingit, Naturam tamen ſuperponit.* Eadem quoque mens fuit Senecæ *l.* IV. *de Benef.* qui Naturæ divinitatem tribuit his verbis. *Natura, hoc mihi præſtat; non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quod enim aliud eſt Natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inſerta?* Huc trahi poſſet *Lactantii* auctoritas, Naturam pro Deo primitus habitam declarantis: conſule eum, ſi lubet, aut ſi plura Naturæ encomia deſideras, *hymnos* qui ſub Orphei nomine circumferuntur, adi. Cæterum tanta fuit Dianæ Epheſiæ gloria, tanta religio, ut non a finitimis tantummodo, verum etiam a remotiſſimis populis ejus effigies peculiari ſtudio coleretur: ita refert *Strabo*, qui & in extremitate Ferrarii Hiſpaniæ promontorii fanum Dianæ Epheſiæ fuiſſe prodidit. *Pauſanias* autem multis in locis cultam eam fuiſſe obſervavit: ſcribit enim de Corintho: *In foro, ubi plurima ſunt templa, Diana eſt Epheſia cognomento.* Eodem quoque teſte in porticu Megalopolitana ſignum Dianæ Epheſiæ poſitum fuit. *In Arcadicis* Templum Dianæ Epheſiæ apud Eleam Arcadiæ oppidum extare retulit. Maſſiliæ quoque *Juſtinus* hanc Deam adoratam fuiſſe memoriæ prodidit. Demum non paucæ ejus marmoreæ ſtatuæ, quæ hodie Romæ viſuntur, ſatis ſuperque indicant, hanc peculiari cultu Romanos fuiſſe proſequutos. Verum abſolutis tandem celeberrimi hujuſce ſimulacri ſymbolis & partibus, operæ pretium facturum me puto, ſi pauca de templo, ubi ſignum illud aſſervabatur, retulero.

TEMPLUM DIANÆ EPHESIÆ.

EPHESUS, ut vult *Stephanus*, Ioniæ eſt urbs clariſſima; Lydiæ, ut *Herodotus*; Aſiæ certe lumen *Plinio* dicta eſt. In ea Dianæ templum nobiliſſimum, quod cæteris pulchritudine, & varietate marmorum, columnarum numero, ac ipſius etiam ſtructuræ concinnitate, nec non & copioſa ſupellectile prælatum fuit, atque inter orbis miracula annumeratum. Placet igitur ejus quantulamcunque adumbrationem ex Plin. *l.* XXXVI. *c.* XIX. exhibere. *Magnificentiæ* (inquit) *vera admiratio extat templum Dianæ Epheſiæ ducentis, vel ut alii volunt, quadringentis viginti annis factum a tota Aſia: in ſolo id paluſtri fecere, ne terræ motus ſentiret, aut hiatus timeret,*




Imperator ad tripodem cum patera sacra peragit Ephesiæ Dianæ
Ex nummo Caracallæ, seu Elagabali cum inscriptione
ΕΦΕCΙΩΝ ΜΟΝΩΝ ΑΠΑCΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
Ephesiorum, qui soli ex omnibus quater Neocori fuere




Vrbs Ephesus sive Amazon Smyrna nomine, Ephesi conditrix, ac Dianæ Sacerdos Taurum mactandum sistit ante Deæ simulacrum
Ex Nummo Iuliæ Augustæ inscripto
ΕΦΕCΙΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗC ΑΡΤΕΜΙΔΟC
Ephesiorum ter Neocororum, et Artemidis seu Dianæ

TAB. I.



Dianæ Ephesiæ Templi frons Ionica ex nummo Hadriani cum titulo ЄΦЄCIΩN Ephesior. um

TAB. II.



Exterior Dianæ Ephesiæ templi ambitus cū alio ex nūmo.. cū epigraphe ЄΦЄCIΩN ΔIC NЄΩKOPΩN Ephesiorum bis Neocororum.

Rursum ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lanæ. Universo templo est longitudo quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti. Columnæ centum viginti septem a singulis Regibus factæ; sexaginta pedum altitudine, ex iis triginta sex cælatæ. Quales fuerint trabes, ex *Vitruvio* supra indicavimus. Valvæ autem ex cupresso compactæ, quæ & ad quatuor usque ætates intactæ permanserunt, ut Theophrastus *Hist. Plant. lib.* V. annotavit. Cæterum tanta fuit templi majestas, ut ansam *Plinio* dederit asserendi, *Cætera ejus operis ornamenta, plurium librorum instar obtinere*. De primis ejus auctoribus inter se non conveniunt scriptores. *Livius* a civitatibus totius Asiæ factum ex vulgari fama refert. Alii maluere ab Amazonibus extructum: quo faciunt versus illi Nonni *in Dionys.* quos in limine sermonis adduximus. Pindarus apud Pausaniam *in Achaicis* idem fatetur, atque adeo eleganti carmine Amazonibus bellum Theseo inferentibus hoc opus assignat. Id etiam *Hyginus* insinuat, & addit insuper ab Otrita Amazone Martis conjuge dedicatum. In ea quoque mente Pimandri *interpres, Pomponius Mela*, & Solinus *cap.* XLI. quibus tamen neutiquam consentit Pausanias *in Achaicis*: sed Eræsum hominem indigenam, Ephesumque Caystri fluminis filium tanta molis auctores facit: quin & ab Epheso urbem denominatam asserit. Quocumque auctore excitatum fuerit, tantæ fuit magnificentiæ apud priscos, ut inter septem orbis miracula adnumeratum, non ultimum locum habuerit. Antipater illud spectaculis omnibus anteponere non dubitavit. Eadem fiducia *Hyginus* primum illi locum inter orbis miracula tribuit. Non me tamen fugit, alios esse qui secundum illi locum assignent. Callimachus poeta illustris *in hymno Dianæ*, nihil præcellentius & admirabilius a Sole oriente conspici dixit. Sed omnium elegantissime hujus Templi augustam magnitudinem depingit Philo Byzantius antiquissimus scriptor libello *de* VII. *orbis miraculis*, cujus locum harum elegantiarum studiosi una mecum debebunt V. CL. Lucæ Holstenio, qui eum libellum jamdudum cum aliis editioni paratum servat: unde hæc interim amicissimi viri beneficio cum ejusdem versione Latina profero.

ΘΕΑΜΑ ΙΙΙ.

Ὁ ἐν Ἐφέσῳ ναὸς τῆς Ἀρτέμιδος.

Ὁ τῆς Ἀρτέμιδος ναὸς ἐν Ἐφέσῳ μόνος ἐστὶ θεῶν οἶκος. πεισθήσεται γὰρ ὁ θεασάμενος τὸν τόπον ἐνηλλάχθαι, καὶ τὸν οὐράνιον τῆς ἀθανασίας κόσμον ἐπὶ γῆς ἀπηχθεῖσθαι. Γίγαντες γὰρ οἱ τοῦ Ἀλωέως παίδων οἱ τὴν εἰς οὐρανὸν ἀνάβασιν ἐργάσαντο, ὄρεσι χωννύοντες οὐ ναὸν, ἀλλ᾽ Ὄλυμπον. ὥστε τῆς μὲν ἐπιβολῆς τολμηρότερον εἶναι τὸν πόνον, τοῦ πόνου δὲ τὴν τέχνην. τὸ γὰρ ἔδαφος τῆς ὑποκειμένης γῆς λύσας ὁ τεχνίτης, καὶ τὰ βάθη τῶν ὀρυγμάτων καταβιβάσας, εἰς ἄπειρον ἐβάλετο τὴν κατώρυγα θεμελίωσιν. ὀρῶν λατομίας δαπανήσας εἰς τὰ κατὰ γῆν καλυπτόμενα τῶν ἔργων· Ἐρείσας δὲ τὴν ἀσφάλειαν ἀσάλευτον, καὶ προυποθεὶς τὸν Ἄτλαντα τοῖς βάρεσι τῶν μελλόντων ἐπαπερείδεσθαι, πρῶτον μὲν ἔξωθεν ἐβάλετο κρηπῖδα δεκάβαθμον διεγείρων πρὸς βάσιν μετεωροφανῆς, καὶ περὶ .... λείπει.

VI. MIRACULUM.

Templum Dianæ Ephesiæ.

DIANÆ Ephesiæ templum unicum est Deorum Domicilium: quisquis enim spectaverit, credet permutatis invicem locis mundum cœlestem immortalium deorum in terras demigrasse. Nam Gigantes, vel Aloidæ cælum conscendere aggressi aggestis montibus non templum, sed Olympum struxere: ita ut labor inceptum, ars laborem audacia superet. Artifex enim dimoto solo, quod suberat, actisque in immensam profunditatem fossis fundamenta altioribus cuniculis jecit: ita ut montium lapicidinas operibus subterraneis exhauriret. Sed strato inconcussæ soliditatis firmamento, & præsupposito Atlante ad superincubituri operis pondera sustinenda, principio quidem crepidinem decem graduum extrinsecus posuit, quæ basis elevatioris vice fungeretur.

Reliqua deinde hujus capitis perierunt, magno sane damno: haberemus enim exactam totius structuræ descriptionem, qualem in cæteris expressit scriptor antiquissimus, qui ipsum templum haud dubie viderat ante conflagrationem. Sed quod in *Philone* temporum injuria nobis negavit, aliunde resarcire conabor. Eapropter ipsius Templi formam studiosorum oculis exhibere decrevi, duplicis nummi beneficio: quorum unus ex metallo pulcherrimo & forma grandiuscula in Museo Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini asservatur; alter vero ex schedis Jo. Jac. Chiffletii Patritii Bisuntini depromptus est.

Primus, ut vides, templum octo columnis instructum cum Dianæ Ephesiæ icuncula repræsentat. In hujus priori parte Hadriani vultus est cum hac inscriptione: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. Hoc idem numisma a Joanne Sambuco mutilum prolatum est. Alter autem nummus appictus templi etiam Ephesini schema, ut literæ circum orbem indicant, ostendit. Quem eo lubentius hic adjeci, quod ambitus exterior templi dispositas circumcirca columnas ostentet, & crepidinem δεκάβαθμον oculis spectandam exhibeat, cujus *Philo Byzantius* meminit. Ipsius autem templi exædificatio Ionica est; id quod præter vulgata numismata *Vitruvius* etiam confirmat his verbis: *Primumque ædes Ephesi Dianæ Ionico genere ab Ctesiphonte Gnossio, & filio ejus Metagene est instituta: quam postea Demetrius ipsius Dianæ servus, & Pœnius Ephesius dicuntur perfecisse. Strabo* prioris templi architectum Chereisiphrona, (forte pro Ctesiphonte) statuit; Cheremocratem vero post Herostrati incendium restituisse pronunciant. Constat autem septies idem fuisse restauratum; idque inprimis affirmat *Plinius*.

* *Ut autem Templi hujus omnium, quæ unquam fuere toto Orbe, celeberrimi, aliqua species e suo funere, imo e suo duplici rogo enitescat, superstites nummos duos in lucem proferimus; templi ipsius ect po insignitos, quos Auctor noster superius descripsit. Cum tamen, ob eorum exiguam magnitudinem, seu parvitatem, ad exprimendam structuræ elegantiam, Ionicos scilicet modulos, gradus, ambitum, aliaque ad symmetriam spectantia impares sint; universam Templi faciem in majus producere, atque in ampliorem formam redigere, quoad fieri potuit, satius duximus, prout in binis proximis tabulis, Petri Sancti Bartoli stylo graphice, & concinne, adumbratam, spectandamque subjicimus. Ad majus vero studiosorum priscæ elegantiæ oblectamentum, ipsis duobus nummis tertium, & quartum addidimus, Dianæ cultum, & sacra designantes, duobus pariter subsequentibus tabulis expressos, ut una simul juncti nil expetendum oculis relinquant.*

Prima Tabula ex nummo Hadriani, qui in ditissima Barberina Gaza adservatur, templi frontem octo columnis fultam, cum Dianæ icuncula in medio repræsentat, Luna & Sole, pari fratris, & sororis cultu desuper affulgentibus, cum epigraphe ΕΦΕϹΙΩΝ. *Similem Ephesini templi faciem ostentant non tantum Hadriani Nummi, sed & Antonini Pii, & Marci Aurelii ab Ephesiis signati; olim apud Francisc. Gottifred. nunc in Regio Thesauro Christinæ Augustæ; quorum primus Hadriani coronam in fastigio appictam refert, sive ad ornatum, sive ad cultum, quam nostræ editioni addidimus.*

Secunda Tabula ex schedis Chiffletianis exteriorem templi ambitum designat cum alis: alæ autem columnæ sunt a lateribus ambientes ædem; de quibus Vitruvius, *qui etiam de Jonica ejus exædificatione loquitur. Tanta vero Templi hujus fuit magnificentia, & majestas, ut centum viginti septem columnis fulciretur a singulis Regibus factis; sexaginta pedum altitudine, ex quibus triginta sex cælatæ admirationi erant (quales hic Romæ nostras videmus Trajanam, & Antonianam anaglyphico opere insculptas) & has a Regibus factas opinamur. Cætera admiranda ex supra relatis Auctoribus agnosces, & ex* Plinio *præcipue, ac* Philone Byzantio, *qui crepidinem decem gradibus, basis vice, elevatam refert, prout in nostris Tabulis observamus.*

Tertiæ Tabulæ typus desumptus est ex nummo Caracallæ seu potius Elagabali, ut placet Clariss. Viro Andreæ Morellio in suo egregio opere, cui titulus est, Specimen Universæ Rei Nummariæ antiquæ ex Regio Ludovici Magni Thesauro, Imperatorem laureatum ad tripodem cum patera Sacra Dianæ peragentem refert, juxta templum, sive sacellum terrastilon, in cujus medio Ephesinæ Deæ simulacrum extat, inscripto singulari, ac magnifico titulo: ΕΦΕϹΙΩΝ ΜΟΝΩΝ ΑΠΑϹΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, Ephesiorum, qui soli ex omnibus quater Neocori fuere. *De quo nummo ipsum Morellium consule.*

Quarta Tabula ex nummo Juliæ Domnæ. Ephesi Urbis Genium, sive malis Amazonem Smyrnam nomine, Urbis ipsius conditricem capite turrito, hastaque armatam repræsentat. Hanc & Reginam, & ipsius Deæ Sacerdotem fuisse tradit Strabo *De Tauro, qui ante Dianæ simulacrum sistitur, vide supra Bovis symbola, ac mysteria ab Auctore exposita.*

At si tantus fuit in substructione splendor, non minor fuit donariorum opulentia: quorum tanta fuit copia, ut nullum aliud sive divitiis, sive oblationibus cum eo conferri posset. Adde quod ibidem tanquam in ærario tutissimo ditissimi quique thesauros reponebant. Sic Dion *orat.* XXXII. *Nostis haud dubie Ephesios, apud quos multæ pecuniæ privatorum reconditæ in Dianæ templo non solum Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum, undequaque venientium, partim & populorum, & Regum, deponunt autem omnes securitatis gratia, nemine unquam auso loco inferre injuriam, tametsi plurima bella gesta sint, civitasque sæpius fuerit capta.* Ex quibus lucem accipient verba Laertii *in Xenophonte: Profectus*, inquit, *deinde Ephesum, dimidium auri, quod secum tulerat, Magabyzo Dianæ Sacerdoti servandum tradidit, quoad reverteretur.* Quanta autem in veneratione olim fuerit hoc fanum, vel hinc argui potest, quod huic uni post omnia templa Asiatica exusta Xerxes Rex Persarum pepercerit: quamvis immensis opibus affluere sciret. Cæterum quidam Herostratus, vel ut aliis placet Heroastus, ut nominis immortalitatem consequeretur, eodem A die, quo Magnus Alexander natus flammis templum illud vastavit. Cujus incendii meminere Gellius *lib.* II. *cap.* VI. Valerius Maximus *lib.* VIII. *c.* XV. & plerique alii: obliterato autem nomine incendiarii, ab universo Asiæ conventu restitutum est. Ac deinceps, ut *Julius Capitolinus* scribit, usque ad Gallieni Imperatoris tempora integrum remansit, sub cujus imperio Gothis Asiam invadentibus templum ipsum penitus spoliatum, & incensum est, sed ante ultimum hoc incendium Nero Ephesinæ gazæ inhians Xerxis barbariem rabiemque longe superavit. Omnia quippe pretiosa dona, immensam auri argentique vim, & simulacra inde, nec non ex omnibus Achaicis templis abstulit, ut Tacitus *l.* XV. B testatus est. Huic demum templo haud parvam celebritatem asyli prærogativa conciliavit. Id enim juris habuit, ut qui ad illud confugissent, sive ære alieno obstricti forent, eo solverentur; sive tenerentur servitute, liberi fierent. Idque non soli templo concessum: sed Alexander etiam ad stadium usque privilegium extendit, Mitridates autem paululum plus spatii addidit. Marcus Antonius majorem etiam urbis partem comprehendi voluit. Sed postea Augustus, ut flagitiosis impunitatis spes nulla esset, sustulit. Ephesii religionis veræ ignari superstitionis scientissimi omne suum incrementum Dianæ numini ac ejus templo acceptum ferebant. At absurdissimis Ephesinæ Theologiæ dogmatibus explosis, falsoque numine repudiato, jure majori C gloriari possunt Ephesii, quod Divi Pauli Apostoli trium annorum spatio auditores; miraculorumque, quæ ibi operatus est, testes oculati esse meruerint; quod ipsorum Urbs non ementiti numinis, sed divini præconis præsentia illustrata fuerit: qui non involucris & ambagibus supremi Dei cultum, ut illi portentosi hierophantæ, involvebat: sed solida, & aperta veræ sapientiæ documenta aperte diffundebat: Cujus beneficio Urbs ipsa non jam omnigenum animalium septum & stabulum sed divini eloquii facta fuit sacrarium, ejus, inquam, eloquii & sapientiæ, quæ non ex superstitiosa Ægyptiorum doctrina, sed ex limpidis & salutaribus veri Dei fontibus fluxerat: quæ non illic omnium aniD mantium nutricem, sed omnium parentem & conservatorem verum doceret. Nec minus ad Ephesiorum laudem facit, quod Joannis Apostoli monitis, & cathedra insignes Metropolisque honore decorati fuerint: quod in ea tertia Synodus œcumenica habita Nestorium Verbi incarnati, & Beatæ Mariæ Dei genitricis hostem damnarit, quod denique ipsa Genitrix Dei Maria Urbem illam sua præsentia cohonestarit. Procul igitur, procul Mezabolici & evirati ministri, siquidem puri & integri veræ fidei mystæ Deo vero ibidem servierunt. Huic honor sit, & laus, & gloria in sæcula.



Praecedentis Statuae Fara encarpus
Praecedentis Statuae Fron Latus Dextrum sinistrum
1
2
3
4
5
6
Apud Camill Maxim
Apud L. Augustinum

L E C T O R.



E quid eorum, quæ ad religionem Ephesiæ Dianæ visa sunt pertinere, periret, Signa atque etiam Numismata, quæ ipsius Dianæ insignia non inepte quis dixerit, excudenda curavimus. Tria Signa prima marmorea in ædibus Farnesiorum servantur: quartum marmoreum apud Serenissimum Leopoldum Etruriæ Principem: alia duo marmorea apud Leonardum Augustinum Senensem: reliqua in gemmis Camilli Maximi Junioris, atque Leonardi Augustini: quæ sequuntur Numismata ex Cimeliotheca Barberina promuntur.



LUCÆ HOLSTENII EPISTOLA AD FRANCISCUM CARDINALEM BARBERINUM DE FULCRIS SEU VERUBUS DIANÆ EPHESIÆ SIMULACRO APPOSITIS.

FRANCISCO CARDINALI BARBERINO,

OPTIMO STUDIORUM PATRONO,

LUCAS HOLSTENIUS

FELICITATEM.



UM eruditum opusculum Claudii Menetreii domestici olim tui, solertissimi rei antiquariæ promicondi, singulari beneficio in publicam lucem proferri jusseris, quo Dianæ Ephesiæ statuas ænigmatis reconditis inscriptas luculenter explicavit; non abs re futurum existimavi, si cogitationem de antiquis ejusdem Dianæ numismatis pridem mihi subortam eadem opera ad te deferrem. Feci hoc eo libentius, & excusatius, ut spero, quod argumentum Menetrejo intactum, nec ulli Antiquariorum hactenus observatum complectatur. Tui autem judicii hanc scriptionem facio, quod nemo te rectius intelligat, quam multiplicem usum accurata antiquitatis cognitio ad reliquum omne studiorum genus ornandum, augendumque præstet. Cum enim recte judicares, nihil in Veterum scriptis tam abstrusum, aut obscurum delitescere, quin lucem aliquam a priscis monumentis mutuari possit, ea tibi causa fuit, cur Bibliothecæ, quam celeberrimam instruxisti, veterum tabularum, signorum, numismatum, & inscriptionum supellectilem copiosam adjunxeris; ut universam eruditæ antiquitatis memoriam doctorum hominum oculis spectandam subjiceres. Nunc rem ipsam cognosce. Nummi veteres Dianæ Ephesiæ effigie signati, quorum nonullos tabellæ adjunctæ exhibent, eo a statuis Menetrei industria productis differunt, quod Deam mammarum pondere onustam fulcris quibusdam sive destinis, quos scipiones nodosos existimes, utrinque subrigant. Eaque in re ita constanter consentiunt omnes quotquot vidi, vidi autem quamplurimos, ut simulacrum Ephesium olim eodem modo suffultum fuisse omnino affirmandum putem. Neque vero ea de re nos dubitare permittit *Minucii Felicis* eruditissimi scriptoris locus, ubi Dianæ Ephesiæ signum mammis multis verubusque extructum commemorat. Sed in loco isto pervertendo Criticorum acumen mirifice hactenus sese exercuit: adeo quidem, ut nisi vindiciæ ex libris & monumentis antiquis opportune dentur, posthac futurus sit intestabilis. Rem clarius explico, ut quam infeliciter *Felix* ab editoribus exceptus, habitusque fuerit, penitus perspiciatur.

Princeps Romana editio a Fausto Sabæo ad Vaticani codicis fidem procurata ita locum, quem dixi, exhibet: *Diana interim est alte succincta venatrix; & Ephesia mammis multis & verubus extructa; & Trivia trinis capitibus & multis manibus horrifica.* Ita triplex unius Dianæ numen notis, signisque peculiaribus accurate ex fabulosa Gentilium theologia distinxit eruditus scriptor. Lectionem primæ editionis religiose servavit Basileensis, A & Heidelbergensis Franc. Balduini; tum Romana posterior, quæ ex Fulvii Ursini recensione prodiit; nisi quod conjecturam suam vir accuratissime doctus margini appingens, non *verubus*, sed *uberibus* Legendum moneat. Desiderii Heraldi Parisiensis Advocati editio duplex deinde Romanam lectionem expressit, sed altera *veribus* una literula mutata pro *verubus* exhibet, ex ipso, ut notat, veteri manuscripto, qui Leonis X. munificentia ex Vaticana Bibliotheca in regiam migravit. Missus enim fuit codex ille singularis ad Franciscum regem una cum excuso exemplari, quod ejus nomini editores Romani inscripserant. Levis illa mutatio Heraldum perpulit, ut ipse vel *uberibus* cum B Ursino, vel *tuberibus* cum Josepho Scaligero legendum censeret, in priorem tamen conjecturam propensior. Et hi quidem conjecturis eatenus indulserunt, ut textu Minuciano manus interim abstinerent. At cæteri deinceps non æque fuerint religiosi. Nam Joannes Wowerius, civis meus, doctrina & judicio alioquin præclare instructus, Ursini conjecturam ita amplexus est, ut in contextum Minucii pro verissima recipere non dubitarit. Hujus exemplum postea Rigaltius Lutetiæ, & nuperrime iterata editione Batavi sunt secuti. Nec parum præsidii huic confidentiæ attulisse videtur Justi Lipsii auctoritas, quem correctionem istam ad Taciti *Annal. lib.* III. conprobasse sciebant. Et hi quidem omnes cum presso vestigio C Ursini semitam calcassent, diversam instituit Gevehartus Elmenhorstius, homo sane haud indiligens: qui Romanam lectionem mutare non ausus, trajectione verborum locum misere luxavit in editione Hamburgensi majori, ubi Minucii verba ita deformata leguntur: *Diana interim est alte succincta venatrix verubus exstructa; & Ephesia mammis multis, & Trivia trinis capitibus*, &c. Sed hæc leviora sunt præ illis, quæ jam ante ad eundem Minucii lucum commentus fuerat Petrus Faber, celebris Legum antistes, *lib.* III. *Semestr. cap.* III. Is acri disputatione lacessens S. Hieronymum, quod Dianam Ephesiam multimammiam a venatrice, quæ arcum tenet, alteque succincta est distinxerit; D magno quidem sed irrito conatu evincere studet, Cererem mammosam Veteres novisse, Dianam mammosam ignorasse. Ideoque Minucii verba, ne Hieronymi caussam juvent, distorquendo corrigendoque sic interpolat: *Diana interim est alte succincta venatrix Ephesia, & mammis multis Ceres exstructa.* Atqui hoc est, non depravatum castigare locum, quod ipse de se prædicat, sed integrum corrumpere. Abstinuisset utique infelici concertatione tantus vir, si Dianæ Ephesiæ signum vetus, aut nummos, vel per transennam inspexisset. Adjungam superioribus celebrem nunc in Galliis virum, fori hujus antiquarii regem, Joan. Tristanum. Is tomo I. exhibet nummum ΚΑΔΟΗΝΩΝ, sive Caduenorum,


Nummus Antonini Pii
CMYP ΠΕΡΓ
ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝ
Comodi
ΝΕΩ
ΛΑΟΔΙΚΕΩ ΕCΙΩΝ
Vespasiani
ΕΦΕ ΣΙΩΝ
M Aurelii
ΠΡΩ ΑΣΙΑΣ
ΕΦΕCΙΩΝ
Comodi
ΕΠΙCΤΡΑΤΗΓΟΥ ΚΟΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCΙΩΝ
Severi
ΕΦΕCΙΩΝ
Domitiani
ΟΜΟΝΟΙΑ ΑΝΟΥ
CΜΥΡ
Domitiani
ΤΟΥ ΟΜΟΝΟΙΑ
CΜΥΡ
Domitiae
Nummus Domitiani
ΣΜΥΡ
Gordiani Pii
ΟΜΟΝΟΙΑ
Sabinae
ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ
Antonini Pii
ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ
Faustinae
M Aurelii
ΚΥΖΙΚ ΗΝΩΝ
Plotinae
Domitiae
ΗΝΩΝ

norum, (ita enim Stephano, Plinio, sibique ipsi alibi vocari ostendam) Dianæ Ephesiæ imagine signatum; eique illustrando vexatum Minucii locum ingenii periculum & ipse facturus adducit. Repudiatis igitur verubus, quam non genuinam Minucii vocem, sed WoWerii, omnia alia sentientis, commentum existimat; *uberibus* quidem legendum censet, sed longe alio quam cæteri omnes sensu. Etenim cum inter mammas & ubera aut nullum, aut non nisi ineptissimum discrimen a Grammaticis statui rectissime perspexisset, ideoque vix sine vitio tautologiam istam accurato, & pressæ dictionis scriptori tribui posse, per quam ingeniose mammas multas, uberesque Dianæ Ephesiæ de turgidis multoque lacte distentis censuit explicandas. Quo quidem Ursini, & quotquot ejus vestigia postea legerunt Criticorum depravationem aperte jugulat; Minucii tamen mentem non est assecutus, quod recenti & interpolatæ editioni, qua usus videtur, fidem temere adhibuerit.

Cæterum istis omnibus in perspicuo Minucii loco oculos, mentemque glaucoma præstrinxit, quod nequaquam exploratum haberent, quo significatu verua antiquis linguæ Latinæ auctoribus proprie dicta acceptaque fuerint. Cum enim assatoria illa, sive transfixoria, ut Papias vocat, quorum in coquina usus est, & quæ in Gallica Minucii interpretatione merito ridet Tristanus, ad Dianam Ephesiam extruendam nihil quidquam facere viderent; non nisi de verutis sive jaculis Dianæ venatricis Minuciana verua accipi explicarique posse uno omnes, quod miror, consensu censuerunt. Unde factum, ut tot summi & incomparabiles viri ad vocem illam interpolandam certatim conspirarint. Ego vero adversus conjuratum agmen verua ista extra vitium esse affirmo, eaque nec Dianæ Ephesiæ, nec Minucio subtrahenda pertendo. Nam verua hæc quibus Dianam suam exstruebant Ephesii, non pila aut veruta sunt, sed fulmenta ferrea oblonga, quæ brachiis supposita totam mammosi pectoris molem sustinebant.

Cum enim antiquissimum hoc signum ad Ægyptiorum simualacrorum instar pedibus esset arcte compressis, tantilla basis superimposito corporis ponderi ferendo impar, adminiculis suffulcienda fuit; quibus subtractis universam molem fatiscere & collabi necessum erat. Ea fulcra sive sustentacula, quod ex ferru longius producta essent, Minucius propria & eleganti voce verua dixit, non sequioris, quo vixit, se Augustæi sæculi usum secutus. Nam *Glossarium Latinum*, optimæ notæ, quod in tribus vetustissimis codicibus Vaticanis extat, verua virgas & virgulas ferreas interpretatur. Eamque explicationem veram ac genuinam esse res ipsa me docuit: cujus etiam nunc te meminisse arbitror Eminentissime Cardinalis, quod juxta mecum oculis eam olim usurpaveris. Anni enim sunt, ni fallor, quindecim, cum Jesuitarum societas ad S. Andreæ in Quirinali, dum novæ ædificationis fundamenta moliretur, lapides aliquot Tiburtinos prægrandes ordine quadrato dispositos offenderet: quorum duo ita erant inscripti, uti cum te jubente & amminiculante ex saxo scabro, & male polito excepi.

HÆC. AREA. INTRA. HANCCE.
DEFINITIONEM. CIPPORVM
CLAVSA. VERIBVS. ET. ARA. QVÆ
EST. INFERIVS. DEDICATA. EST. AB
IMP. CÆSARE. DOMITIANO. AVG.
GERMANICO. EX. VOTO. SVSCEPTO
QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC
REDDITVM. INCENDIORVM
ARCENDORVM. CAVSA

Cippi illi utroque latere bina foramina, & veruum sive virgarum ferrearum vestigia plumbo circumfusa servabant; quibus olim inter se conjuncti aream interiorem ita clauserant, ne aditus vulgo pateret. Ibi tum reipsa, perspexi egregie falsum esse N. Rigaltium hominem naris emunctissimæ, dum ad Finium regundorum scriptores verua ista stipites instar subularum præacutos explicat, quæ nihil acuminis, aut cuspidis habuisse oculis manibusque cognoveram. Eodem vetustatis sensu Marcellus, antiquus rei Medicæ auctor, sanguinis profluvio ex naribus sistendo præscribit *cap.x. Veru ferreum candens in aceto adsidue extingue, & fumum ejus naribus ducito*. Quis non videt simpliciter hic & absolute ferri in virgam oblongam producti massam intelligi, qua forma fere omne ferrum rude & infectum vulgo venit.

Verum nihil ad Minucii mentem, & rei de qua agitur illustrationem adferri potest aptius versibus Prudentii ex *priori contra Symmachum carmine*; quibus geminorum fratrum Castoris & Pollucis simulacra describit eo habitu gestuque, quo tunc in sua sibi æde ad viam sacram visebantur. Versus isti sunt:

—— Gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturnique equites, celsæ duo numina Romæ
Impendent retinente veru; magnique triumphi
Nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.

Graphice depingit Dioscorus currentium gestu ita effigiatos, ut extra perpendiculum & basin prominentes spectantibus non sine horrore, ac metu impendere viderentur. Impendent enim quæ supra caput jamjam casura pendent, ut recte ait Valla. Timor autem, & admiratio apud rude & superstitiosum vulgus religionis opinionem conciliabat. Eum metum poeta Christianus ridet, cum nullum esset ruinæ, aut fugæ periculum; quod veru, hoc est, vectis sive uncus ferreus a tergo infixus eos retineret, pedesque basibus applumbati moveri non possent. Duplex hoc retinaculorum genus, queis numinum simulacra veluti vinculis constricta desigebantur, Arnobius similiter *lib. IV.* Nationibus exprobrat. *Si permanendi*, inquit, *necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita unci retinent & plumbeæ vinctiones?* Utrumque etiam conjungit *lex. II. Dig.* de sepulcro violato. *Celsus quærit, si neque applumbata fuit statua, neque adfixa, an pars monumenti effecta sit, an vero maneat in bonis nostris.*

Sed Prudentius quoque Minucii fatum & malam Criticorum manum ut experiretur, ejusdem vocabuli non satis recte observata significatio fecit. Unde jam olim in pervetustis membranis Vaticanæ Bibliothecæ, *retinente solo*, pro *retinente veru*, substitutum videre est: quam lectionem Aldus, aliique ejus fidem secuti expresserunt. Georgius autem Fabricius, cum in suis exemplaribus, *retinente veru* constanter scriptum reperisset, nec tamen proprium vocis usum apud Veteres satis haberet perspectum, ad correctionem, sacram Criticorum anchoram, confugit. Quocirca cum Dioscuros hastis sive pilis ad decursionem vulgo armari sciret, veru hoc ex rudi & obtuso ferro in verutum cuspide spicavit, & interpolata dictione, *impendent, retinentque veru*, de suo quo pollebat ingenio procudit; eaque lectio exinde plerasque recentiores editiones insedit. Tantum vero absum eam ut probem, ut contra priscam &

genuinam mordicus tueri non dubitem, cum rei ipſius perſpicuitate, tum veterum librorum auctoritate fretus: in quibus facile principem ſtatuo codicem præſtantiſſimum Urbinatis Bibliothecæ, quæ nuper Alexandri Septimi ſapientiſſimi Pontificis immortali beneficio Vaticanæ acceſſit; in quo ita ſcriptum reperi.

A

Hæc ad Dianæ Epheſiæ ſtatuas, nummoſque veteres illuſtrandos ſcripſi, ut mutua eorundem ope duo veterum ſcriptorum loca minus recte hactenus intellecta a Criticorum corruptelis vindicarem: tum vero ut illuſtri exemplo oſtenderem, antiquitatis ſtudium non metiendum inani delectatione, ſed ſuum illi conſtare fructum, ſi recte colatur.



JO. PETRI BELLORII

NOTÆ

IN NUMISMATA

TUM EPHESIA, TUM ALIARUM URBIUM

APIBUS

INSIGNITA.

APUM AUSPICIA

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO CARDINALI.



APUM auſpiciis cœptum abſolvendum eſt opus, Eminentiſſime Princeps, quibus regnantibus, Roma atque Chriſtianus orbis univerſus rores melleos, e cælo cadentes, divinum nectar excepit. Fabula eſt Præneſtæ tuæ ſortes, quondam melle nobilitatas: BARBERINÆ APES dulcioribus mellificantes favis, nunc ſane nobilitant: fas erit tamen miraculum illud, inter vetera auſpicia, ex *Cicerone* recenſere: *eo loco ubi nunc Fortunæ ſita ædes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt, Haruſpiceſque dixiſſe ſumma nobilitate illas ſortes futuras.* Quid de Platonis ac Pindari infantia? fama eſt quoque vagientis Jovis ore mellificaſſe Apes nutrices, regnique ejus augures extitiſſe:

Dictæo Regem cæli pavere ſub antro.

Juſtinus *l.* XXIII. *c.* IV. de Hierone: *parvulum, & humanæ opis indigentem, Apes congeſto circa jacentem melle, multis diebus aluere, ob quam rem reſponſo Haruſpicum admonitus pater, qui Regnum infanti portendi canebant, puerum recolligit, omnique ſtudio ad ſpem majeſtatis, quæ promittebatur inſtituit.* Apes Antonini Pii ſtatuis inſidentes eidem Imperatori futuro augures fuerunt. Capitolinus *in eod. c.* III. *ejus ſtatuas in omni Hetruria examen Apum replevit:* quare Artemidorus: *Apes inſidentes capitibus ſignificant futuros duces atque Imperatores.* Dionyſio quoque examen Apum conſidens in equi juba, Imperii fuit præſagium. Ælianus *Var. Hiſt. l.* XII. c. XLVI. *Cum apprehenderet ejus jubam ad aſcendendum, Apum examen continuo manum circundediſſe, atque de his interroganti, reſpondiſſe Dionyſio, Galeotas Monarchiam ea re præſignificari:* Apes *ſediſſe in caſtris Druſi Imperatoris* memorat Plinius*: cum proſperrime pugnatum apud Arbalonem eſt.* Julianus Epiſcopus de Vvamba Hiſpaniæ Rege*: Hic regio jam cultu conſpicuus ante altare divinum conſiſtens, ex more fidem populis tradidit, deinde curvatis genibus, oleum benedictionis, per ſacri Quirici Pontificis manus, vertici ejus refunditur: & benedictionis copia exibetur; ubi ſtatim ſignum hoc ſalutis enituit: namque mox e vertice ipſo, uti oleum ipſum perfuſum fuerat, evaporatio quædam fumo ſimilis, in modum columnæ ſeſe erexit, & ex capite ipſo Apis viſa eſt proſiliiſſe, & aeris alta petiiſſe, quæ utique ſignum fuit ſecuturæ felicitatis.* Et Rodericus Toletanus: *Viſa eſt Apis de ejus capite proſiliiſſe, & ad cælos continuo evolaſſe: & qui diligentius cogitabant, intelligebant, per eum Gothorum regnum feliciter exaltandum, & in pacis dulcedine gubernandum.* His Childerici Francorum Regis regias Apes ſubnectam, quas deſumpſimus ex Jo. Jacobi Chifletii eruditiſſimis commentariis in ejuſdem Regim Anaſtaſim, ſive Theſaurum ſepulcralem Tornaci Nervivorum effoſſum. Inter cimeliorum reliquias, Apes ſupra tercentæ inventæ ſunt, quondam Francorum Regum inſignia, poſtea in Li-

lia (quæ nunc sunt) commutatæ. Multa ad probandum Chifletius adducit argumenta: Apes aureæ, aurea Lilia: cælestia Lilia, celestes Apes: Lilia in æthere pinguntur, Apum campus æther: Lilium Regium flos, Apes Regiæ. Quemadmodum ergo regalia Childerici antiquitus aureæ insignibant Apes, expansis alis, veluti ab æthere deductæ, sic aurea modo in æthere ipso splendent Lilia, Apes ipsas deciduas imitantia. Cæterum post Childericum Regem, symbolicas Apes primus palam usurpavit Ludovicus XII. Rex Francorum stirpe Valesius. Jo. Baptista Mantuanus *de triumphale ejus introitu in Civitatem Genuensem anno* MDVII ita cecinit:

In medio Rex victor equo sublimis in alto
Murice cospicuus, rutilanti splendidus auro
Signabatur Apum sparsim toga tota figuris;
Cumque Apibus Regnator Apum fulgebat in ostro.

Henricus III. Rex Valesiorum postremus iisdem Apum impressa typis, bina edidit numismata: alterum argenteum hoc præfert lemma: PLEBIS AMOR. REGIS CUSTODIA: alterum aureum: REGE INCOLUMI MENS OMNIBUS UNA. Postremo Henricus IV. Rex Borboniorum primus anno MDCVIII. aureum numisma cudit cum Apibus Regem suum stipantibus, & hoc symbolo: AMORE NON TERRORE.

Hinc cætera inter animantia, Apes tantum Regem suum summo studio, summaque veneratione prosequuntur: hinc *regia Imperatoribus futuris extruunt amplas, magnificas, separatasque domos:* Hinc *celsior regibus ipsis in fronte macula, quodam diademate candicans:* ut *Plinius*, & Virgilius *l.* IV. *Georgicorum*, *v.* 210. *&c.* diligentissime speculantur:

Præterea Regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant; Rege incolumi mens omnibus una est.

Et ut Medus ille, Cyrum Apum Regi comparando: *mirificus eis amor erga principem.*

Nec tantum Regna & Imperia, verum etiam Horas, & divinitatem portendi ab Apibus traditum est. Herodianus. *Onesilo contigit divinitas, eique sacrificia quotannis sunt instituta, propterea quod in ejus defuncti caput Apes mel congessissent.*

His quidem signis, atque hæc exempla sequuti
Esse Apibus partem divinæ mentis, & haustus
Aetherios dixere.

Sed jam in Hymetto, sacra litavi, Eminentissime Princeps, nunc Apes tuas, in Heliconiis Musarum collibus, omni genere doctrinæ virentibus, immortali tymo, ac rore, depastas colo; solemnemque tuum illum in literas, ac literatos, tutelarem genium veneror, quibus, & dulcissima mella instillas, & favos. Patere vero Apes ipsas, argumento auspicioque regias, humili me rudique stylo, complexum: patere auspicibus ipsis, me nomini tuo vota nuncupasse, cui dudum obsequium omne meum, & cultum devovi.

Emin. Tuæ

Observantiss. humillimusque servus
Jo. Petrus Bellorius.

TABULA I.



I. APIS Dianæ ſymbolum. Exadverſo: A ΕΦ. ΕΦΕCIΩN *Epheſiorum*. Lyra Apollinem refert. Porro hi ſalutares Dii iiſdem titulis, & pari veneratione colebantur; omniumque primi Epheſii (Deli fabula repudiata) Apollinem, ac Dianam apud ſe natos gloriabantur. Tacit. *Annal. l.* III. *c.* LXI. *Primi omnium Epheſii adiere memorantes, non ut vulgus crederet, Dianam atqe Apollinem Delo genitos, eſſe apud ſe Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & Oleæ quæ tum etiam maneat, adnixam edidiſſe ea numina.* Ephe- B ſiis præterea celebris cultus fuit Lariſſæi Apollinis, cujus templum, in ipſorum agro commemorat *Strabo*. Multiplex vero eſt ratio, qua Apis Epheſiæ Artemidi conſecrabatur; namque illa virgininitatem colit, rorem Lunæ ex floribus legit, atque Epheſinæ Cereri ſummopere grata eſt, ut Menetrejus adnotavit in Apis hierogrammatiſmo, & infra ex aliis Epheſiorum nummis, eodem hieroglyphico inſignitis abunde patebit.

II. ΕΦ. *Epheſiorum*. Apis, ut in ſuperiori nummo. Exadverſo: ΜΕΝΙΠΠΟΣ *Menippus* & C Cervus animal Dianæ venatrici dicatum: quare ipſa Dea Elaphica *Homero* ἐλαφηβόλος, & *Euripidi* ἐλαφοκτόνος, ſeu Cervicida fuit cognominata. Libanius *orat.* XXXII. aſſerit Epheſiorum moris fuiſſe Cervam inſculpere ſuis nummis, ob beneficia in ipſos a Diana collata. *Apud Epheſios etiam nummus Cervam expreſſam fert, pro remuneratione magnorum Deæ beneficiorum.* De Palma arbore in ſequentis Tabulæ v. nummo infra dicendum.

III. ΕΦ. *Epheſiorum* ΕΥΚΡΙΤΟΥ *Eucriti*. Nomen Græcum, quod diverſum in diverſis nummis Epheſiorum legitur, ſine dubio, ejus eſt, qui ſummo cum honore Dianæ templo, ſacriſque præerat; ſive ille Aſiarches, (ut quidam exiſtimant) ſive potius Grammateus fuerit; utriuſque enim mentio extat in Actis Apoſtolorum *cap.* XIX. ubi de hujus templi, numiniſque cultu, ac veneratione agitur. Nam Scribæ ſive Grammateos magna iſthic conſpicitur auctoritas, in reprimendo populi impetu, & ſeditione, religionis cauſa, exorta, ſedanda. Apulejus quoque *l.* XI. inter Iſiacos Sacerdotes, unum præcipue Grammatea dictum commemorat. Ad hæc in nummis antiquis Grammateos tanquam præcipui Magiſtratus nomen legitur; Aſiarcham vero non Provinciæ Præfecturam, ſed præcipui Sacerdotii munus geſſiſſe, erudite admodum ſummi viri, & antiquitatis univerſæ peritiſſimi Antonius Auguſtinus *ad Modeſtinum de Eſcuſat.* & Jacobus Cujacius *ad l. reſponſorum Papiniani* jam pridem docuerunt; præerat ſiquidem Aſiæ Communibus Sacris, Ludis, ac publicis Conventibus. Nummos vero, nec dum editos ab aliis, quo rariores, eo libentius hiſce notis atteximus ex Gottifrediano Muſeo, nunc Auguſtæ Chriſtianæ Reginæ.

Nummus Triumvirorum ΕΦ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΓΡΑΜ ΓΛΑΥΚΩΝ. ΥΚΡΑΤΗΣ. *Epheſiorum Archiereus Grammateus Glaucon Eu-*

thycrates. Hic idem primus flamen, & Grammateus fuisse videtur.

Nummus M. Aurelii: ΕΠΙ. ΕΥΑΡΕϹΤΟΥ. ΓΡΑ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Sub Evaresto Grammateo Trallianorum*. Asiarcham autem nummus Smyrnensium refert: ΕΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ ΑϹΙΑϹ. *Sub Marco Aurelio Tertio Asiarcha Smyrnensium Principum Asiæ*.

Et nummus Bassiani Antonini: Α. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗϹ. ΑϹΙΑΡΧΗϹ. Γ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *L. Æl. Pigres Asiarch.* III. *posuit Laodicensium Neocororum*.

IV. Caput laureatum, alatum Victoriæ est, sin malis Mercurii, & Apollinis unitatem, & connexionem, in ipso exprimi. Horum numinum communem aram, in templo Jovis Olympii fuisse tradit *Pausanias*, ac de Mercurio Sole plura docet *Macrobius*, & ex eo, aliisque *Aleander*. Tridentis, & Apis notæ indicant nummum ipsum cusum in aliqua Siciliæ, aut mari adjacenti civitate: quod enim fit in marinis locis præstantius mel esse *Plinius* observat, & infra patebit ex aliis nummis Apis emblemate decoratis, ad indicandam mellifluam, felicemque regionis ubertatem. In adversa nummi parte quadriga impressa est, cum Victoria, & litteris: L. IULI.BRUSI, de quo consule Fulvium Ursinum.

V. Romæ caput galeatum, cum nota X. quæ denarii nota est. Exadverso Apis, de qua in antecedenti nummo. Biga, & quadriga celebritatem ludorum designat: unde bigati, & quadrigati.

VI. Apollinis caput laureatum, cum Apis, ac tridentis nota, ut in IV. superiori nummo extra urbem cuso. Adjecta est littera K singularis, quemadmodum nummi alii, duplici, vel unica littera signati reperiuntur, ut ΚΟΡΑΣ, per unicum K adnotatur. In altero hujus denarii latere P. CREPUSI. IIIIXX. inscriptum est, quem Crepusium Triumvirum monetæ cudendæ fuisse Ursinus autumat. Eques hastatus victor Celete, sive desultorio equo videtur, sive Crepusiorum aliquis Equestri Statua donatus, ex ejusdem Ursini sententia.

TABULA II.



I. CAPUT caprina pelle velatum Junonem Sospitam præfert, quæ Lanuvii colebatur: de ipsa Ovidius *l.* VI. *Fast.* & Cic. *pro Murena*, & *l.* I. *de Leg. Tam hercle* (inquit) *quam tibi illam nostram sospitam, quam tu nunquam, ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis*. Pegasus, qui in altero latere impressus est, Syracusis nummum fuisse cusum demonstrat; cujus urbis Pegasus fuit insigne, quemadmodum Apes in Syracusiis, aliisque Sicularum Urbium nummiis exhibentur. P. PAPI *Lucius Papius* Triumvir fuit monetalis, qui ut Papiam gentem Lanuvio oriundam indicaret, Lanuvinæ Junonis simulacrum in denariis expressit.

II. ΝΕΟΠΟΛΙΤΕΣ. *Neapolis*. Bos humano ore conspicuus. Hebo est Neapolitanæ præci-

puum, aliarumque Campaniæ, & Siciliæ Urbium tutelare numen: de quo *Macrobius*, Apollinem, Liberumque unum, eundemque Deum esse probans: *Item Liberi Patris simulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt; præterea barbata specie, senili quoque, ut Græci ejus, quem Bacchapæam, item quem Brissæa, appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes*. Ejusdem numinis ratio, & figura, promissa barba, ad radiorum similitudinem, virtutem Solis in terrena demonstrat. Victoria quæ super Hebonis caput coronam præfert, Ludorum Quinquennalium celebritatem appingit, de quibus Strabo *l.* v. Neapolim ipsam describens. *Hoc tempore sacrum Quinquennale certamen, Musicum, & Gymnicum, per aliquot dies agitur, ludis Græcorum nobilissimis æmulum*. Apis Campani mellis est index; Campania etenim, ob rosarum, florumque præstantiam præcipue commendatur. Muliebre caput ex adverso impressum Cererem, seu Dianam repræsentat, cum in aliis nummis similibus legatur APT. *Artemis*, quæ Diana est Lucina, ut conjicere licet ex pusilla imagine, retro facem præferente.

III. EΦ. CKΩΠΙ. *Ephesiorum Scopi:* in adverso latere: KHPIAI. EΩAC. ΠPOC. ΠAΛYPIN. *Cerificantes orientalis ad Palurin*, quem sive montem, sive flumen esse credi potest, sed felicioribus ingeniis divinandi locum relinquimus.

IV. Apis ab uno, ab alio latere Formicæ binæ: nummus est, sive tessera plumbea sine litteris, sedulitatis, & industriæ symbolum continet Apem, & Formicam, quo etiam ipsæ Sacræ Literæ utuntur, ut *Virgilium*, *Juvenalem*, aliosque transeam. *Phocilides*.

> *Nil bene, si desit, geritur, sudorque, laborque,*
> *Non ipsisque Deis: virtus sudore juvatur.*
> *Victum desertis antris, telluris egentes*
> *Formicæ vadunt, redeuntque per invia, quando*
> *Defectæ campis, complent, nunc horrea fruges.*
> *Hordea convectant tritici, vel grana labore*
> *Assiduo, sequiturque ferens sua dona ferentem.*
> *Inque hyemem victum proprium de messe reponunt.*
> *Impigrum, parvumque genus, inultique laboris*
> *Tractat APIS studiosa suum, prudensque laborem,*
> *Sive cavæ in petræ speleo, in arundinibusve,*
> *Stat in ventre cavi, jucundo Roboris antro*
> *Floribus efficiens, bene olentia cerea tecta.*

Sanctus Paulinus *ep.* XXX. *Quantum de rure ad eruditionem animæ trahi possit, ipsa rerum opifex Sapientia docet, cum sectatores suos ad Formicam, & Apem mittat, quæ utraque ruris animalia sunt: illa de frugibus vitæ provida, & ista de floribus mellis operaria*.

V. EΦ. *Ephesiorum* ΔHMHTPIOΣ *Demetrius*. Palma arbor, in hoc aliisque Ephesiis nummis signata, Latonæ partum, ac Dianæ natale testatur, ut præter *Homerum*, *Theognis* poeta Latonam parturientem Apollinem, & Dianam, palmam manibus fuisse complexam canit. Erat apud Ephesum lucus Ortygia, ubi Latona partu gravida Dianam edidit; Apollinem tamen in Delo natum canit Homerus *hym. in Apol.*


> *Salve o beata Latona, quoniam peperisti præclaros liberos,*
> *Apollinemque regem, & Dianam sagittis lætam:*
> *Hanc quidem in Ortygia, illum vero aspera in Delo.*
> *Inclinata ad longum montem, & Cynthium collem*
> *Juxta Palmam.*

Pausanias *l.* VII. *cap.* IX. Palmas in Ionia nasci affirmat, Ionumque regionem cæli clementia frui, quod idem colligitur etiam ex Strabone *l.* XIV. & ex *Dionysio Periegete*. Apud Franciscum Gottifredum V.C. extat Gordiani nummus, cum Diana Ephesia in navi, cujus proræ Imperator insistens, coronam ejus capiti imponit cum epigraphe ab uno latere: AYT. K. M. ANT. ΓOPΔIANOC. *Imperator Cæsar Marcus Antoninus Gordianus*. ab alio EΦECIΩN KAI AΛEΞANΔPEΩN OMONOIA. *Ephesiorum, & Alexandrinorum concordia*. Ex quo posset conjici Palmam Alexandriæ symbolum esse, cum Dianæ Ephesiæ simulacrum tot hieroglyphicis insigne ab Isiacis Hierophantis ex Ægypto in Ioniam traductum videatur.

VI. M. OΠEΛ. ANT. ΔIAΔOYM. K. *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus Cæsar* EΦ. *Ephesiorum*. Alter nummus, in honorem patris Macrini, ab Ephesiis fuit cusus, cum literis EΦECIΩN ΠPΩTΩN. AΣIAΣ. *Ephesiorum Principum Asiæ*, ob aliquod beneficium in Ephesios ab Imperatore collatum.

TABULA III.

TABULA III.



I. CAPUT Lysimachi diademate, atque arietinis cornibus exornatum, quæ Regum Macedonum erant insignia, ad imitationem Alexandri Magni, qui Jovis Ammonis filius haberi, & cognominari voluit. In aversa parte nummi appicta est imago Palladis victricis, cum litteris. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Regis Lysimachi Lysimachensium*, in memoriam Regis ipsius Urbis conditoris. Fuit Lysimachia celebris civitas, in Thraciæ Cherronensis faucibus.

II. Caput laurea redimitum Philetæri est, ludicro certamine victoris. In aversa parte inscriptum est: ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ *Philetæri*. Hic Eunuchus Lysimachi, ejusdem thesauris, Pergamoque urbe validissima potitus, Attalicorum Regum fuit auctor, ut fuse narrat *Strabo*. Pallas victrix coronam præfert, quemadmodum in antecedenti nummo, Lysimachiæ cusum denarium ostenditur, ut ex nota M. quæ in tres litteras dividitut ΛΥΣ *Lysimachensium*.


III. ΑΡΚΑΙΩΝ ΔΗΜΟΣ. *Arcadum populus*. Caput laureatum Lycæi Jovis est simulacrum: Arcades enim ab Jove genus ducere, ipsumque in Lyceo montem educatum asserebant. Aquila Jovis aliger est, infra quam Apis cernitur mellifluæ regionis argumentum. Cusus fuit hic nummus ab Arcadum populis, fortasse Megalopoli, sic enim vocabant magnam urbem, in quam coirent aliæ Urbes Arcadiæ.

IV. ΒΡΕΤΙΩΝ *Brutiorum*. Jupiter hastæ innixus pedem super columnæ epistylium tenet: ab alio latere, caput Junonis apparet, cum Apis tessera in feracissimo regionis agro. Juno autem hæc, sine dubio, Lacinia est, cujus templum celebre, prope Cotronem extabat, sanctum omnibus circa populis, ut ait Livius *lib.* XXIV.

V. ΔΥΡ. ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ. Hic, & sequentes nummi ΔΥΡ. syllaba inscripti ΔΥΡΡΑΧΙΟΝ *Dyrrachium* notant. Stephanus hanc Urbem Illyricam, antea Epidamnum dictam memorat ab Epidamno heroe. *Strabo* sic: *Epidamnus a Corcyræis condita, quæ nunc a peninsula, cui imposita est, nomen Dyrrachii tenet*. Figura quadrata ad similitudinem aræ structa conspicitur. ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ nomen est Prætoris, sicuti ΑΛΚΑΙΟΣ *Alcæus*, alterius magistratum gerentem notat. Boves præcipue magnos fert Epirotica terra, quas Pyrricas vocant, ipsisque laudem maximam auctores tribuunt. quare Bos cum lactente Vitulo, impressa est in denario, ad indicandam quoque agri fertilitatem; ac pari emblemate Apis mellis copiam præbet, ut sequenti Tabula clarius patebit, ex alveariis, in consimili numismate insculptis.

VI. ΕΦ. *Ephesiorum* ΑΡΜΟΝΙΟΥ *Armonii*. Cervus & Palma, de quibus in præcedentibus.

TABULA IV.



I. ΔΕΛΦΟΥ *Delphi*, Semicapra in hoc nummo signata est, forte quod hoc animal primum oraculum Delphicum manifestaverit, ut notat Ludovicus Nonius, Diodori nixus autoritate. Tradit etiam Pausanias *in Phocicis* Cleonæos pestilentia laborantes, oraculi monitu, sole primum Oriente, Caprum immolasse, ac sedata lue, æneum Caprum Apollini Delphico obtulisse. Pharetra Pythii Apollinis insigne est Pythonem jaculantis, in cujus honorem Pæana instituta sunt. Apis Dianæ dicata est, ipsamque Ephesinam Deam designare videtur. Sed forte Apum aliud extat argumentum, quippe proditum est ædiculam Delphici Apollinis ab Apibus e cera, & pinnulis fuisse compactam, ut *Pausanias* refert. ΞΕΝΩΦΑΝΗΣ *Xenophanis* Delphici Prætoris nomen est.

A

B

II. ΔΥΡ. ΟΒΡΥΜΟΥ *Dyrrachium Obrymi*. De hac urbe in antecedenti Tabula dictum est. In aversa nummi facie, alvearia bina, totidemque Apum examina appicta sunt, quæ dubio procul, feracissimi, & ditissimi agri ubertatem indicant. Nam præter Bovem, & lactentem Vitulum in singulis Dyrrachii nummis, sive arista, sive botrus uvæ, sive aratrum impressum est. Præ cæteris vero Dyrrachiensis ager, mellis divitiis, & Apum gloria sese efferebat, ut in hoc, aliisque nummis, mellifluo stemmate decoratis.

III. ΔΥΡ. ΔΑΜΗΝΟΣ *Dyrrachium Daminus*: exadverso ΦΙΛΩΝ *Philo*. Spica, & Apis ubertatis symbola sunt, ut in antecedenti nummo adnotatum est.

IV. M. PLÆTORIUS. CESTIUS. Sortis, sive Fortunæ simulacrum cum tessera SORS. Denarium hunc extra Urbem cusum suspicari possumus, quod Apis in eo sit impressa. Non omittam felix mellis præsagium de Prænestinis sortibus, de quo Cicero *l.* II. *de Divin.* *Eo loco ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt, Haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras.*

V. ΒΟΙΩΤΩΝ *Bœotorum*. Apis, & Cervus Ephesiæ Dianæ stemmata sunt. Ejusdem Deæ fanum in Bœotia extitisse credibile est, ad ejus quod Ephesi erat, exemplar constructum, ut in aliis permultis Græciæ civitatibus.

VI. ΔΕΛΦΩΝ *Delphorum*, ut in nummo ante adnotato.

TABULA V.



I. ΕΥΚΡΙΤΟΥ *Eucriti*. Stat Cervus ad Palmam, eodem nomine, quo tertius primæ Tabulæ Ephesius nummus inſcriptus eſt. Averſa facies Apem in laurea corona præfert, in Pythiis Epheſii victoris index, ſive argumentum eſt ſolemnium ipſius Deæ ſacrorum. Refert quippe *Macrobius* ex Alexandro Ætolo, quanto ſtudio populus Epheſius, dedicato templo, Dianæ curaverit, præmiis propoſitis, ut qui tunc erant Poetæ ingenioſiſſimi, in Deam carmina diverſa componerent. A

II. ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ *Meſſanenſium*. Lepus in pleriſque Meſſanæ nummis impreſſus eſt, ejuſdem Urbis animal inſigne. Apis deſignat mellis præſtantiam, qua plurimum Sicilia a *Plinio* commendatur. Rheda junctis Mulis acta, ſacros ludos repræſentat, de quibus *Pauſanias*. *Inter rhedarum, & carpentorum aurigas tantum intereſt, quod his alia ſunt inſignia, & maſculos equos agitant: rhedam trahebant Muli jugales bini, invento neque eleganti, neque priſco*. Ageſias victor curru Mularum in Olympiis *a Pindaro* laudatur. B

III. ΕΦ. ΧΟΡΙΣΚΟΣ *Epheſiorum Choriſcus*.

IV. ΑΠΤΑ. *Apta*. Quid hoc nominis ſit, aut quo referendum, pro certo affirmare non auſim; ſi tamen loci, aut civitatis alicujus nomen exiſtimemus, non aliam quam Aptam Juliam deinde cognominatam Coloniam, in Provincia Narbonenſi, non longe ſupra Maſſiliam, & Aquas Sextias ſitam reperio. Cujus ſuſpicionis cauſam duplicem habeo; primum quod civitates illæ Græcæ originis, nummos quoque ſuos Græcis litteris inſcripſerint; tum vero quod omnis illa Galliæ & Hiſpaniæ ora Dianæ Epheſiæ cultum a Maſſilienſibus Ionum Aſiaticorum colonis acceperint, ut *Strabo* non uno loco indicavit. De hac Apta Julia Colonia a Julio Cæſare deducta in Provincia: vide Jacobum Sponium in ſuo eruditiſſimo Opere, cui titulus eſt *Miſcellanea Eruditæ Antiquitatis*, duas afferens Inſcriptiones ejuſdem Coloniæ.

V. ΜΕΤΑ. *Metapontinorum* ex celebri magnæ Græciæ civitate Metaponto, quos genus ab Heraclidis duxiſſe hic nummus indicat: in cujus latere averſo legitur ΗΡΑΚΛΕΙΔΩΝ *Heraclidarum*. Sita fuit in ubere regione melle, & frugibus nobili, ut Apis, & Ariſta indicant. Caput galeatum alatum imago eſt Metabi Herois, hujus Urbis conditoris, de quo *Stephanus*, & alii ad *principium* Velleji Paterculi.

VI. ΕΦ. ΝΙΚΟΛΟΧΟΥ *Epheſiorum Nicolochi*.

TABULA VI.



I. ME. *Megarensium* interpretandum opinor cum Paruta, qui hunc nummum inter alios Megarensium Siculorum exhibuit, in quibus itidem Pallas insculpta cernitur; Megara enim a Megarensibus Atticæ regionis nomen, & originem duxit, in quorum arce (ut *Pausanias* refert) templum, & signum Minervæ extitit, ipsiusque delubrum Deæ victoriæ cognomento. Hæc vero Siciliensis civitas Hybla, aut Megara Hyblensia vocata, de qua ad sequentem nummum.

II. ΜΕΓΑΛΑΣ ΥΒΛΑΣ *Magnæ Hyblæ*. Celebris est Hyblæi mellis præstantia; magnæ vero cognominis causam sic refert Pausanias *in Eliac. Priorib. Fuere Hyblæ Siciliæ civitates duæ: Gereatis cognomine una, altera major. Retinent hæ etiam nunc ætate prisca nomina, & earum altera in agro Catanensi plane deserta est: altera in iisdem finibus, ad vici formam redacta. in hac fanum est Siculorum celebritate religiosum Deæ quam Hybleam vocant, dicatum.* Deæ Hybleæ imago, sine dubio est, quæ in nummo conspicitur.

III. ΙΕΡΩΝΟΣ *Hieron.* Biga Pythiam, seu Olympiacam Hieronis designat victoriam, cujus etiam in VI. hujus Tabulæ Syracusio nummo quadriga est nota. De curru Hieronis in Olympiis dedicato hæc memorat Pausanias *in Arcadicis. Sunt etiam sua de Olympicis victoriis Hieronis monimenta Dinomenis filii, qui fratri Geloni in Syracusanorum tyrannide successit. Hæc dona non sunt ab Hierone missa, sed votum Deo persolvit Dinomenes Hieronis filius. Currus Onatæ Æginetæ; Calamidis, qui utrinque sunt equi, & equestres pueri opera sunt.* Pindarus vero Hieronem in Pythiis curru victorem celebrat *ode* I. & II. *Pyth.* ut in VI. hujus Tabulæ nummo. Fuit Hieron curru victor Pythiade XXIX. Caput aristis, & arundine coronatum Arethusam repræsentat, juxta quam Apis est mellifluæ Siciliæ, ac Syracusii mellis index.

IV. ΕΦ. *Ephesiorum* ΓΙΜΗΣΙΑΝΑ *Gimesiana*: considerandum num forte ΓΑΛΛΗΣΙΑΝΑ a Monte Gallesio, quem Epheso proximum Strabo commemorat.

V. ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ *Tauromenitanorum*: Apollinis tripus: in aversa vero facie Apollinis Archagetæ caput laureatum: nam in aliis AP. legitur, cui Apis est appicta.

VI. ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ *Syracusanorum*. Arethusæ caput, ut in III. hujus Tabulæ nummo. Quadriga ejusdem Hieronis victoriam appingit in Syracusarum laudem, ut Pindarus *Ode* II. *Pyth. O magnis constitutæ Urbibus Syracusę bello potentis Martis delubrum virorum, equorumque ferro gaudentium felices nutrices. Vobis a præclaris Thebis hoc epinicii adferens venio. Quadrigæ terram concutientis denunciationem, per quam Hieron victoriam obtinens, procul fulgentibus coronis Ortygiam reliquit, sedem fluvialis Dianæ, citra cujus opem, illas habenis varias non domuit admirandis manibus suis equas.*

T A B U L A VII.



AYT. KAI. CEB. ANTΩNEINOC. *Imperator Cæſar Auguſtus Antoninus*. Caput Antonini Pii laureatum. A

CYPIΩN. *Syrorum*. Capita Marci Aurelii & uxoris Fauſtinæ invicem adverſa cum ariſta intermedia: infra appicta eſt Apis, & aſtrum. Supra caput Fauſtinæ, legitur: KOP. id eſt, KOPH *Core*, *præſtanti forma puella*, quo epitheto cognominata fuit Proſerpina, & in hoc nummo a Syris per adulationem, Fauſtina, pulchritudine magis, quam pudicitia conſpicua. Supra caput Marci Aurelii duæ aliæ leguntur litteræ IP. id eſt, IPOC Jonice pro ἱερός: *Sacer*, *Sanctus*, *Divinus*, ob B ejus, ut inquit Capitolinus, in omni vita, & a prima infantia ſanctitatem. Cuſus fuit hic nummus poſt Fauſtinæ cum Marco Aurelio nuptias a Syris, ſive Communi Syriæ; nam hæc regio Tetrapolis dicta, *Strabone* teſte, quatuor ante alias habuit illuſtres Urbes a Seleuco conditas, Antiochiam, Seleuciam, Apameam, Laodiceam, quæ propter ipſarum homoniam, & concordiam, Sorores appellabantur. Eodem ſenſu in nummo Trajani KOINON CYRIAC *Commune Syriæ* ab iiſdem Syris cuſo in honorem ejuſdem Imperatoris cum capite Syriæ Deæ turrito. Hic perrarus Nummus mediæ magnitudinis in Reginæ Chriſtinæ Auguſtæ Theſauro adſervatur. C

Apis ſub Fauſtinæ, & ſub M. Aurelii capite Stella inſculpta eſt, ſpica inter utrumque ipſorum media, ubertatis, & feracitatis ejuſdem regionis indices. Syria enim cæli, ſolique amœnitate commendatur, celebriſque præ cunctis ros eſt Syriacus, quem Apes ad mella conficienda ex roſis, & floribus legunt. De ſpica vero, & Ape, ſive de Ape Cereris miniſtra, vide ſupra in Apis Hierogrammatiſmo, quæ ex *Pindaro*, & *Pauſania* refert Mentrejus.

Succedunt infra ſex vetuſtæ Gemmæ anulares inciſæ, Apum argumenta referentes, quæ in Barberina Dactyliotheca adſervantur.

I. Prima gemma Corniola aratrum exhibet, duadus Apibus jugalibus, tertia Coloni inſtar, vomeri inſiſtit ad regimen cum ferula. Quo emblemate continentur tria humanæ vitæ bona; ſcilicet Sapientis regimen, Telluris ad victum cultura, & labor, ac mellis dulcedo, & recreatio, quæ tria bona ſequenti diſticho exprimuntur in Poematibus Urbani VIII. ſapientiſſimi Pontificis, clavo Eccleſiæ Apibus præſidibus, atque mellificantibus:

Supremum regimen, cultæ ſata jugera terræ,
Mellis opus; tria ſic tres potiora notant.

II. Apis Solis faciem radiatam referens, Solarem virtutem in perficiendo melle indicat, cui aptatur Virgilianum illud de Apibus ipſis: EXERCET SUB SOLE LABOR. Solis facies ſic in orbem radiata inſigne fuit Urbani Octavi literatiſſimi, ac ſplendidiſſimi Principis, ad cujus virtutem, & laudem hoc emblema componitur.

III. Leoni, e cujus ore Apis egreditur, alludere videtur Samſonis ænigma, DE FORTI EGRESSA EST DULCEDO. Alii tamen hoc ſigillum inter Veterum amuleta, ac Mithriaca Myſteria adnumerant.

IV. Apes tres ad truncum semper virentis Lauri advolantes, atque mellificantes cum lemmate: HIC DOMUS. Carminum ipsius Urbani immortalitatem innuunt. A

V. Venator Amor Avem ramo insidentem arundine percutit, advolante Ape, cui subjicimus: DULCIS AMOR LÆDIT.


VI. Fibula ærea antiqua Apis in effigiem formata.

De Apibus.

Idem amor, atque Apibus eadem experientia parcis,
Sed nec agros populare palam, aut incumbere furtis.
Cum juvet e proprio vitam tolerare labore.
Justitiam norunt solæ, & servare pudorem:
Æquales cunctis operæ, studiumque parandi.
Mane novos adeunt flores examine denso,
Cœlestemque legunt rorem, atque in tecta reportant.
Mox vacuis stipant cellis, ut nectare largo
Ignavas ducant hyemes, & frigora temnant.

Ex Jov. Pontano.

T A B U L A VIII.



AD hujus operis absolutionem, & elegantiam consentaneum duximus, additis Dianæ Ephesiæ Templo, & sacris, attexere quoque votivam Lucernam, 1. eidem dicatam a quodam Eutyche Miletopolitarum Stratego, quæ Lucerna in nostro Museo vetustatis luce inextincta refulget. Ansæ apicem habet recurvum in modum falcatæ Lunæ cum titulo: ΑΡΤΕΜΙϹ ΕΦΕϹΙΩΝ ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Diana Ephesiorum Eutychis Alexandri Miletopolitarum*. Eutychem hunc Miletopolis Urbis Strategum fuisse indicat nummus Commodi 2. ab Erizzo vulgatus, qui ab uno latere exhibet Imperatoris caput cum literis: ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΜΟΔΟϹ. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Commodus*; ab alio Mercurium saxo insidentem cum Caduceo; iisdem Eutychis nominibus, in Lucerna incisis, ac Strategi dignitatem referentibus: ΕΠΙ. ϹΤ. ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ B ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Sub Stratego Eutyche Alexandri Miletopolitarum*. Sic vertendum sane, haud quaquam cum Erizzo ipso: ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ *Felicis Alexandri*. In quem errorem forte non incidisset accuratissimus Nummographus, si Strategi dignitas primoribus literis patuisset. Extat & alius ejusdem Urbis nummus mediocris magnitudinis, in honorem Gordiani Pii a Clarissimo Equite Patino editus 3. ΑΥ. Κ. Μ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Antoninus Gordianus*. Gordiani caput. In latere adverso Diana Venatrix conspicitur cum epigraphe: ΕΠΙ. Μ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Sub* C *Marco Trajano Aurelio Herme*, seu *Hermete Miletopolitarum*; ex quibus constat, hujus Urbis studium, & cultum insignem fuisse in Dianam Ephesiam. Stephanus Miletopolim scribit Urbem esse inter Cyzicum, & Bithyniam, circa Rhyndacum fluvium, deque ipsa Strabo, & Plinius.

JO: PETRI BELLORII
SYMBOLICI DEÆ SYRIÆ SIMULACRI
EXPOSITIO.



APUM argumentum vocat nos ad Syriæ Deæ, ſeu rerum Naturæ ſimulacrum, quod ob oculos ponitur juxta Syrorum doctrinam, ac ſuperſtitionem; noſque eo libentius ipſum meditamur; quod hæc Dea cognationem habet cum Epheſia Diana; utraque enim plurimis myſteriis, & ſymbolis eſt, ac præcipue Apum inſigniis, quibus ambæ decorantur. Simulacrum ipſum ex ære ductum apud Virginium Urſinum Anguillaræ Comitem olim viſebatur, ejuſque imaginem ad magnitudinem, ac ſimilitudinem, quæ habetur in Pyrrhi Ligorii Codicibus, in Bibliotheca Auguſtæ Reginæ Chriſtinæ adſervatis, deſumpſimus. Titulus in baſi legitur:

MATER. DEOR. ET. MATER. SYRIAE.

MATREM Deum Cybelem, & Deam Syriam unum, idemque numen eſſe plurima indicant argumenta in hoc ſimulacro appicta; muralis ſcilicet, ac radiata Corona in capite, Tympanum, & Colus in ſiniſtra manu; Leones præterea, qui Deæ montano ſaxo inſidenti adſtant. Horum indiciorum locuples, & oculatus teſtis eſt Lucianus celeberrimi Templi ejuſdem Deæ, quod in Syria erat, conditorem requirens; hæc enim refert *in Dialogo de Dea Syria: & multa ſigna adſunt, quæ ipſam Rheam videri faciunt; nam & Leones ipſam ferunt, ac tympanum habet, & coronam in capite turritam geſtat, qualem & Lydi Rheam effingunt*. De colo, ſceptro, & radiis paulo inferius. *Altera quidem manu ſceptrum tenet, altera colum, & in capite radios gerit, ac turrim*. Coronam turritam Cybeli peculiarem ideo tributam aſſerunt, quod prima Urbes muris conſtruxerit, ac munierit, ut inquirit *Ovidius* vulgatis illis carminibus:

At cur turrifera caput eſt onerata corona?
An primis turres Urbibus ipſa dedit?

Altera corona radiata, quæ ipſius caput cingit, refertur ad Solarem virtutem, quam Sol benefico lumine ſuo Cybeli, ſeu Terræ impartitur ad producendas fruges, omneſque res naturales, quorum Sol nuncupatur auctor, & parens, ideoque a Macrobio dicitur fons cœleſtis lucis, mens, & temperatio Mundi.

In vertice hujus noſtri ſimulacri eminet Cydaris, ſeu Mitra ejus caput exornans, adinſtar falcatæ Lunæ, quæ, ut *in Scipionis ſomnio* ſcribit Cicero, in infimo orbe conſtituta, radiis Solis accenſa convertitur. De temperie caloris, humo-

A riſque ab his duobus aſtris ad fœcunditatem terræ, humanique generis beneficentiam emanante inſignis eſt locus Senecæ *libro de Beneficiis*: *Num dubium eſt, quin hoc humani generis domicilium circuitu Solis, & Lunæ vicibus ſuis temperetur? quin alterius calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humores comprimantur; alligantis omnia Hyemis triſtitia frangatur, alterius tepore efficaci, & penetrabili rigetur maturitas frugum? quin ad hujus curſum fœcunditas humana reſpondeat? quin ille annum obſervabilem fecerit circumactu ſuo, hæc menſem minoribus ſe ſpatiis flectens?* Hoc idem ſenſiſſe videtur hujus ſimulacri auctor per duodena Zo-

B diaci ſigna depicta in faſcia illa, quæ pallio ſuperimpoſita, e collo utrinque dependet ad pectus, & inde rejecta a ſiniſtro brachio diffunditur, fœcunditatem, atque ubertatem terræ deſignans a Solis & Lunæ circuitu provenientem; Sol enim per anni tempora Signiferum percurrens quadrifariam dividit: urgente Bruma frugum ſemina circumcluſo calore fovet; adveniente Vere, eadem in frondes, & flores educit, donec Æſtivo, atque Autumnali tempore, fructus omnes ad maturitatem, & perfectionem perducat. Eandem genitalem vim innuere videtur Lunula cum Aſtro appicta in ea-

C dem Mitra, ſtellarum influxus in hæc inferiora ſignificans; niſi potius Aſtrum illud Solem ipſum referat, ad demonſtrandam horum, ut putabant, æternitatem; nam Ægyptii Sacerdotes ævum innuentes, teſte Horo, Solem, & Lunam pingebant. Ipſam autem Deæ Syriæ Lunatam Mitram comprobat vetus monumentum a Clariſs. Seldeno in *Syntag. de Diis Syris* relatum; in quo Dea ſedet inter Leones duos Tiara, ſeu Diademate Lunato ornata, cui ſubjungitur inſcriptio:

D

P. ACILIVS. FELIX
D. D. DIA. SVRIAE
CVM. SVIS

Communionem amplius, quam Cybeles habet cum Iſide, ſeu Luna, ſatis indicat Siſtrum, quod noſtrum Simulacrum ſiniſtra manu gerit cum aliis ſymbolis; atque omnibus palam eſt, Matrem Magnam, Rheam, Cybelem, Opim, Cererem, Proſerpinam, Iſidem, & Lunam, quamvis diverſa nomina, in re tamen unum fuiſſe numen; imo unam, eandemque rerum Naturam ex Ægyptiorum placitis ac myſteriis. De Iſide vero hæc profert *Macrobius*: *Iſis cuncta religione colebatur, quæ eſt terra, vel natura ſubjacens Soli*. *Martianus Ca-*

E *pella* de Lunari globo loquens: *in eo Siſtra Niliaca, Eleuſinaque lampas; arcus Dyctinnes, tympanaque Cybeles*. Siſtri formam deſcribit Apulejus *Aſino Aur.* ſimulacrum Iſidis, ſeu Lunæ appingens: *nam dextera quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recur-*

vatam, trajectæ mediæ parvæ virgulæ , crispante brachio , tergeminos ictus reddebat argutum sonum . Plutarchus in suo Opusculo *de Iside , & Osiride* rationes naturales reddit de earumdem virgularum ictibus , & concussione , per quas significari scribit sub Luna cuncta moveri , generari , & corrumpi , & per quatuor virgulas quatuor elementa : *Sistri vero desuper orbicularis prospectus continet quatuor ,* scilicet virgulas, *quæ concutiuntur; etenim pars mundi quæ generatur , & corrumpitur , comprehenditur quidem a lunari Sphæra ; moventur autem in ea omnia , & mutantur per quatuor elementa , Ignem, Terram , Aquam , & Aerem .* Alii per hoc crepitaculum intelligebant Nili incrementum , Lunæque assiduas vertigines , & conversiones , quibus in cælo movetur , At virgulæ quatuor, quas *Plutarchus* intelligit ad numerum Elementorum , non respondent nostro Deæ Syriæ simulacro, cujus Sistrum tribus tãtum virgulis conficitur, totidemque numerantur in aliquibus aliis imaginibus , ac præcipue in supra exhibitis Isidis Phariæ sistratæ ex sententia illorum forte , qui ignem inter elementa non admittunt ad principia rerum naturalium , supplerique autumant calore Solis . Cum autem de Sistro sermo sit , non abs re fuerit ejus formam ob oculos ponere ex æreo illo veteri , quod in nostro Museo asservatur , cujus principalem , ac lateralem faciem ad integram similitudinem hic exhibemus . Præter illas igitur quatuor virgulas descriptas , in ejusdem Sistri summitate Felis decumbens fœtibus lactantibus insculpta est , atque in ejus ipsius vertice Lunæ globus eminet , connexionem , quam hoc animal habet cum Luna, indicans, juxta descriptionem Plutarchi , eodem loco : *Sistri apsidi in vertice Felem cum vultu humano insculpunt . Infra sub iis , quæ torquentur , hic Isidis , illic Nephthydis effigiem. Innuunt his vultibus ortum, & obitum, sic enim elementorum sunt vices , & motus . Fele Lunam ob varietatem laborum nocturnorum , & fœcunditatem hujus animalis ; siquidem hoc ferunt gignere unum , inde duo , tria , quatuor , quinque , atque ita singulatim adseptem usque adjiciunt , ut octo & viginti universa pariat, quæ Lunæ sunt lumina . Atque hoc fortasse sit fabulosius . At in oculis suis pupillæ in plenilunio compleri , atque explicari videntur , contra deduci , inopacarique Luna senescente . Facie humana Felis intellectus , & ratio repræsentatur voluminum Lunarium .* Hoc ultimum symbolum in nostro non convenit eum descriptione *Plutarchi :* nam Felis humana facie non est prædita , sed talem habet vultum , quale omnibus suæ speciei animantibus natura impertita est . Non multis ab hinc annis visebantur Romæ Sistra duo , in quorum utroque Felis effìcta erat humano ore conspicua ; alterum apud Bartholomæum Giulit Nobilem Gallum , alterum in celebri Museo Eq. Francisci Gualdi , quorum icones perhumaniter , ut solet , harum elegantiarum decus , e suo ditissimo penu exhibuit nobis Illustrifs. D. Carolus Antonius a Puteo Sancti Stephani Eques Commendatarius , e cujus descriptione , post allata Plutarchi verba , hæc pauca excerpsimus .

Quæ descriptio Plutarchi ad unguem cuidam Sistro antiquo , cujus copiam mihi fecit amantissimus , hujusque disciplinæ peritissimus Bartholomæus Giulit vir nobilis Gallus , respondet . In vertice enim instar lusorii reticuli sinuatur , quatuorque ferreas virgulas infixas habet , quæ huc illuc elabentes sonitum quemdam edebant : ne vero excussæ in terram deciderent , ad uniuscujusque virgulæ initium , eodem ferro effìcta erant utrinque Anserum sive Anguium capita invicem se aspectantium . In vertice Felis humano capite cælata visebatur , postea vero erat manubrium , ut commodius Sistrum manibus contineri posset . Quam secundo loco iconem damus , erat apud Eq. Franciscum Gualdum,solasque tres ferreas virgulas habebat, quarum media immobilis erat , in reliquis superiori respondebat . Quod vero Sistrum exhibemus, e Gazophylacio Cardinalis Virginii Ursini nuper erepti nostris Cimeliis accessit . Sed & aliud erutum modo est Via Aurelia in Suburbana Villa Illustrifs. D. Laurentii de Corsinis , ab eodem dono datum D. Leoni Strozzæ , avita nobilitate , moribus , optimorumque studiorum cultu in florenti ætate inter Romanos Proceres spectando , in cujus splendidissimo Museo asservatur , nostro sane persimile , si tantummodo Lunarem globum in Felis vertice addas. Nephtydis, & Isidis effigies , quas *Plutarchus* infra virgulas describit , ortus & obitus indices , non adhuc inspicere contigit , sed in utroque Sistri latere Isidis tutulum, seu Mitram Lunari globo insignem.

Sed cum de Sistro abunde locuti simus , reliqua symbola modo percurramus . Sistrum sequitur Colus , quem hæc Dea una simul manu gerit , connexionem indicans , quam ipsa habet cum Fato , & Parcis ; quæ nent , & recidunt humanæ vitæ stamina . Sors enim & Fatum Lachesis nomini inest ; & hoc intelligitur in nostro simulacro , juxta *Luciani* descriptionem supra allatam: *altera quidem manu sceptrum tenet , altera colum* . Nam Dea Syria , præter illa plurima nomina , quibus insignitur , Proserpina quoque vocabatur , eique Parcas subesse,ejusque imperio parere dictitabant , ut apud *Claudianum* sic raptam Proserpinam Pluto solatur :

Accipe lethæo famulas cum gurgite Parcas ,
Sit fatum quodcunque velis .


Quare Proserpinam habuisse communem ædem cum Parcis , ac matre Cerere *in Atticis* scribit Pausanias ; ideo forte Dea Cybeles , etiam Proserpina fuit cognominata , quod Physici , teste Macrobio , inferius hemisphærium terræ Proserpinam vocaverunt .

Post Colum visitur Caduceum , quo aer designatur,& Mercurius; nam cum ejus sidus velocissimum sit , ideo hic Deus alatus fingebatur , ipsumque per aera volitare , atque ire , & redire ad Superum , Inferorumque domus putabant . Cum vero humectans , & calidus aer sit ; calore igni , & humore aquæ consociatur ; quæ duo Elementorum , Naturæque dissonas qualitates,ut placet *in Timæo* Platoni , perfectionem hujus mundanæ molis insolubilem conciliant atque devinciunt.Caduceum quoque bene jungitur stamini,& colo humanę vitę;pertinet enim ad genituram hominum , teste eodem Macrobio : *Argumentum Caducei ad genituram quoque hominum, quæ Genesis appellatur , Ægyptii portendunt.*

Flagellum præterea, quod Syria Dea pro sceptro manu gerit , usitatissimum est in Ægyptiis Deorum simulacris , ipsamque depulsare mala , atque adversantibus terrorem incutere indicat. Erant porro aliqui Dii propitiatores , ac defensores ἀλεξίκακοι , atque Averrunci nuncupati , iisque Typhoniam vim neque resistere , neque noxam inferre posse arbitrabantur .

De Leonibus Cybeles , qui Deam concomitantur , nota res est apud Ovidium *in Fastis* , Hippomenem , atque Atalantam ipsius ira Deæ in has feras conversas describentem . Referunt alii fabulam ad rationes naturales , & præcipue Macrobius sæpe a nobis allatus *in Saturnalibus* : *Quis enim ambigat , Matrem Deum terram haberi ? Hæc Dea Leonibus vehitur validis impetu, atque fervore animalibus ; quæ natura cæli est , cujus ambitu aer continetur , qui vehit terram .* Aliam affert causam Lucretius *l.* II. *v.*604.605. adjunctos asserens bijuges Leones currui ipsius Deæ ob emollitam hominum feritatem :

Ad





MATER DEOR. MATER SYRIAE
D S

Adjunxere feras, quia quamvis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum.

Cui assentitur Ovidius *in Fastis*:

. . . . . . feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.

Placuit tamen aliis, Leones mansuetos Matri Magnæ adjunctos, ut indicarent, nullum esse terræ genus tam asperum, atque ferum, quod non subigi, colique possit. De qua re plura Menetrejus in *Hierogrammatismo Leonum*. Nostrum vero simulacrum non curru a Leonibus vectam Deam repræsentat, sed quod rarius est, ipsam insidentem montano saxo, iisdem feris ad ejus pedes, atque ejus lateri adhærentibus. Cybele porro a montibus, in quibus erat culta, diversa nomina sumebat, dictaque fuit Berecynthia, Idæa, & Dindymene a Cybele, Berecyntho, Ida, & Dindymo, quin etiam Montana, Petrosa, Montigena, & Agdiste fuit cognominata, quod in finibus Phrygiæ ex monte, quem indigenæ Agdum appellant, divinitus fuerit informata, teste Arnobio.

Rosæ in pectoris zona, atque in chlamyde intextæ, Matris Deum, seu Telluris florenti Vere primitias ostentant. Quare in ejus festo, cum Dea per Urbes vectaretur, ante ipsius simulacrum Rosæ spargebantur, juxta ejusdem Lucretii descriptionem *l.* II. *v.* 624. *&c.*

Ergo cum primum magnas invecta per Urbeis
Munificat tacita mortaleis multa salute:
Ære, atque argento sternunt iter omne viarum,
Largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes Matrem, comitumque catervai.

Quod idem solemne fuisse in Isidis, sive ipsius Deum Matris pompa refert *Apulejus*, in qua Sacerdos ante Deæ simulacrum, coronam amænis contextam rosis gerebat, quæ Lucium ferina specie exuerunt. Sed præclarius argumentum præbent Apes, quæ in extrema chlamydis ora, rosis intermixtæ limbum vicissim pingunt, & venuste quidem, nam & ipsæ florilegæ rosas amant, ac in hortis cum thymo, & violis, ad mellis munera depascunt. Quin & Apes Matri Deum ita sunt addictæ, ut Cybelejo æris tinnitu mulceantur, ac abeuntes revocentur, ut describit Virgilius, *l.* IV. *Georg. v.* 64. *&c.*

Tinnituque cie, & Matris quate Cymbala circum,
Ipsæ consident medicatis sedibus ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.

Simul ergo Apes, & rosæ Deæ Syriæ, & Ephesiæ Multimammiæ dicabantur, & utriusque simulacrum exornant intermixtæ; de quibus consule Menetrejum *in ipsarum Hierogrammatismo*.

De corporis cultu, atque indumentis, quibus hoc Deæ simulacrum insignitur, Cydari nempe, & pallio, ac fascia fimbriata, quæ e collo utrinque dependet, an ab his emanarint nostrorum Antistitum vestes, Mitra, Planeta, seu Pluviale, ac Stola, videant peritiores. Velo, quod e collo dependet, ac Deæ caput obnubit, noctis umbræ indicantur, quarum Diana est moderatrix, Noctivaga, & Noctiluca cognominata.

Restat ut reliqua symbola, quæ dextero brachio insculpta hærent, paucis perquiramus. Quid porro Arcus, Pharetra, atque ignita fax? Non ne his congruunt illa superius allata verba *Martiani Capellæ* de Lunari globo loquentis? *In eo Sistra Niliaca, Eleusinaque lampas, Arcus Dictynnæ, tympanaque Cybeles*. Quibus verbis cum Luna conjunguntur Isis, Ceres, Diana, ac Cybele, nisi malis pharetram, arcum, & facem ad ipsam tantum Dianam pertinere, eamdem Lucinam, & Venatricem nuncupatam.

Ad Cupidinem quoque, & Venerem hæc tria spectare, non sine ratione quis dicat, ad significandam Amoris ejusque Matris insitam vim, quæ cuncta movet in omnibus animantibus, ac rebus naturalibus procreandis, juxta Lucretium *in principio operis sui de Rerum Natura*, qui sic Venerem invocat, Amoris flammam pectoribus incutientem:

Denique per Maria, ac Monteis, fluviosque rapaceis,
Frondiferasque domos avium, camposque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis ut cupide generatim sæcla propagent.

Faci proxima Harpago, sive uncus appictus est, ad denotandam rerum naturalium connexionem, & seriem, nisi malis Gnomonem esse, & regulam ipsarum rerum in hoc mundo concinno ordine dispositarum. Vides inde humero, brachioque & manui ipsius Deæ hærentia animalia, quæ in terra, atque in aere nascuntur: Aprum Martis, Leonem Solis, ac si recte conjicimus, Corvum Apollinis, Columbam Veneris, hisque subjacentem Scarabæum consuetum apud Ægyptios Solis symbolum, & amuletum. Inter vero Reptilia in dextera manu, ac digitis conspicitur Lacertus Veris, & redeuntis anni index, item Cochlea, & Papilio: illa ex putri in vitam educta; hæc ex semine perpetuo renascens, immortalitatis, vitæque resurgentis typus. In vola dexteræ aspice pomum ubertatis, ab ipsa proveniens Deæ fœcunditate. Manus vero sic extensa, atque aperta est ad majestatem, & beneficentiam, supra quam fulmen extremis digitis imminens, nil aliud significare videtur quam supremi Numinis providentiam, ac divinitatem, cujus utriusque typus est fulmen, ad regimen hujus mundanæ molis.

Templum denique cum turrita corona in capite eminens, illud esse censemus donariis, sacris, opibus, & magnificentia Hierapoli celeberrimum, in quo Dea veneratione summa colebatur. De ejus multiplici specie, ac nominibus intellexisse videtur *Apulejus*, cum per somnium, ita loquens se Lucio ipsa palam exhibuit: *Cujus Numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis. Inde primigeni Phryges Pessinunti eam nominant Deum Matrem, hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes saggittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusini vetustam Deam Cererem; Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusiam alii, &c.*

His ad explicationem hujus mystici simulacri pro nostra tenuitate expositis adeo omnia consona respondent mysteria, ac symbola rebus naturalibus fabulis, & ipsi Philosophiæ consona, ut facile absolvant dubiam fidem Ligorii, ac puram, sinceramque redoleant antiquitatem, vel supra ejusdem eruditionem, & doctrinam. Unum tantum excipe titulum ad basim simulacri, ubi legitur MATER DEOR, pro MATER DEUM, quæ est vetus, germanaque formula in cunctis antiquis nummis, lapidibus, & Codicibus. Et forte Ligorius alias diligens, in hoc lapsus est, quod postremas duas literas UM, utpote exesas vetustate, non satis agnoscens, duas alias OR substituit, ut Latinam communem redderet vocem DEORUM. Ne quid vero desit, aut desideretur, ejus interpretationem huic nostræ adjicimus.

Excerpta ex Pyrrhi Ligorii interpretatione Simulacri Deæ Syriæ Italico ſermone deſcripta.

D'Iſide, & Matre Syria Natura generante, &c



LCUNI Filoſofi ſignificarono in lei l'univerſale, il Cielo, & la Terra, fecero la figura ſua con tutti i ſimboli delle coſe, che il ritratto di preſente hà dimoſtrato, ſecondo quella ſtatuetta antica di bronzo, che haveva il Sig. Virginio Urſino Conte dell'Anguillara, che nelle parti più alte nell'eſtremità hà figurato nella teſta le coſe del Cielo, la Mitra, & un'altra fabrica Epiſcopale, & tutelare di ogni ſuo governo. Nella cima della mano deſtra tiene il fulmine per ſignificato dell'aere, e delli fulmini che intuonano ſtrepitoſamente nell'aere. Intorno il mantello hà li Segni Celeſti de' Planeti, d'onde Planeta è detto il militare Piviale de' noſtri Chriſtiani Epiſcopi, che hanno, come militari Paſtori il governo delle ſue gregi, ſecondo la celeſte regione, & fermiſſima fede. Poiche queſto habito è ſtato ritratto dalla Dea Syria, & conſervato dalla Santa Chieſa, perche in eſſo ſi riconoſca quell'Altiſſimo Dio, che hà fatto la Natura.

In eſſa ſono la Luna, il Sole, le Stelle, le celeſti torri, che circondano la fortezza del celeſte reggimento, ove ſono i ſimboli de' Planeti. Nella mano deſtra, come principale nelle potenze, che gli Aſtronomi hanno formato ciaſcun Planeta, il fulmine di Giove, la facella del Sole, il carcaſſo, e l'arco della Luna, la Colomba di Venere, la Falce di Saturno, il Corvo di Apollo, il Cinghiale di Marte. Nell'altre diverſità degli effetti delle Stagioni, & coſe terreſtri, vi ſono le Farfalle, le Lucerte, li Pomi, la Limaca, & per tutto il manto li Fiori. Nella mano ſiniſtra appoggiata sù'l Cerpitabulo, il Timpano per li Venti, il Siſtro per le Stagioni, li Sonagli per lo ſtrepito dell'aere, il Caduceo di Mercurio per li contraſti, per la pace, per lo parlare, per le congiuntioni indiſſolubili, per lo metro delle coſe che paſſano per lo Cielo, & per l'Aria. Il fuſo delle Parche lo ſtame della vita; li Peſci per lo Mare, i Leoni per gli Animali, & ferocità di eſſi, & per la potenza del Sole. Il ſolio ove ſiede è ſopra un monte per li Monti, & Olimpi della grandezza terrena. Li Segni che hà la Dea intorno il Planeta, o Mantello, che è figura del coperto, o padiglione celeſte, che copre ogni coſa aerea, e terrena. Alcuni hanno fatto ad eſſa Matre Syria le Parche iſteſſe per ſua cintura, & le Hore intorno il petto, & altri una collana di mammelle, & ſecondo ſcrive Luciano, haver veduto la Matre Syria ſcolpita in ſignificato di tutti gl'Iddii, e tutte le Iddee, le Muſe & celeſti Planeti, la Vittoria, la Fortuna, le Parche, il Sole, la Luna particolarmente, & eſſer Pallade, Marte, Bellona, Venere, di cui hà il ceſto di Roſe, &c.

MARMOREA BASIS
COLOSSI
TIBERIO CÆSARI
ERECTI
OB
CIVITATES ASIÆ RESTITUTAS
POST HORRENDOS TERRÆ TREMORES.

Cujus Coloſſi fides a Jo. Meurſio oppugnata defenditur, tantum non oculis exhibetur & venuſta proponitur. Tempus, numerus & nomina civitatium reſtitutarum ubique falſus & varius ab recentibus Commentatoribus traditus; verus & certus ex MARMOREA BASI publico inſtrumento feliciter probatur.

AD SERENISSIMUM AC REVERENDISSIMUM PRINCIPEM

FRANCISCUM MARIAM MEDICEUM &c.

Primus trans Alpes vulgavit, revocavit, notis & obſervationibus illuſtravit

LAURENTIUS THEODORUS GRONOVIUS.



SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ MEDICEO

S. R. E. CARDINALI. S. R. IMPERII; NEC NON REGNI HISPANIARUM PROTECTORI MERITISSIMO.



Astum hoc Marmor, SERENISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS, maximis ſumptibus cælatum & politum, olim ſacratum per flamines AUGUSTALES; nunc memoria Marmoris a tribus annis ſacra & macta per Tiaram & Coccum SACRATISSIMI AUGURATUS TUI vulſit me & perpulit, ut & ipſe periculum ingenii, ſi quod in me eſt, facerem, & vicarius ſuſciperem partes, quas in Italia ipſis Neapolitanis relinquendas arbitrabar. Sed intra hos dies incidi in commentum Viri docti, qui in hac civitate ante ſeptuaginta & ſeptem circiter annos ſcribere duravit, *coloſſum Tiberii ſtatuaſque etiam urbium inter falſa habendum*. Ut vidi, ut diſcutere volui? Neque enim ferre poteram SERENITATIS TUÆ FASTIGIUM implorari ab Italis aut a me ad falſa: certe qui coloſſum Tiberii ſtatuaſque etiam urbium inter falſa habet, doceat is nunc oportet, quid ſibi de hoc Marmore ſtatuiſque urbium & tot nummis videatur. Quæ calumnia doctrinæ ut in rutæ folium conjiciatur, veſtigia antecedentis preſſi, & idem Marmor reconditæ & venerandæ Antiquitatis cum popularibus communicavi & exercendum tradidit. Interim dum ex Italia Tua Politiſſima exſpectamus curas ſecundas magiſque elaboratas, ne aliud adventicium auxilium requiratur, cum ab Eminentiſſimo & Nobiliſſimo Archiepiſcopo Jacobo Cantelmo S. R. E. Cardinale; tum a Doctiſſimis & Spectatiſſimis Viris D. Vincentio Vidania Catholicæ Majeſtati in regno Neapolitano a Sacris, Vincentio Vidman Conſiliario Regio, & Jacinto Chriſtoforo Doctore, qui hoc ſaxum verſant, multoque feliciore aere & fortuna fruuntur: hæc frigida & craſſiore cælo nata parerga prælibavi, ut voluntas & ſpes mea, in qua vivo, tam inſignium virorum ſtudia moveat, meaque libamina vel arguant vel probent, & ſcribant aliquid, quod Perſius non Lælius Decimus legat: aut quod PRINCIPI placuiſſe VIRO Florentinus MYSTA Tranſalpinis noſtris oſtentet. Eſt enim argumentum, ſi pro materia tractetur, non infra Sacras Tuas Occupationes: neque hic tam profanæ hiſtoriæ meminiſſe oportet, quam temporis, quod in recordationem

vocetur, quo jam AUCTOR SALUTIS HUMANÆ in his terris degebat degreſſus ab cælo, ad veri numinis oracula conſummanda. Tunc placuit Deo has urbes admonere vanitatis, quarum tribus modo per Tiberium Cæſarem reſtitutis novæ minæ canuntur in Chriſtiana Apocalypſi, monenturque *ut vigilent, ſervent, & emendent*. Tunc datum fuit documentum, quam imbecille & inutile Epheſo fuerit iſtud tantopere cantatum Venatricis miraculum. Nunc in Europa miraculum cernimus Mauſoleum & Templum Mediceum. Eſt hoc robore, mole, arte & ſumptibus firmiſſimum, incomparabile, & ſupra fidem. Tua tamen pietas, SERENISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS, multo major & conſtantior, qui Aſiaticas opes poſſidens, nihil Aſiaticum TIBI licere putas, cives & clientes exemplo probitatis & continentiæ antecellis: caſtas preces apud Deum pollere, eas ſervare & cuſtodire Miraculum Veſtrum vis. Hæc itaque cogitationum mearum momenta nefas putavi a Marmoris memoria poſſe ſeparari. Marmor ſine præſidio Auguſtalis Sacerdotii edere, neque Tiberius ſi viveret, neque Romanus quiſquam, neque leges permittunt: Sacrarum enim rerum conditio eſt, quæ nullo tempore alienari poſſunt. Igitur cogor veniam præfationis precari, quod cibum hunc tanquam pridianum & ſemeſum, quem Tiberius quidem dicitur non improbaſſe, rurſus apponam REGIO PRINCIPI totiuſque Italiæ GENEROSISSIMO ET FELICISSIMO.

Nec tamen ignoras quid diſtent æra lupinis.

Itaque porrigo hunc cibum totus tremebundus tamquam Elephanto ſtipem: & ex voto, quod dudum ſuſcepi, projicio velatus ad Aram CLEMENTIÆ TUÆ inter immenſa & magnifica Etruriæ populi dona: quibus recenſendis cum non ſufficiant tabulæ, & ſolummodo conſpicua & majorum gentium vota adnotentur, meum inter cetera tamquam peregrinum & inconditum, neque dignum quod TANTI PRINCIPIS oculos feriat, cum turba deponitur, colligitur & abditur. Ad eas enim incitas adactus ſum, ut malim imprudens & temerarius a SERENITATE TUA notari, quam ingratus aut voti fidem fefelliſſe. Quod ſi levis hæc lucubratio ſub Ampliſſimum & Regale Palatium ſubrepit, peccavi exemplo: neque alius mihi animus erit, quam ſtipendia merenti nunc jam ſubituro vultum & nutum Imperatoris ſui, ut eum videat. In me nihil eſt, quod magnopere laudari poſſit: multo minus cum conſidero FORTUNAM ET ANIMUM REGIUM, qui fortunæ ſervitio utitur. Etenim cum ante tres annos Illuſtriſſimus & Benigniſſimus Muſagetes, Ille per terrarum orbem Medicearum Gazarum præco celeberrimus, populares & me aliquot dies honorifice circumduxiſſet: oſtendiſſetque Bibliothecam Regiam SERENISSIMI MAGNI DUCIS: neque alia jam reſtaret: e veſtigio corripit nos in aliam Palatii partem & intueri jubet Gazam SERENISSIMI FRANCISCI non Aſianam aut Attalicam; ſed Florentinam & Mediceam, hoc eſt,

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes operum comprendere formas,
Omnia vaſorum percurrere nomina poſſem,

Hinc attonitos comitari in Bibliothecam lectiſſimam, a paucis annis ornatam inſtructiſſimamque: mirabamur omnes copiam, ſplendorem & elegantiam bonorum librorum, ex quibus de Ipso Domino exemplum capere jubet, qui multifariam ſe cum libris abdit, ubi publica rerum negotia intercapedinem concedunt. Nec fando ſum, quo gaudio perfuſus fuerim, ubi vidi in Etruria ex tot millibus unum inveniri hominem, cujus ſola imago, quam ſinguli & univerſi Eruditiſſimi Viri ſuſpiciunt & venerantur, tanti habita ſit, ut inter Cubiculares Tuas Muſas colatur. Ita ante annos Pariſiis in Bibliotheca, cui parem vix tota Gallia habet, & quod magis lætor, præfectus erat Celeberrimus & Amiciſſimus τῷ πάνυ Florentini, memini vidiſſe in magnifica & nitidiſſima copia cum librorum tum manuſcriptorum unam dumtaxat litterati viri effigiem recipi & oſtentari: eo tamen felicior Etruria, quod proprium & ſuæ terræ Decus; Gallia peregrinum & e Germania Principem FERDINANDUM mihi lætabundo ante oculos ingeſſit. Denique non ego minus gratulor Muſis ob Serenissimum Franciscum quam frater propter Divinum Leopoldum: celſa Decora, Dei munere data & a ſæculis propagata Medicea Sidera & præſidia Doctorum. Lugduni in Batavis Cal. Juliis. CIↃIↃCLXXXVII.

SERENISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS

Humillimus atque Devotissimus Cliens

LAURENTIUS THEODORUS GRONOVIUS.

L E C T O R I S.



Irca idem tempus, quo reperta fuit hæc Tiberii Cæsaris Marmorea Basis, iter secundum habui in Italiam satis faustum. Aderant comites a Musis non alieni. Illic quum audivissem ab eruditis Viris multa de hoc Marmore: tandem & ipsi spectatum ivimus Neapolim, comparo mihi libellum Marmoris, qui ægre in aliis civitatibus prostabat: fero mecum Puteolos, ubi cum ipsa Marmorea Basi in foro Puteolano nunc delitescente contuli; verum nomina urbium aut statuarum conspicere mihi non contigit: nam moles Marmoris parumper siderat sub terra, nec sine vectibus levari propter giganteum pondus poterat: rectis oculis adspicio Inscriptionem, adverto AUGUSTALES non esse litteras æquas reliquis litteris, sed vegrandes & palmares: quæ multum mihi profuerunt, ut in alia omnia irem ab Antonio Bulifone: eo, redeo, circumeo, tango, manibus prehendo, numero statuas urbium, prorsus quasi Æneas aureum ramum invenisset: non Augustus magis lætari potuit, cum conditorium & corpus Alexandri Magni corona aurea & floribus aspersis veneratus est; non Divus Paulus, cum post naufragia Puteolos terram appulit: quam ego solide solidum gaudebam gaudium visa solida casca Marmorea hac Basi? Revertimur Neapolim: quodam die sedens in rheda Nobilissimi & Humanissimi Viri Josephi Vallette, incipiebam sermonem de hoc Commentatore: audiebam esse hominem sedulum, cujus voluntas magis laudanda, quam interior cognitio. Postea appellimus Florentiam multis votis petitam, meas delitias; offero cum summa officii comitate libellum Liberalissimo & de me erga me Meritissimo Mœcenati ANTONIO MAGLIABECQUIO: verum post festum veniebam, sero aderam, καὶ γλαῦκ᾽ εἰς Ἀθήνας: amabat tamen Patronus officium meum munusculum recusans: & in Italia aut in ullis Europæ partibus vix ullus liber bonus ut in lucem prodit, ut copiam sibi ejus facit etiam extenso pretio: nec ante Eximiam & Maximam Bibliothecam liber subit, quam omnes paginæ manus & maturam judicium Domini exercuerint, an dignus sit ut recipiatur. Speculabar tamen hunc libellum post ingentem novorum voluminum acervum, qui Palladem Tutelarem nondum aut parum placaverat, delitescere & protrahi: percussit illico animum, & ut mihi monstravit, ut deposuit, neque ullum verbum posthac de illo Commentatore facere voluit. Cum tamen ipsos dies nobis aderat ad imperandum, Florentiæ & in aliis Italiæ partibus quid præclarum, quid fugiendum, blando & comi simul sermone docens: quanto studio laborasti! ut Florentini dies Gloriosissimi & perpetuum nobis memorandi existerent! quanta cura observasti tempus! quo

> Maxumas opimitates gaudio effertissimas
> Meis Heris peperisti, Gnatoque & Patri;
> Adeo ut ætatem simus obnoxii,
> Tuo devincti beneficio.

Quam leniter feros nostros mores tulisti & emendasti? quam gravi & cordata oratione demonstrasti aliter vivendum in Italia, aliter in Germania. Quot ibi homines populares & Germanos vidimus, qui Consilio Tuo semper salubri & paterno parum auscultantes in Sphingem inciderunt. Est quidem hodie ita comparatum, ut nullus fere Transalpinorum Italiam adire optet TE Insalutato, & quasi Πρεσβύτην Cebetis audire & discere non aveat: multo tamen melius & utilius sese haberent: si quemadmodum oculos in TE videndo pavisse delectant: ita aures & mens eorum domum referret, quas Platonicas cœnas, nulli ingenuis artibus imbuto negatas, iis sponte apposueris: quibus leporibus fercula instruxeris: non enim vident iracundum & minacem coquum, cui canis cor abstulerat, uti est in fabula: sed lenissimum, candidissimum, & bene cordatum pectus, cui Libentiæ Gratiæque conviviorum percognitæ sunt: quod Principibus, Megistanibus & Amplissimis Viris multifariam promit cibum, animo corporique utilissimum, sive de propriæ sive de alienæ terræ bonis & studiis memorando. Verum de ipso Marmore quo casu & fortuna e latibulo detectum & protractum sit, melius referret Antonius Bulifon. Sane non alienum aut insolens hoc existimare quisquam potest, qui Italiam viderit, ante tres modo annos inventum fuisse. In prima peregrinatione anno hujus sæculi octogesimo, cum Florentiæ felix viverem & vigerem consiliis Patroni, quæ mihi postea defuerunt, reperiebatur extra Romam apud viam Flaminiam integra rupes lento & arduo labore cavata, in qua varia cadaverum conditoria; ipsam rupem intrasse & lustrasse me dein juvit. Admodum Venerandus & Amicissimus Senex Jo: Petrus Bellorius ὁ μακαρίτης notis publicavit & Sepulchrum Nasonianum appellavit. Anno rursus nonagesimo quarto cum Romæ inambularem, sicut mea fert consuetudo hospitalis, in compito quodam non longe a Palatio Cardinalis Medicei vidi colosseam columnam elegantissimam & politissimam variis coloris ruptam e terra, in qua multa sæcula delituerat, protrahi & abduci.


CAP.





Pag. 426.


TI·CAESARI·DIVI·
AVGVSTI. F. DIVI.
IVLI. N. AVGVSTO
PONTIF. MAXIMO. COS. IIII
IMP. VIII. TRIB. POTESTAT. XXXII
AVGVSTALES
RESPVBLICA.
RESTITVIT
1
THENIA FIORONXX.
2
MAGNESIA


3
PHILADELPHEA
4
TMOLVS
5
CYME


6
TEMNOS
7
CIBYRA
8
MYRINA
9
EPHESO
10
APOLLONIDEA
11
HYRCA
HYRCANIA


12
MOSTENE
13
E
AEGAEAE
14
H AESAREA
HIEROCAESAREA

Cap. I.

Dissertatio Antonii Bulifon Neapolitani ad antiquum Marmor inventum Puteolis.



INTER mirandas reliquias venerandæ Antiquitatis, quæ in hunc usque diem Puteolis inventæ fuerunt, & curiosis litteratisque ingeniis gratam materiem se exercendi umquam præbuerunt; omnino dignissimum existimatur præsens hoc Marmor, cujus historiæ ergo cum proposuerim aliquid pro tempore, qualecunque sit, tradere: æquum putavi prius narrare, quomodo inventum sit, & ad meam notitiam pervenerit.

Mense Decembri Anni MDCXCIII. quum quidam Fratres ex Domo Migliaresia juberent in ipsorum ædibus vetustæ civitatis Puteolorum fodere solum ad ædificandam cellam Olearium; indicatum fuit Eminentissimo Jacobo Cantelmo Archiepiscopo Neapolitano ibi fuisse detectum politissimum Marmor candidum multis statuis circumdatum. Et quoniam est Princeps cum Generosus & Pius; tum Eruditissimus Historiis Græcis & Latinis mirandum in modum, primus omnium proficiscitur Puteolos; multifariam dignatur oculis Marmor & statuas considerare, forte ut mitteret ad claros viros in variis terrarum partibus Eruditissimum Commentarium.

Cujus rei ergo celebrabatur illa inventio. Studio motus continuo me transfero Puteolos, & ut observavi hanc Memoriam esse ex vestigiis Antiquitatis, omnino dignam longo examine; sic quia vidi illud Marmor & multas statuas terra & calce incrustatas circa vestimenta, curavi omni diligentia tollere crustam, ut subtiliter ab omni parte considerarem.

Adeo ut cum dixisem operario laboranti, num aliæ Memoriæ istiusmodi fuisent detectæ; is ostendendo basim columnæ quadratam, palmorum 4 ½. operis compositi, & ejus eximiæ formæ quam Vignola nominat Cottigurgo, mihi retulerit ibi etiam esse inventam: & insimul aliud grande marmor detectum iri, nisi sumptus paucorum Philippeorum dominum inhibuisset: hanc rem non sine ægritudine intellexi.

Igitur a tam memorando fragmento Antiquitatis incitatus volui post illuc reverti, & mecum ducens celebrem pictorem Jacobum Padum curavi ut omni subtilitate formam Marmoris & statuarum exprimeret. Eaque sine mora perlata ad Eminentissimum Archiepiscopum, cum eodem placuit remeare Puteolos, & inventa omnem in partem perfecta non parum nobilissimo Domino placuit. Quæ forma ut simul posset cum hac Disertatione publicari in gratiam SERENITATIS VESTRÆ REVERENDISSIMÆ & illorum studiosorum, quibus ejus historiam illustrare placuerit, itidem curavi eam cælari ab celebri Teresa Pada Sorore Jacobi ejusdem, & hoc est, quod hic observatur.

Hoc Marmor apparet habere figuram, quam Mathematici vocant parallelam bipedem, longum palmos septem, latum palmos 4. & uncias 7 ½. Altitudo est eadem latitudini.

A parte adversa continet hanc Inscriptionem,

TI. CÆSARI. DIVI
AVGVSTI. F. DIVI
IVLI. N. AVGVSTO
PONTIF. MAXIMO. COS. IIII.
IMP. VIII. TRIB. POTESTAT. XXXII.
AVGVSTALES
RESPVBLICA
RESTITVIT

Ita est; ab adversa parte exhibet hanc elegantissimam, incorruptam aut nulli in hac terra visam Inscriptionem, cum lineis supradictis super litteras numerales, quales observare est & in aliis Inscriptionibus æqualibus; & duas civitates non tres: ab aversa parte sex; a singulis lateribus tres; unde colliguntur quattuordecim: & ita probatur fides Phlegontis Tralliani in foro Romano fuisse positam hanc statuam, ut quæ ab omnibus partibus oculis hominum pateret & circumiretur.

Hoc saxum esse Basim Colossi, moles, forma, Inscriptio & urbium imagines satis evincunt. Plinius lib. XXXIV. cap. IV. *Et jam omnium municipiorum foris statuæ ornamentum esse cœpere, prorogarique memoria hominum, & honores legendi ævo basibus inscribi; ne in sepulchris tantum legerentur.*

Optandum foret, ut Italus ille Commentator in optimæ & incomparabilis Inscriptionis atque historiæ hujus momenta ita inquisivisset, ut sola Latina versione operæ ejus desungi potuissem. Verum nec Patrono meo nec civibus satisfecit. Interim dum moliuntur Neapolitani opus dignum Marone & deliberant, ut & ab hac parte Alpium extet vel potius multiplicetur recens memoria hujus Thesauri ære dignissimi recudere mollius spirans tentavi, certe voto volui. Est enim Marmor ipsum omni antiquitate, auctoritate & arte suspiciendum; ad quod nullus in terrarum orbe liber manuscriptus comparari potest: habemus quidem Auctores priscos, sed non a prima manu & mutilos. Hoc Marmor, præfiscine dixerim, est a prima manu, nec ullum dubitandi aut fallendi signum præ se fert, quo usque conspicuum est.

Sic lectorem felicem videam! exemplum industriæ spero me habiturum circa civitatem Marmoris primam & decimam, quas utrum invita an favente Minerva revocaverim, penes eumdem arbitrium erit.

CAP. II.

Cujus ſtatuæ Baſis ſit Marmor examinatur; Scaligeri opinio in nummo Tiberii Cæſaris improbatur; Interpretis ad nummos Crojanos admittitur: Coloſſus qualis ſtatua? Meurſii ſupini errores: Vera Triſtani obſervatio de Coloſſo. Templum Veneris ubi fuerit, & quid hodie eſt?



EX Diſſertatione Antonii Bulifon intelligimus eſſe Marmor politiſſimum, quemadmodum revera eſt, porrectum in fronte & tergo palmos ſeptem, in lateribus palmos quattuor & uncias 7 ½. Altitudinem æquari ab latitudine. Unde liquet non eſſe baſim ſtatuæ pedeſtris, quæ ſemper eſt quadrata: longitudo etiam debebat eſſe major, ſi credere poſſem eſſe baſim ſtatuæ equeſtris. Quid ergo reſtat? nempe ut ſit baſis ſtatuæ ſedentis: huic longitudo & latitudo aptiſſima eſt; qualem fuiſſe Jovem Capitolinum probat RycKius *de Capitolio* cap. XIX. Jovem Olympius Strabo ut mox patebit. Idemque lib. XIII. pag. 601. Πολλὰ δὲ τῶν ἀρχαίων τῆς Ἀθηνᾶς ξοάνων καθήμενα δείκνυται, καθάπερ ἐν Φωκαίᾳ, Μασσαλίᾳ, Ῥώμῃ, Χίῳ, καὶ ἄλλαις πλείοσιν: *Multæ vero veterum Minervæ Statuæ ſedentes oſtenduntur, quemadmodum Phocææ, Maſſiliæ, Romæ, Chii, & aliis pluribus.* Suetonius de Orbilio cap. IX. *Grammat. Statua Beneventi oſtenditur in Capitolio ad ſiniſtrum latus marmorea habitu ſedentis ac palliati appoſitis duobus ſcriniis.*

" Joſephus Scaliger in *Notis ad Euſebium*: Phlegon, Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Γραμματικὸς ἱστορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Νέρωνος σεισμὸν γεγενῆσθαι, καὶ πολλὰς καὶ ὀνομαστὰς πόλεις τῆς Ἀσίας ἄρδην ἀφανισθῆναι, ἃς ὕστερον ὁ Τιβέριος οἰκείᾳ δαπάνῃ πάλιν ἀνώρθωσεν, ἀνθ' ὧν κολοσσόν τε αὐτῷ κατασκευάσαντες ἀνέθεσαν παρὰ τῷ τῆς Ἀφροδίτης, ὅ ἐστιν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ, καὶ τῶν πόλεων ἑκάστης ἐφεξῆς ἀνδριάντας παρέστησαν. Adde ad illuſtrationem horum verborum Abrahami Gorlæi noſtri nummum argenteum, in cujus ſuperficie vultus Tiberii, in altera effigies Aſiæ muliebri ſpecie ſedens cum his litteris, CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. In cujus nummi una ſuperficie Veſta inſidere ſiliquaſtro dextra pateram, ſiniſtra haſtam tenens, quod eſt ſymbolum terræ ſtantis, quemadmodum Neptunus concuſsæ, &c. Sic illuſtris ille Vir. Sed auctor commentariorum ad nummos Crojanos, ſive ille ſit Hemelarius, ſive Rubenius ad tabulam XVII. n. 12. Tiberii CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS, ait, Tiberius ſellæ inſidens cum patera. Putem eſse ſtatuam Tiberio poſitam ob civitates Aſiæ reſtitutas: de qua forte Phlegon *de Mirab.* cap. XIII. *Apollonius Grammaticus narrat Tiberii Neronis ætate terræ motum fuiſſe, quo multa ac celebres Aſiæ urbes funditus deletæ ſunt: quas deinde Tiberius ſuo ſumptu reſtauravit: propter quod beneficium Aſiani coloſſum ei confecerunt ac poſuerunt in foro Romano prope fanum Veneris.* Ergo hic diſsentit a Scaligero. Et ſane non pauca nec parva ſunt, cur nec ipſe Celeberrimo iſti Heroi aſsentire poſſim. Immo, ut puto, ipſe Scaliger videtur corrigere velle priorem ſuam opinionem de effigie Aſiæ: quam quidem omiſit delere: ſed ex ſubjunctis ſatis apparet mens Viri ſummi de Veſta: quem multi ſequuntur. Primo enim non videtur effigies Aſiæ, quæ ſæpius turrito capite ſculpitur, uti in iiſdem Crojanis nummis tab. XLI. num. 24. Secundo etiam non eſt effigies muliebri ſpecie, ſed virili. Præterea Veſtæ caput ſolet eſse velatum, quum hujus caput ſit nudum & laureatum, quo ornamenti genere, quum ex dignitate Imperatoria videretur; tum ſingularem in Tiberio cauſam adſignat Suetonius cap. LXIX. *Turbatiore cælo numquam non coronam lauream geſtavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.* Dextra tenet pateram, id eſt, donat & largitur aliquid, quemadmodum ſacrificantes & ſtando & ſedendo facere ſolent. Aſiæ civitates nihil Tiberio dederunt, ſed Tiberius Aſiæ civitatibus, nempe & nummos in reſtitutionem & in quinquennium tributi remiſſionem. Tacitus lib. II. *Annal.* cap. XLVII. Dio Caſſius lib. LVII. pag. 614. καὶ χρήματα πολλὰ μὲν ἐκ τῶν φόρων ἀνείθη, πολλὰ δὲ καὶ παρὰ τοῦ Τιβερίου ἐδόθη. Formatur ſedens ad exemplum patris ejus, quem ſic conſtituit num. 22. tabulæ XVI. AVGVSTO. DEO. & Hadrianus libertatem ſedens in throno inſtaurat cum ſcabello ſub pedibus: uti hic Tiberius apud eoſdem tab. XXXVIII. num. II. LIBERTAS. RESTITVTA. Unde pedibus eo in ſententiam interpretis eorum doctiſſimi, ut credam hoc Marmor Parium eſse baſim ſtatuæ Tiberii ſedentis, quam Phlegon κολοσσὸν nominat; nam & coloſsea baſis eſt, & ex uno lapide.

Coloſsus eſt ſtatua ſtans & ſedens, modo ſit vaſta & vegrandis. Heſychius quidem ſcribit: Κολοσσοί, ἀγάλματα ὑπερμεγέθη, ἀνδριάντες. Verum ſic nihil definit, ut nec alii viri docti de coloſſo ſcribentes. Tiberius coloſseus fuit, & ſedens, qualis Jupiter Olympius Phidiæ. Strabo lib. VIII. pag. 353. quem Joſephus quoque coloſsum vocat lib. I. cap. XVI. *Bell. Jud.* de templo Herodis, ἐν δὲ αὐτῷ κολοσσὸς Καίσαρος, οὐκ ἀποδέων τοῦ Ὀλυμπίασι Διός, ᾧ καὶ προσείκασται. *In eo* (templo) *Coloſſus Cæſaris, non minor quam Jovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus eſt.* Plinius lib. XXXIV cap. VII. *Fecit & quadrigas bigaſque, & Cliduchon eximia forma: & Virtutem & Græciam utraſque coloſſeas.* Nummus autem elegantiſſimus Virtutis ſedentis profertur a Seguino inter Selecta Numiſmata Imperatorum XXI. Et qualis apud Plinium lib. XXXVI cap v. Scopæ Mars adhuc ejus tempore ſedens coloſseus in templo Bruti Callaici, cui adæquatam fere magnitudinem hujus ſtatuæ ſupponi oportet ex loquutione Phlegontis coloſſus agnoſcentis, & moneta nummorum ſedentem exhibentium, & forſan ad ſimile inſtar in Achate Regio, infra conſecratum Auguſtum Tiberius imperans coloſseus ſedet, non aliter ac ſi hanc formam paulo gratius amaviſset. Inter ſtatuas Romanas editur Marmoreus celebris coloſsus in hortis Cardinalis Cæſii Romæ ſedentis in baſi, cui Dacia capta & mœrens cum tropæis circumdatur, dextra tenentis lauream coronam ſignum victoriæ; ſiniſtra ſceptrum aut parazonium. Quod autem in nummo Tiberii non additur baſis ſtatuæ non poteſt labefactare affirmationem meam: quia in multis & pleriſque ſtatuis equeſtribus rariſſime apud nummos

additur basis, quæ tamen semper suam basim habuerunt.

Venia dignus sum, Benigne Lector, si nimis longo sermone morer tua tempora, & ne putes fabulis aut ἱστορίᾳ κατεψευσμένῃ te avocari, uti soli Meursio ad Phlegontem contra fidem Auctoris fingere & scribere in Celeberrima hac civitate omnis eruditionis & veritatis nutrice libuit; operæ precium faciam, si implorem studium linguæ Græcæ Latinæque, rogemque quo nomine pergrande illud saxum appelles, quam colossi: Nam exstare nunc Puteolis, & vidisse mecum Henricum Kayser, inscriptionemque contulisse, libenter appello fidem amici mei fidissimique comitis inpræsentiarum in hac urbe studiorum causa morantis; multorumque Neapolitanorum & doctorum hominum. Huic saxo adstant quattuordecim Asiæ civitates, non aliæ quam quas Tiberius post terræ motus restituit, ut multi Veteres tradiderunt. Hinc apud Antiquarios tres nummi circumferuntur, qui affirmationi nostræ fidem faciunt, duo cum Tribunicia potestate. TI. CAESAR. DIVI. AUG. F. AUGUST. P. M. TR. P. XXI. SC. tum alter, TI. CAESAR. DIVI. AUG. F. AUGUST. P. M. TR. POT. XXIIII. SC. ab altera parte CIVITATIBUS. ASIAE. RESTITUTIS. Tertium vides in initio capitis. His lubet subtexere supervacaneas notas Joannis Meursii *ad Phlegontem*. “Ut de terræ motu verum est, ita de colosso isto, statuisque etiam urbium nemo Veterum, qui historiam nobis tradunt, mentionem ullam facit. Itaque inter falsa habendum; & recte ab Apollonio positum in eo Opere, cui titulus περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας fecerat. Quid admiserit Meursius in titulo hoc mutando judice Gerardo Joanne Vossio apud eum videri potest *de Historicis Græcis*. Ego pro viribus sequar Vossium, & periculum faciam in colosso, statuisque urbium: an inter falsa habendus sit. Ratio Meursii indigna Viro docto: *nemo Veterum de colosso isto mentionem facit, inter falsa habendum*. Ohe quam paucos Veterum habemus, plus dimidia parte periit. Quod Meursius ex ipso Phlegonte discere potuit, cujus in primo Opere initium deest, in secundo finis. Sed mediusfidius miror diligentiam Meursii, qui hoc de Veteribus dicit, & versionem Xylandri pravam, quam tractabat, tam negligenter contra mentem Auctoris, indeque tot Antiquarios falsos ipse fieri coegit, omisit. Verba Phlegontis sunt: Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Γραμματικὸς ἱστορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Νέρωνος σεισμὸν γεγενῆσθαι, καὶ πολλὰς καὶ ὀνομαστὰς πόλεις τῆς Ἀσίας ἄρδην ἀφανισθῆναι. ἃς ὕστερον ὁ Τιβέριος οἰκείᾳ δαπάνῃ πάλιν ἀνώρθωσεν. ἀνθ᾽ ὧν κολοσσόν τε αὐτῷ κατασκευάσαντες ἀνέθεσαν παρὰ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ, ὅ ἐστιν ἐν τῇ Ρωμαίων ἀγορᾷ, καὶ τῶν πόλεων ἑκάστης ἀνδριάντας παρέστησαν. *Apollonius Grammaticus narrat, Tiberii Neronis ætate terræ motum fuisse, quo multæ ac celebres Asiæ urbes funditus deletæ sunt, quas deinde Tiberius suosumptu instauravit. Propter quod beneficium Asiani colossum ei confecerunt, ac posuerunt in foro Romano pone fanum Veneris, & singularum deinceps urbium statuas subjunxerunt*. Queritur Meursius de silentio Veterum: queratur potius de penuria & nostra inertia. Quam vellem modo sanos & integros Veteres, quorum fragmenta nunc restant, habere. Interpres Crojanorum nummerorum, Tristanus & alii huic infidæ versioni inhærent. Digna res, quam paulo altius repetam. Κατασκευάσαντες ἀνέθεσαν, &c. καὶ τῶν πόλεων ἑκάστης: Loquitur Apollonius in feminino genere de πόλεσι τῆς Ἀσίας. addit κατασκευάσαντες, &c. τῶν πόλεων ἑκάστης ἀνδρ. παρες. Ubi in Græco textu *Asiani*? Si Asiani colossum posuissent, dixisset Apollonius κατασκευάσασαι, &c. καὶ τῶν πόλεων (αὐτῶν) ἐφ. ἀνδρ. παρ. Neque credendum est Asianos post tam deplorandam urbium stragem adeo nummis abundasse, ut colosso Romano impenderent, & si impendissent, erexissent in Asia, non in Europa. Dumtaxat Apollonius hoc non dicit: sed potius Romæ Romanos erexisse ex antiqua reipublicæ consuetudine, cujus species sub Tiberio manebat, quemadmodum multe Statuæ, Arcus, Columnæ Romæ positæ a non aliis, nisi a Romanis censentur ob rem fortiter gestam: certe ipsis viginti tribus annis, quibus Tiberius regnavit, nihil magnificentius aut illustrius fecit, quam civitates Asiæ sublevasse.

Καὶ τῶν πόλεων ἑκάστης ἐφεξῆς ἀνδριάντας παρέστησαν) *& singularum deinceps urbium statuas subjunxerunt*: cur non ἐφεξῆς *ordine* aut *continua serie*. παρέστησαν *subjunxerunt*: melius *prope stiterunt*: quemadmodum verum est & apertis oculis videmus in hac Marmorea Basi: solus Tiberius sedebat: statuæ urbium non sedebant, jacebant, aut genu flectebant, sed stabant. hoc dicit Phlegon, & Marmorea Basis probat.

Tristanus ad nummum Tiberii CIVITATIBVS. ASIÆ. RESTITVTIS. tom. I. pag. 162.

“C'est icy la representation du Colosse fait par les villes de l'Asie en l'honneur de Tibere, pour reconnoissance du restablissement qu'il leur aida à faire, après qu'elles furent renversées par un tremblement de terre au nombre de douze, comme Strabon livre XIII. & Plinius livre II. Chapitre LXXXIII. le remarquent, & en suite Paterculus en ces mots, *fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna munificentia vindica*: RESTITVTÆ *urbes Asiæ*. Suetone aussi chap. XLVIII. Quant à l'erection de ce Colosse Phlegon Trallianus, & par consequent de ces cartiers là, se servant du temoignage du Grammairien Apollonius, rapporte que ces peuples d'Asie rendirent à ce Prince cette marque de leur reconnoissance, & qu'il fut dressè derriere le Temple de Venus. Je croy, à cause que cette Deesse estoit la protectrice de la maisons de Cesars & famille Julienne, en laquelle Auguste l'avoit adoptè; & de plus, qu'ils y adjousterent des Statues, representans les villes restablies par sa liberalitè. Je sçay bien que Meursius, dont l'authoritè est de grand poids, censure cette remarque de Phlegon: Mais cette medaille qui represente sans doute Tibere (comme je voy que Goltzius, Vicus & Nonnius l'ont aussi estimè) certainement me semble donner une entiere confirmation de ce qu'en a dit cèt Autheur: lequel estant affranchy d'Hadrian, & vivant à Rome, eust peu refuter l'opinion de son grand, s'il eust veu le contraire. Et ce qui semble confirmer que c'est la figure de Tibere en cette medaille; voire mesme colossique, est qu'il n'a pas estè figurè en la forme ordinaire, le Senat ayant ordonnè qu'on fist battre cette sorte de monnoye pour honorer Tibere, & laisser la memoire à la posteritè de sa liberalitè: Car encore que Tibere fust grand œconome, si avoit-il cela, que par intervalle il paroissoit liberal & honorable, *Instaurabat & adornabat ruinosa ædificia priorum conditorum nominibus inscriptis. Civitatibus & privatis hominibus opem ferebat*, ce dit Zonare, qui semble avoir eu devant les yeux cette Histoire du retablissement de ces villes, quand il a escrit cecy.

Ego etsi utraque manu amplectar & applaudam Observationi Viri Amplissimi, de Colosso: tamen hæc nollem dicta; *fait par les villes d'Asie*. Item; *du temoignage du Grammairien Apollonius, rapporte que ces peuples d'Asie rendirent à ce Prince cette marque de leur reconnoissance*. Deceptus Vir Amplissimus infida versione Xylandri. Nam Apollonius hoc non dicit, uti paulo superius demonstravi. Item, *par*

un tremblement de terre au nombre de douze, comme Strabo livre XIII. Strabo meminit terræ motus & trium tantum urbium, non duodecim. Optandum foret Strabonem numerum urbium definivisse.

Templum Veneris Genetricis magnificum, ante cujus fores hic Colossus erectus erat, factum fuit a C. Julio Cæsare, avo Tiberii: cujus cognomine Tiberius delectabatur DIVI. IVLI. N. in foro suo, quod *περικαλλέστερον τῆς Ῥωμαίας* a Dione perhibetur, & continuum foro Romano. Proinde locus splendidissimus, exornatus multis statuis, etiam equestri inaurata ipsius Cæsaris Dictatoris; ut nihil plebejum aut vulgare de hoc Colosso existimemus, quippe magnificentiam loci non violaturo per fabricam levem. E regione in foro Romano Arcus Triumphalis Tiberii Cæsaris, cujus Tacitus meminit lib. II. *Annal.* cap. XLI. Eheu, ut vertunt res humanæ! quam fragiles & caducæ! quotiens gemebundus in foro templum Veneris quæsivi. Hodie est casa tignarii cujusdam quotidiano quæstu viventis una & altera columna superstite,

O domus antiqua! quam dispari dominaris domino!

Basilicum nihil habet, nisi valvas; quod margaritis, auro & argento olim apud sæculum prius nitebat; nunc tabulis, tignis & cremiis impletur. Hanc rerum vicissitudinem in nulla urbis Romæ regione luculentius cernere est, quam in hoc foro Julii Cæsaris, in hoc templo Veneris Genitricis.

CAP. III.

Tiberii versipellis fallaces mores.

NON mores Tiberii Cæsaris Marmoream hanc Basim refellere aut suspectam facere possunt, quos fuisse varios & mutabiles ab auctoribus traditur; quasi prohibuisset statuam sibi poni publicam. Suetonius cap. XXVI. *Templa, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit; etiam statuas aut imagines, nisi permittente se poni; permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra Deorum sed inter ornamenta ædium ponerentur.* Dio lib. LVII. pag. 607. Ταῦτα τε οὖν δημοτικῶς διῴκει. Καὶ ὅτι οὔτε τέμενισμα αὐτῷ οὐχ ὅπως αὐθαίρετον, ἀλλ' οὐδ' ἄλλως τότε ἐτεμενίσθη. οὔτε εἰκόνα ἐξ οὖν αὐτοῦ οὐδενὶς στῆσαι, ἄντικρος γὰρ παραχρῆμα ἀπηγόρευσε μήτε πόλει μήτ' ἰδιώτῃ τοῦτο ποιεῖν. προσέθηκε μὲν γὰρ τῇ ἀπορρήσει ὅτι, Αν μὴ ἐγὼ ἐπιτρέψω. προσεπεῖπε δὲ ὅτι, Οὐκ ἐπιτρέψω: *Hæc quidem populariter persequitur. Et quod neque templum ei ne quidem voluntate, sed neque aliter tunc consecratum est. neque effigiem ejus sistere licebat. Palam enim statim edixit, ne civitas neque privatus id faceret. Adjecit quidem edicto, nisi permisero. Prædixerat vero non permittam.* Ubi recte addit Dio τότε *tunc*. Nam Tiberius mutavit affectus. Ipse Tacitus refert templum & statuam Tiberio positam fuisse IV. *Annal.* XV. de condemnatione Lucilii Capitonis Asiæ Præsidis; *Ob quam ultionem & quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiæ urbes templum Tiberio, matrique ejus ac Senatui. Et permissum statuere*, hoc est, anno nono Tiberii juxta Tacitum: cum marmoreus colossus erectus sit sexto decimo. Sed & sine templo sola statua occurrit, & quidem, ut videtur, non in larario, nec inter simulacra Deorum habita in eodem libro cap. LXIV. *Quando cunctis circum flagrantibus, sola Tiberii effigies, sita in domo Junii Senatoris inviolata mansisset.*

CAP. IV.

Civitates Asiæ a Tiberio restitutæ sunt quattuordecim, non pauciores, non plures. Reprehenduntur Tursellinus & Tristanus. Laudatur Mediobarbus; Harduinus refellitur. Latini terræ motum dicunt pro terræ motus: Uti Græci σεισμὸν, pro σεισμοὺς, & σεισμοὺς pro σεισμόν.

NUMERUS urbium a Tiberio sublevatarum, qui in hunc usque diem varius & parum constans etiam ab Eruditissimis viris refertur, sic genium meum propitium habeam, certum & firmum ex Marmorea hac Basi probabo: quod ut recte atque ordine procedat, visum est verba quorundam recitare. Torrentius *ad Suetonii Tiberium* c. XLVIII. " *Disjectis terræ motu civitatibus* (Eo Plin. lib. II. " cap. LXXXIV, duodecim civitates prostratas scri" bit. Eusebius in *Chronicis* XIII. Josephus Scali" ger in *Notis ad Eusebium* ad vocem *Tredecim*) " *Duodecim* Corn. Tacitus. Item Plinius *maximus* " *terræ memoria mortalium exstitit motus Tiberii* " *Cæsaris principatu* XII. *urbibus una nocte prostra*" *tis*. Item Solinus cap. XLIII. & L. Seneca *Nat.* " *Quæst.* VI. Prologo. *Quatuordecim* Nicephorus " Calistus Horatius Tursellinus l. IV. *Epitome Hist.* " Duodecim Asiæ urbibus, in quibus Ephesus fuit, " nocturno terræ motu collapsis ex ærario subven" tum, & tributa in quinquennium remissa. Inter illas XII. Asiæ civitates nullus auctor Ephesum numeravit; Sed quicunque XII. urbes tantum numerat, non addit Ephesum. Tristanus Tom. II. " p. 400. Temnus ayant esté du nombre des 15. vil" les de l'Ionie qui furent ruinées par un tremble" ment de terre sous Tibere, & reparée par luy, " comme Tacite le remarque en son second livre de " ses Annales, & Nicephore l. I. chap. XVII. Ve" nerandus Amicus meus ubi tractat nummum Ti" berii. Nummus præter Auctores celebrat col" lapsas terræ motu septem Asiæ urbes a Tiberio " erectas & restitutas. Antonius Bulifon Latine " versus p. 25. Immo si integra nomina statuarum " legi posent, fortase certa determinare liceret, " quantæ & quales urbes oppresæ sint: utrum " duodecim secundum Tacitum; an XIII. secun" dum Nicephorum: nam circa tempus sufficiet " Tacitus: qui in consulatu Rufi & Flacci vel an" no Urbis Conditæ 770. vult evenise. In ipsa forma Marmoris videtur numerare quindecim; dum primam & unam urbem dividit in duas: quod in hac imagine emendavi. Ego priusquam aliquid decens eloquar: distinguam inter urbes collapsas & restitutas, non in numero; nam is constans fuit semper, & colliguntur quattuordecim, sed in tempore: quod & luculentius in capite proximo probaturus sum. Laconice hic itaque dico juxta Senecam, Plinium, Tacitum, Solinum & Eusebium pag. 338. duodecim civitates, quarum nomina manifesta & clara ad Marmor ipsum tradam, afflictas fuisse una nocte in consulatu Lucii Pomponii Flacci & Caii Cæcilii Rufi; Et sunt hæ duodecim urbes sine Epheso; in consulatu sequenti concutitur Ephesus, & ita fiunt tredecim; Eusebius pag. 76. & pag. 201. Hieronymi versio p. 152. Verum hoc præfiscine liceat dixisse: in illis locis, ubi Eusebius loquitur de *Tredecim*, nunc numerantur quattuordecim contra mentem Eusebii & numerum; qui error inde oritur, quod Illustrissimus Josephus Scaliger obscuro exemplari & corrupto usus sit; quem errorem etiam sequenti capite digito monstrabo & lectoris arbitrio subjiciam. In illis ergo tribus locis Eusebii additur Ephesus, quæ est tertia decima urbs: & probat Marmorea Basis. Hæc quæ præfatus sum, egregie juvantur nummo Tiberii apud Illustrissimum Comitem Mediobarbum, cu-

A jus arduam industriam in colligendis veteribus Nummis, tunc cum Mediolani morarer, mirabar: oculisque meis visam æterna memoria grati animi prosequor. TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. P. XXI. S. C. ab altera parte CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. Quam vellem Doctissimum Harduinum, cui itidem multum debeo propter officia mihi Parisiis præstita, diligentius attendisse ad dictum nummum, quem & ipse probat e Cimelio Regio & Museo Soc. J. ubi
" post Taciti locum addit: Ephesum his adjungit
" Eusebius in *Chronicis* nummique Ephesiorum
" confirmant, quos suo loco afferemus, Contigisse
" id Tacitus narrat anno Tiberii principatus quar-
" to. Dein pag. 164. pergit: ΕΦΕΣΙΩΝ. ΡΝ. M.
B " Aurelii nummus apud Patinum pag. 241. cum
" cervi effigie; nunc est Gazæ regiæ: *Εφεσίων ρν'*,
" hoc est, anno CL. nempe post restitutam, quæ
" terræ motu collapsa erat, Ephesiorum civitatem;
" quod cum anno Urbis Romæ DCCLXIX. Tiberii
" quarto, Cælio Rufo, Pomponio Flacco Coss.
" contigisse, Tacito ita prodente, in nummo CI-
" VITATIBVS ASIAE RESTITVTIS dixeri-
" mus, annus hic erit Urbis DCCCCXVIII. M. Au-
" relii sextus. Muto imprudentiam tanti viri. Nam Tacitus ne *γρὺ* quidem de Epheso, aut de terræ motu Ephesi, aut restitutione; meminit solummodo duodecim urbium, qua enumerat II. *Annal.* XLVII. & hoc contigit Cælio Rufo & Pomp. Flacco Coss. Neque Eusebius hoc de Epheso dicit, nisi
C in consulatu proximo, Tiberio III. Germanico II. Coss. & si annos illos multiplicasset ad Tribuniciam potestatem XXI. grandiores errores in calculo suo observasset. Nam Tiberius incipit Tribuniciam potestatem XXI. Coss. M. Junio Silano L. Norbano Coss. uti recte ostendit Illustrissimus Comes. Certe Harduinus immane quantum fallitur, dum Tacitum de Epheso allegat, aut Eusebium quasi diceret eodem anno cecidisse Ephesum, quo duodecim urbes. Sed quæramus post illas duodecim urbes & Ephesum, quænam sit quarta decima? Cibyra, unde probatur? ex Marmorea Basi & Tacito; hæc in Consulatu C. Asinii & C. Antistii cecidit, Tribunicia potestate XXIV. vel XXV. Utique & hanc Ti-
D berius restituit. Nihil ergo asperum aut illaudatum Auctores habent, qui legunt duodecim urbes Asiæ, in Consulatu Cælii Rufi & Pomponii Flacci, aut qui tredecim in Consulatu Tiberii III. & Germanici II. Item Callistus, qui quattuordecim, hoc est, omnes, quas Tiberius restituit: abuititurque singulari *σεισμῷ* pro *σεισμοῖς*, exemplo Phlegontis Tralliani & Eusebii. Sic e contrario Strabo de terræ motu Magnesiæ *κ) ταύτlω δ' ἐκάκωσαν οἱ νεωςὶ γενόμενοι σεισμοί*. Cum is unus sit terræ motus nocturnus. Faciam operæ pretium, ut hoc caput exemplis illustrem: est enim hoc pomum discordiæ ubique fere a Doctissimis Viris sparsum, desperatum, & conclamatum. Si Cato dicat: Romanos
E anno Urbis Conditæ ducentesimo quadragesimo quarto Latium subegisse; Sallustius: Populum Rom. Italiam domuisse. Cicero: totum orbem terrarum nostro imperio teneri: *Pro Balbo* c. VI. Lucas cap. II. *Εγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένlω.* Nemo audebit dicere Ciceronem aut Lucam dissentire Sallustio. Sic Strabo memorat lib. IX. p. 420. Concilium Amphictyonum fuisse duodecim Græciæ civitatium. Pausanias vero lib. X. inquit triginta civitates convenisse. Aut Suetonius cum

A scribit de duodecim Cæsaribus, an ideo de reliquis sequentibus dubitabimus. Plane eadem ratio.

C A P V.

Quando evenerint hi terræ motus? Eusebius tentatur & illustratur cum Hieronymo. Josephus Scaliger sæpe notatur; semel Torrentius. Calvisius & Cuspinianus reprehenduntur, nec non Paulus Orosius, Cæsar Baronius, Fronto Ducæus & Franciscus Angelonus: probantur Justus Lipsius & Libertus Fromondus.

B TERRÆ motus, quo duodecim celebres Asiæ urbes pessumdabantur, contigit, uti jam dixi, C. Cæcilio Rufo & Pomponio Flacco Coss. Tacitus II. *Ann.* XLVII. *Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes conlapsæ nocturno motu terræ, quo improvisior graviorque pestis fuit: neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant.* Dio Cassius lib. LVII. pag. 614. de iisdem Consulibus. *Κὰκ τούτου καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ρωμαίων ἐγένετο, καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη. ταῖς τε ἐν Ασίᾳ πόλεσι ταῖς ὑπὸ τοῦ σεισμοῦ κακωθείσαις ἀνὴρ ἐστρατηγηκὼς σὺν πέντε ῥαβδούχοις προσετάχθη. καὶ χρήματα πολλὰ μὲν ἐκ τῶν φόρων ἀφείθη, πολλὰ δὲ καὶ παρὰ Τιβερίου ἐδόθη.* Inspi-
C ciamus nunc Eusebium, de quo Cuspinianus mo-
" net hoc loco; Quod ideo scribo, quia caute le-
" gendus est Eusebius, & a me semper desideratur
" integritas codicis. Lubet horum verborum Cuspiniani exempla dare tribus quattuorve locis materiæ nostræ convenientibus. Apud Eusebium pag. 338. ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ, quæ quoniam eamdem historiam tradit, quam habemus apud Tacitum & Dionem Cassium, visum est mihi eam primo loco ex Eusebio ponere.

ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ ΡϚΘ

Α *Τιβέριος Αρχέλαον τῆς Καππαδοκῶν βασιλείας κα-*
D *τέπαυσε, καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν Ρωμαίων ἐπαρχία γενομένη ἱππεῖ ἐπετράπη. Γερμανικὸς Καῖσαρ κατὰ Χερούσκων ἐθριάμβευσε. Κατὰ τὴν Κελτικlὼ Γερμανικὸς τοὺς βαρβάρους κατὰ τὸ καρτερὸν νικήσας, τάπ' ὅσα τῶν σὺν τῷ Οὐάρῳ πεσόντων συνέλεξέ τε καὶ ἔθαψε καὶ τὰ στρατιωτικὰ ἀνεκτήσατο.*
Β *Δώδεκα πόλεις κατὰ τlὼ Ασίαν κατεβλήθησαν.*
Γ
Δ
Hic locus sanabitur, si illud B marginale ponatur inferius. Nam primo anno Olympiadis centesimæ nonagesimæ nonæ ceciderunt, non secundo, duodecim Asiæ civitates: & fuit idem annus, quo Cappadocia provincia facta est; & triumphus Germa-
E nici Cæsaris de Cheruscis, uti Tacitus & Dio probatissimi Auctores tradiderunt. Vari ossa condita & signa militaria recepta Dio ad eumdem annum refert.

Eusebius sine Consulibus pag. 76. ΧΡΟΝΙΚΩΝ ΛΟΓΩ ΠΡΩΤΩ.

Ρωμαίων ἐβασίλευσεν γ̄. ΤΙΒΕΡΙΟΣ *ἔτη κβ̄.*
Τῆς μικρᾶς Ασίας σεισμῷ ιγ. πόλεις κατεπτώθησαν Εφεσος, Μαγνησία, Σάρδεις, Μοσίνη, Αἰγαὶ, Ιεροκαισάρεια, Φιλαδέλφεια, Τμῶλος, Τίμος, Μυρίνα, Κύμη, Απολλωνία, Δία, Υρκανία.

Idem pag. 201. ΧΡΟΝΙΚΩ ΚΑΝΟΝΙ

ΤΙΒΕΡΙΟΥ	ΧΡΙΣΤΟΥ
Α	Ις ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Γ. ΝΟΡΒΑΝΟΣ
Β	ΙΖ ΣΙΣΕΝΝΑΣ ΣΤΑΤΙΛΙΟΣ. Λ. ΣΚΡΙΒΩΝΙΟΣ
ΟΛΥΜΠ. ΡϚΘ	ΙΗ Λ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ. Γ. ΚΑΙΚΙΛΙΟΣ
Δ	ΙΘ ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ

Τῆς μικρᾶς Ἀσίας σεισμῷ ιγ. πόλεις κατεπτώθησαν Ἔφεσος, Μαγνησία, Σάρδεις, Μοςίνη, Αἰγαὶ, Ἱεροκαισάρεια, Φιλαδέλφεια, Τμῶλος, Τῆμος, Μυρίνα, Κύμη, Ἀπολλώνια, Δία, Υρκανία. Dicit Eusebius his duobus locis *Tredecim Urbes*, & numerantur quattuordecim: de quibus mox videbi- A mus Josephum Scaligerum. Ceterum hoc loco demonstrat Eusebius Ephesum percussam fuisse Consulibus Tiberio Cæsare III. Germanico II. Cum reliquæ ceciderint anno priore Consulibus L. Pomponio C. Cæcilio.

Hieronymi versio apud Eusebium pag. 157.

ANNO

TIBERII	CHRISTI	
I	XV	Cajus Asinius Gallus Orator Asinii Pollionis filius, cujus etiam Virgilius meminit, diris a Tiberio suppliciis enecatur.
II	XVI	
III	XVII	
Olymp. CXCIX. IV	XVIII	Livius Historicus moritur. Ovidius Poeta in exilio diem obiit & juxta oppidum Tomos sepelitur. Germanicus Cæsar de Parthis triumphat.
V	XIX	

" Tredecim urbes terræ motu ceciderunt Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Æge, Hierocæsarea,
" Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cyme, Myrina, Apollonia, Dia, Hyrcania.

Si vera est hæc Chronologia Hieronymi, non admodum dissentit ab Eusebio in anno, quo tredecim civitates Asiæ lapsæ sunt. Nam Hieronymus præcipit & inchoat annum primum Tiberii anno Christi XV. quem Eusebius habet anno Christi XVI. Adeo ut si Tiberii annus primus incidat in annum Christi XV. juxta Hieronymum, urbes tredecim recte cecidisse memorentur anno quinto Tiberii: Sin autem annus Christi XVI. Tiberiani imperii primus statuetur juxta Eusebium, ad annum quartum Tiberii clades tredecim urbium referri debeat. Hoc initium Tiberii quo anno Christi inter Chronologos cœperit, non est meum componere. Ceterum non satisfacit Celeberrimus Scaliger in Animadversionibus ad vocem *Tredecim*) " Iisdem Consulibus, " quibus Germanicus de Chattis triumphavit. Ita- " que biennii metachronismus committitur. Pace manium liceat dixisse, iisdem Consulibus, quibus Germanicus triumphavit, ceciderunt duodecim urbes, non tredecim. Ephesus proximo anno juxta Eusebium pag. 201. & hæc explet numerum, ut sint tredecim. Proinde quoniam Hieronymus nominat tredecim urbes; quarum quartus annus Tiberii juxta Eusebium fuit, quum ruina integra consummata fuit, non biennii metachronismus committitur, sed unius anni; si sit metachronismus commissus, qui tamen juxta calculum Hieronymi non est commissus.

" Pergit ὁ πάνυ Tredecim) *Duodecim* Corn. Ta- " citus. Item Plinius: *maximus terræ memoria* " *mortalium exstitit motus Tiberii Cæsaris principa-* " *tu* XII. *urbibus Asiæ una nocte prostratis*. Item " Solinus c. XLIII. & L. Seneca *Nat. Quæst.* VI. " Prologo. *Quatuordecim*. Nicephorus Callistus. Ita est, non tamen valde dissentiunt hi Auctores: nam confundunt tres terræ motus: primus rapuit duodecim urbes, secundus adjecit Ephesum, tertius Cibyram; & ita numerantur quattuordecim. Fuerunt etiam plures terræ motus sub Tiberio: sed hi tres pertinent ad Asiæ civitates RESTITUTAS.

Præterea cladem tredecim urbium refert Hieronymus ad annum Olympiadis centesimæ nonagesimæ nonæ secundum, quem eumdem habet cum Eusebio pag. 201. quantum hic distat a biennii metachronismo?

" Pergit ὁ πάνυ Dia Hyrcania) Farrago Chronici " ex Bibliotheca Regis hæc verba Græca citans " non habet Δια. Aut Dia separatim legendum, & " ita XIV. urbes erunt, non XIII. Aut Dia Hyr- " cania conjunctim. Nam ego Diam urbem nuspi- " am reperio in illo tractu Asiæ, quum tamen Ni- B " cephorus Callistus Diam seorsim ponat. Sin au- " tem, ego puto male Hyrcaniam a Mosthenis di- " stingui. Mostheni cognomine Hyrcani erant non " solum in illo tractu sed inter illas urbes, quæ ter- " ræ motu corruerint. Tacitus: quique Mostheni " aut Macedones Hyrcani vocantur. Stephanus: " ἔςι δὲ καὶ Υρκάνιον πεδίον τῆς Λυδίας. Omnino Μο- " σθηνοὶ Υρκανοὶ conjungenda erant. Sed hæc in " medio discutienda relinquimus. Quartam deci- " mam urbem Cibyram ponit Nicephorus Calli- " stus. Nihilo melius Lipsius ad Tacitum, qui ut tredecim civitates Eusebio daret, Δια ejicit. Video ergo in manuscripto Bibliothecæ Regiæ *Dia* non exstare, & Diam urbem nuspiam a Doctissimo Viro repertam in illo tractu Asiæ. Credo equidem: C neque Μοσθηνοὶ Υρκανοὶ conjungenda, etsi *omnino* Scaliger hoc affirmet: sed neque separatim *Mostheni*, *Hyrcani*, sed sine aspiratione *Mosteni*, *Hyrcani*, quemadmodum Ortelius & alii observarunt. Ex *Apollonia Dia* apud Eusebium, Hieronymum & Nicephorum Callistum emendo *Apollonidea*: ad singulas urbes dabitur ratio optimarum harum emendationum.

Apud Eusebium pag. 387. ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ.

MMXXX.	ΤΙΒΕΡΙΟΣ ἔτη κγ. Ἐπὶ τούτου Γάϊος
MMXXX.	Ἀσίνιος Γάλλος παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώ-
D MMXXXV.	μενος πολλὰ μὲν δεινὰ προπαθὼν ἀπεσφάγη. καὶ δὴ καὶ Ἀρχέλαος Καππαδοκῶν βασιλεὺς ὑπὸ Τιβερίου ἀπέθανε. Κἀκ τούτου καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν Ῥωμαίων ἐγένετο, καὶ ἱππεῖ ἐπετράπη, ταῖς τε ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεσι ταῖς ὑπὸ τοῦ σεισμοῦ κακωθείσαις ἀνὴρ ἐςρατηγηκὼς σὺν
MMXXXIX.	πέντε ῥαβδούχοις προσετάχθη, καὶ χρήματα πολλὰ μὲν ἐκ τῶν φόρων ἀνείθη, πολλὰ δὲ καὶ παρὰ Τιβερίου ἐδόθη. καὶ Δροῦσος ὁ παῖς αὐτοῦ φαρμάκῳ διώλετο, τοῦ Σηϊανοῦ φάρμακόν τι αὐτῷ διά τε τῶν ἐν τῇ θεραπείᾳ αὐτοῦ ὄντων, καὶ διὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λιουίλλας δεδωκότος.

E Hic Tiberius incipit regnare anno ab Abrahamo MMXXX. quinque annos post dicitur mortuus Asinius Gallus MMXXXV. Quod quantum a veritate distet, vide Scaligeri Animadversiones. Ad Asiæ civitates collocatur numerus MMXXXIX. quum debuisset MMXXXII. si duodecim urbes intelligat. Nam historia de Archelao, Cappadocia & viro prætorio cum

quinque lictoribus misso ad Asiæ civitates apud Dionem Cassium lib. LVII. pag. 614. non tantum eadem, sed & eodem modo, iisdem verbis memoratur. Qui verba Dionis describit, etiam eumdem annum, eosdem Consules sequutus existimari cum Dione debet. Si tredecim urbes censet, ponendus est MMXXXIII. Si quattuordecim urbes, quot etiam fuerunt, rectus est numerus MMXXXIX. quo anno Drusus extinguitur.

Ex his locis Eusebii alii Viri insignes lapsi sunt. Nam Torrentius *ad Suetonii Tiberium* cap. XLVIII. " *Disjectis terræ motu civitatibus*. Eo Plinius lib. II. cap. LXXXIV. duodecim civitates prostratas scribit. Eusebius in *Chronicis* XIII. Confundit Vir Amplissimus duos terræ motus sub Tiberio: quorum unus duodecim civitates evertit: quem confirmat Eusebius pag. 338. Δώδεκα πόλεις: alter Ephesum, cujus itidem meminit Eusebius pag. 201. Ceterum multo imprudentius accuratissimus alias Calvisius in *Chronologia* ad annum Christi XVII. C. " Cælio Rufo L. Pomponio Coss. Asia ingenti terræ motu concutitur, quo duodecim urbes insignes collapsæ sunt (tredecim habet Eusebius) Ephesus, Magnesia, Sardes, Mosthene, Ægæ, Hierocæsarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cumæ, Myrina, Apollonia, Hyrcania. Has omnes, ut instaurarentur, multa pecunia sublevavit. Tacitus II. *Annal.* XLVII. Memoria Calvisii vacillat. Nam Tacitus hoc non tradit de Epheso, sed Eusebius. Immo Eusebius, ubi Ephesum memorat, refert terræ motum ad proximos Consules Tiberium III. & Germanicum II. uti pag. 201. videre est. Insulsius Cuspinianus ad annum Tiberii tertium: L. Pomponio C. Cæcilio Coss. *eodem anno* (inquit Tacitus) *duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ nocturno motu terræ, quo improvisior graviorque pestis fuit*, &c. Vide igitur, studiose Lector, quomodo hæc conveniant cum Eusebio in *Chronicis*, qui quinto anno Tiberii describit hunc terræ motum, uti ex omnibus locis Eusebii aperte liquet, sed solus Hieronymus. Falsissime Paulus Orosius lib. VII. cap. III. qui vult in morte REDEMPTORIS: cui respondet Lipsius in *Notis ad Tacitum* II. *Annal.* XLVII. " Bonum Orosium quam fugit ratio, qui hunc tremorem terræ ad tempus refert mortui nostri Servatoris? quod nos quidem scimus totis quatuordecim annis posterius fuisse. Scilicet egebant hoc fuco sacræ Litteræ! Orosium tamen sequitur Fronto Ducæus ad Nicephorum Callistum. *Terræ motus sub Tiberio existimatur is esse, qui in passione Christi accidit*. Audiendus & Libertus Fromondus ad Senecæ *Natur. Quæst.* VI. I. " Hanc urbium duodecim ruinam Orosius & post eum non satis cogitate Cæsar Baronius ad tempus refert Christi Domini patientis. Calculus enim est facilis: nam in III. annum Tiberii Tacito testante hic terræ motus incidit, cum Christus postea circa annum ejus XVIII. passus sit. Franciscus Angelonus: Souvenne le città dell' Asia da impetuosi terre moti gravemente dannificate, e ne restò la memoria in medaglia, che dall'un lato mostra la figura Togata di Tiberio sedente sù la sede curule senza corona in capo, tiene nella destra la patera, & appoggia la sinistra ad un' hasta con lettere. CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS, ha nel rovescio S. C. con tali note: TI. CAES. D. F. AUG. P. M. TR. POT. XXIII. ma così fatte lettere non si vanno replicando nel disegno, stimandosi soverchio. Si crede, che li Terremoti, e danni suddetti auvenissero in tempo della crucifissione del Salvatore GIESU CHRISTO seguita con permissione del Padre Eterno a fine di redimere dal peccato di Adamo il genere humano; e nell' anno decimo nono dell' Imperio di Tiberio. Quam arduum est semel conceptam opinionem ex animis hominum evellere! videt hic Angelonus Senatusconsulti auctoritatem, litteras publicas monstrantes factum & annum: nempe Tiberii TRIBUNICIA POTESTATE XXIIII. CIVITATES ASIAE RESTITVTAS post terræ motus & clades supradictas. Operæ pretium est mentem advertere ad verba ære fixa. Tiberii Cæsaris, ut jam dixi, Tribunicia potestate XIX. terræ motus duodecim Asiæ urbes adflixit, alter annus Ephesum adsociavit: TRIBVNICIA POTESTATE XXIIII. Cibyra tangitur: hæ sunt quattuordecim civitates Asiæ a Tiberio Cæsare restitutæ post asperrimos terræ tremores. De Cibyra verus & omni exceptione gravior Tacitus refert C. Asinio, C. Antistio Coss. hoc est, TRIBVNICIA POTESTATE XXIIII. Certe eo tempore Tiberium Asiæ civitates restituisse post terræ hiatus etsi Angelonus videatur dubitare, nemo sanus negare potest, qui rationem habet rerum gestarum & temporum, quibus hæc evenerunt: ne dicam publica monumenta nummorum tam levia æstimare, ut ne quidem cum auctoribus bonis conferre dignetur. Levitas viri inde paret, quod non erubuerit " scribere: creditur terræ motus & clades supradictas evenisse in morte Salvatoris JESU CHRISTI, quod quidem duobus lustris posterius est, contra nummos, contra auctores priscos, contra Monumenta publica. Denique hoc quod instar agamus, & attendamus quæso ad Marmoream hanc Basim omnibus testibus potiorem: quam si Baronio, Ducæo, & Angelono vidisse contigisset, nullus dubito, quin tanti viri rationem hujus habuissent. Nunc utar felicitate secundæ peregrinationis & otii, quam ex hac Marmorea Basi percepi, in qua tripudians legi. TIBERIO. &c. COS. IIII. TRIB. POTESTAT. XXXII. Uti recte edidit Antonius Bulifon. Cum Christus passus sit post Tiberii quintum consulatum, Tribunicia potestate XXXIIII. Manifestius argumentum antiquitatis in rerum natura dari non potest, & cui nullus Auctor obtrectare aut minuere gravitatem valet. Immo quicunque Auctor non consentit Marmoreæ Basi, elleborum bibat & scribat Anticyræ.

C A P. VI.

Auctores, qui memoriam hujus miseriæ reliquerunt, in quibus Strabo suppletur. Orosius emendatur.

NE Eusebiana verba in vanum iteremus: Seneca lib. VI. *Natur. Quæst.* cap. I. *Asia duodecim urbes simul perdidit. Anno priore Achajam & Macedoniam, quæcumque est ista vis mali quæ incurrit; nunc Campaniam læsit*. Vellejus lib. II. cap. CXXVI. *Fortuita non civium tantummodo sed urbium damna Principis munificentia vindicat. Restitutæ Asiæ urbes*. Strabo lib. XII. circa finem pag. 579. καὶ τὰ περὶ Σίπυλον δὲ καὶ (hanc enim copulam restituo ex prioribus editionibus & Ms. Florentino, quem contuli, omissam nescio quare ab magno Isaaco) τὴν ἀνατροπὴν αὐτοῦ, μῦθον οὐδὲ τίθεσθαι. καὶ γὰρ νῦν τὴν Μαγνησίαν τὴν ὑπ' αὐτῷ κατέβαλον σεισμοί. ἡνίκα καὶ Σάρδεις καὶ τῶν ἄλλων τὰς ἐπιφανεστάτας κατὰ πολλὰ μέρη διελυμήνατο (hic delibero an non scribendum sit, διελυμήναντο) ἐπηνώρθωσε δὲ ὁ Ἡγεμὼν χρήματα ἐπιδοὺς, καθάπερ καὶ πρότερον ἐπὶ τῆς γενομένης συμφορᾶς Τραλλιανοῖς, ἡνίκα τὸ γυμνάσιον καὶ ἄλλα μέρη συνέπεσεν, ὁ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ τούτοις καὶ Λαοδικεῦσιν: *Sed neque ea pro fabulis habenda sunt, quæ de Sipylo & subversione ejus dicuntur. Nam & nostra ætate tremores terræ Magnesiam dejecerunt: quando & Sardes & aliæ nobilissimæ urbes ab iisdem sunt gravissime adflictæ multis partibus. Imperator tamen*

instauravit pecuniam largitus: quod beneficii ante etiam Trallianis præstiterat pater ejus cum eorum corruisset gymnasium: itemque Laodicensibus. Idem lib. XIII. pag. 621. Οὐκ ἄπωθεν ἢ τούτων τῆς πόλεων οὐδ' ἡ Μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη. καὶ ταύτην δ' ἐκάκωσαν οἱ νεωστὶ γενόμενοι σεισμοί: *Non procul ab his urbibus Magnesia abest quæ sub Sipylo, a Romanis libera judicata. Hanc etiam læserunt terræ motus nuper facti.* Eodem libro pag. 627. Ἀναληφθεῖσα δ' ἀξιολόγως ὕστερον διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας ἡ πόλις καὶ οὐδεμιᾶς λειπομένη τῶν ἀστυγειτόνων, νεωστὶ ὑπὸ σεισμῶν ἀπέβαλε πολλὰ τῶν κατοικιῶν. ἡ δὲ Τιβερίου πρόνοια τοῦ καθ' ἡμᾶς ἡγεμόνος, καὶ ταύτην καὶ τῶν ἄλλων συχνὰς ἀνέλαβε τῇ εὐεργεσίᾳ, ὅσαι περὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἐκοινώνησαν τοῦ αὐτοῦ πάθους: *Urbs hæc deinde ob virtutem soli præclare refecta, ut nulli vicinarum gloria cederet, nuper magnam domiciliorum partem terræ motibus amisit. Tiberii autem Cæsaris, qui nostra ætate rerum potitur, providentia & hanc & complures alias beneficiis reparavit, eodem tempore eadem calamitate adflictas.* Eodem libro pag. 628. Μετὰ δὲ Λυδοὺς εἰσὶ οἱ Μυσοὶ, καὶ πόλις Φιλαδέλφεια σεισμῶν πλήρης. οὐ γὰρ διαλείπουσιν οἱ τοῖχοι διϊστάμενοι, καὶ ἄλλοτ' ἄλλο μέρος τῆς πόλεως κακοπαθοῦν: *Post Lydos sunt Mysi, & urbs Philadelphia crebris vexata terræ motibus: numquam enim desinunt muri ruinam minari, alia atque alia urbis parte labefactata.* Plinius lib. II. *Natur. Hist.* cap. LXXXIV. *Maximus terræ memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis.* Solinus cap. XLIII. *Nusquam autem toto orbe tam assiduos terræ motus & tam crebras urbium demersiones, quam in Asia esse, cladibus Asiaticis patuit, cum Tiberio principe urbes duodecim simul una ruina ceciderint.* Tacitus lib. II. *Annal.* cap. XLVII. *Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes conlapsæ nocturno motu terræ, quo improvisior graviorque pestis fuit, neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant.* Suetonius *Tib.* c. XLVIII. *Ne provincias quidem ulla liberalitate sublevavit, excepta Asia, disjectis terræ motu civitatibus.* Dio Cassius lib. LVII. pag. 614. Κἀκ τούτου καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο, καὶ ἱππεῖ ἐπετράπετο. ταῖς τε ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεσι ταῖς ὑπὸ τοῦ σεισμοῦ κακωθείσαις ἀνὴρ ἐστρατηγηκὼς σὺν πέντε ῥαβδούχοις προσετάχθη. καὶ χρήματα πολλὰ μὲν ἐκ τῶν φόρων ἀνείθη, πολλὰ δὲ καὶ παρὰ τοῦ Τιβερίου ἐδόθη: *Ac deinde Cappadocia quoque Romanorum juris effecta, equitique regenda data. Urbibus Asiæ terræ motu concussis, prætorius vir cum quinque lictoribus præfectus, multa ex tributis pecunia remissa, multa a Tiberio donata.* Phlegon Trallianus *de rebus mirab.* cap. XIII. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Γραμματικὸς ἱστορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Νέρωνος σεισμὸν γεγενῆσθαι, καὶ πολλὰς καὶ ὀνομαστὰς πόλεις τῆς Ἀσίας ἄρδην ἀφανισθῆναι, ἃς ὕστερον ὁ Τιβέριος οἰκείᾳ δαπάνῃ πάλιν ἀνώρθωσεν. ἀνθ' ὧν Κολοσσόν τε αὐτῷ κατασκευάσαντες ἀνέθεσαν παρὰ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ, ὅ ἐστιν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ, καὶ τῶν πόλεων ἑκάστης ἐφεξῆς ἀνδριάντας παρέστησαν. *Apollonius Grammaticus narrat Tiberii Neronis ætate terræ motum fuisse, quo multæ ac celebres Asiæ urbes funditus deletæ sunt, quas deinde Tiberius suo sumptu instauravit, propter quod beneficium ei colossum confecerunt, ac collocarunt in foro Romano, prope fanum Veneris, & singularum urbium statuas apposuerunt.* Orosius lib. VII. cap. III. *Sane Asiæ civitates illo terræ motu dirutas tributo dimisso propria etiam libertate* (lego *liberalitate*) *donavit.* Nicephorus Callistus lib. I. cap. XVII. ἐφ' οὗ καὶ δεκατέσσαρες πόλεις τῆς Μικρᾶς Ἀσίας σεισμῷ πεσεῖν ἱστοροῦνται: *sub quo* (Tiberio) *& quattuordecim civitates Minoris Asiæ terræ motu cecidisse memorantur.*

CAP. VII.

AUGUSTI *cognomen post imperium recepit Tiberius: non ante.* PATRIS PATRIÆ *semper recusavit Jo. Fred. Gronovii Observatio de origine & significatione* AUGUSTI.

AUGUSTO) Nunc aggredi libet verba Inscriptionis, quæ quoniam clara & manifesta sunt omnia, animum advertere oportet cum Jurisconsulto Marcello l. X. D. *de probat. Census & monumenta publica potiora testibus esse.* Adeo ut pura & sancta servanda sint ad quæ tamquam ad lapidem Lydium Auctores perpendamus, examinemus & subjiciamus. AUGUSTI titulum Tiberius cunctanter assumpsit: nec solum hic exstat, sed etiam in aliis Inscriptionibus & nummis post adeptum imperium cusis. Suetonius tamen cap. XXVII. *Ac ne AUGUSTI quidem nomen quanquam hereditarium, ullis nisi ad reges ac dynastas epistolis addidit.* Dio Cassius lib. LVII. Pag. 607. Καὶ τὸ τοῦ ΑΥΓΟΥϹΤΟΥ οὐκ ἐπέθετο μέν (οὐδὲ γὰρ ψηφισθῆναί ποτε εἴασε) λεγόμενον δ' ἀκούων, καὶ γραφόμενον ἀναγινώσκων ἔφερε: καὶ ὁσάκις γε βασιλεῦσί τισιν ἐπέστελλε καὶ ἐκεῖνο προσενέγραφε: *AUGUSTI nomen non quidem usurpabat (neque enim id sibi umquam decerni concessit) audiens tamen aut scriptum legens ferebat: & quotiens ad reges litteras dedit & id adjecit.* Itaque quum hæc titulorum pars, ut admissa paulatim ab eo fuit, sic etiam ab hoc Marmore confirmatur: tum quod hic etiam omittitur, magis perseveravit Tiberius in recusando cognomine PATRIS PATRIAE. Qui titulus nec hic nec in ponte Ariminensi est, uti αὐτόπτης testor. Hoc ut probem, allego Tacitum, Suetonium, Dionem Cassium tres insignes Auctores quasi e tripode respondisse de Tiberio abnuente se PATREM PATRIAE. Tacitus I. *Annal.* cap. LXXII. *Nomen* PATRIS PATRIAE *Tiberius a populo sæpius ingestum repudiavit* Suetonius cap. XXVI. *Cognomenque* PATRIS PATRIAE *& civicam in vestibulo coronam recusavit.* cap. LXVII. *Ideoque ut imperium inierit &* PATRIS PATRIAE *appellationem & ne in acta sua juraretur obstinatissime recusasse: ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur.* Dio Cassius lib. LVII. pag. 607. Τό τε τοῦ ΠΑΤΡΟϹ ΤΗϹ ΠΑΤΡΙΔΟϹ πρόσρημα παντελῶς διεώσατο: PATRIS PATRIÆ *cognomen omnino recusavit.* Non debeo hoc caput absolvere sine gratia & memoria Parentis, cujus institutioni cum a teneris assueverim & conscius sim ejus industriæ studiique inexhausti, nisi cum alterum pedem quasi in sepulcho haberet: & quia variæ opiniones etiam in præsentiarum de hac voce audiuntur, tum etiam ut hoc σχόλιον purum putum ipsius manu exeat: putavi gratum & acceptum fore, si hic locus ab luculentissimis ejus vigiliis coronida acciperet. Dumtaxat quisquis cognoscat, quæ ipse meditatus pro suo haberi & agnosci velit.

In vocabulo Augustus cæcutire vulgus quid miri est, & majorum nostrorum, qui arma magis quam glossemata didicerant, Germanicam interpretationem pertinaciter tueri, cum & literas professi homines, tam vili tritico, ut ait Plautus, lolio victitare non desinant? Quorum Jos. Scaliger in *Conjectaneis*, „ *Crusta a corio*, inquit, quasi *corusta*: ut a *fide fidustum*, ab *ango angustum*, *augeo augustum*, *unco uncustum*, *verbustum* a *veru*. Chr. Becmannus: „ Ab *augeo* fit *augustus*, sane ἀναλόγως, ut ab *ango angustus*. Just. Reinh. Robbigius mirifice: quoniam is demum *auctus* & locupletior factus est, „ qui ab obligatione liberatus l. *Si pupilli* LXVI. in fin. *de solut. & liberat.* Principes demum Romani non sine præsigni omine & festivitate *Augusti* „ ab Augusto appellati sunt, quod legibus soluti imperant. nam & *Augustus* ab *augendo* dictus

ctus & quod *omni potestate auctus*. Hæreo ea in Ovidio I. *Fast.* canenti:

Sancta vocant augusta patres, augusta vocamus
Templa, sacerdotum rite sacrata manu.
Hujus & augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Juppiter auget ope.

Et Tullio I. *Philipp.* Antonium ad regiam majestatem adspirantem adloquenti: *Nisi sic gubernes, ut cives tui te ament, non potes esse clarus, & omni potestate auctus.* Ut *omni potestate auctus* tandem *Augusti* nomen definiat, ut cui & in quem populus Ro. imperium suum & potestatem concesserit: sic ille Robigal. VI. cap. III. Matt. Martinio vel ab αὐγὴ splendor, αὐγάζω splendeo, vel ab *augeo*, & *augustus* sit, qui honoribus auctus, dignus veneratione, majestate plenus. Alii *augere* inculcant verbum esse sacrorum, ut *immolare*, *mactare*, *adolere*, & eandem prorsus, quam ista, vim habere: cum mola salsa respergebatur hostia & sacrabatur, tum *augeri* dictum: sic Suetonio, *augeri hostias*, & Lapidi antiquo *donum dare augereque*: quoniam igitur hostiæ cum respergerentur mola salsa, consecrabantur seu sacræ fierent; hinc *Augustum* sacrum sanctumque & quasi consecratum esse; ideo id tributum Imperatori, ut major homine proindeque σεβαστός, hoc est, veneratione & adoratione dignus censeretur. Quis non abhorreat omen? aut quam gratiam habuisset princeps ab ea superstitione animi non alienus, imponens sibi nomen ab hostiis mola salsa tactis & jam jam percutiendis? Quasi sit velut infulæ in destinatam morti victimam congerebantur. Et tamen origo hujus inventi manat ab Is. Casaubono, qui ad Suetonii, *ab auctu*, Vel ominis boni gratia, inquit, vel, ut ait Dio, ὡς καὶ πλεῖόν τι, ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν. nam *augere* verbum erat sacrorum, &c. Videntur sic agere doctissimi viri, quasi hoc vocabulum in principe illo primum fictum formatumque fuerit; non, quum esset commune, atque in aliis rebus usitaretur, ei esset accommodatum additumque cum sua sibi significatione quam a multis jam sæculis obtinebat. Ego vero ita censeo progrediendum *Avicuros* dixit ultima vetustas ab avibus cudis, qui ex forma, motu, cantu avium præsagirent: Ut *Viocuros*, genus minorum magistratuum, qui curam viarum gererent. Ex *Avicurus* contractum fecerunt *Augur*, inde *augurium*. Neque enim hinc incipiendum est, ut *augurium* sit quasi *avigerium* vel *avigarrium*, ut viri eximii volunt, etsi Festus iis præiverit: *Augur ab avibus gerendoque dictus quia per eum avium gestus edicitur: sive ab avium garritu, unde & augurium.* Quod Meursius confirmat scilicet loco Prisciani lib. I. ubi antiquos *auges* & *augeratus* dixisse scribit, hæc nauci non sunt. Quis enim gestus avium? aut quæ aves gesticulantur? *Augur* ab avibus curandis, ut ab avibus speciendis vel spectandis *Auspex*. Ab *augur augustus*, ut a *robur robustus*, *angor angustus*, *arbor arbustum*, *honor honestus*, *onus onustus*, *Ligur Ligustus*, quod quidem in usu non est, sed tamen ex eo natum *Ligusticus*. Atque ut *robustus* & *corroboratus* in certis generibus idem, sic *augustus* & *inauguratus* idem. Quare antiquitus vox ea locis sacris & deorum cultui dicatis usurpata est. Non dedicabantur enim, nisi pro superstitione gentili consultis avibus, an diis ea grata sedes futura esset. Per aves, quasi cœlo propiores voluntatem suam cœlestes hominibus aperire miseri credebant. Cicero pro domo sua: *Senatus in loco augusto consecratam eam aram tollendam ex auctoritate pontificum censuit.* Eadem de re loquens paullo ante; *cumque Licinia virgo Vestalis aram sub saxo sacro dedicavisset.* Hic *saxum sacrum*, deinde *locum augustum* dixit. Liv. I. *de nat. Deor.* cap. XLI. *Omitto illam Eleusina sanctam, illam & augustam,*

A *Ubi initiantur gentes terrarum ultimæ.*

Sic enim scribendum, non *Eleusinam*. Livius lib. XXXVIII. *Transgressi Mæandrum ad Hierancomen pervenerunt. Fanum tibi augustum Apollinis & oraculum.* Idem lib. XLV. *Utrum nos, hospites Samothraces, vere accepimus an falso, sacram hanc insulam & augusti totam atque inviolati soli esse?* Virgilius in IV. *Georgicon* de alveari apum loquens: *Si quando sedem augustam.* Ubi Servius: *Proprie augustum tectum est augurio consecratum; abusive nobile, majestatis plenum.* Idem in septimo *Æneidos*: *augusta ad mœnia regis.* Et rursus Servius: *augurio consecrata. Hinc paullo post illud est, Tectum augustum. Et nisi in augusto loco consilium senatus habere non poterat.* Festus, *Augustus locus, sanctus, ab*
B *avium gestu, id est, quia ab avibus significatus est, sic dictus; sive ab avium gustatu; quia aves pastæ id ratum fecere.* in MS. vidi, *qui ab avibus sanctificatus est.* De avium gestu & gustatu fabulæ & allusiones inanes. Hoc proprium est hujus verbi domicilium: hinc ad alias res personasque transfertur. Cicero lib. II. *de Legibus*: *Quid igitur aget Iacchus Eumolpidæque nostri & augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus.* Idem *De haruspicum responsis. Id semper populo Romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est.* De sacri-
C ficio quodam loquitur. Livius lib. I. *habitum formamque viri aliquantum ampliorem augustioremque humana intuens.* Quemadmodum Florus: *visum a se Romulum affirmans augustiore forma, quam fuisset.* Ovidius sexta *Metamorphosi*.

Bis sex cœlestes medio Jove sedibus altis
Augusta gravitate sedent.

Et lib. XI. de Hercule in cœlum recepto:

majorque videri
Cœpit & augusta fieri gravitate verendus.

Iterum Cicero lib. II. *de nat. Deor. quem majores nostri auguste sancteque consecraverunt.* Et ejusdem operis lib. III. *hos deos, quos augustæ omnes*
D *sancteque veneramur.* Neque alio sensu id cognomen Octaviano tributum: non enim, quod auctus esset sive potestate sive qualiter hostiæ; nam ut augeret imperium, quod cogitare ipse vetuit successores suos: sed tanquam qui esset fieretque eo etiam nomine sacratus, sanctus, dicatus, sacrosanctus, Θεῖόν τι. Ideo Græci Augustum dixere Σεβαστόν, quasi ἅγιον, προσκυνητόν, non Αὐξητόν, Αὐξητικόν, Αὔξιμον, ut potuissent, si ab *augeo* id verbi quæsitum credidissent. Sed & consentit in eo recte explicando vetustas omnis. Dio lib. LIII. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῷ ἔργῳ αὐτὰ ἐπετέλεσεν, οὕτω δὴ καὶ τὸ τοῦ
E Αὐγούστου ὄνομα καὶ παρὰ τῆς βουλῆς καὶ παρὰ τοῦ δήμου ἐπέθετο. Βουληθέντων γὰρ σφῶν ἰδίως πως αὐτὸν προσειπεῖν, καὶ τῶν μέν, τό, τῶν δέ, τὸ καὶ εἰσηγουμένων καὶ αἱρουμένων· ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ρωμύλος ὀνομασθῆναι· αἰσθόμενος δέ, ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκέτ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο· ἀλλὰ Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, Αὔγουστα προσαγορεύεται. ἐξ οὗπερ καὶ σεβαστὸν αὐτὸν οἱ ἑλληνίζοντές πως, ὥσπερ τινὰ σεπτόν, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι προσεῖπον. Pausanias lib. III. τὸ δὲ ὄνομα εἶναι τοῦτο Αὔγουστος, ὃ κατὰ γλῶτταν δύναται τὴν Ἑλλήνων Σεβαστός. Ovidius lib. I. *Fastorum*, allocutus Ger-
F manicum:

Et tuus Augusto nomine dictus avus.
Perlege dispositas annosa per atria ceras:
Contigerunt nulli nomina tanta viro.

Quum deinde Africanos, Isauricos, Creticos, Numidicos, &c. commemorasset,

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic socium summo cum Jove nomen habet.

Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Hæc sana & indubitata, quæ sufficere verum quærenti debent. Quod subjicit Ovidius:

Hujus & augurium descendit origine verbi,
Et quodcumque sua Juppiter auget ope.
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos.

belle quidem & festive canitur, sed in parte laborat. nam *Augurium* fateor & *Augustus* communem habent originem *Augur* & *Avis*: sed *augeo ab αὔξω, αὐξαίνω, αὐξέω* deduci quis ignorat? Itaque frustra captatur hic versiculus: ubi tamen non dicitur *Augustus* trahi ab *Augendo*, sed *augustus* & *augere* principio ab eodem manare. Suetonius *Octavio* cap. VII. *Postea C. Cæsaris & deinde Augusti cognomen assumpsit, alterum testamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci sententia: quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis, prævaluisset, ut Augustus vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa & in quibus augurio aliquid consecratur augusta dicantur, ab auctu vel avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens:*

Augusto augurio postquam inclita condita Roma est.

Præclare & hic, præterquam ubi, *ab auctu vel avium gestu gustuve:* quibus ego voculis lumbifragium aut spongiam decernerem lubens nimis, nisi exstarent in omnibus libris, & passim condonaremus etiam doctissimis Romanorum, quæ suorum in vocabulorum etymis infeliciter sunt moliti. Sed ad eas notandum nihil aliud est quam Λῆροι λῆροι, & Neniæ non Grammaticæ, sed omnino ἀγράμματοι. Quam vanum aucupari Dionis πλεῖόν τι, tanquam id *auctum* significaret, cum ipse statim aliam & certam rationem edat, quod *augusta* Romanis sint *ἱερώτατα*? Quam leve autem *augere* esse verbum sacrorum, quia *hostias augeri* Suetonius dixit? Quid si *addi, multiplicari, cumulari*, dixisset, eane essent omnia verba sacrorum? nam nihil aliud vult quam plures cædi, & usque ad litationem. Neque acutius hoc colligitur ex ara Narbonensi: *Si quis huic aræ donum dare augereque volet, liceto*. Definitæ enim erant solennes & legitimæ statis diebus singulæ: *tres equites Romani a plebe & tres libertini hostias singulas immolent*. Ideo dein permittitur augeri donum, si cujus liberalitati libuerit. Quod sicubi *augere victimis deos* legimus, non video, quare aliter hic positum id verbum putem quam quum apud Tacitum lego, *augeri aliquem pecunia* aut *largitione*. *Mactus* autem & *mactare* & *magmentum* ab eadem origine esse nemo mihi facile persuadebit: neque *mactus* dici ex *magis auctus* facilius credo quam *macellum* ex *magis sacellum*. Egregie quoque Florus lib. IV. cap. ult. *Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nominis titulo consecraretur.* Cur ergo dicuntur *Semper Augusti?* Videamus quinam sic dicantur. Vivo ante Diocletianum nemini eum titulum tributum invenio. Huic autem & Maximiano in corpore Inscriptionum pag. CCLXXVI. 2. CCLXXX. 1. Tum Constantino Magno CCLXXXII. 3.. CCLXXXIII. 4. & 8. & 9. CCLXXXIIII 1. 2. 7. Et hujus filio Fl. Julio Constantio CCLXXX. 6. CCLXXXI.2. Idem Fl. Claudio Juliano CCLXXXIIII. 5. Valentiniano CCLXXV. 6. 7. 8. 9. 10. ubi & Valenti cum fratre. Valenti soli CCLXXXVI. 1. 2. 3. 4. Theodosio CCLXXXVI. 5. Arcadio CCLXXXVII 2. Arcadio & Honorio & Theodosio Arcadii filio CCLXXXVII. 1. Honorio & Theodosio CCLXXXVI. 7. Quare hi potissimum, nemo ante illos? Nempe hic titulus accessit Principibus, ex quo Diocletianus & Maximianus abdicandi sese imperio & ad privatam vitam redigendi consilium sumpserunt, & exsequuti sunt. Hanc enim suspicionem adfirmat auctor Panegyrici ordine quinti incertus, *Sacratissimi Principes, Maximiane, (velis nolis) semper Auguste, & Constantine oriens imperator*. Neque nomen istud ominatur incrementa Imperii, sed ut illi loquebantur, æternitatem & perpetuitatem in imperio: & nunquam futuros privatos. Panegyricus idem: *O cœlestem, imperator æterne, pietatem tuam, quæ tuum illum animum semper invictum sola vicit*. Hunc enim pœnituerat, ideoque redierat ad armillum. Et rursus: *Maximiano imperatori æterno Constantinus imperator novus plus cœpit esse quam filius*. Eodem pertinent Inscript. CLXI. *Aeterni. imperatores. Diocletianus. & Maximianus. Augusti. et. perpetui.* 199. 4. *Dd. nn. aeternis. Impp. C. Aur. Valerio. Jovio. Diocletiano. & M. Aur. Valerio. Erculeo. Maximiano. piis. fel. semper. Augg.* 279. 4. *Aeterno. Imperatori. maximo. optimoque. principi. Aurelio. Valerio. Diocletiano. pio. felici. invicto. augusto.* 284. 9. *Aeterno. principi. D. N. Flavio. Claudio. Juliano. ubique. venerando. semper. augusto.* 192. 2. *Dd. nn. aeternis. principibus. Honorio &c.* His videtur repugnare Lapis Britannicus 272. 9. *Ob honorem. Philippi. Imperatoris. nobiliss. semper. August. &. Philippi. Caesaris. nobilissimi.* Et alius, quem a Jo. Baptista Donio se accepisse scribit Rupertus epist. 61. *Divo. Claudio. Gothico. Maximo. Pio. Felici. Victori. ac. triumph. semper. Augusto.* Sed nimirum, quod in altero satis demonstrat vocabulum *Divo*, uterque titulus fixus est post mortem illorum Principum ea ætate, qua hæc formula jam obtinebat, inque usum venerat. Et qui Claudium sic ornaverunt, Fl. Valerio Constantio Chloro, qui per filiam Claudii nepos erat, teste Eutropio, aut alicui posterorum ejus placere voluerunt: qui Philippos, Licinio: nam Licinius a Philippis trahere genus videri cupiebat, ut monuit Capitolinus tertio Gordiani extremo.

CAP. VIII.

Consulatus quinque gessit Tiberius: duos ante imperium, tres post imperium. Melior lectio in Suetonio probatur. Cuspinianus notatur.

COs. IIII.) Ita nimirum contigit, ut duobus consulatibus functum Tiberium fuisse constet, antequam imperium ipse capesseret; tres denique Imperator adjecerit; ut clarissime patet ex divisione, quam facit Suetonius: Nam quum Augusto vivente narravisset cap. IX. *Magistratus & maturius incboavit & pæne junctim percucurrit, quæsturam, præturam, consulatum: interpositoque tempore Cos. iterum.* Rursus post imperium acceptum refert cap. XXVI. *Nec amplius quam mox tres consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens usque in Idus Majas gessit.* ut recte nunc est editum ab Clarissimo Grævio, nec satis assequor, unde placuerit nonnullis id ita corrumpere. Ego certe quum etiam in duobus manuscriptis Mediceis id invenirem, statim non dubitavi pro verissimo id annotare vel ideo, quod is sit genius Suetonii, qui solet adverbium *omnino* postponere numeralibus, non præponere, uti male hic. *Augusto* c. XX. *Externa bella duo omnino per se gessit.* cap. XXII. *Graves ignominias cladesque duas omnino, nec alibi quam in Germania accepit Lollianam & Varianam.* *Tiberio* c. VII. *Sed Agrippinam & abegisse post divortium doluit: & semel omnino, ex occursu visam.* cap. LI. *Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, semel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac paucissimis vidit horis: ac mox neque*, &c. cap. LXXII. *Bis omnino toto secessus tempore Romam redire conatus. Claudio* c. XVII. *Expeditionem unam omnino suscepit.* Sic igitur ille egregie distinguit quinque

Consulatus Tiberii. Id propterea nunc annotari a me oportuit, quia Cuspinianus quamvis fateatur quinque Consulatus egisse Tiberium, tamen in hoc loco hæret, scribens ad Cassiodori Consules: " Suetonius in *Tiberio*, rubrica vigesima sexta tra- " dit, Tiberium tres tantum egisse Consulatus, sic " scribens, ubi de honoribus ac cognominibus a se " contemptis agit: *Nec amplius quam omnino tres* " *Consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus* " *mensibus, tertium absens usque in Idus Majas gessit.*

CAP. IX.

Tiberius repudiavit prænomen IMPERATORIS: *accepit cognomen* IMPERATORIS.

IMP. $\overline{\text{VIII}}$.) Imperatori octavum. Idem titulus est in aliis Inscriptionibus in ponte marmoreo Ariminensi a duobus lateribus: non ut vulgo creditur ab uno latere titulus Augusti, ab altero Tiberii. Hinc recte Suetonius cap. XXVI. *Prænomen quoque* IMPERATORIS, *cognomenque* PATRIS PATRIÆ *& civicam in vestibulo coronam recusavit*. Dio lib. LVII. in principio: Τοιοῦτος οὖν δή τις ὢν, ἔστε τὰ στρατόπεδα καὶ ἐς τὰ ἔθνη πάντα, ὡς ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, εὐθὺς ἀπὸ τῆς Νώλης ἐπέστειλε, μὴ λέγων ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ εἶναι. ψηφισθὲν γὰρ αὐτῷ καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ὀνομάτων οὐκ ἐδέξατο: *bis itaque artibus instructus* (Tiberius) *statim ad exercitus & provincias omnes Nola tamquam* IMPERATOR *litteras dedit*, IMPERATOREM *quidem se non appellans: nam id cum aliis nominibus sibi decretum non adsumpsit*. Atqui notandum est in Marmorea Basi non esse prænomen, sed cognomen, quo Augustus Tiberium, immo Tiberius se ipse appellat, uti ex Tacito & Dione videbimus. Tacitus I. *Annal.* III. *Tiberium Neronem & Claudium Drusum privignos* IMPERATORIIS *nominibus auxit, integra etiam dum domo sua*. Dio lib. LVII. pag. 607. Καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν, ὅτι Δεσπότης μὲν τῶν δούλων, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτος εἰμί: *& sæpius dicebat, Dominum se servorum*, IMPERATOREM *militum, Principem ceterorum esse*. Et ut manifestius appareat, quale prænomen Tiberius non receperit, inspicienda Marmora antiqua. Romæ obeliscus olim ab Augusto suis titulis inscriptus, qui nunc erectus est ad portam Flaminiam. IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. IMP. $\overline{\text{XII}}$. COS. $\overline{\text{XI}}$. TRIB. POT. $\overline{\text{XIV}}$. AEGYPTO. IN. POTESTATEM. POPVLI. ROMANI. REDACTA. SOLI. DONVM. DEDIT. Pons Ariminensis: IMP. CÆS DIVI. F. AVGVSTVS. PONTIF. MAXIM. COS. $\overline{\text{XIII}}$. IMP. $\overline{\text{XX}}$. &c. TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI. F. DIVI. IVLI. N. AVGVST. PONTIF. MAX. COS. $\overline{\text{IIII}}$. IMP. $\overline{\text{VIII}}$. &c. in hoc ponte observo Augustum prænomine & cognomine IMPERATORIS honorari: Tiberium solummodo cognomine, quæ erat militaris dignitas, quo legatus aut dux exercituum insigniebatur, qui tot vicibus exercitum populi Romani imperio rexisset. Tacitus III. *Annal.* cap. LXXIV. *Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blæso tribuit, ut IMPERATOR a legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta republica, gaudio & impetu victoris exercitus conclamantur: erantque plures simul IMPERATORES, nec super ceterorum æqualitatem; concessit quibusdam & Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæso postremum*. Hic quidem Blæsus a legionibus IMPERATOR salutatur auctore Tiberio, qui & ipse IMPERATOR quoque erat ac dicebatur, non eo loco, quo Augustus & alii post eum IMPERATORES vocati sunt, ut poneretur velut prænomen; sed solummodo instar cognominis, & tantum ad victorias sub eo partas enumerandas. Quod etiam notavit Lipsius. De nomine IMPERATORIS ab Augusto usurpati videndus Dio lib. LIII. pag. 494.

CAP. X.

Demonstratur annus & tantum non mensis, quo hic Colossus consummatus fuit, & quidem post decem circiter annos, quibus duodecim civitates Asiæ Tiberius restituit. Simile exemplum in arcu Triumphali Titi Vespasiani, qui ultra decennium post victoriam de Judæis erectus est.

TRIB. POTESTAT. XXXII.) Hinc demum discimus, quo anno erecta sit hæc imago, & est annus Christi trigesimus, Urbis Conditæ circiter DCCLXXXIII. post mensem Junii: nam die septimo decimo Junii inibat Tiberius Tribuniciam potestatem XXXII. & ut accuratius investigem mensem, quo hæc statua dicata sit, oportet ante Calendas Januarias sequentes, quibus anno post Christum natum XXXI. Tiberius adeptus est Consulatum quintum: itaque si post illas Calendas confecta fuisset statua, legendum foret cos. $\overline{\text{V}}$. non cos. $\overline{\text{IIII}}$. nec conjecturis aut emendationibus ullus relinquitur locus. Utique Marmorea Basis, historia & res gestæ conveniunt. Sic in Marmorea hac Basi legitur honos Tiberio Cæsari decretus ante decennium aut quinquennium circiter, qui mos fuit Romanis, uti sæpius jam affirmavi. Exemplo sine controversia luculentissimo & quidem Romano affirmationi meæ fidem faciam. Vespasianus pater & Titus filius eodem curru eodem anno triumphaverunt de Judæis circa annum V. C. DCCCXXIII. Simulque fuit decretus Senatusconsulto marmoreus arcus triumphalis: sed non eodem anno erectus. Diutius trahebantur opera Romana, quam ut uno anno profligari possent: habemus hoc ante oculos in Marmorea Basi Tiberii Cæsaris & arcu Titi Vespasiani. Quid fit post illud Senatusconsultum? moritur Vespasianus pater & quidem post aliquot annos. Nec felicior est filius, siquidem, & is supremum diem obiit, antequam arcus iste erigeretur: nec est arcus triumphalis de varia aut altera victoria, de qua sub judice lis possit esse: sed de sola victoria Judaica, parta a Tito, vivente Vespasiano patre. Idem hic marmoreus arcus Triumphalis de Judæis non de aliis gentibus etiam hodie Romæ exstat cum litteris

SENATVS. POPVLVS. QVE. ROMANVS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVGVSTO

E quibus litteris DIVO apparet post mortem Titi arcum istum confectum fuisse, quemadmodum Nardinus etiam explicat: quamquam ex Angelono addit & aliam explicationem, quasi DIVO etiam vivis Imperatoribus attribueretur. Pace Nardini non tam ex DIVO probatur post mortem Titi hunc arcum erectum fuisse, quem ex Apotheosi Titi, quæ in summo laqueari cernitur: Dio p. 748. καὶ ἀψῖδες τροπαιοφόροι ἐψηφίσθησαν: *& arcus triumphales decreti*; nempe patri Vespasiano & filio Tito: & quidem ante Capitolii restitutionem, hoc est, anno imperii IIII.

CAP. XI.

AVGVSTALES *in Inscriptionibus esse primi casus, non quarti: & subintelligi non* LUDOS *sed* FLAMINES. *Institutiones Juris tentantur. Inscriptio apud Gruterum emendatur*, PAX. AVGVSTA. *Inscriptio Arcus Anconitani falsa circumfertur. Augustales Divo Augusto instituti per Tiberium vocantur* FLAMINES AVGVSTALES, SODALES AVGVSTALES, SACERDOTES AVGVSTALES, *& simplici-*

ter AVGVSTALES. *Gr.* τοῦ Αὐγούστου Θιασωτ). *Sacerdos & minores ſacerdotes, & Pontifices comprehendit. Livius emendatur & tollitur aſteriſcus. Defenditur* l. IV. D. de colleg. & corp. ἱερὰ ὄργια; ſacri ritus: σύνσιτος, contubernalis. ἐπὶ λείαν οἴχεσθαι ad prædam exire; id eſt, *ad res in præda captas*.

AVGVSTALES) Ante omnia præfari hic libet id nomen litteris palmaribus & longioribus, quam omnia reliqua vocabula, ſculptum eſſe: nunc jubet inquirere quem caſum occupet primum an quartum, & tum cui ſubſtantivo adjungi debeat. Neapolitanus Editor cenſet quarti caſus eſſe & ſtudet addere *ludos*: idque magno labore defendit: quos omiſſos & diſturbatos RESTITVIT. At oleum & operam perdit. Nec ſolet in Inſcriptionibus vocabulum LVDOS omitti. Gruterus pag. XI. n. I. LVDOS. VOTIVOS &c. FECIT. pag. CCLVI. n. 10. LVDOS. PVBLIC EDENTI. Ego puto eſſe primi caſus & ſubintelligo ſubſtantivum, quod ſolet in multis aliis Inſcriptionibus omitti. Nam ſive poſitus ſit ille Coloſſus a populo Romano, vel etiam ab AVGVSTALIBVS; quod multo veriſimilius eſt: ab Aſianis enim non eſſe confectum, etſi Phlegontem perverſe ita interpretentur, ſupra diſputavi: aut ſi confeciſſent, ſua lingua & Græca non Romana uſi fuiſſent in Baſe, & poſuiſſent in Aſia, non in Europa, quemadmodum legimus apud Dionem lib. XXI. pag. 458. de templis Auguſti: dumtaxat debebat ille Coloſſus dedicari, a quo? ab Imperatore? ne hoc quidem Tiberius fecit, dedicavit templa Auguſto, non ſibi. Suetonius *Tib.* cap. XL. & Dio lib. LVII. p. 608. Ergo a ſacerdote. Hinc Juriſconſultus l. 6. §. 3. D. de rerum diviſ. *Sacræ autem res ſunt hæ quæ publice conſecratæ, non private:* ita nunc omnes legunt e MSS. Florentinis. Haloander *privatim*. Ego in ipſo manuſcripto obſervavi *privatæ*. nempe *ſunt*. Sacræ res, non ſunt privatæ. Obtrudi Marciano ineptam vocem Latinam contra fidem manuſcriptorum non poſſum laudare: utique ipſe Marcianus *privatim* ſemper habet. Emendationem firmant Baſilica. Ἱερόν ἐστι πρᾶγμα τὸ δημοσίᾳ ἀνιερωθέν. τὰ γὰρ ἰδιωτικὰ οὐκ εἰσὶν ἱερά, L. 9. ibidem: *Sacra loca ea ſunt, quæ publice ſunt dedicata: ſive in civitate ſint, ſive in agro*. Id igitur dixit Juriſconſultus, non ſi quis privatam rem in larario conſecraverit, ideo ſacram haberi debere aliis: ſed tantum quæ publice conſecrata eſt. Idemque interpretando intellexerunt auctores Baſilicorum. Quod quum ita religioſe exſtet in unico codice, cur mutabitur? Varios olim conſecraſſe conſtat. §. I. *Sciendum eſt locum publicum tunc ſacrum fieri poſſe, cum Princeps eum dedicavit* (utpote PONTIF. MAXIM.) *vel dedicandi dedit poteſtatem*: ſicut ſub republ. eandem dabat Senatus, unde etiam Conſules dedicabant. Dionyſius Halicarn. lib. v. de Horatio: Τὴν δὲ ἀνιέρωσιν αὐτοῦ καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἔλαβεν μὲν Μάρκος Ὁράτιος, ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων φθάσας τὴν παρουσίαν τοῦ συνάρχοντος. Suetonius *Tib.* LXXIV. *Supremo natali ſuo Apollinem Temeniten & amplitudinis & artis eximiæ advectum Syracuſis, ut in bibliotheca novi templi poneretur, viderat per quietem affirmantem ſibi, Non poſſe ſe ab ipſo dedicari*. Quando ergo Marmorea Baſis habet AVGVSTALES, adjungo Flamines, Sacerdotes, qui dedicabant, non ludi. Hoc obſervare licet ex innumeris Inſcriptionibus. Gruterus pag. XXVII. n. 8. DIVO. AVGVSTO. C. ARRIVS. OPTATVS. C. JVLIVS. EVTYCHVS. AVGVSTALES. pag. CCXXXV. n. 8. TI. CAESARI. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. N. AVGVSTO. PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN. POTEST. XVIII. PONTIFICES. ALBANI. Q. IVLIVS &c. Mirum profecto hæc ita apud Gruterum legi, cum conſtet Tiberium tunc egiſſe TRIBVN. POTEST. XXXVIII. Et ita in inſcriptione emendari debet. Nam Tiberius anno Conſulatus Quinti die 27. Junii inibat Tribuniciam poteſtatem XXXIII. Unde luce meridiana clarius patet apud Gruterum duos denarios numeros deeſſe & addi debere. Immo in hac Marmorea Baſi propalam legitur COS. IIII. TRIB. POTESTAT. XXXII Gruterus pag. CCXLIII. n. 5. IMP. VESPASIANO. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. VIII. DESIG. VIIII. P. P. SACRARVM. AEDIVM. RESTITVTORI. ET. RITVVM. ANTIQVOR. CONSERVATORI. SODALES. TITII. Ibidem n. 7. CENSORI. CONSERVATORI. AEDIVM. SACRARVM. SODALES. TITII. pag. MLXXV. n. 6. VICTORIAE. AVG. AVGVSTALES. Ita videmus AVGVSTALES eſſe ſemper primi caſus. Si primi caſus, debent aliquid agere, quod explent, hoc eſt, conſecrant, dicant, dedicant. Et ne amplius dubitemus, habemus ipſum verbum DEDICAVIT, quod in Marmorea Baſi omittitur, apud Gruterum pag. CCXXXVIII. n. I. CLAVDIO CAES. AVG. GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. V. IMP. X. P. P. COS. DESIG. IIII. OPTATVS. REBVRRI. L. IMAG. CAES. AVG. IMP. D. S. P. D. EAMQVE. CVM. OPTATO. ET. REBVRRO. FILIS. DEDICAVIT. SENATVS. CENSVIT. PERPETVO. BONIS. PVBLICIS. INTERESSE. Pag. CCXXXIX PACI. AVGVSTAE. DOMVS. IMP. VESPASIANI. CAESARIS. AVG. LIBERORVMQ. EIVS. SACRVM. TRIB. SVC. IVNIOR. a latere DEDIC. V. KAL. DEC. L. ANNIO. BASSO. C. CAECINA. PAETO. COS. Eſt ingens baſis marmorea quadrata Romæ in Palatio Farneſiorum: Gruterus edidit PACI ÆTERNÆ contra fidem: item XV. KAL. Sæpius inſpexi lapidem cum ſumma voluptate, & in ipſa area palatii, non domi ſcripſi AVGVSTÆ. Immo Illuſtriſſimus Comes Mediobarbus plures habet nummos, in quibus PAX AVGVSTA, & ne unum quidem in quo PAX ÆTERNA de Veſpaſiano. Quo magis lætatus ſum ob eruditionem & aſſiduitatem Viri Ampliſſimi, qui olim Mediolani nullum beneficium mihi in ſe voluit claudi, præſenſque varia docebat, nunc quoque abſens ſtudia mea juvare voluit. PACEM AVGVSTAM luculenter explicat in nummis Claudii pag. 81. Habeo plures Inſcriptiones, in quibus fides editorum laborat; & ut conſtet ratio ſermonis mei, libet revocare verba notiſſima in Arcu triumphali Imperatoris Trajani Anconæ in portu, quæ ſic in Italia, in Gallia, in Belgio, in Germania ſemper eduntur, HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECVNIA SVA. PORTV. quum in ipſo lapide finiatur verſus per vocem SVA, ſequens autem quum primæ litteræ, una altera vel tres exoleviſſent, ut clare apparebat, non incipiebat ab PORTV, verum ab .... ORIO, indubitabili ac fideliſſimo indicio exciſum fuiſſe EMPORIO. Trajanus minime gentium hunc portum fecit, quippe notum apud Strabonem lib. v. p. 241. Sed ut revertar, unde digreſſus ſum de dedicando opera publica; Suetonius *Aug.* c. XXXI. *Statuas omnium triumphali effigie Fori ſui porticu dedicavit. Calig.* cap. VII. *Unus jam pueraſcens, inſigni feſtivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit*. Dio lib. LXIII. pag. 610. εἰκόνα γοῦν ποτὲ αὐτῆς οἴκοι τῷ Αὐγούστῳ ὁσιωσάσης, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας μετὰ τῶν γυναικῶν ἑστιάσαι ἐθελησάσης, οὐκ ἄλλως συνεχώρησεν οἱ τοῦτο πρᾶξαι, πρὶν τὴν γερουσίαν ψηφίσασθαι: *ſtatuam Auguſto* (Livia) *dedicare ac propterea ſenatum & equites cum uxoribus convivio excipere ſtatuerat: Tiberius neque dedicationem ei niſi ſenatusconſulto conceſſam permiſit*. Collegium & ordo ſacratus eſt a Tib. Cæſare, tan-

tum quod composito Divo Augusto. Dio lib. LVI. p. 600. Τότε δὲ ἀθανατίσαντες (Αὔγουστον) καὶ Θιασώτας οἱ καὶ τὰ ἱερὰ, ἱέρειαν τε τὴν Λιβίαν, Ἰουλίαν τε τὴν καὶ Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην ἀπέδειξαν: *Tum vero consecrantes Augustum & sodales cum sacris, sacerdotem vero Liviam Juliamque & Augustam jam nominatam instituerunt*. Θιασώτας ait Dio, non ἱερέας vel ἱεροποιούς: quos Tacitus *sodales Augustales*, *sacerdotes Augustales*, & simpliciter *Augustales* appellat. Eodem modo Inscriptiones & Marmorea Basis. Nisi quod Inscriptiones eosdem etiam nominant FLAMINES AVGVSTALES. Membrum hujus Collegii fuit ipse Tiberius auctor & duo ejus filii, alter adoptivus Germanicus, alter legitimus Drusus. Tacitus I. *Annal.* c. LIV. *Idem annus novas cærimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio: ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti: Tiberius, Drususque & Claudius & Germanicus adjiciuntur*. Quod hic Tacitus appellat *sodales Augustales*: eosdem legunt duo marmora apud Gruterum FLAMINES AVGVSTALES pag. CCCXXXVI. n. 9. DRVSO. CAISARI. TI. AVGVSTI. F. DIVI. AVGVSTI. N. DIVI. IVLII. PRON. PONTIF. FLAM. AVG. (flamini Augustali) TR. POT. II. COS. II. ibidem. GERMANICO. CAISARI. TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVGVSTI. F. DIVI. AVGVSTI. N. DIVI IVLII. PRON. AVGVRI. FLAM. AVG. COS. II. IMP. II. Tacitus II. *Annal.* c. LXXXIII. *Honores ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen ejus Saliari carmine caneretur: sedes curules sacerdotum Augustalium locis: superque eas querceæ coronæ statuerentur: ludos Circenses eburna effigies præiret, neve quis flamem aut augur in locum Germanici nisi gentis Juliæ crearetur*. Lib. II. *Hist.* c. XCV. *Faces, Augustales subdidere, quod sacerdotium ut Romulus Tatio regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit*: & quidem tantum non sepulto Augusto. Unde bene se habet Inscriptio apud Gruterum, pag. XXVII. DIVO AVGVSTO &c. AVGVSTALES. Denique sodales Augustales esse τοῦ Αὐγούστου Θιασώτας evincam ex Tacito & Dione Cassio in exhibitione ludorum Circensium III. *Annal.* c. LXIV. *Sed tum supplicia diis, Ludique Magni ab senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & quindecimviri Septemviris simul & Sodalibus Augustalibus ederent*. Eosdem ludos exhibuit Tiberius in nece Sejani. De quibus Dio lib. LVIII. pag. 629. Ἐψηφίσαντο ἑορτήν τε διά τε τῶν ἀρχόντων καὶ διὰ τῶν ἱερέων ἁπάντων (ὃ μή πώποτε ἐγεγόνει) ἀχθῆναι. καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐτελεύτησε, καὶ ἵππων ἀγῶσι, καὶ θηρίων σφαγαῖς ἐποσίαις, διά τε τῶν ἐς τὰς τέσσαρας ἱερωσύνας τελούντων, καὶ διὰ τῶν τοῦ Αὐγούστου Θιασωτῶν ἀγγέλλεσθαι: *Decreverunt ut festum ab magistratibus & pontificibus omnibus (quod numquam antea factum) celebraretur: dies, quo is pœnas morte dedisset, annis circensibus ludis & venationibus per quatuor sacerdotum collegia & Augusti sacerdotes ornandus indiceretur*: Augusti Sacerdotes τοῦ Αὐγούστου Θιασώτας, Tacitus vocat *Sodales Augustales*. Sacerdotes plurifariam comprehendunt minores tantum sacerdotes: nonnumquam tamen & majores, ut pontificem, quemadmodum hoc loco. & Livius lib. XLII. cap. XXVIII. *Eo anno sacerdotes mortui, L. Æmilius Papus, decemvir sacrorum & Q. Fulvius Flaccus Pontifex, qui priore anno fuerat censor*: videbo an possim Livium asterisco levare, quo oneratur lib. XLIII. c. XI. *Sacerdotes intra eum annum mortui L. Flamininus* * *pontifices duo decesserunt*. Manuscriptus incomparabilis & unicus Cæsareus legit: *in sacerdotes intra eum annum mortuus est L. Flaminius Pontifices*, &c. Videtur emendandum, *inter sacerdotes intra eum annum mortuus est L. Flaminius: Pontifices duo decesserunt*.

Propter AVGVSTALES & Θιασώτας non contineo me, quin illustrem legem quartam Pandectarum tit. *de collegiis & corporibus*, & expellam barbariem & tenebras, quibus illa lex in hodiernum diem scatet. Verba legis sunt. Ἐὰν δὲ δῆμος ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα: quæ ita vulgo vertuntur: *si autem plebs vel fratres vel sacrorum sacramentales, vel nautæ, vel confrumentales, vel qui in eodem sepulchro sepeliuntur, vel sodales, qui & multum simul habitantes sunt: enimvero ad negotiationem, aut quid aliud quidquid hi disponent ad invicem firmum sit, nisi publicæ leges prohibuerint*. Verba Græca bene se habent; nec opus emendatione: miror tamen audaciam & ignaviam Batavi edentis εἰ ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι; dum manuscriptus & omnes libri olim & nunc constanter habent, ἢ ἐπὶ, &c. Nunc singula tractabo. ἢ ἱερῶν ὀργίων) Ad hæc verba valde impingit vir doctissimus Samuel Petitus dum vertit, *aut e sacerdotibus aut Orgeonibus sint*: emendans ἢ ἱερέων, ἢ ὀργεώνων ὦσιν αὐτοί: & explicat cum alii essent ἱερεῖς, alii ὀργεῶνες potestatem haberent celebrandi collegium vel ἱερέων vel ὀργεώνων. Pace manium liceat respondere: hæc lex minime loquitur de potestate habendi collegium: sed de ipso collegio, quod sit & frequentetur: collegium licitum potest agere & statuere quodcunque, modo non sit contrarium legibus communibus. Hoc non licebat collegio illicito Romæ; Sic Bacchis initiati nihil constituere poterant, de quibus Livius lib. XXXIX. cap. XIII. & sequentibus. Ægyptii & Judæi postquam iis Tiberius Roma interdixerat, Suetonius *Tib.* cap. XXXVI. hi si quid constituissent, etsi non adversaretur legibus Romanis; forte in genere vestium, vel horis precum, vel conveniendi, irritum erat: neque pertinent ad hanc legem. ἢ ἱερῶν ὀργίων, ita lego cum incomparabili manuscripto: id est, *vel sacrarum ceremoniarum* scil. sunt: sacrorum rituum participes, *sacra orgia celebrantes*, ut canit Catullus. Thrasybulus apud Justinum lib. V. X. *Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum communium, tum vetusti per tot bella commilitii*. Xenophon lib. II. *Hist. Græc.* p. 474. eadem recitat; Μετεσχήκαμεν δὲ ὑμῖν καὶ ἱερῶν τῶν σεμνοτάτων, καὶ θυσιῶν, καὶ ἑορτῶν τῶν καλλίστων, καὶ ξυγχορευταὶ, καὶ ξυμφοιτηταὶ γεγενήμεθα, καὶ συστρατιῶται: ἱερῶν ὀργίων Xenophon ἱερῶν τῶν σεμνοτάτων. In principio hujus legis, *sodales sunt, qui & ejusdem collegii sunt*: quando ergo inquit ἢ ἱερῶν ὀργίων, vult dicere οἱ εἰσί, qui sunt istorum sacrorum, qui ea sacra frequentant, & curant, flaminem aut sacerdotem habent. Hinc Servius ad lib. IV. *Æneid.* Virgilii vers. 301. *ubi audito stimulant Trieterida Baccho Orgia* ait: *sane sciendum Orgia apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ*. Antonius tamen Contius: *videtur legendum* ἱερεῖς. Fabrottus legit ἱερῶν ὀργίων μύσται *sacrarum ceremoniarum præcones*. Nihil hæc lex pertinet ad præcones, sed ad ipsos homines & membra istorum ceremoniarum, uti dictum est. ἢ ἱερῶν ὀργίων vulgo vertunt, *vel sacrorum sacramentales*, & per *sacramentales* intelligunt custodes vasorum sacrorum. Quis umquam barbariorem versionem & ineptiorem audivit, & tamen in dies repetitur. Nobis non licet esse tam barbaris, ut aspera & minus Latina verba imputemus Jurisconsulto Cajo. Taurellius Florentinus ædepol multo nitidius & dignum homine Florentino, *vel orgiorum sacrificuli*:

Antonius Auguſtinus, *aut ſacrorum myſteriorum miniſtri*: hic certe Latine loquuntur, ſed quia ſacrificuli & miniſtri paulo poſt ſequuntur, hic delendi.

Συσσιτοι) Taurellius *ſodales*. Antonius Auguſtinus *communi cibo utentes*. Petitus *coepulones*. Batavus tamen maluit æmulari obſcurorum hominum ſocordiam, quam horum elegantiam, *confrumentales*: linquamus illam vocem Longobardis. Συσσιτοι vel σύσσιτοι, ſunt qui eodem contubernio, eodem tecto & menſa utuntur: quos elegantiſſime Taurellius *ſodales* vertit. Paulus apud Feſtum: *ſodales ſunt quod una ſederent & eſſent: vel quod ex ſuo dapibus veſci ſoliti ſint*. Recte qui una ſedent & edunt. Terentius *Adelph.* 4. 5. *Si frater aut ſodalis eſſet, qui magis morem gereret!* Sed quia hæc vox ſæpius ad ſacerdotes transfertur, infra dabitur magis idoneus locus. Hic malim *Contubernales*. Vetus Gloſſarium *Contubernalis* σύσσιτος, σύσκηνος, ὁμόστεγος

Θιασῶται) Taurellius & Auguſtinus *publicani*. Mediusfidius nollem dictum a tam inſignibus viris. Petitus *Thiaſotæ* egregie ſcilicet. Antonius Contius & Annibal Fabrottus in Baſilicis, *ejuſdem ſaltationis conſortes*. Confundunt viri clariſſimi Θιασῶται cum συνθιασῶται, de quibus Athenæus lib. VIII. c. XVI. Olim Hugo a Porta, Gothofredus, & Batavus *ſodales*. Recte ſi ad ſacerdotes referunt, non ad privatos homines, de quibus ſupra, ἢ ἱερῶν ὀργίων; & ita vertit Tacitus apud Dionem τοῦ Αὐγούστου Θιασώτας, *Auguſtales ſodales*. Vel potius Dio Tacitum. Vides, Benigne Lector, ipſam vocem quæ me in circuitum egit, dum impatiens ſum tam obſcurorum & inutilium in Jure commentorum & vaniſſimarum emendationum, unum hoc ſi addidero, ad caſtiſſimum Marmor revertar. ἢ ἐπὶ λίαν οἰχόμενοι) ſupra dixi quam infeliciter & improbe Batavus emendet & quidem in ipſo textu οἱ ἐπὶ λίαν contra fidem manuſcripti, cujus teſtes αὐτόπται ſunt Taurellius, alii, & ego: contra legis ſenſum, contra phraſim Græcorum: immo contra omnes libros. Vide temeritatem hominis. Vertit Taurellius, *vel in ſocietatem coemendorum pecorum*. Ant. Auguſtinus, *aut qui prædatum eunt*. Samuel Petitus emendat, ἢ ἐπὶ λεῖον οἰχόμενοι, *aut ad frumentum coemendum profecti*. Ant. Contius, *aut ad prædam ſimul coeuntes*. Fabrottus, *vel qui ad prædam proficiſcuntur*. Olim Hugo a Porta & Gothofredus & Batavus, *qui & multum ſimul habitantes*. Mecaſtor indignor tantam varietatem, inconſtantiam & mutationem ſacrarum legum tot perverſis modis explicatarum: qui non credit, conſulat libros quos habet. Taurellii verſionem non admittit vox ſequens ἐμπορίαν. Nam non dicit lex λείας ἐμπορίαν; ſed ἢ ἐπὶ λείαν ἢ εἰς ἐμπορίαν disjunctive Antonii Auguſtini mentem improbant ipſæ leges 53. & 57. *D. pro ſocio*. Petiti emendatio minime neceſſaria, & periculoſum eſt leges ex ingenio emendare, ubi opus non eſt. Videamus ergo ipſa verba Græca: λίαν & λείαν idem, ſic ἐμπορίαν & ἐμπορείαν & innumera talia: ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, *vel ad prædam diſcedentes*, non *prædatum*, quod vetant leges. Conabor hæc verba Græca, hanc ſimplicem verſionem & fidam explicatione juvare. Heſych. Λεία ἡ ἀπὸ τοῦ πολέμου κτῆσις, λάφυρα. Idem, Λείαν, κτῆσιν λαφύρων, ἢ προσθέσιν. Apud quem videmus λείαν ſignificare ipſas res raptas & poſſeſſas. Ad hanc λείαν & ad has res exeuntes homines, poſſunt inter ſeſe ſtatuere de redimendo vel emendo, quodcunque voluerint. Sic *præda* ſignificat rem captam apud Plautum *Trinum.* 3. 3. 13. *Sed meus ſodalis it cum præda Apoecides*. præda erat fidicina capta, quam redemerat ſenex. & 5 1. 2. *Neque ſecum adduxit quæ empta ex præda eſt*. & verſ. 15. *hæc illa eſt autem quam emi ex præda*. Unde *ire cum præda*, eſt, ire cum homine capto. Similiter *ire ad prædam*, eſt apud Juriſconſultos ire ad res captas mancipandas & redimendas. Conſuetudine & olim & nunc recepta: præſertim apud Romanos, quorum leges verſo. Lib. I. *Inſtit.* tit. 3. *Servi autem ideo appellati ſunt, quod imperatores captivos vendere nec occidere ſolent, qui etiam mancipia dicti ſunt, eo quod ab hoſtibus manu capiuntur*. Hæc erat illa venditio, in qua tam dubius hæſit cum aliis Gellius lib. VII. cap. IV. *Pileatos ſervos venum ſolitos ire quorum nomine venditor nihil præſtaret, Cælius Sabinus Juriſperitus ſcriptum reliquit, cujus rei cauſam eſſe ait, quod hujuſmodi condicionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberent, ut emptores errare non poſſent: neque lex vendundi opperienda eſſet: ſed oculis jam præciperent quodnam eſſet mancipiorum genus. Sicuti, inquit, antiquitus mancipia jure belli capta coronis inducta veniebant, & idcirco dicebantur ſub corona venire. namque ut ea corona ſignum erat captivorum venalium ita pileus impoſitus demonſtrabat ejuſmodi ſervos venum dari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret*. Exempla paſſim apud Hiſtoricos. Livius lib. XXXI. cap. XXI. ubi narrat cladem Gallorum apud Cremonam: *cæſa & capta ſupra quinque & triginta millia cum ſignis militaribus octoginta, carpentis Gallicis, multa præda oneratis plus ducentis*. Ad illas clades ſi exeant mangones Romani, qui emere ex illis quoſdam cupiunt, recte dicuntur *ire ad prædam*. Et l. XLII. c. VIII. de Liguribus cæſis: Conſul *arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipſos bonaque eorum vendidit, litteraſque Senatui de rebus ab ſe geſtis miſit*. Hoc Romæ erat frequentius, ne dicam de aliis nationibus. Turcæ, quod omen abominor, ubi prædas egerunt de Chriſtianis, concurrunt, inhiant & extendunt pretia Judæi captivorum hominum & rerum, ut quiſque captivus corpus validum & ſucci plenum habet, Bone Deus, quotiens hi exeunt ad prædam, hoc eſt, res quæ in præda ſunt emendas! & dicit noſtra lex, pacta quæ invicem inter ſeſe ſtatuunt de tempore, de pretio, de loco emendi aut aliis conditionibus, firma eſſe, modo ne publicæ leges prohibeant.

CAP. XII.

Puteoli erant colonia & municipium. RESPVBLICA *ſimpliciter in Inſcriptionibus plurifariam de Roma dicitur: Imperatores pro principatu abutebantur:* RESPVBLICA RESTITVIT *Aſiæ civitates: hoc eſt, ærarium & Populus Romanus. Aſia Minor erat provincia proconſularis, non legati*.

RESPVBLICA) Quoniam longus fuiſſe videor in explicanda & confirmanda ſententia mea de AVGVSTALIBVS: vereor ne idem ſim in adſerenda & probanda ſententia de hac voce RESPVBLICA, quæ videtur varias explicationes admittere poſse. Dum nonnulli intelligunt REMPVBLICAM Romanam, alii Puteolanam: quibus proximis recte adverſatur Bulifon, & negat Puteolos rempulicam dici poſt annum Romæ conditæ DLX; ſed vel coloniam vel municipium. Bulifon ut ſententiam ſuam de Roma ſtabiliat addit: non debet
“ ab hoc propoſito deducere Romam ſub imperio
“ redactam eſse; nam nomen cum aliqua imagine
“ reipublicæ ſervabat. & hoc modo ab ipſis Impe-
“ ratoribus vocabatur, quemadmodum in marmo-
“ ribus, nummis, Tacito, Dione & aliis ſcripto-
“ ribus facile eſt obſervatu. Verba lauru digna: quibus corollarium dabo vel maxime in Tiberii mimo, qui ludebat nomine reipublicæ, dum ſibi potentiam & omne robur aſsumpſerat. Tac. I. *Annal.* VII. *Nam Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tanquam vetere REPVBLICA & ambiguus imperandi*. Ibi-

dem. *Dabat & famæ, ut vocatus electusque potius a REPUBLICA videretur, quam per uxorium ambitum & senili adoptione inrepsisse*. IV. *Annal.* XIX. *Proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur multa adseveratione, quasi legibus cum Silio ageretur, aut Varro Consul, aut illud RESPUBLICA esset*. VI. *Annal.* VIII. Terentius de Sejano. *Tuum Cæsar generum, tui consulatus socium, tua officia in REPUBLICA capessentem colebamus*. Cap. XLVI. *Gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda REPUBLICA primum inter nepos*. Suetonius *Tib.* XVIII. *Permittente ergo Cajo revocatus est: verum sub conditione ne quam partem curamve REIPUBLICAE attingeret*. Cap. XXI. *Præsertim cum & REIPUBLICAE causa adoptare se eum pro concione juraverit*. Cap. XXV. *Germaniciani quidem etiam principem detrectabant non a se datum: summaque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capessendam REPUBLICAM perurgebant, quanquam obfirmate resistentem. Quem maxime casum timens, partes sibi, quas senatui liberet, tuendas in REPUBLICA depoposcit*. Capessere REMPUBLICAM dicit *Principatum occupare* cap. XXIV. Suetonius. Dio l. LVII. p. 613. ἔνθα δὴ καὶ μάλιϛα ἄν τις τὸ τῆς δημοκρατίας σχῆμα κατενόησεν: *unde profecto & maxime quis* REIPUBLICÆ *popularis imaginem intelligebat*. Inscriptio Arcus Severi: OB. REMPUBLICAM. RESTITUTAM. IMPERIUM. QUE. POPULI. ROMANI. PROPAGATUM. Sic RESPUBLICA sub Tiberio & aliis Imperatoribus erat principatus. Hoc quoque obiter noto; RESPUBLICA cum de Roma dicitur, constanter sine τῷ Romana scribi, aliter quam de ceteris respublicis solet. Ita in Marmorea hac Basi verba RESPUBLICA RESTITUIT interpretanda arbitror, principatus Tiberii restituit. Quod si non bonum exitum faciat hæc interpretatio; suggero hæc, proprie respublica Romana, hoc est, ærarium populi Romani restituit. Fides hujus explicationis sit penes Tacitum, Dionem & Eusebium. Tacitus II. *Annal.* XLVII. *Nam centies sestertium pollicitus Cæsar, & quantum ærario, aut fisco pendebant, in quinquennium remisit*. Non potest luculentius argumentum dari, quam hoc loco: nempe Asiæ civitates terræ motu quassatæ restituuntur ex pecunia quam ærarium dabat, & ex tributo, quod ærario, hoc est, populo Romano debebant. Idem dicit Dio lib. LVII. p. 614. Καὶ χρήματα πολλὰ μὲν ἐκ τῶν φόρων ἀνείθη, πολλὰ δὲ καὶ παρὰ τοῦ Τιβερίου ἐδόθη. Idem affirmat Eusebius pag. CCCLXXXVII.

Jam docuerat avus Tiberium Cæsarem, ærarium sanctum, si tardius aperierent tribuni, effringere & largiri pecuniam non suam sed reipublicæ: hoc tamen loco per honesta erogavit pecuniam, & suam & reipublicæ.

Præterea quæro, qualis provincia fuerit Asia Minor, Proconsulis an legati, quæ scientia magnum pondus habet: nam si legatus quotannis mittebatur ad eam regendam, fuit Cæsaris: si Proconsul, fuit Reipublicæ. Missum autem fuisse Proconsulem constat ex *l.* 4. *D. de officio proconsf. & legati*. Eadem æquitatis ratio exigit, ut, si Asia fuerit Proconsularis provincia, tributa & vectigalia pertinuerint ad ærarium & populum Romanum: & si restituit ærarium, idem est, ac RESPUBLICA RESTITUIT. Sic *Achaiam & Macedoniam onera deprecantes levari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit*. Tacitus I. *Annal.* LXXVI.

Quod si nec hæc arrideant, quia Tiberius fuerit auctor Senatusconsulti, quo Asiæ civitates reficerentur: vel quia ipse etiam magnam vim suæ pecuniæ pollicitus fuerit: adeo ut Tiberius proprie cum REPUBLICA restituerint. Atqui in Inscriptione A solius REIPUBLICAE mentio fiat. Huic allego contemptum ambitionis in Tiberio, de quo Tacitus IV. *Annal.* XXXVIII. & VI. *Annal.* XLV. & Tiberio suffecisse tam magnificum & splendidum Colossum inscriptum nomine suo & non REIPUBLICAE. Sic contempsit Tiberius prænomen IMPERATORIS & cognomen PATRIS PATRIAE. An dicemus forte eandem in Tiberio fuisse modestiam, quæ in fratris ejus filio Cæsare Germanico fuerit; qui post cæsos Germanos talem *congeriem armorum struxit superbo cum titulo*: DEBELLATIS. INTER. RHENUM. ALBIM. QUE. NATIONIBUS. EXERCITUM. TIBERII. CAESARIS. EA. B MONIMENTA. MARTI. ET. IOVI. ET. AUGUSTO. SACRAVISSE. *de se nihil addidit*. Tacitus II. *Annal.* XXII.

CAP. XIII.

Tiberius non RESTITUIT *ludos: nec* RESPUBLICA *statuam: quod fieri non potuit propter breve tempus Tiberii vitæ post restitutionem urbium, & propter duritiam Marmoris. Negatur marmoreus Colossus exemptilis contra Josephum Scaligerum.* RESTITUIT *proprium verbum de afflictis populis aut urbibus: quando intelligitur de ædificio aut statua, cui incisum est, solet semper minoribus litteris addi.* C *Tiberius* RESTITUIT *Asiæ civitates. Basis solet continere causam, cur erecta sit statua. Male Casaubonus* TRIBUNIC. POTEST. XVIII. *& Calvisius* L. PASSIENUS CRISPUS *qui nominatur* RUFUS.

RESTITUIT) Prosequar eadem anxietate & diligentia, qua cœpi: ut & hujus vocis veram interpretationem inveniam, quæ pro captu lectoris videtur habitura suum fatum. Nam Bulifon intelligit *ludos*. Alii forte statuam hanc: quorum opiniones prius arguendæ mihi sunt, quam ad meas partes accedam.

Tiberium non amavisse aut restituisse ludos locus D ostendit Taciti I. *Annal.* LIV. Quem & ipse Bulifon allegat. *Ludos Augustales tunc primum cœpta turbavit discordia, ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Mœcenati obtemperat effuso in amorem Bathylli: neque ipse abhorrebat talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via*. Cap. LXXVI. *Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens: quod vulgus formidolosum, & pater arguisse dicebatur. cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant*. Lib. IV. *Annal.* XIV. *Pulsi tum histriones Italia*. Suetonius *Tib.* XXXIV. *Ludo*E*rum ac munerum impensas corripuit mercedibus scenicorum recisis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis*. Cap. XXXVII. *Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum & histriones, propter quos dissidebatur, relegavit*. Cap. XLVI. *Pecuniæ parcus ac tenax*. Cap. XLVII. *Neque spectacula omnino edidit: & iis quæ ab aliquo ederentur, rarissime interfuit, ne quid exposceretur, utique postquam comœdum Actium coactus est manumittere*. Dio lib. LVIII. p. 609. Καὶ τούσγε τῶν ἵππων ἀγῶνας ἐξ οἰκίας καὶ αὐτὸς τῶν ἀπελευθέρων τινὸς πολλάκις ἑώρα. συνεχέστατα γὰρ ἐπὶ τὰς θέας ἀπήντα, τῆς τε τιμῆς τῶν ἐπιτελούντων αὐτὰς ἕνεκα, καὶ τῆς τοῦ πλήθους F εὐκοσμίας, τοῦ τε συνεορτάζειν σφίσι δοκεῖν. οὐ γὰρ οὔτε ἐσπούδασε ποτὲ τὸ παράπαν τῶν τοιούτων οὐδὲν, οὔτε δόξαν τινὰ ὡς καὶ συσπουδάζων τινὶ ἔχειν: *sæpenumero etiam equestres ludos de liberti domo spectavit. Frequenter enim ad spectacula veniebat, in honorem eorum, qui hæc edebant, utque multitudinem ornaret, ac una ea celebrare videretur: ipse exhibendis eis neque per se neque cum aliis gloriam captans*. pag. 612. de Druso, τοῖς τε ὀρχησταῖς οὕτω προσέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτοὺς, καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ'

αὐτοῖς εἰςενηνόχει, καθίςαςθαι: in tantum deditus histrionibus, ut eos ad tumultuandum, legeſque quas Tiberius de iis tulerat, detrectandum concitaverit. p. 617. τοὺς ϑ᾽ ὀρχηςὰς τῆς τε Ῥώμης ἐξήλασε, καὶ μηδαμόθι τῇ τέχνῃ χρῆσθαι προσέταξεν: *hiſtriones Roma Tiberius exturbavit, atque ea interdixit.* Utique ſi Tiberius Roma hiſtrionibus interdixit, ludos non reſtituit.

Ne alii explicent RESTITVIT ſtatuam: opus eſt, ut paulo altius repetam, qualis hæc ſtatua fuerit, & quo anno ante Tiberii mortem dedicata. Erat magnificus & pulcherrimus Coloſsus ex duabus marmoreis molibus Herculeis conſtans, una deſtinata baſi, altera Tiberio ſedenti: non ex fruſtis conglutinatis, ſed ſingulis integris, quod proprium Coloſso Marmoreo: Joſephus Scaliger *ad Suetonii Veſpaſianum* c. XVIII. *Coloſſi refectorem ingenti congiario magnaque mercede donavit*. Hic coloſsus erectus ſub Nerone, refectus a Veſpaſiano, ac dempto capite Neronis, & Solis adjecto cum VII. radiis, Soli dicatus fuit. Iterum Commodus ablato capite Solis ſuum repoſuit. Illarum enim immanium ſtatuarum capita & brachia, quod exemptilia eſsent, commutabantur gomphis ferreis, aut plumbeis binis, aut ternis, ut etiam hodie videre eſt Romæ in ſtatuis vetuſtiſſimis. Loquitur Scaliger de Neronis Coloſso, qui fuit marmoreus teſte Nardino; hujus caput non erat exemptile; ſed integrum & ex eadem mole marmoris, ex qua pectus & pedes. Dio & Herodianus τὴν κεφαλὴν ἀποταμών: non aliter quam reo cervix amputatur. Si intelligat Scaliger de æneo, plumbeo aut figulino coloſso, mihi ignotum. In marmoreo coloſso ſemper caput in initio ex eodem ſaxo formatur, ex quo reliquum corpus. Non fallam operam, ſi ſtudioſos antiquitatis inſtruxero duobus coloſſis marmoreis, quorum non puto inveniri exemplum ſecundum in tota Græcia, nec in ipſa Italia, & quondam oculis meis gaudium perpetuum. Hoc bello Turcico floret Sereniſſima Reſpublica Veneta, Athenis multiſque aliis Græciæ urbibus captis per Sereniſſimum Venetiarum Ducem Maurocenum. Hic ut ſpolium aliquod in urbem mitteret: Athenarum ex portu Piræeo movit, quos moveri potuiſse ſi dixero, fides mea laborabit: neque potuiſse moveri infando & irreparabili capite alterius ſero Veneti didicerunt. Hi ſunt duo marmorei coloſſi Leonum, cuſtodes olim Athenienſium portus; nunc vigilant Venetiarum Armamentario non inferiora ſequuti. Sunt autem ambo ex Pario marmore & ſtupent omnes ſpectatores ad tanta miracula, ſive antiquitatem, ſive artem, ſive molem luſtrent, a Phidia elaborata aut ejus æqualibus quis negabit? Certe Veneti tanti æſtimaverunt, ut immenſis ſumptibus Herculeo labore per maria in urbem ſuam advexerint & pro foribus Armamentarii, de quo quicquid dixero, minus erit, poſuerint. Horum caput, cauda, pedes minime ſunt exemptiles, ſed ex una mole & ſæpe vidiſse me juvat. Alterius tamen caput nunc refectum eſt: hoc aliquando fit, ſed ab initio non ita fuit. Hodie Sereniſſimus & Clementiſſimus Magnus Dux Etruriæ oſtentat duos integros marmoreos coloſsos hominum ante valvas palatii veteris Florentiæ, ſummorum artificum manu elaboratos, in quibus nihil exemptile vidi:

Os mihi cum ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quod feliciter per biennium feci, & mane hos cuſtodes meos ſalutabam memoriamque DOMINI renovabant. In Neronis coloſso caput nequaquam fuit exemptile: ſed vi, manu, ferro abſcinditur: hoc accidit nonnumquam ut reficiantur, a principio tamen non ita facti ſunt. Ut Obeliſci Romæ, qui ſemper ex uno lapide: hodie tamen unus aut alter inſtauratus eſt: ſic marmoreus coloſsus aut ſtatua ſemper ex ſolido marmore, dumtaxat capita & pedes. Brachia forte nimis extenſa, fuiſse exemptilia, rariſſime: quod legislatores prætereunt.

Præterea ſtetit hic Coloſsus in foro Julii Cæſaris ſub Jove frigido: proin tutus ab incendio & duraturus Neſtoreos annos & plus ultra: erectus tribunicia poteſtate XXXII. hoc eſt, ſex annis ante mortem Tiberii. Ut hoc quoque moneam poſt Tiberii mortem, *quam adeo lætatus eſt populus ut Tiberium clamitarent*; fuiſſe reſtitutum coloſſum nemo ſanus aſſeverare ſuſtinebit. Ita factus vaſtus & pergrandis marmoreus Coloſſus non admodum altus ſpatio ſex annorum reſtitutione indigebit? vah! quam anile hoc?

Nunc argumentum petam ex ipſis litteris & conſuetudine Inſcriptionum: & ſi RESTITVIT Coloſſum interpretemur, neceſſario hoc verbum debebat quaſi additamentum & minoribus litteris poſtea adjectum eſſe: uti Romæ cernere eſt in fronte Panthei, & Scholæ apud Nardinum 5. 6. & portæ Næviæ ſive Labicanæ: ubi Reſtitutores minoribus litteris exarati & inferius ponuntur, quam Auctores. In Marmorea Baſi RESTITVIT litteræ pares ſunt TI. CAESARI &c. Inſuper obſervo in Inſcriptionibus non ſimpliciter ſcriptum RESTITVIT, ſed addi, quid; PANTHEVM, SCHOLAM, AQVAS, &c.

Sic genium lectoris propitium habeam, accedam ad partes meas: & puto hic non ſubintelligi aliquid aliunde petitum, ſed quod coram & circum eſt: nempe miſeras Aſiæ civitates, quæ ordiſſe adſtant. Inſpiciamus primo vim verbi RESTITVIT, deinde hiſtoriam. RESTITVIT ſemper de populo & civitatibus afflictis dicitur, adeo ut ſi de ſtatua vel ædificio accipiamus, Romani etiam dicant REFECIT, RESTAVRAVIT. Proinde Ennius, *Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem* Duæ marmoreæ baſes Peruſiæ ante curiam AVGVSTO. SACRVM. altera, PERVSIA RESTITVTA. Nummus Ti. Cæſaris CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. Actum agam ſi hic citem auctores e cap. VI. Nummi Hadriani: RESTITVTORI. ORBIS; TERRARVM. RESTITVTORI. GALLIAE. RESTITVTORI. Hæc ut collegi non parum me ſublevavit Ampliſſimi Spanhemii Diſsertatio nona *de Præſtantia & uſu Numiſmatum*, ubi copiam habet non ſpernendam nummorum cum Inſcriptionibus hujus verbi.

Hactenus ſuperato labyrintho inveſtigemus veram hiſtoriam, quam & ſupra c. II. & IIII. tractavi, & unius Phlegontis verbis repetiſse ſufficiat, Ἀπολλώνιος δ᾽ ὁ Γραμματικὸς ἱςορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Νέρωνος σεισμὸν γεγενῆσθαι, καὶ πολλὰς καὶ ὀνομαςὰς πόλεις τῆς Ἀσίας ἄρδην ἀφανισθῆναι, ἃς ὕςερον ὁ Τιβέριος οἰκείᾳ δαπάνῃ πάλιν ἀνώρθωσεν, ἀνθ᾽ ὧν κολοσσόν τε αὐτῷ κατασκευάσαντες ἀνέθεσαν παρὰ τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ, ὅ ἐςιν ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ, καὶ τῶν πόλεων ἑκάςης ἐφεξῆς ἀνδριάντας παρέςησαν. *Apollonius Grammaticus narrat Tiberii Neronis ætate terræ motum fuiſſe, quo multæ & celebres Aſiæ urbes funditus deletæ ſunt, quas deinde Tiberius ſua impenſa reſtituit, propter quod beneficium coloſſum ei adornantes dedicarunt pro æde Veneris, quæ eſt in foro Romano, & ſingularum deinceps urbium ſtatuas appoſuerunt.* Sic Tiberius Cæſar & RESPVBLICA RESTITVIT celebres Aſiæ civitates terræ motu afflictas, ob quod coloſsum ei dedicarunt & ſingularum civitatium ſtatuas ſtiterunt. Non enim ſederunt, non genua flexerunt, aut inclinaverunt corpus, ſed civitatium ſtatuas ſtiterunt παρέςησαν: ingenioſiſſime & aptiſſime noſtræ Baſi: ut attentius conſideranti nullus linquatur locus dubitandi de hac

hac explicatione aut Basi. Verum si explicemus RESTITVIT statuam: vide quam inanis & cæca sit hæc Basis, cujus rei ergo erecta sit. contra quam solent Romani. Plinius lib. XXXIV. cap. IV. Sic in marmorea basi Augusti Perusiæ: PERVSIA. RESTITVTA. Etiam hodie vetustissima basis Ocricolis & apud Gruterum pag. CCCCXXII. IVLIAE. LVCILIAE. (non LVCILLIAE) L. IVLI. IVLIANI. FIL. PATRONI. MVNICIPI. CVIVS PATER. THERMAS. OCRICOLANIS. A. SOLO. EXTRVCTAS. SVA. PECVNIA. DONA. DECVR. AVG. P. E. F. P. Basis marmorea in Palatio Farnesiorum Romæ; LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM. IMP. CAESAR. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC. POTESTAT. XVIIII. EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI. CONTVLIT. K. IANVAR. APSENTI. CALVISIO. SABINO. L. PASSIENO. RVFO. COS. Celeberrimus Casaubonus edidit ad Suetonii Augustum cap. LVII. TRIB. POTEST. XVII. sed male. Ab Calvisio in opere Chronologico citatur L. PASSIENVS. CRISPVS, contra Dionem Cassium & marmor, quod Romæ descripsi. Sic populus Romanus ære collato statua decoravit Antonium Musam medicum, quod ejus opera Augustus ex ancipiti morbo convaluerat; Suetonius c. LIX. Semper causa fuit, cur statua erigeretur.

CAP. XIV.

NAENIA vel NENIA quid significat? quomodo exprimitur? Quid Præficæ? Julius Scaliger laudatur.

THENIA) Neapolitanus Editor dicit de puerulo, qui hic stat sub brachio esse THENIA; in qua nihil observat particulare. Mera *μύχων*, ex qua illa confusio & urbium numeri amplificatio orta est: nam numerare videtur quindecim, cum sint quattuordecim, & dividit quæ conjuncta & una sunt. Marmoreæ basis ima pars hodie propter pondus in foro Puteolano submersa & terra obducta est, unde has litteras oculis assequi nequaquam valui. Arbitror tamen ex ductu & similitudine literarum atque figuræ legendum esse NAENIA vel NENIA. Animadverto enim miserandam mulierem, discincta stola, manu sinistra foedantem ac lacerantem pectus, dextram trepidam porrigentem nudo infanti, qui miserabiliter matri blanditur, patre aut fratribus orbatus. Non aliter quam si Agrippinam ignota consolatione Germanicum maritum suum plorantem intuear. Forma demonstrat acerbissimum luctum & vehementem dolorem in muliere & infante. Jerem. IX. 17. *Convocate mulieres lamentantes:* & ibi interpretes. Si examinem tempus illud & annum, mecastor calamitosissimum reperio, non tam propter vastationem mœnium quam hominum perniciem. Hinc illæ lacrimæ huic urbi præ ceteris omnibus. Tiberius Cæsar potuit restituere urbem, mœnia, domos: verum uxori maritum, filio patrem reddere non erat humanum opus. Proinde Tacit. II. *Annal.* XLVII. *Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiæ traxit*. En particulare quod hic noto, causam, tempus ubertim flendi & neniam canendi. NENIA est, carmen lugubre, cantus plorantium, quem edebant in funeribus Romanis præficæ sive mulieres sive pueri: utrosque hic habemus. Festus. *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ*. Nonius Marcellus. *Præficæ dicebantur apud Veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent*. Lucilius lib. XXII.

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ
Multo & capillos scindunt & clamant magis.

De pueris Suetonius *Aug.* CI. *Senatus in funere ornando, & in memoria honoranda eo studio certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quæ est in curia, canentibus neniam principum liberis utriusque sexus*. Cicero II. *de Lege* XXIV. *Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur: cui nomen neniæ: quo vocabulo etiam Græcis cantus lugubres nominantur*. Julius Scaliger *de re Poet.* L. *Threnum etiam ὑλωλατον vocarunt, id est, extremum & ὑλωλαν eadem ratione.*

CAP. XV.

Sardis prima & princeps urbium Asiæ, quæ terræ motu castigatur: secunda post Babylonem & ditissima habita: cui post septuaginta annos rursus IRA COELESTIS *imminet*.

.... EORONXX) Prius sequar vestigia & puncta litterarum, dein ordinem & nomina urbium, e quibus ipsa urbs satis lucebit. Propter obscuritatem harum litterarum, quas nemo capiet, ingenio & emendationibus indulgendum est. Ex quattuor punctis formo quattuor litteras SARD. ex EORONXX. formo IANORVM; sic erit SARDIANORVM. Ne dubites lector de hac urbe: dixi Sardianos tremore terræ amisisse cum superficiem ædificiorum & urbis; tum parentes, liberos, fratres & amicos cariores ruina saxorum oppressos & elisos. Ita placuit DEO OPTIMO MAXIMO Sardianorum urbem ruina si non duplici, at duplicem miseriam afferente eodem anno emendare: satis mehercule causæ cur neniam & lessum per mulierem canant, cum reliquæ civitates per virum exhibeantur præter Myrinam & Mostenen. Sed etiam Sardes insigniri capite muliebri in duobus nummis apud Seguinum reperio & per Venerem apud Harduinum.

Videamus ordinem civitatium: Tacitus ubi recenset hanc calamitatem & has urbes, primum locum dat quoque Sardianis II. *Annal.* XLVII. *Asperrima in Sardianos lues, &c. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti*: Observa, quæso, Lector, qua fide Marmorea Basis & Tacitus conveniant. Chronica Eusebii & Callistratus, *Ephesus*, *Magnesia*, *Sardes*. Video & hic Sardes proximas Magnesiæ. Strabo lib. XII. circa finem. *Καὶ τὰ περὶ Σίπυλον δὲ καὶ τὴν ἀνατροπὴν αὐτοῦ, μῦθον οὐ δεῖ τίθεσθαι. καὶ γὰρ νῦν τὴν Μαγνησίαν τὴν ὑπ' αὐτῷ κατέβαλον σεισμοί. ἡνίκα καὶ Σάρδεις καὶ τῶν ἄλλων τὰς ἐπιφανεστάτας κατὰ πολλὰ μέρη διελυμήνατο*. Ita semper Magnesia & Sardis sibi continuæ.

At omisso ordine si examinemus omnia nomina civitatium, deest sola Sardis, quam tamen ductus litterarum, & cladium duplicata magnitudo, series urbium satis luculenter demonstrat.

Ergo SARDIS jure merito primum locum obtinet in Marmorea Basi, quippe caput Lydiæ, regia sedes opulentissimorum regum Halyattis & Crœsi. Herodot. LXXIX. *Σάρδεις ἀκμαζούσαι πλούτῳ; Sardes opibus florentes*. quæ antiquitate & majestate olim post Babylonem nullis in Asia urbibus cessit. Xenophon *Institut. Cyri* lib. VII. p. 181. *Ἄκουσον τοίνυν, ἔφη, ὦ Κροῖσε, ἐγὼ γὰρ ὁρῶν τοὺς στρατιώτας πολλὰ πεπονηκότας, καὶ πολλὰ κεκινδυνευκότας, καὶ νῦν νομίζοντας πόλιν ἔχειν τὴν πλουσιωτάτην ἐν τῇ Ἀσίᾳ μετὰ Βαβυλῶνα, ἀξιῶ ὠφεληθῆναι τοὺς στρατιώτας: Audi ergo, dixit, o Crœse; quia video milites multis laboribus exhaustos, multisque versatos in periculis, nunc etiam putare, se urbe totius Asiæ, post Babylonem opulentissima potitos: æquum ju-*

dico, ut aliquid utilitatis ad eos perveniat. Strabo lib. XIII. p. 625. αἱ δὲ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη, νεωτέρα μὲν τῶν Τρωϊκῶν, ἀρχαία δὲ ὅμως, ἄκρα εὐερκῆ ἔχουσα. βασίλειον δ' ὑπῆρξε τῶν Λυδῶν: *Sardis urbs est magna, recentior quidem rebus Trojanis, antiqua tamen, arcem habet probe munitam. Regia fuit Lydorum*. Eodem libro pag. 627. Ἀναληφθεῖσα (Σάρδεις) δ' ἀξιολόγως ἐστὶ διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας ἡ πόλις καὶ οὐδεμιᾶς λειπομένη τῶν ἀστυγειτόνων, νεωστὶ ὑπὸ σεισμῶν ἀπέβαλε πολλὴν τῆς κατοικίας; *urbs hæc deinde ob virtutem soli præclare refecta, ut nulli vicinarum gloria cederet, nuper magnam domiciliorum partem terræ motibus amisit*. Plinius V. XXIX. *Lydia celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis*. Numisma egregium apud Illustrissimum Seguinum ϹΑΡΔΙϹ. ΑϹΙΑϹ. ΛΥΔΙΑϹ. ΕΛΛΑΔΟϹ. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. Vide Bianoris epigramma lib. I. *Anthologiæ*. Hujus civitatis incolis rursus post septuaginta circiter annos Clementissimus Deus per Joannem Theologum præcipit μετάνοιαν & vigilantiam.

CAP. XVI.

Supplices tendere manus. MAGNESIA *urbs & regio: populus* MAGNES *in Lydia, non Magnesiensis: dicitur & Magneticus; quæ vox e manuscriptis in Strabone restituitur*; Μαγνῆτις πόλις, & γῆ, & χώρα: ita Μαγνῆται, *urbs, terra & regio: non vero in singulari numero: neque enim unus homo civitatem aut regionem facit. Lapsus Casauboni*. Μαγνῆται *eleganter pro civitate. Cognominatur* Σιπύλου ἀπὸ Σιπύλου, ὑπὸ Σιπύλῳ, πρὸς Σιπύλῳ. *Latini*, Magnesia ad Sipylum, a *vel* ab Sipylo.

. . . . IA) Recte conjecit Neapolitanus Editor MAGNESIA. Observo Marmoream Basim Tiberii Cæsaris incepisse a Lydia, ejusque regionis urbes quattuor recensere, dein transire in Æoliam, Phrygiam & Ioniam. Exhibetur vir vestem pullam recinctam indutus, quam sinistra manu sine ordine implicat, dextram protendit ad Tiberium Cæsarem Restitutorem. Jeremia IV. 31. *Vox filiæ Zionis anhelat, extendit brachia, Væ mihi nunc: nam anima mea lassata est propter homicidas*. Threnis I. 17 *Zion tendit manus, nullus solator ei adest*. Ovidius *Consol. ad Liviam* 191.

> *Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato*
> *Sustulerat timidas sidera ad alta manus;*
> *Jamque precaturus, Quid ego autem credulus, inquit,*
> *Suscipiam in nullos irrita vota Deos?*

Tacitus II. *Annal*. XXIX. de Libone reo: *lectica delatus ad fores curiæ innisusque fratri, & manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto ejus vultu excipitur*.

Hæc urbs est ejusdem terminationis cum Magnesia in Thessalia & ad Mæandrum, de qua Stephanus: Μαγνησία πόλις παρὰ τῷ Μαιάνδρῳ, καὶ χώρα ἀπὸ Μάγνητος. ὁ πολίτης, Μάγνης, ὁμωνύμως τῷ οἰκιστῇ. τὸ θηλυκὸν Μάγνησσα παρὰ Σοφοκλεῖ. Addo adjectivum Μαγνητικὸς, ἡ, ὸν apud Athenæum & Strabonem lib. IX. p. 436. ἑξῆς δὲ τοὺς ὑπὸ Εὐμήλῳ καταλέγει τὴν συνεχῆ παραλίαν, ἥπερ ἐστὶν ἤδη Μαγνησίας καὶ τῆς Πελασγιώτιδος γῆς: *deinceps eos refert, qui sub Eumelo erant, continentem maritimam, quæ jam Magnesiæ est & Pelasgiotidis propria*. In margine manusc. Μαγνητικῆς. Nulla ratio est, cur Casaubonus hanc lectionem non receperit, cum multo melior sit: nam ut Πελασγιώτιδος γῆς, ita & Μαγνητικῆς γῆς. Quod si altera lectio contra Mss. retineatur, videtur legendum τῆς Μαγνησίας. Huic subjungo aliam observationem in retinenda vetere lectione & avertenda Xylandri obscura versione & Casauboni emendatione. Strabo lib. IX. pag. 441: Πέπονθε δέ τι τοιοῦτον καὶ ἡ Μαγνῆτις. κατηριθμημένων γὰρ ἤδη πολλῶν αὐτῆς τόπων οὐδένα τούτων ὠνόμακε Μάγνητας Ὅμηρος; vertit Xylander: *Magnetidis quoque & Magnetum quanquam multis eorum locis enumeratis, Homerus nominatim non meminit*. Hoc est ἀσύνθετον. Strabo propalam dicit, Homerum in recensendis locis regionis Magnesiæ nullum nominasse Μάγνητας; quod infra explicabo: verto itaque: *Passa vero est quid tale & Magnesia* (quæ est regio) *enumeratis enim jam multis ejus locis, nullum eorum nominasse Magnetas*. Immo ubi enumerat Homerus loca Magnetidis & Magnetum, an ibi quoque non meminit gentis? quid aliud est Lutetia Parisiorum? quam Parisini? quid aliud Florentia? quam Florentini? quid aliud Neapolitani, quam Neapolis? qui enumerat regionis istius loca, meminit quoque gentis. Sed non dicit Strabo μεμνῆσθαι, sed ὀνομάζειν, *meminisse*, sed *nominare*. Non debet interpres Græca verba supprimere & spurca substituere. Loquitur Strabo de Thessaliæ regionibus, urbibus & locis, dicitque multos locos Homerum silentio præteriisse & paucorum tantum locum meminisse: eadem pag. ὧν ὁ ποιητὴς ὀλίγων μέμνηται, &c. ἐπεὶ οὐδὲ τῆς Νεσσωνίδος μέμνηται λίμνης, &c. sequitur, Πέπονθε δέ τι τοιοῦτον καὶ ἡ Μαγνῆτις. κατηριθμημένων, &c. τόπων οὐδένα τούτων ὀνόμακε Μάγνητας Ὅμηρος. Sic Μαγνῆτις πόλις apud eumdem Strabonem lib. VII. in *Epitomis* pag. 329. Ὅτι ὑπὸ τὰς ὑπωρείας τοῦ Ὀλύμπου παρὰ τὸν Πηνειὸν ποταμὸν Γυρτὼν ἐστὶ πόλις Περραιβικὴ καὶ Μαγνῆτις: *quia sub imo monte Olympi apud fluvium Peneum Gyton est civitas Pærebica & Magnetis*. Lib. IX. pag. 437. Μαγνῆτις γῆ regio & terra. Πολεμῶν γὰρ περὶ τῆς ἡγεμονίας ἐπεχείρει πρώτοις ἀεὶ τοῖς ἐγγύθεν καὶ καθάπερ αὐτῆς τῆς Μαγνητίδος τὰ πολλὰ μέρη τῆς Μακεδονίας ἐποίησε, καὶ τῆς Θράκης καὶ τῆς ἄλλης τῆς κύκλῳ γῆς: *nam de principatu contendens bello, semper proxima quæque adortus est: & ut Magnesiæ ac Thraciæ & reliquæ circumjacentis terræ*. Uti Μαγνησία πόλις καὶ χώρα, ita & Μαγνῆτις πόλις, γῆ & χώρα. Videamus nunc apud Homerum & Strabonem quid πάσχῃ Μαγνῆτις: nimirum multos locos Homerum Magnesiæ (regionis) retulisse, nullum vero nominasse Magnetas: hoc est, urbem: ita quis potest loca proxima Lutetiæ, Florentiæ, Neapolis referre, & ipsam urbem omittere: quemadmodum Homerus fecit in Magnesia. *Iliad*. β'. 756.

> Μαγνήτων δ' ἦρχε Πρόθοος, Τενθρηδόνος υἱὸς,
> Οἳ περὶ Πηνειὸν καὶ Πήλιον εἰνοσίφυλλον
> Ναίεσκον.
> *Magnetibus præerat Prothous, Tenthredonis filius,*
> *Qui circa Peneum & Pelium frondosum*
> *Habitabant*.

Nemo non videt Μαγνήτων apud Homerum esse incolas regionis Magnesiæ, qui circa Peneum & Pelium habitabant: a contrario observabo apud Strabonem Μαγνῆτας dici pro incolis urbis Magnesiæ: & male singulare substituere Casaubonum. Dumtaxat hoc loco Homerus *nominatim meminit* Μαγνήτων, quod negat Xylander perverse vertendo: at Strabo hoc non negat, sed ait Homerum post enumeratos multos Magnesiæ locos, nullum eorum nominasse Magnetas. Casaubonus hunc locum non emendat, sed obscuriorem reddit: Lego Μάγνητα. Magnesiæ, „ inquit, loca pleraque nominatim recenset Homerus. Sed ita ut nullum ejus locum Magnesiæ esse „ doceat: nusquam enim Magnetas nominat, nisi „ illo loco ubi ait Magnetum ἄρχειν Πρόθοον: ubi „ tamen nullius Magnesiæ loci nominatim fit mentio, sed τυφλῶς tantum καὶ οὐ γνωρίμως. Indignor „ Mediusfidius! Qui refert fluvium & montem Magnesiæ? an non is nominatim Magnesiæ loci, ne

dicam locorum mentionem facit? Casaubonus in notis dicit *nominatim mentio fit*. Strabo ὠνόμαϛε: Latine, *nominavit*: quid opus circuitione verborum? *Sed ita ut nullum ejus locum Magnesiæ esse doceat*) An non docet Homerus Peneum & Peleum loca esse Magnesiæ? & Magnesiam regionem esse ostendit Stephanus hoc loco & in Αἰξωνία. Denique cur legit Μάγνητα & non potius Μαγνητικόν: hoc nulla eget emendatione. Μάγνητας, id est, urbem Magnesiam, quam Homerus non nominat: elegans & usitata phrasis cum Græcis tum Latinis. Tacitus de *moribus German.* XXXVII. *Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens*.

In Appendice ad Marmora Oxoniensia est Inscriptio huic loco necessaria sed pessime Latina facta. pag. 301.

Τατία. Ηρωθέμιδος. Μαγνῆτις. Ἀπὸ. Σιπύλου. ζῶσα. ἑαυτῇ. καὶ
Τῷ. ὑῷ. κατοιχομένῳ. Λυσανίᾳ. Λυσανίου. καὶ τῷ. πατρὶ. Λυσανίᾳ.

TATIA. HEROTHEMIDIS. MAGNESIENSIS. A. MONTE. SIPYLO. DVM. VIXIT. SIBI. ET
FILIO. DEFVNCTO. LYSANIAE. FILIO. LYSANIAE. ET. PATRI. LYSANIAE.

Vertendum erat, MAGNETIS A. SIPYLO. Magnesia hæc & in Marmorea Basi est prope Sardes ad montem Sipylum in Lydia juxta Scylacem & Ptolomæum: Tristanus ponit in Phrygia: incognita Stephano & aliis quoque Scriptoribus, unde majores grates meretur nummaria supellex, quæ viros doctos bene commovit ad eam magis illustrandam, ut in qua appellari testantur ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΠΟ. ΣΙΠΥ. vel sine præpositione ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΣΙΠΥΛ. Strabo ὑπὸ Σιπύλῳ. Ptolomæus πρὸς Σιπύλῳ. Latini *ad Sipylum*, *a* vel *ab Sipylo*.

CAP. XVII.

PHILADELPHEA *urbs Mysiæ & Lydiæ: nam utriusque fines difficile disterminabantur eo tempore*. Μετὰ Λυδοὺς *melius verti apud Strabonem* in Lydis *quam* post Lydos. *Cur Mysi* Θρηνητικοὶ *appellati, tantumnon indicatur*.

PHILADELPHEA) Statua vestitu talari: tertia in Marmorea Basi, urbs Lydiæ & Mysiæ subjecta. Stephanus, Φιλαδέλφεια πόλις Λυδίας, Ἀττάλου κτίσμα τοῦ Φιλαδέλφου. ἔστι καὶ τῆς Κεκαυμένης ὑπὸ Μυσῶν καὶ Λυδῶν κατεχομένη. Στράβων δυοδεκαιδεκάτῃ. Strabo lib. XII. pag. 579. Καὶ ἡ Κατακεκαυμένη δὲ ἥπερ ὑπὸ Λυδῶν καὶ Μυσῶν κατέχεται, διὰ τοιαῦτά τινα τῆς προσηγορίας τετύχηκε ταύτης. ἥτε Φιλαδέλφεια ἡ πρὸς αὐτῇ πόλις, οὐδὲ τοὺς τοίχους ἔχει πιστούς, ἀλλὰ καθ' ἡμέραν τρόπον τινα σαλεύονται καὶ διΐστανται. διατελοῦσι δὲ προσέχοντες τοῖς γῆς τοῖς πάθεσι, καὶ ἀρχιτεκτονοῦντες πρὸς αὐτήν. Quid aliud inde colligas, quam regionem eam per diversa tempora, modo ab his modo ab illis possessam fuisse: sed licet tamen Mysorum aliquando potentia fuerit major, non desiit tamen apud Geographos appellari urbs Lydiæ. Hinc Stephanus eam non dubitat Lydiæ accensere, licet respiciat Strabonem citetque, qui inter Lydos & Mysos hæsitat; immo etiam plane ab Lydia separans Mysis attribuit libro XIII. pag. 628. Μετὰ δὲ Λυδούς εἰσι οἱ Μυσοί, καὶ πόλις Φιλαδέλφεια σεισμῶν πλήρης. οὐ γὰρ διαλείπουσιν οἱ τοῖχοι διϊστάμενοι, καὶ ἄλλοτ' ἄλλο μέρος τῆς πόλεως κακοπαθοῦν. οἰκοῦσι δ' οὖν ὀλίγοι τὴν πόλιν διὰ τοῦτο: *post Lydos sunt Mysi, & urbs Philadelphea crebris vexata terræ motibus: nunquam enim desinunt muri ruinam minari, aliasque alia pars urbis labefacta-*

A *ri: ea de causa pauci urbem inhabitant*: nisi illic placeat μετὰ exponi per τὸ *in*. Hesychius μετὰ πληθυῖ, ἐν τῷ πλήθει. Homerus *Iliad. β'.* 142.

Τοῖσι δὲ θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινε
Πᾶσι μετὰ πληθύν.

Thucydides: μετὰ χεῖρας ἔχειν. Immo Lydiam Mysiam vocatam fuisse testatur Scylax. Η χώρα μέχρι Τευθρανίας νῦν Λυδία. Hi sunt Philadelpheni, quibus amorem Dei Optimi Maximi & custodiam sermonis sui commendat Joannes Theologus post spatium circiter septuaginta annorum. Ex his olim terræ hiatibus (etsi norim alias quoque causas dari) Philadelphenorum forte Mysi Θρηνητικοὶ dicuntur

B apud Scholiastem Dionysii: Θρηνητικοὶ δὲ καὶ οἱ Φρύγες, ἔτι δὲ καὶ οἱ Κᾶρες, ἀφ' ὧν καὶ Καρικὰ θρηνώδη αὐλήματα. Τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ Φρύγες, ἔτι δὲ καὶ οἱ Μυσοί. Difficultas harum regionum notatur Straboni etiam l. XIII. p. 628. Τὰ δ' ἑξῆς ἐπὶ τὰ νότια μέχρι τοῖς τόποις τούτοις, ἐμπλοκὴν ἔχει μέχρι πρὸς τὸν Ταῦρον, ὥς τὰ καὶ τὰ Φρύγια, καὶ τὰ Λύδια, καὶ τὰ Καρικὰ, ἔτι τὰ τῶν Μυσῶν, δυσδιάκριτα εἶναι παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα: εἰς δὲ τὴν σύγχυσιν ταύτην οὐ μικρὰ συλλαμβάνει τὸ τοὺς Ρωμαίους μὴ κατὰ φῦλα διελεῖν αὐτοὺς, ἀλλὰ ἕτερον τρόπον διατάξαι τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται καὶ τὰς δικαιοδοσίας: *Quæ dein-*

C *ceps ab his locis versus meridiem sunt, usque ad Taurum implicata sunt; cum Phrygiæ, Lydiæ, Cariæ, Mysiæque partes inter se concurrentes discerni nequeant: ad quam confusionem haud parum fecit, quod non per gentes Romani loca ista diviserunt, sed alio modo diœceses seu præfecturas instituerunt, in quibus conventus agunt*. Præclara antiqua Inscriptio apud Georgium Wheler in *Itinerario* pag. 525.

ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΕΙΛΗΤΩ
ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΑΓΝΗϹΙΑ
ΚΟΙΝΑ ΑϹΙΑϹ ΕΝ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ
ΑΚΤΙΑ ΕΝ ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙ Β

D PYTHIA. MILETI
PYTHIA. MAGNESIAE
COMMVNIA. ASIAE. PHILADELPHEAE
ACTIA. NICOPOLI. BIS

CAP. XVIII.

TMOLVS *urbs & mons Lydiæ habitatus, non Ciliciæ contra Virum Celeberrimum, vino & croco lætus. Olim vicatim habitabant. Tmolus fruebatur jure monetæ: Freinshemii gerræ Germa-*

E *næ ad Tacitum rejiciuntur, dum* Tmolum *emendat* incolunt *sine ullo vetere libro: Tmolus urbs probatur variis modis, exemplis, nummis & testimoniis auctorum. Sacrificium Bacchi a nudis celebrari solitum*.

TMOLVS) Sic in Marmorea Basi optime legitur; quæ quanti momenti esse debeat, mirabiliter docent momenta temporum, quibus monumenta laborum suorum viri docti publicaverunt. Nam quum Ortelius nullam urbem eo nomine vellet agnoscere, eum sequutus fuit non modo Carolus Stephanus, sed etiam hodierna Anglia, quæ istius hominis laborem bis auctis incrementis locupletavit. Potuerant ubique (& id fuit

F officii eorum) utique vicum appellare cum Cicerone qui *pro Flacco* c. III. *Tmolites ille vicanus, homo modo nobis, sed ne inter suos quidem notus* cap. IX. de Heraclide Temnite accusatore Flacci: *qui hanc ipsam legationem quam habet, non accepit a suis civibus, sed usque Tmolo petivit*. Nota sunt tria loca Strabonis, quibus ille montem consecravit. Unde Vibius Sequester de montibus: *Tmolus Lydiæ mons vino insignis*. Nec injustos dicas hos auctores: tribuunt enim Tmolo

suum, quod & mons & in Lydia fuerit, nec progrediuntur ad alia, quæ relinquunt, prout erant. Quid tamen dicemus de Viro Celeberrimo *ad Eusebium*, cui studia mea plus debent, quam ut hic nominetur: *Nuspiam Tmolum urbem legi, præterquam in oratione pro Flacco; Timolites vicanus: Ita ut Tmolus non urbs sed vicus vel κώμη fuerit. Montem Lydiæ, aut ut Galeanus & Servius, Ciliciæ tantum novi. Hodierna appellatio priscæ vestigia retinet, Tomalitze.* Quam vellem non dixisse! *Tomalitze* non est alius quam Tmolus Lydiæ mons apud Ptolomæum. De urbe Tmolo postea videbimus: primum de monte Ciliciæ apud Servium, quem novit quoque Ortelius, aliique. In quo non aliud dici potest, nisi Servium magis sapere voluisse quam Virgilium ipsum; nam iste locus quum sit II. *Georg.* 97.

Sunt etiam Amineæ vites firmissima vina:
Tmolus & adsurgit quibus, & rex ipse Phanæus.

Ubi infeliciter Servius; *Tmolus mons est Ciliciæ: Phanæus mons est in promontorio Chii*. Hic Tmolus non est Ciliciæ, sed Lydiæ; nec debuit tam longe in Cilicia separari a Chio mons Tmolus, qui est in principio Asiæ Minoris, cui annectitur, ut ab Geographis ob viciniam Chius, sic ab Virgilio mons ejus Phanæus. Itaque ad librum I. *Georgic.* 59. *Croceos ut Tmolus odores*, jam magis se hæsitasse hac in re ostendit Servius: Tmolus mons Ciliciæ,
„ in quo nascitur crocum præcipue: nam loca com-
„ memorat, ubi plus provenit & melius aliquid
„ Nam crocum & in Africa nascitur, sed non tale
„ nec tantum, quantum vel quale in Cilicia, sed
„ Tmolus est mons etiam Lydiæ, circa oppidum
„ Sardis, qui diversis floribus abundat, unde
„ multi de Tmolo croceos odores similes croco acci-
„ piunt: alii non dixisse eum crocum apud Tmo-
„ lum nasci, sed vinum Tmoleticum crocei odoris.
„ nam & crocum in Cilicia apud Corycum nasci
„ Sallustius meminit. Certe hic agimus de Tmolo Lydiæ monte. Itaque sic etiam Solinus c. XLII. *A parte qua dies medius mons Lydiæ Tmolus croco florentissimus*. In tantum steti fide mea, ut probem Tmolum Lydiæ montem & vicum, habuisse speculam sedi commodam e Strabone, fuisse habitatum & legatum misisse e Cicerone. Hunc vicum habitatum tamquam urbem hic poni, nemo debuit mirari, cum omnes populi olim vicatim habitabant, non aliter quam Insubres, de quibus Strabo lib. v. pag. 205. Ινσυβροι δὲ καὶ νῦν εἰσί. Μεδιολάνιον δ' ἔσχον μητρόπολιν. πάλαι μὲν κώμην. ἅπαντες γὰρ ᾤκουν κωμηδόν. *Insubres vero & nunc sunt. Mediolanum habebant metropolim, olim quidem vicum. universi enim habitabant vicatim*. Denique Tmolus habuit jus monetæ: nam & hodie circumfertur nummus,



„ de quo Sponius: C'est le revers d'une petite
„ Sabine, chez Monsieur Falkner a Smyrne, frap-
„ pee par les habitans de la montagne de Lydie ap-
„ pellee Tmolus ΤΜΩΛΕΙΤΩΝ une petite Diane
„ avec son arc, pour marquer leur application a la
„ chasse. Videamus nunc Tacit. II. *Annal.* XLVII. *Et Hierocæsaream, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit, qui præsentia spectaret refoveretque*. Non potuit Tacitus magis Latine, vere & ἱστορικῶς narrare & sunt verba ære validiora, pro quibus magnam gratiam inivit ab omnibus eruditis. Hierocæsarea, Myrina, Cyme terræ motu concussa & refota fuit. Quid Tmolus impunitus abiit cum incolis, an etiam tactus fuit? sed tactus fuit, quemadmodum luculentissime Cap. v. supra probavi: aut non ego tantum, quantum Marmorea Basis, Tacitus, Eusebius & Nicephorus Callistus. Freinshemius tamen multis & speciosis verbis vult oppugnare & emendare *incolum* non ex veteribus libris sed ex ingenio: ratio quia *Tacitus inter urbes memorat, qui semper mons, nec ullum in eo oppidum reperitur*, Eusebium etiam refellit, quia & alibi peccat & quidem in eadem historia. Proh Deum atque hominum fidem! tantamne socordiam & ἀνιστορησίαν potuisse cadere in hominem doctum! Tacitus memorat Tmolum inter urbes & recte, quia habuit incolas, speculam, jus monetæ & legatum misit: *semper ut mons memoratur nec ullum in eo oppidum reperitur*, falsum: quamquam & hic videtur vestigia Celeberrimi Viri, quem tamen citare noluit, *ad Eusebium* sequi. Mehercules nollem geniis suis tantum indulsisse. Mons & vicus, qui habitatur, ostentat exedram, cudit monetam, mittit Romam legatum ut Proconsulem Asiæ accuset, hunc ab Historicis inter urbes numerari, nulla difficultas in eo debet esse. Sane & pleræque urbes a montibus & vicis cœpere, & eodem nomine mox montes & urbes nominaverunt. Sic Λαέρτης Stephano ὄρος καὶ πόλις. Circeii Straboni ὄρος καὶ πολίχνιον. lib. v. pag. 232. *Tænaron* Solino cap. XIII. *promontorium & urbs*. Aut si vetusta hæc exoluerunt: quamquam de Tmolo nihil nisi antiquum meditari debeamus: hodie in Etruria mons & urbs vitibus insignis, & maxime celebris epitaphio, quo PROPTER. EST. EST. prædicatur, olim Falisci, hæc urbs turribus, muris & portis vallata, nunc non aliter appellatur ab Italis quam *Monte Fiascone*. An ex hoc nomine quisquam inferre audeat *Monte Fiascone* appellari montem & non esse urbem? Plane est eadem argumentatio, quæ de monte Tmolo. Hæc comparatio immane quantum me delectavit, quam debeo Optimo Mæcenati, cujus auctoritate & consilio cum Florentia Romam peterem, & numquid vellet, humillime rogarem: magnificis minimeque ambitiosis commendatitiis ornavit, exoravitque verbis aptissimis, ut si umquam iter nobile & varietate rerum humanarum notandum ingressus essem, hoc fore: nullum hospitium, nullum tectum intrarem, quod non vestigia prisca alicujus populi, urbis, prælii aut casus memorabilis referret; festinarem lente: ubi Clusium & Trasimenum lacum (nam per ea loca iter faciebam) accessissem, Argus fierem: meminissem veteris & perpetuo præsentis urbis: nec esse urbem, cujus fundamenta aut situm in dubium vocare quis possit. Pulverem, qui ad Trasimenum lacum occurreret, non esse alium, quam Romanorum militum continuos & tumulatos cineres: ægre ferebat Patronus hunc locum adeo memorabilem & exercituum Imperatorum temeritate vel arte suspicandum, equo & non pedibus transire me posse. Lustravi, circumspexi pro facultate mea, observavi terræ motum, qui Trasimenum lacum concussit, non fuisse alium, quam qui Asiæ urbes afflixit: hoc est, ut superficiem terræ moveret, tolleret aut æquaret, non mutaret: nam idem locus etiam hodie campus Romanorum ossium pulvere albens montibus cingitur.

Verum si nondum hæ rationes & comparationes & auctoritates persuadeant jure Tmolum inter urbes censeri, & urbem esse: coronida huic Disputationi imponat postremus Herodotus, qui primas ferre debebat. lib. I. cap LXXXIV. de arce Sar-

dium: ὁ δὲ Μήλης κατὰ τὸ ἄλλο τεῖχος περιενείκα, τῇ ἦν ἐπίμαχον τὸ χωρίον τῆς ἀκροπόλιος, κατηλόγησε τοῦτο, ὡς ἐὸν ἄμαχόν τε καὶ ἀπότομον. ἔστι δὲ πρὸς τὸν Τμῶλον τετραμμένον τῆς πόλιος: *eum Meles per ceteram partem murorum circumduxit, quacunque poterat arx oppugnari: per hanc partem, tanquam inoppugnabilem aut præcisam circumducere prætermisit: quæ ad Tmolum vergit*: addo *civitatem*, πόλιος. Miror Laurentium Vallam non audere verbum verbo reddere, aut πόλιος vertere, quam tamen Herodotus non temere addidit. Debuisset hoc facere, vel si vocem πόλιος conjungendam putavisset cum verbo proximo τετραμμένον, ac notaret urbis partem conversam ad Tmolum montem; quod cur necessarium sit, non apparet. Utique hanc urbem si adfirmare non aliunde potuissem, hoc Inscriptionis Tiberianæ fulcro satis staret.

Hactenus sudavi circa montem, vicum & urbem Tmolum: pergamus ad imaginem urbis. Cernitur hic homo nudus, qualem nullæ aliæ urbes adstantem, ut similitudinem ipsarum alicujus exprimeret, finxerunt, e cujus humeris pellis dependet, dextra manu tenet pampinum uvis onustum, quasi adulto jam autumno primitias vindemiæ oblaturus Libero Patri, qui per totum Orientem & maxime in Tmolo (unde nota Baccho Tmoli juga etiam dixit Seneca *Phœniss.*) propter vitium lætitiam colebatur a procaci choro, ut loquutus est Tacitus XI. *Annal.* XXXI. Itaque hæc statua prorsus adspici debet ut interpres verborum Ovidii lib. IIII. *ex Ponto* epist. XV. ferens scilicet *Tmolia terra racemos*.

Etiam nuditas hujus festi demonstratur in arca sepulchrali e marmore Porphyretico antiquissimo Romæ extra portam Nomentanam in templo Sanctæ Agnetæ a Constantino exstructo: de antiquitate & præstantia marmoris vide Nardinum lib. IV. c. IV. Carpentum cum choro Bacchi nudo in marmore antiquo apud Tristanum in vestibulo Tomi secundi. Idem sacrificium Bacchi apud Leonardum Augustinum num. CXXXV. Et apud Seguinum num. XXVIII. Juliæ Severi uxoris.

CAP. XIX.

CYME *urbes Æolidis, quam perverse vertunt* CVMAE & CVMA *Laurentius Valla in Herodoto; Guarinus Veronensis, Gregorius Trifernas & Conradus Heresbachius, denique Guil. Xylander in Strabone; Isaacus Casaubonus in Polybio. Collaudatur emendatio Parentis ad Livium.*

CYME) Adstat homo palliatus dextra nuda & libera, quasi Lugdunensem rhetor dicturus ad aram. Stephanus, Κύμη πόλις Αἰολίδος, πρὸ τῆς Λέσβου, ἀπὸ Κύμης Ἀμαζόνος. ἐκαλεῖτο δὲ Ἀμαζόνιον. τὸ ἐθνικὸν Κυμαῖος. ἐντεῦθεν ἦν Ἔφορος ὁ ἱστορικὸς καὶ Ἡσίοδος. Mirum quod sileat de Homero, qui & ipse apud nonnullos Κυμαῖος. Etiam videtur hic palliatus sapientiam vultu præferre. Urbs hæc plurifariam male in libris legitur. Herodotus I. CXLIX. Αἵδε αἱ Αἰολίδες, Κύμη, ἡ Φρικωνὶς καλεομένη, Λήρισαι, Νέον τεῖχος, Τῆμνος, Κίλλα, Νότιον, Αἰγιρόεσσα, Πιτάνη, Αἰγαῖαι, Μύρινα, Γρύνεια; *Æolicæ autem civitates sunt, Cumæ, quæ & Phriconis appellata, Lerissæ, Novus murus, Temnus, Cilla, Notium, Ægiroessa, Pitana, Ægææ, Myrina, Grynia.* Ita vertit L. Valla, cum debuisset *Cyme*: de reliquis postea videbimus. Sæpius occurrit mentio hujus civitatis apud Herodotum & in *vita Homeri* passim. ἐπεὶ γὰρ ἡ πάλαι Αἰολιῶτις Κύμη ἐκτίζετο; *quum vetusta illa Æolum civitas Cuma conderetur*. Ita semper male L. Valla. Nam Gr. Κύμη, Lat. *Cyme* erat nomen. Laurentium Vallam imprudenter sequuntur Jo. Leunclavius in versione Xenophontis lib. VII. pag. 179. Κῦρος τε πόλεις αὐτοῖς ἔδωκε, τὰς μὲν ἄνω, αἳ ἔτι καὶ νῦν πόλεις Αἰγυπτίων καλοῦνται, Λάρισσαν τε καὶ Κυλλήνην παρὰ Κύμην πλησίον θαλάσσης: *deditque Cyrus eis urbes in regione superiori, quæ hac etiam tempestate urbes Ægyptiorum appellantur: & Larissam & Cyllenen propter Cumam haud procul a mari.* Interpretes Strabonis & Gulielmus Xylander: Strabo lib. XII. pag. 622. ἀπὸ Λαρίσσης μὲν διαβάντι τὸν Ἕρμον εἰς Κύμην: *si Hermum transeas usque ad Cumam*. Ibidem. Μεγίστη δέ ἐστι τῶν Αἰολικῶν καὶ ἀρίστη Κύμη: *Æolicarum urbium maxima est & præstantissima Cuma*: & ita passim apud Strabonem. If. Casaubonus ad Polybium lib. V. *Hist.* cap. LXXVII. ἦσαν δὲ δὴ τότε μεταθέμεναι πρὸς αὐτὸν, πρῶτον μὲν Κύμη καὶ Σμύρνα, καὶ Φώκαια: *inter eas quæ ultro se ei adjunxerunt, fuere, primo Cuma, Smyrna, Phocæa.* Qui omnes debuerunt vertere *Cyme*. Egregie Marmorea Basi probatur emendatio Parentis τοῦ μακαρίτου apud Livium XXXVII. XI. *Cyme, aliæque ejus oræ urbes ad eum metu defecerunt. Dum hæc in Æolide geruntur*; ubi vulgo *Cymæ*. Velleius I. IIII. *Et mox Æolii, eadem profecti Græcia longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos: clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mytilenemque.* Plinius V. XXX. *Æolis proxima est, quondam Mysia appellata, & quæ Hellesponto adjacet Troas. Ibi a Phocæa, Ascanius portus. Dein fuerat Larissa, sunt Cyme, Myrina, quæ Sebastopolin se vocat.* Mela I. XVIII. *Primam urbium a Myrino conditore Myrinam vocant. Sequentem Pelops statuit, victo Oenomao reversus ex Græcia; Cymen nominavit, pulsis qui habitarant, dux Amazonum Cyme.* Tacitus II. *Annal.* XLVII. *Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit.*

CAP. XX.

Danielis Cossonii Batavi & Jacobi Sponii Galli, utriusque Lugdunensis intimorum amicorum acerba memoria. TEMNOS *civitas Æoliæ, non mons tantum, variis Diis dicata Cybelæ, Minervæ, Herculi, & Æsculapio. Populus Temnites & Temnius. Admittitur Tristani emendatio ad Herodotum.*

TEMNOS) Altera Æoliæ civitas in Marmorea Basi; videtur esse homo capite turrito. A. Gallandus in epistola ad Sodalem meum Dan. Cossonium τὸν μακαρίτην disputat de nummo ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ, in quo dicit urbem sub capite feminæ turrito exprimi: nummus extat in *Itinerario* Doctissimi Viri Sponii, cujus memoria ob varia Lugduni quondam mihi præstita officia non minus grata est, quam familiaris mei Cossonii, ambo desiderati quoque multum Patrono meo Magliabecquio, nobisque humanæ fragilitatis tristia & amara exempla reliquerunt. Sponius cum maxime mihi metuebat in transitu brumali Alpium; lacernis, caligis muniendum monebat adversus horrendi Cenisii montis frigora, anxia oratione casus & pericula differebat, & me dum salvum cupit, ipse post annos crudelibus fatis raptus est.

Hæc urbs varie exprimitur per Cybelen apud Sponium & Amœnissimum Virum De Wilde; per Herculem apud Tristanum Tom. II. pag. 138. per Minervam Tom. II. pag. 400. Verum nulla istorum numinum species huic convenire videtur, ut putem in Marmorea Basi alium Deum sculptum esse propter nudum pectus, virile, succi plenum, & reliquam corporis partem vestibus opertam, præter pedes, nempe Æsculapium. Etiam Bulifon affirmat virum esse: quamquam caput muliebre quid osten-

tet: id cum conferrem cum Marmore, mihi obscurum & obsoletum apparebat, & id pro arbitrio pictor expressit. Brachia rupta sunt, cum quibus evanuit quoque baculum anguibus tortum: nisi forte is sit, qui nunc ad sinistram est, & per pictoris temeritatem transpositus: maxima tamen & integrior pars corporis plane Æsculapium demonstrat. Temnitas coluisse etiam Æsculapium confirmat Tristanus Tom. II. pag. 400. Harduinus refert nummos ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ: unum Antonini cum Æsculapio, alterum Gordiani cum Æsculapii stantis effigie. Civitas, ut dixi, Æoliæ Ciceroni sæpius memorata in Oratione *pro Flacco* c. XVIII. *Heraclides ille Temnites, homo ineptus & loquax, sed (ut sibi videtur) ita doctus ut etiam magistrum illorum se esse dicat*, &c. *Temni usque ad illam ætatem in senatum venire non potuit*. Cap. XIX. *Quod posteaquam Temni, litteris a P. Varino missis cognitum atque patefactum est; cumque eadem de re Cn. Lentulus, qui censor fuit, Temnitarum patronus, litteras misisset: Heraclidem istum Temni nemo postea vidit*. Cap. XX. *Securus Hermippus Temnum proficiscitur*. Cap. XXI. *Abduxisti Temno Apollonidem*. Xenophon. lib. IIII. *Hist. Græc.* ὅτι καὶ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἡ ἐξ ἀρχῆς βασιλέως ἐστὶ καὶ Τῆμνος οὐ μεγάλη πόλις: *quod & in Asia, quæ ab initio regis fuerit, & Temnus civitas non magna*. Strabo lib. XIII. pag. 621. Ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν, ἔτι καὶ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον, καὶ τὴν Τῆμνον, ὅθεν ἦν Ἑρμαγόρας ὁ τὰς Ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας: *Æolicis quæ nunc sunt urbibus, Æga etiam addendæ sunt, & Temnus patria Hermagoræ, qui præcepta artis Rhetoricæ scripsit*. Plinius l. V. c. XXX. de Æolide: *Sunt Cyme, Myrina, quæ Sebastopolim se vocat: intus Ægæ, Attalia, Posidea, Neontichos, Temnos*. Stephanus: Τῆμνος πόλις τῆς Αἰολίδος, &c. ὁ πολίτης Τημνίτης. Latini nominant hunc populum Temnitem & Temnium. Tacitus II. *Annal.* XLVII. Tamen Neapolitanus Editor montem vult esse secundum Ptolomæum & Strabonem, cujus verba citavi. Ex tot luculentis auctoribus & super eos Marmorea Basi munitur emendatio Tristani Tomo II. pag. 400. ad Herodotum I. c. CXLIX. Αἵδε αἱ Αἰολίδες, Κύμη, ἡ Φρικωνὶς καλεομένη, Λήρισαι, Νέον τεῖχος, Τῆνος, Κίλλα, Νότιον, Αἰγιρόεσσα, Πιτάνη, Αἰγαῖαι, Μύρινα, Γρύνεια. αὗται ἕνδεκα Αἰολέων πόλιες ἀρχαῖαι: *Hæ vero Æolicæ, Cyme, quæ Phriconis appellatur, Lerissæ, Neontichos, Tenus, Cilla, Notium, Ægiroessa, Pitane, Ægææ, Myrina, Gryneia; hæ undecim Æolum civitates veteres*. Recenset hic Herodotus civitates Æoliæ, in quibus deest *Temnos*: quam feliciter Tristanus dicto loco restituit.

CAP. XXI.

CIBYRA *olim propter militiam clara, urbs in Phrygia*. Apud *significat idem quod* in. *Tacitus emendatur ex manuscripto. Versio Xylandri in Strabone corrigitur*. CIBYRATAE *quattuor linguas callebant & facile ferrum tornabant*. CIBYRATAE *pantheræ & pernæ*. CIBYRA *post tredecim urbes labefacta est: & quo anno?* TRIBVNICIA POTESTAS *in nummis, colosso aut aliis publicis operibus designat annum, quo nummi cusi, aut opera ad exitum perducta sunt: non semper præcise tempus, quo decreta sunt. Hinc duplex error Francisci Angeloni accusatur contra tempus & imaginem nummorum*.

CIBYRA) Hæreo, adsistat Pallas, an miles Asiaticus galea cristata, hasta & tunica talari indutus, ne putes legionarium militem Romanum. Strabo in fine lib. XIII. pag. 631. μίαν ἑκάστης ψῆφον ἐχούσης, δύο δὲ τῆς Κιβύρας. ἔστελλε γὰρ αὕτη πεζῶν μὲν τρεῖς μυριάδας, ἱππέας δὲ δισχιλίους: *una quævis urbs suum habuit suffragium, Cibyra duo: quippe quæ mitteret triginta peditum, duo equitum millia*. Polybius in *Excerptis Legat.* 93. Τοὺς μὲν Καυνίους, Λύκον ἀποπέμψαντες μετὰ τῶν στρατιωτῶν, ἠνάγκασαν πάλιν ὑφ' ἑαυτοῖς τάττεσθαι, καίπερ Κιβυρατῶν αὐτοῖς παραβοηθησάντων: *Caunios quidem, Lyco misso cum exercitu, coegerunt rursus imperio parere, quanquam Cibyratarum aderant auxilia*.

Urbs est in Phrygia, quæ & ipsa in Asia Minore est, non in Cilicia, quæ extra Asiam regionem collocatur: hoc est, Asiam proprie dictam, non eam, quæ tertiam mundi partem constituit. Plinius V. XXVIII. *Sed prius terga & mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. Una appellatur Cibyratica. Ipsum oppidum Phrygiæ est. Conveniunt eo XXV. civitates*. Ptolomæus pag. 120. Κίβυρρα pro Κίβυρα etiam inter Phrygiæ oppida recenset.

Post situm firmanda est fides Marmoreæ Basis, ut & hæc restituta sit per providentiam Tiberii Cæsaris. Tacitus IIII. *Annal.* XIII. *Factaque auctore eo* (Tiberio) *Senatusconsulta, ut civitati Cibyraticæ apud Asiam, Ægirensi apud Achajam terræ motu labefactis subveniretur remissione tributi in triennium*. Luculentius exprimi clementia & justitia Tiberii erga Cibyratas non potuit. Investigemus annum, numerum & nomina urbium, num forte is aliquem scrupulum moveat: nam Capite II. scripsi Senecam, Plinium, Tacitum, Solinum, & Eusebium pag. 338. duodecim dumtaxat civitates referre: inter quas duodecim Cibyra non numeratur. Hinc magnus curarum æstus & doctissimorum hominum mentes fluctuantes. Ego sequor Marmoream Basim, fidissimam & certissimam ducem cum Tacito: *civitati apud Asiam*, hoc est, in Asia; quemadmodum *Ægirensi apud Achajam*, est, in Achaja. Tacitus I. *Annal.* V. *Vixdum ingressus Illyricum Tiberius, properis matris litteris accitur: neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit*. IIII. *Annal.* XV. *Effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere*. Vide ibi Lipsium. IIII. *Annal.* LXII. *Nam cœpto apud Fidenam amphitheatro*: Eusebius in *Chronicis* pag. 338. ἐν τῇ Φιδηνάτων πόλει τοῦ ἀμφιθεάτρου πεσόντος: Clavisius ait *Fidenis*. IIII. *Annal.* LXIV. *Actæque ei grates apud senatum ab inlustribus*. Suetonius *Augusto* c. XCIII. *Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit*. Atqui ab Ægira est gentile Αἰγιράτης & possessivum Αἰγιρατικός: unde in Tacito legendum *Ægiraticæ*: vel potius ex manuscripto Mediceo, cujus usum acceptum refero intercessioni Patroni, *Ægiensi*. Nam est etiam Ægium in Achaja. Stephanus: Αἴγιον πόλις Ἀχαΐας, ὡς Εὔδοξος ἐν ἕκτῃ, ὁ πολίτης Αἰγιεύς. Livius XXXVI. c. XXXV. *Consul cum L. Quintio ad Achaicum concilium Ægium trajecit*. XXXVIII. c. XXX. *Jam diu arcessentibus Ægiensibus maxime ac Lacedæmoniis, trajecit. Ægium a principio Achaici concilii semper conventus gentis indicti sunt*. Ibidem: *consul quoque quamquam Ægiensium favebat causæ, Argos venit*. Et ne dubites de auctoritate manuscripti Medicei, præsto est Seneca, qui omnem cunctationem tollit, lib. VI. *Nat. Quæst.* cap. XXV. *Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetisse? cum laboravit Ægium*, (de eodem terræ motu cum Tacito) *tam propinquas illi Patras de motu nihil audivisse*: Cicero V. *ad Atticum* epist. XXI. *Forum institueram agere Laodiceæ Cibyraticum & Apamense ex Idibus Martiis. Ibidem, Synnadense, Pamphylium*, &c. Strabo lib. XIII. pag. 630. Τὰ δὲ πρὸς νότον ἡ Κιβύρα ἐστὶν ἡ μεγάλη, καὶ ἡ Σίνδη, καὶ ἡ Καβαλὶς μέχρι τοῦ Ταύρου καὶ τῆς Λυκίας, &c. εὔσειστος δὲ καὶ ἔτος ἐστὶν ὁ τόπος: *versus meridiem*

Cibyra magna est, & Sinda, & Cabalais regio usque ad Taurum & Lyciam. Xylander, *Caballis usque ad Tanaum*, duplici lapsu. Eodem libro pag. 631. οὐδὲν δὲ ἧττον ἐν ταῖς μεγίσταις ἐξετάζεται διοικήσεσι τῆς Ἀσίας ἡ Κιβυρατική. Τέτταρσι δὲ γλώτταις ἐχρῶντο οἱ Κιβυρᾶται, τῇ Πισιδικῇ, τῇ Σολύμων, τῇ Ἑλληνίδι, τῇ Λυδῶν. ταύτης δὲ οὐδ' ἴχνος ἐστὶν ἐν τῇ Λυδίᾳ. Ἴδιον δ' ἐστὶ Κιβύρᾳ τὸ τὸν σίδηρον τορνεύεσθαι ῥᾳδίως: *nibilo secius inter maximas Asiæ præfecturas Cibyratica habetur. Quatuor linguis usi sunt Cibyratæ, Pisidica, Solymorum, Græca, Lydia: cujus ne vestigium quidem in Lydia superest. Id Cibyra habet peculiare, quod ferrum facile apud eos tornatur.* De Cibyratis Pantheris Cicero lib. V. *ad Atticum* epist. XXI. *hæ litteræ cetera vetera habebant, unum hoc novum de Cibyratis Pantheris.* Collaudat Athenæus pernas Cibyræ lib. XIIII. *Deipnos.* Κάλλισται (πέρναι) αἱ Γαλατικαί, οὐκ ἀπολείπονται δ' αὐτῶν. οὔτε αἱ ἀπὸ Κιβύρας τῆς Ἀσιατικῆς, οὔτε αἱ Λύκιαι: *optimæ* pernæ *Gallicæ, quibus tamen nec cedunt aliæ ex Asiatica Cibyra, nec Lyciæ.*

Denique videmus quanti pretii sit hæc Marmorea Basis. Eusebius Cibyram omisit, cum tantum duodecim & tredecim urbium faciat mentionem: & sit ita Tiberii Tribunicia potestate XIX. aut XX. Nam eo anno, uti ex Tacito & aliis auctoribus vidimus, duodecim urbes perierant, tertia decima urbs Ephesus sequenti anno, uti Eusebius probat. Adeo ut Josephi Scaligeri conjectura ad Eusebium sit indigna Scaligero, cum dubitabundus dicat, *quartam decimam urbem Cibyram ponit Nicephorus Callistus.* Omnino ita oportet: si universæ civitates comprehendantur, quarum misertus est Tiberius, & recte in versione Latina Frontonis Ducæi additur *Cibyra*: quæ in Græco textu laborat. Cummaxime mirum videtur proximis Tiberii annis Eusebium Cibyram & tantam urbem præteriisse. Ita omnes homines humani nihil a nobis alienum putemus. Interim gratulemur Marmoreæ Basi, quæ quartam decimam urbem sine controversia in Nicephoro Callisto nobis restituit, qua in Græco contextu lacuna illa supplenda est.

Factum fuit hoc Senatusconsultum, ut Cibyram juvaret, anno secundo post Tiberii Consulatum IIII. Tribunicia potestate XXIIII. Cum aliæ duodecim urbes interciderint ante quinque annos: nempe Tiberii Tribunicia potestate XIX. & anno proximo ante Tiberii Consulatum III. uti Tacitus palam affirmat: Eusebius pag. 338. Seneca *Nat. Quæst.* VI. I. Plinius & Solinus. His duodecim altero anno accessit Ephesus: Cibyra quinque annorum intervallo post, ut dixi. Adeo ut, qui tredecim aut quattuordecim urbes memorant, non loquantur de uno terræ motu, sed de duobus & tribus terræ motibus: uti liquido ex auctoribus apparet. Marmorea Basis non tam præcise recenset terræ motus, quo anno evenerint, quam nomina & numerum urbium & ante quem annum restitutæ fuerint omnes, nempe ante Tiberii Consulatum V. & Tribuniciam potestatem XXXIII. Tiberii circiter anno XVI.

Quid vero dicemus de nummis Tiberii Cæsaris, in quibus legitur ab una parte CIVITATIBUS. ASIÆ. RESTITUTIS; ab altera TRIB. POTEST. XXI. aut XXIIII. Nonnulli quoque sine Tribunicia potestate reperiuntur, qualem ipse possideo, & forma ejus est ad Caput II. Attamen Tribunicia potestate XXI. Cibyra ne quidem concussa fuit, multo minus restituta, quæ tamen in Marmorea Basi suo loco adstat: omnes tamen hi nummi exhibent Colossum Tiberii Cæsaris sedentis, quemadmodum recte a multis Antiquariis observatum est. Hunc nodum studebo solvere, quem & Capite X. destruxi. Duodecim civitates Asiæ cadunt Tiberii Tribunicia potestate XIX. ut sæpius notavi, Ephesus Tribunicia

A potestate XX. Post aliquot menses, qui facile labuntur, civitatibus Asiæ cunctantibus in tam ærumnoso rerum statu, quo confugerent, aut quid agendum foret, postquam legatos opem implorantes Romam misissent, fit Senatusconsultum, ut restituerentur, & Colossus Cæsari erigerentur, in cujus basi honos iste ævo legendus inscriberetur. Hoc Senatusconsultum ut latum fuit, non tamen eodem anno potuit Colossus iste dedicari. Non aliter quam legimus in Dione Cassio lib. LVIII. de Liviæ arcu a senatu decreto; Tiberius tamen postea verbis id Senatusconsultum protelavit. Sic quoque percussi nummi cum TRIBUN. POTEST. XXI. vel XXIIII. in quibus
B iste Colossus Senatusconsulti quidem auctoritate eretus nondum tamen factus demonstratur, nihilque asperum aut inconditum habent: & facilius nummos ferire, quam marmoreum Colossum & Basin cum adstantibus tredecim civitatium Asiæ statuis ex duobus saxis, & quidem dignum Tiberio Cæsare, satis acri publicorum operum arbitro elaborare. Interim dum conantur & moliuntur artifices Colossum Tiberii sedentis, anni fluunt, in quibus affligitur etiam Cibyra, & quidem antequam Basi manus admoveretur. Et parvum est tempus quattuor aut quinque anni marmoreo Tiberii Cæsaris
C corpori a fronte, tergo & lateribus rite poliendo, adeo ut facillime in hac Basi rudi adhuc suus locus Cibyræ dari potuerit, quæ etiam urbs Asiæ Minoris, terræ motu quassata, & Tiberio Cæsare restituta fuerit; adeo ut Tribunicia Potestas in nummis parum ad annum damni urbium pertineat: docet tantum factum, & annum quo flati sunt nummi: nam & ipsi nummi varie habent TRIB. POT. XXI. & TR. POT. XXIIII. Nummos, qui sine Tribunicia Potestate sunt, licet censere post Colossum jam erectum cusos fuisse. Immo revera in TRIBUNICIA POTESTATE XXI. & XXIIII. restituerat Asiæ civitates Tiberius, Senatusque consultum de Tiberii Colos-
D so perlatum fuerat: atque uti in nummis TRIBUNICIA POTESTAS demonstrat annum, quo cusi sunt; ita in Marmorea Basi TRIB. POTESTAT. XXXII. designat annum, quo absolutus & erectus est Colossus. Affirmationi meæ fidem faciam exemplo Inscriptionis optimo & quod vidi. In marmoreo ponte Ariminensi legitur TI. CÆSAR. &c. COS $\overline{\text{IIII}}$. TRIB. POTEST. $\overline{\text{XXII}}$. Atqui istum pontem inceperat Augustus, uti eadem Inscriptio sed male a Grutero edita præ se fert. Unde discimus Tiberii TRIBUNICIA POTESTATE $\overline{\text{XXII}}$. pontem absolutum fuisse. Ita & hic Colossus TRIB. POTESTAT. XXXII. positus & finitus fuit.

E Neque mirari satis possum judicium Francisci Angeloni, qui ad dictum nummum Tiberii non solum præpostere commentatus est: *credi terræ motus & clades evenisse in morte SERVATORIS JESU CHRISTI*; sed ineptiora magis accumulat: Ma tornando alle sovventioni date dall' „ Imperadore alli popoli dell' Asia nella già detta „ grave calamità loro, volendosene essi dimostrar „ grati, dedicarono a lui, & alla Città di Roma „ il tempio, che stà in medaglia con due Vittorie „ l' una per lato di esso, che tengono una Corona „ per ciascuna essendovi scritto ROM. ET AUG. „ cioè *Romæ & Augusto*. Secundo se n'è veduto un „
F tale per appunto in Augusto. Nummum Augu- „ sti nihil ad Tiberii restitutionem pertinere, quivis facile videt. Apud Amplissimum Comitem Mediobarbum tres nummi proferuntur in Tiberio cum litteris ROM. ET AUG. qui singuli & universi ante Tiberii imperium cusi sunt, proinde & hi nummi a Restitutione Tiberii, sive grato animo Asiatorum alienissimi sunt, quia tempore hi nummi priores sunt; & supervacuus est gratus animus ob singulare beneficium Restitutionis, cujus tunc

temporis non indigebant Asiani, & quod futurum nemo cogitabat. Hæc ad tempus redarguendum sufficiunt. Nunc consideremus imagines nummorum; *dedicarono*, inquit, *a lui & alla Città di Roma il Tempio che stà in medaglia con due Vittorie l'una per lato di esso, che tengono una Corona per ciascuna*. Erubescat Angelonus loqui sine Auctore prisco, & templum nullus Veterum dixit Tiberio erectum esse ob Restitutionem urbium: sed & evincam vanitatem dictorum ex ipsis imaginibus Dearum: nam quid rei est Deæ Victoriæ cum terræ motibus, aut calamitatibus aliunde acceptis, quam a virtute & armis Romanis? itaque sive annos & Tibunicias Potestates, grande momentum in nummis, sive ectypa & imagines nummorum examinemus; utrumque æque rude & indecorum Angelonus fatur. Denique visitur apud Amplissimum Comitem quartus nummus cum litteris COM. ASIÆ. ROM. ET. AUG. id est, *communitas Asiæ Romæ & Augusto*, ex Oyselii tabulis: quem nummum illustrat loco Taciti IIII. *Annal.* LVI. & refert ad templum ROMÆ ET AUGUSTI a Smyrnæis factum: Smyrnæi autem intacti abierunt ex his Tiberianis terræ motibus, dumtaxat Restitutione Tiberii non focillati fuerunt, neque gratias referre poterant ob beneficium, cujus vola nec vestigium ad Smyrnæos non pervenerat.

CAP. XXII.

MYRINA *Æolidis civitas: jactat fertilitatem terræ capite bovis: vel Bonasi caput est, quod animal iis regionibus cognitum: stipendiaria Romanis: quantum pecuniæ modum Tiberius remiserit, quo beneficio gloriantur Romani, ut publicetur.*

MYRINA) Æolidis civitas ad sinum maris. Stephanus; Μύρινα, πόλις ἐν Λήμνῳ. Ἑκαταῖοις Εὐρώπῃ. ἐςὶ ϰ̀ τῆς Αἰολίδος ἄλλη. Mela lib. I. cap. XVIII. *Æolidis primam urbium a Myrino conditore Myrinam vocant*. Ex qua oriundus Agathias *proœmio Historiæ* pag. 5.

Adstat mulier pudibunda terram intuens in veste recincta, manus sinistræ artis digitis tenens inane vas insulptum capite vel bovis, quod terræ fertilitatem demonstrat. Justinus lib. XVIII. cap. V. *In primis fundamentis caput bubulum inventum est, quod auspicium quidem fructuosæ terræ, sed laboriosæ perpetuoque servæ urbis fuit*. Vide Humanissimi viri Jo. Smetii *Antiquitates* pag. 194. Herodotus I. CXLIX. postquam Myrinam & undecim Æoliæ civitates recitasset, ait: ἔτοι δὲ οἱ Αἰολέες χώρlω μὲν ἔτυχον ϰτίσαντες ἀμείνω Ἰώνων; *hi vero Æoles regionem quidem habebant meliorem Jonibus*. Etiam Tristanus Tomo II. pag. 139. ad nummos ΜΥΡΕΙΝΑΙΩΝ, quorum copiam citat Harduinus, probat terræ fertilitatem ex Martiale lib. IX. Epigr. XLIII.

Campis dives Apollo sic Myrinis,
Sic semper senibus fruare cygnis.

Hæc explicatio quamquam non inepta existimari possit, addendam tamen & alteram putavi: cornua capitis videntur magis curva & crispa, quam ut tauris conveniant. Solinus cap. XLIII. ubi easdem regiones recenset: *in his locis animal nascitur, quod Bonasum dicunt, cui taurinum caput, ac deinceps corpus omne: tantum juba equina: cornua autem ita multiplici flexu in se recurrentia, ut si quis in ea offendat, non vulneretur. Sed quidquid præsidii monstro illi frons negat, alvus sufficit. nam cum in fugam vertitur, proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ardor quid quid attigerit, amburit: ita egerie noxia summovet sequentes. Miletos Joniæ caput, Cadmi quondam domus, sed ejus qui primus invenit prosæ orationis disciplinam. Non longe Ephesо Colophon civitas*, &c. Adverto Bonasum a Solino memorari in regionibus vicinis Ephesо, quæ in Marmorea Basi proxime sequitur. Præterea quoniam Tacitus II. *Annal.* XLVII. prodat *Myrinam idem in tempus levari tributis*; & Cicero lib. V. epist. XX. *Reliquum est de H-S centum millibus: de quibus memini mihi a te Myrina litteras esse allatas, non mei errati, sed tui*: loquitur autem Cicero in ea epistola non de rationibus & pecunia privata, sed publica, quam vel cujus partem forte ærario Myrina quotannis pendebat: suspicor illud vas in Marmorea Basi indicare modum & quantitatem nummorum, quos stipendiaria Myrina debebat Romanis, & quorum gratiam fecit Tiberius. Amplectitur mulier vas ab interiore parte quippe vacuum nummis. Mehercules Myrina non potuit nobilius & illustrius signum grati animi exprimere, quam in ipsa imagine, in ipsa figura tributi: immo Tiberio nihil lætius aut jucundius acceptum referri quivit, quam memores & gratantes Myrinæos videre non tam in ipso tributo remisso, quam in modo & æstimatione. Cicero valde commemorat liberalitatem suam, lib. V. *ad Atticum* epist. XX. *Interea e Cappadocia ne pilum quidem. Brutum abjectum, quantum potui excitavi; quem non minus amo, quam tu: pæne dixi, quam te: atque etiam spero toto anno imperii nostri teruncium sumptus in provincia nullum fore*. Epist. XXI. *Cave putes quicquam homines magis umquam esse miratos, quam nullum teruncium, me obtinente provinciam, sumptus factum esse, nec in rempublicam, nec in quemquam meorum*. Ibidem: *civitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprii talenta Attica ducenta: qua ex insula (non ὑπερβολιϰῶς sed verissime loquor) nummus nullus me obtinente erogabitur: ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum decerni sino: statuas, fana, τέθριππα prohibeo: nec sum in ulla re alia molestus civitatibus*. Micipsa moribundus memorat Jugurthæ beneficia, quibus eum exceperit: Sallustius *bello Jug.* c. X. Figura vasis præfert formam non plane dissimilem, quam habet vas marmoreum superimpositum columnæ marmoreæ Pisis cum inscriptione tributi, quod singulis annis Pisani Romam ferebant, prope marmoream turrim a tot sæculis inclinantem & collabentem, quam universa Europa suspicit & iterum vidisse juvat.

CAP. XXIII.

EPHESOS *non Ephesus: Lydiæ an Ioniæ urbs? Homo Tutulatus: quid flamma ardens? quid spicæ & papavera indicent? quæ fertilitas terræ Ephesinæ? Magna Diana Ephesia qualis? inter orbis miracula ejus templum: cum duobus candelabris: collocata in trunco arboris, non in marmore: contra Petrum Fabrum & Josephum Scaligerum, aut potius qui interpolavit ejus Animadversiones. Imagines Deorum Dearumve habebant basim: Ryckius arguitur, qui ξόανον de heroibus, βρέτας de viris bene meritis solum dici vult: simulachrum Dianæ forte fuit inauratum: Ephesos prima & princeps civitas Asiæ Minoris: defenditur lectio Florentina in lege* IV. D. de officio proc. & legati.

EPHESO) Ita Editor Neapolitanus, & addit,
„ in manu dextra observatur fasciculus, quo
„ tenentur tres spicæ & duo fructus, & pone una
„ Dea sita supra marmor striatum: habens præterea
„ supra caput flammam, quæ quasi circularis eun-
„ do in girum attollitur in superiore parte. Vide
„ Le-

Lector, quid de opulentissima Epheso & Μεγάλῃ Ἀρτέμιδι inconditum & rude proferat: hoc nec Illustrissimo Florentino Patrono, nec Nobilissimo Vallette Neapolitano placere posse, Jovem lapidem jurarem. Jacienda est ergo alea mei laboris, ut videant hi ambo Μερμέροι Ἄνδρες me non plane indignum aut immemorem, quem ad Summæ Eruditionis & Humanitatis Aram admiserint. Lego autem non EPHESO sed EPHESOS: supra TEMNOS, Æthici Cosmographia *Ephesos*. Julii Oratoris Excerpta *Efesos*. Summus Salmasius *ad Solinum* pag. 809. etiam in Plinio emendavit *Ephesos*. Utique Græca civitas ab Androclo Codri filio condita; Strabo lib. XIIII.

Herodotus lib. I. cap. CXLII. Lydiæ adscribit Ephesum. Strabo Ioniæ. Eustathius *in Dionysium*: Πόλις Ἰώνων, κατὰ δὲ Ἡρόδοτον Λυδίας: *civitas Ioniæ, juxta Herodotum vero Lydiæ*. Stephanus, Ἔφεσος πόλις Ἰωνίας ἐπιφανεστάτη, καὶ λιμὴν ἐν κόλπῳ: Ἡρόδοτος δὲ Λυδίας αὐτὴν φησίν. In Marmorea Basi, quia præcessit Myrina, urbs Æolidis, & reliquæ omnes præter penultimam ad Lydiam pertinent, non constat ad Lydiam, an ad Ioniam referri velit.

Homo adstans videtur tutulatus, de quo Varro lib. VI. *de Ling. Lat. Tutulati dicti hi, qui in sacris in capitibus habere solent, ut metam, id tutulus appellatur ab eo, quod matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt Tutulos. sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant. sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima, Tutulus vocatur*.

Flammam ardentem, & quidem tantam, quam fert in capite, putem significare incendium Herostrati, e cujus ruinis Ephesii propriis sumptibus aliud splendidius & magnificentius templum erexerunt. Strabo lib. XIV. Eustathius *in Dionysium* & Solinus cap. XLIII. Sic Mutius Scævola semper cum dextra ardente pingitur, quia ex igne celebrior factus est. Nam ut ignis iste respiceret originem urbis & flammam stramentorum, e quibus aper procucurrit, qui deinde jaculo confossus procubuit, ostenditque locum condendæ urbis, uti tradit Athenæus lib. VIII. pag. 361. vix admitto, quia aper nusquam in Marmorea Basi apparet, sine quo illa historia non debet exprimi.

Spicæ & papavera propria Cereri indicant terræ Ephesinæ fertilitatem a flumine Caystro rigatæ. Plinius lib. V. cap. XXIX. *Ephesus* (Salmasius *Ephesos*) *Amazonum opus, multis antea expetita cognominibus*, &c. *Attollitur monte Pione, alluitur Caystro in Cilbianis jugis orto, multosque amnes deferente, & stagnum Pegaseum, quod Phyrites amnis expellit*. Cicero III. *in Verrem* cap. LXXXIII. *Video Philomeliensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quam Ephesum portare, aut ad emendum frumentum Ephesum pecuniam & legatos mittere*. Strabo laudat etiam vinum Ephesinum.

Dea a dextris est Diana Ephesia; quam qui ignorat, fateatur se ignorare templum Dianæ Ephesiæ e septem orbis miraculis, & Μεγάλην τὴν Ἄρτεμιν Ἐφεσίων. Καὶ οὐ γινώσκειν τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς Μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς. Caput Dianæ videtur turritum & velatum instar Cybeles cum duobus candelabris, uti explicat Leonardus Augustinus; Antonius Augustinus in dial. V. *duplici baculo manum fulcit utramque*. Lucas Holstenius & Petrus Seguinus, *Diana Ephesina cum mammis ac verubus*. Ceterum baculum & verua tot nodorum intervallo sunt incondita satis. Malim sequi Leonardum Augustinum, & putem hæc candelabra fortassis occasionem dedisse sacris *Apocalypseos* verbis, quibus minatur DEUS OPTIMUS MAXIMUS per Joannem Theologum *Apocal.* c.

A II. Τῷ ἀγγέλῳ τῆς Ἐφεσίνης ἐκκλησίας γράψον, &c. Ἔρχομαί σοι ταχὺ, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς: *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe*, &c. *Veniam ad te cito, & movebo candelabrum tuum e loco ejus, nisi pœnitentiam egeris*. Neque enim minæ, quæ aliis urbibus fiunt, concipiuntur in hanc locutionem, aut candelabri mentionem habent. An in Marmorea Basi nodi candelabrorum similes videantur nodis, floribus, & amygdalis expressis in candelabro aureo Hierosolymitano, in medio cogitandum relinquo.

Diana Ephesina posita non *in marmore striato*: sed in stipite arboris. Mehercules venerari hic
B libet Marmoris singularem industriam, quod Dianam Ephesinam exhibet, qualem semper fuisse contra Viros Summos ex Auctoribus probabo, & quidem talem, qualem in nullis nummis, gemmis & statuis antiquis editam in hunc usque diem vidi, nisi in nummo 52. apud Whelerum & duabus marmoreis tabulis Arcus Triumphalis Constantini; ubi Imperator accinctus ad venationem sacrificat Dianæ venatrici columnæ superimpositæ. Callimachus *in Dianam*:

Σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι
Ἔν κοτε παρραλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο,
C Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ,
Tibi & Amazones bellum affectantes
Olim maritimæ Ephesi statuam posuerunt
Fagino in stipite.

Ubi versio Vulcanii minus proba est, *altam quæ projicit umbram Fagus*: & distinctio post ἱδρύσαντο tollenda. Nam βρέτας Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ, non est Fagus alta aut lata, sed truncus & stipes Fagi: neque Fagus simulachro Dianæ umbram faciebat, sed templum, in quo collocatum erat. ὑπὸ idem quod ἐπί. Homerus *Odyss.* ξ. prope finem ὑπὸ τεύχεσι πεπτηῶτες Κείμεθα, *in armis prostrati Jacemus*. Immo Petrus Faber l. III. *Semestr.* c. III legit Φηγῷ
D ἐπὶ πρέμνῳ: quod male vertit, *constituerunt ad Fagi stipitem*: additque, *hoc ipsum & Dionysius nisi quod non fagi, sed in ulmi potius trunco vel stipite templum illud ab Amazonibus conditum, summo futurum hominibus miraculo cecinit*. Ego malo, *posuerunt In fagi trunco*; ut sit, simulachrum Dianæ, quod habebant sive e cælo delapsum, sive manu factum, illud idem *simulachrum posuerunt*, βρέτας ἱδρύσαντο *in trunco fagi*. Sic Strabo lib. XIV. pag. 637. Τότε ὕπαιθρον ὁμοίως μεσόν ἐστι τῶν ἀρίστων ἀνδριάντων: ὧν τρία Μύρωνος ἔργα κολοσσικὰ, ἱδρυμένα ἐπὶ μιᾶς βάσεως: *Similiter locus sub dio patens, plenus est optimarum statuarum: inter has tria Myronis opera co-*
E *lossea, uni insistentia basi*. Imploro arbitrium Lectoris, ut ad hæc verba mentem, oculosque ad Dianam in Marmorea Basi expressam intendat & judex sedeat. Ego existimo verba Callimachi aliter verti non debere nec posse: nam de templo, quod quidam volunt, ipse Callimachus paulo post:

Κεῖνο δέ τοι μετέπειτα περὶ βρέτας εὐρὺ θέμεθλον
Δωμήθη.
Postea circa illud simulachrum magnum ædificium
Exstructum est.

Nunc transibo ad Dionysium, qui videtur plus difficultatis habere. vers. IↃCCCXXIIII.

F Παρράλίην Ἔφεσον, μεγάλην πόλιν Ἰοχεαίρης,
Ἔνθα Θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τετύχοντο
Πρέμνῳ ἐνὶ Πτελέης, περιώσιον ἀνδράσι θαῦμα.
Maritimam Ephesum, magnam urbem Dianæ,
Ubi Deæ quondam ædem Amazonides struxerunt
In stipite Ulmi, immensum hominibus miraculum.

Petrus Faber eleganter tentat μεγάλης. Ex his verbis vult Faber *in Ulmi trunco templum illud conditum* fuisse. Quod non possum concedere: nam si tem-

plum ſtruxiſſent in Ulmi trunco, quum unus ſuſtinendo tanto operi non ſuffecerit, dixiſſet Dionyſius Πρέμνοις ἐν πτελεῶν: neque truncis ſed palis ulmorum vertendum foret. Præterea falſum eſt templum Dianæ conditum in ſtipite ulmi. Plinius lib. XXXVI. cap. XIIII. templi *fundamenta calcatis ſubſtravere carbonibus, dein velleribus lanæ*. Sic qui Fabri mentem ſequitur, in varios & inextricabiles nodos incidat neceſſe eſt. Arbitror autem Θεῇ πρέμνῳ ἐνὶ πτελέης, *Deæ in ſtipite ulmi*, ſcilicet ſitæ, fecerunt ædem. Prorſus uti apud Lucianum de Apolline legitur in dialogo *de Gymnaſiis* pag. 288. edit. Salm. Καὶ τὸ ἄγαλμα δὲ αὐτοῦ ὁρᾷς, τὸ ἐπὶ τῇ ςήλῃ κεκλιμένον: *cujus vides ſimulachrum, eum qui eſt ſuper columna reclinatus*. Ubi columna non poteſt aliter explicari, quam ut ſit baſis. Quidni ergo? Θεῇ ἐνὶ πρέμνῳ πτελέης & βρετας φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ: Deæ cujus baſis eſt truncus Ulmeus, & ſimulachrum cujus baſis eſt truncus Fagi: nam ὑπὸ idem quod ἐπὶ.

O πάνυ Joſephus Scaliger in *Animadverſionibus* " *Euſebii* pag. 55. poſt verſus Dionyſii. Amazo- " nes, inquit, conſtruxerunt templum in ſtipite " ulmi: quod ſane abſurdum eſt. Unde Priſcianus " non tetigit hunc locum. Si ſcripſiſſet πρέμνῳ " ἐπὶ πτελέης rectum eſſet. Nam Simulachrum " Dianæ Epheſinæ erat truncus acutus ulmeus: " unde Epheſus prius vocata fuit Πτελέα, cives " Πτελεαῖοι, Πτελεάται, auctore Stephano. Qua- " re non mirum, ſi hunc locum Dionyſii Euſta- " thius enarrator non aſſecutus eſt. Hoc vult Dio- " nyſius: Amazones conſtruxerunt templum in " honorem trunci ulmei, hoc eſt, ſimulacri Dia- " næ. Plinius vitigineum, non ulmeum truncum, " Callimachus autem fagineum fuiſſe perhibet:

" Σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι,
" Ἐν κότε παρραλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο
" Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ.

" Quæ verba haud dubie imitatus eſt Dionyſius. " Ex quibus colligitur Ἱππὼ Amazona condidiſſe " templum, ſimulacrum vero conſecraſſe in fagi- " neo trunco.

Hæc ſunt Sibyllæ foliis leviora: & utrovis modo legas apud Dionyſium Πρέμνῳ ἐνὶ ſive ἐπὶ πτελέης, eodem res redit. Nam quod Strabo lib. XIIII. pag. 637. ἐπὶ μιᾶς βάσεως: Lucianus, ἐπὶ τῇ ςήλῃ: Dion Caſſius XXXVI. pag. 33. ἐπὶ κιόνος ἱδρυμένον: id Dionyſius ἐνὶ πρέμνῳ πτελέης. Ceterum quomodo verba Dionyſii conjungenda & explicanda ſint, ſupra oſtendi.

Simulacrum Dianæ Epheſinæ erat truncus acutus ulmeus) Hoc liceat dixiſſe Scaligero, non Dionyſio, & eſt ἀσύνθετον: certe ex verbis Πρέμνῳ ἐνὶ πτελέης non colligitur fuiſſe truncum ulmeum *acutum*, ſed hebetem, craſſum, obeſum: at quid opus verba Dionyſii contra ſenſum augeri ab interprete? ſit truncus quicunque, is non eſt *acutus*, ſed planus, largus, columnæ ſimilis, qualem videmus in Marmorea Baſi.

Amazones conſtruxerunt templum in honorem trunci ulmei) Recte, ſi ita Dionyſius locutus fuiſſet: cur non dicit Scaliger, in honorem *Deæ in trunco ulmeo*? liberum relinquit poeta arbitrio lectoris ſimulachrum ex qua materia ſit. Scaliger ſibi habeat materiam, modo ne affirmet, *Hoc vult Dionyſius*.

Callimachus autem fagineum fuiſſe perhibet.) In fine verſuum ex ſignis " conjicio hæc verba poſtea addita, quæ Scaliger forte ſibi memoriæ cauſa in margine adnotaverat: nunc in contextum admixta, ſatis imprudenter & cum dedecore tanti viri. Hoc eſt commune fatum doctorum, ſi ipſis telam pertexere non datur. Nam Callimachus minime gentium dixit *fagineum* ſimulachrum: ſed βρέτας Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ, quod vertendum eſt, *ſimulachrum in trunco qui erat fagus*. Multo minus dixit Callimachus *conſecraſſe in fagino trunco*: ſed ἱδρύσαντο φηγοῦ ὑπὸ πρέμνῳ, *poſuerunt Fagi in ſtipite*.

Hæc ſunt amara ſatis, neque cum larvis mihi luctandum cenſeo: Scaligeriana autem illa non puto; Marmorea Baſis cum phraſi Græcorum collata hæc ipſa qualiacunque ſunt, vera & lucida ante oculos demonſtrabit.

Neapolitanus tamen Editor pag. 10. cenſet in Marmorea Baſi exprimi *Deam ſuper marmor ſtriatum*. Dea hæc in trunco ulmeo poſita, culta fuit ſeptingentis duobus ante annis, quam ars ſcalpendi aut ſtriandi marmoris cognita eſſet, quam artem Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. & lib. XXXVI. cap. V. ad Phidiam refert, hoc eſt, anno ante C. N. CCCCXLVI.

Præterea ſimulachra Deorum Dearumque apud priſcos in templo ſita habuiſſe ſuam baſim diſcimus ex Luciani loco citato: de Diana ex Marmorea Baſi, & duabus marmoreis tabulis in arcu Conſtantini. Forte tamen quidam dubitabunt de Diana Epheſia, quia baſis illa in nummis Epheſiorum non cernitur, qui nummi eadem auctoritate muniuntur, qua Marmorea Baſis. Quibus reſpondeo, nummos non ſemper integram ſtatuam cum baſi exhibere: exemplum eſt nummus Tiberii, ut patuit Cap. II. Idem advertere eſt in ſtatuis equeſtribus, quæ ſemper habuerunt baſim. In nummis Arſcotan. tab. XLVII. n. XIIII. IMP. VII. COS. III. eſt ſtatua equeſtris M. Antonini ſine baſi: hæc eadem ſtatua equeſtris inaurata etiam hodie viſitur integra in area Capitolina cum baſi: videtur quidem baſis recentior, ſed reſtituta eſt ad priſcam formam, cum olim ad Baſilicam Lateranenſem ſtaret. Hodie in Italia nec vetus nec nova ſtatua equeſtris uſquam ſine baſi exſtat, & tamen in nummis raro baſis additur. Dion Caſſius lib. XXXVI. pag. 33. Καὶ ἀγάλματα ἄλλα τε καὶ Διὸς ἐπὶ κιονος ἱδρυμένον &c. ἔπεσε: *cum alia ſimulachra, tum Jovis columnæ inſiſtens* &c. *ceciderant*. Male vertit Xylander: nam Jupiter hic non TONANS, quem Auguſtus poſtea; non CUSTOS, quem Domitianus dedicavit, ſed CAPITOLINUS, neque inſiſtebat ſed ſedebat: formam ejus habemus apud Ryckium c. XIX. Gorlæum parte II. CLXXXV. & CCLXXXIII. & Nardinum: quibus addo inſignem Suetonii locum *Domit.* c. IV. *Certamini præſedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite geſtans coronam auream cum effigie Jovis Minervæque*: ἱδρυμένον itaque verto *ſitum, poſitum*; non *inſiſtens*, quod falſum. Hic JUPITER. OPTIMUS. MAXIMUS, qui idem Capitolino in columna poſitus in nummis exprimitur ſine columna. Sed & vidiſſe juvat apud Whelerum in *Itinerario* nummum 52. Septimii Severi; cujus averſam formam rariſſimam & lectiſſimam huic loco neceſſariam cenſui: in quo Diana Epheſia columnæ ſuperimpoſita propalam cernitur: formam Jovis ex Gorlæo petii.





Ne sic quidem a Celeberrima & Magna per Asiam Dea desistere possum, quin prius addam aliquid etsi incertius, quam præcedentia, de simulachro ipsius Deæ, quod e cælo lapsum credebatur, & Lectoris industriam provocem inter duos insignes auctores Græcum & Latinum, Xenophontem & Plinium. Xenophon lib. v. *de expedit. Cyri* pag. 350. Ο δὲ ναὸς ὡς μικρὸς, μεγάλῳ τῷ ἐν Εφέσῳ εἴκασαι· τὸ ξόανον ἔοικεν ὡς κυπαρίσσινον χρυσῷ ὄντι τῷ ἐν Εφέσῳ: *fanum ipsum ut parvum, magni similitudinem Ephesini refert: itemque simulachrum, ut cupressinum Ephesino aureo simile est*. Ex hoc loco arguitur RycKius de Capitolio, qui ξόανα Heroibus, βρέτεα viris bene meritis simulachra facta ait: cum hic ξόανον apud Xenophontem & βρέτας apud Callimachum de Dea dicatur. Plin. lib. xvi. cap. XL. *Buxum maxime æternam putant, ebenum & cupressum, cedrumque claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ, utpote cum tota Asia exstruente quadringentis annis peractum sit. Convenit tectum ejus esse e cedrinis trabibus. De ipso simulachro Deæ ambigitur. Ceteri ex ebeno esse tradunt. Mutianus ter consul ex his, qui proxime viso eo scripsere, vitigineum & nunquam mutatum septies restituto templo*. Forte aureum fuit hoc simulachrum, qualis domus Neronis *aurea* Plinio lib. XXXIV. cap. VIII. Suetonio cap. XXXI. Aut statua Alexandri Magni a Lysippo facta, quam *inaurari jussit Nero*. Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. Interim dum hi duo ambigunt de materia Deæ aurea an lignea sit; truncus certe cui superimponitur, ligneus est; & strias, quas putat Neapolitanus esse marmoris, existimo esse rimas arboris. Ceterum truncum hunc quo minus viderim in vulgatis imaginibus Dianæ Ephesiæ, eo magis gratulor majestati Marmoreæ Basis, quæ Dianam Ephesiam ex fide exhibuit, meque docuit reliquas Ephesias, quæ Romæ & alibi cernuntur, esse Dianas, sed fundum non habere & de iis pronunciem quod Ulpianus de legibus, *esse imperfectas*.

Ordo & locus in Marmorea Basi, quem obtinet Ephesos, non est infimus; uti dici solet, *Virtus in medio*. Miror tamen primum locum non obtinuisse inter Asiaticas urbes, quemadmodum apud Eusebium & Nicephorum Callistum. Fuit etiam prima delecta a DEO OPTIMO MAXIMO e septem Asiaticis Ecclesiis, quibus *pœnitentiam* per Joannem præciperet: immo ante Sardianos, ante Philadelphenos; qui in Marmorea Basi præeunt. De Epheso Herodotus lib. II. cap. CXLVIII. Καίτοι ἀξιόλογός γε καὶ ὁ ἐν Εφέσῳ ἐστὶ νηός: *tametsi Ephesi templum est memoratu dignum*. Strabo lib. XII. pag. 577. Απάμεια δ' ἐστὶν ἐμπορεῖον μέγα τῆς ἰδίως λεγομένης Ασίας δευτερεῦον μετὰ τὴν Εφεσον. αὕτη γὰρ καὶ τῆς ἀπὸ τῆς Ιταλίας καὶ τῆς Ελλάδος ὑποδοχεῖον κοινόν ἐστιν. *Apamia vero est emporium magnum Asiæ proprie dictæ, secundum post Ephesum. Hæc enim Italiæ & Græciæ est commune hospitium*. Idem lib. XIV. Αρίστη πόλις καὶ ἐνδοξοτάτη &c. ὁ μὲν οὖν λιμὴν τοιοῦτος. ἡ δὲ πόλις πρὸς τὰ ἄλλα εὐκαιρία τῶν τόπων. αὔξεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν: ἐμπόριον οὖσα τῶν κατὰ τὴν Ασίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου: *civitas optima & celeberrima* &c. *portus quidem talis est: civitas vero inter cetera felix plaga: augetur quotidie, emporium magnum eorum qui Asiam intra Taurum* inhabitant. Plinius lib. v. cap. XXIX. *Ephesum vero alterum lumen Asiæ remotiores conveniunt*. Mela lib. I. cap. XVI. *Ibi Ephesus & Dianæ clarissimum templum*. Solinus cap. XLIII. *Ephesus in ea urbs clarissima est: Epheso decus templum Dianæ, Amazonum fabrica adeo magnificum, ut Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercerit*. Dio lib. LI. pag. 458. Καῖσαρ δὲ ἐν τούτῳ τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε, καὶ τεμένη τῇ τε Ρώμῃ, καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ιούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Εφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν. αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ασίᾳ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προετετίμηντο: *Cæsar hoc tempore cum alia quædam egit, tum templum Romæ, ac patris sui, quem heroem Julium vocabat, Ephesi & Nicææ fieri permisit: hæ enim tum urbes Asiæ & Bithyniæ clarissimæ habebantur*. Tacitus lib. III. *Annal.* cap. LXI. *Primi omnium Ephesii adiere*. Nummus apud Goltzium in *Cæsare Augusto* pag. LXXVI. ΕΦΕΣΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑΣΙΑΣ. Numismata edita ab Luca Holstenio Viro Celeberrimo Romæ 1658. ΕΦΕΣΙΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡ. ΠΡΩ. ΑΣΙΑΣ & ab aliis Antiquariis. Sic apud Tacitum & in nummis *Ephesii primi Asiæ*. Pausanias in *Phocicis* ad finem: Εν δὲ Αρτέμιδος τῆς Εφεσίας πρὸς τὸ σχῆμα ἐρχομένῳ, τὸ ἔχον τὰς γραφὰς λίθου θριγκός ἐστιν ὑπὲρ τοῦ βωμοῦ τῆς πρωτοθρονίης καλουμένης Αρτέμιδος: *quum venisset ad Dianæ Ephesinæ sacellum, ubi est pinna lapidea litteras habens insculptas super altare Dianæ, quæ Protothronia vocatur*.

Dionysius tamen Gothofredus & Batavus Editor pudendum errorem committunt, dum legem IV. §. 5. *D. de offic. proc. & legati*, contra Mediceum manuscriptum, contra bonos auctores, contra nummos publica auctoritate flatos, mutant & corrumpunt; legunt etenim: *Imperator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare*, καὶ τῶν μητροπόλεων Εφεσον, *(inter matrices urbes Ephesum) primum attingere*. In Manuscripto perspicue legi *primam*. Ephesus erat prima μητρόπολις Asiæ & Ioniæ. Hanc Ephesum debebat Proconsul Asiæ appellere & transire: si forte insulam Samum, aut Chium, aut Smyrnam aliamve Asiæ civitatem Proconsul prius petierit, non offendebat, modo Ephesum primam & principem Asiæ civitatem appellat, & in portu naviget.

CAP. XXIV.

APOLLONIDEA *urbs Lydiæ mendose legitur apud Hieronymum, & bis apud Eusebium: Scaliger perperam disjungit: idem error in Nicephoro Callisto committitur: male item apud Tacitum: civitas inhonora, non ἀνομωτάτη, uti censet Aurelius.*

APOLLONIDEA] Videtur puer (forte candidam) succinctus tunicam manu dextra tenens cucurbitam, vilem & notissimum fructum in Italia. Neapolitanus Editor non potuit discernere. Civitas non adeo celebris quam reliquæ: hinc illæ tenebræ & doctissimorum hominum lapsus. Insistam vestigiis Marmoreæ Basis, quæ neque hic, neque alibi, ubi integra est, mentiri potest. Cum maxime laborat hæc urbs apud Eusebium tribus locis. In versione Latina Hieronymi pag. 157. *Tredecim urbes terræ motu ciderunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Ægæ, Hierocæsarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cyme, Myrina, Apollonia, Dia, Hyrcania*. Ait tredecim & numerantur quattuordecim. Addamus notam Scaligeri: Dia, Hircania] Farrago „ Chronici ex Bibliotheca Regis hæc verba ci- „ tans non habet Δια. Aut *Dia* separatim legen- „ dum, & ita XIV. urbes erunt non XIII. aut *Dia* „ *Hyrcania* conjunctim. Nam ego Diam urbem „ nusquam reperio in illo tractu Asiæ, quum ta- „ men Nicephorus Callistus *Diam* seorsim ponat. „ Sin autem, ego puto male Hyrcaniam a Mo- „ sthenis distingui. Mostheni cognomine Hyrcani „ erant non solum in illo tractu, sed inter illas ur- „ bes, quæ terræ motu corruerint. Tacitus. *Qui-* „

" que Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur.
" Stephanus: ἔστι δὲ καὶ Ὑρκάνιον πεδίον τῆς Λυδίας.
" Omnino Μοσθηνοὶ Ὑρκανοὶ conjungenda erant.
" Sed hæc in medio discutienda relinquimus.
" Quartam decimam urbem Cibyram ponit Nicephorus Callistus. Lego apud Hieronymum auctore Marmorea Basi non *Apollonia Dia* sed *Apollonidea*; & jam sunt tredecim, non quattuordecim: nec illo anno plures civitates percussæ fuerunt. In ipso Eusebio pag. 76. Τῆς Μικρᾶς Ἀσίας σεισμῷ ιγ πόλεις κατεπτώθησαν, Ἔφεσος, Μαγνησία, Σάρδεις, Μοσίνη, Αἰγαὶ, Ἱεροκαισάρεια, Φιλαδέλφεια, Τμῶλος, Τῆμος, Μυρίνη, Κύμη, Ἀπολλωνία, Δία, Ὑρκάνια: ait ιγ & numerat ιδ. Emendo rursus Ἀπολλωνίδεια. pag. 201. iidem errores corrigendi. Nicephorus Callistus etiam vitiose circumfertur; quæramus urbem propositam, & alias in proximis emendabimus: hic legit Ἀπολλωνία, Ὑρκανία, Δία. Rursus substituo Ἀπολλωνίδεια, Ὑρκανία. Tacitus lib. II. *Annal.* cap. XLVII. *Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægeatas, Apollonienses*, &c. Ad postremam urbem commentatur Aurelius; Multæ A-
" polloniæ, Pontica, Macedonica, Cyrenaica.
" Hic Apollonia Troadis, quæ prius Assos dicta.
" Plinius v. c. XXX. πόλις ἀνομωτάτη, ait Strabo.
Apud Tacitum non nominatur *Apollonia Troadis* sed APOLLONIDEA Lydiæ; & Tacitus omnino emendandus, *Apollonidenses*; quemadmodum & præcedens urbs emendatione indiget, quam manu scriptus Mediceus restituet infra in voce AEGAEAE Plin. lib. v. cap. XXX. *Pergamena vocatur ejus tractus jurisdictio. Ad eam conveniunt Thyatireni, Mygdones, Mossini, Bregmenteni, Hieracomitæ, Perpereni, Tyareni, Hierapolenses, Harmatapolitæ, Attalenses, Pantaenses, Apollonidienses, aliæque inhonoræ civitates*. Sit ergo longe ab Apollonidea πόλις ἀνομπτάτη Aurelii. Cicero *pro Flacco* c. XXIX. *Verum esto: negotiari libet: cur non Pergami? Smyrnæ? Trallibus? ubi & multi cives Romani sunt, & jus a nostro magistratu dicitur? otium te delectat: lites, turba, præter odio est: Græcorum libertate gaudes. Cur ergo unus Apollonidenses amantissimos populi Rom. fidelissimosque socios, miseriores habes, quam aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuerit unquam*. Cap. XXXII. *Quid? hæc Apollonidenses occasione facta ad Flaccum detulerunt? apud Orbium acta non sunt? apud Globulum delata non sunt? ad senatum nostrum, me consule, nonne legati Apollonidenses omnia postulata de injuriis unius Deciani detulerunt? ad hæc prædia etiam in censu dedicavisti. Mitto, quod aliena: mitto possessa per vim: mitto, quod convicta ab Apollonidensibus: mitto, quod a Pergamenis repudiata*. Lib. I. *ad Quintum fratrem* epist. II. *Itemque Apollonidenses, ne de bonis, quæ Octavii fuissent, deminui paterentur, priusquam Fundanio debitum solutum esset*. Ubi Gruterus notat: *Apollonidienses* Lambinus; nam Pall. *Apollonidenses*. Vulgata *Apollonienses*: en idem mendum, quod in Tacito: secutusque est Faber in *Lexico*. In eadem epist. *Quid multa? ferebat graviter, id vehementer mecum querebatur, orabatque ut ad te quam diligentissime scriberem: quod facio & te prorsus vehementer etiam atque etiam rogo, ut & procuratoribus Flavii remittas de deminuendo, & de Apollonidiensibus, ne quid perscribas, quod contra Flavium sit; amplius & Flavii causa & scilicet Pompeii, facias omnia*. Erat Quintus frater Proconsul Asiæ, ut notum vel ex Suetonii *Aug.* cap. III.

CAP. XXV.

HYRCANIA *campus Lydiæ ab Hyrcanis cognominatus: fuit civitas, quæ monetam percussit.*

HYRCA...) Inde HYRCANIA, legendum: non HIRCANIA, quod substituit Bulifon: nam Græci Ὑρκανία: neque *Dia Hyrcania*, ut tentavit Scaliger ad Eusebium: neque *Hyrcaniadia*, ut Ducæus ad Nicephorum Callistum: Scaligerum quoque imprudenter secutus est Ortelius scribendo *Diahyrcania legit Eusebii Chronicon*. Videtur hic puer succinctus tunicam, cujus manus & brachia perierunt. Campus est Lydiæ: Livius lib. XXXVII. cap. XXXVIII. *Consul circa Thyatira regem esse ratus, continuis itineribus quinto die ad Hyrcanum campum descendit*. Cognominatus a Persis & Hyrcanis: Strabo l. XIII. pag. 629. Τῷ δὴ Καϋστριανῷ πεδίῳ μεταξὺ πίπτοντι τῆς τε μεσογαίας, καὶ τοῦ Τμώλου, συνεχές ἐστι πρὸς ἕω, τὸ Κιλβιανὸν πεδίον, πολύ τε καὶ συνοικούμενον εὖ, καὶ χώραν ἔχον σπουδαίαν. εἶτα τὸ Ὑρκάνιον πεδίον, Περσῶν ἐπονομασάντων, καὶ ἀποίκους ἀγαγόντων ἐκεῖθεν: vertit Xylander, *Caystriano itaque campo, qui medio loco inter mediterranea & Tmolum incidit, versus orientem conterminus est Cilbianus campus magnus & habitationibus probe aptus, agrique fertilis. Sequitur Hyrcanis campus, quem sic Persæ nominaverint a colonis ex Hyrcania eo adductis*. Ut tamen ab Hyrcanis ad Caspium mare habitantibus distinguerentur, hi cognominati fuerunt *Macedones Hyrcani*. Plinius lib. v. cap. XXIX. *Smyrneum conventum magna pars Æoliæ, quæ mox dicetur, frequentat: præterque Macedones Hyrcani cognominati, & Magnetes a Sipylo*; qui ambo populi in Lydia. Tacitus lib. II. *Annal.* cap. XLVII. *Quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur*. Stephanus: ἔστι δὲ Ὑρκάνιον πεδίον τῆς Λυδίας, ὡς Ἐρατοσθένης ἐν πέμπτῳ Γαλατικῶν. Hic populus adeo convaluit, ut urbis & monetæ privilegia receperit: nam & hodie varii nummi apud Antiquarios Sponium, Whelerum, Harduinum & alios ostenduntur cum litteris ΥΡΚΑΝΩΝ.

CAP. XXVI.

MOSTENE *laudatur fructibus & nuce sua. Populus* MOSTENI. *Lapsus Scaligeri evincitur*.

MOSTENE) Videtur hic mulier, quæ in sinu stolæ implicatæ dextra manu fert fructus, poma, flores: sinistra tenet nucem pineam cum scapo, cujus arbor consecrata Cybelæ. Virgilius *Eclog.* VII.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis.

Plinius lib. XVI. cap. XXVI. *In maxima tamen admiratione Pinus est; habet fructum maturescentem: habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio. Nec ulla arborum avidius se promittit*. Vel potius *nucem Mostenam*, cujus meminit Eubulum apud Athen. l. II. *Deipnos.* Εὔβουλος, φηγοὺς, κάρυα, καρύστια. καλεῖται δέ τινα καὶ Μόστηνα κάρυα: *Eubulus, Fagi, Carya, Carystia. Nucum genus quoddam vocat Mostenum*. Celebratur MOSTENE fructibus & nuce; quemadmodum Tmolus vite; Ephesos spicis & papavere; Apollonidea cucurbita. Sic Judæa palma. Civitas est campestris Lydiæ: populus Mosteni Ptolomæo & Tacito II. *Annal.* XLVII. de hac calamitate: *Quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur*. Sunt multæ urbes, quarum populus idem omnino nomen & terminationem habet sine ulla augmentatione litterarum. Πασικάνη, τὸ ἐθνικὸν Πασικάνιοι λέγονται καὶ Παρίκανοι. Σεκέλα, τὸ ἐθνικὸν Σεκέλοι. Σιγύνα, τὸ ἐθνικὸν Σιγυνος. Σκάσοι, πόλις Λυκίας, ἧς τὸ ἐθνικὸν ὁμοίως.

Τυρμίδαι, ὁ δημότης Τυρμίδης. Φαλέριον, τὸ ἐθνικὸν Φαλέριος. Φαλίσκος πόλις, καὶ Φαλίσκοι οἱ οἰκήτορες. Φερεντανὸν, τὸ ἐθνικὸν φερεντανός. Sic Μοσλὼν, Μόσλωοι. Ex Marmorea Basi & prædictis patet, ut puto, quam sit annotatio *ad Eusebium* indigna Scaligero: Mosthene) Ita Bongars. & Græca Eu-
" sebii & Edit. & Nicephorus Callistus. Μοθηνοὶ
" Ptolomæo. FRE. Osthene. Petav. & PR. *Mo-*
" *nesthen.* Male. Posset & legi *Mosthenæ*, ut Μο-
" θηνοὶ Ptolomæo; aut Latina forma *Mostheni*, ut
" Tacito. Altera tamen lectio confirmatur Græcis Eusebii. In Ptolomæi Editione 1605. & Petri Bertii video *Mosteni*, Μοσηνοί. non *Mostheni*. In Nicephoro Callisto Ducæi 1630. Μοσλωὴ, in Latina versione male *Mosthene*. Certe Marmorea Basis, Taciti manuscriptus Mediceus, (in quo legi, *Mosteni*) Ptolomæus, Athenæus & Nicephorus Callistus probant constanter *Mostene*. Nummum ΜΟΣΤΗΝΩΝ habet Harduinus.

CAP. XXVII.

AEGAE *corrigitur in* AEGAEAE *ex punctis & spatio litterarum, quod Marmorea Basis occupat. Oppidum in Æolia. Idem corrigitur apud Plinium, Polybium in* Excerpt. Legat. *apud Strabonem, Tacitum ex manuscripto Medicco, Eusebium, Nicephorum Callistum & Scylacem.*

. . . . . E) Queritur Gellius lib. II. cap. XIV.
" Cum M. Cato in libro CONTRA TIBERIUM E-
" XULEM scripsisset *Quid si vadimonium capite ob-*
" *voluto stitisses*: falsos & audaces emendatores
" *stetisses*, fecisse, tanquam *stitisses* vanum & ni-
" hili verbum esset. quin potius ipsi nequam &
" nihili sunt, qui ignorant, *stitisses*, dictum a Ca-
" tone, quoniam *sisteretur vadimonium* non *stare-*
" *tur*. Hactenus Gellius. De me ne idem dicatur, cum maxime cautio est. Incidi enim in eumdem scopulum, quem vitare solus, nisi adjuvet Mœcenas, non possum. Ejus ægide tutus huic emendationi incumbam, quamque salutares mihi ejus operæ fuerint ex Tacito monstrabo. . . . E) Hinc non AEGE quod fecit Neapolitanus, sed AEGAEAE legendum. Oppidum continentis in Asia apud Æolidem; non in Cilicia, non extra Asiam Minorem, neque in Macedonia quærendum. Ante omnia consideremus spatium & puncta, quibus AEGE impar, AEGAEAE plane par invenimus. Ne te pigeat, Lector Æquissime, hasce minutias mecum lustrare; est enim hujus oppidi nomen ubique fere corruptum aut omissum etiam a doctissimis viris. Rem, quam tenet manu sinistra, dicit Neapolitanus Editor, esse cornu Amaltheæ, caput coronatum aut turritum. Immo vere turritum, & miror hic primum occurrere, quod in quibusdam præcedentibus statuis desideraveram: notum est apud Antiquarios Asiæ civitates sæpius turritas exprimi. Sic Sardes apud Seguinum nummo III. & aliæ passim; dextra continet hastam. Videtur mulier stolam induta. Herodotus lib. I. cap. CXLIX. Αἵδε καὶ Αἰολίδες, Κύμη, ἡ Φρικωνὶς καλεομένη, Λήρισσαι, Νέον Τεῖχος, Τῆμνος, Κίλλα, Νότιον, Αἰγιρόεσσα, Πιτάνη, Αἰγαῖαι, Μύρινα, Γρύνεια: *Æolicæ autem* (civitates) *Cyme, quæ Phriconis vocatur, Larissæ, Novus Murus, Temnus, Cilla, Notium, Ægiroessa, Pitana, Ægææ, Myrina, Grynia.* Plinius fere eadem lib. V. cap. XXX. *Æolis proxima est, quondam Mysia appellata, & quæ Hellesponto adjacet Troas. Ibi a Phocæa, Ascanius portus. Dein fuerat Larissa: sunt Cyme, Myrina, quæ Sebastopolim se vocat: intus Ægæ, Attalia, Posidea,* &c. Ex Herodoto Plinius emendatur *Ægææ*. Polybius lib. V. cap. LXXVII. ἦσαν δὲ δὴ τότε μεταθέμεναι πρὸς αὐτὸν,

A πρῶτον μὲν Κύμη καὶ Σμύρνα καὶ Φώκαια. μετὰ δὲ ταύτας Αἰγαιεῖς καὶ Τημνῖται προσεχώρησαν, καταπλαγέντες τὴν ἔφοδον: *inter eas, quæ ultro se ei adjunxerunt, fuere, primo Cyme, Smyrna, Phocæa, deinde Ægæenses & Temnitæ adventu illius perterriti deditionem fecerunt.* In *Excerpt. Legat.* CXXXVI. Διορθώσασθαι δὲ Προυσίαν καὶ τὴν καταφθορὰν τῆς χώρας, τῆς τε Μηθυμναίων καὶ τῆς Αἰγέων, καὶ τῆς Κυμαίων καὶ Ἡρακλεωτῶν: *item ut Prusias damna sarciat agris illata Methymnæorum, Ægiensium, Cumæorum & Heracleotarum.* Emendo, Αἰγαιέων, *Ægæensium, Cymæorum*. Strabo lib. XIII. pag. 621. Ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν, ἔτι καὶ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον, καὶ τὴν Τῆμνον:
B *Æolicis quæ nunc sunt urbibus, Ægæ etiam addendæ sunt & Temnus.* Ubi necessario scribendum Αἰγαίας, *Ægææ*. Tacitus lib. II. *Annal.* cap. XLVII. de hujus urbis populo: *Temnios, Philadelphenos, Ægeatas,* &c. *levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit.* Ita vulgo legitur. At in manuscripto Mediceo Florentiæ observavi *Ægæatas*: nec aliter scripsisse Tacitum certus sum: tanti est adire Florentiam & salutare Mœcenatem, ejusque Ἀμαλθεῖον & gratiam ambire. Ex his puto liquere, quam infeliciter Josephus Scaliger *ad Eusebium*, qui ter edidit Αἶγαι pro Αἰγαῖαι, & hæc alle-
C gat: „ Ægæ) Multæ sunt hoc nomine, sed τὰς
„ Αἰολίδας intelligendum: ταῖς Αἰολίσι πόλεσι καὶ
„ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον, Strabo. Tacitus: Phi-
„ ladelphenos, Ægeatas, Nicephorus Callistus
„ hujus non meminit. In Nicephoro hodie ita legitur; Ἀπολλωνία, Υρκανία, Δια, Καὶ *. Quæ emendari debent, Ἀπολλωνίδεια, Υρκανία, Αἰγαῖαι. Quæ Aurelius *ad Tacitum* refert, descripta videntur ex Scaligeri allegatis. Scylax, πόλις Μυρίνα καὶ λιμὴν, Κύμη καὶ λιμὴν, ὑπὲρ δὲ Κύμης ἐν μεσογείᾳ πόλις Ἑλληνίς ἐστιν Αἶγαι καὶ Λεῦκαι καὶ λιμένες: *urbs Myrina cum portu, Cyme cum portu, supra Cymen in mediterraneo tractu est urbs Græca Ægæ & Leucæ cum*
D *portubus*. Valde me offendunt Αἶγαι καὶ: loquitur enim Scylax de una mediterranea civitate; ut illud καὶ videatur detruncatum ab Αἶγαι. Pergit enim ut incepit, Μυρίνα καὶ λιμὴν, Κύμη καὶ λιμὴν, ὑπὲρ δὲ Κύμης ἐν μεσογείᾳ πόλις Ἑλληνίς ἐστιν Αἰγαῖαι, Λεῦκαι καὶ λιμένες; ex Αἶγαι καὶ corrigo Αἰγαῖαι.

CAP. XXVIII.

HIEROCÆSAREA *urbs Lydiæ, cujus varii quoque reperiuntur nummi.*

H. . . . . AESAREA) Inde recte Antonius
E Bulison emendat HIEROCAESAREA. Non Apollinis magis oraculum verum quam hoc est: tolloque manum. Homo qui cernitur tunicatus, habet caput turritum. Civitas est Lydiæ. Tacitus II. *Annal.* cap. XLVII. de hoc ipso terræ motu. *Et Hierocæsaream, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit.* III. *Annal.* cap. LXII. *Altius Hierocæsarienses exposuere, Persicam apud se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum: & memorabantur Perpernæ, Isaurici, multaque alia imperatorum nomina, qui non mo-*
F *do templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerunt.* Eusebius & Nicephorus Callistus habent idem omnino nomen, quod Marmorea Basis demonstrat, in quo lubet gratari Marmori & bonis Auctoribus, quod tam fideliter conspirent. Habet Seguinus nummum ΙΕΡΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Plures nummos HIEROCAESARIENSIUM profert Harduinus.

Hoc ὁδοιπόριον post secundam in Italia peregrinationem & Amplissimorum Virorum erudita consortia Vincentii Coronelli Summi Venetorum Geographi, qui me proximo anno in Batavis quæsivit,

dum cum Venetis Legatis illuc transiret: nec non post Celeberrimi & Amænissimi Joannis Ciampini Academiam Romæ, ut & Spectatissimi & Gravissimi Prioris Dominici Antonii Galdolphi Genuæ, aliorumque Clarissimorum hominum Humanitates, ad quos Mœcenas Magliabecquius per Italiam perque Germaniam commendatitias dederat, quas tanquam Deum hospitalem ac tesseram circumferebam, apparavi, ad quod invitem rerum & litterarum amantes: non velut Phineus Argonautas invitavit, ut eorum auxilio cibum, quem Jovis canes auferebant, ipse caperet & in os ingereret: nullos enim tales novi, aut mihi rem cum illis fuisse memini, sed ut ingeminem, Κοινὸς Ερμῆς, mecumque ingenuarum deliciarum muria condimentisque fœtentem Marmoream Basim lustrare velint, & ut ipse sine ullius fraude per has epulas insatiabilis pasco, ita aliis liberali & aperta manu porrigo cœnam, quæ carpendo augebitur, & nunc vix ad secundas mensas pervenit: exspectoque ab aliorum eruditione cis & trans Alpes, ut feras epidipnidas instruere dignentur.

Basim Marmoream cum statuis urbium curavi exprimere juxta exemplum Neapolitani Editoris, qui illud ex ipso marmore depinxit. Formam Colossi integram, quæ subjuncta est titulo libri, restitui ex publicis monumentis: hoc est, corpus Tiberii sedentis ex nummis cum inscriptione, CIVITATIBUS. ASIÆ. RESTITUTIS: & basim huic idoneam & convenientem ita destinavi, ut non putem, ad ullam aliam statuam magis decore referri posse hanc Marmoream Basim, cujus historiæ defendendæ gratia hanc telam pertexui; quod si frustra fuerim, spero me peregrinationis studium & voluntatem æquis rerum arbitris probavisse.

FINIS.

MAGNÆ DEUM MATRIS IDÆÆ *ET* ATTIDIS INITIA.

Ex vetuſtis monumentis nuper Tornaci Nerviorum erutis.

AUCTORE

LAURENTIO PIGNORIO CANONICO TARVISINO.

LECTORI

LAURENTIUS PIGNORIUS.




ÆC sigilla quæ vides (amice Lector) extabant olim Tornaci, prope quod etiam effossa fuerant, apud Dionysium Villerium Canonicum, virum eruditum. Fuerunt autem ex ære omnia, & e sacrario (ni fallor) veteris alicujus Fani magnæ Deum Matris, cujus religio videtur etiam eo pervasisse; ab eo fortasse tempore, quo Galli, ut inquit Pausanias, in Atticis, *Pessinuntem, ad montem Agdistin, nobile Atys tumulo oppidum ceperunt. Pessinunte etenim Acdestis, Atys corpus ceremoniis annuis, & sacerdotum antistitibus honoravit, inquit Arnobius lib.* V. *nec non & Strabo lib.* XII. *Claudianus* in Eutropium, *lib.* II. *Pausaniæ dictum firmat;*

> Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
> Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit
> Gæsaque deposuit jam Grajo mitis amictu,
> Pro Rheno poturus Halyn.

Attidis icunculam pauxillum argenti ornat, ut dicemus: non dubio argumento & præclari artificis, quod loquuntur & ipsa oris lineamenta, & existimationis in qua fuerit apud Sacerdotem aliquem, sive apud procerum quempiam in Larario privato, & familiari. Et vero apud me etiam visitur antiqua Pallas ærea, semipedis magnitudine, oculis, zona, & calceamentis ex argento incisis: qua vix aliud vidi magis absolutum in hoc genere veterum Sigillorum, quamvis etiam extent alicubi, ut vidimus olim, solido ex argento elaboratæ imagunculæ Martis & Fortunæ, rudiusculæ tamen, & minus politæ. Et hæc sane omnia Lararii vel Adyti alicujus instrumenta fuerunt, ut dixi. Nisi malimus ad Initiatos referre, qui Initiorum quædam signa & monumenta, sibi a Sacerdotibus tradita, ut scribit Apulejus in Apologia, *quam vocant primam, seorsum sedulo conservabant. Et apud hos moribus fuerat receptum (eodem teste) circumferre secum etiam peregre simulachrum alicujus Dei, ipsique diebus festis, thure & mero, & aliquando victimis supplicare. Quod & non omnino bene cessit Asclepiadi Philosopho apud Ammianum Marcellinum lib.* XXII. *Verum hæc forte alias latius disquiremus. Manus porro, dextra est; ita conformata, ut pollicem, indicem, & medium, sive impudicum sustollat, annularem & minimum deprimat, eo schemate, quo nostræ Religionis Antistites populum olim solebant consignare, quodque Pictores in effingenda* CHRISTI *domini dextera manu, sacram Crucis tesseram imprimente, mordicus retinuere. At quare manui hæc symbola insculpta sunt? an quia Diabolus jam tunc studuerit elevare mira calliditate eum gestum, quem Christiani Sacerdotes adhibituri erant sacro signo exprimendo? an quia in ea manu crederent Ethnici vivere Atydis minimissimum digitum, qui perpetuo agitaretur motu, ut ex veteribus Theologis tradidit Arnobius? an quia & Isis, ut infra dicemus, manum sacram ostentaverit in pompa? Verum, quia viri eruditi arbitrati sunt, hanc manum aliquando conspicuam fuisse inter signa militaria, quod Aquilam fulminiferam in summis digitis prætulerit; dicemus Aquilam Legionariam fuisse auream, non æream, teste Dione lib.* XV. *non quidem impositam digitis, sed fulmen prensantem unguibus, & stantem in summa hasta. ut passim ostentant De-*

narii gentis Antoniæ: & alibi veteres nummi, ut apud Æneam Vicum in Galba. At aliquando cernitur sine fulmine, ut perspicui in vetere monumento M. Pompeii Aspri, Romæ apud Cæsios, & in aliquibus Denariis. Neque vero non erat hæc nostra major, utpote conspicienda, & edito loco in summo hastili statuenda. At solitaria & fulminifera sine hasta, visitur sæpe apud Gorlæum, media videlicet inter duo signa minora. Sed manui impositam (hac nostra excepta) ego numquam vidi. Arulæ insidentem vidi aliquando, Scipioni eburneo aliquoties, Globo non semel, Pyræ Cæsarum sæpius. Manus vero erant quidem in Signorum (ut ita dicam) censu: at diversa conformatione, ut in Nummis Trajani apud Æneam Vicum, & in Dactyliotheca Gorlæi.




Fig. 2.
Fig. 4.
ORIENS AVG
Fig. 3.
Fig. 1.

LAURENTII PIGNORII
PATAVINI
MAGNÆ DEUM MATRIS IDÆÆ
ET
ATTIDIS INITIA.



ATTIDIS nomine Phryges Solem venerati olim sunt. Ita Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. XXI. & Macrobio antiquior Arnobius lib. V. extremo. Hujus Attidis sive Attinis fabulam qui cupit pervidere, is adeat Diodorum Siculum l. III. Pausaniam in *Achaicis*, Arnobium in principio lib. V. & Servium in IX. *Æneidos*, & e recentioribus Gyraldum *Syntag.* IV. Cartarium nostræ editionis pag. 190. 191. 192. Ejus autem imago ea est quæ exhibetur, *ore* videlicet *excellentissimo*, ut sunt Arnobii verba, & specie inter virginem & puerum eximia. Catullus hoc idem voluit. *Carm.* 64.

Quod enim genus figuræ est, ego quod non habuerim?
Ego mulier; ego adulescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.

Caput autem tectum mithra Phrygem indicat. Hi enim hoc pileo usi sunt, ut nos alibi latius ostendemus. Braccas, quas gerit indutui, vidimus in vetere Ara, quam primus JACOBUS MAZOCHIUS publicavit, in qua Attis Pinui innixus Cybelem aspectat. Reliquum vestis diductum & sinuatum videtur mihi non carere mysterio, ut quod sui ambitu & patore malum Punicum referat, cujus specie capta mater Attidis Nana facta fuerit prægnans, uti scriptum reliquit Arnobius. Porro digiti dexteræ manus, index & impudicus virilia ostendentes eo alludunt, ut commonstrent masculum pudendum, Deum matris delicias illas luctuosas. Monile vero, Cingulum, & Fibulæ Braccarum (si quos hoc etiam scire delectat) incisa sunt omnia ex argento. Et hæc quidem quoad Attidis imaginem satis. Manus ærea, cum inanis sit, minimeque solida, neque videatur adhæsisse trunco brachii, ideo fabrefacta forsan fuit, ut sceptro, vel hastili non ita magno insereretur. Cui usui? inquies. Ut præferretur in pompa ipsi matri Deum. Qua plane ratione Antistitum unus Isidi prægestabat. *Æquitatis indicium deformatum manum sinistram porrecta palmula*, ut scribit Apulejus libro XI. *Metamorphoseon*. Et sane Isidis sacra non abierunt a mysteriis matris Deum. ULPIUS enim EGNATIUS FAVENTINUS PATER ET HIEROCERYX D. S. I. M. fuit etiam sacerdos Isidis: & C. MENATIUS SEVERUS matri Deum & Isidi fanum refecit: ut minime mirum sit hanc manus prælationem utrobique fuisse receptam. Addamus quod OCTAVIUS ROSSIUS monuit in operoso illo & erudito volumine, quod appellavit antiqua Brixiæ monumenta, in summa hasta simulacri TILLINI, indigenæ numinis, stetisse manum æream huic nostræ non valde absimilem.

A Jam in manu quæ comparent explicabimus, si licebit per genium Antiquitatis. Carpum ipsius circumambit Draco variegatus & caput cristatus. Et profecto in veteri signo marmoreo, quod extat Romæ in hortis JULII III. extra portam Flaminiam, & edidit JOANNES GEORGIUS HERWARTUS, truncum, cui innititur Attis, circumsepit Draco, punctis tergum interstinctus, non tamen cristatus. Est autem Draco inter præcipua solis argumenta, inquit Macrobius. Et in sacris Sabadiis Draco mysticus celebris est. Quæ quidem sacra minime disparata fuerunt ab his nostris Initiis, ut argumento esse potest imprecatio illa apud

B Apulejum, & quidem semiviri unius ex hoc grege: *At te cadaver surdum & mutum, delirumque præconem, omnipotens & omniparens dea* SYRIA, *& sanctus* SABADIUS, *&* BELLONA, *& mater* IDÆA, *cum suo* ADONE VENUS *domina, cæcum reddant*. Strabo clarissime libro X. ϗ ὁ Σαβάζιος δὲ τ̃ Φρυγιακῶν ἐςι. Et infra, ταῦτα γάρ ἐςι Σαβάζια, ϗ Μητρῶα, Lucianus in *Icaro-Menippo*: *Jam enim cœnæ tempus erat, meque Mercurius arreptum jussit accumbere juxta Pana, & Corybantas, & Attin ac Sabazium, inquilinos istos & ancipites Deos.* Idem in *Deorum Concilio*: *Atqui, o Juppiter, Attis ille & Corybas, & Sabazius unde nobis tandem*

C *accersiti veniunt?* Cur autem caput Draconis basim pollicis obsideat, inde videtur factum, quod pollex (ut scriptum reliquit Attejus Capito) *qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus in officio est*. Quæ omnia Solis pollentiam *vigilemque laborem*, ut canit Prudentius, mirifice mihi exprimunt. Infra volam manus cauda Draconis sistitur, e cujus regione surgit flagrum manubriatum (ut mihi quidem videtur) & ea profecto specie, qua cernitur gestari a Sole in nummis Elagabali, Alexandri, * Gallieni & aliorum Augustorum, cum inscriptione

D ORIENTIS, SOLIS COMITIS &c. Prudentius *contra Symmachum*, lib. I.

Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,
Et frænos phalerasque & equorum pectora anhela,
&c.

Nisi vero dicamus flagrum esse ex disciplina Gallorum. Apulejus lib. VIII. *Arrepto denique flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multinodis commulcat ictibus: Mira contra plagarum dolores præsumptione munitus*. Ovidius lib. IV. *Fastorum*.

E *Exululant comites: furiosaque tibia flatur;*
Et feriunt molles taurea terga manus.

Et hæc est, quæ apud Juvenalem substantive, ut loquuntur Grammatici, Taurea est, *Sat.* VI.

* *Gallieni certe nummus flagrum cum manubrio. Maximi præter flagrum ipsas etiam quadrigas frænosque phalerasque & equorum pectora exhibet, effigiem cui commodum est videat quam hic expressimus.*

—— Taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.

Supra flagrum repit Testudo, quæ an aliqua ratione Cybelen attingat mihi prorsus incompertum est; nisi huc illatam velimus quod nuptias aversaretur. Servius e membranis Fuldensibus in I. Æneidos. *Virgo quædam nomine Chelone, linguæ impatiens fuit. Verum cum Juppiter Junonem sibi nuptiis jungeret, præcepit Mercurio, ut omnes deos vel homines, atque omnia animalia ad nuptias convocaret. Sed omnibus quos Mercurius monuerat convenientibus, sola Chelone inridens & derogans nuptiis, nectens moras adesse contempsit. Quam cum Mercurius non venisse notavisset, denuo descendit in terras, & ædes Chelonis supra fluvium positas, præcipitavit in fluvium, ipsamque Chelonem in animal sui nominis vertit, quam nos Latine Testudinem dicimus: fecitque ut pro pœna dorso tectum, velut damnum suum prona portaret.* Ita Servius. At nuptias Attidis ipsa etiam Cybele aversabatur. Arnobius libro citato, *verum etiam mater adolescentuli fatum sciens, interque homines illum tamdiu futurum salvum, quamdiu esset solutus a* MATRIMONII *fœdere, ne quid accideret mœsti*, &c. Sunt qui illud ex Pacuvio suggesserint.

Sanguine cassa, domiporta, TERRIGENA, &c. MARTINUS quidem SANDELLIUS amicus noster, multarum atque adeo reconditarum litterarum notitia insignis, arbitrabatur Testudinem hic expressam fuisse, veluti notam silentii & taciturnitatis, quibus imperatis Initiorum olim omnium mysteria obsignabantur. Et sane extabat, ut narrat Pausanias in *Eliacis*, signum Veneris cœlestis, Phidiæ opus, quod altero pede Testudinem premebat. Hanc nonnulli arbitrati sunt ideo adhibitam, quod silentium indicaret, tanquam locupletem mulieberis formæ dotem, & unicum veluti censum. Testudo enim præter valde tenuem sibilum, eumque abruptum, nihil præterea vocis habet. Inde recte est apud Symposium.

Viva nihil dixi, quæ sic modo mortua canto.

Accedit ejusdem ingenium, quo se totam abdere, & aspectui subtrahere consuevit. Eximie ad mysteriorum (ut ipsi quidem rebantur) vim seorsum habendam, & profanorum oculis eripiendam. Virgilius de hisce nostris in II. *Æneidos*.

——— Hinc fida silentia sacris.

Ubi Servius, & Jul. Pomponius Sabinus, cujus hæc sunt: *Nefas erat patefacere sacra Cybelis, tantum paucis nota erant. Sic jussit ipsa Cybele, cum erudiret Idæos Dactylos, & doceret initiandi morem. Diodorus ait, morem initiandi, quem Dardanus accepit a Jove, nefas erat aperire nisi initiatis, ideo fida silentia.* Addamus similitudinem etiam quamdam cognominum intercessisse. Ut enim Cybele, φερέπολις, & πυργοφόρος, ita hæc nostra φερέοικος, & domiporta dicta est. At hæc tamdiu placeant, quamdiu prodeant meliora certioraque. Pilei & ipsi ad normam eorum quos gestant Castores & Dioscuri, fabrefacti, ad Rheam ideo spectant, quia Samo-Thracum Deorum, Curetum, Corybantum, Cabirorum gestamina videntur fuisse, & Castores ipsi affines hisce omnibus fuerunt, ut ex iis, quæ habet Strabo lib. X. & ex Vectio Basso in *Arateis Phænomenis*, & Hugonis Grotii notis *ad Syntagma Arateorum* conjicere est. addamus porro & apud Cephalenses MAGNOS DEOS appellatos fuisse, ut notat Pausanias in *Atticis*. Quæ fuit legitima Magnæ Deum Matris, & Attidis nomenclatura, ut indicant veteres Inscriptiones. Servius *ad* III. *Æneidos* hæc habet: *Varro unum esse dicit Penates & magnos Deos. Nam & in basi scribebatur* MAGNIS DIIS. *Et idem Varro & alii complures magnos Deos affirmant simulacra duo virilia Castoris & Pollucis, in Samo-Thracia ante portum sita, quibus naufragio liberati vota solvebant.* Macrobius lib. III. *Satur.* cap. IV. addit: *Varro humanarum II. Dardanum refert, Deos Penates ex Samo-Thrace in Phrygiam, & Æneam ex Troja in Italiam detulisse*, &c. Crux ipsa in summis Pileis quo pertineat mihi incompertum est. Apparet certe in Geminorum Pileolis apud Aratum, ex editione Cl. Viri Hugonis Grotii, qui minus recte, mea quidem sententia, torulum interpretatur. Torulus enim Plautinus sub Petaso fuit. At hæ Cruces in summo Pileo. Torulus autem videtur effictus in vetere Nummo, qui est Mercurii apud me.



Suos igitur Castoras habuerunt & Phryges ipsi. Luna excrescens vel illam narratiunculam, fabellam verius, exprimit, quam Diodorus Siculus ex Atlantidarum Theologumenis compilavit, vel Attidis mysticum ornatum, qui in nummis aliquot veteribus cernitur, hujus lunaris sectiunculæ ad pectus ejusdem adfixæ.

Virga, sive illud sceptrum sit, Pinea, insignitum, potestatem Solis asserit, qui cuncta moderatur. De nuce Pinea inferius suo loco agemus.

Manus extimam partem ornant proximæ a capite Draconis Tibiæ, quarum altera videtur expressisse acutum tinnitum, altera gravem bombum, ut loquitur Apulejus. Et Tibiarum fuit inventor Marsyas, si Diodoro credimus, qui Cybelæ amicus fuit. Varro apud Servium lib. IX. *Æneidos* non admodum graphice ad picturam nostram; *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.* Servius magis apposite, ad illud *Æneidos* IX.

—— biforem dat Tibia cantum.

Bisonum, imparem. Et servavit eis Tibiarum suarum, id est Phrygiarum naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cavernas. Aut Phrygiæ quæ & impares sunt, & inæquales habent cavernas. Post Tibias Cymbala & Sistrum in conspectu sunt. Illa eadem pene figura visuntur etiam Romæ, in veteri ara marmorea, quam citavimus, apud Cælios, secantia decussatas faces. Virgilius in IV. *Georg.*

Tinnitusque cie, & matris quate Cymbala circum.

Ubi hæc Servius; *Matris Cymbala: quæ in ejus tutela sunt, ideo quod similia sunt hemicyclis cæli, quibus cingitur Terra, quæ est mater Deorum.* Hæc Martialis libro XIV. epigr. CCII. appellat Æra quod ærea essent.

Æra Celænæos lugentia matris amores
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Idem lib. V. epigr. XLI.

Et concubino mollior Celænæo.

ubi non parum mihi subit mirari, cur Martialis Celænas immiscuerit iis, quæ Pessinunte celebrabantur. Distant enim Sangarius & Marsyas non minimo terrarum tractu, ut ex Tabulis Geographicis patet, & Claudiani Carminibus, lib. II. *in Eutropium*.

Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
Auctus, Amazonii defertur ad ostia Ponti.
Icarium pelagus, Mycalæaque littora juncti
Marsya, Mæanderque petunt ——

At hæc solemne est Poetis confundere. Nisi dicamus, Celænæos transtulisse ad suam regionem hasce omnes religiones, æmulatione quadam, ut olim fiebat, Civitatum; & cujus non parva extant vestigia apud veteres auctores. Alioqui apud Pessinuntem & Dindyma stata & legitima fuerunt hæc sacra. Ammianus Marcellinus, lib. XXII. unde dextrorsus, itinere declinato, Pessinunta convertit, visurus vetusta Matris magnæ delubra, &c. Et antiquum Epigramma,

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin
Dum vacat, & tacita Dindyma nocte silent,
Flete meos cineres, &c.

ubi notandus est ploratus, apposite ad æra lugentia Martialis. Attis enim plangebatur, ut & Osiris, & Adonis. Quod & Julius Firmicus notavit; *lugete Liberum, lugete Proserpinam, lugete Attin, lugete Osirin, sed sine nostræ contumelia dignitatis.* Est autem prosopopœia Solis loquentis, adversus eam hæresin, quæ Macrobii tempore viguit, Solem ipsum in varia numina dividentem. Sistrum ad Isidem pertinet, neque ideo abludit a magna Matre. Marcianus enim Capella *lib.* II. in lunari circulo statuit Sistra Niliaca, Eleusinam lampada, Arcum Dictynnæ, & Tympana Cybeleia. Mentulam illustrant illa Arnobii; *Dicite, o iterum, ergone Deum Mater genitalia illa desecta cum floribus, ipsa per se mœrens officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa divinis contrectavit & sustulit flagitiosi operis instrumenta fœdique?* &c. Culter (si modo is culter est; æmulatur autem falcem vinitoriam, quam delineavit Columella) non alio referendus est, quam ad exsectionem virilium. Juvenalis *Sat.* II.

Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erat jam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?

Cultri autem figuram exhibet antiquum marmor Capuæ; apud Gruterum DCXL. II. utebantur vero Coqui Cultro. Plautus *Aulularia*. Ev. *quia Cultrum habes*. CON. *Cocum decet*. Venatores etiam, Martialis *lib.* I. *epigr.* CXV.

—— *Stupuitque superbus*
Venator, cultro nil superesse suo.

Et hos Secespitas appellant nostri Antiquarii, non omnino male. Testula alioqui usum fuisse Attinem notat Arnobius, & silice ante Arnobium Catullus.

Divellit illa acuto sibi pondera silice.

De cithara superfluum videtur, ut sermonem instituamus, eam enim Solis & Apollinis gestamen esse satis notum. Virgil. lib. XII. *Æneidos.*

Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo.
Augurium Citharamque dabat ——

Et Apollo magnæ Matris amasius fuit, teste Diodoro Siculo. Quod sequitur statuemus esse Gladium, quo usi sunt Galli, ad brachia sibi quisque dissecanda: in pompa nimirum & lymphato illo discursu. Apulejus lib. VIII. Lucretius lib. II.

Telaque præportant violenti signa furoris
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint numine divæ.

Cæterum antiqui gladiorum capulos, & infima vaginarum ita frequenter ornarunt ut hic videmus, cum tamen gladii mucro in acumen desineret, neque esset arcuatus, ut plerique arbitrantur. Et hoc schemate conspiciebatur antiquus Gladius, apud LÆLIUM PASCHALINUM Romæ, ut nos non ita pridem vidimus, & alii non semel. Gladii porro usum & primum inventum Diodorus ad Curetas refert, lib. v. *Biblioth.* At Curetes cum Idæis Dactylis & Corybantibus non semel confundunt veteres auctores, Strabone etiam teste. Servius eximie ad lib. III. *Æneid. Alii tradunt, Curetes & Corybantes, matris Deum ministros, custodes sicut dictum est pueri Jovis, ad plurimas res maximi usus hominibus extitisse.* Claudianus lib. supra cit.

Interea gelidæ secretis partibus Idæ
Dum sedet, & thyasos spectat de more Cybelle,
Curetumque alacres ad tympana suscitat Enses.

Et lib. II. *de raptu Proserp.*

Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & strictos Curetum despicis Enses.

Forceps quæ subsequitur Vulcanum indicabit, quem Pileus & Tenax (nos Italice *Tenaglia*) insigniverunt apud Veteres; ut in Aureliæ & Cæsiæ gentis Denariis adnotatum est. At Vulcanus Cælo natus, cujus meminit Cicero *lib.* III. *de Natura Deorum*, Cybelen cognatione aliqua videtur attigisse. Et certe Marcianus Capella Terræ patrem Vulcanum nominat. At Terra magna mater fuit. Lucretius:

Quare magna Deum mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis una.

Summum fastigium Pollicis digiti insidet nux Pinea, qua Isiacos usos fuisse scribit Ælius Lampridius *in Vita Commodi Imperatoris*. Ut ex hoc etiam capite liqueat, quod sub initium hujus commentatiunculæ monuimus, indiscretas fuisse horum numinum apud antiquos rationes. Statius *lib.* X. *Thebaid.*

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, contemptaque brachia ferro
Scire vetat. quatit ille sacras in pectora Pinus,
Sanguineosque rotat crines, ac vulnera cursu
Exanimat, pavet omnis ager, respersaque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.

Ubi videtur falsus Luctatius Placidus, qui Pinus sacras consecratas faces interpretatur. Pinus autem arbor in penetralia templi Matris Deum inferebatur, in Attidis memoriam, ut scribit Arnobius lib. v. non semel. Quod nimirum sub ea Attis virum exuisset, vel trunco illo induruisset; ut canit Ovidius lib. X. *Metamorph.* Inferebatur vero lanarum velleribus stipitem circumvoluta, & ramulos redimita & compta violaceis coronis. Dies autem status & solemnis hujusce illationis fuit XI. Kal. Aprilis, ut ex vetere Kalendario Constantiniano me docuit HIERONYMUS ALEANDER, cujus docti & eruditi in illud idem commentarii propediem prodibunt. In eo est legitima hæc festi diei formula ARBOR INTRAT. unde natum videtur glossema Luctatii ad illa Statii:

—— *Respersaque cultris,*
Arbor. ——

ARBOR. *Pinus, quæ colitur in sacris Matris Deum, sub qua jacuit Attis, Matri Deum dilectus.* Servius ad illa IX. *Æneid.*

Pinea sylva mihi multos dilecta per annos.

scripsit, *congrue nam Pinus in tutela Matris Deum est.* Quem imitatus est Claudian. lib. I. *de raptu Proserpinæ*,

—— *Templique colendi.*
Relligiosa silex, densis quam Pinus obumbrat
Frondibus, & nulla lucos agitante procella
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.
Terribiles intus Thyasi, vesanaque misto
Concentu delubra gemunt, ululatibus Ide
Bacchatur, timidas inclinant Gargara sylvas.
&c. graphice.

In eadem media simulacrum juvenis subligabatur (inquit Jul. Firmicus) Attinis videlicet: idque ex Dei fortasse monitu, ut scribit Diodorus Siculus. Hinc Pinus in tutela Cybeles fuit. Phædrus lib. III. *Fabular.*

—— *Quercus Jovi,*

Et Myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, Populus celsa Herculi.

Pinus autem figura, ut in marmoribus & gemmis olim hæc fuit.



Expressit vero hîc Artifex Virgilianum illud ex Ecloga VII.

Hic arguta sacra pendebit fistula Pinu.

& illa Macrobii lib. I. *Saturnal.* cap. XXI. *Solem vero sub nomine Attinis ornant Fistula & Virga.* Ad nucem Pineam ut revertamur; extat apud Macrobium insignis jocus Cascellii JC. qui consulenti an nux Pinea Pomum esset, respondit, Pomum futurum, si in Vatinium misisset. Libro II. *Saturn.* cap. VI. At sine exceptione pronunciavit Martialis lib. XIII. *epigr.* XXV.

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede Viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Cybele autem dicta est a monte Cybelo, seu Cybele. Virgil. *lib.* III. *Æneid.*

Hinc Mater cultrix Cybeli. ——

Et Ovidius in IV. *Fastor.*

Inter ait viridem Cybelen, altasque Celænas.

Imposuit autem pictor, sive alius quispiam GABRIELI SIMEONIO, & JO: GEORGIO HERWARTO, ut alia specie nobis exhiberent ex marmore PENNENSI, inter MASSILIAM, & AQUAS SEXTIAS eruto. Indicem & impudicum digitos, ut ex fragminibus etiam nunc apparet, obsidebat olim Aquila, quæ fulmen unguibus prensabat. Illa Jovem utique significavit, qui Agdistis, seu Acdestis pater fuit; cujus cruore extitit repente (ut diximus) malum Punicum, quo in sinu reposito, concepit Attidem mater. Manus autem hæc gestu & conformatione, dextram Attinis exhibet, ut videmus in signo una cum ipsa eruto. Neque absurdum erit opinor excurrere tantisper hic, & emendare insignem Ulpiani locum, in quo de magna Matre agitur; ut in pristinum nitorem restituatur qui hactenus in mendo delituit, ad speciem elegans, & elaboratus. Huic ego larvam omnium primus forte detraxero. Locus est in libello, cui titulum adscripserunt, Institutionum seu Titulorum, ex corpore Ulpiani, Lemmate, *Qui heredes institui possunt.* Recenset ibi JC. Deos illos, quos ex Senatusconsulto seu Constitutionibus Principum, heredes licebat instituere. Enumerat vero *Jovem Tarpejum, Apollinem Didymæum, Martem in Gallia, Minervam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam.* Hucusque recte omnia; porro adjungit *Matrem Deorum Cybelem, eam quæ Smyrnæ colitur.* Cybelen hanc ne fanaticus quidem ullus somniavit unquam. Quid enim Ulpianus, cujus proprietatem atque elegantiam viri docti suspexerunt, cum poetica illa voce, quæ tautologiam etiam invito exprimeret? At vero cordatus nescio quis (Jo: TILIUS fortasse) cui plerosque veteres JC. ferimus acceptos, quique

A hunc librum primus edidit, manuscripti codicis scripturam bona fide exhibuit multis in locis. ingenue hoc & religiose. Vidit enim vir eruditus quisquis ille fuit latitare nescio quid sub ea Librarii manu, quæ hasce litterarum notas descripserat, MATREM DEORUM SIPELENSIM QUÆ HYSMYRNE COLITUR. Hæc antiquæ lectionis altius impressa vestigia eo primum me traduxerunt, ut cogitarem scripsisse Ulpianum MATREM DEORUM SIPYLENSEM, ISIN QUÆ SMYRNÆ COLITUR. Neque omnino mala hæc mihi divinatio videbatur, conjectanti τὸ ISIN, ex Librarii oscitantia, & Litterarum cognatione, antecedentis dictionis extre-

B ma, antiquo & alibi sæpius prodito vitio invasisse. Aderant meæ emendationis rationes ut sane opinabar satis exquisitæ. Pausanias in primis eruditus antiquitatum indagator, *lib.* III. Magnesios testabatur, qui in Sipyli parte Aquilonari sunt, signum Matris Deum adservasse, longe omnium quotquot extabant antiquissimum. Hujusque antiquitatis vel Senatum vel Principum aliquem rationem habuisse ut mihi persuaderem, Asylorum jura vetustati plerumque innixa, ut apud Tacitum, a simili compellebant. Accedebant præterea Magnetum merita, qui in bello, quod Populus Romanus adversus Mi-

C thridaten gessit, egregiam operam navarunt. Jam vero quod ad Isiden attinet, quæ Smyrnæ colebatur, retulerat pridem in litteras Aristides, *Sacror.* serm. III. & Sacerdotem & Templum Isidis Smyrneæ, in quo ipse Isidem & Serapidem, ansernis hostiis exorasset. Neque vero permovebant me aliquorum voces, absonum videri Ægyptiam superstitionem adeo probatam Ulpiano, ut inter majorum gentium Deos Isin adnumeraret. Succurrebat enim, id non Jurisconsulto ipsi, sed Senatui, Principibusve, qui superstitionibus indulsissent, vitio vertendum. Fungi ipsum enarratoris munere, non philosophi. Quæ si non placerent, non eum esse

D me, qui miraretur hominem Christianis infensum, Deorum cultui plus nimio addictum, sordida monstra scriptis suis intexuisse. Hoc nimirum jure obtigisse

His quibus exactas placuit servare tenebras,
Splendentemque die medio non cernere Solem.

ut missum faciamus, Ulpianum Præfectum Prætorio fuisse ejus Principis, qui *Isium & Serapium* (Lampridii verba sunt in *Alexandro*) *decenter ornavit.*

Neque vero inficias iverim, non displicuisse mihi emendationem alteram, ab antiqua scriptura minimum abeuntem: ea fuit, MATREM DEORUM

E CYBELEN ISIN QUÆ SMYRNÆ COLITUR. ita tamen ut Cybeles cognomentum topicum fuerit. de quo Pisander apud Stephanum in ΚΥΒΕΛΕΙΑ, Strabo lib. XII. Diodorus Siculus *lib.* III. Suidas & alii. Hæc ut dixi speciosa & vera videbantur, quæ etiamnum videntem meliora probantemque alliciunt tamen. Verum, ut sunt posteriores curæ meliores, commodum occurrit Aristides, qui non semel in Sipylo Smyrnam illam antiquam, ibidemque Jovis matrem, Deorum thoros, & Corybantum choros recensuit. An idem sibi voluit Plinius lib. XIV. cap. IV. *nascitur* (Maroneum) *Smyrnæ regione, juxta delubrum Matris Deum?* Antiquissi-

F mam autem religionem Smyrnæi videntur in novam urbem transtulisse, & veteri servato loci cognomine, in Metroo excoluisse. Neque vero meritis in Pop. Rom. Smyrnæi Magnesiis erant posthabendi, si Cornelio Tacito credimus. Legamus igitur MATREM DEORUM SIPYLENSEM, quam ut secerneret Ulpianus ab ea, quæ apud Magnesios colebatur, adjecit, QUÆ SMYRNÆ COLITUR.

APPENDICULA.

Lilius Gregorius Gyraldus vir sane accuratissimus proprio Syntagmate de Rhea & Ope, multa disseruit, quæ eruditum Lectorem instruere possunt. Nos hic Analecta quædam dabimus eruta e variis Inscriptionibus Marmorum & Nummorum. Itaque monemus primum Ant. Augustinum Dial. v. hanc epigraphen, D. M. M. I. recte interpretatum esse, *Deum matri magnæ Idææ*, minus recte, *Deæ magnæ matri Isidi*, marmor enim præsefert Cybelen, non Isidem. Licet enim hæc mysteria (ut non semel monuimus) coaluissent, ut satis superque indicant carmina Cypriani, seu Tertulliani, ad Senatorem apostatam; tamen Isis alio cultu, & schemate fingebatur. Monemus secundo Pierium Valerianum virum impense doctum lib. XXXIX. *Hierogl.* recensuisse Nummum Faustinæ Augustæ, cujusmodi & nos olim habuimus, in cujus aversa superficie spectabatur Cybele Leoninæ insidens sellæ, sphæramque inter manum & genu continens, cum nonnulla hallucinatione. Non enim sphæra, sed tympanum est certo certius. Monemus tertio Adolphum Occonem Pierii auctoritati nimis in hoc detulisse, in suis Numismatibus, cum posset nummum inspicere, & tympanum adnotare loco sphæræ. At Catalogo, quem recitat Servius MAGNOR. DEORUM *lib.* III. *Æneid.* ex variorum Auctorum sententia, adjungi possunt Mater Deum & Attis, quibus duo monumenta posita sunt sub hac inscriptione DIS MAGNIS, apud Gruterum XXVII. 4. & XXVIII. 2. porro Idæam appellarunt ab Ida vel Cretæ vel Trojæ; utrobique enim colebatur, ut scripsit Virgilius. Magnam cur dixerint petamus ex Lucretio, & Arnobio. Mater Deum magna Pori Aug. & Trajani, sive Triani Felicis quæ fuerit alii viderint; exscripsit autem Gruterus CCCVIII. 10. 11. fide Justi Lipsii, marmor mendose, quod emendatum habetur apud Philippum Cluverium lib. III. *Italiæ antiquæ*, cap. III. Cerariam quam appellet antiquum marmor apud eundem MX. 2. mihi prorsus est incompertum. nescio quid sane Cereris redolet, quam eandem esse cum Magna Matre nonnulli arbitrati sunt. Attis qui & aliquando Attin, Ὕψιστος altissimus, celsissimus nuncupatus est, ut in vetere Inscriptione apud Gruter. XXVIII. 1. Solem nimirum omnia pervidentem, omnia perlustrantem esse censebant, ut diximus. Vidimus etiam appellatum Minotaurum & Minoturanum, petita fortasse a nomine alicujus vici nomenclatura. Succurrebatque Minotaurus, nisi amicus noster FEL. OSIUS vir ornatissimus, humaniorum litterarum in hoc nostro Gymnasio publicus Interpres, ostendisset mihi duas veteres Inscriptiones Romæ recens erutas.

M. D. M. I.
ET ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIVS FLAVIANVS. &c.

Et,

MATRI DEVM MAGNAE
IDAEAE. SVMMAE. PA
RENTI. HERMAE. ET ATTIDI
MENOTYRANNO INVICTO
&c.

Quæ sane longe abeunt a Minotauro. Quare AMPLIANDUM.

Videmus autem in hisce Inscriptionibus Cybelen summam, & parentem appellari, Attiden sanctum, & invictum, quod postremum adjunctum Herculi, Soli, & Mithræ convenit, imo huic uni proprie si Commodianum audimus.

INVICTUS.

Invictus de petra natus si Deus habetur
Nunc ergo . . . . vos de istis date priorem
Vicit petra Deum quærendus est petræ creator.
Insuper & furem adhuc depingitis esse,
Cum si Deus esset unquam non furto vivebat,
Terrenus utique fuit, & monstrivora natura,
Vertebatque boves alienos semper in antris,
Sicut & Cacus Vulcani filius ille.

Hactenus Auctor conclamatæ editionis, & desperatæ. Attin appellatum Phryga vidimus in vetere Epitaphio ut retulimus apud Cæsios Romæ. Mater Deum magna Idæa, & Attis populi Romani apud Gruter. CCCVII. 7. ita videntur esse appellati receptis publica auctoritate sacris. Quod ex nuncupatione ipsius Archigalli satis patet. Cujus erat vaticinatio, ut præter antiquum marmor Gruterianum XXX. 2. Apulejus & Tertullianus cum risu & insectatione notaverunt. Ceterum in parergis ararum horum Deorum fere semper visuntur Tauri & Arietes, ut in Inscriptionibus fit mentio Taurobolii, & Criobolii, cujus præterea meminit Julius Firmicus, *Tauribolum (Taurobolium) vel Oriobolium (Criobolium) scelerata te sanguinis labe (tabe) perfundit*; vel *scelerato tabo*, at *labes* etiam ferri potest.

At quale hoc sacrum? Prudentius luculenter expressit in Romano martyre, quem omnino vide.

Agnoscis illum quem loquor miserrime,
&c.

ubi meminit tabidi roris, & tabi. Et hoc fuit Taurobolium Crioboliumque percipere, & Taurobolio in æternum renasci, ut ipsi quidem non minus ridicule, quam impie arbitrabantur. hoc Taurobolium & Criobolium facere, hoc accipere. Tauropolia vero, quorum meminit Casaubonus ad Athenæum lib. VI. *Animadv.* cap. XVI. an huc pertineant, viderint doctiores. in Inscriptionibus certe Gallicanis Taurobolium, & Tauropolium promiscue legitur. Ad Matrem Magnam, & Attidem, ut redeamus, qui plura de iis volet, adeat Fulgentium *lib.* III. *Mythologicon*, & Lucianum *de Syria Dea*.

Cum pagellæ aliquæ vacarent, visum est heic exscribere integrum Lucretii locum cujus supra mentio facta est, quod ad ejusdem argumenti illustrationem mirifice conducere visum fuerit. Extat autem *lib.* II.

Principio tellus habet in se corpora prima,
Unde mare immensum volventes flumina fontes
Assidue renovent: habet, ignes unde oriantur.
Nam multis succensa locis ardent sola terræ.
Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porro nitidas fruges, arbustaque læta
Gentibus humanis habet unde extollere possit:
Unde etiam fluidas frondeis, & pabula læta
Montivago generi possit præbere ferarum.
Quare magna Deum mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta 'st corporis una.
Hanc veteres Grajum docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones:
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.
Adjunxere feras, quia quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere corona:
Eximiis munita locis, quia sustinet urbeis:

Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inventi sunt,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis,
Telaque præportant violenti signa furoris,
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint numine divæ.
Ergo cum primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute:
Ære atque argento sternunt iter omne viarum
Largifica stipe ditantes, pinguntque rosarum
Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervas:
Hic armata manus (Curetas nomine Graii
Quos memorant Phrygios) inter se forte catervis
Ludunt, in numerumque exultant sanguine læti:
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictæos referunt Curetas: qui Jovis illum
Vagitum in Creta, quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
† Armati in numerum starent: pernice chorea
Armati numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri sub pectore volnus.
Propterea magnam armati matrem comitantur,
Aut quia significant divam prædicere, ut armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram:
Præsidioque parent, decorique parentibus esse.



JOHAN

JOHANNIS FASOLDI,

BARUTHO-FRANCONIS,

GRÆCORUM VETERUM

ΙΕΡΟΛΟΓΙΑ,

HOC EST

DE PLURIMIS GRÆCORUM GENTILIUM ANTIQUITATIBUS, RITIBUSQUE SACRIS: INPRIMIS DE FESTIS DIEBUS, SACERDOTIBUS, TEMPLIS ET ARIS: DE LUDIS ITEM AC CERTAMINIBUS,

DISSERTATIO

XII. DECADIBUS

COMPREHENSA,

In qua plurima loca, tam ſacram, quam profanam hiſtoriam, quin & humaniorem literaturam ſpectantia paſſim interſperguntur, illuſtrantur, & ex fontibus explanantur:

Ex rariſſimis ac ſelectiſſimis, tum impreſſis, tum vetuſtiſſimo MSto. codicibus Græcis eruta & collecta.

DEDICATIO.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

CHRISTIAN-ERNESTO,

&c. &c. &c.
A CONSILIIS ECCLESIASTICIS,
VIRIS,
Maxime Reverendo, Prænobilissimo, perquam Strenuo, Magnifico, plurimum Reverendis, Nobilissimis, Excellentissimis, Amplissimis, & Præclarissimis,

DN. CASPARI A LILIEN, Hæreditario in Weitzendorff/ &c. Consiliario Ecclesiastico intimo, *τῦ ἁγίυ συνεδρίυ* Præsidi, superioris Burggraviatus Norici Generali Superint. & illustris Collegii Christian-Ernestini Directori gravissimo:

DN. M. GEORGIO FRIDERICO Pertschen/ Eccles. Baruth. & vicinarum Superintendenti merentissimo, nec non illustris Consistorii ibidem Assessori primario:

DN. JOH. JACOBO Steinhofern/ SS. Theol. Licentiato dignissimo, Serenissimi March. Barutho-Brandenb. a Conc. Aulicis, & Consist. Assessori spectatissimo:

DN. M. JOH. LEONHARDO Schöpffen/ Archi-Diacono Baruthino solertissimo, & venerandi Consistorii ibidem Assessori dignissimo:

DN. LAURENTIO HASFURTERO, N. P. C. Serenissimæ Aulæ, Feudorum, & Consistorii Secretario diligentissimo:

UT ET
ILLUSTRIS AC INCLYTÆ
NORIMBERGENSIS REIPUBLICÆ ET ACADEMIÆ
DECORIBUS INSIGNIBUS, VIRIS,
Magnificentia, Nobilitate, devota Pietate, plurimum Reverenda Dignitate, Amplitudine, Eruditionis excellentia, Generosa Prosapia, spectata prudentia, nec non multarum rerum usu & experientia fulgidissimis, ac maxime conspicuis,

DN. JOH. CHRISTOFORO Wagenseil/ JCto consummato ac celebratissimo in inclyta Noricorum Universitate Altorffina Jurium & Hebrææ Linguæ P. P. laudatissimo:

NEC NON

DN. JUSTO JACOBO LEIBNIZIO, ad D. SEBALDI, Bibliothecario spectatissimo, Scholarum & Stipendiariorum Inspectori gravissimo:

DN. DANIELI WULFFERO, ad D. LAURENTII, Logic. Phys. & Metaph. Profess. Publ. famigeratissimo:

DN. JOHANNI FABRICIO, ad D. MARIÆ:

DN. MARTINO BEERIO, ad SPIRITUM S. Ethices & Pol. Prof. Publ. celeberrimo:

DN. CONRADO FEUERLINO, ad D. JACOBI:

DN. ADOLFO SAUBERTO, ad D. ÆGIDII, Gymnasii ibidem Inspectori dignissimo:

CELEBERRIMÆ
NORIMBERGÆ PASTORIBUS
MERITISSIMIS, GRAVISSIMIS:
ITEM,

DN. M. CAROLO Dietelmajer/ ad D. SEBALDI, Seniori meritissimo:

DN. M. ANDREÆ UNGLENCKIO, itidem ad D. SEBALDI:

DN. M. JOHANNI Gräffe/ etiam ad D. SEBALDI:

DN. M. ANDREÆ Mühldorff/ itidem ad D. SEBALDI:

DIACONIS
RELIGIOSISSIMIS, VIGILANTISSIMIS:
ET

DN. WOLFFGANGO ACHATIO Gutbrod/

DN. JOHANNI Staden/ Majori,

DN. ANDREÆ Ingolstettern/

DN. JOHANNI LEONHARDO Stöberlein/

CIVIBUS PRIMARIIS, MERCATORIBUS CELEBERRIMIS,
PHARMACOPOEO PERITISSIMO,
NEC NON
SENATUI NUMEROSIORI NORICO ADJUNCTIS INTEGERRIMIS,
SPECTATISSIMIS,
Dominis Mæcenatibus, Promotoribus, Fautoribus & Euergetis meis nullo non humillimi obsequii, honoris & observantiæ cultu æternum suspiciendis, prosequendis,
SACRAS HASCE ANTIQUITATES GRÆCAS
εἰς αἴδιον εὐγνωμοσύνης, καὶ εὐχαριςίας μνημόσυνον,
omnia fausta cœlitus exoptans,
DICAT, OFFERT, CONSECRAT

JOHANNES FASOLDUS,
Φιλοθεολόγος καὶ φιλέλλην.

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM.



ON MULTIS Te morabor. In mediis Germaniæ turbis, ubi paucissimæ feriæ, profesti nefastique dies plurimi, FERIAS GRÆCAS sisto. Manum quidem huic argumento pertractando adhibuerunt Viri Doctissimi, sed mutilate alii, alii suspecta fide. Qua ego dexteritate in evolvendis codicibus vetustissimis Græcis, cum MSto, tum typis excusis usus sim, vel ipse, si penitius inspexeris candide judicabis. Meursio quæ debeam, ut certior fias, sciendum, loca, quæ laudatus Meursius Græca & Latina adduxit, citata tantum esse; cætera vero loca Græca, queis Meursius caret, me non sine cura tota addidisse. Vale, & si benigne conatum hunc acceperis, ad alia ejusdem census proxume calcar mihi additum iri crede.

GRATULATIONES BENE CUPIENTIUM.

Græcorum ritus veteres Tua sedula Musa
Conspicuos nobis esse, FASOLDE, cupit.
Sed posthac, merces ut detur justa labori,
Conspicuum doctis Te Tua Musa dabit.
Benevolentiæ causa fac.
Joh. Guilielmus Bajer, S. Th. D. & P. P.
in Academ. Jenens.

Civiles simul & sacras res vestiit Hellas
Ritibus, occultans mystica sensa sinu.
Protrahe in apricam sapientum dogmata lucem,
FASOLDE, & famæ perge parare decus.
Præstantiss. Dn. Autorem ad Græcarum
literarum culturam σπεύδοντα ὀξύνει
Joh. Conradus Durrius, P.P.

Ritus Græcorum enumeras sermone Latino,
Græco qui posses promptus id ore loqui?
Gratulab. Amico & conterraneo f.
Erh. Weigelius, P. P.

Amplus adest campus, virtutem extendere factis,
Et scriptis Sophiæ dona parare sibi.
Nunc Tua penna dedit nobis *antiqua Pelasga*:
Hinc spondet sertum magnus Apollo Tibi.
Eximii Dn. Auctoris optimis conatibus
applaudens scrib.
Caspar Posner, Prof. P.

---

* * *

Τῷ σπουδαιοτάτῳ καὶ λογιωτάτῳ κυρίῳ Ἰωάννῃ τῷ Φασόλδῳ, περὶ τὰ φιλοσοφικὰ, καὶ θεολογικὰ σπουδάζοντι τῷ φίλῳ μου, ἐντιμοτάτῳ ἐν τῇ Κρατοκώμῃ.

Κύριε, Τὰ γράμματά σου ἑλληνικὰ, καλῶς καὶ ἀκριβῶς γεγραμμένα, Ἀφροδίτης τε καὶ χαρίτων ἀποπνέοντα, ὑπερβαλλόντως με ἔτερπεν. Ἀπόκρισιν τὴν ὀφειλομένην μᾶλλον τοῦ δέοντος ἀναβέβλημαι, οὐκ ἐθελοντὶ μὲν, ἀλλ᾽ ἀναγκαίως. Πολλὰ γὰρ πέφυκε συμβαίνειν ἡμῖν οὐ βουλομένοις. Ἰδοὺ τὸ γῆρας, ἰδοὺ ἀσχολίας, αἵτινες πολλάκις με ἐμποδίζουσι, καὶ τὰ πρακτέα ἐπέχουσιν. Ὅσον πρός σε, πρὸ πολλοῦ ἐκ τῶν γραμμάτων τοῦ Σέξτου, τοῦ φίλου μου πιστοτάτου, μοι ἐγνωρίσθης. Οὗτος πλεονάκις σου μνείαν ἐποίησε, καὶ σπουδὴν σου περὶ τὰ ἑλληνικὰ ἐμοὶ ἐφανέρωσεν. Ἐγὼ δὲ τὴν φιλοπονίαν σου, ὡς ἄξιον ἦν, ἐπῄνεσα, καὶ τοῦτο ἀκολακεύτως. Τὸ πρόσωπόν σου εἰ-

A σέτι οὐκ ἐνέβλεψα. εἰδέναι δὲ ἱμείρω ὡς μάλιστα. Ἐάν σοι οὐ βαρὺ, πρὸς ἡμᾶς πορεύθητι. Τάχα που ἀσφαλέστερον, ἢ διὰ γραμμάτων, καὶ ἁπλούστερον ἡμᾶς κοινολογεῖσθαι δοθήσεται. Ἔρρωσο, Φάσολδε πολυμαθέστατε, καὶ τὴν φιλίαν, ἣν ἅπαξ ἤρξω, διατελεῖν μέμνησο. Ἐκ τοῦ Ἀλτορφίου, τῇ ἑβδόμῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Ἀπριλίου, ἐν ἔτει ͵αχογ.

φίλος σοι πρὸς ἅπαντα ἑτοιμότατος
Γεώργιος Ματθίας Κονίγιος, τῆς ἑλληνικῆς παιδείας διδάσκαλος ἐν τῇ Παλαιοκώμῃ.

B Εὐφυεῖ μάλα καὶ φιλοτιμουμένῳ Ἀνδρὶ νέῳ, Ἰωάννῃ τῷ Φασόλδῳ, περὶ τὰ ἱερὰ καὶ ἑλληνικὰ γράμματα ἐν τῇ Ἰήνῃ σπουδάζοντι, φίλῳ φιλιωτάτῳ χαίρειν.

Ἀνελεξάμην τὴν σοῦ ἐπιστολὴν, καὶ εὖ μάλα μοι ἡδομένῳ γέγονε ἡ σὴ γνώμη τε καὶ φιλομαθίη. Τῶν γὰρ πολλῶν καταφρονέεις τὸν τρόπον, τῶν τὰ ἑλληνικὰ γράμματα ὡς πάνυ ἀχρήια ἐόντα περιυβριζόντων. Ἐγὼ δὲ δοκέω οὐδέποτ᾽ ἂν οὐδένα ἐς ἄκρον τῆς παιδηίης ἐλάσειν, τὸν τουτέων τῆς γνώσιος ἀποστερούμενον. Ἐν τοῖσι τῶν παλαιῶν ἑλλήνων συγγράμμασι εὖ οἶδα ὅτι τῶν τε θείων καὶ ἀνθρωπηίων πρηγ-
C μάτων σοφίη περιέχεται. Ὧν δὴ ἐπιστήμη ἐς τὸν ἀκριβέστερον τῶν ἱερῶν λόγων νόον μέγα τι συμβάλλεται. Σὺ γῶν οὐκ ἀφρόνως ἀλλὰ νουνεχόντως ποιέων ἐμοὶ φαίνεαι, ταῦτα μελετήσας. Ἐλπίδα γὰρ ἐμοὶ καὶ τοῖσι ἄλλοις παρέχεις, ὡς, ἢν ἐμμείνῃς τούτοισι τοῖσι ἐπιτηδεύμασι, πολλὸν προέξεις τῇ σοφίῃ τῶν ἄλλων, καὶ τοὶ ἅμα τε καὶ τῷ κοινῷ θωϋμάσιον ὅσον συνοίσεις. Ἐγὼ δὲ καθάπερ ἐπαινέω τὴν σεο ὁρμὴν, οὕτω καὶ προθύμως ἔχω πρὸς τὸ ὠφελῆσαι τὸ σὸν φιλοτίμημα. Ἔρρωσο καὶ εὖ πρῆσσε.

Ἔγραψα τῇ τρίτῃ μεσοῦντος
Μεταγειτνιῶνος, ἐν ἔτει ἀπὸ
D Χριστογονίας ͵αχοε.

Ὁ σὸς ὤν
Βαλτάσαρ ὁ Στολβέργιος, τῶν ἑλληνικῶν γραμμάτων διδάσκαλος ἐν τῇ Οὐιττεμβέργῃ.

Dum spretæ vilent hac tempestate Camœnæ
Plus satis, ac sensim barbara turba sumus:
Passim etiam sordet linguæ cultura Pelasgæ,
Qua sine vix aliquis vir bene doctus erit.
Arridet magis æqua tuæ sententia menti,
FASOLDE, Ardalidum nobile delitium.
E *Unus es in paucis quem rara peritia linguæ*
Cecropiæ clarat dotibus eximiis.
Helluo librorum, nisu non deside solers
Omnem scrutaris Hellados historiam.
Edis jam specimen pulchro conamine, sistens
Ritus, quos habuit Græcia prisca sacros.

Ætatem feret hoc, doctoque legetur ab orbe,
Sternet & ad Famæ culmina, crede, viam.
Socraticis constet chartis sua gratia: tradens
Res ævi veteris, non moriturus agit.

L. M. Q. facieb.
Coburgi
M. Israel Clauderus,
Prof. Publ.

I.

G*Ræca sunt, quæ non leguntur*: Inquit Vulgus. Sed philyras Fasoldianas Perlustra, *bone Lector*: Hic LEGUNTUR.

II.

Quicunque Musis Græciæ
Favet, suis pro viribus
Meum FASOLDUM provehat.
Hunc namque quisquis provehit
Censendus est, compendium
Politioris Græciæ,
Plantasse musis ATTICAM.

Hac simplici Epigrammatum biga & Libellum & Autorem cordatis Musarum Græcarum, rarescentium ferme, Mecænatibus commendare pro merito, suumque sic affectum Amico, Jenam iterum disidenti, cum aliter pro tempore non liceret, testatum facere voluit candida mens manusque

M. Joh. Christophori Lauri,
P. P.

ARtium quondam Patria & Genitrix,
Literatum littus Achaicorum,
Barbaris cessit, tenet hostis arva
Hospita Musis.
Corruerunt tot Sophies palæstræ!
Tot Camœnarum cecidere templa!
Totque virtutum fabricæ ruina
Perpete sordent.
Non Stagiritæ nitidum Lyceum,
Non honorati plutei Periclis,
Non theatrales caveæ Menandri,
Amplius extant
Cuncta, quæ priscum celebravit ævum,
Quæque adhuc labens veneratur ætas,
Jam quasi squalent veteri veterno,
Reddita terræ.
Sola de tanto superant paratu
Rudera, a diro lacerata fato,
Et per Autorum monumenta late
Sparsa suorum.
Hæc inexhausto studio requirens
Ac situ purgans, operis tenori
Aptat unius vigil en! FASOLDUS,
Non sine plausu.
Faxit altarum Sator ac Nutritor
Mentium, Christus, labor hic ut æquos
Sentiat Dios, capiatque dignos
Autor honores.

Hoc

Honoris & Amoris sinceri monumentum posuit
M. Joachim Henricus Hagen/ Illustr.
Gymn. Baruth. P.P.

A Τῷ φιλομούσῳ κυρίῳ Ἰωάννῃ τῷ Φασόλδῳ ἐν τῇ τῶν Νωρικῶν Παλαιοκώμῃ φιλολογοῦντι, τῷ φίλῳ τῷ γλυκίστῳ.

Εὐημερεῖν ἐν τῷ Χριστῷ.

Εὐμενέστατε Φάσολδε,

Ἡ ἐπιστολὴ ἑλληνικὴ σου καὶ τὸ ἀπόσπασμα, ὅπερ ἐξ ἀρχαίων τῶν τῆς ἑλλάδος θησαυρῶν προφέρειν, καὶ τύποις χαλκοῖς ἐκτυποῦν ἐθέλεις, καθ᾽ ἡδονὴν ἐμοὶ, καὶ τι τοῦ θυμοῦ σου φιλέλληνος τεκμήριον ἐγένετο. Διόπερ, κἂν ἐγὼ ἐν τῇ σχολῇ μὴ ἄσχολος, ὅμως ἐκ τοῦ πολυθρυλήτου. Ὃς μὴ ῥωμαϊκοῖς ἑλληνικὰ γράμματα κλ. ὑπὸ σοῦ αἰτηθεὶς αὐτοσχέδιον γέγραφα δίστιχον, ἐφ᾽ ᾧ στέργειν σε φιλοτρόπως
B παραιτοῦμαι. Ἔρρωσο. Ἐν Σιλεσίᾳ τῇ ἕκτῃ ἱσταμένου Σκιροφοριῶνος, ἐν τῷ Χριστογονίας ἔτει αχοδ.

πρὸς φιλέλληνα Φάσολδον.

Φάσολδος τοῖς ῥωμαϊκοῖς ἑλληνικὰ ζεῦξε,
Φάσολδος συνετοῦ τοὔνομ᾽ ἀμ᾽ ἀνδρὸς ἔχει.

αὐτοσχεδιάζει
Ἰωάννης Ἐρνεστὸς Σχάδιος,
τοῦ Γυμνασίου τοῦ Σιλουσιακοῦ Κυβερνήτης.

C*Ur luci tenebras, & Grajum Festa nefasta*
Nunc mediis Christi jungis, Amice, sacris?
C *Juxtim se posita hæc melius contraria splendent:*
Non his in tenebris laus tua luce caret.

Ita Cl. DN. AUCTORI, in rarissimis
Græcorum scriptis ad invidiam
aliorum versatissimo appl.
M. Henricus a Lithe, Fac. Phil. Adj.

Τῷ πεπαιδευμένῳ καὶ ἐντιμοτάτῳ κυρίῳ Ἰωάννῃ τῷ Φασόλδῳ, ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ τῇ ἐν τῇ Ἰένῃ περὶ φιλοσοφίαν ὄντι, τῷ κυρίῳ καὶ φίλῳ μου φιλτάτῳ.

D Ὑγιαίνειν καὶ χαίρειν.

Πεπαιδευμένε κύριε Φάσολδε, φίλε φίλτατε,

Ἐδόθη ἡμῖν τὰ σου ἑλληνιστὶ γραφθέντα γράμματα, ἅτινα ἡδέως ἐπέγνων, ἃ μὲν, ὅτι πεπαιδευμένως αὐτὰ γεγραμμένα ἐστίν· ἃ δὲ, πλεῖστον εὐφράνθην, ὅτι σοι συγχρῆσθαι ἔξεστιν, ὃς μεγίστην ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς προκοπὴν ἐποίησας, ἐξ οὗ, ἃ ἐν αὐτοῖς ἀγνοῶ, καταμαθεῖν δύναμαι, ἀεὶ τὸ τοῦ Ἰσοκράτους πρὸς Νικοκλέα αἰνῶν· Μηδεμίαν συνουσίαν προσδέχου, μηδ᾽ ἀλογίστως, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἐκείναις διατριβαῖς ἔθιζε σεαυτὸν χαίρειν, ἐξ ὧν αὐτός τε ἐπιδώσεις. Ἐὰν οὖν γλυκύτατε φίλε, ἴσα σοι ποιεῖν οὐ δύναμαι, συγγνώμην ἔχε. Μέχρι τοῦ μὲν ἄδηλόν μοι ἦν ἀνθρώπων
E τινὰ τῷ ὀνόματι Φάσολδον καλεῖσθαι, ἢ ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ τῇ ἐν τῇ Ἰένῃ περὶ τοὺς λόγους ἀσχολεῖσθαι. Νῦν δὲ ταῦτα ἐκ γραμμάτων σου εἰδὼς, καί σε προσέτι τοὺς τοῦ περιφανεστάτου καὶ πολυμαθεστάτου ἀνδρὸς, κυρίου Φριεσμουθίου παῖδας εἰς Μουσῶν πολυάνθεμον λειμῶνα ἄγειν ἐπιγνοὺς, ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι ὑφ᾽ ἡδονῆς, συμμετέχων σε ὑπ᾽ αὐτοῦ τὰ περὶ Ῥαββινικὰ γράμματα παιδευθῆναι, καιρὸν λεληφέναι. Τούτου οὖν τοῦ διδασκάλου, οὗτινος βουλῇ καὶ βοηθείᾳ τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ δουλεύειν δυνήσῃ, συνηδόμενός σοι συγχαίρω. Μετ᾽ ἀληθείας

Τρὶς μακάριστος ἐκεῖνος, καὶ τετράκις ὄλβιος ἀνὴρ,
ᾧ τοῦτο συμβέβηκε. Τὸν ἐξοχώτατον ἄνδρα τόνδε
F συνελθεῖν, καὶ εἰς Ἰένην πορεύεσθαι ἐπὶ νοῦν μοι ἦλθε, ποικίλα περὶ τῶν Ῥαββινικῶν αὐτῷ συλλαλήσων. Ὅτι δὲ ἐν βραχεῖ τὴν Ἰταλίαν διοδεύειν προειλόμην, μεταλαβεῖν γνώμην ἐναντίαν ἠναγκάσθην, ἐπιτελεῖν τοῦτο οὐχ οἷός τ᾽ εἰμι. Ἐς ἄλλον οὖν καιρὸν μὲ ἀναβάλλεσθαι ταῦτα δεῖ, ἕως ἂν ἐξ Ἰταλίας ἐπανελθὼν εἰς Βέλγιον ἀπελθῶ. Ἔρρωσο, καὶ τὸν σοφώτατον κύριον Φριεσμούθιον φιλικῶς παρ᾽ ἐμοῦ, καὶ κυρίου πατρός μου ἀσπάζου. Ἐκ τῆς Νωριμβέργης, μηνὶ Μαΐῳ, ἐν ἔτει Σωτηρίας τῷ αχοβ.

ὅλος ὁ σὸς Ἰωάννης ὁ Οὐυλφῆρος.

Utile jucundo misces, & sacra profanis;
Dum *ritus sacros*, *templa*, *diesque* notas.
Exprimis *historias* Græcorum, *obscura* resolvis:
Hinc capiet fructum *frons tua* sacra brevi.

Paucis hisce Dn. AUTORI, *Amitino suo dilectissimo animitus gratulari voluit*
M. Joh. Joachimus Crauseneccius, h. t. verbi divini Minister apud Pegnizenses.

Tempore qui verno, dicunt, sua semina spargit,
Æstas cum magno fœnore reddit huic.
Hoc quod non, posses forsan Tu dicere verum,
Virtute exempli, docte FASOLDE, tui.
Te tua sedulitas nunquam permisit inertem;
Es multæ semper dexteritatis homo.
Hoc scit Coburgum, nec non celeberrima Jena:
Utile plus scriptum nos docet hocce tuum.
Attamen hanc operam vigilem seriemque laborum
Cernis in huncce diem commoda parva sequi;
Sed quod vendantur pretio sacra munera ubique
Illis, qui luxum segnitiemque colunt;
Et qui pro chartis Nymphas pressere salaces;
Evacuant Zytho pocula multa die.
Nec tamen hoc moveat Temet valedicere Musis,
Perge, dabit tandem præmia larga Deus.

In honorem præstantissimi atque Eruditissimi Domini Autoris utilissimi hujus Tractatus, Amici sui integerrimi, scribere hæc voluit, Jenæ
Ipsi Notissimus.

Tanta Tibi cordi dulcis facundia: quantam
Orbis Eoi amat, deciduusque tenet.
Ortu GERMANUS: *doctrina* GRÆCUS: *& usu*
HEBRÆUS: LATIUS *cognitione clues*.

A *DIVINUS numerus PERFECTAM gignit & artem;*
Approbat hoc scriptum, quod Tua Suada parat.
Et quia PERFECTUS, tractas sacra mixta profanis;
Græcorum ritus eruis arte sacros.
Ritus exponis, quos observare Pelasgi
In Templis sacris dum sacra Festa notas.
Hinc Tua morte carens vivet post funera virtus;
Vivet cum series sidera fronte poli.

AD LIBRUM.

B *Nunc quocunque, Liber, venies, fortuna favebit,*
Autoris Virtus Te comitetur, abi.
Vade modo celeris, gratos totumque per orbem
Cultores seræ posteritatis adi.
Invidiæ morsus spernas, & vulnera linguæ,
Quo-Te-cunque juvat vivere; carpe viam.

Hæc præeximio atque clarissimo
DN. JOH. Fasolden/
Literarum & antiquitatum Græcarum simul peritissimo, Dn. Fautori & Amico meo nunquam reconciliato, Antiquitates Græcorum circa Sacra luci committenti, affectu sincero & amico scribebat
C M. Joh. Schulze/ Altenb. P. L. C.

Pharmaca ni quondam monstrasset Jasoni Colchis,
Vellus servasses nobile, fœde draco:
Ni DEUS Argivæ monstrasset pharmaca linguæ,
Gazas texisses fœda tot inscitia.
Grajum lingua fuit, qua Tu, FASOLDE, potitus
Velleris, hinc nobis aurea multa refers.

φιλοφιλίας ἕνεκα fecit
M. Joh. Georg. Mullerus, Jenens.

I. N. J.

DECAS PRIMA.

FESTUM PRIMUM.

ΟΛΥΜΠΙΑ.

I. ΟΛΥΜΠΙΑ Festum ab Atheniensibus aliisque Græciæ populis in Jovis τοῦ Ὀλυμπίου honorem gloriamque agitatum. Scholiographus Pindari *Pyth.* Od. IX. de hoc festo ita: Ὀλυμπίοις, οὐ τοῖς ἐν Πίσῃ νῦν. Οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἔρριψεν ἁπλῶς τὸν λόγον, ἀλλὰ τοῖς ἐν Ἀθήναις.

II. Eratque & certamen; id quod testantur MSta Scholia Græca admodum vetusta *in Sophoclis Electram*, quæ mihi ex instructissimo celeberrimi BO- E SII ἀμαλθείῳ communicata fuerunt. Verba autem hujus Scholiastæ MSti huc facientia ita habent: Τέσσαρες ἦσαν ἀγῶνες ἐν τῇ Ἑλλάδι. Ὀλύμπια, Πύθια, Ἴσθμια, Νέμεα. Τὰ μὲν Ὀλύμπια καὶ Νέμεα ἦσαν Διὸς Ὀλυμπίου καὶ Νεμέου. Τὰ δὲ Πύθια τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος. Τὰ δὲ Ἴσθμια τοῦ Ποσειδῶνος. Hesychius refert, certamen Athenis factum fuisse. Verba ejus ecce hæc: Ὀλύμπια, ὁ Ἀθήνησιν ἀγών.

III. Solemnia hæc primitus instituta anno mundi 2766. sed renovata denuo 430. annis post (referente Matthæo Dressero lib. *de festis diebus*;) dehinc D quinto quoque anno ad Olympiam urbem, unde & nomen habent, celebrabantur. Scholiastes Pind. *Olymp.* od. x. ita: καὶ πενταετηρικὴν ἄρα ἔστησε καὶ ἐνομοθέτησεν εἶναι τὴν τῶν Ὀλυμπίων πανήγυριν. At Suidas statuit, quarto quoque anno, & quidem Olympiade prima, tempore Salomonis, Olympia acta fuisse. Verba Suidæ sunt ista: Ὀλύμπια. Οὕτω καλεῖται παρ' Ἕλλησιν, ὁ κατὰ τέσσαρα ἔτη συντελούμενος ἀγών. διὰ τὴν κατὰ τετραετίαν τὴν τοῦ ἡλίου δρόμων ἐκ τῶν κατ' ἔτος ὡρῶν τριῶν συντελουμένην ἡμέραν. ἐτέθη δὲ ἡ πρώτη Ὀλυμπιὰς ἐπὶ Σολομῶντος εἰς ἑορτὴν κοσμικὴν τοῦ Διός. Id est, *Olympia. Sic apud Græcos vocatur certamen quarto quoque anno celebrari solitum. Ob* E *diem qui quarto quoque anno conficitur ex tribus horis, quæ quotannis adduntur cursui solari. Inchoata autem est prima Olympias Solomonis tempore, ut Jovis Festum per totum terrarum orbem celebraretur.* Et Pindari Scholiastes *Olymp.* od. x. inquit: Θαυμασίως τὴν τοῦ ἀγῶνος ἑορτὴν κατέστησεν, ἐν τῇ πρώτῃ Ὀλυμπιάδι ἐν τοῖς ἀγωνίσμασι. Quo in loco obiter notandum est, Græcos ab his certaminibus, seu ludis Olympiadibus suis nomen fecisse, Romanosque quinquennale hujusmodi spatium *lustrum* appellasse, ceu idem Autor *in Olymp.* Pindari tradit.

IV. Porro celebrabantur Olympia plenilunio. Idem Scholiastes *Olymp.* Od. III. Ἐν τῇ πανσελήνῳ, ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν ἄγεται. Et quidem die XVI. lunæ; ceu idem Interpres *loco citato* his indicat verbis: Ἐν τῇ ἑκκαιδεκάτῃ τῆς σελήνης, ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν τελεῖται.

V. Instituebantur vero ab Hercule; sicuti idem Scholiastes *Olymp.* Od. II. nos docet his verbis: Τὸν δὲ Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα ἔστησεν Ἡρακλῆς. Huc etiam Scholiastæ Homeri *in Iliad.* λ'. verba faciunt: Ἔθηκε (Ἡρακλῆς) Διὶ τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα. καὶ αὐτὸς πρῶτος τῶν ἀγώνων ἥψατο.

B VI. Agebantur quoque Olympia Elide, & quidem singulis quadrienniis, ut discimus ex Etymologici Auctore in *voce* Ἦλις,, ubi sic scribit: Ἐν αὐτῇ (Ἤλιδι) ἐτιμᾶτο Ὀλύμπιος Ζεύς. ἐν ᾗ καὶ πανήγυρις περὶ πενταετῆ (ita legendum est, non vero τριετῆ) χρόνον ἤγετο τὰ Ὀλύμπια. ἔνθα ἠγωνίζοντο οἱ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος πάντες. Hæc etiam totidem verbis Didymus; Scholiastes Homeri *ad Iliad.* λ'. commemorat.

VII. Agonistæ, Elide æque ac Athenis, antequam certarent, Sacra faciebant pro felici successu. Athenæus lib. XIV. ait: Πελίγναν τὸν μάγειρον λάβε παρὰ τῆς μητρός. οὗτος γὰρ οἶδε τὰ ἱερὰ σου τὰ πατρῷα πάντα ὃν τρόπον θύεται, καὶ τὰ ἄργα, διχαστικὰ καὶ τὰ βακχικά, ὅσα τε ἐν Ὀλυμπίοις προθύεται ἔτος, οἶδε.

C VIII. Qui in isto certamine vicerat, Ὀλυμπιονίκης appellabatur. Suidas: Ὀλυμπιονίκης, ὁ ἐν Ὀλυμπίοις νικῶν. Vide quoque de hac voce Ciceronem *pro Flacco*.

IX. Quod autem ad præmium attinet, sciendum est, victores coronam ex apio, seu olea accepisse, ut videre licet lib. I. *Epigramm. Græc.* ubi agitur *de* IV. *ludis Græcorum*. Verba autem huc pertinentia hæc sunt:

Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Præmia sunt olea & mala, apium, strobilus.

D Pindarus Od. III. *Olymp.* mentionem facit imprimis coronæ oleaginæ. Nam tanti æstimata fuit oleagina corona, ut propter eam victor beatus prædicaretur. Vide de hac corona Etymologum Magnum in Κότινος.

X. Dabatur & victoribus corona e lauro. Ita enim Johannes Chrysostomus *in caput* XVIII. *Geneseos Homil.* XLII. inquit: Καὶ ἐν μὲν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς τόποις ἀγῶσιν ὁ στέφανος μετὰ τὴν νίκην οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ φύλλα δάφνης.

XI. Hujus autem Olympici certaminis instaurator erat Aethlius Endymionis pater. Sic enim nos docet Etymologici Auctor in *voce* Ἀθλῆσαι, ubi ait: Ἀέθλιος ὁ Ἐνδυμίωνος πατὴρ, ἐπιμέλειαν ἐποιήσατο τῆς τοῦ Ὀλυμπιακοῦ ἀγῶνος συστάσεως. ἀπὸ τούτου οὖν γίνεται ἄθλω. ἐκ δὲ τοῦ ἄθλω, ἆθλα, καὶ ἀθληταὶ καλοῦνται.

E XII. Præfectus aut judex in hoc certamine dicebatur apud Eleos Ἀλυτάρχης. Idem Etymologus Magnus: Ἀλυτάρχης, ὁ τῆς ἐν τῷ Ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι εὐκοσμίας ἄρχων. Ἠλεῖοι γὰρ τοὺς ῥαβδοφόρους ἢ μαστιγοφόρους παρὰ τοῖς ἄλλοις καλουμένους, ἀλύτας καλοῦσι, καὶ τὸν τούτων ἄρχοντα ἀλυτάρχην.

XIII. Appellabantur etiam hi Præsides seu Præfecti Ἑλλανοδίκαι; erantque olim numero novem; deinde duo; ac tandem octo: Sedebantque penes agonem purpura induti. Idem Autor: Ἑλλανοδίκαι, ἄρχοντες Ἠλεῖοι διέποντες κατὰ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπιακόν. ἐκλήθη δὲ, ὅτι παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐδίκαζον τοῖς δὲ ἀθληταῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγωνισταῖς. ἐκαθέζοντο γὰρ ἐν τῷ ἀγῶνι πορφυρίδα περιβεβλημένοι. καὶ ἦσαν οὗτοι τὸ μὲν πάλαι, ἐννέα. εἶτα δύο· καὶ τὸ τελευταῖον, η'.

F XIV. Celebrabantur quoque Olympia Megaræ, ubi tunc moris erat victorum nomina lapideis columnis per ædes passim incidi. Incisa autem victorum nomina gerentes, nullius nomen crebrius habuerunt, atque Diagoræ. Scholiastes MStus Sophoclis *loco citato*: Ἐν τοῖς Ὀλυμπίοις παρὰ Μεγαρεῦσι τὰ τῶν νικηφόρων ὀνόματα λίθοις ἐγγεγραμμένα ἦσαν. Et Scholiographus Pindari *Olymp.* ait: Κατὰ τὰ Μέγαρα ἔθος ἐστὶ, τῶν νικηφόρων τὰ ὀνόματα λίθοις ἐγκολάπτεσθαι. Φησὶν οὖν ὅτι καὶ ἐν τοῖς Μεγάροις ἡ λιθίνη ψῆφος οὐκ ἑτέρου τινὸς ὅπως ἐγκεκολαμμένον φέρει τὸ ὄνομα ὡς τὸ τοῦ Διαγόρα.

XV. Porro, agonistæ nudi certabant. Primus autem in hoc certamine, Orsippus, XXXII. Olympiade nudus cœpit certare; antea subligacula, seu velamina circa pudenda gestabant. Idem in *voce* Γυμνάσια: Πρῶτον γυμνὸς ὁ Ὀρσιππος ἔδραμεν ἐν Ὀλυμπίᾳ. Et paulo post dicit: Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς περιζώματα φορεῖν ἐν τοῖς αἰδοίοις, καὶ οὕτως ἀγωνίζεσθαι· κατὰ δὲ τὴν τριακοστὴν δευτέραν ὀλυμπιάδα, Ὀρσίππου τοῦ Λακεδαιμονίου ἀγωνιζομένου, λυθὲν τὸ περίζωμα, αἴτιον αὐτῷ λύπης ἐγένετο. ἐξ οὗ καὶ νόμος ἐτέθη γυμνοὺς τρέχειν. Id etiam confirmat Scholiastes Homeri *ad Iliad.* Ψ. ubi eadem fere verba leguntur, sic habentia: Πρῶτον ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς περιζώματα φέρειν περὶ τὰ αἰδοῖα, καὶ οὕτως ἀγωνίζεσθαι. κατὰ δὲ τὴν λ'. καὶ δευτέραν Ὀλυμπιάδα, Ὀρσίππου τοῦ Λακεδαιμονίου λυθὲν ἀγωνιζομένου τὸ περίζωμα, αἴτιον αὐτῷ ἥττης ἐγένετο, ἐξ οὗ νόμος ἐτέθη γυμνοὺς τρέχειν.

XVI. Hic per occasionem verbis illis D. Apostoli Pauli *ad Philipp.* III. cap. vers. 13. & I. *Corinth.* IX. vers. 24. lucem fœnerabor. In his duobus locis Apostolus alludit ad certamina Athletarum, seu Agonistarum apud Græcos, qui in stadio currentes, corpusque prætendentes, & pronum exporrigentes cum impetu, quo poterant, maximo, ad præfixum scopum ferebantur, ubi præmium, sive corona, quam manibus capiebant, imo rapiebant, e loco eminentiore suspendebatur. Athletæ vero antequam coronas caperent, Hellanodicas accedere necessum habuerunt, ceu nobis refert Ælianus *Var. Hist.* lib. IX. cap. XXXI. his verbis: Ἀθλητὴς Κροτωνιάτης Ὀλυμπιονίκης ἀφιῶν πρὸς τοὺς Ἑλλανοδίκας, ἵνα λάβῃ τὸν στέφανον.

XVII. Porro sciendum est, in stadio, in quo Athletæ cursu certabant, tres fuisse columnas, quæ Græce Στῆλαι, vel Κίονες Κυβοειδεῖς, item Λίθοι Κυβοειδεῖς appellabantur. Prima columna collocata erat in principio stadii; Secunda in medio; & Tertia in fine. Primæ columnæ inscriptum erat: ΑΡΙΣΤΕΥΕ. Mediæ, ΣΠΕΥΔΕ. Columnæ vero tertiæ, seu ultimæ, ΚΑΜΨΟΝ. Hac de re unicus, sed insignis maxime est locus apud Scholiastem MStum Sophoclis *in Electram*, qui ex celebri Bibliotheca BOSIANA mecum communicatus fuit, ut supra §. II. & XIV. indicavi. Verba autem hujus Scholiastæ ecce hæc: Ἐν τῷ Σταδίῳ τρεῖς ἦσαν Στῆλαι, ἐν ᾧ ἠγωνίζοντο, Κίονες κυβοειδεῖς. Ἡ μὲν πρώτη περὶ τὰς ἀρχάς· ἡ δευτέρα περὶ τὰ μέσα· ἡ δὲ τρίτη περὶ τὸ ἄκρον. Ταύτας περιήρχοντο οἱ ἀγωνιζόμενοι. Καὶ ἡ μὲν πρώτη εἶχε γράμματα ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους. ΑΡΙΣΤΕΥΕ. ἡ δὲ μέση ὁμοίως, ΣΠΕΥΔΕ. Ἡ δὲ τρίτη, ΚΑΜΨΟΝ. Εἶτα ἐπὶ τοῦ ἑτέρου μέρους τὰ αὐτὰ ἦσαν ἐπιγράμματα. Ἡνίκα δὲ τοὺς πεπηγμένους ἐξεπλήρουν δρόμους τὴν τελευταίαν στήλην φθάσαντες, διέλυον τὸν ἀγῶνα. Iterum idem Scholiographus MStus *loc. cit.* ait: Λίθοι ἦσαν κυβοειδεῖς γράμματά τινα ἔχοντες ἐγκεκολαμμένα. Huc quoque faciunt verba Demetrii *Triclin. veteris*, & jam typis excusi Scholiastæ Sophoclis *in Electram*, ubi scribit: Στῆλαι κυβοειδεῖς λίθοι, ἐπιγράμματα τινῶν (lege τινά) ἔχοντες. ἐσχάτην δὲ λέγει, ἐπεὶ καὶ ἄλλαι ἦσαν ἐν τῷ μέσῳ τοῦ δρόμου.

XVIII. Τὸ Στάδιον, antiquitus dictum Αὐλὸς, pedes sexcentos & viginti quinque erat longum; juxta Suidam vero tantum sexcentos. Suidæ verba ec-

ce hæc: Τὸ στάδιον ἔχει πόδας χ´. id est, *Stadium habet pedes* DC. Adstipulatur etiam Suidæ Scholiastes Pindari *Olymp.* p. m. 150. ubi differit, stadium trecentorum cubitorum spatium fuisse. Ita enim ait: Ἐλέγετο δὲ στάδιον ὁ τόπος ἐν ᾧ ἔτρεχον. ἦν δέ φασι πήχεων τριακοσίων διάστημα. id est, *Stadium dicebatur locus ille, in quo (cursores) currebant. Erat vero, ut ajunt, trecentorum cubitorum spatium.*

XIX. Stadium autem nomen habet ἀπὸ τῆς τάσεως, *ab extensione*, quod sit ἐν τῷ δρόμῳ τάσις: Alii deducunt ἀπὸ τοῦ διαστήματος τοῦ ὁρισθέντος. Sunt, qui derivent ἀπὸ τῆς στάσεως, *a statione*, quod Hercules primum eo spatio, uno spiritu, confecto, constitisset & quievisset. Etymologici Auctor hac de re ita scribit. Στάδιον, ἤτοι διὰ τὴν στάσιν. Ἑστῶτες γὰρ ἐθεῶντο. οἱ δέ φασι περιττὸν εἶναι τὸ σ. εἶναι γὰρ τάδιον παρὰ τὴν ἐν τῷ δρόμῳ τάσιν. Et rursus in voce Σταδίῳ inquit: Στάδιον, ἢ ἀπὸ τοῦ διαστήματος τοῦ ὁρισθέντος. ἢ ἀπὸ τοῦ στάντα τὸν Ἡρακλέα τοῦ δρόμου διαπνεῦσαι. Vide etiam de Stadio A. Gellium lib. I. cap. I. *Noctium Atticarum*; item Plinium lib. II. cap. XXIII. & Onuphrium.

XX. Porro illi, qui in stadio cursu certabant, appellabantur indiscriminatim Σταδιοδρόμοι, & Σταδιεῖς, item Δολιχοδρόμοι, & Διαυλοδρόμοι, *die Wettlauffer*. Vid. Jul. Polluc. *Onomast.* l. III. c. περὶ δρόμου γυμνικοῦ, Joh. Loniceri *Annotationes in Pindarum*, & Æschinem *in Timarchum*.

XXI. Scholiastes vero Aristophanis in *Avibus* discrimen facit inter Διαυλοδρομοῦντας, seu Διαυλοδρόμους, Δολιχοδρόμους & Σταδιοδρόμους. Ita enim ait: Οἱ διαυλοδρομοῦντες, μεθ᾽ ὅπλων τρέχουσιν ἔχοντες λόφον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Δολιχοδρόμοι δὲ οἱ ἑπτὰ τρέχοντες, διὸ καὶ Δολιχοδρόμοι. Οἱ γὰρ Σταδιοδρόμοι διπλοῦν (lege ἁπλοῦν) ποιοῦνται τὸν δρόμον, id est, Διαυλοδρομοῦντες, q. d. *cursum duplicatum seu reciprocum peragentes, cum armis stadium pedes mille & ducentos longum currunt, gestantes in capite galeam*: Δολιχοδρόμοι *vero*, q. d. *longi cursus cursores, qui septem stadia currunt: Nam Stadiodromi simplicem faciunt cursum*, hoc est, non recurrunt unde cursum inierant, uti faciunt Διαυλοδρόμοι. Eadem quoque verba habes apud Suidam in Δίαυλος. Vide etiam hac de re differentem Quercet. *in Diæt. Polyb.* Sect. II. cap. XI.

XXII. Δίαυλος enim est διστάδιον, id est, *stadium duplicatum*, vel *cursus reciprocus*, cum cursores ad metam pervenerant, flectentes eo rursus recurrebant, unde cursum cœperant. Etymologici Auctor in Αὐλός: Αὐλὸς, στάδιον· καὶ τὸ διστάδιον, δίαυλος σύνθετον. Et iterum ait in voce Στάδιον: Στάδιον, καὶ τὸ ἀρχαῖον ἐκαλεῖτο αὐλός. Ὅθεν δίαυλος, τὰ δύο στάδια, ἀπὸ τοῦ δύο αὐλῶνας ἔχειν. καὶ διαυλωνίζειν λέγουσι τοὺς ἀνέμους, ὅταν διά τινος ὁμαλοῦ καὶ στενοῦ διαπνέωσι. Huc quoque faciunt verba Scholiastæ Aristophanis *ad Aves*, quæ ita habent: Δίαυλος ὁ διττὸν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ τὸ πληρῶσαι τὸ στάδιον καὶ ὑποστρέψαι.

XXIII. Erat autem δίαυλος spatium pedum mille & ducentorum, uti idem Scholiastes *loco jam citato* tradit, sed corruptis hodie verbis: Δίαυλος ὁ διστάδιος τόπος, ἢ μέτρον πήχεων σ´. Omnino rescribendum erit, Δίαυλος, ὁ διστάδιος τόπος, ἢ μέτρον πήχεων ω´. Et sic repone apud Suidam, ubi similiter male editur hodie, Δίαυλος, μέτρον πήχεων σ´.

XXIV. Δόλιχος vero cursus erat longus, & viginti quatuor continebat stadia. Suidas: Ἐστὶ δὲ ὁ δόλιχος κδ´. στάδια. Et paulo ante ait, *Dolichum fuisse cursum equestrem, & in longo cursu factam fuisse reflexionem; Stadium vero rectum cursum.* Verba Suidæ ecce hæc: Δόλιχος τὸ ἱπποδρόμιον, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν. στάδιον δὲ, ὁ ὀρθὸς δρόμος. Et Budæus in suis *Græcæ linguæ doctissimis Commentariis* differit, τὸν Δόλιχον longum ac veluti plenum cursum Diaulo majorem significare; & Δολιχοδρόμον eum denotare, qui plenum cursum perfecerit.

FESTUM II.

ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ.

I. Ἀπατούρια, Festum Athenis, quod Baccho τῷ Μελαναιγίδι, Jovi τῷ φρατρίῳ καὶ Ἀπατηνόρι, item Dianæ, Minervæ, & Cereri τῇ Κουροτρόφῳ, mense, qui Græce Πυανεψιών appellatur, agitabatur. Vide Suidam, Etymologum Magnum, & Scholiasten Aristophanis *ad Acharnenses*.

II. Erat autem hoc Festum non unius sed trium dierum; primus eorum Δορπία, sive Δόρπεια, secundus Ἀνάρρυσις, & tertius Κουρεῶτις vocabatur. Scholiastes Aristophanis *ad Pacem*, hac de re ita: Τρεῖς ἦσαν αἱ ἡμέραι τῶν Ἀπατουρίων. Δορπία, Ἀνάρρυσις, Κουρεῶτις. Consule quoque Etymologici Auctorem in voce Κουρεῶτις. Quo in loco illud observandum est, laudatum jam Scholiasten trium duntaxat ejus festi dierum mentionem facere.

III. At Hesychius, Harpocration, Simplicius *ad Phys. Aristotelis* lib. IV. quatuor recensent dies. Addunt enim quartam diem, Ἐπίβδαν dictam, quæ non peculiaris erat dies, sed Festorum accessio, ut cum peracta solemnitate repotia celebrantur, ceu ipse Hesychius in voce Ἐπίβδαι, cui adstipulatur Suidas, indicat. Vide etiam de voce Ἐπίβδα Scholiasten Pindari *Pyth.* pag. m. 203. & *Lexicon Pindaricum* Porti.

IV. Cur vero festum hoc Ἀπατούρια sit appellatum, ea de re duæ imprimis occurrunt sententiæ. Una quidem est, quæ Ἀπατούρια, quasi Ὁμοπατόρια inde sic dicta, putat, quod patres tunc, propter filios sodalitati inscribendos, convenirent. Hoc vero simili modo dictum videtur; sicuti dicimus ἄλοχον, id est, *uxorem ejusdem lecti participem*, q. d. ὁμόλεχον, vel ὁμόλεκτρον. Sic quoque ab ὁμοπατόρια deductum Ἀπατόρια, unde τὰ Ἀπατούρια. Videsis Etymologici Auctorem in Ἀπατούρια, Scholiasten Aristophanis *ad Acharnens.* & Suidam in Ἀπατούρια.

V. Altera sententia, illud ἀπὸ τῆς ἀπάτης τοῦ Μελανθίου, id est, *a fraude Melanthii* derivatum esse, statuit, ut sit quasi *Fallaciarum solemnitas*. Guilielmus Budæus itaque recte transtulit *Festum deceptionis*, quod Rex Atheniensis Melanthius in duello Xanthium Regem Bœotiorum, cum finium regundorum contentiones inter Athenienses & Bœotos ortas, singulari monomachia dirimere statuissent, per fraudem occiderit. Consule Scholiographum Comici *ad Acharnenses*, & *ad Pacem*, Etymologum Magnum in Ἀπατούρια, & Polyænum *Strateg.* lib. I. pag. m. 25. & 26.

VI. Hinc omnes Iones, qui genus suum ad Melanthium referebant, *Apaturia* celebrarunt, exceptis Ephesiis & Colophoniis, teste Herodoto lib. I.

VII. Quod autem ad tres illos hujus Festivitatis dies attinet, de quibus jam diximus, dicebatur primus Δορπία, vel Δόρπεια, quod tum sodales, seu tribules, qui Græce φράτορες audiunt, circa vesperam ad luculentum epulum convenire solerent. Descendit enim Δορπία, a voce Δόρπου, quæ vespertinas significat epulas. Confer Herodotum in *Vita Homeri*.

VIII. Secundo die, qui Ἀνάρρυσις appellatur, tribules Jovi τῷ φρατρίῳ, & Minervæ sacrificabant, docente Suida. Etiam Jovi τῷ Ἀπατηνόρι, & Baccho, qui Μελαναιγὶς cognominabatur, ut Etymo-

logici Auctor in Ἀπατούρια, & Interpres Aristophanis *ad Acharnenses* referunt.

IX. Sacrificia autem, quæ hoc die fiebant, dicuntur Ἀναῤῥύματα, teste Proclo l. I. *in Plat. Timæum*, quia resupinata, & rursum retracta immolabantur. Verbum enim ἀναῤῥύειν, ceu Scholiastes Comici *ad Pacem* exponit, non solum est ἐπιθύειν, καὶ ἀντὶ τοῦ θυσίαν ἐπιτελεῖν, id est, *sacrificare*, & *sacrificium peragere*; sed & Homero idem est, quod ἀνατρέπειν, id est, *resupinare*.

X. Nam veteres Græci Diis superis sacrificaturi τὸ ἱερεῖον, vel θυόμενον, id est, *victimam* resupinabant, ut cœlum adspiceret. Ecce Etymologici Auctorem in Ἀνάῤῥυσις: Ἀναῤῥύειν, θύειν. Ἐπειδὴ θύοντες ἀνέκλων τοὺς τραχήλους τῶν θυομένων, ἐπὶ τὰ ἄνω τρέποντες. Eustathius *ad Homeri Iliad.* α΄. hac de re paulo clarius agit, dum ait: Ἔθος ἑλληνικὸν, εἰ μὲν τοῖς ἄνω Θεοῖς ἔθυον, ἀνακλᾶν τὸν τοῦ ἱερείου τράχηλον, ὥστε ἐφορᾶν ὡς οὐρανόν.

XI. Si vero Heroibus, aut Inferis sacrificarent, victimas pronas mactabant, ut idem Eustathius *loco citato* his innuit verbis: Ἐὰν μέν τοι Ἥρωσιν, ἢ ὅλως τοῖς κατοιχομένοις ἔθυον, κάτω τὸ ἱερεῖον ἀποβλέπον ἔσφαζον. Est igitur ἀναῤῥύειν, τὸ ἱερεῖον ἀνατρέπειν, καὶ ἀναφέρειν, id est *ad sacrificandum resupinare*; quod fieri solebat in sacris Deorum Superum, quales sunt Jupiter, & Minerva, quibus die τῆς Ἀναῤῥύσεως sacra faciebant.

XII. Hic illud per occasionem notandum est, Græcos Diis Inferis sub occasum Solis sacrificasse; Superis vero sub ortum Solis. Sacrificia, quæ fecerunt Diis Manibus, appellabant Ἔντομα: Quæ vero Superis obtulerunt Ἔνορχα nuncupabant. Scholiastes Apollonii lib. I. *Argonaut.* hac de re ita: Τοῖς μὲν κατοιχομένοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσι· Τοῖς δὲ οὐρανίοις ὑπὸ τὴν ἕω ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου. Ἔντομα δὲ τὰ σφάγια κυρίως τὰ τοῖς νεκροῖς ἐναγιζόμενα διὰ τὸ ἐν τῇ γῇ αὐτῶν ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. Οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς Χθονίοις· Τοῖς δὲ Οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφοντες τὸν τράχηλον σφάζουσιν. Ἄλλοι δὲ Ἔντομα φασὶν τοῖς τεθνεῶσιν ἐνάγιζον ὡς ἄγονα τοῖς ἀγόνοις. τοῖς δὲ Οὐρανίοις Θεοῖς Ἔνορχα ἔθυον.

XIII. Cum vero sacrificarent, puer iste, quem in civium album, Græce κοινὸν γραμματεῖον dictum, relatum volebant, ad aram adductus quasi Diis sistebatur. Vide Andocidem *Orat.* περὶ τῶν μυστηρίων. Eodem etiam die secundo cum facibus e foco sumptis ardentibus, pulcherrimis amicti stolis in honorem memoriamque Vulcani, a quo ignis usus, cursu certabant. Consule hac de re Harpocrationem in Λαμπάς. Vide & Suidam in eadem voce.

XIV. Tertius dies hujus Festi nominabatur Κουρεῶτις, sic dictus παρὰ τῆς κουρᾶς, *a tonsura*, vel ἀπὸ τῶν κούρων, *a pueris*. Nam parentes, congregatis testificantibusque propinquis & familiaribus, eo ipso die liberos suos τῇ φρατρίᾳ, id est, *sodalitati*, sive *curiæ* inscribendos offerebant. Etymologici Auctor in Κουρεῶτις ita: Τῇ δὲ τρίτῃ, τοὺς κούρους εἰσάγουσιν εἰς τὴν ἑορτὴν, καὶ συνιστῶσι τοῖς συγγενέσι καὶ γνωρίμοις, καὶ ἐγγράφουσιν εἰς τὴν πολιτείαν. Et coma ipsis capitis resecta, sacra Dianæ faciebant. En doctissimum Hesychium: Κουρεῶτις, μηνὸς τοῦ Πυανεψιῶνος ἡμέρα, ἐν ᾗ, τὰς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τῶν παίδων ἀποκείροντες τρίχας Ἀρτέμιδι θύουσιν. Idque φρατρίαν θύειν dicebatur, & qui istud negligebant, ἐπιπαίζειν Laconibus appellabantur, docente Hesychio in ἐπιπαίζειν.

XV. Erat autem, quod obiter tenendum est, φρατρία, sive φρατρεία, id est, *curia*, vel *sodalitas* tribus, tertia unius cujusque tribus pars Athenis, ubi populus in duodecim tribus divisus erat. Φράτορες, id est, *ejusdem phratriæ*, sive *sodalitii participes*. Hinc verbum φρατριάζειν, & φρατρίζειν, id est, *ejusdem sodalitatis participem esse*, vel *tribulium consortium habere*. Et φρατρίαρχος, id est, *præfectus tribus*, vel *princeps phratriæ*. Ita enim Etymologus Magnus in φράτορες: φρατρία ἐστὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς. Φράτορες δὲ, οἱ τῆς (αὐτῆς) φρατρίας μετέχοντες· καὶ φρατριάζειν, τὸ τῆς αὐτῆς φρατρίας μετέχειν. Φρατρίαρχος δέ ἐστιν, ὁ τῆς φρατρίας ἄρχων. Videndi quoque Harpocration, apud quem eadem habes verba, & Suidas in φράτορες.

XVI. *In album vero tribulium referri*, vel *liberos profiteri*, dicitur apud Demosthenem Εἰσάγειν τοὺς παῖδας εἰς τοὺς φράτορας. Et Suidas id appellat γράφεσθαι εἰς τοὺς φράτορας. Sic enim ait: Τὸ δὲ γράφεσθαι εἰς τοὺς φράτορας, σύμβολον εἶχον τῆς συγγενείας. Id est, *In tribulium album referri, & in eo nomen alicujus inscribi, cognationis signum, & argumentum esse ducebant.*

XVII. Porro eodem τῆς Ἀναῤῥύσεως die, parentes, qui filios suos τῇ φρατρίᾳ inscribendos offerebant, jurare tenebantur, Athenienses illos esse, & ex ipsis Atheniensibus natos. Et pueri πρὸ τούτου ἀπάτορες ὄντες, id est, *antea patribus carentes*, putabant se tunc habere patres. Vide Etymographum Magnum in Ἀπατούρια.

XVIII. Immolabant enim tum parentes sodalibus victimam, ovem nempe, aut capram, ad certum pondus; Ovis appellabatur φράτηρ, *capra* vero φράτειος. Jul. Pollux *Onomast.* lib. III. cap. IV. hac de re sic scribit: Οἶς φράτηρ, καὶ αἶξ φράτριος, ἡ θυομένη τοῖς φράτορσιν. Vide & Suidam in voce Μειαγωγεῖν, & Interpr. Græc. Aristophanis *ad Ranas*.

XIX. A tribulibus, cum hæc victima, Græce Κούρειον, sive Μεῖον dicta, ipsis offerretur, per ludum clamabatur: Μεῖον, Μεῖον; quasi illa hostia infra justum esset pondus. Vide Suidam in Μειαγωγεῖν, & Μεῖον, Etymologici Auctorem in Κούρειον, Harpocrationem in Μεῖον, & inprimis doctissimum Schol. Aristoph. *ad Ranas*, qui ibidem hanc rem multis persequitur verbis.

XX. Qui autem τὸ Μεῖον offerebat, Μειαγωγὸς exinde dicebatur. Scholiographus Aristoph. *loco jam citato* ita: Μειαγωγὸς ἐλέγετο, ὁ προσαγαγὼν τὸ ἱερεῖον, ὅτι Μεῖον τὸ ἱερεῖον ἔλεγον. Consule etiam Harpocrationem in Μεῖον, Etymologici Auctorem in Κούρειον, & Hesychium in Μειαγωγός.

XXI. Atque hinc deductum verbum Μειαγωγεῖν, quod sæpe laudatus Glossographus Aristophanis *loco citato* sic explicat: Μειαγωγεῖν τὴν τραγῳδίαν, τουτέστι πρὸς τὸν ζυγὸν προσάξουσι, καὶ στήσουσιν, id est, *Ponderare tragœdiam*, hoc est, *ad stateram examinabunt, & expendent*. Eadem fere verba habet etiam Suidas in voce Μειαγωγεῖν. Polluci vero lib. III. cap. IV. est Μειαγωγεῖν, τὸ εἰσάγειν ἱερεῖον, id est, *Sacrificium inducere*. Et Harpocration in Μεῖον ait: Μειαγωγῆσαι δέ ἐστι, τὸ ἐπιδοῦναι τοῖς φράτορσι τὸ Μεῖον.

XXII. Non solum autem ovis, aut capra tunc sacrificabatur, sed & mensura vini Herculi offerebatur; atque hinc res illa seu libatio vini, appellabatur Οἰνιστήρια, vel Οἰνιστηρία. Hesychius in voce Οἰνιστηρία: Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν, εἰσέφερον Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου. καὶ σπείσαντες, τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδουν πίνειν. ἡ δὲ σπονδὴ ἐκαλεῖτο οἰνιστηρία. Ex his verbis satis constat, haud fieri potuisse, ut pueris

coma

coma detonderetur, nisi prius vinum offerretur. Vide etiam Pollucem lib. III. cap. IV. & Athenæum lib. XI. cui ἡ Οἰνιςηρία, est μέγα ποτήριον, id est, *magnum poculum*, vel *lagena vinaria*.

XXIII. Porro adscribebantur tribubus, non duntaxat filii, sed & filiæ jam nupturæ, quarum sacrificium Γαμηλία dicebatur, ut puerorum Κούρειον. Pollux *Onomast.* lib. III. cap. III. Ἡ δὲ ἐπὶ γάμῳ θυσία ἐν τοῖς φράτορσι, γαμηλία. καὶ τὸ ἔργον, γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, id est, *Nuptiarum vero sacrificia in tribubus, nuptialia appellantur. Ipsumque opus, nuptialia celebrare*. Sed sciendum est, parentes τὴν γαμηλίαν sodalibus tunc obtulisse, cum filias elocarent, ut felix haberent conjugium, teste Isæo *Orat.* ὑπὲρ τοῦ Πύρρου κλήρου.

XXIV. Sed quæso quotum ætatis annum liberi isti curiæ inscribendi agebant? Autores variant. Etymologici Auctor in Ἀπατούρια memoriæ prodidit, intra primum usitatum fuisse annum. Proclus vero *in Timæum Platonis* statuit, illos pueros tertium aut quartum egisse annum. Jul. Pollux lib. IIX. cap. IX. refert, adulta demum ætate factum fuisse. Sic intelligi quoque debet Scholiastes Aristophanis *loco sæpius citato*, ubi ait: Ἐάν τις εἰσάγῃ εἰς τοὺς ἰδίους φράτορας υἱὸν ἐν ἡλικίᾳ γενόμενον, παρίστᾳ αὐτοῖς ἐπὶ ὡρισμένῳ σταθμῷ ἱερεῖον.

XXV. Præterea non solum liberi naturales, sed & adoptivi in tribules referebantur. Naturales quidem in Apaturiis, adoptivi vero in Thargeliis. Confer Isæum in *Orat.* ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου. Et patres filiis suis, ut quisque ingenio valebat, certatim carmina Poetarum, imprimis autem Solonis, quod tunc nova essent, recitanda proponebant. Hujus consuetudinis meminit Plato in *Timæo*.

XXVI. Ille vero, qui memoriter plura proferebat carmina, in hoc certamine victor evasit, ut autor est Proclus *in Platonis Timæum*.

XXVII. Hæc sacra Samii quoque observarunt, teste Herodoto in *vita Homeri*. & mulieres tum Cereri τῇ Κουροτρόφῳ in trivio, exclusis viris, sacrificarunt, docente Herodoto *loco citato*.

FEST. III.

ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ.

I. ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ, vel ἡ Βοηδρομία, Festum erat apud Athenienses, quod mense Boedromione in honorem Ionis, Xuthi filii, qui magno studio Atheniensibus, ab Eumolpo, Neptuni filio, regnante tunc Athenis Erechtheo, oppugnatis, suppetias tulit, celebrabatur; Unde etiam nomen obtinuit ἀπὸ τοῦ βοηδρομεῖν, quod est μετὰ σπουδῆς παραγίνεσθαι, id est, *cum clamore accurrere*, *aut cum festinatione adesse*. Caribus vero est τὸ βοηδρομεῖν ἀντὶ τοῦ βοηθεῖν, τουτέστιν ἐπὶ μάχην δραμεῖν, *auxiliari*, hoc est, *ad pugnam currere*. Vide Etymologum Magnum, Suidam, & Harpocrationem.

II. At Plutarchus in *Theseo* tradit, τὰ Βοηδρόμια Athenis mense Boedromione in Thesei honorem, quod feliciter Amazones debellaverit, facta Apollini re divina, agitata fuisse; hinc Ἀπόλλωνα τὸν Βοηδρόμιον coluerunt. Verba autem Plutarchi huc facientia confer.

FEST. IV.

ΑΔΩΝΙΑ.

I. ΑΔΩΝΙΑ, vel ut alii scribunt Ἀδώνεια, Sacra erant, quæ ab omnibus fere Græciæ populis in honorem Adonidis & Veneris observabantur. Meminit eorum Scholiastes Aristopha- A nis *ad Pacem* his verbis: Τὰ Ἀδώνια, τῷ Ἀδώνιδι, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ.

II. Horum Sacrorum ceremonias exequebantur fœminæ, & Adonidem, Veneris amasium, ab apro occisum plangebant. D. Augustinus de his Sacris lib. VI. *de Civitate DEI*, cap. VII. sic scribit: *Sacra sunt Veneris, ubi amasius ejus Adonis aprino dente extinctus, juvenis formosissimus plangitur*. Vide & Ammianum Marcellinum lib. XIX.

III Amabatur autem Adonis non solum a Venere, sed & a Jove & Proserpina. Hinc a Theocrito in Ἀδωνιαζούσαις, sive *Idyll* o XV. vocatur ὁ τριφίλατος Ἄδωνις. Ad quem locum Scholiastes ita: Ὁ τριφίλατος Ἄδωνις. Ὅτι ὑπὸ τριῶν ἐφιλήθη Διός, B Ἀφροδίτης, καὶ Περσεφόνης ἐν ᾅδῃ.

IV. In his Sacris in pompæ traductione simulacrum Adonidis, Græce Ἀδώνιον dictum, simulque Veneris, quod Ἀφροδίσιον nuncupabant, ut & hortos Adonidis in testis cum cujusvis generis autumnalibus fructibus circumferebant. Horti vero illi ex fœniculo, & lactuca confecti erant. Nam Venus ab apro interemptum Adonidem in lactucis deposuerat. Hi horti autem Adonidis efferebantur una cum extincto jam Deo, & in fontes jaciebantur. Vide Hesychium in Ἀδώνιδος κῆποι, Theocritum in Ἀδωνιαζούσαις, seu *Idyllio* XV. Zenobium cent. I. *Proverb.* XLIX. & Suidam in Ἀδώνιδος κῆ- C ποι. At Interpres Græcus Theocriti *loco citato* refert, hos hortos non in fontes, sed in mare abjectos fuisse. Verba hujus Scholiastæ sunt ista. Ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἐκφέροντες τὸν Ἄδωνιν, ἐρρίπτουν ἐπ' αὐτήν. Consule quoque Eustathium *ad Homeri Iliad.* λ.

V. Alii aliter rem istam de hortis Adonidis explicantes statuunt, Græcos consuevisse hordeum & triticum in locis suburbanis, ubi essent multæ fructiferæ arbores, serere; atque ea loca, in quibus hæc sata fuissent, *hortos Adonios* appellare, quia locis hujusmodi Adonis delectabatur. Inde de iis D locis omnis generis fructus, qui Ἀδώνειοι καρποί, vel ἀκρόδρυα a Græcis dicuntur, Adonidi offerebant. Ita enim Theocritus, *loco aliquoties citato*, canit:

> Ἀρσινόα, πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν.
> Πὰρ μέν οἱ ὥρια κεῖται, ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι,
> Πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
> Ἀργυρέοις. ——

Ad hæc verba Scholiastes hunc in modum scribit: E Πάντα φησὶ τὰ ἀκρόδρυα, περιτίθενται τῷ Ἀδώνιδι, ἀπὸ παντοίας ἰδέας ὀπωρῶν. Εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις, πυροὺς καὶ κρίθας σπείρειν ἔν τισι προαστείοις. καὶ τοὺς φυτευθέντας κήπους, Ἀδωνίους προσαγορεύειν.

VI. Porro mulieres passim per universam urbem Idola mortuorum cadaveribus similia collocabant, quæ deinde more funerum efferebant, tumulo mandabant, iisque lessum faciebant, teste Plutarcho in *Alcibiade*. Ipse planctus, seu lessus dicebatur Ἀδώνια, vel Ἀδωνιασμός. Etymologici Auctor: Ἀδωνιασμός, ὁ ἐπὶ τῷ Ἀδώνιδι θρῆνος. Unde Ἀδώνιον ἄγειν, quod est, interprete Suida, Ἄδωνιν F κλαίειν.

VII. Epicedia, quæ decantabantur, Ἀδωνίδια appellabant, ut testatur Proclus in *Chrestomathia*, ubi ita dicit: Ἀδωνίδια δὲ λέγεται τὰ εἰς Ἄδωνιν ἀναφερόμενα. Canticum vero, quod Maryandeni agricolæ in Adonidem canere solebant, dicitur, teste Polluce, Ἀδωνιμαοιδός. Verba Pollucis *Onomast.* lib. IV. cap. VII. ecce hæc sunt: Ἀδωνιμαοιδὸς καὶ Βῶριμος, Μαρυανδυνῶν γεωργῶν ᾆσμα.

VIII. Non ſolum mulieres ipſæ ejulabant, ſed & luctum ſuum tibiarum lugubri ſonitu indicabant. Vocis ejulatus erat, Αἶ, Αἶ, ut Ariſtophanes tradit, cum ait:

Ἡ γυνὴ δ' ὀρχουμένη.
Αἶ, αἶ, Ἄδωνιν φησι.

Hinc verbum αἴζω, ἀντὶ τοῦ θρηνῶ. Scholiaſtes MStus Sophoclis, cujus etiam in feſto Olympiorum & Cabiriorum memini, hac de re ſic ait: Αἰάζω τὸ θρηνῶ, ὁ μέλλων αἰάσω· καὶ ἐκ τούτου αἴας, οἱονεὶ θρῆνος. Et Theocritus, *Idyll.* XXIII. Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν, id eſt, *lamentor Adonidem*.

IX. Quod autem ad tibias, quibus in hoc luctu utebantur, attinet, vocabantur eæ Γίγγραι, id eſt, *fiſtulæ gingrinæ, flebile quid & luctuoſum obſtrepentes, die trauer, ſchalmeyen.* Pollux lib. IV. cap. X. ita: Γίγγρας δέ τις αὐλίσκος, γοώδη καὶ θρηνητικὴν φωνὴν ἀφίησι. φοῖνιξ μὲν ὢν τὴν εὕρεσιν, πρόσφορος δὲ Μούσῃ τῇ Καρικῇ. Ἡ δὲ φοινίκων γλῶττα, γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασται. Eædem tibiæ vocantur etiam ab Athenæo lib. IV. Γίγγροι, & ab Heſychio Γιγγρίαι. Hinc deductum eſt verbum γιγγραίνω, vel γιγγρῶ, id eſt, *tibia illa, quæ gingras dicitur, cano*; Et γιγγρασμὸς, *cantus*, ſeu *ſonus* τοῦ γίγγρου. Carmina autem, quæ ad gingras cantabant, appellarunt γιγγραντὰ μέλη.

X. Quibus ritibus hæc Adoniorum ſacra *Aſſyrii* agitaverint, indicat Lucianus in *Dea Syria*, his verbis: Λέγουσι γὰρ δὴ ὦν τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς, ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος τύπτονταί τε ἑκάστου ἔτεος, καὶ θρηνέουσι, καὶ τὰ Ὄργια ἐπιτελέουσι, καί σφισι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσταται. Ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνταί τε, καὶ ἀποκλαύσωνται, πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἐόντι νέκυ. καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος. Γυναικῶν δὲ ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσι ξυρέεσθαι, τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι. ἐν μιῇ ἡμέρῃ ἐπὶ πρήσει τῆς ὥρης ἵστανται. ἡ δὲ ἀγορὴ μούνοισι ξείνοισι παρακέαται, καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτην θυσίη γίγνεται. μετὰ δὲ, τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι, καὶ ἐς τὸν ἠέρα πέμπουσι. id eſt, *Dicunt enim in ſua regione contigiſſe, quod Adonis ab apro ictus fuerit: atque in memoriam ejus rei ſingulis annis ſe plectunt, & lamentantur, & ritus ſolemnes peragunt, & magnus luctus in illa regione per id tempus exoritur. Poſtquam ſe percuſſerint, & luxerint, primum Adonidi inferias perſolvunt, tanquam vita defuncto, & capita radunt, quemadmodum Ægyptii mortuo Api. Mulierum autem quæcunque radi nolunt, talem pœnam exſolvunt: unum diem ad quæſtum corpore faciendum proſtant: forum vero ſolis peregrinis exhibetur: & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri ſacrificatur. Poſtea vero, ſequenti die ipſum & vivere inquiunt, & in aera mittunt.* Ubi obſerva, quod ſi quæ mulierum has ceremonias neglexiſſent, pœna proſtitutionis ab ipſis exigeretur.

XI. Agebatur etiam Adonidis celebritas in urbe Macedoniæ, quam Dium appellabant; quo cum Hercules veniſſet, multosque vidiſſet exeuntes e templo, interrogavit quendam de præſentibus, eo & ipſe ingreſſurus, cujus eſſet Deorum illud fanum? cum is Adonidis dixiſſet: Οὐδὲν, *inquit*, ἱερὸν, id eſt, *nihil eſt religioſum*, vel ſacrum. Egregie hac de re loquitur Scholiaſtes Theocriti *ad Idyll.* V. Ἐντὶ μὲν οὐδὲν ἱερόν. Παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων. Φησὶ δὲ Κλέανδρος ἐν δευτέρῳ τῶν παροιμιῶν, ὅτι Ἡρακλῆς ἰδὼν ἱδρυμένον τὸν Ἄδωνιν, ἔφη οὐδὲν ἱερὸν, &c. Et iterum *ibidem*: Ἡρακλῆς ἐλθὼν εἰς Δῖον πόλιν τῆς Μακεδονίας, εἶδεν ἔκ τινος ἱεροῦ πολλοὺς ἐξιόντας. Θέλων δὲ καὶ αὐτὸς εἰσελθεῖν καὶ προσκυνῆσαι, ἀνέκρινεν, ἤγουν ἠρώτησε, τίνος εἴη τὸ ἱερόν· Μαθὼν καὶ Ἀδώνιδος εἶναι ἔφη· οὐδὲν ἱερὸν, ἀντὶ τοῦ οὐδενὸς ἄξιον. Οὐδεὶς γὰρ θεῶν ὑπάρχει. Conſule quoque Zenobium, & Apoſtolium in *Proverb.*

XII. Præterea ſciendum eſt, hoc feſtum duplex fuiſſe, Adonis enim mortuus ſex menſes in Proſerpinæ complexibus, alios ſex menſes in Veneris agere ſolebat, ceu nos docet Gloſſographus Theocriti *ad Idyll.* III. ubi ait: Λέγουσι δὲ περὶ τοῦ Ἀδώνιδος, ὅτι καὶ ἀποθανὼν, ἓξ μῆνας ἐποίησεν ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Ἀφροδίτης, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Περσεφόνης. Quamvis hic Scholiaſtes eodem loco ſibimet ipſi contrarians ſtatuat, Adonidem quidem apud Venerem & Proſerpinam fuiſſe, ſed illas eum in ſuos complexus non accepiſſe. Verba ejus ecce hæc: Δοκεῖ δὲ ὁ Ἄδωνις μῆνας ἓξ παρὰ Περσεφόνῃ ποιεῖν, ὡς καὶ παρ' Ἀφροδίτῃ ἀντὶ τοῦ συγκαθεύδειν, καὶ προσερνίζεσθαι.

XIII. In Adventu a Proſerpina feſtum lætitiæ celebrabatur, in quo ſummo gaudio, & fauſtis acclamationibus Adonidem excipiebant; in Receſſu vero feſtum luctuoſum inſtituebatur, in quo illum plangebant, gravibuſque deflebant querelis. Vide hac de re Cyrillum *in Eſaiam*; nec non Procopium Gazæum *in eundem Eſaiam*, ubi de Adonide agit, cap. XIIX.

XIV. Non ſolum autem Græci Athenis, in urbe Dio Macedoniæ, & in Aſſyria, ſed & Alexandriæ præſertim ſacra Adonidis, cujus imago ibi magna cum pompa ferebatur, celebrarunt, ut apparet ex illis verbis, quæ in ἐπιγραφῇ, ſeu ὑποθέσει Theocriti *Idyllii* XV. extant, & ita habent: Ἔθος δὲ εἶχον οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, τοῖς Ἀδωνίοις διακομίσαντας τὰ εἴδωλα τοῦ Ἀδώνιδος μετὰ τῶν νομιζομένων ἐπὶ τὴν θάλασσαν κομίζειν. Αἱ δὲ Συρακούσιαι ἐξελθοῦσαι τῶν οἴκων, θαυμάζουσι τὸν ὄχλον, καὶ ὅσα ἐν τῷ ὄχλῳ.

XV. Hæ autem Syracuſanæ mulieres Alexandriam pompam circumlati Adonidis ſpectatum peregre advenerunt; id quod verba hæc ſequentia *loco citato* declarant: Ὑποτίθεται δέ τινας Συρακουσίας τὸ γένος, παρεπιδημούσας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ κατὰ σύνταξιν ἐπὶ θέαν ἀξιούσας πομπῆς τοῦ κομισθέντος Ἀδώνιδος, ὑπὸ Ἀρσινόης τῆς φιλαδέλφου γυναικός. Ubi ſimul intelligitur, Adonidis ſimulachrum Alexandriæ ab Arſinoe circumlatum fuiſſe.

XVI. Agebantur etiam Adonia in inſula Cypro, ubi Adonidis celeberrimum omnium fanum erat, in quo præclarum, & multi nominis Harmoniæ monile cuſtodiebatur. Vide Pauſaniam in *Bœoticis*.

XVII. Pompa jam ad finem perducta, lecti ſternebantur, in quibus imagines Adonidis & Veneris populo ſpectandæ reclinarentur. Theocritus Ἀδωνιαζούσαις ita ait:

Ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα,
Ταν μὲν Κύπρις ἔχει, ταν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.

De Epitaphio Adonidis videatur Theocritus *Idyllio* XXIII. p. m. 274.

XIIX. Sacrificium autem, quod Adonidi offerebant, dicebatur Græce Καθέδρα, ceu nobis refert Heſychius Lexicographus, cum ait: Καθέδρα, θυσία Ἀδώνιδος. Et dies luctus ſuper defunctis, Καθέδραι appellabantur, ut idem auctor his innuit verbis: Καθέδραι, πένθους ἡμέραι, ἐπὶ τοῖς τελευτηκόσι.

FEST. V.

ΔΑΦΝΗΦΟΡΙΑ.

I. ΔΑΦΝΗΦΟΡΙΑ, Festum apud Bœotos, Apollini Ismenio, & Galaxio dicatum. Meminit ejus Proclus in *Chrestomathia*, cum inquit: Παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος Ισμηνίου, καὶ Γαλαξίου.

II. Singulis autem novenniis agitabatur, & lauri in illo a sacerdotibus, qui proprie Δαφνηφόροι, id est, *lauriferi* cognominati, gestabantur, hymnisque Apollo celebrabatur. Idem *loco jam citato*: Δάφνας ἐν Βοιωτίᾳ διὰ ἐνναετηρίδος εἰς τὰ τοῦ Ἀπόλλωνος κομίζοντες οἱ ἱερεῖς ἐξύμνουν αὐτὸν διὰ χοροῦ παρθένων. Unde & nomen habet ἀπὸ τῆς δάφνης φορᾶς, *a gestatione lauri*.

III. Præerat hisce Daphnephoriis puer ἀμφιθαλής, id est, *cujus uterque parens superstes*; cui alius, qui valde familiaris, lignum coronatum gestabat, Κωπὼ nominatum. Deinde subsequebatur alius, laurum manu gestans, inde Δαφνηφόρος, id est, *laurifer* dictus, ut Proclus *eodem* refert *loco*.

IV. Præterea incedebat ὁ Δαφνηφόρος capillis demissis & fluxis, aureaque redimitus corona, splendidaque veste talari indutus, calceisque, quos Græci Ἰφικρατίδας vocabant. Hunc virginum chorus comitabatur, ramos ad supplicationem, quæ hymnis celebrabatur, prætendens. Mittebant autem τὴν δαφνηφορίαν, id est, *lauri gestationem* ad Apollinis Ismenii, & Galaxii fanum. Vide Proclum *loco citato*.

V. Puerum illum ἀμφιθαλῆ, qui hisce sacris præerat, oportebat claris parentibus natum, & eximia forma viribusque præditum, nec non laurea corona redimitum esse, teste Pausania in *Bœoticis*.

FEST. VI.

ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ ΕΟΡΤΗ.

I. ÆGINETÆ celebrabant in honorem Neptuni Festum; in quo sacra conviviaque per XVI. dies agitabant, in quibus sibi ipsis sine servis ministrabant; unde & Μονοφάγοι dicebantur. Rem causamque ejus festivitatis declarat in *Quæstion. Græc.* Plutarchus, quem vide.

FEST. VII.

ΑΜΦΙΔΡΟΜΙΑ.

I. ΑΜΦΙΔΦΟΜΙΑ, vel ΑΜΦΙΔΡΟΜΙΑ, Festum erat apud Athenienses non publicum, sed privatorum affectibus consecratum. A parentibus enim quinto a nato infante die, qui ab Hesychio Δρομιάφιον ἦμαρ dicitur, celebrabatur. Inde autem nomen datum, quod puerum gestantes nudi circum focum currerent. Vide Harpocrationem, & Suidam in Ἀμφιδρομία, ut & Hesychium in Δρομιάφιον ἦμαρ.

II. Sciendum autem est, cursum illum in orbem fuisse conversum, sicuti Etymologus magnus ex Platone ἐν Θεαιτήτῳ id producit, in voce Ἀμφιδρόμια, ita inquiens: Μετὰ δὲ τὸν τόκον, τὰ Ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεκτέον τῷ λόγῳ. Videsis etiam Hesychium in Ἀμφιδρόμια.

III. Corona etiam tunc janua insigniebatur. Hinc domus illa, in qua nimirum puerpera erat, dicta est Στεφανηφόρος. Sed h. l. notandum est de hac janua, seu domo, τῇ Στεφανηφόρῳ, differentiam in coronatione fuisse. Si enim masculus natus, oleaginea erat corona; Si vero fœmella, lanea. Consule hac de re Athenæum lib. II. & Hesychium in Στέφανον ἐκφέρειν.

IV. Cæterum Sacrificium quoque quinto illo die, pro infantis vita saluteque immolabant, splendidumque agitabant convivium. Vide Athenæum lib. II. & Plautum in *Truculento*.

V. Tunc etiam panem occultatum, Græce ἄρτον ἐγκρυφίαν dictum, assabant, cujus rei testis est Etymologici Auctor in Ἀμφιδρόμια, ubi ait: Ἀμφιδρόμια, ἑορτὴ ἐστιν Ἀθήνησι τελουμένη. καθ' ἣν ἐγκρυφίου ἄρτου ὀπτωμένου, ἐπὶ τῆς ἑστίας ἐπιτρέχουσι.

VI. Celebrata igitur Amphidromia quinto a nato infante die, quod hoc intervallum ad ea curanda, quæ ipsum concernebant partum, sufficere existimarent. Inde etiam obstetrices, quæ enitenti adfuerunt, ipsique opem tulerunt, manus purgabant, &, quasi officio suo jam perfunctæ, nutricibus, quæ Κουροτρόφοι, aut Τροφοὶ appellabantur, infantem tradebant, quo ostendere volebant ipsis imposterum curam infantis habendam esse. Consule Tarrhæum in *Proverb.* Suidam, & Etymologum Magnum in Ἀμφιδρόμια.

VII. Quin & his Amphidromiis proprium Genium, ut Præsidem, qui a Græcis Ἀμφίδρομος, sive Θεὸς γενέθλιος dicebatur, assignarunt. Hesychius: Ἀμφίδρομος, Αἰσχύλος Σεμέλῃ, ἔπλασε Δαίμονα καινὸν περὶ τὰ Ἀμφιδρόμια, &c.

VIII. Porro infantibus etiam, non quinto, sed decimo a partu die, circa noctem, nomina imponebantur, & a consanguineis amicisve dona puerperæ, plerumque polypodes, & sepiæ mittebantur. Scholiastes Comici in *Avibus*: Σαφὲς, ὅτι τὰ ὀνόματα τῶν παίδων ἐτίθεσαν τῇ ι'. Et Suidas in Ἀμφιδρόμια: Καὶ δῶρα πέμπουσιν οἱ προσήκοντες ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον πολύποδας, καὶ σηπίας. τῇ δεκάτῃ δὲ τοὔνομα τίθενται. Vide etiam Hesychium, Harpocrationem in Ἀμφιδρόμια, Tarrhæum in *Proverb.* & Suidam in Δεκάτην ἑστιάσαι. Hæc autem dona, quæ a propinquis & amicis mittebantur, dicta sunt ab Æschylo *Eumenidibus* γενέθλιοι δόσεις.

IX. Nec decimo tamen die nomina semper imposita, quin imo etiam septimo aliquando. Etymologici Auctor in voce Ἑβδομευόμενα sic ait: Τοῖς ἀποτεχθεῖσι παισὶ τὰς ἑβδομάδας καὶ τὰς δεκάτας ἦγον, καὶ τότε ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς. Οἱ μὲν τῇ ἑβδόμῃ. Οἱ δὲ, τῇ δεκάτῃ. Videndi quoque Aristoteles lib. VII. *de histor. Animal.* cap. XII. Scholiographus Aristophanis in *Avibus*, & Harpocration in Ἑβδομευομένου. Hinc Ἑβδόμην celebrare, dicebant Ἑβδομεύεσθαι.

X. Præterea moris etiam erat decimo illo die cognatos & amicos convocare, tum sacrificare, infanti imponere inde nomen, & postremo splendide rursus convivari; Germani dicunt: *Kindtauff halten.* Inde Sacrificium illud, ut & convivium, Δεκάτη appellabatur; & parentes, cum exhiberent convivium, Δεκάτην ἑστιάσαι dicebantur, &, cum sacrificarent, Δεκάτην θύειν. Confer Suidam in Δεκάτην ἑστιάσαι, Hesychium in Δεκάτην θύομεν, Interpretem Græcum Comici *loco citato*, & Polyænum lib VI. *Strateg.*

Observandum quoque hic est, electum aliquem fuisse, qui huic nominis impositioni præesset, & quasi susceptor constitueretur, *Es vvurde ein Gevatter gebeten*; plane ut apud nos Christianos consuetudo est.

FEST. VIII.

ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ.

I. ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ, Festum apud Græcos olim Veneri agitatum. Ejus mentionem facit Athenæus lib. IV. ubi in hunc scribit modum:

Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως δεῖπνον, Ἀφροδίσια ἐπιτελοῦντος Ἀθήνησι.

II. Inprimis autem ſacra hæc *Cyprii* peragebant, auctore Cinyra, in quibus, quicunque Veneri initiari vellent, pugillum ſalis, & phallum, accipiebant: Ipſi vero (Veneri) tanquam meretrici nummum, hoc eſt, aſſem unum mercedis loco tradebant. teſtibus Clemente in *Protreptico*, & Firmico lib. *de Eror. Prof. relig.*

III. Præfectus hujus feſtivitatis appellabatur Ἀγήτωρ. Heſychius: Ἀγήτωρ, ὁ τῆς Ἀφροδίτης θυηλῶν ἡγούμενος ἱερεὺς ἐν Κύπρῳ. Eum ſemper ex Cinyræ poſteris aliquem fuiſſe, tradit Scholiaſtes Pindari *Pyth.* Od. II.

IV. Agitarunt quoque hæc ſacra utriuſque Paphi incolæ, & a Papho ab Agapenore condita ad veterem, quæ ſexaginta ſtadiorum via erat, viri fœminæque ex aliis urbibus eo proficiſcentes deduxerunt pompam. Conſule Strabonem lib. XIV.

V. Hoc etiam meretrices, & mulieres honeſtæ Corinthi ſeorſim celebrabant. Vide Athenæum lib. XIII.

VI. Quo in loco obſervandum eſt, quod Corinthus, quamvis apud Lucium Florum *Græciæ Decus* dicatur, ob ſcorta illic degentia famoſiſſima fuerit. Unde proverbium natum, Κορινθιάζειν, vel Κορινθιάζεσθαι, *ſcortari, leonem agere, ſcortationibus & luſtris indulgere*. Sumptum eſt a meretricibus Corinthienſibus. Videantur de hoc proverbio Eraſmi *Chiliad.*

VII. Erant autem juxta Scholiaſten Ariſtophanis *ad Plutum*, VI. famoſæ meretrices Corinthi, nempe Λαΐς, Κυρήνη, Λέαινα, Σινώπη, Πυρρίνη, Σικυώνη, id eſt, *Lais, Cyrene, Leæne, Sinope, Pyrrhine, Sicyone*. Inprimis Lais, nobile illud ſcortum, & Cyrene, omnibus tum vulgatæ erant, cæteraſque turpitudine longe ſuperabant.

VIII. De Laide idem Scholiaſtes *loco jam citato* ex Phocione hæc refert: Φωκίων δὲ ὁ περιπατητικὸς, ἐν τῷ Κέρατι τῆς Ἀμαλθείας, Δημοσθένην ἱστορεῖ, Λαΐδος αὐτὸν μυρίας δραχμὰς αἰτησαμένης εἰς μισθὸν παννυχίδος, οὐκ ὠνοῦμαι φάναι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, id eſt, *Phocion Peripateticus in Cornu copiæ tradit, Demoſthenem petiiſſe Laidem, ut per unicam noctem ſui copiam faceret; at Laidem decem drachmarum millia ab ipſo popoſciſſe. Demoſthenem autem tali petulantia mulieris, & pecuniæ magnitudine ictum, & expavidum revertiſſe, atque dixiſſe: Tanti pœnitere non emo*, vel, *non emo decem drachmarum millibus pœnitudinem*.

IX. Idem Interpres paulo poſt rurſus ait: Εἰς Κόρινθον (Λαῒς) ἦλθεν ἅμα Φιλοξένῳ, καὶ ἐπίσημος ἐκεῖ ἐγένετο, καὶ ἐφιλήθη ὑπὸ πάντων, καὶ περιβόητος ἦν ἑταιρίς, id eſt, *Lais una cum Philoxeno Corinthum venit, & ibi facta eſt celebris, & ab omnibus amata eſt, fuitque famoſa meretrix*. Hanc etiam cum Alexandro in Perſiam profectam eſſe, docet idem Scholiaſtes *loco eodem*, cum inquit: Λέγουσι δὲ ὅτι ἅμα Ἀλεξάνδρῳ ἀπεδήμησεν εἰς Πέρσας ἐκ Κορίνθου, id eſt, *Ajunt (Laidem) cum Alexandro ad Perſas Corintho profectam eſſe*. Vide plura de hac Laide apud eundem Scholiaſten *ad Plut.* pag. m. 10. & 11.

X. Ad Cyrenen quod attinet, cognominabatur illa Δωδεκαμήχανος, id eſt, *duodecim machinis inſtructa*. Hinc Ariſtophanes in *Ranis*:

> Ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον
> Κυρήνης μελοποιῶν.

Id eſt,

> *Qui per duodecim technas*
> *Cyrenes modularis.*

Ubi Scholiaſtes: Κυρήνη ἑταίρα τὶς ἐπίσημος Δωδεκαμήχανος ἐπικαλουμένη, διὰ τὸ τοσαῦτα σχήματα ἐν τῇ συνουσίᾳ ποιεῖν, id eſt, *Cyrene famoſa & inſignis illa meretrix* Δωδεκαμήχανος, id eſt, *duodecim inſtructa technis dicta eſt, eo quod tot ſpecies in ſcortando faceret*.

XI. Strabo lib. VIII. *Geographiæ* memoriæ prodidit, Corinthi fanum fuiſſe Veneri ſacrum, adeo locupletatum, ut plus mille ſacrorum famulas meretrices haberet, quas Corinthii Veneri conſecrabant, ut in ejus honorem proſtarent. Itaque harum gratia frequens in urbem multitudo undique confluebat, unde civitas majorem in modum ditabatur: quin etiam negotiatores, hoſpites ac nautæ, propter urbis luxum deliciaſque immoderatos ſumptus facientes exhauriebantur. Atque hinc manaſſe vulgo proverbium: *Cujuslibet non eſt, Corinthum appellere*. Verba autem Græca Strabonis ſunt iſta: Τό τε τῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν οὕτω πλούσιον ὑπῆρξεν, ὥστε πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτητο ἑταίρας, ἃς ἀνετίθεσαν τῇ Θεῷ, καὶ ἄνδρες, καὶ γυναῖκες. Καὶ διὰ ταύτας οὖν πολυωχλεῖτο ἡ πόλις, καὶ ἐπλουτίζετο· οἱ γὰρ ναύκληροι ῥᾳδίως ἐξανηλίσκοντο, καὶ διὰ τοῦτο ἡ παροιμία φησίν.

> Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

Eadem fere habet Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Plutum*, pag. m. 9. Conſule & hac de re Eraſmum in *Chiliad.*

XII. Ut ad Ἀφροδίσια redeamus, notandum eſt, Amathunte etiam, urbe Cypri antiquiſſima, ea celebrata fuiſſe; ubi ſacrum Veneri factum, Κάρπωσις dictum. Videatur Heſychius in Κάρπωσις.

FEST. IX.

ΣΩΤΗΡΙΑ.

HEIL-FEST.

I. ΣΩΤΗΡΙΑ, Feſtum in honorem τοῦ Διὸς Σωτῆρος, id eſt, *Jovis Servatoris*, a Sicyoniis quinto die menſis Antheſterionis agitatum, quo pro ſalute ab Arato, optimo Sicyoniorum principe, accepta, gratias agebant. Hoc enim die is ex dominatu Macedoniorum Regum patriam ſuam liberavit, ſubditoſque ſuos in veterem libertatem atque dignitatem vindicavit, teſtibus Cic. lib. III. *Offic.* Livio lib. LXIX. & LXX. Polybio lib. II. & Plutarcho in *Arato*.

II. Σωτήρια, dies etiam eſt Paraſceves, *Cer Charfreytag*, quo Σωτὴρ, id eſt, Salvator noſter pro peccatis noſtris illuſus, conſputus, flagellatus, cæſus, accuſatus, damnatus, cruci affixus, mortuus & ſepultus eſt; atque ita nos a morte æterna liberavit, ſalutemque æternam nobis acquiſivit.; ſunt verba Dreſſeri, *de Feſtis diebus*.

FESTA X.

ΑΚΤΙΑ.

I. AKTIA, Feſtum, quod Acarnanes in urbe Actio Apollini τῷ Ἀκτίῳ tertio quoque anno celebrabant. Inſtituebatur quoque in hoc certamen gymnicum, equeſtre, & navale, ut Stephanus περὶ τῶν πόλεων docet.

II. Inſtante hoc Feſto, bovem muſcis immolabant, ut ejus ſanguine ſaturatæ avolarent, neque Feſtum hoc celebrantibus ullam crearent moleſtiam. Confer Ælianum *Hiſtor. Animal.* lib. XI. cap. VIII.

DECAS SECUNDA,

FESTUM PRIMUM.

ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ.

I. ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ, *κατ' ἐξοχὴν* Μυστήρια dicta, sacra erant arcana, quibus nullis, nisi initiatis, interesse licebat. Hæc Athenienses semper summa cum religione reverentiaque in oppido quodam Atticæ, quod Eleusis vocatur, celebrabant. Unde & Sacra Eleusinia denominata sunt, quod in templo Cereris & fano mystico, quod Eleusine fuit, peracta sint. Hinc etiam Aristophanes in *Nebulis*, haut ineleganter Eleusin, quæ Mysteriorum erat sedes, appellat Μυστοδόκον δόμον. Ubi Scholiastes: *Μυστοδόκος δόμος· τὴν Ἐλευσῖνα λέγει. Μυστικὸς καὶ ἱερός. τοὺς μύστας ἐπιδεχόμενος.*

II. Erant autem Eleusinia duplicia: *Μεγάλα καὶ μικρά*, id est, *magna & parva*. Magna quidem Cereri: Parva vero Proserpinæ, Cereris filiæ fiebant; ceu doctissimus Aristophanis Interpres Græcus ad *Plutum* his indicat verbis: *Ἦσαν τὰ μὲν μεγάλα τῆς Δήμητρος. Τὰ δὲ μικρὰ Περσεφόνης τῆς αὐτῆς θυγατρός.*

III. Majora mense Boedromione, Augusto respondente, celebrabantur: Minora Anthesterione, hoc est, Aprili; Sicuti nos docet Plutarchus in *Demetrio*: *Ἐτελοῦντο τὰ μεγάλα Μυστήρια Βοηδρομιῶνος· τὰ δὲ μικρὰ Μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶνος.*

IV. Deinde illud quoque erat discrimen inter Mysteria majora & minora, quod hæc essent *ἀμετάδοτα*; illa vero solis *τοῖς ἐγχωρίοις*, id est, *indigenis* participarentur. Alias eædem erant ceremoniæ, iidemque ritus. At non eodem loco utraque agitabantur. Siquidem Magna in civitate Eleusine, ut supra indicatum: Minora vero in Ἄγραις, hoc est, in loco quodam Atticæ, extra urbem, ad Ilissum amnem, ubi Cereris templum exstructum erat, quod inde Ἄγρα dicebatur, celebrabantur. Videndi Eustathius *ad Homeri Iliad. β'.* & Stephanus *περὶ πόλεων*; Item Suidas in voce Ἄγρα, & Hesychius in Ἄγραι.

V. Porro Mysteria minora exstiterunt velut Προκάθαρσις καὶ Προάγνευσις, imo & Κατήχησις, hoc est, *lustratio prima & instructio*, qua candidati τῶν Μυστηρίων μεγάλων prius instituerentur. Scholiastes Comici *ad Plutum*: *Μυστήρια δὲ δύο τελεῖται τοῦ ἐνιαυτοῦ Δήμητρι καὶ Κόρῃ τὰ μικρὰ καὶ τὰ μεγάλα. καί ἐστι τὰ μικρὰ, ὥσπερ προκάθαρσις καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων.* Ab aliis vero nuncupantur προτέλεια.

VI. Idem hic Scholiastes *ibidem* affert causam, ob quam minora Mysteria fuerint instituta. Verba ejus huc spectantia confer pag. m. 42.

VII. Illi, qui Minoribus initiati erant, dicebantur Μύσται; Post annum vero, (qui experientiæ ergo interponebatur) ad Majora recepti, Ἐπόπται καὶ Ἔφοροι; autore Suida in Ἐπόπται.

VIII. Nominabantur autem Ἐπόπται, sive Ἔφοροι ideo, quod illis prius Mysteriis, Minoribus initiatis post annum sacrorum secreta & ceremonias ἐποπτεύειν commissum fuerit: teste Glossographo Comici *ad Ranas*.

IX. Quamobrem singularia raraque in Demetrio, Hercule item & Hippocrate notantur exempla, qui sine ulla temporis intercapedine simul Mystæ facti sunt & Ἐπόπται. Confer Plutarchum in *Demetrio*.

X. Ad Eleusinia Majora quod attinet, illa ab ipsa Cerere primum, ut volunt, fuerunt instituta, quæ ut benignitatem hospitii, qua fuerat ab Atheniensibus excepta, recompensaret, duobus præclaris muneribus ipsos donavit, usu nempe frumenti, & arcanis sacris; referente Isocrate in *Panegyr.*

XI. Initium autem hæc Mysteria ceperunt ad puteum Callichorum, quem & Ἄνθινον dicebant, ubi primum Eleusiniorum fœminæ chorum instituerunt, Deamque cantu veneratæ sunt. Videatur hac de re Pausanias in *Atticis*.

XII. Quod eam ob causam factum, quia Ceres quærendo filiam Proserpinam, clam a Plutone raptam, fatigata tristitiaque affecta ibidem quievisse dicitur. Clemens Alexandrinus: *καὶ φρέατι ἐπικαθίζει (Δημήτηρ) λυπουμένη.*

XIII. Lapis vero juxta puteum jam dictum, cui Ceres deflens Proserpinam insidens quievit, nuncupatur a Scholiaste Aristophanis *ad Equites*, Ἀγέλαστος Πέτρα, id est, *risus expers Saxum*. Verba Scholiastæ ecce hæc: *Ἀγέλαστος πέτρα, ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅταν ἐζήτει τὴν Κόρην.* Vide etiam Hesychium in Ἀγέλαστος, Zenobium in *Proverb.*

XIV. Quid de templo Eleusinio dicam? illud sane non solum magnificentia splendoreque alia ædificia longe antecellebat; sed & magnum erat, adeo, ut ingentis turbæ esset capax, testibus Aristide, & Strabone lib. IX.

XV. Porro hæc sacra nocte agitabantur; Sicuti Enarrator Comici *ad Ranas* docet his verbis: Νύκτωρ ἐτελεῖτο τὰ Μυστήρια. Et initiati myrto coronabantur. ceu idem Interpres *loco citato* refert, inquiens: *Μυρσίνης στεφάνῳ ἐστεφανοῦντο οἱ μεμυημένοι, οὐχ ὥς τινες νομίζονται κισσίνῳ.* Videatur quoque Isac. Tzetzes *ad Lycophronem*.

XVI. Initiati etiam vestem, qua tunc induti erant, longo jam usu tritam, laceramque Cereri & Proserpinæ consecrabant; uti Scholiastes Aristophanis *ad Plutum* refert, cum dicit: *Πάτριόν ἐστι ταῖς Θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες.* Et paulo post ait: *Ὁ μυούμενος, τὸ ἱμάτιον, ὃ ἐφόρει ἐν τῇ μυήσει, οὐδέποτε ἀπεδύετο, μέχρις ἂν τελέως ἀφανισθῇ διαρρυέν.*

XVII. Quidam vero vestes illas ad infantum fascias sibi reservabant; ceu idem Scholiographus ibidem his innuit verbis: *Ἔνιοι δὲ τὰς τοιαύτας στολὰς εἰς τέκνων σπάργανα φυλάττουσι.*

XVIII. Vestes autem istas puras valde fuisse & novas, autor est idem Interpres Græcus *loco citato*, ubi ita ait: *Καθαραὶ δὲ πάνυ ὑπάρχουσι καὶ νέαι.*

XIX. Qui participes erant Mysteriorum, arbitrabantur non solum in summa animi tranquillitate vitam vivere, sed etiam post mortem se melius habituros, nec in tenebris ac luto cum profanis commoraturos esse; referente Isocrate in *Panegyr.*

XX Præerat his sacris ὁ Βασιλεύς. id est, *Rex*, cui etiam adhuc IV. Ἐπιμεληταὶ, id est, *Curatores* adjuncti erant; ut Pollux in *Onomast.* lib. VIII.

tradit: Ὁ δὲ Βασιλεὺς, μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν.

XXI. Erant autem isti Ἐπιμεληταὶ, I. Ἱεροφάντης, sive Μυσταγωγός. II. Δᾳδοῦχος. III. Ὁ ἐπὶ βωμῷ, id est, *Minister ad aram*, & IV. Ἱεροκήρυξ, id est, *Sacer Præco*. Hierophanta & Daduchus ex Eumolpidarum & Cerycum gente capiebantur: Reliqui vero duo ex universo Atheniensium populo. Videantur Aristides, Aristoteles item *de Republ. Atheniensium*, & Scholiastes Sophoclis *ad Oedipum Colon.*

XXII. Ἱεροφάντης, vel Μυσταγωγός, erat sacerdos, qui, teste Hesychio, ostendebat Mysteria, eaque, quantum fas, etiam ἀμυήτοις, id est, *profanis* enuntiabat. Hinc a Tacito *Antistes Ceremoniarum* dicitur. Ornabatur εἰς εἰκόνα τοῦ Δημιουργοῦ, id est, *imagine Creatoris*, perque totum vitæ tempus, quo hoc munus obibat, ἄγαμος, id est, *cœlebs* tenebatur esse: Quare cicutæ liquore se inungebat. Vide Eusebium l. III. *de Præparat. Evangel.* Scholiasten Nicandri, & Ælianum in *Var. Histor.*

XXIII. Δᾳδοῦχος, qui coma strophioque ornatus facem ferebat. Fungebatur iste hoc officio per integrum vitæ spatium, & permissum ei erat γαμῆσαι, id est, *uxorem ducere*, nec non εἰκόνα τοῦ ἡλίου in pompa gestabat. Consule Plutarchum in *Alcibiade*, & Suidam in Δᾳδουχεῖ. Hic illud quoque observandum est, quod Daduchus pellibus hostiarum, quæ Græce Διὸς Κώδια, id est, *Jovis vellera* appellantur, quia Jovi ea immolabantur, usus fuerit in expiatione, seu lustratione hominum pollutorum, eorumque pedibus illa substraverit; testibus Hesychio & Suida. Nam profani, & sceleribus aliquibus contaminati non debuerant loca sacra calcare: &, cum nihilominus in sacro peragenda esset expiatio, ne profanorum, & nondum initiatorum vestigiis delubra profanarentur ac violarentur, substernebantur Διὸς Κώδια, quibus sinistro pede profani insistebant, donec lustrarentur & absolverentur.

XXIV. Ὁ ἐπὶ βωμῷ, id est, *minister ad aram*, εἰς τὴν εἰκόνα σελήνης ἐνσκευασμένος, id est, *effigiem lunæ repræsentabat*: Et Ἱεροκήρυξ, id est, *sacer præco*, εἰς τὴν εἰκόνα Ἑρμοῦ ἐνσκευασμένος, id est, *in speciem Mercurii adornatus*: autore Eusebio *de Præparat. Evangel.* lib. III.

XV. Præconis vero munus erat, omnes profanos a sacris discedere jubere his verbis: Ἑκὰς, Ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός: aut, Ἑκὰς Ἑκὰς ἴστε βέβηλοι, id est, *Procul, Procul, quisquis profanus*, vel: *Procul, Procul este profani*.

XXVI. Unde factum, quod peregrini, barbari, homicidæ, magi, præstigiatores, ac in universum omnes impii & scelerati ab istis Mysteriis excluderentur. Vide Scholiasten Comici *ad Fucos*. Inde Nero audiens aliquando Præconem impios & sceleratos ab his sacris discedere jubentem, ab istis sibi abstinendum existimavit, docente Suetonio cap. IV.

XXVII. Præterea jubebat etiam Præco initiatos κατασιγάζειν καὶ κατασιωπᾶν, id est, *linguis favere*. Confer Synesium, & Xenophontem lib. II. *Rerum Græc.*

XXVIII. Via Athenis Eleusinem ducens, qua Mystæ, Sacra Eleusinia celebraturi, incedebant, appellatur Ἱερὰ ὁδός. Etymologici Auctor: Ἱερὰ ὁδός. ὁδός τις ἣν ἡ εἰς Ἐλευσῖνα ἄγουσα, ἣν ἀπίασιν οἱ Μύσται. Vide etiam Suidam & Harpocrationem.

XXIX. In eadem via fuit etiam Ἱερὰ Συκῆ, id est, *Sacra Ficus*, ubi subsistebant & interquiescebant Mystæ, Sacra Eleusinia in urbem reducentes; testibus Hesychio, & Philostrato in *Vita Apollonii Atheniensis Sophistæ* lib. II.

XXX. Non uno autem tractu mystæ Eleusinem ibant, sed aliquoties in via subsistebant. In quibus A pausis, & hymnos cantabant, & sacra faciebant; autore Plutarcho in *Alcibiade*.

XXXI. Præsertim vero ἐν τῇ γεφύρᾳ, id est, *in ponte*, qui Cephisso fluvio Athenas & Eleusinem dirimenti interjacebat, subsistere consueverant. In hac mora insidentes huic ponti quosvis transeuntes convitiis incessebant. Hinc factum, ut Γεφυρίζειν usurparetur pro *convitiari, subsannare*, quasi *de ponte illudere*. Et Γεφυριστής, id est, *conviciator, maledicus*. Videndi Hesychius in Γεφυρισταί, & Suidas in Γεφυρίζων.

XXXII. At Scholiastes Aristophanis *ad Plutum*, & idem Suidas tradunt, mulieres Atheniensium B plaustris vectas, cum Eleusinen ad magna Mysteria celebranda proficiscerentur, in ipsa via se mutuis convitiis insectatas fuisse. Verba Scholiastæ, & Suidæ in τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα huc facientia confer.

XXXIII. Porro, quæ in his sacris agebantur, tanto celabantur & occultabantur studio, ut, qui ea foras proferebat, ei mortem lex statuebat. Talis autem lata erat lex; Τὸν ἐξειπόντα τὰ Μυστήρια τεθνάναι, id est, *evulgantem*, seu *prodentem Mysteria, mori necesse est*; teste Sopatro in *Divis. Quæst.* Ea de causa proscriptus fuit ab Atheniensibus Diago- C ras Melius, & propositum unum talentum ei, qui ipsum interfecisset; Duo, qui vivum adduxisset; docente Suida in *Diagoras ὁ Μήλιος*.

XXXIV. Etiam in extremum mortis discrimen venit Æschylus, qui ista in Tragœdiis manifestaverat, ceu indicant Clemens Alexandrinus lib. II. *Strom.* & Eustratius lib. III. cap. I. *ad Ethic. Nicomach.*

XXXV. Inde proverbium ortum: Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια, id est, *Attici Eleusinia*, videlicet inter se celebrant. Quod usurpabatur, quoties inter se de re quapiam secreto arcana tractantes convenissent. Vide Andocidem *Orat.* περὶ Μυστηρίων; & D Zenobium in *Proverb.*

XXXVI. Inter varia spectacula, quæ in his Mysteriis exhibebantur, ostendebatur etiam initiatis τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον, *membrum muliebre*; referente Theodoreto *Therap.* lib. VII. Et in hunc modum ipsis acclamabatur: Κόγξ, Ὄμπαξ; teste Hesychio. Ea acclamatione facta, abibant, aliisque initiandis locum dabant, ut docet Libanius *Orat.* XVI.

XXXVII. Denique nemini, durantibus istis sacris, licitum erat τιθέναι ἱκετηρίαν, id est, *libellum supplicem offerre*. Qui autem ἱκετηρίαν tunc offerebat, & quidem non audita causa, morte plectebatur, teste Andocide. Non licebat etiam, ut Demo- E sthenes *Orat.* κατὰ μειδίου tradit, manus alicui tunc injicere.

De his Sacris plura qui vult, adeat Joh. Meursium in libro singulari *de Eleusiniis*.

FESTA II.

ΑΡΡΗΦΟΡΙΑ.

I. ΑΡΡΗΦΟΡΙΑ, Festum fuit olim Athenis in honorem Minervæ, mense Scirrophorione celebratum. Sunt etiam, qui asserant, hoc F festum Hersæ, Cecropis filiæ, agitatum fuisse; atque inde Ἐρσηφορία appellatum. Vide Etymologum Magnum, & Suidam in voce Ἀῤῥηφορία.

II. Festum autem hoc quatuor puellæ, Ἀῤῥηφόροι nuncupatæ, stemmate nobili, septemque annis non minores, nec majores undecim, agebant. Etymologici Auctor in voce Ἀῤῥηφορεῖν: Τέσσαρες δὲ παῖδες ἐχειροτονοῦντο κατ' εὐγένειαν, Ἀῤῥηφόροι, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ μέχρις ἕνδεκα.

III. Sed sciendum est, puellas istas Ἀῤῥηφόρους purissimas fuisse; id quod verba Suidæ confirmant in

voce Ἀῤῥηφορία, quæ ita habent: Ἀῤῥηφόροι ϰ̀ παναγεῖς γυναῖκες.

IV. Harum quatuor virginum τ̃ Ἀῤῥηφόρων quæ eligebantur, quæ texturæ pepli præficiebantur. Harpocration in *Dictionario in* X. *Rhetores* ita: Δύο δὲ ἐκρίνοντο, αἳ τ̃ ὑφῆς τ̃ πέπλε ἦρχον ϰ̀ τ̃ ἄλλων τ̃ περὶ αὐτόν. Eadem fere verba inveniuntur apud Etymologum Magnum, & Suidam.

V. Has autem virgines vestem albam, & in ea etiam aurum gestasse, claris indicat verbis Etymologici Auctor in Ἀῤῥηφορεῖν, ubi sic ait: Λευκὴν δὲ ἐσθῆτα ἐφόρυν ϰ̀ χρυσία.

VI. Hinc verbum Ἀῤῥηφορεῖν, id est, *vestem auream ferre*. Sic enim idem Etymologici Auctor scribit: Ἀῤῥηφορεῖν, τὸ χρυσῆν ἐσθῆτα φορεῖν, ϰ̀ χρυσία.

VII. Panis quoque istis puellis erat proprius, qui Νασὸς dicebatur. Videatur Athenæus lib. III.

VIII. Nec non placentæ, Ἀνάσατοι appellatæ. Suidas: Ἀνάσατοι. πλακούντων εἶδος. ἔτοι δὲ αὐταῖς ταῖς Ἀῤῥηφόροις ἐγίνοντο.

IV. Habebant etiam αἱ Ἀῤῥηφόροι in arce Sphæristerium, in quo statu Isocratis ænea, equo singulari certantis conspiciebatur. Plutarchus in *Isocrate*.

FEST. III.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ.

I. ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ, Festum Dianæ honori a Syracusanis aliisque per triduum vino multo & lusu celebratum. Vide Livium lib. XXV. & Plutarchum in *Marcello*.

II. Hoc festo etiam panem, qui Λοχιά dicebatur, Dianæ obtulerunt; teste Hesychio in *suo Lexico*.

III. Fœminæ, quæ sacra hæc auspicabantur, appellatæ fuerunt Λόμβαι, ceu idem refert Hesychius, in Λόμβαι.

FEST. IV.

ΒΟΡΕΑΣΜΟΙ.

I. ΒΟΡΕΑΣΜΟΙ, Sacra apud Athenienses in Boreæ honorem agitata, in quibus Boream, quod Orithyiam Erechthei, Athenarum regis, filiam, virginem forma præstantissimam juxta fontem Cephisum, vel, ut alii volunt, inter quos est Pausanias in *Atticis*, apud Ilissum, celeberrimum Atticæ fluvium, ludentem cum aliis virginibus, ejus amore incensus, rapuisset, deprecabantur, ut Notus spiraret. Vide Hesychium in Βορεασμοί.

De rapta Orithyia, vide loca apud Pausaniam, Dionysium Alexandrinum de *Situ Orbis*, & Scholiasten Apollonii, lib. I.

II. Aræ Boreæ mentionem facit Plato in *Phædro*, cujus verba ecce hæc: Ὅσον δύ ἢ τρία σάδια. ᾗ πρὸς τὸ τ̃ Ἄγραίας διαβαίνομεν. Καίπε τὶς ἐστι βωμὸς αὐτόθι, Βορέε.

III. Græcos olim per Boream jurasse apparet ex Libanii verbis *Declamat.* XX. ubi ita; Πρὸς τ̃ Πυθίε πρὸς Ἰάκχε, πρὸς Βορέε, πρὸς τ̃ θείας Σαλαμῖνος, σβέσον τ̃ ὀργὴν.

IV. Hoc autem festum non duntaxat Athenienses, verum etiam Megalopolitæ in Arcadia celebrarunt, in quo Boream pro præcipuo Deorum habebant; ut Pausanias in *Arcadicis* indicat.

FEST. V.

ΒΡΑΣΙΔΕΙΑ.

I. ΒΡΑΣΙΔΕΙΑ, Sacra erant, quæ Lacedæmonii, in honorem Brasidæ, Ducis fortissimi, cele-

A brabant; in quibus etiam ei oratio funebris habebatur, & certamen, in quo nullis, nisi solis Spartanis certare permissum erat, instituebatur. Teste Pausania in *Laconicis*.

II. Sacrificabant quoque ei, ut autor est Aristoteles *Ethic. ad Nicomach.* lib. V. cap. VII. cujus verba huc spectantia vide.

III. Si quis vero sacrificium hoc neglexisset, mulctabatur; ceu Interpres Græcus Michael Ephesius, *ad citatum locum Aristotelis* annotat.

FEST. VI.

B

ΓΑΛΑΞΙΑ.

I. ΓΑΛΑΞΙΑ, Dies festus, quem Græci olim in Apollinis τ̃ Γαλαξίε honorem agebant, in quo πολτὸν κριθίνῳ, id est, *pulte bordeacea*, e lacte cocta vesci solebant; referente Hesychio in *suo Lexico*.

FEST. VII.

ΓΕΝΕΤΤΥΛΛΙΣ.

I. ΓΕΝΕΤΤΥΛΛΙΣ, Festum a fœminis pro felici
C gravidarum partu agitatum; ut Hesychius in *Lexico* his docet verbis: Γενετυλλὶς (non, Γενετυλλὶς) γυναικεία θεὸς πεποιημένη τ̃ ὀνόματος, παρὰ τὰς γενέσεις ἐοικῦα τῇ ἑορτῇ, διὸ ϰ̀ ταύτῃ κείνας (legatur κύνας) προετίθησαν, ἔστι δὲ ξενικὴ ἡ θεὸς ϰ̀ ἑορτὴ τ̃ γυναικῶν.

II. Ubi quoque observandum est, quod vox Γενετυλλὶς non tantum significet festum, quod mulieres pro felici gravidarum partu celebrabant, sed & ipsam Deam (*Venerem*) præsidem Generationis. Id quod etiam confirmat Scholiastes Aristoph. *ad Nubes*, ubi ait: Γενετυλλὶς, ἡ τ̃ γενέσεως ἔφορος Ἀφροδίτη. Consule & hac de re Suidas in Γενετυλλίς.

D

FEST. VIII.

ΓΕΝΕΣΙΑ.

I. ΓΕΝΕΣΙΑ, vel Γενέσια, celebritas, qua amici & propinqui apud veteres Athenienses memoriam defuncti conservare volentes ejus Natalem agebant. Ammonius in libro suo περὶ Διαφορῶν λέξεων.

II. At apud Evangelistam Matthæum, cap. XIV. v. 6. & Marcum, cap. VI. v. 21. ponuntur τὰ Γενέσια pro Γενεθλίοις, id est, pro *Diei natalis celebratione*, quam vitam adhuc viventes agunt.
E
III. Sed Ammonius *loco supra citato* tradit, loquutionem hanc esse impropriam, ita enim scribit: Ο῾ ὖν λέγων ἐπὶ τ̃ ζώντων τὰ Γενέσια, ἀκυρολογεῖ.

FEST. IX.

ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ.

I. ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ, Festum, quod pridie nuptiarum parentes apud Athenienses una cum filiabus nupturis agitabant, Minervæque tunc pro felici conjugio in arce sacrificabant. Hesy-
F chius, & Suidas in Προτέλεια. Pindari item Interpres Gr. *ad Pyth.* Od. IV.

II. Porro & sponsæ & sponsi Junoni, Dianæ, Parcisque ante nuptias initiabantur, hoc est, se idoneos purosque reddebant; & virgines matrimonium inituræ comam illis Deabus consecrabant, teste Jul. Polluce in *Onomast.* lib. III. cap. III.

III. Habebant quoque virgines viro maturæ & jam nupturæ in more, Dianæ canistrum ferre. Enarrator Theocriti *ad Idyll.* II. hac de re sic scribit:

Ἐκανηφόρουν δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, A ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ Θεῷ, ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι. Vide etiam Κανηφόρια, ubi quoque hac de re egimus.

FEST. X.

ΤΡΙΤΟΠΑΤΟΡΕΙΑ.

I. ΤΡΙΤΟΠΑΤΟΡΕΙΑ, erant Sacra Athenis, in quibus parentes pro liberorum generatione sacrificabant, votaque faciebant Diis, qui Τριτοπάτορες dicebantur. Suidas in Τριτοπάτορες ita: Φανόδημος δὲ, ἐν ἕκτῳ φησὶν, ὅτι μόνοι οἱ Ἀθηναῖοι θύουσί τε, καὶ εὔχονται αὐτοῖς ὑπὲρ γενέσεως παίδων, ὅταν γαμεῖν μέλλωσιν. Ubi discimus, parentes pro liberorum generatione vota tunc fecisse, cum illi uxores sibi vellent adsciscere. Eadem fere verba leguntur apud Etymologici Auctorem in Τριτοπάτορες.

II. Hi vero Dii, Τριτοπάτορες appellati, vocantur alias Θεοὶ γενέθλιοι, id est, *Dii geniales*: item, Τῶν γάμων θεοὶ, καὶ γενέσεως ἔφοροι; teste Sopatro, lib. *de Divis. Quæst.*

DECAS TERTIA.

FESTUM PRIMUM.

ΕΟΡΤΗ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ.

I. ΕΟΡΤΗ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ, Festum Lacedæmoniorum fuit, in quo viri cœlibes a fœminis circum aram tracti, colaphis cædebantur, ut hac contumelia eos ad uxorem ducendam impellerent. Athenæus lib. XIII. B

FEST. II.

ΚΑΛΛΙΣΤΕΙΑ.

I. ΚΑΛΛΙΣΤΕΙΑ, Festum, ut & certamen inter mulieres, & viros de formæ præstantia. Mulieres certabant apud Lesbios in C Junonis templo; referente Didymo, Interprete Homeri *ad Iliad.* ι.

II. Porro agitabant quoque τὰ Καλλιστεῖα Parrhasii, ad flumen Alpheum, ubi urbs a Cypselo rege Corinthiaco exstructa erat; illic mulieres inter se itidem de pulchritudine concertantes nuncupabantur Χρυσοφόροι. Athenæus lib. XIII. Καὶ αἱ ἀγωνιζόμεναι γυναῖκες χρυσοφόροι ὀνομάζονται. Vide de eadem re plura apud eundem *ibidem*.

III. Viri autem de pulchritudine concertabant apud Elienses; ubi, qui victor evaserat, ἆθλα ὅπλα, id est, *præmia arma* auferebat, eaque Minervæ consecrabat; &, ab amicis vittis myrtoque D coronatus ad Deæ templum ibat; teste Athenæo *loco citato*.

FEST. III.

ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ.

I. ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ, Festum, quod Argivi novilunio mensis, illis appellati Hermæi, honori Telesillæ, Poetriæ insignis, & fœminarum Argivarum, quæ urbem fortiter contra regem Spartanum, Cleomenem defenderunt, agitabant. In hoc festo mulieres tunicis chlamydibusque E virilibus induebantur. Viri autem vittis & peplis muliebribus amicti erant; testibus Polyæno lib. VIII. & Luciano in *Amoribus*; item Plutarcho *de Virtut. Mul.* Sacrificabant vero tunc Veneri; Autore Macrobio *Sat.* lib. III. cap. VIII.

FEST. IV.

ΠΡΟΜΑΧΙΑ.

I. ΠΡΟΜΑΚΙΑ, Festum apud Lacedæmonios, in quo arundine coronabantur. Athenæus *Dipnosophist.* lib. XV. de hoc festo ita scribit: Καὶ γὰρ Λακεδαιμόνιοι καλάμῳ στεφανοῦνται ἐν τῇ τῶν Προμαχίων ἑορτῇ.

FEST. V.

ΚΥΝΟΦΟΝΤΙΣ.

I. ΚΥΝΟΦΟΝΤΙΣ, Dies erat feriatus, quem Argivi diebus canicularibus, qua tum temporis canes necabant, celebrarunt. Confer Athenæum lib. III. *Dipnosoph.*

FEST. VI.

ΛΕΟΝΤΙΚΑ.

I. ΛΕΟΝΤΙΚΑ, Festum apud Græcos, in quo initiati loco aquæ abluendis manibus mel infundere solebant; quo indicare volebant, manus ab omnibus rebus nocuis sceleratisque puras esse debere. Consule Porphyrium *de Nympharum antro*.

FEST. VII.

ΩΡΑΙΑ.

I. ΩΡΑΙΑ, vel Ὡραῖα, Sacra erant, quæ Athenienses quatuor anni temporibus, vere, æstate, autumno, & hieme in Horarum honorem agebant, in quibus Deabus illis sacrificabant, easque supplices rogabant, ut nimios æstus, siccitatesque nimias arcere vellent; e contrario vero calorem moderatum, pluviasque tempestivas largirentur. Quin etiam in his sacris carnem edebant elixam, non vero assam. Vide Athenæum lib. XIV. & Hesychium in Ὡραῖα.

FEST. VIII.

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ.

I. ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ, item ΣΚΕΙΡΑ, vel Σκίρα, Festum, quod Athenienses Minervæ τῇ Σκι-

Σκιράδι XII. mensi Σκιροφοριῶνος agebant. Vide Harpocrationem, & Hesychium. In hoc festo Sacerdos Erechthei σκίρος, seu σκιάδιον λευκὸν, id est, *umbraculum album* ferebat. Scholiastes Comici *ad Concion.* ita: Ἐν ᾗ (ἑορτῇ) ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδιον λευκόν.

II. At Suidas & Harpocration referunt, τὸ Σκιάδιον, *umbraculum*, Minervæ, & Neptuni, Solisque Sacerdotes, qui Ἐτεοβουτάδαι dicebantur, solemni pompa ex arce in quendam locum, qui Σκίρος appellatur, detulisse, tempusque adeo bene ædificandi significasse. In hoc festo etiam Epheborum cum palmitibus cursus, Græce Ὀσχοφορία dictus, instituebatur, testibus Etymologo Magno, & Scholiaste Pindari *Olymp.*

FEST. IX.

ΕΒΔΟΜΗ.

I. ΕΒΔΟΜΗ, Festum erat apud Athenienses solemne, quod septimo lunæ die, quem Ἀπόλλωνος γενέθλιον, id est, *Apollinis natalem* credebant, in ipsius honorem peragebant. Vide Suidam, & Athenæum lib. XII.

II. Sed, quæso, quæ causa erat, quod Athenienses natalem Apollinis agitarent? Causam Hesiodus ἐν ἡμέρ. ostendit, dum canit:

—— καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ.
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Ad quem locum Moschopulus: Καὶ ἡ Ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ. Εἶτα ἐπάγει τὴν αἰτίαν, ὅπως ἱερὰ ἡ ἑβδόμη, καί φησι· καὶ ταύτῃ γὰρ ἔτεκεν ἡ Λητὼ τὸν Ἀπόλλωνα. Etiam Proclus *ad illum eundem locum*: Ἡ δὲ Ἑβδόμη, ἱερὰ Ἀπόλλωνος. Ἐν αὐτῇ γὰρ ἐτέχθη. Διὸ καὶ ἑπτάτονος αὐτοῦ ἡ κιθάρα. Hinc Apollo Ἑβδομαγένης a sacerdotibus, vatibusque appellatus est, teste Plutarcho *Sympos.* lib. VIII. Quæst. I. ab Æschylo vero Ἑβδομαγέτας, ubi Scholiastes: Ἑβδομαγέτας. τὸν Ἀπόλλωνα λέγει, ὃς ἐν ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ τοῦ μηνὸς γεννηθεὶς, ἐκλήθη ἑβδομαγέτας.

III. Agitabatur etiam tunc Athenis ab Ephebis convivium, ceu A. Gellius lib. XV. commemorat: *In conviviis Juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ solemne nobis fuit.*

IV. Porro ex Proclo discimus, Athenienses tunc laurum gestasse, canistrumque coronasse, & hymnum Deo cantasse. Verba ejus in *Hesiodi* ἡμέραις confer.

FEST. X.

ΓΕΝΕΘΛΙΑ.

I. ΓΕΝΕΘΛΙΑ, vel ἡ ΓΕΝΕΘΛΗ, Festum privatum, quod quisque quotannis die nativitatis agebat. En Etymologici Auctorem: Γενέθλια, inquit, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτήσασα τοῦ τεχθέντος ἑορτή. Et Arsenius, Scholiastes Euripidis *ad Orestem* ita: Γενέθλια, πᾶσα ἡ ἐν γεννήσει τινὸς τελουμένη ἑορτή. Vide etiam Platonem in *Alcibiade* I. & Athen. lib. XV.

II. Hoc in festo splendidum etiam parabant convivium, ut autor est Julianus, ita in *Misopog.* inquiens: Καὶ γενέθλια μέν τις ἑστιῶν ἱκανῶς παρασκευάζει δεῖπνον καὶ ἄριστον, ἐπὶ πολυτελῆ τράπεζαν τοὺς φίλους παραλαμβάνων.

III. Sciendum autem est, vivos γενέθλια sua annuatim celebrasse, ut colligere licet ex Xiphilino in *Adriano*, qui sic ait: Ἔν τε τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις προῖκα τῷ δήμῳ τὴν θέαν ἀπένειμε. Videatur & Ammonius in *Lexico suo Græco.*

IV. Hoc festum quoque Ἡμέρα appellabatur, κατ' ἐξοχὴν, veluti apud nos Germanos, cum dicimus. *Heute ist sein Tag.* Vide Hesychium in *voce* Ἡμέρα.

DECAS QUARTA.

FESTUM PRIMUM,

ΓΑΜΗΛΙΑ.

I. ΓΑΜΗΛΙΑ, Festum, quod quisque apud Græcos nuptiarum suarum causa privatim agitabat. Meminit hujus festi Scholiographus Euripidis in *Oreste*, ubi ita scribit: Γενέθλια πᾶσα ἡ ἐν γεννήσει τινὸς τελουμένη, ἑορτή. ὥσπερ γαμήλια, ἡ ἐν γάμῳ, καὶ ἐγκαίνια, ἡ ἐν ἐγκαινισμῷ.

II. Hinc mensis, quo nuptiarum solemnitates celebrant, Γαμηλιὼν dicebatur, cui Junonem τὴν Γαμήλιον præesse putarunt. Huic etiam nupturæ ante nuptias faciebant sacra, quæ Προτέλεια, καὶ Προγάμεια, καὶ Ἡρατέλια nominabantur, quibus Junonem sibi præprimis placatam reddere voluerunt.

III. Non tantum autem Junoni, sed & Veneri Gratiisque sacrificarunt, ut Etymologici Auctor docet, qui ita ait: Οἱ δέ φασι γαμηλίαν θυσίαν, ἣν ἔθυον τοῖς δημόταις οἱ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφόμενοι, καὶ μέλλοντες γαμεῖν. ἐγίνετο δὲ ἡ θυσία Ἥρᾳ, καὶ Ἀφροδίτῃ, καὶ Χάρισι.

IV. Verum, ut Suidas ex Phanodemo refert, hoc sacrificium non faciebant matrimonium inituri; sed parentes, qui filias suas nuptum dabant; & faciebant τοῖς Τριτοπάτορσι. Verba Suidæ vide in *voce* Τριτοπάτορες. Hæc sacrificia a Lycophrone γαμήλιοι θυηλαὶ dicuntur.

V. Ad Γαμηλίαν quod attinet, sciendum est, aliis donum esse, quod in causam conviviorum curialibus dabatur. Unde Demosthenes inquit: Γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, *nuptiale munus inferre.* Quod inferebatur, cum ipsa mulier ad Curiales inscribendi causa duceretur. Inde Harpocration ipsam inductionem, & inscriptionem Γαμηλίαν appellavit. Vide Suidam & jam citatum Harpocrationem in Γαμηλία, ut & Etymologum Magnum in *eadem voce*, qui hac de re fuse agunt.

VI. Denique illud quoque hic addendum, quod apud Athenienses olim mos fuerit, ut virginibus nubentibus puer aliquis genere proximus, dictus

Λουτροφόρος, ipso nuptiarum die ex fonte illo, prius Callirhoe, postea vero Enneacruno appellato, qui erat ad Ilissum flumen, quod per urbem profluebat, aquam ad lavacra nuptialia adferret; Atque hoc Λουτροφορεῖν dicebatur. Etymologus Magnus hac de re ita: Ἐννεάκρουνος· κρήνη Ἀθήνησι παρὰ τὸν Ἰλισσὸν, ἡ πρότερον Καλλιρρόη ἐσκεν. ἀφ' ἧς τὰ λουτρὰ τῶν γαμουμέναις μετίασι.

VII. Nec nubentibus solum id factum, sed & cœlibibus e vivis excedentibus; adferebatque ex eodem illo fonte aquam ad lavacra puer itidem genere proximus, & in eorum sepulchris statuebat; ut patet ex verbis Harpocrationis, quæ ita habent in Λουτροφόρος & Λουτροφορεῖν. Ἔθος ἦν τοῖς γαμοῦσιν Ἀθήνησι λουτρὰ μεταπέμπεσθαι ἑαυτοῖς κατὰ τὴν τοῦ γάμου ἡμέραν. Ἔπεμπον δ' ἐπὶ ταῦτα τὸν ἐγγύτατα γένους παῖδα ἄῤῥενα· καὶ οὗτοι ἐλουτροφόρουν. Ἔθος δὲ ἦν καὶ τῶν ἀγάμων ἀποθανόντων (legendum, τοῖς ἀγάμοις ἀποθανοῦσι) λουτροφορεῖν, καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐφίστασθαι. Τοῦτο δὲ ἦν παῖς ὑδρίαν ἔχων. Τὰ δὲ λουτρὰ ἐκόμιζον ἐκ τῆς νῦν μὲν Ἐννεακρούνου καλουμένης κρήνης, πρότερον δὲ Καλλιρρόης. Consule etiam hac de re Suidam, & Pollucem lib. III. cap. III.

FESTA II.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ.

I. ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ, *Floralia*, Festum Athenis Baccho sacrum. Inde autem dictum, quod in eo Athenienses ἄνθη, id est, *flores* inferrent; aut quod eo mense, quo hoc Festum celebrabatur, (celebrabatur autem mense Anthesterione) terra florere inciperet. Vide Etymologici Auctorem, & Hesych. in Ἀνθεστήρια.

II. Hunc autem mensem Ἀνθεστηριῶνα varii varie interpretantur. Philostratus & Macrobius putant esse Aprilem; sic dictum, quod, quæ ex terra oriuntur, tum plurima florescant. Quidam intelligunt Augustum. Sunt, qui Novembrem interpretentur: aliis est Majus. Qui Novembrem interpretantur, inter quos est Theodorus Gaza, Junius & Gyraldus, fit, quod tunc campi floribus sint privati, παρὰ τὸ τὰ ἄνθη στερεῖν, id est, *quod floribus prata viduentur*.

III. Constabant autem Ἀνθεστήρια, referente Scholiographo Aristophanis, tribus diebus, quorum primus Πιθοιγία, alter Χόες, tertius Χύτροι nominabatur. Enarrator Aristophanis *ad Acharnenses* ita: Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος Ἀνθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς τὴν ὅλην ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην. κατὰ μέρος δὲ, Πιθοιγίαν, Χόας, Χύτραν.

IV. Primam diem, quæ die XI. mensis Anthesterionis celebrabatur, Πιθοιγίαν ideo appellarunt, quia tum dolia reserabant, (unde & Πιθοιγία teste Suida, dicitur ἡ τοῦ πίθου ἀνοιγὴ, *dolii apertio*) primitiasque novi vini, peractis prius sacris, ut sibi usus ejus medicamenti salutaris, & innoxius foret) omnibus, ne servis quidem exceptis, præbebant. Vide Plutarchum *Sympos.* l. IX. Quæst. X. & Proclum *ad Hesiod. lib.* I. Chæronenses autem diem Ἀγαθοῦ Δαίμονος, *boni Genii*, appellabant.

V. His Pithœgiis respondent Romanorum *Vinalia*, & nostra *Martinalia*, quibus similiter cados musti resignamus, & vinum novum primum degustamus. Dresserus lib. *de Festis Diebus* ita: *In profesto Martini mos est ansere & musto benigne liberaliterque fruendi*: Unde & *Martinianus* anser illi appellatur, *die Martins Gansz*.

VI. Altera dies, nempe ἡ τῶν Χοῶν ἑορτὴ, agitabatur XII. mensis Anthesterionis. Suidas & Harpocration: Χόες. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος, ἑορτή τις ἦν παρ' Ἀθηναίοις ἀγομένη Ἀνθεστηριῶνος δωδεκάτῃ. Hinc etiam apud Hesychium κατ' ἐξοχὴν dicebatur Δωδεκάτη.

VII. De origine τῶν Χοῶν, & nominis appellatione abunde Glossographus Comici *ad Equites* disserit, dum ait: Χοῦς μέτρον Ἀττικὸν χωροῦν κοτύλας ὀκτώ. ἔστι δὲ καὶ ἑορτὴ Ἀθήνησι· κέκληται δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. Ὀρέστης διὰ τὴν τῆς μητρὸς ἀναίρεσιν, ἧκεν εἰς Ἀθήνας παρὰ τὸν Πανδίονα συγγενῆ καθεστηκότα, ὃς ἔτυχε τότε βασιλεύων τῶν Ἀθηναίων, καὶ αὐτὸν κατέλαβεν εὐωχίαν τινὰ δημοτελῆ ποιοῦντα. ὁ τοίνυν Πανδίων παραπέμψασθαι τὸν Ὀρέστην αἰδούμενος. Κοινωνῆσαι δὲ ποτοῦ, καὶ τραπέζης ἀσεβὲς ἡγησάμενος, μὴ καθαρθέντος αὐτοῦ τῶν φόνων, ὡς ἂν μὴ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κρατῆρος πίνοιεν, ἑκάστῳ τῶν κεκλημένων παρέθηκε χοῦν, id est, *Chus mensura Attica octo cotylarum capax. Et etiam festum Athenis, nomen ex hac causa obtinuit. Orestes ob matris cædem venit Athenas ad Pandionem sibi cognatum, qui tum Atheniensibus imperabat. Offendit illum publice epulas exhibentem. Igitur Pandion reveritus Oresten demittere: Communicare vero potu, & mensa, impium arbitratus, quod a cæde non esset expiatus, ne ex eodem cratere biberent, unicuique convivarum Chun, sive Congium apposuit.* Confer etiam eundem Scholiasten hac de re *ad Acharn.* pag. m. 298. & Suidam in Χόες.

VIII. Eadem die quoque τῶν Χοῶν, compotationibus certabant, præmii loco aurea corona constituta ei, qui plurimum potasset. Eleganter hac de re scribit Ælianus *Variar. Histor.* lib. II. cap. XLI. Καὶ ἐν Διονύσου δὲ τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ πρόκειτο ἆθλον τῷ πιόντι πλέον, στέφανος χρυσοῦς. καὶ ἐνίκησε Ξενοκράτης ὁ Χαλκηδόνιος.

IX. At apud Aristophanem observamus, præconem certamen bibendi ad tubæ sonitum indicasse, præmiique loco ei, qui primus mensuram certam, congii instar magnam ebibisset, utrem inflatum propositum fuisse. En clamantis Præconis verba apud Aristophan. in *Acharnensibus*.

Ἀκούετε λεῴ, κατὰ τὰ πάτρια τὰς χοὰς
Πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος· ὃς δ' ἂν ἐκπίῃ
Πρώτιστος, ἀσκὸν Κτησιφῶντος λήψεται.

Ubi doctissimus Scholiastes: Ἐτίθετο δὲ ἀσκὸς πεφυσημένος ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ· ἐφ' οὗ τοὺς πίνοντας πρὸς ἀγῶνα ἱστᾶναι, τὸν πρῶτον πιόντα, ὡς νικήσαντα λαμβάνειν ἀσκόν. ἔπινον δὲ μέτρον τι οἷον Χοᾶ. Choa autem vel chus, item congius, mensura est liquidorum, continens, ut nonnulli volunt, sextarios octo; vel ut alii, tantum sex, *drey Kannen*. Vide etiam Hesychium in Ἀσκὸν λήψεται.

X. Porro sciendum est, potatores illos oportuisse utri insistere, atque ita congium ebibere. Præmium vero non tantum erat uter vino plenus, sed & corona ex foliis contexta. Videatur Suidas in Ἀσκός.

XI. Observandum quoque est, quod Rex Victorem pronunciaverit. Victor enim apud Aristophanem *loco citato* a Rege præmium his verbis poscit; Ὡς τοὺς κριτὰς μ' ἐκφέρετε· ποῦ 'στιν ὁ βασιλεύς. Ἀπόδοτέ μοι τὸν ἀσκόν. Ad quem locum Interpres ita: Δηλοῖ ὡς τὴν ἐπιμέλειαν ὁ βασιλεὺς εἶχε τῆς ἁμίλλης τοῦ χοὸς, καὶ τὸ ἆθλον ἐδίδου τῷ νικήσαντι τὸν ἀσκόν.

XII. Quin & comessantes plaustris vecti, obvios quosque deridebant, convitiisque afficiebant. Vide Suidam & Apostolium in Τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα.

XIII. Tertia denique dies, festum scilicet τῶν Χύτρων, celebrabatur decima tertia ejusdem mensis die. Videndi Harpocration, & Suidas in Χύτροι.

XIV. Sonat autem vox Χύτροι, quasi dicas *festum ollare*, quod hi, qui cum Deucalione e diluvio superstites evaserunt, omnis generis semina in olla coquerent; unde & festum exortum & denominatum est; Χύτρα enim *ollam* significat. Ex his coctis vero seminibus nihil inde gustabant, sed Mercurio τῷ Χθονίῳ pro mortuis offerebant. Consule Theopom-

pus apud Enarratorem Aristophanis *ad Acharnenses*, & Suidam in Χύτροι.

XV. Hunc (Mercurium) enim, teste Plutarcho, in *Quæst. Græc.* credebant mortuorum animas excipere. Inde hanc solennitatem mortuorum causa instituerunt, inferisque Diis ob hanc rem sacra fecerunt, nec ulli Superorum litaverunt. Scholiastes Aristophanis toties jam laudatus *ad Ranas* hac de re ita: Ἔπειτα θύειν αὐτοῖς ἔθος ἦν μὲν Ὀλυμπίων θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν, Ἑρμεῖ δὲ Χθονίῳ· καὶ τὰς χύτρας, ἃς ἕψουσι πάντες κατὰ τὴν πόλιν, οὐδεὶς γεύεται τῶν ἱερέων. Instituebantur quoque certamina, χύτρινοι dicta, ut idem Scholiastes *loco citato*, ex Philochoro ostendit. Verba ejus hæc sunt: Ἤγοντο δὲ ἀγῶνες αὐτόθι, οἱ χύτρινοι καλούμενοι, καθά φησι Φιλόχορος ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν Ἀτθίδων.

XVI. Præterea etiam Poetæ tunc quatuor inter se certabant dramatibus, ut nos Diogenes Laertius in *Platone* lib. III. docet, dum inquit: Τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις.

XVII. Hanc inveteratam & pene exolescentem consuetudinem Lycurgus renovavit, lege lata, ut Comœdi tunc inter se certarent, victorque civitate donaretur, quod antea erat illicitum. Videatur Plutarchus in *Vita Lycurgi*.

XVIII. In his sacris etiam solebant hederam coronare. Hinc τὸ περιφερόμενον καὶ πολυθρυλλούμενον ortum est: Κισσὸς μετ' Ἀνθεστήρια, id est, *Hedera post Anthesteria, EpheW nach dem Fest, oder Tantz.* Usurpatur hoc proverbium, cum sero quippiam agitur. Vide Plutarch. in *Quæst. Roman.* & Erasm. Roterod. *Chiliad.* pag. m. 602.

XIX. Finito hoc Festo, servi iterum ad opus protrudebantur, cum hoc dicto: Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια, id est, *Facessite Cares, non amplius sunt Anthesteria. Es ist nicht immer HirchWeib.* Vide hac de re Hesych. Erasm. *Chiliad. Adag.* ut & Suidam, & Zenobium in *Proverb.*

FEST. III.

ΜΟΥΝΥΧΙΑ.

I. ΜΟΥΝΥΧΙΑ, Sacra, quæ Athenienses in honorem Dianæ τῆς Μουνυχίας, die XVI. mensis exinde *Munychionis* appellati, celebrabant; testibus Harpocratione, & Plutarcho *de Gloria Atheniensium*.

II. In his Sacris Dianæ in ipsius fano placentas e caseo confectas, quæ Ἀμφιφῶντες vocabantur, offerebant, faculis ardentibus undique circum ipsas fixis. Vide Suidam in Ἀμφιφῶντες, Athenæum lib. XIV. & Eustathium *ad Iliad.* Σ'.

FEST. IV.

ΗΡΑΙΑ.

I. ΗΡΑΙΑ, Sacra, quæ τῇ Ἥρᾳ, *Junoni*, apud varios Græcorum populos, videlicet apud Argivos, Æginetas, Samios, Eleos, Coos, & Corinthios celebrabantur.

II. Argivi cum hoc Festum agitarent, trahebatur currus albis bobus ad Junonis templum extra urbem ædificatum, cujus prima illic sacerdos Callithea fuit. Hoc autem sacerdotium non nisi fœminis honoratissimis dabatur; testibus Palæphato, & Theone, Scholiaste Arati *ad Phænomena*.

III. Pompa ingens ducebatur ab armatis Juvenibus. Sic enim Æneas Tacticus, *Poliorcetici* c. XVII. inquit: Ἐξῆγον πομπὴν ἐν ὅπλοις τῶν ἐν τῇ ἡλικίᾳ συχνῶν. Sacrificium, quod Argivi tunc Junoni offerebant, dicebatur Λεχέρνα, teste Hesychio.

IV. Deinde centum boves immolabantur: hinc Ἑκατόμβαια etiam hoc festum appellabatur, autore Scholiaste Pindari *Olym.* od. VII. Hi autem boves immolandi pompæ anteibant, & immolati, inter cives distribuebantur; teste eodem Scholiaste *loco citato*.

V. Instituebatur tunc quoque certamen; qui in eo vicit, pro præmio clypeum æneum, & coronam insuper myrteam accipiebat. Hinc a clypeo illo certamen istud appellabatur Ἀγὼν χάλκειος, ut idem testatur Scholiastes *ibidem*.

VI. Certabant vero circa clypeum, qui quodam loco urbis supra theatrum fere inaccesso, valdeque munito valide affixus erat, adeo ut difficillime avelli potuisset; hinc Ἀσπὶς Ὀχυρὰ dicebatur. Ille autem, qui eum avellere potuerat, insignem consequebatur gloriam, clypeumque illum, ut & coronam e myrto, ceu diximus, loco præmii auferebat. Vide Apostolium *in Proverb.* & Suid. in ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελών.

VII. Hanc autem festivitatem non duntaxat Argivi, sed & Æginetæ, ipsorum coloni; & Samii, qui ad finem perducta pompa sacra faciebant, positis ad aram armis, celebrabant; testibus Scholiaste Pindari *Pyth.* Od. VIII. & Polyæno lib. I.

VIII. Porro hæc sacra apud Eleos quoque agitabantur, apud quos matronæ sedecim singulis quinqueniis peplum τῇ Ἥρᾳ pertexebant, & δρόμου ἅμιλλαν, *cursus certamen* instituebant, in quo virgines cursu certabant. Juniores, seu impuberes puellæ præcurrebant; deinde adultiores sequebantur; Denique πρεσβύταται, *natu omnium maximæ*, cursum istum absolvebant. Hæ omnes ornatæ capillo passo, & tunica ad genua usque demissa indutæ erant, dextro humero ad pectus dependente. In stadio etiam Olympico decurrebant, sed curriculo sexta parte ipsis imminuto. Quæ in hoc certamine victrix evaserat, præmium coronam ex olea, partemque e bove Junoni sacrificato, auferebat. His ludis XVI. præfuerunt matronæ, quibus totidem numero ministræ assignatæ erant. Vide Pausaniam in *Eliacis*.

IX. Apud Coos, dum hoc festum celebraretur, servo nec templum ingredi, nec quicquam ex apparatis gustare permissum erat; referente Athenæo lib. VI. & XIV.

X Quin Corinthii quoque agebant, sed πένθιμος ἑορτή, id est, *festum lugubre* apud ipsos erat, a Medea in liberorum suorum honorem institutum. Consule Euripidem in *Medea*, & *ad eum locum* Scholiasten.

XI. Sacrificabant autem tunc Corinthii Junoni, quæ apud ipsos cognomento Ἀκραία appellabatur, capram; & simulacro hujus Deæ amiculum Πάτος nuncupatum, injiciebant. Vide Suidam, Apostolium, & Hesychium.

FEST. V.

ΠΡΙΑΠΕΙΑ.

I. ΠΡΙΑΠΕΙΑ, Festum, quod Græci Priapo, hortorum Deo, Bacchi Venerisque filio celebrabant, in quo eum religiose colebant, & in ejus templo ipsi sacrificabant. Confer hac de re Theodoretum *Therap.* I. III. ut & Natalem Comitem in *Mythol.* Imprimis autem a pastoribus honore afficiebatur Priapus. Suidas: Καὶ τιμᾶται παρὰ ποιμέσι.

II. Illius simulacrum ἀνθρωποειδὲς, id est, *humana forma præditum* finxerunt, dextra sceptrum tenens, quod ab eo tellus, & mare sit monstratum; læva vero suam magnam & intentam mentulam. Alæ autem, quas ipsi affinxerunt, motus celeritatem si-

gnificant; & orbis diſci ſignificat orbis rotunditatem, ut Suidas his teſtatur verbis in Πρίαπος: τὸ ἄγαλμα τοῦ Πριάπου ἀνθρωποειδὲς ποιοῦσιν, ἐν τῇ δεξιᾷ σκῆπτρον κατέχον. Ὡσανεὶ παρ' αὐτοῦ φανεῖσαν τὴν ξηρὰν, καὶ τὴν θάλασσαν. ἐν τῇ εὐωνύμῳ κρατοῦν τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ ἐντεταμένον, διότι τὰ κεκρυμμένα ἐν τῇ γῇ σπέρματα, φανερὰ καθίστησι. τὰ δὲ πτερὰ τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως δηλοῖ. τὸν δὲ κύκλον τοῦ δίσκου, τὴν περιφέρειαν. Et paulo poſt iterum dicit: Τὸ δὲ ἀφίδρυμα αὐτοῦ ἐστι παιδίον, μόριον ἔχον μέγα, καὶ ἐντεταμένον, id eſt, *Ejus vero ſimulacrum eſt puer, qui penem babet magnum, & intentum*.

FEST. VI.

ΥΑΚΙΝΘΙΑ.

I. ΥΑΚΙΝΘΙΑ, Feſtum in honorem Apollinis & Hyacinthi, imprudenter ab Apolline interempti, a Lacedæmoniis per triduum menſe, qui illis Ἑκατομβεὺς appellatur, in Apollinis τοῦ Ἀμυκλαίου templo, quod inde Ἀμυκλαῖον dicebatur, celebratum.

II. Primo & tertio die deplorabant Hyacinthum & plangebant, in cœnis non coronabantur, quod tamen in aliis ſacris uſitatum erat; neque panem inferebant, ſed tantum bellaria, & quæ his erant ſimilia, apponebant. Neque pæana Deo cantabant, neque ſimile quippiam introducebant, ſicut in aliis ſolebant ſacris, ſed magna cum modeſtia a cœna diſcedebant.

III. Medium autem trium dierum diem lætum hilaremque agitabant. Eo enim die ludi variaque ſpectacula edebantur, conventuſque egregii admodum & magni fiebant: Pueri ſiquidem tunicis ſuccincti citharam pulſabant, ad tibiamque canentes, omneſque chordas in rhytmo anapæſto plectro percurrentes, cum tono acuto Deum celebrabant. Alii in equis exornatis theatrum percurrebant, multique adoleſcentum chori, qui poema aliquod vernaculum canebant, ingrediebantur, inter quos ὀρχησαὶ ἀναμεμιγμένοι, id eſt, *ſaltatores immiſti* deliram motionem ad tibiam cantumque effingebant. Virginum aliæ ligneis curribus, ſive vehiculis cameratis e viminibus connexis, magnifice præparatis, quæ Græce Κάνναθρα Καμαρωτὰ appellantur, vehebantur: Aliæ vero ἐφ' ἁμίλλαις ἁρμάτων ἐζευγμένων πομπεύουσιν, id eſt, *in certaminibus junctorum curruum pompam ducebant*. Ac ſummum in univerſa civitate eo die gaudium erat; permultaque paſſim fiebant ſacrificia; & cives omnibus, quoſcunque noverant, ſuiſque ſervis convivium exhibebant. Neque quiſquam erat, qui ſacrificiis non interfuiſſet, ita ut tota civitas vacua maneret univerſis civibus ad ſpectaculum proficiſcentibus. Coronabant ſeſe etiam hoc die hedera. Vide Heſychium, item Athenæum lib. IV. & VI. & Macrobium.

FEST. VII.

ΛΥΚΕΙΑ.

I. ΛΥΚΕΙΑ, Feſtum apud Argivos Apollini τῷ Λυκείῳ agitatum. Meminit ejus Scholiographus Pindari *Pyth.* ubi ſic ait: Ἐπετελεῖτο δὲ ἐν Ἄργει Ἀπόλλωνι τῷ Λυκείῳ ἑορτὴ τὰ Λύκεια.

II. Celebrabatur forte hoc Feſtum ideo, quod Argivi, cum aliquando multi ſævientes lupi urbem Argos invaſiſſent, multoſque ibidem homines interfeciſſent, ita, ut in tota civitate tumultus & conſternationes cum magno clamore excitarentur, Apollinem ſupplices rogaverint, ut lupos illos ſævientes occideret. Cum autem lupi iſti omnes plane periiſſent, Argivi, ut ſe erga Apollinem gratos exhiberent, non duntaxat ei templum, ſed & *forum lupinum*, quod Græce Ἀγορὰ Λύκειος appellatum, exſtruxerunt, Apollinemque exinde Λυκοκτόνον, ſeu Λύκειον nominarunt. Ita enim Sophoclis Scholiaſtes MStus *ad Electram*, cujus aliquoties in hoc libello memini, hac de re ſcribit: Φασὶν ὅτι ἐν Ἄργει ποτὲ λύκων ὁρμησάντων, καὶ ἐπελθόντων μετὰ βοῆς μεγάλη ταραχὴ ἐγένετο ἐν τῇ πόλει. Ἐπεὶ καὶ πλῆθος ἦν τῶν λύκων. Προσηύξαντο οὖν τῷ Ἀπόλλωνι διαφθεῖραι αὐτούς. καὶ ὃς ἀπολέσαι μὲν ἐπηγγείλατο, ναὸν δὲ αὐτοῦ προσέταξε δείμασθαι. Ὁ μὲν οὖν διέφθειρε πάντας, οἱ δὲ τὸν ναὸν αὐτῷ ἐδείμαντο, καὶ ἀγορὰν ἔστησαν λύκειον αὐτὴν ὀνομάσαντες, καὶ τὸν Ἀπόλλωνα Λυκοκτόνον καλέσαντες.

III. Alii Apollinem eam ob cauſam Λυκοκτόνον nominarunt, quod ille Deus paſtorum, cuſtoſque pecorum in paſcuis apud Argivos habitus fuiſſet, & lupos inde infeſtos gregibus & armentis occidiſſet. Hinc Argivi Apollini lupos ob rapacitatem conſecrabant. Alii contra lupum honoratum Apollinique ſacrum animal exiſtimarunt, ſicut cervæ erant Dianæ; unde Argivi quibuſdam numiſmatis ſuis lupos imprimi curarunt, quemadmodum Athenienſes nummis ſuis noctuas; ceu nos docet Demetrius Triclinius, vetus Interpres Sophoclis in *Electra*, his verbis: Λυκοκτόνον δὲ τὸν Ἀπόλλωνα, οἱ μὲν διὰ τὸ, νόμιμον εἶναι τοὺς ἐπιβούλους αὐτῶν φονεύειν· διὸ καὶ λύκους αὐτῷ φησὶ θύεσθαι ἐν Ἄργει. Οἱ δὲ διὰ τὸ, ἱερὸν εἶναι τὸ ζῶον· ὡς καὶ τῆς Ἀρτέμιδος τὰς ἐλάφους. Ὅθεν καὶ τῷ νομίσματι τῶν Ἀργείων ἐγχαράττεσθαί φησι λύκους· ὡς καὶ τὰς γλαῦκας Ἀθήνησι. Vide etiam Heſychium in *voce* Λυκοκτόνου.

IV. Æſchyli vero Gloſſographus tradit, Apollinem propterea appellatum fuiſſe Λύκειον, ſive Λυκοκτόνον, aut quod in Lycia honoratus fuiſſet, aut, quod lupos peremiſſet, vel, quod, ut Sol, λύκην, ſeu λυκόφως, *primam lucem*, quæ ortum ſolis præcedit, feciſſet. Verba hujus Scholiaſtæ ecce iſta: Λύκειόν φασι τὸν Ἀπόλλωνα, ἢ διὰ τὸ ἐν τῇ Λυκίᾳ τιμᾶσθαι αὐτὸν, ἢ διὰ τὸ ἀνατίθεσθαι αὐτῷ λύκον ὡς ἱερὸν, ἢ διὰ τὸ λύκους ἀνελεῖν. ἢ, ὅγε κρεῖττόν ἐστι, διὰ τὸ λυκόφως ποιεῖν, τῆς νυκτὸς ὑποχωρησάσης· Ἀπόλλων γὰρ ὁ ἥλιος.

V. At Scholiaſtes MStus Sophoclis *loco citato* refert Apollinem hoc epitheton a ſolo loco, videlicet a Lycia, ubi natus pariter ac honoratus fuiſſet, accepiſſe, & inde Homerum eum Λυκηγενῆ appellaſſe. Verba Græca Scholiaſtæ illius MSti huc facientia hæc ſunt: Λύκειος ἐπίθετον ὄνομα τοῦ Ἀπόλλωνος ἀπὸ τόπου λαμβανόμενον, ἀφ' οὗ λύκειος ἀγορὰ ἐν Ἄργει. καὶ ναὸς λυκείου Ἀπόλωνος. Λύκειος δὲ ἐκαλεῖτο ὁ Ἀπόλλων, ἢ ὅτι ἐν Λυκίᾳ ἐγεννήθη, ἢ ὅτι ἐν Λυκίᾳ ἐτιμᾶτο. Λυκηγενῆ δὲ Ὅμηρος εἶπεν αὐτόν.

VI. Hic per occaſionem iſtud quoque obſervandum eſt, quod ille, qui olim apud Athenienſes lupum abs ſe captum, aut occiſum, adduxiſſet, quinque drachmas acceperit: qui lupam, unam. Cujus rei teſtis eſt Plutarchus in *Solone*, ubi ita diſſerit: Λύκον δὲ τῷ κομίσαντι, πέντε δραχμὰς ἔδωκε· λυκίδα δὲ, μίαν.

VII. Scholiaſtes autem Ariſtophanis *ad Aves*, longe majus pretium tradit; &, qui catulum occidiſſet, hunc talentum; qui adultum, eum duo accepiſse. Verba ejus ita habent: Τοὺς λύκους ἀπέκτεινον τὸ παλαιὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ· καὶ νόμος ἦν λυκοκτονεῖν· διὸ ὁ μὲν φονεύων λύκου τέκνον, τάλαντον ἐλάμβανεν. ὁ δὲ τέλειον, δύο. Ὅθεν καὶ τὸν Ἀπόλλωνα Λύκειον καὶ Λυκοκτόνον φασίν. Quæ totidem quoque verbis Suidas in φησιμονή.

VIII. Iis vero hæc captura a Solone demandabatur, quibus agri pascui plus, quam arvi, esset: utpote ad quos magis etiam pertineret, propter pecora, quæ pascebant, teste Plutarcho *loco citato*.

IX. Alias id animal Athenis honorifice habebatur, ac si quis lupum necasset, colligere necessaria sepeliendo tenebatur, ut testatur Etymologus Magnus in Πολιοὶ λύκοι, ubi inquit: Τίμιον τὸ ζῶον· καὶ παρ' Ἀθηναίοις ὁ ἀποκτείνας λύκον, ἀγείρει αὐτῷ τὰ πρὸς ταφήν. Videndi etiam Scholiastes Apollonii, lib. II. & Ælianus, *Hist. Anim.* lib. X. cap. XXVI.

FEST. VIII.

ΛΥΚΑΙΑ.

I. ΛΥΚΑΙΑ, Festum & certamen, quod Arcades in honorem Jovis τοῦ Λυκαίου peragebant. Eadem erant ac apud Romanos Lupercalia, quæ olim Romæ Romulo & Remo, a lupa nutritis, celebrabantur. Vide Plutarchum in *Vita Cæsaris*.

II. Qui in hoc certamine victor erat, auferebat loco præmii ærea arma, ceu nobis refert Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. dum ait: Ἐτελεῖτο ἐν Ἀρκαδίᾳ ἀγὼν, τὰ Λύκαια τῷ Λυκαίῳ Διὶ ἀνακείμενος. Οἱ δὲ τιμῶντες, σκεύεσι χαλκοῖς ἐτίμων.

A Homo quoque tunc immolabatur, teste Porphyrio περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, lib. II.

CAP. IX.

ΤΛΗΠΟΛΕΜΕΙΑ.

I. CUM Tlepolemus Rhodiorum Rex in bello Trojano a Sarpedone, Lyciæ Rege, interemptus esset, Rhodii non solum ossa ejus secum in patriam retulerunt, verum etiam templo in gratiam ipsius erecto, certamina τὰ Τληπολέμεια instituerunt, in quibus victoribus λεύκινος στέφανος, id est, *corona populea* dabatur. Certabant autem

B in his viri puerique. Consule de his sacris Scholiographum Pindari *Olymp.* Od. VII.

FEST. X.

ΜΕΤΟΙΚΙΑ.

I. ΜΕΤΟΙΚΙΑ, vel, ut Thucydides appellat, Ξυνοίκια, sacra olim Athenis celebrata, quod Theseus XII. Atticæ oppida in unas coegisset Athenas, & quod ita Athenienses duce Theseo ex agris in urbem tanquam in Coloniam, deducti essent. Videatur Stephanus *de Urbibus*.

DECAS QUINTA.

FESTUM PRIMUM.

ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΝ.

I. ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΝ, Dies erat feriatus, quem Græci ob feliciter transactum a puerpera diem quadragesimum agitabant; quod tempus Τεσσαρακοστὸν dicebant. Non ibant ante istum diem puerpera in templum. Vide hac de re Joh. Meursi librum *de Puerperio* cap. VII.

FEST. II.

ΑΣΚΩΛΙΑ.

I. ΑΣΚΩΛΙΑ, Bacchi honori institutum olim a Rusticis Atheniensibus festum, sic dictum ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, id est, *ab utre*, quod, cum hoc festum celebrarent, supra utrem oleo inunctum, vinoque plenum pedibus saltarent: Inter quos victores illi pronuntiabantur, qui ita utri insistebant, ut præ lubricitate humi non caderent. Atque hi pro victoriæ præmio utrem illum vino plenum sibi auferebant. Qui vero terram natibus percutiebant, non sine magna voluptate spectatores ad risum excitabant. Videsis Scholiasten Comici *ad Plutum*, & Suidam in Ἀσκωλίαζε.

II. Utres autem illi ex pellibus hircinis conflati fuerant, in hircorum contemptum, qui adeo vitibus infesti credebantur. Quamobrem caprum, vel ut alii volunt, capram, Baccho immolabant, pellemque detrahebant, atque inflabant, in quam deinde sublimi saltu juvenes rustici insiliebant. Doctissimus Scholiographus Aristoph. *ad Plutum*: Ἑορτὴν οἱ Ἀθηναῖοι ἦγον τὰ Ἀσκώλια, ἐν ᾗ ἥλλοντο ἐπ' ἀσκοῖς αἰγείοις, εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. Δοκεῖ δὲ ἐχθρὸν εἶναι ἀμπέλῳ τὸ ζῶον. Ἀμέλει καὶ ἐπίγραμμα φέρεται τῆς ἀμπέλου πρὸς τὴν αἶγα, οὕτω λέγον.

C Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως δ' ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.

Vide etiam Suidam in Ἀσκὸς Κτησιφῶντος, Joh. Tzetzem *ad Hesiodi* Ἔργα, & Phurnutum, ubi de Baccho agit.

III. In utres vero insilire, Ἀσκωλιάζειν appellabant, quemadmodum Interpres idem *loco citato* his innuit verbis: Κυρίως δὲ ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ ἐπὶ τῶν ἀσκῶν ἅλλεσθαι, ἕνεκα τοῦ γέλωτα ποιεῖν. ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκοὺς πεφυσημένους, καὶ ἀληλιμμένους, εἰς οὓς ἀναλλόμενοι ὠλίσθαινον, καθάπερ Εὔβουλός φησι. καὶ πρός γε τοῦτο ἀσκὸν εἰς μέσον κατα-

D θέντες εἰσάλλεσθε, καὶ καγχάζετε ἐπὶ τοῖς καταῤῥέουσι. Consule quoque Hesychium in Ἀσκωλιάζειν, & Suidam in Ἀσκωλίαζε.

IV. Sed illud denique haud ignorandum, juvenes illos Agricolarum supra utrem uno tantum pede saltasse, quod Etymologici Auctor Ἀσκωλιάζειν nuncupat. Et apud laudatum Commentatorem Comici *loco supra citato*, dicitur τὸ Ἀσκωλιάζειν tam de in utres insilientibus, quam de saltantibus uno pede. Verba ejus ecce hæc: Ἀσκωλιάζειν ἔλεγον, τὸ ἐνάλλεσθαι τοῖς ἀσκοῖς, ἢ τὸ ἐπὶ ἑνὸς ποδὸς ἅλλεσθαι. Et nomen Ἀσκωλιασμὸς, significat illam

E saltationem, qua quis altero pede saltans incedit. Ita enim ait Suidas in Ἀσκωλίαζε: Καὶ Ἀσκωλιασμὸς ὁμοίως, τὸ ἐφ' ἑνὸς ποδὸς βαίνειν.

FEST. III.

ΑΛΩΑ.

I. ΑΛΩΑ, Agricolarum Atticorum festivitas, quæ subvectis jam ex agro frugibus in ho-

norem Cereris (&, juxta Eustathium, Bacchi quoque) Athenis celebrabatur, sic dicta, quod homines tum in areis, quæ Græce ἅλω dicuntur, præcipue moras traherent: Unde & Ceres Ἁλωάς, quod præsit areis, nuncupata legitur, quæ & Ἁλωὶς, & Εὐαλωσία cognominata est. Hujus festi Suidas meminit, cujus verba huc facientia, hæc sunt; Ἁλῶα, ἑορτή ἐστιν Ἀττική· φιλόχορος δέ φησιν ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς περὶ τὰς ἅλως ποιεῖσθαι. Videsis etiam de hoc festo Eustathium *ad Illiad. ι'.* & Etymologum Magnum.

II. Hoc festum autem mense Posideone, qui Decembri respondet, agebatur, ut Harpocration ex Philochoro ostendit. Plurium dierum istud festum fuisse, ex Alciphrone in *epistola Thaidis ad Thessalam* facile licet colligere.

FEST. IV.

ΘΑΛΥΣΙΑ.

I. ΘΑΛΥΣΙΑ, Latine dixeris Cerealia, Festum in honorem Cereris, cæterorumque Deorum, post collectas fruges, quasi in gratiarum actionem, ob anni ejus fertilitatem celebratum. Derivatur, juxta Eustathium, ἀπὸ τοῦ θάλλω, θαλλύω, θαλύσω, & hinc Θαλύσια, quia, ut denuo omnia revirescerent, frugum primitias, post earum comportationem, Diis consecrabant. Unde & ἀπὸ τοῦ συγκομίζειν, *a comportando*, etiam Συγκομιστήρια quidam Rhetores appellabant. Scholiastes Theocriti *ad Idyll.* VII. Θαλύσια, ἑορτὴ, ἣν ἐτέλουν τῇ Δήμητρι μετὰ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν. Hinc Θαλύσιος ἄρτος, γινόμενος ἐκ τῆς συγκομιδῆς πρῶτον. id est, *Panis qui ex novis frugibus conficitur primum.* Dicitur & Athenæo lib. III. θάργηλος. Vide & Etymologum Magnum, Eustathium *ad Iliad. ι'.* & Porti *Lexicon Doricum in voce* Θαλύσια; adde etiam Didymum, Glossographum Homeri *ad Iliad. ι'.*

II. Tandem collectis jam & reconditis frugibus Cererem venerantes epulabantur, conviviaque hilariora inter se agitabant, *Sie hielten die Sichel-Leg.* Hujus rei testis est Aristoteles lib. VIII. *de Moribus ad Nicomach.* his verbis: Αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί· μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. Vide quoque Theocritum *Idyllio septimo.*

III. Ex his itaque intelleximus, Ethnicos post comportatas fruges, festum solemne instituisse, in quo falsis suis diis sacrificarunt, atque ipsis, ad eorum gratiam demerendam, pro frugibus quasi gratias egerunt. Nos vero Christianos multo magis decet verum Deum veris sacrificiis, hoc est, feriis & ardentibus votis placare, ipsique quotannis pro collectis frugibus gratias agere.

FEST. X.

ARCADICUM.

I. ΑΡΚΑΔΙΚΗ ΕΟΡΤΗ, Festum apud Arcades erat, in quo pueri Pana squillis solebant verberare. Theocritus *Idyllio septimo*, his utitur verbis:

Κἢν μὲν ταῦθ' ἔρδοις, ὦ Πὰν φίλε, μήτι τυ παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους,
Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.

Ad quem locum Scholiastes: Ἑορτή φασιν ἐτελεῖτο ἐν τῇ Ἀρκαδίᾳ, ἐν ᾗ οἱ παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις ἔτυπτον, ὅτε οἱ χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον ἔθυον, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσιν. Et mox aliud ex Munato profert: Μύνατος δέ φασιν ἑορτὴν Ἀρκαδικὴν εἶναι, ἐν ᾗ Παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις βάλλουσι· Χῖοι δὲ, ὅταν οἱ χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον θύσωσι, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσιν.

II. Hæc alias etiam, ut idem Scholiastes *eodem loco* annotat, de venatione Panis explicantur. Nam Arcades Pana venationi præesse putabant; hincque eum singulari cultu, si venatio feliciter succederet, venerabantur; Sin minus, squillis eum cædebant. Ecce Scholiastæ verba: Οἱ Ἄρκαδες ἐπὶ θήραν ἐξιόντες, εἰ μὲν δαψιλείας ἔτυχον, ἐτίμων τὸν Πᾶνα. εἰ δὲ τοὐναντίον, σκίλλαις εἰς αὐτὸν παρῴνουν, παρόσον ὡρίων τῆς θήρας ἐπιστατεῖ. En Ethnicos superstitionum tenebris altissimis obsessos! hic Deus verberatur; In Deliis ara pulsatur.

FEST. VI.

ΑΓΡΑΥΛΙΑ.

I. ΑΓΡΑΥΛΙΑ, Festum, quod Athenienses & Cyprii in Agrauli, filiæ Cecropis, & Minervæ honorem celebrabant. Athenagoras in *Legat.* de hoc festo ita: Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι τελετὰς, καὶ Μυστήρια ἄγουσι.

II. Templum, quod Agraulus Athenis habebat, exstructum erat super Castorum templum, teste Pausania in *Atticis*. Sacerdotes autem ei constitutæ, Ἀγραυλίδες dicebantur. Hesychius in *suo Lexico*: Ἀγραυλίδες. ἱέρειαι, παρὰ Ἀθηναίοις.

III. Quin etiam Salamine Cypri templum habebat, ubi & Cyprii hæc sacra celebrabant, in quibus, mense ipsis Aphrodisio dicto, Agraulo hominem immolabant. Obtinuit hæc consuetudo usque ad Diomedis tempora. Vide Porphyrium libr. II. *de Abstinent.* Theodoretum, *Therapeut.* lib. VII. & Cyrillum *contra Julianum* lib. IV.

FEST. VII.

ΑΝΑΓΩΓΙΑ.

I. ΑΝΑΓΩΓΙΑ, Festum ab Erycinis honori Veneris agitatum, quo ipsi ex Sicilia quasi in Libyam solventi, ut benigne redire vellet, in ejusdem fano sacra faciebant. Confer de hoc festo Athenæum lib. IX. & Eustathium *de Amoribus Ismeniæ*, lib. X.

FEST. VIII.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΑ.

I. ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΑ, Festum, quod Argivi peragebant Junoni, eique in hoc centum boves immolabant; unde & nomen habet ab ἑκατὸν *centum*, & βοῦς, *bos*. Erat quoque certamen apud eosdem Argivos, teste Hesychio in *Lexico*. In hoc vero certamine victores pro præmio scutum æneum, & coronam e myrto acceperunt. Consule Scholiasten Pindari *Olymp.* od. VII.

II. Carnes autem illorum centum boum, quos in his sacris immolabant, juxta legem populo distribuebantur, quemadmodum idem Scholiastes *loco citato* annotat.

III. Celebrabant etiam hoc festum quotannis Lacedæmonii, quod ipsorum regio ἑκατόμπολις esset, id est, *haberet urbes centum*; teste Eustathio *ad Iliad. β'.*

IV. Scholiastes Pindari *Pyth.* od. IIX. ex Didymo demonstrat, Æginetas festum & certamen hoc ab Argivis, quorum ἄποικοι, id est, *coloni* erant, accepisse, idque celebrasse. Verba ejus huc pertinentia vide.

V. Sacrificium in his sacris factum, dicebatur Græce Ἑκατόμβη, id est, *Sacrificium centum boum.* Hesychius, Lexicographus de hoc ita: Ἑκατόμβη, θυσία ποτὲ μετὰ ἑκατὸν βοῶν, ποτὲ δὲ βοὸς καὶ προβάτου καὶ αἰγός. Ubi observa, hoc sacrificium fuisse non solum centum boum, sed & ovium & caprarum.

VI. Ἑκατόμβοιος autem, vel ut alii scribunt Ἑκατόμβαιος, *centum boum* aut *centum numismatum aureorum pretio æstimabilis*, sive *dignus*. Veteres enim Athenienses multis de causis bovem honore afficientes nummi alteri parti bovis effigiem, alteri vero Regis insculpebant, ceu nos docet Scholiastes Homeri *ad Iliad. β'.* ubi ait: Ἑκατόμβοιος, ἑκατὸν βοῶν τιμῆς ἄξιος, ἢ ἑκατὸν χρυσῶν νομισμάτων. Οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τιμῶντες τὸ ζῶον τοῦ βοὸς διὰ πολλὰ μὲν, καὶ ὅτι δὲ ἱερόν ἐστιν, ἐνεχάραττον τῷ μὲν ἑνὶ μέρει τοῦ νομίσματος, βοῦν, τῷ δὲ ἑτέρῳ, τὸ τοῦ βασιλέως πρόσωπον.

VII. Et iterum hic Scholiastes *ad Iliad. φ'.* refert, Veteres, antequam numismata fuerint excogitata, contractus fecisse per pecora, & inventis tandem numismatibus, bovem illis impressisse, ad indicandum veterem morem. Hinc proverbium illud natum est, Βοῦς ἐπὶ γλώσσης, id est, *Bos in lingua*; quod in Rhetores olim quadrabat, qui accepta pecunia dicenda reticebant. Verba autem hujus Glossographi ecce hæc: Ἑκατόμβοιον, τιμὴν ἑκατὸν βοῶν ἀξίαν. Οἱ παλαιοὶ πρὶν ἐπινοηθῆ τὰ νομίσματα, τὰς συναλλαγὰς ἐποιοῦντο διὰ τῶν τετραπόδων, ὅθεν ὕστερον ἐφευρεθέντων τῶν νομισμάτων, βοῦν ἐπ' αὐτῶν ἐξετύπων, ἐνδεικνύμενοι τὸ ἀρχαῖον ἔθος. Καὶ παροιμία, Βοῦς ἐπὶ γλώσσης, ὅ ἐστι νόμισμα. Ἁρμόζει δὲ ἡ παροιμία αὕτη ἐπὶ τῶν Ῥητόρων τῶν λαμβανόντων νομίσματα ὑπὲρ τοῦ μὴ κατασυνηγορῆσαί τινι, ἀλλὰ σιωπῆσαι. Videndi quoque hac de re Suidas in Βοῦς ἐπὶ γλώττης, Pollux in *Onomast.* lib. IX. Budæus lib. *de Asse*, & Erasmus in *Chiliad.* Item Hesychius in Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ, & Apostolius in *Proverb.* Quia jam de numismatibus egimus, est & illud per occasionem hic notandum, quod veteres Græci, nondum inventis numismatibus, statera, s. libra aurum, argentum, aliaque his similia fœneraverint, ceu nobis refert Scholiastes Homeri *ad Iliad. ν'.* ubi ait: Μηδέπω γὰρ νομισμάτων ὑπαρχόντων, σταθμῷ ἐδανείζον οἱ ἀρχαῖοι χρυσίον καὶ ἀργύριον, καὶ τὰ παραπλήσια.

FEST. IX.

ΚΑΝΗΦΟΡΙΑ.

I. ΚΑΝΗΦΟΡΙΑ, Festum Athenis Dianæ sacrum. Nam virgines Atticæ ingenuæ & nobiles jamque nubiles, atque prioris vitæ virginitatisque pertæsæ, cupientes exautorari, in hoc festo κανᾶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα, id est, *canistra ex auro facta*, plena earum rerum, quas pulchriores acu laborassent, ad Dianæ templum deportare, ibique ipsi sacrificare consueverunt, ut ejus Deæ, in cujus tutela hactenus fuissent, iram evitarent, illiusque veniam impetrarent, quod a Græcis Κανηφορεῖν dicebatur; & hæ virgines inde Κανηφόροι, id est, *canistrorum gestatrices* appellabantur. Etymologici Autor de hac re hunc in modum scribit: Κανηφόρος, παρθένος, τὰ κανᾶ μετὰ τῶν λοιβῶν φέρουσα ἐν τῇ θυσίαις. Et Theocritus *Idyll.* II. his utitur verbis:

> Ἦλθ' ἁ τῶ 'υβούλοιο Κανηφόρος ἄμμιν Ἀναξώ,
> Ἄλσος ἐπ' Ἀρτέμιδος.

Ubi Interpres: Εἰώθασι γὰρ τῇ Ἀρτέμιδι κανηφορεῖν αἱ μέλλουσαι γαμεῖσθαι, ἐπὶ ἀφοσιώσει τῆς παρθενίας, ἵνα μὴ νεμεσηθῶσιν ὑπ' αὐτῆς. Τὰ δὲ μυστήρια ταῦτα Ἀθήνησι πολιτεύονται. ἐκανηφόρουν δὲ τῇ Ἀρτέμιδι. αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ Θεῷ, ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι. Hic obiter notandum est, Virgines illas primum κανᾶ, seu *canistra* tulisse, cum Erichtonius, Atheniensium Rex regnaret.

II. Hæ autem Κανηφόροι habebant suas pedisséquas, quæ Διφροφόροι, id est, Selliferæ dicebantur, ut Etymologus Magnus his innuit verbis: Διφροφόροι αἱ ταῖς Κανηφόροις εἵποντο δίφρους ἐπιφερόμεναι. Videsis etiam de Canephoris Scholiasten Aristophanis *ad Acharnenses*, pag. m. 272. & *ad Aves*, pag. 426.

III. Porro Dianam non tantum placatam sibi reddere studebant, quod custodem esse virginitatis, sed & quod illam parturientibus præesse, ipsisque in partu opitulari crederent, ut ex Callimachi versibus colligere licet, ubi se nunquam in urbem adituram ait, nisi a parturientibus vocaretur. Verba autem horum versuum sunt isthæc:

> —— πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν
> Μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες
> Τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον.

Unde a Græcis dicitur Εἰλείθυια, ἀπὸ τοῦ ἐλεύθω τὸ παραγίνομαι, quod adsit parturientibus ipsisque opem ferat; a Latinis vero vocatur Lucina, quod invocetur, ut omnia nascentia in lucem veniant.

IV. Sunt qui asserant, Canephoria non in Dianæ, sed in Dionysii honorem fuisse instituta; inter quos est Demaratus, qui in certaminibus Dionysiacis ita scribit: Κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἀθηναίοις αἱ εὐγενεῖς παρθένοι, τότε πρῶτον ἡβῶσαι ἐκανηφόρουν. ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ καθαροῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν καρπῶν ἐτίθεσαν.

FEST. X.

ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ.

I. ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ, vel ΩΣΧΟΦΟΡΙΑ, Festum Athenis, quo palmites uvis onustos gestabant; unde & nomen habet ἀπὸ τῆς ὄσχης, seu ὤσχης φορᾶς, *a gestatione palmitis racemis onusti.* Agitabatur hæc festivitas in honorem Liberi patris, & Ariadnæ; aut quod eo tempore rediissent, quo fructus autumnales colliguntur. Plutarchus in *Theseo*: Φέρουσι δὲ Διονύσῳ, καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον. ἢ μᾶλλον, ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον.

II. In his sacris duo adolescentes divitiis nobilitateque eximii, vestibusque induti muliebribus, Ὠσχοφόροι, id est, *palmites oppletos uvis gestantes*, appellati, eligebantur, qui Chorum ducebant. Vide Proclum in *Chrestomathia*.

III. Porro cursu etiam certabant adolescentes nobiles, e singulis tribubus lecti, qui omnes erant ἀμφιθαλεῖς, id est, *& patrimi & matrimi.* Currebant autem cum palmitibus uvis plenis, a Bacchi templo usque ad Minervæ τῆς Σκιράδος. Vide Glossographum Nicandri *ad Alexipharmaca*, Hesychium in Ὠσχοφόρια, & Proclum *loco citato*.

IV. Locus autem, in quo templum Palladis exstructum erat, a *ramorum gestatione* Ὠσχοφόριον dicebatur, ut Hesychius testatur, ita scribens: Ὠσχοφόριον, τόπος Ἀθήνησι φαληροῖ, ἔνθα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν.

V. Victor ex illis certantibus adolescentibus loco ἄθλου calicem, seu phialam, quæ πενταπλόα, vel πενταπλῆ dicebatur, quia *quintuplicia* ciborum genera, nempe vinum, mel, caseus, farina, & parum olei, in ea permixta erant, auferebat, & cum Epheborum cœtu comessabatur. Vide Athenæum lib. XI. & Proclum *loco citato*.

VI. Præterea mulieres, Δειπνοφόροι, id eſt, *cœnæ geſtatrices* dictæ, iſtis adoleſcentibus miniſtrabant cœnam ferentes, ipſiſque lepidas ad animi recreationem fabellas narrabant, autore Plutarcho in *Theſeo*. Et Suidas ait: Δειπνοφόροι. αἱ φέρουσαι τοῖς κατακεκλιμένοις ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τὰ δεῖπνα.

VII. Singulares hujus feſti erant ceremoniæ. Nam Caduceus, non Præco coronabatur, & inter libationem ΕΛΕΛΕΥ, ΙΟΥ, ΙΟΥ, acclamabatur; quorum *illud* properantes, & pæana canentes ſolent exclamare: *hoc* vero ἐκπλήξεως καὶ ταραχῆς ἐστι, id eſt, *terrefactionis & perturbationis eſt*, teſte Plutarcho *loco citato*.

VIII. Carmina vero, quæ in adoleſcentum certantium honorem chorus cantabat, appellabantur Ὀσχοφορικὰ μέλη. Proclus in *Chreſtomathia*: Ὀσχοφορικὰ δὲ μέλη παρὰ Ἀθηναίοις ᾔδετο.

DECAS SEXTA.

FESTUM PRIMUM.

ΠΡΟΗΡΟΣΙΑ.

I. ΠΡΟΗΡΟΣΙΑ, & ἡ ΠΡΟΗΡΟΣΙΑ, ſacrificium fuit, quod Athenienſes pro felici futurarum frugum proventu ante arationem, ut nomen ipſum indicat, Cereri τῇ Προηροσίᾳ offerebant, & diem feſtum celebrabant. Suidas: Προηροσίαι, αἱ πρὸ τοῦ ἀρότου γινόμεναι θυσίαι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι καρπῶν, ὥστε τελεσφορεῖσθαι. Vulgus Προακτήρια nominabat, teſte Heſychio in Προηρόσια.

II. Deinde in gratiarum actionem, & in perpetuam accepti beneficii memoriam, ex omnibus locis frugum primitiæ Athenas deferebantur, ceu Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Equites* his innuit verbis: Καὶ οὕτως ὥσπερ χαριστήριον, οἱ πανταχόθεν τοῖς Ἀθηναίοις ἐξέπεμπον τῶν καρπῶν ἁπάντων τὰς ἀπαρχάς. Hæc eadem idem Scholiaſtes in *Pluto* habet.

FEST. II.

ΠΡΟΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ.

I. QUEMADMODUM Athenienſes ineunte hyeme pro felici frugum proventu, antequam ararent, Cereri ſacrificabant; ita quoque finita jam hyeme, fructibuſque germinare incipientibus Minervæ ſacra faciebant, ut ſcilicet fructus bene matureſcerent, uberiorque ipſis eſſet meſſis. Ea autem ſacra Προχαριστήρια dicebantur. Vide Suidam in Προχαριστήρια.

II. In his etiam ſacris pro pluvia moderata nempe & tempeſtiva ſupplicabant, itemque pro ventis, teſte Proclo *in Plat. Timæum* l. II. Formulam vero orandi pro pluvia Marcus Antoninus Imperator his indicat verbis: Ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων, καὶ τῶν πεδίων.

III. Vota autem iſta ac ſacra Διὶ Ὀμβρίῳ, id eſt, *Jovi Pluvio*, & *Cereri* τῇ Προηροσίᾳ feciſſe, docet Plutarchus in *Convivio* VII. *Sap.* Erat quoque Jovis τοῦ Ὀμβρίου ara in Hymetto, monte illo Atticæ clariſſimo, ubi ei ſacrificabant. Confer Pauſaniam in *Atticis*.

IV. Quod autem ad ventos attinet, Boream implorabant, inque ejus honorem feſtum epulumque ſolemne agitabant, (cui nomen ex re illa Βορεασμός) ut Notus ſpiraret, teſte Heſychio in *voce* Βορεασμοί.

FEST. III.

ΑΡΙΑΔΝΕΙΑ.

I. ΑΡΙΑΔΝΕΙΑ, Feſtivitas, a Theſeo in honorem Ariadnæ, cujus amore ipſe detinebatur, inſtituta, & ſecundo die menſis Gorpiæi celebrata. Ritus hujus feſti erant iſti: Adoleſcens in lecto cubans vociferabatur, aliaque omnia faciebat, quæ γυναῖκες ὠδίνουσαι, id eſt, *mulieres parturientes* ſolent. Vide hac de re Plutarchum in *Theſeo*.

FEST. IV.

ΕΥΜΕΝΙΔΕΙΑ.

I. ΕΥΜΕΝΙΔΕΙΑ, Feſtum ab Athenienſibus in honorem Eumenidum, quæ Σεμναὶ Θεαὶ appellabantur, agitatum. Ad pompam, quæ in his ſacris ducebatur, nulli admittebantur ſervi; ſed ſolemnia omnia per viros mulieresque præclaræ honeſtæque vitæ peragebantur; τραγήματα ſeu *bellaria*, ſpectatiſſimi e juvenibus apparabant, autore Philone lib. περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον.

II. Hæc etiam Sacra Sicyonii celebrabant, hiſque Deabus πρόβατα ἐγκύμονα, id eſt, *oves gravidas* immolabant, ac pro libamine mulſo, pro coronis floribus utebantur, quemadmodum Pauſanias in *Corinthiacis* refert.

FEST. V.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ.

I. ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ, Sacra, quæ Epheſii quot menſibus in honorem Evangeli, Paſtoris, antea Pixodori dicti, propter nuntiatam marmoris inventionem agitabant; Pœna etiam iis, qui neglexiſſent, indicta, teſte Vitruvio lib. x. c. VII.

II. Præterea Εὐαγγέλια quoque erant feſta, ob rei feliciter geſtæ narrationem inſtituta, in quibus Græci ſacrificabant, amiciſque partes victimarum mittebant. Vide Plutarchum in *Ageſilao*.

III. Et illi, qui lætas res nunciabant, coronabantur, ceu idem Comicus *loco citato* teſtatur, ubi ſic ſcribit: Εἶτ᾽ ἐστεφάνουν μ᾽ Εὐαγγέλια. Ubi Scholiaſtes: Τοὺς γὰρ εὐαγγελιζομένους τὶ ἀγαθὸν, στεφάνοις ἐτίμων. Videſis etiam de hoc feſto Polyænum *Strateg.* lib. II. & Iſocrat. *orat. Areopagitica*.

FEST. VI.

ΒΡΑΥΡΩΝΙΑ.

I. ΒΡΑΥΡΩΝΙΑ, Feſtum, quod in Braurone, Atticæ Vico, in honorem Dianæ, quæ inde Brauronia cognominabatur, ſingulis quinquenniis, curantibus illud Decemviris, qui Ἱεροποιοὶ appellabantur, celebrabatur, ut autor eſt Pollux lib. IIX. cap. IX.

II. Agitabant autem hanc feſtivitatem ante nuptiarum tempus virgines Athenienſes, quippe quæ hiſce ſacris initiari tenebantur. Hoc vero eam ob cau-

causam fiebat, quod ob ursam interfectam Dianæ sacram, non prius cessaturam esse pestem responderit Oraculum, quam huic Deæ Virgines consecrarentur, antequam cum viris congrederentur, teste Suida. Hinc istæ Virgines Dianæ consecratæ, Ἄρκτοι, id est, *ursæ* appellabantur, ut docet Harpocration his verbis: Αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι, Ἄρκτοι καλοῦνται.

III. Ipsa autem consecratio Virginum Dianæ, dicebatur Ἀρκτεία. Hesychius: Ἀρκτεία ἡ τῶν ἀρκτευομένων παρθένων τελετή. Atque hinc verbum deductum est Ἀρκτεύειν, id est, *in ursæ occisæ honorem Virgines Dianæ consecrare*. Vide Hesychium, & Harpocrationem in Ἀρκτεῦσαι.

IV. Præterea sciendum est, eas Virgines, neque decimo ætatis anno grandiores, neque quinto minores fuisse, autore Suida. Inde Δεκατεύειν, quod idem ac Ἀρκτεύειν, dicebantur; quod ad decimum usque ætatis annum eo ministerio fungerentur. Consule Hesychium, & Harpocrationem in Δεκατεύειν. Nam si majores decennio, & minores quinto erant, a sacris arcebantur.

V. In hoc etiam festo Dianæ capram immolabant, & Rhapsodi Iliada decantabant. Videatur Hesychius in Βραυρωνίοις.

FEST. VII.

ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΩΝ ΑΓΩΝ.

I. ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΩΝ ΑΓΩΝ, apud Athenienses Festum erat, & in eo certamen gallorum gallinaceorum, quod post devictos a Themistocle Persas instituerunt, teste Æliano *Var. Hist.* lib. I. cap. XXIIX. Rationem vero institutionis horum sacrorum vide apud eundem Autorem *loco eodem*.

FEST. VIII.

ΕΡΜΑΙΑ.

I. ΕΡΜΑΙΑ, vel ut alii scribunt Ἑρμαῖα, Festum quod Athenienses τῷ Ἑρμῇ, id est, *Mercurio* in Palæstris celebrabant. Meminerunt ejus Pollux lib. I. cap. I. & Æschines *in Timarchum*.

II. Agitabatur autem hoc festum per comessationes, promiscuamque libidinem. Ut videre est in epistola quadam Diogenis Cynici *ad Græcos*. Ideo lege cautum erat apud Athenienses, ne tum quemquam adultum gymnasiarchæ in gymnasium ingredi permitterent; Qui id fecerant, lege *de ingenuorum corruptela* tenebantur, teste Æschine *loco citato*.

III. Porro Athenienses in his sacris Mercurium singulari cultu observantes in compitis, triviis, & quadriviis, tanquam Deo Viali statuas erexerunt; quæ veretra longa, & immania haberent, easque

A Hermas vocarunt; Autoribus Thucydide lib. VI. & Plutarcho in *Alcibiade*, & *Nicia*. Hæc simulachra erant sine lacertis. Hinc Strabo lib. XV. hominem brachiis truncatum, *Hermam* appellat; & Dio lib. LIV. Μειράκιον ἄνευ ὤμων, οἵους τοὺς Ἑρμᾶς ὁρῶμεν. Forma istorum simulachrorum erat τετράγωνος, καὶ κυβοειδὴς, ut Scholiastes Aristophanis ait:

IV. Collocabant non tantum in viis, sed & ante januas ædium privatarum idola Mercurii; quibus exeuntes convivæ gestatas a se in mensa coronas imponebant. Ælianus *Var. Hist.* lib. II. cap. XLI. hac de re ita loquitur: Καὶ τὸν στέφανον λαβὼν, ὅτε ἐπανῄει μετὰ τὸ δεῖπνον, τῷ Ἑρμῇ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτὸν, κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν.

B V. Quin Hermis ad viam monstrandam ubique erectis frugum primitias in usum viatorum imponebant, sicut Suidas tradit: Ἕρμαιον, τὸ ἀπροσδόκητον κέρδος· ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς τιθεμένων ἀπαρχῶν, ἃς οἱ ὁδοιπόροι κατεσθίουσι.

VI. Peragebant hæc sacra non duntaxat Athenienses, sed & Cretenses, apud quos tunc Domini convivantibus servis ministrabant. Confer Athenæum lib. XIV.

VII. Etiam hanc festivitatem celebrabant Cyllenenses, qui Mercurium membri arrecti specie venerabantur. Vide Pausaniam *Eliac.* II.

C VIII. Tanagræi quoque in Bœotia Mercurio τῷ Κριοφόρῳ hoc festum feriabantur, eoque juvenum τὸ εἶδος κάλλιστος, id est, *formosissimus*, arietem humeris portans muros circumibat. Videatur Pausanias in *Bœoticis*.

FEST. IX.

ΕΡΩΤΙΑ.

I. ΕΡΩΤΙΑ, Festum, & in eo certamen, quod Thespienses quinto quoque anno Amori Musisque agitabant, ceu nos docet Plutarchus in *Erotico*.

D II. In illo vero certamine non solum Atheletis sed & Musicis ἆθλα ponebantur, ut Pausanias in *Bœoticis* his indicat verbis: Ἄγουσι δὲ καὶ τὰ Ἐρώτια, ἆθλα οὐ μουσικοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς τιθέντες.

III. Hoc in festo Amori sacrificabant, placandis inter conjuges dissidiis. Consule Plutarchum *loco citato*.

FEST. X.

ΕΠΙΔΗΜΙΑ.

E I. ΕΠΙΔΗΜΙΑ, Sacra privata, quæ olim apud Græcos in honorem alicujus ex familiaribus, consanguineis, amicisve salvi & incolumis pere gre domum reversi, celebrabantur; teste Himerio in *Propemptico Flaviani*.

DECAS SEPTIMA.

FESTUM PRIMUM.

ΘΗΣΕΙΑ.

I. ΘΗΣΕΙΑ, vel ut alii scribunt ΘΗΣΕΙΑ, Festum ab Atheniensibus in honorem Thesei, quod urbem in unum coegisset, cum Attica prius pagatim habitaretur, agitatum. Suidas in Θησείοισιν: Θησεῖα, ἑορτὴ δὲ αὐτῷ (Θησεῖ) ἐτελεῖτο, ἐπειδὴ αὐτὸς συνήγαγε τὴν πόλιν τῆς Ἀττικῆς πρότερον κατὰ κώμας οἰκουμένης. Eadem fere verba

F habes etiam apud Scholiasten Aristophanis *ad Plutum*.

II. Celebrabatur vero hæc festivitas octavo quoque die, ut Scholiastes Comici *loco eodem* his innuit verbis: Ὀγδόῃ δὲ τὰ Θησεῖα ἦγον· καὶ πᾶσαν τὴν ἡμέραν ἐπανηγύριζον εἰς τιμὴν τοῦ Ἥρωος.

III. Fiebant in hoc festo donorum distributiones, & convivia passim agitabantur. Suidas *loco citato*: Καὶ ἐγίνοντο διανομαὶ καὶ εὐωχίαι τοῖς Θησείοις.

IV. Distribuebant autem dona inter egenos, ipsisque deinde convivia adornabant, in quibus inprimis polentam, quæ Μισύλη, aut Ἀθάρα appellabatur, edebant, Scholiastes Aristophanis *loco citato* hac de re ita scribit: Ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ (τῶν Θησείων) πάντες πτωχοὶ ἤσθιον ἀθάραν, καὶ ἄλλα τινά. & mox addit: Ὁ κοῖλος ἄρτος μισύλη καλεῖται, ἤγουν ἀθάρα· ἐν γὰρ τοῖς Θησείοις, ἀθάραν ἤσθιον. Vide eundem Scholiasten *ibidem* hac de re fuse agentem.

V. Præterea exstruebant etiam Athenienses Theseo templum, Θησεῖον nuncupatum, in quo ipsi divinos honores decernebant, ac tribuebant, ceu nos docet Suidas *loco citato*, ubi ait: Καὶ τὸ Θησεῖον οἰκοδομήσαντες, ἰσοθέους αὐτῷ τιμὰς νέμουσι. Quæ habes quoque apud Scholiographum Aristophanis *loco dicto*.

VI. Ad hoc templum tanquam ad asylum confugiebant servi fugitivi, supplicesque. Interpres Comici *ad Equites*: Θησεῖον. ἐνταῦθα οἱ καταφεύγοντες τῶν οἰκετῶν, ἀσυλίαν εἶχον. Et Suidas in Θησεῖον: Καθῆσθαι μοι δοκῶ ἐπὶ τὸ Θησεῖον. ἢ ἐπὶ τῶν Σεμνῶν Θεῶν, τουτέστι τῶν Ἐριννύων· εἰς γὰρ ταῦθα τὰ ἱερὰ οἱ ἱκέται καθήμενοι, ἀσυλίας εἶχον. Confer etiam Plutarchum in *Vita Thesei*, Etymologum Magnum, & Hesychium.

VII. Erat quoque locus, ubi causæ dicebantur. Etymologus Magnus in Θησεῖον: Ἐλέγοντο δὲ καὶ δίκαι ἐνταῦθα.

VIII. Fuit etiam τὸ Θησεῖον carcer Athenis. Hesychius in Θησεῖον: Δηλοῖ δὲ καὶ δεσμωτήριον παρὰ Ἀθηναίοις. Quæ totidem quoque verbis repræsentat Etymologici Auctor in Θησεῖον.

IX. Hinc facete & eleganter ille, qui diu multumque in hoc carcere captivus versatus erat, dicebatur Θησειότριψ, qui idem est ac *colonus carceris* apud Plautum. Etymologus Magnus: Θησειότριψ, ὁ ἐν τῷ Θησείῳ διατρίψας. Vide & Suidam.

FEST. II.

ΒΟΥΦΟΝΙΑ.

I. BΟΥΦΟΝΙΑ, quasi *boum mactationes*, priscum apud Athenienses Festum, quod die XIV. mensis Scirrhophorionis post mysteria peragebatur immolatis bobus, unde & nomen habet a βοῦς *bos*, & φένω *occido*, quod multi boves in eo fuerint occisi & immolati. Vide Etymologici Auctorem, & Suidam in Βουφόνια.

II. Celebrabant autem istud in memoriam primi illius bovis, qui, quod Diipoliis placentam, seu libum sacrificio præparatum devorasset, a Thaulone securi fuit occisus. Ecce doctissimum Aristophanis *ad Nubes* Scholiasten: Βουφόνια, παλαιὰ ἑορτή. ἥν φασιν ἄγεσθαι μετὰ τὰ μυστήρια, ὅτε καὶ βοῦν θύουσιν εἰς ὑπόμνησιν τοῦ πρώτου φονευθέντος βοός, ἐν Ἀκροπόλει ἁψαμένου τοῦ πελάνου ἐν τῇ ἑορτῇ τῶν Διϊπολίων. Vide etiam Suidam in Βουφόνια, & Θαύλων, Hesychium item in Βουφόνια.

III. Qui hæc sacra peragebat, Βούτης appellabatur, auctore Hesychio, aut Βουφόνος, ut Pausanias in *Atticis* tradit, ubi scribit, τὸν Βουφόνον simul bovem occidisse, & confestim abjecta securi, aufugisse. Verba Pausaniæ huc spectantia vide.

IV. Et *eodem loco* tradit idem Pausanias, Athenienses velut interfectore bovis incognito, securim illam, tanquam ream, in judicium citasse, inque eam sententiam pronuntiasse. Confer etiam hac de re Ælianum *Var. Histor.* lib. VIII. cap. III.

V. Hic silentio non est prætereundum, in Attica, & Peloponneso, illum quoque cædis reum fuisse, qui bovem interfecisset; erat enim id capitale crimen, teste Varrone *de Re Rust.* lib. II. c. V. causa autem erat, quod veteres Athenienses legem sanxerint, nullum mactandum esse bovem, quod esset socius laboris agrique culturæ animal. Hinc Aratus, Poeta Solensis valde indignatur Atheniensibus, quod boves laborantes, seu arantes occidissent. Sic enim in *suis Phænomenis* canit:

—— πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Ad hæc verba Theon, Scholiastes Arati ita: Καὶ εἰς τοῦτο ἱκανῶς μέμφεται αὐτοῖς, ἀρξαμένοις ἐσθίειν ἀροτῆρας βοῦς, τῆς προτέρας γενεᾶς μήπω τοῦτο ἐργαζομένης. Οἱ γὰρ ἀρχαῖοι ἐφύλαττον τοὺς ἐργάτας βοῦς καθιερεύειν. Διὸ καὶ Ὅμηρός φησι βοῦν ἀδμήτην, ὃν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγον ἀρόται. Ἀσεβὲς γὰρ ἐδόκει τὸν ἀρότην σφάξαι. Πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι ἐγεύσαντο τῶν τοιούτων βοῶν. Consule etiam Ælianum *Variæ Histor.* lib. V. cap. XIV.

FEST. III.

ΔΙΙΠΟΛΙΑ.

I. ΔΙΙΠΟΛΙΑ, vetustissima apud Athenienses festivitas in arce Jovi τῷ Πολιεῖ, vel, ut alii scribunt, Πολιαίῳ, id est, *urbis custodi*, agitata; unde & nomen obtinet. Hesychius: Διϊπόλια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἀπὸ τοῦ Πολιεῖ Διὶ θύειν, Ἀθηναίοις εἰς μνήμην τοῦ πελάνου καὶ τοῦ βοός. Festum hoc antiquissimum fuisse inde apparet, quia Aristophanes in *Nubibus* res obsoletas nominat Διϊπολιώδη.

II. Peragebatur autem hoc festum hisce Ceremoniis: Mensa in arce ænea ponebatur, & in ea libum, seu πλακούντιον ἐξ ἄρτου, hoc est, *placenta ex pane*. Circum hanc boves agitabant; ex quibus, qui in mensa positam placentam devorasset, mactabatur. Videatur hanc de re Porphyrius lib. II. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων.

III. Unde illi, qui boves jugulabant & feriebant Βούτυποι, sive, ut alii scribunt, Βουτύποι nuncupabantur: qui vero circumagebant, Κεντριάδαι: qui denique mactabant, Δαιτροί. Videndi Suidas in Βουτύπος & Hesychius in Κεντριάδαι, Δαιτροί, & Βούτυπος; adde etiam Schol. Apollonii.

IV. Sed quo mense celebrata Διϊπόλια? Decima quarta mensis Scirrhophorionis, ut ex Glossographo Comici in *Pace* constat, qui sic inquit: Διϊπόλεια ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐν ᾗ Πολιεῖ Διὶ θύουσι Σκιρροφοριῶνος τετάρτῃ ἐπὶ δέκα. Ἔστι δὲ ἀπομίμημα τῶν πελάνων, καὶ τῶν κατὰ τοὺς βοῦς συμβαινόντων. Sed Diipolia & Buphonia idem esse festum, testatur Ælianus *Var. Histor.* libr. VIII. cap. III.

FEST. IV.

ΕΚΑΤΟΜΦΟΝΙΑ.

I. ΕΚΑΤΟΜΦΟΝΙΑ, Festum quod Messenii in Jovis Ithomatæ honorem apud urbem Ithonem celebrabant, si quando centum hostes prostravissent. Videsis hac de re Pausaniam in *Messenicis*, & Fulgentium lib. *de Prisco Serm.*

FEST. V.

ΘΑΡΓΗΛΙΑ.

I. ΘΑΡΓΗΛΙΑ, & ἡ Θαργηλία, Sacra apud Athenienses Apollini & Dianæ, vel, ut alii volunt, Soli & Horis, mense Thargelione, Romanorum Aprili, ut Gaza vult, respondente, celebrata. Vide de hoc festo Etymologum Magnum, Harpocrationem, Suidam, Hesychium, & Interpretem Aristophanis in *Equitibus*.

II. Erant autem duo Thargeliorum dies, sextus & septimus. Sexto civitatem Athenienses lustrabant, Dianamque eodem die natam Delii prædicabant, autore Diogene Laertio in *Vita Socratis*. Septimo vero die natus erat Apollo; unde & vates, & sacerdotes ipsum Ἑβδομαγένην, id est, *Hebdomagenam*, quasi *Septima-natum* appellabant, testibus Plutarcho *Sympos.* lib. VIII. Quæst. I. & Diogene Laertio.

III. Quod autem ad urbis lustrationem attinet, sciendum est, apud Athenienses in more positum fuisse hoc in festo, & quidem sexto die mensis Thargelionis quotannis ἀνθρώπους λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους, id est, *homines viles & contemptos* immolare, illisque tanquam publicis victimis urbem expiare seu lustrare, Superosque ita placare. Atque hi dicebantur φαρμακοὶ, vel Καθάρματα; item Σύμβακχοι, & Κραδησῖται; eaque res Καθαρισμὸς dicebatur.

IV. Erant autem hæc Καθάρματα duo viri, extra urbem educti, quorum unus mares, alter fœminas expiaret. Suidas in φαρμακὸς hac de re ita: Δύο ἄνδρας Ἀθήνησιν ἐξῆγον καθάρσια ἐσομένους τῆς πόλεως, ἐν τοῖς Θαργηλίοις. Ἕνα μὲν, ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν· ἕνα δὲ, ὑπὲρ τῶν γυναικῶν. Quæ totidem verbis Harpocration in φαρμακός. At Hesychius in voce φαρμακοὶ refert, non duos viros, sed virum & fœminam fuisse, atque ita singulos suum sexum expiasse.

V. Alebantur illi publico sumptu in eam rem, ut docet Scholiastes Aristophanis *ad Equites*, ubi ait: Δημοσίους τοὺς λεγομένους φαρμακοὺς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῷ ἑαυτῶν φόνῳ. Ἢ τοὺς δημοσίᾳ καὶ ὑπὸ τῆς πόλεως τρεφομένους. ἔτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρήστους. Καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω ἢ τοιούτου τινὸς, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα. Et idem *ad Plutum* scribit ita: Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λιμοῦ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. Ubi discimus, hanc lustrationem non in Thargeliis factam fuisse, sed tempore pestis aut famis.

VI. Hanc etiam consuetudinem apud Romanos fuisse, docet clare idem Scholiastes ibidem, his verbis: Τοῦτο τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε.

VIII. Ceremoniæ vero hujus lustrationis erant peculiares, fiebantque hunc in modum: Suspendebantur immolandis his hominibus nigræ & albæ caricæ e collo, nigræ erant pro viris: albæ pro fœminis. In manus etiam dabantur caricæ, caseus, & maza; septiesque colaphis, scillis, ficubus agrestibus, aliisque percussi, igne concremabantur: Cineresque deinde in mare spargebantur; testibus Helladio in *Chrestomathia* lib. III. apud Photium in *Bibliotheca*, Johanne Tzetze *Chil.* v. cap. xxv. & Hesychio Lexicographo in *voce* Κραδησίτης.

VIII. Porro hæc Καθάρματα ornatius vestita extra urbem ad tibiæ cantum, cujus modulus appellabatur Κραδίης νόμος, educebantur. Vide Suidam in Καθάραι, & Hesychium in Κραδίης νόμος.

IX. Verum Suidas aliique asserunt, hæc Καθάρματα, quæ etiam Περιψήματα dicebantur, non igne cremata, sed in mare deturbata, ac ita Neptuno immolata fuisse, ut piaculum essent pro populo. Detrusis vero illis in mare, acclamabantur: Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, id est, *esto nostrum purgamentum*. Verba Suidæ vero ista sunt: Οὕτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν· Περίψημα ἡμῶν γενοῦ. Ἤτοι σωτηρία, καὶ ἀπολύτρωσις. καὶ οὕτως ἐνέβαλον τῇ θαλάσσῃ, ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτιννύντες.

X. Huc quoque respexit D. Paulus I. *Corinth.* A iv. v. 13. ubi scribit: Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. Erasmus sic transtulit: *Veluti excrementa mundi facti sumus, omnium rejectamentum ad hunc usque diem*. Beza vero ita: *Tanquam purgamenta mundi facti sumus, & tanquam omnium ramentum usque adhuc*. B. Lutherus egregie Germanice vertit: *Wir sind stets, als ein fluch der Welt, und ein Feg-Opffer aller Leute.* His verbis innuere vult D. Paulus, Apostolos eo loco esse in mundo, ut hujus καθάρματα, vel περικαθάρματα, item περιψήματα illi esse videantur, quæ omnes apud Athenienses contemnere & aversari solebant.

XI. Porro in hoc festo fructuum seminumque B primitias, quæ tum e terra provenerant, circumferebant, & in ollis coctas Deo τῷ Θαργηλίῳ, qui idem est cum Sole, offerebant, choreasque ducebant. Vide hac de re Suidam in Θαργήλια.

XII. Hinc Θάργηλος, olla dicta est, in qua percoquebantur frugum primitiæ, ut refert Hesychius in *suo Lexico*, ubi ita scribit: Θάργηλος χύτρα ἱεροῦ ἑψήματος.

FEST. VI.

ΠΥΑΝΕΨΙΑ.

C I. ΠΥΑΝΕΨΙΑ, & θηλυκῶς ἡ ΠΥΑΝΕΨΙΑ, Sacra apud Athenienses in honorem Apollinis septimo die mensis Pyanepsionis agitata, in quibus fabas & legumina coquebant. Unde & nomen habent ἀπὸ τῶν πυάμων, *a fabis*, quas postea κυάμους dixerunt, & ἕψειν, *coquere*. Vide Hesychium, & Harpocrationem in Πυανέψια.

II. Auctores in nominis appellatione variant. Suidas & Harpocration ex Lycurgo ostendunt, partim Πυανοψίαν, partim Πανοψίαν nominari. Verba autem Suidæ, & Harpocrationis huc spectantia D consule.

III. Originem hujus festi dedit Theseus, qui e Creta salvus & incolumis reversus, annonæ reliquias in olla miscuit, & dein coctas sociis exhibuit. Vide Plutarchum hac de re in *Theseo*, Scholiasten Aristophanis *ad Equites*, Eustathium *ad Iliad.* χ'. & Suidam in *voce* Εἰρεσιώνη.

IV. Non solum autem in his sacris fabas coquebant, sed & ramum oleaginum, qui Græce Εἰρεσιώνη appellatur, circumferebant. Erat vero ramus iste oleaginus lana obvolutus, omnigenisque terræ fructibus onustus, quem supplices apud Græcos olim quotannis stato tempore in honorem Cereris, E vel juxta alios, Apollinis, ante ipsius templi fores, vel ut alii volunt, ante ædium januas ad arcendam famem seu pestem ex Oraculi præcepto statuebant. Vide hac de re Suidam in Εἰρεσιώνη, & Scholiastem Aristophanis *ad Equites*.

V. Hæc Εἰρεσιώνη per totum annum foribus appendebatur, & integra servabatur: donec redeunte anno nova reponeretur, ceu nobis refert Scholiastes Aristophanis *ad Plutum*, ubi ait: Ταύτην δὲ τὴν εἰρεσιώνην πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐτίθεντο οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν ἤλλαττον.

VI. Porro idem Schol. *loco jam citato* refert, puerum ἀμφιθαλῆ, id est, *patrimum* & *matrimum* τὴν F Εἰρεσιώνην gestasse, & inter gestandum hos cecinisse Versus:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

FEST. VII.

ΣΤΗΝΙΑ.

ΣΤΗΝΙΑ, Festum Athenis, in quo se mutuo scommatis & conviciis perstringebant, *begingen ein Zanct-Fest.* Hesychius perbrevem hujus festi suppeditat descriptionem his verbis: Στήνια ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ διασκώπτουσι, καὶ λοιδοροῦσι.

II. Inprimis autem hoc festum a fœminis celebrabatur, quæ natura ad convitia proclives sunt. Suidas: Στήνια, καὶ Σκίρα, ἑορταὶ γυναικῶν. Hinc verbum deductum est στηνιῶσαι, quod est, interprete Hesychio, βλασφημῆσαι, λοιδορῆσαι, hoc est, *salibus & conviciis incessere.*

FEST. VIII.

ΕΚΑΤΗΣΙΑ.

I. ΕΚΑΤΗΣΙΑ, maxima & celeberrima apud Stratonicenses festivitas, quam Hecatæ quotannis agere solebant. Strabo ejus mentionem l. XIV. faciens ita scribit: Ἔστι δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων ἐν μὲν Λαγίνοις τὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιφανέστατον ἱερὸν, πανηγύρεις μεγάλας συνάγον κατ' ἐνιαυτόν.

II. Hanc Deam etiam venerati sunt Athenienses, qui illam, tanquam πάντων ἔφορον, καὶ κουροτρόφον, id est, *omnium præsidem, & puerorum nutricem* observarunt. Quare Hecatæa, seu statuas in Hecatæ honorem ante fores erigebant. Hesychius: Ἑκάταια, τὰ πρὸ τῶν θυρῶν Ἑκάτης ἀγάλματα. His etiam verbis Comicus suffragatur in *Vespis*, ubi sic inquit:

Κἂν τοῖς προθύροις ἀνοικοδομήσει πᾶς ἀνὴρ
Αὐτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ,
Ὥσπερ Ἑκάταιον πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν.

Ubi Scholiographus: Ἑκάταιον. ἱερὸν Ἑκάτης· ὡς τῶν Ἀθηναίων πανταχοῦ ἱδρυμένων αὐτὴν, ὡς ἔφορον πάντων, καὶ κουροτρόφον. Quidam legunt Ἑκατεῖον, teste eodem Scholiaste *loco jam citato*. Apud Suidam vero invenitur Ἑκάτειον.

III. Hanc Deam in triviis venerabantur, eique ibidem sacrificabant; unde etiam a Latinis Trivia, a Græcis Τριοδῖτις dicta est: quod ideo factum, quia in ea triplex numen adorabant, Lunam, Dianam, Hecaten. De qua ita scribit Virgilius lib. IV. *Æneid.* v. 511.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Id quoque Scholiastes Comici *ad Plut.* confirmat his verbis: Τὴν ἐν τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Ἀρτέμιδα, καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. Quare φωσφόρος, *Lucifera* appellata est ab Euripide in *Helena*:

Ὦ φωσφόρ' Ἑκάτη, πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.

Alii dictam fuisse Triviam putabant, quod eadem sit Juno, Diana, & Proserpina. Hinc trivia huic Deæ erant sacra, ut docet Interpres Theocriti *ad Idyll.* II. ubi ait: Διόπερ τὰς τριόδους ἱερὰς τῆς θεοῦ νομιζοῦσι. Sophocles huic assentiens ita scribit:

—— καὶ γῆς ναίουσ' ἱερὰς τριόδους.

IV. Porro singulis mensibus in novilunio, opulenti apud Athenienses mittebant cœnam vesperi ceu sacrificium Hecatæ in triviis; Pauperes autem esurientes eo per noctem convenientes hanc cœnam devorabant, Hecatenque eam comedisse dicebant. Cujus rei meminit Aristophanes in *Pluto*:

—— παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι,
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον. Φησὶ γὰρ αὕτη, τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας, δεῖπνον κατὰ μῆνα προσάγειν.
Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

A Quo quidem loco in hanc sententiam scribit Enarrator: Κατὰ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι, δεῖπνον ἑσπέρας, ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ προσάγοντες ἐπὶ τὰς τριόδους ἐτίθουν. Οἱ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες, καὶ ἤσθιον αὐτά, καὶ ἔλεγον, ὅτι ἡ Ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά.

V. Sacrificabant autem divites Hecatæ panes, aliaque edulia, quæ pauperes deinde capiebant, ceu idem Scholiastes *loco citato* tradit: Ἔθος ἦν ἄρτους καὶ ἄλλα τινὰ κατὰ μῆνα τιθέναι τῇ Ἑκάτῃ τοὺς πλουσίους. Λαμβάνειν δ' ἐξ αὐτῶν τοὺς πένητας· ἀπὸ τῶν ἱερῶν γὰρ οἱ πτωχοὶ ζῶσιν. Utinam & Christiani ipsi Christo, hoc est, pauperibus, illius vicariis, multas hujusmodi dapes atque epulas apponerent!

B VI. Quod autem Hecatæ in triviis sacrificarent, factum est expiationis ergo, ut Plutarchus refert, ita inquiens: Χθονίᾳ δὲ δεῖπνον Ἑκάτῃ πεμπόμενος εἰς τριόδους, ἀποτροπαίων, καὶ καθαρσίων ἐπέχει μοῖραν. Huc etiam faciunt verba Scholiastæ Theocriti *ad Idyll.* II. quæ ita habent: Ἱδρύοντο δὲ τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις, ὅτι ἐπὶ τῶν καθαρμάτων καὶ μιασμάτων ἡ θεός.

VII. Præterea Græci huic etiam Deæ σκύλακας, id est, *catulos* ad expiandum (quibus in omnibus fere piaculis usi fuerunt pro piaculari hostia) immolabant, illamque rem κυνοθυσίαν, id est, *immolationem canum* appellabant. Aristophanes ἐν Δαιταλεῦσι apud Scholiasten Theocriti *eodem loco* scribit:

C Τί δὲ κυνίδιον λεπρὸν, λευκὸν ἐπρίω τῇ θεᾷ εἰς τὰς τριόδους; Hinc lustrare, seu expiare per σκύλακα, dicebant, Περισκυλακίζειν; & ipsam lustrationem, seu expiationem, quæ fiebat τῇ τῶν σκυλάκων περιμάξει, vocabant Περισκυλακισμόν, id est, *circumcatulationem*. Veteres enim Græci se lustrare, seu expiare solebant, catulo circa corpus ducto.

VIII. At ex Scholiaste Theocriti, multoties jam laudato, *loco supra citato* colligere licet, eam ob causam Hecatæ τῇ Χθονίᾳ canes immolatos fuisse, quia ei edulia in triviis apposita abstulerunt. Ipsius Scholiastæ verba sunt ista: Διὰ τοὺς σκύλακας ἐκφέρεσθαι δεῖπνα τῇ Ἑκάτῃ. Hinc a Lycophrone κυνοσφαγὴς θεά, id est, *canum mactatrix dea* indigitatur.

D IX. Eustathius vero istam adducit rationem, quod Deam illam, τῶν νυκτερινῶν φόβων αἰτίαν εἶναι, id est, *nocturnorum terriculamentorum causam* existimarent, & spectrorum, seu phantasmatum, quæ hinc Hecatæa vocabantur, canisque latratu dissolvere & evanescere putabantur. Tzetzes, Scholiastes Lycophronis hac de re in hunc scribit modum: Θύουσι δ' αὐτῇ κύνας, ὥς φησι Σώφρων ἐν μίμοις· ὁ γὰρ κύων βαΰζας λύει τὰ φάσματα.

E X. Si locum, in quo canes huic Deæ immolabantur, scire cupis, erat antrum, quod Zerynthon appellabatur. Suidas: Ζηρύνθιον, ἢ Ζήρυνθον ἄντρον, ἐν ᾧ τὰς κύνας ἔθυον· ἔνθα ἦν τὰ τῶν Κορυβάντων, καὶ τῆς Ἑκάτης μυστήρια.

FEST. IX.

ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ.

I. ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ, vel ΘΕΟΦΑΝΙΑ, ut & ... ΘΕΟΦΑΝΙΑ, est, ut Suidas tradit ἡ τοῦ Θεοῦ φανέρωσις, id est, *Dei apparitio* seu *manifestatio*. Festum erat, quod eo die agitabatur, quo Deos hominibus apparuisse putabant. Memi-

F nit ejus festi Pollux lib. I. cap. I. Videsis etiam de hoc festo Herodotum lib. I.

II. Sunt enim τὰ Θεοφάνεια Servatoris nostri γενέθλια, seu πανήγυρις, id est, *Natalis Christi solemnitas*, qua primum CHRISTUS in corpore humano hominibus apparuit, seque conspiciendum illis præbuit. Gregorius Nazianzenus de hac re ita: Θεοφάνεια, εἴτ' οὖν γενέθλια ἡ πανήγυρις Χριστοῦ. Confer quoque

Matthæi Dresseri libellum *de diebus festis*, pag. mihi 307.

FEST. X.

ΠΡΟΣΧΑΙΡΗΤΗΡΙΑ.

I. ΠΡΟΣΧΑΙΡΗΤΗΡΙΑ, Festum quod eo agebatur die, quo filia a parentibus in mariti domum transibat, ceu nos docet Suidas, cum inquit: Προχαιρητήρια. ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις ἀγομένη, ὅτε δοκεῖ ἀπιέναι ἡ κόρη. Eadem verba reperiuntur quoque apud Harpocrationem.

II. Æmilius vero Portus, Francisci Porti Cretensis F. putat, hoc festum Proserpinæ abeunti celebratum, eique tunc vale acclamatum fuisse.

DECAS OCTAVA.

FESTUM PRIMUM.

ΧΕΙΡΟΠΟΝΙΑ.

I. ΧΕΙΡΟΠΟΝΙΑ, Dies erat festus, quem opifices celebrabant, eoque sacra faciebant, ut Hesychius in *suo Lexico* tradit, dum scribit: Χειροπονία, ἑορτὴ ἐν ᾗ. τεχνῖται θύουσιν.

FESTA II.

ΧΕΛΙΔΟΝΙΑ.

I. ΧΕΛΙΔΟΝΙΑ, Festum a Cleobulo Lindio, cum aliquando Lindii nummorum penuria laborarent, institutum, & a Rhodiis mense Boedromione agitatum. In hoc festo pueri, teste Hesychio, χελιδονισταὶ dicti, circumeuntes stipem hirundini colligebant; inde res illa χελιδονίζειν appellabatur, docentibus Athenæo lib. VIII. & Eustathio *ad Homeri Odyss.* φ'.

II. Inter circumeundum vero, ceu idem Athenæus *loco citato* refert, cantabant pueri illi hanc cantilenam:

Ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν, καλὰς
ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς.
ἐπὶ γαστέρα λευκὰ, κἀπὶ νῶτα μέλανα. &c.

FEST. III.

ΧΑΡΙΣΙΑ.

I. ΧΑΡΙΣΙΑ erant παννυχίδες, id est, *Sacra nocturna*, seu *pervigilia*, quæ in Gratiarum honorem Choreis agitabantur. Qui in his sacris diutissime pervigilabat, ipsi ἔπαθλον erat placenta. Vide de hoc festo Scholiasten Comici, & Eustathium *ad Homeri Odyss.* σ'.

FEST. IV.

ΦΩΣΦΟΡΙΑ.

I. ΦΩΣΦΟΡΙΑ, festum τῷ φωσφόρῳ id est, *Lucifero* agitatum. Mentionem hujus festi facit Hesychius: φωσφόρια ἑορτή τις. Vide etiam Plutarchum lib. *adversus Coloten*.

FEST. V.

ΥΔΡΟΦΟΡΙΑ.

I. ΥΔΡΟΦΟΡΙΑ & ΥΔΡΟΦΟΡΙΑ, Festum erat Athenis lugubre, in eorum institutum memoriam, qui in diluvio perierunt. Suidas Ὑδροφορία, ἑορτὴ πένθιμος Ἀθήνησιν, ἐπὶ τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ ἀπολομένοις, ὡς Ἀπολλώνιος. Eadem etiam leguntur apud Scholiasten Apollonii, & Etymologum Magnum.

II. Celebrabantur quoque τὰ Ὑδροφόρια apud Æginetas, in quibus certamen mense Delphinio, ipsis sic appellato, in Apollinis honorem instituebatur, teste Scholiaste Pindari *Nem. Od.* V.

FEST. VI.

ΦΑΓΗΣΙΑ.

I. ΦΑΓΗΣΙΑ, ΦΑΓΗΣΙΠΟΣΙΑ, (ΦΑΓΗΣΙΑ quoque & ΦΑΓΗΠΟΣΙΑ, ἑνικῶς,) Festum, quod tempore Dionysiorum in Bacchi honorem agitabatur, in quo cibo & potu ad satietatem usque exhilarabantur; *Ein Fress, und Sauff-Fest. oder Fassnacht.* Athenæus lib. VII.

II. Ejusmodi quoque Phagesia & Phagesiposia, ut de Gentilibus nihil dicamus, quotidie fere apud Christianos aguntur, inquit Stuckius in *Antiquit. Convival.*

FEST. VII.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ.

I. ΠΑΝΙΩΝΙΑ, Festum, quod omnes communiter agitabant Iones, ut Παναθήναια omnes Græci; Παμβοιώτια omnes Bœoti; teste doctissimo interprete Homeri, Eustath. *ad Iliad.* β'.

II. Constitutis enim temporibus Iones ad Mycalen se colligebant omnes, eo loco, quem inde Πανιώνιον vocitare solebant: ibique Neptuno τῷ Ἑλικωνίῳ sacra faciebant; referente Herodoto lib. I.

III. Ritus hujus festi peculiares fuerunt. Nam Iones arbitrabantur se egregie tum sacrificasse, si inter immolandum bos mugitum edidisset. Strabo lib. VIII. Τότε γὰρ νομίζουσι καλλιερεῖν περὶ τὴν θυσίαν ταύτην Ἴωνες, ὅταν θυόμενος ὁ ταῦρος μυκήσηται. Hunc etiam referenda sunt verba Eustathii *ad Iliad.* Υ'. quæ ita habent: φασὶ δὲ τοὺς θύοντας τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι δοκεῖν καλλιερεῖν, ὅτε ὁ θυόμενος ταῦρος μεγάλα ἐρεύγεται, ὡς χαίροντος τοῦ Ποσειδῶνος τῷ ἤχῳ. Id est, *Ajunt eos, qui Neptuno Heliconio sacrificabant, demum putare tum se litare, si taurus immolandus alte mugiverit, quasi Neptunus voce delectetur.*

FEST. VIII.

ΣΚΙΕΡΙΑ.

I. ΣΚΙΕΡΙΑ, Polluci vero Σκιερὰ, erant solemnia, quæ ab Arcadibus Baccho in oppido Alea celebrabantur. In his mulieres sese ex jussu Oraculi Delphici mutuo flagellabant, quemadmodum juvenes Spartani nobiles ad aram Dianæ Orthiæ in festo τῆς Διαμαστιγώσεως. Vide Pausaniam in *Arcadicis*.

In hoc etiam Festo Bacchi simulacrum, sub umbraculo desidens, producere moris erat: unde & hoc festum nomen accepit, Jul. Pollux in *Onomast.* lib. VII. cap. XXXIII.

FEST. IX.

ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ.

I. ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ, Festum quod Athenienses die XXVI. mensis Thargelionis in Minervæ τ̃ Ἀγλαύρυ, vel Ἀγραυλυ honorem agitabant, ut videre est apud Plutarchum in *Alcibiade*, & Xenophontem lib. I. *Histor. Rerum Græc.*

II. Derivatur autem vox Πλυντήρια a πλύνειν, id est, *lavare*, quod in hoc festo ornamenta Minervæ detracta, lavarent, referente Plutarcho *loco citato*. Hic obiter notandum, differentiam esse apud Græcos inter πλύνω, νίπτω, λέω, & κλύζω. Nam πλύνω proprie *lavo vestes*, vel *pannos*: νίπτω *manus* aut *pedes*: λέω *corpus*: & κλύζω, *pocula*, vel *vasa*. Ammonius lib. *de Differ. Græc. Vocum* ita: Κλύσαι μὲν λέγε) ποτήριον, ἢ ἀγγεῖον· νίψαι δὲ πρόσωπον ϗ πόδα· πλύναι δ᾽ ἐσθῆτα. λῦσαι δὲ σῶμα.

III. Porro velabant quoque hujus Deæ simulacrum, Πραξιεργίδαι sic nuncupati. Hesych. Πραξιεργίδαι, οἱ τὸ ἕδος τὸ ἀρχαῖον τ̃ Ἀθlωᾶς ἀμφιεννύντες.

IV. Consueverunt etiam in hoc festo solenni pompa ficuum massam gestare, quia Athenienses, utpote indigenæ, post glandes a ficu mansuetioris victus initium fecerunt; ea vero massa dicebatur Ἡγητηρία, vel ἡγητορία. Videantur Hesychius in *suo Lexico*, & Etymologus Magnus in ἡγητορία.

V. Dies ille, quo Sacra hæc agebantur, infaustissimus censebatur; nullus enim Atheniensium eo die aliquid serii operari audebat. Quamobrem Alcibiadis in urbem reditus, qui in illum incidebat diem, universæ civitati nefastus fore putabatur, docente Xenophonte lib. I. *Rerum Græc.*

FEST. X.

ΚΑΒΕΙΡΙΑ.

I. ΚΑΒΕΙΡΙΑ, & Καβείρων Ὄργια, item Κορυβαντικὰ, feriatus dies, quem Cretenses, in urbe Cnosso in honorem τ̃ Κορυβάντων, vel Καβείρων agitabant. En Scholia Græca MSta *in Sophoclis Ajacem*: Ἐτελοῦντο δὲ ἐν μὲν Νύσῃ Διονυσιακά. ἐν δὲ τῇ Κνωσσῷ, τῇ ἐν Κρήτῃ, Κορυβαντικά. τ̃ Κορυβάντων τοῦ Διός. Οἳ ἦσαν Δαίμονες υἱοὶ τοῦ Διός. Ubi observa, quod οἱ Κορύβαντες, ab aliis etiam Κάβειροι dicti, fuerint Dæmones, & quidem filii Jovis. Suidas vero refert, eos fuisse Rheæ filios, & Jovis nutricios magistrosque, & numero decem aut novem. Suidæ verba ecce ista: Ἦσαν ϧ (Κορύβαντες) Διὸς ξεφεῖς; ϗ φύλακες. Τινὲς ϧ αὐτοὺς δέκα φασὶν, ἄλλοι ἐννέα. Ἦσαν ϧ τ̃ Ῥέας παῖδες· ϗ Κορύβας ὁ αὐτὸς τοῖς Κύρησιν, οἳ ἦσαν τ̃ Διὸς τροφεῖς, ϗ διδάσκαλοι, ϗ τ̃ Ῥέας παῖδες.

II. At ex Etymologici Auctore colligere est, Corybantes non fuisse Rheæ filios, sed saltem custodes, & Deos Tutelares, qui Jovem custodiebant, ne eum Saturnus arriperet devoraretque, veluti contigit filiis Rheæ. Verba Etymologici Magni ita habent: Κορύβαντες, Δαίμονές τινες οἱ ἐτάχθησαν φυλάσσειν τ̃ Δία, κρύβαντές τινες, ἀπὸ τ̃ κρύβειν τὸν Δία, ὅτε κατέπινεν ὁ Κρόνος τὰ ἀπὸ τ̃ Ῥέας τέκνα.

III. Idem Auctor tradit, numero quatuor fuisse; quorum nomina erant: Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος, Κάσμιλος. Verba ejus sunt ista: Κάβειροι, ὀνόματα Θεῶν τεσσάρων. Ἀξίερος. Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος, Κάσμιλος. Ἀξίερος μὲν ὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ. Ἀξιόκερσα, ἡ Περσεφόνη. Ἀξιόκερσος δὲ, ὁ Ἅδης· ϗ ὁ Κάσμιλος. Ita hic locus alias mutilatus restituitur, & reponitur vox Κάσματος, quæ excidit.

IV. Sunt qui asserunt, duos tantum fuisse, Jovem scil. & Bacchum. Idem Etymologici Auctor in *voce* Κάβειροι: Οἱ δὲ, δύο εἶναι τὺς Καβείρυς. Πρεσβύτερον μὲν, Δία· νεώτερον δὲ, Διόνυσον. Id est, *Alii vero dicunt, duos esse Cabiros: Seniorem quidem Jovem; Juniorem autem, Bacchum.*

V. Præterea quoque templum Cabiris exstructum erat, in quod nemini, nisi Sacerdoti, patebat accessus; quo tamen Cambysem ingressum, & simulacra illic multo risu cavillatum fuisse, ac deinde concremasse, testatur Herodotus lib. III. his verbis. Ἐσῆλθε δὲ ἐς τ̃ Καβείρων τὸ ἱρὸν, ἐς τὸ ὐ θεμιτόν ἐστι ἐσιέναι ἄλλόν γε ἢ τ̃ ἱρέα. ταῦτα δὲ τὰ ἀγάλματα ϗ ἐνέπρησε, πολλὰ κατασκώψας.

VI. Celebrant etiam Κάβειρια Thebani, teste Pausania in *Messenic.* Et nocturno tempore Samothraces, apud quos pueri in his sacris initiati, contra tempestates maris, aliaque pericula tuti credebantur esse. Vide Ciceronem lib. I. *de nat. Deorum*, Scholiasten Aristophanis *ad Pacem*, & Scholiasten Apollonii lib. I.

VII, Initiandos vero in solio collocare receptum erat, choreas circumagitantibus mystis; eaque res Θρονισμὸς, aut Θρόνωσις appellabatur, referente Dione Chrysostomo Orat. XII. & Hesychio, Lexicographo.

VIII. Initiati deinde ventrem fascia purpurea circumligaverunt, caputque τῷ θαλλῷ τ̃ ἐλαίας, id est, *oleæ germine* coronaverunt. Consule Interpretem Græcum Apollonii *loco supra citato*, & Proclum *in Platonem de Republ.*

IX. Qui cædem aliquam fecerat, ad hæc sacra perfugiebat, ut a sacerdote, qui Græce Κοίης sive Κόης nuncupabatur, expiaretur, teste Hesychio in *voce* Κοίης.

DECAS NONA.

FESTUM PRIMUM,

ΛΑΜΠΑΔΗΦΟΡΙΑ.

I. ΛΑΜΠΑΔΗΔΡΟΜΙΑ, vel Λαμπαδοῦχος ἀγὼν, item Λαμπαδηφορία, & Λαμπαδηφόρεια, festum, & certamen, quod Athenienses quotannis in Ceramico extra urbem circa noctem in honorem Minervæ, Vulcanique, & Promethei agitabant. Scholiastes Aristophanis *ad Ranas*: Λαμπαδεδρομίαι γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ Ἀθlωᾶς, Ἡφαίςυ, Προμηθέως. Quæ totidem quoque verbis Etymologici Auctor in *voce* Κεραμικός. Confer & Suidam in Κεραμεικός.

II. In hoc certamine Cursores, Λαμπαδηφόροι, seu Πυρσοφόροι dicti, accensis facibus currebant, ut videre est ex verbis Hesychii in *voce* Πυρσοφόρειος:

quæ ita habent: Σημαίνει (πυρσοφόρος) δὲ τὸ λαμπαδηφόρον.

III. Fuerunt vero tria certaminum genera, in quibus moris erat Λαμπαδηφορεῖν, id est, *lampades* vel *faces ferre*; nempe, Παναθήναια, Ἡφαίστεια, & Προμήθεια. Suidas in Λαμπάδος: Τρεῖς ἄγουσιν ἑορτὰς Ἀθηναῖοι λαμπάδος. Παναθηναίοις, Ἡφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. Eadem etiam verba habes apud Harpocrationem in Λαμπάς. Vide & Interpretem Græcum Aristophanis *loco citato*.

IV. Peragebantur autem illa certamina in Ceramico extra urbem, ceu diximus, ibidemque turris quædam alta erat, ex qua certaturis accensæ lampades dato signo demittebantur. Suidas in Κεραμεικὸς de hac re ita scribit: Κεραμεικὸς, τόπος τῆς Ἀττικῆς ὑψηλὸς, ὅπου ἐπετέλουν οἱ Ἀθηναῖοι κατ᾽ ἔτος λαμπαδοῦχον ἀγῶνα. ὑπάρχειν δὲ ἐκεῖσε ὑψηλὸν πύργον ἐφ᾽ ὃν συμβουλεύει αὐτὸν ἀναβαίνειν, θεωρεῖν τὴν λαμπάδα, καὶ ὅταν ἀφεθῶσιν, ἀφεῖναι αὐτὸν κάτω. Eadem fere verba habet Etymologus Magnus in Κεραμεικός. Confer & sæpe laudatum Scholiographum Aristophanis *citato loco*.

V. Incipiebant vero οἱ Πυρσοφόροι cursum suum lampadarium a Promethei ara, quæ in Academia erat, & in urbem currebant; ceu nos docet Pausanias in *Atticis*, ubi sic inquit: Ἐν Ἀκαδημίᾳ δὲ, ἐστὶ Προμηθέως βωμός· & θέουσιν ἀπ᾽ αὐτοῦ, ἐς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας.

VI. Præterea inter currendum alter alteri facem accensam, quæ exinde ab Aristotele lib. v. cap. IV. *Physic.* ἡ λαμπὰς ἐκ διαδοχῆς dicitur, tradebat; &, apud quem fax extinguebatur, ille victoria excidebat. Vide Psellum in *Phys. Aristotelis citato jam loco*. & Interpretem veterem Persii *ad Satyr.* VI.

VII. Puto ab hoc certamine lampadario originem traxisse lusum istum, quem nos Germani interdum ludimus, cum alter alteri lignum exiguum candens tradendo dicit:

Stirbt der Fuchss, so gielts dem Balg
Lebt er lang, so vvird er alt.

Nam in hoc lusu similiter is, cui lignum candens, seu faculam ardentem extingui contingit, victoria excidit, proximoque suo aut osculum dare, aut pignus aliquod exhibere tenetur.

VIII. Cum vero, ne nimio cursu facem extinguerent, tardius segniusque aliquando cucurrerint, propterea sese mutuo, movendi risus causa planis feriebant manibus, quæ verbera inde Κεραμεικαὶ πληγαὶ appellabantur, teste Hesychio. Imprimis autem verberabant ventrem, latera, ilia & nates, ut videre est apud Aristophanem in *Ranis*, & ejus *ad illum locum* Scholiasten.

IX. Victor, dictus Λαμπαδηφόρος, teste Hesychio, ille erat, qui facem ardentem ad destinatam pertulerat metam. Cui autem fax extincta fuerat, ille cum infamia a cursu cessans victoriam successori concedebat; eadem ratione ille tertio: quod si vero nulli ardentem facem ad destinatum locum perferre contigerit, in medio palma relinquebatur. Confer hac de re Pausaniam in *Atticis* differentem.

X. Præsides hujus certaminis erant ὁ Βασιλεὺς sic dictus, & οἱ Ἐπιμεληταί. Videsis Jul. Polluc. *Onomast.* lib. VIII. cap. IX.

XI. Moris etiam erat apud Græcos, in nuptiis Λαμπαδηφορεῖν, id est, *faces ferre*; ut commemorat Etymologici Autor in *voce* Δαὴρ, ubi ait: Ἐν τοῖς γάμοις ἔθος ἐστὶ λαμπαδηφορεῖν.

XII. Vulcanum autem in nuptiis Δᾳδοῦχος, sive Λαμπαδηφόρος, id est, *Facifer* esse credebatur; sicuti Euripides in *Troadib.* his indicat verbis: Ἥφαιστε δᾳδαχεῖς μὲν ἐν γάμοις βροτῶν.

A

FEST. II.

ΠΡΟΜΗΘΕΙΑ.

I. ΠΡΟΜΗΘΕΙΑ, Festum, quod Græci Prometheo celebrabant, autore Xenoph. *de Rep. Athen.* In hoc festo erat quoque Λαμπαδηδρομία, id est, *cursus lampadarius*. Etymologus Magnus in Κεραμεικός: Γίνονται δὲ τρεῖς λαμπαδηδρομίαι ἐν Κεραμεικῷ, Ἀθηνᾶς, Ἡφαίστου, Προμηθέως. Consule etiam Suidam in Λαμπάδος, Scholiasten Comici *ad Ranas*, & Harpocrationem in Λαμπάς. Atque hinc Prometheus δᾳδοῦχος ab Apollonio Atheniensi apud Philostratum dicitur.

B

II. Colebatur autem Prometheus in Academia, ubi ejus simulacrum, & fanum, araque erat, ut testantur Sophoclis Interpres *Oed. Col* & Pausanias in *Atticis*.

FEST. III.

ΛΑΜΠΤΗΡΙΑ.

I. ΛΑΜΠΤΗΡΙΑ, Sacra erant, quæ Pellenenses in Achaja in Bacchi τοῦ Λαμπτῆρος honorem agitabant. In his sacris nocturnis temporibus solebant faces in templum inferre, vinique crateres per universam urbem disponere, referente Pausania in *Achaic.*

C

FEST. IV.

ΗΦΑΙΣΤΕΙΑ.

I. ΗΦΑΙΣΤΕΙΑ, Latine VULCANALIA, Vulcano erant sacra, in quibus etiam certamen erat lampadarium. Adi *Lampadephoria*.

D

FEST. V.

ΝΟΥΜΗΝΙΑ.

I. ΝΟΥΜΗΝΙΑ. & ΝΟΥΜΗΝΙΑ, inter ΝΕΟΜΗΝΙΑ, Dierum festorum erat sacratissimus; quem Græci omnibus Diis celebrabant; nonnulli tamen Apollini, quod lucis auctor esset, privatim tribuebant; hinc Νεομήνιος cognominatus. Videsis Didymum, Interpretem Græcum Homeri *ad Odyss.* Υ'. Plutarchum *de ære alieno vitando*, & Suidam.

E

II Est & Νουμηνία, sive Νεομηνία, *novilunium, prima dies lunæ*, sive *mensis*. Hesychius: Νεομηνία, ἡ πρώτη τῆς σελήνης ἡμέρα. Et Suidas in Νουμηνία: Νουμηνία, ἡ τοῦ μηνὸς ἀρχή. In hoc die, quod obiter observandum est, servi vendebantur, & duces designabantur apud Athenienses. Idem Suidas in Νουμηνία: Ἐν τῇ Νουμηνίᾳ δὲ οἱ δοῦλοι ἐπωλοῦντο, καὶ οἱ στρατηγοὶ ἐχειροτονοῦντο παρ᾽ Ἀθηναίοις.

III. Ascendere tunc in arcem, ibidemque vota sacraque facere solebant, ut toto illo mense faustum bonumque esset urbi. Consule Demosthenem Orat. I. *in Aristogitonem*, Suidam, & Etymologum Magnum in Ἐπιμήνια, & Libanium *Orat.* VIII.

F

IV. Sacra illa, quæ tum faciebant, Ἐπιμήνια dicebantur. Harpocration, Ἐπιμήνια, τὰ καθ᾽ ἕκαστον μῆνα θυόμενα. Quæ totidem verbis repræsentant Suidas & Etymologici Auctor in Ἐπιμήνια. Et Sacrificuli, Ἐπιμήνιοι, & Ἀγρεμόνες appellabantur. Vide Hesychium in Ἐπιμήνιοι, & Ἀγρεμόνα.

V. Sacrificium autem illud, erat ex melle præparata placenta, quam in hoc festo serpenti τῷ Οἰκουρῷ,

quod in arce in Erechthei fano simulacrum Minervæ τῆς Πολιάδος custodivisse crederetur, offerebant. Consule Hesychium in Οἰκουρὸν Ὄφιν. Herodotum lib. VIII. & Plutarch. in *Themistocle*.

VI. Panes etiam tunc, qui Νουμήνιοι nuncupabantur, coquebant, teste Luciano in *Lexiphane*; & egeni ab opulentis dona accipiebant, Vide Herodotum in *Vita Homeri*. Hoc festum celebrare appellabant Νουμηνιάζειν; illi vero, qui istud celebrabant, dicebantur Νουμηνιασταί. Adi Athenæum lib. XII. Mulieres se quoque in his sacris lavare solebant, teste Libanio, *Orat.* XXXVII.

FEST. VI.

ΘΕΟΞΕΝΙΑ.

I. ΘΕΟΞΕΝΙΑ, Festum, ut nonnulli volunt, a Castore & Polluce in omnium Deorum honorem institutum. Mentionem ejus facit Hesyc. Θεοξένια, inquit, κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς Θεοῖς.

II. Potissimum autem hæc sacra Athenienses peragebant. Nam hanc etiam condiderunt legem, ut Θεοὶ ξένοι, id est, *Dii peregrini* colerentur. Hesychius: Θεοὶ ξενικοὶ παρὰ Ἀθηναίοις τιμῶνται, ὡς καταλέγει Ἀπολλωφάνης ἐν Κρησίν. Hinc ara illa Ἀγνώστου Θεοῦ, id est, *Ignoti Dei*, cujus D. Lucas *Actor. c.* XVII. *v.* 23. meminit his verbis: Εὗρον καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο· Ἀγνώστῳ Θεῷ.

III. Pausanias tamen tradit, Pellenenses in Achaja Θεοξένια Apollini τῷ Θεοξενίῳ agitasse. Verba ejus in *Achaicis* sunt hæc: Ἔστι καὶ Ἀπόλλωνος Θεοξενίου Πελληνεῦσιν ἱερόν· τὸ δὲ ἄγαλμα χαλκοῦ πεποίηται, καὶ ἀγῶνα ἐπιτελοῦσι Θεοξένια τῷ Ἀπόλλωνι.

IV. Scholiastes vero Pindari *ad Od.* IX. *Olymp.* refert, Pellenenses hæc sacra Apollini & Mercurio celebrasse. Verba Græca hujus Scholiastæ sunt isthæc: Ἄγεται καὶ Ἀπόλλωνος ἑορτή, Θεοξένια καλουμένη.

V. Qui in his Theoxeniis victor erat, præmii loco ferebat chlænam vestem. Scholiographus Pindari *ad Od.* XIII. hac de re ita: Ἡ Πελλήνη τῆς Ἀχαΐας πόλις, ὅπου τὰ Θεοξένια, (ita legendum, non φιλοξένια) καὶ αἱ χλαῖναι δίδονται. Et Idem *ibidem* rursus ait: Ἡ Πελλήνη, πόλις δὲ ἦν αὕτη τῆς Ἀχαΐας, ἔνθα ἐτελεῖτο τὰ Θεοξένια, καὶ τὰ Ἕρμαια. Τὸ δὲ ἆθλον ἦν χλαῖνα. At Pausanias *loco citato* refert, præmium victoriæ fuisse ἀργύριον; id est, *argentum*. Verba ejus sunt hæc: Τιθέντες ἀργύριον ἆθλα τῆς νίκης.

FEST. VII.

ΕΣΤΙΑΙΑ.

I. ΕΣΤΙΑΙΑ, Latine VESTALIA, Sacra erant *Vestæ*, in quibus ei primitias sacrificabant. Vide Hesychium in *Lexico*; item Diogenianum, & Apostolium in *Proverb.*

II. In his sacris, ex Vestæ sacrificiis, quæ Ἑστίαι dicebantur, nec quicquam alteri dare, neque efferre licebat; ut tradit Hesychius: Ἑστίαι, θυόμεναι ἦσάν τινες θυσίαι, ἀφ᾽ ὧν οὐκ οἷόν τε ἦν μεταδοῦναι, ἢ ἐξενεγκεῖν.

FEST. VIII.

ΕΦΕΣΕΙΑ.

I. ΕΦΕΣΕΙΑ, vel ΕΦΕΣΙΑ, Festum in honorem Dianæ apud Ephesios a viris, & virginibus summa cum hilaritate, & temulentia, pleno per totam noctem foro celebratum

Mulieribus autem ingenuis ad hujus Deæ templum accedere non permissum erat: Si quæ ingrederetur, illa crimen morte luebat; Ancillis vero dominum apud hanc Deam accusare volentibus aditus patebat; testibus Pausania in *Messeniacis*, & Achille Tatio, lib. VI. & VII.

II. Porro in nemore, quod retro templum, antrum erat, ad quod virginibus tantum aditus patebat, exclusis mulieribus; ut Achilles Tatius refert lib. VIII.

III. Illi, qui sacra hæc curabant, Ἐσσῆνες nuncupabantur. Pausanias in *Arcadicis*.

IV. Qui vero sacris illis præerant, Ἀκροβάται dicebantur. Hesychius in *Lexico suo*.

FEST. XI.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ.

I. ΗΡΑΚΛΕΙΑ, Festum in Herculis honorem a variis Græciæ populis, nempe ab Atheniensibus, Diomensibus, & Melitensibus in Attica, Thisbitis in Bœotia, Thebanis, Sicyoniis, Ambraciotis, Lindiis, & Cois, actum.

II. Athenienses singulis agitabant quinquenniis; ut videre est apud Jul. Pollucem *Onomast.* lib. VIII cap. IX.

III. Celebrabant etiam hæc sacra Diomenses, Atticæ populus; id quod nos docet Aristophanes in *Ranis*. Illic enim Herculi templum exstructum fuisse, refert Athenæus lib. VI.

IV. Præterea quoque festivitas hæc in Attica a Melitensibus, apud quos Hercules Ἀλεξίκακος, &, quia sacra pomis ei facta, Μήλων cognominatus, religiose observabatur. Vide Hesychium in *Lexico*.

V. Agitabant etiam, (teste Pausania in *Bœoticis*,) Thisbitæ in Bœotia; & Thebani, qui Ἰολάϊα etiam illud festum nominabant; ut auctor est Scholiastes Pindari *Olymp. Od.* VII. Ritus autem hujus festi apud Thebanos commemorat prolixis verbis Pollux lib. I. cap. I. *Onomast.*

VI. Eo etiam festo Thebanorum post Sacrificium duplex agebatur certamen. Prima die erat certamen πένταθλος & *sequestre*, Posteriore vero, Gymnicum. Glossographus Pindari *Isthm.* ita: Μετὰ θυσίαν ταῖς ἑξῆς ἡμέραις δύο ὁ ἀγὼν τῶν Ἡρακλείων συντελεῖται. Τῇ μὲν προτέρᾳ πένταθλος καὶ ἱππικός. Τῇ δὲ ἐρχομένῃ, γυμνικός.

VII. Qui in hoc duplice certamine victor evaserat, corona myrtea, quæ mortuorum erat corona, exornabatur. Idem Interpres ibidem: Ἐν ᾧ ἀγῶνι στεφανωθεὶς τοῖς μύρτοις ὁ νικηφόρος, διπλῆν νίκην ἔχει. Et mox ait: Μυρσίνης στεφάνοις ἐν Θήβαις στεφανοῦνται οἱ νικῶντες τὰ Ἰόλεια. Μυρσίνῃ γὰρ στεφανοῦνται διὰ τὸ εἶναι τῶν νεκρῶν στέφος.

VIII. Erat etiam in hoc certamine victoriæ præmium τρίπους χαλκοῦς, id est, *tripus æreus*, ut idem Scholiastes *Olymp.* tradit: Τὰ Ἡράκλεια, καὶ Ἰολάεια ἐτελεῖτο ἐν ταῖς Θήβαις. Ἐδίδοτο δὲ τῷ νικήσαντι τρίπους χαλκοῦς.

IX. Porro Stadium, seu Gymnasium, Ἰολάειον dictum, in quo tunc certabant, erigebatur juxta Amphitryonis, Herculis patris, monumentum, & Cenotaphium Iolai; ipsius enim verum monumentum erat in insula Sardinia; ceu idem Hypomnematistes *Nemeor.* refert, cum inquit: Διὸ αὐτὸ τὸ στάδιον καὶ γυμνάσιον εἶναι Ἰολάειον. Et rursus ibidem: Τὸν ἀγῶνα οὖν τῶν Ἡρακλείων φησὶν ἐν τῷ τοῦ Ἰολάου γυμνασίῳ διακεῖσθαι παρὰ τὸ τοῦ Ἀμφιτρύωνος μνῆμα. Ἔνθα φησὶ καὶ τὸν Ἰόλαον κεκενοταφῆσθαι. Τὸ γὰρ κατ᾽ ἀλήθειαν αὐτοῦ μνῆμα, ἐν Σαρδοῖ εἶναι.

X. In

X. In his quoque Sacris Thebani ſepulchum Amphitryonis coronis ex variis floribus contextis condecorarunt in gratiam honoremque urbis Æginæ. Erant enim Ægina & Thebæ ſorores. Idem Scholiographus *loco citato*: Τὴν ἐν ταῖς Θήβαις τῶν Ἰολαείων καλουμένην. Διότι δὴ παρὰ τὸν τοῦ Ἀμφιτρύωνος τάφον οἱ Θηβαῖοι σὺν πολλῇ προθυμίᾳ καὶ βουλήσει τοῖς τῶν στεφάνων ἄνθεσιν ἐκόσμουν, εἰς χάριν καὶ τιμὴν τῆς Αἰγίνης. Αἴγινα γὰρ καὶ Θῆβαι ἀδελφαί.

XI. Sicyonii biduo celebrabant, & primum diem Ὀνομάταν, poſteriorem Ἡράκλειαν nominabant; teſte Pauſania in *Corinthiacis*.

XII. Etiam Lindii per maledicta & exſecrationes agitabant, eaque pro violatis habebant, ſi quando inter ſolemnes ritus, vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum, referente Lactantio lib. I. cap. XIX.

XIII. Celebrabatur quoque hoc feſtum apud Coos, ubi Sacerdos, qui ſacra faciebat, mitra erat coronatus, veſteque muliebri indutus; autore Plutarcho in *Quæſt. Græc.*

FEST. X.

ΕΦΗΒΙΑ.

I. ΕΦΗΒΙΑ, dies feſtus, quo Athenienſium, &, propter Hippocratis honorem, Coorum quoque filii ingenui, cum annum ætatis decimum ſextum implevifſent, in Ephebos

A referebantur, laurusque tunc bifida & coronata, Κορυθάλη, vel Κορυθαλία appellata, præ foribus ædium ſtatuebatur. Vide Etymologici Auctorem, & Heſychium in Κορυθαλία.

II. Porro libationem ex menſura vini factam, Οἰνιστηρίαν dictam, Herculi offerebant, cujus partem reliquam ebibendam illis dabant, qui in unum conveniebant; comam item tondebant; quam Delphos euntes Apollini dedicabant; teſtibus Athenæo lib. XI. Plutarcho in *Vita Theſei*, & Heſychio in Οἰνιστηρία.

III. Illi autem jam inter Ephebos adſciti, appellabantur Ἐφηβδεύειν, ut Heſychius *loco jam citato* his innuit verbis; Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβδεύειν. B

IV. Habebant quoque οἱ ἐφηβεύοντες proprium Gymnaſium, in quo exercebantur, illudque Ἐφηβεῖον nuncupabant. Videantur Vitruvius lib. V. cap. XI. & Theophraſtus in *Ethic. Charact.* περὶ ἀρεσκείας.

V. Hujus Gymnaſii præfectus, qui in annum conſtituebatur, appellabatur Ἐφήβαρχος. Arrianus *in Epictet.*

VI. Ephebis etiam iſtis famulus, Παιδικέωρ dictus, erat; & theatrum, quod Ἐφηβικὸν nominabatur, e quo Ephebi ſpectabant, docente Heſychio in *ſuo Lexico*. C

VII. Hæc autem Ephebia annum duraſſe unum, nullique eo tempore peregre ire licuiſſe, tradit Artemidorus *Onirocrit.* lib. I. cap. LVI.

DECAS DECIMA.

FESTUM PRIMUM,

ΣΙΚΕΛΩΝ ΕΟΡΤΗ.

I. ΣΙΚΕΛΩΝ ΕΟΡΤΗ, Feſtum erat apud Siculos, ubi & certamen inſtituebatur, in quo Ephebi ſcillis ſe verberabant; victores præmium a Gymnaſiarchis taurum auferebant, teſte Schol. Theocriti *ad Idyll.* VII.

FEST. II.

ΕΞΙΤΗΡΙΑ.

I. ΕΞΙΤΗΡΙΑ, Sacra erant apud Græcos, in quibus duces, qui aliqua religione tenebantur, copias educturi, atque ita bellum ſuſcepturi pro exercitus ſalute vota nuncupabant, Deoſque invocabant pro felici ad militandum & pugnandum ſucceſſu; teſte Plutarcho περὶ Δεισιδαιμονίας. Et Scholiaſtes Euripidis *in Oreſten* ait: Εἰώθασιν οἱ βασιλεῖς εἰς πόλεμον μέλλοντες ἐξιέναι, θύειν τοῖς θεοῖς, id eſt, *Reges profecturi in bellum, conſueverunt antea ſacra facere*. E

II. Hæc autem vota Ἐξιτηρίους, ſive Ἐφοδίους εὐχὰς appellabant; Sic enim Etymologici auctor: Ἐξιτηρίους εὐχὰς, Ἐφοδίους, τοῖς πρὸς ἔξοδον ἔχουσιν, ἢ πρὸς θάνατον, id eſt, Ἐξιτηρίους εὐχὰς appellant *Preces quæ fiunt ab iis, qui ad aliquam expeditionem exeunt & proficiſcuntur, aut ad mortem*. Eadem fere verba habet etiam Suidas. Hæc ſacra ſeu vota ante bellum vocabantur etiam ab Euripide σφάγια πρὸ δορός.

III. Sacrificabant etiam in hoc feſto, idque θύειν τὰ ἐξιτήρια nuncupabant, Suidas hac de re ſic ait: Ἐξιτήρια καὶ ἐξαγγέλια κατὰ Ῥωμαίους,

D τὰ ὑπὲρ τῆς ἐξόδου παρεχόμενα, id eſt, Ἐξιτήρια *ſecundum Romanos ſunt ea, quæ propter expeditionem, militibus ex patria ad militiam exeuntibus præbentur*. Ubi obiter nota ἐξαγγέλια proprie Sacra fuiſſe, quæ Legati olim faciebant.

IV. Sed Ἐξιτήρια non duntaxat denotant vota & ſacra, quæ duces olim pro militum ſalute, antequam ad bellum exirent, faciebant; verum etiam vota ſacraque, quæ privati homines aliquo iter capeſſentes & peregre euntes nuncupabant; ut ſatis conſtat ex citatis Suidæ, & Etymologi Magni verbis.

FEST. III.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ.

I. ΕΠΙΝΙΚΙΑ, quæ & Ἐκβατήρια, & apud Plutarchum ἐπινίκιος ἑορτὴ, Feſtum erat, quod poſt victoriam partam agebant. Sacra tunc quoque faciebant, idque τὰ ἐπινίκια θύειν nominabant. Dionyſius Halicarnaſſeus *Rom. Antiquit.* libr. III.

II. Convivium tunc etiam ſumma cum lætitia agitabant, referente Polyæno lib. V. Et hoc τὰ ἐπινίκια ἑστιᾶν appellabant, ut teſtatur Demoſthenes. F

II. Sacrificia autem, quæ hoc feſto offerebantur, θυσίαι ἐπινίκιοι dicebantur, autore Heliodoro lib. IX. Et choreæ quoque agitabantur; pæaneſque cantabantur, uti docet Euſtathius lib. X. *de Amoribus Iſmeniæ*.

FEST. IV.

ΝΕΜΕΣΕΙΑ.

I. NEMESIS Dea justitiæ esse credebatur, suum cuique tribuens; inde ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως, id est, *quod cuique suum*, sive sit bonum, sive malum, distribuat, dicta, teste Aristotele lib. *de mundo*. In hujus Deæ honorem celebrabant olim τὰ Νεμέσεια, in quibus vita defunctis justa solvebant; nam Νέμεσιν mortuis esse præpositam, & vita functis æqua meritis præmia rependi statuebant. Suidas, de hoc festo ita scribit: Νεμέσεια, ἑορτή τις Νεμέσεως, καθ᾽ ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα. Νεμέσεια οὖν, ἡ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς γινομένη πανήγυρις, ἐπεὶ ἡ Νέμεσις ἐπὶ τῶν νεκρῶν τέτακται. Eadem quoque verba sunt apud Harpocrationem.

FEST. V.

ΔΙΑΜΑΣΤΙΓΩΣΙΣ.

I. ΔΙΑΜΑΣΤΙΓΩΣΙΣ, Latine FLAGELLATIO, Festum erat, quod a Spartanis Dianæ quotannis agitabatur. In hoc adolescentes Spartani *nobiles* ante aram Dianæ τῆς Ὀρθίας, adstantibus parentibus & propinquis adhortantibusque, ut perseverent, & patienter fortiterque hocce certamen sustineant, mutuo sese flagellabant per totum diem. Unde & nomen accepit παρὰ τὸ διαμαστιγοῦν, *a flagellando*. Plutarchus in *Lacon. Institut.* & Tertullianus *ad Martyres*, c. IV.

II. Certabant autem non solum adolescentes nobiles, sed & servi; quique victor evasisset præmium ab Athlothetis coronam habebat; ut Auctor est Themistius in *Oration.* quæ Βασανιστὴς, aut φιλόσοφος inscribitur.

III. Aram illam, ad quam hæc διαμαστίγωσις peragebatur, sanguine perfundebant. Hinc est, quod Gregorius Nazianzenus *Orat.* εἰς τὰ ἅγια φῶτα, *sanguinem ad hanc aram fusum*, ἐπιβώμιον αἷμα appellabat. Illi autem, qui certabant ad aram, vocabantur Βωμονῖκαι, teste Lutatio *ad Theb.* IX.

IV. Certarunt vero hi adolescentes in hunc finem, ut virtutis suæ militaris, magnitudinisque animi specimen exhiberent, & vulneribus perferendis seipsos assuefacerent, vulneraque in bellis accepta contemnerent; autore Niceta in *Commentario in Orationem jam citatam Nazianzeni*.

V. Cum autem ita sese mutuo flagellassent, ἱέρεια, id est, *sacerdos*, quæ his sacris præerat, simulacrum Dianæ præferebat, flagellantesque, si Epheborum formæ & nobilitati pepercissent, accusabat. Vide hac de re plura apud Pausaniam in *Laconicis*.

VI. Quamvis autem hi pueri acerrime flagris cæderentur, adeo, ut multus in aram Dianæ Orthiæ defluxerit sanguis, non tamen exclamabant, neque etiam ingemiscebant. Cicero *Tuscul.* v. *Pueri Spartiatæ non ingemiscunt verberum dolore laniati*.

VII. Porro malebant in certamine isto in conspectu suorum parentum & consanguineorum, minantium, si verberibus cessissent, cadere, quam turpiter cedere. Consule verba Luciani *de Gymn.* huc pertinentia.

VIII. Qui autem ceciderant, publico splendidoque funere, & capite coronato efferebantur, teste Statio *Theb.* IV. Ipsisque insuper honoris ergo statuæ erigebantur, testibus Luciano *de Gymn.* & Eunapio in *Juliano*.

FEST. VI.

ΔΙΑΣΙΑ.

I. ΔΙΑ´ΣΙΑ, vel ΔΙΑΣΙ´Α, JOVIALIA, Sacra erant, quæ in Jovis honorem Athenis die XIX. mensis Munychionis, ubi pompa in equis ducebatur, agebantur. Meminit istorum sacrorum Aristophanes in *Nebul.* ubi ait: Ἀπεχθῶς ἔπαθον περί ποτε Διασίοις: etymologicographus ita: Διάσια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη Ἀθήνησι τῷ Διΐ. Videsis quoque Plutarchum in *Phocione*.

II. Emebantur tunc liberis a parentibus munuscula, ceu patet ex verbis Aristophanis *loco citato*, ubi verba sic habent;

Ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικὸν,
Τούτου πριάμην σοι Διασίοις ἁμαξίδα.

FEST. VIII.

ΕΛΕΝΙΑ.

I. ΕΛΕΝΙΑ, Festum apud Lacedæmonios honori Helenæ agitatum. Vide Hesychium in *suo Lexico*.

II. Hanc heroinam colebant tunc in proprio templo juxta Sebrium vicum, prope sepulchrum Alcmanis, teste Pausania in *Laconicis*. Sed hanc festivitatem virgines, quæ mulo, aut curru storea tecto, Græce κάναθρα, vehebantur, agitabant, pompamque in templum Helenæ deducebant. Hesychius in κάναθρα.

FEST. VIII.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ.

I. ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ, erant solemnia libertatis, quæ a Platæensibus in Bœotia singulis primum quinquenniis in honorem Jovis τοῦ Ἐλευθερίου in quibus etiam fiebat ἀγὼν γυμνικὸς στεφανίτης, id est, *agon gymnicus coronarius*, & cursus armatus, maximis propositis præmiis, celebrabantur; testibus Schol. Pind. *Olymp.* Od. VII. Strabone lib. IX. ubi agit de Eleutheriis, & Pausania in *Bœotic*.

II. Paulo post iidem Platæenses singulis annis die XVI. mensis Mæmacterionis agebant, ubi prima luce pompam, quam antecedebat tubicen classicum canens, educebant, & plaustra myrto & coronamentis plena, una cum tauro nigro sequebantur. Pueri ingenui in amphoris vinum inferium & lac, hydrias item olei & unguenti plenas portabant. Illos omnes archon Platæensis punico sago amictus comitabatur, ac cum hydria & gladio, quem manu tenebat, per urbem mediam ad Heroum monumenta cum aliis abibat, ibique tauro immolato, Jovem & Mercurium τὸν Χθόνιον rogans, viros illos fortes, qui pro Græciæ libertate vitam finiverunt, ad cœnam invitabat, iisque craterem vino plenum propinabat. Hic nulli servo licitum erat ministrare. Hæc omnia Plutarchus in *Aristide* commemorat, quem vide. Consule etiam Etymologum Magnum in *voce* Ἐλεύθερος.

III. Festum hoc etiam servi libertate donati privatim agitabant. Eusthathius *de Ismen.* lib. X. Hinc Toxilus, servus ille jam manumissus, apud Plautum in *Persa* Act. I. Sc. I. lætabundus exclamabat:

Basilice agito Eleutheria.

FEST. IX.

ΕΛΛΩΤΙΑ.

I. ΕΛΛΩ'ΤΙΑ, & ΕΛΛΩΤΙ'Α, Festum, quod Cretenses in honorem Europæ, Agenoris Phœnicum regis filiæ, a Jove raptæ, celebrabant. Hesychius in Ἑ'λλωτία, & Etymologus Magnus.

II. Vehebant tunc solenni pompa cum Europæ ossibus viginti cubitorum amplitudine e myrto contextam coronam, quæ Ἑ'λλωτὶς dicebatur; ut Hesychius tradit in *Lexico*.

III. Sciendum vero est, τὰ Ἑ'λλώτια duplicia fuisse; hæc Cretenses, de quibus jam diximus; ista autem Corinthii Minervæ τῇ Ἑ'λλωτίδι agebant. Etymologici Auctor *in* Ἑ'λλωτίς. Huc imprimis faciunt verba Scholiastæ Pindari *ad Od.* XIII. *Olymp.* quæ hæc sunt; Ἑ'λλώτια, ἑορτὴ τῆς Ἀ'θηνᾶς ἐν Κορίνθῳ, ἐν ᾗ καὶ ὁ ἀγὼν τελεῖται ὁ καλούμενος λαμπαδοδρομικὸς, ἐν ᾧ ἔτρεχον νεανίαι, λαμπάδας κρατοῦντες. Id est, *Hellotia, festum Minervæ Corinthi, quo etiam certamen peragitur* λαμπαδοδρομικὸν *appellatum, in quo juvenes faces tenentes manibus, currebant.* Vide plura hac de re apud eundem auctorem *ibidem*.

FEST. X.

ΝΕΚΥΣΙΑ.

I. ΝΕΚΥΣΙΑ, Latine Funeralia, Parentalia, a νέκυς, id est, *mortuus*, derivata, Festum, quod Athenienses, Bithynii, aliique Græcorum populi in defunctorum honorem celebrabant, in quo ter ὀνομαστὶ defunctorum animas, qui in exilio, seu extra patriæ fines obierunt, vocabant, easque, ut ad convivium adscenderent, orabant. Didymus *ad Odiss.* ι. *Homeri* sic scribit; Ἀ'ρχαῖον ἔθος τῶν ἐπὶ ξένης ἀπολλυμένων τὰς ψυχὰς ἀνακαλεῖν τρίτον τοὺς περιλειφθέντας ἐπὰν ἐπίωσιν οἴκαδε. Confer etiam Eustathium *loco citato*.

Huc quoque respexit Theocritus *Idyll.* XIII. ubi sic de Hyla canit: Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, id est, *Ter Hylam vocavit*. Ad quem locum Scholiastes ita: ἐκ τρίτου μὲν ἐφώνησε τὸν Ὕλαν, id est, *Ter vocavit Hylam*. Consule quoque eadem de re Scholiasten Pindari *ad Od.* III. *Pyth.* pag. m. 205.

DECAS UNDECIMA.

FESTUM PRIMUM.

ΘΕΟΓΑΜΙΑ.

I. ΘΕΟΓΑΜΙΑ, Sacra erant, quæ in Proserpinæ honorem a Siculis agitabantur. Pollux *Onomast.* lib. I. cap. I.

II. Hoc festum etiam Athenis ritu nuptiarum celebrabatur, in quo puer aliquis ἀμφιθαλὴς Canistrum pane plenum Nuptæ præferens inclamabat: Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, id est, *Fugi malum, inveni melius*. Zenobius in *Proverbiis*: Ἐν τοῖς γάμοις ἔθος ἦν ἀμφιθαλῆ παῖδα ἀκάνθαις μετὰ δρυΐνων καρπῶν στέφεσθαι, καὶ λίκνον ἄρτων πλῆρες περιφέροντα, λέγειν. Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Id est, *In nuptiis fuit receptum, ut puer patrimus & matrimus spinis & quernis glandibus coronatus sportulam panibus refertam circumferens exclamaret: Effugi malum, inveni melius*. Vide & Apostolium eadem de re in *Parœmiis*.

FEST. II.

ΧΑΛΚΕΙΑ.

I. ΧΑΛΚΕΪ'Α, vel ΧΑ'ΛΚΕΙΑ, Festum perantiquum & publicum Athenis, quod initio ab universo populo, maxime vero ab artificibus manuariis in honorem Vulcani, vel, ut Apollonius Acharnensis vult, Minervæ, XXX. die mensis Pyanepsionis celebrabatur. Harpocration in *suo Lexico in* X. *Rhetores*, & Suidas in Χαλκεῖα.

II. Ubi nota Ἀ'θήναια hoc festum appellatum fuisse, quia in Minervæ honorem agitabatur: πάνδημον vero, quia omnium artificum manuariorum commune erat, teste Suida.

III. Hæc autem sacra postea a solis fabris Vulcano celebrabantur; quoniam ille in Attica τὴν χαλκευτικὴν, id est, *artem fabrilem* invenisse credebatur, ut idem Suidas in *voce* Χαλκεῖα docet.

FEST. III.

ΑΙΑΚΕΙΑ.

I. ΑΙΑΚΕΙΑ, Festum ab Æginetis in honorem Æaci, viri Græcorum pietate & religione præstantissimi, institutum. Scholiastes Pindari *Olymp. Od.* XII. Quin & certamen tunc Æaci peragebatur honori; ceu idem Scholiastes nobis refert, *Nemeor. Od.* V.

II. Qui in eo victor erat, coronam in delubro ejus consecrabat; teste Pindaro *loco jam citato*.

III. Templum vero Æaci in loco urbis illustrissimo erat exstructum, septumque habebat quadratum e lapide albo; sicuti Pausanias indicat in *Corinthiacis*. Hesychius in *suo Lexico* asserit, Athenienses quoque hoc festum celebrasse. Æacoque fanum consecrasse. Verba ejus ecce hæc: Αἰακόντιον Ἀ'θήνησι, καὶ τὸ Αἰακοῦ τέμενος.

FEST. IV.

ΑΝΑΚΛΗΤΗΡΙΑ.

I. ΑΝΑΚΚΗΤΗΡΙΑ, Festum, quod honori regis & principis, cum is rex princepsve crearetur, agitabatur. Dicitur autem hæc vox Ἀ'νακλητήρια, παρὰ τὸ ἀνακαλεῖν, id est, ab *inclamando*, seu *alta voce appellando*. Polybius *Histor.* lib. XVII.

FEST. V.

ΑΛΙΑ.

I. ΑΛΙΑ, (ab ἅλιος, Dorice, pro ἥλιος, *sol*) Festum, quo Rhodii olim Solem, quod illum apud se natum esse crederent, singulari &

A præcipuo profecuti funt cultu. Athenæus lib. XIII.

II. Celebrabatur hoc feftum die XXIV. menfis Gorpiæi, qui Athenienfium Boedromioni refpondet; Certamen in eo pueri, & viri peragebant; Victor qui evafiffet, ἄθλου loco coronam populeam auferebat. Enarrator Pindari *Olymp. Od.* VII.

FEST. VI.

ΑΙΑΝΤΙΑ.

B I. AIANTIA, Feftum Salaminiorum, quod Ajaci celebrabant. Hefychius Lexicographus.

II. Non tantum autem Salaminii, fed & Athenienfes Ajacem coluerunt, qui tribum ab ejus nomine *Αἰαντίδα* appellabant, nec non lectum ipfi omni armatura inftructum fternebant. Scholiaftes Pindari *Nem. Od.* II.

FEST. VII.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ.

C I. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ, Feftum, quod apud Sicyonios Apollini agitabatur, in quo pueri & puellæ feptem ad fluvium Sytham euntes Apollinem, ut & in Dianam Suadelæ templum duxerunt. Paufanias in *Corinthiacis*, ubi hac de re prolixe agit.

FEST. VIII.

ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ.

D I. ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ, Latine dicas *Floriferum*, Sacra erant apud Siculos, & Argivos, a Virginibus, quæ Ἀνθεσφόροι appellabantur, in honorem Proferpinæ, quam Pluto legendis floribus intentam rapuerat, celebrata; unde & nomen habent παρὰ τὰ ἄνθη, καὶ φέρειν, id eft, *a floribus colligendis* feu *ferendis*. Scribitur & Ἀνθοφόρια.

II. Dum autem virgines iftæ Ἀνθεσφόροι feftum id agitabant, accinebatur illis tibia carmen quoddam, Θερακιὸν μέλος nuncupatum; ut teftatur Jul. Pollux *Onomaft.* lib. XI. cap. X.

FEST. IX.

ΑΡΑΤΕΙΑ.

I. APATEIA, Fefti folemnitas, quam Sicyonii Arato τῷ σοφῷ πάντων, καὶ ςρατηγῷ ἀγαθῷ, id eft, *omnium fapienti, & Duci ftrenuo*, tefte Athenæo, agebant. Vide Plutarchum in *Vita Arati*.

II. Duo erant hujus fefti dies; unus qui erat quintus menfis Anthefterionis, quo Arato pro liberata urbe vota perfolvebant ipfique facrificabant: alter autem, quo natus eft. Utroque etiam die ipfi facra faciebant; quorum priora in perpetuam liberatæ civitatis recordationem Σωτήρια dicebant; illaque a Διὸς Σωτῆρος θυηπόλῳ, id eft, *Jovis Servatoris Sacerdote* acta. Pofteriora vero ab Arati myfta, qui fafciam non ex toto candidam, fed purpura intertextam geftabat. Carmina quoque ad citharam a fymphoniacis canebantur; Pompam item puerorum & adolefcentum gymnafiarcha ducebat, quem fenatus coronatus, reliquique cives pro lubitu fequebantur. Confer huc facientia verba Plutarchi in *Vita Arati*.

FEST. X.

ΔΗΛΙΑ.

I. ΔΗΛΙΑ, Feftum Apollini τῷ Δηλίῳ agitatum, tefte Theodoreto *Therapeut.* VII. Singulis autem quinquenniis celebratum fuiffe, docet Thucydides lib. III.

II. Curabant hæc facra οἱ Ἱεροποιοί, ut Pollux refert lib. II. cap. IX. *Onomaft.* Videfis etiam Etymologum Magnum in *voce* ἱεροποιοί.

DECAS DUODECIMA.

FESTUM PRIMUM.

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

E I. ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ, Latine LEGUMLATIO, Feftum ab Orpheo, vel fecundum alios, a Triptolemo, Athenienfium rege inftitutum, & ab Athenienfibus, aliifque Græcorum populis, Cereri agitatum; teftibus Demofthene, Diodoro Siculo, & Plutarcho.

II. In hoc fefto pleraque de Legum inventione agebantur; unde & ipfum nomen habet a θεσμὸς *lex* (fc. tefte Hefychio, νόμος θεῖος, *divina lex*,) & φέρω, *fero*. Ceres enim non duntaxat hominibus fruges, verum etiam prima dedit Leges. Hinc a Græcis ἡ θεσμοφόρος, a Latinis *Legifera* dicta fuit. Servius, Virgilii Commentator *ad lib.* IV. *Æneid.* hac de re ita: *Ceres Leges dicitur inveniffe; nam & facra Thefmophoria vocantur.*

F III. Inde in ejus rei memoriam Athenienfium mulieres libros legales capite geftabant, Eleufinenque, ubi facra hæc agebantur, fplendida pompa fupplicantes iter habebant. Gloffographus Theocriti *ad Idyll.* IV.

IV. Hæc enim facra a folis fœminis Athenienfium menfe Pyanepfione celebrabantur; viris autem, fervis & ancillis ad ea accedere non licebat; ut luculenter teftatur Ariftophanes in Θεσμοφοριαζούσαις.

V. In his facris non folum jejunabant, fed & a rebus Venereis abftinebant, teftibus Ariftophane in *Avibus*, & Ovidio lib. X. *Metamorph.* Dies ille in Thefmophoriis jejuniis tranfactus, dicebatur Νηστεία; tefte Athenæo lib. VII.

VI. Ut autem iftæ mulieres caftitatem pudicitiamque incorruptam fervarent, fibique faciliorem redderent continentiam, fubfternebant fibi in lecto falicis aut viticis folia, tefte Plinio lib. XXIV. cap. IX. Nam falix eft Ἀφροδισίων κώλυμα, docente Æliano *Hift. Animal.* lib. IX. cap. XXVI. Ufæ fuerunt etiam conyza, quæ vim habet perimendi feminis, & libidinis exftinguendæ. Schol. Theocriti *ad Idyll.* VII.

VII. Porro αἱ θεσμοφοριάζουσαι ab efu granorum mali punici abftinebant, ut tradit Clemens Alexandrinus in *Protrept*,

VIII. In hoc quoque festo pudenda muliebria mulieres illæ initiatæ honore divino afficiebant. Theodoretus lib. III. *Græcan. affection.* & Athenæus lib. XIV. refert, muliebria pudenda μυλλοὶ appellata, quæ sesamo & melle facta erant, ultimo die hujus festi apud Syracusanos, qui hæc sacra etiam observarunt, Cereri & Proserpinæ circumlata fuisse.

IX. Huic festo proprius erat Sacerdos, Στεφανηφόρος dictus, quia coronatus sacra obibat, ut patet ex vetere aliqua inscriptione. Locus vero, in quo αἱ θεσμοφοριάζουσαι in summa castitate publice alebantur Athenis, nuncupabatur θεσμοφορεῖον, sicuti Hesychius tradit in *suo Lexico*.

X. Quod autem attinet ad numerum dierum, quibus Thesmophoria agebantur, satis incertum autores ponunt. Hesychius, Lexicographus, quatuor statuit, sic enim scribit in Τρίτη Θεσμοφορίων. Ζητεῖται πῶς, ἅμα μὲν λέγει τρίτην Θεσμοφορίων εἶναι, ἅμα δὲ μέσην, τεττάρων ὄντων ἡμερῶν. Ovidius novem ponit; & Diogenes Laertius in *Vita Democriti*, tres.

XI. Thesmophoria etiam agitabant Eretrienses, in quibus peculiarem ritum servarunt, ut carnes, quas comedebant, non ad ignem, sed ad solem mulieres assarent; teste Plutarcho in *Quæst. Græc.*

FEST. II.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ.

I. ΔΗΜΗΤΡΙΑ, Dies festi, qui in Cereris honorem celebrabantur. Julius Pollux *Onomast.* lib. I. c. I. Hoc in festo verberant se flagello e cortice contexto, quod Μόροττον nuncupabant. Hesychius, Lexicographus. Fanum hujus Deæ dicebatur Δημήτρειον.

II. Erat quoque Δημήτρεια sacra honori Demetrii ab Atheniensibus die XXX. mensis Munychionis instituta; quemadmodum docet Diodorus Siculus lib. XX. In his sacris in proscenio Demetrius orbe terrarum vectus repræsentatus est. Athenæus lib. XII.

FEST. III.

ΕΦΙΠΠΟΣ.

I. ΕΦΙΠΠΟΣ, vel, ut Meursius legit, Ἔφιππος, dies fuit festus a Lacedæmoniis agitatus; in quo etiam certamen instituebatur. Hesychius in suo *Lexico*. Erat autem certamen, ut Suidas in ἐφίππιον tradit, equestre.

FEST. IV.

ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

I. ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ, Festum erat, in quo puellæ choreas ducentes canebant hunc in modum: ἴωμεν ἐς Ἀθήνας, id est, *eamus Athenas*. Plutarchus hac de re in *Quæst. Græc.*

FEST. V.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ.

I. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ, initio dicta Ἀθήναια, id est, *Minervalia*, Sacra erant, quæ Athenienses in Minervæ honorem celebrabant. Instituta fuerunt primum Athenis ab Erichthonio, Vulcani filio; deinde a Theseo, altero Athenarum conditore, universis Atticæ incolis ex diversis civitatibus in unam urbem coactis, restaurata, & ab omnibus communiter in memoriam illius συνοικήσεως agitata sunt. Vide Pausaniam in *Arcad.* Harpocrationem item, & Suidam.

II. Fuerunt autem Panathenæa duplicia: Majora, & Minora. Majora quidem singulis quinquenniis, die XXIII. mensis Ἑκατομβαιῶνος, Minora vero quotannis die XX. Thargelionis agebantur. Consule Scholiasten Aristophanis *in Nebul.* Suidam, & Harpocrationem. In his sacris pueros armatos, qui Græce Πυρριχισταὶ dicebantur, Πυρρίχην ὄρχησιν, id est, *armatam saltationem* saltasse, victorique certum aliquod præmium propositum fuisse; omnesque præterea, singulis urbibus coloniarum Athenas bovem ad sacrificia mittentibus, ob carnium abundantiam, ultra etiam satietatem & præter decorum edisse, docent Phavorinus in *Lexico*, Interpres Comici *loco citato*, & Suidas. Ne autem hæcce sacrificia essent sicca, utebantur poculis ligneis maximæ capacitatis, quæ ab Athenæo lib. XI. Παναθηναϊκὰ appellantur; Τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ μείζονα, id est, *quædam duos congios, aut etiam plures capiebant.*

III. In his quoque sacris magna cum pompa ἱερὸν πέπλον, id est, *sacrum peplum*, quod colore erat candido, clavisque interstinctum aureis, velum nempe navis Panathenaicæ, quinto quoque anno Minervæ apparatæ, per Ceramicum usque ad Cereris Eleusiniæ templum deferebant. In hoc peplo, seu velo, quod virgines nonnullæ Athenienses genere nobiles, ab Hesychio Ἐργαστῖναι dictæ, texebant, depictus erat Enceladus, Gigas a Minerva occisus, nec non nomina eorum, qui se strenue in bello gesserant. Hinc est, quod Aristophanes in *Equitibus* viros fortes, deque republ. bene meritos appellaverit ἀξίους τοῦ πέπλου, id est, *dignos peplo*. Videsis Scholiasten Aristophanis *ad Equites*; Item Suidam in *voce* Πέπλος, & Etymologum Magnum. Eadem hæc uberius tractat Joh. Meursius in libro singulari *de Panathenæis*.

FEST. VI.

ΜΥΣΙΑ.

I. ΜΥΣΙΑ, Festum apud Argivos in Cereris τῆς Μυσίας honorem per septem dies celebratum.

II. Tertio hujus festi die viri canesque masculi a fano arcebantur, mulieres intus relictæ, nocturno tempore sacra faciebant. Postridie reduces risu & dicteriis inter se certabant. Confer de hoc festo Pausan. in *Achaic.*

FEST. VII.

ΝΕΟΙΝΙΑ.

I. ΝΕΟΙΝΙΑ, Festum Bacchi, novi vini tempore celebratum. Vide Hesychium in *Lexico*, & Longum Sophistam lib. II. *de Pastoralibus*.

II. Simili modo veteres Romani Meditrinalia agebant; in quo festo primum novum vinum bibentes ominis ergo exclamabant: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.* Festus.

FEST. VIII.

ΔΕΛΦΙΝΙΑ.

I. ΔΕΛΦΙΝΙΑ, Festum Apollini τῷ Δελφινίῳ ab Æginetis mense Δελφινίῳ agitatum. Scholiographus Pindari *Olymp. Od.* VIII. & *Nem. Od.* V.

II. Erant & Δελφίνια certamen constans πεντάθλῳ, seu *quinquertio*, itidemque in honorem Apollinis ab Æginetis institutum, idem Scholiastes *Pyth.*

III. Colebatur vero Apollo ὁ Δελφίνιος non duntaxat apud Æginetas, verum etiam apud Athenienses, qui illi templum non longe a Jovis τοῦ Ὀλυμπίου exstruebant. Vide Pausaniam in *Atticis*.

A

FEST. IX.

ΒΙΣΒΑΙΑ.

I. BΙΣΒΑΙΑ, alias ΚΛΑΔΕΥΤΗΡΙΑ, Sacra erant, quæ Messapienses agitabant, cum vites putarent, ut videl. illud prospere succederet. Hesychius in *Lexico*.

FEST. X.

ΓΕΡΑΙΣΤΙΑ.

I. ΓΕΡΑΙΣΤΙΑ, Dies festus, quem omnes Geræstii Eubœæ in gloriam Neptuni, ob tempestatem illic obortam, agebant. Hypomnematistes Pindari *Olymp. Od.* XIII.

II. Fuisse etiam apud Geræstios celeberrimum Neptuni templum, autor est Strabo lib. X.

Δόξα τῷ Θεῷ.



PETRI CASTELLANI

GERARDIMONTENSIS

ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ,

SIVE

DE FESTIS GRÆCORUM

SYNTAGMA.

IN QUO PLURIMI ANTIQUITATIS RITUS ILLUSTRANTUR.

AMPLISSIMO VIRO

BALTHAZARO DE ROBIANO,

SUMMO PRINCIPALIS ÆRARII

P R Æ F E C T O

L. M. D. C. Q.

PETRUS CASTELLANUS.



Rimum meæ professionis specimen Tibi, Vir amplissime, merito debetur, qui primus in ea mihi favorem tuum ultro præstitisti. Nec tamen illud hostimentum esse cupio tuorum in me beneficiorum. Ejusmodi arrogantia condonetur amentiæ Appionis, quem Tiberius Cymbalum mundi vocabat, quique immortalitate donari a se putabat, ad quos aliqua componebat. Ego sat habeo si qualecumque grati animi testimonium publice extet, quo significem nihil affectui defuisse præter remunerandi facultatem. Si tamen Socratis exemplum non spernis, ego Æschinis munificentiam imitari audebo; & cum nihil dignum te, quod dare tibi possim, inveniam, quod unum habeo, me ipsum donare non recuso. Tale vero munus quam boni consule, nemo dubitabit, nisi qui humanitatem tuam ignorat; quæ in eo dignitatis fastigio sic eminet, ut quemquam latere nequeat. Muneris tui dignitas cum ad ostentandam authoritatem, atque ad explendam ambitionem sit accommodatissima, Te tamen communi Civium æqualitate non eximit, neque extra privatorum mores effert. Adeo nihil mutavit in Te fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, ut velles. Alium anxia supplicantium agmina, congressusque per ambitum parati delectant: fuere qui miseros inani spe lactarent, quo longam clientum seriem velut in pompam circumducerent. Tibi vero quanta semper lenitas, quanta humanitas! ut aliis affectata, Tibi ingenita videatur. Nunquam dura fandi tempora, facillimi semper accessus; & cum ingens multitudo negotiosorum quotidie limen tuum obsideat, omnibus unus satisfacis; & quod mirum magis, ita Te geris, ut neminem a sermone tuo tristem discedere patiaris. Sed neque Principi detrimento est tua in Cives charitas: Atque, ut ex Antonini Pii Scito, *Nihil sordidius, immo crudelius judicas, quam si rempublicam hi arrodant, qui nihil in eam suo labore conferant*; Ita omni studio contendis, ut æqua bene meritis præmia rependantur. Qua moderatione consecutus es, ut & summa P. P. gratia floreas & Civium amorem, atque benevolentiam promerearis: Ille Prudentiam, Fidem, Integritatem sequatur; Hi Benignitatem, Humanitatem, Comitatem admirentur. Et sane quid ille de te censeat, egregie declaravit, dum in componendis Aquisgranensium factionibus, uti industria tua voluit: Et quam Hi sibi gratulentur intelligere poteris, quoties tui fama frui voles. Tam insignes animi dotes, exemplo inter mortales raro, nec fortuna destituit. Ejus enim munera tibi ex Socratis voto contigerunt; & cum intus pulcher sis, exteriora sunt internis amica: opes autem habes, quantas ferre nemo nisi temperans queat. His adde Liberos, quales etiam eligere velles, nisi genuisses. Quid de Lanceloto nobis censendum sit,

jam Principis judicio definitum eſt,qui eum dignitate non vulgari auxit. BALTHAZARI ingenium ipſe proprius inſpexi, & tota mecum Academia, dum in celeberrimo graviſſimorum virorum cœtu ſingularis eruditionis ſpecimem exhibentem, ipſæ etiam ſcholæ obſtupeſcerent. Morum depravatio locum fecit proverbio,

Ἡρώων παῖδες κακ' ἐλέγχεα,
Heroum filii noxæ.

Sic enim pleriſque comparatum eſt, ut parentum gloria ſocordiam intendant, & ſecuri, fucorum inſtar, alienis ſubſidiis incubent, ſibi ignavi, ſuis graves: At tuus iſte, quaſi virtutem Patris adverſariam nactus, quo vulgus paſſim gloriatur, eo ſe onerari putavit, ſi vita degeneri exempla domeſtica macularet. Igitur ita ſe ſtudiis dedit, tanquam ſola ex illis ſpes eſſet. Quid in Philoſophia arduum, quod judicii conſtantia non ſuperarit? Quid in Theologia arcanum, quo perſpicacis ingenii acumine non penetrarit? Quamobrem ſi recte Menander,

Οὐκ ἔστι μείζων ἡδονὴ ταύτης πατρὶ,
Ἢ σωφρονοῦντα, καὶ φρονοῦντ' ἰδεῖν τινα
Τῶν ἐξ ἑαυτοῦ.
Non eſt major voluptas iſta Patri,
Quam modeſtum, & ſapientem videre quempiam
Ex ſe natorum.

Juſtas habes lætitiæ cauſas, in eo fortem Auguſti ſupergreſſus, quem familia omnibus probris contaminata proclamare coegit,

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

Verum

Tali tu felix nato; felicior ille
Te Patre.

Inter hæc nihil majus adprecari poſſum, quam ut DEUS OPT. MAX. vota noſtra reſpiciat, & te lætum atque fidentem & ſobole, & diſciplina domus, quam diutiſſime conſervet. Vale. Lovanii VII. Idus Septembres, CIↃ IↃ CXVII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



MICE LECTOR. Ex iis, quæ indiſtincte & promiſcue inter legendum annotavi, pauca in ordinem redegi, & hoc de FESTIS *opuſculum concinnavi. Sed non ea cura, quam hodie in iſto genere ſcriptorum homines Muſici deſiderant. Nam quæ duo ad perfecti operis laudem præcipue requiruntur, ea mihi in his defuiſſe profiteri non pudet, judicium, dico, & otium. Illud per ætatem; Hoc per alia ſtudia. Quippe ſucciſiva tantum, & ſubſecundaria tempora, quibus animus interſtitione graviorum curarum data laxari, indulgerique poteſt, ad luſtrandam juvenilium obſervationum ſylvam conferre fas mihi fuit. Quod ſi tantum hoc agere liceret, aut ſi fructus literarii laboris eſſet amplior, plura dare forſan, & elimatiora poſſem. At præſens labor ſubſiſtere debuit intra ea, quæ pæne puer obſervavi. quippe cum nova colligere non vacet, parti incumbendum fuit. Equidem ex quo animum ad Græcas literas primum appuli, ne totum in addiſcendis vocabulis tempus periret, optimorum Authorum lectioni me potiſſimum dedi, per quam, cum ipſius linguæ notitia, rerum quoque ſcientia augeretur. Itaque dum pro captu illius ætatis non paucos evolvo, atque excerpo, in molem*

opinione mea grandiorem, confuſanea adverſariorum farrago paullatim excrevit. Vere appello confuſaneam, in qua multa male ſcripta; plura, ut a Tyrone, non recte intellecta: quorum ſi nonnulla ſubrepſerint, ætati veniam dari peto. Equidem ſi tunc diligentiæ par judicium affuiſſet, nunc mihi totum illud antiquitatis Græcanicæ negotium explicatu facilius, atque depromptu foret. Jam vero Terentium illud uſu venit,

Non licet hominem eſſe ſæpe ita ut vult, ſi res non ſint.

Nam ut maxime velim, & poſſim quoque opus id excolere, non ita tempus eſt mihi, quod ad utilioris artis contemplationem me neceſſario vocat, etſi reſpectantem, & oculos ad eas literarum amœnitates per intervalla reflectentem. Cœpi igitur in vicem remiſſionis excutere ſchedas meas, & ex iis ſeligere, quæ ad illuſtrandam Athenienſium rempub. faciunt; jamque in ordinem qualemcumque nonnulla redegi, ut ex informi illa variarum lectionum maſſa, nunc quædam in ſpeciem corporis lineamenta videantur. Et quidem a ſacris initium feci; quorum partem non exiguam FESTA *conficiunt; eaque cæteris præmittere viſum fuit. Nam quæ ad Templa, Signa, Sacerdotes, Sacrificia ſpectant, ſuo tempore dabo. Denique experiar, quod de Legibus, Judiciis, Magiſtratibus, Moribuſque tum publice, tum privatim inſignioribus, in medium afferre mediocritas noſtra valeat. Non ignoro Spartam hanc a Sigonio præclare exornatam; ſed homo* πολυγραφώτατος, *dum univerſæ antiquitatis hiſtoriam complecti ſtilo conatur; in portionibus omiſit multa, vel neglexit, non minus digna memoratu, quam ea quæ curioſe perſequitur. Præterea cum in hoc genere ſtudiorum, nihil* ἀνέγγυον, *neque* ἀμάρτυρον *produci debeat; Ille ſic pleraque tradidit, ut in rebus a memoria noſtra remotiſſimis, ſibi tanquam Authori, fidem adhiberi cupiat. At maxima pars ipſos ſcriptorum locos, ex quibus omnia deſumpta ſunt, inſpicere mallet, quod hic non plus ulli credatur, quam adductis antiquorum teſtimoniis probarit. Verum, ut ad propoſitum revertar, in hac particula operis, unus remorari me potuit, & a cœpto deterrere* JO. MEURSIUS, *eruditionis reconditæ vir, cui lubens in hac laude ceſſerim, ut etiam in* πολυμαθίᾳ *cedo, & cura, & elegantia ſcriptionis. Is enim eandem tractare materiam adgreſſus, edito* de Populis Atticæ *volumine, Feſtorum quoque enarrationem pollicetur. Eam jamdudum exſpectavi, hunc fœtum, ceu male natum exponendi certus; quemadmodum & quæ de populis Atticæ contexueram, abjeci; quod in omnibus prope cum Meurſio convenirem, in diſpoſitione ſolum ab eo diverſus: nam unicuique* φυλῇ *ſuos* Δήμους *adſignaram, quos ipſe literarum ordine recenſet: quem tantum abeſt ut improbem, quin etiam in hoc opere ſecutus ſim; quia temporum ſeries, quam obſervare inſtitueram, oppido difficilis explicatu videbatur. Cæterum Meurſii cunctatio effecit, ut Amicis, alterum periiſſe partum ægre ferentibus, & ut in hunc tollerem impellentibus aliquando paruerim. Sed idem quoque dum populos Atticæ illuſtrat, non pauca per occaſionem de Feſtis affert; quæ quidem ante me edidit, ſed an obſervarit etiam ignoro. Teſtes habeo multos, quibus iſta, & alia oſtendi, priuſquam liber ille prodiiſſet in lucem, aut a me viſus eſſet. Sicubi per eum profeci, id cum honorifica nominis mentione profiteor. At vero dum Antuerpiæ de editione hujus libri (cum Typographis ago) Andreas Schottus, quo nihil doctius hodie, & humanius orbis habet, mihi Harpocrationem communicavit, in quo illuſtrando* PHILIPPUS JAC. MAUSSACUS, *meo judicio, ſingularem eruditionis, & induſtriæ laudem eſt aſſecutus. Cum vero in notis ejus legiſſem paratam illi eſſe Feſtorum* συναγωγήν, *actum me egiſſe illico judicabam. Etenim quam longo intervallo conatus meos ſuperare poſſet vir ille ingenio præſtans, & omnibus diſciplinis abundans, ex iis, quæ inter manus erant, facillime conjectabam. Sed quia res non erat integra, & jam Typographi manum admoverant operi, pergendum ulterius etiam invito fuit. Itaque &*

Meursii, & Maussaci candorem obtestor, ut hic me Horationum illud usurpare patiantur:

——— Si quid novisti rectius istis
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Et quidem in hoc Syntagmate festa recenseo plurima, ut arbitror, & præcipua: nam omnia, non fuit meæ tenuitatis. Huc etiam accedit, quod multa sparsim annotata sint, quæ ob interpositam temporis intercapedinem oblivio fugitiva mihi ademit; atque hinc nisi fortuito occurrant, velut ignorata prætereantur. Ut ecce nunc in schedulam incidi plane rejiculam, in qua Βαλλητὺς *festi nomen esse olim signaram, & ad ejus declarationem Athenæum, & Hesychium laudaram. Et* ille *quidem libro* IX. Ἐλευσῖνι γὰρ τῇ ἐμῇ οἶδα τινὰ πανήγυριν ἀγομένην, καὶ καλουμένην Βαλλητύν. Hic *autem inquit,* Βαλλητὺς (*male* Βαλητὺς) ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐπὶ Δημοφῶντι τῷ Κελεοῦ. *Quod ideo dixi, ut obiter indicarem, me æquo animo laturum si non omnia retulisse dicar. Illa vero majora, Olympia, Isthmia, Pythia, Nemeæa prudens omisi, ut vulgata satis, & explicata. Subjeci quæ de mensibus & anno Atheniensium Xylander, & Beutherus animadverterunt; tum quia non parum ad illustrationem Festorum faciunt; tum ut simul, & uno in loco, quidquid est hujus materiæ tibi exhiberetur. Non longiori sermone te, Lector Optime, morabor; pauca tantum de Scriptoribus Festorum, eorumque origine proposita legere ne pigeat.*

Scripsere de Festis Ephorus, & Philochorus: author est Harpocration in vocibus Ἀλῶα, Χύτροι, & Ἀπατούρια. *Sigillatim vero de Festis Atheniensium scripsit Lysimach. Idem in dictione* Σκίροι. *Et de Festis Lacedæmoniorum Pausanias quidem Spartanus; quod a Suida proditum est.*

Dierum alios fuisse ἐργασίμους, *alios* ἑορτασίμους *ab ipsa quodammodo nascentis origine mundi Veteres ita crediderunt, ut hanc distinctionem instinctu naturæ communis inductam esse certo sibi persuaderent. Idque luculenter ex Strabone, & Longino demonstrat Casaubonus libro* 1. de Satyrica Poesi capite 1. *Nos autem Sacræ Literæ docent istius partitionis authorem esse Deum: quod soli Hebræi non ignorarunt, ut qui prope soli inter mortales, veri Dei notitiam habuerunt. Quo nomine solos ipsos quoque cum Chaldæis, oraculi responso sapientes fuisse judicatos legimus, apud Justinum Martyrem* in oratione Parænetica ad Gentes; *& Eusebium* lib. IX. Præparationis Evangelicæ:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ᾽ ἄρ᾽ Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Reliquæ gentes etsi ab institutione prima longe deviarunt; duas tamen præcipue causas festorum agnoverunt; honorem divini Numinis, & hominum a consuetis laboribus cessationem. Atque initio quidem pauca observarunt, ac potissimum eo tempore, quod, comportatis in horrea frugibus, vertentis anni circa terram labor, unicum mundi adhuc juvenantis exercitium, otio reliquium fecisse videbatur. Unde Aristotel. VIII. Nicomach. *sacrificia primum inter homines subductis fructibus peragi cœpta existimavit:* Αἱ ἀρχαῖαι θυσίαι, *inquit,* καὶ συνοδοφαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί. μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. Antiqua sacrificia, & conventus fieri solita videntur post frugum collectionem, veluti quædam primitiæ: maxime enim iis temporibus otiabantur. *Quia vero inter fructus terræ ad exhilarandos hominum animos, vinum præ cæteris singularem vim habeat; idcirco ejus repertorem, ceu lætitiæ datorem, & omnium quasi celebritatum authorem in primis venerati sunt, unde & Lyæum, & Methymnæum appellarunt.* Τὰς εὐωχίας ἐκάλουν οὐκ ἀπὸ τῆς ὀχῆς, ἥ ἐστι τροφὴ, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ κατὰ ταυτὰς δεῖν ἔχειν. εἰς ἃς δὴ συνιόντες οἱ τὸ θεῖον τιμῶντες, καὶ ἐς εὐφροσύνην, καὶ ἄνεσιν αὑτοὺς μεθύοντες, τὸ μὲν ποτὸν μέθυ, τὸν δὲ τοῦτο δωρησάμενον θεὸν Μεθυμναῖον, καὶ Λυαῖον, καὶ Εὔϊον, καὶ Ἰήϊον προσηγόρευον. Εὐωχίας quidem non ἀπὸ τῆς ὀχῆς, quo

vocabulo indicatur alimentum, nuncuparunt, ſed quod in iis bene convivis eſſet: nam ad epulas convenientes primum Deos venerabantur, deinde ad animi remiſſionem, ac hilaritatem ſeſe transferebant, potionem quidem μέθυ, ejuſque largitorem Methymnæum, Lyæum, Evium, Jejum appellabant. *Sed poſtquam fragilis, & laborioſa mortalitas, verique numinis exſors, nova Deorum monſtra ſibi finxit, eaque in partes digerere, atque, ut ait Plinius, portionibus colere cœpit, quo quiſque maxime indigebat; major prope Deorum populus, quam hominum extitit. Hunc affectum excepit ſuperſtitio, quæ Deorum numero ſolennitates adæquavit. Cujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Theodoretus* ſermone ſeptimo de curatione Græcanicarum affectionum: Τούτοις καὶ ἑορτὰς, καὶ πανηγύρεις, καὶ Δημοθοινίας ἐπιτελεῖν ὁ τῶν ἀνθρώπων Ἀλάστωρ ἐνομοθέτησε. Παύδια μὲν καὶ Διάσια Διῒ· καὶ Ἥραια τῇ Ἥρᾳ· καὶ τῇ Ἀθηνᾷ Παναθήναια· καὶ Διονύσῳ Διονύσια· καὶ Ἐλευσίνια, καὶ Θεσμοφόρεια τῇ Δηοῖ· καὶ Δήλια, καὶ Πύθια τῷ Ἀπόλλωνι· καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ ἅπασι. πολὺς γὰρ τούτων ὅμιλος ἀπεκλήρωσε πανηγύρεις ἑκάστῳ τῶν Δαιμόνων, ἐκ τῆς προσηγορίας ὀνομάσας τὴν ἑορτήν. *Et hinc illa rituum ac cæremoniarum diverſitas fluxit, dum, prout quæque natio affecta fuit, ita aliis, atque aliis oblectari numina ſua exiſtimavit. Quod copioſe demonſtrat Apulejus* libro de Deo Socratis: Unde, *inquit*, & religionum diverſis obſervationibus, & ſacrorum variis ſuppliciis fides impertienda eſt. Etſi nonnulli ſunt ex horum Divorum numero, qui nocturnis vel diurnis, promptis, vel occultis, lætioribus, vel triſtioribus hoſtiis, vel cæremoniis, vel ritibus gaudeant: uti Ægyptia numina ferme plangoribus, Græca plerumque choræis, Barbara autem ſtrepitu Cymbaliſtarum, & Tympaniſtarum, & Choraularum. Itidem pro regionibus, & cætera in ſacris differunt, longa varietate pomparum agmina, myſteriorum ſilentia, ſacerdotum officia, ſacrificantium obſequia: item Deorum effigies, & exuviæ, templorum religiones, & regiones, hoſtiarum cruores, & colores.

Sed omnium prope gentium religionem Athenienſes ſuperare voluerunt. Vix enim aliam reperies, quæ tot dies feſtos egerit. Quin immo duplo plures, quam alii ſolerent, obſervaſſe tradit Xenophon lib. de Repub. Athen. Καὶ ἄγουσι μὲν ἑορτὰς διπλασίους, ἢ οἱ ἄλλοι. Et agunt feſtos dies duplo plures quam alii. *Cauſa eſt Deorum multitudo: neque enim patriis contenti numinibus (quæ ut ex Plutarcho in* Nicia, *& Pauſania in* Atticis, *duodecim habuerunt) etiam peregrina paſſim in civitatem ſuam adſciverunt. Hinc quoque feſtorum dierum alios patrios, alios adſcititios habuerunt: Non obſcure Harpocration ex Iſocratis* Areopagitico: Ἐπιθέτους ἑορτὰς, τὰς μὴ πατρίους, ἄλλως δὲ ἐπιψηφισθείσας, ἐπιθέτους ἐκάλουν. *Sic Dionyſia inter* ἐπιθέτους ἑορτὰς *erunt recenſenda: eorum enim cæremonias Athenienſes oraculi juſſione decreverunt, ut patet ex Demoſthenis orat.* contra Midiam. *Et videntur hæc peregrina ſacra comeſſationibus peragi ſolita: ait enim Iſocrates*; Οὐ δὲ τὰς μὲν ἐπιθέτους ἑορτὰς αἷς ἑστίασίς τις προσείη μεγαλοπρεπῶς ἦγον, Neque feſta peregrina, quibus epulæ adhibentur, ſplendide celebrabant.

Præcipua feſtorum ſolennitas in pompa cernebatur Eſt autem Pompa traductio, ſive tranſvectio per publicas urbis vias a loco certo in certum locum, ſive eundem, ſive alium. Nec tantum rebus ad ſacra pertinentibus, ſed vario etiam ſpectaculorum apparatu inſtruebatur, quæ undique multitudinem illiceret, & confluebat non immodica, accendente cupidinem viſendi fama celebritatis. Repræſentabantur in eo pompæ apparatu ſimulachra rei geſtæ, quæ ad Deum illum referebantur, cujus ſacra peragebant. Et nihil exhiberi ſolitum, quod non in hiſtoria aut fabula fundaretur, Arnobius oſtendit libro quinto, *adverſus eos qui inſanientis vulgi ſuperſtitionem, ad occultam rei naturalis ſignificationem allegorica interpretatione transferebant.*

Quæ ſi vobis, *inquit*, viderentur ineptiarum talium fabulæ, neque in uſu retineretis quædam ſuo, neque per curſus annuos lætitias exerceretis, ut feſtas, neque ut rerum ſimulachra geſtarum, ſacrorum conſervaretis in ritibus. *Et poſtmodum.* Unde igitur probamus hiſtorias has omnes rerum eſſe geſtarum conſcriptiones? ex ſolennibus ſcilicet ſacris, atque initiorum myſteriis: vel quæ ſtatis fiunt temporibus, ac diebus, vel quæ in abdito tradunt gentes, moris proprii perpetuitate ſervata. Neque enim credendum eſt ſine ſuis originibus hæc eſſe fruſtra, atque inania fieri, nec habere conjunctas primis inſtitutionibus cauſas. *Arnobio conſonat Euſebius* libro III. Præparationis Evaangelicæ, *fruſtra obtendi rerum naturæ explicationem, ubi fabulæ factis exprimantur.*


Ad hunc pompæ ornatum primo bona triginta Tyrannorum contulerunt. Harpocrat. ex Philochoro: Πομπείοις δέ φησι φιλόχορος πρότερον ἐχρῶντο οἱ Ἀθηναῖοι ἐκ τῆς οὐσίας τῶν ξ' ιάκοντα κατασκευασθεισῶν. *Poſtea ſtatu Reipub. ad Democratiam redacto, Cives opibus affluentes ad ſumptus faciendos cogebantur, eoque remedio uſi fuerunt, ad refrænandam aliquorum potentiam. Nam ſi quem præ cæteris eminere viderent (quod in Democratia periculoſum) ei numerum non modo neceſſariorum, ſed etiam ludicrorum onus imponebant, quo facultates ejus etiam cum quadam honoris ſpecie minuerentur. Hinc Athenienſium morem notat Ariſtot.* lib. V. Politic. c. VIII. *&* *Xenophon* lib. de Repub. Athenienſ. *Quantis autem ſplendor aliquando, quantaque profuſio fuerit eorum qui pompas, ludoſque procurabant abunde docuit Caſaubon.* lib. III. ad Athenæum, cap. I. *Nec omnia pompæ geſtamina fuiſſe temporaria, ſed plurima etiam perpetua, argumento locus eſt, quem* πομπεῖον *appellabant, in quo iſta celebritatum choragia adſervabantur. Meminerunt Andocydes* oratione de Myſteriis, *Laertius* in vita Socratis, *&* Pollux.

Princeps feſti actus erat ſacrificium. Sacrificiorum autem alia Δημοτελῆ, *alia* Δημοτικὰ, *ut docet Harpocrat.* Δημοτελῆ, *authore Heſych. dicuntur*, εἰς ἃ θύματα δίδωσιν ἡ πόλις. Δημοτικὰ εἰς ἃ οἱ δῆμοι. *Inter litandum præconis voce fauſta ſibi, & ſociis precabantur. Ita Herodot.* lib. VI. *Platæenſibus, & Ariſtoph.* in Avibus, *Chiis Athenienſes felicia, fauſtaque precari ſolitos tradunt. Nec ſemper eadem optabant; ſed ex proprietate Numinis, aut etiam pro temporum ſtatu vota mutabant. Nam, ut videre eſt in* Midiana *Demoſthenis, ad ſanitatem impetrandam Jovi ſupremo, & Herculi, & Apollini præſidi ſupplicabant. Si bona fortuna optabatur, ad Apollinem compitalitium, Latonam, Dianam preces convertebant. Si in magno diſcrimine verſarentur, Samothracum Deorum opem implorabant. Hinc etiam orationes, & hymni diverſi: Theodoretus* ſerm. IV. *eorum varia nomina profert:* Μήτε τῇ Δηοῖ τὸν Ἴουλον ᾄσωμεν, ἢ τὸν Λιτυέρσαν τῇ Ῥέᾳ, μὴ Διονύσῳ τὸν Διθύραμβον· μὴ τῷ Πυθίῳ μάντει τὸν Παιᾶνα, μήτε τῇ Ἀρτέμιδι τὸν ὑπιγγόν. Neque cantemus Iulum Cereri, nec Rheæ Lityerſam, nec Baccho Dithyrambum, nec Pythio vati Pæana, nec Dianæ Hypœpum.

Peracta re divina, victimarum reliquiæ dividebantur; quarum diribitor apud Ariſtophanem *paſſim* Κωλακρέτης *appellatur. Hi tum in omne genus lætitiæ effuſi convivia inter ſe curabant, quæ* Δημοθοινίαι *dicebantur, nihil triſte audiri, aut dici fas; atque adeo,* die feriarum, *ut ait Petronius,* etiam lugentes ridebant. *Et ne quid publicæ voluptati officeret, fora omnia, atque judicia ceſſabant: quinimmo lege cautum ne quidquam ageretur, quod ad ſolennitatem non pertineret. Meminit illius Demoſthenes* in oratione contra Timocratem. *Plura proferrem, niſi & hæc nimis eſſe multa judicarem. Vale igitur candide Lector, & conatibus meis fave. Lovanii ipſis Idibus Auguſti,* CIƆ IƆCXVII.

PETRI CASTELLANI
ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ,
SIVE
DE FESTIS GRÆCORUM SYNTAGMA.

ΑΓΡΙΩΝΙΑ.



VARIA Baccho cognomenta Veteres tribuerunt. Atque, ut omittam, quæ nihil ad institutum meum faciunt, eorum duo sunt, benignitatis; Μειλίχιος, id est, *Mitis*, & Χαριδότης, quod explicat *Horatius*, cum *Lætitiæ datorem* appellat. His adversantur ista Crudelitatis, Ἀγριώνιος, & Ὠμηστής; eaque Plu-
B tarchus inte se componit *in Antonio*. Nam cum Antonius vellet se Liberum Patrem dici, habitu quoque, & comitatu Liberi veniret Athenas; Πόλις, inquit, ἦν πλέα Διόνυσον αὐτὸν ἀνακαλουμένων, Χαριδότην, καὶ Μειλίχιον. ἦν γὰρ ἀμέλει ἐνίοις τοιοῦτος· τοῖς δὲ πολλοῖς Ὠμηστής, καὶ Ἀγριώνιος. *Civitas erat plena Bacchum ipsum reclamantium, Lætitiæ datorem, & Mitem; talisque forte nonnullis erat; pluribus autem Crudelis, & Ferus.* Idque omnino geminum est dicterio Romanorum, in Antonii Collegam Augustum, Apollinis ornatu se jactantem; *Cæsarem plane esse Apollinem, sed & Tortorem, quo cognomine is Deus, quadam in parte urbis colebatur.*
C Suetonius *cap.* LXX. Baccho igitur Agrionio dicatum est festum Agrioniorum. De quibus nihil habeo quod in medium proferam, præter duos *Plutarchi* locos; quorum alter est *libro* VIII. *Sympos. quæstione* I. ubi tradit apud suos, in Agrioniis Bacchum, ceu Fugitivum a mulieribus investigari; easque facto quærendi fine, dicere, apud Musas illum occultari. Οὐ φαύλως οὖν καὶ παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις τὸν Διόνυσον αἱ γυναῖκες ὡς ἀποδεδρακότα ζητοῦσιν. εἶτα παύονται, καὶ λέγουσιν ὅτι πρὸς τὰς μούσας καταπέφευγε, καὶ κέκρυπται παρ' ἐκείναις. μετ' ὀλίγον δὲ τοῦ δείπνου τέλος ἔχοντος, αἰνίγματα, καὶ γρίφους ἀλλήλοις προβάλλουσι.
D *Non itaque inepte apud nos in Agrioniis mulieres Bacchum quærunt, tanquam fugitivum; deinde finem quærendi faciunt, dicuntque eum ad Musas confugisse, atque apud eas latere occultatum; paulo post finita cœna, sibi invicem griphos, & ænigmata proponunt.* Qua ceremonia nihil aliud significari puto, quam depravatos hominum mores, animosque ferocia temulentos, ad rationis statum Musarum commercio revocari. Alter locus est *in Quæstionibus Græcis*; ubi refert Minyæ filias furore correptas, esum humanarum carnium appetivisse, Leucippamque, missa forte, filium Hippasum præbuisse dilaniandum; quæ causa
E fuit cur Minyæ posteros ab Agrioniis stricto gladio Bacchi sacerdos arceret: Καὶ γίνεται παρ' ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις φυγὴ, καὶ δίωξις αὐτῶν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῦ Διονύσου ξίφος ἔχοντος. ἔξεστι δὲ τὴν καταληφθεῖσαν ἀνελεῖν, καὶ ἀνεῖλεν ἐφ' ἡμῶν Ζωΐλος ὁ Ἱερεύς. *Et*
A *quotannis fugantur in Agrioniis a sacerdote Bacchi stricto gladio; licetque deprehensam interficere: & quidem necavit ætate nostra Zoilus sacerdos.*

ΑΔΩΝΙΑ.

IN honorem Veneris memoriæ Adonidis tributum est, ut ab omnibus prope Græciæ populis festiva Adoniorum solennitas ageretur. Ea Aristophanes *in Pace*, præcipuis Athieniensium festis adnumerare non dubitavit. Quo loco *Scholiastes*, Ἀδώνια τῷ Ἀδώνιδι, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ, *Adonidi, & Veneri Adonia* celebrari affirmat. Ceremonias
B exequebantur mulieres, quasi rem gestam repræsentantes æmulatione luctus, quo Venus interemptum ab Apro Amasium prosecuta credebatur. D. Augustinus *lib.* VI. *de Civitate Dei*, *cap.* VII. *Sacra sunt Veneris, ubi Amasius ejus Adonis aprino dente exstinctus, juvenis formosissimus plangitur.* Ammianus Marcellinus *lib.* XIX. ingentis luctus imaginem exprimere volens, utitur exemplo mulierum in Adonidis festo lamentantium: *Fœminæ*, inquit, *miserabili planctu in primævo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant. ut lachrymari cultrices Venereæ sæpe spectantur in solennibus*
C *Adonidis sacris, quod simulacrum aliquod esse frugum adultarum religiones mysticæ docent.* Fingebant quoque simulachra mortuorum cadaveribus similia, quæ more funerum efferebant, & sepulchro condebant. Plutarchus *in Alcibiade*: Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἐκείνας ἡμέρας καθεστηκότων εἴδωλα πολλαχοῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξὶ, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι, καὶ θρήνους ᾖδον. *Adonidis sacris in hos dies incidentibus, mulieres simulacbra, quasi mortuorum cadavera frequentes efferebant, pro more festivitatis, funeraque & sepulturas imitabantur, plangebantque, & feralia carmina concinebant.* Idem *in Nicia*: Ἀδώνια γὰρ εἶχον αἱ γυναῖ-
D κες τότε, καὶ προὔκειτο πολλαχόσε τῆς πόλεως εἴδωλα, καὶ ταφαὶ περὶ αὐτὰ, καὶ κοπετοὶ γυναικῶν ἦσαν. *Adonidi tunc sacra faciebant mulieres, & passim per urbem simulacbra jacebant; circum sepulturæ, & planctus muliebres videbantur.* Hunc in modum lugere vocabant, Ἀδωνίαν ἄγειν: quod teste *Suida* est, Ἄδωνιν κλαίειν, *Adonim flere*. Ipse vero luctus, sive lessus, dicitur Ἀδωνιασμός. *Hesychius*, Ἀδωνιασμὸς, ὁ ἐπὶ τῷ Ἄδωνι θρῆνος. *Adoniasmus in Adonim planctus.* Aristophanes *in Pace*, (putavit *Lysistraten* v. 421.)

Ὅ τε Ἀδωνιασμὸς οὗτος, ὁ ὑπὸ τῶν τεγῶν.
Adonidis lessus iste sub tectis.

E Et carmina quæ decantabantur, Ἀδωνίδια vocantur. Proclus *in Chrestomathia*: Ἀδωνίδια δὲ λέγεται τὰ εἰς Ἄδωνιν ἀναφερόμενα. *Adonidia dicuntur, quæ in Adonim referuntur.* Tristitiam & vocis ejulatu, & tibiarum lugubri sonitu demonstrabant.

Vox autem erat, Αἶ, αἶ. Ariſtophanes *in eadem Comœdia*, v. 424. 425.

—— ἡ γυνὴ δ' ὀρχουμένη
Αἶ, αἶ, Ἄδωνιν φησί.
—— *Mulier ſaltans*
Ai, ai, Adonium dicit.

Eamque fuiſſe ſolennem, & Adoniis veluti propriam animadvertere licet ex Bionis *Idyllio*, in quo toties αἶ, αἶ, atque hinc diductum verbum, αἰάζω iteratur. Tibiæ quibus utebantur, Γίγγροι vocantur, ſive ut *Feſtus*, Gingrinæ, quas ab Anſerum voce dictas autumat: Cui videtur aſſentiri *Heſychius*; Γιγγρίαι, αὐλοὶ μικροὶ, ἐν οἷς πρῶτον μανθάνουσι. *Gingriæ, tibiæ parvæ, in quibus primum diſcunt.* Nam qui primum diſcunt, inſtar Anſerum ſtrepere potius, quam inflare modulate videntur. Sed Athenæus *lib.* IV. hanc nominis originem adſignat, quod eas inflare moris eſſet in Adoniis; Et Adonis Phœnicum lingua Γίγγρης appelletur. Athenæo adſtipulatur Euſtathius *ad* ραψ. *Iliad.* VI. Et Pollux *l.* IV. *c.* X. Ἡ Φοινίκων γλῶττα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασαι. *Phœnicum lingua Gingren Adonim vocat, & ab illo tibiæ cognominantur.* Atque ut quæcumque ad veri ſignificationem doloris faciunt, in hanc ſimulati luctus ſcenam producerent; ſeſe lacerare verberibus, & capillos radere cogebantur; proſtitutionis irrogata pœna, ſi quæ facere detrectaſſet. Quo ritu Biblios Adonia celebraſſe, author eſt Lucianus *libro de Dea Syria*. Cujus locum etſi prolixum adſcribere non gravabor, ut Antiquitatis curioſi vanitate ſuperſtitionis agnita, noſtri temporis felicitatem ſuis momentis æſtimare diſcant. Λέγουσι γὰρ δὴ ὦν, inquit, τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς, ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος, τύπτονταί τε ἑκάστου ἔτεος, καὶ θρηνέουσι, καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι, καί σφισι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσαται. ἐπεὰν δὲ ἀποτύψονταί τε, καὶ ἀποκλαύσονται, πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἐόντι νέκυι. καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος· γυναικῶν δὲ ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσι ξυρέεσθαι, τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι. ἐν μιῇ ἡμέρῃ ἐπὶ πρήσει τῆς ὥρης ἵσανται. ἡ δὲ ἀγορὴ μούνοισι ξείνοισι παρακέαται, καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτην θυσίη γίγνεται. μετὰ δὲ, τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι, καὶ ἐς τὸν ἠέρα πέμπουσι. *Dicunt igitur, factum illud quo ab Apro percuſſus Adonis fuit, in ſua regione contigiſſe, & in memoriam rei verberantur annis ſingulis, & lamentantur, & ritus ſolennes peragunt, ac ipſis magni adeo luctus per totam regionem indicuntur. Poſtquam autem jam verberandi, & deplorandi finis factus eſt, primo quidem inferias Adoni peragunt, perinde ac mortuo tum exiſtenti: & capita radunt, quemadmodum Ægyptii mortuo Api. Mulierum autem quæcumque radi nolunt, talem pœnam exſolvunt: unum diem ad quæſtum corpore faciendum proſtant: forum vero ſolis peregrinis exhibetur: & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in ſacrificium datur. Poſtea vero ſequenti die & vivere dictitant, & in aera mittunt.* Hæc ita transpoſui, quod narratio de luctu cœpta, inſititio ſequentis diei gaudio non debuit interrumpi. Nam Veneris cultrices Adonim mortuum uno die deplorabant; altero ceu redivivum, & luci reſtitutum: haud aliter quam Ægyptii inventum Oſirim, fauſtis acclamationibus excipiebant. Quo reſpexit Bion in dulciſſimo *Idyllio*, quo mortem Adonidis luget, *v.* 96.

Λῆγε γόων Κυθέρεια τοσήμερον, &c.
Deſine luctuum Cytherea hodie.

Sacrificium vocatur Καθέδρα. *Heſychius*, Καθέδρα, θυσία Ἀδώνιδος. Quod inde reor eſſe deductum, quod πένθους ἡμέρας ἐπὶ τετελευτηκόσι, *Luctus dies ſuper defunctis*, καθέδρας appellarent. In pompæ traductione Adonidis, & Veneris ſimulachra circumferebantur. Theocritus Ἀδωνιαζούσαις, ſive *Idyllio* XV. *v.* 84. *&c.*

Αὐτὸς δ' ὡς θαητὸς ἐπ' ἀργυρέω κατακεῖται
Κλισμῶ, πρᾶτον ἴουλον ἀπὸ κροτάφων καταβάλλων.
Ὁ τριφίλατος Ἄδωνις, ὁ κἠν Ἀχέροντι φιλεῖται.
Ipſe vero quam admirandus in argenteo jacet
Thoro, primam lanuginem circa tempora ſpargens,
Ter amabilis Adonis, qui etiam apud inferos amatur.

Pompa jam ad terminum perducta, lecti ſternebantur, in quibus effigies populo ſpectandæ reclinarentur. Theocritus *ibidem*, *v.* 127. 128.

Ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα,
Ταν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.
Stratus eſt lectus Adonidi pulchro alius,
Alterum tenet Venus, alterum formoſus Adonis.

Porro in hoc ſacrorum ritu, quod Ammianus Marcellinus ait, *ſimulachrum aliquod eſſe frugum adultarum*, præterquam quod a Macrobio diſputatur *lib.* I. *Saturnal. cap.* XXI. etiam argumento eſt, quod tum frumenta, & hordea ſererent, & hortos Adonidos inſtruerent. Scholiaſtes Theocriti *ad verſum* 112. *Idyllii* XV. Εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυροὺς, καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προαστείοις, καὶ τοὺς φυτευθέντας κήπους Ἀδωνίους προσαγορεύειν. *Conſueverunt in Adoniis frumenta, & hordea ſerere in quibuſdam ſuburbiis, & conſitos hortos Adonios nuncupare.* Hinc etiam eſt, quod omne genus fructuum offerrent. Theocritus *ibid. v.* 110. *&c.*

Ἀρσινόα πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν.
Πὰρ μὲν οἱ ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι·
Πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
Ἀργυρέοις, &c.

Arſinoe multifariis bonis ornat Adonim.
Juxta enim matura jacent, quæcunque arborum apices ferunt;
Adſunt & molles hortuli incluſi calathis
Argenteis.

Hæc tamen ſacra tanto cultu obſervata, proverbio locum dederunt, οὐδὲν ἱερὸν, *nihil ſacrum*: quod dicitur, ut *Heſychius*, *Zenobius*, & *Suidas* exponunt, ἐπὶ τῶν παντελῶς εὐτελῶν, καὶ ἀχρήστων, *de uſquequaque ineptis, & inutilibus*. Cujus eam quoque originem tradunt, quod Hercules conſpecta Adonidis ſtatua extulerit, Οὐδὲν ἱερὸν, ſignificans eos eſſe tantum honorandos, qui de genere humano bene meriti eſſent. Addit amplius Scholiaſtes Theocriti ad *verſum* 21. *Idyllii* V. Ἡρακλῆς ἐλθὼν εἰς Δῖον πόλιν Μακεδονίας εἶδεν ἔκ τινος ἱεροῦ πολλοὺς ἐξιόντας. Θέλων δὲ καὶ αὐτὸς εἰσελθεῖν, καὶ προσκυνῆσαι, ἀνάκρινεν, ἤγουν ἠρώτησε, τίνος εἴη τὸ ἱερόν; μαθὼν δὲ Ἀδώνιδος εἶναι, ἔφη οὐδὲν ἱερόν· ἀντὶ τοῦ, οὐδενὸς ἄξιον. οὐδεὶς γὰρ θεῶν ὑπάρχει. *Hercules Dium, Macedoniæ civitatem profectus, conſpexit multos ex aliquo templo prodeuntes: volens autem & ipſe ingredi & adorare, rogavit, cujus eſſet templum? Cum-*

que didicisset Adonidis esse, dixit, Nihil sacrum, id est, nullius pretii, nam Adonis Deus non est.

Α Λ Ι Α.

FESTUM Solis a Rhodiis observatum. Athen. l. XIII. Ῥόδιοι τὰ Ἅλια τιμῶσιν. *Rhodii Halia celebrant.* Existimarunt aliqui nomen esse deductum ab ἅλς, & notari veteris θαλαττοκρατίας, monumentum, qua Rhodii olim floruerunt: Sed vero similior est a voce Dorica ἅλιος, pro ἥλιος appellationis originatio. Quamvis enim Rhodii maris imperio longe lateque potiti fuerint, ut author est Strabo *lib.* XIV. *Geographiæ*; nullum tamen huic rei festum instituisse reperiuntur. Ut autem Soli dedicatum fuisse credam, ratio est, quod illum Rhodii tanquam apud se natum præcipua veneratione sint prosecuti. Huc insanam refero Colossi substructionem, quem fecit Chares Lyndius Lysippi discipulus: quodque Strabo narrat *lib.* XIV. Ἡλιάδας, id est, Ἡλίου, sive *Solis*, filios aliquando Rhodum tenuisse: cujus etiam meminit Cicero *lib.* III. *de Natura Deorum*. Eustathius *ad Odyss.* ζ. Ἅλιον, ὅπερ ἦν ἡλίου ἱερὸν κατὰ Ῥοδίους. *Halion, quod erat templum Solis apud Rhodios.* Aristides etiam cum Rhodon vocasset urbem Solis, &, ὅτι τήνδε τὴν νῆσον οὖσαν ὑπὸ τῇ θαλάττῃ, καὶ κεκρυμμένην Ἡλίῳ δῶρον ἀνεῖσαν θεοί, *quod hanc ipsam insulam sub mari existentem, & occultatam Soli dono dederunt Dii*; addit, καὶ τὸν μὲν τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιήσετε, *& Haliorum certamen facietis*. Ex quibus apparet, Halia, Festos Solis dies fuisse, non autem θαλαττοκρατίας monumentum.

Α Λ Ω Α.

HESYCHIUS, Ἀλῶα ἑορτὴ Ἀθήνησι. *Haloa festum Athenis.* Cujus vero Dei fuerit haud quaquam exprimit: ut neque *Harpocration*, & *Suidas*; qui tamen ex Philochoro nominis originem exponunt. Ἀλῶα ἑορτή ἐστιν Ἀττική. Φιλόχορος δέ φησιν ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς περὶ τὰς ἅλως ποιεῖσθαι. *Haloa festum est Atticum. Philochorus vero ait vocari ab eo, quod tunc homines circa areas occuparentur.* addit *Harpocration*, Ἄγεσθαι δὲ αὐτήν φησι ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν Ποσειδεῶνος μηνός. *Agi vero ipsum ait in libro de Festis, mense Posideone.* Ἅλως tamen non simpliciter aream significat; sed ἀμπελόφυτον χώραν, καὶ σιτοφόρον, *locum vitibus, & frumento consitum.* Quare Philochorus indicare videtur hoc festum ab Agricolis observatum, cum ad messem accingerentur. Verum Eustathius *ad Iliad.* I. Cereris & Bacchi sacrum ait esse; quod comportatis in horrea frugibus agitatur. Ἰστέον δὲ ὅτι ἐπὶ συγκομιδῇ καρπῶν, ἐφ᾽ ᾗ καὶ τὰ Θαλύσια ἐθύετο, ἑορτὴ ἤγετο Δήμητρος καὶ Διονύσου, κατὰ Παυσανίαν, Ἀλῶα καλουμένη, διὰ τὸ ταῖς ἀπαρχαῖς, καὶ μάλιστα ἐν Ἀθήναις, ἀπὸ τῆς ἅλω τότε καταχρᾶσθαι φέροντας εἰς Ἐλευσῖνα. *Sciendum est, quod post comportationem frugum, sub quam Thalysia quoque sacrificabantur, festum agebatur Cereris & Bacchi, secundum Pausaniam, Haloa nuncupatum; quod ex area (quam Græci vocant Halon) delatæ Eleusinem primitiæ, tunc absumerentur.* Et immodice fructuum primitias absumi oportuit; quia non licebat Haloorum die sacrificare, aut hostias immolare; quarum alioquin carnes in viscerationem cedebant, adustis tantum coxis, & pinguedine, quorum nidore frui deos arbitrabantur. Apud Athenæum *l.* XIII. Demosthenes *in oratione contra Neæram* Archiæ, sacrorum Antistiti exprobravit, Ὅτι Σινώπῃ τῇ ἑταίρᾳ Ἁλώοις ἐπὶ τῆς ἐσχάρας, τῆς ἐν τῇ αὐλῇ Ἐλευσῖνι προσαγούσῃ ἱερὸν θύσειεν, νομίμου ὄντος ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἱερεῖα μὴ θύειν. *Quod per Aloa Eleusine, in cænaculi foco, Sinopæ amicæ illuc deductæ rem divinam fecisset; cum per eos dies lege vetitum sit, ne quis victimas immolet.*

Α Μ Φ Ι Δ Ρ Ο Μ Ι Α.

ETSI non fuerit Amphidromiorum publica solennitas, sed privatorum affectibus consecrata: tamen hic omittenda non fuit, quod cum omnes sigillatim homines spectet, etiam Δημοτελὴς appellari quodammodo mereatur. Igitur Ἀμφιδρόμια, vel ut alii scribunt, Ἀμφιδρομία peragebantur a parentibus die quinto post partum, hoc ritu. Infantem gestantes circum lares focumque currebant: Domestici, & amici tanquam gratulabundi dona conferebant. Harpocration *ex oratione Lysiæ de abortu*: Ἀμφιδρομία ἡμέρα τις ἤγετο ἐπὶ τοῖς νεογνοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος παρὰ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες, καὶ ὑπὸ τῶν οἰκείων, καὶ φίλων πολύποδας, καὶ σηπίας ἐλάμβανον. *Amphidromia dies aliqua agebatur super pueris recens natis: in qua infantem ad focum ferebant currentes, & a domesticis, & amicis Polypodes, & sepias accipiebant.* Cursus ille in orbem convertebatur. Plato *in Theæteto*; ubi Socrates rationem suam docendi obstetricum officio confert; cumque Theætetus peperisset, id est, ingenii sui specimen edidisset; Socrates veluti obstetricis munere perfunctus addit; μετὰ δὲ τὸν τόκον, τὰ Ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεκτέον. *Post partum vero, ipsius Amphidromia celebrando, revera circulatim discurrendum est.* Hesychius amplius tum nomina pueris imponi solita scribit: Ἀμφιδρομία, inquit, ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες κύκλῳ, καὶ ἐπετίθεσαν αὐτοῦ ὄνομα, ὅτι ὑπὸ τῶν οἰκείων καὶ φίλων δῶρα ἐπέμπετο. *Amphidromia dies acta pueris; in qua infantem circum focum ferebant currentes in orbem, & imponebant ipsi nomen, cum a domesticis & amicis dona mittebantur.* Ex quibus sequi videtur Amphidromia fuisse Romanorum Nominalibus affinia. Idem tamen author postea sui velut oblitus decimo die nomina demum imponi tradit: τῇ δεκάτῃ ἡμέρᾳ τὰ ὀνόματα τοῖς βρέφεσι ἐτίθεσαν. *Infantibus decimo die nomina imponunt.* Atqui si Amphidromia die quinto celebrantur, & Nominalia decimo, eadem esse nequeunt. Alio loco vocat, δρομιάφιον ἦμαρ· ἔστι δὲ ἡμερῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς γεννήσεως, ἐν ᾗ τὸ βρέφος βαστάζοντες περὶ τὴν ἑστίαν γυμνοὶ τρέχουσι. Igitur acta die quinto Amphidromia, quod hoc spacium sufficere putarent ad ea curanda, quæ partum ipsum spectant. Hinc etiam obstetrices, & quæ adfuissent enitenti manus abluebant, & quasi munere suo jam perfunctæ, in posterum nutricibus habendam infantis curam ostendebant. Idque ex *Etymologico* licet colligere: Ἀμφιδρόμια, inquit, ἑορτή ἐστιν Ἀθήνησι τελουμένη. καθ᾽ ἣν ἐγκρυφίου ἄρτου ὀπτομένου, ἐπὶ τῆς ἑστίας ἐπιτρέχουσι. τὸ δὲ αὐτὸ ποιοῦσι καὶ μετὰ σκελῶν εἰς τὰ βρέφη παρὰ τὴν ἑστίαν περιφέροντες, ἐπειδὴ κουροτρόφος, ἡ τροφὸς ἐπὶ τίνων πεφήμισται. Huc etiam facit, quod genium, natalium præsidem, sive γενέθλιον, *Æschylus* Ἀμφίδρομον appellavit. Cæterum illa non absque solenni epularum apparatu transigebantur. Eubuli versus apud Athenæum *libro* II. manifeste loquuntur.

Ἀμφιδρομίων ὄντων, ἐν οἷς νομίζεται,
Ὀπτᾶν τυροῦ χερσονησίτου τόμον,
Ἕψειν τ᾽ ἐλαίῳ ῥάφανον ἠγλαϊσμένην,
Πνίγειντε παχέων ἀρνίων στηθύνια,
Τίλλειντε φάττας, καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις,
Ὁμοῦτε χναύειν μαινίσι σηπίδια,
Πιλοῦντε πολλὰς πλεκτάνας ἐπιστροφῶς,
Πίνειντε πολλὰς κύλικας εὐζωρεστέρους.

Dum sunt Amphidromia, in quibus moris est
Assare casei Chersonesitis frustum,
Et incoquere oleo pinguefactam brassicam,
Et suffocare pinguium agnorum pectora,
Deplumare palumbos & turdos, cum spinis,
Et cum mænide ligurire sepiolas,
Congerere multa Polypodum flagella flexuose,
Et bibere multos calices meraciores.

His ita transactis, decima post nativitatem nocte nomen imponebant infanti; & tum congregatis amicis, peracta re divina, rursum splendide convivabantur: idque vocabant δεκάτην ἑστιᾶσαι. *Suidas*, Δεκάτην ἑστιᾶσαι· ἔθος ἦν παίδων συγγεννωμένων τοῖς Ἀθηναίων ἀστοῖς, τῇ δεκάτῃ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς γενέσεως, συγκαλεῖσθαι τοὺς πρὸς πατρὸς, καὶ μητρὸς οἰκείας, καὶ τοὺς ἐγγύτατα φίλους. καὶ παρόντων ἐκείνων τότε ὀνόματα τοῖς παισὶ τίθεσθαι, καὶ καλλιερεῖσθαι τοῖς θεοῖς, ἔπειτα εὐωχεῖσθαι τοὺς συνεληλυθότας. *Moris erat apud Athenienses cives, ut natis pueris, decima post nativitatem nocte convocare paternos, & maternos familiares, & proximos amicos: & præsentibus illis nomina pueris imponere, & sacrificare diis, deinde epulari congregatos.* Fuere tamen qui die septimo acta fuisse traderent puerorum nominalia, ut videre est apud *Harpocrationem*. Et in his Aristoteles *lib.* VII. *de historia animalium cap.* XII. nam cum pueri plerumque morbo comitiali tollantur ante septimum diem; hunc si evasissent, concepta jam salutis spe nomen imponebant. Hinc ἑβδόμην celebrare, vocabant ἑβδομεύεσθαι.

ΑΝΑΚΕΙΑ.

CICERO *lib.* III. *de natura Deorum* Author est primos Διοσκούρους ex Jove antiquissimo rege & Proserpina natos, Athenis Anaces fuisse appellatos. Cum vero plures Dioscuros fuisse constet, idem nominis etiam Tyndaridis alii tribuerunt; Plutarchus *in Theseo*; ubi causam quoque exponit appellationis: Τιμὰς ἰσοθέους ἔσχον, Ἄνακες προσαγορευθέντες, ἢ διὰ τὰς γενομένας ἀνοχὰς, ἢ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ κηδεμονίαν τοῦ μηδένα κακῶς παθεῖν, στρατείας τοσαύτης ἔνδον οὔσης. ἀνακῶς γὰρ ἔχειν τοὺς ἐπιμελουμένους, ἢ φυλάττοντας ὁτιοῦν· καὶ τοὺς βασιλεῖς ἴσως Ἄνακτας διὰ τοῦτο καλοῦσιν. εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες, διὰ τὴν τῶν ἄστρων ἐπιφάνειαν Ἄνακας ὀνομάζεσθαι· τὸ γὰρ ἄνω τοὺς Ἀττικοὺς ἀνέκας ὀνομάζειν. *Divinos honores obtinuerunt Anaces appellati, vel propter inducias (quas Græci vocant* ἀνοχὰς *) vel ob curam operamque, quam adhibuerunt, ne quis injuria afficeretur, cum tantus esset in urbe exercitus* (quem illi duxerant ad recuperandam Helenam) *nam ἀνακῶς ἔχειν dicuntur, qui quamcumque rem tutantur, & custodiunt. Et Reges fortassis ob hoc ipsum Ἄνακτας vocant. Sunt autem, qui dicant sic appellatos propter splendorem syderum; nam ἄνω, quod est sursum sive supra, Athenienses ἀνέκας efferunt.* Ad posteriorem nominis rationem forte respexit Horatius *lib.* I. *Ode* III. *v.* 2.

Sic fratres Helenæ lucida sydera.

Eustathius *ad Odyss.* α'. probat etymon quod *Plutarchus priore loco* ponit: ἔστιν, inquit, ἐν χρήσει ἀνακῶς, ἀντὶ τοῦ φροντιστικῶς, ἐπιμελῶς, πεφυλαγμένως. *Est in usu ἀνακῶς, pro studiose, curiose, caute.* Quo sensu ab *Herodoto*, & *Thucydide* usurpatum esse testis est *Pausanias*. Pindarus *Pythionic.* II. *Epodo ult.* unum Pollucem nominans, sic tamen, ut etiam de Castore intelligi debeat, non Ἄνακον, aut Ἄνακα, sed Ἄνακτα vocat. Quem secutus est Tzetzes *ad Lycophronem*. Οἱ γὰρ Διόσκουροι κατὰ Θησέως στρατεύσαντες ἕνεκεν τῆς ἁρπαγῆς τῆς Ἑλένης. ἐφείσαντο πάντων τῶν ἐν τῇ πόλει, πλὴν μόνης τῆς Αἴθρας· διὸ καὶ θαυμάσαντες αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι, Ἄνακτας, ἤτοι θεοὺς, καὶ σωτῆρας ἐκάλεσαν. *Dioscuri ducto adversus Theseum exercitu propter raptum Helenæ, omnibus quidem in civitate pepercerunt, præterquam soli Æthræ; quapropter admirati Athenienses, Ἄνακτας, id est, Deos, & Salvatores appellarunt.* Divinos honores Tyndaridis habitos non Lacedæmone modo, sed etiam Athenis, ostendit Theodoretus *lib.* VIII. *Græcarum affectionum*, sive *sermone de Martyribus*. Καὶ μέντοι, καὶ Τυνδαρίδας θεοὺς ἐκάλεσαν Ἕλληνες, καὶ Διοσκούρους ὠνόμασαν, καὶ Ἐφεσίους, καὶ Ἄνακας· καὶ τεμενῶν οὐκ ἐν Σπάρτῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀθήναις τούτους ἠξίωσαν. *Et quidem Tyndaridas Deos vocarunt Græci, & Dioscuros appellarunt, & Familiares, & Anaces. Et templis non tantum Spartæ, verum etiam Athenis dignati sunt:* In tantum, ut illis festum dicarint, quod ratione nominis jam adducti, ΑΝΑΚΕΙΑ nuncuparunt. Pollux *lib.* I. *cap.* I. Ἑορτὴ Διοσκούρων Ἀθήνησιν Ἀνάκεια. *Festum Dioscurorum Athenis Anacia.* Pausanias: Ἀνάκεια, ἑορτὴ Διοσκούροιν Ἀνάκοιν. *Anacia festum Dioscurorum Anacum, quasi sapientum.* Et ut nihil ad τιμὰς ἰσοθέους desideraretur, non tanquam pusillis numinibus, aut Heroibus, sed tanquam majorum gentium diis litarunt. Nam *Pausanias* illis Τριττύαν fieri tradit. Est autem Τριττύα, sive Τριττὺς, teste *Suida*, ἡ ἐντελὴς θυσία, ἐκ συὸς, κριοῦ, καὶ τράγου, ἐκ τριῶν. *perfectum sacrificium constans tribus, Sue, Ariete, Hirco.* Alii ariete, tauro, porco, ut *Callimachus*: alii bove, capra, sue, ut Ister *in veteri Lexico*, constare prodiderunt. Quamobrem *Eustathio* assentior, qui trium animalium, quorumque tandem, immolationem vocari Τριττύαν affirmat. Τριττύαν ἔλεγον τὴν ἐκ τριῶν ζώων θυσίαν. *Trittyam dicebant ex tribus animalibus sacrificium.* Et quomodocunque sese res habeat, hic mihi satis est probasse Τριττύαν inter ἐντελεῖς θυσίας, id est, perfecta, atque omnibus numeris absoluta sacra censeri. Nam sacrificium quod Dioscuris fiebat, peculiari nomine Ξενισμὸς appellabatur. Scoliastes *Pindari ad* III. *Olymp. Strophe* III. ἡ γενομένη θυσία Διοσκούροις, Ξενισμὸς καλεῖται. *Quod fit Dioscuris sacrificium, Xenismus vocatur.* Athenæus *lib.* VI. Ludorum quoque meminit, quibus sacrificii pars impendebatur: Sed Τριττύας non facit mentionem; duorum tantummodo boum portiones in Ludos, Parasitos, & Sacerdotes dividi ex quadam Inscriptione demonstrat. Ἀλλὰ μὴν, περὶ γὰρ τῶν παρασίτων ὁ λόγος, κἂν τῷ Ἀνακείῳ ἐπί τινος στήλης γέγραπται· ΤΟΙΝ ΔΕ ΒΟΟΙΝ ΤΟΙΝ ΗΓΕΜΟΝΟΙΝ ΤΟΙΝ ΕΞΑΙΡΟΥΜΕΝΟΙΝ ΤΟ ΜΕΝ ΤΡΙΤΟΝ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΑ ΔΕ ΔΥΟ ΤΟ ΜΕΝ ΕΤΕΡΟΝ ΙΕΡΕΙ ΤΟ ΔΕ ΤΟΙΣ ΠΑΡΑΣΙΤΟΙΣ. *Verum quoniam de Parasitis sermo est, in Anaceio columnæ cuidam inscriptum est: E bobus præcipuis selectis tertia pars ludis celebrandis impendatur; e duabus reliquis altera tribuatur Sacerdoti, altera Parasitis.* Sed ne quis Parasitis id honoris datum admiretur, cum, ut idem *Athenæus* docet, τὸ τοῦ παρασίτου ὄνομα ἦν σεμνὸν, καὶ ἱερόν. *Parasiti nomen venerabile erat, & sanctum.* Quia nimirum Græcis quondam ita dicti, quos Romani in superstitionum suarum ritibus, viros Epulones, aut Titios Sodales appellarunt.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ.

DIES Baccho festi: *Hesychius*, Ἀνθεστήρια τὰ Διονύσια. *Anthesteria, Bacchanalia.* Tamen peculiarem non fuisse solennitatem innuit doctissimus Interpres Aristophanis *in Acharnan.* referens ex Apollodoro, Athenienses Bacchi dies festos in universum Ἀνθεστήρια dicere; sigillatim vero suum cuique nomen adsignari. Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος, Ἀνθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς τὴν ὅλην ἑορ-

τὴν Διονύσῳ ἀγομένην· κατὰ μέρος δὲ πιθοιγίαν, χοὰς, χύτραν. *Ait Apollodorus, communiter vocari totum festum, quod Baccho agitur, Anthesteria: secundum partes vero Pithœgiam, Choas, & Chytran.* Sane Athenienses ab illis mensem nominarunt Ἀνθεστηριῶνα, quem *Harpocration*, & *Suidas* octavum fuisse tradunt, & Baccho sacrum: κεκλῆσθαι δὲ αὐτὸν οὕτω διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν τότε. *sic dictum, quod, quæ ex terra oriuntur, tum plurima florescant.* Etymologicum magnum, ἐπειδὴ ἡ γῆ τότε ἄρχεται τοῦ ἀνθεῖν. His accedit Macrobius *lib.* I. *cap.* XIV. *Aprilis Anthesterion vocatur, quod eo tempore cuncta florescant.* At *Gaza*, quem sequuntur *Junius*, & *Gyraldus*, sextum esse putat, & respondere Novembri, παρὰ τὸ ἄνθος στρεῖν, *quod floribus prata viduentur.* Sed difficile est Græcorum menses ad Romanorum rationes revocare. Cæterum Anthesteria Athenienses magna conviviorum hilaritate celebrabant; ut tritum vulgo apud Græcos dictum ostendit, Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια. *foras Cares, non amplius Anthesteria:* quod Zenobius explicat *centuria* IV. *Prov.* XXXIII. & Suidas *cent.* VII. *Prov.* XC. prout literarum immortale decus, Andreas Schottus, editione nupera distinxit.

ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ.

ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ, Latine *Floriferum* dixeris: de quo Festus: *Floriferum dictum quod eo die spicæ feruntur ad sacrarium.* De cætero num quidquam hæc inter se habeant commune compertum non habeo. Verum Anthesphoria Siculi Proserpinæ dicarunt. Pollux *lib.* I. *cap.* I. Κόρης ἑορτὴ παρὰ Σικελιώταις, Ἀνθεσφόρια. Quorum eam esse causam puto, quod (ut verbis utar Arnobii *lib.* V.) *quodam tempore cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proserpina, cumque illam per floream messem, hinc, atque illinc, passim lectionis cupiditas avocaret, per profundæ altitudinis speluncam Rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vexerit.* Eadem a nomine Φερεφάττης, sive *Proserpinæ*, Plutarchus *in Lucullo*, Φερεφάττια, hoc est, *Proserpinalia* vocavit: quo loco proditum est Cyzicenos in his sacris Bove nigra facere solitos, quam Deæ destinatam pascebant. Τῆς τῶν Φερεφαττίων ἑορτῆς ἐνεστώσης, οἱ μὲν ἠπόρουν βοὸς μελαίνης, καὶ σταιτίνην πλάσαντες τῷ βωμῷ παρέστησαν· ἡ δὲ ἱερὰ, καὶ τρεφομένη τῇ θεῷ, νομὴν μὲν εἶχεν, ὥσπερ τ' ἄλλα βοτὰ τῶν Κυζικηνῶν ἐν τῇ περαίᾳ· κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν ἀποκριθεῖσα τῆς ἀγέλης μόνη διενήξατο πρὸς τὴν πόλιν, καὶ κατέστησεν ἐπὶ τὴν θυσίαν αὑτήν. *Proserpinalia cum appetiissent, & deesset nigra vacca ad sacrificium, ex pasta panis unam effinxerant, aræque admoverant. Sacra autem bos, quæ Deæ alebatur, ut reliqua etiam Cyzicenorum armenta, in opposita pascebantur continente: Hæc eo die a cæteris se bobus dejunxit, solaque ad urbem tranavit, ut ei sacrificio se sisteret.*

ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ.

ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ recte Budæus vertit *Festum deceptionis:* quippe cui præbuit originem ἀπάτη, id est, *deceptio.* Nam cum finium regundorum controversiam inter Athenienses, & Bœotos ortam, Reges Melanthius, & Xanthius certamine singulari dirimere statuissent, Xanthius astu circumventus occubuit. Sed rem universam describit nunquam satis mihi laudatus Aristophanis Interpres, *in Acharnan.* Cujus verba, quamvis pluscula, negligere non potui, quod abunde, vel sola, solennitatem explicent. Λέγει δὲ νῦν περὶ Ἀπατουρίων, ἑορτῆς ἐπισήμου δημοτελοῦς, ἀγομένης παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, κατὰ τὸν Πυανεψιῶνα μῆνα ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας. καλοῦσι δὲ τὴν μὲν πρώτην δόρπιαν· ἐπειδὴ φράτορες ὀψίας συνελθόντες εὐωχοῦντο. Τὴν δὲ δευτέραν Ἀνάρρυσιν ἀπὸ τοῦ θύειν.

A ἔθυον δὲ Διὶ φρατρίῳ, καὶ Ἀθηνᾷ. Τὴν δὲ τρίτην Κουρεῶτιν, ἀπὸ τῶν κούρων, καὶ τὰς κόρας ἐγγράφειν εἰς τὰς φρατρίας· ἐν ᾗ ἐγράφη ἐν τῇ πολιτείᾳ ὁ υἱὸς Σιτάλκου· ἡ δὲ αἰτία. Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ξάνθιος δὲ Βοιωτὸς προεκαλέσατο τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην· οὐ δεξαμένου δὲ, Μελάνθιος ἐπιδημῶν, Μεσσήνιος τὸ γένος, ἀπὸ Περικλυμένου τοῦ Νηλέως ὑπέστη ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ. Μονομαχούντων δὲ ἐφάνη τῷ Μελανθίῳ τὶς ὄπισθεν τοῦ Ξανθίου, τραγῆν, τουτέστιν, αἰγίδα μέλαιναν ἐνημμένος. ἔφη οὖν ἀδικεῖν αὐτὸν, δεύτερον ἥκοντα. ὁ δὲ ἐπεστράφη. ὁ δὲ παίσας ἀποκτείνει αὐτόν. ἐκ δὲ τούτου, ἥτε ἑορτὴ Ἀπατούρια, καὶ Διονύσου Μελαναιγίδος ἱδρύσαντο. *Loquitur nunc de Apaturiis, festo nota-*
B *bili & publico, quod agitur mense Pyanepsione ad tres dies. Vocant quidem primum* Δόρπιαν, *Cœnæ diem, quo sodales, & tribules vespere convenientes epulabantur. Alterum vero* Ἀνάρρυσιν, *a sacrificando; sacrum enim fiebat Jovi Sodali, & Minervæ. Tertium,* Κουρεῶτιν, *id est, Puellarem; quod tum pueros, & puellas, in tribus adscriberent, quando donatus est civitate filius Sitalci. Fuit autem causa festi hæc: Bellum erat Atheniensibus cum Bœotiis, de Celænis, quæ est Regio in confiniis. Xanthius Bœotius provocavit Regem Atheniensium Thymœtem; quo non recipiente certamen, Melanthius, qui tum ibi erat peregrinus, Messenius genere, a Periclymene Nelei filio*
C *præfectus est regno. Cum vero pugnarent, visus est Melanthio quidam a Xanthii tergo consistere, nigram capræ pellem indutus. Exclamavit ergo, inique eum agere, qui comitatus altero, in pugnam veniret. Bœotius cum se convertisset occisus est a Melanthio, hinc festum deceptionis, & Dionysii Melanægidos, id est, nigræ capræ pellem habentis, templum exstruxerunt.* Quamobrem qui genus suum referebant ad Melanthium, id est, omnes vere Iones, Apaturia celebrabant, exceptis Ephesiis & Colophoniis. Herodotus *lib.* I. *c.* XXVII. Ἔστωσαν δὲ καὶ οἱ καθαρῶς Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνῶν γεγόνασι, καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ἑορ-
D τήν. ἄγουσι δὲ πάντες, πλὴν Ἐφεσίων, καὶ Κολοφωνίων. Οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια, καὶ οὗτοι κατὰ φόνου τινὰ σκῆψιν. *Ac gemini Iones omnes, quotquot Athenis oriundi Apaturia celebrant. Celebrant autem omnes præter Ephesios, & Colophonios, qui soli ex Ionibus ab Apaturiis arcentur, idque ob cædis patratæ causam.* Porro quæ *ad Acharnanes* Aristophanis Interpres exposuit, eadem repetit *in Pace*, & *Suidas* ad verbum excerpsit. nisi quod dies quatuor enumerat: uti etiam tot fuisse confirmat *Harpocration*; Ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἣν ἄγουσι Πυανεψιῶνι, ἐφ' ἡμέρας τέτταρας. *Hesychius*; Ἀπατούρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐπὶ ἡμέρας τέσσαρας· ὧν ἡ πρώτη, δορ-
E πία καλεῖται, ἡ δὲ δευτέρα Ἀνάρρυσις, ἡ τρίτη Κουρεῶτις, ἡ δὲ τετάρτη Ἐπίβδα. *Apaturia, festum Athenis ad quatuor dies: quorum primus Dorpia dicitur, secundus Anarrhysis, tertius Cureotis, quartus Epibda.* Δορπία vocatur, quod tum Sodales, sive Tribules simul cœnarent, a voce δόρπος, quæ vespertinas epulas significat. Δορπίαν auspicabantur Προτένθαι, id est, *Prægustatores*, quorum Athenis collegium fuit. Athenæus *lib.* IV. Phoci decretum adfert, Ἐν ᾧ ὥσπερ τι σύστημα οἱ Προτένθαι εἰσί, καθάπερ παράσιτοι. *In quo velut quoddam Collegium sunt Protenthæ, velut etiam Parasiti.* Et supra monui Parasitorum venerabile, ac sanctum fuisse nomen, non secus ac Romæ
F virorum Epulonum. Huc faciunt versus *Philyllii.*

Βούλεσθε δῆτ' ἐγὼ φράσω τίς εἰμ' ἐγώ;
Ἡ τῶν Προτενθῶν Δορπία καλουμένη.
Vultis sane ut eloquar quis sim ego?
Protentharum Dorpia vocata.

Secundus dies est Ἀνάρρυσις, quo sacrificabant Tribules Jovi Sodali, & Palladi. Nam ut *Scholiastes* Aristophanis exponit, & ex eo *Suidas*, ἀναρύειν est ἐπιθύειν, & θυσίαν ἐπιτελεῖν, *sacrificare, & sacri-*

ficium peragere. Atque hoc est quod *Homerus* dicit, αὐερύειν, id est, ἀνατρέπειν, *resupinare*. Nam si quando Diis superis sacrificabant, hostiam resupinabant, ut cælum intueretur. Eustathius *ad Iliad.* α'. Ἔθος ἑλληνικὸν, εἰ μὲν τοῖς ἄνω θεοῖς ἔθυον, ἀνακλᾶν τὸν τοῦ ἱερείου τράχηλον, ὥστε ἐφορᾶν ὡς ὁρᾶσι· *Mos fuit Græcus, si diis superis sacrificabant, invertere victimæ cervicem, ita ut cælum perspiceret*. Ἐὰν μέντοι Ἥρωσιν, ἢ ὅλως τοῖς κατοιχομένοις ἔθυον, κάτω τὸ ἱερεῖον ἀποβλέπον ἔσφαζον. *Ut contra si Heroibus, aut mortuis sacrificabant, pronas victimas mactabant*. Ritum optime declarat Sophocles in *Ajace flagellifero*, quem furore correptum in pecudes sævientem inducit.

Καὶ τοὺς μὲν ηὐχένιζε, τοὺς δ' ἄνω τρέπων
Ἔσφαζε, κἀρράχιζε.
Hinc capite truncat, inde resupinat, necat,
Jugulatque quasdam.

Igitur ἀναρύειν, est hostiam ἀνατρέπειν, καὶ ἀναφέρειν, id est, *ad sacrificandum resupinare*; quod fiebat in sacris Deorum superum, quales sunt Jupiter & Pallas, quibus hac Ἀναρρύσιος die sacrificabatur.

Tertius Κουρεῶτις, sic dictus παρὰ τῆς κουρᾶς, ἢ τῶν κούρων, *a tonsura, aut a pueris*. Nam a Parentibus Pueri ad Tribules adducebantur, ibique tondebantur, & Sodalitatibus, sive Tribubus adscribebantur. Quod respondet, opinor, Romanorum mori, quo virilem togam Adolescentes sumebant, & primam barbam ponebant, de quo Suetonius *in Caligula, cap.* X. & *Nerone, cap.* XII. Igitur & apud Græcos, Adolescentes ad annos pubertatis, in honorem alicujus Dei, capillum alebant, quem propterea θρεπτήριον vocabant. Eum deinde, ubi tondebantur, in ejus Dei templo consecrabant, in cujus honorem se gestasse professi fuerant. Quod quia Apollini frequenter accidebat, illum ideo Κουροτρόφον appellarunt. Demosthenes *in provocat. contra Eubuliden*, Παιδίον ὄντα με εὐθέως ἦγον εἰς τοὺς φράτορας, εἰς Ἀπόλλωνος πατρῴου ἦγον, εἰς τ' ἄλλα ἱερά. *Cum puerulus etiam num fui, me statim ad Curiales duxerunt, in ædem Apollinis Patrii duxerunt, in reliqua item templa*. Nulla tamen Religio certo Numini eos adstringebat: nam Puellæ Atticæ, ut author est *Pausanias*, primitias comarum ad sepulchrum Iphinoæ deponebant. Elææ Virgines Opi, & Hecaergæ, dicabant. Atheniensium vulgus Herculi consecrare soliti. *Hesychius*, Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρεσθαι τὸν μαλλὸν, εἰσέφερον Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου, καὶ σπείσαντες τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδουν πίνειν· ἡ δὲ σπονδὴ ἐκαλεῖτο οἰνιστήρια. *Athenis futuri puberes, antequam deponerent comam, offerebant Herculi mensuram vini, & cum libassent, iis qui convenerant, bibendum porrigebant. Ipsa vero libatio vocabatur Oenisteria*. Nobiliores autem, & qui supra vulgus existimari volebant, antiquo instituto, cujus meminit Plutarchus *in Theseo*, comam suam Apollini Pythio vovebant, & Delphos proficiscebantur, cum deponendi tempus advenisset. At Κουρεώτιδος die consecrasse Dianæ comam expresse docet *Hesychius*. Κουρεῶτις, μηνὸς Πυανεψιῶνος ἡμέρα, ἐν ᾗ τὰς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τῶν παίδων ἀποκείροντες τρίχας Ἀρτέμιδι θύουσι. *Cureotis mensis Pyanepsionis dies, quo capillos capitis puerorum detondentes, Dianæ sacrificant*. Sacrificium fiebat κορίῳ, id est, Coriandro: author est Pollux *libro* VIII. multa namque in rem divinam veniunt, διὰ τὴν τῆς ὀνομασίας κοινότητα, *ob nominis communionem*, ut inquit Athenæus *lib.* VI. Atque isthæc in tribus adscriptio præcipuus fuit actus totius solennitatis, atque inde nomen Ἀπατουρίων fluxisse nonnulli existimarunt. *Enarrator* Aristophanis: Οἱ δέ φασιν, ὅτι τῶν πατέρων ὁμοῦ συνερχομένων, διὰ τὰς τῶν παίδων ἐγγραφὰς, οἷον ὁμοπατόρια λέγεσθαι τὴν ἑορτὴν, ὁποίῳ τρόπῳ λέγομεν, ἄλοχον τὴν ὁμολεκτρον· καὶ ἄκοιτιν, τὴν ὁμόκοιτιν· οὕτω καὶ ὁμοπατόρια, ἀπατόρια. *Ajunt alii convenientibus Patribus ad inscriptionem liberorum, quasi ὁμοπατόρια, a conventu Patrum appellari festum; qua forma dicimus, ἄλοχον, uxorem, quasi ejusdem lecti participem, & ἄκοιτιν tanquam ὁμόκοιτιν, id est, cubilis sociam. sic ab ὁμοπατόρια fieri, ἀπατόρια*. Idem præterea colligere licet ex Xenophonte *lib.* I. Ἑλληνικῶν, ubi facta Apaturiorum mentione hunc Patrum congressum solummodo memorat: Μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο Ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες, καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς. *Secuta sunt Apaturia, in quibus Patres & Propinqui inter se convenire solent*. Etymolog. nominis rationem adfert, quod ante eam inscriptionem Pueri viderentur ἀπάτορες, id est, *sine Patre*: Ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ τοὺς γεννωμένους ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ παῖδας τότε ἐνέγραφον ὀμνύντες οἱ πατέρες, ἦ μὴν Ἀθηναίους ἐξ αὐτῶν Ἀθηναίων ἐδόκουν τε οἱ παῖδες πρὸ τούτου ἀπάτορες ὄντες, τότε πατέρας ἔχειν. In eo conventu Patres certaminis loco, & explorandi ingenii caussa filiis suis Poetarum carmina recitanda proponebant. Plato *in Timæo*: Ἡ δὲ κουρεῶτις ἡμῖν οὖσα ἐτύγχανεν Ἀπατουρίων. τὸ δὲ τῆς ἑορτῆς σύνηθες ἑκάστοτε, καὶ τότε συνέβη τοῖς παισίν. Ἆθλα γὰρ ἡμῖν, οἱ Πατέρες ἔθεσαν ῥαψῳδίας· πολλῶν μὲν οὖν δὴ καὶ ἐλέχθη Ποιητῶν ποιήματα· ἅτε δὲ νέα κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα τὰ Σόλωνος πολλοὶ τῶν παίδων ᾔσαμεν. *Erat Apaturiorum solennis dies* Κουρεῶτις: *quod vero illis festis fieri semper solet, tunc etiam contigit. Parentes enim certaminis loco rapsodias nobis proponebant: multorum ergo multa Poetarum carmina recitata sunt; & Solonis quidem, quod tunc nova essent, plerique nostrum decantavimus*. Hactenus authores, & qui festos dies Apaturiorum quatuor, & qui solum tres statuunt, eodem ordine recensent, quem secuti sumus. Sed Proclus *libro* I. *in Timæum Platonis*, cum tres tantum dies agnoscat, etiam alio ordine enumerat; Τὰ Ἀπατούρια, ἑορτή τις οὖν εἰς Διόνυσον ἐπὶ τῇ Μελάνθου, καὶ Ξάνθου τοῦ Βοιωτοῦ μονομαχίᾳ, καὶ νίκῃ τοῦ Μελάνθου δι' ἀπάτης, Βοιωτῶν, καὶ Ἀθηναίων ὑπὲρ Οἰνόης πολεμούντων ἀλλήλοις. ἐπιτελεῖτο δὲ, ἐν ἡμέραις τρισὶν, ὧν πρώτη μὲν ἐκαλεῖτο Ἀνάρρυσις, διότι πολλαὶ θυσίαι ἐν αὐτῇ ἐδρῶντο· τὰ δὲ θύματα, ἐκάλουν ἀναρρύματα· ἐπειδὴ ἀνελκόμενα, καὶ ἐρυόμενα ἄνω ἐθύετο. ἡ δὲ δευτέρα, δορπία· εὐωχίαι γὰρ ἐν ταύτῃ, καὶ δεῖπνα πολλά. ἡ δὲ τρίτη, Κουρεῶτις. ἐν ταύτῃ γὰρ τοὺς κούρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς φράτορας, τριετεῖς, καὶ τετραετεῖς ὄντας. *Apaturia, festum in honorem Bacchi ex Melanthi, & Xanthi duello, & victoria per dolum parta. Agebatur per tres dies; quarum prima vocabatur Anarrhysis; quod multa tum sacrificia fierent, quæ vocabantur Anarrhymata, quoniam resupinata, & sursum retracta immolarentur. Secunda Dorpia; epulæ enim in ea, & convivia multa. Tertia Cureotis, quod* κούρους, *id est, pueros in Tribus referrent trimos, & quadrimos*. Quarta dies Ἐπίβδα: sed quid in ea fieri solitum, Authores non expediunt. *Hesychius*. Ἐπίβδαι, αἱ μεθέορτοι ἡμέραι, ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνεσθαι ταῖς ἑορταῖς, οὐκ οὔσας ἐξ αὐτῶν. ἢ ἐπίβδα, κατὰ πρόθεσιν β'. διὰ τὸ ἐπὶ δαιτὶ, καὶ ἑορτῇ ἄγεσθαι αὐτάς. *Dies feriarum postridianæ, quod licet in festorum numero non sint, festis tamen accedant: ab ἐπὶ & δαιτὶ, post convivium sive festum ita dictæ per adjectionem litteræ B*. Suidas: Ἐπίβδαι, αἱ μεθέορτοι ἡμέραι, διὰ τὸ πρὸς ἐπίδειξιν ταῖς προτέραις ἡμέραις γενέσθαι, ἄλλης ἐπιβαινούσης. *Epibdæ post feriales dies, quod prioribus diebus in specimen fiant, alia superveniente*. Ergo non peculiaris dies, sed festorum accessio est, ut cum peracta solennitate repotia celebrantur. Atque hanc forsan ob causam, *Scholiastes* Aristophanis, & *Proclus* ipsis Apaturiorum diebus non adnumerarunt.

ΑΡΡΗΦΟΡΙΑ.

IN cujus Dei honorem Athenienses celebrarint Arrhephoriam, incertum fecit ipsa vocis scriptura. Alii enim Ἀῤῥηφορίαν expresserunt, alii Ἑῤῥηφορίαν, vel Ἑρσηφορίαν. Hinc Autores alii Minervæ, alii Hersæ, Cecropis filiæ tribuerunt. *Vetus Etymologicum*: Ἀῤῥηφορία, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῇ Ἀθηνᾷ ἐν τῷ Σκιροφοριῶνι μηνί. *Arrhephoria, festum, quod Minervæ celebratur, mense Scirophorione*. Deinde nominis rationem addens, Ἀῤῥηφορίαν dici ait, tanquam ἀῤῥητοφορίαν, διὰ τὸ ἄῤῥητα, καὶ μυστήρια φέρειν, *a gestatione secretorum*. Notat etiam dici Ἑρσηφορίαν, παρὰ τὴν Ἕρσην, τὴν Κέκροπος θυγατέρα, ὅτι ταύτῃ ἦγον τὴν ἑορτήν, *Ab Herse filia Cecropis, quod ipsi agerent festum*. Hesychius Ἀῤῥηφορία· ἑκατέρως λέγουσιν οἱ συγγραφεῖς. κἂν διὰ τὸ Ε, Ἑρσηφορία, διὰ τὸ τῆς Ἕρσης ἐγκατελῆφθαι τὴν πομπήν. ἐὰν δὲ διὰ τὸ Α, ἐπὶ ἀῤῥήτοις συνέστη. Hinc non capio qui sibi velit, διὰ τὸ τῆς Ἕρσης ἐγκατελῆφθαι τὴν πομπήν. Forte scribendum διὰ τὸ τῇ Ἕρσῃ ἐπιτελεῖσθαι τὴν πομπήν, ut sit sensus. *Bifariam scribunt authores: & si per Ε', Hersephoria, quod Hersæ pompa celebretur: si per Α', ab ἀῤῥήτοις, id est, arcanis, nomen est compositum*. Atque ita esse restituendum ipsemet *Hesychius* suo loco manifeste demonstrat; Ἑῤῥηφόροι, οἱ τῇ Ἕρσῃ ἐπιτελοῦντες τὰ νομιζόμενα. *Qui Hersæ legitimos ritus peragunt*. Suidas: Ἀῤῥηφορία, θυσία· εἰ μὲν διὰ τὸ Α', Ἀῤῥηφορία, ἐπειδὴ τὰ ἄῤῥητα ἐν κίσταις ἔφερον τῇ θεῷ αἱ παρθένοι. Εἰ διὰ τὸ Ε', Ἑρσηφορία· τῇ γὰρ Ἕρσῃ ἐπόμπευον τῇ Κέκροπος θυγατρί. *Arrephoria, sacrificium: si quidem per Α' scribatur*. Ἀῤῥηφορία, *quia Deæ secreta ferebant in cistis virgines. Si per Ε', Hersephoria. Nam Hersæ Cecropis filia pompam ducebant*. Omnes igitur in eo conveniunt, aut Palladi, aut Hersæ fuisse dicatam solennitatem Ἀῤῥηφορίας: & fortitan utrique: nam origo utramque spectat. Pallas Hersæ, Aglauro, Pandroso servandum dedit Erichthonium cistula inclusum, & inspicere prohibuit: Hersen, & Pandroson reverentia mandati continuit; Aglauron vero curiositas vetito accensa perculit. Ovidius *lib.* II. *v.* 553. *Transformationum*.

Pallas Erichthonium prolem sine matre creatam
Clauserat Actæo texta de vimine cista:
Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis
Servandum dederat; sed enim inconfessa quid esset,
Et legem dederat, sua ne secreta viderent.
Abdita fronte levi, densa speculabar ab ulmo,
Quid facerent; commissa duæ sine fraude tuentur,
Pandrosos, atque Herse. Timidas vocat una sorores
Aglauros, nodosque manu deducit, & intus
Infantemque vident, exporrectumque Draconem.

Ut hæc fabula, sive Historia festiva pompa repræsentaretur, Virgines arcana in cistis orgia gestabant, in memoriam secreti, quod Pallas natis Cecrope commisit. Sed *Pausanias* longe discrepat ab *Ovidio*: narrat enim Athenis esse lucum Aglauri; eique & Hersæ, & Pandroso sororibus a Minerva datum Erichthonium cistæ inclusum, vetitumque ne depositum viderent. Pandroson vero solam mandata servasse, atque ideo contiguam Minervæ templo domum obtinuisse. Hersen autem, & Aglauron, quod cistam resignassent in furorem actas, e prærupto arcis loco in præceps se dedisse. Quamcumque vero fabulæ partem admittamus nihil interest: nam Pandroson & Aglauron, quamvis violati commissi reas fuisse, divinis honoribus affectas memoriæ prodidit Athenagoras. *Quin etiam Aglauro Athenienses, & Pandroso ludos faciunt, ac sacrificia, tametsi & piaculum in hoc fecisse judicatæ fuerint ipsæ, quod arcam reserarint*. Cæterum Virgines sacrorum administræ vocantur Ἀῤῥηφόροι. Hæ numero quatuor ex nobilitate designabantur: quarum duæ ad ordiendam Palladii Pepli texturam electæ, candida, vel etiam aurea veste ornabantur. *Harpocration*: Τέσσαρες μὲν ἐχειροτονοῦντο δι' εὐγένειαν Ἀῤῥηφόροι· δύο δὲ ἐκρίνοντο, αἳ τῆς ὑφῆς τοῦ πέπλου ἦρχον καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ αὐτόν. λευκὴν δὲ ἐσθῆτα ἐφόρουν· καὶ εἰ χρυσία περιέθεντο, ἱερὰ ταῦτα ἐγίνοντο. *Quatuor quidem designabantur ex nobilitate* Ἀῤῥηφόροι. *Duæ vero seligebantur, quæ texturam Pepli ordiebantur, & alia ad illum pertinentia. Albam vestem ferebant; & si aurea ponebantur, sacra illa fiebant*. Eadem ipsa totidem prope verbis apud *Hesychium*, & *Suidam* reperiuntur. In *Etymologico* nonnulla particulatim afferuntur, quorum illi non meminerunt: Ἀῤῥηφορεῖν τὸ χρυσῆν ἐσθῆτα φορεῖν καὶ χρυσία· τέσσαρες δὲ παῖδες ἐχειροτονοῦντο κατ' εὐγένειαν Ἀῤῥηφόροι, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ, μέχρις ἕνδεκα· τούτων δὲ δύο διεκρίνοντο, οἱ διὰ τῆς τοῦ ἱεροῦ πέπλου ἤρχοντο, καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ αὐτόν. λευκὴν δὲ ἐσθῆτα ἐφόρουν, καὶ χρυσία. Eadem omnino traduntur in *veteri Lexico*; quæ differunt ab aliis, quod hic non Virgines, sed Pueros, & quidem ab anno septimo ætatis ad undecimum eligi prodatur; quorum duo sacri Pepli texturam ordiantur.

ΑΡΚΑΔΙΚΗ ΕΟΡΤΗ.

ARcadicum festum memorat *Scholiastes* Theocriti *ad Idyllium* VII. in quo Pueri Pana squillis soliti sint verberare. Ἑορτή, φασιν, ἐτελεῖτο ἐν τῇ Ἀρκαδίᾳ, ἐν ᾗ οἱ Παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις ἔτυπτον, ὅτε οἱ Χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον ἔθυον, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσι. *Festum, ut ajunt, celebrabatur in Arcadia, in quo Pueri Pana squillis verberabant, quando choragus tenuem victimam immolabat, nec edentibus sufficientem*. Et *paulo post* aliud ex Munato adfert: Μούνατος δέ φησιν ἑορτὴν Ἀρκαδικὴν εἶναι· ἐν ᾗ οἱ Παίονες τὸν Πᾶνα σκίλλαις βάλλουσι. Χῖοι δὲ, ὅταν οἱ Χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον θύσωσι, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσι. *Munatus vero ait festum Arcadicum esse, in quo Pæones Pana squillis impetunt: Chii autem hoc faciunt, quando Choragi tenuem hostiam sacrificassent, & epulantibus non sufficientem*. Atque huc respexit Theocritus, *v.* 106. *&c.*

Κ' ἢν μὲν ταῦτ' ἔρδοις, ὦ Πὰν φίλε, μή τί τυ παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε, καὶ ὤμους,
Τανίκα μαστίσδοιεν ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.
Hæc mihi si præstes, Pan optime, ne tibi rursus
Arcadici scillis pueri tergumque latusque
Sollicitent, prædæ si spes frustrarit opimæ.

Quamvis hæc aliter explicari possint, Panem venationis præsidem Arcades observarunt, eumque singulari cultu prosequebantur, si ex animi sententia venatus evenisset; si contra accidisset, squillis excipiebant: Οἱ Ἄρκαδες ἐπὶ θήραν ἐξιόντες, εἰ μὲν εὐθηρίας ἔτυχον, ἐτίμων τὸν Πᾶνα. εἰ δὲ τοὐναντίον, σκίλλαις εἰς αὐτὸν παρῴνουν, παρόσον ὡρίων τῆς θήρας ἐπιστατεῖ. *Arcades ad venationem prodeuntes, siquidem felicem capturam nacti erant, Pana honorabant, sin minus, scillis in eum sæviebant, quatenus tempestati venationis præest*. En ludum superstitionis: hic Deus vapulat. In Deliis ara pulsatur. Benigniores tamen hi erga seipsos, quam qui in suum ipsorum tergum sæviebant; ut Aleæ mulieres cum Sciereum Bacchi festum celebrarent: & apud Spartanos Ephebi cum Orthiæ Dianæ facerent. Author est Pausanias *in Arcadicis*.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ Dianæ, (quam Græci Ἄρτεμιν vocant) feſtum eſſe memoriæ prodidit Pollux *lib.* I. *cap.* I. Præcipue celebrarunt Cyrenæi. Athenæus *lib.* XII. Ἀρτεμίσια, μεγίστη ἐν Κυρήνῃ ἑορτή. *Artemiſia maximum Cyrenæ feſtum*. Eadem apud Delphos ſolennitas, in qua Deæ Venatrici mullum ſacrificabant. Athenæus *lib.* VII. Ἡγήσανδρος ὁ Δελφὸς τρίγλην παραφέρεσθαι, ἐν τοῖς Ἀρτεμισίοις, διὰ τὸ δοκεῖν τοὺς θαλαττίους λαγὼς θανασίμους ὄντας θηρεύειν ἐπιμελῶς, καὶ καταναλίσκειν· διόπερ ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀνθρώπων τοῦτο ποιοῦσα τῇ κυνηγετικῇ θεῷ ἡ κυνηγέτις ἀνάκειται. *Hegeſander Delphus in Dianæ feſtis mullum offerri ideo ſcribit, quia illum exiſtiment venenatum, & mortiferum leporem marinum venari, ac conficere. Quare cum ſalutis hominum cauſa id faciat, Venatrici Deæ venator mullus dicatur.*

ΑΣΚΛΗΠΙΑ.

SIc vocant Æſculapii feſtum. Pollux *libro* I. *cap.* I. Ipſi etiam Agones Ἀσκλήπια dicuntur in antiquis inſcriptionibus Smetii *pag.* 314. Et *pag.* 415. fit mentio, ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ. *Sacrorum certaminum magnorum Aſclepiorum.*

ΑΣΚΩΛΙΑ.

ASCOLIA Ruſtici Athenienſes in honorem Bacchi celebrarunt, ſic ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, id eſt, *ab utre* nuncupata. Nam cum, *victimæ numinibus aut per ſimilitudinem, ut inquit* Servius II. *Georgicorum aut per contrarietatem immolentur*, Caper qui obeſt vitibus, ceu grata hoſtia, Libero ſacrificatur. *Phornutus*: Τὸν δὲ τράγον αὐτῷ θύουσι διὰ τὸ λυμαντικὸν δοκεῖν ἀμπέλων. *Hircum ipſi immolant, quia noxium vitibus animal eſt.* Hinc verſus *Eveni*.

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.
Etſi me roſeris ad radicem, tamen adhuc feram.
Quantum libari in te, Hirce, poſſit ſacrificatum.

Quos in Domitianum fuiſſe detortos author eſt Suetonius *cap.* XIV. Et quo inviſum Baccho animal pejus tractarent, & ut Servius ait, *ne quid ex eo eſſet, quod non ſentiret injuriam*, pellem detrahebant, atque inflabant, in quam ſublimi ſaltu juvenes ſe librabant: ac ne ſpectaculum riſu careret, unguine lubricabant, ut præcipiti magis lapſu in terram gliſcerent. *Suidas*: Ἑορτὴ οἱ Ἀθηναῖοι ἦγον τὰ Ἀσκώλια, ἐν ᾗ ἥλλοντο τοῖς ἀσκοῖς αἰγείοις, εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. *Feſtum Athenienſes agebant Aſcolia, in quo utribus caprinis inſiliebant in honorem Bacchi*. Scholiaſtes Ariſtophanis *in Pluto*: Κυρίως δὲ ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ ἐπὶ τῶν ἀσκῶν ἅλλεσθαι, ἕνεκα τοῦ γέλωτα ποιεῖν. ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκοὺς πεφυσημένους, καὶ ἀληλιμμένους, εἰς οὓς ἐναλλόμενοι ἐνωλίσθαινον, καθάπερ Εὔβουλός φησι. *Proprie ἀσκωλιάζειν dicebant in utres inſilire ad movendum riſum. In medio autem Theatri ponebant utres inflatos, & inunctos, in quos inſilientes labebantur, quemadmodum Eubulus ait*. Verba *Eubuli* ſunt: Καὶ πρός γε τούτοις ἀσκὸν εἰς μέσον καθέντες εἰσάλλεσθε, καὶ καγχάζετε ἐπὶ τοῖς καταρρέουσι. *Ad hæc, utrem in medio ſtatuentes inſultate, & ridete labentes*. Uno tantum pede in utrem ſaltabant. Pollux *lib.* II. Ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ τῷ ἑτέρῳ ποδὶ ἅλλεσθαι. *Heſychius*: Ἀσκωλίζοντες ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἀλλόμενοι, *uno pede ſaltantes*. Euſtathius *ad Odyſſ.* κ'. Ἀσκωλιάζειν ὅπερ ἐστὶ κατὰ κυριολεξίαν

A μὲν ἐν ἀσκῷ λιάζειν, ᾧ πεφυσημένῳ ἐμπηδῶντες οἱ βουλόμενοι ἔν τινι ἑορτῇ, οὐκ ἀμφοῖν ποδοῖν, ἀλλὰ ἑνί, καὶ ὡς εἰκός, οὐκ ὀρθοστατοῦντες, ἀλλά πως καὶ καταπίπτοντες ὑπεκίνουν γέλωτα τοῖς θεωμένοις. *Aſcoliazein eſt ſecundum dictionis proprietatem in utre labi, cui inflato inſilientes, qui volebant in feſto aliquo, non ambobus pedibus, ſed uno, & ut veroſimile eſt, non recte conſiſtentes, ſed interdum cadentes, ſpectantibus riſum movebant*. Tzetzes ad *Heſiodi* ἔργα: ἐγένετο δὲ τὰ Ἀσκώλια οὕτως. Ἀσκοὺς πεφυσημένους τιθέντες παρὰ γῆς, ἑνὶ ποδὶ ἐφαλλόμενοι ἄνωθεν τούτων ἐφέροντο, καὶ πολλάκις καταλισθαίνοντες εἰς γῆν ἔπιπτον· τοῦτο δὲ ἐποίουν, τιμῶντες τὸν
B Διόνυσον· ὁ δὲ ἀσκὸς δέρμα τράγου ἐστίν. ὁ δὲ τράγος τοὺς θαλλοὺς τῆς ἀμπέλου τρώγων λυμαίνεται. *Fiebant Aſcolia in hunc modum; inflatos utres in terra ſtatuentes, uno pede ſaltantes in illos ex ſuperiore loco ferebantur, & ſæpe labentes in terram cadebant. Hoc vero faciebant in honorem Bacchi. Uter enim hirci pellis eſt. Hircus germina vitis rodens lædit*. Virgilius elegantiſſime ſacrificii cauſam, & Feſti ritum deſcribit, II. *Georg.* v. 378. &c.

Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
C *Non aliam ob culpam Baccho Caper omnibus aris*
Cæditur; & veteres ineunt proſcenia ludi;
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſeidæ poſuere: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Quod per compita, & pagos Virgilius, hoc per κώμας, id eſt, vicos fieri *Phornutus* ſcribit: Εἰς τὸν ἀσκὸν ἐκβάλλονται, κατὰ τὰς Ἀττικὰς κώμας οἱ γεωργῶν νεανίσκοι. *In utres librantur per Atticos vicos Agricolarum juvenes.*

D

ΒΕΝΔΙΔΕΙΑ.

DIANAM Thraces Βένδιν appellarunt, eique feſtum Βενδιδείων inſtituerunt affine Bacchanalibus. Strabo *lib.* IX. Τοῖς Διονυσίοις ἔοικε καὶ τὰ παρὰ τοῖς Θρᾳξὶ τά τε Κοτύττια, καὶ τὰ Βενδίδια, παρ' οἷς καὶ τὰ Ὀρφικὰ τὴν καταρχὴν ἔσχεν. *Bacchanalibus affinia ſunt apud Thraces Cotyttia, & Bendeia, a quibus & Orphica originem ſumpſerunt*. Athenienſes, gens ſuperſtitioni maxime obnoxia, veriti ne quis Deorum ſe negligi quereretur, etiam Barbarorum ritus accerſiverunt, ut in hoc feſto Proclus oſtendit *libro* I. *in Timæum Platonis*. Et Athenienſibus obſervatam fuiſſe ſolemnitatem *He-*
E *ſychius* docet: Βένδις (Palephatus Βενδείαν appellat) ἡ Ἄρτεμις Θρᾳκιστί· παρὰ δὲ Ἀθηναίοις ἑορτὴ Βενδίδεια. *Bendis Thracum lingua, eſt Diana: apud Athenienſes feſtum Bendideia*. Celebrabantur autem Bendideia in Pyræo vigeſima menſis Thargelionis, idque ante Panathenæa. Proclus loco jam citato: Ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια τοῖς Βενδιδείοις εἵπετο, λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταί, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ. Τὰ μὲν ἐν Πυραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ Ἀθηνᾶν ἑορτάς. *Panathenæis Bendideia præmitti ajunt commentatores, & refert Ariſtoteles Rhodius: Bendideia quidem in Pyræo vigeſi-*
F *ma Thargelionis peragi, ſubſequi vero Minervæ ſolennitates.*

ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ.

BOIΔPOMIA nomen habent ἀπὸ τοῦ Βοηδρομεῖν, quod teſte *Heſych.* & *Suida* eſt μετὰ σπουδῆς παραγίνεσθαι, *cum diligentia adeſſe*, aut potius ſublato clamore, ut in pugna fieri ſolet, ſuccurrere. Feſti cauſam Athenienſibus dedit Ion, qui illis auxilio ve-

A nit, cum ab Eumolpo invaderentur. *Harpocration*: Βοηδρόμια, Ἑορτή τις Ἀθήνησι οὕτω καλουμένη, ἥν φησι Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ νενομίσθαι, ἐπειδὴ Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος. Βοηδρομεῖν γὰρ, τὸ βοηθεῖν ὠνομάζετο, τουτέστιν ἐπὶ μάχην δραμεῖν. *Boedromia, festum Athenis ita vocatum: quod Philochorus ait institutum fuisse, postquam Ion Xuthi filius cum festinatione Atheniensibus auxilium tulit, quando Eumolpus Neptuni filius, regnante Erechtheo illis bellum inferebat. Nam* Βοηδρομεῖν *dicebant auxiliari, hoc est, ad pugnam currere*. Suid. dum ista exscriberet, se indiligenter habuit, B quod Xuthum Atheniensibus auxilio venisse narrat. Ἐστὶ δὲ Βοηδρόμια ἑορτή τις Ἀθήνησι καλουμένη, καθ' ἣν ἡμέραν ἐβοήθησεν ὁ Ξοῦθος πολλῇ σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπ' Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος. Ἐρεχθεὺς τότε τῶν Ἀθηναίων ἐβασίλευσεν. Forte legendum, Ἴων ὁ Ξούθου. Neque enim Xuthum, sed Ionem Atheniensibus suppetias tulisse scribit quoque Pausanias in *Atticis*: Et Aristides in *Eleusina*, Ἴων Ἀθήναζε ἐβοήθησεν. *Ion Athenas auxilio venit*. At Plutarchus *in Theseo*, festi causam a bello contra Amazonas gesto deducit, quod eas Theseus mense Βοηδρομιῶνος, facta Apollini re divina, profligasset, unde & Βοηδρόμιον Ἀπόλλωνα coluerunt. Verba C *Plutarchi* sunt: Ἡ μὲν οὖν μάχη Βοηδρομιῶνος ἐγένετο μηνὸς, ἐφ' ᾗ τὰ Βοηδρόμια μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι θύουσιν. *Commissa mense Boedromione pugna est; cujus causa in hunc usque diem Athenienses* Βοηδρόμια *peragunt*. Callimachus in *Hymno Apollinis*, v. 69.

Ἀπόλλων, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι.
Phœbe, Boedromium quidam te nomine dicunt.

ΒΟΥΦΟΝΙΑ.

ΒΟΥΦΟΝΙΑ a cæde Bovis dicta, inter antiquissima Atheniensium festa recenset Aristoph. in *Nebulis*: quo loco *Scholiastes* & tempus, & origi- D nem exponit: Βουφόνια παλαιὰ ἑορτή· ἥν φασιν ἄγεσθαι μετὰ τὰ μυστήρια, ὅτε καὶ βοῦν θύουσιν εἰς ὑπόμνησιν τοῦ πρώτου φονευθέντος βοὸς, ἐν Ἀκροπόλει, ἁψαμένου τοῦ πελάνου ἐν τῇ ἑορτῇ τῶν Διονυσίων. *Buphonia antiquum festum, quod agi dicunt post mysteria, quando & Bovem immolant in memoriam Bovis primum occisi in arce, qui molam attigerat in festo Bacchanalium*. Verum apud eundem Authorem Androtion, in Diipoliis, non in Bacchanalibus voratam a Bove molam tradit. Ἑορτὴ, inquit, πάνυ ἀρχαία. ἐν γὰρ τοῖς Διιπολίοις φασὶ βοῦν τὸ πόπανον καταφαγεῖν τὸ παρασκευασμένον πρὸς τὴν θυσίαν· Βαύλωνα δέ τινα, E ὡς εἶχε, τῷ πελέκει ἀποκτεῖναι τὸν βοῦν. *Festum Atheniensium omnino vetustum. nam in Diipoliis ajunt Bovem placentam, sive libum devorasse sacrificio præparatum: Baulonem vero quendam securi bovem occidisse*. Hesych. Βουφόνια ἑορτὴ Ἀθήνησιν· ἐν γὰρ τοῖς Διιπολείοις βοῦν καταφαγεῖν τὸ παρασκευασμένον πόπανον τῇ θυσίᾳ, οἷον πλακούντιον ἐξ ἄρτου. *Buphonia festum Athenis: nam in Diipoliis ajunt Bovem devorasse libum sacrificio paratum, id est, placentam ex pane*. Androtionis verba sublegit Suidas; nisi quod corrupte Θαύλωνα, pro Βαύλωνα, vulgati codices habeant. Pausan. in *Atticis* addit interfectorem bovis aufugisse confestim, & reliquis- F se bipennem, quæ in judicium vocata fuerit, & absolutam; idque in ritum abiisse cæremoniarum. Ἀθηναίων βασιλεύοντος Ἐρεχθέως τότε πρῶτον βοῦν ἔκτεινεν ὁ Βουφόνος ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Πολιέως Διός. καὶ ὁ μὲν ἀπολιπὼν ταύτῃ τὸν πέλεκυν ἀπῆλθεν ἐκ τῆς χώρας φεύγων. ὁ δὲ πέλεκυς ἀφείθη κριθείς· καὶ ἐς τόδε ἀνὰ πᾶν ἔτος κρίνεται. *Erechtheo Atheniensibus imperante, bovem sacerdos, qui Buphonus dicitur, ad Poliei Jovis aram occidit, statimque relicta bipenni e finibus excessit. Bipennis judicio absoluta est, & in hunc*

A *usque diem quotannis judicatur*. At Ælianus *l.* VIII. *Variarum*, *c.* III. singulis ordine judicatis, ensem, sive bipennem condemnari tradit. Ex his præstanda lux est Plutarchi loco e libro de *Solertia animalium*; ubi ait, Bovem interitus ipsum sibi causam extitisse. Quamvis in re tam clara, nescio, cur velut anceps, Bovem aut Suem nominet. Καὶ βοῦς τις, ἢ σῦς αἰτίαν ἔσχε προκειμένων ἱερῶν γευσάμενος, ἐπιτήδειος ἀποθανεῖν. *Et bos, aut sus, quod proposita sibi sacra gestasset, causam suæ necis præbuit*. Igitur Buphonia hujus facti imitationem continebant: quocirca molam inobservationem continebant; quæ ex hordeo, aliisque seminibus confecta, gulam ani- B malis natura sua avidi provocare poterant. Pausan. in *Attic*. Τοῦ Διὸς τοῦ Πολιέως κριθὰς καταθέντες ἐπὶ τὸν βωμὸν μεμιγμένας πυροῖς οὐδεμίαν ἔχουσι φυλακήν· ὁ βοῦς δὲ, ὃν εἰς τὴν θυσίαν ἑτοιμάσαντες φυλάσσουσιν, ἅπτεται τῶν σπερμάτων φοιτῶν ἐπὶ τὸν βωμόν. καλοῦσι δέ τινα τῶν ἱερέων Βουφόνον· καὶ ταύτῃ τὸν πέλεκυν ῥίψας (οὕτω γάρ ἐστιν οἱ νόμος) οἴχεται φεύγων.. *Positum in Jovis Poliei ara hordeum frumento permixtum nulla custodia servatur. Bos autem, quem sacrificio destinatum habent, semina contingit ad aram accedens. Inter sacerdotes quendam vocant* Βουφόνον, *& is projecta securi (hæc enim illi data lex) fuga se* C *proripit*. At cur is qui Bovem licet sacra violantem occiderat, solum vertere debuerit; ratio fortassis est, quod antiquissimo Atheniensium instituto Bovem quemcumque mactari nefas esset; quod subsecutæ leges ad aratorios restrinxerunt. Ælianus l. v. *Variarum*, c. XIV. Βοῦν ἀρότην, καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. Hoc est, *Bovem aratorem, qui jugum trahit, vel cum aratro, vel cum plaustro ne mactes, quoniam ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius*. Plin. *l.* VIII. *c.* XLV. non absimili observantia scribit habitos a Romanis Boves: *Socium* D *enim laboris, agrique culturæ habemus hoc animal, tantæ apud priores curæ, ut sit inter exempla damnatus a Populo Romano, die dicta, qui concubino procaci, rure omasum edisse se negante occiderit Bovem, actusque in exilium, tanquam colono suo interempto*. Igitur percussor Bovis in exilium abiit, relicta securi; quam in jus vocatam Prytaneis absolverunt, quod jure cæsus videretur, qui sacras Deo fruges absumpsisset. Atque hinc mos invaluit, ut contra res inanimatas in Prytaneo judicia exercerentur. Pausan. *in Atticis*: Τὸ δὲ ἐν Πρυτανείῳ καλούμενον, ἔνθα τῷ σιδήρῳ, καὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἀψύχοις δικάζουσιν· ἐπὶ τῷδε ἄρξασθαι νομίζω. &c. *In Prytaneo* E *de ferro, aliisque inanimis judicium fit: cujus rei hoc initium fuisse arbitror*. Deinde pergit narrare ea, quæ superius a me posita sunt. Illud ipsum in Βουφονίοις solenni ritu exhibebant, quod clare indicat Pausanias, in *Attic*. cum ait, Καὶ ἐς τόδε ἀνὰ πᾶν ἔτος κρίνεται, *& in hunc usque diem quotannis judicatur*.

ΒΡΑΥΡΩΝΙΑ.

BRAURON Atticæ vicus est: Sic Aristoph. *Interpres, Hesychius, Suidas*; a quibus dicitur πόλις τῆς Ἀττικῆς, τόπος τῆς Ἀττικῆς. Hunc Diana fertur terris magis omnibus unum coluisse. Unde apud F Athenæum *lib.* VI. Diphilus *in* Ἐλενοφοροῦσι;

Ὦ τοῦδ' ἐποπτεύουσα, καὶ κεκτημένη
Βραυρῶνος ἱεροῦ θεοφιλέστατον τόπον,
Λητοῦς Διός τε τοξόδαμνε πάρθενε.
O Diva tutelaris, quæ tenes
Brauronis sacri Deo gratissimum locum,
Latonæ, Jovisque potens arcu Virgo.

Auxit venerationem loco simulachrum Dianæ vetustissimum, quod ab Iphigenia redeunte e Tauris ibi relictum ad Xerxis usque tempora servarunt.

Pausanias in *Atticis*: Ἔνθα Ἰφιγένειαν τὴν Ἀγαμέμνονος ἐκ Ταύρων φυγοῦσαν, τὸ ἄγαλμα ἀγομένην τῆς Ἀρτέμιδος, ἀποβῆναι λέγουσιν· καταλιποῦσαν δὲ τὸ ἄγαλμα ταύτῃ, καὶ εἰς Ἀθήνας, καὶ ὕστερον ἐς Ἄργος ἀφικέσθαι· ξόανον μὲν δὴ αὐτόθι ἐστὶν Ἀρτέμιδος ἀρχαῖον. *Illuc (Brauronem) Iphigeniam Agamemnonis filiam e Tauris fugientem cum simulachro Dianæ appulisse dicunt: eamque relicto ibi simulachro, Athenas, & postremo Argos devenisse. Statua vero ibidem est antiqua.* Xerxem abstulisse idem refert in *Arcadicis*: Βασιλέα τε τῶν Περσῶν Ξέρξην τοῦ Δαρείου, χωρὶς ὅσα ἐξεκόμισε τοῦ Ἀθηναίων ἄστεως, τοῦτο μὲν ἐκ Βραύρωνος ἄγαλμα ἴσμεν τῆς Βραυρωνίας λαβόντα Ἀρτέμιδος. *Regem Persarum Xerxem, Darii filium, præter ea, quæ ex Atheniensium urbe abstulit, illud quidem ex Braurone simulachrum scimus Brauroniæ accepisse Dianæ.* Igitur ab eodem loco Dianam Brauroniam cognominarunt. *Stephanus*: Βραύρων Δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Βραύρωνος Ἥρωος, ἀφ' οὗ καὶ Βραυρωνία ἡ Ἄρτεμις. *Brauron Populus Atticæ, a Braurone Heroe, unde & Brauronia Diana.* Cui etiam festum dicarunt Βραυρωνίων; in quibus Ilias a Poetis decantabatur, & Dianæ capra immolabatur. *Hesychius*: Βραυρωνίοις τὴν Ἰλιάδα ᾖδον οἱ Ῥαψῳδοὶ ἐν Βραύρωνι τῆς Ἀττικῆς· καὶ Βραυρώνια, ἑορτὴ Ἀρτέμιδι Βραυρωνίᾳ ἄγεται, καὶ θύεται αἴξ. *Brauroniis Iliada Rhapsodi cantabant in Braurone Atticæ pago. Et Brauronia, festum Dianæ Brauroniæ, aguntur, & sacrificatur capra.* Virgines Athenienses ante nuptiarum tempus his sacris initiari necessum erat. Quippe decreto cautum erat, ne qua viro puella traderetur, nisi Dianæ prius consecrata fuisset. Cujus rei causam prolixe narrat *Suidas*: Ἐν Βραυρωνίοις ἀρκτευόμεναι γυναῖκες τῇ Ἀρτέμιδι ἑορτὴν ἐτέλουν, κροκωτὸν ἠμφιεσμέναι, οὔτε πρεσβύτιδες ι' ἐτῶν, οὔτε ἐλάττους ε'. ἀπομειλισσόμεναι τὴν θεόν· ἐπειδὴ Ἄρκτος ἀγρία ἐπιφοιτῶσα διέτριβεν ἐν τῷ δήμῳ Φλαυιδῶν. καὶ ἡμερωθεῖσαν αὐτὴν τοῖς ἀνθρώποις σύντροφον γενέσθαι· παρθένον δέ τινα προσπαίζειν αὐτῇ. καὶ ἀσελγαινούσης τῆς παιδίσκης, παροξυνθῆναι τὴν Ἄρκτον, καὶ καταξέσαι τῆς παρθένου. ἐφ' ᾧ ὀργισθέντας τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῆς κατακοντίσαι τὴν Ἄρκτον. καὶ διὰ τοῦτο λοιμώδη νόσον τοῖς Ἀθηναίοις ἐμπεσεῖν. χρηστηριαζομένοις δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, εἶπε λύσιν τῶν κακῶν ἔσεσθαι, εἰ τῆς τελευτησάσης Ἄρκτου τινὰς ἀρκτεύειν τὰς ἑαυτῶν παρθένους ἀναγκάσουσι. καὶ ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι μὴ πρότερον συνοικίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ. *In Brauroniis sacratæ fœminæ Dianæ festum peragunt, Crocotam indutæ, neque decimo ætatis anno grandiores, neque quinto minores. Quippe ursam ajunt ita mansuefactam, ut in populo Phlavidarum versaretur familiariter, & hominibus compasceretur. Virginem vero quandam cum illa lasciviuscule lusisse: quæ irritata puellam discerpsit. quo facto fratres ejus exacerbatos, ursam jaculis confecisse. ex qua causa pestilentem morbum Atheniensibus incubuisse. Quibus oraculum consulentibus, respondet Deus finem mali futurum, si virginum nonnullas compellerent, in ursæ peremptæ honorem, Dianæ consecrari. & decreto sanxerunt Athenienses, ne qua viro puella cohabitaret, nisi quæ prius Deæ consecrata fuisset.* Atque hunc in morem Dianæ consecrari, ab Ἄρκτῳ, id est, *ursa*, vocant Ἀρκτεύειν. Pollux *lib.* V. *c.* XII. Ἀρκτεύεσθαι δὲ τὰς παρθένους ἔλεγον ὁ Δῆμος Ἀττικός. *Hesychius*: Ἀρκτεῦσαι, τὸ καθιερωθῆναι τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μουνυχίᾳ, ἢ τῇ Βραυρωνίᾳ. Quæ totidem verbis extant apud *Harpocrationem*, & *Suidam*; qui in testimonium adducunt Euripidis *Hypsiphilem*, & Aristophanis *Lemnias*, atque *Lysistratam*. Euripidis *Hypsiphilen*, & Aristophanis *Lemnias* ævi longinqua vetustas nobis invidit. Locus ex *Lysistrata*, ni fallor, est iste v. 646. &c. Quem eo libentius in medium profero, quod usum Crocotæ ostendat, cujus mentionem *Suidas* facit.

Εἶτ' ἀλετρὶς ἡ δεκέτις
Οὖσα τ' Ἀρχηγέτις,
Καταχέουσα κροκωτὸν Ἄρκτος ἐν Βραυρωνίοις.
Deinde molitrix decennis
Existens dux,
Induta Crocotulam ursa eram in Brauroniis.

Hinc discimus ipsas etiam Virgines Dianæ sacras Ἄρκτους vocari. *Harpocration*: Αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι, Ἄρκτοι καλοῦνται. *Suidas*: Καὶ γὰρ αἱ ἀρκτευόμεναι, παρθένοι καλοῦνται: ex *Hesychio* restituendus; Καὶ γὰρ αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι, Ἄρκτοι καλοῦνται. Ipsa initiatio dicitur Ἀρκτεία. *Hesych.* Ἀρκτεία, ἡ τῶν ἀρκτευομένων παρθένων τελετή. Præterea dixit *Aristophanes* Δεκέτις. nam majores decennio a sacris arcebantur: unde δεκατεύειν idem est, quod ἀρκτεύειν. *Harpocration*: Τὸ ἀρκτεῦσαι, δεκατεῦσαι εἴρηκεν ὁ Ῥήτωρ, ἐπειδὴ αἱ δεκέτιδες ἠρκτευον. *Hesychius*: Ἔλεγον δὲ καὶ τὸ ἀρκτεύειν, δεκατεύειν, ἐπεὶ ἔπρασσον αὐτὸ αἱ παρθένοι περὶ τὸν δεκαετῆ χρόνον οὖσαι. Ἀρκτεύειν *dicebatur etiam* Δεκατεύειν, *quoniam hoc Virgines faciebant quæ ætatem decem annorum attigerant.* Atque ex his constat falsum fuisse Interpretem Herodoti *lib.* VII. *cap.* CXXXVIII. ubi refert Atheniensium puellas a Pelasgis raptas cum Brauronia celebrarent: Ἐλόχησαν, Ἀρτέμιδι ἐν Βραύρωνι ἀγούσας ἑορτὴν τὰς τῶν Ἀθηναίων γυναῖκας· ἐντεῦθεν δὲ ἁρπάσαντες τουτέων πολλὰς, οἴχοντο ἀποπλέοντες. *Insidias collocarunt Atheniensium uxoribus diem festum Dianæ ad Brauronem agitantibus, permultisque earum raptis abierunt.* Siquidem ibi de Brauroniis agitur, non possunt per τὸ γυναῖκας Ἀθηναίων, intelligi, *uxores Atheniensium*, cum ab illis arceantur & Virgines, eæque decennibus haud majores tantum admittantur. Quæ cum virginitatis pertæsæ nubere vellent, ad avertendam Dianæ iram, *κανηφόρια* celebrare solebant; de quibus ordine suo agemus.

ΓΑΜΗΛΙΑ.

PRIMUM apud Athenienses Cecrops matrimonii conjunctionem instituit; unde eum διφυῆ nominare cœperunt, ut apud Eustatium ad *Odyss.* Σ'. docet Charax. Et mensem quo nuptias celebrarunt, Γαμηλιῶνα nuncuparunt, Γαμηλίαν præesse crediderunt. Huic etiam ante nuptias sacra faciebant nupturæ, quæ προτέλεια, καὶ προγάμεια, & Ἡρατέλεια dicebantur; eo quod Heram, id est, Junonem, sibi imprimis placatam, reddere studerent. In *Etymologico*, non tantum Junoni, sed Veneri quoque & Gratiis litasse nupturas animadversum est: Οἱ δέ φασιν γαμηλίαν θυσίαν, ἣν ἔθυον τοῖς δημόταις οἱ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφόμενοι, καὶ μέλλοντες γαμεῖν· ἐγίνετο δὲ ἡ θυσία Ἥρᾳ, καὶ Ἀφροδίτῃ, καὶ Χάρισι. *Quidam ajunt Gameliam esse sacrificium, quod inter Populares faciebant, qui Ephebis adscriberentur, aut nuptias celebraturi essent. Fiebat autem sacrificium, Junoni, & Veneri, & Gratiis.* Apud alios tamen hanc invenio distinctionem; sacrificium dici Γαμήλια; Donum vero quod in causam epularum Tribulibus pendebatur, Γαμηλίαν appellari. unde sæpius apud *Demosthenem*, Γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, id est, *nuptiale munus inferre*: quod annotavit etiam Pollux *lib.* III. & *lib.* VIII. Didymus apud *Harpocrationem*, Ἐν μὲν τοῖς Ἰσαίου ὑπομνήμασί φησιν εἶναι τὴν γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν ἐπὶ γάμοις διδομένην. Nuptiale donum inferebatur, cum ipsa mulier ad tribules inscribendi causa duceretur. hinc ipsam inductionem, inscriptionemque Γαμηλίαν quoque dici, ex

ci, ex commentario Didymi in *Demosthenem* refert *Harpocration*, & ex eo *Suidas*: Γαμηλίαν φησὶν εἶναι τὴν εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγωγὴν τῶν γυναικῶν. Ulpianus ad *ejusdem Oratoris provocationem contra Eubuliden*, ait nuptiale donum vocari γαμηλίαν; inductionem vero ad Tribules γαμηγίαν. Γαμηλία, ἡ διδομένη τοῖς φράτορσιν ἐπὶ γάμοις δωρεά· Γαμηγία ἡ τῶν γυναικῶν εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγωγή. Quamvis sit verosimilius scripturam litterulæ inversione vitiatam esse. Elegans est in *Etymologico* veteris Grammatici fragmentum, ex quo nullam γαμηλίας, aut γαμηλίων paret fuisse distinctionem: sed ipsam in tribus relationem peculiari voce γαμήγυειν dici. Sed mirum non est in ejusmodi scriptis has rerum inveniri aliquando repugnantias. Eorum enim authores quæ passim apud Grammaticos notatu digna judicabant, alienis etiam verbis, in promptam veluti penum, sine delectu retulerunt. Porro γαμηλίας donum in epulas tribulium præstari author est *Suidas*. Καὶ παροιμία γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, ὅταν τις ἠγάγετο γυναῖκα πρὶν γενέσθαι παῖδα· οὗτος μαρτυράμενος περὶ τοῦ γάμου κατὰ τοὺς γάμους ἀπεδίδου τι τοῖς φράτορσιν εἰς λόγον εὐωχίας, καὶ τοῦτό ἐστιν γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν. *Et proverbium, nuptiale munus inferre: quando quis adducebat mulierem antequam genitus esset puer. Ille testatus de matrimonio, secundum nuptias præstabat aliquid Tribulibus in rationem epularum, & illud est* γαμηλίαν *inferre*. Atque omnium intererat, diligenter id observari. Nam cum lege Atheniensium civis non haberetur, nisi qui utrisque parentibus civibus esset procreatus; & severe judicium Peregrinitatis exerceretur, optimam probandi juris rationem præstabat hæc nominis apud Tribules professio. Sic *Demosthenes* defendit Euxitheum adversus Eubuliden, testes advocans, Τοὺς ἐγγυωμένῳ παρόντας τῷ πατρὶ, καὶ τῶν φρατόρων τοὺς οἰκείους, οἷς τὴν γαμηλίαν εἰσήνεγκεν ὑπὲρ τῆς μητρὸς ὁ πατήρ. *Eos qui sponsalibus patris interfuerunt, & Tribulium familiares, quibus nuptiale munus pro matre contulit pater*. Et rursus *in fine*: Καὶ γὰρ ὅτι κατὰ τοὺς νόμους ὁ πατὴρ ἔγημε, καὶ γαμηλίαν τοῖς φράτορσι εἰσήνεγκε μεμαρτύρηται. *Nam & ex præscripto legum, matrimonium contraxisse Patrem, & nuptiale munus obtulisse Curialibus, testes confirmarunt.*

ΔΑΙΔΑΛΕΙΑ.

DÆDALUM Platæenses coluerunt, ejusque festum Δαιδάλεια nuncupatum observarunt. Menander Rhetor, *Cap.* Πῶς δεῖ ἀπὸ ἐπιτηδεύσεων τὰς πόλεις ἐγκωμιάζειν. Verba *illius* sunt: Ἐν δὲ πενταετηρικῇ, ἢ τετραετηρικῇ, ἢ πλειόνων, ὡς τὰ Πύθια, καὶ Ὀλύμπια, καὶ Δαιδάλεια ἐν πλαταιαῖς. Festi pompa circa lignum versabatur affabre factum, atque exornatum, ad testandam ædificandi peritiam, qua Dædalus inter homines eminuisset. Idque ab ejus nomine Dædalon appellabant. *Hesychius*: Δαίδαλον ποίημα, καὶ τὸ κοσμούμενον ὑπὸ Πλαταιῶν ξύλον. *Dædalon Poema & ornatum a Platæensibus lignum*. Atque hunc locum ita restituit Meursius, eruditissimus antiquitatum Græcanicarum illustrator: Cui etiam ista libentes accepta referimus.

ΔΑΦΝΗΦΟΡΙΑ.

DΑΦΝΕΦΟΡΙΑ, ἀπὸ τῆς δάφνης φορᾶς, *a gestatione lauri* dicta: quorum solennitas adeo particulatim a Proclo in *Chrestomathia* describitur, ut præterea nihil ad ejus illustrationem desiderari possit. Et meretur, ut illam pluribus locis exhibitam antiquitatis Græcæ studiosi conspiciant. Τὰ δὲ λεγόμενα παρθένια, χοροῖς παρθένων ἐνεγράφετο. οἷς καὶ τὰ Δαφνηφορικὰ, ὡς εἰς γένος, πίπτει. Δάφνας γὰρ ἐν Βοιωτίᾳ, δι' ἐνναετηρίδος εἰς τὰ τοῦ Ἀπόλλωνος κομίζοντες οἱ ἱερεῖς ἐξύμνουν αὐτὸν διὰ χοροῦ παρθένων· καὶ ἡ αἰτία· τῶν Αἰολίων ὅσοι κατῴκουν Ἄρνην, καὶ τὰ ταύτης χωρία, κατὰ χρησμὸν ἀναστάντες ἐκεῖθεν, καὶ προσκαθεζόμενοι Θήβας ἐπόρθουν, προσκατεχομένας ὑπὸ Πελασγῶν· κοινῶς ἀμφοῖν ἑορτῆς Ἀπόλλωνος ἐνστάσης, ἀνοχὰς ἔθεντο, καὶ δάφνας τέμνοντες οἱ μὲν ἐξ Ἑλικῶνος, οἱ δὲ ἐγγὺς τοῦ Μέλανος ποταμοῦ ἐκόμιζον τῷ Ἀπόλλωνι. Πολεμάτας δὲ ὁ τῶν Βοιωτῶν ἀφηγούμενος, ἔδοξεν ὄναρ νεανίαν τινὰ πανοπλίαν αὐτῷ διδόναι· καὶ εὐχὰς ποιεῖσθαι προστάττειν τῷ Ἀπόλλωνι, δαφνηφοροῦντας διὰ ἐνναετηρίδος. μετὰ δὲ τρίτην ἡμέραν ἐπιθέμενος κρατεῖ τῶν πολεμίων· καὶ αὐτός τε τὴν δαφνηφορίαν ἐτέλει. καὶ τὸ ἔθος ἐκεῖθεν διατηρεῖται· ἡ δὲ δαφνηφορία, ξύλον ἐλαίας καταστέφουσι δάφναις, ποικίλοις ἄνθεσι, καὶ ἐπ' ἄκρου μὲν χαλκῆ ἐφαρμόζεται σφαῖρα. ἐκ δὲ ταύτης, μικροτέρας ἐξαρτῶσι· κατὰ δὲ τὸ μέσον τοῦ ξύλου περιθέντες ἐλάσσονα ἐπ' ἄκρῳ σφαίρας καθάπτουσι πορφυρᾶ στέμματα· τὰ δὲ τελευταῖα τοῦ ξύλου περιστέλλουσι κροκωτῷ. βούλεται δ' αὐτοῖς ἡ μὲν ἀνωτάτω σφαῖρα τὸν ἥλιον, ᾧ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἀναφέρουσιν ἡ δ' ὑποκειμένη, τὴν σελήνην. τὰ δὲ προσηρτημένα τῶν σφαιρίων, ἄστρα τε, καὶ ἀστέρας· τὰ δέ γε στέμματα τὸν ἐνιαύσιον δρόμον· καὶ γὰρ τξε ποιοῦσιν αὐτά. Ἄρχει δὲ τῆς δαφνηφορίας παῖς ἀμφιθαλής. καὶ ὁ μάλιστα αὐτῷ οἰκεῖος βαστάζει τὸ κατεστεμμένον ξύλον ὃ κωπὼ καλοῦσι· αὐτὸς δὲ ὁ δαφνηφόρος ἑπόμενος, τῆς δάφνης ἐφάπτεται. τὰς μὲν κόμας καθειμένας, χρυσοῦν δὲ στέφανον φέρων, καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα ποδήρη ἐστολισμένος. Ἰφικρατίδας τε ὑποδεδεμένος, ᾧ χορὸς παρθένων ἐπακολουθεῖ προτείνων κλῶνας πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων· παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος Ἰσμενίου, καὶ Γαλαξίου. Adjungam versionem Andreæ Schotti; viri, cujus & eruditionem & candorem, diversarum quoque partium sectatores admirari debent. *Parthenia quæ dicuntur, Virginum choris adaptantur, sub quibus etiam Daphnephorica, quasi sub genus cadunt. Lauros etenim nono quoque anno, ad Apollinis sacra inferentes sacerdotes, hymnis eum per virgineos choros celebrabant. Cujus hæc causa redditur: Aeoles quotquot Arnen, eaque circum loca habitabant, ex oraculo inde egressi, obsidione cingentes Thebas vastabant, quas & Pelasgi obsidebant. Cum simul utrisque Apollini status dies festus esset, inducias pacti sunt, & lauris amputatis, ab his quidem in Helicone, ab illis vero juxta Melanem fluvium, Apollini intulerunt. Polematas vero Bœotorum Dux, juvenem quendam secundum quietem vidit, solidam armaturam ipsi offerentem, votaque fieri præcipientem in Apollinis honorem nono quoque anno a laureatis. Tertio post die conserta manu hostem vicit, ipseque lauri gestatione votum solvit. Hinc mos ille religiose observatus. Hæc Daphnephoria oleagineum lignum lauris coronant, variisque floribus exornant: cujus in apice ænea sphæra imposita: ex hac minores dependent. Medio vero ligno purpureæ coronæ adaptantur, minores quam quæ summo fastigio impositæ. Imam vero ligni partem circumvestiunt crocotula. Significat autem ipsis suprema quidem sphæra solem, quo Apollinem designant. Huic vero subjecta Lunam significant. Globuli vero appensi stellæ, & astra sunt. Coronæ annuum cursum significant: trecentas enim, & sexaginta quinque conficiunt. Præest autem Daphnephoriis puer Patrimus, & Matrimus, cui maxime conjunctus gestat coronatum lignum, quod* κωπὼ *ipsi vocant. Daphnephorus vero sequitur gestans laurum: comis quidem demissis, & fluxis, aureaque corona redimitus, splendidaque veste, & talari indutus, calceisque, quos ab Iphicrate,* Ἰφικρατίδας *Græci vocant. Hunc Virginum chorus comitatur, ramos ad supplicationem, quæ hymnis celebrabatur, prætendens. Mittebant autem lauri gestationem ad Apollinis Ismenii, & Galaxii fanum.* His quod addam non habeo; nisi ut Schotti verbis illustrem nonnulla quæ lectorem remorari possent. *Iphicratidas*, vocat genus calceamenti Atticum, ab Iphicrate, sutore patre nato. (nam Harmodius illi generis ignobilitatem objecit in *Rhetoricis* Ari-

stotelis) meminit præter *Pollucem*, & *Suidam*, ex Damasci historia, Diodorus Sic. *lib.* XV. *Biblioth.* Ἰφικράτης τὰς ὑποδέσεις τοῖς στρατιώταις εὐλύτους, καὶ κούφας ἐποίησε, τὰς μέχρι τοῦ νῦν Ἰφικρατίδας ἀπ' ἐκείνου καλουμένας. *Iphicrates calceos militibus solutu faciles, & leves fecit, in hunc usque diem Iphicratidas ab ipso vocatos.* *Ismenii Apollinis.* Hujus Dei sacerdos proprie, Δαφνηφόρος, hoc est, *Laurifer* cognominabatur: quem forma, & genere insignem quatannis sacrabant; qui a colle Ismeno, ad dextram Thebarum portam sic dictus. Pausanias in *Bœoticis*. *Stephanus* vero, & *Hesychius* ab Ismenio flumine appellatum tradunt; cujus meminit Seneca in *Thebaide*, v. 116.

Ubi torta rapidus ducat Ismenos vada.

Galaxios Apollo: sic appellatur a Galaxo Bœotiæ loco: de quo Plutarchus libello, *Cur Pythia oracula reddere desierit?*

ΔΗΛΙΑ.

JULIUS Pollux *lib.* I. *cap.* I. de præcipuis Græcorum festis verba faciens inquit; Ἀπόλλωνος τὰ Δήλια. Quæ frequentissimo hominum conventu solita celebrari testatur Thucydides *libro* III. Originem dedit Theseus: nam rebus ex animi sententia gestis, e Creta repetens Athenas cum pueris, qui Minotauro tributi nomine quotannis pendebantur, Delum appulit, ibique imaginem Veneris, quam Oraculi Delphici monitu fecerat ducem itineris, consecravit, & Sacra, Choreasque instituit, quas omni post tempore Delii observarunt. Callimachus *hymno* in Delum, *v.* 307. *&c.*

Δὴ τότε καὶ στεφάνοισι βαρύνεται ἱερὸν ἄγαλμα
Κύπριδος ἀρχαίης ἀριήκοον· ἣν ποτε Θησεὺς
Εἵσατο σὺν παίδεσσιν, ὅτε Κρήτηθεν ἀνέπλει·
Οἳ χαλεπὸν μύκημα, καὶ ἄγριον υἷα φυγόντες
Πασιφάης, καὶ γναμπτὸν ἕδος σκολιοῦ Λαβυρίνθου
Πότνια τὸν περὶ βωμὸν ἐγειρομένου κιθαρισμοῦ
Κύκλιον ὠρχήσαντο· χοροῦ δ' ἡγήσατο Θησεύς.
Tunc etiam antiquæ simulachrum Cypridos ingens
Innumeris onerant sertis: quod Theseus olim
Cum pueris statuit, rediens Curetide terra.
Qui cum mugitum fugerent, taurumque ferocem
Pasiphaæ, & tortas curvi ambages Labyrinthi,
Ad citharæ pulsum tua circum Altaria Diva,
Theseo præeunte sacras duxere Choreas.

Plutarchus in *Theseo*: Ἐκ δὲ τῆς Κρήτης ἀποπλέων εἰς Δῆλον κατέσχε, καὶ τῷ θεῷ θύσας, καὶ ἀναθεὶς τὸ Ἀφροδίσιον, ὃ παρὰ τῆς Ἀριάδνης ἔλαβεν, ἐχόρευσε μετὰ τῶν ἠιθέων χορείαν, ἣν ἔτι νῦν ἐπιτελεῖν Δηλίους λέγουσι. *Solvens ex Creta Delum appulit, ubi rem divinam fecit Apollini, dedicatoque Veneris signo, quod ab Ariadna acceperat, tripudium saltavit cum impuberibus: quod hac etiam memoria ferunt Delios servare.* Hujus facti anniversarium diem Athenienses coluerunt; quod ex voto Thesei, & eorum qui simul navigarunt institutum refert Plato in *Phædone*. Τῷ οὖν Ἀπόλλωνι (ὡς λέγεται) τότε, εἰ σωθεῖεν, ἑκάστου ἔτους θεωρίαν ἀπάξειν εἰς Δῆλον· ἣν δὲ καὶ ἀεὶ, καὶ νῦν ἔτι ἐξ ἐκείνου κατ' ἐνιαυτὸν τῷ θεῷ πέμπουσιν. *Votum autem (ut dicitur) nuncuparant, uti si incolumes redirent, sacrum Apollini quotannis in Delo celebrarent: quod ex eo tempore etiamnum mittunt.* Mittebant autem per legatos, quos Θεωροὺς vocabant. Quippe Legatos ad Principes, ut quoscumque mortales, appellant Græci Πρέσβεις, aut Πρεσβευτάς. At qui procurandæ religionis causa mittebantur, Θεωροὶ nuncupabantur. Sic refert *Plutarchus* solitos mitti Athenis Θεωροὺς in Delum, ad Ludos Olympicos, Pythicos & alios, qui more Majorum, pro sua Repub. sacra facerent, & dona Diis offerrent: de qua re consulat Lector insignem locum Philochori apud Scholiasten Sophoclis *in Oedipo Colon.* pag. 305. Proprie, qui in Delum mittebantur, Δηλιαστὰς appellabant. *Harpocration*: Δηλιασταὶ, οἱ ἐς Δῆλον ἐξελθόντες Θεωροί: *Deliastæ, in Delum profecti legati.* Qui his præerat, Ἀρχιθέωρος dicebatur: qua se functum dignitate gloriatur Andocides *Oratione* περὶ μυστηρίων. Hujus erat Τὰ πομπεῖα curare, hoc est, τὰ εἰς θυσίας πεμπόμενα, *quæ ad sacrificia mittebantur.* Navis autem qua vehebantur Δηλιὰς vocabatur. Quippe naves sacræ numero erant quinque: Paralos, Antigonis, Ptolemais, Ammonis, & harum omnium antiquissima Delias, quæ etiam Salamina nuncupabatur. Meminere Thucydides *libro* v. Plutarchus *in Alcibiade, Pericle, & Lysandro*, Diodorus Siculus *libro* XIII. Aristophanis Interpres *in Ranis*, *Hesychius*, *Suidas*. Herodotus *libro* VI. commune omnibus nomen Θεωρίδος statuisse videtur. Callimachus huic ceu proprium assignat, hymno *in Delum* v. 314. 315.

Ἔνθεν ἀειζώοντα Θεωρίδος ἱερὰ Φοίβῳ
Κεκροπίδαι πέμπουσι τοπήια νηὸς ἐκείνης.
Hinc Phœbo æternum mansura Theoridis hujus,
Cecropidæ mittunt Thesææ carbasa navis.

Ubi tamen *Scholiastes*: Θεωρίδος νηὸς, νῦν τὰ ἱερὰ φερούσης. *Theoris, nunc sacra ferens navis.* Omnium dixi antiquissimam fuisse Δηλιάδα: nam illam Athenienses ad Demetrii Phalerei tempora servarunt; verum tot locis refectam, tot asserum insititia compagine reparatam, ut notissimum Philosophorum Scholis exemplum evaserit in declaranda natura eorum quæ augentur. Plutarchus *in Theseo*. Τὸ δὲ πλοῖον ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἠιθέων ἔπλευσε καὶ πάλιν ἐσώθη, τὴν τριακόντορον, ἄχρι τῶν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως χρόνων διεφύλαττον οἱ Ἀθηναῖοι, τὰ μὲν παλαιὰ τῶν ξύλων ὑφαιροῦντες, ἄλλα δὲ ἐμβάλλοντες ἰσχυρὰ, καὶ συμπηγνύντες, οὕτως ὥστε καὶ τοῖς φιλοσόφοις εἰς τὸν αὐξομένων λόγον ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι, τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτὸ, τῶν δὲ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένει λεγόντων. *Ipsum vero navigium, ad Demetrii Phalerei ætatem Athenienses conservaverunt, veteri materiæ integram aliam sufficientes, itaque coagmentantes, ut Philosophis in disputatione de iis quæ augentur, ambiguitatis exemplum hæc navis præbuerit, quod alii eandem manere, alii non eandem contenderint.* Eandem vero fuisse navem Δηλιάδα, & qua vectus fuit in Cretam Theseus manifeste docet *Plato*: Τοῦτό ἐστι τὸ πλοῖον (ὥς φασιν Ἀθηναῖοι) ἐν ᾧ Θησεύς ποτε εἰς Κρήτην τοὺς δὶς ἑπτὰ ἐκείνους ᾤχετο ἄγων, καὶ ἔσωσέ τε, καὶ ἐσώθη. *Illud est navigium (ut ajunt Athenienses) quo olim Theseus quatuordecim illos juvenes in Cretam deduxit, & illos & seipsum servavit.* Antequam mitteretur, coronis ornabatur. Idem *Plato* Ἔτυχε γὰρ τῇ προτεραίᾳ τῆς δίκης ἡ πρύμνα, ἐστεμμένη τοῦ πλοίου, ὃ εἰς Δῆλον Ἀθηναῖοι πέμπουσι κατ' ἔτος. *Evenit ut postridie judicii habiti coronaretur puppis sacri navigii, quod Athenienses quotannis Delum mittunt.* Hoc autem non est temere dictum. nam a puppis coronatione festi principium sumebatur. *Idem*: Ἀρχὴ δ' ἐστὶ τῆς θεωρίας ἐπειδὰν ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος, στέψῃ τὴν πρύμναν τοῦ πλοίου. *Initium sacri illius est, cum Sacerdos Apollinis puppim navigii coronavit.* Inter πομπεῖα recenseri debent primitiæ Hyperboreorum, quæ per multas ambages in Græciam advectæ, tandem ab Atheniensibus in Delum deferebantur. Pausanias in *At*-

ticis: Ἐν δὲ Πρασιεῦσιν Ἀπόλλωνός ἐστι ναός. ἐνταῦθα τὰς Ὑπερβορέων ἀπαρχὰς ἰέναι λέγεται. παραδιδόναι δὲ αὐτὰς Ὑπερβορέους μὲν Ἀριμασποῖς. Ἀριμασποὺς δὲ Ἰσσηδόσι· παρὰ δὲ τούτων Σκύθας ἐς Σινώπην κομίζειν. ἐντεῦθεν δὲ φέρεσθαι διὰ Ἑλλήνων ἐς Πρασιάς· Ἀθηναίους δὲ εἶναι τοὺς ἐς Δῆλον ἄγοντας, τὰς δὲ ἀπαρχὰς κεκρύφθαι μὲν ἐν καλάμῃ πυρῶν, γινώσκεσθαι δὲ ὑπ' οὐδενῶν. *In Prasiensibus (populus est Atticæ) Apollinis est templum, quo Hyperboreorum primitias mitti ajunt. Eas enim Hyperborei Arimaspis committunt: Arimaspi Issedonibus; ab iis acceptas Scythæ Sinopen, inde ad Prasienses Græci deportant. Eas deinde Delum Athenienses mittunt. Absconditæ quidem illæ in triticea stipula sunt, neque eas cuiquam fas est intueri.* Plura si quis requirat, Herodotum consulat *libro* IV. *pagin.* 266. Ara Delii Apollinis inter septem Orbis spectacula celebrata, quæ sine ullo glutine, & vinculo, tantum ex dextris cornibus coagmentata compactaque fuit, indeque nomen Κερατίνου βωμοῦ obtinuit. Plutarchus *libro de Solertia animalium*. Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ ναῷ τὸν κερατινον βωμὸν εἶδον, ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις θεάμασιν ὑμνούμενον, ὅτι μήτε κόλλης δεόμενος μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ, διὰ μόνων τῶν δεξιῶν συμπέπηγε, καὶ συνήρμοσται κεράτων. *Tale quid in Delo, & Phœbi me cernere templo memini: nempe aram cornutam, quæ inter septem mundi miracula celebratur; quod neque glutine ullo, neque aliis vinculiis cohærens, e solis dextris cornibus compacta est.* Idem tamen in *Theseo*, non ex dextris, sed sinistris tantum cornibus compactam fuisse proditum reliquit. Ἐχόρευσε δὲ περὶ τὸν Κερατῶνα βωμόν, ἐκ κεράτων συνηρμοσμένον εὐωνύμων ἁπάντων. *Saltavit circum aram Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compacta.* Callimachus *in Apollinis hymno* quadrimum adhuc Apollinem scribit ex cornibus Cynthiadum caprearum, quas soror Diana in venatu occiderat, aram compegisse; fundamentaque item & parietem e solis struxisse cornibus. Ipsius autem hæc sunt verba, *v.* 58. &c.

Τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
Καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ, περιηγέος ἐγγύθι λίμνης·
Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑποβάλλετο τοίχους.

——— *Quartum vix Phœbus agebat*
Annum, cum Ortygia in pulchra fundamina prima
Iecit, firmavitque lacus circumflui ad oram.
Ut capita assidue caprearum multa ferebat
Cynthia venatrix, aram bis texebat Apollo.
Cornea sternebat fundamina, cornibus ara
Surgebat, cornu murum quoque duxit in orbem.

Ovidius *in epistola* Cydippes ad Acontium de eadem ara est intelligendus, *v.* 99.

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Item *Martialis* hoc versiculo:

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Circum aram hanc, exemplo Thesei (quod jam antea exposuimus) choros ductabant; atque inter saltandum, aram verberibus, & oleam morsibus impetebant. Callimachus *hymno* in Delum, *vers.* 316. &c.

Ἀστερίη πολύβωμε, πολύλλιτε, τίς δέ σε ναύτης
Ἔμπορος Αἰγαίοιο παρήλυθε νηὶ θεούσῃ;

A Οὐχ οὕτω μεγάλοι μιν ἐπιπνείουσιν ἀῆται,
Χρειὼ δ' ὅττι τάχιστον ἄγει πλόον ἀλλὰ τὰ λαίφη
Ὠκέες ἐστείλαντο, καὶ οὐ πάλιν αὖθις ἔβησαν
Πρὶν μέγαν ἢ σέο βωμὸν ὑπὸ πληγῆσιν ἑλίξαι
Ῥησσόμενον, καὶ πρέμνον ὀδακτάσαι ἁγνὸν ἐλαίης
Χεῖρας ἀποστρέψαντες.
Asterie felix aris, qui navita puppe
Institor Ægæo te prætervectus in alto est?
Non adeo violenti adspirant Carbasa venti,
Accelerare licet res postulet: Omnia sed mox
B *Vela legunt portu: sed nec prius inde recedunt*
Quam tua raptentur percussa altaria circum,
Atque oleæ ramum mordaci dente lacessant
In tergum manibus jactis.

Ad quem locum *Scholiastes*: Ἐν Δήλῳ περὶ τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἔθος ἦν τρέχειν, καὶ τύπτειν τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος μάστιγι, καὶ ἀποδάκνειν ἐξηγκωνισμένους ἐκ τῆς ἐλαίας. Choream Gruis nomine indigetarunt, in qua flexus, atque anfractus Labyrinthi a saltantibus exprimebantur. Plutarchus, *in Theseo*. Μίμημα τῶν ἐν τῷ Λαβυρίνθῳ περιόδων, καὶ διεξόδων, ἔν τινι ῥυθμῷ παραλλάξεις, C καὶ ἀνελίξεις ἔχοντι γιγνομένην χορείαν· καλεῖται δὲ τὸ γένος τοῦτο τῆς χορείας ὑπὸ Δηλίων γέρανος, ὡς ἱστορεῖ Δικαίαρχος. *Simulachrum hoc anfractuum Labyrinthi, & egressuum ad certos modos alternis peragitur gyris. Hoc genus saltationis dicitur a Deliis Grus, ut memoriæ prodidit Dicæarchus.* Triplex autem videtur fuisse chorus; e viris, mulieribus, & pueris. Hinc apud *Plutarchum* & *Demosthenem* sæpius occurrit χορὸς παίδων, χορὸς ἀνδρῶν. *Thucydides* autem vocat Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν. Et Homerus *in Hymno Apollinis* puellas Deliacam choream saltantes alloquitur;

D Ὦ κοῦραι τίς δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν
Ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα.
O puellæ, quis vobis vir suavissimus Poetarum
Hic versatur, & causa cujus maximam capitis voluptatem.

Strabo *libro* X. χορὸς παρθένων, a vicinis missos tradit. Præter choros, etiam agones musici agebantur, quibus Athenienses equorum cursus adjecerunt, ut author est Thucydides *lib.* III. Verum intermissa sacra, quamdiu insula illatis cadaveribus profanata censebatur. Pisistratus expiare cœpit, sed non totam. Herodotus *lib.* I. *cap.* LXIV. Πρός E γε ἔτι τούτοισι τὴν νῆσον Δῆλον καθήρας ἐκ τῶν λογίων. καθήρας δὲ ὧδε· ἐφ' ὅσον ἔποψις τοῦ ἱεροῦ εἶχεν, ἐκ τούτου τοῦ χώρου παντὸς ἐξορύξας τοὺς νεκροὺς μετεφόρεεν ἐς ἄλλον χῶρον τῆς Δήλου. *Etiam Delum insulam expurgavit ex Oraculo. Expiavit autem, quatenus prospectus e templo ferebatur, eatenus ex omni loco cadaveribus effossis, & in alium ejusdem insulæ locum translatis.* Athenienses autem expiarunt universam; & legem tulerunt, ne quis in ea nasceretur, moreretur, aut sepeliretur, adsignata Delia Rhenia vicina insula, in qua defunctis justa persolvere liceret. F Thucydides *libro* III. Τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος καὶ Δῆλον ἐκάθηραν Ἀθηναῖοι κατὰ χρησμὸν δή τινα· ἐκάθηρε μὲν γὰρ καὶ Πεισίστρατος ὁ τύραννος πρότερον αὐτήν, οὐχ ἅπασαν. ἀλλ' ὅσον ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐφεωρᾶτο τῆς νήσου. τότε δὲ πᾶσα ἐκαθάρθη τοιῷδε τρόπῳ. θῆκαι ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν Δήλῳ πάσας ἀνεῖλον· καὶ τὸ λοιπὸν προεῖπον μήτε ἐναποθνήσκειν ἐν τῇ νήσῳ, μήτε ἐντίκτειν, ἀλλ' ἐς τὴν Ῥήνειαν διακομίζεσθαι· ἀπέχει δὲ Ῥήνεια τῆς Δήλου οὕτως ὀλίγον, ὥστε Πολυκράτης ὁ Σαμίων τύραννος ἰσχύσας τινὰ χρόνον ναυτικῷ, καὶ τῶν τε ἄλλων νήσων ἄρξας, καὶ τὴν Ῥήνειαν

A ἑλὼν, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ, ἁλύσει δήσας πρὸς τὴν Δῆλον. *Eadem quoque hyeme Delum expiaverunt Athenienses, ex oraculo quodam: nam & Pisistratus Tyrannus eum prius expiaverat, sed non omnem; verum quatenus a templo prospectus patebat. Tunc autem omnis expiata est, idque ad hunc modum. Quæcumque in Delo extitere monumenta, omnia sustulerunt, & in posterum edixerunt, ne quis in insula moreretur, neque mulier in ea pareret, sed ut in Rheniam transportarentur insulam, ita parum a Delo distantem, ut Polycrates Samiorum Tyrannus, cum aliquando & classe polleret, & aliis insulis imperitaret, captam Rheniam catena annecteret* B *Delo, Delioque Apollini consecraret.* Hinc apud Plutarchum in *Laconicis*, acute Pausanias Delios, cum Atheniensibus de jure insulæ disceptantes, & asserentes lege cautum esse, ut neque parerent in ea mulieres, neque mortui sepelirentur, hoc dicto repressit; Πῶς ἂν αὕτη πατρὶς ὑμῶν εἴη, ἐν ᾗ οὔτε γέγονέ τις ὑμῶν, οὔτ' ἔσαι; *Quomodo Patria vestra sit, in qua neque natus est quisquam vestrum neque erit post mortem?* Strabo *lib.* x. spacium intercapedinis qua Delos a Rhenia dispescitur exprimit; & præterea addit non licuisse in illa canem esse. Ῥήνεια δὲ ἔρημον νησίδιόν ἐστιν ἐν τέτρασι τῆς Δήλου σταδίοις· ὅπου τὰ μνήματα τοῖς Δηλίοις ἐστίν. οὐ γὰρ ἔξε- C στιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν, οὐδὲ καίειν νεκρόν· οὐκ ἔξεστιν οὐδὲ κύνα ἐν Δήλῳ τρέφειν. *Rhenia insula exigua est, & deserta, intra quartum a Delo stadium, ubi monumenta sunt Deliorum: nam mortuum in Delo sepelire non est fas, neque cremare; canem quoque in Delo esse non licet.* Porro per hos sacrorum dies neminem supplicio afficere licebat, donec peracta solennitate navis rediisset. hinc aliquando plurium dierum induciæ damnatis dabantur, quod Plato *in Phædone* Socrati evenisse tradit: Ἐπειδὰν ἄρξωνται τῆς θεωρίας, νόμος ἐστὶν αὐτοῖς ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ καθαρεύειν τὴν πόλιν, καὶ δημοσίᾳ μηδένα ἀποκτιννύναι πρὶν ἂν εἰς Δῆλον ἀφίκηται D τὸ πλοῖον, καὶ πάλιν δεῦρο· τοῦτο δ' ἐνίοτε ἐν πολλῷ χρόνῳ γίνεται, ὅταν τύχωσιν οἱ ἄνεμοι ἀπολαβόντες αὐτούς. *Ubi primum vero illius inspectionis sacrum inierunt, lege cautum est, uti interea urbs expietur, nec quisquam publico decreto capite mulctetur, priusquam navis & Delum ierit, & huc redierit. Quibus rebus longum aliquando tempus occupatur, quum nimirum vento adverso utuntur.* Xenophon *lib.* IV. Ἀπομνημονευμάτων. Ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ τὰ Δήλια, μετ' ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι· τὸν δὲ νόμον, μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ E Δήλου ἐπανέλθῃ. *Post latam sententiam necessitas Socratem adegit, ut dies triginta esset in vita. nam eo mense erant Delia, quibus, legibus erat vetitum, ne quem publice supplicio afficerent, ni prius ex Delo navis sacra rediisset.* Redeuntes autem Theoros populus læto concursu, omnibus certatim ostia pandentibus salutabat, atque excipiebat. Ad quem morem respexit Euripides *in Hippolyto*, *versib.* 792. 793.

Οὔ γάρ τι μ' ὡς θεωρὸν ἀξιοῖ δόμος
Πύλας ἀνοίξας, εὐφρόνως προσεννέπειν.
Haud enim ullo modo, ut Theorum, dignatur familia
Portis apertis hilariter salutare.

F Ad quem locum *Scholiastes*: Ἔθος γὰρ εἶχον οἱ ἀρχαῖοι τοῦτο, ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τοῦ οἴκου προσεκύνουν αὐτούς. *Hunc enim morem habebant antiqui. ab oraculo coronati redibant, & tota familia adorabat illos.*

ΔΙΑΣΙΑ.

DIASIA, id est, Jovialia. Aristophanis Enarrator *in Nebulis*, Τῶν ἀρχαιοτάτων ἑορτῶν, *ex antiquissimis festis*, atque eadem cum Diipoliis esse prodidit. an recte, ex iis quæ dicentur, unicuique judicandum relinquo. Igitur Diasia festum est Jovis Meilichii: & ἀπὸ τοῦ Διὸς, καὶ τῆς ἄσης, id est, *a Jove, & molestia*, sive *detrimento* nomen inditum. *Aristophanis Interpres:* Διάσια, Ἀθήνησιν ἑορτὴ Μειλιχίου Διὸς, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος φθίνοντος. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ἀχαρνεὺς διακρίνει τὰ Διάσια, ἀπὸ τῆς τοῦ Μειλιχίου Διὸς ἑορτῆς ὀνομάζεσθαι λέγων. ὡς δέ τινες ἀπὸ τοῦ φυγεῖν αὐτοὺς ταῖς εὐχαῖς τὰς ἄτας. *Diasia, Athenis festum Jovis Meilichii mense Anthesterionos vergente. Apollonius autem Acharnanus discernit Diasia a Jovis Meilichii festo nominari inquiens. ut autem aliqui, quod precibus calamitates averruncarint.* Quodque fortassis occasionem festo difficilia reipubl. tempora dederint, illud vultu mærorem testante, &, ut *Hesychius* ait, μετά τινος στυγνότητος, θύοντες, *cum tristitia quadam sacrificantes*, agebant. *Suidas* eandem nominis etymologiam secutus est: Διάσια ἑορτὴ Ἀθήνησι Διὸς Μειλιχίου· προσαγορεύεται δὲ Διάσια ἀπὸ τοῦ διαφυγεῖν αὐτοὺς εὐχαῖς τὰς ἄσας. Jovem Meilichium observabant, quod ejus nutu hominum cœpta versarentur, & feliciter, aut secus caderent. Hinc *libro* VII. ἀναβάσεως existimat omnia Xenophonti adversa evenire, Ἔμποδος γάρ σοι Ζεὺς ὁ Μειλίχιός ἐστι. *Impedimento tibi est Iupiter Meilichius.* Secundiora fore, si victima placetur. Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ὁ Ξενοφῶν προσελθὼν εἰς Ὀφρύνιον ἐθύετο, καὶ ὡλοκαύτει χοίρους τῷ πατρίῳ νόμῳ καὶ ἐκαλλιέρει. καὶ ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἀφικνεῖται Βίτων, καὶ ἅμα Εὐκλείδης χρήματα δώσοντες τῷ στρατεύματι. *Postero die Xenophon progressus sub Ophrymii mœnibus sacrificabat, & porcos immolabat, & pulchre litabat. Eodem ipso die venit Biton, & simul Euclides pecuniam exercitui daturi.* Porro Diasia extra urbem agitabatur. *Aristophanis Interpres:* Ἑορτὴ Διὸς τὰ Διάσια Ἀθήνησιν. ἐν ᾗ πανδημεὶ ἔξω τείχους συνιόντες ἑορτάζουσιν. *Festum Iovis Diasia Athenis; in quo extra muros congressi vulgo epulantur.* Maxima Atheniensium solennitas: nam cum Cyloni summa rerum oraculo deferretur, si in maximo Jovis festo Acropolin occupasset, id per Olympiorum dies adgressus, voto excidit, quod in Attica maximum Jovis festum Διάσια haberetur. Thucydides *libro* I. Εἰ δὲ τῇ Ἀττικῇ, ἢ ἄλλοθί που ἡ μεγίστη ἑορτὴ εἴρητο, οὔτε ἐκεῖνος ἔτι κατενόησε, τό τε μαντεῖον οὐκ ἐδήλου· ἔστι γὰρ καὶ Ἀθηναίοις Διάσια, ἃ καλεῖται Διὸς ἑορτὴ Μειλιχίου μεγίστη ἔξω τῆς πόλεως, ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ, οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια. *An vero in Attica, an uspiam alibi maximum illud festum esset, nec ille præterea animadvertit, nec oraculum declararat. Siquidem sunt apud Athenienses quoque Diasia, maximus dies festus, quæ Iovis Meilichii vocantur, extra urbem, ubi totius populi conventu, plerique non victimis sed libamentis rem divinam faciunt.* ad vocem θύματα, addit *Scholiastes*; Τινὰ πέμματα εἰς ζώων μορφὰς τετυπωμένα ἔθυον. *Alia fercula in animalium figuras formata sacrificabant.* Sed paulo ante Xenophontem Jovi Meilichio rem divinam porco fecisse ostendimus: & apud *Aristophanem* Strepsiades per Diasiorum festa, τὴν γαστέρα τοῖς συγγενέσι, *ventrem sive intestina consanguineis* se assasse refert; ut non tantum libamentis fecisse, sed victimas quoque immolasse videantur.

ΔΙΙΠΟΛΕΙΑ.

FESTUM adeo vetustum, ut ab *Aristophane* res obsoletæ, Διιπολιώδεις appellentur. Id Jovi Πολιεῖ, id est, *Urbis custodi dicatum*; unde, & nomen obtinet. *Suidas*: Ἑορτὴ οὕτως ἐλέγετο, διότι τῷ Πολιεῖ Διῒ ἐθύετο. *Festum sic nominabatur, eo quod Iovi Policio sacrificabatur*. Celebrabatur quartadecima mensis Scirrhophorionis. Ceremoniæ vero quædam imitamenta continebant eorum, quæ acciderunt in Jovis sacro, cum placentam sacrificio destinatam Bos devoravit. de qua re in Buphoniis egimus, Scholiastes Aristophanis *in Pacem*: Διιπόλεια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ Πολιεῖ Διῒ θύουσι σκιρροφοριῶνος τετάρτῃ ἐπὶ δέκα. ἔστι δὲ ἀπομίμημα τῶν πελανῶν, καὶ τῶν κατὰ τοὺς βοῦς συμβαινόντων. *Diipoleia, festum Athenis in quo Iovi urbis præsidi sacrificant quartadecima Scirrhophorionis. Est autem imitamentum placentæ, & eorumque circa Boves acciderunt*. Hesychius: Ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἀπὸ τοῦ Πολιεῖ Διῒ θύειν Ἀθηναίους εἰς μνήμην τοῦ πελανοῦ, καὶ τοῦ βοός. *Festum Athenis ab eo dictum, quod Iovi Polieio sacrificarent Athenienses, in memoriam Libi, & Bovis*. Atque ex his patet Diipoleia a Diasiis esse distincta: nam hæc in honorem Jovis Melichii sub finem Anthesterionos; Illa in honorem Jovis Πολίεως, quartadecima Scirrhophorionos agitabantur.

ΔΙΟΝΥΣΙΑ.

BACCHANALIA Græcos optima fide celebrasse dubium non est, propagante numinis cultum licentia, quasi per irritamenta lasciviæ pietas augeretur. Itaque plures in ejus honorem ferias habuerunt, quas altius mihi duxi repetendas, antequam solennes ritus sacri exponam. Bacchanalia nominant authores, Antiquissima, Recentiora, Majora, Minora, Astica, Ruralia, Lenæa, Verna, Autumnalia, Omophagia, Nocturna, Crauronia, Theœnia.

Antiquissima die duodecimo mensis Anthesterionis acta, in Limnis, Atticæ loco, ubi templum Bacchi fuisse docet Aristophanis Scholiastes *in Ranas*: Λίμναι, Χωρίον τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ Διονύσου ἱερόν. *Limnæ, locus Atticæ, in quo Bacchi templum*. De hoc festo agit Thucydides *lib.* II. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ Ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος τῆς πόλεως μᾶλλον ἵδρυται, τό τε τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον, καὶ τὸ τῆς γῆς, καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι. *Nam in ipsa Acropoli templa etiam aliorum Deorum sunt, & quæ extra sunt, ad hanc præcipue partem exstructa visuntur Iovis Olympii, Apollinis Pythii, Telluris, Bacchi in Limnis, cui vetustiora Bacchanalia fiunt duodecimo mensis Anthesterionis die*. Hæc autem in Limnis sacra peragebant mulieres, quæ Γεραιραὶ vocabantur. *Harpocration*: Γεραιραὶ αἱ τῷ Διονύσῳ ἱερώμεναι γυναῖκες. Hæc numero fuerunt quatuordecim. *Hesychius*: Γεραιραὶ, ἱέρειαι κοινῶς. ἰδίως δὲ αἱ τῷ Διονύσῳ ἐν Λίμναις τὰ ἱερὰ ἐπιτελοῦσαι, τῷ ἀριθμῷ δεκατέσσαρες. *Geraræ communiter Sacerdotes: Proprie quæ Baccho in Limnis sacra faciunt, numero quatuordecim*. Quas a Rege designari Pollux autor est *lib.* VIII. *cap.* IX. §. XXIX. Αὗται ἄρρητα ἱερὰ Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης θεωρίας· καθίστη δὲ αὐτὰς ὁ βασιλεὺς οὔσας τεσσαρεσκαίδεκα. *Hæ arcana sacra immolabant, cum aliis quoque mysteriis. Has autem quatuordecim existentes Rex constituebat*. Quippe Regi ceremoniarum cura, & sacrificio-

A rum incumbebat; ejusque uxor, quæ Regina dicebatur, occulta, & maribus non invisa solum, sed etiam inaudita procurabat. Demosthenes *oratione contra Neæram*: Τὰς δὲ θυσίας ἁπάσας, ὁ Βασιλεὺς ἔθυε, καὶ τὰς σεμνοτάτας, καὶ ἀρρήτους ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐποίει· εἰκότως Βασίλισσα οὖσα. *Sacra Rex obibat omnia; eorumque religiosissima, & arcana uxor ejus curabat: merito, cum Regina esset*. Hinc non nisi spectatæ probitatis virum sacræ dignitati præficiebant: uxoris etiam indubitata castitas requirebatur: nam quæ alterius viri thorum experta fuisset, a Regis connubio leges arcebant: Τὸν μὲν βασιλέα οὐδὲν ἧττον ὁ Δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγα-

B θίαν χειροτονῶν. τὴν γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθετο ἀστὴν εἶναι, καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν, ἵνα κατὰ τὰ πάτρια θύηται, τὰ ἄρρητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ τὰ νομιζόμενα γίγνηται τοῖς θεοῖς εὐσεβῶς, καὶ μηδὲν καταλύηται μηδὲ καινοτομῆται. *Regem nihilominus populus creabat, delectu e viris præstantissimis habito. Uxorem autem ejus lege sanxit esse civem, & non alteri commixtam viro, sed virginem ducendam, ut patrio ritu arcana sacra pro Repub. immolarentur, & justa diis pie solverentur, & neque desereretur, neque innovaretur quidquam*. Legem vero columnæ lapideæ

C inscriptam in vetustissimo Bacchi templo ad Limnas collocarunt: Καὶ διὰ ταῦτα, inquit Demosthenes *loc. cit.* ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησαν, ἵνα μὴ πολλοὶ εἰδῶσι τὰ γεγραμμένα. ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. *Propterea in antiquissimo Bacchi templo in Limnis collocarunt; ne multi quæ inscripta sunt cognoscerent. Quotannis enim semel aperitur, duodecimo die mensis Anthesterionis*. Ipsi etiam Regis uxori, ante aram, & canistra, Γεραιραὶ jurejurando suam fidem adstringere debebant, antequam sacra attrectare possent. cujus ritus administer erat, quem Ἱεροκήρυκα nun-

D cupabant. Sacramenti vero formula est hæc, apud Demosthenem *loc. cit.* Ἁγιστεύω, καὶ εἰμὶ καθαρὰ, καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ Θεοίνια, καὶ Ἰοβάκχεια γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. *Pura & munda sum a cæteris immundis, & a viri congressu, & Bacchanalia, & Iobacchia patrio more celebro & legitimis temporibus*.

Bacchanalia Recentiora nobis indicant *Scholia* Thucydidis ad locum antea laudatum; ἀρχαιότερα εἶπε, διότι ἔστι καὶ νεώτερα ἄλλα. *Antiquiora dixit, eo quod & recentiora sint alia*. Sed an ab aliis, de quibus mox dicturi sumus, hæc distinguantur, as-

E serere nolim, nisi quando celebritatis variare tempora deprehenduntur.

Majora sunt eadem cum antiquissimis: nam Ulpianus *in orationem Demosthenis contra Leptinem* eodem tempore celebrari notat: Τοῖς μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, πλείονος γενομένης δαπάνης, εἷς Χορηγὸς ἑκάστης φυλῆς καθίστατο. *Magnis Liberalibus Anthesterionis mensis, cum plurimi fiunt sumptus, unus Choragus uniuscujusque Tribus constituebatur*. Veris initio celebrabantur. Interpres Aristophanis *in Aves*: Λήγοντος τοῦ χειμῶνος ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος γίνεται τὰ Διονύσια. *Desinente Hyeme & incipiente Vere Bacchanalia celebrantur*. Nam

F quoties Attici scriptores Dionysia solum dicunt, sine alterius particulæ adjectione, de majoribus & antiquioribus accipiendi sunt. Per hæc festa socii tributum Atheniensibus ferebant. Scholiastes Aristoph. *in Acharnan.* Διονυσίων ἑορτὴ ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται, ἐν ᾧ ἔφερον τοὺς φόρους οἱ σύμμαχοι. *Bacchanaliorum festum Vere peragitur quo tempore tributa ferunt socii*.

Minora sunt, tanquam præparatio ad altera Liberalia majora, nec differunt a Ruralibus; & in

mensem Poseideona incidunt. Theophrastus *in descriptione hominis garruli*: Ποσειδεῶνος τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια, *Posideone quæ ruri aguntur Dionysia, solita celebrari*. Hesychius: Τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς ποσειδεῶνος. Eadem quoque Λήναια sunt. Aristophanes *in Acharnan*. v. 202.

Ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια.

Agam ruralia ingressus Dionysia.

Ubi *Scholiastes*, Διονύσια, τὰ Λήναια λεγόμενα. ἔνθεν τὰ Λήναια, καὶ ὁ ἐπιλήναιος ἀγὼν τελεῖται τῷ Διονύσῳ. Λήναιον γάρ ἐστιν ἐν ἀγροῖς ἱερὸν τοῦ Διονύσου, διὰ τὸ πλέκτους ἐνταῦθα γεγονέναι· ἢ διὰ τὸ πρῶτον ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ληνὸν τεθῆναι. *Dionysia Lenæa dicta: Inde Lenæa, & Agon Epilenæus Baccho celebratur. Lenæum enim in agro templum Bacchi sic dictum, quod textus ibi primum facti, aut posita torcularia, Græcis ληνοὶ dicuntur*. Stephanus Λήναιος ἀγὼν Διονύσου ἐν ἀγροῖς ἀπὸ τῆς ληνοῦ. Sed alii mense Gamelione celebrari solita tradunt. *Hesychius* autem cum dixisset ruralia Liberalia mense Posideone agi, deinceps addidit: Τὰ δὲ Λήναια μηνὸς Ληναιῶνος, *Lenæa mense Lenæone*. At Procul *ad Hesiodum*, a Bœotiis ait Lenæona vocari, quando Sol Capricornum ingreditur, incipiente jam post vindemiam hyeme. Cæterum Lenæa in autumno curabantur; atque ab iis peregrini arcebantur. Scholia *in Acharn.* Τὰ δὲ Λήναια ἐν τῷ μετοπώρῳ ἤγετο, ἐν οἷς οὐ παρῆσαν οἱ ξένοι, *Lenæa in autumno agebantur, in quibus non aderant hospites*. Demosthenes *in oratione contra Neæram* graviter exaggerat, quod Peregrina Regi nupta sacrorum arcana lustrasset & obivisset. Καὶ αὕτη ἡ γυνὴ ὑμῖν ἔθυε τὰ ἄρρητα ἱερὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως, καὶ εἶδεν ἃ οὐ προσῆκεν αὐτὴν ὁρᾶν ξένην οὖσαν· καὶ τοιαύτη οὖσα εἰσῆλθεν ἃ οὐδεὶς ἄλλος Ἀθηναίων τοσούτων εἰσέρχεται, ἀλλ' ἡ τοῦ βασιλέως γυνή. *Et illa mulier vobis arcana illa sacra pro Repub. immolavit, & vidit quæ eam, ut peregrinam, videre nefas: & cum talis esset, eo ingressa est, quo nemo alius Atheniensium, in tanta civium multitudine, ingredi audet, præter Regis uxorem.*

Verum ab his diversa fuere Liberalia Ἀστικὰ, sive *Urbana*; quæ Vere quidem acta. Aristophanis Interpres *in Avibus*; Τῷ ἔαρι ἐν ἄστει τελοῦσι τὰ Διονύσια. Sed mense Elaphebolione. *Hesychius*: Τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Erantque non annua, sed trieterica. Virgilius *Æneidos libro* IV. *v.* 302.

—— *Qualis commotis excita sacris*
Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia.

Servius: *Liberi sacra tertio quoque anno innovabantur*. Lucanus, *libro* v. *v.* 74.

—— *Referunt trieterica Bacchæ.*

Atque hæc Bacchus instituisse traditur ad Callirhoen, ut essent monumentum expeditionis Indicæ, in qua triennii spacium absumpsit. Cicero *de natura Deorum, lib.* III. *c.* XXIII. quinque Dionysios enumerat, quintumque Nyso natum, & Thyone, *a quo Trieterides constitutæ putantur*. Alia etiam fuerunt quinquennalia, de quibus Scholiastes Aristophanis *in Pacem*; Διὰ πενταετηρίδος χρόνου ἤγοντο αἱ θεωρίαι τῶν Διονυσίων. Brauronia a Braurone, oppido Atticæ, in quo Liberalia libidinis scenam exhibebant. Scholiastes Aristophanis *in Pacem*: Βραυρὼν πόλις τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾗ τὰ Διονύσια ἤγοντο, καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. *Suidas*; Βραυρὼν, τόπος τῆς Ἀττικῆς, ἐν ᾧ τὰ Διονύσια ἤγοντο, καὶ μεθύοντες πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. *Brauron civitas, sive locus Atticæ, in quo Bacchanalia agebantur, & ebrii multas meretrices rapiebant.*

Liberalium arcana noctu peragebantur. Euripides *in Bacchis*, v. 485. 486.

Πενθ. Τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς;
Διο. Νύκτωρ τὰ πολλά. σεμνότητ' ἔχει σκότος.
Sacra noctu, an per diem agis?
Noctu multa: venerationem habent tenebræ.

Unde, ut notat Servius *ad lib.* IV. *Æneid. ipsa sacra Nyctelia dicebantur*. Ipsaque adeo maxima silentii religione continebantur. Pausanias in *Atticis*, sacra Bacchi ad Alcyoniam paludem commemorans; Τὰ δὲ ἐς αὐτὴν Διονύσῳ δρώμενα, ἐν νυκτὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον οὐχ ὅσιον ἐς ἅπαντας ἦν μοι γράψαι. *Quæ vero circa illam noctu sacra Baccho fiunt, ea mihi nefas scribendo in vulgus efferre*. Θεοίνια dicebantur, a Bacchi nomine Θεοίνου. *Hesychius*: Θεοίνια, θυσία Διονύσου Ἀθήνησι, καὶ Θεὸς Θεοίνιος, Διόνυσος. Ea per vicos sive populos actitabantur, & tum Γεννῆται sacrificabant. Τὰ κατὰ δήμους Διονύσια, Θεοίνια ἐλέγετο. ἐν οἷς οἱ Γεννῆται ἐπέθυον. τὸν γὰρ Διόνυσον Θέοινον ἔλεγον. *Per populos Dionysia, Theœnia dicebantur, in quibus Gennetæ sacrificabant. nam Bacchum Theœnum appellabant*. Γεννῆται vero apud Athenienses vocabantur, Οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνοῦντες, *ejusdem generis participes*. Nam universa civium multitudo primum distinguebatur in φυλάς. Rursus φυλαὶ trifariam dividebantur, & unaquæque pars, τριττὺς, φρατρία nuncupabatur. Jam φρατριῶν singulæ in genera triginta distribuebantur. Igitur qui ejusdem generis erant, Γεννῆται nominabantur; ex quorum numero, unicuique sacro apti sacerdotes, sorte creabantur.

Ὠμοφάγια, Latine *Crudivora*, sic appellata, quod Mystæ furentes, & pleni Deo; quoque præsentius numen ostentarent, anguibus redimiti, crudas carnes ore dilaniarent. Catullus *in nuptiis Pelii & Thetidos*, v. 258. 259.

Pars e divulso jactabant juvenco:
Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Euripides *in Bacchis*: Στεφανοῦσθαί τε δρακόντων στεφάνοις. & paulo post addit: Ὠμοφάγων χάριν. Clemens Alexandrinus *in* Προτρεπτ. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχαι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμέναι τοῖς ὄφεσιν. &c. *Bacchum celebrant Bacchæ, crudarum carnium esu sacram agentes insaniam, & cæsarum carnium peragunt divisionem, coronatæ serpentibus*. Arnob. *lib.* v. *Bacchanalia etiam prætermittimus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum est. In quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine, ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis*. Hunc vero Bacchum, quem Μαινόλην *Clemens* vocat, eundem arbitror esse cum eo, quem Plutarchus Ὠμηστὴν appellat: cujus meminit *in Themistocle, Aristide, & Pelopide*, cuique humana victima litatum scribit.

Bacchi sacra proprie Orgia dicuntur, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, quod in furorem Bacchantes agantur. Servius *ad l.* VI. *Æneid. Orgia proprie Liberi, abusive omnium Deorum sacra*. Contrarium omnino docet *ad lib.* IV. *Æneidos*; *Sane sciendum*, inquit, *Orgia apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos Cæremoniæ dicuntur. Sed jam abusive sacra Liberi, Orgia vocantur: vel* ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *id est, a furore, vel* ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *ex sylvis*. Postrema verba non carere mendo videntur: forsitan, *ex montibus*, legendum. nam Bacchantes per montium ardua cursitabant.

Bacchanalia in Ægypto nata Melampus in Græciam transtulit. Herodotus *lib.* II. etiam Diodorus Siculus *lib.* I. *Antiquit. cap.* II. Plutarchus *libro de Iside, & Osiride*, eorum originem Ægypto imputat, & Isidem esse Græcorum Cererem, Osiridem vero Bacchum, Ægyptiorumque Παμύλια cum Græcorum Dionysiis convenire multis argumentis evincit.

Dionyſia apud Athenienſes in primis celebria fuerunt, ſic ut eorum intervallis tempora diſtinguerent, quæ poſtea per Olympiadas numerare cœperunt. *Suidas*: Ἔθος ἦν Ἀττικοῖς λέγειν τὰ ἔτη, καὶ τὸν ὑποπίπτοντα ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων. Præterea Bacchi ſacerdos in ſpectaculis principem locum obtinebat. Commentator Ariſtophanis *in Ranas*: Παρὰ ταῖς θεαῖς προεδρίᾳ ἐτετίμητο ὁ Ἱερεὺς τοῦ Διονύσου. *In ſpectaculis primo conſeſſu honorabatur ſacerdos Bacchi*. His adde quod ſummus in repub. magiſtratus illorum curator eſſet. Pollux *libro* VIII. Ὁ Ἄρχων διατίθησι Διονύσια. *Archon diſponit Bacchanalia*. Hactenus genera Liberalium, originem, atque dignitatem expoſuimus; nunc ad pompæ ſpectaculum ordo nos deduxit.

Pompa Dionyſiorum antiquitus ſimplex, & ſumptuum expers erat, donec opum affluentia ſacris etiam, mores ſuos, luxumque immiſit. Plutarch. *lib.* Περὶ φιλοπλουτίας. Ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτὴ, τὸ παλαιὸν ἐπέμπετο δημοτικῶς, καὶ ἱλαρῶς, ἀμφορεὺς οἴνου, καὶ κληματὶς, εἶτα τράγον τις εἷλκεν, ἄλλος ἰσχάδων ἄρριχον ἠκολούθει κομίζων, ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ φαλλός. ἀλλὰ νῦν ταῦτα παρορᾶται, καὶ ἠφάνισται χρυσωμάτων περιφερομένων. καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζευγῶν ἐλαυνομένων, καὶ προσωπείων. *Accepta a majoribus Bacchanalium feſtivitas antiquitus plebejo more, & hilari agebatur, amphora vini, & palmitis ſarmentum, tum aliquis caprum trahebat, ſequebatur calathum ficubus plenum geſtans, ultimo loco Phallus. Nunc ea negliguntur, & obſoleta ſunt, dum interim geſtantur aurea pocula, veſtes pretioſæ, bigæ agitantur, perſonatique incedunt*. Et quantum prima rudis ævi ſimplicitas mutarit ex Athenæi *lib.* V. manifeſtum eſt, ubi Choragium Bacchi deſcribit, quod magnifico prorſus apparatu Antiochus inſtruxit. Apparatus pompæ conſtabat Myſtis, & ferculis: Myſtas voco Bacchantes, & ſacris initiatos. Eorum ornatus, Nebrides, Sindones, Mitræ, Thyrſi, Ferulæ, Pampini, Hedera, Tympana, Tibiæ, Fiſtulæ, Tintinnabula; de quibus paſſim Poetæ, ut Euripides *in Bacchis*; Catullus *in nuptiis Pelei, & Thetidos*; Virgilius *lib.* VII. *Æneid.* Valer. Flaccus *lib.* II. *Argonaut.* Seneca *in Oedipo*; Strabo *lib.* XIV. Athenæus *lib.* V. Pauſanias *in Corinthiacis*; Phornutus *in Bacchi deſcriptione*. Sed ea diligentiſſime tractarunt *Lilius Gyraldus*, *Natalis Comes*; & noviſſime in unum non pauca congeſſit Dempſterus *ad Roſinum lib.* II. *cap.* XI. Quos hac in parte curioſitati legentis ſatisfacturos, neque mihi nunc exſcribendos putavi. Unum modo notandum fuit, ab Ariſtophane *in Ranis*, Bacchi Myſtas corona myrtea redimitos induci, verſib. 329. 330. 331.

> Πολύκαρπον μὲν τινάσσων
> Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα
> Στέφανον μύρτων.
> *Bacciferam quidem tendens*
> *Circa caput tuum ſcatentem*
> *Coronam myrtorum*.

Quo loco *Scholiaſtes*: Μυρσίνης στεφάνῳ ἐστεφανοῦντο οἱ μεμυημένοι οὐχ᾽ ὥς τινες νομίζονται κισσίνῳ. *Myrteo ſerto coronabantur initiati, non ut aliqui exiſtimant Hederaceo*. Quod tamen omnium authorum conſenſus rejicit. Atque adeo Lucianus uno hederæ ſigno Bacchi ſacerdotes a reliquorum Deorum Myſtis differre non obſcure ſignificat *in Tragopodagia*.

> Ἦ μή τις ὕμνος Βακχείων κωμάζεται;
> Ἀλλ᾽ οὐκ ἔπεστι κισσίνη σφραγὶς κόμαις.
> *Anne hymnus Bacchantium canitur?*
> *Sed non ſubeſt hederaceum ſigillum comis*.

Et Plutarchus *alibi* rationem reddit. Porro Bacchantum alii Silenorum, alii Satyrorum, atque Panum habitu procedebant. Sic Plutarchus Antonium Liberi Patris æmulum nonnullas civitates obiviſſe prodidit, atque Epheſum acceſſiſſe Bacchica pompa, *in ejus Vita*. Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, Ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρους καὶ Πᾶνας ἡγοῦντο διεσκευασμένοι. κιττοῦ δὲ καὶ θύρσων, καὶ ψαλτηρίων, καὶ συρίγγων, καὶ αὐλῶν ἡ πόλις πλέα. *Igitur cum Epheſum ingrederetur, mulieres quidem Baccharum habitu, viri autem, & pueri Satyrorum, atque Panum cultu ornati præibant: Hedera, Thyrſis, Pſalteriis, Fiſtulis, Tibiis civitas plena*. Rurſus alii aſinis inſidebant, alii hircos ducebant, quos immolarent, quorumque pellibus ad Aſcolia uterentur. Hoc ornatu inſtructi utriuſque ſexus homines, lymphato curſu ferri, vario motu (ut videre eſt in *Theſmophoriazuſis* Ariſtophanis) Choreas, ſive Thiaſos ductare, tremulis ululatibus æthera complere, caput jactare; quod huic ſacro fuiſſe velut proprium animadvertas. Euripides Bacchantis geſtum ait,

> Κρᾶτα σεῖσαι.

Quo præſens ſuis pectoribus inſidere numen teſtaretur, *in Bacchid.* v. 298. &c.

> ——Καὶ γὰρ Βακχεύσιμον
> Καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει,
> Ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ᾽ ἔλθῃ πολὺς
> Λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.
> ——*Nam Bacchatio*
> *Et furor vaticinandi vim habet,*
> *Quando Deus in corpus venit multus*
> *Dicere futura inſanos facit*.

Unde Pindarus Ῥιψαυχένας appellat: & Juriſconſultus lib. I. II. *de ædilitio edicto* quæſitum fuiſſe ait, *Si ſervus inter fanaticos non ſemper caput jactaret, & aliqua profatus eſſet, nihilominus ſanus videretur*. In iſta capitis jactatione crines effundebantur, quos Baccho alere ſolebant. Euripides *loc. cit.* verſ. 494.

> Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ᾽ αὐτὸν τρέφω.
> *Sacer capillus, Deo ipſum nutrio*.

Virgilius *lib.* VII. *Æneid.* v. 391.

> *Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.*

Et apud Valerium Flacchum *Argonaut.* l. II. verſ. 264. Hypſiphile Patrem ſuum Bacchi cultu adornat, ut Lemniadum furori eripiat:

> *Serta Patri, Juveniſque comam, veſteſque Lyæi*
> *Induit*.

Porro conciti furore, Deoque pleni acclamabant, Εὐοῖ σαβοῖ, Εὐοῖ Βάκχε, ut ex *Demoſthene*, *Plutarcho* & Poetis eruditi poſſunt obſervare. Dionyſius Alexandrinus, *v.* 702. *&c.*

> Καὶ μετὰ Ληναίων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο
> Σώματα καὶ Νεβρίδας ἐπὶ στήθεσι λαβόντες
> Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες.
> *Atque in Lenæis ſacras duxere choreas,*
> *Pellibus incincti, ſimul euohe Bacche frementes*.

Et apud Latinos *Poeta*:

> *Euohe Bacche fremens*.

Atque hinc εὐάζειν, & *Euare*. Fuit & illa acclamandi formula, ὦ Ἴακχε. Ariſtophanes *in Ranis*, v. 318. 319.

> Ἴακχ᾽ ὦ Ἴακχε,
> Ἴακχ᾽ ὦ Ἴακχε.

Et Athenæus libro V. Ἱερὰν τοῦ Βάκχου φωνὴν appellat. Proclus in *Chreſtomathia*. Ἰόβακχος ἐν ἑορταῖς, καὶ θυσίαις Διονύσου βεβαπτισμένος πολλῷ φρυάγματι. *Jobacchus canebatur in feſtis & ſacrificiis Bacchi, tinctus multo, & inſolenti fremitu*.

Agmen Bacchantium fercula ſequuntur; inter quæ, ſiquidem ab Oſiridis ſacro, Liberalia non differunt, vas aquarum primo loco portabatur. Plutarchus *libro de Iſide & Oſiride*: Καὶ τῶν ἱερῶν αἰεὶ

προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. *Ante sacra, in pompa semper præcedit vas aquarum in honorem Dei*. Deinde Virgines procedebant Κανηφόροι, id est, gestatrices cistarum, in quibus omnium fructuum primitiæ, Deo sacratæ, claudebantur. Aristophanes *in Acharn.* v. 239. 240.

> Εὐφημεῖτ', εὐφημεῖτε
> Προΐθ' ὡς τὸ πρόσθεν ὀλίγον ἡ κανηφόρος.
> *Ore favete, ore favete.*
> *Procede anterius paulo quæ cistam habes.*

Et *paulo post*:

> Κατάθου τὸ κανοῦν, ὦ θύγατερ, ἵν' ἀπαρξώμεθα.
> *Depone cistam filia, ut primitias persolvamus.*

Scholiastes: Κατὰ τὴν Διονύσου ἑορτὴν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις αἱ εὐγενεῖς παρθένοι ἐκανηφόρουν, ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανά, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων ἐτίθεσαν. Eadem, quibusdam additis ex *Demarato*, citat *Natalis Comes*: Κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν, παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἀθηναίοις αἱ εὐδινεῖς (lege, εὐγενεῖς) παρθένοι, τότε πρῶτον ἡβῶσαι ἐκανηφόρουν. ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανά, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν καρπῶν ἐτίθεσαν. *Per festum Dionysii diem apud priscos Athenienses, Virgines nobiles, quæ ad pubertatem accesserunt, tum primum canistros ferebant, qui canistri erant ex auro confecti, in quibus omnium fructuum impositæ erant primitiæ*. Sed non solis fructuum primitiis cistas refertas fuisse putandum est, quas tanto horrore venerati sunt, ut his omnes Ceremoniæ contineri videantur. Catullus *in Nuptiis Pelii & Thetidis, v.* 257. 258.

> *Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis;*
> *Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.*

Valerius Flacchus, *l.* II. *Argon. v.* 267.

> —— *Tacita plenas formidine cistas.*

Versus Orgiorum symbolici erant: Ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. *Ex tympano edi, ex cymbalo bibi, mysteria Religionis perdidici*. Item: Χαῖρε νυμφίε, χαῖρε νέον φῶς: *Salve sponse, salve novum lumen*. Firmicus *c.* XIX. & XX. Non potuere tamen Orgiorum arcana latere SS. Patres, qui superstitionem tenebrarum fide ac silentii se defendentem protulerunt in lucem, ut ejus partim vanitas, partim fœditas a pertinacia stolidi erroris animos hominum averteret. Igitur Clemens Alexandrinus cistas illas, a quibus profani arcebantur, aperire non veritus, effecit, ut merito tritum sermone proverbium objiciamus, Οὐδὲν ἱερόν. Verba illius *ex* Προτρεπτικῷ sunt hæc: Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίσται αἱ μυστικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄρρητα ἐξειπεῖν. οὐ σησαμαῖ ταῦτα καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα; χόνδροι τε ἁλῶν, καὶ δράκων, ὄργιον Διονύσου Βασσάρου; οὐχὶ δὲ ῥοιαί; πρὸς τοῖς δὲ, καὶ καρδίαι, νάρθηκές τε, καὶ κιττοί; πρὸς δὲ καὶ φθοῖς, καὶ μήκωνες. ταῦτ' ἐστὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. *Quales autem sunt cistæ eorum mysticæ? oportet enim sancta illorum revelare, & arcana enunciare. Nonne ea sunt Sesama, Pyramides, & lana bene elaborata, Libaque multis distincta umbilicis, salisque micæ, & Draco, Orgium Dionysii Bassari? an non mala punica, atque etiam corda, ferulæ, & hederæ? & præterea placentæ & papavera*. Apud Plutarchum, *in Alexandro*, Olympias, Bacchi ὀργιασμοὺς repræsentans, Ὄφεις μεγάλους, ἐκ τοῦ κιττοῦ, καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραναδυομένους. *Angues ingentes ex hedera, & mysticis cistis proreptantes*, ad augendam venerationem ostentabat.

Post Κανηφόρους nova spectaculi facie curiosos oculos detinebant Φαλλοφόροι. Aristophanes,

> Ὦ Ξανθία σφῷν δ' ἐστὶν ὀρθὸς ἑκτέος
> Ὁ φαλλὸς ἐξόπισθε τῆς κανηφόρου.
> *O Xanthia vobis rectus habendus est*
> *Phallus, retro cistiferam.*

Φαλλὸς autem est, ξύλον ἐπίμηκες ἔχον ἐν τῷ ἄκρῳ σκύτινον αἰδοῖον ἐξηρτημένον. *Lignum oblongum, habens verendum ex summitate suspensum*. Unde ipsam solennitatem Theodoretus libro III. *Græc. affectionum* Φαλλαγωγίαν appellat: καὶ τὸν τοῦ Διονύσου φαλλὸν ἐν τῇ φαλλαγωγίᾳ παρὰ τῶν ὀργιαζόντων προσκυνούμενον. vocarunt etiam Περιφαλλίαν. *Hesychius*, Περιφαλλία πομπὴ Διονύσῳ τελουμένη τῶν φαλλῶν. Sequebatur deinde chorus cantantium φαλλικὰ ᾄσματα, id est, ut notat Aristophanis *Interpres*: Τὰ ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενα μέλη. Aristophanes *in Acharnan.* v. 260.

> Ἐγὼ δ' ἀκολουθῶν ᾄσομαι τὸ φαλλικόν.
> *Ego vero sequens canam carmen Phallicum.*

Phallophororum ornatum describit Athenæus libro XIV. Οἱ δὲ φαλλοφόροι προσωπεῖον μὲν οὐ λαμβάνουσι, προπόλιον δὲ ἐξ ἑρπύλλου περιτιθέμενοι, καὶ παιδέρωτας ἐπάνω τούτου ἐπιτίθενται, στέφανόν τε δασὺν ἴων, καὶ κιττοῦ, καυνάκας τε περιβεβλημένοι παρέρχονται. *Phallophori personam faciei non admovent, sed hederaceum integumentum circumponunt e serpillo, acantho superinjecto, coronam densam ex violis & hedera gestant, amictique Læna procedunt*. Et *paulo post*: Ὁ δὲ φαλλοφόρος ἰθὺ βαδίζων, καταπλησθεὶς αἰθάλῳ. *Phallophorus incedit recta, oppletus fuligine*. Phalli pompa, ut & aliæ, Religionum, doctrinarumque perversitates ab Ægyptiis fluxerunt. Qui tamen in eo differunt a Græcis, quod vice pudendorum ex ligno dependentium homunciones, circumducerent eximie peculiatos, quorum muto tantum moveretur. Herodotus lib. II. cap. XLVIII. Ἀντὶ τῶν φαλλῶν, ἄλλα σφι ἐστὶν ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες, νεῦον τὸ αἰδοῖον οὐ πολλῷ τεῴ ἔλασσον ἐὸν τοῦ ἄλλου σώματος. προηγέεται δὲ αὐλός. αἱ δὲ ἕπονται ἀείδουσαι τὸν Διόνυσον. διότι δὲ μέζόν τε ἔχει τὸ αἰδοῖον, καὶ κινέει μόνον τοῦ σώματος, ἔστι λόγος περὶ αὐτοῦ ἱρὸς λεγόμενος. *Loco Phallorum sunt ab iis excogitatæ statuæ cubitales, quæ fidiculis tractæ feruntur, quas fæminæ gestant circum pagos, mentula nutante, quæ propemodum est instar reliqui corporis. & Tibia præit, quam fæminæ Bacchum canentes sequuntur. Cur autem mentulam habeat justo majorem statua, & unum corporis membrum agitet, redditur ab iis sacra ratio*. Eadem memorat Lucianus *lib. de dea Syria*. Scholiastes Aristophanis *in Nebulis*. Igitur Melampus, qui Græcos Liberalia docuit, statuas omisit, & Phallos retinuit. Herodotus *lib.* II. *cap.* XLIX. Ἕλλησι γὰρ δὴ Μελάμπους ἐστὶ ὁ ἐξηγησάμενος τοῦ Διονύσου τό τε οὔνομα, καὶ τὴν θυσίην, καὶ τὴν πομπὴν τοῦ φαλλοῦ. *Melampus enim est, qui Græcis Dionysii nomen, & sacrificium, & pompam Phalli monstravit*. Et paulo post: Τὸν δὲ ὦν φαλλὸν, τὸν τῷ Διονύσῳ πεμπόμενον Μελάμπους ἐστὶ ὁ ἀπηγησάμενος καὶ ἀπὸ τούτου μαθόντες ποιεῦσι, τὰ ποιεῦσι Ἕλληνες. *Phallum, qui Baccho circumfertur, Melampus introduxit, & ab eo edocti Græci faciunt ea, quæ faciunt*.

Causam Φαλλοφορίας, ut ostendit *Herodotus*, arcanam Mystæ jactabant, cujus majestatem augere silentio volebant. Atque hinc plerumque authores, cum ritus sacrorum enarrant, ipsa mysteriorum penetralia non aperiunt, a quibus se religionis prohiberi metu profitentur. *Diodorus Siculus* Osiridem eundem cum Baccho statuens hanc refert originem. Osiridem duce Typhone conjurati fratres dilacerarunt, membra partiti, quo fidem inter se firmarent, & mors occultior foret. Virile membrum omnes aspernati, in Nilum abjecerunt.

Postea

Postea Isis mariti necem ulta, partes omnes recuperavit, excepto pudendo: quod ubi deeſſe vidit, imaginem ejus formavit, & in ſolatium doloris, tanto honore proſecuta eſt, ut illi ſacra cæremoniasque inſtituerit, in quibus Phallus appellaretur. *Plutarchus* hujus fabulæ turpitudinem quodam interpretationis velo tegere conatur. Oſiridis aut Bacchi nomine rerum intelligi principium, quod vi generandi multiplicat ea, quæ ex illo producuntur. Atque eam ob cauſam, non modo Phallos, ſed etiam Bacchi imaginem circumferri, cujus triplex eſt pudendum. Addit præterea; Καὶ γὰρ ὁ προστιθέμενος τῷ μύθῳ λόγος, ὡς τὸ Ὀσίριδος ὁ Τυφὼν τὸ αἰδοῖον ἔρριψεν εἰς τὸν ποταμὸν, ἡ δ' Ἶσις οὐχ εὗρεν, ἀλλ' ἐμφερὲς ἄγαλμα θεμένη, καὶ κατασκευάσασα, τιμᾶν καὶ φαλλοφορεῖν ἔταξεν, ἐνταῦθα δὲ παραχωρεῖ διδάσκων ὅτι τὸ γόνιμον, καὶ τὸ σπερματικὸν τοῦ θεοῦ πρῶτον ἔσχεν ὕλην τὴν ὑγρότητα, καὶ δι' ὑγρότητος ἐνεκράθη τοῖς πεφυκόσι μετέχειν γενέσεως. *Quæ enim fabula rei additur, membrum Oſiridis in flumen fuiſſe a Typhone abjectum, & Iſidem cum id non inveniret, ſimulacrum ejus adornaſſe, idque ut honoraretur, & Phallus geſtaretur, inſtituiſſe: ea huc facit, docetque genitalem vim, & ſemen Dei pro materia prima habuiſſe humorem, & humoris interventu coaluiſſe cum his quæ naſcendi facultate erant prædita.* Par eſt ratio cur in pompa præferretur aqua, & ficus folio Regem depingerent, quod illam videlicet omnium rerum materiam exiſtimarent; hujus autem forma partem generationi dicatam repræſentaret. Cæterum *Diodori* narrationem reſpexit Clemens Alexandrinus *in Protreptico*, & Arnobius *lib. v. Sed & illa deſiſtimus Bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana, & tacenda res proditur inſinuaturque ſacratis, ut occupatus puerilibus ludicris, diſtractus a Titanibus Liber ſit, ut ab iiſdem membratim ſectus, atque in ollulas conjectus coqueretur; quemadmodum Jupiter ſuavitate odoris illectus, invocatus advolarit ad prandium, compertaque re gravi, graſſatores obruerit fulmine, atque in imas Tartari præcipitaverit ſedes*, &c. Utriuſque ſcriptoris locos conferant ſtudioſi, & alterum alterius egiſſe interpretem agnoſcet.

Verum *Ariſtophanis Scholiaſtes* aliam narrat φαλλοφορίας occaſionem. Ἵστατο δὲ φαλλὸς τῷ Διονύσῳ κατά τι μυστήριον· περὶ δὲ αὐτοῦ τοῦ φαλλοῦ τοιαῦτα λέγεται. Πήγασος ἐκ τῶν Ἐλευθήρων (Ἐλευθῆραι δὲ πόλις εἰσὶ Βοιωτίας) λαβὼν τοῦ Διονύσου τὰ ἀγάλματα ἧκεν εἰς τὴν Ἀττικήν. Οἱ δὲ Ἀττικοὶ οὐκ ἐδέξαντο μετὰ τιμῆς τὸν θεόν. ἀλλ' οὐκ ἀμισθί γε αὐτοῖς ταῦτα βουλευσαμένοις ἀπέβη. μηνίσαντος γὰρ τοῦ θεοῦ νόσος κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τῶν ἀνδρῶν. καὶ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν. ὡς δὲ ἀπεῖπον πρὸς τὴν νόσον κρείττω γενομένην πάσης μαγγανείας, καὶ τέχνης, ἀπεστάλησαν Θεωροὶ μετὰ σπουδῆς. Οἱ δὲ ἐπανελθόντες, ἔφασαν ἴασιν εἶναι μόνην ταύτην, εἰ μετὰ πάσης τιμῆς ἄγοιεν τὸν θεόν. πεισθέντες οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι, φαλλοὺς ἰδίατε, καὶ δημοσίᾳ κατεσκεύασαν. καὶ τούτοις ἐγέραιρον τὸν θεόν: ὑπόμνημα ποιούμενοι τοῦ πάθους. *Inſtitutus Baccho Phallus ob aliquod myſterium. De Phallo autem talia dicuntur. Pegaſus ex Eleutheris (Eleutheræ ſunt Bœotiæ civitas) acceptis Bacchi ſignis in Atticam venit. Attici vero non cum honore Deum exceperunt: quod non impune talia molientibus abiit. Irato enim Deo morbus virorum pudenda invaſit & jam inſanabile malum evadebat. Superante igitur remedia morbo, miſſi Theori: qui reverſi unum remedium eſſe dixerunt, ſi omni honore Deus afficeretur. Athenienſes nuncio perſuaſi, Phallos privatim, & publice pararunt, quibus Deum honorarunt, facientes monumentum affectionis.* Sed Chriſtianorum Doctores altius arcana rimati, propudioſam fœdiſſimi ritus originem invenerunt, utque deteſtandæ ſuperſtitionis fundamenta ſubruerent, ex occulto in aperta protulerunt. Theodoretus *lib.* VII. *Græcanicarum affectionum*, ſive, *ſermone de Martyribus*: Ἀλλ' ὅμως καὶ οὗτος θείας ἠξιώθη τιμῆς, γύννις ὢν καὶ θηλυδρίας, καὶ Ἀνδρόγυνος. καὶ γὰρ τοῖς ἐπικουροῦσι μισθὸν ὑπέσχετο δώσειν, οὐ χρυσὸν, ἢ ἄργυρον. ἀλλὰ τὴν ὕβριν τοῦ σώματος. καὶ οὕτω περὶ τὴν βδελυρὰν ἐκείνην ὑπόσχεσιν ἐγένετο φιλαληθὴς, ὡς τῶν βεβοηθηκότων τετελευτηκότων πρὶν ἢ δέξασθαι τὸν πολυθρύλλητον ἐκεῖνον μισθὸν, ἑτέρως ἐπινοῆσαι τῆς ὑποσχέσεως τὴν ἐπαγγελίας ἐκπλήρωσιν. καὶ σιωπῶ τὸ σύκινον πέος, καὶ τὰ ἐπὶ τούτῳ τελούμενα αἰσχύνομαι λέγειν, ἐφ' οἷς ἐπανηγύριζον Ἕλληνες. *Et tamen divinis etiam honoribus affectus. Ad hæc mollis, effæminatus, ſemivir. Cur enim talis non haberetur, qui ſuppetias ſibi ferentibus mercedem ſe daturum pollicebatur, non aurum, non argentum, ſed corporis ſui ſtuprum. Cujus tam tetri, abominabiliſque polliciti, adeo certus executor fuit, ut auxiliaribus prius vita functis, quam probroſam illam mercedem accepiſſent, ipſe tamen aliam implendi promiſſi rationem excogitarit. Taceo ficulneum veretrum, quæque circa illud myſteria, ritusque habentur. Pudet enim ea me referre, quibus olim Græci ſolennitates dicarunt.* Arnobius lib. v. *Ithyphallorum illa, faſcinorumque ſubrectio, quos ritibus annuis adorat, & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris ſimilitudinem refert, quo ſe a debito Liber liberavit?* Ipſum autem facinus prolixa narratione perſequitur idem *author* Libri jam laudati *pagina* 167. Sed rei turpitudo tam felici ſtylo depingitur, ut pudoris interſit, ne legenda pluribus in locis exhibeatur.

Phallorum pompam excipiebant Ithyphalli muliebrem veſtem induti. *Heſychius*: Ἰθύφαλλοι οἱ ἐπίορκοι, καὶ ἀκολουθοῦντες τῷ φαλλῷ γυναικεῖαν ἔχοντες στολήν. *Ithyphalli perjuri, & qui Phallum ſequuntur, muliebrem habentes ſtolam.* Hos Athenæus deſcribit libro XIV. Οἱ δὲ Ἰθύφαλλοι καλούμενοι προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσι, καὶ ἐστεφάνωνται, χειρίδας ἀνθινὰς ἔχοντες. χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις, καὶ περιέζωνται Ταραντίνιον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν. *Ithyphalli, quos vocant, perſonas ebriorum induunt, coronas geſtant; & manicis florido colore tinctis manus operiunt. Tunicis veſtiuntur albo diſtinctis. Tarentino amictu præcinguntur ad malleolos uſque demiſſo.*

Quo ordine vannus geſtaretur haud liquet: ſed absque ea Bacchi ſacra non fuiſſe celebrata, conſtat; unde a Virgilio *libro* I. *Georgic. v.* 166. dicitur:

— *Myſtica vannus Jacchi.*

Servius *ad hunc locum*: *Myſtica Jacchi ideo ait, quod Liberi patris ſacra ad purgationem animæ pertinebant; & ſic homines ejus myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgantur. Hinc eſt quod dicitur Oſiridis membra a Typhone dilaniata Iſis cribro ſuperpoſuiſſe: nam idem eſt Liber pater in cujus myſteriis vannus eſt; quia ut diximus, animas purgat; unde Liber, ab eo quod liberet, dictus: quem Orpheus a Gigantibus dicit eſſe diſcerptum. Nonnulli Liberum patrem* Λικνίτην *appellant. Vannus autem apud eos* λικνὸς *nuncupatur, ubi de more poſitus eſſe dicitur, poſtquam eſt utero matris editus.* Hactenus *Servius*. & certe Bacchus a Plutarcho Λικνίτης nominatur *in libello de Iſide, & Oſiride*. Athenæus libro v. in pompa Bacchi deſcribenda mentionem quoque facit τῶν λικνῶν. Hæc autem qui ferebant, Λικνοφόροι dicebantur. Harpocration *ex Demoſthenis Oratione contra Cteſiphontem*: Τὸ λικνὸν πρὸς

πᾶσαν τελετὴν, καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστιν ὁ τοῦτο ἂν φέρων λικνοφόρος λέγοιτ᾽ ἄν. *Vannus ad omnia initia, & sacrificia, commoda est. Qui illam fert, Licnophorus dici potest.* Multa dictu visuque fœda, ad animos populi diffundendos, in pompa Mystæ perpetrabant. Quos propterea D. Gregorius, *Oratione* εἰς τὰ ἅγια φῶτα, esse dicit αἰσχροὺς καὶ τοῖς σχήμασι, καὶ τοῖς πράγμασιν. *Turpes & signis & factis*. D. Augustinus *lib.* VI. *de Civitate Dei*, *capite* XXI. turpitudinis licentiam, & exultantem in propatulo nequitiam Gentibus exprobrat, matronam facere in publico: quod nec meretrix, si matronæ spectarent, permitti debuit in theatro. Et gravissime Theodoretus *loc. cit.* Ἐν δὲ ταύταις ταῖς ὁμηγύρεσι πᾶν εἶδος ἀκολασίας ἀδεῶς ἐτολμᾶτο· καὶ γὰρ αἱ τελεταὶ, καὶ τὰ ὄργια, τὰ τύπον εἶχεν αἰνίγματα, τὸν κτένα μὲν Ἐλευσὶς, ἡ φαλλαγωγία δὲ τὸν φαλλόν. ἀτὰρ δὲ καὶ δίχα τῶν αἰνιγμάτων, τὰ παρὰ τῶν ὀργιαστῶν δρώμενα, εἰς πᾶν εἶδος ἀσελγείας τοὺς ὁρῶντας ἠρέθιζε. Τίς γὰρ ἄγαν λαγνιστάτων, ἔνδον ἐν τῷ θαλάμῳ τετόλμηκε τοιαῦτα, ὁποῖα τῶν Σατύρων ὁ χόρος ἠσέλγησε δημοσίᾳ πομπεύων. *In ejusmodi vero conventiculis omne flagitiorum genus patrabatur. Initia enim Cereris, & Liberi Patris Orgia, eorum scelerum quædam involucra prætendebant. Eleusis namque pectinem ostentabat; Veretrum autem Phallagogia Baccho dedicata. Sed enim citra ænigmatum involucra, ipsa quoque Orgia, quæ a celebrantibus fieri cernebantur, ad omne flagitiorum genus facile spectantes incitabant. Quis enim vel salacissimæ libidinis homo, intra cubiculi penetralia, ea patrare unquam est ausus, quæ Satyrorum Chorus publica in pompa flagitiose exhibuit?* Nam & Satyri in hanc pompam producebantur arrecto pene; quod tamen ipsi rei divinæ signum autumabant, ut author est Aretæus lib. II. *Acutorum* cap. XII.

Quam fœda porro civitatis facies, ubi tanta lasciviæ irritamenta, quæ pravis religionibus captas hominum mentes, velut furialibus stimulis ad omne scelus, & ad omnem libidinem agerent. His adde ludos voluptatum illices, & nova comœdiarum spectacula, in quibus etiam flagitiosa jocorum libertas, plausum merebatur. Jam commessationes adeo insanæ, ut sobrius pro tetrico nimiumque severo haberetur. Certe Plato *libro* I. *de Legibus* dicere non erubescit, Πᾶσαν ἐθεασάμην τὴν πόλιν περὶ τὰ Διονύσια μεθύουσαν, *Totam vidi civitatem in Bacchanalibus temulentam*. Hic in publico furor: quid igitur corruptelæ defuisse putemus, ubi licentia tenebrarum accesserat. Facundissime Livius *lib.* XXXIX. *c.* XIII. *Ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri fæminis & noctis licentia accesserit; nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum, plura virorum inter sese, quam fæminarum esse stupra. Si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas ducere: hanc summam inter eos religionem esse. Viros velut mente captos cum jactatione fanatica corporis vaticinari. Matronas Baccharum habitu, crinibus passis, cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim*, &c. Quamobrem jure merito Romana gravitas illam scelerum officinam S. C. sustulit, & curavit, ut omnia Bacchanalia Romæ primum, deinde per totam Italiam diruerentur.

ΔΙΟΣ ΒΟΥΣ.

JOVIS BOS. Invenio apud *Hesychium* esse festum Milesiorum: Διὸς βοῦς, ὁ τῷ Διὶ ἄιςτος βοῦς· ἔστι δὲ ἑορτὴ Μιλησίων. *Jovis bos, Jovi dicatus bos: est autem festum Milesiorum.*

ΕΙΡΕΣΙΩΝΗ.

RAMUS oleæ, quem supplices olim tendere solebant, vulgato Ἱκετηρίας nomine significatur. Eodem quoque sensu Εἰρεσιώνην authores usurparunt. Plutarchus in *Theseo* describit, κλάδον ἐλαίας ἐρίῳ μὲν ἐστεμμένον, παντοδαπῶν δὲ ἀνάπλεον καταργμάτων. *Oleæ ramum lana obvolutum, variis fructuum primitiis oneratum*: & addit, ὥσπερ τότε τὴν ἱκετηρίαν, *qualia tunc supplicia*. Hesychius: Εἰρεσιώνη, κλάδος ἐλαίας. Scholiastes Aristophanis *ad Equites*: Κλάδος ἐλαίας ἐρίοις περιπεπλεγμένοις ἀναδεδεμένος. ἐξήρτητο δὲ αὐτοῦ ὡραῖα πάντα ἀκρόδρυα. *Ramus Oleæ circumvolutis lanis innexus, ex quo dependebant omne genus fructuum*. Sic Eustathius *ad Odyss.* χ. Sic *Suidas*. Sophocles autem fructus, & alia appensa ramo commemorat:

> Ἦν μὲν γὰρ οἰὸς μαλλὸς, ἦν δέ κ᾽ ἀμπέλων
> Σπονδή τε, καὶ ῥὰξ εὖ τεθησαυρισμένη·
> Ἐνῆν δὲ συμμιγὴς ὅλαις παγκαρπία,
> Λίπος τ᾽ ἐλαίου, καὶ τὸ ποικιλώτατον
> Ξανθῆς μελίσσης κηρόπλαστον ὄργανον.

> *Erat enim vellus, & erat vitium*
> *Libamen, uvaque prope recondita:*
> *Eratque fructus mistus omnis generis,*
> *Pingueque olivum, variumque maxime*
> *Flavæ quod apis munere fit Cereum.*

Εἰρεσιώνης ergo, non secus, atque *ἱκετηρίας* acceptio communis est; atque adeo non repugnat illam in Oschophoriis, & Pyanepsiis locum habuisse. Quamvis eorum veluti partem fuisse, nec peculiare festum constituisse quispiam non injuria contendat. Tamen ego distinguam, & quæ ad singula pertinebunt ordine suo digeram; Lectori faciens libertatem referendi quo libuerit. Igitur Εἰρεσιώνη speciatim ramus est oleæ omni fructuum genere oppletus, quem stato tempore quotannis sacrabant, & postibus ædium affigebant, ad averruncanda mala sterilitatis, quæ ipsarum quoque Cæremoniarum causam præbuisse fertur Scholiastes Aristophanis *ad Equites*. Ἱστᾶσι τὴν Εἰρεσιώνην εἰσέτι καὶ νῦν. ποιοῦσι δὲ τοῦτο, κατά παλαιόν τι χρηστήριον. Οἱ μὲν γάρ φασιν ὅτι λιμοῦ, οἱ δὲ ὅτι καὶ λοιμοῦ τὴν πᾶσαν κατασχόντος οἰκουμένην, χρωμένων τίνα ἂν τρόπον παύσαιτο τὸ δεινόν. τὴν λύσιν ταύτην ὁ Πύθιος ἐμαντεύσατο. εἰ προηροσίαν (lego προηρόσια) ὑπὲρ ἁπάντων Ἀθηναῖοι θύσειαν. θυσάντων οὖν Ἀθηναίων, τὸ δεινὸν ἐπαύσατο. *In hoc usque tempus Eiresionem constituunt. Illud vero faciunt ex quodam oraculo. Nam fame, ut quidam ajunt, aut peste, ut alii volunt, universam terram occupante, & sciscitantibus quomodo malum sedaretur; Respondit Pythius, remedio futurum, si Proerosia pro omnibus Athenienses facerent. Postquam igitur Athenienses sacrificassent, malum cessavit.* Proerosia, sacrificium est ad felicitanda aratri opera institutum, quod etiam vocabant Proacturia. *Hesychius*: Προηρόσια, τὰ πρὸ τοῦ ἀρότρου θύματα, καὶ ὁ Δῆμος δὲ αὐτὰ Προακτούρια καλεῖ. *Proerosia sunt ante arationem sacrificia, & Demus ea Proacturia vocat.* Corrigendus igitur in Aristophanis *Scholiaste* locus: Οἱ μὲν γὰρ φασιν ὡς λιμοῦ πᾶσαν τὴν γῆν κατασχόντος, ὁ θεὸς εἶπε, πρὸς

εἰρεσίαν ὑπὲρ ἁπάντων θῦσαι θυσίαν τὺς Ἀθlωαίυς. Lege, Προηρόσια ὑπὲρ ἁπάντων θῦσαι Ἀθlωαίυς. Nam quod additur θυσίαν, glossema est explicantis Προηρόσια; quod ex margine in contextum irrepsit. Id vero sacrificium Cereri fiebat. *Suidas*: Ὁ θεὸς εἶπε, προηρόσια (lege προηρόσια) τῇ Δηοῖ. Tamen ante dixerat Apollini factum: Ἀπορίας (male, ut etiam apud *Eustathium*, ἀφορίας) κατεχύσης τὴν πόλιν καταστέψαντας ἐρίοις ἱκετηρίαν ἀναθεῖναι τῷ Ἀπόλλωνι. Cæterum ad gratam rei memoriam, & in perpetuum accepti beneficii monumentum, ex omnibus locis, Athenas fructuum primitiæ mittebantur. Comici *Scholiastes*: Καὶ ὅπως ὥσπερ χαριστήριον, οἱ πανταχόθεν τοῖς Ἀθlωαίοις ἐξέπεμπον τῶν καρπῶν ἁπάντων τὰς ἀπαρχάς. *Itaque velut in gratiarum donum undique Atheniensibus mittebant fructuum omnium primitias.* Idem author ad *Plutum* Aristophanis hæc ipsa repetit: sed ibidem latius exponit ea quæ ramo oleæ appendebantur. Εἰρεσιώνη, inquit, θαλλὸς ἐλαίας, ἢ δάφνης, ἐξ ἐρίων, καὶ θαλλῦ συμπεπλεγμένος, ἔχων ἄρτον ἐξηρτημένον, καὶ κοτύλlω, καὶ σῦκα, καὶ πάντα τὰ ἀγαθά. *Eiresione ramus oleæ, vel lauri, ex lana, & oleæ ramo connexus; habens panem dependentem, & cotylam, & ficus, & omnia bona.* Januis affigi solitam dixit, quod cum fieret puer ἀμφιθαλὴς, id est, Patrimus, & Matrimus hos versus accinebat:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτυς,
Καὶ μέλι, καὶ κοτύλlω, καὶ ἔλαιον ἀναψήσαθαι.
Καὶ κύλικ' εὔζωρον ὡς ἂν μεθύυσα καθεύδῃ.
Fert ficus, pingues & panes Eiresione,
Et mel in cotyla, atque oleum quo te ungere possis:
Fæcundum & calicem, sopiaris ut ebria somno.

Extant apud Plutarchum in *Theseo*, Clementem Alexandrinum in *principio* IV. *Stromat.* Scholiasten Aristophanis *ad Plutum*, & *ad Equites*, Eustathium *ad librum* X. *Iliados*, & apud *Suidam*. Verum elapsa demum solennitate ostio appendebatur. Μετὰ δὲ τlὼ ἑορτlὼ, inquit *Eustathius*, ἔξω ἀγρῶν τιθέασι πρὸς τὰς θύρας, *Post festum, extra agros ponunt ante fores.* Servabaturque integra, donec anno revoluto nova reponeretur. Hinc Aristophanes in *Pluto* præcedentis anni Eiresionem subito flammas concipere proverbii forma dixisse videtur, *Act.* IV. *Sc.* V. *v.* 2.

Ἐὰν γὰρ αὐτlὼ εἷς μόνος σπινθὴρ λάβῃ,
Ὥσπερ παλαιὰν Εἰρεσιώνlω καύσεται.
Si ipsam una scintilla apprehenderit,
Velut antiquam Eiresionem comburet.

Hinc etiam apud eundem Aristophanem in *Equitibus*, Demosthenes inclamat, *v.* 725. 726.

Τίνες οἱ βοῶντες; ὐκ ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας;
Τlὼ Εἰρεσιώνlω μῦ κατεσπαράξατε.
Qui clamant? non abitis ab ostio?
Eiresionem meam discerpsistis.

ΕΚΑΛΗΣΙΑ.

HECALE Theseum hospitio excepit; cumque adversus Taurum Marathonium iret, pro ipsius incolumitate vota nuncupavit. Sed reducem, & victorem intueri morte præventa non potuit, quo respexit Poeta:

Aequalis tibi, quam domum revertens,
Theseus repperit in rogo jacentem.

Sed ejus pietati festum devota Theseo posteritas consecravit. Plutarchus in *Theseo*: Ἡ δὲ Ἑκάλη καὶ τὸ περὶ αὐτlὼ μυθολόγημα τῦ ξενισμῦ, καὶ τῆς ὑποδοχῆς ἔοικε μὴ πάσης ἀμοιρεῖν ἀληθείας· ἔθυον γὰρ Ἑκαλήσιον, οἱ πέριξ δῆμοι συνιόντες Ἑκάλῳ Διῒ, καὶ τὴν Ἑκάλlω ἐτίμων, Ἑκαλlωίlω ὑποκοριζόμενοι, διὰ τὸ κ' ἀκείνlω νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζυσαν, ἀσπάζεθαι πρεσβυτικῶς καὶ φιλοφρονεῖθαι τοιύτοις ὑποκορισμοῖς· ἐπεὶ δὲ ηὔξατο μὲν ὑπὲρ αὐτῦ τῷ Διῒ βαδίζοντος ἐπὶ τὴν μάχlω, εἰ σῶς παραγένοιτο, θύσειν, ἀπέθανε δὲ πρὶν ἐκεῖνον ἐπανελθεῖν, ἔσχε τὰς εἰρημένας ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας, τῦ Θησέως κελεύσαντος, ὡς Φιλόχορος ἱςόρηκεν. *Hecale, & quæ de illa fabula hospitii, & convivii memoratur, non omnino apparet ex vano esse. Sacrum Hecalesium circumjecti populi, concilio indicto, Jovi Hecalo faciebant, & Hecalen colebant, diminutivo nomine Hecalenen appellantes: quod illa quoque juvenem admodum hospitio excipiens Thesea, senum more salutasset, & blandita fuisset ei diminutis nominibus. Quæ quia pro eo ad pugnam progrediente, si sospes revertisset, Jovi voverat hostias, diem autem suum ante illius reditum obierat, hæc retulit hospitalitatis jussu Thesei præmia, ut Philochorus tradidit.* Atque hoc est, quod *Petronius* sacris dignam Hecalen ait:

Qualis in Actæa quondam fuit hospita terra
Digna sacris Hecale; quam musa loquentibus annis
Battiadæ veteris vivendo tradidit ævo.

ΕΚΑΤΗΣΙΑ.

EKATHΣIA apud Pollucem *lib.* I. *cap.* I. Ἑκάτης ἑορτὴ, *Hecatæ festum*: Quod maxima celebritate Stratonicenses agere quotannis solebant. Strabo *lib.* XIV. Ἔςι δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων ἐν μὲν Λαγίνοις τὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιφανέςατον ἱερὸν, πανηγύρεις μεγάλας συνάγον κατ' ἐνιαυτόν. *In agro Stratonicensium Laginis, Hecatæ sacrum est illustrissimum, ubi quotannis magni agitantur conventus.* Apud Tacitum *lib.* III. *Annalium*, cum Senatus numinum cultus introspiceret, Stratonicensis Jovis, & Triviæ religionem tuebatur. Nec minori veneratione Deam prosecuti sunt Athenienses, qui eam, velut πάντων ἔφορον, καὶ κυροτρόφον, omnium præsidem, & puerorum nutriculam observarunt. Quocirca statuas illi præ foribus erigere solebant, quæ Ἑκαταῖα dicebantur. *Hesychius*: Ἑκαταῖα τὰ πρὸ τῶν θυρῶν Ἑκάτης ἀγάλματα. *Hecatæa, ante fores, Hecatæ simulachra.* Unde Æschylus: Δέσποιν' Ἑκάτη τῶν βασιλείων πρόδρομος μελάθρων. *Domina Hecate, regiarum custos ædium.* Aristophanes *in Vespis*, v. 798. &c.

Κἂν τοῖς προθύροις ἀνοικοδομήσει πᾶς ἀνὴρ
Αὑτῷ δικαςηρίδιον μικρὸν πάνυ,
Ὥσπερ Ἑκαταῖον πανταχῦ πρὸ τῶν θυρῶν.
Et in vestibulis exædificabit quisque vir
Sibi tribunal parvum omnino,
Velut Hecatæum ubique ante januas.

Scholiastes: Ἑκαταῖον, ἱερὸν Ἑκάτης· ὡς τῶν Ἀθlωαίων πανταχῦ ἱδρυμένων αὐτlὼ, ὡς ἔφορον πάντων, καὶ κυροτρόφον. *Hecatæum, statua Hecates; sic ut eam ubique Athenienses, velut omnium præsidem & puerorum altricem collocarent.* Præterea in cujusque novilunii die, quam *Plutarchus* ἱερωτάτlω ἡμερῶν appellat, tanquam Deæ avertenti cœnam in Trivio divites exhibebant, quam pauperes ilico vorabant. Aristophanes *in Pluto*, v. 261. &c.

—— Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεςι τῦτο πύθεθαι,
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινlῶ βέλτιον. φησὶ
γὰρ αὕτη,
Τὺς μὲν ἔχοντας, καὶ πλυτῦντας δεῖπνον κατὰ
μlῶα προσάγειν.
Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν
καταθεῖναι.
—— *Ex Hecate hoc scire licebit,*
Utrum satius sit divitem quam inopem vivere: nam
ipsamet inquit,
Opulentos & divites quovis mense sibi apponere cœ-
nam,

Inopes vero, & egenos prius auferre hanc quam
pæne feratur.

Atque ibi *Scholiastes*: Κατὰ δὲ νεμηνίαν οἱ Πλούσιοι δεῖπνον ἑσπέρας, ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ προσάγοντες ἐπὶ τ̃ τριόδοις ἐτίθουν. οἱ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες, καὶ ἤσθιον αὐτὰ, καὶ ἔλεγον ὅτι Ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά. *In novilunio divites cœnam vespere, velut sacrificium Hecatæ offerentes, in triviis ponebant. Pauperes autem veniebant, & comedebant, dicebantque ipsam Hecatem comedisse.* Idem aliter: Ἔθος ἦν ἄρτους καὶ ἄλλα τινὰ κατὰ μῆνα τιθέναι τῇ Ἑκάτῃ τοὺς πλουσίους. λαμβάνειν δ' ἐξ αὐτῶν τοὺς πένητας. ἀπὸ τ̃ ἱερῶν γὰρ οἱ πτωχοὶ ζῶσιν. *Mos erat, ut divites Hecatæ panes & alia apponerent: Pauperes vero ea caperent. nam ex sacris mendici vivunt.* Plutarchus, Χθονία δὲ δεῖπνον Ἑκάτῃ πεμπόμενος εἰς τριόδους, ἀποτροπαίων, καὶ καθαρσίων ἐπέχει μοῖραν. *Terrestri vero Hecatæ cœnam mittens, averruncationis, & expiationis obtinet partem.* In triviis autem id fiebat, quod in ea triplex numen adorarent, Lunam, Dianam, Hecaten. Virgilius l. IV. *Æneid.* v. 511.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Prudentius *contra Symmach.* l. priori, v. 365. &c.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux.

Atque hinc *Scholiastes* Aristophanis, Τὴν ἐν τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Ἀρτέμιδα, καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. *Eam in triviis colebant antiquitus, quod eadem Luna, Diana, & Hecate vocaretur.* Hinc etiam Τριοδῖτις, Τριγληνος, Τριγλανθίνη dicebatur. Eandemque ob causam, id est, διὰ τὴν τ̃ ὀνομασίας κοινότητα, *propter nominis communionem*, ut notat Athenæus lib. VII. ei Τρίγλη, id est, *Mullus* sacrificabatur, ut etiam Μαινὶς, sive *Halec*, propter affinitatem, quam habet cum verbo *μαίνομαι*, *insanio*: quippe *μανίαν*, id est, *furorem* hominibus ab ea immitti existimabant. Eustathius ad *Iliad.* A. & Υ. Ἑκάτῃ καὶ Μαινίδα θύεσθαί φασι διὰ τὸ δοκεῖν μανιῶν αἰτίαν εἶναί τισι. *Hecatæ Halecem sacrificari ajunt, quod furoris causa quibusdam esse videatur.* Quare apud *Athenæum* τὰς μαινίδας Ἑκάτης βρώματα nuncupat. Et quemadmodum Romani maniæ Genitæ, sic huic quoque Deæ Græci canes immolarunt. Author est Plutarchus *in Quæstionibus Romanis.* Unde Theocritus Idyll. II. *v.* 12.

Τᾷ χθονίᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι.
Infernæ Hecatæ, quam & catuli horrent.

Et *paulo post*, adventantem Deam ex latratu canis agnoscit:

Θέστυλι ταὶ κύνες ἄμμι ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται.
Ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι.
Thestyli canes nobis per urbem latrant:
Dea adest in triviis.

Quamobrem & a *Lycophrone*, κυνοσφαγὴς θεὰ, *canum mactatrix* Dea nuncupatur. Ratio est, quod eam, ut inquit *Eustathius*, Τῶν νυκτερινῶν φόβων αἰτίαν εἶναι, *nocturnorum terrorum causam* putarent, & spectrorum, quæ per canis latratum evanescere credebantur. Ita Tzetzes *ad Lycophronem* ex mimis Sophronis: Θύουσι δ' αὐτῇ κύνας, ὡς φησι Σώφρων ἐν μίμοις, ὁ γὰρ κύων βαΰξας λύει τὰ φάσματα. *Immolant illi canes, ut inquit Sophron in mimis: nam canis baubans solvit spectra.* His Hecatæ sacris celeberrimum Zerynthi antrum, de quo Lycophron, *vers.* 77 78.

Ζήρυνθον ἄντρον κυνοσφαγοῦς θεᾶς;
Λιπὼν ἐρυμνὸν κτίσμα Κυρβάντων σάον.
Zerynthi hiatum virginis Canariæ
Linquens, deumque tecta Lucumonum Saum.

Stephanus: Ζήρυνθος πόλις, καὶ ἄντρον Ἑκάτης ἐν Θρᾴκῃ. *Zerynthus civitas, & antrum Hecatæ in Thracia.* Suidas: Ζηρύνθιον, καὶ Ζήρυνθον ἄντρον, ἐν ᾧ τὰς κύνας ἔθυον· ἔνθα ἦν τὰ τ̃ Κορυβάντων, καὶ τ̃ Ἑκάτης μυστήρια. *Zerynthium, aut Zerynthum antrum, in quo canes immolabant. Ibi erant Corybantum, & Hecatæ mysteria.* Ex quibus apparet, conjuncta fuisse Hecates, & Samothracum, sive magnorum Deorum, aut Cabeirorum sacra. Certe pariter cum illis Hecaten invocabant, qui in summo discrimine constituti, nullum exitum nisi a numinis auxilio sperabant. Scholiastes Aristophanis ad hos versus *in Pacem*, v. 221. &c.

Ὦνδρες τί πεισόμεσθα. νῦν ἀγὼν μέγας:
Ἀλλ' εἴ τις ἡμῶν ἐν Σαμοθρᾴκῃ τυγχάνει
Μεμυημένος, νῦν ἐστὶν εὔξασθαι καλόν.
Nunc viri aliquid patiemur; nunc magnum certamen:
Sed si quis nostrum in Samothracia est
Initiatus, nunc orare tempestivum est.

Οἱ, inquit, ἐν κινδύνοις γενόμενοι ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς Δαίμονας, τούς τε Κορύβαντας, καὶ τὴν Ἑκάτην, ἐξ ἧς καὶ διεβόητον ἦν τὸ Ζήρυνθον ἄντρον, ἔνθα ταύτῃ ὠργίαζον, καὶ ἠλευθεροῦντο. *In periculo constituti invocabant Samothracum Deos, & Corybantas, & Hecaten; a qua celebre antrum Zerynthum. Ibi etiam illi Orgia celebrabant, & liberabantur.* Enarrator Apollonii ad *librum* I. Cabeiros recensens, Hecatæ quidem non meminit expresse, sed procul dubio Proserpinæ nomine debet intelligi. Μυοῦνται, inquit, ἐν τῇ Σαμοθρᾴκῃ τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ τὰ ὀνόματα. τέσσαρες δ' εἰσὶν τ̃ ἀριθμόν. Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ. Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη, Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅδης. ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, ὁ Ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσιόδωρος. *Initiantur in Samothracia Cabeiris, quorum nomina dicit Mnaseas. sunt autem numero quatuor: Axieros, Axiocersa, Axiocersos. Axieros quidem est Ceres: Axiocersa, Proserpina: Axiocersos Pluto. Quartus additur Casmilus; qui est Mercurius, ut narrat Dionysiodorus.* Cæterum de Cabeirorum mysteriis videndus est Herodotus *lib.* II. Strabo *libro* X. Scaliger *in Collectaneis ad Varronem*, Clemens Alexandrinus *in Protreptico*, Festus, Servius *ad* XI. *Æneidos*, Macrobius *lib.* III. *cap.* IV. & VIIV. Eustathius, *ad Dionysii* Περιήγησιν.

ΕΛΑΦΟΒΟΛΙΑ.

EUSTATHIUS *ad Odyss.* K. Ἑορτῆς ὄνομα τὰ Ἐλαφόβολια. Vox a ferendis Cervis ducta est. Plutarchus *lib. de Virtutibus mulierum.* Dianæ festum fuisse scribit, quod Phocenses maxima solennitate celebrabant, in memoriam victoriæ de Thessalis reportatæ ad Hyampolim, Phocidos civitatem, ubi fæminæ memorabilis constantiæ speciem præbuerunt: Ἑορτὴν δ' ἐκ πασῶν μεγίστην τὰ Ἐλαφοβόλια μέχρι νῦν τῇ Ἀρτέμιδι τ̃ νίκης ἐκείνης ἐν Ὑαμπόλιδι τελοῦσιν. *Omnium autem festivitatum suarum maximam Elaphobolia Minervæ Phocenses in hunc usque diem peragunt Hyampoli.* Res divina fiebat Libo, cui nomen erat Ἔλαφος, *Cerva.* Athenæus *lib.* XIV. Ἔλαφος, πλακοῦς ὁ τοῖς Ἐλαφοβολίοις ἀναπλασσόμενος διὰ στατὸς, καὶ σησάμου. *Elaphus placenta, quæ in Elaphoboliis, ex adipe, melle & sesamo pinsebatur.*

ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ.

INTER omnia Græcorum sacra, tanta semper fuit Eleusiniorum Religio, ut commune mysteriorum nomen illis veluti proprium ab Authoribus tribuatur. Eleusinia vero nuncupata sunt ab Eleusi Atticæ oppido; cujus appellationem ab Eleusinio Mercurii filio deducunt. *Harpocration*

Ὠνομάϑη δὲ ἡ πόλις Ἐλευσὶς ἀπὸ Ἐλευσινίου τοῦ Ἑρμοῦ. *Vocata vero fuit Eleusis ab Eleusinio Mercurii filio.* Eadem sunt totidem verbis apud *Suidam* Pausanias *in Atticis* memorat: Ἐλευσῖνα ἥρωα ἀφ' οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν. ὃν μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι, καὶ Δαείρας Ὠκεανοῦ θυγατρὸς λέγουσι. *Eleusinem Heroa, a quo civitatem nominant, quem Mercurii filium esse, & Dairæ Oceani filiæ dicunt.* Alii ἀπὸ τῆς ἐλεύσεως, id est, *ab adventu*, dici voluerunt; quod Ceres post longos errores eo tandem allapsa, filiam invenerit. *Etymologicum*: Ἐλευσὶν δῆμος ἀττικὸς, διὰ τὴν τῆς Δήμητρος ἔλευσιν, ὅτι ἐκεῖ ἐλθοῦσα, εὗρε τὴν κόρην. *Eleusis Atticæ populus, a Cereris adventu dictus, quod cum eo venisset, Proserpinam invenit.* Copiosius hæc apud Aristidem in *Eleusinia*: Ἃ δ' εἰς τὸ μέσον ποιηταὶ, καὶ λογοποιοὶ, καὶ συγγραφεῖς πάντες ὑμνοῦσι, κόρην τὴν Δήμητρος ἀφανῆ γενέσθαι χρόνον ἔστιν ὅν. Δήμητραν δ' ἐπέρχεσθαι γῆν πᾶσαν, καὶ θάλατταν, ζητοῦσαν τὴν θυγατέρα. Τέως μὲν οὐχ οἷόν τε εἶναι εὑρεῖν. ἐλθοῦσαν δὲ εἰς Ἐλευσῖνα, τήν τε ἐπωνυμίαν ποιῆσαι τῷ τόπῳ, καὶ τὴν κόρην εὑροῦσαν ποιῆσαι τὰ μυστήρια. *Quæ vero publicæ Poetæ, Oratores, & Historici omnes celebrant, hæc fere sunt. Cereris filiam per tempus aliquod non apparuisse. Cererem terra, marique peragratis eam quæsivisse, nec tamen prius invenisse, quam in Eleusinem veniens, & nomen loco daret, & initia constitueret.* Diodorus Siculus libro v. nomen loco positum ait, ut esset monumentum advecti aliunde frumenti. Τὸν γὰρ τόπον, τὸν ἐξ ἀρχῆς δεξάμενον τὴν δωρεὰν ταύτην Ἐλευσῖνα προσαγορεύειν ἀπὸ τοῦ παρ' ἑτέρων τοῦ σίτου κομισθέντος. *Locum enim, qui ab initio recepit munus ab adventu Eleusinem appellare, eo quod ab aliis victus advenisset.*

Primum instituta volunt a Cerere; quæ ut benignitatem hospitii, qua fuerat ab Atheniensibus excepta, pariaret, usum frumenti, & tacenda sacra demonstravit. Isocrates in *Panegyrico*: Δημήτερος ἀφικνουμένης, εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτε ἐπλανήθη, τῆς κόρης ἁρπασθείσης, καὶ πρὸς τοὺς προγόνους τοὺς ἡμετέρους εὐμενῶς διατεθείσης, ἐκ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς οὐχ οἷόν τε ἄλλοις, ἢ τοῖς μεμυημένοις ἀκούειν, καὶ δούσης δωρεὰς διττὰς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι, τούς τε καρποὺς, οἳ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ τὴν τελετὴν, &c. *Nam cum Ceres post raptam Proserpinam erroribus acta, in regionem nostram pervenisset, nostrisque majoribus ob accepta beneficia, quæ non nisi initiatis audire fas est, bene cupiens, amplissima duo munera largita est; fruges, quæ in causa fuerunt, ne more belluarum viveremus, & arcana illa sacra.* At contra Diodorus Siculus lib VI. cap. 11. Cererem hoc sacrorum honore ab Atheniensibus affectam fuisse tradit, ut acceptam ab ea cultioris vitæ rationem grata recordatione testarentur. Idem tamen lib. I cap. 11. narrat inopina siccitate ad injuriam sterilitatis sola terrarum exaruisse; Ægyptum autem proprio semper amne perfusam, nec alio genere aquarum solitam pinguescere, squallentis cæli non sensisse damna: sed tantis segetibus indutam stetisse, ut Atheniensibus ob cognationem, messes suas ultro communicaret. Sublevatam duce Erechtheo annonæ penuriam. Hunc vero tanti beneficii causa Regem creatum, cæremonias docuisse, & mysteria Cereris ritu quo apud Ægyptios agebantur. Idque non videtur alienum ab eo quod Herodotus lib. II. & ex eo *Pausanias* asserit, Græcos ab Ægyptiis & Deos, & Deorum nomina sumpsisse: Græcorumque Apollinem, esse Ægyptiis Horum, Dianam, Bubastin, Isida, Cererem; quod etiam a *Plutarcho* demonstratur. Quocirca Lactantius libro I. *de falsa Religione* cap. XXI. & *Phornutus*, sacra Cereris Eleusinæ, non esse dissimilia sacris Isidos ostendunt. At Theodoretus libro I. *Græcanicarum Affectionum*, ex *Plutarcho*, & *Diodoro Siculo*, non ab Erechtheo, sed ab Orpheo Cæremonias Isidos in Cereris sacra commutatas refert: Ὀρφεὺς εἰς Αἴγυπτον ἀφικόμενος τὰ τῆς Ἴσιδος, καὶ τοῦ Ὀσίριδος εἰς τὰ τῆς Δηοῦς, καὶ Διονύσου μετατέθεικεν ὄργια. *Orpheus in Ægyptum profectus, Isidis, & Osiridis sacra, in Cereris, & Liberi patris Orgia convertit.* Huc quoque facit Euripidis Scholiastes in *Alceftide*: Πρῶτος Ὀρφεὺς μυστήρια θεῶν παραδέδωκεν, ὅθεν καὶ θρησκείας τὸ μυστήριον καλεῖται, ἀπὸ τοῦ Θρακὸς Ὀρφέως. Aliter etiam Servius *ad librum* I. *Georgicorum*; quem falli puto, dum Eleusinia cum Thesmophoriis confundit. Apud Clementem Alexandrinum *in Protreptico*, & Arnobium libro v. horum sacrorum inveniuntur Authores, obscœna Baubo, Triptolemus Bubulcus, *Capellarum Dysantes custos, Eubuleus porcorum, Gregis Lanitii Eumolpus.* Primum celebrari cœpta ad puteum Callichorum. Pausanias, *in Attic.* Φρέαρ καλούμενον Καλλίχορον, ἔνθα πρῶτον Ἐλευσινίων αἱ γυναῖκες χορὸν ἔστησαν, καὶ ᾖσαν εἰς τὴν θεόν. *Puteus, quem Callichorum appellant; ubi primum Eleusiniorum fæminæ chorum instituerunt, & Deam cantu veneratæ sunt.* Eundem Puteum mox Ἄνθινον vocavit. Quod ideo factum, quia ibidem quievisse Cererem quærendo fatigatam existimarent. Callimachus *in hymno Cereris*, v. 16.

Τρὶς δ' ἐπὶ Καλλιχόρῳ χαμάδις ἐκαθίσσαο φρητί.
Ter puteum prope Callichorum Dea consedisti.

Clemens Alexandrinus; Καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπουμένη, *Puteo insidet mœrore affecta.* Eodemque in loco Deam excepit Metaneira, ut author est Nicander *in Theriacis*, v. 486. 487.

Καλλίχορον περὶ φρεῖαρ, ὅτ' ἐν Κελεοῖο θεράπναις
Ἀρχαίη Μετάνειρα θεὴν δέδεκτο περίφρων.
Callichorum ad puteum, quando in Celei stabulis
Anus Metaneira Deam excepit prudens.

Ipsum vero saxum, cui insidens quievit, ἀγέλαστον appellarunt. Scholiastes Aristophanis *ad Equites*: Ἀγέλαστος πέτρα, ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅταν ζητεῖ τὴν κόρην. Ἐρασθεὶς γὰρ Περσεφόνης ὁ Πλούτων, ἥρπασεν αὐτὴν κρύφα. Δημήτηρ δὲ μετὰ λαμπάδων, νυκτός τε, καὶ ἡμέρας, κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιήρχετο. μαθοῦσα δὲ παρὰ Ἑρμιονέων, ὅτι Πλούτων αὐτὴν ἥρπασεν, ὀργιζομένη θεοῖς κατέλιπεν οὐρανὸν, καὶ εἰκασθεῖσα γυναικὶ ἧκεν εἰς Ἐλευσῖνα. ἔνθα ἐπὶ πέτρᾳ ἐκάθισεν τὴν ἀπ' ἐκείνης κληθεῖσαν ἀγέλαστον. *Risus expers lapis, quod ei insedisset Ceres flens, cum filiam Proserpinam investigaret. quam amore captus Pluto clam rapuit. Ceres itaque cum facibus diu noctuque orbem terrarum quærendo lustravit. Cognito vero ab Hermionensibus raptam a Plutone filiam, Diis indignata cælum reliquit, ac fæmineo habitu Eleusinem pervenit; unde lapidi cui insedit nomen ex ea ἀγελάστου datum.* Hinc, ut author est Zenobius, adagium usurpatur de rebus, quæ dolorem conciliant.

Hinc igitur sedes mysteriorum Eleusis; quæ tanta fide coluit, ut ab Atheniensibus in summas angustias redacta, hostium arbitratu deditionem fecerit, nisi quod sacra sibi retinuerit. Pausanias in *Attic.* Γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεὺς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπου. καταλύονται δὲ ἐπὶ τοῖσδε τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους ὄντας, ἰδίᾳ τελεῖν τὴν τελετήν. *Commissa inter Eleusinios & Athenienses pugna, hinc Erechtheus*

Rex, inde Immaradus Eumolpi filius occubuerunt. Arma deinde his conditionibus posita, ut Eleusinii se suaque in Atheniensium potestatem traderent; initia vero ipsi tanquam propria retinerent. Quamobrem merito eam Aristophanes *in Nebulis* Μυστοδόκον δόμον appellat. Et tanta Eleusiniorum dignitas, ut iis alia omnia post habuerint. Idem Pausanias *in Phocicis:* Οἱ γὰρ ἀρχαιότεροι τῶν Ἑλλήνων τελετὴν τὴν Ἐλευσινίων πάντων ὁπόσα ἐς εὐσέβειαν ἥκει, τοσούτῳ ἦγον ἐντιμοτέραν, ὅσῳ καὶ θεοὺς ἐπίπροσθεν ἡρώων. *Veteres Græci initia Eleusinia, religione quanta non alia quævis sacra sanxerunt, tantoque cæteris initiis augustiora duxerunt, quanto Dii Heroibus præstent.* Quippe non ceu privata illius civitatis, sed quasi communia omnium gentium sacra observarunt. Aristides in *Eleus.* Κοινόν τι τῆς γῆς τέμενος, καὶ πάντων ὅσα θεῖα ἀνθρώπων, ταυτὸν φρικωδέστατον, καὶ φαιδρότατον. *Delubrum commune terræ, quod omnia quæcumque sunt inter homines divina horrore simul, & splendore præcellit.* Et hanc ob causam ea templi magnitudo, ut ingentis turbæ capax esset. Strabo *lib.* IX. Εἶτα Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς Ἐλευσινίας· καὶ ὁ μυστικὸς σηκὸς, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος, ὄχλον θεάτρου δέξασθαι δυνάμενον. *Deinde urbs Eleusin, in qua templum est Eleusinæ Cereris, & mysticum delubrum, turbæ, quanta in Theatro potest esse capax, opus Ictini.* Ex quo templi vastitatem colligere licet, siquidem ipsorum penetralium, sive adytorum capacitas tanta fuerit: nam σηκὸς est ἐνδότερος τόπος τοῦ ναοῦ, *interior locus templi.* Itaque cum alia sacra, ut idem refert *Aristides*, sæpius adflictis rebus intermissa fuerint; Hæc etiam difficillimis reipub. temporibus instaurabantur. Et quamvis adeo, quod sacrorum caput est, tuto peragere possent, tamen iniquo animo ferebant vel solennis pompæ splendorem imminui; in tantum, ut Alcibiades, authore *Plutarcho*, favorem populi recuperarit, & ignominiam obliterarit, restituta pompa, quæ propter viæ pericula non plene poterat exhiberi. Quin utcunque, aut intestinis dissidiis, aut Barbarorum incursu turbata Græcia, & cives, & hostes Eleusinio templo pepercerunt. Verum & in aliis civitatibus institutas Cereris Eleusinæ solennitates legimus, quæ præcipuorum sacrorum essent imitamenta. Sic Athenæus *lib.* XIII. ex Niciæ *Arcadicis* refert, prope Alpheum, a Cepsylo conditam urbem, in qua lucum & aram consecrarit Eleusinæ Cereri, in cujus festo, mulieres inter se de pulchritudine certabant: Ἧς, inquit, ἐν τῇ ἑορτῇ, καὶ τὸν τοῦ κάλλους ἀγῶνα ἐπιτελέσαι, καὶ νικῆσαι πρῶτον αὐτοῦ τὴν γυναῖκα Ἡροδίκην· ἐπιτελεῖται καὶ μέχρι νῦν ὁ ἀγὼν οὗτος, καὶ ἀγωνιζόμεναι γυναῖκες χρυσοφόροι ὀνομάζονται. *Ejus in festo pulchritudinis certamen fieri, & vicisse primum ejus uxorem Herodicen. Celebratur in hunc usque diem certamen istud, & certantes mulieres auriferæ vocantur.*

Ritus sacri consistebant in imitatione eorum quæ de Cereris erroribus fabulæ vulgarunt. Nam, ut inquit Lactantius, *refertur in sacris imago rei quæ vere gesta est.* Quod antea Præceptor ejus *Arnobius* speciatim de Eleusiniis dixerat: *Eleusinia,* inquit, *illa mysteria, & sacrorum reconditi ritus cujus memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquisitione Ceres fessa, oras ut venit in Atticas, triticeas attulit fruges?* Ac Cæremonias potissimum ad inventionem frugum fuisse relatas, author est etiam D. Augustinus *lib.* VII. *de Civitate Dei, capite* XX. *In Cereris autem sacris prædicantur illa Eleusinia, quæ apud Athenienses nobilissima fuerunt; de quibus nihil iste interpretatur, nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit, & ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit.* Et in *fine* capitis: *Dicit deinde multa in mysteriis ejus tradi, quæ nisi ad frugum inventionem non pertineant.*

Eleusinia vero duplicia fuerunt; Magna, ac Parva. Magnorum origo est ea quam modo exposui. Parva hanc ob causam instituta. Cum Hercules initiari cuperet, ac lex obstaret, quæ peregrinis id concedi vetaret; nec tamen integrum Atheniensibus videretur, ejusmodi Heroem voto suo frustrare, Parva Eleusinia instituerunt, ut & Herculi satisfacerent, & authoritatem tamen sacrificii, & legis vigorem conservarent. Aristophanis Enarrator *ad Plutum:* Μεγάλα καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελοῦντο ἐν Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. μὴ ὄντων δὲ πρότερον μικρῶν, ἐλθόντος Ἡρακλέος, καὶ θέλοντος μυηθῆναι, ἐπειδὴ νόμος ἦν Ἀθηναίοις, μηδένα ξένον μυεῖν, αἰδεσθέντες τὴν αὐτοῦ ἀρετὴν, καὶ ὅτι φίλος τε ἦν τῆς πόλεως, καὶ υἱὸς τοῦ Διὸς, ἐποίησαν· ἦσαν δὲ τὰ μὲν μεγάλα τῆς Δήμητρος· τὰ δὲ μικρὰ Περσεφόνης τῆς αὐτῆς θυγατρός. *Magna & parva mysteria agebantur in Eleusine Atticæ. Cum antea non essent parva, veniente Hercule, & volente initiari, quod lex esset Atheniensibus quæ vetaret quenquam peregrinum* initiari: *reveriti ipsius virtutem, & quia amicus erat civitatis, & filius Jovis, erexerunt parva mysteria, quibus ipsum initiarunt. Erant autem magna Cereris; parva Proserpinæ ejus filiæ.* Idem habet *ad Nebulas*, & Tzetzes ad *Lycophronem* pag. 195. Igitur a magnis initiis parva differebant, quod hæc essent ἀμετάδοτα, illa tantum indigenis communicarentur. Alias iidem ritus eædemque Cæremoniæ. Sed neque eodem utraque loco celebrabantur. Nam majora Eleusi, ut supra demonstratum est: minora vero in Ἄγραις agebantur. *Stephanus:* Ἄγρα, καὶ Ἄγραι χωρίον, ἑνικῶς, καὶ πληθυντικῶς. ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς πρὸ τῆς πόλεως, ἐν ᾧ τὰ μικρὰ μυστήρια ἐπιτελεῖται, μίμημα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον, ἐν ᾧ λέγουσι καὶ τὸν Ἡρακλέα μεμυῆσθαι. *Agra, & Agræ locus; numero singulari, aut plurali. Est & Atticæ locus ante civitatem, in quo parva initia celebrantur, imitamenta eorum quæ Baccho fiunt; ubi & Herculem ajunt initiatum.* Eustathius *ad Iliad.* β΄. Ἔτι καὶ Ἀγροτέρα Ἄρτεμις, ὡς καὶ κωμικὸς δηλοῖ, ἡ καὶ Ἀγραία παρὰ Πλάτωνι, κατὰ Παυσανίαν, ἀπὸ χώρας πρὸς τῷ Ἰλισσῷ, ᾧ κλῆσις Ἄγραι, καὶ Ἄγρα, οὗ τὰ μικρὰ τῆς Δήμητρος ἤγετο, φησι. μυστήρια, ἃ ἐλέγετο τὰ ἐν Ἄγραις. *Præterea Agrotera Diana: ut & Comicus ostendit, quæ etiam Agræa est apud Platonem, ut author est Pausanias, a loco ad Ilissum amnem, cui nomen Agræ, & Agra; ubi parva Cereris, ut ajunt, mysteria agebantur, quæ in Agris appellabantur.*

Diversum quoque celebrandi tempus: nam majora Boedromione celebrabantur. Plutarchus in *Demetrio:* Ἐτελοῦντο τὰ μεγάλα μυστήρια, Βοηδρομιῶνος. *Peragebantur magna mysteria Boedromione.* Idem in *Alexandro* scribit nobilem ad Arbela, sive ad Gaugamela pugnam fuisse commissam, Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν τῶν μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχήν. *Boedromione circa principium mysteriorum.* Et Aristides incendium templi deplorans in *Eleus.* Καὶ δὴ προσάγει μὲν (ὦ γῆ, καὶ θεοί) τὰ μυστήρια. Βοηδρομιὼν δὲ οὗτος ἑτέρας τὰ νῦν δεῖται βοῆς. *Atque in propinquo quidem sunt (o terra, o Dii) mysteria: Boedromion autem hic alia nunc voce indiget.* Theophrastus igitur in *descriptione hominis garruli* cum ait, Βοηδρομιῶνος μὲν τὰ μυστήρια, intelligendus est de majoribus. Minora vero Anthesterione celebrabantur. Plutarchus in *Demetrio:* Τὰ μικρὰ μυστήρια τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο. *Parva mysteria Anthesterione agebantur.* Magni præmii loco tributum, & quidem oppido paucis, ut initiorum fierent participes. Primum omnium id consecutus est Hercules, ut jam ostendimus; & post hunc, ut author est Plutarchus, *in Theseo*, Dioscuri; qui debellatos armis Athenienses in

gratiam receperunt, hanc conditione tantum, ut myſteriis initiarentur: & in eum finem, ut olim Pylius Herculem, ita illos tum Aphidnus adoptavit. Falſus igitur *Soranus*, qui id honoris Hippocrati ab Hercule alteri tributum ſcribit. Ἱπποκράτης λαμπρῶν ἔτυχε τιμῶν παρ᾽ Ἀθηναίοις, οἵτινες καὶ δεύτερον αὐτὸν ἀφ᾽ Ἡρακλέος δημοσίᾳ τοῖς Ἐλευσινίοις ἐμύησαν. *Hippocrates ſplendidos bonores nactus ab Athenienſibus, qui ipſum ab Hercule ſecundum Eleuſiniis initiarunt.*

Erant autem quaſi quidam gradus in participatione myſteriorum obſervandi. Primum erat Purificatio; deinde ſequebantur myſteria parva, quibus inſtituebantur, & ad majora præparabantur. Ultimæ majorum Cæremoniæ erant Ἐποπτικὰ, ad quæ tandem per tot ambages admittebantur. Clemens Alexandrinus *l.* v. *Stromat.* Οὐκ ἀπεικότως ἄρα, καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ᾽ Ἕλλησιν, ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. Μετὰ ταῦτα δέ ἐστι τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων· τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ, καὶ περινοεῖν τὴν φύσιν, καὶ τὰ πράγματα. *Non abs re ergo in myſteriis quoque, quæ fiunt apud Græcos, primum locum tenent expiationes & luſtrationes, ſicut etiam apud Barbaros lavacrum. Poſt bæc autem ſunt parva myſteria, quæ babent aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum. In magnis autem de univerſis non reſtat amplius diſcere: ſed contemplari, & mente comprebendere naturam, & res ipſas.* Tria quidem a *Clemente* velut diverſa ponuntur. Non tamen erant tres initiationes: nam parva initia vice purgationis accipiebantur. Commentator Ariſtophanis *ad Plutum:* Καὶ ἐστὶ τὰ μικρὰ ὥσπερ προάγνευσις τῶν μεγάλων. *Et ſunt parva myſteria veluti prævia magnorum purgatio, & luſtratio.* Et qui parvis initiati erant, Myſtæ; ad magna recepti, Epoptæ nominabantur. *Harpocration:* Οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει, ἐποπτεύειν λέγονται. Et apud eundem authorem *Pbilocborus* ſeparat τὰ ἱερὰ, τά τε μυστικὰ, καὶ τὰ ἐποπτικά. *Suidas* Διαφέρει μύστης, καὶ ἐπόπτης. Ac differentiam ex *Symacbo*, vetuſto admodum Grammatico, adſignat Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Ranas:* Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες μύσται καλοῦνται· οἱ δὲ παραλαμβάνοντες αὐτὰ τῷ αὖθις ἐνιαυτῷ ἐφορῶσι τὰ μυστήρια, καὶ ἐποπτεύουσιν. Brevius ex eo *Suidas:* Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύσται. μετὰ ἐνιαυτὸν δὲ ἐπόπται καὶ ἔφοροι. *Myſteria accipientes vocantur in principio Myſtæ; poſt annum Epptæ, & Epbori.* Igitur Epoptæ, aut Ephori erant inſpectores; hoc eſt, quibus anno poſtquam initiati primum fuerant, inſpicere occultiores ſacrorum ritus, & cæremonias concedebatur. Neque enim a parvis initiis illico patebat aditus ad majora; ſed annus experimenti cauſa interponendus erat. Quamobrem in Demetrio notata exempli raritas, qui ſine ulla temporis intercapedine minora majoraque myſteria percipere voluit. *Pbilocborus:* Δημητρίῳ ἴδιόν τι ἐγένετο παρὰ τοὺς ἄλλους τὸ μόνον ἅμα μυηθῆναι, καὶ ἐποπτεῦσαι, καὶ τοὺς χρόνους τῆς τελετῆς τοὺς πατρίους μετακινηθῆναι. *Demetrio ſingulare quid contigit præter alios, ut ſimul Myſta fieret, & Epoptes, & tempora initiorum ordinaria moveret.* Plutarchus de *eodem:* Τότε δ᾽ οὖν ἀναζευγνύων εἰς τὰς Ἀθήνας, ἔγραψεν ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν, ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. Τοῦτο δὲ οὐ θεμιτὸν ἦν, οὐδὲ γεγονὸς πρότερον· ἀλλὰ τὰ μικρὰ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα Βοηδρομιῶνος· ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. *Repetens vero tunc Athenas, velle ſcripſit ſe, ubi eo veniſſet ilico initiari, myſteriaque a parvis uſque ad ultima, & recondita ſacra, quæ Epoptica appellant, cuncta percipere. Id nefas erat, neque viſum antea unquam. verum peragebantur parva menſe Antbeſterione, magna Boedromione, recondita inſpiciebant interjecto a magnis ut minimum anno.* Præter hunc Demetrium, & Herculem, & Hippocratem nullus unquam Epopta factus fuit, quin prius Myſta eſſet. Sed non temere poſitum a Plutarcho τοὐλάχιστον, *ad minimum.* nam revera minimum ſpacium quod interponi ſolebat, annus erat: nam quinto anno poſt parva, ut plurimum illa majora ſuſcipiebantur. Tertullianus *initio lib. adverſus Valentinianos: Nam & illa Eleuſina Hæreſis, & ipſa Atticæ ſuſperſtitionis, quod tacent, pudor eſt. Idcirco aditum prius cruciant; diutius initiant, quam conſignant. Cum Epoptas ante quinquennium non inſtituunt, ut opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent; atque ita tantam majeſtatem exbibere videantur, quantam præſtruxerunt cupiditatem.*

Initiati myrto coronabantur. Iſac. Tzetzes: Οἱ μυούμενοι μυρσίνῃ ἐστέφοντο. Cumque initiarentur, veſtem novam ac puram induebant, quam deinde nunquam exuebant, quod tandem lacera geſtari, non amplius poſſet. Ariſtophanis Enarrator *ad Plutum:* Ὁ δὲ μυούμενος τὸ ἱμάτιον ὃ ἐφόρει ἐν τῇ μυήσει, οὐδέ ποτε ἀπεδύετο μέχρις ἂν τελέως ἀφανισθῇ διαρρυέν. *Initiatus veſtem, quam in initiatione geſtabat, nunquam exuebat, donec omnino diſſipata evaneſceret.* Sed & a quibuſdam ad faſcias infantum fuiſſe reſervatas ait: Ἔνιοι δὲ τὰς τοιαύτας στολὰς εἰς τέκνων σπάργανα φυλάττουσι. *Quidam ejuſmodi ſtolas ad natorum faſcias cuſtodiunt.* At Melanthius libro, quem *de Myſteriis* conſcripſit, memoriæ prodidit, in more poſitum fuiſſe, ut veſtem, in qua fuerant initiati, Cereri & Proſerpinæ conſecrarent. Πάτριόν ἐστι ταῖς Θεαῖς ἀνιεροῦν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες. *Myſtis patrium eſt, Deabus conſecrare veſtes, in quibus fuerint initiati.* Quod vero tanti eſſet, participem fieri myſteriorum, perſuaſio faciebat, qua exiſtimabant initiatos, non tantum in ſumma tranquillitate vitam ducere, ſed & eam optato exitu eſſe terminaturos, ac poſt obitum quoque ſpem reſtare melioris. Iſocrates in *Panegyrico:* Τελετῆς οἱ μετέχοντες, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσι. *Initiorum participes, & de vitæ exitu, & de univerſo ævo ſpem habent jucundiorem.* Ariſtides *in Panatbenaica:* Ἀλλὰ μὴν τό γε κέρδος τῆς πανηγύρεως, οὐχ ὅσον ἡ παροῦσα εὐθυμία, οὐδ᾽ αἱ τοῦ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις, καὶ ἀπαλλαγαί. ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διατάξοντας, καὶ οὐκ ἐν σκότῳ τε, καὶ βορβόρῳ κεισομένους, ἃ δὲ τοὺς ἀμυήτους ἀναμένει. *Veruntamen bujus conventus fructus, non in præſenti tantum animi tranquillitate, & priorum moleſtiarum liberatione poſitus erat; ſed & quod poſt mortem ſe melius babituros ſperabant, nec in tenebris, ac luto cum profanis commoraturos eſſe.*

Procurabat myſteria Rex. autor eſt *Pollux*, & *Harpocration:* Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων παρ᾽ Ἀθηναίοις ὁ λεγόμενος βασιλεύς. *Curator myſteriorum apud Athenienſes Rex dictus.* Regi adjungebantur quatuor alii; quorum duo ex univerſo populo Athenienſium, ex Eumolpidarum gente unus, & ex Cerycibus alter eligebatur. Ariſtoteles *de Repub. Athenienſium:* Ὁ δὲ Βασιλεὺς πρῶτον μὲν τῶν μυστηρίων ἐπιμελεῖται, μετὰ τῶν ἄλλων ἐπιμελητῶν. οὓς ὁ Δῆμος ἐχειροτόνει, τέσσαρες ἦσαν· δύο μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων· εἷς δὲ ἐξ Εὐμολπιδῶν, καὶ εἷς ἐκ Κηρύκων. *Rex primum myſteria procurabat, cum aliis curatoribus, quos populus deſignabat, quatuor erant. Duo quidem ex univerſis Athenienſibus, unus ex Eu-*

molpidis, *& unus ex Cerycibus*. In his erant Hierophanta, Daduchus, Præco: quorum præcipuas in hoc facro fuiffe partes ex *Plutarcho* manifeftum eft. Nam refert Alcibiadem impietatis accerfitum, & fervos ab Androcle productos, qui eum in temulenta compotationis lafcivia, per ludibrium, cæremonias myfteriorum exhibuiffe teftarentur. Ἐλεγον δὲ Θεόδωρον μὲν τινα δρᾶν τὰ τοῦ Κήρυκος, Πολυτίωνα δὲ τὰ τοῦ Δᾳδούχου, τὰ δὲ τοῦ Ἱεροφάντου τὸν Ἀλκιβιάδην· τοὺς δὲ ἄλλους ἑταίρους παρεῖναι, καὶ μυεῖσθαι, μύστας προσαγορευομένους. *Dicebant Theodorum quendam Præconis partes egiffe, Polytionem Daduchi, id eft, faciferi, Antiftitis Alcibiadem: reliquos focios adfuiffe, facrifque initiatos, & Myftas inde vocatos.* Hierophanta, & Daduchus ex Eumolpidarum & Cerycum gente capiebatur. Ariftides, in *Eleuf.* Εὐμολπίδαι δὲ καὶ Κήρυκες, εἰς Ποσειδῶνα, καὶ Ἑρμῆν ἀναφέροντες Ἱεροφάντας, οἱ δὲ Δᾳδούχους παρέχονται. *Jam Eumolpidæ, & Ceryces Neptuno, & Mercurio oriundi, facrorum Antiftites, & faciferos præbent.* Clemens Alexandrinus: Τὸ Εὐμολπιδῶν, καὶ Κηρύκων τὸ Ἱεροφαντικὸν τοῦτο γένος ᾤκησεν. Clementem interpretatur Arnobius *libro* V. *Ex quibus & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poftea floruerunt Caduceatores, Hierophantæ, atque Præcones.* Una enim eademque gens erat Cerycum, & Eumolpidarum, ut ex Androtione Scholiaftes Sophoclis oftendit *ad Oedipum Colon.* Ἀνδροτίων μὲν οὖν γράφει, οὐ τὸν Εὔμολπον εὑρεῖν τὴν μύησιν, ἀλλὰ ἀπὸ τούτου, Εὔμολπον πέμπτον γεγονότα. Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι Κήρυκα. τοῦ δὲ Εὔμολπον· τοῦ δὲ Ἀντίφημον. τοῦ δὲ Μουσαῖον, τὸν Ποιητήν. τοῦ δὲ Εὔμολπον, τὸν καταδείξαντα τὴν μύησιν, καὶ Ἱεροφάντην γεγονότα. Et Æfchines *in orat. contra Ctefiphontem*, Eumolpidas, & Cerycas ubique conjungit. Atque hinc obtinuit, ut myfteria penes Eumolpidas effe dicerentur. licet præter hos ipfamet Dea alios etiam fua initia docuiffe crederetur; de quibus Homerus, in *Cererem*.

Δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε Διοκλεῖ τε πληξίππῳ,
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ' ἡγήτορι λαῶν
Δρησμοσύνην ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσι.
Oftendit Triptolemo, Dioclique equorum agitatori.
Eumolpo, Celeoque duci populorum
Ritus facrorum, & docuit Orgia omnes.

Nec fane Eleufinii fe Athenienfibus dediderunt alia conditione, quam ut Eumolpus, & filiæ Celei, quæ primæ Cererem mœftam, & anui fimilem deprehenderunt, & mulierem Argivam ratæ ad matrem deduxerunt, ut author eft *Paufanias*, myfteria procurarent. Cæterum Hierophanta, ab oftendendis facris dictus, & ipfe facrorum Antiftes, atque, ut ait *Hefychius*, Μυσταγωγὸς, Ἱερεὺς, τὰ μυστήρια δεικνύων. Cujus erat munus initiare, & myfteria, quantum fas etiam profanis enunciare. Hinc inter captiofas Chryfippi argutias exemplum ponitur: Ὁ λέγων τοῖς ἀμυήτοις τὰ μυστήρια ἀσεβεῖ· ὁ Ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις λέγει. ἀσεβεῖ ἄρ' ὁ Ἱεροφάντης. *Qui myfteria profanis dicit, impius eft. Dicit autem myfteria profanis Hierophanta: eft ergo impius Hierophanta.* Daduchus facem ferebat: nam ut Lactantius ait *lib.* I. *cap.* XXI. quia Proferpinam, *facibus in Aetnæ vertice accenfis quæfiffe in Sicilia Ceres dicitur; idcirco facra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Atque in hujus rei memoriam non folum Daduchus, fed reliqui etiam Myftæ faces inter currendum agitabant. Statius *Sylvarum*, l. IV. *v.* 657. 658.

Tuque Actæa Ceres, curfu cui femper anhelo
Votivam taciti quaffamus lampada Myftæ.

Seneca *in Hippolito*, v. 107.

Jactare tacitis confcias facris faces.

Claudianus:

——— *Sanctafque faces attollit Eleufis.*

Daduchus utebatur pellibus hoftiarum quæ Jovi fuerant immolatæ, vocabanturque Διὸς κώδια. *Suidas*: Διὸς κώδιον, οὗ τὸ ἱερεῖον Διὶ τέθυται· θύουσι τε τῷ Μειλιχίῳ, καὶ τῷ Κτησίῳ Διΐ. Τὰ δὲ κώδια τούτων φυλάσσουσι Διὸς προσαγορεύοντες· χρῶνται δ' αὐτοῖς, οἵ τε Σκιρροφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες, καὶ ὁ Δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι· καὶ ἄλλοι τινὲς πρὸς τοὺς καθαρμοὺς, ὑποστρωννύοντες αὐτὰ τοῖς ποσὶ τῶν ἐναγῶν. *Jovis vellus; cujus facrum Jovi fuit immolatum. Sacrificant enim Jovi Meilichio, & Ctefio. Hoftiarum vellera cuftodiunt, Jovis appellantes: utuntur autem iis, qui Scirrhophoriorum pompam adornant, & Daduchus in Eleufine: & alii ad expiationes, fubfternentes ea pedibus pollutorum.* Ex quibus intelligimus profanos, & aliquo fcelere contaminatos, non potuiffe loca facra calcare. & cum nihilominus in facro peragenda effet expiatio; ne profanorum veftigiis Religio templi violaretur, fubftratæ pelles, quibus infiftebant finiftro pede, quoad purgati, luftratique piaculari nexu exfolverentur. *Hefychius*: Διὸς κώδιον· οὕτως ἔλεγον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἐτέθετο· ἐφ' οὗ οἱ καθαιρόμενοι ἐστήκεσαν ἀριστερῷ ποδί. An autem locus aliter, quam Schottus cenfuit, ex Suida fit reftituendus, in medio relinquo: mihi fane non difplicet, ut loco τοῦ ἐτέθετο, ponatur: τὸ, Διὶ τέθυται. Suidas *iterum*: Διὸς κώδιον. οὕτως ἐκάλουν τὰ τῷ Διὶ τεθυμένα· καὶ αὐταῖς κέχρηνται, πρὸς τοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐναγῶν καθαρμοὺς, τὰ αὐτὰ τοῖς ποσὶν ἐκείνων ὑποστρωννύοντες. *Sic appellabant ea quæ Jovi erant immolata; iifque utebantur in luftratione hominum pollutorum; eorumque pedibus illa fubfternebant.* Præco jubebat profanos abfiftere, proclamans; Ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρὸς: aut, Ἑκὰς, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. *Procul, procul quifquis profanus: Procul, procul efte profani.* Quod caufæ fuit, cur ab iis fibi abftinendum Nero putarit. Suetonius *cap.* IV. *Peregrinationi quidem Græciæ, quorum initiatione impii & fcelerati, voce præconis fubmoverentur, intereffe non aufus.* Fertur in primis, dictum Lyfidis Pythagoræi, Βεβάλοις τὰ ταῖν Ἐλευσινίαιν Θεαῖν μυστήρια οὐ διηγετέα. *Profanis non funt enarranda Eleufinia Dearum myfteria.* & ad hunc morem refpexit Orpheus, in *Fragm. de Diis*;

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις
Πᾶσιν ὁμῶς.
Loquar quibus fas, januas adducite profanis
Omnibus fimul.

Cæteros, id eft, initiatos, jubebat εὐφημεῖν, id eft, *linguis favere*. Hæc breviter indicaffe mihi fufficiat; fi quis plura defideret, ex Briffonii *libro* I. *de Formulis* petat.

Cæterum Hierophanta in fpeciem Creatoris; facifer, Solis; minifter ad aram, Lunæ; Præco facrorum, Mercurii adornabatur. Eufebius *Præparat. Evangelicæ*, l. III. Ἐν δὲ τοῖς κατ' Ἐλευσῖνα μυστηρίοις, ὁ μὲν Ἱεροφάντης εἰς εἰκόνα τοῦ Δημιουργοῦ ἐνσκευάζεται. Δᾳδοῦχος ἐς τὸν Ἡλίου, καὶ ὁ μὲν ἐπὶ βωμῷ εἰς τὴν Σελήνην· ὁ δὲ Ἱεροκήρυξ Ἑρμοῦ.

Fefti folennitatem ad dies plures duraffe certum eft. Numerum tamen definire nondum queo. *Duos* hactenus inveni fuis nominibus infignitos, quorum prior Ἴακχος appellabatur. *Hefychius*: Ἴακχον, τὸν Διόνυσον, ἢ μίαν ἡμέραν τῶν μυστηρίων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι. Nam initia fuere communia Cereri & Baccho; quod ex Orphei verfibus animadvertere licet apud *Clementem Alexandrinum*, quo referendum eft illud Lucretii *lib.* IV. *v.* 1162.

At gemina & mammofa, Ceres eft ipfa ab Jaccho.

Arnob.lib.III. *O pura, o fancta, atque ab omni turpitudinis labe difparata, atque abjuncta divinitas: avet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque*

in

in palatiis cœli, deos, deasque conspicere, intectis corporibus, atque nudis, ab Jaccho Cererum (musa ut prædicat Lucretii) mammosam, &c. Atque idcirco solenni pompa Bacchum vigesima Boedromionis Eleusinem ex urbe deducebant. In Scholiis *Comici*: Μιᾶ τῶν μυστηρίων εἰκάς ἐστι, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι. *Una mysteriorum dies est vigesima, in qua Jacchum educunt*. Plutarchus in *Phocione*: Εἰκάδι ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη, μυστηρίων ὄντων, ἐν ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεος Ἐλευσῖνα δὲ πέμπουσι. *Vigesima Boedromionis inductum præsidium, cum mysteriorum dies esset, in qua ex urbe Jacchum mittunt Eleusinem.* Qui vero pompam hanc comitabantur, Ἴακχον, Ἴακχον ingenti clamore personabant. Meminit Herodotus *lib.* VIII. & ex eo verbum Ἰακχάζειν formavit Plutarchus *in Themistocle*: Ἦχον δὲ καὶ φωνὴν τὸ Θριάσιον κατέχειν πεδίον, ἄχει τῆς θαλάττης, ὡς ἀνθρώπων ὁμοῦ πολλῶν τὸν μυστικὸν ἐξαγόντων Ἴακχον. *Sonitum vero ac vocem occupare campum Thriasium a mari, velut hominum simul multorum, mysticum Jacchum educentium*. Via autem, qua deducebatur, sacra vocabatur. Pausanias in *Attic.* Ἰοῦσι δὲ ἐπ' Ἐλευσῖνα ἐξ Ἀθηνῶν, ἣν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ὁδὸν ἱεράν. *Euntibus Eleusinem Athenis, quam Athenienses sacram viam appellant*. *Harpocration* ex Isæi *apologia*: Ἱερὰ ὁδός ἐστιν, ἣν οἱ μύσται πορεύονται ἀπὸ τοῦ ἄστεος ἐπ' Ἐλευσῖνα. *Sacra via est, quam Mystæ conficiunt ex urbe Eleusinem*. De qua librum integrum conscripsit Polæmon. Πλημοχόαι mysteriorum dies ultimus a quodam vasis genere vocabatur. Duas enim Plemochoas vino repletas eo situ collocabant, ut ortum altera spectaret, altera occasum; quas deinde recitato carmine precationum evertebant. Athenæus lib. XI. Πλημοχόη σκεῦος κεραμοῦν, βεμβικῶδες ἑδραῖον ἠσυχῆ. ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσιν, ὥς φησι Πάμφιλος. Χρῶνται δ' αὐτῷ ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσιν, ὥς φησι Πάμφιλος Πλημοχόας. ἐν ᾗ δύο Πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι, ἀνατρέπουσί τε ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. *Plemochoe, vas fictile, lusorio puerorum turbini simile, ima sede leniter, modiceque stabili fundatum; quod appellant quidam Cotyliscum, ut ait Pamphilus. In Eleusine utuntur ultimo die mysteriorum, quem Plemochoas nominant ab hoc calice, quoniam impletas vino Plemochoas duas statuentes, ad orientem unam, alteram ad occasum, illas mysticis precibus recitatis evertunt*.

In pompa sacrorum imagines hæ circumferebantur; Creatoris, quam Hierophanta, vel Antistes; Solis, quam Daduchus sive facifer; Lunæ, quam minister ad aram; Mercurii, quam Præco gestabat. Ipsa vero Pompa non uno tractu Eleusinem ducebatur: nam aliquoties in itinere subsistebat. In quibus pausis, & hymnos cantasse, & sacrificasse, cognoscimus ex Plutarcho in *Alcibiade*: nam cum impedita via per mare pompa deferretur, aliquas cæremonias in via curari non potuisse refert: Ἀλλὰ καὶ θυσίαι, καὶ πολλὰ τῶν δρωμένων καθ' ὁδὸν ἱερῶν, ὅταν ἐξελαύνωσι τὸν Ἴακχον ὑπ' ἀνάγκης ἐξελείπετο. *Sed & sacrificia, & alia quæ in itinere fieri solent, quando Jacchum educunt, necessario omittebantur*. Et quidem in ponte, qui Cephisso insternitur subsistere solebant. In qua mora, quoscunque passim contumeliis incessebant. Hinc a γεφύρα, id est, *ponte*, γεφυρίζειν, *subsannare*, & quasi de ponte illudere, convitiaque facere, & γεφυριστής, *convitiator*, *cavillator*. *Hesychius*: Γεφυρισταί, οἱ σκῶπται. ἐπεὶ ἐν Ἐλευσῖνι ἐπὶ τῆς γεφύρας τοῖς μυστηρίοις καθεζόμενοι ἔσκωπτον τοὺς παριόντας. *Gephyristæ, Cavillatores, quoniam per mysteria in ponte sedentes irridebant transeuntes*. Meminit etiam Strabo *lib.* IX. Ἐπὶ Κηφισσοῦ γέφυρα, καὶ γεφυρισμός. Utuntur ea voce multis locis *Plutarchus*, *Appianus*, *Polybius*. Ritus ab Jambe manavit, teste Apollodoro, & Proclo in *Chrestomathia*. *Hesychius*: Ἰάμβη γυνή τις, ἐφ' ᾗ ἡ Δημήτηρ ἐγελοίασε πενθοῦσα, ἀφ' ἧς Ἰαμβίζειν. Hanc igitur Jamben ajunt fuisse ancillam natione Thressam, quæ Cerere ob raptam filiam afflicta, Eleusinem venit, & lapidi ἀγελάστῳ insidens, dicteriorum libertate risum Deæ concitavit. Paria sunt apud Hephæstionem; & tangit Nicander *in Alexipharmacis*, περὶ κυκεῶνος, id est, *de cinno*, verba faciens, *v.* 131.

—— ᾧ πότε Δηὼ
Λαυκανίην ἔβρεξεν ἀν' ἄστυρον Ἱπποθόωντος,
Θρηΐσσης ἀθύροισιν ὑπαὶ ῥήτρῃσιν Ἰάμβης.

Aliter paulo Ovidius, quem vide *l.* V. *Metam.* Atque hinc forsitan est, quod eum ritum mulieres potissimum exercuerint; quæ non in ponte solum, sed etiam ex curru, quo vehebantur, inter se contumeliis certabant. Scholiasta *Comici*: Αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐπὶ ἁμαξῶν ὀχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνια ἀπήρχοντο. ὡς ἐπὶ ἁμαξῶν οὖν ὀχουμένων αὐτῶν, ὅταν εἰς Ἐλευσῖνα βαδίζωσι εἰς τὰ μεγάλα μυστήρια, καὶ λοιδορουσῶν ἀλλήλοις ἐν τῇ ὁδῷ τοῦτο εἶπεν. ἔθος γὰρ ἦν αὐταῖς τοῦτο. *Atheniensium mulieres curribus vectæ, ad magna Eleusinia proficiscebantur. Igitur quasi curribus veherentur, quando Eleusinem contendunt ad magna mysteria, & sibi invicem convitientur, hoc ait: Illud enim moris erat.* Sed & cum sacra reducerentur Athenas, pari modo pausæ interponebantur. Ita subsistebant in suburbii loco, cui nomen, ἱερὰ συκῆ, *sacra ficus*. Philostratus in *vita Apollonii Atheniensis*: Ἐτάφη ἐν τῷ προαστείῳ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι λεωφόρου. ὄνομα τῷ προαστείῳ ἱερὰ συκῆ· τὰ δὲ Ἐλευσινόθεν ἱερὰ, ἐπειδὰν ἐς ἄστυ ἄγωσι, ἐκεῖ ἀναπαύουσιν. *Sepultus est in suburbio via publica: loco nomen sacra ficus. Eleusine redeuntia sacra, quando in urbem agunt, illic quiescunt*. Hesych. Ἱερὰ συκῆ, ἐν τῇ εἰς Ἐλευσῖν' ἀγούσῃ ὁδῷ. *Sacra ficus in via quæ Eleusinem ducit*.

In his sacris mira silentii fides: nam in eum qui arcana divulgasset, pœna capitis animadvertebatur; ut liquet *ex oratione Andocydis* περὶ μυστηρίων. Et inde natum proverbium, Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια. Quod apud Zenobium Duris usurpatum fuisse testatur, si quando convenissent inter se, qui de re quapiam arcana tractarent. Pausanias non uno in loco de mysteriis agens, somnio se monitum ait, ne secreta proderet. Verba ejus sunt *in Atticis*: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ, τό τε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν. καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν, ὁπόσων θέας εἴργονται, δῆλα δή που μηδὲ πύθεσθαι μετεῖναί σφισιν. *At quæ intra sacrum parietem servantur, scribere somno prohibemur: eorum enim adspectu non tantum iis qui initiati non sunt interdictum est, verum etiam ne percontari, aut audire fas quidquam est*. Pausaniæ somnio respondet somnium Numenii Philosophi, qui Pyrrhonis Heliensis discipulus fuit, de quo Macrobius *libro* I. *in Somnium Scipionis cap.* II. *Numenio denique inter Philosophos occultiorum curiosiori, offensum numinum, quod Eleusinia sacra interpretando vulgaverit, somnia prodiderunt. Viso sibi ipsas Eleusinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar videre prostantes: admirantique, & causas non convenientis numinibus turpitudinis consulenti, respondisse iratas; ab ipso se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas*. Et proscriptus ab Atheniensibus Diagoras, quod hac in parte religionem violasset. Hinc etiam Horatius *lib.* III. *Ode* II.

Est & fideli tuta silentio
Merces; vetabo qui Cereris sacrum

Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus; fragilemque mecum
Solvat phaſelum.

Et Auguſtus, ut author eſt Suetonius *cap.* XCIII. *Athenis initiatus, cum poſtea Romæ pro tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret, & quædam ſecretiora proponerentur, demiſſo concilio, & corona circumſtantium, ſolus audiit diſceptantes*, ne ſcilicet ad profanos quidquam emanaret. Excuſſit tamen adyta ſuperſtitionis ſagacitas Chriſtianorum, qui qualia hæc ſecreta fuerint verbis minime ambiguis expoſuerunt. Tertullianus *libro adverſus Valentinianos*, nihil aliud, præter membrum virile fuiſſe tradit, quod tam anxie tegeretur, & ad quod videndum, nemo niſi interpoſitis tot Cæremoniarum obſervationibus admitteretur. *Sequitur jam*, inquit, *ſilentii officium; attente cuſtoditur, quod tarde invenitur. Cæterum tota in adytis divinitas, tot ſuſpiria Epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulacrum membri virilis revelatur.* At Theodoretus naturæ muliebris imaginem arcanis Orgiis celari prodidit. Idque magis convenit fabulæ, quam *Clemens* refert, & ex eo *Arnobius*. Baubo fatigatæ Cereri, quam hoſpitio exceperat, potionem offert: illa primum aſpernatur, & ſe oppido difficilem præbet. Cum ergo nullis officiis pertinaciam mæroris expugnare poſſet; vertit artes Baubo, triſtitiamque Deæ turpitudinis inſolentis ſpectaculo delenire ſtatuit. *Redit ad Deam triſtem*, inquit, *& inter illa communia, quibus moris eſt frangere ac temperare mærores, retegit ſe ipſam, atque omnia illa pudoris loca revelatis monſtrat inguinibus. Atque pubi affigit oculos Diva, & inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur. Tum diffuſior facta per riſum, aſpernatam ſumit, atque ebibit potionem. Et quod diu nequivit verecundia Baubonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcænitas.* Quod ne per calumniam factum putetur, Orphei verſus in teſtimonium afferuntur a *Clemente*.

Ὣς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρετο· δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος, οὐδὲ πρέποντα τόπον. παῖς δ᾽ ἦεν Ἴακχος
Χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.
Ἡ δ᾽ ἐπεὶ οὖν μείδησε, θεὰ μείδησ᾽ ἐνὶ θυμῷ.
Δέξατο δ᾽ αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Arnobius Latinos fecit:

Sic effata ſimul veſtem contraxit ab imo,
Objecitque oculis formatas inguinibus res,
Succutiens quas Baubo cava manu; nam puerilis
Ollis cultus erat, plaudit, contrectat amice,
Tum Dea defigens auguſti luminis orbes,
Triſtitias animi paulum mollita reponit.
Inde manu poclum ſumit, riſuque ſequente
Perducit totum Cyceonis læta liquorem.

D. Gregorius Nazianzenus obiter præcipua myſteriorum capita perſtringens *oratione* περὶ ἁγίων φώτων, nefarias libidinum turpitudines licentia nocturnæ ſuperſtitionis occultari non obſcure declarat: Οὐδὲ Κόρη τις ἡμῶν ἁρπάζεται, καὶ Δημήτηρ πλανᾶται, καὶ Κελεοὺς τινας εἰσάγει, καὶ Τριπτολέμους, καὶ Δράκοντας, καὶ τὰ μὲν ποιεῖ, τὰ δὲ πάσχει. αἰσχύνομαι γὰρ ἡμέρᾳ δοῦναι τὴν νυκτὸς τελετὴν, καὶ ποιεῖν τὴν ἀσχημοσύνην τῶν μυστηρίων. Οἶδεν Ἐλευσὶν ταῦτα, καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων, καὶ σιωπῆς ὄντων ἀξίων ἐπόπται. *Neque nobis Proſerpina rapitur, nec Ceres errat, nec Celeos adducit, nec Triptolemos, & Dracones, partimque agit, & partim patitur; nam pudet me diem afferre ſacris nocturnis, & ex myſterio turpitudinem efficere: ſcit Eleuſis hoc, & ſpectatores rerum, quæ tacentur, & certe ſilentio dignæ ſunt.* Et profecto, quæ corruptelæ venerint in mores obtentu pietatis, unicum Paulinæ exemplum ſatis ſuperque demonſtrat, quod a Joſepho refertur *lib.* XVIII. *Antiquit. Judaicarum*. Nec Cicero diſſimulat in *Legibus*. Quid autem mihi diſpliceat in nocturnis, Poetæ indicant Comici: *Qua licentia Romæ data, quidnam egiſſet ille, qui in ſacrificium cogitatam libidinem intulit; quo neque impudentiam quidem oculorum adjici fas fuit.* Ut autem per omnia Cereris exemplum repræſentaretur, in acceptione myſteriorum primum jejunare cogebantur, deinde potio exhibebatur, ut conſtat ex teſſera quam reddebant qui initiabantur: Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης. ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. Vertit Arnobius: *Ipſa denique ſymbola, quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis; Jejunavi, atque ebibi Cyceonem, ex ciſta ſumpſi, & in calathum miſi, accepi rurſus, in ciſtulam tranſtuli.*

Litabant fœta ſue. Rationem *Phornutus* reddit: Θύουσι δὲ ὗς ἐγκύμονας Δημήτερι. πάνυ οἰκείως, τὸ πολύγονον, καὶ εὐσύλληπτον, καὶ τελεσφόρον καθιστάντες. *Sues gravidas immolant Cereri: plane convenienter, animal multiparum, facile concipiens, & fœtum mature proferens conſtituentes.* Eorum autem quæ Cereri erant immolata, nefas erat quidquam efferri. Scholiaſtes Comici ad *Equites*: Οὐκ ἐξῆν τὰ θυόμενα Δημήτρι, καὶ Περσεφόνῃ ἔξω ἀφιέναι. *Non licebat ſacrificata Cereri & Proſerpinæ extra demittere.*

Poſtera myſteriorum die, Senatus ex lege Solonis Eleuſinem conveniebat. *Andocydes*: Ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. *Senatus illic conſeſſurus erat ſecundum legem Solonis, quæ jubet poſtera myſteriorum die conſeſſum facere in templo Eleuſinio.* Forſitan ut cognoſceret, an ſacra rite peracta, num in ea commiſſum foret. nam quædam capitali ſupplicio ſancita legimus. Sic qui ἱκετηρίαν templo intuliſſet, morte plectebatur; & quidem non audita cauſa. *Andocydes*: Νόμος πάτριος εἴ τις ἱκετηρίαν θείη ἐν Ἐλευσινίῳ ἄκριτον ἀποθανεῖν. *Lex patria. ut ſi quis ἱκετηρίαν in templo Eleuſinio poſuiſſet indicta cauſa moreretur.* Idque in eadem *oratione* περὶ μυστηρίων ſæpius repetit; eo quod ejus culpæ velut affinis apud Senatum accuſaretur.

ΕΛΕΝΟΦΟΡΙΑ.

HELENOPHORIA, dies Athenis feſtus, quo arcana quædam ſacra in Helenis ferebantur. Helena vero, vel Helenius, ut vult *Heſychius*, vas eſt e vimine contextum, quod oras ſalignas habet. Pollux *lib.* X. *cap.* LIII. Ἑλένη πλεκτὸν ἀγγεῖον σπάρτινον, τὰ χείλη οἰσύινον, ἐν ᾧ φέρουσιν ἱερὰ ἄρρητα τοῖς Ἑλενοφορίοις. *Helena vas contextum, vimineum, labra ſaligna habens: in quo Helenophoriorum feſto ſacra inenarrabilia geſtant.* Cui vero illud egerint, affirmare nequeo. An ad Elenam referri poſſet? Comperior equidem a Spartanis eam ſolennitate feriarum obſervatam. *Heſychius*: Ἑλένια, ἑορτὴ ἀγομένη ὑπὸ Λακώνων. *Helenia feſtum, quod a Lacedæmoniis agitur.* Et Helenam in numerum Deorum fuiſſe relatam diſcimus ex Theodoreti *libro* III. *Græcanicarum affectionum*. Cujus hæc ſunt verba: Καὶ τὴν Ἑλένην δὲ τοῦ Μενέλεω χωρίσαντες, μετὰ τὴν πολυθρύλητον, καὶ παμπόλλην μοιχείαν, εἰς τὸν οὐρανον, ἥ φησιν Εὐριπίδης, ἀνήγαγον. *Et Helenam poſtquam plurima, & vulgatiſſima adulteria, ſejungentes a latere Menelai, in cælum, ſicut inquit Euripides, ſuſtulerunt.* Locus Euripidis eſt *in Helena extrema*, ubi fratres Dioſcuri ſic eam alloquuntur:

Ὅταν δὲ κάμψῃς, καὶ τελευτήσῃς βίον,
Θεὸς κεκλήσῃ, καὶ Διοσκόρων μέτα
Σπονδῶν μεθέξεις.

Cum vero flexeris, & finiveris vitam,
Vocaberis Dea, & cum Dioscuris
Particeps eris mysteriorum.

Atque, ut author est *Athenagoras*, Ilienses Helenam Nemesis nomine coluerunt.

ΕΛΛΩΤΙΑ.

HELLOTIORUM originem & causam fuse Pindari *Scholiastes* exponit; cujus verba licet compluria Lectori exhibebo: nec enim habeo quod illis addam; & ad rei præsentis illustrationem vel sola mihi sufficere videntur. Sic igitur ille *ad Olympionic.* XIII. ad verba, Ἑλλώτια δ' ἑπτάκις, *Hellotia septies vicit*. Τὴν προσηγορίαν ταύτην ἐσχηκέναι φασὶ τὴν Ἀθηνᾶν, ἀπὸ τοῦ ἐν Μαραθῶνι ἕλους, ἔνθα ἵδρυται. γίνεται οὖν ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Κορίνθῳ. ἐν ᾗ καὶ ὁ ἀγὼν τελεῖται ὁ καλούμενος λαμπαδοδρομικός. ἐν ᾧ ἔτρεχον νεανίαι λαμπάδας κρατοῦντες. αὕτη δὲ ἡ πανήγυρις εὑρέθη, κατὰ μέν τινας, ἐπειδὴ τὸν ἵππον τοῦ Βελλεροφόντου ὑπέταξεν ἡ θεὸς τὸν Πήγασον, καὶ περιέθηκεν αὐτῷ τὰ χαλινά, καὶ οὕτως εἷλεν αὐτόν. ἢ διὰ τοῦτο. ἐπειδὴ Δωριεῖς σὺν τοῖς Ἡρακλείδαις ἐπιθέμενοι Πελοποννησίοις Κόρινθον χειρωσάμενοι, ταύτην τῇ φλογὶ συνέφλεγον· τῶν τοίνυν γυναικῶν ἐν τῇ πορθήσει φευγουσῶν, τινὲς ἐξ αὐτῶν ἅμα Εὐρυτιώνῃ, καὶ Ἑλλωτίδι, εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς εἰσελθοῦσαι νεών, οὕτω διαφεύξασθαι τὸν κίνδυνον προσεδόκησαν. ὡς δὲ ᾔσθοντο Δωριεῖς, κατὰ τούτων πῦρ ἔπεμψαν. αἱ μὲν οὖν ἄλλαι ἔφυγον. ἡ δὲ Εὐρυτιώνη, καὶ Ἑλλωτίς, ἀδελφαὶ τυγχάνουσαι, μετὰ πεδίου συγκατεφλέχθησαν. λοιμοῦ δὲ συμπεσόντος, οὐ πρότερον τὸ νόσημα παύσεσθαι, ἔφη ἡ θεός, πρὶν ἐξιλεῶσαι τῶν παρθένων τὰς ψυχάς, καὶ Ἑλλωτίδος Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἱδρύσασθαι, καὶ πανήγυριν Ἑλλώτια καλουμένην. *Cognomen hoc ajunt habuisse Minervam a Palude circa Marathonem, ubi statua illi erecta fuit. Est igitur Minervæ festum apud Corinthios: in quo certamen cursus cum lampadibus celebratur. Currebant juvenes lampadas tenentes. Hæc autem celebritas fuit inventa secundum quosdam, cum Bellerophontis equum Pegasum subjugavit Dea, frænosque imposuit, & sic eum apprehendit. Aut ob hanc causam Dores, & Heraclidæ, Peloponnesiis insidiati. Corinthum quam ceperant, incenderunt. E mulieribus excidium fugientibus, quædam cum Eurytione & Hellotide Minervæ templum intrarunt, atque ita se periculum evasuras putarunt. Id ubi senserunt Dores, iis ignem injecerunt. Et aliæ quidem effugerunt; Eurytione autem, & Hellotis in loco conflagrarunt. Hinc orta pestilentia morbum non ante cessurum Dea respondit, quam virginum animas placassent, & Hellotidis Minervæ templum ædificassent, festumque Hellotiorum instituissent.* Eadem pæne ad verbum in *Scholiis*, quæ Demetrio Triclinio adscribuntur. Sed parum conveniunt cum *Hesychio*, qui scripsit; Ἑλλώτια, ἑορτὴ Εὐρώπης ἐν Κρήτῃ. *Hellotia, festum Europæ in Creta.*

ΕΡΜΑΙΑ.

ἙΡΜΑΙΑ, sive ut alii volunt Ἑρμαῖα, festum Mercurii, quem Græci vocant Ἑρμῆν. Hunc Athenienses præcipuo cultu observarunt, & primi Græcorum, a Pelasgis edocti, ut author est Herodotus *libro* II. in compitis, triviis, & quadriviis, tanquam Deo Viali statuas erexerunt; quibus veretra longa, & immania essent, & Hermas appellarunt. Meminerunt Thucydides *lib.* VI. Andocydes *Oratione* περὶ μυστηρίων, Plutarchus *in Alcibiade, & Nicia*. Erant sine lacertis ejusmodi simulachra. unde Strabo *lib.* XV. hominem brachiis truncatum Hermam vocat; & Dio *lib.* LIV. Μειράκιον ἄνευ ὤμων, οἵους τοὺς Ἑρμᾶς ὁρῶμεν. *Adolescens sine humeris, quales Hermas videmus.* Juvenalis *Sat.* VIII. v. 53.

Truncoque simillimus Hermæ.

Forma vero quadrata. Cujus rationem affert Scholiastes *Aristophanis*: Ἐπειδή φασιν τὸν Ἑρμῆν λόγου, καὶ ἀληθείας ἔφορον εἶναι, διὰ τοῦτο, καὶ τὰς εἰκόνας αὐτοῦ τετραγώνους, καὶ κυβοειδεῖς κατεσκεύαζον. αἰνιττόμενοι, ὅτι τὸ τοιοῦτον σχῆμα, ἐφ' ἃ μέρη πέσῃ πανταχόσε βάσιμον, καὶ ὄρθιόν ἐστι, οὕτω καὶ ὁ λόγος, καὶ ἡ ἀλήθεια ὁμοία ἐστὶ πανταχόθεν αὐτῇ. τὸ δὲ ψεῦδος πολύχουν, καὶ πολυσχιδές. *Quoniam ajunt Mercurium sermonis, & veritatis esse præsidem, ob id effigiem ejus quadratam, & forma cubi faciebant. Indicantes ejusmodi figuram, in quamcunque partem ceciderit, perpetuo rectam manere. Sic oratio, & veritas ubicumque sibi similis & uniformis est; mendacium multiplex, & varium.* Nec in viis tantum, sed etiam ante fores ædium privatarum imagines Mercurii collocare moris erat; quibus exeuntes Convivæ gestatas a se in mensa coronas imponebant. Ælianus *lib.* II. *cap.* XLI. Καὶ τὸν στέφανον λαβὼν ὅτε ἐπανῄει μετὰ τὸ δεῖπνον τῷ Ἑρμῇ, τῷ πρὸ θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτόν, κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν. *Sumpta corona cum a cæna reverteretur, Mercurio qui stabat ante fores eam imposuit juxta pristinam consuetudinem.* Porro Hermis ad monstrandum iter passim fixis, fructuum primitias in usum peregrinantium imponere solebant. *Suidas*: Ἑρμαῖον, τὸ ἀπροσδόκητον κέρδος. ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς τιθεμένων ἀπαρχῶν, ἃς οἱ ὁδοιπόροι κατεσθίουσι. *Hermæum, inopinatum lucrum; a primitiis in itinere depositis, quas viatores edunt.* Festum Hermæorum apud Athenienses fuisse videtur puerorum oblectationi datum. Plato *in Lyside*: Καὶ ἅμα ὡς Ἑρμαῖα ἄγουσιν ἀναμεμιγμένοι ἐν ταυτῷ εἰσιν οἵ τε νεανίσκοι, καὶ οἱ παῖδες. *Et simul ut Hermæa celebrent, permisti sunt eodem Adolescentes, & pueri.* Et insistens proposito *mox* addit: Εἰσελθόντες δὲ κατελάβομεν αὐτόθι τεθυκότας τε τοὺς παῖδας, καὶ τὰ περὶ ἱερεῖα σχεδόν τι ἤδη πεποιημένα, ἀστραγαλίζοντάς τε δή, καὶ κεκοσμημένους ἅπαντας. *Ingressi palæstram comperimus ibi pueros, qui sacrificarunt; sacrisque peractis, ornati omnes lusu astragalorum animum oblectabant.* Cretensibus autem festum fuit, non absimile Saturnalibus Romanorum. Athenæus *lib.* XIV. ex Carystio. Ἐν ταῖς τῶν Κρονίων ἡμέραις, Ῥωμαίων παισὶν ἔθος ἐστὶν ἑστιᾶν τοὺς οἰκέτας, αὐτοὺς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας. Ἑλληνικὸν δὲ τοῦτο τὸ ἔθος ἐν Κρήτῃ γοῦν τῇ τῶν Ἑρμαίων ἑορτῇ τὸ ὅμοιον γίνεται, ὥς φησι Καρύστιος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι. εὐωχουμένων γὰρ τῶν οἰκετῶν οἱ δεσπόται ὑπηρετοῦσι πρὸς τὰς διακονίας. *In Saturnaliorum diebus Romani servos suos excipere convivio solebant, ipsi servilia ministeria obeuntes. Græcorum vero mos iste: nam in Creta Hermæorum festo simile fit, ut scribit Carystius in Historicis commentariis. Epulantibus enim servis domini famulantur.*

ΕΡΩΤΙΔΙΑ.

FESTUM apud Thespienses Amori dedicatum. Athenæus *libro* XIII. Θεσπιεῖς τὰ Ἐρωτίδια τιμῶσι, καὶ Παναθήναια Ἀθηναῖοι, καὶ Ὀλύμπια, Ἠλεῖοι, Ῥόδιοί τε τὰ Ἅλια. *Thespienses Erotidia, id est, Amoris sacra celebrant, ut Athenienses Panathenæa, Elei Olympia, Rhodii Halia.* Quinquennalem & præterea Musis, atque Amori communem fuisse solennitatem, author est nobis Plutarchus in ἐρωτικῷ. Ἐν Ἑλικῶνι παρὰ ταῖς Μούσαις, ὦ Φλαυιανέ, τὰ Ἐρωτικὰ Θεσπιέων ἀγόντων, (ἄγουσι γὰρ ἀγῶνα πενταετηρικόν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις, καὶ τῷ Ἔρωτι, φιλοτίμως πάνυ, καὶ λαμπρῶς.) *In Helicone apud Musas, Flaviane, Amatoria celebrantibus Thespiensibus; nam certamen quinquennale celebrant, ut Musis, ita etiam Amori, magni-*

fice admodum & ſplendide. Hinc in eo certamine, non tantum Athletis, ſed etiam Muſicis præmia proponebantur. Pauſanias, *in Attic.* Ἄγουσι δὲ καὶ τῷ Ἔρωτι ἆθλα οὐ μουσικῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀθληταῖς τιθέντες. *Agunt autem amori feſtum, præmia non Muſicæ tantum, ſed etiam Athletis ſtatuentes.*

ΕΤΑΙΡΙΔΙΑ.

HETÆRIDIA Magneſii celebrant in honorem Jovis Ἑταιρείου, id eſt, *Sodalis*. Athenæus *lib.* XIII. ex Hegeſandri commentariis: Οἶδα δὲ καὶ ἑορτὴν, Ἑταιρίδεια, ἀγομένην ἐν Μαγνησίᾳ, οὐ διὰ τὰς ἑταίρας, ἀλλὰ διὰ ἑτέραν αἰτίαν, ἧς μνημονεύει Ἡγήσανδρος ἐν ὑπομνήμασι γράφων ὧδε. τὴν δὲ Ἑταιριδίων ἑορτὴν συντελοῦσι Μάγνητες. Ἱστοροῦσι δὲ πρῶτον Ἰάσονα τὸν Αἴσονος συναγαγόντα τοὺς Ἀργοναύτας Ἑταιρείῳ Διὶ θῦσαι, καὶ τὴν ἑορτὴν, Εταιρίδεια προσαγορεῦσαι. θύουσι δὲ οἱ Μακεδόνων Βασιλεῖς τὰ Εταιρίδεια. *Memoria quoque teneo in Magneſia feſtum celebrari, quod Hetæridia vocant, non quidem a meretricibus, quas* ἑταίρας *Græci vocant, ſed ob aliam cauſam, quam Hegeſander in commentariis ſic explicat; Hetæridia feſta celebria ſunt Magnetibus. Narrant enim Jaſonem Æſonis filium collectis Argonautis primum Hetæridia Jovi Sodali ſacrificaſſe; feſtumque nominaſſe Hetæridia. Hetæridia Macedonum quoque Reges ſacrificant.*

ΕΦΕΣΙΑ.

EPHESIA Dianæ feſtum apud Epheſios. Ita Scholiaſtes *Thucydidis* exponit: Ἑορτὴν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος, *Feſtum Epheſiæ Dianæ*. Heſychius: Ἐφέσια, ἀγὼν ἐν Ἐφέσῳ ἐπιφανής. *Epheſia, certamen Epheſi clarum*. Certaminis mentio fit in antiquis Inſcriptionibus *pagina* 314. ubi Aurelius Aſclepiades tertium ſe ἀγῶνα Ἐφέσιον viciſſe gloriatur. Claritudinem feſti, & celebritatem Thucydides innuit *lib.* III. & indicat manifeſte Strabo *lib.* XIV. Πανήγυρις δ᾽ ἐνταῦθα συντελεῖται κατ᾽ ἔτος. ἔθει δέ τινι οἱ νέοι φιλοκαλοῦσι, μάλιστα δὲ περὶ τὰς ἐνταῦθα εὐωχίας λαμπρυνόμενοι. *Conventus ille fit quotannis: & conſuetudine quadam, adoleſcentes in ſplendide adornandis conviviis operam collocant*. Et mox addit: Τότε καὶ τὸ τῶν Κουρήτων ἀρχεῖον συνάγει συμπόσια καί τινας μυστικὰς θυσίας ἐπιτελεῖ. *Sed & Curetum collegium tunc convivia agitat, & myſtica quædam ſacrificia peragit*. Tacitus etiam *l.* III. *Annalium* primos omnium Epheſios ait cæremonias ſui templi memoraſſe, cum pro tribunali numinum religiones introſpicerentur. Totius autem ſolennitatis ordinem, & ritus ex Xenophonte Epheſio deſcriptam nobis exhibet Politianus *Miſcellaneorum cap.* LI. in hunc modum: *Agebatur ſolenne iis locis Dianæ feſtum ab urbe ad templum, quæ ſunt ſtadia omnino ſeptem. Celebrare pompam Virgines omnes indigenas oportebat, ſplendide in primis ornatas. Prætereaque Ephebos, Abrocomi æquales, qui tum annum decimum ſeptimum agebat, & cum Ephebis aderat, vel utique primas in ea pompa ferebat. Magna autem vis hominum ſpectaculo intererat, vel populorum, vel hoſpitum; ſiquidem mos habebat, ut in ea celebritate, & ſponſi Virginibus, & Ephebis uxores invenirentur. Procedebat ergo ordinatim pompa; primo ſcilicet ſacra, faces, caniſtra, & ſuffimenta: tum autem equi, caneſque & venatoria arma, nonnullorum quoque bellica. Sed pleraque tamen pacalia. Fæminarum ſe quæque veluti ad amatoris oculos compoſuerat; Virginumque ordinem ducebat Antia.* Ipſius Dianæ ſimulachrum copia mammarum ſpectabile. Minutius Felix. *Diana interim eſt alte ſuccincta Venatrix & Epheſia mammis multis, & uberibus exſtructa*. Unde & Multimammiam appellarunt. D. Hieronymus *in Epiſtolam Pauli ad Epheſios*: *Erat Epheſi templum Dianæ, & ejuſdem in ipſo Multimammia, id eſt, multarum mammarum effigies, quia cultores ejus decepti, putabant eam omnium viventium nutricem*. Deæ tamen omnium nutrici ſacerdotes ſteriles tribuebant. Expoſtulat Heraclitus *in Epiſtola ad Hermodorum*: *Quanto Epheſiis meliores Lupi atque Leones! Non ſe invicem mancipant, nec aquila aquilam emptitat; nec Leoni Leo miniſtrat pocula. Sed neque canis canem exſecat; ut vos Deæ Sacerdotem exſecuiſtis Megabyſum; metu, ne Virgini vir conſecretur. Et quo pacto impii adverſus naturam, pii ſitis adverſus ſimulacbrum? Principio enim id agitis, ut Diis primus imprecetur Sacerdos amiſſa virilitate*. Sacerdotum ordo triplex. Nam ut apud Romanos, primo anno Veſtales diſcebant, ſecundo res ſacras obibant, tertio docebant: ita apud Epheſios erat Dianæ Sacerdos futurus, Sacerdos, & emeritus Sacerdos. Plutarchus *lib. An ſeni ſit gerenda reſpubl.* Καὶ τὰς ἐν Ἐφέσῳ περὶ τὴν Ἄρτεμιν, ὁμοίως ἑκάστου Μελλιέρην τὸ πρῶτον, εἶθ᾽ Ἱέρην, τὸ δὲ τρίτον παριέρην καλοῦσι. *Sacerdotes Dianæ apud Epheſum primum Mellieren, futuram ſacerdotem; deinde Hieren, ut jam ſacerdotem; poſtremo Parieren vocant, quaſi perfunctam ſacerdotem.*

ΗΡΑΙΑ.

HERÆA Junonis feſtum. Pollux *libro* I. *cap.* I. nam Ἥρα, *Juno*. Illud Samii ritu nuptiali peragebant; quia nuptias Jovis & Junonis apud ſe fuiſſe celebratas exiſtimarent. Lactantius *lib.* I. *cap.* XVII. *Inſulam Samum ſcribit Varro prius Partheniam nominatam; quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupſerit. Itaque nobiliſſimum, & antiquiſſimum templum ejus eſt Sami, & ſimulacbrum in habitum nubentis figuratum: & ſacra ejus anniverſaria nuptiarum ritu celebrantur.* D. Auguſtinus *libro* VI. *de civitate Dei, cap.* VII. *Sacra ſunt Junonis, & hæc in ejus dilecta inſula Samo celebrantur, ubi nuptui data eſt Jovi*. Nam Junonem in Samo clam fuiſſe devirginatam ajunt; moremque inde manſiſſe apud Samios, ut clam Virgines abducerentur, ac mox in propatulo nuptialia ſacra peragerentur. Euſtathius *ad Iliad.* Ξ. Ἕτεροι δὲ ἐν Σάμῳ λάθρα διαπαρθενευθῆναι αὐτὴν φασιν· ὅθεν Σάμιοι κατὰ ζῆλον Ἥρας λάθρα τὰς παρθένους συγκομίζουσιν, εἶτα φανερῶς τοὺς γάμους θύουσι. *Alii vero in Samo clam devirginatam fuiſſe Junonem ajunt: unde Samii, ad imitationem Junonis clanculum virgines abducunt; deinde nuptialia publice ſacrificant*. Athenienſes quoque earundem nuptiarum memoriam feſto coluerunt, & ἱερὸν γάμον, id eſt, *ſacras nuptias* appellarunt. *Heſychius*: Ἱερὸς γάμος ἑορτὴ Διὸς, καὶ Ἥρας. Meminit ejus apud Athenæum *lib.* VI. Menander. Ipſa tamen nuptiarum celebritas adeo non vulgata fuiſſe videtur, ut ne quidem in tanta fabularum licentia jactationem obtinuerit. Nam Theocritus in exemplum ſummæ curioſitatis, qua plerumque laborant mulieres, adducit;

Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ᾽ Ἥρην.
Omnia mulieres ſciunt, & ut Juppiter duxit Junonem.

Nihilominus invaluit, ut eſſe Junoni *vincla Jugalia curæ* putarentur. Quocirca nupturæ Virgines eam in primis ſibi placatam reddere ſtudebant: in tantum, ut ipſa συζυγία, id eſt, *conjunctio*, teſte Polluce *l.* III. *c.* III. Ἡρατέλεια vocaretur. At Corinthii Junonia per luctum egerunt. Euripidis Scholiaſtes *in Medæam*: Ἥραια πένθιμος ἑορτὴ παρὰ Κορινθίοις. *Heræa, lugubre feſtum apud Corinthios*. Pellenæ Argivorum eadem certamine clara fuerunt; cujus Victores chlæna donabantur. Pindarus *Oda* IX. *Olymp.* v. 146. &c.

Καὶ ψυχρᾶν ὁπότ' εὐδια-
νὸν φάρμακον αὐρᾶν
Πελλάνα φέρε.
Frigidorum quando propulsatorium
remedium ventorum
Pellena tulit.

Scholiastes Aristophanis *ad Nebulas*: Ἐν Πελλήνῃ, ἐν τοῖς Ἡραίοις ἆθλον ἐτίθετο χλαῖνα. *Pellenæ in Junoniis præmium statuebatur chlæna.* Deinde addit: Οἱ δὲ ὅτι Ἑρμαῖα ἄγεται ἐν Πελλήνῃ τῆς Ἀχαΐας, τούτῳ ἔπαθλον τίθεται. *Alii vero ajunt Mercurii festum agi in Pellena Achaiæ, & hoc præmium statui.* Quam opinionem secutus est Pindari *Commentator*. Hinc Pellenicæ chlænæ apud antiquos nomen obtinuerunt. *Hesychius*: Πελλήνη πόλις ἐν Ἄργει· Πελλικαὶ χλαῖναι. ἐπεὶ διαφέρειν ἐδόκουν, αἱ ἐν Πελλήνῃ γινόμεναι χλαῖναι, ὡς καὶ ἆθλα τοῖς νικῶσι δίδοσθαι. *Pellene civitas in Argo; Pellenicæ chlænæ: quoniam excellere videbantur factæ in Pellena chlænæ; adeo ut loco præmii victoribus darentur.* Strabo *libro* VIII. Ἔστι δὲ κώμη Πελλήνη, ὅθεν καὶ αἱ Πελληνικαὶ χλαῖναι, ἃς καὶ ἆθλα ἐτίθεσαν ἐν τοῖς ἀγῶσι. *Est & pagus Pellene; unde nomen Pellenicis chlænis, quas in certaminibus præmii loco proponebant.*

ΗΡΟΣΑΝΘΕΙΑ.

HESYCHIUS: Ἡροσάνθεια, Ἀνθολογία. ἑορτὴ γυναικεία, λαμπρὰ, ἀγομένη ἐν Πελοποννήσῳ κατὰ τὸ ἔαρ. *Herosanthia, florilegium: festum muliebre, splendidum, in Peloponneso circa ver agi solitum.*

ΗΡΟΧΙΑ.

HESYCHIUS: Ἡρόχια, τὰ Θεοδαίσια. οἱ δὲ ἑορτὴν, οἱ δὲ ἔρια. *Erochia, Deorum edulia. Alii festum, alii lanam putant.*

ΗΡΟΙΣ.

FESTUM quod Delphis nono quoque anno celebrabatur. De quo Plutarchus *in Quæstionibus Græcis*. Τῆς δὲ Ἡρωΐδος τὰ πλεῖστα μυστικὸν ἔχει λόγον, ὃν ἴσασιν αἱ Θυιάδες. ἐκ δὲ τῶν δρωμένων φανερῶς Σεμέλης ἄν τις ἀναγωγὴν εἰκάσειε. *Heroidis pleraque fabulosam habent rationem Thyadibus notam: ex iis quæ aguntur, liquido quis excitationem Semeles conjiciat repræsentari.*

ΘΑΛΥΣΙΑ.

FESTUM est Cereris. Theocritus *Idyllio* VII. *v.* 4. 5.

Τᾷ Δηοῖ γὰρ ἔτευχε Θαλύσια ὁ Φρασίδαμος.
Κ' Ἀντιγένης δύο τέκνα Λυκώπεος.
Nam Cereri sua sacra simul Phasidemus agebat,
Antigenesque meus duo pignora cara Lycopei.

Scholiastes: Θαλύσια, ἑορτὴ ἣν ἐτέλουν τῇ Δήμητρι μετὰ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν. *Thalysia, festum, quod agebant Cereri post fructuum comportationem.* Atque hinc, ἀπὸ τοῦ συγκομίζειν, *a comportando*, etiam Συγκομιστήρια vocabant. Eustathius *ad Iliad.* I. Θαλύσια δὲ αἱ ἀπαρχαὶ, ἤγουν αἱ μετὰ συλλογὴν τῶν καρπῶν διδόμεναι Θεῷ· ὑπὲρ τοῦ καὶ εἰς ἔπειτα θάλλειν τὰς ἀρούρας· τινὲς δὲ τῶν Ῥητόρων καὶ συγκομιστήρια ταῦτα καλοῦσι. *Thalysia vero Primitiæ: quæ post collectionem frugum Deæ penduntur, ut in posterum quoque arva florescant. Quidam Rhetores a verbo comportandi, Syncomisteria vocant.* Hac se ratione fertilitatem procurare & dignas Cereri grates persolvere putabant. Theocritus *Idyl.* VII. *v.* 31. &c.

Ἁ δ' ὁδὸς ἅδε Θαλύσια· ἦ γὰρ ἑταῖροι

A Ἀνέρες εὐπέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι,
Ὄλβω ἀπαρχόμενοι. μάλα γάρ σφισι πίονι μέτρῳ
Ἁ Δαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν.
En sacrum properamus iter: nam cætera turba
Debita frugiferæ peragunt solennia Divæ,
Primitias dulces: namque illis divite cornu
Ardua fæcundæ distendunt hordea messes.

Suidas: Θαλύσιον τὸ ὑπὲρ εὐθαλίας διδόμενον. Unde etiam notat *Eustathius*: Ὅτι γίνεται, ἀπὸ τοῦ θάλλω, θαλλύω, θαλύσω, & hinc Θαλύσια.

ΘΑΡΓΗΛΙΑ.

B THARGELIA festum Apollinis & Dianæ: *Suidas*; Θαργήλια, ἑορτὴ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀρτέμιδος. Agebatur sexta mensis Thargelionis, qui Apollini sacer erat. *Harpocration*: Ἄγεται δὲ Θαργηλιῶνι μηνὶ· ὅς ἐστιν ἱερὸς Ἀπόλλωνι. *Hesychius*: Καὶ ὅλος ὁ μὴν ἱερὸς τῷ Θεῷ. *Celebratur mense Thargelione: qui sacer est Apollini. Et totus mensis Deo sacer est.* Ratio est, quod eo natus fuisse crederetur. *Apulejus* de Platone verba faciens: *Mense etiam, qui apud Atticos Thargelion dicitur, natus est; die qua apud Delum Latona fertur Apollinem, Dianamque peperisse. pridie Socratem genitum accepimus.* Duo igitur fuerunt Thargeliorum
C dies; sextus & septimus Thargelionis. Priore civitatem lustrabant. Laertius de *Natali Socratis* lib. II. cap. XLIV. Ἐγεννήθη δὲ (καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς) ἐπὶ Ἀψεφίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος Θαργηλιῶνος ἕκτῃ, ὅτε καθαίρουσι τὴν πόλιν Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν Ἄρτεμιν γενέσθαι Δήλιοί φασιν. *Nascitur (ut ait Apollodorus in Chronicis) sub Apsephione, septuagesimæ & septimæ Olympiadis anno quarto, Thargelionis die sexta, qua lustrant Athenienses civitatem, Dianamque natam Deli prædicant.* Posteriore sacrificium fiebat. Plutarchus *Sympos.*
D VIII. *quæstione* I. Ἀπόλλωνος γὰρ ἀμφοτέρας ἑορτῇ γενέσθαι· τὸν μὲν γὰρ Θαργηλίοις Ἀθήνησι τὸν δὲ Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων. ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσι, καὶ τὸν Θεὸν, ὡς ταύτῃ γενόμενον ὑμεῖς (εἶπεν) οἱ Προφῆται, καὶ οἱ Ἱερεῖς Ἑβδομαγενῆ καλεῖτε. *Ambos enim natos festo Apollinis die: Platonem Athenis, cum Thargelia agerentur: Carneadem Cyrenæ, cum ibi Carnia celebrarentur. Utrumque sacrificium in septimum diem incidit. Et vos Vates, atque Sacerdotes, Apollinem, ut ea die natum, Hebdomagenam, quasi septimanatum appellatis.* Ex his etiam licet colligere diem sextum, ut Dianæ; septimum, ut Apollinis natalem fuisse observatum. Hinc *La-*
E *ertius*, qui, ut ostendimus, natales Dianæ & Socratis in eundem incidisse diem refert; Platonem quoque natum ait eo ipso die, quo editus fuit in lucem Apollo, in *Platone* l. III. c. II. Καὶ γίνεται Πλάτων (ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς) ὀγδόῃ, καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, Θαργηλιῶνος ἑβδόμῃ· καθ' ἣν Δήλιοι τὸν Ἀπόλλωνα γενέσθαι φασί. *Nascitur autem Plato (ut Apollodorus testatur in Chronicis)* LXXXVIII *Olympiade, Thargelionis die* VII. *quo natum Apollinem Delii putant.* Festi cæremonia consistebat in circumferendis fructuum, seminumque primitiis, quæ in ollis cocta Diis efferebantur. *Hesych.* Ἐν δὲ τοῖς Θαργηλίοις τὰς ἀπαρχὰς τῶν
F φαινομένων ποιοῦνται, καὶ περικομίζουσι. *In Thargeliis primitias apparentium faciunt, & circumferunt.* Hinc etiam est quod Θάργηλον exponant ἱκετηρίαν. Ipsam vero ollam sacro decocto plenam Θάργηλον appellabant. *Hesych.* Θάργηλος χύτρα ἱερῶ ἑψήματος. *Thargelus olla sacri decocti.* Suidas: Καὶ ὁ τῶν σπερμάτων μεστὸς χύτρος, ἱερῶ ἑψήματος. ἧψον δ' ἐν αὐτῇ ἀπαρχὰς τῷ Θεῷ τῶν πεφηνότων καρπῶν. *Et seminibus plena olla, sacrove decocto. Coquebant enim in ea Deo primitias fructuum, qui tum e terra*

prodiissent. Solennitatis procuratio spectabat ad Archontem. Poll. *l.* VIII. Ὁ δὲ Ἄρχων διατίθησι μὲν Διονύσια, καὶ Θαργήλια μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν. *Archon disponit Bacchanalia, & Thargelia, cum curatoribus.*

ΘΕΟΓΑΜΙΑ.

SACRA Proserpinæ solennitas; quam eandem fuisse putant, cum Ἀνθεσφορίοις, sive Περσεφαττίοις, de quibus ante diximus. Festum ritu nuptiarum agebant. Atque ex eo, ut opinor, in mores Græcorum, & Romanorum ivit, ut a puero canistrum pane refertum Nuptæ præferretur; atque identidem inclamaretur: Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. *Fugi malum, inveni melius*; ad recolendam beneficii memoriam, quo

Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Cujus moris aliqua vestigia Gerardimontenses mei etiamnum reservant. Nec male quispiam, ex eodem fonte confarreationis ritum fluxisse contendat.

ΘΕΟΞΕΝΙΑ.

IN multis Græciæ civitatibus celebrabantur sacra nulli privatim Deo dicata, sed in universum omnibus. Eum diem vocabant Θεοξένια. *Hesych.* Θεοξένια, κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς. *Theoxenia, commune festum omnibus Diis.* Athenienses autem ea potissimum celebrarunt. Nam inter propria illius Reipub. instituta hoc fuit, quod Θεὸς ξένους colerent. *Hesych.* Θεοὶ ξενικοὶ παρὰ Ἀθηναίοις τιμῶνται, οὓς καταλέγει Ἀπολλοφάνης ἐν Κρησίν. *Dii Hospites apud Athenienses honorantur, quos enumerat Apollophanes in Cretensibus.* Inde illa ara Θεῷ ἀγνώστῳ, de qua D. *Paulus*. Fuere tamen Θεοξένια Apollinis honori peculiariter consecrata apud Pellenenses. Pausanias in *Achaicis*: Ἔστι καὶ Ἀπόλλωνος Θεοξενίου Πελληνεῦσιν ἱερόν· τὸ δὲ ἄγαλμα χαλκοῦ πεποίηται· καὶ ἀγῶνα ἐπιτελοῦσι Θεοξένια τῷ Ἀπόλλωνι. *Est & Apollinis Theoxenii templum apud Pellenenses: simulachrum ex ære factum: & certamen Apollini Theoxenia celebrant.* Scholiastes Pindari *ad Odam Olymp.* XIX. Hæc Pellenensium sacra Apollini, & Mercurio communia fuisse tradit. Ad *Oden* vero XIII. ait in hunc modum: Πελλήνη τῆς Ἀχαΐας πόλις, ὅπου τὰ φιλοξένια (lego Θεοξένια) καὶ αἱ χλαῖναι δίδονται. *Pellene civitas Achaiæ, ubi Theoxenia, & Chlænæ dantur.* Idem ad *Oden* III. Theoxeniorum originem ad Dioscuros refert; quibus Hercules cælum petiturus certaminum curam mandavit: Καὶ οὗτοι, inquit, ἀφ' ἑαυτῶν μετενόησαν Πανήγυριν, Θεοξένια: παρὰ τὸ δοκεῖν τοῖς ξενίζειν τοὺς θεούς. *Et illi excogitarunt celebritatem Theoxeniorum, sic dictam, quod tum Dii hospitium fecisse viderentur.* Hinc etiam forte contigit, ut Dioscurorum sacrificium Ξενισμὸς appellaretur.

ΘΕΟΦΑΝΙΑ.

ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ, vel unitatis numero, Θεοφανία, est, ut inquit *Suidas*, ἡ τοῦ Θεοῦ φανέρωσις, *Dei apparitio*. Festum eo die celebrari solitum, quo Deos hominibus apparuisse credebant. Fuit in primis memorabile Delphis; si credimus Herodoto *libro* I. ubi refert Crœsum oracula sciscitantem, duas ingentis magnitudinis pateras misisse Delphos, alteram argenteam, auream alteram; opus Theodori Samii. Sed cum templum conflagrasset, ambæ fuerunt amotæ; & quidem aurea in Clazomeniorum thesauro reposita, pondo talentorum octo & dimidii, præterea minarum duodecim: Argentea vero ad fuggrundam anguli in templo locata sexcentarum amphorarum capax; ex qua vinum in Theophaniis libari affirmat: Ἐπικίρναται ὑπὸ Δελφῶν Θεοφανίοισι. *In ea miscetur vinum a Delphis Theophaniorum festo.*

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

MULTI falso, ut mea quidem est sententia, cum Eleusiniis Thesmophoria confuderunt. At unicuique promptum erit amborum collatione percipere diversitatem. Ut igitur in Eleusiniis multa fiebant, quæ nisi ad frugum inventionem non pertinebant: sic in Thesmophoriis pleraque ad legum; ut ipsum quoque nomen indicat. Θεσμὸς enim, authore *Hesychio*, νόμος θεῖος, *Thesmus divina lex*. Et Ceres non tantum fruges hominibus; sed etiam, ut canit Poeta,

Prima dedit leges.

Callimachus *in hymno Cereris*, v. 19.

Κάλλιον ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε.
Pulchrius ut leges præscripserit urbibus æquas.

Hinc eam Græci, ut patet in antiquis *Inscriptionibus pag.* 309. Θεσμοφόρον, Latini Legiferam appellarunt. Virgilius *libro* IV. *Æneid.* v. 58.

—— *mactant lectas de more bidentes*
Legiferæ Cereri.

Ad quem locum Servius: *Leges Ceres dicitur invenisse; nam & sacra ipsius Thesmophoria, id est, legum latio vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante frumentum inventum a Cerere, passim homines sine lege vagabantur; quia feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura.* Atque in hujus rei memoriam fæminæ libros legales capite gestabant, & orantes Eleusinem pompa solenni proficiscebantur. Theocriti Scholiastes *ad Idyllium* IV. Νόμος γὰρ ἦν Ἀθηναίοις κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια ταῦτα. Παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναὶ, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς, τὰς νομίμους βίβλους, καὶ ἱερὰς ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνετίθεσαν, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι ἐπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. *Lex enim fuit Atheniensibus, ut Thesmophoria illa quotannis celebrarent. Virgines mulieres, vitaque honestæ; quæ per solennitatis diem legales libros, & sacros vertice gestantes, tanquam supplicantes Eleusinem contenderent.* Thesmophoria solæ mulieres obibant; viri prorsus arcebantur. Cui rei attestatur abunde Aristophanes *in* Θεσμοφοριαζούσαις. ubi Mnesilochus, quod habitum mentitus in arcana sacrorum irrepsisset, ad supplicium a mulieribus deposcitur: & ibidem canunt, *vers.* 1169. *&c.*

Ἥκετ' εὔφρονες, ἵλαοι,
Πότνιαι ἄλσος ἐς ὑμέτερον
Οὗ δὴ ἀνδράσιν οὐ
Θεμιτὸν εἰσορᾶν
Ὄργια σεμνὰ θεαῖν.
Venite lætæ, propitiæ,
Venerandæ lucum in vestrum,
Cujus quidem viris non
Fas est intueri
Sacra veneranda dearum.

Et *alio loco*:

—— σὺ δ' ὑπόστηθί μοι,
Ἵνα μὴ 'πακούσῃς ὢν ἀνήρ.
—— *Tu vero discede mihi,*
Ut non audias existens vir.

In Græciam ea sacra filiæ Danai ex Ægypto detulerunt. Herodotus *libro* II. Αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν, αἱ τὴν τελετὴν ταύτην ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι, καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιώτιδας γυναῖκας. *Danai filiæ initia ista ex Ægypto detulerunt, & Pelasgas mulieres docuerunt.* Jejunio se præparabant ad sacra. Aristophanes *in Avibus*, fere in ult.

Ἀλλ' ὥσπερεὶ Θεσμοφορίοις νηστεύομεν.
Sed velut in Thesmophoriis jejunamus.

Moris hujus etiam meminit Athenæus libro VII.

Quamvis eo loco medium Thesmophoriorum jejunio servatum fuisse dicat. Deinde a potu auspicabantur. Apud Aristophanem mulier examinat Mnesilochum, in *Thesmoph.*

Γυ. Ὅτι πρῶτον ἡμῖν τῶν ἱερῶν ἐδείκνυτο;
Φέρ' ἴδω τί πρῶτον ἦν; Μν. Ἐπίνομεν.
Γυ. Τί δὲ μετὰ τοῦτο δεύτερον; Μν. Προὐπίνομεν.

Mul. *Quid primum nobis sacrorum ostenditur?*
Age videam, quid primum? Mn. *Bibimus.*
Mul. *Quid post hoc secundum?* Mn. *Propinavimus.*

Quamvis alias peracta re divina tantum se liberalius invitare poculis solerent: unde & μεθύειν inflexum putat *Aristoteles*, quod ebrii fierent μετὰ τὸ θύειν, *post sacrificium*. Abstinendum etiam iis erat a Venere. Ovidius *lib. Metam.* v. 431. *&c.*

Festa piæ Cereri celebrabant annua matres,
Illa quibus nivea velatæ corpora veste,
Primitias frugum dant spicea serta suarum,
Perque novem noctes Venerem, tactusque viriles
In vetitis numerant.

Apud Theodoretum *lib.* XII. *Græcanicarum affectionum*, Pythagorica Theano rogata, quoto demum die mulieri liceret a complexu viri Thesmophoriis interesse; ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου παραχρῆμα, ἔφη. ἀπὸ δὲ ἀλλοτρίου οὐδέποτε. *Ei quæ a proprio viro surrexerit, statim licere respondit; quæ ab alieno nunquam.* Sed ut continentiam sibi faciliorem redderent, salicis, aut viticis folio lectos insternebant. Plinius *lib.* XXIII. *cap.* IX. *Matronæ in Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes iis foliis cubitus sibi sternunt.* Nam salicem habere vim perimendi seminis, & libidinis exstinguendæ, author est *Theophrastus*. *Ælianus* Ἀφροδισίων κώλυμα nuncupat. Alii ἄγνον castam appellant. Homerus *Odyss.* κ. ὠλεσίκαρπον, id est, ut exponit Plinius *lib.* XVI. *cap.* XXVI. *frugiperda*. Ad quem locum *Eustathius*: Διότι οἱ πίνοντες τοῦ κατ' αὐτὰς ἄνθους ὀλλύουσι τὸν καρπὸν, ἤτοι ἄγονοι γίνονται. Utebantur ad idem quoque Cunilagine. Theocriti Scholiastes ad *hos versus*, scil. 67. 68. Idyll. VII.

Χ' ἁ στιβὰς ἑσσεῖται πεπυκασμένα ἐς πᾶχυν
Κνύζα τ', ἀσφοδέλῳ τε,
Et thorus dense stratus erit ad cubitum usque
Conyza & Asphodelo.

Τὴν κονύζαν, κνύζαν εἶπεν. ἔστι φυτὸν ψυκτικώτατον. ὅθεν καὶ ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ὑποστρωννύουσι. τὸ φυτὸν τὴν θερμότητα τὴν κατὰ τὰ Ἀφροδίσια ἐκκόπτοντες. *Conyzam dixit Cnyzam. Planta refrigerandi summa vi pollens, quam propterea in Thesmophoriis lecto substernunt, calorem ad res venereas exstirpantes.* Idem *ad Idyll.* IV. Κνύζα φυτὸν χορτῶδες, ᾧ αἱ Θεσμοφοριάζουσαι διὰ τὴν ἁγνείαν στιβαδοποιοῦνται. *Cnyza, planta graminis forma, qua Cereris sacra celebrantes fœminæ lectos ad servandam castitatem insternunt.* Religio etiam erat Θεσμοφοριαζούσαις gustare grana mali Punici. Clemens Alexandrinus *in Protrept.* Καὶ αἱ Θεσμοφοριάζουσαι τῆς ῥοιᾶς τοὺς κόκκους παραφυλάττουσιν ἐσθίειν, τοὺς ἀποπεπτωκότας χαμαὶ ἐκ τῶν τοῦ Διονυσίου αἵματος σταγόνων βεβλαστηκέναι νομίζουσι τὰς ῥοιάς. *Mulieres quæ Thesmophoria celebrant, ab esu granorum mali Punici abstinent, existimantes ex guttis sanguinis Dionysii pullulasse mala Punica.* Quæ libera non esset arcebatur. apud Aristophanem Domina ancillam submovet; in *Thesmophor.* v. 261. 263.

—— σὺ δ' ἄπιθ' ὦ Θρᾶττα ἐκποδών.
Δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.
—— *Tu vero abi Thressa confestim:*
Servis enim non licet audire sermones.

Noctu arcana peragebantur. Arnobius: *Illa divina, quæ Thesmophoria nominantur a Græcis, quibus gente ab Attica, sancta illa pervigilia consecrata sunt, & Pannychismi graves.* Atque hinc magna ardentium tædarum multitudo, quam ex Aristophanis Θεσμοφοριαζούσαις animadvertas. Nec minus quam Eleusinia, hæc etiam sacra silentio velabantur. Hinc Herodotus *lib.* II. de iis se loqui posse negat, nisi quatenus Religio patitur. & ab *Aristophane* Θεσμοφορίων ἱερὰ ἀπόρρητα dicuntur. Res autem tanto silentio culta, muliebre pudendum. Theodoretus *lib.* III. *Græcanicarum affectionum*: Καὶ τὸν κτένα τὸν γυναικεῖον (οὕτω δὲ τὸ γυναικεῖον ὀνομάζουσι μόριον) ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις, παρὰ τῶν τετελεσμένων γυναικῶν θείας τιμῆς ἀξιούμενον. *Nec minus muliebrem pectinem (sic enim pudenda mulieris vocant) in Cereris festo, mulieres initiatæ divino ho-
B nore dignum habent.* Numerum vero dierum, quibus Thesmophoria celebrabantur, diversum authores ponunt. *Ovidius* novem, *Hesychius* quatuor, Laertius in *vita Democriti*, tres. *Aristophanes* tertium ait esse medium; quod verum esse nequit, nisi quinque statuantur; in *Thesmoph.* v. 48.

Ἐπεὶ τρίτη 'στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Quoniam dies est tertia Thesmophoriorum media. Quo respexit *Hesychius*, cum inquit: Ζητεῖται πῶς ἅμα μὲν λέγει τρίτην Θεσμοφορίων εἶναι, ἅμα δὲ μέσην, τεττάρων οὐσῶν ἡμερῶν. *Quæritur quomodo simul dicat tertiam Thesmophoriorum esse, simul & mediam, cum tantum sint quatuor.* Erytræenses
C peculiarem in Thesmophoriis ritum servarunt, ut carnes non ad ignem, sed ad solem assarent; de quo Plutarchus *in Quæstionibus Græcis*.

ΘΗΣΕΙΑ.

THESEI ossa e Scyro, ubi fuerat a Lycomede interfectus, Cimon Athenas revexit. Athenienses in media urbis regione condiderunt, eique templum exstruxerunt, quod Θησεῖον appellarunt. Harpocration ex Demosthenis oratione *contra Ctesiphontem*: Θησεῖον τέμενός ἐστιν ἀνειμένον τῷ Θησεῖ. *Theseium templum est Theseo dedicatum.*
D Huic autem templo inviolabile jus Asyli contra potentiorum injurias concesserunt; & sacra eidem instituerunt, quæ octava Pyanepsionis die celebrabantur. Plutarchus *in Theseo*: Ἔστι δὲ φύξιον οἰκέταις, καὶ πᾶσι τοῖς ταπεινοτέροις, καὶ δεδιόσι κρείττονας, ὡς καὶ τοῦ Θησέως προστατικοῦ τινος, καὶ βοηθητικοῦ γενομένου, καὶ προσδεχομένου φιλανθρώπως τὰς τῶν ταπεινοτέρων δεήσεις. Θυσίαν δὲ ποιοῦσιν αὐτῷ τὴν μεγίστην, ὀγδόῃ Πυανεψιῶνος, ἐν ᾗ μετὰ τῶν ἠϊθέων ἐκ Κρήτης ἐπανῆλθεν. *Est id perfugium servis, & omnibus demissioribus, timentibusque potentiores. Quod tutelaris Theseus, atque auxiliaris fuisset, & benigne abjectorum accepisset preces. Sacrum maximum ei
E exhibent octavo die mensis Pyanepsionis, quo ex Creta rediit cum impuberibus.* Verum Aristophanis enarrator *ad Plutum*, & ex eo *Suidas*, instituta putant esse Theseia in memoriam facti, quo dispersa per agros Atticos multitudo in unam civitatem coacta perhibetur. Ἑορτὴ δὲ αὐτῷ ἐπετελεῖτο, ἐπειδὴ αὐτὸς συνήγαγε τὴν Ἀττικὴν πρότερον σποράδην, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμένην. *Festum ei celebrabatur; quoniam ipse congregavit Atticam prius dispersam, & per vicos habitatam.* Præterea octavum cujusque mensis diem Theseo consecrarunt. Plutarchus, *loc. cit.* Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ὀγδόαις τιμῶσιν αὐτὸν,
F ἢ διὰ τὸ πρῶτον ἐκ Τροιζῆνος ἀφικέσθαι τῇ ὀγδόῃ τοῦ Ἑκατομβαιῶνος, ὡς ἱστόρηκε Διόδωρος ὁ περιηγητής. ἢ νομίζοντες ἑτέρῳ μᾶλλον ἐκείνῳ προσήκειν τὸν ἀριθμὸν τοῦτον, ἐκ Ποσειδῶνος γεγονέναι λεγομένῳ. *Attamen & aliorum mensium octavo quoque die colunt eum: vel quod primum ex Trœzene octavo Hecatombæonis appulisset, ut memoriæ prodidit Diodorus Periegetes; vel quod illi præcipue hic numerus, qui diceretur ex Neptuno attribuendus esset*, &c. Cæterum Theseia festivis epulis egerunt, in memoriam inediæ, qua pressi oracula consuluerunt, & respon-

sum acceperunt, ne Thesei manes finerent inultos. Scholiastes Aristophanis *ad Plutum*: Ἀθηναῖοι δὲ λιμώξαντες, καὶ κελευσθέντες ἐκδικῆσαι τῷ Θησεῖ, τὸν μὲν Λυκομήδη ἀνεῖλον. τὰ δὲ ὀστᾶ μεταστειλάμενοι, καὶ Θησεῖον οἰκοδομήσαντες ἰσοθέους αὐτῷ τιμὰς νέμουσι· διανομαὶ δὲ, καὶ εὐωχίαι τοῖς Θησείοις γίγνονται· ταῖς δὲ ὀγδόαις τὰ Θησεῖα ἤγετο. *Athenienses fame laborantes, & jussi Theseum ulcisci, ipsum quidem Lycomeden interfecerunt; translatis autem ossibus, & ædificato templo divinos illi honores tribuerunt. Distributiones, & epulæ in Theseis fiunt. Octavis autem Theseia agebantur.*

ΙΛΙΕΙΑ.

HESYCHIUS: Ἰλίεια. ἑορτὴ ἐν Ἀθήναις ἐν Ἰλίῳ Ἀθηνᾶς. *Festum Athenis Minervæ Iliensis.* Nam *Suidas*: Ἰλίεια, Ἀθηνᾶ ἡ παρ' Ἰλιεῦσι τιμωμένη. *Ilieia, Minerva ab Iliensibus culta.*

ΙΝΑΧΙΑ.

FESTUM Leucotheæ apud Cretenses. *Hesychius*: Ἰνάχια, ἑορτὴ Λευκοθέας ἐν Κρήτῃ ἀπὸ Ἰνάχου. *Festum Leucotheæ in Creta ab Inacho.*

ΙΝΥΝΙΑ.

CUJUS Dei festum fuerit, nondum inveni. *Hesychius* in Lemno celebratum ait: Ἰνύνια, ἑορτὴ ἐν Λήμνῳ. *Inynia festum in Lemno.* An forte ea sunt, de quibus Cicero *in fine libri* II. *de* Natura Deorum. *Prætereo Samothraciam, eaque quæ Lemni nocturno aditu occulta coluntur, sylvestribus sepibus densa.*

ΙΣΣΩΡΙΑ.

ISSORIAM vocarunt Dianam, ejusque festum Issoria. Ἰσσώρια, ἡ Ἄρτεμις, καὶ ἑορτὴ, καὶ τόπος ἐν Σπάρτῃ, *Issoria, Diana, & festum, & locus in Sparta*, inquit *Hesychius*. Stephanus: Ἰσσιώριον (lego Ἰσσώριον) ὄρος τῆς Λακωνικῆς, ἀφ' οὗ καὶ ἡ Ἄρτεμις Ἰσσώρια. *Issorium, mons Laconiæ, a quo & Diana Issoria.*

ΙΣΕΙΑ.

A VARIIS populis celebrata in honorem Isidis. Meminit Diodorus Siculus *lib.* I. *Bibliothecæ*: Παρ' ἐνίαις δὲ πόλεων, καὶ τοῖς ΙΣΕΙΟΙΣ ἐν τῇ πομπῇ μετὰ τῶν ἄλλων φέρεσθαι πυθμένας πυρῶν, καὶ κριθῶν, καὶ, ἀπομνημονεύματα τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ θεῷ φιλοτέχνως εὑρεθέντων. *Apud nonnullas quoque urbes, cum Iseia celebrantur, in pompa, tritici, & hordei vascula circumferri ad primitus Deæ industria repertorum memoriam.*

ΚΑΒΒΗΡΑ.

HOC modo possum dicere festum fuisse: sed cujus, aut quale non possum. Et in ejus expositione mutilus est *Hesychius*. Κάββηρα, inquit, ἑορτὴ ἀγομένη. Nam pari compendio tacuisset.

ΚΑΛΛΟΙΔΙΑ.

HESYCHIUS: Καλλοίδια, ἀγὼν ἐπιτελούμενος παρὰ Λάκωσι. *Calaœdia, certamen agi solitum apud Lacedæmonios.*

ΚΑΝΗΦΟΡΙΑ.

IN honorem Dianæ fuerunt instituta. nam virgines nubiles per ea sacra canistros earum rerum, quas pulchriores acu laborassent, plenos Dianæ consecrabant. Atque ita significabant se prioris vitæ, virginitatisque pertæsas exauthorari velle. Igitur virginitatem depositurae, illius custodem hac ratione deprecari se putabant. Sic apud Theocritum *Idyll.* XXVII. v. 62. Virgo jam mulier facta, orat:

> Ἄρτεμι μὴ νεμέσα.
> *Parce precor Diana.*

Idem Poeta *Idyllio* II. v. 66. 67.

> Ἦλθ' ἁ τῶ 'ὐβούλοιο Κανηφόρος ἄμμιν Ἀναξὼ
> Ἄλσος ἐπ' Ἀρτέμιδος.
> *Venit Eubuli filia cistifera nobis Anaxo*
> *Ad lucum Dianæ.*

Ad quem locum *Scholiastes*: Εἰώθασι γὰρ τῇ Ἀρτέμιδι κανηφορεῖν αἱ μέλλουσαι γαμεῖσθαι ἐπὶ ἀφοσιώσει τῆς παρθενίας, ἵνα μὴ νεμεσηθῶσιν ὑπ' αὐτῆς· τὰ δὲ μυστήρια ταῦτα Ἀθήνησι πολιτεύονται. ἐκανηφόρουν δὲ Ἀρτέμιδι, αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ θεῷ, ἵνα μὴ ὀργίσθῃ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι. *Nupturæ solent Dianæ canistra ferre ad expiationem virginitatis, ut illius indignationem evitent. Cæremoniæ illæ Athenis observantur. Dianæ canistros gestabant nubiles, quasi Deæ pro virginitate respondentes, ne irascerentur ipsis in posterum corrumpendis.* Nec tantum, quia virginitatis custos erat, eam placabant, sed etiam quia parturientibus opem ferre putabatur. Ipsi etiam repentinæ mortes mulierum attribuebantur. Eustathius ad *Iliad.* Ζ. Οἱ ἀφνίδιοι θάνατοι τῶν γυναικῶν Ἀρτέμιδι ἐδόκουν ἀνακεῖσθαι, ὡς οἱ τῶν ἀνδρῶν τῷ Ἀπόλλωνι. *Repentinæ mortes mulierum Dianæ imputabantur, ut virorum Apollini.* Porro cistiferas sequebantur, Διφροφόροι, id est, *Selliferæ*. Etymologicum magnum: Διφροφόροι, αἱ ταῖς Κανηφόροις εἵποντο δίφρους ἐπιφερόμεναι. Moris etiam fuit Athenis stato tempore Cereri κανηφορεῖν. Callimachus, in *Cerer.* v. I. &c.

> Τῶ καλάθω κατιόντος ἐπιφθέγξασθε γυναῖκες,
> Δάματερ μέγα χαῖρε, πολύτροφε, πουλυμέδιμνε.
> Τὸν κάλαθον κατιόντα, χαμαὶ θασεῖσθε βέβαλοι,
> Μηδ' ἀπὸ τῶ τέγεος, μηδ' ὑψόθεν αὐγάσσησθε.
> *Fœmineæ, calatho jam descendente, catervæ*
> *Acclament; Salve alma Ceres, Dea farris abundans.*
> *Dum calathus descendit, humi spectate profani:*
> *Desuper hinc nemo, aut tecti de culmine cernat.*

Scholiastes: Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ἐν ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ ἐπὶ ὀχήματος φέρεσθαι καλάθιον εἰς τιμὴν τῆς Δήμητρος. *Mos erat Athenis stato die, in curru ferre calathum, in honorem Cereris.*

ΚΑΡΝΕΙΑ.

APOLLO cognomentum Καρνείου, a Carnio, sive Carno accepit. Praxilas apud Theocriti Scholiasten ad *Idyll.* v. versu 83. ἀπὸ Καρνείου φησὶν ὠνομάσθαι τοῦ Διὸς, καὶ Εὐρώπης υἱοῦ, ὃς ἦν ἐρώμενος τῷ Ἀπόλλωνι. *A Carnio inquit appellari, Jovis, & Europæ filio, quem Apollo amavit.* Hesychius: Κάρνειος ἐπίθετον Ἀπόλλωνος ἴσως ἀπὸ Κάρνου, τοῦ Διὸς, καὶ Εὐρώπης. *Carnius appositum Apollinis, forte a Carno Jovis, & Europæ filio. Alcman* a Carneo quodam Trojano deduxit. *Demetrius*, a κραίνειν, id est, perficere: Ὅτι Μενέλαος, inquit, στρατεύσας εἰς Ἴλιον, ηὔξατο τιμῆσαι αὐτὸν ἐν κραίνῃ. *Quod Menelaus ducto ad Ilium exercitu, eum se honoraturum vovit, si perficeret.* Cæterum Apollini dies Carnejorum consecrati, quos Lacedæmonii, Therenses,

Cyre-

Cyrenæi, & Dorienſes obſervarunt. De Lacedæmoniis Thucydides *lib.* v. Οἱ Λακεδαιμόνιοι Κάρνεια ἦγον. *Lacedæmonii Carnia agebant.* Suidas: Κάρνεια, Ἀπόλλωνος ἑορτὴ παρὰ Λακεδαιμονίοις, *Carnia Apollinis feſtum apud Lacedæmonios.* Qui ipſum quoque Carneum Jovis & Europæ filium divinis honoribus affecerunt; & ut author eſt Pauſanias in *Laconicis*, Οἰκέταν, id eſt, *Domeſticum*, cognominarunt. Hinc Callimachus in *hymno Apollinis*, v.72.

Σπάρτη τοι Καρνεῖε τόδε πρώτιστον ἔδεθλον.
Sparta tibi Carnee eſt antiquiſſima ſedes.

Iſdem menſis, quem Plutarchus in *Nicia* dicit reſpondere Metageitneoni Athenienſium, Carnius appellabatur: ejuſque meminit Euripides in *Alceſtide*. Erant autem in eo plurimi dies ſacri. Scholiaſtes *Thucydidis*: Τοῦ γὰρ Καρνείου πολλὰς ἔχοντος ἱερὰς ἡμέρας, ἢ καὶ πάσας ἱερὰς μᾶλλον, οὐκ ἐστρατεύοντο. *Menſe Carnio, qui multas, vel potius omnes dies habet ſacras, non militabant.* Et hunc expeditioni nonnunquam impedimento fuiſſe teſtatur Herodotus *lib.* VII. Sic Thucydides *lib.* v. peractis demum Carniis Lacedæmonios exercitum duxiſſe tradit: Εὐθὺς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐπειδὰν τὰ Κάρνεια ἤγαγον, ἐστράτευσαν. *Confeſtim peractis Carniis Lacedæmonii exercitum duxerunt.* Quod vero Thucydidis *Scholiaſtes* omnes menſis Carnii dies ſacros fuiſſe dicat, ὑπερβολικῶς accipiendum. Nam ex Athenæo *lib.* IV. diſcimus novem tantum feſta religione cultos. Καὶ γίνεται ἡ τῶν Καρνείων ἑορτὴ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα. *Agitur feſtum Carniorum ad dies novem.* Feſti Cæremoniæ conſiſtebant in imitatione diſciplinæ militaris. *Demetrius Scepſius* apud Athenæum *lib.* IV. *c.* IX. inquit, Τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις, μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. *Carniorum feſtum apud Lacedæmonios imitamentum eſſe militaris diſciplinæ, ac vitæ.* Sacra adminiſtrabant Cælibes; eo munere ad quadriennium fungebantur, & Καρνεάται vocabantur. *Heſychius.* Καρνεάται, οἱ ἄγαμοι, κεκληρωμένοι δὲ ἐπὶ τῇ τοῦ Καρνείου λειτουργίᾳ. πέντε δὲ ἀφ' ἑκάστης (addenda vox, φρατρείας, aut φυλῆς) ἐπὶ τετραετίαν ἐλειτούργουν. *Carneatæ, Cælibes, ſorte ducti ad Carnei Apollinis adminiſtrationem, quinque ex unaquaque tribu ad quadriennium miniſtrabant.* Ex Lacedæmone Theras a Poſteris Oedipi traducta ſolennitas. Callimachus, in *Apoll.* v. 74. 65.

Ἐκ μέν σε Σπάρτης ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο
Ἤγαγε Θηραίην ἐς ἀπόκτισιν.
Oedipodæ ſextum genus e Lacedæmone Theras
Te duxit.

Oedipi quippe filius fuit Polenices; hujus Therſander; Therſandri Auteſion; Auteſionis Tiſamenus; quo procreatus eſt Theras; qui Coloniam duxit, & inſulæ nomen ſuum impoſuit. Cyrenæis autem Battus oſtendit. Idem Poeta, *loc. cit.* v. 78. &c.

Δεῖμε δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον. ἐν δὲ πόληϊ
Θῆκε τελεσφορίην ἐπετήσιον, ᾗ ἔνι πολλοὶ
Ὑστάτιον πίπτουσιν ἐπ' ἰσχίον, ὦ Ἄνα, ταῦροι.
Auguſtum hinc templum tibi condidit; annua in urbe
Sacra dicans, ubi multi inflexo poplite ſacri
Ad tua procumbunt extremum altaria Tauri.

Plutarchus etiam *Sympoſ.* VIII. *quæſt.* I. memoriæ prodidit, a Cyrenenſibus eodem agi tempore Carnia, quo ab Athenienſibus Thargelia celebrabantur. Dorienſes quoque Carnia ſervarunt, ſed aliam ob cauſam inſtituta. Neque enim a Carneo Jovis, & Europæ filio duxerunt originem; ſed a Carno, qui natione fuit Acarnan, & ab Apolline divinandi artem edoctus. Hunc caſtra ingreſſum, unus Heracleidarum, Hippotes nomine, ut ſcribit Pauſanias in *Laconicis*, vel Aletes, ut vult Scholiaſtes Callimachi *ad hymnum Apollinis*, *v.* 71. interemit, ſpeculatorem ratus. *Theopompus* cædis authorem ſubticuit: Ἡρακλεῖδαι ἀπέκτειναν, inquit, ἀπερχόμενον εἰς Πελοπόννησον ὑπολαβόντες κατάσκοπον εἶναι τοῦ στρατεύματος. *Heraclidæ occiderunt venientem in Peloponneſum, ſuſpicantes ſpeculatorem eſſe exercitus.* Sed facinoris indignitatem Apollo peſtilentia vindicavit. Dorienſes igitur pœna moniti, percuſſorem capite mulctarunt; & Carni manes ſacris, ac Cæremoniis in Apollinis honorem inſtitutis placarunt. Fuere tamen qui Carnia Jovis eſſe feſtum dicerent: Author neſcio quis in *Commentario* Theocriti: Ἑορτή ἐστι Διὸς Καρνεῖα ὀνομαζομένη· παρ' Ἕλλησι δὲ τελεῖται διὰ τὸ τὸν Δούρειον ἵππον ἐκ Κρανείου εἶναι ξύλου. Perperam legitur Καρνείου; uti manifeſtum eſt ex *Pauſania*, qui nominis originem deducit ἀπὸ τῆς κρανείας, *a corno arbore*, tranſpoſita litera R. non tamen ad Jovem, ſed Apollinem refert ex hac cauſa: Cornos a Græcis in Ida Trojæ monte ex Apollinis Luco, ad durateum equum fabricandum exciſas; cumque Dei numen læſum ſcirent, ad ejus iram leniendam ſacra inſtituiſſe, & ab corni nomine, quam Græci vocant Κρανέιαν, tranſpoſita litera, priſca quadam conſuetudine Carneum Apollinem nuncupaſſe.

ΚΑΡΥΑΤΙΣ.

HESYCHIUS: Καρυᾶτις, ἑορτὴ Ἀρτέμιδος, καὶ ἱερόν. *Caryatis feſtum Dianæ, & templum.* In Laconia ſervatum: nam *Stephanus* ait, Κάρυα, χωρίον τῆς Λακωνικῆς εἶναι, *Locum Laconiæ eſſe.*

ΚΟΤΥΤΤΙΑ.

COTYS numen turpium præſes. *Suidas.* Κότυς δαίμων παρὰ Κορινθίοις τιμώμενος, ἔφορος τῶν αἰσχρῶν. ὅθεν οἱ Κλεισθέναι, καὶ Τίμαρχοι, καὶ πάντες οἱ πρὸς ἀργύριον τὴν ὥραν διατιθέμενοι, καὶ οἱ μὴ πρὸς ἀργύριον δὲ, ἀλλὰ πρὸς ἄλλο τι, καὶ εἰ μὴ πρὸς μηδὲν ἄτιον, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξάγιστον ἡδονὴν, καθάπαξ οἱ θηλυδρίαι τριχῶν πλάσται πάντες εἰσί. *Cotys numen apud Corinthios cultum, præſes turpium. unde Cliſthenæ, & Timarchi, & quicumque lucri cauſa formam proſtituunt, & qui ſine ſpe lucri, ſed gratis ob nefariam voluptatem, effæminati, & capillum fingentes univerſi.* Ab aliis Cotytto vocatur. Coluerunt eam Thraces; ab his, ut author eſt Strabo *libro* x. Athenienſes acceperunt, gens peregrinarum religionum, novorumque Deorum avidiſſima. Eandem & Chii & Corinthii obſervarunt. Hujus præſidio facinoroſa deteſtandi amoris mancipia ſe tutabantur. Sacra Deæ, Cotyttia dicebant. Horatius *Epod.* XVII. v. 56.

Inultus ut tu riſeris Cotyttia.

Quorum pervigilationes nefaria libidinum infamia laborarunt. Quare Juvenalis *Satyra* II. v. 92. fœda virorum conventicula, quæ tum Romæ gliſcebant, nocturnæ Cotyttiorum licentiæ confert:

Talia ſecreta coluerunt orgia tæda,
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Unde proverbio Κότυος Θιασώτης, *Cotyos ſodalis* dicitur, homo effæminatus, & infami mollitie ſceleroſus. Syneſius in *Calvitii encomio*: Οὐδὲν ἄλλο παρέχεται γνώρισμα τοῦ Θιασώτης εἶναι τῆς Κότυος, ἀλλ' εἰ μόνον ἓν τοῦτο φωρείη, περὶ πλείστου τὰς τρίχας ποιούμενος, ὡς ἐναλείφειν τε αὐτὰς, καὶ ἐπιτιθέναι κατὰ βοστρύχους, εὐθὺς ἅπασι πρόχειρον λέγειν, ὅτι ἄνθρωπος οὗτος τῇ Χίων θεῷ, καὶ τοῖς Ἰθυφάλλοις ὠργίασεν. *Nullo opus eſt alio documen-*

to, ut quis Cotyos collega habeatur, quam si maximo studio comam excolat, adhibendo unguenta, & in cincinnos eam frangendo: confestim enim cuivis in promptu est dicere, ejusmodi hominem operatum esse, & initiatum sacris Deæ Chiorum, & Priapi. Idem in *epist.* ad hnuc modum ait; Ερμῆ μὲν καὶ Ηρακλεῖ, τοῖς παλαίστρας ἐφόροις οὐδὲ κατὰ μικρὸν πρέπει. Κοτυττοῖ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις Αττικοῖς Κονισάλοις νεωκορεῖ. Quibus verbis significatur eum de quo agit non Mercurio congruere, non Herculi Palæstræ præsidibus; sed esse Cotyttus æditimum, Conisalorumque apud Athenienses despicatissimorum. Nam Conisalus, sicut etiam Ορθάννης, & Τύχων, ut author est Strabo *l.* XIII. numina sunt apud Atticos Priapo similia; quibus alii Δόρδωνα adjiciunt. Ex his manifesta est turpitudo sacrorum; in quibus tam impura numina colebantur.

ΚΡΟΝΙΑ.

FESTUM Saturni, qui Κρόνος a Græcis appellatur. *Suidas:* Κρόνια, ἑορτὴ ἀγομένη Κρόνῳ, καὶ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν. *Festum quod Saturno agitur, & matri Deum.* Celebrabatur mense Hecatombeone. *Hesychius;* Κρόνια ἑορτὴ ἑκατομβεῶνος μηνὸς Κρόνῳ. *Festum mensis Hecatombeonis* Saturno agi solitum. Et mensis iste Κρόνιος ante vocabatur, ut author est Plutarchus in *Theseo*; postea dictus a majoribus sacrificiis Hecatombeon. Cronia vero non sunt dissimilia Saturnalibus Romanorum. Apud Macrobium *l.* I. *Saturn. cap.* IV. Verrius Flaccus: *Saturnaliorum*, inquit, *dies apud Græcos quoque festi habentur.* Scholiastes Aristophanis *in Nebulis;* Εστι δὲ Κρόνια, παρὰ τοῖς Ελλησιν ἑορτὴ, τὰ παρὰ Ρωμαίοις καλούμενα Σατουρνάλια, *Cronia apud Græcos festum; quod apud Romanos vocantur Saturnalia.* Rhodii etiam Saturnalia coluerunt, sed prorsus inhumana, nec ex more gentium aliarum. nam homo victimæ destinabatur. Porphyrius apud Theodoretum *lib.* VII. *Græcanicarum affectionum.* Εθύετο γὰρ ἐν Ρόδῳ μηνὶ Μεταγειτνιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου, ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ· ὃ δὴ ἐπιπολὺ κρατῆσαν, εἰς ἔθος μετεβλήθη· ἕνα γὰρ τῶν ἐπὶ θανάτῳ δημοσίᾳ κατακριθέντων μέχρι τῶν Κρονίων συνεῖχον. *Mactabatur enim* XVI. *Calend. Novemb. homo apud Rhodios in honorem Saturni. Quod cum perdiu servatum fuisset, in consuetudinem abiit. Quendam enim ex his qui publica sententia damnati essent ad capitale supplicium, ad usque Saturnalia vivum asservabant.*

ΚΥΒΕΡΝΗΣΙΑ.

DE navigatione Thesei in Cretam variæ fuerunt authorum sententiæ, quas refert *Plutarchus*. Et Philochorum ait memoriæ prodidisse, Nausitheum a Theseo fuisse navis gubernaculo præfectum, commissam vero proram Phæaci; & hac de causa festum iis consecratum, quod a gubernando Κυβερνήσια nuncupantur. καὶ τὴν ἑορτὴν, τὰ Κυβερνήσια, φησὶν ἐκείνοις τελεῖσθαι. Et in eorum honorem festum Gubernatoriorum tradit agi.

ΛΑΜΠΑΔΟΦΟΡΙΑΙ.

TRIA fuerunt genera certaminum, in quibus erat moris λαμπαδοφορεῖν, id est, *lampadas*, sive *faces gestare;* videlicet Prometheia, Volcanalia, Panathenæa. Scholiastes Aristophanis *in Ranis* Act. III. Sc. II. ad vers. 82. &c.

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
Υπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

A *Lampadem nemo potis ferre.*
Nunc defectu exercitii.

Ο τῆς λαμπάδος δὲ ἀγὼν τρίτος Αθήνησιν ἤγετο, κατὰ τὰ Προμήθεια, Ηφαίστεια, Παναθήναια. *Lampadis certamen Athenis triplex agebatur, per Prometheia, Volcanalia, Panathenæa.* Harpocration: Τρεῖς ἄγουσιν Αθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος, Παναθηναίοις, καὶ Ηφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. *Tria agunt Athenienses festa, Lampadis, Panathenæis, Volcanalibus, Prometheiis.* Et quidem ab Atheniensibus, in honorem Promethei Λαμπαδηδρομίαι primum institutæ fuerunt. Ister apud *Suidam:* Ιστρος δὲ φησι λαμπάδα νομίσαι ποιεῖν πρῶτον Αθηναίους Ηφαίστῳ
B θύοντας, ὑπόμνημα κατανοήσαντος τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς διδάξαι τοὺς ἄλλους. *Ister autem ait, Lampada instituisse primum Athenienses Volcano sacrificantes, in memoriam, quod usum ignis alios docere excogitarit.* Hinc Æschylus, in *Prometheo vincto*, v. 7. 8.

Τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας,
Θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν.
Tuum enim florem, artificis ignis splendorem,
Mortalibus furatus tribuit.

Committebantur certamina in Ceramico extra urbem (erat enim alter ejus nominis in urbe locus) quem eundem esse cum Academia, primus obser-
C vavit Meursius, cui etiam ista lubens imputo; quamvis haud pauca me sciam annotasse priusquam ejus liber *de Populis Atticæ* in lucem prodiisset. Itaque in Ceramico, sive Academia, omnes Lampadarii certaminis præsides Dii colebantur. *Apollodorus* apud Scholiasten Sophoclis *in Oedipo Colon.* Συντιμᾶται δὲ (ὁ Προμηθεὺς) καὶ ἐν Ακαδημίᾳ τῇ Αθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ηφαιστος· καὶ ἔστιν αὐτῷ παλαιὸν ἵδρυμα, καὶ ναὸς ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ· δείκνυται δὲ καὶ βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐστι τύπος, καὶ τοῦ Ηφαίστου. πεποίηται δὲ, ὡς καὶ Λυσιμαχίδης φησὶν, ὁ μὲν Προμηθεὺς πρῶτος, καὶ πρεσβύτερος: ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον ἔχων· ὁ δὲ Ηφαιστος νέος, καὶ
D δεύτερος· καὶ βωμὸς ἀμφοῖν κοινός ἐστιν ἐν τῇ βάσει ἀποτετυπωμένος. *Colitur vero etiam cum Minerva Prometheus in Academia, quemadmodum Volcanus: & est illi antiquum simulachrum, & templum in loco Deæ sacro. Ostenditur etiam basis vetus ad introitum, in qua figura est Promethei, & Volcani: & Prometheus quidem factus est, ut etiam Lysimachides inquit, primus, & senior, dextra sceptrum gestans; Volcanus autem junior, & secundus. & ara ambobus communis in basi effícta.* Igitur eodem in loco tribus numinibus λαμπαδηφορίαι peragebantur. Aristophanis Scholiastes *ad Ranas;* Λαμπαδηδρομίαι γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, Αθηνᾶς, Ηφαίστου, Προμη-
E θέως. *Lampadum certamina tria fiunt in Ceramico, Minervæ, Volcani, Promethei.* Ibidem turris erat, ex qua certaturis accensæ faces dato signo demittebantur. Aristophanes, in *Ranis*, v. 131. &c.

Αφιεμένην τὴν λαμπάδ' ἐντεῦθεν θεῶ.
Κἄπειτ' ἐπειδὰν φῶσιν οἱ θεώμενοι
Εἶναι, τόθ' εἶναι καὶ σὺ σαυτόν.
Demissam lampada illic Deæ.
Deinde ubi jusserint spectatores
Mittere, tunc dimitte & tu teipsum.

Ubi notat *Scholiastes:* Πρὸς δὲ τῷ τόπῳ τούτῳ πύρ-
F γον τινα ὑπάρχειν φασίν. *In loco illo turrim quandam esse ajunt.*

Certandi modus optime cognoscitur ex Herodoti *libro* VIII. *capite* XCVIII. ubi cursus, quem ἀγγαρήιον vocant, ad deferenda nuncia, in regno Persarum institutus, λαμπαδηδρομίαις Græcorum æquiparatur. Ο μὲν δὲ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ· ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ. τὸ δ' ἐντεῦθεν ἤδη κατ' ἄλλον διέρχεται παραδιδόμενα, καθάπερ Ελλησι ἡ λαμπαδηφορία, τὴν τῷ Ηφαι-

σῳ ἐπιτελῦσι. *Quorum cursorum primus mandata tradit secundo; secundus item tertio: & ita deinceps illa mandata in alium, atque alium pertranseunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Volcano gestare consueverunt.* A Ab hoc ritu ducta metaphora proverbio locum fecit, *cursu lampada tradere*, quod usurpamus, quum partes veluti successione quadam alteri traditas significamus. Lucretius, *lib.* II. *v.*78.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Varro *lib.* III. de Re Rustica, *c.* XV. *Sed, o Merula, Axius noster, ne dum hoc audit, Physicam addiscat. de fructu nihil dixi: nunc cursu lampada tibi trado.* Persius, *Sat.* VI. v. 61.

B *Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?*

Porro victor erat, qui lampade non exstincta metam attigisset. Pausanias in *Atticis*: Ἐν Ἀκαδημίᾳ δὲ ἐστι Προμηθέως βωμὸς, καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας· τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾶδα ἔτι καιομένην, ἐστιν· ἀποσβεσθείσης δὲ οὐδέν ἐστι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δευτέρῳ δ' ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν. εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. *In Academia Promethei ara est; a qua homines in urbem accensas lampadas ferentes decurrunt. In eo enim certamen est, ut in cursu accensæ conserventur. Cujus enim fax exstincta fuerit, is victoriam successori cedit: eademque* C *ratione ille tertio. quod si nulli ardentem perferre contigerit, in medio palma relinquitur.* Quia vero ne facem exstinguerent nimia cursus agitatione, segnius aliquando currebant; ea propter sese mutuo risus excitandi causa planis manibus verberabant. Atque inde verbera, Κεραμεικαὶ πληγαὶ vocabantur. *Hesychius*: Κεραμεικαὶ, πλατεῖαι πληγαί· ἀγὼν παρὰ Ἀθηναίοις ἐπιτελὴς (forte ἐπελεῖτο) ἐν τῷ Κεραμεικῷ, ἐν ᾧ τύπτουσι πλατείαις χερσὶ τοὺς μὴ τρέχοντας, καὶ τοὺς ἄλλους ἀγωνιστὰς γέλωτος χάριν. *Ceramica, plana verbera: certamen enim simplex in Ceramico agitur, in quo verberant planis manibus non currentes, & alios* D *certantes, risus gratia.* Aristophanes ritum tangit *in Ranis*, Act. III. Sc. II. v. 88. &c.

——Κᾆθ' οἱ Κεραμῆς
Ἐν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
γαστέρα, πλευρὰς, λαγόνας, πυγήν.
Ὁ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλαταίαις,
ὑποπερδόμενος.
Φυσῶν τὴν λαμπάδ' ἔφευγε.

—— *Et deinde Ceramici*
E *In portis verberant ejus*
Ventrem, latera, ilia, nates.
Ipse vero percussus latis manibus
Pedens
Sufflans lampada fugiebat.

Ubi *Scholiastes* ex Euphronio ait in hunc modum: Ὅτι ἀπὸ τοῦ ἐν Κεραμεικῷ ἀγῶνος τῆς λαμπάδος, καὶ τοὺς ὑστάτους τρέχοντας ἀπὸ τῶν ἀγοραίων τύπτεσθαι πλαταίαις ὑπὸ τῶν νεανίσκων χερσί. καὶ λέγονται αἱ τοιαῦται κεραμεικαὶ πληγαί. *In Certamine lampadis, quod in Ceramico agebatur, postremi inter cursores ab urbanis juvenibus depalmabantur, & ejusmodi verbera* F *Ceramica dicuntur.*

ΛΥΣΑΝΔΡΙΑ.

HESYCHIUS: Λυσάνδρια, πανήγυρις ἀπὸ Λυσάνδρου ὀνομασθεῖσα. ἤγοντο δὲ ἐν αὐτῇ ἀγῶνες καὶ θυσίαι. *Lysandria, celebritas a Lysandro vocata: agebantur autem in ea certamina, & sacrificia.* At Lysander, ut tradit *Harpocration*, & *Suidas*, fuit Ναύαρχος Λακεδαιμονίων.

ΜΕΓΑΛΑΡΤΙΑ.

THESMOPHORIIS panes inusitatæ magnitudinis parabantur, quos Ἀχαΐνας dicebant; & ab iis festum, ἀπὸ τῶν μεγάλων ἄρτων, *a magnis panibus*, Μεγαλάρτια. Athenæus *libro* v. Ἀχαΐνας· τούτου τοῦ ἄρτου μνημονεύει Σῆμος ἐν ὀγδόῳ Δηλιάδος, λέγων θεσμοφόροις γίνεσθαι. εἰσὶ δὲ ἄρτοι μεγάλοι· καὶ ἑορτὴ καλεῖται Μεγαλάρτια, ἐπιλεγόντων τῶν φερόντων.

Ἀχαΐνην στέατος ἔμπλεον ἄρτον.

Achainas. meminit istius panis Semus in octavo libro Deliados, inquiens Thesmophoris fieri. Sunt autem panes magni; & festum vocatur Megalartia, canentibus qui eos gestant:

Achainen adipe plenum panem.

ΜΩΛΕΙΑ.

MOLIA nomen obtinuerunt ἀπὸ τοῦ μώλου, quæ vox *pugnam* significat. Ea celebrarunt Arcades in honorem Lycurgi, quod in pugna Ereuthalionem per insidias oppresserit. Scholiastes Apollonii I. *Argonaut.* ad vers. 164. Καὶ ἄγεται μωλεία ἑορτὴ παρ' Ἀρκάσιν, ἐπειδὴ Λυκοῦργος λοχήσας κατὰ τὴν μάχην εἷλεν Ἐρευθαλίωνα· μῶλος δὲ ἡ μάχη. *Agitur autem Molia festum apud Arcades; quoniam Lycurgus per insidias in pugna Ereuthalionem sustulit. μῶλος autem est pugna.*

ΝΕΜΕΣΙΑ.

NEMESIS unicuique suum tribuit, ἀπὸ τῆς διανεμήσεως, id est, *a distributione* dicta, secundum Aristotelem *l. de Mundo c.* VIII. Quocirca Plato *lib.* IV. *de Republ.* Δίκης ἄγγελον, *Justitiæ nunciam* appellat. Ad hujus honorem Νεμέσια, sive Νεμέσεια celebrarunt, in quibus justa mortuis persolvere solebant. *Harpocration*: Νεμέσεια. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Σπουδίου. ἑορτή τις ἦν Νεμέσεως, καθ' ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα. *Nemesia: Demosthenes in oratione contra Spodium. Festum quoddam erat Nemesis, in quo defunctis justa peragebant.* Eadem *Suidas*, sed hoc amplius: Νεμέσια οὖν, ἡ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς γινομένη πανήγυρις· ἐπεὶ ἡ Νέμεσις ἐπὶ τῶν νεκρῶν τέτακται. *Nemesia igitur super mortuis acta solennitas: quoniam Nemesis mortuis est præposita.* Ac si demum vita functis æqua meritis præmia rependi putarent. Porro locus, quem *Harpocration* laudat ex Demosthene, extat in *oratione* κατὰ Σπουδίου, περὶ προικός. Τὸ δὲ τελευταῖον, inquit, εἰσενεγκούσης τῆς ἐμῆς γυναικὸς εἰς τὰ Νεμέσια τῷ πατρὶ μνᾶν ἀργυρίου, καὶ προσαναλωσάσης, οὐδὲ ταύτης ἀξιοῖ συμβάλεσθαι τὸ μέρος. *Postremo cum uxor Patri minam argenti ad Nemesia contulerit, & plura etiam insumpserit, ne hujus impensæ partem sustinere vult.*

ΝΕΚΥΣΙΑ.

NEKYΣIA, sic dicta a voce νέκυς, quæ *mortuum* significat. Athenienses, & alii Græcorum populi in honorem defunctorum observarunt. *Suidas*: Νεκύσια, ἡ τῶν νεκρῶν ἑορτή. *Necysia, mortuorum festum.* Ejus præcipuæ cæremoniæ, quod Telluri sacrificarent, *Hesychius* est author; qui tamen, nescio quam ob causam, cum Γενεσίοις, id est, *Natali die*, confundit. Γενέσια, inquit, ἑορτὴ πένθιμος Ἀθηναίοις· οἱ δὲ Νεκύσια, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ γῇ θύουσι, *Genesia, festum lugubre Atheniensibus: alii autem Necysia vocant. & eo die Telluri sacrificant.* Et hac ratione parentabant de-

functorum manibus, quos tum ab inferis sursum remeare credebant. Huc enim refero illa *Hesychii*: Μιαραὶ ἡμέραι τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, ἐν αἷς τὰς ψυχὰς τῶν κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν. *Impuri dies Anthesterionis mensis, in quibus animas defunctorum adscendere putabant*. Ex quibus etiam discimus hoc festum in mensem Anthesterionem incidisse. Sic Apolloniatas eodem mense, justa mortuis facere solitos, Athenæus *libro* VIII. memoriæ prodidit. Hunc vero morem a Græcis Romani mutuati sunt, & similem omnino solennitatem mense Februario celebrarunt. Cicero *l.* II. *de Legibus* c. XXI. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt*. Et ferias hasce *Feralia* vocarunt. Festus: *Feralia Diis Manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus*. Varro *libro* V. de Lingua Latina: *Feralia ab inferiis, & ferendo, quod ferunt tunc epulas ad sepulchrum, quibus jus ibi parentare*.

ΝΕΟΘΟΙΝΙΑ.

SIc enim lego apud *Hesychium*: cum vulgata editio habeat Νεοήνια. & est ἑορτὴ Διονύσου, *festum Bacchi*. conjicio simile fuisse Vinalibus Romanorum.

ΞΑΝΘΙΚΑ.

FESTUM est apud Macedonas, quod mense, quem Xanthicum vocant, agebatur. *Hesychius*: Ξανθικά, ἑορτὴ Μακεδόνων, Ξανθικοῦ μηνὸς, ἢ Ξανθικοῦ ἀγομένη. *Xanthica, festum Macedonum mensis Xanthici, aut Xanthico actum*. Quis autem mensis sit Xanthicus exponit *Suidas*: Ξανθικὸς, ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν. ὁ Ἀπρίλλιος, *Xanthicus nomen mensis apud Macedonas: Aprilis*.

ΞΥΝΟΙΚΙΑ.

THESEUS regno potitus Atticæ concilia sustulit, omnesque populos unius civitatis jure continuit. Plutarchus in *eo*: Καταλύσας οὖν τὰ παρ' ἑκάστοις Πρυτανεῖα, καὶ βουλευτήρια, καὶ ἀρχὰς, ἓν δὲ ποιήσας ἅπασι κοινὸν ἐνταῦθα Πρυτανεῖον, καὶ βουλευτήριον, ὅπου νῦν ἵδρυται, τὸ ἄστυ, τήν τε πόλιν Ἀθήνας προσηγόρευσε. *Igitur dissolvit vicatim Prytanea, curias, & magistratus, unoque statuto omnibus communi Prytaneo, & curia, ubi hoc tempore conspiciuntur, Astu, & urbem Athenas appellavit*. Consimilia Thucydides *libro* II. Hujus rei memoriam anniversario festo coluerunt, in honorem Minervæ, illudque Ξυνοίκια, id est, *Congregationis solennitatem* appellarunt. *Thucydides*. Καὶ Ξυνοίκια ἐξ ἐκείνου Ἀθηναῖοι ἔτι καὶ νῦν τῇ θεῷ ἑορτὴν δημοτελῆ ποιοῦσι. *Ejus congregationis Athenienses etiam nunc diem solennem in Deæ honorem publice agunt*. Per τὴν θεὸν dubium non est, quin Minerva intelligatur, prout intelligit Scholiastes. Plutarchus, in *Theseo*, Μετοίκια nuncupat; quasi dicas, *Festum demigrationis*; aitque celebrari sextodecimo die mensis Hecatombæonis: Ἔθυσε δὲ καὶ Μετοίκια, τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ ἑκατομβαιῶνος, ἣν ἔτι καὶ νῦν θύουσι. *Celebravit autem Metœcia, id est, Festum demigrationis, sextodecimo die mensis Hecatombæonis, quem etiam nunc festum agunt*.

ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ.

ATHENIENSES ob cædem Androgeo, Cretensibus ad novem annos pœnæ causa septem Adolescentes, totidemque puellas, oraculi jussu pendere cogebantur. Cumque tertia pensio jam exigeretur, Theseus cum reliquis profectus, illa tributi vexatione patriam liberavit; & in rei memoriam Ὀσχοφόρια cum suis redux instituit; Χαριστήρια ἀποδιδοὺς, ut ait *Proclus*, Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἱ αὐτῷ κατὰ τὴν νῆσον τὴν Δίαν ἐπιφάνησαν, *Beneficium gratitudinis ergo referens Minervæ, & Baccho, qui ipsi in insula Dia apparuerant*. Alii in honorem Liberi Patris, & Ariadnæ instituta tradiderunt; vel quod reditus in id tempus incidisset, quo fructus Autumni colliguntur. Plutarchus utrumque tangit in *Theseo*. Φέρουσι δὲ Διονύσῳ, καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον. ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον. *Ferunt in Liberi Patris, & Ariadnæ onorem, propter fabulam; aut potius quod ea tempestate redissent, qua poma colliguntur*. Et postremum hoc mihi cum *Plutarcho* magis placet; cui & ipsa nominis ratio adstipulatur, ἀπὸ τῆς φορᾶς, id est, *a gestatione* deductum, & Osche. At Ὄσχη, κλῆμα βότρυς ἐξηρτημένους ἔχον, *Palmes uvas appensas habens*. Hesychius: Ὄσχαι, κλήματα βοτρύων γέμοντα. *Palmites racemis oppleti*. Porro solennitatem auspicabantur Adolescentes duo, ex ordine nobilium, & divitum electi. *Harpocration* ex Philochoro: Ἕνεκα τῆς κοινῆς σωτηρίας νομίσαι τοὺς καλουμένους Ὀσχοφόρους καταλέγειν δύο τῶν γένει, καὶ πλούτῳ προὐχόντων. *Publicæ salutis ergo statutum fuisse, ut ex iis, qui genere vel divitiis antecellerent, duo Oschophori deligerentur*. Suidas: Ὀσχοφόροι δύο ἦσαν τῶν γένει καὶ πλούτῳ προεχόντων. *Oschophori duo erant ex iis qui genere, vel divitiis præstarent*. Atque hi adolescentes habitu muliebri ornabantur. Proclus in *Chrestomathia*: Τοῦ χοροῦ δὲ δύο Νεανίαι κατὰ γυναῖκας ἐστολισμένοι, κλῆμα τε ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ἐκάλουν δὲ αὐτὸ ὄσχην, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς καθηγοῦντο. *Chori autem Adolescentes duo muliebri veste induti, palmitem vitis gestantis plenum maturis uvis (quem ipsi Ὄσχην vocarunt, unde & carminibus nomen inditum) festum auspicabantur*. Idque fuit ad imitationem Thesei observatum, qui non omnes sorte lectas virgines in Cretam abduxit: sed earum numero duos Adolescentes inseruit, moribus & gestu totius corporis ita formatos, ut a reliquis nihil differre viderentur. Ἐπεὶ δὲ ἐπανῆλθεν, inquit Plutarchus, in *eo*, αὐτόν τε πομπεῦσαι, καὶ τοὺς Νεανίσκους, οὕτως ἀμπεχομένους, ὡς νῦν ἀμπέχονται τοὺς ὄσχους φέροντες. *Postquam redux fuit, & illum & Adolescentes illos pompam duxisse eo quo nunc amiciuntur cultu, qui palmites cum racemis ferunt*. Hos Adolescentes insequebatur chorus decantantium carmina, quæ, ut memoriæ proditum reliquit *Proclus*, ex eo Ὀσχοφορικὰ dicebantur. Præterea certamen cursus inter Adolescentes committebatur: quos omnes & patrimos, & matrimos, & genere nobiles esse oportebat; cursu autem a Bacchi templo ad Minervæ Scirados contendebant. Scholiastes Nicandri in *Alexipharmacis*: Ὀσχοφόροι δὲ λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. *Oschophori dicuntur pueri matrimi, & patrimi certantes per tribus, qui palmites vitis gestantes currebant a fano Liberi ad Minervæ Scirados templum: sunt autem palmites habentes racemos*. Hesychius: Ὠσχοφόρια, παῖδες εὐγενεῖς ἡβῶντες καταλέγονται, οἱ φέροντες τὰς ὄσχας εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. *Oschophoria, pueri nobiles leguntur, pubescentes; qui ferunt Oschas in Scirados Minervæ templum: sunt autem palmites habentes racemos*. Templum Minervæ Scirados intelligi debet, quod in Phalero, Atticæ portu nobili, vates nomine

Sciros ædificavit : de quo Pauſanias in *Atticis* agens de Phalero. Ε'νταῦθα ἢ Σκιράδος Α'θlωᾶς ναός ἐςιν. Et *iterum*: Ε'λdσινίοις πολεμῦσι πρὸς Ε'ρεχθέα ἀνὴρ μάντις ἦλθεν ἐκ Δωδώνης, ὄνομα Σκίρος, ὃς καὶ τ Σκιράδος ἱδρύσατο Α'θlωᾶς ἐπὶ φαληρῷ τὸ ἀρχαῖον ἱερόν. *Inde Scirados Minervæ templum eſt. Eleuſiniis cum Erechtheo bellum gerentibus, vates ex Dodona advenit nomine Scirus; is Scirados Minervæ templum in Phalero vetuſtum fundavit*. Unde Ω'χοφόριον, locus ibidem a palmitum illa geſtatione dictus. *Heſychius*: Ω'χοφόριον τόπος Α'θήνησι φαληροῖ, ἔνθα τὸ τ Α'θlωᾶς ἱερόν. *Oſchophorion, locus Athenis in Phalero, ubi Minervæ templum*. Nam alterum erat Minervæ templum in Sciro pago inter Athenas, & Eleuſinem, de quo dicimus in *Scirophoriis*. Quod autem eo curſum inſtituunt, id etiam ad Theſei imitationem facit. Nam e Creta reveniens ad Phalerum appulit, & priusquam urbem ingrederetur, ibi rem divinam peregit. Plutarchus in *eo*. Καταπλdύσας ἢ ὁ Θησdὺς, ἔθυε μὲν αὐτὸς ὡς ἐκπλέων θυσίας ηὔξατο τοῖς θεοῖς φαληροῖ. κήρυκα δ' ἀπέςειλε τ σωτηρίας ἄγγελον εἰς ἄςυ. *Invectus portum Phalerum Theſeus ſacra fecit, quæ cum ſolveret diis voverat, nunciumque incolumitatis miſit in urbem caduceatorem*. Eadem via pompa quoque ducebatur. *Proclus*: Ἦν ἢ τοῖς Α'θηναίοις ἡ παραπομπὴ ἐκ τῦ Διονυσιακῦ ἱερῦ εἰς τὸ τ Α'θlωᾶς τ Σκιράδος τέμενος. *Ducebatur autem ab Athenienſibus hæc pompa ex Liberi fano in Palladis Scirados templum*. Porro certaturi Juvenes ex ſingulis tribubus eligebantur; quique ex iis victor evaſiſſet, e phiala guſtabat, quæ a quintuplici genere ciborum πενταπλόη, id eſt, *quintuplex* appellabatur. *Proclus*: Ε'ξ ἑκάςης ἢ φυλῆς Ε'φηβοι διημιλλῶντο πρὸς ἀλλήλυς δρόμῳ, καὶ τέτων ὁ πρότερος ἐγdύετο ἐκ τ πενταπλῆς λεγομένης φιάλης. ἡ σιωεκιρνᾶτο ἐλαίῳ, καὶ οἴνῳ, καὶ μέλιτι, καὶ τυρῷ, καὶ ἀλφίτοις. *Ex ſingulis vero tribubus puberes inter ſe curſu certabant; quique alios antevertiſſet, ex quintuplici, quæ dicebatur phiala, & cinno, qui ex oleo, vino, melle, caſeo, & farina temperabatur, guſtabat*. Athenæus *lib.* XI. ex Ariſtodemo: Τρέχυσι δὲ ἐκ τῦ ἱερῦ τῦ Διονύσυ, μέχρι τῦ τῆς Σκιράδος Α'θηνᾶς ἱερῦ, καὶ ὁ νικήσας λαμβάνει κύλικα τ λεγομένην πενταπλόαν, καὶ κωμάζει μετὰ χορῦ. Πενταπλόα δέ ἡ κύλιξ καλεῖται, καθόσον οἶνον ἔχει, καὶ μέλι, καὶ τυρὸν, καὶ ἄλφιτον, καὶ ἐλαίυ βραχύ. *Currunt autem a Bacchi templo ad Scirados Minervæ delubrum. Qui vicerit, calicem quem Pentaploam vocant, præmium aufert, & cum juvenum cætu comeſſatur. Pentaploam calicem eum dicunt, eo quod vinum capiat, & mel, & caſeum, & farinam, & olei momentum*. Atque ut feſti ſolennitas magis rei geſtæ imaginem referret, ipſos juvenes obibant fæminæ cibum geſtantes, & compoſitas ad animi recreationem fabellas narrabant; in quo matres imitabantur, quæ filios ad tributum ſorte deſtinatos, viatico blandisque allocutionibus proſecutæ fuerunt. Plutarchus in *Theſeo*, Αἱ Δειπνοφόροι παραλαμβάνονται, καὶ κοινωνῦσι τῆς θυσίας, ἀπομιμέμεναι τὰς μητέρας ἐκείνων τῶν λαχόντων (ἐπεφοίτων γὰρ αὐτοῖς ὄψα καὶ σιτία κομίζυσαι) καὶ μῦθοι λέγονται, διὰ τὸ κἀκείνας, διὰ θυμίας ἕνεκεν, καὶ προσηγορίας, μύθυς διεξιέναι τοῖς παισὶν. *Deipnophoræ, id eſt, cænæ geſtatrices, aſſumuntur, ſacrificioque adhibentur, matres ſorte ductorum imitantes (obibant enim ipſos opſonia, ciboſque portantes) & fabulæ recitantur, eo quod illæ leniendi liberos & erigendi cauſa fabulas recenſuerint*. Itaque Δειπνοφόροι mulieres erant; & corrigendus in hunc modum *Heſychius*: Παρὰ Α'θηναίοις καθίςανται ἐν τῇ τῶν Ο'χοφορίων ἑορτῇ αἱ Δειπνοφόροι. *Ab Athenienſibus conſtituuntur in feſto Oſchophoriorum cænæ geſtatrices*. Peculiaris fuit horum ſacrorum ritus,

A ut non Præco, ſed caduceus coronaretur, atque inter libandum acclamaretur, Ε'λελῦ, ἰῦ, ἰῦ. quorum ſolent illud feſtinantes, & ovantes exclamare, hoc conſternationis, & trepidationis eſt. Cæremoniæ ratio eſt, referente *Plutarcho*, quod Theſeus re bene geſta patriam repetens, velum, quod, uti convenerat, indicio futurum erat omnes redire ſalvos, oblitus oſtentare, cauſam mortis Ægeo Patri dederit: qui non conſpecto incolumitatis ſigno, ratus periiſſe cunctos, in mare ſe præcipitavit. Itaque miſſus a Theſeo Caduceator ut adventum annunciaret, varios in urbe motus animorum offendit; aliis B Theſei reditum ſibi gratulantibus, aliis mortem Ægei deplorantibus. Quamobrem lætitiam mærorenique inter conſtitutus, coronas accepit, & caduceo impoſuit, ne aut mærore confectus, aut lætitia nimium elatus videretur. Nec Theſeo caſum parentis, niſi peracto ſacrificio, renunciavit. Hinc caduceus tantum coronabatur, & gaudii luctusque voces in feſti celebratione retinebantur. Cæterum cura ſacrorum pænes Phytalidas erat. Plutarchus in *Theſeo*, Καὶ τῆς θυσίας ἐπεμελῦντο Φυταλίδαι, Θησέως ἀποδόντος αὐτοῖς ἀμοιβlὼ τῆς C φιλοξενίας. *Sacrificio Phytalidæ præerant, quod ipſis Theſeus conceſſit in remunerationem hoſpitalitatis*.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ.

ERICHTHONIUS Volcani filius Minervæ feſtum inſtituit, & Α'θήναια, quaſi dicas, *Minervalia*, vocavit. *Harpocration*: Ἤγαγε δὲ τ ἑορτlὼ ὁ Ε'ριχθόνιος ὁ Ἡφαίςυ, καθά φησιν D Ε'λλάνικός τε, καὶ Α'νδροτίων, ἑκάτερος ἐν πρώτῃ Α'τθίδος: πρὸ τύτυ δὲ Α'θlώαια ἐκαλεῖτο. *Egit autem feſtum Erichthonius Volcani filius, ut ait Hellanicus, & Androtion, uterque in primo Atthidis. Ante Theſeum vero Athenæa vocabantur*. Nam Theſeus omnibus Atticæ populis in unam civitatem redactis inſtauravit, &, ut inquit Plutarchus in *eo*. Παναθlώαια, θυσίαν ἐποίησε κοινήν. *Panathenæa, celebravit commune ſacrum*. Pauſanias in *Arcadicis*; Τύτῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι Α'θήναια ὄνομα ἦν. Παναθήναια δὲ κληθῆναι φασὶν ἀπὸ Θησέως, ὅτι ὑπὸ Α'θηναίων ἐτέθη σιωειλεγμένων εἰς μίαν ἁπάντων πόλιν. *Iſti Agoni Athenæa* E *nomen erat: Panathenæa vero dicta ferunt a Theſeo, quoniam ab Athenienſibus inſtituta fuerant, poſtquam in unam univerſi urbem eſſent collecti*. Suidas: Παναθήναια, Α'θήνησιν ἑορτὴ ἐπὶ τῷ ὑπὸ Θησέως γινομένῳ σιωοικισμῷ. πρῶτον ὑπὸ Ε'ριχθονίυ τῦ Ἡφαίςυ, καὶ Α'θηνᾶς, ὕςερον δὲ ὑπὸ Θησέως σιωαγάγοντος τὺς δήμυς εἰς ἄςυ. *Panathenæa feſtum Theſeo inſtitutum facta populorum in unam civitatem conventione. Primo quidem ab Erichthonio, Volcani, & Minervæ filio; poſt a Theſeo, ubi populos in urbem coegit*. Sed Theodoretus lib. I *Græcanicarum affectionum*, ſive *ſermone de Fide* eorum authorem Orphea facit.

F Cæterum duplicia fuerunt, Magna, & quinquennalia: Parva, & annua. *Harpocration*: Διττὰ Παναθήναια ἤγετο Α'θήνησι. τὰ μὲν καθ' ἕκαςον ἐνιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἅπερ καὶ μεγάλα ἐκάλυν. *Duplicia Panathenæa agebantur Athenis; alia quotannis: alia quoque quinquennio, quæ etiam Magna appellabant*. Eadem totidem verbis *Suidas*. Verum author argumenti, quod *orationi* Demoſthenis contra *Midiam* præfigitur, Magna quinquennalia, ſed parva triennalia fuiſſe tradit. Διάφοροι παρὰ Α'θηναίοις ἤγοντο ἑορταί. ἐν αἷς ἦν τὰ Παναθήναια. ἅπερ ἦν διπλᾶ,

μικρά τε, καὶ μεγάλα. καὶ τὰ μὲν μεγάλα, κατὰ πεν- A
ταετηρίδα ἐτελεῖτο. τὰ δὲ μικρὰ, κατὰ τριετηρίδα. *Varia apud Athenienses festa agebantur, in quibus erant Panathenæa. quæ duplicia, tum parva, tum magna; quorum hæc quinto, illa tertio quoque anno celebrabantur.* Falsus igitur Scholiastes Aristophanis in *Pace*, ad vers. 419.

Καὶ σοι τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναι' ἄξομεν.

Et tibi magna nos Panathenæa agemus.

Οὐχ, inquit, ὡς καὶ μικρῶν ὄντων τοῦτό φησιν, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν. *Non quasi alia parva sint Panathenæa, hoc ait, sed ad augendum leporem.* Nam, ut jam demonstratum, alia parva fuerunt. Dixi festum communiter ab omnibus Atticæ populis B
actum: nam & singuli Bovem mittebant instaurandis sacrificiis, hinc ea carnium copia, quæ tantæ multitudini in epulas sufficeret. Scholiastes Aristophanis *in Nebulas*; Ἐν τοῖς Παναθηναίοις αἱ Ἀττικαὶ τοῖς Ἀθηναίοις πόλεις ἔπεμπον βοῦς ὅθεν δαψίλεια τῶν κρεῶν. *In Panathenæis Atheniensibus Atticæ civitates Boves mittunt: unde carnium affluentia.* Et *iterum*: Παναθήναια ἑορτὴν παρ' Ἀθηναίοις εἶναι μεγίστην παρὰ πάντων ᾄδεται. ἐπεὶ οὖν ἐν τοῖς Παναθηναίοις πᾶσαι αἱ ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν ἀποικισθεῖσαι πόλεις βοῦν θυσόμενον ἔπεμπον, συνέβαινεν ἄδειαν εἶναι τῶν κρεῶν, ὥστε πληροῦσθαι πάντας, C
καὶ παρὰ τὸ δέον ἐσθίοντας διὰ τὴν ἀφθονίαν τῶν κρεῶν. *Panathenæa, festum apud Athenienses esse maximum ab omnibus jactatur. Quoniam ergo in Panathenæis omnes civitates Athenas deductæ Bovem ad sacrificium mittebant, accidebat esse carnium abundantiam, ut omnes implerentur, & in ea copia carnium præter decorum ederent.* Nec vero siccam fuisse visceratiomem argumento sint pocula maximæ capacitatis; &, ut Athenæus ait libro XI. Δίχοα, καὶ μείζονα, *duorum congiorum, & majora*, quæ ab eodem hoc festo Παναθηναϊκὰ vocabantur. In pompa Se- D
nes olei ramum gestabant, quos ideo Θαλλοφόρους appellabant. Aristophanes in *Vespis*, v. 546. &c.

Οὐκέτι πρεσβυτῶν ὄχλος
Χρήσιμος ἐστ' οὐδ' ἀκαρῆ.
Σκωπτόμενοι γὰρ ἂν ἐν
Ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
Θαλλοφόροι καλούμεθ'.

Senum turba
Utilis ne hilum est.
Irrisi enim in E
Viis omnibus
Ramiferi vocamur.

Scholiastes; Θαλλοφόρους γὰρ εἶπε, βουλόμενος τοὺς γέροντας δηλῶσαι, ἐπειδὴ ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. *Thallophoros enim ait, volens designare senes. quoniam in Panathenæis senes θαλλοὺς, id est, oleæ ramos gestantes in pompa ibant.* Cui muneri deligebantur senes, non illi quidem passi, & rugosi; sed forma præstantes, & in ipso vergentis ætatis occasu vigorem aliquem ostentantes. Xenophon in *Convivio*: Ἀλλ' οὐδὲ μέν τοι ταύτηγε ἀτιμαστέον τὸ κάλλος, ὡς ταχὺ F
παρακμάζον. ἐπεὶ ὥσπερ γε παῖς γίγνεται καλὸς, οὕτω καὶ μειράκιον, καὶ ἀνὴρ, καὶ πρεσβύτης. τεκμήριον δὲ, Θαλλοφόρους γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους. *Nec vero hac ratione vituperanda forma est, quod cito deflorescat. Nam ut puer est formosus, ita & adolescens, ita vir, ita senex: hoc declarant Minervæ Thallophori, qui semper eliguntur formosi senes, tanquam quos per omnes ætatis gradus forma sit comitata.* Atque hisce Cæremoniis Minervam oleæ inventricem ostendebant; quo etiam spectat, quod olea coronabantur Athletæ, præmiique loco vas olei accipiebant. *Suidas*: Καὶ ὁ νικῶν στεφανοῦται ἐλαίᾳ πλεκτῇ. *Victor nexa olea coronatur.* Scholiastes *Comici*: Κέραμον ἐλαίου ἐλάμβανον οἱ νικῶντες. *Vas olei accipiebant victores.* In hunc usum symbolam conferebant quicunque oliveta possidebant: unde ἀπὸ τοῦ μείρεσθαι, id est, *dividere*, ipsas oleas μορίας appellari tradiderunt. Aristophanis Scholiastes in *Nebulis*; Μορίαι ἐλαῖαι ἐκλήθησαν, διὰ τὸ πάντα ἄνθρωπον κεκτημένον ἐλαίας ἀναγκάζεσθαι μέρος τι παρέχειν εἰς τὰ Παναθήναια: *Moriæ vocatæ fuerunt oleæ, quod omnes, qui oleas habebant, μέρος, id est, partem aliquam præbere cogerentur ad Panathenæa.* In eadem pompa circumferebatur peplum a virginibus contextum, in quo gesta Minervæ depicta conspiciebantur. Meminit ejus Euripides in *Hecuba*. Ad quem locum *Scholiastes*: Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῇ Ἀθηνᾷ πέπλον, ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς Θεοῦ πολεμικῆς οὔσης, καὶ ἃ κατὰ Γιγάντων ἐπράξατο μετὰ τοῦ Διός. ὕφαινον δὲ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. τὰ δὲ Παναθήναια, ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς, πάντων Ἀθηναίων συνιόντων ἐκεῖσε, καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, πολλὰς ἡμέρας πανηγυριζόντων. *Moris erat Athenis, ut virgines Minervæ peplum texerent, quod Deæ bellicosæ fortia facta contineret, & ea quæ adversus Gigantas cum Jove gessit. Texebant autem in Panathenæis. Panathenæa vero festum Minervæ confluentibus eo Atheniensibus, & cæteris Græcis illic ad plures dies conventum agitantibus.* Comici *enarrator* Enceladum in peplo expressum ait, quem Minerva occidit. Τῷ πέπλῳ ἐνέγραπτο Ἐγκέλαδος, ὃν ἀνεῖλεν Ἀθηνᾶ. Generatim Proclus in *Timæum Platonis*: Ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν. *Panathenæorum peplus continet Gigantas a Diis superis devictos.* Sed observabatur hic mos in magnis Panathenæis tantum, quæ singulo quinquennio celebrabantur. Plautus in *Mercatore*, in Prologo *v. 66. &c.*

Neque nisi quinto quoque anno posse invisere
Urbem, atque extemplo inde ut spectavissem peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum a Patre.

Harpocration etiam meminit πέπλου τοῦ ἀναγομένου τῇ Ἀθηνᾷ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις. Itaque non video, qua ratione possit excusari, quod in Scholiis Comici legitur ad *Equites*; Ἐπεσκευάζετο οὖν ὁ πέπλος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ ἐπομπεύετο ἐν τοῖς Παναθηναίοις. *Parabatur peplus singulis annis, & in pompa Panathenæorum ferebatur.* Hic præterire nequeo ritum in peplo notabilem; quod ei nomina bene de repub. meritorum intexerentur: quod non minoris apud Athenienses æstimatum, quam apud Romanos saliari carmine celebrari. *Suidas*: Νικήσαντες Ἀθηναῖοι πέπλον ἐποίησαν τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ἐνέγραψαν τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ. *Victores Athenienses peplum fecerunt Minervæ, in quo fortissimos depinxerunt.* Scholiastes *Aristophanis*: Νικήσαντες πέπλον ἐποίησαν, καὶ ἐνέθετο τὰς ἀριστείας ἐν αὐτῷ. Respexit morem Virgilius in *Ceiri*:

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechthæis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro.

Unde viros fortes, & bono Patriæ natos, Aristophanes in *Equitibus*, appellat ἀξίους τοῦ πέπλου, *dignos Peplo.* Λαμπαδρομίας cum Prometheiis, & Volcanalibus, ut supra docuimus, Panathenæa communes habuerunt; nisi quod in his equites decurrerent. Plato *lib. 1. de Republ.* Λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ. *Lampadum certamen ex equis erit Deæ sub vesperam.* Et Xenophon in *Convivio*: Ἦν γὰρ Παναθηναίων τῶν μεγάλων Ἱπποδρομία. *Erat cursus equestris*

magnorum Panathenæorum. Hos ludos in veste tincta spectare nefas erat. constat ex *Migrino* Luciani

ΠΑΓΚΛΑΔΙΑ.

FESTUM apud Rhodios agi solitum cum vineæ putarentur. *Hesychius*: Παγκλάδια, ἑορτὴ παρὰ Ῥοδίοις, ὅταν ἡ ἄμπελος τμηθῇ· *Pancladia festum apud Rhodios, quando vinea putatur.*

ΠΑΝΔΙΑ.

POLLUX hoc festum Jovi tribuit; & Theodoretus lib. VII. *Græcanicarum affectionum*: Πάνδια μὲν καὶ Διάσια τῷ Διΐ. *Hesychius* simpliciter: Πάνδια ἑορτὴ Ἀθήνησι, *Festum Athenis*. Harpocration: Πάνδια, ἑορτή τις Ἀθήνησι, μετὰ τὰ Διονύσια ἀγομένη. *Pandia festum Athenis post Bacchanalia celebrari solitum*. Iisdem omnino verbis *Suidas*. Ulpianus, ad *orationem* Demosthenis *contra Meidiam*, a quibusdam Lunæ festum censeri ait; & rationem dat, cur post Liberalia celebretur. Πάνδια δὲ οἱ μὲν Διὸς ἑορτὴν ἐνόμισαν· οἱ δὲ Πανδίαν τὴν σελήνην νομίζουσιν, ἴσως ἀπὸ τοῦ πάντοτε ἰέναι. Τὸν μὲν γὰρ Ἥλιον ἐν ἡμέρᾳ μόνῃ θεωρεῖν ἔξεστι. Τὴν δὲ σελήνην, καὶ ἡμέρας, καὶ νύκτωρ. ἦγον οὖν καὶ τῆς σελήνης ἑορτὴν μετὰ τὰ Διονύσια. ἐπειδὴ Διονύσου ἀδελφὴ ἡ Σελήνη· εἴπερ τὸν Διόνυσον, καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ Ἥλιον καλοῦσιν. ἔνιοι δὲ καὶ παῖδα Σελήνης τὸν Διόνυσον. *Pandia, alii Jovis festum esse putant: alii Lunam existimant dici Pandiam, ex eo fortasse, quod quovis eat. Sol enim interdiu duntaxat videri potest: ut Luna, & noctu, & interdiu. Agebant igitur & Lunæ festum post Dionysia, quando Bacchi soror est Luna. Bacchum enim tum Solem, tum Apollinem vocant. Quidam etiam Lunæ filium faciunt Bacchum.*

ΠΑΝΙΩΝΙΑ.

UT Atheniensium Παναθήναια, Παμβοιώτια Bœotorum, ita conventus solennes omnium Ionum Πανιώνια vocantur. Author est Eustathius ad *Iliad.* B. Quippe statis temporibus Jones convenire solebant ad Mycalen, in loco, qui nomen inde Πανιώνιον obtinuit; ibique Neptuno Heliconio rem divinam faciebant. Herodotus *lib.* I. *cap.* CXLVIII. Τὸ δὲ Πανιώνιόν ἐστι τῆς Μυκάλης χῶρος ἱρὸς, πρὸς Ἄρκτον τετραμμένος κοινῇ ἐξαραιρημένος ὑπὸ Ἰώνων Ποσειδέωνι Ἑλικωνίῳ. ἡ δὲ Μυκάλη ἐστὶ τῆς Ἠπείρου ἄκρη, πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κατήκουσα Σάμῳ. ἐς τὴν συλλεγόμενοι ἀπὸ τῶν πολίων Ἴωνες ἄγεσκον ὁρτὴν, τῇ ἔθεντο οὔνομα Πανιώνια. *Panioniorum locus est Mycales sacer, ad Septentrionem vergens; communiter ab universis Jonibus Neptuno Heliconio dicatus. Mycale autem promontorium est in continente situm, quod qua Zephyro vento expositum est, ad Samum pertinet. Ad hunc montem collecti universi Jones festum celebrabant, quod Panionia vocarunt.* Herodoto Strabo concinit *libro* XIV. Πρῶτον δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον, τρισὶ σταδίοις ὑπερκείμενον τῆς θαλάσσης. ὅπου τὰ Πανιώνια, κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι, καὶ θυσία. ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς. *Primum in ora maritima illa est Panionium, tribus stadiis supra mare situm, ubi Jones solennem conventum agitant, & Heliconio Neptuno sacrificant. Sacrificio præsunt Prienenses.* Meminerunt etiam Plinius *lib.* V. Natural histor. *cap.* XXIX. Pomponius Mela *cap.* XVII. Ritus in hoc sacro peculiaris; quod pulchre demum se litasse tum crederent Jones, si inter immolandum Bos vocem edidisset. Strabo *lib.* VIII. Τότε γὰρ νομίζουσι καλλιερεῖν περὶ τὴν θυσίαν ταύτην Ἴωνες, ὅταν θυόμενος ὁ Ταῦρος μυκήσηται. *Tum enim existimant se perlitare eo sacrificio Jones, cum Taurus inter operandum mugit.* Et huc respexisse putant Homerum *Iliad.* Υ, in hisce versibus, *nempe* 402. & 403.

> Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἄϊσθε, καὶ ἤρυγεν. ὡς ὅτε Ταῦρος
> Ἤρυγεν, ἑλκόμενος Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα.
> *Efflans ille animam mugitum sustulit alte,*
> *Qualem mugitum trabitur cum Taurus ad aras,*
> *Cum Rex placandus forte est Heliconius, edit.*

Eustathius: Φασὶ δὲ τοὺς θύοντας τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι δοκεῖν καλλιερεῖν, ὅτε ὁ θυόμενος ταῦρος μεγάλα ἐρεύγεται, ὡς χαίροντος τοῦ Ποσειδῶνος τῷ ἤχῳ. *Ajunt eos qui Neptuno Heliconio sacrificant, demum putare tum se perlitare, si Taurus immolandus alte mugiverit, quasi Neptunus voce delectetur.* Et delectari ostendit *Poeta*, cum ait:

> Γάνυται δὲ τοῖς Ἐνοσίχθων.
> *Gaudet vero his Terræ-quassator.*

Hoc etiam argumento fuerunt usi, qui Homerum natione Jonem contenderunt.

ΠΙΘΟΙΓΙΑ.

NOMEN habent ἀπὸ τοῦ πίθου, καὶ οἴγειν. *a dolio, & aperire*. Suidas: Πιθοίγια, ἡ τοῦ πίθου ἀνοιγή. *Pithœgia, dolii apertio*. Festum est, quod celebrabant in honorem Bacchi, cum vasa relinerent, & vinum diffunderent. Proclus ad hos versus Hesiodi in *Operibus*, v. 368. 369.

> Ἀρχομένου δὲ πίθου, καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
> Μεσσόθι φείδεσθαι.
> *Incipiente autem dolio, & desinente saturato te,*
> *Medio parce.*

καὶ ἐν τοῖς πατρίοις ἐστὶν ἑορτὴ Πιθοίγια, καθ' ἣν οὔτε οἰκέτην, οὔτε μισθωτὸν εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου, θεμιτὸν ἦν. ἀλλὰ θύσαντας πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ δώρου τοῦ Διονύσου. *Patrio more receptum est festum Pithœgiorum, in quo neque servum, neque mercenarium vini fructu probibere fas erat: sed peracto sacrificio omnibus dona Bacchi communicabantur.* Tzetzes: Ἡ Πιθοιγία δὲ συμποσιακὸν ἦν συμπόσιον. ἀνοίξαντες γὰρ τοὺς πίθους πᾶσι μετεδίδουν τοῦ Διονύσου δωρήματα. *Pithœgia convivium. Nam dolia aperientes omnibus dona Bacchi impartiebantur.* Mendosus *Hesychius*: Πιθοῖπα, ἑορτὴ Ἀθήνησι. Lege Πιθοίγια.. Plutarchus morem explicat *Symposiac.* III. *quæstione* VII. Τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἐνδεκάτῃ μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος κατάρχονται, Πιθοιγίαν τὴν ἡμέραν καλοῦντες. καὶ πάλαι γε (ὡς ἔοικεν) εὔχοντο, τοῦ οἴνου πρὶν ἢ πιεῖν ἀποσπένδοντες, ἀβλαβῆ, καὶ σωτήριον αὐτοῖς τοῦ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι. *Athenis undecima die mensis Anthesterionis primitias novi vini delibant, diemque illum a doliis reserandis Pithœgiam vocant; utque apparet, antiquitus de vino antequam gustarent libantes vota faciebant, ut sibi usus ejus medicamenti salutaris, & innoxius foret.*

ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ.

DIES in honorem Minervæ feriatus, ἀπὸ τοῦ πλύνειν, quod est, *Lavare*. *Harpocration*: Πλυντήρια ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις. *Suidas*: Πλυντήρια ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις. *Plynteria festum apud Athenienses*. Præcipua cæremonia, quod detracto ornatu, Minervæ delubrum operiretur. Xenophon *libro* I. Ἑλληνικ. agens de reditu Alcibiadis in urbem, quem vulgus inauspicatum fore civitati ominatum est, quod in diem Plynteriorum incidisset. Ἐπεὶ δὲ ἑώρα ἑαυτῷ εὔνουν οὖσαν (τὴν πόλιν) καὶ στρατηγὸν αὐτὸν ᾑρημένους, καὶ ἰδίᾳ μεταπεμπομένους τοὺς ἐπιτηδείους, κατέπλευσεν εἰς τὸν Πειραιᾶ, ἡμέρᾳ, ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις, τοῦ ἕδους κατακεκαλυμμένου τῆς Ἀθηνᾶς. ὅ τινες οἰωνίζοντο ἀνεπιτήδειον εἶναι καὶ

αὐτῷ, καὶ τῇ πόλει. Ἀθηναίων γὰρ οὐδεὶς ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ οὐδένος σπουδαίου ἔργου τολμήσαι ἂν ἅψεσθαι. *Quam (civitatem) cum sibi benevolam ac conciliatam intellexisset, seque ducem electum, vocantibus etiam privatim necessariis, in Piræum navigavit, die qua Plynteria celebrabat civitas, & Palladis tegitur sedes. Id quod nonnulli infaustum & ipsi, & urbi esse ominabantur. Nullus enim Athenienſium aliquid illa die ferii audet operari.* Plutarchus in *Alcibiade*: Ἡ γὰρ ἡμέρα κατέπλευσεν, ἐδρᾶτο τὰ Πλυντήρια τῇ θεῷ. δρῶσι δὲ τὰ ὄργια Πραξιεργίδαι, Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος ἀπόρρητα, τόν τε κόσμον καθελόντες, καὶ τὸ ἕδος κατακαλύψαντες. ὅθεν ἐν τῶν μάλιστα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην ἄπρακτον Ἀθηναῖοι νομίζουσι. οὐ φιλοφρονός οὖν, οὐδὲ εὐμενῶς ἐδόκει παραδεχομένη τὸν Ἀλκιβιάδην ἡ θεὸς ἀποκαλύπτεσθαι, καὶ ἀπελαύνειν ἑαυτῆς. *Quo enim est die in portum delatus, Plynteria Minervæ agebantur. Hæc sacra Praxiergidæ arcana vigesimoquinto die faciunt mensis Thargelionis; omnemque ornatum Deæ detrahunt, & simulacrum ejus operiunt: unde hunc diem habet præcipue populus Athenienſis inter nefastos feriatum. Non propitia igitur, neque benigne visa excipere Minerva Alcibiadem, sed intecta facie aversari, & rejicere.* Falsus igitur *Hesychius*, qui hoc festum Aglauro Cecropis filiæ tribuit. Πλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησι, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγλαύρῳ τῇ Κέκροπος θυγατρὶ (τιμὴν) ἄγουσι. *Plynteria festum Athenis, quod Aglauro Cecropis filiæ agunt.* Non ignoro tamen Athenienſibus cultam fuiſſe Aglaurum, quæ pro salute Patriæ mortem oppetiit, atque adeo illi templum dedicatum; in quo Ephebi ad bellum jam ituri, per eam ipsam jurare solebant. In pompa gestabatur massa ficuum, quam a verbo ἡγεῖσθαι, *ducere*, *præire*, vocabant ἡγητηρίαν; quod Athenienſes, cum indigenæ essent, a ficu mansuetioris victus initium fecerint. *Hesychius*: Ἡγητηρία παλάθη σύκων. ἐν γὰρ τῇ ἑορτῇ παραπλυντηρίων (lege πλυντηρίων) φέρουσι παλάθην συγκειμένην ἐξ ἰσχάδων. διὰ τὸ τοὺς αὐτόχθονας ἥμερον καρπὸν φαγεῖν πρῶτον τῶν σύκων. *Hegeteria massa ficuum. Nam in festo Plynteriorum gestant massam compositam e ficubus: eo quod indigenæ primum fructum mitem ficuum comederint.* Clare Athenæus *lib.* III. Ἡ συκῆ, Ἄνδρες φίλοι, ἡγεμὼν τοῦ καθαροῦ βίου τοῖς ἀνθρώποις ἐγένετο. δῆλον δὲ τοῦτο ἐκ τοῦ καλεῖν τοὺς Ἀθηναίους ἱερὰν συκῆν τὸν τόπον, ἐν ᾧ πρῶτον εὑρέθη. τὸν δ' ἀπ' αὐτῆς καρπὸν ἡγητηρίαν, διὰ τὸ πρῶτον εὑρεθῆναι τῆς ἡμέρου τροφῆς. *Ficus, o Amici, hominibus elegantioris vitæ dux fuit; vel hoc est argumento, quod locum ubi primum reperta fuit hæc arbor, ficum sacram Athenienſes vocaverunt, ipsiusque fructum ἡγητηρίαν, id est, cultioris vitæ ducem; quod ante mitiores cibos inventus fuerit.* Videatur Ælianus *lib.* III. *Variarum Histor. cap.* XXXVIII. & XXXIX. Cæterum prima ficus Phytalo donata est a Cerere. Pausanias in *Atticis* ad ejus rei confirmationem adfert hoc epigramma:

Ἔνθα δ' ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δημήτραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
Ἣν ἱερὴν συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει.
Ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

Hic Cererem tectis Phytalus susceperat Heros,
Cum primum sacri largita est semina pomi,
Quam mortale genus ficum vocat; illius ergo
Muneris æterno Phytali gens floret honore.

ΠΥΑΝΕΨΙΑ.

AUTHORES in nomine variant. *Harpocration* a Lycurgo Ποιανοψίαν, ab aliis Πανοψίαν appellari tradit. Ποιανοψίαι, Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Μενεσαίχμου, καὶ ἡμεῖς Ποιανοψίαν ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν· οἱ δὲ ἄλλοι Ἕλληνες Πανοψίαν, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει. Ἀπολλώνιος, καὶ σχεδὸν οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑορτῶν γεγραφότες. *Pæanopsiæ, Lycurgus in oratione contra Menesæchmum; Et nos Pæanepsian vocamus istud festum; alii vero Græci Panopsian, quod omnes in conspectu habeant fructus. Sic Apollonius, & qui de festis Athenienſium scripserunt.*

At Πυανέψια, ἀπὸ τῶν πυάμων καὶ ἕψειν, *a fabis, & coquere.* Nam πυάμους vocarunt fabas, quas postea κυάμους dixerunt, sub quibus omne genus leguminum comprehenditur. *Hesychius*: Πυανέψια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν. εἴρηται δὲ παρ' ὅσον κυάμων ἐμπίπλανται. καὶ ἄγεται μηνὸς Πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ. ἐπειδὴ ἕψουσιν ἔτνος, οὕτω δὲ κέκληται ὁ μήν. καὶ ἡ ἑορτὴ διὰ τὸ ἀθάρας ἕψειν ἃ καλοῦσι πύανα. Sic lego; & horum sensus est: *Pyanepsia festum Athenis. dictum vero est quatenus fabis implentur: & agitur septima die mensis Pyanepsionis. quoniam coquunt pulmentum, sic vocatus fuit mensis, & festum, quod in eo pultem coquerent, quæ vocarentur Pyana.* Harpocration: Πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ, τὰ Πυανέψια Ἀπολλώνιος ἄγεσθαί φησι. δεῖν δὲ φασι λέγειν πυανέψια, καὶ τὸν μῆνα Πυανεψιῶνα. Πύανα γὰρ ἕψουσι ἐν αὐτῇ. *Pyanepsionis die septimo Pynepsia Apollonius agi dicit. oportere vero ajunt dicere Pyanepsia & mensem Pyanepsionem. Nam Pyana, id est, fabas tum coquunt.* Eustathius *ad Iliad.* B. Πυανεψιὼν δὲ, ὅτι μηνὸς ὄνομα παρ' Ἀττικοῖς κυάμων ἑψήσει παρωνυμούμενος. *Pyanepsion mensis nomen apud Athenienſes, qui a coctione fabarum est cognominatus.* Origo est a Theseo, qui e Creta reversus, annonæ reliquias in olla miscuit, & coctas simul, sociis exhibit. Plutarchus, in eo. Θάψας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου. ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν ἐν ἄστυ σωθέντες. ἡ μὲν οὖν ἕψησις τῶν ὀσπρίων λέγεται γενέσθαι διὰ τὸ σωθέντας αὐτοὺς εἰς ταυτὸ συμμίξαι τὰ περιόντα τῶν σιτίων, καὶ μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντες συνεστιαθῆναι, καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις. *Elato patre, Apollini vota reddidit die septimo mensis Pyanepsionis: eo enim sospites urbem iniere. Ac legumina memorantur elixari, quod incolumes cibariorum reliquias in unum confuderint unaque coctas communi olla epulati simul inter se manducaverint.* Votum Thesei memorat Scholiastes Aristophanis ad Equites: Τινὲς δὲ τὸν Θησέα φασι, καθ' ὃν καιρὸν εἰς Κρήτην ἔπλει, προσχόντα Δήλῳ διὰ χειμῶνα, εὔξασθαι τῷ Ἀπόλλωνι, καταστέψεσθαι κλάδοις ἐλαίας, ὅταν σωθῇ, τὸν Μινόταυρον ἀποκτείνας, καὶ θυσιάζειν· καὶ τὴν ἱκετηρίαν ταύτην καταστέψαντα ἑψῆσαι χύτραν ἀθάρης καὶ ἔτνους, καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι. διὸ καὶ Πυανέψια δοκεῖ λέγεσθαι, οἷον κυαμέψια. τὸ γὰρ πρότερον τοὺς κυάμους, πυάνους ἐκάλουν. *Quidam ajunt Thesea, qua tempestate in Cretam navigavit, propter hyemem circa Delum hæsisse, ibique Apollini vovisse, eum se ramis oleæ coronaturum, & sacrificaturum, si quando sospes, interfecto Minotauro, rediisset; supplicem ramum coronasse, coxisse ollam pulmenti, & aram erexisse. quare Pyanepsia dici videntur, quasi Cyamepsia: nam fabas, quas ante πυάμους vocabant, postea κυάμους appellarunt.* Hæc ipsa totidem verbis a *Suida* proferuntur. Brevius ab Eustathio ad *Iliad.* χ.

ΡΑΒΔΟΥ ΑΝΑΛΗΨΙΣ.

FESTUM apud Coos anniversarium & celebre: de quo tamen nihil mihi lectum, præterquam in *epistola* Hippocratis *ad S. P. Q. Abderitanum*: Ὁ πολίτης ὑμέων Ἀμελησαγόρης ἦλθεν εἰς Κῶ, ᾗ ἔτυχε τότ' ἐοῦσα ἡ ΡΑΒΔΟΥ ΑΝΑΛΗΨΙΣ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρῃ, καὶ ἐπέτειος ἑορτὴ, ὡς ἴστε πανήγυρις ἡμῖν, καὶ πομπὴ πολυτελὴς ἐς Κυπάρισσον, ἣν ἔθος ἀνάγειν τοῖς τῷ θεῷ προσήκουσιν. *Civis vester Amelesagoras eo die Co appulit, in quem forte inciderat* VIRGÆ ASSUMPTIO, *anniversaria, ut scitis, nobis festivitas, & publicus conventus, & pompa sumptuosa ad cupressum, quam pro more deducunt, qui Deo dicati sunt.*

ΣΑΚΑΙΑ.

EXTRA oleas me ferri non nemo jure dixerit. Neque enim Barbarorum festa Græcis oportuit adjungi. Et eadem ratione Mithriaca, Magophonia, Vitiorum interitus, aliaque non minus celebria, non poterant præteriri. Ac sane, quod dicturus sum, nihil ad institutum facere scio: verum abduxit me ritus insolentia, quam nec injucundam lectu fore putavi. Igitur Σακαία, ut author est *Hesychius*, ἡ Σκυθικὴ ἑορτή, *Scythicum festum*. Athenæus autem *libro* XIV. ex Beroso, refert esse Babyloniorum: Σακαίαν εἶναι ἑορτὴν ἔπος ἐν Βαβυλῶνι προσαγορευομένην: *Sacæam esse festum ita Babylone nuncupatum*. Ejus ritum enarrat Dio Chrysostomus *oratione* IV. *de Regno*: Οὐκ ἐννενόησαι τὴν τῶν Σακκῶν ἑορτὴν, ἣν Πέρσαι ἄγουσι; λαβόντες δεσμωτῶν ἕνα, τῶν ἐπὶ θανάτῳ, καθίζουσι εἰς τὸν θρόνον τοῦ βασιλέως, καὶ τὴν ἐσθῆτα διδόασιν αὐτῷ τὴν αὐτὴν, καὶ τρυφᾶν, καὶ ταῖς παλλακαῖς χρῆσθαι τὰς ἡμέρας ἐκείνας τοῦ βασιλέως, καὶ οὐδεὶς οὐδὲν κωλύει ποιεῖν ὧν βούλεται· μετὰ δὲ ταῦτα ἀποδύσαντες καὶ μαστιγώσαντες ἐκρέμασαν. *An Saccorum solenne festum ignoras, quod Persæ celebrant? vinctorum, qui duci ad supplicium debent, aliquem in sella Regis collocant, & veste regia ornant, faciuntque ei potestatem delicate, & molliter vivendi, Regiisque pellicibus per eos dies utendi: neque eum quisquam impedit, quo minus quidquid voluerit faciat, deinde exutum, & flagellatum suspendunt.*

ΣΑΡΩΝΙΑ.

SARO Trœzeniorum Rex ordine tertius, ædem exstruxit Dianæ, quam ab eo Saronidem vocarunt; Festumque ei anniversarium consecrarunt. Pausanias in *Corinthiacis*; *Hinc non longe abest Saroniæ Dianæ ædes, de qua, quæ dici oportuit, superius a me sunt exposita. unum illud nunc adjicio, Dianæ quotannis festos dies celebrari, quæ Saronia nuncupant.*

ΣΕΠΤΗΡΙΟΝ.

SACRUM novennale Delphorum. describitur a Plutarcho in *Quæstion. Romanis*: Τὸ μὲν οὖν Σεπτήριον ἔοικε μίμημα τῆς πρὸς τὸν Πύθωνα τοῦ θεοῦ μάχης εἶναι, καὶ τῆς μετὰ τὴν μάχην ἐπὶ τὰ Τέμπη φυγῆς, καὶ ἐνδιώξεως· οἱ μὲν γὰρ φυγεῖν ἐπὶ τῷ φόνῳ φασὶ χρήζοντα καθαρσίων· οἱ δὲ τῷ Πύθωνι τετρωμένῳ, καὶ φεύγοντι, κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν νῦν ἱερὰν καλοῦμεν, ἐπακολουθεῖν, καὶ μικρὸν ἀπολειφθῆναι τῆς τελευτῆς· κατέλαβε γὰρ αὐτὸν ἐκ τοῦ τραύματος ἄρτι τεθνηκότα, κεκηδευμένον ὑπὸ τοῦ παιδὸς, ᾧ ὄνομα ἦν Αἴξ, ὡς λέγουσι· τὸ μὲν οὖν Σεπτήριον, τούτων ἢ τοιού-

A των τινῶν ἀπομίμησίς ἐστιν ἑτέρων. *Septerium ergo imitationem habet pugnæ Apollinis cum Pythone, & a pugna fugæ Dei ad templum, aut persecutionis. Alii enim fuisse eum ferunt, quod peracta cæde opus expiatione haberet: alii Pythonem saucium, & fugientem via, quæ nunc sacra dicitur, cum insequeretur, supervenisse ei recens e vulnere mortuo, & funerato a filio, cujus nomen Aix, id est Capra, perhibent. Septerium ergo harum, & similium rerum imitatio est.*

B

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ.

MONUIMUS duo fuisse templa Minervæ Scirados: Alterum in Phalero, ad quod Oschophoriorum cursus instituebantur. Alterum in Sciro Atticæ pago inter Athenas & Eleusinem, a quo nomen accepere Σκίρα, sive Σκιροφόρια, & mensis Σκιροφοριών, cujus die XII. in honorem Minervæ celebrabantur. Aristophanis Scholiastes ad *Concionant.* Σκίρα, ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἀφ' ἧς ὁ μὴν Σκιροφοριών. *Scira festum apud Athenienses, a quo mensis Scirophorion.* Sunt qui Cereris, & Proserpinæ festum esse dixerunt. *Idem*:
C Σκίρα ἑορτή ἐστι τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς Σκιροφοριῶνος ιβ'. οἱ δὲ Δήμητρος, καὶ Κόρης. *Scira festum Minervæ Scirados*, XII. *Scirophorionis; alii Minervæ, & Proserpinæ.* Harpocration, ab umbella, quæ σκίρον dicitur, originem nominis deducit. Σκίρα, ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἀφ' ἧς ὁ μὴν Σκιροφοριών· φασὶ δὲ οἱ γράψαντες περὶ τῆς ἑορτῆς, καὶ μηνῶν Ἀθήνησι, ὧν ἐστι καὶ Λυσιμαχίδης, ὡς τὸ σκίρον σκιάδιόν ἐστι, μεθ' οὗ φερόμενοι ἐξ Ἀκροπόλεως εἴς τινα τόπον καλούμενον σκίρον πορεύονται, ἥτε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια, καὶ ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς, καὶ ὁ τοῦ Ἡλίου. κομίζουσι δὲ τοῦτο Ἐτεοβουτάδαι. *Scira festum apud Athenien-*
D *ses: a quo mensis Scirophorion: ajunt autem qui de festis, & mensibus Athenis scripserunt, e quorum numero est Lysimachides, Scirum esse umbellam, cum qua ex Acropoli, in locum aliquem nomine Scirum eunt Minervæ Sacerdos, Neptuni sacrificulus, & Solis. gestant eam umbellam Eteobutadæ.* Hæc totidem verbis Scholiastes *Aristophanis*, & *Suidas*; qui hoc amplius addunt: Ὅτι σκιάδιον ἐφρόντιζον ἐν ἀκμῇ τοῦ καύματος. σκίρα δὲ τὰ σκιάδια. Οἱ δὲ οὐ διὰ τοῦτό φασιν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπὸ Σκίρου Ἀθηνᾶν, ἣν Θησεὺς ἐποίησεν, ὅτε ἐπανῄει ἀποκτείνας τὸν Μινώταυρον. ἡ σκίρα δέ ἐστι γῆ λευκὴ ὥσπερ γύψος. *Umbellam excogitabant in summo æstu. nam Scira vocan-*
E *tur umbellæ. Alii vero non ob id ajunt, sed ob Minervæ statum, quam in Sciro statuit Theseus cum revenisset occiso Minotauro. Scira terra alba est, veluti gypsus.* Doc postremum Eustathius etiam affirmat ad *Illiad.* Ψ. Ὁ σκίρος, καὶ γύψον, ἢ γῆν γυψώδη δηλοῖ. *Scirus, & gypsum, aut terram gypseam significat.* Ergo a statua Minervæ, quam ex gypso, sive sciro festum σκίρων, aut σκιροφορίων nomen obtinet secundum quosdam. Alii vero derivarunt a Sciro quodam Eleusinio; cujus sententiæ fuit *Philochorus*: alii a Scirone, qui Salaminem incoluit; quod in *secundo libro Megaric.* memoriæ prodidit Praxion, ut author est *Harpocration*, &
F *Schol. Aristoph.* Quibus accedere videtur Strabo libro IX. referens Salamina fuisse dictam: Σκιράδα, καὶ Κυχρίαν ἀπό τινων Ἡρώων, ὧν ἀφ' οὗ μὲν Ἀθηνᾶ τε λέγεται Σκιρὰς, καὶ τόπος σκίρα, ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ ἔτι σκίρωσις ἱεροποιΐα τις, καὶ ὁ μὴν Σκιροφοριών. *Scirada, & Cychriam a quibusdam Heroibus; quorum ab altero quidem & Minerva Sciras dicitur, & locus in Attica, Scira, & sacrum Scirosis, & mensis Scirophorion.* Plures ad umbellam referunt; quo veluti symbolo putant indicatum tempus ædi-

ficandi. *Harpocration* : Σύμβολον δὲ τοῦτο γίνεται, τοῦ δεῖν οἰκοδομεῖν, καὶ σκέπας ποιεῖν, ὡς τούτου τοῦ χρόνου ἀρίστου ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν. *Symbolum autem hoc erat ad ædificationem, & tecta faciendum, quasi tempus illud maxime ad ædificationem esset idoneum.* Supra dixit *Harpocration* Eteobutadas umbellam gestasse. Eteobutadæ sunt veri Butadæ. fuit hoc nomine familia apud Athenienses nobilis a Buta: in quam se nonnulli splendorem generis affectantes inseruerunt. Id ansam præbuit veris Butadis, ut se Eteobutadas appellarent. Scholiastes *Aristophanis* umbellam non ab his gestatam ait; sed ab Erechthei sacerdote: Ὁ Ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδιον λευκὸν, ὃ λέγεται σκίρον, *Sacerdos Erechthei gestat umbellam albam, quæ dicitur Sciron.* In eundem locum Aleatores ludendi causa convenire solebant, atque inde Aleatorium Σκιράφιον dictum. *Suidas* : Σκιράφιον, κυβευτήριον, ἐπειδὴ διέτριβον ἐν Σκίρῳ οἱ κυβεύοντες. *Sciraphium, Aleatorium: quia in Sciro agebant aleatores.* Hesychius: Σκιράφιον, κυβευτήριον, ἴσως διὰ τὸ ἐν Σκίρῳ διατριβὴν ἔχειν τοὺς κυβεύοντας, *Sciraphion, Aleatorium, forte quod in Sciro Aleatores versarentur.* Hinc hominem dissolutum vocabant Σκιροφόρον. *Stephanus* : Καὶ τὸ σκιράφιον, ὅπερ δηλοῖ τὸν τόπον εἰς ὃν οἱ κυβισταὶ συνίασιν. καὶ ὁ Σκιροφόρος, ὃ σημαίνει τὸν ἀκόλαστον, καὶ κυβευτὴν, ἀπὸ τῶν ἐν Σκίρῳ διατριβόντων. *Sciraphium significat locum, in quo Aleatores conveniunt. & Scirophorus, quod significat dissolutum, & aleatorem, ab iis, qui in Sciro versantur.* Omnem quoque fraudem & vafritiem, σκιράφους appellarunt. Eustathius ad *Odyss.* α'. Ἀθηναῖοι καὶ ἐν ἱεροῖς ἀθροιζόμενοι ἐκύβευον. καὶ μάλιστα ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς, τῆς ἐπὶ Σκίρῳ· ἀφ' οὗ καὶ τὰ ἄλλα κυβευτήρια, σκιράφια ὠνομάζετο· ἐξ ὧν καὶ πάντα τὰ πανουργήματα, διὰ τὴν ἐν σκιραφίοις ῥαδιουργίαν σκίραφοι ἐκαλοῦντο. Ἱππῶναξ· τί με σκιράφοις ἀτιτάλλεις. *Athenienses etiam in templis conferti alea ludebant; & maxime in Minervæ Scirados, quod est in Sciro: a quo & alia aleatoria, Sciraphia dicebantur. Ex his etiam omnes doli, & calliditates, ob fraudes, quæ in Aleatoriis committebantur, Sciraphi vocabantur. Hipponax: quid me Sciraphis, id est, fraudibus, lactas?* Et quidem in ipso Minervæ templo, quod prodidit *Eustathius*, aleatores lusisse confirmat *Etymologicum* : Σκίρα ἑορτὴ Ἀθηνᾶς. καὶ Σκιράφια τὰ κυβεῖα, ἤτοι ἐπεὶ σκίραφός τις ἐστὶν ὄργανον κυβευτικόν· ἢ ἀπὸ Σκιράφου τινὸς κυβευτοῦ. ἢ ὅτι ἐν τῷ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῷ οἱ κυβευταὶ ἔπαιζον. *Scira festum Minervæ: & Sciraphia aleatoria: vel quia Sciraphus instrumentum est aleatorium: vel a Scirapho aleatore: vel quod in Sciradoi Minervæ templo luderent aleatores.* Porro comites Aleatoribus erant meretrices. *Stephanus* : Σκίρος, ὁ τόπος ἀπὸ Σκίρου Ἥρωος· ἐν δὲ τῷ τόπῳ τούτῳ αἱ πόρναι ἐκαθέζοντο. *Scirus locus ab Heroe Sciro: in eo ipso loco meretrices prosidebant.* In pompa adornanda utebantur pellibus victimarum, quæ Jovi Meilichio, & Ctesio fuerant immolatæ, & Διὸς κώδια vocabantur. Suidas in *voce* Διὸς κώδιον· Χρῶνται δ' αὐτοῖς οἱ Σκιροφορίων πομπὴν στέλλοντες. *Utuntur iis, qui Scirophoriorum pompam instruunt.*

ΣΤΗΝΙΑ.

FESTUM erat Athenis, in quo dicteriis & conviтiis inter se ludebant. *Hesychius* : Στήνια ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ διασκώπτουσι, καὶ λοιδοροῦσι. *Stenia festum Athenis, in quo rident, & convitiantur.* A Fæminis præcipue servatum, quarum natura proclivior ad istud certamen convitiorum. *Suidas* : Στήνια, καὶ Σκίρα, ἑορταὶ γυναικῶν. *Stenia, & Scira, festa mulierum.* Hinc formatum est verbum στηνιῶσαι, quod est, teste *Hesychio*, βλασφημῆσαι, λοιδορῆσαι.

ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΝ.

NISI institutus ordo prohibuisset, cum Amphidromiis conjungi debuerat festum illud, quod Puerperæ quadragesimo post partum die celebrare solebant, & Τεσσαρακοστὸν appellabant. Nam hoc ipsum quadraginta dierum spacium matris purgationi sufficere, & spem de salute prolis certam dare existimabant. de quo in hunc modum Censorinus *capite* II. *In Græcia dies habent quadragesimos insignes. Namque prægnans ante diem quadragesimum non prodit in fanum; & post partum quadraginta diebus pleræque fætæ graviores sunt, nec sanguinem interdum continent: & parvuli ferme per hos dies morbidi sine risu, nec sine periculo sunt. Ob quam causam, cum is dies præterierit, diem festum solent agitare, quod tempus appellant* Τεσσαρακοστόν. Præterea anniversariam natalium memoriam festiva solennitate recolebant, quam Γενέσια nuncupabant. *Suidas* : Γενέσια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μνήμη. *Genesia, quotannis recurrens nati memoria.* id etiam nominis videre est apud Matthæum *capite* XIV. ubi in Herodis natali die, Herodiadis filia saltitasse refertur.

ΥΑΚΙΝΘΙΑ.

LACEDÆMONII Hyacinthum divinis honoribus affecerunt, eique festum anniversarium Ὑακίνθια dedicarunt. *Hesychius* : Ὑακίνθια, ἑορτὴ ἐν Λακεδαίμονι. *Hyacinthia, festum Lacedæmone.* Theodoretus *sermone de* Martyribus, sive *libro* VIII. *Græcanicarum affectionum* : Καὶ τὰ Ὑακίνθια δὲ οἱ Σπαρτιᾶται ἑορτὴν μεγίστην, καὶ δημοθοινίαν ἐνόμιζον. *Spartani vero Hyacinthia festum maximum, & viscerationem instituerunt.* Sed inter cæteros præcipuo cultu festum venerati sunt Amyclæi. Xenophon *libro* IV. Ἑλληνικῶν : Οἱ Ἀμυκλαῖοι αἰεί ποτε ἀπέρχονται εἰς τὰ Ὑακίνθια, ἐπὶ τὸν Παιᾶνα, ἐάν τε στρατοπεδευόμενοι τυγχάνωσι, ἐάν τε ἄλλως πῶς ἀποδημοῦντες. *Amyclæi semper sive militant, sive alia de causa peregrinantur, ad Hyacinthia, & Pæanem accedere consueverunt.* Sed & Lacedæmonii inter primas solennitates habuerunt. Herodotus *l.* IX. c. VI. Καὶ γὰρ δὴ Λακεδαιμόνιοι ὥρταζόν τε τοῦτον τὸν χρόνον, καί σφι ἦν Ὑακίνθια. περὶ πλείστου δ' ἦγον τὰ τοῦ θεοῦ πορσύνειν. *Agebant autem per id tempus Lacedæmonii solennia, quæ vocantur Hyacinthia: quæ festa Dei celebrare plurimi faciebant.* Ovidius *l.* x. *Metamorphos.* ad hanc sollennitatem respexit, *v.* 217. 218.

Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon, honosque
Durat in hoc ævi, celebrandaque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Pompam vero a *Didymo Grammatico*, & *Polycrate Lacedæmonio* copiose descriptam nobis exhibet Athenæus *libro* IV. *pagina* 139. editionis Casaubonianæ; quo lectorem hujus rei curiosum remitto. Illud obiter indicandum, tres celebritatis fuisse dies; quorum primus luctu; duo reliqui vario genere spectaculorum occupabantur. Hinc etiam apud Herodotum *libro* IX. reprehenduntur, quod ne difficillimis Græciæ temporibus id genus oblectamenti omitterent.

ΥΣΤΗΡΙΑ.

ARGIVI festum Veneri diem egerunt, & a sue, quam immolabant, Ὑστήρια nuncuparunt. Athenæus *libro* III. Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια. *Veneri sues Argivi immolant, & Ὑστήρια. dies festus appellatur.*

ΧΑΡΜΟΣΥΝΑ.

HESYCHIUS : Χαρμόσυνα ἑορτὴ Ἀθήνησι. *Charmosyna festum Athenis.* Cujus Dei nondum mihi compertum. Ex nomine videtur fuisse lætitiæ consecratum. Et Plutarchus non obscure significat *in libro de* Iside, & Osiride: Ἐγὼ δὲ, εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι τ' οὔνομα τοῦ Σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλοῦν οἴομαι, καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ Χαρμόσυνα Σαίρει καλοῦσιν. *Ego autem, siquidem Ægyptia vox est Serapis, gaudium ea, & lætitiam significari censeo, hoc adductus argumento, quod Charmosyna, id est, festum lætitiæ diem Særei appellant Ægyptii.*

ΧΑΡΙΛΑ.

INTER Ἐννατηρίδας Delphorum Charila censetur: cujus hanc tradit originem Plutarchus in *Quæstionibus Græcis*: Λιμὸς ἐξ αὐχμοῦ τοὺς Δελφοὺς κατέσχε, καὶ πρὸς τὰς θύρας τοῦ βασιλέως ἐλθόντες μετὰ τέκνων, καὶ γυναικῶν ἱκέτευον· ὁ δὲ τῶν ἀλφίτων, καὶ τῶν χεδρόπων μετεδίδου τοῖς γνωριμωτέροις αὐτῶν· οὐ γὰρ ἦν ἱκανὰ πᾶσιν· ἐλθούσης δὲ παιδὸς ἔτι μικρᾶς ὀρφανῆς γονέων, καὶ προσλιπαρούσης, ἐῤῥάπισεν αὐτὴν ὑποδήματι, καὶ τῷ προσώπῳ τὸ ὑπόδημα προσέῤῥιψεν. ἡ δὲ πενιχρά τις οὖσα, καὶ ἔρημος, οὐκ ἀγεννής τις τὸ ἦθος, ἐκποδὼν γενομένη, καὶ λύσασα τὴν ζώνην, ἀνήρτησεν ἑαυτήν. ἐπιτείνοντος δὲ τοῦ λιμοῦ, καὶ νοσημάτων προσγενομένων, ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τῷ βασιλεῖ Χαρίλαν ἱλάσκεσθαι παρθένον αὐτοθάνατον· μόλις οὖν ἀνευρόντες ὅτι τοὔνομα τοῦτο ἦν τῇ ῥαπισθείσῃ παιδὶ, μεμιγμένην τινα καθαρμῷ θυσίαν ἀπετέλεσαν, ἣν ἐπιτελοῦσιν ἔτι καὶ νῦν δι' ἐννέα ἐτῶν. προκάθηται μὲν γὰρ ὁ βασιλεὺς τῶν ἀλφίτων, καὶ τῶν χεδρόπων ἐπιδιδοὺς πᾶσι, καὶ ξένοις, καὶ πολίταις· (κομίζεται δὲ τῆς Χαρίλας παιδικὸν εἴδωλον) ὅταν οὖν πάντες λάβωσιν, ὁ μὲν βασιλεὺς ῥαπίζει τῷ ὑποδήματι τὸ εἴδωλον, ἡ δὲ τῶν Θυιάδων Ἀρχηγὸς ἀραμένη κομίζει πρός τινα τόπον φαραγγώδη, κἀκεῖ σχοινίον περιάψαντες τῷ τραχήλῳ τοῦ εἰδώλου κατορύττουσιν, ὅπου τὴν Χαρίλαν ἐπαγξαμένην ἔθαψαν. *Fame ob anni siccitatem urgente, Delphos cum liberis & uxoribus cives ad fores Regis supplices venerunt. Is farina, & leguminibus notiores sibi (non enim omnibus sufficiebat) impertivit. Puella autem parvula cum accederet orba parentibus, & instaret petendo, calceo malam ejus percussit, calceumque in faciem ejus conjecit. Hæc ut erat animo minime abjecto, pauper alioquin, & deserta, e medio se subduxit, cinguloque soluto fauces illigans sese suspendit. Tum crescente penuria, & morbis accedentibus, Pythia Regis respondit, placandos esse manes Charilæ Virginis, quæ ipsa sibi mortem conscivisset. Vix tandem investigantes id nomen puellæ, quæ alapam accepisset, fuisse; peculiare quoddam sacrificium peregerunt, quod etiamnum nono quovis anno fit. Præsidet Rex, & farinam leguminaque impertit omnibus, & peregrinis, & civibus. (Infertur autem puerile simulachrum Charilæ.) Postquam omnibus datum fuit, Rex id calceo ferit, quæ autem Thyadum est princeps, simulachrum ad confragosum defert locum, ibique collum simulachri fune cingentes id defodiunt, ubi olim Charila sepulta fuerat.*

ΧΟΕΣ.

CHOA, Chus, & Choeus; mensura liquidorum, continens, ut quidam volunt, sexta-

A rios octo; vel ut alii, tantum sex. Fannius de *sexario* agens:

Qui quater assumptus fit Grajo nomine Chœnix;
Adde duos Chus fit, vulgo qui est congius idem.

Ab hac mensura festi appellatio fluxit. *Harpocration*: Χοὲς. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος, ἑορτή τις παρ' Ἀθηναίοις ἀγομένη Ἀνθεστηριῶνος δυοδεκάτῃ. *Choes: Demosthenes in oratione de nomine: festum ab Atheniensibus agi solitum duodecima Anthesterionis.* Alii tamen decima Anthesterionis; alii octava Pyanepsionis celebratum memorant.
B Comici Scholiastes in *Acharn.* Ἑορτὴ τῶν χοῶν, ἐπετελεῖτο Πυανεψιῶνος ὀγδόῃ, οἱ δὲ Ἀνθεστηριῶνος δεκάτῃ. Solennitatis institutionem enarrat idem Author ad *Equites*: Χοῦς μέτρον ἀττικὸν χωροῦν κοτύλας ὀκτώ· ἔστι δὲ καὶ ἑορτὴ Ἀθήνησι· κέκληται δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. Ὀρέστης διὰ τὴν τῆς μητρὸς ἀναίρεσιν, ἧκεν εἰς Ἀθήνας παρὰ τὸν Πανδίονα συγγενῆ καθεστηκότα, ὃς ἔτυχε τότε βασιλεύων τῶν Ἀθηναίων· καὶ αὐτὸν κατέλαβεν εὐωχίαν τινὰ δημοτελῆ ποιοῦντα· ὁ τοίνυν Πανδίων παραπέμψασθαι τὸν Ὀρέστην αἰδούμενος· κοινωνῆσαι δὲ ποτοῦ, καὶ τραπέζης ἀσεβὲς ἡγησάμενος, μὴ καθαρθέντος αὐτοῦ τῶν φόνων· ὡς ἂν μὴ ἀπὸ
C τοῦ αὐτοῦ κρατῆρος πίνοιεν, ἑκάστῳ τῶν κεκλημένων παρέθηκε Χοῦν. *Chus mensura Attica octo cotylarum capax. Et etiam festum Athenis nomen obtinuit ex hac causa. Orestes ob matris cædem venit Athenas ad Pandionem sibi cognatum; qui tum Atheniensibus imperabat. Offendit illum publice epulas exhibentem. Igitur Pandion reveritus Orestem demittere; communicare vero potu, & mensa impium arbitratus, quod a cæde non esset expiatus; ne ex eodem cratere biberent, unicuique convivarum Chun sive congium apposuit.* Idem *ad Acharn.* Ὀρέστης μετὰ τὸν φόνον ἐς Ἀθήνας ἀφικόμενος (ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ληναίου) ὡς μὴ γένοιτο σφίσιν ὁμόσπονδος, ἀπεκτονὼς τὴν μητέ-
D ρα, ἐμηχανήσατο τοιόνδε τι Πανδίων. Χοᾶ οἴνου τῶν δαιτυμόνων ἑκάστῳ παραστήσας, ἐξ αὐτοῦ πίνειν ἐκέλευσε, μηδὲν ὑπομιγνύντας ἀλλήλοις, ὡς μήτε ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κρατῆρος πίοι Ὀρέστης, μήτε ἐκεῖνος ἄχθοιτο καθ' αὑτὸν πίνων μόνος· καὶ ἀπ' ἐκείνου Ἀθηναίοις ἑορτὴ ἐνομίσθη οἱ Χοές. *Orestes post cædem* matris *Athenas venit (erat autem festum Bacchi Lenæi) & ne fieret ipsis libaminum consors, qui matrem interfecisset; tale quid excogitavit Pandion. Congium vini convivarum unicuique apposuit, e quo biberent, nihil inter se commune habentes; ut ex eodem scypho non biberet Orestes; nec tamen ægre ferret se bibere solitarium. Ex eo Atheniensibus institutum festum*
E *Choes.* Atque hinc etiam adagii formula manasse videtur, qua mensa minus familiaris, & hilaræ communicationis exsors Orestis convivio æquiparatur. Plutarchus *initio* Convivalium Quæstionum, de mensa taciturna: Εἰ μὲν οὖν ὥσπερ οἱ τὸν Ὀρέστην ἑστιῶντες ἐν θεσμῷ σιωπῇ τρώγειν, καὶ πίνειν ἐμέλλομεν, ἦν δὲ τοῦτο τῆς ἀμαθίας οὐκ ἀτυχὲς παραμύθιον. *Quod si tanquam Orestem convivio excipientes, jusso legibus silentio edemus, & bibemus, esset non infelix inscitiæ nostræ remedium.* Et rursus *lib.* II. *Sympos. Quæst.* X. Ὥσπερ οἱ Δημοφοντίδαι τῷ Ὀρέστῃ λέγον-
F ται πίνειν κελεῦσαι μὴ προσέχοντα τοῖς ἄλλοις ἢ τοῦτο, ὅπερ νῦν γίνεται κρέας προθέμενον, καὶ ἄρτον, ὥσπερ ἐκ φάτνης ἰδίας ἕκαστον εὐωχεῖσθαι; πλὴν ὅτι μὴ πρόσκειται σιωπῆς ἡμῖν ἀνάγκη καθάπερ τοῖς τὸν Ὀρέστην ξενίζουσιν. *Ut Demophontidæ Orestem feruntur cœna excepisse, jubentes pro se bibere, neque observare alios, quam id, quod hodie fit, ut quisque sibi proposito pane, & carne tanquam ex proprio præsepi vescatur? Nisi quod nobis non incumbit necessitas tacendi, ut Orestem convivio excipientibus.* Verum ut ad institutum revertar, festi celebritas in certamine bibendi potissimum cer-

nebatur. Bibebant autem ad tubæ sonitum, & insistentes utri, qui in præmium victori cedebat. Aristophanes in *Acharnan.* v. 1008. &c.

Α᾽κέετε λεῴς κατὰ τὰ πάτρια τὰς Χοὰς
Πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος· ὃς δ᾽ ἂν ἐκπίῃ
Πρώτιστος, ἀσκὸν Κτησιφῶντος λήψεται.
Audi Popule, more patrio Choas
Bibere ad tubam: qui vero ebiberit
Primus, utrem Ctesiphontis accipiet.

Verba sunt Præconis, qui obiter perstringit Ctesiphontem ut obesum nimis, & προγάστορα. Atque ad hunc locum *Scholiastes*; Ε᾽τίθετο δὲ ἀσκὸς πεφυσημένος ἐν τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ· ἐφ᾽ οὗ τοὺς πίνοντας πρὸς ἀγῶνα ἱστᾶσαι, τὸν πρῶτον πίνοντα, ὡς νικήσαντα λαμβάνειν ἀσκόν· ἔπινον δὲ μέτρον τι οἷον χοᾶ. *Utris inflatus statuebatur in festo Choarum; in quo bibentes ad certamen stabant, quique primus bibisset, ut victor, utrem accipiebat. bibebant autem mensuram, qualis est Chus.* At Ælianus *libro* II. Var. *capite* XLI. eum, qui plus bibisset, aurea corona donari solitum refert: Καὶ ἐν Διονύσου δὲ τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ προὔκειτο ἆθλον τῷ πιόντι πλέον, στέφανος χρυσοῦς, καὶ ἐνίκησε Ξενοκράτης ὁ Χαλκηδόνιος. *In Bacchi festo, quod Choas vocant, præmium ei, qui plus bibisset, aurea corona proponitur, quam meritus est Xenocrates Chalcedonius.* Victorem autem pronunciabat Rex. Aristophanes, in *Acharn.* v. 1232.

Ὡς τοὺς κριτάς μ᾽ ἐκφέρετε· ποῦ ᾽στιν ὁ βασιλεύς;
Α᾽πόδοτέ μοι τὸν ἀσκόν.
Ad Judices me efferte; ubi est Rex?
Reddite mihi utrem.

Scholiastes: Δηλοῖ ὡς τὴν ἐπιμέλειαν ὁ βασιλεὺς εἶχε τῆς ἁμίλλης τοῦ χοός, καὶ τὸ ἆθλον ἐδίδου τῷ νικήσαντι τὸν ἀσκόν. *Ostendit curam certaminis in Chois gessisse Regem, præmiumque dedisse victori utrem.*

ΧΥΤΡΟΙ.

ΧΥΤΡΟΥΣ, Latine dixeris *ollare festum*, quod instituerunt hi qui cum Deucalione diluvium evaserunt, pietate ducti erga mortuos. quibus Deos inferos, maximeque Mercurium propitium volebant:

——*Commune profundis*
Et superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habet, geminoque facit commercia mundo.

Comici Scholiastes ad *Acharnan.* Θεόπομπος τοὺς διασωθέντας ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ ἑψῆσαι φησι χύτρας πανσπερμίας, ὅθεν οὕτω κληθῆναι τὴν ἑορτήν, καὶ θύειν τοῖς χουσὶν Ε᾽ρμῇ χθονίῳ· τῆς δὲ χύτρας οὐδένα γεύσασθαι. τοῦτο δὲ ποιῆσαι τοὺς περισωθέντας ἱλασκομένους τὸν Ε᾽ρμῆν, καὶ περὶ τῶν ἀποθανόντων. *Theopompus ait salvos ex diluvio, in ollis omne genus seminum coxisse; indeque festo nomen ab olla tributum sacrificare Mercurio terrestri; ex olla neminem gustare. Hoc autem fecisse superstites e diluvio, ut Mercurium mortuis propitium redderent.* Hunc enim, ut author est Plutarchus in *Quæstionibus Græcis*, existimabant mortuorum animas excipere. Igitur solennitas in gratiam mortuorum inducta: quamobrem inferis sacrificia destinabantur, nec ulli superorum litabatur. Idem Scholiastes ad *Ranas*: Ε᾽πειτα θύειν αὐτοῖς ἔθος ἦν μὲν Ο᾽λυμπίων θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν· Ε᾽ρμῇ δὲ χθονίῳ· καὶ τῆς χύτρας ἣν ἕψουσι πάντες κατὰ τὴν πόλιν, οὐδεὶς γεύεται τῶν ἱερέων. *Deinde sacrificare ipsis mos erat, Olympiorum quidem Deorum nemini omnino: Mercurio autem terrestri. Et ollam, quam per civitatem omnes coquunt, nullus sacerdotum gustat.* Omnes equidem authores consentiunt, Mercurio præcipue litatum, sed & Bacchi festum fuisse produnt. & apud Aristophanem Bacchus ait;

Η᾽νίχ᾽ ἱεροῖσι Χύτροισιν
Χωρεῖ κατ᾽ ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος.
Quando per sacra Chytrorum
Procedit ad meum templum populorum turba.

Scholiastes; Χύτροι ἑορτὴ παρ᾽ Α᾽θηναίοις γινομένη τῷ Διονύσῳ. *Suidas* etiam eodem die celebrari tradit quo Choes: Ε᾽ν μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ ἤγοντο οἵ τε Χύτροι, καὶ οἱ Χόες. Sed fallitur; nam Choes agebantur duodecima Anthesterionis; At Chytri tertia decima ejusdem mensis. *Harpocration*; Η᾽γετο δὲ ἡ ἑορτὴ Α᾽νθεστηριῶνος τρίτῃ ἐπὶ δέκα, ὥς φησι Φιλόχορος ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν. *Agebatur hoc festum Anthesterionis tertia decima, ut ait Philochorus in libro de Festis.* Idque Scholiastes *Aristophanis* est secutus; & ipse *Suidas* exscripsit, quasi oblitus eorum, quæ prius annotarat. Præterea Chytros multo scenicorum artificum apparatu fuisse celebres, argumento est quod apud Athenæum *lib.* IV. Hippolochus, Λήναια, καὶ Χύτρους θεωρεῖν, *Lenæa, & Chytros spectare*, ponat inter præcipua oblectamenta, quibus Cives in urbe fruerentur.

SYLLABUS FESTORUM

QUÆ IN HOC OPERE EXPLICANTUR.

JOANNIS MEURSII

GRÆCIA

FERIATA,

SIVE

DE FESTIS GRÆCORUM,

LIBRI VI.

CUM NOTIS ANTEHAC INEDITIS.

ILLUSTRISSIMIS POTENTISSIMISQUE DOMINIS

ORDINIBUS FŒDERATARUM BELGII PROVINCIARUM,

JOANNES MEURSIUS

DEDICO, CONSECROQUE.

ILLUSTRISSIMI POTENTISSIMIQUE DOMINI,



OFFERO Vobis munus istud Literarium, quod ne infra magnitudinem istam vestram ut putetis, nihil causæ est quod metuam; nam & vos amare semper Literatos, Literasque æstimare, ostendistis: idque ad Principum longe maximorum exemplum, quibus nihil omnino ceditis. In his Macedoniæ regem Archelaum commemorabo, qui, ut scire se Literarum dignitatem, & æstimare, testaretur, Jovi Musas exæquavit, & commune illi ipsisque festum instituit; quod, per novem dies actum, de earum singularum etiam nomine in dies singulos diceretur. Nempe sciebat Rex egregius, aliique item Principes, quibus par affectus animi, regna quidem, ac principatus, a majoribus obvenire; sed hæc omnia morte ignobili obscurari: nec virtutum, aut præclare a se gestorum, ullum apud posteros nomen superesse, gloriamque intercidere, nisi æternaturis scriptis Viri docti contra vim injuriamque Oblivionis assertum irent. Nam quis, quæso, nunc Achillem, Alexandrum, Cæsaremve, aliosque heroas plurimos præstantissimos fuisse sciret, absque uno Literarum beneficio? Quantum credimus Regum etiam maximorum jacere in tenebris ignoratum, quantum aliorum Principum, quorum sceptra ligonibus vere mors æquavit? Est nimirum, ut Horatius olim cecinit.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique, longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Et apud Romanos Fulvius Nobilior novem Musarum simulacra, Ambracia allata, Herculi olim consecravit, æde communi dedicata; innuere cupiens, mutua opera hunc, illasque, indigere: & dignitatem Musis suam ab Hercule vindicandam esse, & virtutem item Herculis, gloriamque, illarum ore celebrandam. Hoc & vestrum est judicium; ideoque tanto studio bene semper Musis facere annisi estis. quas profecto cum ita Vobis obstrinxeritis, omnes illi, qui se alumnos earum esse profitebuntur, beneficium nunquam prædicare desinent. In his ego. sed cum laudem, quam ingentem hic meriti estis, celebrare ex dignitate vestra nequeam, GRÆCIAM ecce universam Vobis sisto, quæ id faciat; non quidem illam bellis tristem, turbatamve: at læta in pace FERIATAM, & tranquillam, ac festos dies agitantem. Qualem Vobis hanc Rempublicam, ILLUSTRISSIMI POTENTISSIMIQUE DOMINI, ut Deus ille Optimus Maximus, pacis & concordiæ auctor, dare velit, ac perpetuo conservare, sacrosanctum ejus numen supplex veneror. Lugd. Bat. ad diem XXI. Julii CIƆIƆCXIX.

BENIGNE LECTOR.



JAM triennium est, cum, De Populis Atticæ *edens,* De Græcorum Festis *etiam sum pollicitus. Sed dilatum a me promissum, dum se alia varie ingerunt. Interea temporis non cessandum sibi ratus Petrus Castellanus, vir doctrina & humanitate insignis, ne diutius hæc Antiquitatis Græcæ pars lateret, suum nobis* Ἑορτολόγιον *communicavit. quod tantum abest ut ægre feram, ceu injecta in messem meam sua falce, quod nonnulli clamitarent; ut elogio mihi hic publico tam præclaram voluntatem bene de Republ. nostra Literaria promerendi ornandam putem. Nec voluntas tantum fuit, ut recte dicam, aut conatus; quin & fecit laudabiliter. Utinam vero post ejus operam meæ mihi parcere omnino licuisset; sed, quemadmodum latus eruditionis hujus campus, ut quamplurima bene docuit, ita non sunt pauciora, quæ omisit. Ea mihi, non ipsius traducendi ullo studio, verum Antiquitatis magis illustrandæ, nunc vulgare visum fuit. Illa autem tantum Festa hic commemoro, quæ vel ipsi sunt indicta; aut de quibus quædam profero ipsi indicta, aliisve Auctorum locis confirmata. In* Eleusiniis, & Panathenæis *item, aliter factum non diffiteor; inseruique, quæ ab ipso prius monita. sed licere hic mihi credidi, quod de meis in Præfatione sui Heortologii ille ait, ubi mea suis miscet; et si prior ipse ediderit, tamen me ignorare omnino, an quoque observarit prior. quod confido, si candorem viri novi, animique æquitatem, sine offensa ejus fore. neque enim accusandi hæc ejus dico, cujus eruditionem, & humanitatem egregiam, facio plurimi; verum defendendi mei. Et profecto, non me opera hic aliena profecisse, plagiove obnoxium esse, facile cætera testabuntur, quæ nunc promo, nondum ipsi observata. Hoc te monuisse volui, Amice Lector; nunc dimitto, & salvere multum jubeo.* Dionysia, *libro etiam singulari pertractata, pariter atque* Panathenæa, & Eleusinia, *una edere nunc statueram; sed objecta impedimenta probibuerunt. Alias fiet volente Deo; interim istis te oblecta, & me ama.*

JOANNIS MEURSII GRÆCIÆ FERIATÆ, SIVE DE FESTIS GRÆCORUM, LIBER I.

ΑΓΗΤΟΡΕΙΟΝ.

FESTUM incertum. *Hesychius*. Ἀγητόρειον, ἑορτή. *Agetorium, festum*. Idem puto, quod alibi dicitur.

ΑΓΗΤΟΡΙΑ.

In ejusdem Hesychii *Glossis*. Ἀγητὴς, ἐν τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τοῦ θεοῦ. ϗ ἡ ἑορτὴ, Αγητόρεια. *Agetes in Carniorum festo fanaticus Dei; & festum, Agetoria*.

ΑΓΡΑΝΙΑ.

Argivi celebrabant in memoriam unius e Prœti filiabus. *Hesychius*. Ἀγράνια, ἑορτὴ ἐν Ἄργει, ἐπὶ μιᾷ τῶν Προίτου θυγατέρων. *Agrania, festum Argi in honorem unius Prœti filiarum*. Puto eadem fuisse, quæ mox

ΑΓΡΙΑΝΙΑ.

appellat in iisdem *Glossis*, istis verbis. Αγεριάνια, νεκύσια παρὰ Ἀργείοις. ϗ ἀγῶνες ἐν Θήβαις. *Agriania, mortualia apud Argivos: & certamina sacra Thebis*. Et, ecce, mortualia erant apud Argivos, certamina apud Thebanos.

ΑΓΡΑΥΛΙΑ.

Agrauli festum, & sacra, apud Athenienses. Meminit Athenagoras in *Legat*. Αγραύλῳ Ἀθηναῖοι τελέτας, ϗ μυστήρια, ἄγουσι. *Agraulo Athenienses celebrant initiationes & mysteria*. Et templum ejus commemorat Pausanias in *Atticis*. Ὑπὲρ δὲ τῶν Διοσκούρων τὸ ἱερὸν Αγραύλου τέμενός ἐστιν. *Super Castoras vero sanctum Agrauli fanum est*. Et immolabatur illi homo, usque ad Diomedis tempora, apud Cyprios. Porphyrius Περὶ ἀποχῆς, *lib*. II. Μηνὶ κατὰ Κυπρίους Ἀφροδισίῳ ἐθύετο ἄνθρωπος τῇ Αγραύλῳ, τῇ Κέκροπος ϗ Νύμφης Αγραυλίδος· ϗ διέμενε τὸ ἔθος ἄχρι τῶν Διομήδους χρόνων. *Mense juxta Cyprios Aphrodisio immolabatur homo Agraulo, filiæ Cecropis & Nymphæ Agraulidi. & permansit hic mos usque ad tempora Diomedis*. Hoc ex eodem refert etiam Cyrillus *contra Julianum*, lib. IV.

ΑΓΡΙΩΝΙΑ

Baccho Agrionio sacra. Vide doctissimum *Castellanum*. Addo autem; noctu celebrari solita, & hederæ in iis usum fuisse. Ea de re, præter duos *Plutarchi* locos, quos produxit Castellanus, tertius quidam in *Romanis Quæstionibus*, sed insigniter

A corruptus. Καὶ οὔτε ἐν Ἥρας Ἀθήνησι, οὔτε Θήβησιν ἐν Ἀφροδίτης, ἴδοι τις ἂν κιττὸν ἄγριον. Ἴοις δὲ, ϗ Νυκτελίοις, ὧν τὰ πολλὰ διὰ σκότους δρᾶται, πάρεστιν. *Sed neque Athenis in Junonis, neque Thebis in Veneris, videat quis hederam silvestrem. Violis vero & pervigiliis, quorum multa per tenebras aguntur, adest*. Agit Quæstione illa tota *Plutarchus* simpliciter de quavis hedera; cur ergo hic speciatim de silvestri dicat? Deinde, quis unquam hederam aliquam silvestrem dixit? Præterea quæ sunt sacra ista, Ἴα dicta; quibus adhiberi illa solita fuit, ut Nyctеliis? Nugæ meræ. Omnino restituendum censeo, ἴδοι τις ἂν κιττόν. Αγριωνίοις δὲ, ϗ Νυκ-
B τελίοις, ὧν τ. π. *Viderit quis hederam. Sed in Agrioniis & Nycteliis, quorum plurima, &c.*

ΑΓΡΥΠΝΙΣ.

Baccho celebrabatur apud Arbelam, Siciliæ urbem. *Hesych*. Αγρυπνὶς, ἑορτὴ Διονύσου ἐν Ἀρβέλῃ. *Agrypnis, festum Bacchi in Arbela*. Inde nimirum datum nomen, quod pervigilium Deo agerent.

ΑΔΩΝΙΑ.

C Adonidis memoriæ, & honori, celebrabantur. Alciphron in *Epistola* Myrrhines ad Nicippen. Καὶ μέχρι μὲν τῶν Ἀδωνίων ϗ ἐπίκωμός ποτε πρὸς ἡμᾶς, ϗ κοιμησόμενος, ἐφοίτα. *Et usque ad Adonia etiam comessabundus aliquando ad nos ac dormiturus veniebat*. Designat quoque *Musæus*.

Δὴ γὰρ Κυπριδίη πανδήμιος ἦλθεν ἑορτὴ,
Τὴν ἀνὰ Σηστὸν ἄγουσιν Ἀδώνιδι ϗ Κυθερείῃ.
Etenim Veneri publ cum venit festum
Quod Sesto peragunt Adonidi & Veneri.

Cratinus.

—— ὃς οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
Ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια.
—— *Quem ego non dignaret*
D *Mihi præcipere neque saltem ad Adonia*.

Diphilus.

Πορνεῖόν ἐστι πολυτελῶς Ἀδώνια
Ἄγουσ' ἑταίρα μεθ' ἑτέρων πορνῶν χύδην.
Lupariar est pretiose Adonia
Celebrans meretrix cum aliis meretricibus confuse.

His in pompa circumferebantur simulacra, & horti in testis, cum omnis generis fructibus: horti autem ex fœniculo, & lactuca, facti erant; quia nimirum Venus occisum Adonidem in lactucis deposuisset. Observo apud *Hesych*. Ἐν τοῖς Ἀδωνίοις εἴδωλα ἐξάγουσι, ϗ κήπους ἐπ' ὀστράκων, ϗ παντοδα-
E πὴν ὀπώραν, οἷον ἐκ μαράθρων ϗ θριδάκων παρασκευάζουσιν αὐτῷ τοὺς κήπους. ϗ γὰρ ἐν θριδακίναις αὐτὸν κατακλιθῆναι ὑπὸ Ἀφροδίτης φασίν. *In Adoniis statuas educunt, & hortos in testis, & omnigenam*

autumnum, prout ex fœniculis parant & lactucis illi hortos: nam in lactucæ herbis eum dicunt a Venere reclinatum fuisse. Simulacra illa, erant Adonidis & Veneris. Theocritus *in* Ἀδωνιαζούσαις.

> Ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα,
> Ταν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.
> *Stratus est lectus Adonidi pulchro alius,*
> *Hunc quidem Venus habet, illum vero roseus Adonis.*

Hinc est, quod Adonidi & Veneri simul ea sacra celebrata tradit *Schol.* Aristophanis εἰρήνῃ. Ἀδώνια, τῷ Ἀδώνιδι, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ. *Adonia, Adonidi & Veneri.* Quin & passim per urbem totam collocata simulacra mortuorum, quibus mulieres funus, ac lessum, facerent. Plutarchus in *Alcibiade*. Ἐπιψηφισαμένου δὲ τοῦ δήμου, καὶ γενομένων ἑτοίμων πάντων πρὸς τὸν ἔκπλουν, οὐ χρηστὰ παρῆν οὐδὲ τὰ τῆς ἑορτῆς. Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκείνας καθηκόντων, εἴδωλα πολλαχοῦ, νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια, προὔκειντο ταῖς γυναιξὶ, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι, καὶ θρήνους ᾖδον. *Decernente autem populo, & omnibus ad navigandum paratis, non fausta erant vel ipsa festi. Nam in eos dies incurrentibus Adoniis, imagines ubique, mortuis qui efferuntur similes, proponebantur fœminis, & exsequias faciebant percussæ, & threnos canebant.* Iterum in *Nicia*. Ἀδώνια γὰρ εἶχον αἱ γυναῖκες τότε, καὶ προὔκειτο πολλαχόσε τῆς πόλεως εἴδωλα, καὶ ταφαὶ περὶ αὐτὰ, καὶ κοπετοὶ γυναικῶν ἦσαν. *Adonia enim habebant tunc mulieres, & multis in locis urbis imagines proponebantur, & sepulturæ circa illas, & planctus fœminarum erant.* De hortis in testis circumferri solitis, est etiam iste Theophrasti locus, de *Hist. Plant.* lib. VI. cap. VII. Ἀβρότονον δὲ μᾶλλον ἀπὸ ῥίζης καὶ παρασπάδος βλαστάνει, ἢ ἀπὸ σπέρματος. χαλεπῶς δὲ καὶ ἀπὸ σπέρματος, προμοσχευόμενον ἐν ὀστράκοις, ὥσπερ οἱ Ἀδώνιδος κῆποι. *Abrotonum vero magis ab radice & stolone floret, quam ab semine: sed difficulter etiam ab semine, antea maceratum in testis, velut horti Adonidis.* Plutarchus de *sera numinis vindicta*. Ὥσπερ αἱ τοὺς Ἀδώνιδος κήπους ἐπ' ὀστράκοις τισὶ τιθηνούμεναι καὶ θεραπεύουσαι γυναῖκες. *Sicut hortos Adonidis in testis quibusdam nutrientes & foventes mulieres.* Et Diogenianus *Cent.* I. *Proverb.* XIV. Ἐπειδὴ γὰρ Ἄδωνις, ἐρώμενος ὢν, ὡς μῦθος, τῆς Ἀφροδίτης, πρὸ ἥβης τελευτᾷ, οἱ ταύτῃ ὀργιάζοντες, κήπους εἰς ἀγγεῖά τινα φυτεύοντες, ἢ φυτεύουσαι, &c. *Quoniam enim Adonis erat amasius, ut fabula est, Veneris, ante pubertatem moritur, inde festum ejus agentes, hortos in vasa quædam instituentes viri seu fœminæ.* Et Appendix Vaticana *Cent.* I. *Proverb.* IV. Γίνονται δὲ οὗτοι οἱ κῆποι (τοῦ Ἀδώνιδος) εἰς ἀγγεῖα κεράμεια σπειρόμενα ἄχρι χλόης μόνης. *Sunt autem hi horti (Adonidis) in vasa testacea seminati usque ad solam viriditatem.* *Suidas*. Ἀδώνιδος κῆποι, ἐκ θριδάκων καὶ μαράθρων, ἅπερ κατέσπειρον ἐν ὀστράκοις. *Adonidis horti, ex lactucis & fœniculis, quæ seminabant in testis.* Simplicius ait citius in his frumentum excrescere consuevisse. Locus in *Physica* Aristotelis, *lib.* V. Καὶ σῖτος δὲ διὰ θέρμην ταχὺ φύεται καὶ αὔξεται ἐν τοῖς Ἀδώνιδος καλουμένοις κήποις, πρὸ τοῦ ῥιζωθῆναι καὶ πιληθῆναι ἐν τῇ γῇ. *Sed etiam frumentum ex calore celeriter nascitur & augetur in illis quos vocant Adonidis hortos, priusquam radices agant & densentur in terra.* Huc pertinet Platonis iste locus *Phædro*. Ὁ νοῦν ἔχων γεωργὸς, ὧν σπερμάτων κήδοιτο, καὶ ἔγκαρπα βούλοιτο γενέσθαι, πότερα σπουδῇ ἂν θέρους εἰς Ἀδώνιδος κήπους ἀρῶν χαίροι, θεωρῶν καλοὺς ἐν ἡμέραισιν ὀκτὼ γιγνομένους; ἢ ταῦτα μὲν δὴ παιδιᾶς τε καὶ ἑορτῆς χάριν δρῴη ἄν, ὅτε καὶ ποιοῖ. *Agricola bonæ mentis, quæ semina præcipue curet, & cupiat frugifera fieri, utrum studiose per æstatem in Adonidis hortos arans gaudeat, videns formosos in diebus octo factos? an vero ista quidem ludicri & festi causa quis fecerit, si quando faciat.* Projiciebantur autem in fontes. Zenobius *Cent.* I. *Proverb.* XLIX. Γίνονται δὲ οὗτοι οἱ κῆποι τοῦ Ἀδώνιδος εἰς ἀγγεῖα κεράμεια σπειρόμενοι, ἄχρι χλόης μόνον. ἐκφέρονται δὲ ἅμα τελευτῶντι τῷ θεῷ, καὶ ῥιπτοῦνται εἰς κρήνας. *Existunt autem horti isti Adonidis in vasibus testaceis seminati, ad primam modo herbam: efferuntur vero simul cum moriente Deo, & conjiciuntur in fontes.* In mare abjici consuevisse tradit Eustathius ad *Iliad.* λ'. ubi etiam facti rationem habes. Κῆποι Ἀδώνιδος, φυτάρια ταχὺ ἀναθάλλοντα, ἔσω χύτρας ἢ ἀρρίχου. ἢ ὅλως, κοφίνου τινός. καὶ αὐτίκα ῥιπτόμενα κατὰ θαλάσσης, καὶ ἀφανιζόμενα, καθ' ὁμοιότητά τινα τοῦ κατὰ τὸν ὠκύμορον Ἀδώνιν θανάτου. *Horti Adonidis, plantulæ cito efflorescentes in testa vel sirpea, aut plane corbe aliquo; & statim abjecti in mare, & ex visu sublati, ad similitudinem quandam mortis, qua cito raptus fuit Adonis.* De luctu mulierum in hoc festo, est Ovidii quoque locus *Metamorph.* lib. X.

> —— *luctus monumenta manebunt*
> *Semper Adoni mei, repetitaque mortis imago*
> *Annua plangoris peraget simulamina nostri.*

Et Ammiani *lib.* XIX. *c.* I. *Lacrimare cultrices Veneris sæpe spectantur in solennibus Adonidis sacris.* Iterum *lib.* XXII. *cap.* IX. *Evenerat autem iisdem diebus annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari.* Deinde: *Et visum est triste, quod amplam urbem, Principum domicilium, introeunte Imperatore nunc primum, ululabiles undique planctus, & lugubres sonitus, audiebantur.* De reposito in lactucis Adonide, habemus quoque apud Athenæum, *lib.* II. Καὶ Καλλίμαχος δέ φησιν, ὅτι ἡ Ἀφροδίτη τὸν Ἄδωνιν ἐν θριδακίνῃ κρύψειεν. *Et Callimachus vero inquit, a Venere occultatum fuisse Adonin in lactuca.* Et *Eubuli* hac de re fragmentum est:

> Μὴ παρατίθει μοι θριδακίνας, ὦ γύναι,
> Ἐπὶ τὴν τράπεζαν, ἢ σεαυτὴν αἰτιῶ.
> Ἐν τῷ λαχάνῳ τούτῳ γὰρ, ὡς ὁ λόγος, ποτὲ
> Τὸν Ἄδωνιν ἀποθανόντα προὔθηκε Κύπρις.
> *Ne apponas mihi lactucas, o mulier,*
> *In mensam, aut te ipsam vitupero.*
> *In hoc olere enim, ut sermo, aliquando*
> *Adonin mortuum reposuit Venus.*

Duplex autem festum erat; nam, quia Adonis, bipertito anni tempore, semestre unum in complexibus Proserpinæ, alterum in Veneris agere fingebatur; in adventu a Proserpina lætitiæ festum, in recessu istud luctus, de quo dixi, celebrabatur. Observo apud Procopium Gazæum in *Esaiam*, ubi de Adonide agit, *cap.* XVIII. Τὸ δὲ πάθος Ἀφροδίτη μὴ φέρουσα, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐχώρει τὸν Ἅδην, ἀνασώσουσα τὸν ἐρώμενον. ὡς δὲ καὶ ἡ τοῦ Πλούτωνος αὐτὸν ἤρα τούτου γυνὴ, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλας, μερισθέντος ἐς δύο τοῦ ἔτους, πρὸς ἥμισυ συνεῖναι τῷ νέῳ· ὡς δὲ ἀνελθοῦσα τοῦτο τοῖς φίλοις ἀπήγγειλε, πανήγυριν. ἦγον τὴν ἄνοδον, ὥσπερ οὖν καὶ θρῆνον τὴν κάθοδον. ἅπερ ἄμφω καὶ διὰ τῶν μετὰ ταῦτα χρόνων ἐκράτησεν. *Sed casum istum non ferens Venus etiam ad ipsum Plutonem perrexit reportatura amasium. Quum vero etiam Plutonis uxor eum amaret, convenerunt inter se, anno in duas partes diviso, per alteram adesse juveni. Ut vero reversa illud amicis nunciavit, festum instituerunt ascensum, sicut etiam luctum publicum descensionem: quæ utraque etiam per sequentes ætates obtinuerunt.* Cyrillus in *Esaiam* eundem lib. II. *Græci hinc late festum excogitaverunt, ut se*

cum

cum Venere, propter mortem Adonidis mœsta, condolere, & lugere: redeunti autem ex orco, & inventum esse dicenti, quem quæsiverat, gratulari, & una exultare, simularent. Macrobius de iisdem Adoniis, *Sat.* lib. I. cap. XXI. *Ritu eorum catabasi finita, simulationeque luctus peracta, celebratur lætitia exordium.*

ΑΘΗΝΑΙΑ.

Minervæ festum, postea Παναθήναια appellatum. ut ostendo libro singulari, de *Panathenæis*, cap. II. Sed & τὰ Χαλκεῖα itidem Αθήναια vocabantur, quia nimirum in Minervæ honorem celebrabantur. *Suidas* docet. Χαλκεῖα, ἑορτὴ Ἀθήνησι δημώδης, καὶ ἀρχαία πάλαι. ἅ τινες ἀρχαῖα καλοῦσιν. *Ærea, festum publicum Athenis, & perantiquum: quæ nonnulli antiqua vocant.*

ΑΙΑΚΕΙΑ.

Æaci festum apud Æginetas. Pindari Schol. *Olympionic.* Ode VII. Εν δ' Αἰγίνῃ τὰ Αἰάκεια. *In Ægina autem Æaci festum.* Iterum *Od.* XIII. Καὶ ἐν Αἰγίνῃ, τὰ Δελφίνια, καὶ Αἰάκεια. *Et in Ægina, Delphinia, & Æaci festum. Nemeonic.* Od. V. Εστὶ δ' ἀγὼν Αἰγίνῃ ἀγόμενος, τὰ Αἰάκεια. *Est autem agon in Ægina celebratus, nomine Æacia.* Ac certamen tunc peragebatur in honorem Æaci; quique eo victor esset, coronam in fano ipsius dedicabat. Observare est apud Pindarum *Nemeonicarum* Ode citata:

Πύκταν τέ νιν καὶ παγκρατίου φθέγξαι ἑ-
λεῖν Επιδαύρῳ διπλόαν
Νικῶντ' ἀρετάν· προθύροισι δ' Αἰακοῦ
Ανθεα ποιάεντα φέρειν στεφανώ-
ματα, σὺν ξανθαῖς Χάρισιν.
Pugilemque eum & pancratii dicere ce-
pisse ab Epidauro duplicis
Victorem virtutis: vestibulis autem Æaci
Flores virentes ferre coro-
nas, cum flavis Gratiis.

Meminit Æaci quoque apud Æginetas fani Plutarchus in *Demosthene*. Τὸν Μαραθώνιον, καὶ τὸν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως ἀδελφὸν Ιμεραῖον, ἐν Αἰγίνῃ καταφυγόντας ἐπὶ τὸ Αἰάκειον, ἀποσπάσας, ἔπεμψεν εἰς Κλεωνὰς πρὸς Αντίπατρον. *Marathonium, & Demetrii Phalerei fratrem Himeræum, in Ægina quum confugissent ad fanum Æaci, abstractos, misit Cleonas ad Antipatrum.* Erat autem in loco urbis maxime illustri, & septum habebat quadratum e lapide albo. Pausanias in *Corinthiacis*, ubi de Ægina agit. Εν ἐπιφανεστάτῳ δὲ τῆς πόλεως, τὸ Αἰάκειον καλούμενον, περίβολος τετράγωνος λευκοῦ λίθου. *Verum in parte maxime conspicua urbis, quod fanum Æaci appellatur, septum quadratum candidi lapidis.* Exstructum vero communi omnium Græcorum nomine. Rem, & causam, exponit Isocrates in *Euagora*. Τοῦτο μὲν γὰρ Αἰακὸς, ὁ Διὸς μὲν ἔκγονος, τοῦ δὲ γένους τῶν Τευκριδῶν πρόγονος, τοσοῦτον διήνεγκεν, ὥστε γενομένων αὐχμῶν ἐν τοῖς Ελλησι, καὶ πολλῶν ἀνθρώπων διαφθαρέντων, ἐπειδὴ τὸ μέγεθος τῆς συμφορᾶς ὑπερέβαλεν, ἦλθον οἱ προεστῶτες τῶν πόλεων, ἱκετεύοντες αὐτόν. νομίζοντες διὰ τῆς εὐγενείας τῆς ἐκείνου, τάχιστ' ἂν εὑρέσθαι παρὰ τῶν θεῶν τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγήν, σωθέντες δὲ, καὶ τυχόντες πάντων, ὧν ἐδεήθησαν, ἱερὸν ἐν Αἰγίνῃ κατεστήσαντο κοινὸν τῶν Ελλήνων, οὗπερ ἐκεῖνος ἐποιήσατο τὴν εὐχήν. *Illud enim quidem Æacus, Jovis nepos, generis vero Teucridarum proauctor, tantum excelluit, ut ardoribus apud Græcos obtinentibus, multisque hominibus pereuntibus, quum mensura mali excederet, venerunt præpositi urbium supplicantes ad eum, existimantes per nobilitatem ac pietatem ejus celerrime impetratum iri ab diis præsentium malorum effugium. Servati autem nactique omnia quæ petiverunt, fanum in Ægina construxerunt commune omnium Græcorum, ubi ipse votum fecerat.* Quin Athenis etiam cultum illum invenio, & templum ei consecratum. *Hesychius.* Αἰακόντιον Αθήνησι, καὶ τὸ Αἰακοῦ τέμενος. *Æaceum Athenis, & Æaci delubrum.*

ΑΙΑΝΤΙΑ.

Ajaci sacra, apud Salaminios. *Hesychius.* Αἰάντια, ἑορτὴ ἐν Σαλαμῖνι. *Æacia festum Salamine.* Colebant vero Ajacem non duntaxat Salaminii, verum etiam Athenienses; qui ut tribum ab ejus nomine Αἰαντίδα nuncupabant, ita lectum quoque ipsi, omni armatura instructum, adornabant. Scholiastes Pindari *Nemeonic.* Od. II. Διὰ τιμῆς ἦγον οἱ Αθηναῖοι τὸν Αἴαντα, ὡς μὴ μόνον Αἰαντίδα φυλὴν ἀποδεῖξαι, ἀλλὰ καὶ κλίνην αὐτῷ μετὰ πανοπλίας κατακοσμεῖν. *In honore habebant Athenienses Æacum, ita ut non modo Æacidem tribum statuerint, sed etiam lectum ei cum armatu integro appararent.*

ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Festum apud Æginetas erat, in quo sacra, & convivia, Neptuno instituebant per sedecim dies: in quibus sibi ipsi ministrarent, sine servis, unde & Μονοφάγοι dicti; ac postea Veneri sacrificabant. Rem, & causam, exponit Plutarchus in *Quæst. Græcis*. Τῶν ἐπὶ τὴν Τροίαν στρατευσάντων Αἰγινητῶν πολλοὶ μὲν ἐν ταῖς μάχαις ἀπώλοντο, πλείονες δὲ κατὰ πλοῦν ὑπὸ τοῦ χειμῶνος. ὀλίγους οὖν τοὺς περιλειπομένους οἱ προσήκοντες ὑποδεξάμενοι, τοὺς δὲ ἄλλους πολίτας ὁρῶντες ἐν πένθεσι καὶ λύπαις ὄντας, οὔτε χαίρειν ᾤοντο δεῖν φανερῶς, οὔτε θύειν τοῖς θεοῖς. ἀλλὰ κρύφα καὶ κατ' οἰκίαν ἕκαστοι τοὺς σεσωσμένους ἀνελάμβανον ἑστιάσεσι καὶ φιλοφροσύναις, αὐτοὶ διακονούμενοι πατράσι, καὶ συγγενέσι, καὶ ἀδελφοῖς, καὶ οἰκείοις, ἀλλοτρίου μηδενὸς παρεισιόντος. ταῦτ' οὖν ἀπομιμούμενοι, τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἄγουσι τοὺς καλουμένους θιάσους, ἐν ᾗ καθ' αὑτοὺς ἐφ' ἡμέρας ἑκκαίδεκα μετὰ σιωπῆς ἑστιῶνται, δοῦλος δὲ οὐ πάρεστιν. εἶτα ποιήσαντες Αφροδίσια, διαλύουσι τὴν ἑορτήν. ἐκ δὲ τούτου Μονοφάγοι καλοῦνται. *Æginetarum qui contra Trojam militaverunt, multi quidem in pugnis interibant, plures vero in navigatione per tempestatem. Paucos igitur residuos necessarii suscipientes, alios vero socios videntes in luctu & mœrore esse, neque palam opinabantur lætari debere, nec sacra facere diis; sed clam & per domos singuli eos qui incolumes erant reficiebant conviviis & hilaritate omni, ipsi ministrantes patribus, & cognatis, & fratribus, & domesticis, nullo extraneo admisso. Hæc igitur imitando exhibentes, Neptuno sacrificium celebrant thiasos nuncupatos, in quo seorsum per dies sedecim cum silentio convivantur; servus autem nullus adest. Deinde quum Veneris solemnia obiverunt, dissolvunt festum. At hinc Solivescentes dicuntur.*

ΑΙΩΡΑ, sive ΕΩΡΑ.

Athenis celebrabantur, in memoriam Erigones, Ægisthi & Clytæmnestræ filiæ; quæ cum Tyndareo avo Athenas profecta, ut Orestem accusaret, cum is absolutus esset, se suspendit. *Etymologici Auctor.* Αἰώρα, ἑορτὴ Αθηνᾶς (scribe, Αθήνησιν.) ἣν καλοῦσιν Εὔδειπνον. λέγεται γὰρ Ηριγόνην, τὴν Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας θυγατέρα, σὺν Τυνδάρεῳ τῷ πάππῳ ἐλθεῖν Αθήναζε, κατηγορήσουσαν Ορέστου· ἀπολυθέντος δὲ, ἀναρτήσασαν ἑαυτὴν, προ-

στρόπαιον τοῖς Ἀθηναίοις γενέσθαι. κατὰ χρησμὸν δ' ἐπ' αὐτῇ συντελεῖσθαι τὴν ἑορτήν. *Æora, festum Athenarum, quod vocant Bonicænium. Dicitur enim Erigonam, Ægisthi & Clytæmnestræ filiam, cum Tyndareo avo venisse Athenas, accusaturam Oresten. Sed quum liberatus fuisset, seipsam suspendentem abominabilem Atheniensibus factam: sed ex oraculo concelebrari festum ipsi.* Plures instituti festi causas commemorat *Hesychius*. Αἰώρα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν οἱ μὲν, ἐπὶ Τημαλέως τυράννου θύειν φασίν. οἱ δὲ, ἐπὶ Κλυταιμνήστρας καὶ Αἰγίσθου. οἱ δὲ, ἐπὶ Ηριγόνης ἀλήτιδος τῆς Ἰκάρου. *Æora, festum Athenis, quod alii quidem Temalei tyranni causa mactare dicunt; alii vero propter Clytæmnestram & Ægisthum; alii rursum ob erraticam Icari filiam Erigonem.* Eustathius ex Pausaniæ *Lexico Attico* Æoram statuit, quæ se suspenderit. Locus est in *Commentario ad Iliados* III. Ὅτι δὲ καὶ κύριόν ἐστιν ὄνομα ἡ Αἰώρα γυναικὸς ἀπαγξαμένης, καὶ διά τι ἀπαγξαμένης, τὸ τοῦ Παυσανίου δηλοῖ λεξικόν. *Sed etiam nomen proprium esse vocem Æora mulieris quæ se suffocavit, & propter quam rem id fecerit, patefacit Pausaniæ Lexicon.* Dicebatur vero etiam Εὔδειπνος. Itaque est in *citatis* Etymologici *verbis*. Αἰώρα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν καλοῦσιν Εὔδειπνον. *Æora, festum Athenis, quod vocant Bonicænium.* Verum non tam dies festus, quam sacrificium, quod tum peragebatur. Accipio ex *Hesychio*, cujus ista alibi glossa occurrit. Εὐδείπνιος, θυσία Ἀθήνησιν, ἐπὶ Ηριγόνης. *Bonicænium, sacrificium Athenis, propter Erigonem.* Ita locum illum corruptissimum emendo; hodie enim pro Εὔδειπνος, legitur Εὔδειπνοι; pro ἐπὶ Ηριγόνης, est καὶ Ηρειπογενής. Ac carmina quædam tunc in Erigonem canebantur. Athenæus *lib.* XIV. Ἦν δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς αἰώραις τις ἐπ' Ηριγόνῃ, ἣν καὶ Ἀλῆτιν λέγουσιν, ᾠδή. *Erat autem quoque in Æoris aliqua cantilena in Erigonen, quam vocant etiam Erraticam.* Eaque composita a Theodoro Colophonio. Pollux *lib.* IV. *cap.* VII. Ἦν δὲ καὶ ἄλλο τι ᾆσμα ταῖς αἰώραις προσαδόμενον, Θεοδώρου ποίημα τοῦ Κολοφωνίου. *Erat vero & alia cantilena Æoris accini solita, composita ab Theodoro Colophonio.* Antea Ἀλῆτις nuncupabatur. Idem Hesych. *alibi* docet. Ἀλῆτις, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἡ νῦν αἰώρα λεγομένη. *Erratica, festum Athenis, quæ nunc Æora dicitur.* Hyginus de hac ipsa re *Poetici Astronomici* lib. II. *Sacrificium solenne instituerunt, itaque & privatim & publice faciunt, & id Aletida appellant.* Institutum vero festum hoc oraculi jussu. Etymologici Auctor *loco citato*. Κατὰ χρησμὸν δ' ἐπ' αὐτῇ συντελεῖσθαι τὴν ἑορτήν. *Sed ex oraculo in illam confici festum.* Plene narrat Hyginus *loco jam citato*. *Cum in finibus Atheniensium multæ virgines sine causa suspendio sibi mortem consciscerent, quod Erigone moriens erat precata, ut eodem letho filiæ Atheniensium afficerentur, quo ipsa foret obitura, nisi Icarii mortem persecuti, & eum forent ulti. Itaque cum id evenisset, ut antea diximus, petentibus eis, Apollo dedit responsum. Si vellent eventu liberari, Erigonæ satisfacerent.*

ΑΚΤΙΑ.

Celebrabant Acarnanes in urbe Actia honori Apollinis, Ἀκτίου inde cognominati. Stephanus *in* Ἀκτία. Ἀρκάδιος δ' ἐν τῇ ὀρθογραφίᾳ φησίν. Ἀκτία, καὶ ἡ πόλις, καὶ ἡ ἑορτή. ἀλλ' ἡ μὲν ἑορτὴ βαρύνεται, τὰ Ἄκτια. *Arcadius vero in orthographia dicit; Actia, tum urbs, tum festum. Sed festum gravatur ut plurale Hæc Actia.* Peragebatur id festum singulis trienniis certamine gymnico, equestri, & navali. Stephanus *ibid.* Ἐν ταύτῃ Ἀπόλλωνος γυμνικὸς ἀγὼν, καὶ ἱππικὸς, καὶ πλοίων ἅμιλλα διὰ τριετηρίδος ἦν. *In ea Apollinis gymnicum certamen, & equestre, & navium pugna quolibet triennio erat.* Instante festo, bovem muscis immolabant, ut ejus sanguine illæ saturatæ avolarent, neque in festo molestæ essent. Ælianus *Hist. Anim.* lib XI. cap. VIII. Νεὼς δὲ Ἀπόλλωνι ἵδρυται, καὶ Ἀκτιόν γε αὐτὸν οἱ τιμῶντες ὀνομάζουσιν. ἐκεῖνο τῆς πανηγύρεως ἐπιδημεῖν μελλούσης, καθ' ἣν καί τι πήδημα πηδῶσι τῷ θεῷ, θύουσι βοῦν ταῖς μυίαις. αἱ δὲ, ἐμπλησθεῖσαι τοῦ αἵματος, ἀφανίζονται. *Templum vero Apollini exstructum est, & Actium illum venerantes nominant. Igitur festo appropinquare incipiente, quando etiam saltationem saltant Deo, immolant bovem muscis. Illæ autem impletæ sanguine intereunt.* Meminit Clemens *Protreptico*, ex Heraclide. Ἡρακλείδης δὲ ἐν Κτίσεσιν ἱερῶν, περὶ Ἀκαρνανίαν, φησὶν, ἔνθα τὸ Ἀκτιόν ἐστιν ἀκρωτήριον, καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀκτίου τὸ ἱερὸν, ταῖς μυίαις προθύεσθαι βοῦν. *Heraclides autem in conditionibus fanorum, circa Acarnaniam, dicit, ubi Actium est promontorium, & Apollinis Actii templum, muscis ante immolari bovem.* Mox Augustus, devicto Antonio, ad horum nempe imitationem, condita prope Actium Nicopoli, in memoriam victoriæ, certamen musicum, gymnicum, & equestre, idque in quintum annum, instituit. Dio Cassius ineunte *libro* LI. Ἀγῶνά τε τινὰ μουσικὸν, καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε, πεντετηρικὸν ἱερὸν κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. *Et certamen quoddam musicum, & gymnicum, & equorum cursus, quinquennale statuit sacrum, appellans illud Actia.* Suetonius *Octavio*, cap. XVIII. *Urbem Nicopolim prope Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit.* Mentio eorum est in Inscript. Vet. ΣΤΗΣΑΣ. ΤΟΥΣ. ΑΝΤΑΓΩΝΙΣΤΑΣ. ΑΚΤΙΑ. ΕΝ. ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙ. ΔΙΣ.

ΑΛΑΙΑ. sive ΑΛΕΑΙΑ.

Festum Minervæ Aleæ, apud Tegeatas in Arcadia. Pausanias *Arcadicis*, ubi de iis agit. Τοῦ ναοῦ δὲ οὐ πόρρω στάδιον χῶμα γῆς ἐστι, καὶ ἄγουσιν ἀγῶνας ἐνταῦθα, τὸν μὲν Ἀλαῖα ὀνομάζοντες, ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς. τὸν δὲ, Ἁλώτια· ὅτι Λακεδαιμονίων τὸ πολὺ ἐν τῇ μάχῃ ζῶντας εἷλον. *Non longe autem ab æde stadium, agger terræ est, & celebrant agonas illic, unum quidem nominantes Alæa, ab Minerva; alterum vero Halotia; quia plurimam Lacedæmoniorum partem in prælio vivos ceperunt.* Pindari Scholiastes *Olympionic.* Od. VII. Πολλοὶ δ' ἄγονται ἀγῶνες ἐν Ἀρκαδίᾳ. Λύκαια, Κόρεια, Ἀλέαια. *Multi vero celebrantur agones in Arcadia; Lycæa, Coria, Aleæa.*

ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΩΝ ΑΓΩΝ.

Festum hoc, & certamen in eo gallinaceorum, instituerunt Athenienses, post devictos a Themistocle Persas. Ælianus *Var. Hist.* l. II. cap. XXVIII. Μετὰ τὴν κατὰ τῶν Περσῶν νίκην Ἀθηναῖοι νόμον ἔθεντο, ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾷ ἡμέρᾳ τοῦ ἔτους. *Post victoriam de Persis Athenienses legem posuerunt, gallinaceos pugnare publice in theatro uno die anni.* Ac causam institutionis habes *ibidem* in verbis sequentibus.

ΑΛΗΤΙΣ.

Vide Αἰώρα.

ΑΛΙΑ.

In honorem Solis agitabant Rhodii. Aristid. *Rhodiaca*. Καὶ τὸν μὲν τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιήσετε, καὶ τὸ χωρίον μεμένηκε σῶν, οὐ ποιήσετε. *Et Haliorum quidem certamen facietis, & regio mansit salva, ubi feceritis.* Dies festo XXIV. Gorpiæi, qui Atheniensium Boe-

promioni respondet; certabantque eo pueri, & viri: ac præmium victori erat, corona populea. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. Τὸν ἀγῶνα Ἡλίῳ (παρὰ Ῥοδίοις) τελούμενον, εἰς τὸν Τληπόλεμον μετήγαγε. τελεῖται δὲ μηνὸς Γορπιαίου εἰκοστῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ. ἀπέχει δὲ τῶν Νεμέων, ἡμέρας ἕξ. ἀγωνίζονται δὲ παῖδες, καὶ ἄνδρες. ὁ δὲ στέφανος, λεύκη δίδοται. *Agonem Soli (apud Rhodios) celebratum, ad Tleopolemum transtulit. Celebratur autem mensis Gorpiæi vicesimo quarto die, distat vero ab Nemeis, dies sex. Certant autem pueri & viri, Corona autem populus datur.*

Α Λ Κ Α Θ Ο Ι Α.

Festum in honorem Alcathoi apud Megarenses. Scholiastes Pindari *Neomenic.* Od. V. Ἐν Μεγάροις, τῷ εὐθέτῳ χωρίῳ, ὁμοίως ἐνίκησε τὰ Ἀλκάθοια. *In urbe Megaris, oportuno loco, similiter vicit Alcathœa.* Pausanias *Atticis*. Ἐντεῦθεν πρὸς τὸ Ἀλκάθου βαδίζουσιν ἡρῷον. *Inde progredientibus ad Alcathoi fanum.*

Α Λ Ω Α.

Etymologici Auctor. Ἀλῶα, ἑορτὴ Ἀθηνᾶς ἀγροικική. *Haloa, festum Minervæ rusticum.* Sed Cereris τῆς Ἀλωάδος festum erat, non Minervæ; itaque corruptus locus, ac rescribendum, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἀ. *Festum Athenis rusticum.* Hesych. Ἀλῶα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν. *Haloa, festum Athenis.* Suidas ait tunc celebrari consuevisse, cum circa areas versarentur. Ἀλῶα, ἑορτή ἐστιν Ἀττική. Φιλόχορος δὲ φησὶν ὀνομασθῆναι, ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς περὶ τὰς ἅλως ποιεῖσθαι. *Haloa, festum est Atticum. Philochorus vero dicit nominari inde quod illo tempore homines versari sint soliti circa areas.* Celebrabantur autem mense Posideone. Harpocration. Ἑορτή ἐστιν Ἀττικὴ τὰ Ἀλῶα. ἥν φησι Φιλόχορος ὀνομασθῆναι ἀπὸ τοῦ τότε τοὺς ἀνθρώπους τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι περὶ τὰς ἅλως. ἄγεσθαι δὲ αὐτήν φησιν ἐν τῷ Περὶ ἑορτῶν, Ποσειδεῶνος μηνός. *Festum est Atticum Haloa, quod ait Philochorus nominari inde, quia tunc homines morati fuerint circa areas. Celebrari vero id dicit in libro de Festis mense Posideone.* Mentio est apud Alciphronem in *Epistola Thaidis ad Thessalam*. Ἀλῶα δ' ἦν, κἀπὶ τὴν παννυχίδα πᾶσαι, ὥσπερ ἦν εἰκὸς παρ' ἡμῖν. *Haloa vero erant, & ad pervigilium omnes, prout erat fas, apud nos.* Et in *altera Menandri ad Glyceram*. Ἐπιστεῖλαί σοι ἐν ἄστει μενούσῃ διὰ τὰ Ἀλῶα τῆς θεοῦ. *Mittere tibi manenti in urbe per Haloa Deæ.* Fuisse autem plurium dierum istud festum, facile colligere ex alio quodam ejusdem Alciphronis in *eadem Epistola* loco. Σὺ δὲ ἐκ τῶν Ἀλώων, δέομαι, Γλυκέριον, εὐθὺς πετομένη πρὸς ἡμᾶς ἐπὶ τῆς ἀστράβης φέρου. μακροτέραν ἑορτὴν οὐδέποτε ἔγνων, οὐδὲ ἀκαιροτέραν. Δήμητερ ἵλεως γένου. *Tu vero ab Halois, rogo, Glycerium, statim volans ad nos in vehiculo ferare. Longius festum nunquam novi, neque intempestivius. Ceres propitia sis!* Meminerunt etiam Demosthenes Orat. *in Neæram*, aliique.

Α Λ Ω Τ Ι Α.

Festum Minervæ apud Arcades. Vide Pausaniæ in *Arcadicis* locum supra in Ἀλαία.

Α Μ Α Ρ Υ Ν Θ Ι Α.

Certamina erant, in Amarynthο Eubœæ urbe celebrari solita. Schol. Pindari *Olymp.* Od. XIII. Καὶ ἐν Ἀμαρύνθῳ τῆς Εὐβοίας, Ἀμαρύνθια νενικήκασιν. *Et in Amarynthο Eubœæ vicerunt Amarynthia.* Celebrabantur vero eo nimirum festo, quod in honorem Dianæ τῆς Ἀμαρυσίας, illic cultæ,

Α Μ Α Ρ Υ Σ Ι Α.

dicebatur. Meminit ejus festi Hesych. Ἀμαρύσια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν. *Amarysia festum Athenis.* Et turbare hoc non debet, quod festum Atheniensium dicat; quippe sciendum, Athenis populum Athmonensem non minus, quam Amarynthios in Eubœa, Dianam τὴν Ἀμαρυσίαν coluisse. Pausan. *Atticis* luculentus testis. Ἀθμονεῖς δὲ τιμῶσιν Ἀμαρυσίαν Ἄρτεμιν. πυνθανόμενος δὲ σαφὲς οὐδὲν ἐς αὐτὰ ἐπισταμένους τοὺς ἐξηγητὰς εὗρον, αὐτὸς δὲ συμβάλλομαι τῇδε. Ἔστιν Ἀμάρυνθος ἐν Εὐβοίᾳ· καὶ γὰρ οἱ ταύτῃ τιμῶσιν Ἀμαρυσίαν Ἄρτεμιν. ἑορτὴν δὲ καὶ Ἀθηναῖοι τῆς Ἀμαρυσίας ἄγουσιν, οὐδέν τι Εὐβοέων ἀφανέστερον. *Athmonenses vero colunt Amarysiam Dianam. Inquirens vero nihil clarum de illo scientes interpretes reperi. Verum ipse sic conjecto. Est Amarynthus in Eubœa. Nam incolæ illic honorant Amarysiam Dianam. Festum vero etiam Athenienses celebrant Amarysiæ, plane non ignobilius quam Eubœenses.* Nec Amarynthii tantum colebant, verum etiam Eretrienses, & Carystii. Livius *l.* XXXV. *Sacrum anniversarium eo forte tempore Eretriæ Amarynthidis Dianæ erat: quod non popularium modo, sed Carystiorum etiam cœtu celebratur.* De Eretriensibus est Strabonis quoque locus, *l.* X. Τὴν δὲ δύναμιν τῶν Ἐρετριέων, ἣν ἔσχον ποτὲ, μαρτυρεῖ ἡ στήλη, ἥν ἀνέθεσαν ποτὲ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀμαρυνθίας Ἀρτέμιδος. *Potentiam vero Eretriensium quam obtinuerunt quondam, testatur columna, quam aliquando dicaverunt in templo Amarynthiæ Dianæ.*

Α Μ Β Ρ Ο Σ Ι Α.

Festum mense Lenæone celebratum. Proclus *ad Hesiodi* Ἔργων β'. Ληναιὼν δὲ εἴρηται, διὰ τὸ τοὺς οἴνους ἐν αὐτῷ εἰσκομίζεσθαι. οἱ δὲ Ληναιῶνα φάσκουσιν αὐτὸν καλεῖσθαι, διὰ τὰ λήναια, ὅ ἐστιν ἔρια. καὶ προβατοδόραν, καὶ αἰγοδόραν καλοῦμεν. ἢ ἐπειδὴ Διονύσῳ ἐποίουν ἑορτὴν τῷ μηνὶ τούτῳ, ἣν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν. *Lenæon autem dictus est, quia in illo vina importabant. Alii vero Lenæonem dicunt eum vocari, ab lenæis, quæ sunt lanæ. Etiam ovipellem & capripellem vocamus: aut quoniam Baccho agebant festum illo mense, quod vocabant Ambrosiam.* Et ex eo Joannes Tzetzes *ibid.* Ληναιὼν παρ' Ἕλλησι καλεῖται, ὅτι τῷ τῶν ληνῶν αἰτίῳ Διονύσῳ ἑορτὴν, τὴν λεγομένην Ἀμβροσίαν, ἐτέλουν. *Lenæon apud Græcos vocatur, quia prælorum auctori Baccho festum, dictam Ambrosiam, peragebant.* Moscopulus. Τῷ Διονύσῳ, τῷ τῶν ληνῶν ἐπιστάτῃ, ἐτέλουν ἑορτὴν τῷ μηνὶ τούτῳ, (τῷ Ληναιῶνι) ἣν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν. *Baccho, prælorum præsidi, agebant festum illo mense (Lenæone) quam Ambrosiam vocabant.* Etymologici Auctor *in* Ληναιών. Οἱ δὲ Ληναιῶνα φασὶν, ἐπειδὴ Διονύσου ἐποίουν ἑορτὴν ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ, ἣν Ἀμβροσίαν ἐκάλουν. *Alii vero Lenæona dicunt, quia Bacchi celebrabant festum in isto mense, quam Ambrosiam vocabant.*

*

Α Μ Μ Α Λ Ω.

Jovis erat. Hesychius. Ἀμμαλῶ, ἑορτὴ ἀγομένη Διΐ. *Ammalo, festum celebratum Jovi.*

Α Μ Μ Ω Ν.

Athenienses celebrabant; cui Deo, aut Deæ,

* His interponi oportet ΑΜΙΛΛΗΤΗΡΙΑ, quæ explicat Aristophanis Scholiastes *ad Nubes* pag. 124. Πολεμιστήρια, qua voce usus illic fuit poeta, vel ἀγωνίσματα. Et alia novit pag. 143. ubi quum poeta dixisset Βρομία χάρις, interpretatur οἱ Διονυσιακοὶ ἀγῶνες, ἐν οἷς αἱ ἅμιλλαι τῶν χορῶν.

incertum. Hesychius. Ἀμμών, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἀγομένη. *Ammon, festum Athenis celebratum.*

ΑΜΦΙΑΡΑΙΑ.

Amphiarai in honorem Oropii celebrabant. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. Τελοῦνται δ' ἐν Βοιωτίᾳ διάφοροι ἀγῶνες. ἐν μὲν Θεσπιαῖς, τὰ Ερατίδια. ἐν δὲ Πλαταιαῖς, τὰ Ελευθέρια. ἐν δὲ Λεβαδείᾳ, τὰ Τροφώνια. ἐν δὲ Ὠρωπῷ, τὰ Ἀμφιαράϊα. *Sed in Bœotia peraguntur varii agones: Thespiis quidem Eratidia; Platæis autem Eleutheria; Lebadiæ vero Trophonia; in Oropo autem Amphiaraia.* Etiam templum Amphiarai apud Oropios fuisse, & statuam e lapide candido, testatur Pau fanias *Atticis*. Καὶ Ὠρωπίοις ναός τέ ἐστιν Ἀμφιαράου, καὶ ἄγαλμα λευκοῦ λίθου. *Et Oropiis ædes est Amphiarai, & imago candidi lapidis.* Quin primi illi inter Deos eum retulerunt. Pausanias *ibidem*. Θεὸν δὲ Ἀμφιάραον πρώτοις Ὠρωπίοις κατέστη νομίζειν. ὕστερον δὲ καὶ οἱ πάντες Ἕλληνες ἥγηνται. *Deum vero Amphiaraum primis Oropiis constitit existimandum; postea autem etiam universi Græci statuunt.*

ΑΜΦΙΔΡΟΜΙΑ.

De his egi ante viginti hosce annos *Animadvers. Miscell.* lib. III. cap. XXXIII. Libet hic repetere, & recensere, loco proprio. Meminit Plato in *Theæteto*. Τοῦτο μὲν δή, ὡς ἔοικε, μόγις ἐγεννήθη, ὅτι δήποτε τυγχάνει ὄν. μετὰ δὲ τὸν τόκον τὰ Ἀμφιδρόμια ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεκτέον τῷ λόγῳ. *Illud sane quidem, ut videtur, vix natum est, quodcunque etiam sit: post partum vero Amphidromia vere in orbem circumcurrere oportet sermone.* Aristophanes *Lysistrata*.

Οὔτ' Ἀμφιδρόμια τῆς κυνῆς αὐτοῦ μενεῖς;
Neque Amphidromia galeæ ejus exspectas?

Poeta aliquis vetus Δρομιάφιον ἦμαρ, *Cursimissicium diem*, appellavit. Itaque est invenire *in Glossis* Hesychii. Δρομιάφιον ἦμαρ, Ἀμφιδρόμια. *Cursimissicius dies, Amphidromia.* Inde autem datum nomen, quod puerum curriculo circum focum ferrent. Harpocration. Ἀμφιδρόμια. ἡμέρα τις ἤγετο ἐπὶ τοῖς νεογνοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος παρὰ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες. *Amphidromia, dies quidam agebatur ob recens natos puerulos, in quo infantem ad foc: m f: rebant currentes.* Hesychius. Ἀμφιδρόμια. ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν ἔφερον τρέχοντες κύκλῳ. *Amphidromia, dies celebratus puerulis, in quo infantem circa focum ferebant currentes in orbem.* Tunc panem etiam occultatum assabant, & nutrici puerum tradebant. Etymologici Auctor. Ἀμφιδρόμια, ἑορτή ἐστιν Ἀθήνησι τελουμένη. καθ' ἣν ἐγκρυφίου ἄρτου ὀπτομένου, ἐπὶ τῆς ἑστίας ἐπιτρέχουσι. τὸ δ' αὐτὸ ποιοῦσι καὶ μετὰ σκευῆς εἰς τὰ βρέφη, παρὰ τὴν ἑστίαν περιφέροντες, ἐπειδὴ κουροτρόφος, ἡ τροφὸς ἐπί τινων πεφήμισται. *Amphidromia, festum est Athenis peractum; in quo occulto pane assato ad focum accurrunt. Illud ipsum quoque faciunt cum paratu ad infantes, ad focum circumportantes, quoniam nutrix infantium vel educatrix in quibusdam celebrata est.* Tum janua etiam coronabatur, victimaque pro vita pueri immolabatur, & convivium instruebatur. Hac de re egregium exstat fragmentum ex Ephippi Geryone, apud Athenæum *lib.* IX.

——ἔπειτα πῶς;
Οὐ στέφανος οὐδ' εἷς ἐστι πρόσθε τῶν θυρῶν,
Οὐ κνῖσα κρούει ῥινὸς ὑπεροχὰς ἄκρας,
Ἀμφιδρομίων ὄντων; ἐν οἷς νομίζεται
Ὀπτᾶν τε τυροῦ Χερρονησίτου τόμους,
Ἕψειν τ' ἐλαίῳ ῥάφανον ἠγλαισμένην,
Πνίγειν τε παχέων ἀρνίων στηθύνια,
Τίλλειν τε φάττας καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις,
Κοινῇ τε χναύειν τευθίσιν σηπίδια,
Πιλεῖν τε πολλὰς πλεκτάνας ἐπιστρεφῶς,
Πίνειν τε πολλὰς κύλικας εὐζωρεστέρας.
—— *Deinde quomodo?*
Corona nullane est ante fores,
Non nidor pulsat nasi extremitates extimas,
Cum sint Amphidromia, quibus legitimum est
Assare casei Chersonensis frusta,
Et coquere oleo brassicam inunctam,
Et strangulare pinguium agnorum pectora,
Et vellere columbas ac turdos cum fringillis,
Junctimque carpere loligines ac sepiolas,
Ac densare multos cirros industrie,
Ac bibere multos calices meraciores.

De coronatione vero januæ, hoc sciendum est; discrimen in coronis observatum fuisse, pro sexu pueri. nam, si masculus ille esset, oleagina; si fœmella, lanea erat. Observo apud Hesychium. Ἔθος ἦν, ὁπότε παιδίον ἄρρεν γένοιτο παρ' Ἀττικοῖς, στέφανον ἐλαίας τιθέναι πρὸ τῶν θυρῶν· ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν, ἔρια, διὰ τὴν ταλασιουργίαν. *Mos erat, quum infans masculus nasceretur apud Atticos, coronam oleæ ponere ante januas; sin puella, lanæ, propter lanificium.* De sacrificio, est locus etiam iste Plauti *Truculento*, Act. II. Sc. V. *vers.* 69. 70.

Quin Diis sacrificare hodie pro puero volo,
Quinto die, quod fieri oportet. —

Tunc manus quoque purgabant mulieres; quæ in obstetricatu adjuvissent. Suidas Ἀμφιδρόμια, τὴν πέμπτην ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν. ἐν ᾗ ἀποκαθαίρονται τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιώσεως. *Amphidromia, celebrant quintum diem in infantibus; in quo fœminæ adjutrices obstetricandi repurgant manus.* Tarrhæus in *Proverbiis*. Ἀμφιδρόμια, τὴν πέμπτην ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν. ἐν ᾗ ἀποκαθαίρονται τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιώσεως, τὸ δὲ βρέφος παραφέρουσι περὶ τὴν ἑστίαν τρέχοντες. *Amphidromia, quintum diem celebrant in infantibus, quo fœminæ adjutrices obstetricandi repurgant manus, infantem vero perferunt circa focum currentes.* Ubi simul observo, quod Auctoribus aliis indictum, quinto post natum infantem die celebrari consuevisse. Corruptus est in diei numero Hesychii locus. Δρομιάφιον ἦμαρ, Ἀμφιδρόμια. ἔστι δὲ ἡμερῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς γεννήσεως, ἐν ᾗ τὸ βρέφος βαστάζοντες περὶ τὴν ἑστίαν γυμνοὶ τρέχουσι. *Cursimissicius dies, Amphidromia. Est autem dierum ab partu septimus, in quo portantes infantem circa focum nudi currunt.* Rescribo, ἔστι δὲ ἡμερῶν πέμπτη ἀπὸ τ. γ. Et quintum diem statuit etiam Plautus *loco citato:*

Quinto die, quod fieri oportet. ——

Item Suidas. Ἀμφιδρόμια, τὴν πέμπτην ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν. *Amphidromia, quintum diem celebrant in infantibus.* Porro ut nativitati Deus γενέθλιος præsens assignatus fuit, ita Amphidromiis hisce Ἀμφίδρομος præponitur apud Æschylum in *Semela*. Hesychius. Ἀμφίδρομος. Αἰσχύλος Σεμέλῃ ἔπλασε δαίμονα καινὸν περὶ τὰ Ἀμφιδρόμια. *Circumcursor; Æschylus in Semele finxit dæmonem novum circa Amphidromia.* Ait vero Hesychius in Ἀμφιδρόμια. etiam nomen tunc imponi consuevisse. Ecce verba ejus. Καὶ ἐπετίθεσαν αὐτῷ ὄνομα, ὅτε ὑπὸ τῶν οἰκείων, καὶ φίλων, δῶρα ἐπέμπετο. *Et imposuerunt ei nomen, quando ab domesticis & amicis dona mittebantur.* Verum, aut erravit doctissimus Grammaticus, aut mutilus est ejus locus, exciditque decimi diei mentio. nam eo nomen imponebatur. Tarrhæus in *Proverbiis*.

Καὶ δῶρα πέμπουσιν οἱ προσήκοντες ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον πολύποδας, καὶ σηπίας, τῇ δεκάτῃ, ᾗ τοὔνομα τίθεται. *Et dona mittunt necessarii ut plurimum polypos & sepias die decimo, quo nomen ponitur.* Et ipsum tibi pro se Hesychium dabo. Δεκάτῃ θύομεν. τῇ δεκάτῃ ἡμέρᾳ τὰ ὀνόματα τοῖς βρέφεσιν ἐτίθεσαν. *Decimo sacrificamus. decimo die nomina infantibus ponebantur.* Euripides Ægeo, apud Clementem *Strom.* VI. & Schol. Aristophanis *Avibus*.

Τίς σε μήτηρ ἐν δεκάτῃ τόκου ὠνόμασεν;

Quæ te mater in decimo partum nominavit?

Isæus in *Orat.* Περὶ τοῦ Πύῤῥου κλήρου. Οἱ δὲ τοῦ Πύῤῥου θεῖοι ἐν τῇ δεκάτῃ φάσκοντες παραγενέσθαι, τὸ τῆς τήθης ὄνομα Κλειταρέτην τὸν πατέρα ἐμαρτύρησαν θέσθαι αὐτῇ. *Pyrrhi vero avunculi die decimo dicentes adfuisse, nomen aviæ Clitareten patrem testati sunt posuisse illi.* Demosthenes *in Bœotum*. Καὶ τὴν δεκάτην ἐμοὶ ποιῶν τοὔνομα τοῦτο ἔθετο. *Et decimum diem mihi faciens nomen istud posuit.* Mos autem illo die convocare propinquos, & amicos, tum nomen infanti dare, inde sacra facere, & convivium agitare. Videmus apud Polyænum *Strateg.* lib. VI. in *Jasone*. Ac de convocatione quidem propinquorum, amicorumque, ecce tibi in istis verbis. Καὶ δή ποτε παιδίου γεννηθέντος αὐτῷ μέλλοντι ὄνομα τίθεσθαι, τοὺς ἀρίστους Θετταλῶν καλέσας, παρεκάλεσε τὸν ἀδελφὸν προστῆναι τῆς ὑποδοχῆς. *Etiam aliquando quum natus illi esset puer, ac nomen daturus esset, optimos Thessalorum vocans, adhortatus est fratrem ut magister fieret convivii.* Ubi hoc quoque observandum; electum fuisse, qui præesset huic nominis impositioni; & quasi susceptor constitueretur; plane ut apud nos Christianos usitatum: cujus rei non alibi testimonium legere memini. De sacrificio, & convivio, habes in sequentibus. Μετὰ σπουδῆς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἦλθε, καὶ τῷ ἀδελφῷ σπονδῶν κατάρχειν ἐπέμψε, καὶ κύριον εἶναι τῆς θέσεως τοῦ ὀνόματος τοῦ παιδίου. *Cum studio ad cœnam venit, & misit fratri, ut auspicaretur libationes, & præesset nominis impositioni pueruli.* De convivio intelligendus quoque Aristophanes *Avibus*.

Ἐς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς, ὑπέπινον ᾄσει.

Ad decimum namque aliquando pueruli vocatus, subbibi in arce.

Ubi Scholiastes. Τὴν δεκάτην εἱστίων ἐπὶ τοῖς γεννηθεῖσι, καὶ ἐν αὐτῇ τὰ ὀνόματα ἐτίθεντο τοῖς παισί. *Decimum diem epulis terebant ob natos infantes, inque eo illis nomina dabant.* Suidas plene. Δεκάτην ἑστιάσαι. ἔθος ἦν παίδων συγγεννωμένων τοῖς Ἀθηναίων ἀστοῖς, τῇ δεκάτῃ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς γενέσεως συγκαλεῖσθαι τοὺς πρὸς πατρὸς οἰκείους, καὶ τοὺς ἐγγύτατα φίλους. καὶ παρόντων ἐκείνων τότε ὀνόματα τοῖς παισὶ τίθεσθαι, καὶ καλλιερεῖσθαι τοῖς θεοῖς, ἔπειτα εὐωχεῖσθαι τοὺς συνεληλυθότας. *Decimam epulari. Mos erat ob puerperia civibus Athenienfium, decima nocte ab partu convocare cognatos patris & proximos amicos; ac præsentibus illis tum nomina ponere infantibus, tum sacrificare diis, deinde epulari eos, qui convenissent.* Sacrificium illud, & convivium, Δεκάτη dicebatur; & parentes, convivium cum exhiberent, Δεκάτην ἑστιάσαι, *Decimam epulari*, dicebantur, teste Suida; cum sacrificarent, Δεκάτην θύειν, *Decimam sacrificare*. Observo ex Aristophanis *Avibus*.

Οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγὼ,
Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην;
Non hodie sacrifico decimam hujus ego,
Et nomen tanquam puero nunc posui?

Nonnulli tamen etiam septimo die nomen dabant nato infanti. Innuit Aristoteles *De Hist. Anim.* lib. VII. cap. XII. Τὰ πλεῖστα δ' ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης. διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη τῇ σωτηρίᾳ. *Plurimi vero (infantes) rapiuntur ante septimam: idcirco etiam tunc nomina ponunt, quasi fidentes tunc incolumitati.* Quem locum respexit Hesychius *in* Δεκάτῃ θύομεν. Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τῇ ἑβδόμῃ φησί. *Sed Aristoteles septima dicit.* Suidas. Ἑβδομευόμενα. τοῖς ἀποτεχθεῖσι παιδίοις τὰς ἑβδομάδας καὶ τὰς δεκάτας ἦγον· καὶ τάγε ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς. *Infantibus natis septimos & decimos dies celebrabant, & nomina illis ponebant.* Eadem habes apud Harpocrationem *in* Ἑβδομευομένου, & Etymologici Auctorem *in* Ἑβδομευόμενα. Hesychius celebratum hunc diem tradit, sed de nominis impositione verbum nullum facit. Ἑβδόμην ἡμέραν ἀπὸ γενέσεως παιδίου ἑορτάζουσιν. *Septimo die ab pueruli nativitate feriantur.*

ΑΝΑΓΩΓΙΑ.

Festum Erycinorum, quo Veneri illi sacra faciebant, tanquam e Sicilia in Libyam solventi, ut benigne redire vellet. Ælianus *Var Hist.* lib. I. cap. XV. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς περὶ τὸν Ἄθω φανῆναι περιστερὰς λευκὰς λέγει, ὅτε ἐνταῦθα ἀπώλοντο αἱ τῶν Περσῶν τριήρεις, περικάμπτουσαι τὸν Ἄθω. ἐν Ἔρυκι δὲ τῆς Σικελίας, ἔνθα ἐστὶν ὁ τῆς Ἀφροδίτης νεὼς, σεμνός τε, καὶ ἅγιος, ἔνθα κατά τινα καιρὸν θύουσιν οἱ Ἐρυκινοὶ τὰ Ἀναγώγια, καὶ λέγουσι τὴν Ἀφροδίτην εἰς Λιβύην ἀπὸ τῆς Σικελίας ἀνάγεσθαι, ἀφανεῖς ἐκ τοῦ χώρου αἱ περιστεραὶ γίνονται. *Charon autem Lampsacenus circa Athon visas esse columbas albas dicit, quum illic perierunt Persarum triremes flectentes Athon. In Eryce vero Siciliæ, ubi est Veneris templum augustum & sanctum, ubi certo tempore sacrificant Erycini Anagogia, & dicunt Venerem in Libyam ab Sicilia navigare, evanescunt ex eo loco columbæ.* Athenæus *lib.* IX. Τῆς δὲ Σικελίας ἐν Ἔρυκι καιρός τίς ἐστιν, ὃν καλοῦσιν Ἀναγώγια, ἐν ᾧ φασὶ τὴν θεὸν εἰς Λιβύην ἀνάγεσθαι. *In Eryce autem Siciliæ tempus aliquod est, quod vocant Anagogia, quo dicunt Deam in Libyam navigare.* Eustathius in aliam rem traduxit, *de Amoribus Ismeniæ*, lib. X. Οἱ δὲ ὅλοι πληρωθέντες ἡδονῆς καὶ χαρᾶς, σῶστρα θύουσιν, ὡς ἐπ' ἀναβιοῦσι παισίν. ᾄδουσιν ἀναγώγια, καὶ χορεύουσιν ἐπινίκια. *Illi vero toti repleti voluptate & gaudio sacrificant salutis servatæ pretia, tanquam in reviviscentibus pueris; cantant anagogia, & per choreas saltantes celebrant victoriam.*

ΑΝΑΚΕΙΑ.

Festum Dioscurorum apud Athenienses. Hesychius. Ἀνακείοις. Διοσκούρων ἑορτὴ τὰ Ἀνάκεια. *Anaceis. Castoris & Pollucis festum dicitur Anacea.* Iterum non multo post. Ἀνάκειον, τὸ Διοσκούρειον. καὶ ἑορτὴ Ἀθήνησιν. *Anaceum, Dioscurorum templum & festum Athenis.* Celebrabant etiam alii. Vide Διοσκούρεια.

ΑΝΑΚΛΗΤΗΡΙΑ.

Instituta in honorem regis, principisve; cum is rex, princepsve, renunciaretur. Polybius *Histor.* lib. XVII. Ἐπειδὴ δὲ τὰ κατὰ τοὺς Αἰτωλοὺς ἔθεντο καλῶς οἱ περὶ αὐλὴν, εὐθέως ἐγίγνοντο περὶ τὸ ποιεῖν ἀνακλητήρια τοῦ βασιλέως, οὐδέπω τῆς ἡλικίας κατεπειγούσης. *Postquam vero aulici ea quæ ad Ætolos pertinebant composuerunt, statim se contulerunt ad facienda Anacleteria regis, nondum ætate urgente.* Iterum *Legat. Ecloga* LXXXVIII. Γέγονεν αὐτῷ τὰ νομιζόμενα γίνεσθαι τοῖς βασιλεῦσιν, ὅταν εἰς ἡλικίαν ἔλθωσιν, ἀνακλητήρια. *Contigerunt ei solita regibus fieri legitima, quum in ætatem venerunt, Anacleteria.*

ΑΝΑΚΤΩΝ ΠΑΙΔΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Apud Amphissenses festum erat, & sacrum arcanum, *Ανάκτων παίδων*, *Regum puerorum*, appellatum. Pausanias *Phocicis*. Αγουσι δὲ καὶ τελετὴν οἱ Αμφισσεῖς Ανάκτων καλουμένων παίδων. οἵ τινες δὲ θεῶν εἰσὶν οἱ Ανακτες παῖδες, οὐ κατὰ ταυτά ἐστιν εἰρημένον· ἀλλὰ οἱ μὲν εἶναι Διοσκούρους, οἱ δὲ Κούρητας, οἱ δὲ πλέον τι ἐπίστασθαι νομίζοντες, Καβείρους λέγουσι. *Sed etiam Amphissenses celebrant festum, quod vocant Regum puerorum. Quinam vero isti Deorum sint Reges pueri, non eodem consensu est dictum: sed alii quidam esse Dioscuros, alii vero Curetas, alii autem amplius nosse supponentes, dicunt Cabiros.*

ΑΝΔΡΟΓΕΩΝΙΑ.

Androgeonis in honorem celebrabant Athenienses, ac certamen funebre erat in Ceramico. Hesychius commemorat. Επ' Εὐρυγύῃ ἀγών. Μελησαγόρας τὸν Ανδρόγεων Εὐρυγύην εἰρῆσθαι φησὶ, τὸν Μίνωος. ἐφ' ᾧ τὸν ἀγῶνα τίθεσθαι ἐπιτάφιον Αθήνησι ἐν Κεραμεικῷ. *Ludicrum ob Eurygyan. Melesagoras Androgeon, filium Minois notat dictum esse Eurygyan, ob quem esse institutum certamen funebre Athenis in Ceramico.*

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ.

Dixi de iis *Atticarum Lectionum* lib. IV. cap. XIII. Hic reponam uberius multo, loco proprio. Festum hoc, Baccho celebratum; atque inde est, quod Hesychius ait. Ανθεστήρια, τὰ Διονύσια. *Floralia, Bacchanalia.* Etymologici Auctor. Ανθεστήρια, τὰ Διονύσια. οὕτω γὰρ Αθηναῖοι τὴν ἑορτὴν λέγουσι, παρὰ τὸ τὰ ἄνθη ἐπὶ τῇ ἑορτῇ ἐπιφέρειν. *Floralia, Bacchanalia. Sic enim Athenienses festum dicunt, quoniam flores ad festum congerebant.* Ecce, inferebant festo hoc flores; atque inde nomen. Constabat autem tribus diebus; quorum primus Πιθοιγία, alter Χόες, tertius Χύτροι dicebatur. Aristophanis Scholiastes *ad Acharnenses*. Φησὶ δὲ Απολλόδωρος Ανθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς ὅλην τὴν ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην. κατὰ μέρος δὲ, Πιθοιγίαν, Χοὰς, Χύτρας. *Dicit vero Apollodorus Floralia appellari communiter totum festum, quod Baccho celebratur, particulatim vero Pithœgian, Choas, Chytras.* Et Grammatici passim testantur. Ac Πιθοιγία quidem celebrabatur mensis Anthesterionis XI. Χοὲς, XII. Χύτροι, XIII. De Pithœgia clare Plutarchus *Symposiac.* lib. III. Quæst. VII. Τοῦ νέου οἴνου Αθήνησι μὲν ἑνδεκάτῃ (τοῦ Ανθεστηριῶνος) μηνὸς κατάρχονται, Πιθοιγίαν τὴν ἡμέραν καλοῦντες. *Novo vino uti Athenis quidem undecimo die (Anthesterionis) mensis incipiunt, diem appellantes Pithœgiam.* Ratio nominis; quia tunc nimirum dolia aperiebantur. Idem Plutarchus *Symposiac.* lib. IX. Quæst. X. Καὶ μὲν οἴνου τε τὸν νέον, οἱ πρωιαίτατα πίνοντες Ανθεστηριῶνι πίνουσι μηνὶ μετὰ χειμῶνα, καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἡμεῖς μὲν Αγαθοῦ Δαίμονος, Αθηναῖοι δὲ Πιθοιγίαν προσαγορεύουσιν. *Et quidem ex vino novum bibentes maturrime Anthesterione mense bibunt post hiemem, diemque illum nos quidem Boni Genii, Athenienses vero Pithœgiam appellant.* Ubi hoc quoque obiter observa; Chæronenses (nam Cheronensis Plutarchus erat) Αγαθοῦ Δαίμονος appellasse. Et neque cuiquam, ne servo quidem, vinum tunc fas prohibere; sed, peractis prius sacris, omnibus id communicabatur. Proclus *ad Hesiodum lib.* I. Καὶ ἐν τοῖς πατρίοις ἐστὶν ἑορτὴ Πιθοιγία, καθ' ἣν οὔτε οἰκέτην, οὔτε μισθωτὸν, εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου θεμιτὸν ἦν, ἀλλὰ θύσαντας πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ δώρου τοῦ Διονύσου. *Et in patriis est festum Pithœgia, in quo non servum, non mercenarium, arcere fruitione vini fas erat, sed post sacra facta omnibus dare partem doni Bacchi.* Male apud Hesychium. Πιθοίπα, ἑορτὴ Αθήνησι. *Pithœpa, festum Athenis.* Rescribendum, Πιθοιγία. Idque Maussaco etiam visum. Ergo sacra primo isto die facta, ut apparet; statuebanturque proprii in rem illam crateres: puerique trimi floribus coronabantur. Colligo ex Philostrato *Heroicis*, cujus iste locus est in *Ajace Telamonio*. Καὶ ὅτ' Αθήνησιν οἱ παῖδες ἐν μηνὶ Ανθεστηριῶνι στεφανοῦνται τῶν ἀνθέων, τρίτῳ ἀπὸ γενεᾶς ἔτει, κρατῆράς τε τοὺς ἐκεῖθεν ἐστήσατο, καὶ ἔθυσεν ὅσα Αθηναίοις ἐν νόμῳ. *Et quando Athenis pueri mense Anthesterione coronantur floribus, tertio ab partu anno, tum crateras illic statuit, tum sacrificavit quæ Athenienses solebant ex lege.* Nam ad hoc festum pertinere morem istum equidem arbitror. Meminit quoque τῆς Πιθοιγίας Eustathius *ad Iliad.* ω. Τοῦ δὲ τοιούτου τῶν κακῶν πίθου εἴη αὖ ἡ Πιθοιγία, οὐχ ἑορτάσιμος κατὰ τὴν παρ' Ησιόδῳ, ἐν ᾗ ἀρχομένου πίθου χρὴ κορέννυσθαι, ἀλλ' εἰς τὸ πᾶν ἀποφράς. *Hujus vero malorum cadi fuerit Pithœgia, non feriatus dies, prout ille apud Hesiodum, in quo oportebat incohoante cado satiari, sed omnino nefastus.* Die proxime insequente duodecino Χόες, decimo tertio Χύτροι celebrabantur. De Choibus diserte Harpocration. Χοές. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος. ἑορτή τις παρ' Αθηναίοις, ἀγομένη Ανθεστηριῶνος δωδεκάτῃ. *Choes. Demosthenes in scripto de Nomine. Festum quoddam apud Athenienses, celebratum duodecimo die Anthesterionis.* Inde etiam Δωδεκάτη illis nomen. Hesychius. Δωδεκάτη, ἑορτὴ Αθήνησιν· ἣν Χοὰς ἔλεγον. *Duodecimus dies, festum Athenis, quod dicebant Choas.* De origine, & nominis appellatione, plenissime Athenæus *lib.* X. Τὴν δὲ τῶν Χοῶν ἑορτὴν, τὴν Αθήνησιν ἐπιτελουμένην, Φανόδημος φησὶ Δημοφῶντα τὸν βασιλέα βουλόμενον ὑποδέξασθαι παραγενόμενον τὸν Ορέστην Αθήναζε. πρὸς δὲ τὰ ἱερὰ οὐ θέλων αὐτὸν προσιέναι, οὐδ' ὁμόσπονδον γενέσθαι μήπω δικασθέντα, ἐκέλευσεν συγκλεισθῆναι τά τε ἱερὰ, καὶ χόα οἴνου ἑκάστῳ παρατεθῆναι, τῷ πρώτῳ ἐκπιόντι εἰπὼν ἆθλον δοθήσεσθαι πλακοῦντα. παρήγγειλέ τε καὶ τοῦ πότου παυσαμένου τοὺς μὲν στεφάνους, οἷς ἐστεφανοῦντο, πρὸς τὰ ἱερὰ μὴ τιθέναι, διὰ τὸ ὁμορρόφους γενέσθαι τῷ Ορέστῃ. περὶ δὲ τὸν χόα τὸν ἑαυτοῦ ἕκαστον περιθεῖναι, καὶ τῇ ἱερείᾳ ἀποφέρειν τοὺς στεφάνους πρὸς τὸ ἐν Λίμναις τέμενος. ἔπειτα θύειν ἐν τῷ ἱερῷ τὰ ἐπίλοιπα, καὶ ἔκτοτε τὴν ἑορτὴν κληθῆναι Χοάς. *Choum vero festum diem, Athenis observari suetum, Phanodemus dicit Demophonta regem quum vellet excipere digressum Athenas Oresten; sed quum nollet eum accedere ad sacra, neque libationum participem fieri, quia nondum judicatus erat, jussit concludi templa, & congium vini apponi unicuique, primo qui ebibisset præmium datum iri statuens placentam; pronunciavitque etiam finito potu coronas quidem, quibus coronabantur, ad templum non ponere, quia sorbuissent simul cum Oreste; sed circa congium singulos suum circumdare, & sacerdoti referre coronas ad delubrum in Limnis, deinde sacrificare reliqua in fano, & abhinc festum appellari Choas.* Ecce, institutionem festi ad Demophontem refert. Alii vero ad Pandionem. Scholiastes Comici *ad Acharnenses*. Φησὶ δὲ Απολλόδωρος, ὅτε Ορέστης μετὰ τὸν φόνον εἰς Αθήνας ἀφικόμενος, ἦν δὲ ἑορτὴ Διονύσου Ληναίου, ὡς μὴ γένοιτό σφισιν ὁμόσπονδος, ἀπεκτονηκὼς τὴν μητέρα, ἐμηχανήσατο τοιόνδε τι Πανδίων. χοᾶ οἴνου τῶν δαιτυμόνων ἑκάστῳ παραστήσας, ἐξ αὐτοῦ πίνειν ἐκέλευσε μηδὲν ὑπομιμνήσκοντας ἀλλήλοις, ὡς μήτε ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κρατῆρος πίοι Ορέστης, μήτε ἐκεῖνος ἄχθοιτο καθ' αὑτὸν πίνων

μόνος, καὶ ἀπ' ἐκείνου Ἀθηναίοις ἑορτὴ ὀνομίσθη οἱ Χόες. *Dicit autem Apollodorus, quum Orestes post cædem Athenas progressus (erat vero festus dies Bacchi Lenæi) ut ne fieret libationis consors, qui matrem interfecerat, excogitavit tale quid Pandion. Congium vini convivarum unicuique apponens, ex eo bibere jussit nihil submiscentes sibi invicem, ut neque ab eodem cratere biberet Orestes, neque ipse indignaretur seorsum solus bibens. Et ab eo tempore ab Atheniensibus festum institutum fuit Choes.* Alii non duodecimo Anthesterionis celebrari Choas consuevisse tradunt, sed Pyanepsionis octavo. Aristophanis Scholiastes. Εἰς τὰς Χόας. εἰς τὴν ἑορτὴν τῶν Χοῶν. ἐπετελεῖτο δὲ Πυανεψιῶνος ὀγδόῃ· οἱ δὲ, Ἀνθεστηριῶνος δεκάτῃ. *Ad Choas. ad festum Choum vel congiorum. Peragebatur autem Pyanepsionis octavo; alii tamen dicunt Anthesterionis decimo.* Sed scribendum illic, Ἀνθεστηριῶνος δωδεκάτῃ. Nam duodecimus Anthesterionis dies festo proprius erat; non decimus, ut jam ostendi. Ac consecratus ille dies Baccho erat; cui Χοοπότῃ cognomento sacra faciebant. Colligo ex Themistoclis facto apud Magnesios, quod commemorat Athenæus *lib.* XII. Πόσις δ' ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν, τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα θῦσαι Ἀθηνᾷ, καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι. καὶ Διονύσῳ Χοοπότῃ θυσιάσαντα, καὶ τὴν Χοῶν ἑορτὴν αὐτόθι καταδεῖξαι. *Posis vero in libro tertio rerum Magneticarum refert Themistoclen in Magnesia potitum magistratu, qui coronam fert, sacrificasse Minervæ, & festum appellavisse Panathenæa; item Baccho Choopotæ, vel congiorum potatori, quum immolavisset, etiam Choum festum illic instituisse.* Et convivia inter se privatim agitabant. Idem Athenæus alibi, *lib.* VII. Εἰ δὲ τὸ γένος τῆς ἑορτῆς ἤρεσκεν, οὐκ ἂν ἐκοπίασε δήπου τὰ αὐτὰ ταῦτα παρασκευάζουσα ἡ βασίλεια, καθάπερ ἐν τοῖς Χουσίν. εὐωχοῦνται μὲν γὰρ κατ' ἰδίαν. παρέχει δὲ ταῦτα ὁ καλέσας ἐπὶ τὴν ἑστίασιν. *Quod si ratio festi placuisset, non laboravisset sane eadem ipsa apparare regia sicut in Chois. Conviwantur enim separatim. præbet autem illa is qui vocat ad epulum.* Utque pridie, apertis doliis, vinum gustaverant; ita tunc sese largiter admodum invitabant, præmio etiam constituto ei qui plurimum potasset. Observo apud Ælianum, *Var. Hist.* lib. II. cap. XLI. Καὶ ἐν Διονύσου δὲ τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ προὔκειτο ἆθλον τῷ πίνοντι πλεῖον. *Sed & in Bacchi* (etsi legat Casaubonus aliique Διονυσίου, quum apud Dionysium hæc celebratio dicatur contigisse) *Choum festo propositum erat præmium illi qui plus biberet.* Indicebatur nempe per præconem certamen bibendi ad tubæ sonum, & pronuntiabatur præmium ab aliquo propositum uter inflatus; quem accipiebat, qui primus mensuram certam, congii instar magnam, ebibisset. Ecce apud Aristophanem *Acharnensibus* clamantem præconem.

Ἀκούετε λεῴ, κατὰ τὰ πάτρια τοὺς χόας
Πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος. ὃς δ' ἂν ἐκπίῃ
Πρώτιστος, ἀσκὸν Κτησιφῶντος λήψεται.
Audite populus, ex ritu patrio Choas
Bibere ad tubam. qui vero ebiberit
Primus, utrem Ctesiphontis accipiet.

Ubi Scholiastes. Ἐτίθετο ἀσκὸς πεφυσημένος ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ. ἐφ' οὗ ἔδει τοὺς πίνοντας πρὸς ἀγῶνα ἑστάναι, καὶ τὸν πρῶτον πιόντα, ὡς νικήσαντα, λαμβάνειν ἀσκόν. ἔπινον δὲ μέτρον τι οἷον χοᾶ. *Ponebatur utris inflatus in Choum festo, in quo oportebat bibentes ad certamen stare, & primum bibentem, utpote victorem, accipere utrem. Bibebant vero mensuram instar choi, vel congii.* Et observa; oportebat insistere utri, atque ita congium ebibere. Præmium, præter utrem, erat etiam corona, ex foliis contex-

A ta: uter vero, quod sciendum, vino plenus. Suidas docet. Ἐν τῇ Χοαῖς ἀγὼν ἦν περὶ τοῦ ἐκπιεῖν πρῶτόν τινα χοᾶ. καὶ ὁ νικῶν ἐστέφετο φυλλίνῳ, καὶ ἀσκὸν οἴνου ἐλάμβανε. πρὸς σάλπιγγας δὲ ἔπινον. *In Chois certamen erat, quis ebiberet primus congium. & victor coronabatur foliacea corona, utremque accipiebat vini. Bibebant vero ad tubas.* Item comessantes curribus vecti obvios deridebant, & conviciis incessebant. Apostolius. Τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν. ἐπὶ τῶν ἀπερικαλύπτως σκωπτόντων. Ἀθήνῃσι γὰρ ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἔσκωπτόν τε καὶ ἐλοιδόρουν. *Illa ab plaustris; de iis qui non*
B *occulte subsannabant. Athenis enim in Choum festo comessantes in plaustris subsannabant obvios & conviciabantur.* Quæ totidem verbis apud Suidam. Ab hoc potandi per festum istum diem more capiendus Aristophanes *Thesmophoriaz.* ubi anum bibulam irridens, filiæ ejus ventricosæ, & trium congiorum capaci, annos per Choas computat.

Πόσ' ἔτη δὲ γέγονε; τρεῖς Χόας, ἢ τέτταρας;
Quot annos vero nata est? tres Choas, an quatuor?

Insuper munera, mercedemque, sophistis mittebant; qui & ipsi familiares suos ad convivium vo-
C cabant. Athenæus *lib.* X. Τῇ δὲ ἑορτῇ τῶν Χοῶν ἔθος ἐστὶν Ἀθήνῃσι πέμπεσθαι δῶρά τε καὶ τοὺς μισθοὺς τοῖς σοφισταῖς· οἵπερ καὶ αὐτοὶ συνεκάλουν ἐπὶ ξένια τοὺς γνωρίμους. *Verum festo Choum mos est Athenis mitti munera & mercedes sophistis; qui & ipsi convocabant ad hospitium notos & amicos.* Huc pertinent ista Eubulidæ, in *Comastis*, apud eundem *ibidem*:

Σοφιστιᾷς κάκιστε, καὶ Χοῶν δέῃ
Τῶν μισθοδώρων, κοὐκ ἀδείπνων ἐν τρυφῇ.
Sophistam agis pessime, & Choum indiges
Munera largientium, & non sine cœnis in luxuria.

D Meminit Choum Alciphron quoque in Epistola Menandri *ad Glyceram*. Τῶν κατ' ἔτος Χοῶν, καὶ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις Ληναίων. *Annuorum Choum, & in theatris Lenæorum.* Quod ad Chytros, eorum meminit Athenæus *lib.* IV. Σὺ δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων σεαυτὸν εὐδαιμονίζεις, τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων, θύμα, καὶ εὔζωμα, καὶ τοὺς καλοὺς ἐσθίων στρεπτοὺς, Λήναια, καὶ Χύτρους, θεωρῶν. *Tu vero tantum Athenis manens te ipsum beatum prædicas audiens positiones Theophrasti, thymos, & erucas & pulchras comedens spiras, Lenæa & Chytros spectans.* Ælianus *Hist. Anim.* lib. IV. cap. XLIII. Κεκήρυκται γὰρ
E Διονύσια, καὶ Λήναια, καὶ Χύτροι. *Præconio enim indicuntur Dionysia, Lenæa, & Chytri.* Et Alciphron in Epistola Menandri *ad Glyceram* jam citata. Ποῦ δὲ θεσμοθέτας ἐν τῇ ἱεραῖς κώμαις κεκισσωμένους; ποῖον περισχοίνισμα; ποίαν αἵρεσιν; ποίους Χύτρους. *Ubi vero legislatores in sacris pagis hedera ornatos? quale ex juncis amiculum? qualem sectam? quales Chytros?* Hoc ideo autem dicit, quia tunc Poetæ quatuor dramatibus inter se certabant. Ecce apud Diogenem Laertium in *Platone*, lib. III. Τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις. *Quatuor fabulis certabant, Bacchanalibus, Lenæis, Panathenæis, Chytris.*
F Morem hunc exolescentem renovavit Lycurgus, lege lata, ut Comœdi tunc certarent, victorque civitate donaretur, quod antea illicitum. Plutarchus in *ejus Vita*. Εἰσήνεγκε δὲ καὶ νόμους, τὸν περὶ τῶν κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, πρότερον οὐκ ἐξόν, ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα. *Introduxit etiam leges, certamen de comœdis peragere Chytris prorsus æquale illi, quod in theatro; & victorem adsciscì in civitatem, quod antea non licuit, renovans agonem deficientem.* Celebrabantur

vero, ut dixi, die mensis decimo terto, postridie Choum; quemadmodum Choes postridie Pithœgiæ. Harpocration. Ἔστι δὲ καὶ Ἀττικὴ τις ἑορτὴ Χύτροι, ἧς μνημονεύει Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πυθέου. ἤγετο δὲ ἡ ἑορτὴ Ἀνθεστηριῶνος τρίτῃ ἐπὶ δέκα, ὥς φησὶ Φιλόχορος ἐν τῷ Περὶ ἑορτῶν. *Est etiam Atticum aliquod festum Chytri, cujus meminit Dynarchus in scripto contra Pythean. Celebrabatur vero festum tertio decimo die Anthesterionis, ut ait Philochorus in opere de festis.* Errat Aristophanis Scholiastes, qui Choum, & Chytroum, eundem esse diem statuit. Ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἄγονται οἵ τε Χύτροι καὶ οἱ Χόες Ἀθήνησι. *Eodem die celebrantur Chytri & Choes Athenis.* Meminit utrorumque simul Comicus *Acharnensibus.*

Ὑπὸ τοὺς Χόας γὰρ καὶ Χύτρους αὐτοῖσί τις
Ἤγγειλε λῃστὰς ἐμβαλεῖν Βοιωτίους.

Sub Choas enim & Chytros ipsis quidam
Nunciavit latrones invasuros Bœotios.

Ac Choibus quidem Mercurio τῷ Χθονίῳ sacra faciebant; Chytris vero, ollam omni seminum genere refertam coquebant, qui ex diluvio evasissent; neque ex ea quisquam quicquam gustabat, Mercurii reverentia, quem placatum cupiebant. Scholiastes Comici, toties jam laudatus, ex Theopompo. Θεόπομπος τοὺς διασωθέντας ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ ἑψῆσαι φησὶ Χύτρας πανσπερμίας. ὅθεν οὕτω κληθῆναι τὴν ἑορτήν. καὶ θύειν τοῖς Χουσὶν Ἑρμῇ Χθονίῳ. τῆς δὲ χύτρας οὐδένα γεύσασθαι. τοῦτο δὲ ποιῆσαι τοὺς περισωθέντας, ἱλασκομένους τὸν Ἑρμῆν. *Theopompus conservatos ex diluvio coxisse dicit ollas omni semine refertas; unde ita vocatum esse festum. & immolare per Choas Mercurio Terrestri: ejus ollæ nihil ab quoquam gustari. Illud autem fecisse servatos, placantes Mercurium.* Ubi simul observa originem nominis. Exacto festo, ac finitis comessationibus, quas commemoravi, servi iterum ad opus protrudebantur, cum hoc dicto. Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια. *Exite Cares, non amplius sunt Anthesteria.* Hesychius. Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια. Παροιμία, ἥν οἱ μὲν διὰ τὸ πλῆθος οἰκετῶν τῶν Καρικῶν εἰρῆσθαι φασί. ὡς ἐν τοῖς Ἀνθεστηρίοις εὐωχουμένων αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐργαζομένων. *Exite Cares, non amplius Anthesteria. Proverbium, quod alii ob multitudinem mancipiorum Caricorum scribunt dictum; quasi per Anthesteria illis epulantibus, & non laborantibus.* Plenius Tarrhæus. Habesque apud Diogenianum, Zenobium, Suidam, alios.

ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ.

Proserpinæ agitabant Siculi. Pollux *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXXII. Κόρης παρὰ Σικελιώταις Θεογάμια, καὶ Ἀνθεσφόρια. *Proserpinæ apud Siculos festa, & quod Deæ nuptias commemorabat, & quo flores ferebantur.* Sacris ejus virgines operabantur, Ἀνθεσφόροι nuncupatæ. Videntur autem Argivi etiam celebrasse; dumque id virgines Ἀνθεσφόροι celebrabant; tibia illis accinebatur carnem quoddam, Θερακιὸν μέλος appellatum. Pollux *lib.* IV. *cap.* X. Θερακιὸν δὲ (μέλος) τὸ Ἀργολικόν. ὃ ταῖς Ἀνθεσφόροις ἐν Ἥρας ἐπηύλουν. *Theracius vero (cantus) Argi celebratus, quem ab Floriferis in Junonis (templo) ad tibiam canebant.* Ita locum illum restituo. Corrupte enim hodie editur, Ὃ ταῖς ἀνθεσμοφόροις ἐν ἦρος ἐπηύλουν. Et errat insigniter Interpres eruditus, cum vertit: *Quam in Proserpinæ festis in vere cantant.* Debuisset: *Quod virginibus Anthesphoris in templo Junonis tibia accinebant.* Censeo autem apud Argivos fuisse festum Junonis τῆς Ἀνθείας cognomento, quam ab illis cultam commemorat Pausanias *Corinthiacis.*

ΑΝΤΙΓΟΝΕΙΑ.

Antigono instituta. Plutarchus in *Agide, & Cleomene.* Ἵνα μὴ τῷ Κλεομένει ποιεῖν δοκῇ τὸ προσταττόμενον, Ἀντιγόνεια θύων, καὶ παιᾶνας ᾄδων. *Ut ne videatur facere quod imperaret Cleomenes Antigonia celebrans, & pæanas canens.*

ΑΝΤΙΝΟΕΙΑ.

Antinoo suo ab Adriano Imp. apud Mantinenses instituta; erantque sacra annua, & certamen quinquennale. Pausanias *Arcadicis.* Ὁ βασιλεὺς (Ἀδριανὸς) κατεστήσατο αὐτῷ (τῷ Ἀντινόῳ) καὶ ἐν Μαντινείᾳ τιμάς, καὶ τελετή τε κατὰ ἔτος ἕκαστον, καὶ ἀγών ἐστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτου. *Imperator (Hadrianus) instituit illi (Antinoo) etiam in Mantinea honores, & festum annuum, & certamen est illi quinquennale.*

ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ.

Mentio hujus festi apud Auctores plurima. Herodotus in *Vita Homeri.* Ἔτυχον δὲ οἱ ἐκεῖσε τὸν τότε καιρὸν ἄγοντες ἑορτὴν Ἀπατούρια. *Incolæ per istud tempus occupati erant celebrando festo quod dicitur Apaturia.* Alciphron in Epistola Ægialei *ad Struthionem.* Πάντως γὰρ πρὸς τῇ καταβολῇ τἀργυρίου ἔσται παρ' αὐτῷ τὶς παραμυθία, Διονυσίων, ἢ Ἀπατουρίων, τελουμένων. *Omnino enim ad depositionem argenti erit apud eum aliqua consolatio, quum Bacchanalia aut Apaturia aguntur.* Maximus Tyrius *Dissert.* XXXIII. Καὶ ἄλλην ὥραν ἔχει ἄλλος θεός, Παναθήναια, Σκιροφόρια, Ἅλωα, Ἀπατούρια. *Et aliam temporis partem habet alius Deus, Panathenæa, Scirophoria, Haloa, Apaturia.* Erat vero trium dierum; eorumque primus Δορπία, secundus Ἀνάρρυσις, tertius Κουρεῶτις dicebatur. Maximus est Hesychii error, qui quatuor dies commemorat. Ecce, iste ejus locus. Ἀπατούρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐπὶ τέσσαρας ἡμέρας. ὧν ἡ πρώτη, Δορπία καλεῖται· ἡ δευτέρα, Ἀνάρρυσις. ἡ τρίτη, Κουρεῶτις. ἡ τετάρτη, Ἐπίβδα. *Apaturia, festum Athenis per quatuor dies; quorum primus vocatur Dorpia; secundus Anarrysis; tertius Cureotis; quartus Epibda.* Item Simplicii, *ad Physic. lib.* IV. Κουρεῶτις δὲ ἦν ἡ τρίτη τῶν Ἀπατουρίων ἡμέρα, ὥσπερ ἡ πρώτη Δορπία, καὶ ἡ δευτέρα Ἀνάρρυσις, καὶ ἡ τετάρτη Ἐπίβδα. *Cureotis autem erat tertius Apaturiorum dies, sicut primus Dorpia, & secundus Anarrysis, & quartus Epibda.* Nam Ἐπίβδα dicebatur quilibet dies, qui festum aliquod sequeretur. De primo die, est locus Pollucis *lib.* IV. *cap.* XVII. Δορπία, ἡ πρώτη τῶν Ἀπατουρίων. *Dorpia, primus Apaturiorum.* Etiam Hesychii. Δορπία, ἡ τῶν Ἀπατουρίων πρώτη ἡμέρα οὕτω καλεῖται. *Dorpia, Apaturiorum primus dies ita vocatur.* De secundo, est locus Scholiastæ Aristophanis *ad Pacem.* Ἀνάρρυσις, κυρία τῶν Ἀπατουρίων ἡμέρα. *Anarrysis, proprius Apaturiorum dies.* Etymologici Auctor nimis generaliter dixit. Ἀνάρρυσις, οὕτω δὲ ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις ἐκαλεῖτο. *Anarrysis, sic autem festum apud Athenienses vocabatur.* Neque enim festum illud totum erat, sed unus tantum festi triduani dies. De tertio, passim occurrit apud Grammaticos; & nos statim producemus. Primo die epulum erat luculentum circa vesperam, ad quod conveniebant tribules; secundo sacra faciebant, puerumque ad aram adducebant; quem tertio in album civium referebant. Suidas. Ἀπατούρια, ἑορτὴ δημοτελής. ἤγετο δὲ παρ' Ἀθηναίοις ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, ἐν ᾗ ἐγράφη ἐπὶ τῇ πολιτείᾳ ὁ υἱὸς Σιτάλκου τοῦ Θρακῶν βασιλέως. καλοῦσι δὲ τὴν

μὲν

μὲν πρώτην Δορπίαν. ἐπειδὴ φράτορες ὀψίας συνελθόντες, εὐωχοῦντο. τὴν δὲ δευτέραν, Ἀνάῤῥυσιν, ἀπὸ τοῦ θύειν. ἔθυον δὲ Διὶ Φρατρίῳ, καὶ Ἀθηνᾷ. τὴν δὲ τρίτην, Κουρεῶτιν, ἀπὸ τοῦ τοὺς κούρους, καὶ τὰς κόρας, ἐγγράφειν εἰς τὰς φρατρίας. *Apaturia, festum publicum. Celebrabatur autem apud Athenienses per triduum, in quo adscribebatur civitati filius Sitalcæ Thracum regis. Appellant autem primum quidem diem Dorpian; quia tribules vespera congressi epulabantur: secundum vero Anarrysin, ab immolando. immolabant autem Jovi Tribuli ac Minervæ: tertium vero Cureotin ab eo, quod pueros ac puellas conscriberent inter tribules.* Quæ totidem verbis habes apud Aristophanis Scholiasten *Acharnensibus*, & Apostolium, *Cent.* III. *Proverb.* LXXIV. De primo die, quo epulum erat, capiendus Xenophon *Hist. Græc.* lib. I. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο Ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες, καὶ οἱ ξυγγενεῖς, ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς. *Post hæc vero fuerunt Apaturia, in quibus & parentes & cognati inter se coeunt.* Et Herodotus in *Vita Homeri*, ubi vocatum eum ad hoc festum ait. Ὁ δὲ, ἐντυχὼν τῷ Ὁμήρῳ, ἔλεξεν. Ὦ ξεῖνε, Ἀπατούρια ἀγούσης τῆς πόλιος, καλοῦσί σε οἱ φράτορες οἱ ἡμέτεροι συνεορτάσοντα. *Ille vero, obvius Homero, dixit; O hospes, quum Apaturia celebret civitas, vocant te tribules nostri ut una epuleris.* Et mox. Ἐπεὶ δὲ ἦλθεν εἰς τὴν φρήτρην, καὶ τῶν οἴκων, ἔνθα ἐδαίνυντο, ἐπὶ τὸν οὐδὸν ἔστη. *Quum vero venisset ad curiam, & conclavis, ubi epulabantur, ad limen stetit.* Item Aristophanes *Thesmoph.*

> Ὡς αὐτὰ κρέ' ἐξ Ἀπατουρίων ταῖς μαστροποῖς διδοῦσαι,
> Ἔπειτα τὴν γαλῆν φαμέν. ——
> *Sicut ipsas carnes ex Apaturiis lenis præbentes,*
> *Postea felem dicimus.*

Hinc insultans Tertullianus, coquorum tunc delectum indicendum esse inquit, *Apologetici* cap. XXXIX. *Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis, coquorum delectus indicentur.* Secundo, ut dixi, sacra faciebant; eaque Jovi τῷ Φρατρίῳ cognomento, & Minervæ. Vides in citatis jam Suidæ verbis. Τὴν δὲ δευτέραν, Ἀνάῤῥυσιν, ἀπὸ τοῦ θύειν. ἔθυον δὲ Διὶ Φρατρίῳ, καὶ Ἀθηνᾷ. *Secundum diem Anarrysin, ab immolando: immolabant autem Jovi Tribuli & Minervæ.* Etiam Jovi Ἀπατήνορι, ac Baccho. Colligere est ex istis Etymologici verbis. Ἀπατούρια, Ἀπατήνωρ, οὐχ ὁ Διόνυσος, ἀλλ' ὁ Ζεύς. *Apaturia. Apatenor (fallax) non Bacchus, sed Jupiter.* Et mox ibidem. Νικήσαντες οὖν Ἀθηναῖοι, Ἀπατήνορα μὲν Δία προσηγόρευσαν. Ἀπατούρια δὲ, ἑορτὴν τῷ Διονύσῳ. *Potiti igitur victoria Athenienses, Apatenorem quidem Jovem cognominarunt; Apaturia vero festum Baccho.* Bacchus vero iste erat Μελαναιγὶς cognominatus. Scholiastes Aristophanis *Acharnensibus*. Ἐκ τούτου ἥ τε ἑορτὴ Ἀπατούρια, καὶ Διονύσου Μελαναιγίδος ἐδομήσαντο. *Ex eo & festum Apaturia, & Bacchi Melanægidis exstruxerunt.* Totidem verbis Suidas dicit; sed locus utrobique mutilus. Restitue ex Apostolio, loco jam citato. Ubi plenius, Καὶ Διονύσου Μελαναιγίδος βωμὸν ἐδομήσαντο. *Et Bacchi Melanægidis aram exstruxerunt.* Dum autem sacra ista facerent, puerum illum, quem relatum in tribules cupiebant, ad aram quasi Diis sistebant. Observo apud Andocidem *Orat.* Περὶ τῶν μυστηρίων. Λαβόντες δὲ οἱ προσήκοντες τῇ γυναικὶ τὸ παιδίον, ἦγον ἐπὶ τὸν βωμὸν Ἀπατουρίοις, ἔχοντες ἱερεῖον, καὶ ἐκέλευον κατάρξασθαι τὸν Καλλίαν. *Excipientes autem propinqui fœminæ puerulum, duxerunt ad aram Apaturiis, habentes hostiam, jusseruntque prosecare Calliam.* Illo ipso die puto fa-

A ctum, quod, pulcherrimis stolis induti, sumptis e foco facibus ardentibus, currentes Vulcanum celebrabant, in memoriam edocti ab eo ignis usus. Narrat rem Harpocration *in* Λαμπάς. Ἴστρος δ' ἐν πρώτῃ τῶν Ἀτθίδων εἶπεν, ὡς ἐν τῇ τῶν Ἀπατουρίων ἑορτῇ Ἀθηναίων οἱ καλλίστας στολὰς ἐνδεδυκότες, λαβόντες ἡμμένας λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας, ὑμνοῦσι τὸν Ἥφαιστον θύοντες, ὑπόμνημα τοῦ κατανοήσαντος τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς διδάξαι τοὺς ἄλλους. *Ister autem in primo libro Atticarum rerum retulit, quemadmodum in festo Apaturiorum Athenienses pulcherrimis vestibus indutos, acceptis facibus accensis ex foco, cantant Vulcanum currentes, monumentum inventionis, qua usum ignis docuit alios.*
B Tertio die curiæ puerum quisque suum parentes offerebant inscribendum, jurantes Atheniensem esse illum, ex ipsis Atheniensibus natum. Sic intelligi Etymologici Auctor debet *in* Ἀπατούρια, cum inquit. Ἀπατούρια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῷ Πυανεψιῶνι μηνί. ἐπειδὴ ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ τοὺς γεννωμένους ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ παῖδας τότε ἐνέγραφον ὀμνύντες οἱ πατέρες, ἦ μὴν Ἀθηναίους ἐξ αὐτῶν Ἀθηναίων. *Apaturia festum agi solitum mense Pyanepsione: quoniam in illo festo liberos eo anno natos tunc inscribebant jurati parentes, esse vero Athenienses ex veris Atheniensibus.*
C Atque hoc est illud quod ait Isæus *Orat.* Ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου. Ἔστι δ' αὐτοῖς νόμος ὁ αὐτὸς, ἐάν τέ τινα φύσει γεγονότα εἰσαγάγῃ τις, ἐάν τε ποιητὸν, ἐπιτιθέναι πίστιν κατὰ τῶν ἱερῶν, ἦ μὴν ἐξ ἀστῆς εἰσάγειν, καὶ γεγονότα ὀρθῶς. *Est autem illis lex eadem, & si quis aliquem natura factum induxerit sive adsciticium, apponere fidem per sacra, omnino ex cive matre inducere & genitum recte.* Mutilus vero est Etymologici Auctoris locus, qui ita habet. Κουρεῶτις, ἑορτή ἐστιν, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας τελουμένη. *Cureotis, festum est, per tres dies celebratum.* Nam non ἡ Κουρεῶτις erat trium dierum festum, sed τὰ Ἀπατούρια, cujus illa tertius de-
D mum dies erat. Et mox apud eundem eodem loco est confusio, cum inquit. Τῇ μὲν οὖν πρώτῃ ἡμέρᾳ δειπνοῦσι, καὶ καλοῦσιν Ἀνάῤῥυσιν. (ita scribo, non Ἀναῤῥύσια.) διὰ τὸ τοὺς ἄρχοντας ἀνακλῶντας τὰ ἱερεῖα, καὶ ἄνω ἐρύοντας, θύειν. τῇ δὲ τρίτῃ, τοὺς κούρους εἰσάγουσιν εἰς τὴν ἑορτὴν, καὶ συνιστῶσι τοῖς συγγενέσι, καὶ γνωρίμοις, καὶ ἐγγράφουσιν εἰς τὴν πολιτείαν. ἡ δὲ ἑορτὴ καλεῖται Κουρεῶτις. *Primo quidem igitur die cœnant, & vocant Anarrysin, quoniam magistratus refringentes victimam & rursum flectentes immolant. Tertio autem die pueros inducunt in festum, & commendant propinquis, & familiaribus, & conscribunt in civitatem. Festum*
E *vero vocatur Cureotis.* Nam primum diem ponit, qui est secundus; & secundum plane omittit. Tamen video favere Proclum *in Timæum*, Commentariorum I. qui primum diem non Δορπίαν, sed Ἀνάῤῥυσιν, nominat. Habes verba. Ἐπετελεῖτο δὲ (τὰ Ἀπατούρια) ἐν ἡμέραις τρισίν. ὧν πρώτη μὲν, ἐκαλεῖτο Ἀνάῤῥυσις. διότι πολλαὶ θυσίαι ἐν αὐτῇ ἐδρῶντο. τὰ δὲ θύματα, ἐκάλουν ἀναῤῥύματα. ἐπειδὴ ἀνελκόμενα, καὶ ἐρυόμενα ἄνω, ἐθύετο. *Peragebantur vero (Apaturia) diebus tribus; quorum primus quidem vocabatur Anarrysis; quia multæ immolationes in illo fiebant. Victimas autem dice-*
F *bant anarrymata; quoniam retracta & flexa sursum, mactabantur.* Verum enimvero ut hoc auctore errorem suum tueatur, tamen secundi diei eclipsis est. Porro etsi triduanum tantum festum istud fuerit, senatus tamen, curiæque aliæ, dies quinque feriebantur; quod Cephisodoro archonte constitutum. Athenæus *libro* IV. Εὑρίσκω δὲ καὶ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος Ἀθήνησι γενόμενον, ἐν ᾧ ὥσπερ τι σύστημα οἱ Προτένθαι εἰσὶ, καθάπερ καὶ οἱ Παράσιτοι ὀνομαζόμενοι, ἔχον οὕτως. Φωκος εἶπεν, ὅπως ἂν ἡ βουλὴ ἄγῃ τὰ

Ἀπατούρια μετὰ τῶν ἄλλων Ἀθηναίων, κατὰ τὰ πάτρια, ἐψηφίσθαι τῇ βουλῇ ἀφεῖσθαι τοὺς βουλευτὰς τὰς ἡμέρας, ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι βουλαὶ διαφίενται ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἧς οἱ Προτένθαι ἄγουσι, πέντε ἡμέρας. *Invenio autem & decretum Cephisodoro archonte Athenis factum, in quo tanquam aliquod collegium sunt hi Protenthæ, sicut qui nominantur Parasiti, ita se habens. Phocus dixit, ut senatus celebret Apaturia cum aliis Atheniensibus ritu patrio, decretum esse ab senatu dimitti senatores per illos dies, in quibus etiam aliæ curiæ dimittuntur ab die, quam Protenthæ celebrant, dies quinque.* Jam, ut ad τὴν Κουρεῶτιν redeamus; eo die, ut dicere cœpi, liberos suos, curiæ oblatos, in tribules referebant parentes; comaque ipsis capitis secta, sacra Dianæ faciebant. Hesychius. Κουρεῶτις, μηνὸς τοῦ Πυανεψιῶνος ἡμέρα, ἐν ᾗ, τὰς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τῶν παίδων ἀποκείροντες τρίχας, Ἀρτέμιδι θύουσι. *Cureotis, mensis Pyanepsionis dies, in qua, detondentes ex puerorum capitibus crines, Dianæ immolant.* Atque hoc indigetabant, θύειν φρατρίαν: *immolare curiam*. quique negligerent, Ἐπιπαίζειν, apud Lacones dicebantur. Hesychius. Ἐπιπαίζειν τὸ μὴ θύειν φρατρίαν, Λάκωνες. *Alludere, non immolare curiam, Lacones.* Hostiam vero immolandam, ad certum pondus exhibere tenebantur; & quia tribules, cum hæc ipsa exhiberetur, per ludum clamabant, Μεῖον, Μεῖον; infra justum pondus esse illam significare volentes, Μεῖον ipsa; &, qui offerebant, Μειαγωγοὶ dicebantur. Harpocration. Μεῖον, θῦμά ἐστιν, ὃ τοῖς φράτορσι παρεῖχον οἱ τοὺς παῖδας εἰς τούτους εἰσάγοντες. Ἐρατοσθένης δ' ἐν τοῖς Περὶ τῆς κωμῳδίας φησὶν οὕτως. Νόμου ὄντος, μὴ μεῖον εἰσάγειν ὡρισμένου τινὸς, ἐπισκώπτοντα μετὰ παιδιᾶς πάντα τὸν εἰσάγοντα μεῖον ἔφασκε εἰσάγειν. ὅθεν τὰ μὲν ἱερεῖα, Μεῖον προσηγορεύθη. Μειαγωγὸς δὲ, ὁ εἰσάγων. *Minus sacrificium est, quod curialibus dabant isti, qui liberos in illos inducebant. Eratosthenes vero in libris de comœdia sic dicit: Quum lex esset, non minus inducere definito aliquo, convitiantem cum lusu omnem qui inducebat minus dicebant inducere: unde ipsæ hostiæ Minus appellatæ sunt; & Minusductor, qui inducit.* Sed corrupta ibi Eratosthenis verba sic restituo, Ἐπισκώπτοντες μετὰ παιδιᾶς πάντα τὸν εἰσάγοντα, Μεῖον ἔ. ε. *Convitiantes cum lusu omnem inducentem, Minus d. i.* Corruptus in hac ipsa re etiam Pollux *lib.* III. Κέκληται δὲ, ἢ ὅτι ἔσκωπτον, ὡς μεῖον τοῦ δέοντος. ἢ ὅτι κεκωλυμένον ἦν, εἰσάγειν. ὡς μὴ ἁμιλλῷντο, μηδ' ἐμπίπτοιεν εἰς ἔριν, καὶ ταραχήν. οἱ μὲν γὰρ οὐδὲ ἧττον ἐφιλοτιμοῦντο. οἱ δὲ ἐπεβόων, μείονος, οὐχ ὑπερβαινόντων αὐτῶν τὸ μέτρον τοῦ νόμου. *Vocatum vero est, vel quia convitiabantur, tanquam minus necessario, vel quia prohibitum erat inducere; ut ne pugnarent, neque inciderent in litem ac tumultum. Nam alii quidem non minus ambitiosi erant; alii autem acclamabant, minoris, non egredientibus illis mensuram legis.* Postrema verba ita emendo, Οἱ δὲ ἐπεβόων, Μεῖον· ὡς οὐχ ὑπερβαινόντων α. *Alii autem acclamabant, Minus; utpote non egredientibus i.* Clamabant enim tribules, cum hostia appenderetur, Μεῖον, Μεῖον. Scholiastes Aristophanis *ad Ranas*. Μεῖον λέγουσι τὰς ὑπὲρ τῶν υἱῶν εἰς τὰ Ἀπατούρια ὄϊς, ὑπὸ τῶν πατέρων εἰσαγομένας. διὰ τὸ ἐπιφωνεῖν τοὺς φράτορας ἐπὶ τοῦ σταθμοῦ τοῦ ἱερείου, Μεῖον, Μεῖον. *Minus dicunt oves pro filiis ad Apaturia, ab patribus inductas; quia acclamabant tribules ad pondus hostiæ, Minus, Minus.* Tradunt rem etiam Etymologici Auctor, Hesychius, & Suidas. Apud Harpocrationem etiam exstant Eupolidis versus. Ita enim inquit. Περὶ τοῦ Μειαγωγοῦ, Εὔπολις ἐν Δήμοις.

Τοιγαροῦν στρατηγὸς ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου
Οὐδεὶς δύναται ὥσπερ Μειαγωγὸς ἑστιῶν
Τῆς τοῦδε νίκης πλείονα ἑλκύσαι σταθμόν.

Propterea igitur dux ab illo tempore
Nullus potest tanquam Minusductor convivans
Hujus victoria ampliorem ponderare mensuram.

Quos non bene hodie conceptos sic restituo;

—— τοιγὰρ οὖν
Οὐδεὶς στρατηγὸς ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου
Δύναται μὲν, ὥσπερ Μειαγωγὸς ἑστιῶν,
Τῆς τοῦδε νίκης πλεῖον ἑλκύσαι σταθμόν.
—— *propterea igitur*
Nullus dux ex illo tempore
Potest quidem, velut Minusductor epulans,
Hujus victoria ampliorem ponderare mensuram.

Sed quænam hæc hostia? Ovis erat. Ecce tibi apud Suidam in Μειαγωγεῖν. Καὶ ὁ τὸ πρόβατον εἰσάγων, Μειαγωγὸς ἐκαλεῖτο. *Et qui ovem inducebat, Minusductor vocabatur.* Scholiastes Aristophanis, *loco citato*. Μεῖον λέγουσι, τὰς ὑπὲρ τῶν υἱῶν εἰς τὰ Ἀπατούρια ὄϊς ὑπὸ τῶν πατέρων εἰσαγομένας. *Minus dicunt, oves pro filiis ad Apaturia ab patribus inductas.* Vel capra. Et ut ovis Φρατὴρ, ita hæc Φρατέριος nominata. Pollux *loco citato*. Τὸ δὲ ἱερὸν, εἰς ὃ συνῄεσαν, Φράτριον ἐκαλεῖτο· καὶ τὸ σύστημα, Φρατρία. οἱ καθ' ἕκαστον, Φράτορες. καὶ ὄϊς, Φρατήρ. καὶ αἶξ. Φράτριος, ἡ θυομένη τοῖς φράτορσιν. *Sacer autem locus, in quem coibant, Phratrium vocabatur; & conventus, Phratria; singuli seorsum Phratores; & ovis, Phrater; & capra, Phratrius, quæ mactabatur curialibus.* Sacrificium ipsum Κουρεῖον appellatum fuit, quia tunc ἐνεγράφοντο οἱ κοῦροι εἰς τοὺς φράτορας, *conscribebantur pueri in curiales*, ut inquit Etymologici Auctor. Et Scholiastes Aristophanis *Ranis*. Τοῦτο δὲ κέκληται Κουρεῖον, ἀπὸ τῶν κούρων, ὑπὲρ ὧν ἐθύετο. *Illud autem vocatur Curejum, ab liberis, pro quibus mactabatur.* Et apud Pollucem *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXVIII. Κουρεῖον quoque scribendum, pro Κούριον; ut statim dicam. Apud Suidam hic locus pessime tractatus. Vide eum in Μειαγωγεῖν. Et hinc dies, quo hoc sacrum fieri solitum, Κουρεῶτις appellatus; ut testantur Grammatici, quos jam laudavi. Referebant autem in tribules quemadmodum filios, ita filias. Utque illorum causa institutum sacrificium, Κουρεῖον; ita harum, Γαμηλία dicebatur. Pollux *loco* statim *citato*, ubi de tribulibus agit. Εἰς τούτους τούς τε κούρους, καὶ τὰς κόρας, εἰσῆγον. καὶ εἰς ἡλικίαν προελθόντων ἐν τῇ καλουμένῃ Κουρεώτιδι ἡμέρᾳ, ὑπὲρ μὲν ἀρρένων τὸ Κουρεῖον ἔθυον· ὑπὲρ δὲ τῶν θηλειῶν, τὴν Γαμηλίαν. *In hos induxerunt filios filiasque; & ad ætatem progressorum, in die quæ dicebatur Cureotis, pro masculis mactabant Cureium; pro fæmellis autem Gamelian.* Ita emendo. Hodie editur, τὸ κόριον ἔθυον. Ubi valde errat Interpres eruditus, cum vertit, *Coriandrum offerebant*. Atque ad τὴν γαμηλίαν quod attinet, de ea ita Harpocration ex Didymo. Καὶ Δίδυμος ὁ Γραμματικὸς, ἐν μὲν τοῖς Ἰσαίου ὑπομνήμασι φησὶν εἶναι τὴν Γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν ἐπιγάμοις διδομένην, παρατιθέμενος λέξιν Φανοδήμου, ἐν ᾗ οὐδὲν τοιοῦτον γέγραπται. ἐν δὲ τοῖς εἰς Δημοσθένην, τὴν εἰς τοὺς φράτορας εἰσαγωγὴν τῶν γυναικῶν, οὐδεμίαν ἀπόδειξιν τῆς ἐξηγήσεως περιθέμενος. *Et Didymus Grammaticus in commentariis Isæi dicit esse Gamelian curialibus maritis præbitam, apponens dictionem Phanodemi, in qua nihil tale scriptum est. In commentariis vero ad Demosthenem, inductionem fæminarum in curiales, nullam demonstrationem explicationis circumponens.* Sed corrupta initio verba ita rescribo. Τὴν γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν ἐπὶ γάμοις διδομένην. *Gamelian curialibus propter nuptias præbitam* Mendum item est apud Hesychium. Γαμηλία, φερνὴ εἰς γάμον, παρασκευὴ, καὶ δεῖπνον, ὃ τοῖς φράτορσιν ἐποίει ὁ γαμῶν τ.

Gamelia, dos ad nuptias, apparatum & cœnam, quam curialibus faciebat is qui uxorem ducebat. Corrige, εἰς γάμου παρασκευήν. *ad nuptiarum apparatum.* Fiebat enim tum, cum nupturæ essent. Pollux *lib.* III. *cap.* III. Ἡ δὲ ἐπὶ γάμου θυσία ἐν τοῖς φράτορσι, Γαμηλία. καὶ τὸ ἔργον, Γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν. *Sacrificium vero ob nuptias in curialibus, Gamelia; & opus, Gameliam inferre.* Mentio ejus apud Demosthenem *Orat.* Πρὸς Εὐβουλίδην. Καὶ γὰρ ὁ πατήρ μου κατὰ τοὺς νόμους ἔγημε, καὶ Γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν εἰσενήνοχε. *Nam & pater meus juxta leges uxorem duxit, & Gameliam curialibus intulit.* Et apud Isæum, Ὑπὲρ τοῦ Πύρρου κλήρου. Ἀλλὰ μὲν ὥστε οὔτε Γαμηλίαν εἰσήνεγκεν ὁ θεῖος ὑμῶν, οὔτε τὴν θυγατέρα, ἥν φασι γνησίαν αὐτῷ εἶναι οὗτοι, εἰσαγαγεῖν εἰς τοὺς φράτορας ἠξίωσε. *Verum tamen quum nec Gamelian intulerit avunculus noster, neque filiam, quam illi dicunt naturalem ipsius esse, inducere in curiales dignatus est.* Et mox iterum. Καὶ περὶ τῆς τοῖς φράτορσι Γαμηλίας μὴ ἀμνημονεῖτε. *Et de Gamelia curialibus (debita) non obliti estis.* Deinde. Ἐπείσθη ἂν καὶ Γαμηλίαν ὑπὲρ αὐτῆς τοῖς φράτορσιν εἰσενεγκεῖν. *Persuasus fuisset quoque Gameliam pro illa curialibus inferre.* Occurrit quoque semel, iterumque, in ejusdem *Oratione* Περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. Libanius *Declam.* XXXVII. Ἑστιῶντα τοὺς οἰκείους, τοῖς φράτορσι τὴν Γαμηλίαν εἰσάγοντα. *Convivio excipientem familiares, curialibus Gamelian inducentem.* Sed quoto nam ætatis anno offerre curiæ liberos solitum? Video dissensum; & intra primum usitatum, tradit Etymologici Auctor *in* Ἀπατούρια. Ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ τοὺς γενωμένους ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ παῖδας τότε ἐνέγραφον. *In hoc festo genitos illo anno liberos tunc inscribebant.* Proclus *in Timæum Platonis*, tertium, aut quartum, annum statuit. Ἡ δὲ τρίτη, Κουρεῶτις· ἐν ταύτῃ γὰρ τοὺς κούρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς φράτορας, τριετεῖς, ἢ τετραετεῖς, ὄντας. *Tertius dies, Cureotis: in hoc enim pueros conscribebant in curiales, trium aut quatuor jam annorum.* Apud Aristophanem *Ranis* exagitat Archidemum Chorus, qui id necdum anno septimo fecisset.

Βούλεσθε δῆτα κοινῇ
Σκώψωμεν Ἀρχέδημον;
Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας,

Vultis ergo communiter
Subsannemus Archidemum?
Qui septennis non genuit curiales.

Nam ex hoc Atheniensium more explicandus iste Comici locus; neque hic quicquam Scholiastes intellexit. Pollux adulta demum ætate factum refert. Εἰς τούτους (τοὺς φράτορας) τούς τε κούρους, καὶ τὰς κούρας, εἰσῆγον. καὶ εἰς ἡλικίαν προελθόντων ἐν τῇ καλουμένῃ Κουρεώτιδι ἡμέρᾳ, ὑπὲρ δὲ τῶν θηλειῶν, τὴν Γαμηλίαν. *In hos (curiales) inducebant & filios, & filias: & progressis in ætatem, in die quæ vocatur Curejum; sed pro fœmellis Gamelian.* De virginibus, certa res est; fieri solitum, cum eas elocaturi patres essent: unde etiam Γαμελία sacrificium nominatum. Porro oblati curiæ liberi non duntaxat naturales, verum etiam adoptivi. Patet illud ex Isæo, Ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου. Ἔστι δ' αὐτοῖς νόμος ὁ αὐτὸς, ἐάν τέ τινα φύσει γεγονότα εἰσαγάγῃ τις, ἐάν τε ποιητόν. *Est autem illis lex eadem, sive quis aliquem naturaliter genitum induxerit, sive adoptatum.* Istud tamen hic discrimen; ut naturales Apaturiis, adoptivi autem Thargeliis offerrentur. De illis sunt accipienda, quæ hactenus dixi; de istis, observo apud Isæum *loco citato*. Καὶ ἐπειδὴ Θαργήλια ἦν, ἤγαγέ με ἐπὶ τοὺς βωμοὺς εἰς τοὺς γεννήτας τε καὶ φράτορας. *Et quum forent Thargelia, duxit me ad aras in gentiles & curiales.* Loquitur ibi de Thrasyllo, quem Apollodorus adoptaverat. Præter hæc, ingenii explorandi, carmina Poetarum filiis suis recitanda patres quasi in certamen proponebant. Plato in *Timæo*. Ἡ δὲ Κουρεῶτις ἡμῖν οὖσα ἐτύγχανεν Ἀπατουρίων. τὸ δὲ τῆς ἑορτῆς σύνηθες ἑκάστοτε καὶ τότε συνέβη τοῖς παισίν. ἆθλα γὰρ ἡμῖν οἱ πατέρες ἔθεσαν ῥαψῳδίας. πολλῶν μὲν οὖν δὴ καὶ ἐλέχθη ποιητῶν ποιήματα. ἅτε δὲ νέα κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα τὰ Σόλωνος πολλοὶ τῶν παίδων ᾔσαμεν. *Dies autem Cureotis nobis erat Apaturiorum: cujus festi solenne identidem tunc quoque fiebat pueris. Præmia enim nobis patres posuerint rhapsodiæ. Multorum quidem igitur etiam dicebantur poetarum procæmia: sed quæ tunc nova erant, carmina Solonis multi ex pueris cecinimus.* Ille autem in hoc certamine victor erat, qui memoriter plura carmina recitaret. Proclus in *suo ibi Commentario*. Ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ (Κουρεώτιδι) καὶ τῶν παίδων οἱ εὐφυέστεροι ποιήματα ἅττα ᾖδον, καὶ ἐκράτουν ἄλλοι ἄλλων, οἱ μνήμην πλειόνων ἔχοντες. *In hac vero die (Cureotide) & ex pueris solertiores canebant quædam carmina, & alii superabant alios, ut qui memoriam plurium haberent.* Sed quo mense celebrata Apaturia? Pyanepsione, ut video. Harpocration. Ἀπατούρια. Δημοσθένης ἐν τῷ Πρὸς Βοιωτόν. ἑορτή ἐστι παρ' Ἀθηναίοις, ἣν ἄγουσι Πυανεψιῶνι. *Apaturia. Demosthenes in sermone ad Bœotum: festum est apud Athenienses, quod agunt (mense) Pyanepsione.* Scholiastes Aristophanis *Acharnensibus*. Λέγει δὲ νῦν περὶ Ἀπατουρίων, ἑορτῆς ἐπισήμου δημοτελοῦς, ἀγομένων παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις κατὰ τὸν Πυανεψιῶνα μῆνα. *Nunc autem loquitur de Apaturiis, festo præsigni publico, quod celebratur ab Atheniensibus Pyanepsione mense.* Etymologici Auctor. Ἀπατούρια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῷ Διονύσῳ, τῷ Πυανεψιῶνι μηνί. *Apaturia, festum sacratum Baccho, Pyanepsione mense.* Theophrastus in *Eth. Charact.* Cap. Περὶ ἀδολεσχίας. Βοηδρομιῶνος μέν, ἐστι τὰ μυστήρια. Πυανεψιῶνος δὲ, Ἀπατούρια. *Boedromionis quidem sunt mysteria; Pyanepsionis autem Apaturia.* Etiam Hesychius ostendit, ubi de Cureotide die illi sermo. Κουρεῶτις, μηνὸς Πυανεψιῶνος ἡμέρα. *Cureotis, mensis Pyanepsionis dies.* Unde autem originem traxerint, docet Polyænus, ubi de Melantho agit: *Strateg.* lib. I. Ἀθηναῖοι τῷ στρατηγήματι τῆς ἀπάτης νικήσαντες, ἐτήσιον ἑορτὴν κατεστήσαντο, ἥν γε δὴ κληΐζουσιν Ἀπατούρια. *Athenienses industria fraudis victoriam nacti, annuum festum instituerunt, quod vocant Apaturia.* Proclus in *Timæum*, Comment. I. Τὰ Ἀπατούρια ἑορτή τις ἦν εἰς Διόνυσον, ἐπὶ τῇ Μελάνθου, καὶ Ξάνθου τοῦ Βοιωτοῦ, μονομαχίᾳ, καὶ νίκῃ τοῦ Μελάνθου δι' ἀπάτης, Βοιωτῶν καὶ τῶν Ἀθηναίων ὑπὲρ Οἰνόης πολεμούντων ἀλλήλοις. *Apaturia festum quoddam erat sacratum Baccho ob Melanthi & Xanthi, qui Bœoti filius, singulare certamen, & victoriam Melanthi per fraudem, quum Bœoti & Athenienses de Oenoe inter se contenderent.* Habes eadem apud Etymologici Auctorem, Suidam, Apostolium, Scholiasten Comici *ad Acharnenses*, & *Pacem*. Instituta autem in honorem Bacchi. Procul, ecce, in *verbis citatis*. Τὰ Ἀπατούρια ἑορτὴ ἦν εἰς Διόνυσον. *Apaturia festum erat in Bacchum.* Etymologici Auctor. Ἀπατούρια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῷ Διονύσῳ. *Apaturia festum celebratum Baccho.* Secretiorem festi instituti explicationem, e philosophia petitam, tradit Proclus *loco citato*. Ἡ μὲν οὖν τῶν Ἀπατουρίων ἑορτὴ, πρόφασιν ἔχουσα νίκης Ἀθηναίων, προσήκειν τῇ ὑποθέσει καθ' ἣν Ἀθηναῖοι νικῶσι. καὶ τὰ νοερὰ πάντα τῶν ἐνύλων ἐπικρατεῖ. τὸ δ' αὖ τῆς ἀπάτης οἰκεῖον τοῖς ἐγκοσμίοις εἴδεσιν ἐξισαμένοις, ἀπὸ τῶν ἀμερῶν καὶ αὔλων λόγων, καὶ φαινομένοις, ἀντὶ τῶν ὄντως γενομέ-

νων. ἡ δὲ ἐγγραφὴ τῶν παίδων, μιμεῖται τὰς τῶν μερικῶν ψυχῶν εἰς τοὺς οἰκείους κλήρους καταταξεις, καὶ τὰς εἰς διαφόρους γενέσεις καθόδους. τὸ δὲ τῆς ἑορτῆς, τὴν ἐν τῷ κόσμῳ διαιώνιον εὐθυμοσύνην. εἰ γὰρ πεπληρώμεθα θεῶν, αἰδιον ἑορτὴν ἄγει. τὰ δὲ ἆθλα τῆς ῥαψῳδίας, ἀναλογεῖ τοῖς ἀγῶσιν, οὓς ὑπομένουσιν αἱ ψυχαὶ, συνυφαίνουσαι τὴν ἑαυτῶν ζωὴν τῷ παντί. αὐτὴ δὲ ἡ ῥαψῳδία, προσέοικε τῇ εἰρημένῃ ζωῇ τοῦ παντός. μίμησιν γὰρ ἔχει τῶν νοερῶν εἰδῶν, ὡς ἐκείνη πράξεων, καὶ ἠθῶν ἡρωϊκῶν, μετὰ τοῦ καθηρμοσμένον ἔχειν τὸν εἱρμόν. τὰ δὲ πολλὰ ποιήματα τῶν πολλῶν ποιητῶν, τὰς πολλὰς ἀπεικονίζεται φύσεις, καὶ τοὺς πολλοὺς περικοσμίους, καὶ ὅλως τὴν τῶν φυσικῶν μιμημάτων διαίρεσιν. τὰ δὲ νέα ποιήματα τὰ ἀεὶ ἀκμάζοντα εἴδη, καὶ ἀεὶ τέλεια, καὶ γόνιμα, καὶ δρᾶν εἰς ἄλλα δυνάμενα. *Festum quidem igitur Apaturiorum, habens prætextum victoriæ Athenienſium, convenit argumento, unde vincunt Athenienſes, & omnia mentis propria ſuperant res materiales. Porro fraus propria mundanis generibus diverſis ab indiviſibilibus & materia defectis rationibus, & apparentibus pro eis, quæ vere exiſtunt. Inſcriptio autem puerorum imitatur ordinationes particularium animarum in proprias ſortes ac deſcenſus in diverſas generationes: feſti vero ratio, perpetuam bonæ mentis conſtitutionem in mundo. Sic enim repleti ſumus diis, perpetuum feſtum celebrat. Præmia autem rhapſodiæ conveniunt cum agonibus, quos ſuſtinent animæ, contexentes ſuam vitam cum univerſo. Ipſa autem hæc rhapſodia ſimilis videtur ei vitæ, quam dixi, univerſi. Habet namque imitationem intelligibilium formarum, ut ipſa rerum geſtarum, & morum heroicorum, cum eo quod habeat adunatam ſeriem. Cæterum multa poemata multorum poetarum multas depingunt naturas & multa circummundia, & omnino diviſionem phyſicorum imitamentorum. Rurſus nova poemata (notant) illas ſemper vigentes ſpecies, & ſemper abſolutas, & fœcundas, & efficaces operando in aliis.* Celebrabant autem non Athenienſes tantum, ſed & Samii. Herodotus in *Vita Homeri*. Ἐς Ἑλλάδα βουλόμενος ποιεῖσθαι τὸν πλοῦν, προσίσχει τῇ Σάμῳ. ἔτυχον δὲ οἱ ἐκεῖσαι τὸν τότε καιρὸν ἄγοντες ἑορτὴν Ἀπατούρια. *In Græciam conſtituens navigare appellit Samum: cujus incolæ iſto tempore erant in celebrando feſto Apaturiorum.* Ac ſacra tunc τῇ Κουροτρόφῳ in trivio mulieres faciebant, quibus invenire virum nefas erat. Videre eſt apud Herodotum, *eodem loco*. Πορευόμενος δὲ ἐγχρίμπτεται γυναιξὶ Κουροτρόφῳ θυούσαις ἐν τῇ τριόδῳ. ἡ δὲ ἱέρεια εἶπε πρὸς αὐτὸν, δυσχεράνασα τῇ ὄψει. Ἀνὴρ ἀπὸ τῶν ἱερῶν. ὁ δὲ Ὅμηρος ἐς θυμὸν ἔβαλε τὸ ῥηθὲν, καὶ ἤρετο τὸν ἄγοντα, τίς τε ὁ φθεγξάμενος, καὶ τίνι θεῶν ἱερὰ θύεται. ὁ δὲ αὐτῷ διηγήσατο, ὅτι γυνὴ εἴη, Κουροτρόφῳ θύουσα. *Proficiſcens vero occurcurit mulieribus in trivio. Tum ſacerdos dixit ei, indignationem viſu monſtrans. Vir abhinc ab ſacris. Homerus vero in mentem conjecit dictum, rogabatque ducentem, Quis eſſet ille loquutus, & cui Deorum ſacra fierent. Ille autem narravit ei fœminam eſſe ſacrificantem Deæ puerorum nutrici.* Erat vero Cereris illud cognomentum. Heſychius. Κουροτρόφος, παιδοτρόφος. ὑφ᾽ ἑτέρων, ἡ Δημήτηρ. *Curotrophos, puerorum nutrix; ab aliis Ceres.* Itaque ſcribendum apud Pauſaniam *Atticis* puto, Ἔστι δὲ καὶ τῆς Κουροτρόφου, καὶ Δήμητρος ἱερὸν Χλόης. *Eſt autem & puerorum nutricis & Cereris templum Chloæ.* Eſt etiam Κουροτρόφου, & Χλόης, Cereris fanum; inquit. Loquitur de iis, quæ in arce Athenienſi. Perperam editur, καὶ Γῆς Κουροτρόφου. *Et Terræ puerorum nutricis.*

Α Π Α Υ Λ Ι Α.

Etymologici Auctor. Ἀπαύλια, ἑορτὴ παρ᾽ Ἀθηναίοις. ὅτι τότε ἄρχεται ἡ κόρη χωρὶς τοῦ πατρὸς αὐλίζεσθαι. ἢ τότε ἐπαυλίζετο τῷ ἀνδρὶ ἡ γυνή. *Apaulia, feſtum apud Athenienſes, quia tunc incipit puella ſine patre verſari, vel tunc verſatur cum viro mulier.* Sed errare ego Grammaticum cenſeo. Neque enim feſtum iſtud particulare aliquod erat, ſed ſecundus nuptiarum dies; ut notum ſatis ex Grammaticis. Obiter corrigendus Heſychii locus, qui corruptus Γάμοι, ἡ πρώτη ἡμέρα τῶν γάμων. ἡ δὲ δευτέρα, παλαίαι. *Nuptiæ, primus dies nuptiarum: ſecundus palia.* Reſtituo, ἡ δὲ δευτέρα, ἀπαυλία.

Α Π Ο Λ Λ Ω Ν Ι Α.

Apollini ſacra, ut Ποσειδώνια Neptuno. Commemorat Apollinis quiddam feſtum apud Sicyonios Pauſanias *Corinthiacis*. In hoc pueri ac puellæ ſeptem ad Sytham flumen abeuntes Apollinem ac Dianam in Suadelæ fanum ducunt. Rem, & originem, ita narrat. Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις, ἀποκτείναντες Πύθωνα, παρεγένοντο εἰς τὴν Αἰγιάλειαν, καθαρσίων ἕνεκα. γενομένου δέ σφισι δείματος, ἔνθα καὶ νῦν Φόβον ὀνομάζουσι τὸ χωρίον, οἱ μὲν ἐς Κρήτην παρὰ Καρμάτορα ἀπετράποντο, τοὺς δὲ ἀνθρώπους ἐν τῇ Αἰγιαλείᾳ νόσος ἐπέλαβε. καὶ σφᾶς ἐκέλευον οἱ μάντεις Ἀπόλλωνα ἱλάσασθαι, καὶ Ἄρτεμιν. Οἱ δὲ παῖδας ἑπτὰ, καὶ ἴσας παρθένους, ἐπὶ τὸν Σύθαν ποταμὸν ἀποστέλλουσιν ἱκετεύοντας. ὑπὸ τούτων δὲ πεισθέντας τοὺς θεοὺς φασὶν ἐς τὴν τότε ἀκρόπολιν ἐλθεῖν. καὶ ὁ τόπος ἔνθα πρῶτον ἀφίκοντο, Πειθοῦς ἐστὶν ἱερόν· τούτοις δὲ ἐοικότα καὶ νῦν ἔτι ποιεῖται. καὶ γὰρ ἐπὶ τὸν Σύθαν ἴασιν οἱ παῖδες τῇ ἑορτῇ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἀγαγόντες δὴ τοὺς θεοὺς ἐς τὸ τῆς Πειθοῦς ἱερὸν, αὖθις ἀπάγειν εἰς τὸν ναὸν φασὶ τοῦ Ἀπόλλωνος. *Apollo & Diana quum occidiſſent Pythonem, purgaminum cauſa iverunt Ægialeam. Sed quum horror eis obortus eſſet, illic ubi nunc quoque locus vocatur Phobus, illi quidem in Cretam ad Carmanorem averterunt ſe, incolas autem Ægialeæ morbus corripuit; & a vatibus juſſi ſunt placare Apollinem ac Dianam. Illi autem pueros ſeptem totidemque puellas ad Sythan fluvium mittunt ſupplicaturos. Ab his inductos Deos dicunt in arcem, quæ tunc erat, veniſſe. & locus ubi primum venerunt, Suadæ templum eſt. Hic ſimilia etiam hodieque fiunt. Nam & ad Sythan abeunt pueri in feſto Apollinis, & ſcilicet ducentes Deos in Suadæ templum, rurſus abducere in templum dicunt Apollinis.*

Α Π Ο Π Ο Μ Π Α Ι.

Dies aliquot, per quos ſacra Diis τοῖς πομπαίοις facta. Heſychius. Ἀποπομπαί. ἡμέραι τινὲς, ἐν αἷς θυσίαι ἐτελοῦντο τοῖς πομπαίοις θεοῖς. *Dimiſſiones; dies quidam, in quibus ſacrificia peragebantur diis animarum ductoribus.*

Α Ρ Α Τ Ε Ι Α.

Arati honori inſtitutum a Sicyoniis feſtum. Commemorat Plutarchus in *ejus Vita*. Κομισθείσης δὲ τῆς μαντείας, οἵ τε Ἀχαιοὶ σύμπαντες ἥσθησαν, καὶ διαφερόντως οἱ Σικυώνιοι, μεταβαλόντες εἰς ἑορτὴν τὸ πένθος, εὐθὺς ἐκ τοῦ Αἰγίου τὸν νεκρὸν ἐστεφανωμένοι καὶ λευχειμονοῦντες ὑπὸ παιάνων καὶ χορῶν εἰς τὴν πόλιν ἀνῆγον. *Oraculo autem allato & Achæi omnes lætati ſunt, & præſertim Sicyonii, luctus mutantes in feſtum, ſtatim ex Ægio cadaver coronati & candido induti veſtibus inter pæanas & choros in urbem deduxerunt.* Quin duo illi dies feſti dati fuerunt, unus, quo civitatem a tyrannide vindicaſſet, qui erant

quintus Anthesterionis mensis: alter vero, quo natus esset. Utroque etiam sacra illi faciebant; quorum priora, ob memoriam servatæ Urbis, Σωτήρια appellabant: eaque Jovis Servatoris sacerdos peragebat; posteriora vero, Arati: isque fasciam non ex toto candidam, sed purpura intertextam gerebat. canebanturque carmina ad citharam a symphoniacis, ducente pompam puerorum & adolescentum gymnasiarcha, ac prosequente item senatu coronato, reliquisque civibus, quibus illud libitum foret. Plutarchus *loco citato*. Καὶ θύουσιν αὐτῷ (τῷ Ἀράτῳ) θυσίαν, τὴν μὲν, ᾗ τὴν πόλιν ἀπήλλαξε τῆς τυραννίδος, ἡμέρᾳ πέμπτῃ Δαισίου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ἀνθεστηριῶνα, καὶ τὴν θυσίαν ἐκείνην Σωτήρια προσαγορεύουσι. τὴν δὲ, τοῦ μηνὸς ἐν ᾗ γενέσθαι τὸν ἄνδρα διαμνημονεύουσι. τῆς μὲν οὖν προτέρας τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος κατήρχετο θυηπόλος. τῆς δευτέρας, ὁ τοῦ Ἀράτου, στρόφιον οὐχ ὅλον λευκὸν, ἀλλὰ μεσοπόρφυρον, ἔχων. μέλη δὲ ᾔδετο πρὸς κιθάραν ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν. καὶ συνεπόμπευεν ὁ γυμνασιάρχης, ἡγούμενος τῶν τε παίδων καὶ τῶν ἐφήβων, εἶτα ἐφείπετο ἡ βουλὴ στεφανηφοροῦσα, καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν ὁ βουλόμενος, *Et sacrificant illi (Arato) sacrificium, unum quidem qua urbem liberavit ab tyrannide, die quinta mensis Dæsii, quem Athenienses vocant Anthesteriona, & sacrificium, illud appellant Salutaria: alterum autem mense, in quo genitum esse virum commemorant. Prioris quidem igitur in honorem initium facit Jovis Servatoris sacrificus: in secundo, Arati (sacerdos) vittam non totam albam, sed dimidia parte purpuream habens. Cantus vero canebantur ad citharam ab scenicis artificibus, & pompæ intererat gymnasiarcha, præpositus pueris & ephebis, deinde insequebatur senatus coronatus, & ex aliis civibus cui volenti erat.*

ΑΡΓΕΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Incertum, quod proprium nomen habuerit; illud certum, publice omnes convivatos. Parthenius meminit *Erotic.* XIII. Καί τινος ἑορτῆς καὶ θυσίας παρ' Ἀργείοις τελουμένης, ἐν ᾗ δημοσίᾳ πάντες εὐωχοῦνται, καὶ τότε σκευάσασα τὰ κρέα τοῦ παιδὸς, παρατίθησι τῷ πατρί. *Et aliquo festo ac sacrificio apud Achæos peracto, in quo publice omnes epulantur, tunc quoque exornans carnes pueri, apponit patri.* Apud eosdem in festo quodam, nescio an hoc ipso, pueri ludentes sese Βαλλαχράδας appellabant. Plutarchus in *Quæst. Græcis*. Βαλλαχράδας ἑαυτοὺς Ἀργείων παῖδες ἐν ἑορτῇ τινὶ παίζοντες ἀποκαλοῦσιν. *Ballachradas se Argivorum filii in festo quodam ludentes appellant.* Erat quoque, in quo pompam armati cives agitabant. Æneas Tacticus *Poliorcetici* cap. XVII. Ἑορτῆς πανδήμου ἔξω τῆς πόλεως Ἀργείων γενομένης, ἐξῆγον πομπὴν σὺν ὅπλοις τῶν ἐν τῇ ἡλικίᾳ συχνῶν. *Sacrificio publico Argivorum extra urbem peragendo, eduxerunt pompam cum armis frequentium eorum, quos ætas tales esse permittebat.*

ΑΡΙΑΔΝΕΙΑ.

Hinc quoque rem potius, quam nomen invenio. Nam Ariadnæ sacra instituit Theseus, quæ celebrata Gorpiæi mensis die secundo; cum adolescens in lecto cubans vociferaretur, aliaque omnia faceret, quæ parturientes solent. Plutarchus in *ejus Vita*. Ἐπελθόντα δὲ τὸν Θησέα, καὶ περίλυπον γενόμενον, τοῖς μὲν ἐγχωρίοις ἀπολιπεῖν χρήματα, συντάξαντα θύειν τῇ Ἀριάδνῃ. Ἐν δὲ τῇ θυσίᾳ, τοῦ Γορπιαίου μηνὸς ἱσταμένου δευτέρᾳ, κατακλινόμενόν τινα τῶν νεανίσκων φθέγγεσθαι, καὶ ποιεῖν ἅπερ ὠδίνουσαι γυναῖκες. *Supervenientem vero Theseum, & sane quam tristitia confusum, incolis quidem reliquisse pecunias, constituentem cum illis, ut Ariadnæ sacrificarent. In isto autem sacrificio, Gorpiæi mensis incboati secundo die, reclinatum aliquem adolescentem dicere & facere, quæ mulieres parturientes.* Et mox, cum duas fuisse Ariadnes dicit statuere Naxios, utramque addit festum suum peculiare habuisse. Ἀποθανεῖν δὲ καὶ τὴν Ἀριάδνην αὐτόθι, καὶ τιμὰς ἔχειν οὐχ ὁμοίως τῇ προτέρᾳ· τῇ μὲν γὰρ ἡδομένους καὶ παίζοντας ἑορτάζειν, τὰς δὲ ταύτῃ δρωμένας θυσίας, εἶναι πένθει τινὶ καὶ συγνότητι μεμιγμένας. *Sed & mortuam illic fuisse Ariadnen, & honores habere non similes priori. Huic enim jocantes & ludentes feriari; ea vero quæ isti offerrentur sacrificia, esse luctu & dolore mixta.*
*

ΑΡΡΗΦΟΡΙΑ.

Alii Minervæ sacrum hoc festum existimabant; alii Ersæ, Cecropis filiæ; unde etiam ἑρσηφορία a nonnullis scribebatur. Etymologici Auctor. Ἀρρηφόρια ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῇ Ἀθηνᾷ, ἐν Σκιρροφοριῶνι μηνί. (λέγεται δὲ καὶ διὰ τοῦ ε. ἐρρηφόρια.) παρὰ τὸ ἄρρητα καὶ μυστήρια φέρειν. ἢ ἐὰν διὰ τοῦ ε. παρὰ τὴν Ἕρσην, Κέκροπος θυγατέρα, Ἑρσηφόρια. ταύτῃ γὰρ ἦγον τὴν ἑορτήν. *Arrephoria, festum dicatum Minervæ mense Scirrophorione. (Dicitur vero etiam per literam e. Errephoria) quoniam non dicenda & mysteria ferunt: aut quando per e. literam dicuntur, propter Hersen filiam Cecropis, Ersephoria. Huic enim festum celebrabant.* Et apud Suidam. Διὰ τοῦ α. ἀρρηφόρια, ἐπειδὴ τὰ ἄρρητα ἐν κίσταις ἔφερον τῇ θεῷ αἱ παρθένοι. εἰ δὲ διὰ τοῦ ε. ἑρσηφόρια. τῇ γὰρ Ἕρσῃ ἐπόμπευον, τῇ Κέκροπος θυγατρί. *Per literam a. Arrephoria, quoniam non dicenda ferebant virgines in cistis Deæ. Si vero per literam e. Ersephoria. Nam Ersæ pompam ducebant Cecropis filiæ.* Celebrabant festum id virgines, eæque Ἀρρηφόροι dictæ. Eligebantur autem quatuor numero, genere nobili. Harpocration. Τέσσαρες μὲν ἐχειροτονοῦντο δι' εὐγένειαν ἀρρηφόροι. *Quatuor quidem designabantur propter nobilitatem Arrephori.* Atque hæ ipsæ annis septem non minores, nec majores undecim erant. Etymologici Auctor. Τέσσαρες δὲ παῖδες ἐχειροτονοῦντο κατ' εὐγένειαν ἀρρηφόροι, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ μέχρις ἕνδεκα. *Quatuor autem puellæ designabantur propter nobilitatem Arrephori, ab annis septem ad undecim.* Et insignis locus est apud Aristophanem *Lysistrata*, qui huc pertinet.

> Ἑπτὰ μὲν ἔτη γεγῶσα
> Εὐθὺς ἠρρηφόρουν.
> *Septem quidem annos nata*
> *Statim Arrephorus eram.*

Vides clare initium ab anno septimo fuisse. Ex his duæ eligebantur, quæ texturæ pepli præessent. Etymologici Auctor de illis ipsis. Τούτων δὲ δύο διεκρίνοντο, αἳ διὰ τῆς ὑφῆς τοῦ πέπλου ἦρχοντο καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ αὐτόν. *Harum vero duæ secernebantur, quæ per texturam pepli etiam reliquis ad eum necessariis proludebant.* Totidem pene verbis Harpocration. Ordiebantur vero peplum illum texere die tricesimo mensis Pyanepsionis, quo τὰ Χαλκεῖα celebrabantur. Suidas in Χαλκεῖα. Ἔστι δὲ ἕνη καὶ νέα τοῦ Πυανεψιῶνος, ἐν ᾗ καὶ αἱ ἱέρειαι μετὰ τῶν ἀρρηφόρων διάζονται. *Est autem dies tricesimus mensis Pyanepsionis, in quo etiam sacerdotes cum arrephoris telam constituunt.* Eadem habes apud Etymologici Auctorem in eadem dictione. Gestabant autem vestem albam, &

* *His interponi queunt* ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙΑ, *quod erat festum Abderitarum in honorem Aristotelis, ut est in* Vita Aristotelis *pag.* II. *ex editione Nunnesii.*

in ea aurum quoque. Etymologici Auctor. Λευκὴν δὲ ἐσθῆτα ἐφόρουν, καὶ χρυσία. *Candidam vero vestem gerebant, & aurea ornamenta.* Et paullo ante. Ἀῤῥηφορεῖν, τὸ χρυσῆν ἐσθῆτα φορεῖν, καὶ χρυσία. *Arrephorein, vestem auream gerere, & alia aurea.* Harpocration. Λευκὴν δ' ἐσθῆτα ἐφόρουν· καὶ εἰ χρυσία περιέθεντο, ἱερὰ ταῦτα ἐγένοντο. *Candidam vero vestem gerebant; & si quæ aurea sibi addiderant, ea fiebant sacra.* Item panis illis proprius, Ναστὸς appellatus. Athenæus lib. III. Κράτης δ' ἐν δευτέρᾳ Ἀττικῆς διαλέκτου, θάργηλον καλεῖσθαι τὸν ἐκ τῆς συγκομιδῆς πρῶτον γινόμενον ἄρτον, καὶ τὴν σαμίτην. οὐχ ἑώρακε δὲ οὐδὲ τὸν ναστὸν καλούμενον, ὃς ταῖς ἀῤῥηφόροις γίνεται. *Crates autem in secundo Atticæ dialecti, thargelon appellari panem qui post messem primus conficitur, ut etiam samiten. Non vidit autem neque eum, qui nastus vocatur, qui arrephoris paratur.* Etiam placentæ, Ἀνάστατοι nuncupatæ. Suidas. Ἀνάστατοι, πλακούντων εἶδος. οὗτοι δὲ αὐταῖς ταῖς ἀῤῥηφόροις ἐγίνοντο. *Anastati, genus placentarum: illi autem solis arrephoris fiebant.* Sphæristerium quoque in arce habebant. Plutarchus in *Isocrate*. Ἀνάκειται γὰρ ἐν ἀκροπόλει χαλκοῦς ἐν τῇ σφαιρίστρᾳ τῶν ἀῤῥηφόρων. *Dedicatus enim est in arce æreus in sphæristerio arrephororum.* Dati autem huic festo sui quoque præbitores, qui sumptus expenderent. Animadvertere est apud Lysiam in ea Oratione, quæ Ἀπολογία δωροδοκίας inscribitur. Χωρὶς δὲ ἀρχεθεωρίας, καὶ ἀῤῥηφορίας, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, εἰς ἃ ἐμοὶ δεδαπάνηται πλέον ἢ τετράκοντα μναῖ. *Absque autem hoc sacræ legationis principatu, & arrephoria, & alia similia, in quæ impensæ sunt a me minæ ultra triginta.* Hæc mihi de hoc festo annotata etiam in *Lectionibus Atticis*; sed reponere hic quoque visum auctiora, loco proprio.

ΑΡΣΕΜΙΣΙΑ.

Dianæ cum aliis celebrabant Syracusani, vino multo, & lusu. Plutarchus in *Marcello*. Ἑορτὴν Ἀρτέμιδι τοὺς Συρακουσίους ἄγοντας, καὶ πρὸς οἶνον ὡρμημένους καὶ παιδιὰν παραφυλάξας, ἔλαθεν. *Festum Artemidi Syracusanos agentes, & ad vinum conversos & lusum observans, fefellit.* Livius in re eadem lib. XXV. *Occasio quærebatur, quam obtulit transfuga, nuntians; diem festum Dianæ per triduum agi: &, quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari.* Ac panis ei offerebatur Λοχιὰ dictus. Hesychius. Λοχιά. ἄρτος τῇ Ἀρτέμιδι γενόμενος. *Lochia. panis Dianæ confectus.* Quæ sacra ejus ordirentur, Λόμβαι dictæ. Idem Hesychius. Λόμβαι, αἱ τῇ Ἀρτέμιδι θυσιῶν ἄρχουσαι. *Lombæ, sacrificiorum Dianæ principes.* *

ΑΣΙΝΑΡΙΑ.

Festum a Syracusanis institutum, ob profligatum captumque Niciam ad Asinarum flumen, mensis Metageitnionis decimo septimo. Plutarchus in *Nicia*. Ἐκκλησίας δὲ πανδήμου Συρακουσίων καὶ τῶν συμμάχων γενομένης, Εὐρυκλῆς δημαγωγὸς ἔγραψε, πρῶτον μὲν τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ τὸν Νικίαν ἔλαβον, ἱερὰν ἔχειν, θύοντας, καὶ σχολάζοντας ἔργων, Ἀσιναρίαν τὴν ἑορτὴν ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ καλοῦντας. ἡμέρα δὲ ἦν τετράς φθίνοντος τοῦ Καρνείου μηνός, ὃν Ἀθηναῖοι Μεταγειτνιῶνα προσαγορεύουσι. *Concione vero pubblica Syracusanorum & Sociorum habita, Eurycles populi tribunus scripsit, primum quidem diem, qua Niciam cepissent, sacram habere, immolantes & feriatos ab operibus, Asinarium festum ab fluvio vocantes. Dies autem erat quartus deficientis Carnii mensis, quem Athenienses Metageitniona appellant.*

* *Ita enim videtur considerari debere vox Græca; non enim dicit ἀρχόμεναι, ut de ordiendo intelligi debeat cum Meursio.*

ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ.

Æsculapii in honorem instituta. Theodoretus *Therapeut.* VII. Ἑρμαῖα, καὶ Κρόνια, καὶ Ποσειδώνια, καὶ Ἡράκλεια, καὶ Ἀσκληπίεια, καὶ Πανάκεια. *Mercurialia & Saturnalia, & Neptunalia, & Herculanea, & Asclepiea, & Panaea.* Celebrabant plures, sed magnificentissime omnium Epidauri. Pausanias *Corinthiacis*. Τὰ γὰρ Ἀσκληπίεια εὑρίσκω τὰ ἐπιφανέστατα ἐξ Ἐπιδαύρου. *Nam Æsculapii sacra invenio magnificentissima ex Epidauro.* Et certamen quoque ab illis institutum. Scholiastes Pindari *Nemeonic. Od.* III. Τίθεται δὲ ἐν Ἐπιδαύρῳ ἀγὼν Ἀσκληπιῷ, τῶν Ἀσκληπιαδῶν πρώτων θέντων. *Ponitur autem in Epidauro agon Æsculapio, ab Asclepiadis primis positus.* Meminit Inscriptio Vetus. ΣΤΗΣΑΣ. ΤΟΥΣ. ΑΝΤΑΓΩΝΙΣΤΑΣ. ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ, ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ. *Qui stitit adversarios Epidaurum Asclepiea.* Et alia. ΤΩΝ. ΙΕΡΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ. *Sacrorum magnorum Asclepieorum.* Tertia. ΤΩΝ. ΙΕΡΩΝ. ΑΓΩΝΩΝ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ. *Sacrorum agonum magnasclepieorum.* Erat vero id certamen rhapsodorum, & cæteræ quoque Musices. Plato *Ione*. ΣΩ. Πόθεν τανῦν ἡμῖν ἐπιδεδήμηκας; ἢ οἴκοθεν, ἐξ Ἐφέσου; ΙΩΝ. Οὐδαμῶς, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' ἐξ Ἐπιδαύρου, ἐκ τῶν Ἀσκληπιείων. ΣΩ. Μῶν καὶ ῥαψῳδῶν ἀγῶνα τιθέασι τῷ θεῷ οἱ Ἐπιδαύριοι; ΙΩΝ. Πάνυ γε, καὶ τῆς ἄλλης γε μουσικῆς. *Unde cum maxime nobis advenisti? an ab domo ex Ephesо? ION. Nequaquam, o Socrates, sed ex Epidauro ab Asclepieis. SO. Num etiam rhapsodorum certamen posuerunt Deo Epidaurii? ION. Omnino, & reliquæ musicæ.*

ΑΣΚΩΛΙΑ.

Baccho sacra. Hæc cum celebrarent, in utrem unctum, & vino plenum, insiliebant uno pede, risus excitandi causa; quique ita insiliisset, ut insisteret, utrem illum præmium sibi auferebat. Scholiastes Aristophanis *Pluto*. Ἀσκώλια, ἑορτὴ Διονύσου. ἀσκὸν γὰρ οἴνου πληροῦντες, ἑνὶ ποδὶ τοῦτον ἐπήδων. καὶ ὁ πηδήσας, ἆθλον εἶχε τὸν οἶνον. *Ascolia, festum Bacchi. Utrem namque vino replentes, uno pede hunc saltabant; & qui saltaverat, præmium habebat vinum.* Phurnutus, ubi de Baccho. Τὸν δὲ τράγον αὐτῷ θύουσι, διὰ τὸ λυμαντικὸν δοκεῖν τῶν ἀμπέλων, καὶ τῶν σύκων, εἶναι τὸ ζῷον τοῦτο· καθὸ καὶ ἐκδέροντες αὐτὸν, εἰς τὸν ἀσκὸν ἐνάλλονται κατὰ τὰς Ἀττικὰς κώμας οἱ γεωργῶν νεανίσκοι. *Hircus illi immolatur, quia videtur perniciosum esse vinis, & ficubus, id animal: sicut etiam deglubentes eum, in utrem insiliunt per pagos Atticos agricolarum adolescentes.* Ubi hoc quoque observa: ex pellibus hircinis utres illos factos fuisse. In hos vero insilire, Ἀσκωλιάζειν nuncupabant. Hesychius, Ἀσκωλιάζειν. κυρίως μὲν τὸ ἐπὶ τοὺς ἀσκοὺς ἅλλεσθαι. *Ascoliazein. proprie quidem in utres salire.*

ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ.

Veneri instituta. Athenæus *lib.* III. Ὁμοίως καὶ τὸ Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως, δεῖπνον διατιθεὶς ἐπιτελοῦντος Ἀφροδίσια. *Similiter & Antigoni regis cænam temperans peragentis festum Veneris.* Iterum, initio *lib.* IV. Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως δεῖπνον, Ἀφροδίσια ἐπιτελοῦντος Ἀθήνησι. *Antigoni regis cæna, celebrantis festum Veneris Athenis.* Alciphron in Epistola

Lamiæ *ad Demetrium*. Τὰ Ἀφροδίσια ποιῶ ταῦτα κατ᾽ ἔτος. *Hoc Veneris festum perago quotannis*. Xenophon *Hellenic.* v. Τά τε ἐπεμελεῖτο τοῖς πολεμάρχοις, ὡς Ἀφροδίσια ἄγουσιν ἐπ᾽ ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς. *Et hæc procurabat polemarchis, utpote festum Veneris agentibus in exitu magistratus*. Maxime autem Cyprii celebrabant, auctore Cinyra; ubi, qui sacris Deæ ejus initiabantur, pugillum salis, & phallum, accipiebant: ipsi vero nummum offerebant. Clemens in *Protreptico*, ubi de his agit. Ἀσελγῶν ὑμῖν μορίων ἄξιος Ἀφροδίτη γίνεται καρπὸς ἐν ταῖς τελεταῖς. ταύτης τῆς πελαγίας ἡδονῆς τεκμήριον τῆς γονῆς, ἁλῶν χόνδρος, καὶ φαλλὸς, τοῖς μυουμένοις τὴν τέχνην τὴν μοιχικὴν ἐπιδίδοται. νόμισμα δὲ αὐτῇ εἰσφέρουσιν οἱ μυούμενοι, ὡς ἑταίρᾳ ἐρασταί. *Libidinosis vestris membris dignus fructus est Venus in festis. Hujus maritimæ voluptatis documentum geniture, salium grumus, & phallus, initiatis hanc adulterandi artem insuper datur. Nummum vero inferunt illi qui initiantur, prout meretrici amatores*. Ex eo Arnobius *lib.* v. *Nec non & Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus, quorum conditor indicatur Cinyras fuisse. in quibus sumentes ea certas stipes inferunt, ut meretrici; & referunt phallos, propitii numinis signa, donatos*. Firmicus nummi dati meminit, lib. *de errore prof. relig. Statuisse etiam (Cinyram audio) ut, quicunque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito, assem unum mercedis nomine Deæ traderet*. Meminit Veneris mysteriorum Aristænetus *lib.* I. *Epist.* XIV. Ὠ᾽ἤθητε δέ με ῥᾳδίως ἐξαπατᾷν, ὡς ἐρωτικῶν ἀγύμναστον παῖδα, καὶ παντελῶς ἀμύητον Ἀφροδίτης. *Existimatis autem me facile decipere, ut puerum rudem ad amatoria, & omnino non initiatum Veneri*. Iterum *Epist.* VII. *lib.* II. Παρθένος γὰρ, ἅτε τῆς Ἀφροδίτης ἀμύητος ἔτι, τὴν συνουσίαν ἀτερπής ἐστιν. *Virgo enim, utpote Veneri nondum initiata, ad concubitum inamœna est*. Præfectus sacrorum, Ἀγήτωρ dictus. Hesychius. Ἀγήτωρ, ὁ τῶν τῆς Ἀφροδίτης θυηλῶν ἡγούμενος ἱερεὺς ἐν Κύπρῳ. *Agetor, Sacerdos in Cypro sacrorum Veneris præses*. Isque semper ex Cinyræ posteris aliquis erat. Scholiastes Pindari *Pythionic.* Od. II. Ὁ δὲ Κινύρας οὗτός ἐστιν, ἀφ᾽ οὗ οἱ ἐν Κύπρῳ Κινυράδαι τῇ θεᾷ ἀφιέρωντο. *Cinyras autem is est, a quo in Cypro Cinyradæ consecrabantur Deæ*. Huc pertinet ista Hesychii glossa. Κινυράδαι. ἱερεῖς Ἀφροδίτης. *Cinyradæ, sacerdotes Veneris*. Celebrabant etiam in utraque Papho; & ab Agapenoris Papho ad veterem, quæ sexaginta stadiorum via est, ducebant pompam viri, fœminæque, ex aliis urbibus confluentes. Strabo *lib.* XIV. Εἶθ᾽ ἡ Πάφος, κτίσμα Ἀγαπήνορος, καὶ λιμένα ἔχουσα, καὶ ἱερὰ εὖ κατεσκευασμένα. διέχει δὲ πεζῇ σταδίους ἑξήκοντα τῆς πάλαι Πάφου. καὶ πανηγυρίζουσι διὰ τῆς ὁδοῦ ταύτης κατ᾽ ἔτος ἐπὶ τὴν παλαὶ Πάφον ἄνδρες ὁμοῦ γυναιξὶν ἐκ τῶν ἄλλων πόλεων συνιόντες. *Tum Paphos, opus Agapenoris, & portum habens, & templa bene exstructa. Distat autem via terrestri stadia sexaginta ab Palæpapho, & feste congregantur per illam viam quotannis ad Palepaphum viri simul cum fœminis aliarum urbium convenientes*. Etiam Amathunte, urbe Cypri antiquissima, celebrari consuevisse, verisimile; ubi sacrum illi factum, Κάρπωσις dictum. Hesychius. Κάρπωσις. θυσία Ἀφροδίτης ἐν Ἀμαθοῦντι. *Carposis, sacrificium Veneris Amathunte*. Corinthi seorsim meretrices agitabant, & mulieres honestæ. Athenæus *lib.* XIII. Ὅτι δὲ καὶ Ἀφροδίσια ἰδίᾳ ἄγουσιν αὐτόθι (ἐν Κορίνθῳ) αἱ ἑταῖραι, Ἄλεξις ἐν Φιλούσῃ φησίν·

Ἀφροδίσι᾽ ἦγε ταῖς ἑταίραις ἡ πόλις,
Ἕτερα δὲ χωρίς ἐστι ταῖς ἐλευθέραις.

Sed quod etiam proprium Veneris festum celebrant. illic (Corinthi) meretrices, Alexis in fœmina amante dicit:

Veneris festum egit meretricibus civitas,
Alia vero seorsum est ingenuis.

Festum Veneris τῆς Πανδήμου commemorat idem Athenæus, *lib.* XIV. Διόπερ Μένανδρος ἐν Κόλακι τὸν τοῖς τετραδισταῖς διακονούμενον μάγειρον ἐν τῇ τῆς Πανδήμου Ἀφροδίτης ἑορτῇ ταυτὶ λέγοντα. *Propterea Menander in Adulatore coquum ministrantem illis qui quartum mensis diem observarent, in festo publicæ Veneris facit* (nam Meursius verbum ποιεῖ male omisit) *ita loquentem*.

ΑΧΙΛΛΕΙΑ.

Achilli festum celebrabant Lacedæmonii. Meminit ejus in *Laconicis* suis Pausanias. Ἱερὰ δὲ αὐτόθι, τὸ μέν ἐστιν Ἀσκληπιοῦ, τὸ δὲ Ἀχιλλέως. καὶ ἑορτὴν κατ᾽ ἔτος ἄγουσιν Ἀχιλλεῖ. *Templa vero illic sunt tum Æsculapii, tum Achillis; & festum quotannis celebrant Achilli*. Scholiastes Apollini *lib.* IV. Ἀναξαγόρας φησὶν, ὅτι ταῖς ἀληθείαις Ἀχιλλέα τιμῶσι τοῖς περὶ Λακωνικὴν ταῦτα πέπλασαι. *Anaxagoras dicit, ab illis qui Achillem colunt circa Laconicam, talia vere ficta esse*.

JOANNIS MEURSII GRÆCIÆ FERIATÆ, SIVE DE FESTIS GRÆCORUM, LIBER II.

ΒΑΚΧΕΙΑ.

BACCHO sacra. Hesych. Βάκχεια, ἑορτὴ Διονύσου. *Bacchia, festum Bacchi*. Et alibi. Θυρσοπλῆγες, ἐν τοῖς Βακχείοις ἐνθεαζόμενοι. *Thyrsa icti, qui in Bacchis infatuantur*. Plutarchus *Adversus Coloten*. Πῶς δὲ Φωσφόρια, Βάκχεια, Προτέλεια γάμων ἄξομεν. *Quomodo autem Phosphori sacra, aut Bacchia, aut præludia nuptiarum celebrabimus* Glossæ Græco-Latinæ. Βάκχεια. *Bacchanalia*.

ΒΑΛΛΗΤΥΣ.

In honorem Demophontis, Celei filii, Athenienses celebrabant. Hesychius. Βαλλητὺς, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐπὶ Δημοφῶντι τῷ Κελεοῦ ἀγομένη. *Balletys, festum Athenis celebratum propter Demophontem Celei filium*. Idque in populo Eleusine. Athenæus nos hoc docet, *lib.* IX. Καὶ ὁ Οὐλπιανὸς ἔφη, τίς δ' αὕτη ἡ λιθίνη βαλλητύς; Ἐλευσῖνι γὰρ τῇ ἐμῇ οἶδά τινα πανήγυριν ἀγομένην, καὶ καλουμένην Βαλλητύν. *Et Ulpianus dixit, quænam hæc lapidea Balletys? Eleusini enim meæ novi quandam festivitatem celebrari, & vocari Balletyn*. Et mox iterum. Αὕτη παρ' ἡμῖν, Οὐλπιανὲ, ἡ βαλλητὺς σὺ δ', ὅταν βουληθῇς, ἐρεῖς περὶ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι. *Hæc apud nos, Ulpiane, balletys; tu autem, quum volueris dices de Eleusinia*.

ΒΑΡΑΤΡΟΝ.

Festum apud Thesprotos, & certamen in eo de virilitate. Hesychius. Εὐανδρίας ἀγών. βάρατρον. οὕτως ἐκαλεῖτο ἐν τῇ Θεσπρωτίᾳ. *Certamen virilitatis; * Baratrum. Sic vocabatur in Thesprotia*.

ΒΑΣΙΛΕΙΑ.

Lebadeæ in Bœotia celebrata. Scholiastes Pindari *Olymp.* Ode VII. Ἐν δὲ Βοιωτίᾳ, ἐν μὲν Θεσπιαῖς, Ἐρώτια· ἐν δὲ Λεβαδείᾳ, τὰ καλούμενα Βασίλεια. *In Bœotia vero Thespiis quidem Cupidinea; Lebadiæ autem festum quod vocatur Regia*. Alibi in Eubœa peracta tradit, nisi corruptus locus. Exstat is *ad Isthm.* Od. I. Ἐν μὲν Θήβαις, Ἰόλαια, ἢ Ἡράκλεια. ἐν δὲ Ὀρχομενῷ, Μινύα. ἐν δὲ Εὐβοίᾳ, Βασίλεια. *Thebis quidem Jolæa, aut Heraclensia; Orchomeni vero Minyea; sed in Eubœa Regia*. Sed legendum erit, Ἐν δὲ Λεβαδείᾳ.

ΒΕΝΔΙΔΕΙΑ.

Thraces agitabant in honorem Dianæ. Strabo *lib.* X. Τούτοις δ' ἔοικε καὶ τὰ παρὰ τοῖς Θρᾳξὶ τά τε Κοτύττια, καὶ τὰ Βενδίδεια. *His vero similia sunt quoque apud Thracas & Cotyttia, & Bendidia*. Nam apud illos Diana Βένδις appellata. Hesychius. Βένδις, ἡ Ἄρτεμις, Θρᾳκιστί. *Bendis, Diana Thracice*. Itaque est alibi apud eundem. Ἀδμήτου κόρη, Ἑκάτη τινὲς δὲ, τὴν Βένδιν. *Admeti filia, Hecate: alii vero Bendin*. Et Cratinus Θράτταις scripsit Δίλογχον Βένδιν. Idem Hesychius. Δίλογχον. τὴν Βένδιν οὕτω Κρατῖνος ἐν Θράτταις ἐκάλεσεν. ἤτοι, ὅτι δύο τιμὰς ἐκληρώσατο, οὐρανίαν τε καὶ χθονίαν. λόγχην γὰρ ἐκάλουν τοὺς κλήρους. ἢ, ὅτι δύο λόγχας φέρει, κυνηγετικὴ οὖσα. οἱ δὲ, ὅτι δύο φῶτα ἔχει, τὸ ἴδιον, καὶ τὸ ἡλίου. τὴν γὰρ σελήνην Βένδιν, καὶ Ἄρτεμιν, νομίζουσιν. *Bisortem. Dianam ita Cratinus in comœdia Thrattis vocavit; vel quod duos honores sortita est, cœlestem & terrestrem. loncham quippe vocarunt sortem. Vel quod duas lanceas gerit, utpote venatrix. Alii vero quod duo habet lumina, proprium ac solis. Lunam enim Bendin & Dianam existimant*. Palæphato Βένδεια dicitur, ubi de filiabus Phorcynis agit. Καλοῦσι δὲ τὴν Ἀθηνᾶν Κυρηναῖοι Γοργόνην, ὥσπερ τὴν Ἄρτεμιν Θρᾶκες Βένδειαν. *Vocant vero Minervam Cyrenæi Gorgonem, sicut Dianam Thraces Bendiam*. Quin Athenis etiam, qui urbem incolebant Thraces, patrio ritu celebrabant. Plato initio lib. I. *de Rep.* ubi de iis illi sermo. Οὐ μέντοι ἧττον ἐφαίνετο πρέπειν, (ἡ πομπὴ) ἣν οἱ Θρᾶκες ἦγον. *Non minus tamen decere videtur (pompa) quam Thraces deducebant*. Mox ad Thracum imitationem ipsi etiam Athenienses celebrare incœperunt. Strabo *lib.* X. Ἀθηναῖοι δ' ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς θεούς· πολλὰ γὰρ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο, ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν· καὶ δὴ καὶ τὰ Θράκια, καὶ τὰ Φρύγια. τῶν μὲν γὰρ Βενδιδείων Πλάτων μέμνηται. *Athenienses autem sicut circa alia amantes peregrinarum rerum permanent, ita quoque circa Deos. Multa enim peregrinorum sacrorum susceperunt, adeo ut in comœdia etiam derisi fuerint; quin etiam Thracia & Phrygia. Nam Bendidiorum quidem Plato meminit*. Ac Platonis quidem locus, quem respexit, est iste, quem citavi; & alter ejus, sub finem ejusdem libri. Ταῦτα δέ σοι, ἔφη, ὦ Σώκρατες εἱστιάσθω ἐν τοῖς Βενδιδείοις. *Hæc autem tibi, dixit, o Socrates, ut per epulas sumantur in Bendidiis*. Hæc est causa, cur inter festa Atheniensium Hesychius ponat, cum inquit. Παρὰ δὲ Ἀθηναίοις ἑορτὴ Βενδίδεια. *Sed apud Athenienses festum Bendidia*. Institutum autem id in Piræeo, & quidem ætate Platonis. Satis clare ipse loquitur ipso initio lib. I. *De Republ.* Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος, προσευξόμενός τε τῇ θεῷ, καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι τίνα τρόπον ποιήσουσιν, ἅτε καὶ νῦν πρῶτον ἄγοντες. *Descendi heri in Piræeum cum Glaucone Aristonis filio, & adoraturus Deam, & simul festum spectare volens quonam modo celebraturi sint, utpote nunc prima vice agentes*. Quem Platonis locum Origenes sine dubio in oculis habuit, *Contra Celsum* lib. VI. Ἀλλ' οἱ ταῦτα περὶ τοῦ πρώτου ἀγαθοῦ γράψαντες, καταβαίνουσιν εἰς Πειραιέα, προσευξόμενοι ὡς θεῷ τῇ Ἀρτέμιδι· καὶ ὀψόμενοι τὴν ὑπὸ ἰδιωτῶν ἐπιτελουμένην πανήγυριν. *Sed qui talia de primo bono scripserunt, descendunt ad Piræeum, adoraturi ut Deam Dianam; & spectaturi peragendam ab hominum vulgo celebritatem*. Quæ verba etiam reperiuntur *Philocaliæ* cap. XV. Ac pompa deæ ducebatur. Plato *ibidem*. Καλὴ μὲν οὖν μοι καὶ ἡ τῶν ἐπιχωρίων πομπὴ ἔδοξεν εἶναι. οὐ μέντοι ἧττον ἐφαίνετο πρέπειν, ἣν οἱ Θρᾶκες ἔπεμπον. *Pulchra igitur quidem solennitas indigenarum mihi videtur esse; non minus tamen apparebat decere illa, quam Thraces deducebant*. Errat Simplicius, qui lampadum quoque certamen tunc peractum tradit. Verba ejus ecce ista *ad Physic.* lib. V. Τάχα τῆς ἐν Πειραιεῖ λαμπάδος τῆς ἐν Βενδιδείοις μνημονεύει. περὶ ἧς ὁ Πλάτων ἐν ἀρχῇ τῆς Πολιτείας, Λαμπὰς ἔσται, φησὶν, ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ. *Fortassis lampadum solennitatis, quæ in Piræeo per Bendidia celebratur, meminit; de qua Plato in principio Reipublicæ ait, Lampas erit Deæ ab equis*. Neque recte Platonis locum intellexit; nam certamen lampadarium hoc postridie Bendideorum actum fuisse dicit, cum nimirum Panathenæa minora agitarentur; ut in libro *de Panathenæis* ostendo. Hoc non attendebat philosophus ille doctissimus. Celebrabantur vero mensis Thargelionis die XIX. Proclus *in Timæum* Comment. I. Ἡ μὲν, ἐν τοῖς Βενδιδείοις ὑπόκειται, τοῖς ἐν Πειραιεῖ δρωμένοις· ὁ δὲ, ἐν τῇ ἑξῆς τῶν Βενδιδείων. ὅτι γὰρ τὰ ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δεκάτῃ Θαργηλιῶνος, ὁμολογοῦσιν οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες. *Illa quidem subnectitur Bendidiis, quæ peraguntur in Piræeo; iste autem postridie Bendidiorum. Nam Bendidia in Piræeo fieri nonodecimo die Thargelionis confitentur illi, qui de festis scripserunt*. Alii diem XX. assignant. Proclus *ibidem*. Καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι. *Et Aristoteles Rhodius memorat Bendidia quidem in Piræeo peragi vicesimo die Thargelionis*. Quid autem institutio festi significet, ac cur in Piræeo facta, idem Auctor nobis exponit. Καὶ ἔοικεν ἡ μὲν τῶν Βενδιδείων ἑορτὴ τὴν ἐπιοῦσαν ἔξωθεν ἐναντίωσιν τῷ παντὶ ἀπὸ τοῦ βαρβαρικοῦ κλύδωνος δηλοῦν, ὑπὸ τῶν θεῶν, τῶν ἐφόρων τῆς ἑορτῆς, καταστελλομένην. διὸ καὶ ἐν Πειραιεῖ τελουμένη παραδέδοται, ὡς τοῖς ἐσχάτοις καὶ προσύλοις οἰκειοτάτη τοῦ παντός. *Et videtur quidem festum Bendidiorum declarare venturam extrinsecus contrarietatem universo ab barbarico fluxu, ab diis præsidibus sacri componendam. Propterea etiam*

in

* *Ut exprimatur Meursius, quem sic patet intellexisse, quum tamen videas sæpe notari proventum uberem elegantium*.

in Piræeo peragi traditur, utpote convenientissima extremis & materialibus universi.

ΒΙΣΒΑΙΑ.

Mesapiis celebrabatur, nempe cum vites putassent; ut scilicet id feliciter cederet. Hesychius. Βίσβην, δρέπανον ἀμπελοτόμον. λέγουσι καὶ Μεσάπιοι ἑορτὴν Βισβαίαν, ἣν ἡμεῖς Κλαδευτηρίαν λέγομεν. *Bisben, falcem ad putandas vineas. Dicunt quoque Mesapii festum Bisbæum, quod nos Ramalia dicimus.*

ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ.

Atheniensium festum, cui origo ab auxilio Eumolpi. Etymologici Auctor *in* Βοηδρομεῖν. Ἔστι δὲ καὶ ἡ Βοηδρόμια ἑορτή τις Ἀθήνησι καλουμένη· καθ' ἣν ἡμέραν ἐβοήθει ὁ Ξοῦθος σπουδῇ πολλῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος. *Est vero etiam Boedromia festum aliquod Athenis dictum; quo die suppetias ferebat Xuthus multo studio Atheniensibus bello infestatis ab Eumolpo Neptuni filio.* Iterum mox *in* Βοηδρομιών. Ἀπὸ οὖν τῆς τοῦ στρατεύματος βοῆς, τῆς ἐπὶ τὸ ἄστυ δραμούσης, ὅτε Ἀπόλλων Βοηδρόμιος ἐκλήθη, καὶ ὁ μὴν, καὶ τὰ Βοηδρόμια ἐτελεῖτο ἑορτή. *Ab clamore igitur exercitus, qui in arcem usque currebat, tum Apollo Boedromius fuit vocatus, & sacrificium, & mensis, & Boedromia peragebatur festum.*

ΒΟΡΕΑΣΜΟΙ.

Agitabantur ab Atheniensibus, Boreæ honori; nempe eum deprecantibus, utque Notus spiraret orantibus. Hesychius. Ἀθήνησιν αἱ ἤγοντο τοῦ Βορέα ἑορταὶ, καὶ θοῖναι, ἵνα οἱ Νότοι πνέωσιν, ἐκαλοῦντο Βορεασμοί. *Athenis quæ agebantur Boreæ festa, & repotia, ut Noti spirarent, vocabantur Boreasmi.* Ita emendandum locum illum monui *Attic. Lect.* lib. II. cap. I. Aram ejus commemorat Plato in *Phædro*. Κάτωθεν ὅσον δύ' ἢ τρία στάδια, ᾗ πρὸς τὸ τῆς Ἀγραίας διαβαίνομεν, καί πού τίς ἐστι βωμὸς αὐτόθι Βορέου. *Inferius circiter duo aut tria stadia, qua ad Agræ transimus, etiam forsan est ara illic Boreæ.* Jurabant quoque per eum. Libanius *Declam.* XX. Πρὸς Ἰάκχου, πρὸς Βορέου, πρὸς τῆς θείας Σαλαμῖνος. σβέσον τὴν ὀργήν. *Per Pythium, per Jacchum, per Boream, per divinam Salamina, extingue iram.* Quin affinem sibi eum Athenienses nuncupabant. Apollonius, ubi illos dehortatur a saltationibus Bacchanalibus, apud Philostratum *lib.* IV. *cap.* VII. Μηδὲ τὸν Βορέαν, κηδεστήν γε ὄντα, καὶ παρὰ πάντας τοὺς ἀνέμους ἄρσενα, ποιεῖσθαι θῆλυν. *Neque Boream, qui est affinis, & præter omnes ventos vir, facere mulierem.* Causa nempe, quod Orithyiam, Erechthei filiam, juxta Ilissum rapuisset. Observo apud Pausaniam *Atticis*. Ὁ δὲ Εἰλισσός ἐστιν οὗτος ἔνθα παίζουσαν Ὠρείθυιαν ὑπὸ ἀνέμου Βορέου φασὶν ἁρπασθῆναι, καὶ συνοικεῖν Ὠρειθυίᾳ Βορέαν, καί σφισι διὰ τὸ κῆδος ἀμύναντα, τῶν τριηρῶν τῶν βαρβαρικῶν ἀπολέσαι τὰς πολλάς. *Ilissus vero est hic, ubi ludentem Orithyan ab vento Borea dicunt raptam esse, & maritalem consuetudinem esse Orithyæ cum Borea, & ipsos ob affinitatis jura indicantem, barbaricarum triremium multas perdidisse.* Plato *Phædro*. Ἀπὸ τοῦ Ἰλισσοῦ λέγεται ὁ Βορέας τὴν Ὠρείθυιαν ἁρπάσαι. *Ab Ilisso dicitur Boreas Orithyan rapuisse.* Apollonius Rhodius *Argonaut.* I.

Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε Βορήϊοι υἷες ἵκοντο.
Οὕς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια.
Ἐσχατιῇ Θρήκης δυσχειμέρου· ἔνθ' ἄρα τήν γε
Θρηΐκιος Βορέης ἀνερείψατο Κεκροπίηθεν,
Ἰλισσοῦ προπάροιθε χορῷ ἔνι δινεύουσαν.

Zetes porro & Calais Boreæ filii venerunt:
Quos quondam Erechtheis Boreæ genuit Orithya.
In extremo Thraciæ hibernæ: ubi illam
Thracius Boreas deposuit ex Attica,
Ante Ilissum in choro circulantem.

Statius *Theb.* XII.

—— & raptæ qui conscius Orithyiæ
Celavit Geticos ripis Ilissus amores.

Erechtheus Boream affatur apud Nonnum *Dionys.* XXXIX.

Ἰλισσὸν δὲ γέραιρε γαμοστόλον, ὁππότε κούρην
Ἀτθίδα, σὴν παράκοιτιν, ἀνήρπασαν ἅρπαγες αὖραι,
Ἑζομένην ἀτίνακτον ἀκινήτῳ σέθεν ὤμῳ.
Ilissum vero honoravit conjugii tutorem quando puellam
Atticam, tuam conjugem, rapuerunt rapaces auræ,
Sedentem inconcussam immoto abs te humero.

Avienus in *Orbis Descript.*

Ilissi Boreas stagno tulit Orithyiam.

Alii id in Areopago factum dicere. Plato *loco* jam *citato* mox subjungit. Ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου. λέγεται γὰρ αὖ καὶ οὗτος ὁ λόγος, ὡς ἐκεῖθεν, ἀλλ' οὐκ ἐνθένδε, ἡρπάσθη. *Aut ex Areopago. Dicitur enim & hic sermo, quasi inde, non autem ex illo altero loco, rapta fuerit.* Atque hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Celebrabant porro etiam Boreæ festum, ceu præcipuo deorum, in Arcadia Megalopolitæ. Pausanias *Arcadicis*. Πεποίηται ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ Βορέα τοῦ ἀνέμου τέμενος, καὶ οἱ Μεγαλοπολῖται θυσίας θύουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, καὶ θεῶν οὐδενὸς Βορέαν ὕστερον ἄγουσιν ἐς τιμήν. *Sacratum est in dextra viæ vento Boreæ fanum, & Megalopolitæ sacrificia immolant annua, & Boream nullo Deo minorem producunt ad honorem.*

ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Ignotum festum, in quo puellæ choreas agitantes canebant, Ἴωμεν ἐς Ἀθήνας. *Eamus Athenas.* Plutarchus in *Quæst. Græcis*. Ταῖς κόραις τῶν Βοττιαίων ἔθος ἦν λέγειν χορευούσας, Ἴωμεν ἐς Ἀθήνας. *Puellis Bottiæorum mos erat chorum saltantibus dicere, Eamus Athenas.* Et mox, cum rei causam reddidit. Ὅθεν αἱ θυγατέρες τῶν Βοττιαίων ἀπομνημονεύουσαι τοῦ γένους, ᾖδον ἐν ταῖς ἑορταῖς, Ἴωμεν ἐς Ἀθήνας. *Unde Bottiæorum puellæ, reminiscentes generis, canebant per festa, Eamus Athenas.* Commemorat quoque eadem in *Theseo*.

ΒΟΥΦΟΝΙΑ.

Dixi de hoc festo nuper *Attic. Lect.* lib. VI. cap. XXII. Hic reponam, loco proprio. Celebrabant Athenienses Scirophorionis XIV. nomenque habebat a boum, qui in eo mactabantur, multitudine. Etymologici Auctor. Ἑορτή τις παρ' Ἀθηναίοις τὰ Βουφόνια, ἐν ᾗ πολλοὶ ἐθύοντο βόες. καὶ ἤγετο αὕτη Σκιροφοριῶνος μηνὸς τετάρτῃ ἐπὶ δέκα. *Festum quoddam apud Athenienses Buphonia, in quo multi mactabantur boves; ac celebrabatur istud mensis Scirophorionis quarta post decem.* Meminit Harpocration. Βουφόνια. Ἑορτή τίς ἐστι παρ' Ἀθηναίοις. *Buphonia; festum quoddam est apud Athenienses.* Eustathius *ad Iliad.* η. Ἐκ τοῦ βουφονεῖν ἐπενοήθη τοῖς Ἀθηναίοις ὕστερον Βουφόνια εἰπεῖν ἑορτήν τινα μεγάλην τὴν παρ' αὐτοῖς. *Ex cæde boum excogitatum*

A *fuit postea Atheniensibus Buphonia dicere festum quoddam magnum apud eos.* Origo inde, quod Diipoliis bos molam, ad sacrificium præparatam, devorasset, eaque de causa a Thaulone securi interfectus esset. Suidas. Βουφόνια, ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις πάνυ ἀρχαία. ἐν γὰρ Διϊπολίοις φασὶ τὸν βοῦν τὸ πόπανον φαγεῖν, τὸ παρεσκευασμένον εἰς θυσίαν. Θαύλωνα δέ τινα ὡς εἶχε τῷ πελέκει ἀποκτεῖναι τὸν βοῦν, ὡς Ἀνδροτίων φησί. *Buphonia, festum apud Athenienses valde antiquum. Nam in Diipoliis narrant bovem devorasse libum, præparatum ad sacrificium: Thaulonem vero quendam, ut erat, securi occidisse bovem,* B *ut ait Androtion.* Et mox iterum. Βουφόνια, ἑορτὴ παλαιά, ἥν φασιν ἄγεσθαι τὰ μυστήρια. ὅτε καὶ τὸν βοῦν ἔθυον, εἰς ὑπόμνησιν τοῦ πρώτου φονευθέντος ἐν ἀκροπόλει βοός, ἁψαμένου τοῦ πελάνου ἐν τῇ θυσίᾳ τῶν Διϊπολίων. *Buphonia, festum vetus, quo dicunt agi mysteria: quando etiam bovem mactabant, ad memoriam primi in arce occisi bovis, qui tetigerat libum in sacrificio Diipoliorum.* Vide eundem rursus in Θαύλων. Strictim Hesychius rem commemorat. Βουφόνια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐν γὰρ τοῖς Διϊπολίοις φασὶ βοῦν καταφαγεῖν τὸ παρεσκευασμένον πόπανον τῇ θυσίᾳ, οἷον πλακούντιον ἐξ ἄρτου. *Buphonia, festum Athenis. Nam in Diipoliis dicunt bovem comedisse paratum* C *libum sacrificio, velut placentulam ex pane.* Corrigendus Aristophanis Scholiastes *ad Nubes*, ubi male hodie editur, Βαύλωνα δέ τινα ὡς εἶχε πελέκει ἀποκτεῖναι τὸν βοῦν. *Baulona vero aliquem, prout erat instructus, securi occidisse bovem.* Rescribe, ut est apud Suidam. Θαύλωνα δέ τ. Item, Ἐν τῇ ἑορτῇ Διϊπολίων. *In festo Diipoliorum.* Perperam editur, Ἐν τῇ ἑορτῇ Διονυσίων. *In festo Bacchanalium.* Nam accidit hæc res in festo non Bacchi, sed Jovis Poliei; de quo est videre apud Pausaniam in *Atticis*, qui refert, Erechtheo rege contigisse. Variat paulum Porphyrius Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, lib. II. aitque non Thaulona dictum, qui occidisset bovem, sed D Diomum; eumque Jovis Poliei sacerdotem fuisse: deinde, non fecisse solum; sed adjutantibus, qui adessent. Βοῦν δὲ Δίομος ἔσφαξε πρῶτος, ἱερεὺς ὢν τοῦ Πολιέως Διός· ὅτι τῶν Διϊπολίων ἀγομένων καὶ παρεσκευασμένων κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος καρπῶν, ὁ βοῦς προσελθὼν ἀπεγεύσατο τοῦ ἱεροῦ πελάνου. συνεργοὺς γὰρ λαβὼν τοὺς ἄλλους ὅσοι παρῆσαν, ἀπέκτεινε τοῦτον. *Bovem vero Diomus mactavit primus, sacerdos Urbici Jovis; quia quum agerentur Diipolia & paratis ex more veteri frugibus, bos accedens degustavit sacri libi. adjutores enim nactus alios qui aderant, eum interfecit.* Qui autem hœc sacra peragebat, Βούτης dicebatur. Hesychius. Βούτης, ὀρίγανος ὑπὸ Κυδωνιατῶν, καὶ βουκόλος· καὶ ὁ τοῖς Διϊπολίοις τὰ Βουφόνια δρῶν. E *Butes, origanus ab Cydoniatis dicta, & bubulcus; & qui in festo Diipoliorum peragit Buphonia.* Vel etiam, Βουφόνος. Pausanias *Atticis*. Τοῦ Διὸς τοῦ Πολιέως κριθὰς καταθέντες ἐπὶ τὸν βωμὸν μεμιγμένας πυροῖς, οὐδεμίαν ἔχουσι φυλακήν. ὁ βοῦς δέ, ὃν ἐς τὴν θυσίαν ἑτοιμάσαντες φυλάσσουσιν, ἅπτεται τῶν σπερμάτων, φοιτῶν ἐπὶ τὸν βωμόν. καλοῦσι δέ τινα τῶν ἱερέων Βουφόνον. καὶ ταύτῃ τὸν πέλεκυν ῥίψας, (οὕτω γάρ ἐστιν ὁ νόμος) οἴχεται φεύγων. οἱ δέ, ἅτε τὸν ἄνδρα, ὃς ἔδρασε τὸ ἔργον, οὐκ εἰδότες, ἐς δίκην ὑπάγουσι τὸν πέλεκυν. ταῦτα μὲν τρόπον τὸν εἰρημένον δρῶσιν. *Jovis Urbici molas deponentes* F *in altari mixtas frumentis, nullam gerunt curam. Bos autem, quem comparatum ad sacrificium observant, tangit semina, accedens ad aram. Vocant vero sacerdotum aliquem Bovicidam: & illic abjiciens securim (sic enim lex poscit) abit fugiens. Illi vero, quippe virum, qui fecit id opus, ignorantes, in judicium vocant securim. Hæc quidem eo quo dictum est modo faciunt.* In quibus verbis vides sacrificii ritum; & τὸν Βουφόνον, simul bovem interfecisset, abjecta securi, aufugere solitum: Athenienses vero, ceu incognito cædis auctore, in securim sententiam pronunciasse. Ecce iterum apud eundem Pausaniam *alio loco*. Ἀθηναίων βασιλεύοντος Ἐρεχθέως, τότε πρῶτον βοῦν ἔκτεινεν ὁ Βουφόνος ἐπὶ τοῦ Πολιέως Διός. καὶ ὁ μὲν ἀπολιπὼν ταύτῃ τὸν πέλεκυν, ἀπῆλθεν ἐκ τῆς χώρας φεύγων. ὁ δὲ πέλεκυς παραυτίκα ἀφείθη κριθείς. καὶ ἐς τόδε ἀνὰ πᾶν ἔτος κρίνεται. *Quum rex Atheniensium esset Erechtheus, tunc primum occidit bovem Bovicida ad aram Urbici Jovis. Et ille quidem istic relinquens securim, abiit ex eo loco fugiens. Securis autem e vestigio judicata dimittitur. Et huc usque quotannis judicatur.* Ælianus *Var. Hist.* lib. VIII. cap. III. Ἀττικὸν τοῦτο τὸ ἔθος, ὅταν ὁ βοῦς ἀποσφαγῇ, τῶν μὲν ἄλλων ἀποψηφίζονται, κρίνοντες ἕκαστον ἐν τῷ μέρει φόνου. καταγινώσκουσι δὲ τὴν μάχαιραν, καὶ λέγουσι ταύτην ἀποκτεῖναι αὐτόν. καὶ ἐν ᾗ ταῦτα ἡμέρᾳ δρῶσι, Διϊπόλια τὴν ἑορτὴν καλοῦσι, καὶ Βουφόνια. *Atticus ille mos, quando bos occisus est, reliquos quidem absolvunt, judicantes unumquemque per vices crimine cædis. Sed condemnant machæram, & dicunt hanc occidisse illum; & diem quo ista faciunt, Diipolia vocant, & Buphonia.* Et observandum; reum cædis etiam fuisse, qui bovem occidisset: quippe in Attica, & Peloponneso, capitale id crimen erat. Varro *De Re Rust.* lib. II. cap. V. ubi de bove agit. *Hic socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset. Qua in re testis Attice, testis Peloponnesos.* Ælianus *Var. Hist.* lib. V. cap. XIV. Νόμος καὶ οὗτος Ἀττικός, βοῦν ἀρότην, καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργός, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. *Lex quoque hæc Attica, bovem aratorem, & sub jugo laborantem cum aratro, aut etiam cum plaustro, neque hunc mactare, quoniam & ille esset agricola, & laborum, quibus exercentur homines, particeps.* Hoc quoque sciendum Βουφόνια hæc eadem fuisse cum Diipoliis, de quibus vide infra.

ΒΡΑΣΙΔΕΙΑ.

Brasidæ celebrabant festum diem Lacedæmonii; quo & oratio ei funebris recitabatur, & certamen peragebatur; in quo nulli, nisi Spartano, certare licebat. Pausanias *Laconicis*. Ἐκ δὲ τῆς ἀγορᾶς πρὸς ἥλιον ἰόντι δυόμενον, τάφος κενὸς Βρασίδᾳ τῷ Τέλλιδος πεποίηται. ἀπέχει δὲ οὐ πολὺ τοῦ τάφου τὸ θέατρον λίθου λευκοῦ θέας ἄξιον. τοῦ θεάτρου δὲ ἀπαντικρὺ, Παυσανίου τοῦ Πλαταιᾶσιν ἡγησαμένου μνῆμά ἐστι, τὸ δὲ ἕτερον Λεωνίδου· καὶ λόγους κατ' ἔτος ἕκαστον ἐπ' αὐτοῖς λέγουσι, καὶ τιθέασιν ἀγῶνα, ἐν ᾧ πλὴν Σπαρτιατῶν ἄλλῳ γε οὐκ ἔστιν ἀγωνίζεσθαι. *Ex foro ad solem occidentem eunti, sepulcrum vacuum Brasidæ Tellidis filio exstructum est. Distat non multum ab sepulcro theatrum lapide candido dignum visu. Huic autem theatro e regione, Pausaniæ, qui Platæis dux fuit, monumentum est, alterum autem Leonidæ. Et sermones quotannis in eos habent, & ponunt certamen, in quo præter Spartiatas alteri nulli licet certare.* Et sacra quoque faciebant. Aristoteles docet *Ethic. Nicomach.* lib. V. cap. VII. Ἔτι, ὅσα ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα νομοθετοῦσιν· οἷον, τὸ θύειν Βρασίδᾳ. *Insuper, quæcumque de singulis lege statuunt; prout sacrificare Brasidæ.* Quod si quis hæc neglexisset, mulctabatur. Michael Ephesius in *Commentario* ad citatum Philosophi locum. Τὸ θύειν ἢ μὴ θύειν Βρασίδᾳ, ἀδιάφορον ἐτύγχανε. νόμου δὲ τεθέντος ὡς ἥρωι θύειν, τὸν μὴ θύοντα ἐζημίουν. *Sacrificare aut non sacrificare Brasidæ, fuit indifferens. Sed lege lata ut tamquam heroi sacrificaretur, mulctabant non sacrificantem.* Thucydides *lib.* V. Ὥς ἥρωί τε (τῷ Βρασίδᾳ) ἐντέμνουσι, καὶ τιμὰς δεδώκασιν, ἀγῶνας, καὶ ἐτησίους θυσίας. *Tamquam heroi (Brasidæ) inci-*

dunt, & honores dederunt, certamina, & annua sacrificia.

ΒΡΑΥΡΩΝΙΑ.

De hoc festo dixi nuper per occasionem libro *De Populis Atticæ*, in Βραυρών. Libet hic reponere, loco proprio. Nomen datum, quod celebraretur in Braurone populo honori Dianæ, ab eo Brauroniæ appellatæ. Capram vero tunc deæ mactabant, & Iliada rhapsodi canebant. Hesychius. Βραυρωνίοις τὴν Ἰλιάδα ᾖδον ῥαψῳδοὶ ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς. καὶ Βραυρώνια ἑορτὴ Ἀρτέμιδι Βραυρωνίᾳ ἄγεται, καὶ θύεται αἴξ. *Brauroniis Iliada canebant rhapsodi in Braurone Atticæ; & Brauronia festum Dianæ Brauroniæ celebratur, & immolatur capra.* Agitabantur quinto quoque anno, curantibus ea decemviris, qui Ἱεροποιοὶ dicebantur. Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXXI. ubi περὶ ἱεροποιῶν agit. Δέκα ὄντες οὗτοι, ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι. *Hi decem numero, mactabant sacrificia quinquennalia, & ad Delum, & Braurone.* Ita emendandum monui nuper libro *de Pop. Atticæ*. Celebrabant autem sacra virgines. Herodotus circa finem *libri* VI. Οἱ δὲ Πελασγοὶ οὗτοι, Λῆμνον τότε νεμόμενοι, καὶ βουλόμενοι τοὺς Ἀθηναίους τιμωρήσασθαι, εὖ τε ἐξεπιστάμενοι τὰς Ἀθηναίων ὁρτὰς αὐτῶν, πεντηκοντόρους κτησάμενοι, ἐλόχησαν Ἀρτέμιδι ἐν Βραυρῶνι ἀγούσας ὁρτὴν τὰς τῶν Ἀθηναίων γυναῖκας. *Hi Pelasgi vero, Lemnum tunc possidentes, & volentes ulcisci Athenienses, & bene nota habentes festa Atheniensium, naves* L. *remorum obtinentes, insidiati sunt fœminis Atheniensium Braurone agentibus festum Dianæ.* Quo loco γυναῖκας vocavit virgines. Sic Suidas in eadem re. Ἐν Βραυρωνίοις ἀρκτευόμεναι γυναῖκες τῇ Ἀρτέμιδι ἑορτὴν ἐτέλουν, κροκωτὸν ἠμφιεσμέναι, οὔτε πρεσβύτιδες δέκα ἐτῶν, οὔτε ἐλάττους πέντε. *In Brauroniis sacratæ mulieres Dianæ sacrum peragebant, indutæ crocotum, neque majores decem annis, neque minores quinque.* Ubi observa etiam ætatem, qua fuisse eas oportuit; nempe neque infra quintum, neque supra decimum annum. Quo tempore Ἀρκτεύειν dicebantur. Harpocration. Ἀρκτεῦσαι, τὸ καθιερωθῆναι τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μουνυχίᾳ, ἢ τῇ Βραυρωνίᾳ. *Arcteusai, notat consecrari virgines Dianæ Munychiæ, aut Brauroniæ.* Item Ἄρκτοι indigetabantur. Ille ipse Harpocration. Αἱ ἀρκτευόμεναι παρθένοι, Ἄρκτοι καλοῦνται. *Consecratæ virgines Ursæ vocantur.* Tempus ipsum, quod ita exigebant, Ἀρκτεία nuncupatum. Hesychius. Ἀρκτεία, ἡ τῶν ἀρκτευομένων παρθένων τελετή. *Arcteia, consecratarum virginum initiatio.* Ita emendo. nam hodie minus recte editur, π. τελευτή. Etiam Δεκατεύειν dicebantur; quod nimirum ad decimum usque ætatis annum eo ministerio fungerentur. Hesychius *in* Δεκατεύειν. Ἔλεγον δὲ καὶ τὸ ἀρκτεύειν, Δεκατεύειν. ἐπεὶ ἔπρασσον αὐτὸ αἱ παρθένοι περὶ τὸν δεκαετῆ χρόνον οὖσαι. *Dicebant vero etiam consecrari, decimari; quoniam faciebant id virgines circa decimum ætatis annum.* Harpocration. Τὸ ἀρκτεῦσαι, Δεκατεῦσαι εἴρηκεν ὁ ῥήτωρ, ἐπειδὴ αἱ δεκέτιδες ἤρκτευον. *Consecrari Dianæ Rhetor dixit decimare, quia decennes consecrabantur.*

ΓΑΛΑΞΙΑ.

Festum, in quo pultem hordeaceam in lacte coquebant. Hesychius. Γαλάξια, ἑορτὴ ἐν ᾗ ἕψουσι γαλαξίαν. ἔστι δὲ πόλτος κρίθινος ἐν γάλακτι. *Galaxia, festum, in quo coquunt mixturam lacteam. Est autem puls hordeacea in lacte.* Puto fuisse Apollinis τοῦ Γαλαξίου, cujus mentio est apud Proclum in *Chrestomathia*.

ΓΑΛΙΝΘΙΑΔΙΑ.

Instituit Hercules in honorem Galinthiadis, Prœti filiæ; & observarunt ex eo tempore Thebani, ut festo Herculis hoc præmitterent. Antoninus Liberalis *Metamorph.* XXIX. Ἡρακλῆς δ', ἐπεὶ ηὐξήθη, χάριν ἐμνημόνευσε· καὶ αὐτῆς ἐποίησεν ἀφίδρυμα παρὰ τὸν οἶκον, καὶ ἱερὰ προσήνεγκε. ταῦτα νῦν ἔτι τὰ ἱερὰ Θηβαῖοι φυλάττουσι, καὶ πρὸ Ἡρακλέους ἑορτῇ θύουσι Γαλινθιάδι πρώτῃ. *Hercules vero, postquam crevit, gratiæ memor fuit; & ejus fecit imaginem prope domum, & sacra attulit. Hæc nunc adbuc sacra Thebani servant, & ante Herculem in festo sacrificant Galinthiadi primæ.*

ΓΑΜΗΛΙΑ.

Festum erat privatum, quod quisque privatim celebrabat, nuptiarum suarum causa. Moschopulus in *Sylloge Dict. Attic.* Γενέθλια πληθυντικῶς, ἡ ἐν γενέσει τινὸς τελουμένη ἑορτή· ὥσπερ γαμήλια, ἡ ἐν γάμῳ καὶ ἐγκαίνια, ἡ ἐν ἐγκαινισμῷ. *Vox* Genethlia *pluraliter dicitur festum in natali alicujus peragendum: sicut Gamelia, in nuptiis; & Encænia, in dedicatione.*

ΓΕΝΕΘΛΙΑ.

Festum itidem privatum, diei natalis. Etymologici Auctor. Γενέθλια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτήσασα τοῦ τεχθέντος ἑορτή. *Natalia, quotannis revertens geniti alicujus festum.* Quæ totidem verbis apud Suidam. Plato in *Alibiade* I. Ἐπειδὰν δὲ γένηται ὁ παῖς ὁ πρεσβύτατος (τῷ Περσῶν βασιλεῖ) οὗπερ ἡ ἀρχή, πρῶτον μὲν ἑορτάζουσι πάντες οἱ ἐν τῇ βασιλέως, ὧν ἂν ἄρχῃ. εἶτα εἰς τὸν ἄλλον χρόνον ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ βασιλέως γενέθλια πᾶσα θύει καὶ ἑορτάζει ἡ Ἀσία. *Quando autem nascitur filius natu maximus (Persarum regi) cujus est imperium, primum quidem feriantur omnes qui in regione regis, cuicunque imperat; deinde in reliquum tempus isto die natalia regis immolat & festo more colit omnis Asia.* Athenæus *lib.* XV. Ἑλλάνικος (φησὶ) καὶ Ἄμασιν Αἰγύπτου βασιλεῦσαι, ἰδιώτην ὄντα καὶ τῶν τυχόντων κατὰ τὸν πρῶτον βίον, διὰ στεφάνου δωρεάν, ὃν ἔπεμψεν ἀνθέων πλεξάμενος τῇ ὥρᾳ περικαλλέστατον, γενέθλια ἐπιτελοῦντι Παρτάμιδι, τῷ τῆς Αἰγύπτου τότε βασιλεύοντι. *Hellanicus (dicit) Amasin quoque regnavisse in Ægypto, quum esset privatus & quidam ex vulgo in prima vita, per coronæ donationem, quam misit floribus connexam venustate pulcherrimam Partamidi natalia celebranti tunc regi Ægypti.* Julianus *Misopogone*. Καὶ γενέθλια μέν τις ἑστιῶν, ἱκανῶς παρασκευάζει δεῖπνον καὶ ἄριστον, ἐπὶ πολυτελῆ τράπεζαν τοὺς φίλους παραλαμβάνων. *Et aliquis natalia epulans, copiose instruit cœnam prandiumque, ad locupletem mensam amicos adhibens.* Xiphilinus in *Adriano*. Ἔν τε τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις προῖκα τῷ δήμῳ τὴν θέαν ἀπένειμε. *Et in Natalis sui festo gratis populo spectaculum indulsit.* Atque hoc erat, quod vivus quisque die natali anniversario celebrabat. Simpliciter Ἡμέρα dicebatur, κατ' ἐξοχήν; quemadmodum etiam apud nos in nostro idiomate. Observo in Hesychii *Glossis*. Ἡμέρα, τὰ γενέθλια. *Dies, natalia.* At vero, ut recte discrimen capiamus,

ΓΕΝΕΣΙΑ.

dicebantur, quibus amici, & familiares, defuncti memoriam conservare cupientes, itidem ejus natalem celebrabant. Ammonius *De Diff. Voc.* Γενέθλια, καὶ Γενέσια, διαφέρει. ὅτι μὲν γὰρ Γενέθλια τάσσεται ἐπὶ τῶν ζώντων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ ἐγεννήθη, αὕτη καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα. Γενέσια δὲ,

ἐπὶ τῶν τεθνηκότων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ τετελεύτηκε. *Genetblia & Genesia differunt: quandoquidem Genetblia usurpantur de viventibus, & in qua die quisque natus est, ea vocatur natalicia dies; Genesia vero, de mortuis, in qua quisque die mortuus est.* Moschopulus in *Sylloge Dict. Attic.* Γενέθλιος ἡμέρα ἐπὶ τῶν ζώντων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἐγεννήθη. Γενέσιος δὲ ἡμέρα, ἐν ᾗ τις ἐτεθνήκει. Γενέσια γὰρ, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μνήμη. *Genetblius dies de viventibus, in quo quisque genitus est: Genesius vero dies, in quo quis est mortuus. Nam Genesia notant quotannis revertentem alicujus geniti memoriam.* Sed implicat ipse se; nec videt, quid dicat. nam verum est, memoriam natalis fuisse; non item, celebrari consuevisse, quo quis die mortuus esset. Omnino memoriam nativitatis defuncti, id est, Γενέσια, ipso natali celebrabant, non minus quam Γενέθλια viventis. Etymologici Auctor. Γενέθλια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτήσασα τοῦ τεχθέντος ἑορτή. καὶ Γενέσια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ μνήμη. *Genetblia, post annum superveniens geniti festus dies; & Genesia, memoria per annum.* Suidas totidem verbis; sed diversis locis. Elegans hac de re locus est apud Diogenem Laertium in *Epicuro*, lib. X. ubi ipse Epicurus in testamento suo natalem patris, matris, fratrum, & suum, post mortem celebrandum ordinat. Εἴς τε τὰ ἐναγίσματα τῷ τε πατρὶ, καὶ τῇ μητρὶ, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ ἡμῖν, εἰς τὴν εἰθισμένην ἄγεσθαι γενέθλιον ἡμέραν, ἑκάστου ἔτους τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος. *Et ad inferias patrique, & matri, & fratribus, ac nobis, ad diem celebrari solitum Genetblium, quotannis primo decimo die Gamelionis*, &c. Sic τὰ τοῦ Πλάτωνος γενέθλια celebrabant philosophi. Observare est apud Proclum, Commentario *in librum De Rep.* Ἔναγχος ἡμῖν ἐν τοῖς τοῦ Πλάτωνος γενεθλίοις διαλεγομένοις παρέστη διασκέψασθαι, &c. *Nuper nobis in Platoni festo natali colloquentibus licuit dispicere.* Commemorat ea etiam Plutarchus *Sympos.* VIII. Quæst. I. Ἃ τοίνυν ἐν τοῖς Πλάτωνος γενεθλίοις καὶ ἀκοῦσαι καὶ εἰπεῖν συνέτυχεν ἡμῖν, πρῶτα τοῦτο περιέχει τὸ βιβλίον. *Quæ igitur in Platonis natali die priuem & audire & dicere contigit nobis, prima continet hic libellus.* Ex mox. Καὶ Φλῶρος, οὐδὲ Καρνεάδην ἀπαξιοῦν ἔφη μνήμης ἐν τοῖς Πλάτωνος γενεθλίοις. *Et Florus ne Carneaden quidem indignum esse memoria dixit in Platonis natali die.* Celebrabant quoque Socratis. Discimus ex ejusdem Plutarchi *eodem loco*. Τῇ ἕκτῃ τοῦ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου, τὴν Σωκράτους ἀγαγόντες γενέθλιον, τῇ ἑβδόμῃ τὴν Πλάτωνος ἤγομεν. *Sexto Thargelionis medii, Socratis celebrantes diem natalem, septimo Platonis egimus.* Meminit simpliciter τῶν γενεσίων Pollux *lib.* III. *cap.* XIX. Ἔννατα, τριακοντάδες, γενέσια, νεκύσια. ταῦτα ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν ἀπηλλαγμένων νενόμισο. *Noni dies, trigesimi, natalia, mortualia. Hæc ad religionem mortuorum observari placuit.* Dio *lib.* IX. Τῷ δὲ Δρούσῳ τῷ πατρὶ, τῇ τε Ἀντωνίᾳ τῇ μητρὶ, ἱπποδρομίας ἐς τὰ γενέσια ἔδωκε. *Sed Druso patri, & Antoniæ matri, dedit circenses ludos ad natalem diem.* Invenio vero τὰ γενέσια poni etiam pro diei natalis celebratione, quam viventes peragebant. Ecce apud Matthæum Evangelistam *cap.* X.V. Γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου, ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ τῆς Ἡρῳδιάδος ἐν τῷ μέσῳ. *Quum agerentur dies natales Herodis, saltavit soror Herodiadis in medio.* Et apud Marcum, *cap.* VI. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, ὅτε Ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ. *Et quum oportunus venisset dies, quum Herodes natali suo exciperet cœna megistanas suos.* Et ex iis Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone*. Καὶ τοῦτον αὐτὸν τὸν προφήτην συγκεκλείκει ὁ βασιλεὺς ὑμῶν Ἡρώδης εἰς φυλακὴν, καὶ γενεσίων ἡμέρας τελουμένης, &c. *Et hunc ipsum prophetam conclusit rex noster Herodes in carcerem, & jam quum natalium dies perageretur.* Sed impropriam loquutionem esse notat Am-

A monius, *loco citato*. Ὁ οὖν λέγων ἐπὶ τῶν ζώντων τὰ Γενέσια, ἀκυρολογεῖ. *Qui igitur dicit de viventibus vocem* Genesia, *improprie loquitur*. Phrynichus etiam reprehendit in *Ecloga Dict. Attic.* Γενέσια οὐκ ὀρθῶς τίθεται ἐπὶ τῆς γενεθλίου ἡμέρας. γενέσια γὰρ Ἀθήνησιν ἑορτή. *Vox* Genesia *non recte ponitur de die natali. Ita enim Athenis dicitur festum.* Qui locus profecto mutilus. nam quæ hæc est ratio? Γενέσια festum Athenis erat, ergo male pro die natali usurpatur. Non dubito, quin scripserit Grammaticus iste, Γενέσια γὰρ Ἀθήνησιν ἑορτὴ πένθιμος. *Genesia enim Athenis festum lugubre.* Hoc omnino voluit di-
B cere. Γενέσια non recte pro die natali ponitur, quia erat id apud Athenienses festum lugubre. Et hoc ipsum etiam Hesychius testatur. Γενέσια, ἑορτὴ πένθιμος Ἀθηναίοις. *Genesia festum lugubre apud Athenienses.* Nec Atheniensibus tantum mos iste τῶν γενεσίων celebrandorum fuit, verum etiam, qui ab istis mox acceperunt, Romanis. Vide, si tanti, librum nostrum *De Funere*, cap. XXXVI.

ΓΕΝΕΤΥΛΛΙΣ.

Festum a mulieribus celebratum, ut puto, pro felici gravidarum partu. Hesychius. Γενετυλλίς,
C (ita scribo, non Γενετυλλίς) γυναικεία θεός, πεποιημένου τοῦ ὀνόματος παρὰ τὰς γενέσεις, ἐοικυῖα τῇ ἑορτῇ. διὸ καὶ ταύτῃ κύνας προστιθέασιν. ἔστι δὲ ξενικὴ ἡ θεός, καὶ ἑορτὴ τῶν γυναικῶν. *Genetyllis, numen fœmineum, facto nomine propter nativitates, similis festo. Propterea etiam canes ei proposuerunt. Est autem dea peregrina, & festum fœmineum.*

ΓΕΡΑΙΣΤΙΑ.

Neptuno dedicatum festum a Gæræstiis cunctis, propter tempestatem, quæ circa Geræstum acciderat. Scholiastes Pindari *Olymp* Od. XIII. Ἐν Εὐβοίᾳ
D Γεραίστια ὑπὸ πάντων Γεραιστίων ἄγεται τῷ Ποσειδῶνι, διὰ τὸν συμβάντα χειμῶνα περὶ Γεραιστόν. *In Eubœa festum Geræstia ab omnibus agitur Geræstiis Neptuno ob tempestatem, quæ contigit circa Geræstum.* Certe fanum Neptuni apud Geræstios celeberrimum commemorat Strabo initio *libri* X. & Stephanus *in* Γεραιστός.

ΓΕΡΟΝΘΡΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Apud hos templum, & lucus, Martis; cui festum celebrabant singulis annis; quo tempore mu-
E lieribus lucum intrare non licebat. Pausanias *Laconicis*. Ἐν δὲ Γερόνθραις Ἄρεως ναὸς, καὶ ἄλσος, ἑορτὴν δὲ ἄγουσι τῷ θεῷ κατ' ἔτος, ἐν ᾗ γυναιξὶν ἐστὶν ἀπηγορευμένον ἐς τὸ ἄλσος ἐσελθεῖν. *Sed in Geronthris templum Martis & lucus. Festum autem Deo agunt quotannis, in quo vetitum est mulieribus ingredi lucum.*

ΓΕΦΥΡΙΣΜΟΙ.

Inter festa numerantur ab Æliano *Histor. Anim.* lib. IV. cap. XLIII. Κεκήρυκται γὰρ Διονύσια, καὶ Λήναια, καὶ Χύτροι, καὶ Γεφυρισμοί. *Præconio enim indicta*
F *sunt Bacchanalia, & Lenæa, & Chytri, & Gephyrismi.* Vide quæ seorsi mihi notata in *Eleusiniis*.

ΓΗΣ ΕΟΡΤΗ.

Athenis in arce templum erat τῆς Γῆς. Thucydides clare *lib.* II. Τὰ γὰρ ἱερὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀκροπόλει καὶ ἄλλων θεῶν ἐστι, τό τε τοῦ Ὀλυμπίου, καὶ τὸ Πύθιον καὶ τὸ τῆς Γῆς. *Templa quippe in ipsa arce & aliorum Deorum*

sunt, *& Olympii*, *& Pythium*, *& Terræ*. Ac festo hujus certamen erat. Pindarus *Pyth*. IX.

Ἐν Ὀλυμπίοισί τε καὶ βαθυκόλπου
Γᾶς ἀέθλοις.
In Olympiis & profundæ
Terræ ludicris. ——

Scholiastes Ἐν τοῖς ἀγομένοις ἀγῶσι τῇ Γῇ, τουτέστιν, ἐν Ἀθήναις ἐκεῖ γὰρ ἄγεται τῇ Γῇ ἀγὼν, ὥς φησι Δίδυμος. *In certaminibus, quæ celebrantur Terræ, hoc est, Athenis. Ibi enim Terræ colitur certamen, ut ait Dydimus.*

ΓΥΜΝΟΠΑΙΔΙΑ.

Laconum erat, ac cum saltationibus peragebatur; quamobrem cum inter illas locus illi proprius esset, nuper in *Orchestra* inserui. Itaque hic nunc minime repetam. Illic vide.

ΔΑΔΙΣ.

Festum erat triduanum, ita dictum, quod ad faces accensas celebraretur. Lucianus *Pseudomanti*. Εἶτα Λητοῦς ἐγίγνετο λοχεία, καὶ Ἀπόλλωνος γονὴ, καὶ Κορωνίδος γάμος, καὶ Ἀσκληπιὸς ἐτίκτετο· ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ, Γλύκωνος ἐπιφάνεια, καὶ γένεσις τοῦ θεοῦ. τρίτη δὲ ἡμέρα, Ποδαλειρίου τε ἦν καὶ τῆς μητρὸς Ἀλεξάνδρου γάμος. Δαδὶς δὲ ἐκαλεῖτο, καὶ δᾶδες δὲ ἐκαίοντο. *Deinde est Latonæ puerperium, & nativitas Apollinis, & nuptiæ Coronidis, & Æsculapius nascebatur. In secunda vero præsentia Glyconis, & nativitas Dei. Tertia autem die Podalirii erat & matris Alexandri nuptiæ; vocabaturque Fax, & vero faces erant accensæ.*

ΔΑΙΔΑΛΑ.

Ita enim dicebantur, non Δαιδάλεια; quod minus recte, corrupto Menandri loco adductus, existimavi: cum de iis per occasionem agerem nuper in libro *De Populis Atticæ*. Nunc refingam; & hic reponam, loco proprio. Celebrabantur septimo quoque, vel minus etiam, anno. Ritus iste erat. Lucus quidam in Bœotia est, omnium maximus; in quo quercus antiquissimæ multo plurimæ. Huc convenientes Platæenses, elixarum carnium frusta exponebant, corvos ab his sedulo arcentes; quod si vero avium istarum quædam frustum aliquod abripuisset, in qua arbore avolans inde consedisset, diligenter observabant: atque ex ea materiam cædebant signo fabricando, quod δαίδαλον appellabant. Narrat Pausanias in *Bœoticis*, non longe ab initio. Δαίδαλα οὖν ἄγουσιν οἱ Πλαταιεῖς ἑορτὴν δι' ἔτους ἑβδόμου μὲν, ὡς ἔφασκεν ὁ τῶν ἐπιχωρίων ἐξηγητής. ἀληθεῖ μέντοι λόγῳ, δι' ἐλάσσονος, καὶ οὐ τοσούτου χρόνου.... ἄγουσι δὲ οὕτω τὴν ἑορτήν· δρυμός ἐστιν Ἀλαλκομενῶν οὐ πόῤῥω, μέγιστος τῶν ἐν Βοιωτίᾳ. στελέχη δρυῶν ἐστιν ἐνταῦθα. ἐς τοῦτον οἱ Πλαταιεῖς ἀφικόμενοι τὸν δρυμὸν, προτίθενται μοίρας κρεῶν ἑφθῶν. ὄρνιθες δὲ οἱ μὲν ἄλλοι σφίσιν ἥκιστά εἰσι δι' ὄχλου, τῶν κοράκων δὲ (οὗτοι γὰρ σφίσιν ἐπιφοιτῶσιν) ἔχουσιν ἀκριβῆ τὴν φρουράν. ὃς δὲ αὐτῶν ἁρπάσῃ τὰ κρέας, ἐφ' ὅτῳ τῶν δένδρων καθεσθῇ, τεμόντες ποιοῦσιν ἀπὸ τούτου τὸ δαίδαλον· δαίδαλον γὰρ δὴ καὶ τὸ ξόανον αὐτὸ ὀνομάζουσι. *Dædala igitur celebrant Platæenses festum septimo quidem anno, ut dicebat patriorum rituum interpres: vero tamen sermone, minori intervallo, & non tanto .... Celebrant autem festum ita: Lucus est non procul ab Alalcomenis, maximus omnium Bœoticorum. Illic trunci sunt quercuum. In hunc lucum venientes Platæenses proponunt partes carnium elixarum. Volucres autem aliæ minus eos turbant, sed corvorum (hi enim illis imminent) accuratam habent cautelam. Qui tamen eorum rapuerit carnem, in quacumque consederit arbore, secantes faciunt ex ea dædalum. Dædalum enim etiam nominant ipsam imaginem.* Ad δαίδαλον autem lignum istud quod attinet, elegans de eo est Hesychii locus, sed corruptissimus, & per occasionem corrigendus. Δαίδαλον, ποίημα. καὶ τὸ κοσμούμενον ὑπὸ Πλαταιῶν ξύλον. *Dædalum, fabrica; & ornatum ab Platæis lignum.* Perperam hodie editur, τὸ κοσμούμενον ὑπὸ πλάταιον ξύλον. Fuerunt vero Δαίδαλα duplicia, hæc minora, illa majora. Minora privatim Platæenses celebrabant, majora autem Bœotii omnes, anno quoque sexagesimo convenientes, quia tam diu Platæenses domo ejecti exulassent. Et ligna quidem quatuordecim, quotannis Dædalis minoribus facta, in promptu erant; quæ sortito inter se tollebant, Platæenses, Coronæi, Thespienses, Tanagræi, Chæronenses, Orchomenii, Lebadeenses, & Thebani. reliquæ vero minoris dignationis urbes, itidem consortes erant. Inde ad ripam Asopi fluminis simulacrum ornabant, moxque mulieres pronubam in plaustrum impositam pompæ præficiebant; deinde sorte iterum missa, quo quisque ordine pompam duceret, plaustrum a flumine ad Cithæronis jugum agebant. Illic ara parata erat, hunc in modum ædificata. Lignis quadratis ita apte inter se compositis, ut lapidea plane structura videri posset, congesta in eo sarmenta in fastigium collocabant. Tum urbes singulæ, quæ quidem opulentiores, Junonem bove, Jovem tauro, hostiis vino & odoribus repletis, venerabantur; simulque ligna, quæ Δαίδαλα nuncupata dixi, super aram statuebant. Minores urbes, quibusque sumptus ad magnifica adeo sacra non suppeteret, ritu quidem cum majoribus plane eodem, sed minores victimas dabant; quas cum ara universa concremabant. Pausanias *loco citato*. Ταύτην μὲν ἰδίᾳ Πλαταιεῖς ἑορτὴν ἄγουσι, Δαίδαλα μικρὰ ὀνομάζοντες. Δαιδάλων δὲ ἑορτὴν τῶν μεγάλων καὶ οἱ Βοιωτοὶ σφίσι συνεορτάζουσι, δι' ἑξηκοστοῦ δὲ ἄγουσιν ἔτους. ἐκλιπεῖν γὰρ τοσοῦτον χρόνον τὴν ἑορτήν φασιν, ἡνίκα οἱ Πλαταιεῖς ἔφευγον· ξόανα δὲ τεσσαρεσκαίδεκα ἕτοιμα σφίσιν ἐστὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον παρασκευασθέντα ἐν Δαιδάλοις τοῖς μικροῖς. ταῦτα ἀναιροῦνται κλήρῳ Πλαταιεῖς, Κορωναῖοι, Θεσπιεῖς, Ταναγραῖοι, Χαιρωνεῖς, Ὀρχομένιοι, Λεβαδεῖς, Θηβαῖοι. διαλλαγῆναι γὰρ καὶ οὗτοι Πλαταιεῦσιν ἠξίωσαν: καὶ συλλόγου μετασχεῖν κοινοῦ, καὶ ἐς Δαίδαλα θυσίαν ἀποστέλλειν, ὅτε Κάσσανδρος ὁ Ἀντιπάτρου τὰς Θήβας ἀνῴκισε. τῶν δὲ πολισμάτων ὁπόσα ἐστὶν ἐλάσσονος λόγου, συντέλειαν αἱροῦνται. τὸ ἄγαλμα κοσμήσαντες παρὰ τὸν Ἀσωπόν. καὶ ἀναθέντες ἐπὶ ἅμαξαν γυναῖκα, ἐφιστᾶσι νυμφεύτριαν. οἱ δὲ αὖθις κληροῦνται. καθ' ἥντινα τάξιν τὴν πομπὴν ἀνάξουσι, τὸ δὲ ἐντεῦθεν τὰς ἁμάξας ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ πρὸς ἄκρον τὸν Θηβαῖον Κιθαιρῶνα ἐλαύνουσιν. εὐτρέπισται δὲ σφίσιν ἐπὶ κορυφῇ τοῦ ὄρους βωμός. ποιοῦσι δὲ τρόπῳ τοιῷδε τὸν βωμόν. ξύλα τετράγωνα ἁρμόζοντες πρὸς ἄλληλα συντιθέασι κατὰ ταὐτὰ καὶ εἰ λίθων ἐποιοῦντο οἰκοδομίαν. ἐξάραντες δὲ ἐς ὕψος φρύγανα ἐπιφέρουσιν. αἱ μὲν δὴ πόλεις καὶ τὰ τέλη τελείως θύσαντες τῇ Ἥρᾳ βοῦν ἕκαστοι, καὶ ταῦρον τῷ Διὶ, τὰ ἱερεῖα οἴνου καὶ θυμιαμάτων πλήρη, καὶ τὰ δαίδαλα ὁμοῦ καθίζουσιν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ. ἰδιῶται δὲ ὁπόσα θύουσιν οἱ πλούσιοι. τοῖς δὲ οὐχ ὁμοίως δυνάμεις, τὰ λεπτότερα τῶν προβάτων θύειν καθέστηκε. καθαγίζειν δὲ τὰ ἱερεῖα ὁμοίως πάντα, σὺν δὲ σφισι καὶ αὐτὸν τὸν βωμὸν ἐπιλαβὸν πῦρ ἐξανήλωσε. *Hoc quidem festum seorsum celebrant Platæenses, Dædala parva nominantes. Dædalorum vero*

festum magnorum etiam Bœoti cum illis colunt, sed sexagesimo agunt anno: intermissum enim tanto tempore referunt, quando Platæenses exsultaverunt. Simulacra autem quatuordecim parata illis sunt quotannis confecta in Dædalis parvis. Hæc tollunt sorte Platæenses, Coronæi, Thespienses, Tanagræi, Chæronenses, Orchomenii, Lebadenses, Thebani. Nam & hi reconciliari cum Platæensibus dignati sunt, & conventus communis participes esse, & ad Dædala sacrificium mittere, quum Cassander Antipatri filius Thebas instauravit. Oppidorum vero quæ sunt minoris potentiæ, communionem accipiunt. Statuam ubi exornaverunt apud Asopum, & plaustro etiam imposuerunt, mulierem apponunt pronubam. Hinc iterum sortiuntur, quo ordine pompa duci debeat. Tum vero plaustra ab fluvio ad summum Thebanum Cithæronem ducunt. Parata autem illis est in montis vertice ara, quam hoc modo adornant. Ligna quadrata apte sibi invicem jungentes composuerunt perinde ac si ex lapidibus facerent ædificium. Ita quum eduxerunt in altum, sarmenta ingerunt. Urbes igitur & magistratus perfectas immolantes Junoni vaccas singulas, & taurum Jovi, victimas vino & odoribus repletas, & dædala simul deponunt in aram. Vulgares vero eadem sacrificant quæ locupletes. Quibus vero non item facultas, tenuiores ovium immolare statutum est; consecrare autem victimas simul omnes, cum illis vero & ipsam aram ignis corripiens consumpsit. Origo autem festi ista. Junonem ferunt, Jovi iratam in Eubœam secessisse; ipsum vero, cum placare eam haud posset, ad Cithæronem, Platæensium id temporis principem, & versutia nulli secundum, accessisse. Cujus monitu fabricatum e ligno simulacrum quoddam, vestibus tectum, plaustro imposuisse, sparso callide in vulgus rumore, Platæam esse, Asopi filiam, sibi desponsam. Quod cum audivisset Juno, e vestigio accurrisse: cumque ad plaustrum mox accedens, reducta veste, ligneum quoddam simulacrum, quam putarat novam nuptam, comperisset; fraude lætam, cum Jove in gratiam rediisse. In ejus autem rei memoriam festum Δαίδαλα institutum, quia Veteres signa lignea Δαίδρλα dicerent. Docet eadem Pausanias, *loco eodem*. Ἥραν ἐφ' ὅτῳ δὴ πρὸς τὸν Δία ὠργισμένην ἐς Εὔβοιαν φασὶν ἀναχωρῆσαι. Δία δὲ, ὡς οὐκ ἔπειθεν αὐτὴν, παρὰ Κιθαιρῶνα λέγουσιν ἐλθεῖν, δυναστεύοντα ἐν Πλαταιαῖς τότε. εἶναι γὰρ τὸν Κιθαιρῶνα οὐδενὸς σοφίαν ὕστερον. οὗτος οὖν κελεύει τὸν Δία ἄγαλμα ξύλου ποιησάμενον ἄγειν ἐπὶ βοῶν ζεύγους ἐγκεκαλυμμένον, λέγειν δὲ ὡς ἄγοιτο γυναῖκα Πλάταιαν τὴν Ἀσωποῦ. καὶ ὁ μὲν ἔπρασσε κατὰ τὴν παραίνεσιν τοῦ Κιθαιρῶνος. Ἥρα δὲ ἐπέπυστό τε αὐτίκα, καὶ αὐτίκα ἀφίκετο. ὡς δὲ ἐπλησίαζε τῇ ἁμάξῃ, καὶ τοῦ ἀγάλματος τὴν ἐσθῆτα περιέρρηξεν, ἥσθη τε τῇ ἀπάτῃ, ξόανον εὑροῦσα ἀντὶ νύμφης γυναικὸς, καὶ διαλλαγὰς ποιεῖται πρὸς τὸν Δία. ἐπὶ ταύταις ταῖς διαλλαγαῖς Δαίδαλα ἑορτὴν ἄγουσιν, ὅτι οἱ πάλαι τὰ ξόανα ἐκάλουν δαίδαλα. *Junonem quodcunque ob negotium Jovi succensentem dicunt recessisse in Eubœam: Jovem vero, quum persuadere ei nequiret, ad Cithæronem ferunt venisse, tunc dominantem Platæis; quippe qui consilio esset nulli secundus. Hic igitur jubet, ut Jupiter statuam e ligno factam in plaustro ab bubus duobus tracto veheret velatam; diceretque se vehere fœminam Platæam Asopi filiam. Et ille quidem ista fecit ex monitu Cithæronis. Juno autem statim rescivit statimque accessit. Quum vero appropinquaret plaustro, & statuæ vestem dirupit, gavisaque est hoc dolo, simulacrum reperiens pro nova nupta, & cum Jove reconciliata est. Propter hæc nova fœdera agunt festum Dædala, quoniam veteres simulacra eo modo vocabant.* Plutarchus libro Περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων eadem refert, nisi quod pro Cithærone Alalcomenem, pro Platæa Dædalam dicat. Ejus insigne fragmentum hac de re istud est apud Eusebium *de Præp. Evang.* lib. III. in ipso initio. Λέγεται ὁ Ζεὺς, τῆς Ἥρας αὐτῷ διαφερομένης, μηκέτι φοιτᾶν εἰς τὸ αὐτὸ βουλομένης, ἀλλὰ κρυπτούσης ἑαυτὴν, ἀμηχανῶν, καὶ πλανώμενος, Ἀλαλκομένει τῷ αὐτόχθονι συντυχεῖν. καὶ διδαχθῆναι ὑπὸ τούτου, ὡς ἐξαπατητέον τὴν Ἥραν σκεψάμενον ἑτέραν. * συνεργοῦντος δὲ τοῦ Ἀλαλκομένους, κρύφα τεμόντας αὐτοὺς εὐκτέανον καὶ παγκάλην δρῦν, μορφῶσαί τε αὐτὴν καὶ καταστεῖλαι νυμφικῶς, Δαιδάλην προσαγορεύσαντας. εἶτα οὕτως ἀναμέλπεσθαι μὲν τὸν ὑμέναιον, λουτρὰ δὲ κομίζειν τὰς Τριτωνίδας νύμφας, αὐλοὺς δὲ καὶ κώμους τὴν Βοιωτίαν † παρασχεῖν. περαινομένων δὲ τούτων, οὐκέτι τὴν Ἥραν καρτερεῖν, ἀλλὰ καταβᾶσαν ἐκ τοῦ Κιθαιρῶνος, τῶν Πλαταιίδων αὐτῇ γυναικῶν ἑπομένων, ὑπ' ὀργῆς καὶ ζηλοτυπίας θέουσαν ἐλθεῖν πρὸς τὸν Δία, καὶ τοῦ πλάσματος φανεροῦ γενομένου, διαλλαγεῖσαν μετὰ χαρᾶς καὶ γέλωτος αὐτὴν νυμφαγωγεῖν. τιμὴν δὲ τῷ ξοάνῳ προσθεῖναι, καὶ Δαίδαλα τὴν ἑορτὴν προσαγορεῦσαι. *Jupiter narratur, Junone ipsi infensa, neque amplius congredi volente, sed se abscondente, consilii incertus & vagans occurrisse Alalcomeni indigenæ, & ab eo edoctus, quomodo decipienda esset Juno, per simulationem alterius ducendæ. Sic adjuvante Alalcomene, clanculum eos secantes crassam & perpulchram quercum, incidisse faciem & nuptiali veste ornavisse, Dædalam appellantes. Ita deinde cantavisse quidem hymenæum, aquam vero ad lavandum apportavisse Tritonidas nymphas, tibias vero & repotia præbuisse Bœotiam. His autem peractis, non ultra durasse Junonem, sed degressam ex Cithærone, Platæensibus mulieribus eam sequentibus, præ ira & dolore currentem venisse ad Jovem; & commento patefacto, rursus placatam cum gaudio & risu ipsam velut pronubam fuisse: Honorem item simulacro addidisse, & Dædala festum appellavisse.* Meminit quoque festi hujus, sed corrupto leviter nomine, Menander Rethor, *cap.* Πῶς δεῖ ἀπὸ ἐπιτηδεύσεων ἐγκωμιάζειν τὰς πόλεις. Ὡς τὰ Πύθια, καὶ Ὀλύμπια, καὶ Δαίδαλα ἐν Πλαταιαῖς. *Quomodo oporteat ab opificiis laudare urbes. Sicut Pythia, & Olympia, & Dædala Platæis.* Ita emendo. non recte vulgatur, καὶ Δαιδάλεια. Singulare de his Opus scripserat Plutarchus. Ecce enim apud Lampriam in *Catalogo*. Περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων. *De Dædalis in urbe Platæis.* Ita titulum illum restituo; nam quod assutum est, φιλολόγων, non est nauci; atque aliunde avulsum adhæsit. Ergo errat doctus Interpres, qui vertebat; *De artificiosis orationibus, doctisque viris, apud Platæenses.* Vera interpretatio est. *De Platæensium Dædalis.* Et ecce apud Eusebium *De Præp. Evang.* lib. III. Καὶ τί με δεῖ ταῦτα προλαμβάνειν, αὐτοῦ παρὸν ἀκοῦσαι τοῦ ἀνδρὸς (Plutarchum designat) ὧδέ πως ἐν οἷς ἐπέγραψε Περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων, τὰ λανθάνοντα τοὺς πολλοὺς τῆς ἀπορρήτου περὶ θεῶν φυσιολογίας ἐκφαίνοντος. *Et quid oportet me illa præcipere, quum liceat ipsum audire virum ita ferme in iis quæ inscripsit de Dædalis apud Platæas, declarante illa quæ a multis ignorantur istius incognitæ physiologiæ de diis.* Moxque fragmentum insigne illic repræsentat; cujus partem jam citavi.

ΔΑΜΕΙΑ.

Tarentini celebrabant. Hesychius. Δάμια, ἑορτὴ παρὰ Ταραντίνοις. *Damia, festum apud Tarentinos.* Ita malo, quam, ut editur, Δάμεια. Et quidem in honorem τῆς Δαμίας, quæ cum Bona Dea eadem putabatur, cui tunc sacra in operto fieri solita. Festus. *Damium, sacrificium, quod fiebat in operto,*

* *Meursius nescio qui omisit verbum* γαμεῖν.
† *Nam male Meursius citaverat* τῶν Βοιωτῶν.

in honorem Bonæ Deæ; dictum a contrarietate, quod minime esset δημόσιον, *id est, publicum. Dea quoque ipsa* Δαμία, *& sacerdos ejus* Δαμιὰς *appellabatur.* Non possum sequi virum magnum, hic mutantem. Fugit item Philoxenum ratio, qui in *Glossis* Latino-Græcis. *Damium*, θυσία. ὑπαίθριον γινόμενον. *Sacrificium, in aperto fieri solitum.* Bonæ Deæ in occulto, non sub divo, sacra facta. Tarentini, quorum dialectus Dorica, Δάμια ea indigetabant, tanquam Δήμια; quia pro populo faciebant.

ΔΑΡΩΝ.

Hesychius. Δαρὸν, μακρὸν χρόνον, καὶ ἐπιπολύ. καὶ ἑορτήν.. *Daron, longum tempus, & utplurimum; & festum.* Nescio an dicam Macedonum fuisse, apud quos erat genius quidam, Δάῤῥων appellatus; cui pro ægrotis vota nuncupabant. Observo apud eundem Hesychium. Δάῤῥων, Μακεδονικὸς δαίμων, ᾧ ὑπὲρ τῶν νοσούντων εὔχονται. *Darron, Macedonicus dæmon, cui pro ægrotis vota faciunt.*

ΔΑΥΛΙΣ.

Argivorum erat, ad imitationem pugnæ Prœti & Acrisii. Hesychius. Δαυλὶς, ἑορτὴ ἐν Ἄργει, μίμημα τῆς Προίτου πρὸς Ἀκρίσιον μάχης. *Daulis, festum in urbe Argo, simulacrum pugnæ Prœti contra Acrisium.*

ΔΑΦΝΗΦΟΡΙΑ.

Celebrabatur Apollini Ismenio, & Galaxiæ. Proclus in *Chrestomathia*. Παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος Ἰσμηνίου, καὶ Γαλαξίου. *Deducebant vero hanc lauri gestationem in Apollinis Ismenii & Galaxii.* Locus de eo festo prolixus valde, & insignis, est in eo Opere; quem quia Petrus Castellanus, vir eruditissimus, suis inseruit, ego non transcribam. Præerat illi puer patrimus, ac matrimus; cui alius, qui familiaris maxime, lignum coronatum gestabat, Κωπὼ dictum; ipso subsequente, & laurum manu contingente; dicebatur autem Δαφνηφόρος. Proclus *ibidem*. Ἄρχει δὲ τῆς δαφνηφορίας παῖς ἀμφιθαλής. καὶ ὁ μάλιστα αὐτῷ οἰκεῖος βαστάζει τὸ κατεστεμμένον ξύλον, ὃ κωπὼ καλοῦσι. αὐτὸς δὲ ὁ δαφνηφόρος ἑπόμενος, τῆς δάφνης ἐφάπτεται. *Incipit autem hanc lauri gestationem puer utrinque florens; & qui maxime illi familiaris, portat coronatum lignum, quod Copo vocant. Ipse autem lauri gestator sequens tangit laurum.* Meminit ejus rei Pausanias, ubi dicit, electum puerum claris natalibus; forma, & robore, excellentem. Verba in *Bœoticis* ista sunt. Τὸ δὲ γε καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι γινόμενον οἶδα ἐν Θήβαις τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Ἰσμηνίῳ. παῖδα οἴκου τε δοκίμου, καὶ αὐτὸν εὖ μὲν εἴδους, εὖ δ' ἔχοντα καὶ ῥώμης, ἱερέα ἐνιαύσιον ποιοῦσιν. ἐπίκλησις δέ ἐστιν οἱ δαφνηφόρος. στεφάνους γὰρ φύλλων δάφνης φοροῦσιν οἱ παῖδες. *Quod vero ad meam usque ætatem peragitur Thebis Apollini Ismenio, novi. Puerum & domus spectatæ, & ipsum facie non invenusta, nec robore destitutum, faciunt annuum sacerdotem. Appellatio autem est illi Laurigerulus. Coronas enim foliorum lauri ferunt pueri.*

ΔΕΛΦΙΝΙΑ.

Apud Æginetas peragebantur. Schol. Pindari *Olymp.* Od. VIII. Ἡ δὲ Σικυὼν, Βοιωτίας. ἐν ᾗ τὰ Πύθια ἄγεται. καὶ ἐν Αἰγίνῃ τὰ Δελφίνια. *Sicyon vero Bœotiæ; in qua celebrantur Pythia; & in Ægina Delphinia.* Et quidem in honorem Apollinis. Idem Scholiastes, *Pyth.* Od. VII. Ἐν Αἰγίνῃ δὲ πρὸ τούτων ἐνίκησε τὰ Δελφίνια, Ἀπόλλωνος ἀγῶνα. *In Ægina autem ante hos vicit Delphinia, Apollinis ludicrum.* Et mox: Ἄγεται δὲ ἐν Αἰγίνῃ Δελφίνια Ἀπόλλωνι. *Celebrantur autem in Ægina Delphinia Apollini.* Et is Apollo Δελφίνιος cognomento dicebatur; & mensis, quo celebratum festum, item Δελφίνιος. Observo alibi apud eundem Scholiasten *Nem.* Od. V. Παρ' Αἰγινήταις Δελφίνιος ἄγεται, Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερός. *Apud Æginetas Delphinius celebratur, Delphinio Apollini sacer.* Mentio est ejus mensis in Inscript. vet. ΣΥΝΝΑΓΕΣΘΩ ΕΝ ΤΟ ΜΟΥΣΕΙΩ ΚΑΘΕΚΑΣΤΟΝ ΕΤΟΣ ΕΝ ΜΗΝΙ ΔΕΛΦΙΝΙΩ. *Cogatur in Museo quotannis mense Delphinio.* Et in altera. ΤΑΝ ΔΕ ΣΥΝΑΓΩΓΑΝ ΤΟΥ ΑΝΔΡΕΙΟΥ ΤΩΝ ΣΥΓΓΕΝΩΝ ΓΙΝΕΣΘΑΙ ΕΝ ΜΗΝΙ ΔΕΛΦΙΝΙΩ. *Congregationem vero virilis sexus cognatorum fieri mense Delphinio.* Sed Apollo Δελφίνιος non apud Æginetas tantum, sed & Athenienses colebatur; cui templum illi statuerunt non longe a Jovis Olympii. Pausanias in *Atticis*. Μετὰ δὲ ναὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, πλησίον ἄγαλμά ἐστιν Ἀπόλλωνος Πυθίου. ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐπίκλησιν Δελφινίου. *Sed post templum Jovis Olympii prope est simulacrum Apollinis Pythii: est vero & aliud templum Apollinis cognomen Delphinii.* Meminit ejus Plutarchus *Theseo*. Εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν. *Deinde Apollini Delphinio immolavit.* Et Diogenes Laertius in *Thalete*. Θαλῆς Ἐξαμίου, Μιλήσιος, Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών. *Thales Examiæ filius, Milesius, Apollini Delphinio Græcorum fortitudinis præmium, quod bis accepit.* Nec Apollo tantum Δελφίνιος Athenis erat, sed Diana etiam Δελφινία; & utrique forum dedicatum erat, Ἐπὶ Δελφινίου dictum. Pollux *l.* VIII. *c.* X. Τὸ δὲ ἐπὶ Δελφινίῳ, ἱδρύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, λέγεται δὲ Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ, καὶ Ἀρτέμιδι Δελφινίᾳ. *Forum vero ad Delphinium exstructum quidem fuit ab Ægeo, dicitur autem Apollini Delphinio, & Dianæ Delphiniæ.*

ΔΗΛΙΑ.

Apollini Delio sacra. Theodoretus *Therapeut.* VII. Τούτοις καὶ ἑορτὰς, καὶ πανηγύρεις, καὶ δημοθοινίας, ἐπιτελεῖν ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀλάστωρ ἐνομοθέτησε. Πάνδια μὲν, καὶ Διάσια, τῷ Διΐ· καὶ Ἥραια, τῇ Ἥρᾳ· καὶ τῇ Ἀθηνᾷ, Παναθήναια· καὶ Διονύσῳ, Διονύσια· καὶ Ἐλευσίνια, καὶ Θεσμοφόρια, τῇ Δηοῖ· καὶ Δήλια, καὶ Πύθια, τῷ Ἀπόλλωνι. *His etiam dies festos, & solennes conventus, & publica epula peragere injunxit malus hominum genius. Pandia quidem & Diasia Jovi; & Heræa Junoni; & Minervæ Panathenæa; & Baccho Bacchanalia; & Eleusinia, ac Thesmophoria, Cereri; & Delia ac Pythia Appollini.* Celebrantur autem quinto quoque anno. Thucydides *lib.* III. Καὶ τὴν πενταετηρίδα τότε πρῶτον μετὰ τὴν κάθαρσιν ἐποίησαν οἱ Ἀθηναῖοι τὰ Δήλια. *Et ludum quinquennalem tunc primum post purgationem fecerunt Athenienses Delia.* Curabantque ea οἱ Ἱεροποιοὶ, *Sacrificuli.* Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. *sect.* XXVI. ubi περὶ ἱεροποιῶν agit. Δέκα ὄντες οὗτοι, ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρίδας, τὴν εἰς Δῆλον. *Decem hi numero, sacrificabant sacrificia quinquennalia etiam illud in Delum.* Atque hoc ipsum voluit dicere etiam Etymologici Auctor, cum *in* Ἱεροποιοὶ ita inquit. Καὶ θυσίας τὰς νομιζομένας ἐπιτελοῦσι, καὶ τὰς πενταετηρίδας ἁπάσας διοικοῦσι, πλὴν Παναθηναίων. *Et sacrificia legitima hi peragunt, & quinquennalia omnia administrant, præter Panathenæa.*

ΔΗΜΗΤΡΙΑ.

Cereris erant. Pollux *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXXII. Δήμητρος (ἑορτὰ) Δημήτρεια, Θεσμοφόρια, Ἐλευσίνια. *Cereris (festa) Cerealia, Thesmophoria, Eleusinia.* Cleomedes *Meteor.* lib. II. Ὅμοια τοῖς λεγομένοις ἐν τοῖς Δημητρίοις. *Similia illis, quæ dicuntur in Cerealibus.* Corrigendus Theophrasti locus, *Hist. Plant.* lib. V. cap. III. Ὥς περ καὶ περὶ τὸν κότινον συνέβη τὸν ἐν Μεγάροις, τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ. οὗ καὶ ἐκκοπέντος, λόγιον ἦν ἁλῶναι καὶ διαρπασθῆναι τὴν πόλιν, ὥσπερ ἐγένετο Δημητρίοις. *Sicut etiam circa oleastrum contigit, qui est Megaris & in foro; quo etiam exciso oraculum erat captum iri & direptum urbem, prout accidit Cerealibus.* Hodie corrupte editur, ὥ. ἐγένετο Δημήτριος. *prout fuit Demetrius.* Hoc se festo verberabant flagello e cortice contexto, quod Μόροττον appellabatur. Hesychius. Μόροττον, ἐκ φλοιοῦ πλέγματι, ᾧ ἔτυπτον ἀλλήλους τοῖς Δημητρίοις. *Morotton, ex cortice crates quædam, quibus se invicem cædebant Cerealibus.* Et in his sacerdos deæ, qui sacra faceret, ex Pœmenidarum familia. Idem Hesychius alibi docet. Ποιμενίδαι, γένος, ἐξ οὗ ὁ τῆς Δήμητρος ἱερεύς. *Pœmenidæ, gens, ex qua Cereris sacerdos.* Alia erant eodem nomine, in honorem Demetrii instituta ab Atheniensibus, quorum meminit Diodorus Siculus *lib.* XX. ubi de Demetrio, & Antigono, agit. Οἱ δ᾽ Ἀθηναῖοι, γράψαντος ψήφισμα Στρατοκλέους, ἐψηφίσαντο καὶ συντελεῖν αὐτοῖς κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀγῶνας, καὶ πομπὴν, καὶ θυσίαν. *Athenienses vero, scribente decretum Stratocle, decreverunt etiam conficere illis annuos ludos, & pompam, & sacrificium.* Celebrabantur vero mensis Munychionis die XXX. eruntque revera Dionysia, sed mutato nomine Demetria dicta. Observo apud Plutarchum in *Demetrio.* Τέλος δὲ τῶν τε μηνῶν τὸν Μουνυχιῶνα, Δημητριῶνα· καὶ τῶν ἡμερῶν τὴν ἕνην καὶ νέαν, Δημητριάδα προσηγόρευον· καὶ τῶν ἑορτῶν τὰ Διονύσια, μετωνόμασαν Δημήτρεια. *Denique vero ex mensibus Munychionem, Demetrionem; & dierum trigesimum appellarunt Demetriada; & ex festis Bacchanalia transtulerunt in Demetria.* In his repræsentabatur Demetrius in proscenio, orbe terrarum vectus. Athenæus *lib.* XII. Γενομένων δὲ τῶν Δημητρίων Ἀθήνησι, ἐγράφετο (Δημήτριος) ἐπὶ τοῦ προσκηνίου, ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὀχούμενος. *Quum vero Demetria celebrarentur Athenis, pingebatur (Demetrius) in proscenio, terrarum orbe vectus.* Eustathius *ad Iliad.* ε. Δημητρίων φασὶν ἐπὶ Ἀθήνῃσιν ἀγομένων, ἐγράφετο Δημήτριος ἐν τῷ προσκηνίῳ, ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὀχούμενος. Δημητρίου δ᾽ ἐνταῦθα μνεία, τοῦ Πολιορκητοῦ, ᾧ καὶ ἤγοντο τὰ εἰρημένα Δημήτρεια, ὡς ἀλαζόνι. *Demetriis dicunt, quum ea Athenienses agerent, pingebatur Demetrius in proscenio, terrarum orbe vectus. Demetrii autem illic memoria Poliorcetæ, cui etiam celebrabant ista quæ dicebant Demetria, utpote glorioso.*

ΔΙΑΜΑΣΤΙΓΩΣΙΣ.

Apud Lacedæmonios celebrabatur, annis singulis. Erat vero inter festa Græciæ nobilissima. Philostratus, ubi de eo agit, in *Vita Apollonii*, lib. VI. cap. X. Ἡ δὲ Ἑλλὰς, πῶς, ἔφη, περὶ αὐτῶν γιγνώσκει; ξυνιᾶσιν, εἶπεν, ὥσπερ ἐς τὰ Ὑακίνθια, καὶ τὰς Γυμνοπαιδίας, θεασόμενοι ξὺν ἡδονῇ τε, καὶ ὁρμῇ πάσῃ. *Græcia vero, quomodo, inquit, de illis cognoscit? Conveniunt, ait, tanquam ad Hyacinthi festum, & gymnica certamina, spectaturi cum voluptate & omni studio.* Inde autem nomen accepit, quod adolescentes sese mutuo flagellarent, & quidem per totum diem. Plutarchus in *Lac. Instit.* Οἱ παρ᾽ αὐτοῖς ξαινόμενοι μάστιξι δι᾽ ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας Ἀρτέμιδος, μέχρι θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν, ἱλαροὶ, καὶ γαῦροι, ἁμιλλώμενοι περὶ νίκης πρὸς ἀλλήλους, ὅστις αὐτῶν ἐπὶ πλέον τε καὶ μᾶλλον καρτερήσειε. καὶ ὁ περιγενόμενος, ἐν τοῖς μάλιστα ἐπίδοξός ἐστι. καλεῖται δὲ ἡ ἅμιλλα, Διαμαστίγωσις. *Pueri apud eos flagellis icti per totum diem in ara Orthiæ Dianæ, usque ad mortem sæpe perdurant, hilares & elati, certantes de victoria inter se, quis illorum diutius & amplius sustinuerit. Et qui superat, inprimis gloriosus est. Vocatur autem pugna ista Flagellatio.* Lutatius *ad Theb.* VIII. *Incolæ Eurotæ fluminis plagis prædurantur ad patientiam agonici certaminis. Unde Horatius,*

Nec me tam patiens Lacedæmon.

Agon ipse Διαμαστίγωσις *dicitur.* Certabant vero adolescentes nobiles. Tertullianus *ad Martyres*, cap. IV. *Nam quæ hodie apud Lacedæmonios solennitas maxima est* Διαμαστίγωσις, *id est, Flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, & uti perseverent adhortantibus.* Simplicius *in Epictetum.* Κἂν πρὸς ἡδονὴν γυμνάζεταί τις, ἐπὶ τὸ κρατεῖν ἡδονῆς, ἀνάγκη, τῶν ἡδέων ἐφαπτόμενον, ἐθίζεσθαι καταφρονεῖν αὐτῶν· κἂν πρὸς λύπην, λυπηρῶν μετέχειν· κἂν πρὸς φόβον, φοβεροῖς τισὶν ἑαυτὸν ἐμβάλλειν· κἂν πρὸς ἀλγηδόνας, τὸν Διαμαστιγώσεως ἀγῶνα τῶν ἐν Λακεδαίμονι νέων εὐγενῶν ζηλοῦν, καὶ τὰ πρὸς ἐκεῖνον τὸν ἀγῶνα γυμνάσια, πάντα ἀλγεινὰ ὄντα. *Quod si & ad voluptatem exerceatur quis, ut contineat voluptatem, necesse est, postquam dulcia tetigerit, adsuescere ad illa contemnenda; quod si ad mœstitiam, gustare mœsta: quod si & ad metum, metuendis quibusdam se immittere; etiam si ad dolores, flagellationis certamen nobilium Lacedæmoniorum imitari, & exercitia ad istum agonem omnia horrida.* Ita locum illum emendo. Nam corrupte primum editur, τὸν διὰ μαστιγώσεως ἀγῶνα. *Agonem per flagellationem.* Et mox, Νέων ἀβενῶν ζηλοῦν. *Juvenum ignobilium æmulari.* Atque ita Lycurgus instituerat; postea tamen id neglectum, ut nobiles inter se certarent: & admissi ad hoc certamen etiam servi. Themistius in ea *Oratione*, quæ Βασανιστὴς, ἢ Φιλόσοφος, inscribitur. Λακεδαιμονίους δὲ ἐγὼ πυνθάνομαι τά τε ἄλλα τὸν Λυκοῦργον αἰσχύνειν, καὶ ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς Ὀρθίας, ὁμοίως μὲν δούλους, ὁμοίως δὲ ἐλευθέρους ἀνάγειν, τόν τε Εἵλωτα, εἰ τύχοι, τόν τε Εὐρυποντίδην, ἢ Ἀγιάδην. ἢ τοῦτό γε ἴσως οὐκ ἄτοπον· μαστίγων γὰρ τὸ ἀγώνισμα, καὶ ὁ στέφανος. *Sed Lacedæmonios ego rescisco tum reliqua Lycurgum pudefacere, tum in aram Orthiæ, pariter quidem servos, pariter item liberos adducere, tum Heiloten, si ita sors velit, tum Eurypontidem, vel Agiadem. An non hoc fortassis absurdum? Nam flagellorum certamen & corona.* Fiebat autem flagellatio hæc ad aram. Lucianus *De Gymn.* Μάλιστα δὲ ὁρᾷς μαστιγουμένους αὐτοὺς (loquitur de Laconibus) ἐπὶ τῷ βωμῷ, αἵματι ῥεομένους. *Maxime autem vides eos flagellatos in ara & sanguine madentes.* Tertullianus *loco citato*: *Ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur.* Inde est, quod Ἐπιβώμιον αἷμα dicit Gregorius Nazianzenus, *Orat.* Εἰς τὰ ἅγια φῶτα. Καὶ Λακωνικῶν ἐφήβων ἐπιβώμιον αἷμα, ξαινομένων ταῖς μάστιξι. *Et Lacedæmoniorum ephebørum in ara sanguis, verberatorum flagellis.* Erat vero ara ista Dianæ τῆς Ὀρθίας. Ecce in *citatis* Plutarchi *verbis.* Οἱ παῖδες παρ᾽ αὐτοῖς ξαινόμενοι μάστιξι δι᾽ ὅλης ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας Ἀρτέμιδος. *Pueri apud illos cæsi flagellis per totum diem ad aram Orthiæ Dianæ.* Idem in *Lycurgo* Καὶ τοῦτο μὲν οὐδὲ ἀπὸ τῶν νῦν ἐφήβων ἄπιστόν

ἐστι.

ἐστιν, ὧν πολλοὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας ἑωράκαμεν ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς. *Et illud quidem ne ab his quidem ephebis incredibile est, quorum multos in ara Orthiæ vidimus morientes plagis.* Pausanias in *Arcadicis*. Καὶ ἐν Διονύσου τῇ ἑορτῇ, κατὰ μάντευμα ἐκ Δελφῶν, μαστιγοῦνται γυναῖκες, καθὰ καὶ οἱ Σπαρτιατῶν ἔφηβοι παρὰ τῇ Ὀρθίᾳ. *Et in Bacchi festo, ex oraculo apud Delphos, flagellantur fœminæ, prout etiam Spartanorum ephebi ad Orthiam.* Aliis Diana Orthosia dicitur. Sextus Pyrrh. *Hypotyp.* lib. III. cap. XXIX. *Lacedæmonii in ara Dianæ Orthosiæ flagris acerrime cæduntur, ut multus in aram deæ defluat sanguis.* Sed aut Sexti error est, aut mendum a librario; nam Diana Orthosia Byzantii colebatur. Herodotus *lib.* IV. Τῇσι μὲν νυν στήλῃσι ταύτῃσι Βυζάντιοι, κομίσαντες ἐς τὴν πόλιν, ὕστερον τουτέων ἐχρήσαντο πρὸς τὸν βωμὸν τῆς Ὀρθωσίης Ἀρτέμιδος. *His quidem nunc columnis Byzantii, delatis in urbem, post hæc usi sunt ad aram Orthosiæ Dianæ.* Qui certabant, Βωμονεῖκαι dicebantur. Hyginus *Fab.* CCLXI. *Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret, quamquam servi immolarentur, ad Laconas Diana translata est, ubi sacrificii consuetudo adolescentum verberibus servabatur; qui vocabantur* Βωμονεῖκαι, *quia aræ superpositi contendebant, qui plura posset verbera sustinere.* Lutatius *ad Theb.* VIII. *Cum simulacrum (Dianæ Tauricæ) in Laconiam delatum fuisset, ne quod piaculum nasceretur intermissione solennis sacrificii, neve crudelitate Græciæ populus obiret, inventum est, ut inter se impuberes pueri de sustinendis verberibus contenderent, ac se in hanc patientiam provocarent. & super aram impositi flagellis verberabantur tam diu, donec ex corpore humano sanguis flueret, qui instar esset sacrificii. hi autem appellabantur* Βωμονεῖκαι. Institutum ex Historia referunt; Pausaniæ paullum extra aciem sacra facienti, irrumpentes Lydos ea perturbasse, ac diripuisse; illum vero, ejusque comites, quando ad manum arma non essent, virgis illos, & flagellis, cecidisse: ejusque rei imitationem hanc Διαμαστίγωσιν esse. Plutarchus in *Aristide*. Ἔνιοι δέ φασι τῷ Παυσανίᾳ μικρὸν ἔξω τῆς παρατάξεως θύοντι, καὶ κατευχομένῳ, τῶν Λυδῶν τινὰς, ἄφνω προσπεσόντας, ἁρπάζειν καὶ διαρρίπτειν τὰ περὶ τὴν θυσίαν· τὸν δὲ Παυσανίαν, καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν, οὐκ ἔχοντας ὅπλα, ῥάβδοις καὶ μάστιξι παίειν. διὸ καὶ νῦν ἐκείνης τῆς ἐπιδρομῆς μιμήματα τὰς περὶ τὸν βωμὸν ἐν Σπάρτῃ πληγὰς τῶν ἐφήβων, καὶ τὴν τῶν Λυδῶν πομπὴν συντελεῖσθαι. *Nonnulli vero dicunt Pausaniæ paullum extra castra sacrificanti & vota facienti, Lydorum aliquos repente invadentes rapere & disjicere ea quæ ad sacrum parata erant. Pausaniam vero cum eis, qui circa erant, non habentibus arma, virgis & flagellis verberare. Propterea nunc quoque illius incursionis simulacra istas circa aram in Sparta plagas epheborum & Lydorum pompam celebrari.* Alii ad oraculum referunt, cujus sententiam solerti interpretatione mitigaverit Lycurgus. Pausanias in *Laconicis*, ubi de Dianæ Orthiæ ara. Καὶ σφίσιν ἐπὶ τούτῳ γίνεται λόγιον, αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν αἱμάσσειν. θυομένου δὲ, ὅν τινα ὁ κλῆρος ἀπελάμβανε, Λυκοῦργος μετέβαλεν ἐς τὰς ἐπὶ τοῖς ἐφήβοις μάστιγας. *Et illis post hoc accidit oraculum, sanguine humano aras cruentare. Quum igitur sacrificaret, quem sors tetigerat, Lycurgus transtulit ad verbera ephebborum.* Aliter Vetus Horatii Interpres *lib.* I. *Od.* VII. *In aris Dianæ adolescentes verberibus immobiles cædebantur. post matricidium namque Orestes furibundus adiit oraculum Apollinis de sanitate acquirenda. respondit oraculum, eum posse sanari, si e Taurica regione Dianæ Scythicæ simulacrum auferret. profectus itaque in Tauricam, ubi soror ejus Iphigenia, Dianæ sacerdos, advenas immo-*

A *labat, ab ea agnitus; cui parcens, interrogavit cur venisset: re itaque cognita, ipsa cum fratre, quem secuta est, simulacrum abstulerunt. delatique in Italiam, illud collocarunt in nemore Aricino, Dianæ sacro. At posteaquam videretur Italis numen immane, & asperum; illud orientem versus miserunt; atque a Lacedæmoniis susceptum est. sed ii quoque verentes, ne aut crudelitatem, aut sævitiam aliquam, Diana in ipsos exerceret, hoc statuerunt, ut juvenis ejus aras ascenderet, quem alius tam diu loris cæderet, donec sanguis e visceribus in aras manaret, atque ita numini satisfieret.* Philostratus in *Vita Apollinis* lib. VI. cap. X. ubi de hoc festo agitur. Τὸ
B δὲ τῶν μαστίγων ἔθος, τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀπὸ Σκυθῶν δρᾶται, χρησμῶν φασὶν ἐξηγουμένων ταῦτα. *Mos vero iste flagellorum peragitur Dianæ Scythicæ, oraculis dicunt hæc interpretantibus.* Alii virtutis militaris præexercitamenta esse cupiebant, atque ita futuros ad prœlia interritos, & invictos, statuebant. Lucianus *de Gymn.* Εἴποι γὰρ ἄν σοι καὶ ὑπὲρ ἐκείνων Λυκοῦργος, ὁ νομοθέτης αὐτῶν, πολλὰ τὰ εὔλογα, καὶ ἃ συνιδὼν κολάζει αὐτοὺς, οὐκ ἐχθρὸς ὢν, οὐδὲ ὑπὸ μίσους αὐτὸ δρῶν, οὐδὲ τὴν νεολαίαν τῆς πόλεως εἰκῇ παραναλίσκων, ἀλλὰ καρτερικωτάτους, καὶ παντὸς δεινοῦ κρείττονας, ἀξιῶν εἶναι, τοὺς σώζειν μέλ-
C λοντας τὴν πατρίδα. *Dixerit enim tibi quoque de his Lycurgus, legislator eorum, multa rationi congrua, & quæ sequutus cædat eos, non inimicus, nec præ odio id faciens, neque juventutem urbis temere consumens, sed robustissimos & omni terriculamento superiores cupiens esse eos, qui servaturi forent patriam.* Nicetas Commentario *in citatam Nazianzeni Orationem: Lacedæmonii, Dianæ cultores, in ipsius honorem festum celebrabant; in quo adolescentes verberibus corpus proscindentes, aram cruore perfundebant, virtutis suæ, magnitudinisque animi, specimen exhibentes; ac vulneribus perferendis seipsos assuefacientes, ut scilicet vulnera in bellis accepta con-*
D *temnerent.* Dum hæc flagellatio fieret, fœmina, quæ sacris præerat, simulacrum deæ illius præferebat; quod, cum leve admodum esset, quia exiguum, si cædentes, epheborum formæ, aut nobilitati, parcentes, remissius verberarent, adeo grave e vestigio fiebat, ut sacerdos sustinere id nequiret, flagellantesque accusaret, ipsorum culpa onus sibi grave esse. Pausanias *loco cit.* Ἡ δὲ ἱέρεια, τὸ ξόανον ἔχουσα, σφίσιν ἐφέστηκε. τὸ δέ ἐστιν ἄλλως μὲν κοῦφον ὑπὸ σμικρότητος. ἢν δὲ οἱ μαστιγοῦντές ποτε ὑποφειδόμενοι παίωσι κατὰ ἐφήβου κάλλος, ἢ ἀξίωμα, τότε ἤδη τῇ γυναικὶ τὸ ξόανον γίνεται βαρὺ, καὶ οὐκέτι εὔφορον. ἡ δὲ ἐν αἰτίᾳ τοὺς μαστιγοῦν-
E τας πεποίηται, καὶ πιέζεσθαι δι' αὐτοὺς φησίν. *Sacerdos vero habens statuam, illis præsidebat. Ea vero alioquin est quidem levis ob exiguitatem. Quod si flagellantes interdum subparcentes verberarent propter ephebi pulchritudinem aut nobilitatem, tunc fœminæ ea fiebat ponderosa, nec portari poterat. Illa igitur hinc reos flagellantes faciebat, & premi per illos dicebat.* Et exhortabantur eos astantes parentes, ac propinqui, ut fortiter facerent. Tertullianus in *citatis* initio *verbis: Flagellis affliguntur, astantibus parentibus; &, uti perseverent, adhortantibus.* De patrum hortatu, est Senecæ quoque
F locus, *De Provid* cap. IV. *Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant; & laceros, ac semianimes, rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus.* Immo matrum in re ista masculus animus, supra affectum, ac sexum suum; jubebant pati. Martialis lib. VII. Epigramm. LXXIX.

Et non cæsus adhuc, matre jubente, Lacon.

Et laudabant fortiter patientes. Statius de Menalca Lacone, *Theb.* VIII.

— dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, & pugnæ, laudataque verbera matri.

Adeoque minabantur, si verberibus cessissent. Lucianus *de Gymn.* Μάλιστα δὲ, ἢν ὁρᾷς μαστιγουμένους αὐτοὺς (τοὺς Λάκωνας) ἐπὶ τῷ βωμῷ, καὶ αἵματι ῥεομένους· πατέρας δὲ, καὶ μητέρας παρεστώσας, οὐχ ὅπως ἀνιωμένας ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις, ἀλλὰ καὶ ἀπειλούσας, ἢν μὴ ἀντέχοιεν πρὸς τὰς πληγάς. *Maxime autem si videas flagellatos (eos Laconas) ad aram, & sanguine madentes: patres autem & matres adstantes, adeo non mœrentes ob illa, quæ fiebant, ut etiam minarentur nisi obdurarent ad plagas.* Itaque nec exclamabant, neve etiam ingemiscebant. Cicero *Tusc.* II. *Spartæ vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat; nonnunquam etiam, ut cum ibi essem audiebam, ad necem; quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.* Iterum *Tusc.* V. *Pueri Spartiatæ non ingemiscunt, verberum dolore laniati.* Et huc allusit ille apud Petronium. *Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* Ac Psellus *de Dæm. Oper.* Μὴ θέλων δὲ ἐξενεγκεῖν τὸ ἀπόρρητον, ὅμως, τὴν Λακωνικὴν πεπονθὼς ἀνάγκην, τ' ἀληθὲς ἐξεῖπεν. *Recusans vero secretum prodere, Laconicam necessitatem passus, verum edidit.* Quin cadere quoque in certamine, quam cedere turpiter in suorum conspectu, malebant. Lucianus *de Gymn.* Πολλοὶ γοῦν καὶ ἐναπέθανον τῷ ἀγῶνι, μὴ ἀξιώσαντες ἀπαγορεῦσαι ζῶντες ἔτι, ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν οἰκείων, μηδὲ εἶξαι τοῖς σώμασιν. *Multi igitur etiam immortui sunt certamini, quum dedignarentur desperare adbuc vivi, in oculis domesticorum, neque cedere corporibus.* Ac quos cadere contigisset, ii funere publico, & capite coronato, efferebantur. Statius *Theb.* IV.

Taygetique phalanx, & oloriferi Eurotæ
Dura manus. Deus ipse viros in pulvere crudo
Arcas alit. nudæque modos virtutis, & iras,
Ingenerat. vigor inde animis, & mortis honoræ
Dulce sacrum. gaudent natorum in fata parentes,
Hortanturque mori. deflet jamque omnis ephebum
Turba, coronato contenta est funere mater.

Ubi Interpres vetus, Lutatius. *Cur Eurotæ dixerit, ipse narravit. Juxta hunc fluvium Lacones vapulando contendunt. gloriosior tamen ille est, qui juxta præscriptum numerum plagarum animæ non pepercit. qui, cum devoverit spiritum, publice funeratur, & capite coronatur.* Insuper honoris ergo statuæ illis ponebantur. Lucianus *loco cit.* Ὧν καὶ τοὺς ἀνδριάντας ὄψει τιμωμένους δημοσίᾳ, ὑπὸ τῆς Σπάρτης ἀνατεθέντας. *Quorum etiam statuas videbis publice honoratas, dedicatas ab Sparta.* Ad hoc certamen respexit Stratonicus isto apophthegmate apud Athenæum *lib.* VIII. Εἰ δέ τις τούτων πλημμελοίη, μαστιγούσθωσαν Λακεδαιμόνιοι· ἐπισκώπτων τὰς παρ' αὐτῶν ἀγομένας μαστιγώσεις. *Quod si quis eorum prævaricetur, flagellantor Lacedæmonii; irridens flagellationes apud eos fieri solitas.* Et Eunapius in *Juliano.* Εἶτα ἀπολαβὼν τὸν Θεμιστοκλέα, καὶ τοὺς Λάκωνας, τῶν ἐν Λακεδαιμονίᾳ μαστίγων ὑπέμνησε. *Deinde adsumens Themistoclem & Laconas, commeminit verberum apud Lacedæmonios.* Nec aliunde *Plagipatidæ* dicuntur Lacones apud Plautum *Capt.* Act. III. Sc. I.

Nihil moratur jam Laconas, imi subsellii viros,
Plagipatidas. —

Et Lacedæmon *Patiens* apud Horatium, lib. I. *Carm.* Od. VII.

Me non tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis.

ΔΙΑΝΤΙΝΙΑ.

Invenio in Inscriptione quadam antiqua. ΕΥΡΥΚΛΕΙΑ ΕΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙ, ΚΑΙ ΔΙΑΝΤΙΝΙΑΝ. *Euryclea Lacedæmone, & Diantinian.**

ΔΙΑΣΙΑ.

Jovi sacra. Theodoretus *Therapeut.* VII. Τούτοις ἑορτὰς, καὶ πανηγύρεις, καὶ δημοθοινίας, ἐπιτελεῖν ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀλάστωρ ἐνομοθέτησε. Πάνδια μὲν, καὶ Διάσια, τῷ Διΐ. Ἥραια, τῇ Ἥρᾳ. *Illis & festos dies, & solennes conventus, & publica epula, peragere injunxit lege malus hominum genius: Pandia quidem & Diasia Jovi; Heræa Junoni.* Etymologici Auctor. Διάσια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη Ἀθήνησι τῷ Διΐ. παρὰ τὰς ἄσας, τὰς ἀνίας. *Diasia, festum quod Athenis celebratur Jovi; ab voce ἄσας, quæ notat molestias.* Mox hæc intermissa fuerunt. Lucianus *Icaromenippo.* Καὶ δι' ἣν αἰτίαν ἐκλίποιεν οἱ Ἀθηναῖοι τὰ Διάσια τοσούτων ἐτῶν. *Et propter quam causam intermiserint Athenienses festum Jovis tot annorum.* Iterum *Timone.* Οὗτός ἐστιν, ὁ πολλάκις ἡμᾶς καθ' ἱερῶν τελείων ἑστιάσας, ὁ νεόπλουτος, ὁ τὰς ὅλας ἑκατόμβας, παρ' ᾧ εἰώθαμεν λαμπρῶς ἑορτάζειν τὰ Διάσια. *Ille est, qui crebro nos per integras victimas reficiens, recens locuples, qui integras hecatombas, apud quem solemus splendide epulari festum Jovis.* Eustathius *de Ismeniæ & Ismenes Amoribus*, lib. I. Παρὰ δὲ ταύτῃ τῇ Εὐρυκώμιδι καιρὸς Διασίων. *Apud hanc vero Eurycomidem tempus festi Jovis.* Et plurima toto illo Opere occurrit mentio. Et emebant tunc parentes liberis munuscula. Inde est quod Strepsiades Phidippidem suum alloquitur apud Aristophanem *Nubibus.*

Ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικὸν,
Τούτου 'πριάμην σοι Διασίοις ἁμαξίδα.

Quem primum obolum accepi congregatorium,
Eo emi tibi festo Jovis curriculum.

Hæc fuisse puto, quæ Munychionis die decimo nono acta, ubi pompa in equis etiam ducta, ut Plutarchus nobis auctor Phocione. Ἦν δὲ ἡμέρα μηνὸς Μουνυχιῶνος ἐνάτη ἐπὶ δέκα, καὶ τῷ Διΐ τὴν πομπὴν πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξῄεσαν. *Erat vero dies mensis Munychionis nonus decimus, & Jovi pompam agentes equites processerant.*

ΔΙΙΠΟΛΙΑ.

Peragebantur Athenis in arce Jovi τῷ Πολιεῖ, sive, ut alii enim eum vocant, Πολιαίῳ. Etymologici Auctor. Διϊπόλια, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη Διΐ τῷ Πολιαίῳ, ἤγουν ἐν ἀκροπόλει τιμωμένῳ. πόλιν γὰρ τὴν ἀκρόπολιν ἔλεγον. εἰς ἀπομνημόνευσιν τοῦ πελάνου, καὶ βοός. *Diipolia, festum peragi solitum Jovi Urbico, vel in arce culto. Urbem enim arcem dicebant; ad commemorationem libi & bovis.* Antiphon Ἐξαπολογίας ὑστέρῳ. Ἡ γὰρ νὺξ οὐκ ἄσημος. τοῖς γὰρ Διϊπολίοις ὁ ἀνὴρ ἀπέθανε. *Nox enim affatim clara. Quippe Diipoliis maritus mortuus est.* Frequens mentio est iis Auctorum *locis*, quæ produxi supra in Βουφόνια. Sacra quoque tunc fiebant, isto ritu. Mensa in arce ænea ponebatur, & in ea mola, ac liba. Circum hanc boves agebantur; e quibus, qui in mensa posita degustasset, mactabatur: eaque ex re tres familiæ Athenis nomen suum accepere. a circumagente, οἱ Κεντριάδαι; a percutiente, Βουτύποι: a mactatore vero, Δαιτροί. Porphyrii locus in hanc rem est plane unicus, Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *lib.* II.

* *Sic edidit Gruterus pag.* CCCXIV. *ut a Lipsio descriptum, sed Cl. Falconerius aperuit in marmore extare* MANTINIAN.

Ἀπὸ δ' ἐκείνου μέχρι τοῦ νῦν ἀεὶ τοῖς Διιπολίοις Ἀθήνησιν οἱ εἰρημένοι τὸν αὐτὸν τρόπον ποιοῦνται τὴν τοῦ βοὸς θυσίαν. θέντες γὰρ ἐπὶ τῆς χαλκῆς τραπέζης πέλανον, καὶ ψαιστὰ, περιελαύνουσι τοὺς κατανεμηθέντας βοῦς, ὧν ὁ γευσάμενος, κόπτεται. καὶ γένη τῶν ταῦτα δρώντων ἐστὶ νῦν. οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ πατάξοντος Σωπάτρου, Βούτυποι καλούμενοι πάντες. οἱ δ' ἀπὸ τοῦ περιελάσαντος, Κεντριάδαι. τοὺς δ' ἀπὸ τοῦ ἀποσφάξαντος, Δαιτροὺς ὀνομάζουσι, διὰ τὴν ἐκ τῆς κρεανομίας γιγνομένην δαῖτα. *Ab illo tempore usque ad hoc semper Diipoliis Athenis illi quos dixi eodem modo faciunt immolationem bovis. Posito enim super æneam mensam libo, & farinaceis, circumducunt destinatos boves: quorum qui gustaverit, cæditur. Et familiæ eorum, qui ista faciunt, nunc supersunt: alii quidem ab percussuro Sopatro vocati omnes Bovicidæ: alii ab circumductore Centriadæ: alios denique ab eo qui mactavit, divisores nominant, propter epulum ex illa carnis divisione factum.* De Butypis locus item est Hesychii. Βούτυπον, θύτην. Ἀθήνησιν ἐκαλεῖτο ἐκ τοῦ Θαυλωνιδῶν γένους καθιστάμενος. *Butypum, sacrificium. Athenis vocabatur ex Thaulonidarum genere oriundus.* Ita illum locum emendo, qui hodie corruptissime editur; Βούτυπον, πυθμὴν, Ἀθήνησιν. *Butypum, fundus, Athenis v.* Idem de Centriadis alibi generaliter dicit. Κεντριάδαι, τῶν περὶ τὰ μυστήρια. *Centriadæ, eorum qui circa mysteria.* Magis proprie dixisset, τῶν περὶ τὰ Διιπόλια. *eorum qui circa Diipolia.* Verum tamen nil erravit; nam Buphoniis etiam mysteria peragi solita. Ecce tibi apud Suidam. Βουφόνια, ἑορτὴ παλαιὰ, ἥν φασιν ἄγεσθαι τὰ μυστήρια. *Buphonia, festum vetus, quo dicunt celebrari mysteria.* Buphonia autem Diipoliis actitata. Hesychius. Βούτης, ὀρίγανος, ὑπὸ Κυδωνιατῶν. καὶ βουκόλος, καὶ ὁ τοῖς Διιπολίοις τὰ Βουφόνια δρῶν. *Butes, origanus apud Cydoniatas. & bubulcus, & qui Diipoliis facit Buphonia.* Immo Diipolia, & Buphonia, idem festum. Ælianus *Var. Hist.* lib. VIII. cap. III. Καὶ ἐν ᾗ ταῦτα ἡμέρᾳ δρῶσι, Διιπόλια τὴν ἑορτὴν καλοῦσι, καὶ Βουφόνια. *Et in quo die ista faciunt, Diipolia vocant id festum ac Buphonia.* Hæc explicanda omnino erant, illustrando Hesychii loco.

ΔΙΚΤΥΝΝΙΑ.

Dianæ Dictynnæ apud Lacedæmonios festum, cujus meminit Pausanias *Laconicis*. Πρὸς θαλάσσῃ δὲ ἐπὶ ἄκρας ναός ἐστι Δικτύννης Ἀρτέμιδος, καὶ οἱ κατ' ἔτος ἕκαστον ἑορτὴν ἄγουσι. *Ad mare autem in promontorio ædes est Dictynnæ Dianæ, eique quotannis festum celebrant.* Etiam apud Cretenses erat. Antoninus Liberalis, *Metamorph.* XL. Καὶ ὠνόμασαν ἐκ τούτου Κρῆτες Δίκτυνναν, καὶ ἱερὰ προσήνεγκαν. *Et ex eo nominarunt Cretenses Dictynnam, & attulerunt sacra.*

ΔΙΟΚΛΕΙΑ.

Apud Megarenses celebrata. Scholiastes Pindari *Pythionic.* Od. XIII. Ἄγεται καὶ ἐν Αἰγίνῃ τὰ Δελφίνια, καὶ Αἰάκεια. ἐν δὲ Μεγάροις, τὰ Διόκλεια, καὶ Πύθια. *Etiam in Ægina coluntur Delphinia, & Æacia; in Megaris vero Dioclia, & Pythia.*

ΔΙΟΜΕΙΑ.

Sacra Jovi τῷ Διομεῖ. Eustathius *ad Iliad.* δ'. Ἔτι δὲ ἀναλογώτερον εἰπεῖν, ἐκ τοῦ Ηρακλῆς, Ηρακλέος, τὰ Ηράκλεια. καὶ μᾶλλον ἐκ τοῦ Διομεὺς Ζεὺς, τὰ Διόμεια. *Adhuc magis regulariter ut dicam, ab voce Hercules, Heracleos, Heraclia; & potius ex Jovis cognomine Diomeus, Diomia.* Vel Diomo heroi, ut alii volunt. Etymologici Auctor. Δίομος, ὄνομα κύριον ἥρωος Ἀθηναίου. ἀφ' οὗ Διόμεια ἑορτή. *Diomos, nomen proprium herois Atheniensis, unde festum Diomia.* Ita rescribo. Hodie editur, ἀφ' οὗ Διομιὰς ἑορτή. *A quo Diomias dies festa.*

ΔΙΟΝΥΣΙΑ.

De his seorsim, libro singulari.

ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑ.

Festum Dioscurorum, quod Cyrenæi celebrabant. Scholiastes Pindari *Pyth.* Od. V. Ἐπιφανῶς ἄγουσι Κυρηναῖοι τὰ Διοσκούρεια, Βάττου πρώτου καταδείξαντος τὴν ἀρχήν. *Magnifice Cyrenenses colunt festum Dioscurorum, Batto primo auctore ejus.* Etiam Lacedæmonii. Pausanias *Messeniacis*. Λακεδαιμονίων δὲ ἐπὶ στρατοπέδου Διοσκούροις ἑορτὴν ἀγόντων, καὶ ἤδη πρὸς πότον καὶ παιδιὰς τετραμμένων, μετὰ τὸ ἄριστον ὁ Γόνιππος, καὶ ὁ Πάνορμος, χιτῶνας λευκοὺς καὶ χλαμύδας πορφυρᾶς ἐνδύντες, &c. *Lacedæmoniis autem in exercitu festum Dioscurorum colentibus, & jam ad potum & lusus conversis, post prandium Gonippus & Panormus, induti candidas tunicas & purpureas chlamydas.* Ac certamen tunc erat. Sidonius *Carm.* IX.

Non dicam Lacedæmonis juventam
Unctas Tyndaridis dicasse luctas.

ΔΡΥΟΠΙΑ.

Dryopi, Apollinis F. sacra apud Athenienses. Pausanias *Messeniacis*, ubi de iis agit. Τοῦτο μὲν γὰρ Ἀπόλλωνός ἐστιν αὐτοῖς ναὸς, τοῦτο δὲ Δρύοπος ἱερὸν, καὶ ἄγαλμα ἀρχαῖον. ἄγουσι καὶ παρὰ ἔτος αὐτῷ τελετὴν, παῖδα τὸν Δρύοπα Ἀπόλλωνος εἶναι λέγοντες. *Partim quidem enim Apollinis apud eos ædes est, partim fanum Dryopis, & simulacrum vetus. Celebrant autem illi quotannis festum, Dryopa filium Apollinis esse dicentes.*

ΔΩΔΕΚΑΤΗ.

Alio nomine Χόες dicta. Hesychius. Δωδεκάτη, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν Χόας ἔλεγον. *Duodecima, festum Athenis, quod dicebant Choas.* Hoc per occasionem etiam supra a me dictum in Ἀνθεστήρια.

JOANNIS MEURSII GRÆCIÆ FERIATÆ, SIVE DE FESTIS GRÆCORUM, LIBER III.

SEPTIMO die a nato infante peragi solita. Hesychius. Εβδόμαι, τομαί. ἢ, ἑβδόμην ἡμέραν ἀπὸ γενέσεως παιδίου ἑορτάζουσιν. *Hebdomæ, sectiones; aut septimam diem ab partu pueruli celebrant.* Etymologici Auctor. Τοῖς ἀποτεχθεῖσι παιδίοις τὰς ἑβδόμας ἦγον. *Natis puerulis septimas celebrabant.* Sed privatum hoc festum erat; aliud eodem nomine publicum, quod celebrabant septimo quoque lunæ die. Ecce apud Athenæum *lib.* XII. Περσικὴν στολὴν ἠμφιεσμένος, περιέρχεται τὰς ἑβδόμαις τοὺς βωμοὺς μετὰ τοῦ πρυτανέως. *Persicam vestem indutus circumit septimis diebus aras cum prytane.* Et convivium tunc Athenis agitabant ephebi. Aulus Gellius *lib.* XV. *In conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ solenne nobis fuit.* Celebrabant autem Apollini, cui dies ille sacer. Suidas. Ημέραι τινὲς ἐν ὠμίζοντο Αθήνησι θεοῖς τισίν, οἷον νουμηνία, καὶ ἑβδόμη, Απόλλωνος. *Dies quidam Athenis legitimi erant certis Deis; ut nova luna, & septima Apollinis.* Causa, quod natalem Apollinis istum ferrent. Hesiodus Ημέραις.

> - - - καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ.
> Τῇ γὰρ Απόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.
>
> *- - - & septima, sacra dies:*
> *Hac enim Apollinem aureum genuit Latona.*

Eustathius *ad Odyss.* ψ'. Απόλλωνος ἱερὰ πᾶσα νουμηνία, καθὰ καὶ ἡ τοῦ σεληνιακοῦ μηνὸς ἑβδόμη, ὡς γενέθλιος Απόλλωνος. *Apollini sacra omnis nova luna, sicut etiam septima mensis lunaris, ut nativus Apollinis.* Unde etiam Εβδομαγένης a sacerdotibus, vatibusque, dicebatur. Plutarchus *Symposiac.* lib. VIII. quæst. I. Εβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσι, (de Apollinis, & Platonis, natali loquitur) καὶ τὸν θεόν, ὡς ταύτῃ γενόμενον, ὑμεῖς, εἶπεν, οἱ προφῆται, καὶ οἱ ἱερεῖς, Εβδομαγένην καλεῖτε. *Septima autem utramque celebrant, & Deum, ut tunc genitum, vos, inquit, prophetæ & sacerdotes, Septimagenem vocatis.* Proclus *in Timæum*, Comm. III. Καὶ τῷ Απόλλωνι τὴν ἑπτάδα ἀνεῖσαν, ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας. ἐν γὰρ μονάδι, καὶ δυάδι, καὶ τετράδι, πρῶτον τὸ δὶς διὰ πασῶν, ἐξ ὧν ἡ ἑβδομάς. διὸ καὶ Εβδομαγένην ἐκάλουν τὸν θεόν, καὶ τὴν ἑβδόμην τοῦ θεοῦ ἱερὰν ἔλεγον, Τῇ γὰρ Απόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ. *Et Apollini remissam septimam, utpote continenti omnes vocum concordias. Quippe in monade, & dyade, & quaternione primum est disdiapason, ex quibus consistit septenarius. Quare etiam Septimagenem vocarunt Deum, & septimam diem Dei sacram dixerunt. Hæc etenim Apollinem aureum genuit Latona.* Ita locum illum emendo. Primo enim corrupte editur, Διὸ καὶ Εβδομαγέταν ἐκάλουν τ. θ. Deinde, Απόλλωνα χρυσαιοραγείρατο Λητώ. Celebrabant autem hoc festum Athenienses, laurum gestantes, canistrumque coronantes, item hymnum Deo canentes. Idem Proclus, *in Hesiodi* Ημέρας. Καὶ Αθηναῖοι ταύτην (τὴν ἑβδόμην) ὡς Απολλωνιακὴν τιμῶσι δαφνηφοροῦντες, καὶ τὸ κανοῦν ἐπιστέφοντες, καὶ ὑμνοῦντες τὸν θεόν. *Et Athenienses hunc (diem septimum) ut Apollinarem colunt laurum ferentes, & canistrum coronantes, & hymnis laudantes Deum.*

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΑ.

Festum erat, & certamen, apud Argivos. Hesychius. Εκατόμβαια, ἑορτὴ ἐν Αργει, καὶ ἀγὼν τελούμενος. *Hecatombæa, festum in urbe Argo, & agon celebrari solitus.* Celebrabantur in honorem Junonis; atque ita dicebantur, quod centum tunc boves ei Deæ immolarentur. quin certamen quoque erat, in quo victor præmii vicem scutum æreum accipiebat, & coronam e myrto. Schol. Pindari *Olymp.* Od. VII. Τελεῖται γὰρ κατὰ τὸ Αργος τὰ Ηραια, ἃ καὶ Εκατόμβαια καλεῖται, παρὰ τὸ ἑκατὸν βοῦς θύεσθαι τῇ θεῷ. τὸ δὲ ἔπαθλον, ἀσπὶς χαλκῆ· ὁ δὲ στέφανος, ἐκ μυρσίνης. *Peraguntur enim in urbe Argo Heræa, quæ etiam Hecatombæa vocantur, quia centum boves immolantur Deæ. Præmium vero scutum æreum; corona vero ex myrtea.* Primus instituit Archinus, rex Argivorum. Alius Scholiastes *ibidem.* Εν Αργει, ἐν τῷ Εκατομβαίῳ ἀγῶνι, χαλκὸς τὸ ἆθλον δίδοται. ὅτι Αρχῖνος, Αργείων γενόμενος βασιλεύς, ὃς καὶ ἀγῶνα πρῶτος συνεστήσατο, ταχθεὶς ἐπὶ τῆς τῶν ὅπλων κατασκευῆς, ἀπὸ τούτων καὶ τὴν τῶν ἄθλων δόσιν ἐποιήσατο. *In urbe Argo, certamine Hecatombæo, æs datur præmium; quia Archinus rex Argivorum, qui etiam primus agonem constituit, præpositus armorum fabricæ, ab his quoque præmiorum donationem arcessivit.* Carnes vero boum istorum centum populo ex lege distribuebantur. Idem Scholiastes *eodem loco.* Εκατόμβαια δὲ ὁ ἀγὼν λέγεται, ὅτι πομπῆς μεγάλης προηγοῦνται ἑκατὸν βόες, οὓς νόμος κρεανομεῖσθαι πᾶσι τοῖς πολίταις. *Hecatombæa vero agon dicitur, quia magnam pompam antecedunt boves centum, quos lex jubet dividi omnibus civibus.* Didymus etiam Æginetis tribuit, qui nimirum ab Argivis acceperant, quorum coloni erant. Schol. Pindari *Pyth.* Od. VIII. Ως ἐστὶν ἐν Αἰγίνῃ Ηραίων ἀγομένων, κατὰ μίμησιν τοῦ ἐν Αργει ἀγῶνος. ἄποικοι γὰρ Αργείων Αἰγινῆται. Δίδυμος δὲ φησι τὰ Εκατόμβαια αὐτὸν νῦν λέγειν, ἐπιχώριον ἀγῶνα Αἰγινητῶν, διὰ τὴν συγγένειαν. *Sicut etiam in Ægina quum celebrantur Heræa ad simulacrum ludicri in urbe Argo: coloni enim Argivorum Æginetæ. Didymus vero ait Hecatombæa illum nunc dicere patrium agonem Æginetarum propter cognationem.* Quin & Lacedæmonii quotannis celebrabant, quia regio ipsorum urbes centum haberet. Eustathius *ad Iliad.* β'. Η Λακωνικὴ τὸ παλαιὸν μὲν ἑκατόμπολις, καὶ τὰ Εκατόμβαια διὰ τοῦτο ἐθύετο ἐκεῖ κατ' ἔτος.

Laconica olim quidem centumurbs, & Hecatombæa ideo annua illic immolabantur. Et ad Iliad. δ'. Ἐκ τῦ ἑκατόμβη Δωρικῇ τροπῇ, καὶ προσλήψει τῦ ι. τὰ Ἑκατόμβαια. *Ex voce Hecatombe mutatione Dorica, & assumptione literæ i. fiunt Hecatombaia.*

ΕΚΑΤΟΜΦΟΝΙΑ.

Peragebant Jovi Ithomatæ Messenii, si quando hostes centum cecidissent. Pausanias in *Messenicis* Ἔθυσε δὲ καὶ τῷ Διὶ τῷ Ἰθωμάτᾳ τὴν θυσίαν, ἣν Ἑκατομφόνια ὀνομάζουσιν. Αὕτη δὲ καθεστήκει μὲν ἐκ παλαιοτάτου. Θύειν δὲ αὐτὴν Μεσσηνίων ἐνομίζετο, ὁπόσοι πολεμίους ἄνδρας κατεργάσαιντο ἑκατόν. *Immolavit etiam Jovi Ithomatæ sacrificium, quod Hecatomphonia nominant. Illud autem manebat ex antiquo quidem. Fas autem erat id fieri ab illis Messeniis, quotquot confecissent centum hostiles viros.* Fulgentius lib. *de Prisco Serm.* in *Nefrendes*. *Diophantus Lacedæmonius, qui* de sacris Deorum *scripsit, ait apud Messenios Jovi solere sacrificari sacrum, quod* Ἑκατομφόνια *appellatur. Si quis enim centum hostes interfecisset, Jovi hominem sacrificabat apud Ithomen.*

ΕΚΔΥΣΙΑ.

Phæstii celebrabant, & sacra faciebant Latonæ Phytiæ. Antoninus Liberalis *Metamorph.* XVII. Ταύτης ἔτι μέμνηνται τῆς μεταβολῆς Φαίστιοι. καὶ θύουσι Φυτίῃ Λητοῖ, ἥτις ἔφυσε μήδεα τῇ κόρῃ, καὶ τὴν ἑορτὴν Ἐκδύσια καλοῦσιν, ἐπεὶ τὸν πέπλον ἡ παῖς ἐξέδυ. *Hujus mutationis memoriam servant adhuc Phæstii. & sacrificant Latonæ, quæ testiculos addiderit Proserpinæ, & festum diem vocant Exutoria, quia peplum puella exuit.* Vide ibi totam festi originem.

ΕΛΕΝΙΑ.

Lacones celebrabant, in honorem, ut puto, Helenæ. Hesychius. Ἑλένια, ἑορτὴ ἀγομένη ὑπὸ Λακώνων. *Helenia, festum celebratum ab Laconibus.* Celebratur enim templo proprio juxta Sebrium vicum, prope sepulcrum Alcmanis. Pausanias *Laconicis*. Τοῦ Σεβρίου δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ, μνῆμα Ἀλκμᾶνος, ᾧ ποιήσαντι ᾄσματα, οὐδὲν ἐς ἡδονὴν αὐτῶν ἐλυμήνατο τῶν Λακώνων ἡ γλῶσσα, ἥκιστα παρεχομένη τὸ εὔφωνον. Ἑλένης δὲ ἱερὰ καὶ Ἡρακλέους, τὸ μὲν πλησίον τοῦ τάφου τοῦ Ἀλκμᾶνος, τοῦ δὲ ἐγγυτάτω τοῦ τείχους. *Sebrii autem est in dextra monumentum Alcmanis, cui fingenti cantilenas nihil ad dulcedinem earum obstitit Laconum lingua, minime suppeditans gratiam pronunciandi. Helenæ autem templa & Herculis, illius quidem prope sepulchrum Alcmanis, hujus autem proxime murum.* In Therapnis cultam, una cum Menelao, Paride, ac Deiphobo, testatur Æneas Gazæus *Theophrasto*. Τὸν γοῦν Μενέλεων, καὶ νὴ Δία τὴν Ἑλένην, μετὰ τὸν Ἀλέξανδρον, μετὰ τὸν Δηίφοβον, ἐν Θεράπναις τῆς Λακωνικῆς τοῖς θεοῖς συναριθμοῦντες μετ' ἐκεῖνον ᾄδουσι, θυσίαις τε καὶ ἀναθήμασι θεραπεύοντες. *Menelaum igitur & per Jovem! Helenen, post Alexandrum, post Deiphobum, in Therapnis Laconicæ diis connumerantes post illum canunt, sacrificiisque & donariis propitiant.* Ita recte locum illum nuper restituit in *Variis suis Lectionibus*, V. N. & A. Joannes Rutgersius, Serenissimi Svecorum Regis consiliarius. De ea, ac Menelao, refert Isocrates in *Encomio*. Ἐν Θεράπναις τῆς Λακωνικῆς θυσίας αὐτοῖς ἁγίας καὶ πατρίους ἐπιτελοῦσιν, οὐχ ὡς ἥρωσιν, ἀλλ' ὡς θεοῖς ἀμφοτέροις οὖσιν. *In Therapnis Laconicæ sacrificia illis pura & patria peragunt, non ut heroibus, sed utrisque tanquam Diis.* Celebrabant festum virgines, mulo vectæ, aut curru storea injecta tecto, sub qua pompam deducebant in templum Helenæ. Observo alibi apud Hesychium. Κάναθρα, ἀστράβη, ἡ ἅμαξα, πλέγματα ἔχουσα, ὑφ' ὧν πομπεύουσιν αἱ παρθένοι, ὅταν εἰς τὸ τῆς Ἑλένης ἀπίωσιν. *Canathra, clitellæ, aut currus, habens crates, sub quibus pompam ibant virgines, quando in templum Helenæ abeunt.*

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ.

Platæenses celebrabant in Bœotia. Schol. Pin-
B dari *Olymp.* Od. VII. Τελοῦνται δὲ ἐν Βοιωτίᾳ διάφοροι ἀγῶνες. ἐν μὲν Θεσπιαῖς, τὰ Ἐρατίδια. ἐν δὲ Πλαταιαῖς, τὰ Ἐλευθέρια. *Celebrantur vero in Bœotia diversi agones; Thespiis quidem Eratidia; Platæis autem Eleutheria.* Heniochus apud Stobæum Serm. XXXIX. Ἐλευθέρια ἀφίκοντο θύσουσαί ποτε. *Eleutheria veniebant sacrificaturæ aliquando.* Erat autem agon gymnicus, coronarius, celebraturque in honorem Jovis Eleutherii. Strabo, ubi de Eleutheris agit, *lib.* IX. Ἱδρύσαντό τε Ἐλευθερίου Διὸς ἱερόν, καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν στεφανίτην ἀπέδειξαν, Ἐλευθέρια προσαγορεύσαντες. *Exstruxeruntque Eleutherii Jovis templum, & certamen gymnicum, cu-
C jus corona præmium, publicaverunt, Eleutheria appellantes.* Scholiastes *Anthologiæ Epigramm. Græc.* lib. II. Tit. I. Μεταξὺ Κιθαιρῶνος καὶ Θηβῶν, ἐν ὁδῷ τῇ εἰς Ἀθήνας καὶ Μέγαρα. παραρρεῖ δ' αὐτὰς Ἀσωπός· ἔνθα Μαρδόνιον καὶ τὰς λ'. μυριάδας Ἕλληνες ῥίψαντες ἱδρύσαντο Ἐλευθερίου Διὸς ἱερόν. καὶ τοὺς ἐν μάχῃ τελευτήσαντας δημοσίᾳ θάψαντες, ἀγῶνα γυμνικὸν στεφανίτην ἀπέδειξαν τὰ Ἐλευθέρια. *Inter Cithæronem & Thebas, in via Athenas versus ac Megara. Præterfluit vero eas Asopus. Ibi Mardonium & trecenta millia Græci obruentes exstruxerunt Eleutherii* (Liberatoris) *Jovis templum; eosque qui in pugna perierunt, publice sepelientes, agonem gy-
D mnicum, cujus corona præmium, publicaverunt Eleutheria.* Et quidem quinto quoque anno. Currebant autem armati ante aram, maximis cursus propositis præmiis. Pausanias *Bœoticis*. Οὐ πόρρω δὲ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἑλλήνων, Διός ἐστιν Ἐλευθερίου βωμός. τοῦτον μὲν δὴ χαλκοῦ, τοῦ Διὸς δὲ τόν τε βωμὸν καὶ τὸ ἄγαλμα ἐποίησαν λευκοῦ λίθου. ἄγουσι δὲ καὶ νῦν ἔτι ἀγῶνα διὰ ἔτους πέμπτου, τὰ Ἐλευθέρια, ἐν ᾧ μέγιστα δῶρα πρόκειται δρόμου. θέουσι δὲ ὡπλισμένοι πρὸ τοῦ βωμοῦ. *Non procul ab communi Græcorum est Jovis Eleutherii ara: alia quidem ex ære, Jovis vero aram
E simul & statuam fecerunt ex albo lapide. Celebrant vero etiam nunc certamen quinquennale, ista Eleutheria, in quo maxima præmia proposita sunt cursui. Currunt vero armati ante aram.* Eustathius *ad Iliad.* β. Πλαταιαί, μεταξὺ Κιθαιρῶνος καὶ Θηβῶν, ἐν ὁδῷ τῇ εἰς Ἀθήνας καὶ Μέγαρα. παραρρεῖ δ' αὐτὰς ὁ προρρηθεὶς Ἀσωπός. ἔνθα Μαρδόνιον καὶ τὰς τριάκοντα μυριάδας Περσῶν Ἕλληνες ῥίψαντες, ἱδρύσαντο Ἐλευθερίου Διὸς ἱερόν. καὶ τοὺς ἐν μάχῃ τελευτήσαντας δημοσίᾳ θάψαντες, ἀγῶνα γυμνικὸν στεφανίτην ἀπέδειξαν τὰ Ἐλευθέρια. *Platææ, inter Cithæronem ac Thebas, in via Athenas versus ac Megara. Præter-
F fluit autem eas Asopus quem ante dixi. Illic Mardonium & trecenta millia Persarum Græci proruentes, posuerunt Eleutherii Jovis templum; eosque qui in pugna obierunt, publice sepelientes agonem gymnicum, in quo corona præmium, publicaverunt Eleutheria.* Singulis quinquenniis celebrari consuevisse, observamus quoque apud Plutarchum in *Aristide*. Ἐκ τούτου γενομένης ἐκκλησίας κοινῆς τῶν Ἑλλήνων, ἔγραψεν Ἀριστείδης ψήφισμα, συνιέναι μὲν εἰς Πλαταιὰς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοὺς ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος προβούλους καὶ θεωρούς, ἄγεσθαι δὲ πενταετηρικὸν ἀγῶνα τῶν Ἐλευθερίων. *Exinde habita concione communi omnium Græcorum, Aristides scripsit decretum,*

congregari quidem in urbem *Platæas quolibet anno primores consiliorum ex Græcia & sacros legatos, celebrare vero quinquennalem agonem Eleutheriorum*. Mox Platæenses quotannis celebrare cœperunt; quod hunc in modum faciebant. Mæmacterionis mensis die decimo sexto pompam agebant prima luce, quam antecedebat tubicen classicum canens, sequebantur vero plaustra myrto & coronamentis plena, una cum tauro nigro. inferium vinum, lacque in amphoris, olei item & unguenti plenas hydrias, pueri ingenui portabant. quia enim pro libertate viri illi, quibus fiebat, occubuissent; nulli servo ministrare hic licebat. Post hos omnes archon Platæensis ibat, cui alias neque ferrum attrectare, neque vestem, præter candidam, gestare permissum; isque tunc puniceo sago amictus, sumpta ex tabulario hydria, gladiumque manu tenens, per mediam urbem ad monumenta procedebat. Ibi aqua e fonte petita, abluere pilas, & inungere; immolatoque inde tauro, Jovem, Mercuriumque τὸν Χθόνιον, precatus, viros illos fortes, qui pro Græcia occubuissent, ad cœnam, & inferias, invitasse. tum craterem vino plenum cum effudisset, propinare se illis viris, qui pro Græciæ libertate vitam posuissent, inquiebat. Narrat *loco citato* Plutarchus. Τοῦ Μαιμακτηριῶνος μηνὸς, ὅς ἐστι παρὰ Βοιωτοῖς Ἀλαλκομένιος, τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα πέμπουσι πομπὴν, ἧς προηγεῖται μὲν ἅμ' ἡμέρᾳ σαλπιγκτὴς, ἐγκελευόμενος δὲ τὸ πολεμικόν· ἕπονται δ' ἅμαξαι, μυρρίνης μεσταὶ, καὶ στεφανωμάτων, καὶ μέλας ταῦρος. καὶ χοὰς οἴνου, καὶ γάλακτος, ἐν ἀμφορεῦσιν, ἐλαίου τε καὶ μύρου κρωσσοὺς νεανίσκοι κομίζοντες ἐλεύθεροι. δούλῳ γὰρ οὐδενὸς ἔξεστι τῶν περὶ τὴν διακονίαν ἐκείνην προσάψασθαι, διὰ τὸ τοὺς ἄνδρας ἀποθανεῖν ὑπὲρ ἐλευθερίας. ἐπὶ πᾶσι δὲ τῶν Πλαταιέων ὁ ἄρχων, ᾧ τὸν ἄλλον χρόνον οὔτε σιδήρου θιγεῖν ἔξεστιν, οὔθ' ἑτέραν ἐσθῆτα πλὴν λευκῆς ἀναλαβεῖν, τότε χιτῶνα φοινικοῦν ἐνδεδυκὼς, ἀράμενός τε ὑδρίαν ἀπὸ τοῦ γραμματοφυλακίου, ξιφήρης ἐπὶ τοὺς τάφους προάγει διὰ μέσης τῆς πόλεως· εἶτα λαβὼν ὕδωρ ἀπὸ τῆς κρήνης, ἀπολούει τὰς στήλας, καὶ μύρῳ χρίει. καὶ τὸν ταῦρον εἰς τὴν πυρὰν σφάξας, καὶ κατευξάμενος Διὶ, καὶ Ἑρμῇ Χθονίῳ, παρακαλεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, τοὺς ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ἀποθανόντας, ἐπὶ τὸ δεῖπνον, καὶ τὴν αἱμοκουρίαν. ἔπειτα κρατῆρα κεράσας οἴνου, καὶ χεάμενος, ἐπιλέγει. Προπίνω τοῖς ἀνδράσι τοῖς ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τῶν Ἑλλήνων ἀποθανοῦσι. ταῦτα μὲν οὖν ἔτι καὶ νῦν διαφυλάττουσιν οἱ Πλαταιεῖς. *Mense Mæmacterione, qui est apud Bœotos Alalcomenius, die sexta decima ducunt pompam, quam antecedit simul cum die tubicen, canens vero bellicum. Sequuntur plaustra, myrti plena & infulis, & niger taurus; & choes vini lactisque in amphoris, item olei & unguenti vasa adolescentes ingenui portantes. Servo enim nullius eorum, qui adhibentur ad hoc ministerium, licet attingere, quia viri isti occubuerunt pro libertate. Post omnes vero Platæensium archon, quem reliquo tempore fas non est aut tangere ferrum, aut veste alia præter alba uti, tunc tunicam indutus purpuream, nactusque hydriam ab tabulario, ensem tenens ad sepulchra procedit per mediam urbem. Deinde hausta aqua ex fonte, abluit columnas & unguento terget. Et tauro in pyra mactato, votisque factis Jovi & Mercurio Terrestri, advocat viros præclaros, qui pro Græcia occubuerunt, ad cœnam & inferias sanguineas. Mox craterem vino temperans & fundens superdicit: Propino viris pro libertate Græcorum defunctis. Hæc quidem igitur adhuc quoque nunc observant Platæenses*. Et Samii, cum gymnasium Amori consecrassent, festum quoque hoc nomine instituerunt. Athæneus *lib.* III. Σάμιοι δὲ, ὥς φησιν Ἐρξίας ἐν Κολοφωνιακοῖς, γυμνάσιον ἀναθέντες τῷ Ἔρωτι, τὴν διὰ τούτου ἀγομένην ἑορτὴν Ἐλευθέρια προσηγόρευσαν. *Samii vero, ut dicit Erxias in Colophoniacis, gymnasium erigentes Amori, festum propterea institutum appellaverunt Eleutheria*. Alias Ἐλευθέρια privatim celebrabant itidem, qui e servitute in libertatem essent restituti. Eustathius *De Ism.* lib. X. Συνορχούμεθα τούτοις ἡμεῖς, καὶ παιανίζοντες Ἐλευθέριον. *Cum illis pariter saltamus nos etiam canentes Eleutherion*. Iterum XI. Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ πάλιν ἐπὶ τὸν βωμὸν γενόμενοι, δάφνης ἐστεφανωμένοι τὰς κεφαλὰς, ἐπανηγυρίζομεν Ἐλευθέρια. *Sequenti autem die rursus ad aram venientes, lauro coronati capita, solenniter celebravimus Eleutheria*. Et Toxilus servus, quasi liber factus, peregre profecto hero, apud Plautum *Persa*, Act. I. Sc. I.

Basilice agito Eleutheria. ——

ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ.

De his libro singulari a me dictum.

ΕΛΛΩΤΙΑ.

Europæ sacra, apud Cretenses, Hesychius. Ἑλλώτια. ἑορτὴ Εὐρώπης ἐν Κρήτῃ. *Hellotia; festum Europæ in Creta*. Dicta nimirum, quod coronam tunc e myrto, viginti cubitos in ambitu habentem, solenni pompa cum Europæ ossibus veherent, quam Ἑλλωτίδα appellabant. Athænæus *lib.* XV. Σέλευκος δ' ἐν ταῖς Γλώσσαις Ἑλλωτίδα καλεῖσθαί φησι τὸν ἐκ μυρρίνης πλεκόμενον στέφανον, ὄντα τὴν περίμετρον πηχῶν εἴκοσι, πομπεύειν τε ἐν τῇ τῶν Ἑλλωτίων ἑορτῇ. φησὶ δ' ἐν αὐτῷ τὰ τῆς Εὐρώπης ὀστᾶ κομίζεσθαι, ἣν ἐκάλουν Ἑλλωτίδα. ἄγεσθαι δὲ καὶ ἐν Κορίνθῳ τὰ Ἑλλώτια. *Seleucus vero in Verbis obscuris Hellotida vocari dicit coronam ex myrto plexam rotundam circuitu cubitorum viginti, & in pompa traduci festo Hellotiorum. Dicit autem in ea ferri Europæ ossa, quam vocarunt Hellotida: celebrari vero etiam Corinthi Hellotia*. Aliis corona ipsa Ἑλλωτὶς dicta commemoratur. Hesychius. Ἑλλωτὶς, Εὐρώπης στέφανος, πηχῶν εἴκοσι. *Hellotis, Europæ corona, cubitorum viginti*. De Europæ isto nomine, est Etymologi quoque locus. Ἑλλωτὶς, ἡ Εὐρώπη τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο. ἢ ὅτι οἱ Φοίνικες τὴν παρθένον Ἑλλωτίαν καλοῦσιν. ἢ παρὰ τὸ ἑλεῖν, ὅτι ὑπὸ ταύρου ἑάλω, κατὰ τὸν μῦθον. *Hellotis, Europa olim vocabatur; aut quod Phœnices virginem vocant Hellotiam; aut ab tollendo, quia ab tauro capta est; juxta fabulam*. Quæ si vera etymologia fuerit, unico λ. nomen hoc scribendum erit. Sed duplicia τὰ Ἑλλώτια fuisse observo; hæc apud Cretenses, Europæ propria, de quibus nunc a me dictum: ista vero apud Corinthios, Minervæ τῆς Ἑλλωτίδος. Utraque videmus in *citatis* Athenæi *verbis*. De postremis vero sunt ista apud Auctorem Etymologici. Ἑλλωτὶς, Ἀθηνᾶ οὕτω καλουμένη ἐτιμᾶτο ἐν Κορίνθῳ, καὶ ἑορτὴ, Ἑλλώτια. εἴρηται δὲ Ἑλλωτὶς ἡ θεὸς, ὅτι Βελλεροφόντης τὸν Πήγασον ἵππον ἑλὼν καθ' ὑποθήκην καὶ συμμαχίαν τῆς Ἀθηνᾶς ἐχαλίνωσε. καὶ ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν τὸν ἵππον, Ἑλλωτίαν προσηγόρευσεν αὐτήν. καὶ ἱερὸν αὐτῇ ἱδρύσατο, καὶ τὰ Ἑλλώτια, ἑορτή. ἢ ἀπὸ τοῦ πρὸς Μαραθῶνα ἕλους, ἐν ᾧ ἵδρυται. *Hellotis, Minerva sic vocata colebatur Corinthi; & festum Hellotia. Dicta vero est Hellotis Dea, quia Bellerophontes Pegasum equum tollens ex instinctu & auxilio Minervæ coercuit fræno, & ab tollendo equo Hellotiam appellavit eam; & fanum ei exstruxit; & Hellotia dicitur festum; aut ab lacu prope Marathonem, in quo exstructum est*. Atque hæc sunt, quæ commemorat Pindarus *Olymp.* Od. XIII. ubi fuse Scholiastes rem exponit, cujus verba repræsentat in suo *De Festis* Opere eruditissimus amicus noster, Petrus Castellanus.

ΕΛΩΡΙΑ.

Apud Siculos agitata, juxta Elorum; ac certamen tunc celebratum. Meminit ejus Hesychius. Ελώριος ἀγὼν, τελὅμενος ἐπὶ Ελώρȣ ποταμοῦ. *Elorius agon, qui celebratur ad Elorum fluvium.*

ΕΜΠΛΟΚΙΑ.

Apud Athenienses erant. Hesychius. Εμπλόκια, ἑορτὴ παρὰ Αθluαίοις, ὡς τὸ σὺν ταῖς θριξὶ πλεκόμενον γυναιξίν. *Emplocia, festum apud Athenienses, quasi aliquid crinibus implicitum fœminis.*

ΕΝΗΛΙΑΞΙΣ.

Enyalii festum erat. Hesychius. Ενηλίαξις, ἑορτὴ τȣ̃ Ενυαλίȣ. *Eneliaxis, festum Enyalii, Martis.* Sed scribendum censeo, Ενυαλίαξις. Sic postea. Ενιηλίζειν, τlὼ Ενυαλίȣ ἑορτlὼ ἄγειν. *Enielizein, Enyalii festum agere.* Iterum scribendum censeam, Ενυαλιάζειν.

ΕΠΑΧΘΗΣ.

Celebrabatur a Bœotiis, in honorem Cereris τ̃ Αχαιᾶς; quod nimirum tunc Ceres ob Proserpinæ descensum cum dolore conflictaretur. Plutarchus *De Iside, & Osiride.* Καὶ Βοιωτοὶ τὰ τ̃ Αχαιᾶς μέγαρα κινοῦσιν, Επαχθῆ τlὼ ἑορτlὼ ἐκείνlω ὀνομάζοντες, ὡς διὰ τlὼ τ̃ Κόρης κάθοδον ἐν ἄχει τ̃ Δήμητρος ὄσης. *Et Bœoti Achaiæ domos movent, Ærumnosum vocantes illud festum, quasi per descensum Proserpinæ Cerere mœroribus correpta.*

ΕΠΙΔΗΜΙΑ.

Festum privatum erat familiarium, & propinquorum, amicorumque; qui id celebrabant, aliquo a peregrinatione domum feliciter reverso. Himerius in *Propemptico Flaviani.* Πρὶν μειδιάσαι, συγναζομεν· πρὶν ἐπιδήμια θῦσαι, θεοῖς ἐνοδίοις εὐχόμεθα. *Priusquam ridemus, lugemus; priusquam popularia celebramus, Diis vialibus preces damus.*

ΕΠΙΔΗΜΙΑ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ.

Delphis agitabatur hoc festum, ceu in Apollinis præsentis honorem. Procopius in Epistola quadam *ad Zachariam.* Οὐδὲ γὰρ οἱ Δελφοὶ ὅλως αὐτῶν ἀπεῖναι τ̃ Πύθιον ἔλοιντο, εἰ ϗ παρόντος εὐθὺς ἑορτlὼ ἄγȣσι τlὼ Επιδημίαν Απόλλωνος. *Neque enim Delphi plane ipsis abesse Pythium existimaverint, quippe qui præsentis statim festum agunt Adventum Apollinis.*

ΕΠΙΘΡΙΔΑΚΙΑ.

In Apollinis honorem peragebatur. Hesychius. Επιθριδάκια, ἑορτὴ Απόλλωνος. *Epithridacia, Lactucæ celebritas, festum Apollinis.*

ΕΠΙΚΛΕΙΔΙΑ.

Cereri celebrabant Athenienses. Hesychius. Επικλείδια, ἑορτὴ Δήμητρος Αθήνησι. *Epiclidia, festum Cereris Athenis.* Eidem Deæ

ΕΠΙΚΡΗΝΑΙ.

peragebantur apud Lacedæmonios. Idem Hesychius nobis auctor. Επικρlῶαι, ἑορτὴ Δήμητρος παρὰ Λάκωσιν. *Epicrenæ, festum Cereris apud Lacones.* Puto una litera transposita scribendum, Επικρlώια.

ΕΠΙΝΙΚΙΑ.

A Celebrabant post victoriam aliquam partam; & Επινίκιος ἑορτὴ alibi dicitur apud Plutarchum. Itaque sacra tunc etiam faciebant, quod dicebant Επινίκια θύειν. Dionysius Halicarnasseus *Rom. Antiquit.* lib. III. Καὶ θύσαντες τὰ Επινίκια τοῖς θεοῖς, ἐν εὐπαθείαις ἦσαν. *Et celebrantes Victoriæ ludos Diis, genio indulgebant.* Polyænus *lib.* V. Καρχηδονίȣς νικήσας, θύων Επινίκια, πεντακοσίȣς ἄνδρας τȣ̀ς ὑπόπτȣς ἐπὶ τ̃ ἑςίαν ἐκάλεσεν. *Carthaginenses quum vicisset, Victoriam festo colens, quinquaginta viros suspectos ad epulas vocavit.* Phalaris in Epistola *ad Paurolam.* Στεφανωσάμενος δὲ αὐτὸν ἡμέραν B μίαν, ἐν ᾗ τοῖς πατρῴοις θεοῖς Επινίκια τ̃ πρὸς Λεοντίνȣς μάχης ἐβȣθύτȣν, τ̃ αὐτὸν ἀπέςαλκα δῶρον Ερυθίᾳ τῇ μητρί σȣ. *Coronans vero eum uno die, in quo patriis diis ludos Victoriæ ob pugnam contra Leontinos celebrabam, eum misi donum Erythiæ matri tuæ.* Brutus in Epistola *ad Cyzicenos.* Νῦν δὲ τὰ βέλτιςα εὐχόμενοι περί σȣ, ϗ νὴ Δία προσδοκῶντες, εἰ ϗ τ̃ Επινικίων ἀπελαθησόμεθα ὡς ἐχθροί, τ̃ γοῦν χαρᾶς μεθέξομεν ὡς φίλοι. *Nunc vero optima precantes de te, & per Jovem exspectantes, quamvis ab Victoriæ ludis abigimur velut hostes, lætitiæ tamen participes erimus velut amici.* Insignis est Andocidis locus Κατὰ Αλκιβιάδȣ. Τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιC θεωρῶν αἰτησάμενος, ὡς εἰς τὰ πινάκια τῇ προτέρᾳ τ̃ ȣσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε. *Instrumenta pompæ ab legationis sacræ principibus exigens, utpote ad tabulas die præcedente rem usurus, fefellit.* Sed legendum illic, εἰς τἀπινικία τῇ προτέρᾳ τ̃ θυσίας χρησόμενος, *ad solennia victoriæ pr ore sacrificii die usurus.* Moneo in libro *De Panathenæis*, cap. XXIII. Herodianus *lib.* III. Επετέλεσε δὲ ϗ Επινίκιον ἀγῶνα, τȣ̀ς πανταχόθεν μȣσικῆς τε ὑποκριτὰς, ϗ ἀνδρείας μαθητὰς, μεταπεμψάμενος. *Celebravit vero etiam ludum victoriæ causa, undiquaque & musicæ histriones, & virtutis exercitatores, arcessens.* Cydonius *De Contemn. Morte.* Πολλοὶ θύȣσι, ϗ σπένδȣσιν D Επινίκια, ϗ ςεφανοῦνται, ϗ λαμβάνȣσιν ἀριςεῖα. *Multi sacrificant ac libant solennia victoriæ, & coronantur, & accipiunt præmia virtutis.* Heliodorus *lib.* IX. Θυσίας Επινικίȣς commemorat. Οὗτοι μὲν, ἔφη, πρῶτοι ληφθέντες εἰς ἀπαρχlὼ τȣ̃ πολέμȣ σωζέσθωσαν κατὰ τὰς Επινικίȣς θυσίας. *Hi quidem, ait, primi capti ad primitias belli serventur ad solennia Victoriæ sacrificia.* Quin choreas quoque agitabant. Eustathius *De Amoribus Ismeniæ*, lib. X. Αδȣσιν ἀναγώγια, ϗ χορεύȣσιν ἐπινίκια. *Cantant expeditionis lætitiam, & choros ducunt per solennes ludos victoriæ.* Et pæanas quoque cantabant. Apud E eundem initio *lib* XI. Επανηγυρίζομεν ἐλευθέρια, ἐπαιωνίζομεν ἐπινίκια. *Feste celebrabamus libertatis solennia, pæana cantabamus ob victoriam.* Item convivium instituebant, idque summa cum hilaritate transigebant; itaque est in *citatis* Dionysii *verbis.* Θύσαντες τὰ ἐπινίκια τοῖς θεοῖς, ἐν εὐπαθείαις ἦσαν. *Et peracto Diis festo die ob victoriam, genio indulgebant.* Et apud Polyænum vides, *loco citato.* Θύων ἐπινίκια πεντακοσίȣς ἄνδρας τȣ̀ς ὑπώπτȣς ἐπὶ τlὼ ἑςίαν ἐκάλεσεν, lὼ μὲν δὴ μεγαλοπρεπὴς ἡ τῶν κληθέντων ἑςία. *Celebrans solennia victoriæ quingentos viros suspectos ad epulas vocavit. Erant quidem magnificæ eorum, qui vocati erant, epulæ.* Atque hoc est, quod F Demosthenes alibi dicit, τὰ ἐπινίκια ἑςιᾶν. Lucianus *Var. Hist.* lib. II. Εςιῶντό τε ἐπινίκια, ϗ ἑορτlὼ μεγίςlω ἦγον. *Et convivabantur per victoriæ festivitatem, & sacrum solennissimum agebant.* Hujusmodi autem sacrificia ac festa, præscribit Imperatori, ceu necessaria, Onosander *Strategici* c. XXXIII. Ανακαλεσαμενος δ' ἐκ τῆς μάχης, πρῶτον μὲν ἀποδιδότω τοῖς θεοῖς θυσίας, ϗ πομπὰς, αἷς ἐκ τȣ̃ καιροῦ χρηςὰ πάρεςι. *Quum vero revocaverit ex pugna,*

primum quidem reddito Deis sacrificia, & pompas, quibus adsint utilia ejus temporis.

ΕΠΙΣΚΑΦΙΑ.

Apud Rhodios celebrabatur. Hesychius. Ἐπισκάφια, ἑορτὴ παρὰ Ῥοδίοις. *Episcaphia, festum apud Rhodios.*

ΕΠΙΣΚΗΝΙΑ.

Lacedæmonii celebrabant. Hesychius. Ἐπισκήνια, ἑορτὴ ἐν Λακεδαιμονίοις. *Episcenia, festum in Lacedæmoniis.* Ita scribendum puto, non Ἐπίσκηνα.

ΕΠΙΣΚΙΡΑ. ΕΠΙΣΚΙΡΩΣΙΣ.

Cereri, & Proserpinæ, celebrabatur ab Atheniensibus. Stephanus *in* Σκίρος. Σκίρα δὲ κέκληται. τινὲς μὲν, ὅτι ἐπὶ σκύρῳ Ἀθήνησι*. ἄλλοι δὲ, ἀπὸ τῶν γιγνομένων ἱερῶν Δημήτρι καὶ Κόρῃ. καὶ ἡ ἑορτὴ ταύτη Ἐπισκίρα κέκληται. *Scira autem vocata fuit; ut quidam, quod propter scyrum Athenis celebratur; alii vero ab sacris quæ fiunt Cereri & Proserpinæ; & festum illud vocatum est Episcira.* Straboni Ἐπισκίρωσις dicitur *lib.* IX. Καὶ τόπος Σκίρα ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ Ἐπισκίρωσις ἱεροποιΐα τις. *Et locus Scira in Attica, & Episcirosis solennitas quædam sacrorum faciendorum.*

ΕΡΑΤΙΔΙΑ.

Thespienses celebrabant, in honorem Cupidinis. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. Τελοῦνται δὲ ἐν Βοιωτίᾳ διάφοροι ἀγῶνες, ἐν μὲν Θεσπιαῖς, τὰ Ἐρατίδια. *Peraguntur autem in Bœotia diversi agones, Thespiis quidem Eratidia.* Sed legendum est, Ἐρωτίδια. Athenæus *lib.* XIII. Θεσπιεῖς τε καὶ Ἐρωτίδια τιμῶσι, καθὰ Παναθήναια. *Et Thespienses honorant festum Cupidinis, sicut Panathenæa Athenienses.* Eustathius extremo Commentario *ad Iliad.* ώ. Θεσπιεῖς γοῦν Ἔρωτος χάριν τὰ Ἐρωτίδια ἦγον, ὡς οἷά τινα Ὀλύμπια, καὶ Παναθήναια. *Thespienses igitur Amoris causa celebrabant festum Erotidia, tanquam aliqua Olympia & Panathenæa.* Eadem erant sine dubio.

ΕΡΩΤΙΑ.

Scholiastes idem Pindari *loco citato.* Ἐν μὲν Θεσπιαῖς, Ἐρώτια. *Thespiis quidem Cupidinea.* Celebrabant autem quinto anno. Plutarchus in *Erotico.* Τὰ Ἐρώτια Θεσπιέων ἀγόντων. ἄγουσι γὰρ ἀγῶνα πενταετηρικὸν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις, καὶ τῷ Ἔρωτι, φιλοτίμως πάνυ, καὶ λαμπρῶς. *Cupidini festum celebrantibus Thespiensibus celebrant enim ludum quinquennalem, sicut & Musis, etiam Cupidini, ambitiose admodum & splendide.* Ita illic lego; non, τὰ Ἐρωτικά. Et corrigendus item Pausanias in *Bœoticis*, ubi gravius corruptum hujus festi nomen. Περιοικοῦσι δὲ καὶ ἄνδρες τὸ ἄλσος, καὶ ἑορτὴν τε ἐνταῦθα οἱ Θεσπιεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγουσι Μουσεῖα. ἄγουσι δὲ καὶ τὰ Ἐρώτια, ἆθλα οὐ μουσικῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς τιθέντες. *Circumcolunt vero etiam viri lucum, & tum festum illic Thespienses, tum agona celebrant, dicta Musia. Celebrant vero & Cupidinea, præmia non musicæ modo, sed etiam athletis statuentes.* Perperam editur. Ἄγουσι δὲ καὶ τῷ Ἔρωτι ἆθλα οὐ μουσικῆς μόνον, ἀ. *Celebrant vero etiam Cupidini præmia non musicæ tantum, sed.* Et video μουσικοῖς pro μουσικῆς placuisse etiam doctissimo Interpreti, Romulo Amasæo. Nec placet vero, quod virum doctum arbitrari video, solennitatem Musis atque Amori communem fuisse; nam diversa omnino erant, & diverso item nomine appellabantur: atque ut hæc Ἐρώτια dicta, ita ista Μουσεῖα nominata. Celebrabant utrumque festum Thespienses, sed non simul. Isto festo sacra Amori faciebant, placandis inter conjuges dissidiis. Observo apud Plutarchum in *Erotico* citato. Ὁ γὰρ πατὴρ, ἐπεὶ πάλαι, πρὶν ἡμᾶς γενέσθαι, τὴν μητέρα νεωστὶ κεκοσμημένος, ἐκ τῆς γενομένης τοῖς γονεῦσιν αὐτῶν διαφορᾶς, καὶ στάσεως, ἀφίκετο τῷ Ἔρωτι θύσων ἐπὶ τὴν ἑορτὴν, καὶ ἦγε τὴν μητέρα. καὶ γὰρ ἦν ἐκείνης ἡ εὐχὴ, καὶ θυσία. *Nam pater, quum olim, antequam nos nati essemus, matrem recens quum duxisset, ex dissidio orto inter parentes eorum ac lite, abiit Cupidini sacrificaturus ad festum, & duxit matrem; erat etenim ejus & votum, & sacrificium.*

** Male neglecta est vox θύεται, quæ additur in* ΣΚΕΙΡΑ.

ΕΡΓΑΤΙΑ.

Herculi celebrabantur apud Lacones. Hesychius. Ἐργάτια, ἑορτὴ Ἡρακλεῖ τελουμένη παρὰ Λάκωσιν. *Ergatia, festum Herculi celebratum apud Laconas.*

ΕΡΕΘΥΜΙΑ.

Apollini τῷ Ἐρεθυμίῳ peragebant Lycii. Hesychius. Ἐρεθύμιος, Ἀπόλλων παρὰ Λυκίοις. καὶ ἑορτὴ, Ἐρεθύμια. *Erethymius Apollo apud Lycios; & festum Erethymia.*

ΕΡΚΗΝΙΑ.

Cereris festum erat. Hesychius. Ἐρκήνια, ἑορτὴ Δήμητρος. *Ercenia, festum Cereris.*

ΕΡΜΑΙΑ.

Mercurio celebrabantur. Pollux *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXXII. ubi de festis agit. Μουσῶν, Μουσεῖα. Ἑρμοῦ, Ἑρμαῖα. *Musarum, Musea; ut Hermæ, Hermæa.* Theodoretus *Therapeut.* VII. Ἀπεκλήρωσε πανηγύρεις ἑκάστῳ τῶν δαιμόνων, ἐκ τῆς προσηγορίας ὀνομάσας τὴν ἑορτήν. Ἑρμαῖα, καὶ Κρόνια, καὶ Ποσειδώνια, καὶ Ἡράκλεια. *Sortitus fuit festas solennitates unicuique dæmonum, ex appellatione nomen ponens festo; Mercurialia, & Saturnalia, & Neptunalia, & Heraclea.* Celebrabantur in palæstris. Æschines *in Timarchum.* Περὶ παιδαγωγῶν ἐπιμελείας, καὶ περὶ Μουσείων ἐν τοῖς διδασκαλείοις, καὶ περὶ Ἑρμαίων ἐν ταῖς παλαίστραις. *De pædagogorum attentione, & de Museis per scholas, & de Mercurialibus in palæstris.* Et quidem per comessationem, promiscuamque libidinem. Exprobrat id Diogenes Cynicus in Epistola quadam *ad Græcos.* Ἔν τε γυμνασίοις, ὅταν ᾖ τὰ καλούμενα Ἑρμαῖα, ἐσθίετε, πίνετε, μεθύετε, συνουσίας περαίνετε, ἐκ τῶν ἐναντίων περαίνεσθε. *Et in gymnasiis, quando erunt Mercurialia quæ dicuntur, editis, bibitis, inebriamini, concubitus peragitis, ex adversariis transfigimini.* Hæc est causa, cur lege cautum apud Athenienses esset, ne id temporis gymnasiarchæ adultum quemquam ingredi in gymnasium sinerent; qui fecissent, lege de ingenuorum corruptela tenebantur. Verba legis ecce ista apud Æschinem in citata *Oratione.* Οἱ γυμνασίαρχαι τοῖς Ἑρμαίοις μὴ ἐάτωσαν συγκατιέναι μηδένα τῶν ἐν ἡλικίᾳ, τρόπῳ μηδενί. ἐὰν δὲ ἐπιτρέπῃ, καὶ μὴ ἐξείργῃ τοῦ γυμνασίου, ἔνοχος ἔστω ὁ γυμνασιάρχης τῷ τῆς τῶν ἐλευθέρων φθορᾶς νόμῳ. *Gymnasiarchæ Mercurialibus ne sinant quenquam eorum, qui ad ætatem venerunt, simul ingredi, nullo prorsus modo. Quod si permittat, & non arceat palæstra, reus esto gymnasiarcha lege de corruptela ingenuorum.* Celebrabant præter Athenienses etiam in Arcadia Pheneatæ. Pausanias in *Arcadicis.* Θεῶν δὲ τιμῶσιν Ἑρμῆν Φενεᾶται μάλιστα, καὶ ἀγῶνα ἄγουσιν Ἑρμαῖα. *Ex Diis Pheneatæ maxime venerantur Mercurium, & certamen agunt Mercurialia.* Et in Elide Cyllenenses, apud quos membri arrecti specie Deus colebatur. Pausanias *Eliac.* II. Τοῦ Ἑρμοῦ δὲ (ἐν Κυλλήνῃ) ἄγαλμα, ὃν οἱ ταύτῃ περισσῶς σέβουσιν, ὀρθόν ἐστιν αἰδοῖον ἐπὶ τοῦ βάθρου. *Mercurii vero simulacrum*

chum (in urbe Cyllene,) quem incolæ superstitiose colunt, rectum est pudendum in basi. Artemidorus *l.* I. *c.* XLVII. Εἶδον δὲ καὶ ἐν Κυλλήνῃ γενόμενος Ἑρμοῦ ἄγαλμα, οὐδὲν ἄλλο ἢ αἰδοῖον δεδημιουργημένον λόγῳ τινὶ φυσικόν. *Sed & quum Cyllenæ essem, vidi Mercurii simulacrum, nihil aliud quam pudendum fabricatum ratione certa naturale.* Hoc intellexit Philostratus in *Vita Apollonii* lib. VI. cap. X. Καὶ Διονυσίων, καὶ φαλλοῦ, καὶ τοῦ ἐν Κυλλήνῃ εἴδους. *Et Bacchanaliorum, & veretri, & Cyllenensis simulacri.* Item in Achaja Pellenenses. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. Τελεῖται δὲ ἐν μὲν Πελλήνῃ τῆς Ἀχαΐας ἀγὼν, ὁ καλούμενος Θεοξένια. τινὲς δὲ, καὶ τὰ Ἕρμαια. *Peragitur vero in urbe Achajæ Pellene ludus, qui vocatur Theoxenia; dicunt vero nonnulli, etiam Mercurialia.* Iterum Od. IX. Ὁ δὲ ἀγὼν ἐν Πελλήνῃ, Ἕρμαια ἐκαλεῖτο. *Ludus vero in urbe Pellene vocabatur Mercurialia.* Et Cretenses, apud quos epulantibus tunc servis domini famulabantur. Athenæus *lib.* XIV. Ἐν Κρήτῃ γοῦν τῇ τῶν Ἑρμαίων ἑορτῇ τὸ ὅμοιον γίνεται, ὥς φησι Καρύστιος ἐν Ἱστορικοῖς Ὑπομνήμασι. εὐωχουμένων γὰρ τῶν οἰκετῶν οἱ δεσπόται ὑπηρετοῦσι πρὸς τὰς διακονίας. *In Creta igitur festo Mercurialium simile accidit, ut dicit Carystius in Historicis Commentariis. Nam servis epulantibus domini ministrant ad præbitiones.* Tanagræi in Bœotia Mercurii Κριοφόρου festum habebant, eoque, qui e juventute urbana pulcherrimus censebatur, arietem * humeris portans muros circumambulabat. Pausanias in *Bœoticis*, ubi de eo agit. Ὃς δ᾽ ἂν εἶναι τῶν ἐφήβων προκριθῇ τὸ εἶδος κάλλιστος, οὗτος ἐν Ἑρμοῦ τῇ ἑορτῇ περίεισιν ἐν κύκλῳ τοῦ τείχους ἔχων ἄρνα ἐπὶ τῶν ὤμων. *Quisquis vero epheborum præponitur, ut judicatus forma pulcherrimus, ille in Mercurii festo præterit per orbem muri habens agnum in humeris.*

ΕΡΣΗΦΟΡΙΑ.

Vide supra Ἀρρηφόρια.

ΕΡΩΤΙΑ.

Vide supra Ἐρωτίδια.

ΕΣΤΙΑΙΑ.

Vestæ sacra. Corruptissimus est locus in *Excerptis Gloss.* Græco-Lat. *Vestalia*, Θερίαι. Emenda, V. Ἑστίαια. Hesychius. Ἑστίαια θυόμεν. ἦσαν τινὲς θυσίαι, ἀφ᾽ ὧν οὐχ οἷόν τε ἦν μεταδοῦναι, ἢ ἐξενεγκεῖν. *Vestalia celebramus. Erant quædam sacrificia, a quibus nihil licebat cum aliis communicare, nec efferre.* Et observa; ex iis, quæ Vestæ immolabantur, neque alteri quicquam dare, neque efferre etiam licebat. Ac nihil quidem dare licuisse inde alteri, etiam ex Tarrhæo constat. Ἑστίᾳ θύεις. ἐπὶ τῶν μηδενὶ ῥαδίως μεταδιδόντων. δι᾽ ἔθους γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὁπότε ἔθυον Ἑστίᾳ, μηδενὶ μεταδιδόναι τῆς θυσίας. *Vestæ sacrificas; de illis qui nulli facile largiuntur. Moris enim habebant veteres, quando sacrificabant Vestæ, nulli ab sacrificio quidquam dare.* Ita rescribo; nam male vulgatum est, μεταδιδόναι τῆς οὐσίας, *condonare facultatis.* Porro efferri nihil solitum, testatur Apostolius *Cent.* IX. *Proverb.* XXI. Ἑστίᾳ θύειν. Οἱ γὰρ Ἑστίᾳ θύοντες, οὐδὲν ἐξέφερον τῆς θυσίας. *Vestæ sacrificare. Nam qui sacrificant Vestæ, nullam partem sacrificii efferebant.* Et Diogenianus *Cent.* II. *Proverb.* XL. Ἑστίᾳ θύειν. ἐπὶ τῶν κρύφα πραττόντων. οἱ γὰρ Ἑστίᾳ θύοντες, οὐδὲν ἐξέφερον τῆς θυσίας. *Vestæ sacrificare, de illis qui clanculum faciunt. Nam qui sacrificant Vestæ, nihil sacrificii exportabant.* Iterum *Cent.* IV. *Proverb.* LXVIII. Ἑστίᾳ θύει, ἐπὶ τῶν πολλὰ ἐσθιόντων, παρόσον οἱ ταύτῃ θύοντες, οὐδὲν τῆς θυσίας ἐξέφερον. *Vestæ sacrificat; de illis qui multa comedunt. In quantum qui huic sacrificant, nihil sacrificii efferebant.* Sacrificabant autem ei primitias. Hesychius. Ἀφ᾽ ἑστίας ἀρχόμενος. παροιμία. μετενήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ δρομέων. ἔθος γὰρ ἦν τῇ Ἑστίᾳ τὰς ἀπαρχὰς ποιεῖσθαι. *Incipiens ab Vesta. Proverbium. Translatum vero est ab cursoribus circa sacra. Mos enim erat primitias facere Vestæ.* Sed corrupta illic verba sic restituo, π. τὰ ἱερὰ δρωμένων, *ab peragendis circa sacra.* Eustathius *Odyss.* η'. Ἀφ᾽ ἑστίας ἀρχόμενος. ἤγουν ἐκ τῶν κρειττόνων, ἢ ἐκ τῶν οἰκείων. μετῆκται δέ φασιν ὁ λόγος, ἐκ τῶν ἱερῶν· ἔθος γὰρ, Ἑστίᾳ πρῶτον ἀπάρχεσθαι. *Ab Vesta incipiens; aut ab melioribus, aut ab domesticis. Traductus autem est, ut dicunt, sermo ab sacris. Mos enim, Vestæ primum libare.* Habes quoque apud Zenobium *Cent.* I. *Proverb.* XL.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ.

Euangelo, antea Pixodoro dicto, ob nuntiatam marmoris inventionem, Ephesii quotmensibus celebrabant; pœna etiam constituta, si forte neglexissent. Vitruvius *lib.* X. *cap.* VII. *Pixodorus fuerat pastor, is in his locis versabatur. Cum autem cives Ephesiorum cogitarent fanum Dianæ ex marmore facere, decernerentque a Paro, Proconneso, Heraclea, Thaso, uti marmore, per id tempus propulsis ovibus Pixodorus in eodem loco pecus pascebat ibique duo arietes, inter se concurrentes, alius alium præterierunt; & impetu facto, unus cornu percussit saxum; ex quo crustam, quæ candidissimo colore fuerat, dejecit. Ita Pixodorus dicitur oves in montibus reliquisse, & crustam cursim Ephesum, cum maxime ea de re ageretur, detulisse. Ita statim honores ei decreverunt, & nomen mutaverunt, ut pro Pixodoro Euangelus nominaretur. hodieque quotmensibus in eum locum magistratus proficiscitur, & ei sacrificium facit; & si non fecerit, pœna tenetur.* Alias εὐαγγέλια dicebantur, ob res lætas nuntiatas indicta festa, quibus sacra faciebant, amicisque partes victimarum mittebant. Plutarchus in *Agesilao.* Ἔθυσεν εὐαγγέλια, καὶ διέπεμπε μερίδας τοῖς φίλοις ἀπὸ τῶν τεθυμένων. *Sacra fecit ob bonum nuncium, & dimisit partes amicis ab immolatis victimis.* Xenophon *Hist. Græc.* lib. I. Αὐτὸς δ᾽, ἐπειδὴ ἐκεῖνοι κατέπλεον, ἔθυε τὰ εὐαγγέλια, καὶ τοῖς στρατιώταις παρήγγειλε δειπνοποιεῖσθαι. *Ipse vero, postquam illi in portum venerunt, sacra fecit ob bonum nuncium, & militibus signum dedit cœnæ sumendæ.* Isocrates *Areopagitica.* Ἐπὶ τοσαύταις πράξεσιν εὐαγγέλια μὲν δὶς ἤδη τεθύκαμεν. *In tam amplis rebus gestis jam bis quidem sacra fecimus ob bona nuncia.* Aristophanes *Equitibus.*

—— ἤδη μοι δοκεῖ
Ἐπὶ συμφοραῖς ἀγαθαῖσιν εἰσηγγελμέναις
Εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς τῇ θεῷ·
—— *jam mihi videtur*
In eventibus prosperis annunciatis
Sacra facere boni nuncii ergo boves centum Deo.

Julius Pollux *lib.* I. *cap.* XXV. Ἡ μέν τοι ἐπὶ τῷ συνήδεσθαι θυσία, εὐαγγέλια. *Sacrificium quidem lætitiæ ergo, Euangelia.* Polyænus *Strateg* lib. II. Ἀλλὰ μὲν καὶ αὐτὸς προῆλθεν ἐστεφανωμένος, ἔθυσεν εὐαγγέλια, διέπεμψε τοῖς φίλοις τὰς μερίδας ἀπὸ τῶν ἱερείων. *Verum quidem & ipse processit coronatus, sacrificavit ob bonum nuncium, dimisit amicis partes ab victimis.*

* *An sic recte* ἄρνα *interpretatus sit auctor, viderit. Ut enim Mercurius arietem circumtulerit, unde* Κριοφόρος *est dictus, & quidem utpote talis Deus sine lassatione; sic de ephebo sufficit per istud spatium portavisse* ἄρνα.

ΕΥΜΕΝΙΔΕΙΑ.

Eumenidum propria, quæ Σεμναὶ Θεαὶ ab Atheniensibus dicebantur. In his pompa ducebatur, ad quam servi nulli admissi; & solennia illic omnia per viros, fœminasque, vitæ inculpatæ agebantur: bellaria autem spectatissimi e juventute apparabant. Est hac de re elegans Philonis locus, *lib.* Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. Διό μοι δοκοῦσιν οἱ τῶν Ἑλλήνων ὀξυδερκέστατοι Ἀθηναῖοι, (ὅπερ γὰρ ἐν ὀφθαλμῷ κόρη, ἢ ἐν ψυχῇ λογισμὸς, τοῦτ' ἐν Ἑλλάδι Ἀθῆναι) τὴν ἐπὶ ταῖς Σεμναῖς Θεαῖς πομπὴν ὅταν στέλλωσι, δοῦλον μηδένα προσλαμβάνειν τὸ παράπαν· ἀλλὰ δι' ἐλευθέρων ἕκαστα τῶν νενομισμένων ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐπιτελεῖν, καὶ οὐχ οἵων ἂν τύχῃ, ἀλλὰ βίον ἐζηλωκότων ἀνεπίληπτον. ἐπεὶ καὶ τὰ πρὸς τὴν ἑορτὴν πέμματα τῶν ἐφήβων οἱ δοκιμώτατοι σιτοποιοῦσι, πρὸς εὐδοξίας καὶ τιμῆς, ὅπερ ἐστὶ, τὴν ὑπηρεσίαν τιθέμενοι. *Quare mihi videntur Græcorum perspicacissimi Athenienses (quod enim in oculo pupilla, aut in mente ratio, id in Græcia Athenæ) pompam quando ducunt Gravibus Deabus, servum neminem omnino adsumere; sed per ingenuos singula eorum quæ legitime peraguntur tam viros quam fœminas exsequi, neque quos casus obtulerit, sed qui vitam vixerunt irreprehensam; quippe etiam liba ad festum necessaria ephebörum probatissimi fingunt, ad gloriam & honorem, sicut certe est, hoc ministerium referentes.* Celebrabant quoque Sicyonii, oves illis immolantes gravidas, pro libamine mulsum, pro coronis flores adhibentes. Pausanias *Corinthiacis*. Καὶ ναὸς θεῶν ἃς Ἀθηναῖοι μὲν Σεμνὰς, Σικυώνιοι δὲ Εὐμενίδας ὀνομάζουσι. κατὰ δὲ ἔτος ἕκαστον ἑορτὴν ἡμέρᾳ μιᾷ σφίσιν ἄγουσι, θύοντες πρόβατα ἐγκύμονα, μελικράτῳ δὲ σπονδῇ. καὶ ἄνθεσιν ἀντὶ στεφάνων χρῆσθαι νομίζουσιν. *Et ædes Dearum, quas Athenienses quidem Graves ac Venerandas, Sicyonii vero Eumenidas appellant sed quovis anno festum unius diei illis celebrant, immolantes oves gravidas; mulso autem libamento, & floribus pro coronis uti decernunt.*

ΕΥΡΥΘΙΩΝΙΟΝ.

Cereri sacrum. Hesychius. Εὐρυθιώνιον, τάφος ἐπ' Εὐρυθίωνι, καὶ ἑορτὴ Δήμητρος. *Eurythionium, monumentum ob Eurythionem, & festum Cereris.*

ΕΥΡΥΚΛΕΙΑ.

Lacedæmonii celebrabant, in honorem Euryclis, ut videtur. Inscriptio vetus. ΚΑΙ. ΘΕΜΑΤΙΤΑΣ. ΠΛΕΙΟΝΑΣ. ΕΝ. ΟΙΣ. ΕΥΡΥΚΛΕΙΑ. ΕΝ. ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙ. *Et plures quorum præmium pecunia; in his Euryclea Lacedæmone.*

ΕΥΡΥΝΟΜΕΙΑ.

Eurynomes festum apud Phigalenses, cujusque templum tunc apertum, reliquo anni tempore clausum. Pausanias *Arcadicis*. Τὴν δὲ Εὐρυνόμην ὁ μὲν τῶν Φιγαλέων δῆμος, ἐπίκλησιν εἶναι πεπίστευκεν Ἀρτέμιδος. ὅσοι δὲ αὐτῶν παρειλήφασιν ὑπομνήματα ἀρχαῖα, θυγατέρα Ὠκεανοῦ φασὶν εἶναι τὴν Εὐρυνόμην, ἧς καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι ἐποιήσατο μνήμην, ὡς ὁμοῦ Θέτιδι ὑπεδέξατο Ἥφαιστον. ἡμέρᾳ δὲ τῇ αὐτῇ κατὰ ἔτος ἕκαστον τὸ ἱερὸν ἀνοιγνύουσι τῆς Εὐρυνόμης, τὸν δὲ ἄλλον χρόνον οὐ σφισιν ἀνοιγνύναι καθέστηκε. τηνικαῦτα δὲ καὶ θυσίας δημοσίᾳ τε καὶ ἰδιῶται θύουσιν. ἀφικέσθαι μὲν δή μοι τῆς ἑορτῆς οὐκ ἐξεγένετο ἐς καιρόν. *Eurynomen vero populus quidem Phigalensium cognomen credit fuisse Dianæ. Quicunque autem eorum perceperunt antiquas memorias, filiam Oceani dicunt esse Eurynomen, cujus & Homerus in Iliade fecit mentionem, ut simul cum Thetide exceperit Vulcanum. Eadem vero die quotannis templum aperiunt Eurynomæ; alio autem tempore aperire illis fas non est. Sed tunc & sacrificia publice etiam privati immolant. Mihi autem non contigit occurrere ad festi tempus.*

ΕΦΕΣΕΙΑ.

Dianæ Ephesiæ in honorem celebrata. Pollux *lib.* I. *cap.* I. Ἀρτέμιδος (ἑορταὶ) Ἀρτεμίσια, καὶ Ἐφέσια. *Dianæ (festa) Diania, & Ephesia.* Peragebantur vero multa cum hilaritate, & temulentia, pleno per totam noctem foro. Achilles Tatius *lib.* VI. Ἦν δὲ τῆς Ἀρτέμιδος (τῆς ἐν Ἐφέσῳ) ἱερομηνία, καὶ μεθυόντων πάντα μεστά. ὥστε καὶ δι' ὅλης νυκτὸς τὴν ἀγορὰν ἅπασαν κατεῖχε πλῆθος ἀνθρώπων. *Erat autem Dianæ (Ephesiæ) sacra luna, & ebriorum omnia plena; ut etiam tota nocte forum omne obsideretur ab hominum turba.* Celebrabant autem viri. Pausanias in *Messeniacis*. Ἐφεσίαν δὲ Ἄρτεμιν πόλεις ὀνομάζουσιν αἱ πᾶσαι, καὶ ἄνδρες ἰδίᾳ μάλιστα θεῶν ἄγουσιν ἐν τιμῇ. *Ephesiam vero Dianam nominant civitates omnes, & viri privatim maxime ex Diis habent in honore.* Etiam virgines; mulieri vero nulli ingenuæ templum accedere permissum erat: si quæ fecisset, ea crimen morte luebat. ac servæ tantum aditus patebat, dominum nempe apud deam accusare cupienti. Achilles Tatius *lib.* VII. ubi de ejus deæ templo. Τὸ δὲ παλαιὸν ἄβατος ἦν γυναιξὶν ἐλευθέραις οὗτος ὁ νεώς. ἀνδράσι δ' ἐπετέτραπτο, καὶ παρθένοις. εἰ δέ τις εἴσω παρῆλθεν γυνὴ, θάνατος ἦν ἡ δίκη. εἰ μὴ δούλη τὶς, συνεγκαλοῦσα τῷ δεσπότῃ. *Antiquitus vero inaccessa illa erat ædes mulieribus ingenuis: sed viris permissa erat, & puellis. Quod si mulier nupta ingrederetur, mors erat pœna; nisi si esset serva, simul accusatura dominum.* Similiter retro templum nemus erat, in quo antrum; ad quod aditum virgines habebant, exclusis itidem mulieribus. Idem alibi *lib.* VIII. Ὁρᾷς τοῦτο τὸ ἄλσος τὸ κατόπιν τοῦ νεώ; ἐνθάδε ἐστὶ σπήλαιον ἀπόρρητον γυναιξὶν, καθαραῖς δὲ εἰσελθούσαις οὐκ ἀπόρρητον παρθένοις. *Vides hunc lucum ab postico ædis? Illic est spelunca secreta & vetita mulieribus, puris vero ingressis virginibus non illicitum.* Qui sacra ejus curarent, Ἐσσῆνες dicti. Pausanias *Arcadicis*. Τοιαῦτα οἶδα ἕτερα ἐνιαυτὸν καὶ οὐκ ἀεὶ πρὸς Ἐφεσίων ἐπιτηδεύοντας τοὺς τῇ Ἀρτέμιδι ἱστιάτορας τῇ Ἐφεσίᾳ γενομένους, καλουμένους δὲ ὑπὸ τῶν πολιτῶν Ἐσσῆνας. *Hujusmodi scio alia per annum & non semper ab Ephesiis observantes illos qui Dianæ Ephesiæ constituti sunt epulones, vocanturque ab civibus Essenes.* Præerant sacris οἱ Ἀκειτοβάται appellati. Hesych. Ἀκειτοβάται, ἀρχή τις παρὰ Ἐφεσίοις τῆς Ἀρτέμιδος θυστῶν. *Aeritobatæ, præses quidam apud Ephesios sacrificiorum Dianæ.*

ΕΦΗΒΙΑ.

Agitabantur, cum in ephebos filii jam adulti referrentur; eoque tempore laurum bifidam, quæ Κορυθάλη, sive Κορυθαλία, dicebatur, pro foribus ædium statuebant. Etymologici Auctor. Κορυθάλη, ἡ πρὸ τῶν θυρῶν τιθεμένη δάφνη. ἡβησάντων γὰρ τῶν νέων, καὶ θυγατέρων, δάφνας προετίθεσαν ἐφηβίοις, καὶ γάμοις, εἰς τὸ δίκρον. *Corythale, laurus ante januas statuta. Nam quum adolescentes ad pubertatem venissent, & puellæ, lauros proponebant ephebeis, & nuptiis, ad biceps.* Eratque hæc laurus coronata. Hesychius. Κορυθαλία, δάφνη ἐστεμμένη. *Corythalia, laurus coronata.* Deinde mensuram vini inferebant, e quo cum libassent Herculi, reliquum ebibendum dabant iis,

qui in unum convenerant: eaque libatio, Οἰνιςηρία appellata. Hesychius. Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν, εἰσέφερον Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου, καὶ σπείσαντες, τοῖς συνελθοῦσιν ἐπεδίδουν πίνειν. *Athenis qui accensendi erant ephebis, priusquam detonderetur lanugo, inferebant Herculi mensuram vini, & quum libavissent, congressis infundebant ad bibendum.* Athenæus *lib.* XI. Οἱ μέλλοντες ἀποκείρειν τὸν σκόλλυν, φησὶ Πάμφιλος, εἰσφέρουσι τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον, πληρώσαντες οἴνου, ὃ καλοῦσιν οἰνιςηρίαν. καὶ σπείσαντες, τοῖς συνελθοῦσι διδόασι πιεῖν. *Qui detondendi erant lanuginem, dicit Pamphilus, inferunt Herculi magnum poculum, implentes vino, quod vocant Oenisteriam; & post libationem, congressis dabant bibere.* Deinde comam quoque tondebant, ut observare est ex Hesychii, & Athenæi, citatis verbis: eamque Delphos proficiscentes Apollini consecrabant. Plutarchus ingerit in *Vita Thesei*. Ἔθους δὲ ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παίδων, ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς, ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης. *Quum tunc adbuc obtineret mos, ut transeuntes ex pueris, proficiscentes Delphos, consecrare deo aliquid comæ.* Postea id desitum, & Athenis factitatum; nisi quod quidam μικροφιλότιμοι morem priscum observarent. Inde est apud Theophrastum in *Eth. Charact.* Περὶ μικροφιλοτιμίας. Καὶ τὸν υἱὸν ἀποκεῖραι ἀπαγαγὼν εἰς Δελφούς. *Et filium detondere abductum Delphos.* Post hoc factum, inter ephebos jam adsciti, Ἐφηβεύειν dicebantur. Hesychius *loco jam citato*. Ἀθήνησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν, εἰσέφερον Ἡρακλεῖ μέτρον οἴνου. *Athenis futuri ephebi, priusquam detondebant lanuginem, inferebant Herculi metrum vini.* Pausanias *Achaicis*. Οὐδὲ εἰς τὴν πολιτείαν ἐγγραφῆναι πρότερον καθέστηκεν οὐδενὶ, πρὶν ἂν ἐφηβεύσωσιν. *Neque in civitatem inscribi prius licebat ulli, antequam ephebi essent.* Inscript. vet.

ΕΦΗΒΕΥΕΝ ΑΥΤΟΥ
ΥΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ.

Ephebis addebatur ejus
Filius Dionysius.

Neque id fieri, nisi ingenuis, lex sinebat. Artemidorus *Onirocrit.* l. I. cap. LVI. Ἐφηβεύειν δοῦλος ἐὰν δόξῃ, ἐλεύθερος ἔσται, ἐπειδὴ μόνοις ἐλευθέροις ἐφίησιν ὁ νόμος. *Inter ephebos agere servus si videatur, liber erit, quoniam solis liberis lex permittit.* Athenis neque inquilinis, peregrinisve, permissum fuit; sed Hippocratis honori datum, ut Coorum quoque filiis id liceret. Ecce in Senatusconsulto Atheniensium, quod inter Hippocratis Opera vulgatum. Καὶ ἐξεῖναι πᾶσι Κώων παισὶν ἐφηβεύειν ἐν Ἀθήναις, καθάπερ παισὶν Ἀθηναίων. *Et liceret omnibus Coorum liberis esse inter ephebos Athenis, sicut liberis Atheniensium.* Gymnasium autem proprium habebant, in quo exercebantur. Theophrastus in *Eth. Charact.* Περὶ ἀρεσκείας. Τῶν δὲ γυμνασίων ἐν τούτοις διατρίβειν, οὗ ἂν ἔφηβοι γυμνάζονται. *Versari vero in illis gymnasiis, ubi ephebi exerceantur.* Idque Ἐφηβεῖον dicebatur. Vitruvius *lib.* V. *cap.* XI. *In duplici autem porticu collocentur hæc membra. Ephebeum in medio.* Et mox. *Ad sinistram ephebei elæothesium.* Ac præfectus quoque proprius, Ἐφήβαρχος nuncupatus. Arrianus *in Epict.* lib. III. cap. I. Ἀςυνόμον, ἢ ἐφήβαρχον, ἢ ςρατηγὸν, ἢ ἀγωνοθέτην. *Ædilem, aut ephebis præpositum, aut ducem, aut agonotheten.* Iterum mox ejusdem *libri cap.* VII. Τίς αὐτοὺς παιδεύσει; τίς ἐφήβαρχος; τίς γυμνασίαρχος; *Quis eos instituet? quis ephebis præerit? quis gymnasii princeps?* Gymnasio quoque suo præfectum sibi peculiarem habebant. Meminit Arrianus *loco citato*. Τίς αὐτοὺς παιδεύσει; τίς ἐφήβαρχος; τίς γυμνασίαρχος. *Quis eos instituet? quis ephebis præerit? quis Gymnasii princeps?* Isque in annum constituebatur. Apparet ex Inscriptione ista vetere.

ΕΓΥΜΝΑΣΙΑΡ
ΧΗΣΕΝ ΤΟΝ ΕΝΙΑΥ
ΤΟΝ ΤΟΥΣ ΕΦΗΒΟΥΣ
ΦΛ. ΣΤΡΑΤΟΛΑΟΣ
ΦΥΛΑΣΙΟΣ.

Gymnasiarcha fuit
Per annum
Epheborum
Fl. Stratolaus
Phylasius.

Et ex ista.

ΕΠΙ ΘΕΩΝΟΣ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΔΙΟΝ
ΥΣΙΟΥ ΜΑΡΚΟΣ
ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΟΣ
ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ.

Theone
Archonte,
Cosmeta, Dio-
nysio, M.
Anaphlystius
Gymnasii præfectura gesta.

Itaque est in alia quadam.

ΤΟ. Γ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ.
Per annos tres Gymnasiarcha.

Et famulum quoque proprium habebant, qui Παιδικέωρ dicebatur. Hesychius. Παιδικέωρ, ὁ ἐν γυμνασίῳ ὑπηρέτης. *Pædiceor, minister in gymnasio.* Locum quoque in theatro suum habebant, e quo spectarent, Ἐφηβικὸν indigetatum. Vide quæ notata mihi *Attic. Lect.* lib. I. cap. XXIV. Durabat autem hæc ἐφηβία in annum unum. Artemidorus *loc citato* Πρὸς ἐνιαυτὸν δὲ εἶπον, διὰ τὸν τῆς ἐφηβίας χρόνον. *Ad annum vero dixi, propter tempus ephebici status.* Quo tempore peregre illi ire non licebat. Idem Artemidorus *ibidem*. Ἀποδημεῖν δὲ κωλύει, καὶ τὸν ἐπὶ ξένης ὄντα εἰς τὴν ἰδίαν ἐπάγει· ἐν δήμῳ γὰρ χρὴ εἶναι τὸν ἔφηβον. *Peregrinari autem vetat, eumque qui in peregrina regione esset, in patriam reducit; in populo enim oportet esse ephebum.* Quo pertinent etiam ista in extremo capite. Οὐ γὰρ ὑπερόριοι οἱ ἔφηβοι ἀγωνίζονται. *Nam translimitanei ephebi non certant.* Cum autem inter ephebos referrentur, nomina eorum in libro quodam, ei rei destinato, inscribebantur. Auctor Axiochi id nobis indicat. Ἐπειδὰν δὲ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφῇ, καὶ φόβος χείρων εἴη, τὸ Λύκειον, καὶ Ἀκαδημία, καὶ γυμνασιαρχία, καὶ ῥάβδοι, καὶ κακῶν ἀμετρίαι. *Quando autem in ephebos inscriptus fuit, & metus minor erit, Lyceum, & Academia, & gymnasii præfectura, & virgæ, & malorum intemperies.* Heliodorus *lib.* I. Καὶ τὰ πρῶτα τῶν γραμματέων διδαξάμενος, εἰς τοὺς φράτορας καὶ γεννητὰς ἀσαγαγὼν, εἰς ἐφήβους ἐγγράψας, πολίτην ὑμέτερον ἀποφήνας. *Et prima Grammaticorum doctus, in curiales & gentiles inducens, in ephebos adscriptus, civem vestrum declarans.* Factum autem id, cum annum ætatis decimum sextum implevissent. Observo apud Censorinum *De Die Nat.* cap. XIV. *De tertia autem ætate adulescentulorum tres gradus esse factos in Græcia, prius quam ad viros perveniatur, quod vocent annorum quatuordecim* παῖδα, μελλέφηβον *autem quindecim, dein sedecim* ἔφηβον, *tunc septendecim*

ἐξέφηβον. Sed turbare hic videtur Theocriti Scholiastes, apud quem ἔνηβοι, qui iidem τοῖς ἐφήβοις, decimo quinto anno dicuntur. Verba ejus ecce *ad Idyll.* VIII. Ἄνηβοι, ἤτοι ἀτελεῖς ἔτι τὴν ἡλικίαν. ἔνηβοι γὰρ, οἱ πεντεκαιδεκαετεῖς. *Anebi, vel adhuc immunes ob ætatem; enebi enim quindecim annorum.* Verum Græculi istius non tam magna nobis ratio hic habenda. Porro, ut hoc quoque moneam ἐν παρόδῳ, aliud erat, in tribules; aliud, in ephebos, referre. Non satis distinxi pridem *Attic. Lect.* lib. III. cap. I. Imo neque veteres quidem Grammatici faciunt; qui me, minus attendentem, in errorem induxerunt.

ΕΦΙΠΤΟΣ.

Festum erat apud Lacedæmonios, in quo certamen quoque. Hesychius. Ἔφιπτος, ἀγὼν γυμναστικὸς παρὰ Λάκωσιν. *Ephiptus, certamen exercitatorium apud Laconas.* Nisi forte, quod existimo, mendosus locus, legendumque, Ἔφιππος. Nam fuerit certamen equestre; de quo ista Suidæ verba. Ἐφίππιον, ἀγώνισμα ἐφ' ἵππων τρεχόντων. *Ephippium, certamen currentium in equis.*

ΗΛΑΚΑΤΙΑ.

Apud Lacedæmonios acta, in honorem Elacati, ab Hercule adamati. Hesychius. Ἡλακάτια, ἀγὼν ἐν Λακεδαιμονίᾳ ἐπὶ Ἠλακάτῳ, ὃς ἦν ἐρώμενος Ἡρακλέους, ὥς φησι Σωσίβιος. *Elacatia, certamen in Laconica de Elacato, qui erat amasius Herculis, ut ait Sosibius.*

ΗΡΑΙΑ.

Junoni sacra. Eustathius *ad Iliad.* δ'. Εὐλόγως ἐκ τοῦ Ἥρα γίνεται προσλήψει τοῦ ι τὰ ἐξ αὐτῆς Ἥραια, ἡ ἑορτή. *Probabiliter ex voce Hera fiunt per assumptionem literæ ι Heræa, ab illa dictum festum.* Celebrabatur autem apud Argivos. Pausanias *Corinthiacis*, ubi de illis agit. Ἔχεται δὲ τὸ στάδιον, ἐν ᾧ τὸν ἀγῶνα τῷ Νεμείῳ Διῒ, καὶ τὰ Ἥραια, ἄγουσιν. *Junctum vero est stadium, in quo certamen Nemeo Jovi, & Heræa agunt.* Schol. Pindari *Olympionic.* Od. IX. Ἄργει τ' ἔσχεθε κῦδος ἀνδρῶν, ἀντὶ τοῦ, καὶ ἐν Ἄργει δὲ δόξαν προσείληφεν ἀνδρῶν, νικήσας τὰ Ἥραια. *Et Argis tenuit gloriam virorum; pro eo, & in urbe Argis splendorem accepit virorum, post victa Heræa.* Trahebatur hoc festo currus albis bobus ad templum Junonis, quod extra urbem erat. Palæphatus. Ἀργεῖοι πολιοῦχον αὐτοῖς τὴν Ἥραν ἡγοῦντο. καὶ διὰ τοῦτο καὶ πανήγυριν αὐτῇ τεταγμένην ἄγουσιν. ὁ δὲ τρόπος τῆς ἑορτῆς, ἅμαξα βοῶν, τὸ χρῶμα λευκῶν. ἀπὸ δὲ τῆς ἁμάξης εἶναι δεῖ τὴν ἱέρειαν. οὕτω δὲ ἔχειν ἄχρι τοῦ νεώ· τὸ δὲ ἱερὸν, ἔξω τοῦ ἄστεος. *Argivi præsidem urbis apud se Junonem ducebant; ac propterea quoque celebrant solennitatem illi sacratam. Modus vero festi, plaustrum boum, pellem alborum. ab plaustro autem oportet esse sacerdotem; & ita manere usque ad ædem; templum vero extra urbem.* Ac prima illic ejus deæ sacerdos Callithea fuit. Docet Theon Commentario *in Aratum.* Οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον, ἢ Βελλεροφόντου, ἢ Τροχίλου, τῆς Καλλιθέας παιδὸς, τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας. *Fabulatores vero aurigam dicunt esse imaginem vel Bellerophontæ, vel Trochili, qui filius Callitheæ, quæ prima Argis fuit sacerdos.* Dabaturque hoc sacerdotium nisi fæminis honoratissimis. Palæphatus, ubi de Ione agit. Ταύτῃ οἱ ἀπὸ τῆς πόλεως τιμὴν ἔδωκαν, τὸ ἱέρειαν εἶναι τῆς Ἀργείας Ἥρας. *Huic urbici dederunt honorem, ut esset sacerdos Junonis Argivæ.* Ac computabantur per eas tempora, quemadmodum per archontes apud Athenienses. Videre est apud Thucydidem, initio *libri* II. Ἐπὶ Χρυσίδος, τότε ἐν Ἄργει πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης. *Tempore Chrysidis, tunc Argis duodequinquaginta annos sacerdotis.* Ad quem locum Scholiastes. Ἠρίθμουν τοὺς χρόνους οἱ Ἀργεῖοι ἀπὸ τῶν ἱερειῶν. *Numerabant tempora Argivi ab sacerdotibus.* Et pompa quidem illi ingens ab armatis ducebatur. Meminit Æneas Tacticus, *Poliorcetici* cap. XVII. Ἑορτῆς πανδήμου ἔξω τῆς πόλεως Ἀργείων γενομένης, ἐξῆγον πομπὴν ἐν ὅπλοις τῶν ἐν τῇ ἡλικίᾳ συχνῶν. *Festo publico extra Argivorum urbem celebrato, educebant pompam in armis frequentium adolescentum.* Sacra item deæ facta, Λεχέρνα dicta. Hesychius. Λεχέρνα, ὑπὸ Ἀργείων ἡ θυσία ἐπιτελουμένη τῇ Ἥρᾳ. *Lecherna ab Argivis sacrificium Junoni celebratum.* Immolabanturque boves centum; unde Ἑκατόμβαια quoque festo illi nomen datum. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. Τελεῖται κατὰ τὸ Ἄργος τὰ Ἥραια, ἃ καὶ Ἑκατόμβαια καλεῖται, παρὰ τὸ ἑκατὸν βοῦς θύεσθαι τῇ θεῷ. *Peraguntur in urbe Argo Junonia, quæ etiam Hecatombæa vocantur, quia centum boves immolantur Deæ.* Meminit alibi Hesychius in *Glossis*. Ἀγὼν χάλκειος. τὰ ἐν Ἄργει Ἑκατόμβαια. *Certamen æneum; Hecatombæa Argi.* Et hi boves pompam, quam dixi, antecedebant: ac deinde immolati, inter cives dividebantur: idque factum ab institutione Archini, regis Argivorum. Scholiastes idem, *loco citato.* Ἐν Ἄργει, ἐν τῷ Ἑκατομβαίῳ ἀγῶνι, χαλκὸς τὸ ἆθλον δίδοται. ὅτι Ἀρχῖνος, Ἀργείων γενόμενος βασιλεὺς, ὃς καὶ ἀγῶνα πρῶτος συνεστήσατο, ταχθεὶς ἐπὶ τῆς τῶν ὅπλων κατασκευῆς, ἀπὸ τούτων καὶ τὴν τῶν ἄθλων δόσιν ἐποιήσατο. Ἑκατόμβαια δὲ ὁ ἀγὼν λέγεται, ὅτι πομπῆς μεγάλης προηγοῦνται ἑκατὸν βόες· ὥς νόμος κρεανομεῖσθαι πᾶσι τοῖς πολίταις. *In Argo, in certamine Hecatombæo, æs præmium datur, quia Archinus, rex Argivorum, qui agonem quoque primus constituit, præfectus armorum fabricæ, ab his quoque præmiorum donationem fecit. Hecatombæa vero agon dicitur, quia quum pompa sit magna, antecedunt centum boves; quos lex jubet dare carnem omnibus civibus.* Alii Lynceum auctorem faciunt. Hyginus *Fab.* CCLXXIII. *Argis (ludos) fecit Lynceus, Ægypti filius, Junoni Argivæ, qui appellantur* Ἀσπισεναργῶες. *Quibus ludis qui vicit, accipit pro corona clypeum, ideo quod Abas, Lyncei & Hypermnestræ filius, nuntiavit parentibus, Danaum periisse. cui Lynceus de templo Junonis Argivæ detraxit clypeum, quem Danaus in juventa gesserat, & Junoni sacraverat, & Abanti filio muneri dedit. In his ludis qui semel vicit, & iterum descendit, ut nisi iterum vincat, sæpe descendat.* Sed corrupta initio verba sic restituo, *qui appellantur* Ἀσπὶς ἐξ Ἄργους, *Clypeus ex Argo* Etsi erret non parum ille Auctor, ut statim ostendam. Ecce autem, certamen quoque fuit; ut apparet ex proxime citatis Pindari Scholiastæ, & Hygini etiam, verbis; idque tale. Clypeus erat, quodam urbis loco valide affixus, adeo ut nisi difficillime avelli non posset; itaque inter se certantes, vires suas experiebantur: tentabantque, quonam modo eum avellerent. atque avellere potuisse, gloriosum valde erat. Colligere licet ex Proverbio, Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται. *Tanquam clypeum in Argo tollens gloriatur.* Tarrhæus in *Collectaneis*. Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται. οἱ μὲν ἱερὰν φασὶν εἶναι ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθηλωμένην, ὀχυρὰν, καὶ δυσκαθαίρετον. *Tanquam clypeum in Argo tollens gloriatur. Alii quidem sacrum dicunt in Argo clavis fixum, validum, & sublatu difficilem.* Corruptus hac de re Suidæ locus. Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν, ἐπὶ τῶν μεγαλοφρόνων. οἱ μὲν ἱερὰν φασὶν ἐν Ἄργει εἶναι ἀσπίδα καλουμένην, ὀχυρὰν, δυσκάθεκτον. *Tan-*

quam in Argo clypeum qui sustulit. In jactabundos. Alii quidem sacrum dicunt in Argo clypeum vocatum, robustum, & difficilem continendo. Rescribo, ἀσπίδα καθηλωμένην, ὀχυρὰν, *clypeum clavis fixum, robustum.* Habes quoque apud Zenobium *Cent.* VI. *Proverb.* LII. Ferebatur autem is clypeus Euippi regis esse. Lutatius *ad Theb.* II. *Euippus, rex Argivorum, miræ felicitatis fuit; cujus clypeum, qui apud Argos nobiliter rem gessisset, accipiebat; ut illo per urbem incedens honestaretur.* Locus vero in quo affixus clypeus ille, supra theatrum erat, munitus valde, & tantum non inaccessus; unde ὀχυρὰν dici τὴν ἀσπίδα est animadvertere in Tarrhæi, & Suidæ, verbis, quæ produxi. Ac diserte Plutarchus testatur in *Agide & Cleomene*, ubi de captis a Cleomene Argis agit. Νυκτὸς ἦγε πρὸς τὰ τείχη τὸ στράτευμα, καὶ τὸν περὶ τὴν ἀσπίδα τόπον καταλαβὼν, ὑπὲρ τοῦ θεάτρου, χαλεπὸν ὄντα, καὶ δυσπρόσοδον, οὕτω τοὺς ἀνθρώπους ἐξέπληξεν, ὥστε μηδένα τραπέσθαι πρὸς ἀλκὴν, ἀλλὰ καὶ φρουρὰν λαβεῖν, καὶ δοῦναι τῶν πολιτῶν ὁμήρους εἴκοσι. *Nocte duxit ad muros exercitum, & locum circa clypeum occupans, supra theatrum, arduum & difficilem accessu, ita homines perculit, ut nemo converteretur ad vires, sed & præsidium acciperent, & darent obsides civium viginti.* Meminitque mox iterum. Ἐκκόψας δὲ τὰς ὑπὸ τὴν Ἀσπίδα ψαλίδας, ἀνέβη, καὶ συνέμιξε τοῖς ἔνδον, ἔτι πρὸς τοὺς Ἀχαιοὺς ἀντέχουσι. *Excidens vero illas sub clypeo fornices, adscendit, & conflixit cum illis qui intus erant, adhuc sentientibus cum Achæis.* Ubi hoc simul observa; & nomen loco ea ex re Ἀσπὶς datum, & fornicibus subnixum fuisse. Ac de nomine, animadvertere est rursum apud eundem Plutarchum in *Vita Pyrrhi*, ubi itidem captos ab eo Argos tradit. Ἤδη δὲ διαλάμποντος, ἥτε Ἀσπὶς, ὅπλων περίπλεως πολεμίων ὀφθεῖσα, τὸν Πύῤῥον διετάραξε. *Jam vero quum lucesceret, & Clypeus, plenus armorum hostilium visus, Pyrrhum turbavit.* Et hic clypeus forma a cæteris differebat. Pausanias *Corinthiacis*. Ἔχει δὲ ἀσπίδας σχῆμα Ἀργολικὰς ἀπειργασμένας. *Habet vero clypeos forma Argolicos elaboratos.* Iterum in *Arcadicis*. Πρὸς δὲ ἀσπίσιν Ἀργολικαῖς χρῆσθαι, καὶ τοῖς δόρασι μεγάλοις. *Præterea clypeis Argolicis uti, & hastis longis.* Virgilius *Æneid.* III.

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis, instar.

Ælianus *lib.* III. *cap.* XXIV. Λέγεται οὖν ὁ τοῦ Γρύλλου τὴν μὲν ἀσπίδα Ἀργολικὴν ἔχειν, τὸν δὲ θώρακα Ἀττικόν. *Dicitur ergo Grylli filius clypeum quidem Argolicum habere, thoracem vero Atheniensem.* Porro certaminis hujus meminit etiam Inscriptio Vetus. ΙΣΘΜΙΑ. ΔΙΣ. ΝΕΜΕΑ. ΔΙΣ. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΣΤΗΣΑΣ. ΤΟΥΣ. ΑΝΤΑΓΩΝΙΣΤΑΣ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΑΣΠΙΔΑ. ΗΡΑΣ. *Isthmia bis, Nemea bis, secunda vice sistens adversarios, & clypeum Junonis.*

Item alia:

ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΥΣ
ΑΣΠΙΔΑ
ΤΡΙΣ.

Clypeum ex Argo ter.

Ex hoc, similive, loco animum induxit Hyginus, nomen certamini fuisse, Ἀσπὶς ἐξ Ἄργους, in citatis supra verbis; verum insigniter hallucinatus. Qui clypeum autem abstulisset, victoriæ præmium clypeum æneum, & coronam insuper myrteam, accipiebat. Scholiastes Pindari, *loco citato.* Τελεῖται κατὰ τὸ Ἄργος τὰ Ἡραῖα, ἃ καὶ Ἑκατόμβαια καλεῖται, παρὰ τὸ ἑκατὸν βοῦς θύεσθαι τῇ θεῷ. τὸ δὲ ἔπαθλον, ἀσπὶς χαλκῆ. ὁ δὲ στέφανος, ἐκ μυρσίνης. *Peraguntur in Argo Junonia, quæ etiam Hecatombæa vo-*

A *cantur, quia centum boves immolantur Deæ. Præmium vero clypeus æreus: corona autem ex myrto.* Inde nimirum est istud Pindari, *Oda illa* VII.

ὅ, τ' ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔ-
γνω μιν. ——
Et æs in urbe Argo
illum novit.

Erravit etiam hic Hyginus, qui, quasi corona data non esset, clypeum pro corona datum fuisse commemorat, cum inquit. *Quibus ludis qui vicit, accipit pro corona clypeum.* Ac oportebat, semel vi-
B ctorem iterum vincere. Hyginus docet, *loco citato. In his ludis qui semel vincit, & iterum descendit ad certamen; ut, nisi iterum vincat, sæpe descendat.* A victoriæ autem præmio, clypeo æneo, χάλκειος ἀγὼν, *æreum certamen*, dictum fuit a Poeta quodam hoc certamen. Itaque est in Hesychii *Glossis* locus paulo ante citatus. Ἀγὼν χάλκειος, τὰ ἐν Ἄργει Ἑκατόμβαια. *Certamen æreum, Hecatombæa Argi.* Ad Argivorum vero imitationem Æginetæ etiam, ipsorum coloni, celebrarunt. Schol. Pindari *Pyth.* Od. VIII. Ἥρας τ' ἀγῶν' ἐπιχώριον. Ὡς ἐν Αἰγίνῃ Ἡραίων, κατὰ μίμησιν τοῦ ἐν
C Ἄργει ἀγῶνος. ἄποικοι γὰρ Ἀργείων Αἰγινῆται. *Et Junonis agonem indigenam. Tanquam Junoniis in Ægina ex imitatione certaminis in Argo. Coloni enim Argivorum Æginetæ.* Etiam Samii. Polyænus *lib.* I. Πολυκράτης, μελλόντων Σαμίων ἐν τῷ ἱερῷ θυσίαν ποιεῖν τῆς Ἥρας πάνδημον, ἐν ᾗ μεθ' ὅπλων ἐπόμπευον, πλεῖστα ὅσα τῇ προφάσει τῆς ἑορτῆς ὅπλα συλλέξας, τοὺς μὲν ἀδελφοὺς Συλοσῶντος καὶ Πανταγνώστου, καὶ Πανταγνωστον σύμπομπεύειν ἔταξε. *Polycrates, quum Samii in templo facturi essent publicum sacrificium Junonis, in quo cum armis incedebant, plurimum quantum multa arma prætextu festi colligens, fratres quidem Sylosontis & Pantagno-*
D *sti, & Pantagnostum simul adesse pompæ jussit.* Ac pompa finita, sacra faciebant, positis ad aram armis. Polyænus *ibidem.* Μετὰ δὲ τὴν πομπὴν τῶν Σαμίων θύειν μελλόντων, οἱ πλεῖστοι τὰς πανοπλίας ἀπέθεντο παρὰ τοῖς βωμοῖς, προσέχοντες ταῖς εὐχαῖς. *Post pompam vero, quum Samii immolaturi essent, plurimi armaturas deponebant ad aras, attendentes precibus.* Celebrabant quoque Elei, apud quos matronæ sedecim quinto quoque anno peplum deæ pertexebant; item ludos faciebant, in quibus cursus certamen virginibus propositum, in classes pro ætate tributis. Ac primæ currere puellæ impube-
E res, inde quæ adultiores, postremæ omnium natu maximæ. Ornatæ omnes eodem modo, capillo passo, tunica ad genua usque demissa, dextroque humero ad pectus exerto. In stadium quoque Olympicum descendebant, sed curriculo sexta fere parte ipsis imminuto. Quæ victrices, coronam ex olea accipiebant, & partem e bove, Junoni immolata; pictasque iis imagines suas dedicare permissum erat. Præerant ludis matronæ sedecim, quibus ministræ totidem numero attributæ. Atque origo ad Hippodamiam referebatur; quæ Junoni, ut gratiam referret de nuptiis Pelopis, & certamen illud instituit, & mulieres item sedecim ei
F præfecit. Pausanias *Eliac.* I. Διὰ πέμπτου δὲ ὑφαίνουσιν ἔτους τῇ Ἥρᾳ πέπλον αἱ ἓξ καὶ δέκα γυναῖκες· αἱ δὲ αὐταὶ τιθέασι καὶ ἀγῶνα Ἡραῖα. ὁ δὲ ἀγών ἐστιν ἅμιλλα δρόμου παρθένοις, οὔτι που πάσαις ἡλικίας τῆς αὐτῆς. ἀλλὰ πρῶται μὲν αἱ νεώτεραι, μετὰ ταύτας δὲ αἱ τῇ ἡλικίᾳ δεύτεραι, τελευταῖαι δὲ θέουσιν ὅσαι πρεσβύταται τῶν παρθένων εἰσί· Θέουσι δὲ οὕτω· καθεῖταί σφισιν ἡ κόμη, χιτὼν ὀλίγον ὑπὲρ γόνατος καθήκει, τὸν ὦμον ἄχρι τοῦ στήθους φαίνουσι τὸν δεξιόν. ἀποδεδειγμένον μὲν δὴ ἐς τὸν ἀγῶνά ἐστι καὶ ταύταις τὸ Ὀλυμπικὸν στάδιον, ἀφαιροῦσι δὲ αὐταῖς ἐς τὸ

δρόμον τοῦ σταδίου τὸ ἕκτον μάλιστα. ταῖς τε νικώσαις ἐλαίας διδόασι στεφάνους, καὶ βοὸς μοῖραν τεθυμένης τῇ Ηρᾳ. καὶ δὴ ἀναθεῖναί σφισιν ἐστὶ γραψαμέναις εἰκόνας. εἰσὶ δὲ καὶ διακονούμεναι ταῖς ἑκκαίδεκα κατὰ ταυτὰ ταῖς ἀγωνοθετούσαις γυναῖκες. Επανάγουσι δὲ καὶ τὸν παρθένων τὸν ἀγῶνα ἐς τὰ ἀρχαῖα. Ιπποδάμειαν τῇ Ηρᾳ τῶν γάμων τοῦ Πέλοπος ἐκτίνουσαν χάριν, τάς τε ἑκκαίδεκα ἀθροῖσαι γυναῖκας λέγοντες, καὶ σὺν αὐταῖς διαθεῖναι πρώτην τὰ Ηραια. *Quinto autem anno texunt Junoni peplum mulieres sedecim. Hæ ipsæ etiam præsunt agoni Junoniis. Agon vero est certamen cursus virginibus, non utique omnibus ejusdem ætatis: sed primæ juniores, post has vero ætate secundæ, postremæ vero currunt puellæ maximæ natu. Currunt autem ita. Demittitur illis coma, tunica paulum super genua pervenit, humerum dextrum ostendunt usque ad pectus. Electum quidem ad certamen est etiam illis Olympicum stadium, sed secernunt illis ad cursum sextam maxime stadii partem: & victricibus præbent oleæ coronas, & partem bovis quæ mactatur Junoni. Quin etiam licet illis dedicare pingentibus imagines. Adsunt vero etiam inservientes illis sedecim fœminæ perinde ut agonothetis. Sed etiam referunt virginum certamen in archiva; dicentes Hippodamian Junoni solvere gratias ob nuptias Pelopis, & sedecim collegisse fœminas, & cum illis constituisse primam Junonia.* Quin Coi quoque; apud quos, ut & Argivos, dum sacra facerent, neque ingredi in templum servo licebat, neque quicquam ex apparatis gustare. Athenæus *lib.* IV. Φησὶ Μακαρεὺς ἐν τῇ τρίτῃ Κωακῶν, ὅτι, ὁπόταν τῇ Ηρᾳ θύωσιν οἱ Αργεῖοι, οὔτε εἴσεισιν εἰς τὸ ἱερὸν δοῦλος, οὔτε γεύεταί τινος τῶν παρεσκευασμένων. *Dicit Macareus in tertio rerum Coarum, quando sacrificant Junoni Argivi, nec servum intrare in templum, nec gustare quidquam eorum, quæ apparata sunt.* Iterum lib. XIV. Κῷοι δὲ τοὐναντίον δρῶσιν, ὡς ἱστορεῖ Μακαρεὺς ἐν τρίτῳ Κωακῶν. ὅταν γὰρ τῇ Ηρᾳ θύωσιν, δοῦλοι οὐ παραγίνονται ἐπὶ τὴν εὐωχίαν. *Coi vero contra agunt, ut memorat Macareus in tertio Coarum rerum; nam quando sacrificant Junoni, servi non adsunt ad epulas.* Etiam Corinthii; sed lugubre apud ipsos festum erat, a Medea institutum liberorum suorum honori. Ipsa in cognomine *fabula* apud Euripidem, sub finem dramatis.

—— σφᾶς τῇδ' ἐγὼ θάψω χερὶ,
Φέρουσ' ἐς Ηρας τέμενος Ακραίας θεοῦ,
Ως μή τις αὐτοὺς πολεμίων καθυβρίζῃ,
Τύμβους ἀνασπῶν· γῇ δὲ τῇδε Σισύφου
Σεμνὴν ἑορτὴν, καὶ τέλη, προσάψομαι
Τολοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φόνου.
—— Illos hac ego sepeliam manu,
Portans in Junonis templum Acrææ Deæ,
Ut ne quis hostium illis insultet,
Sepulchra diruens: terræ vero huic Sisyphi
Venerabile festum, & vectigalia adjungam
In futurum propter hanc nefariam cædem.

Ubi Scholiastes. Ηραια, πένθιμος ἑορτὴ παρὰ Κορινθίοις. *Heræa, Junonia, lugubre festum apud Corinthios.* Dicebatur vero Juno hæc cognomento Ακραῖα, & immolabant illi capram. Zenobius *Cent.* I. *Proverb.* XXVII. Κορίνθιοι θυσίαν τελοῦντες Ηρᾳ ἐνιαύσιον, τῇ ὑπὸ Μηδείας ἱδρυνθείσῃ, καὶ Ακραίᾳ καλουμένῃ, αἶγα τῇ θεῷ ἔθυον. *Corinthii annuum sacrificium Junoni peragentes, quæ ab Medea collocata est, & vocatum Acræa, capram immolabant Deæ.* Observare quoque est apud Hesychium, Diogenianum, Apostolium, Suidam. Injectum autem deæ simulacro amiculum, Πάτος dictum. Hesychius. Πάτος. ἡ πεπατημένη, καὶ λεωφόρος ὁδός. καὶ ἔνδυμα τῆς Ηρας. *Patos; calcata & publica via; & amiculum Junonis.*

ΗΡΑΚΛΕΙΑ.

Herculis erant. Theodoretus *Therapeut.* VII. Απεκλήρωσε πανηγύρεις ἑκάστῳ τῶν δαιμόνων, ἐκ τῆς προσηγορίας ὀνομάσας τὴν ἑορτήν. Ερμαια, καὶ Κρόνια, καὶ Ποσειδώνια, καὶ Ηράκλεια. *Sortito distinxit conventuum solennitates unicuique dæmonum, ex appellatione nominans festum; Mercurialia, & Saturnalia, & Neptunalia, & Heraclea.* Demosthenes in *Orat.* Περὶ παραπρεσβ. Τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν, καὶ τὰ Ηράκλεια ἐν ἄστει θύειν. *Piræeum munire, & Heraclea in urbe celebrare.* Celebrabant autem Athenienses quinto quoque anno; ut est observare apud Pollucem, *lib.* VIII. *c.* XI. *sect.* XXVI. ubi περὶ ἱεροποιῶν agit. Δέκα ὄντες οὗτοι, ἔθυον θυσίας τὰς πενταετηρίδας· τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ηρακλείων. *Hi decem numero sacrificabant sacrificia quinquennalia; Delo, Braurone, Heracleorum.* Ita locum illum emendo, hodie corruptum; neque enim recte editur, τ. τῶν Ηρακλειδῶν, *illam Heraclidarum.* Nam Heraclidarum nullum festum, aut sacrum, erat. Festum ejus quoque erat actum a Diomensibus, Atticæ populo. Aristophanes *Ranis.*

—— ἀλλ' ἐφρόντισα,
Οπόθ' Ηράκλεια τἀν Διομείοις γίνεται.
—— Sed procuravi,
Quando Heraclea in Diomeis fiunt.

Nam templum illic Herculi fuisse, disces ex Athenæo *lib.* VI. Τοῖς Αθήνησιν εἰς τὸ Διομειῶν Ηράκλειον ἀθροιζομένοις, τοῖς τὰ γελοῖα λέγουσιν, ἀπέστειλεν ἱκανὸν κερμάτιον. *Qui Athenis in Diomeiensium Herculis fanum congregatis, ridicula loquentibus, misit non exiguam pecuniam.* Ita scribendum illic, non Διομέων. Ac corruptus gravius alter ejusdem locus *lib.* XIV. Εν γοῦν τῷ Διομείῳ, ἢ Ηρακλείῳ, συνελέγοντο, ἑξήκοντα ὄντες τὸν ἀριθμόν. *Igitur in Diomeo, aut Herculis templo congregabantur, sexaginta omnes numero.* Atque hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Porro etiam a Melitensibus, altero Atticæ populo colebatur, cognomento Αλεξικάκη. Hesych. innuit. Καλεῖται ὁ ἐν Μελίτῃ Ηρακλῆς, Αλεξίκακος. *Vocatur in Melita Hercules, malorum depulsor.* Sacra autem ei pomis factitata, unde & Μήλων cognominatus. Idem Hesychius alibi docet. Μήλων. Ηρακλῆς. ὀνομασθῆναι φασὶ τὸν θεὸν οὕτως, διὰ τὸ μὴ ἱερεῖα θύειν αὐτῷ τοὺς Μελιτεῖς, ἀλλὰ τὸν καρπὸν τὰ μῆλα. *Melon, Hercules. nominatum esse Deum ita dicunt, quia non victimas immolant illi Melitenses, sed fructum mala.* Celebrabant quoque Thisbitæ in Bœotia. Pausan. in *Bœoticis*, ubi de iis. Ηρακλέους δὲ ἱερὸν, καὶ ἄγαλμα ὀρθὸν ἐνταῦθά ἐστι λίθου. καὶ Ηράκλεια ἑορτὴν ἄγουσι. *Herculis vero templum & simulacrum rectum ibi est lapidis; & Heraclea festum agunt.* Item Thebani; qui Ιολάϊα etiam festum indigetabant. Schol. Pindari *Olymp.* Od. VII. Εν δὲ Θήβαις, τὰ Ηράκλεια. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Ιολάϊα καλεῖται. *Sed Thebis Heraclea; hæc ipsa etiam Iolaia vocantur.* Iterum *Isthm.* Od. I. Εν μὲν Θήβαις, Ιολάϊα, ἢ Ηράκλεια. *Thebis quidem Iolaia, vel Heraclea.* Immo eodem, quo Melitenses, modo etiam eos sacra agitasse tradit Pollux *l.* I. *c.* I. *sect.* XXVII. Ubi rem, & causam, enarrat; nam antea quidem arietem ipsi immolabant. Ecce verba. Καὶ μῆλα θύουσι περὶ Βοιωτίαν Ηρακλεῖ. λέγω δὲ οὐ τὰ πρόβατα, τῇ ποιητικῇ φωνῇ, ἀλλὰ τὰ ἀκρόδρυα, ἐκ τοιᾶσδε αἰτίας. ἐνεστήκει μὲν γὰρ ἡ πανήγυρις τοῦ θεοῦ, καὶ κατήπειγε τοῦ θύειν ὁ καιρός. τὸ δὲ ἱερεῖον ἄρα, κριὸς ἦν. καὶ οἱ μὲν ἄγοντες, ἄκοντες ἐβράδυνον. ὁ γὰρ Ασωπὸς ποταμὸς οὐκ ἦν διαβατὸς, μέγας ἄφνω ῥυείς. οἱ δ' ἀμφὶ τὸ ἱερεῖον παῖδες ὁμοῦ παίζοντες, ἀπεπλήρουν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον. λαβόντες γὰρ μῆλον ὡραῖον, κάρφη μὲν αὐτῷ ὑπέθεσαν τέτταρα, ὅθεν τοὺς πόδας. δύο δὲ ἐπέθεσαν ἅμα. τὰ δ' ἦν τὰ κέρατα. καὶ κατὰ τοὺς

ποιητὰς ἀποθύειν ἔφασαν τὸ μῆλον, ὡς πρόβατον. ἡσθῆναί τε λέγεται τῇ θυσίᾳ τὸν Ἡρακλέα, καὶ μέχρι τοῦδε παραμένειν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον. καὶ καλεῖται παρὰ τοῖς Θηβαίοις, καὶ τοῖς Βοιωτοῖς, Μήλων ὁ Ἡρακλῆς, ὄνομα ἐκ τοῦ τρόπου τῆς θυσίας λαβών. *Et mala immolant circa Bœotiam Herculi. Dico autem non oves, vocabulo poetico, sed fruges arboreas, ex hac causa. Aderat enim quidem solennitas Dei, & urgebat sacrificandi tempus. Hostia autem erat aries, sed qui ducebant, inviti tergiversabantur. Nam Asopus fluvius transiri nequibat, repente magnus fluens. Famuli vero circa sacrificium prima ætate simul ludentes impleverunt sacrificii ritum. Nam sumentes formosum malum, parva ligna quidem ei quatuor supposuerunt, scilicet pedes; simul autem imposuerunt duo, loco cornuum; & juxta poetas dixerunt se immolare* ΜΗΛΟΝ, *tanquam ovem. Diciturque Herculem lætatum fuisse hoc sacrificio, & huc usque permanere legem sacrificii. Et vocatur ab Thebanis & Bœotis Melon Hercules, accepto nomine ex modo sacrificandi.* Meminit Herculis apud Thebanos festi etiam Antoninus Liberalis *Metamorph.* XXIX. Ταῦτα νῦν ἔτι τὰ ἱερὰ φυλάττουσι Θηβαῖοι, καὶ πρὸ Ἡρακλέους ἑορτῇ θύουσι Γαλινθιάδι πρώτῃ. *Hæc nunc quoque sacra servant Thebani, & ante Herculem festo immolant Galinthiadi primæ.* Celebrabant quoque Sicyonii, idque biduo; ac primum diem Ὀνομάταν, posteriorem Ἡράκλειαν appellabant. Pausanias *Corinthiacis*. Καὶ νῦν ἔτι ἄρνα οἱ Σικυώνιοι σφάξαντες, καὶ τοὺς μηροὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καύσαντες, τὰ μὲν ἐσθίουσιν ὡς ἀπὸ ἱερείου, τὰ δὲ ὡς ἥρωι τῶν κρεῶν ἐναγίζουσι. τῆς ἑορτῆς δὲ, ἣν ἄγουσι τῷ Ἡρακλεῖ, τὴν προτέραν τῶν ἡμερῶν Ὀνομάταν ὀνομάζοντες, Ἡράκλειαν δὲ καλοῦσι τὴν ὑστέραν. *Et nunc quoque agnum Sicyonii mactantes, & femora in ara cremantes, alia quidem comedunt ut ab hostia, alia vero ut heroi carnium consecrant. Festi autem, quod celebrant Herculi, primam diem nominant Onomatan, Heraclean vero vocant posteram.* Etiam Ambraciotæ. Antoninus Liberalis *Metamorph.* IV. Ἀμβρακιῶται δὲ Ἀπόλλωνι μὲν Σωτῆρι θύουσι, τὴν δὲ πόλιν Ἡρακλέους, καὶ τῶν ἐκείνου παίδων, νενομίκασι. Κραγαλεῖ δὲ μετὰ τὴν ἑορτὴν Ἡρακλέους ἔντομα θύουσιν ἄχρι νῦν. *Ambraciotæ autem Apollini*

A *quidem Servatori immolant, urbem vero Herculis & filiorum ejus existimant. Cragaleo autem post festum Herculis exta immolant hodieque.* Item Lindii; sed, diverso a cæteris ritu, per maledicta, & execrationem. Lactantius *lib.* I. *c.* XIX. *Apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt; quorum a cæteris longe diversus est ritus. siquidem non* εὐφημίᾳ, *ut Græci appellant, sed maledictis, & execratione celebrantur; eaque pro violatis habent, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum.* Cujus rei rationem habes ibidem, in verbis sequentibus. Etiam Coi Antimachiæ; ubi sacerdos mitra redimitus, ac veste mu-
B liebri amictus, sacra faciebat. Plutarchus in *Quæst. Græcis*. Παρὰ Κῴοις ὁ τοῦ Ἡρακλέους ἱερεὺς ἐν Ἀντιμαχίᾳ γυναικείαν ἐνδεδυμένος ἐσθῆτα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀναδούμενος μίτρᾳ, κατάρχεται τῆς θυσίας. *Apud Coos Herculis sacerdos in Antimachia muliebrem indutus vestem, & caput religatus mitra, præest sacro.*

ΗΡΩΙΣ.

Delphis celebrabatur, nono quoque anno. Plutarchus in *Quæst. Græcis*. Τρεῖς ἄγουσι Δελφοὶ ἐνναετηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς· ὧν τὴν μὲν Σεπτήριον καλοῦσι, τὴν δ' Ἡρωΐδα, τὴν δὲ Χαρίλαν. *Delphi celebrant tres
C solennitates novennales junctim & continenter; quarum unam quidem vocant Septerion, alteram Heroida, tertiam Charilan.*

ΗΦΑΙΣΤΕΙΑ.

Vulcano dedicata. Xenophon *De Rep. Atheniensium*. Πρὸς δὲ τούτοις, χορηγοῖς διαδικάσαι εἰς Διονύσια, καὶ Θαργήλια, καὶ Παναθήναια, καὶ Προμήθεια, καὶ Ἡφαίστεια, ὅσα ἔτη. *Adhæc vero choragis litem intendere ad Bacchanalia, & Thargelia, & Panathenæa, & Promethea, & Vulcanalia, singulis an-
D nis.* Corruptus locus in *Excerptis* Glossarum Græco-Lat. *Neptunalia*, Ἐφέσια. Rescribe, *N.* Ἡφαίστεια. Et erat tunc lampadum certamen, de quo vide infra in Λαμπάς.

JOANNIS MEURSII
GRÆCIÆ FERIATÆ,
SIVE
DE FESTIS GRÆCORUM,
LIBER IV.

ΘΑΛΥΣΙΑ.

CERERI, diisque cæteris, agitata post comportatas fruges, quasi in gratiarum actionem, propter ejus anni fertilitatem. Etymologici Auctor. Θαλύσια, ὑπὲρ εὐθαλίας, καὶ εὐφορίας τῶν καρπῶν διδομένας θυσίας μετὰ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν τοῖς τε ἄλλοις θεοῖς, καὶ τῇ Δήμητρι. *Thalysia propter fertilitatem & bonum proventum fructuum dato sacrifi-
E cio post collectionem frugum tum aliis Diis, tum Cereri.* Totidem verbis habes apud Scholiasten Homeri *Iliad. ι.* Menander Rhetor *cap.* Περὶ λαλιᾶς. Τῶν λόγων τὰς ἀπαρχὰς ἀνατιθεὶς τῇ πατρίδι, καὶ τοῖς πολίταις, ὥσπερ τῇ Δήμητρι, καὶ τῷ Διονύσῳ, οἱ γεωργοὶ τὰ Θαλύσια. *Verborum primitias consecrans patriæ & civibus, sicut Cereri & Baccho Thalysia Agricolæ.* Ubi observa; non minus Baccho, quam Cereri, celebrata: nam Veteres etiam ad hunc

deum arationem, ſationemque, referebant. Diodorus Siculus *lib.* III. Καὶ ἀρότυ, (ita lego, non, ἀρόξυ) καὶ σπόρυ, πολλοὶ τ̃ θεὸν (τ̃ Διόνυσον) ἀρχηγὸν γεγονέναι νομίζυσι. *Et arationis & ſementis multi Deum (Bacchum) exiſtimant fuiſſe primarium auctorem.* Atque hinc eſt, quod cum Cerere eum quoque conjungit Virgilius *Georgic.* I.

Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

ΘΑΝΑΤΟΥΣΙΑ.

Cum certamine celebrata. Lucianus *Veræ Hiſt.* lib. II. Προϊόντος δὲ τῦ χρόνυ, ἐνέςη ὁ ἀγὼν, τὰ παρ' ἀυτοῖς Θανατύσια. *Progreſſo autem tempore aderat certamen apud illos Mortualia.*

ΘΑΡΓΗΛΙΑ.

Athenienſes celebrabant. Etymologici Auctor. Θαργήλια. ἑορτὴ Ἀθήνησι. ὀνομάζεται ἀπὸ τ̃ θαργηλίων, θαργήλια δέ εἰσι πάντες οἱ ἀπὸ γῆς καρποί. *Thargelia; feſtum Athenis; nominatur ab vocabulo thargeliorum; quo notantur omnes ab terra fructus.* Ubi vides originem nominis. Sacra autem erant Apollini, & Dianæ. Suidas. Θαργήλια, ἑορτὴ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀρτέμιδος. *Thargelia, feſtum Apollinis & Dianæ.* Ac fiebant menſe, qui Θαργηλιὼν inde appellabatur. Etymologici Auctor. Ἄγεται δὲ μηνὶ Θαργηλιῶνι, Ἀρτέμιδος, καὶ Ἀπόλλωνος. *Celebratur autem menſe Thargelione, Dianæ & Apollinis.* Apollinem autem hunc ſcito τ̃ Δήλιον cognomento. Obſervare eſt apud Athenæum, ubi de eo agit, *lib.* X. Ὁ δὲ Ἀπόλλων ὗτός ἐςιν, ᾧ τὰ Θαργήλια ἄγυσι. *Apollo autem is eſt, cui Thargelia celebrant.* Alii tradunt, Soli, qui idem cum Apolline, & Horis, celebrata. Scholiaſtes Ariſtophanis *Equitibus*. Πυανεψίοις, καὶ Θαργηλίοις, Ἡλίῳ καὶ Ὥραις ἑορτάζυσιν Ἀθηναῖοι. φέρυσι δὲ οἵ τε παῖδες θαλλὺς, ἐρίοις περιειλημένυς, ὅθεν εἰρεσιῶναι λέγονται. *Pyanepſiis & Thargeliis Soli & Horis feriantur Athenienſes; ferunt autem pueri ramos lanis circumvolutos, unde eireſionæ dicuntur.* Et obſerva, ramos oleaginos, lana obvolutos, circumferri tunc ſolitos, quos Εἰρεσιῶνας appellarint. Dependebant autem ex eo ramo panis, cotyla, ficus, aliique fructus omnes. Qua de re vide infra, ubi de Pyanepſiis ago. Atque hæc eſt pompa, de qua Porphyrius, Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων *lib.* II. Οἷς μαρτυρεῖν ἔοικε καὶ ἡ Ἀθήνησιν ἔτι καὶ νῦν δρωμένη πομπὴ Ἡλίυ τε καὶ Ὡρῶν. πομπεύει γὰρ εἰλὺς, πόα, ἄγρωσις, ἐπὶ πυρίνων ἡγηπρίας, ὄσπρεια, δρῦς, μιμαίκυλα, κριθαὶ, πυροὶ, παλάθη, ἡγήτρια ἀλεύρων πυρίνων καὶ κριθίνων, *ὀρθοςάδη, χύτρος. *His teſtari videtur etiam Athenis pompa, quæ nunc quoque fit, Solis & Horarum. In ea enim pompa transfertur limus, herba, gramen, & in frumenticiis, maſſa ficuum, legumina, quercus, arbuti baccæ, hordeum, ſegetes, denſatæ ficus, primitiæ farinæ frumenti ac hordei, panis ſacri olla.* Feſto biduum imputatum; ſexta nempe, & ſeptima, menſis Thargelionis. De ſexta nemo diſerte dicit, quod quidem memini; ſed eſt obſervare tamen. Nam ecce, urbem tunc luſtrabant; duoſque viros extra urbem educebant: quorum ille maſculinum, iſte fœmininum ſexum expiaret. Harpocration in Φαρμακός. Δύο ἄνδρας Ἀθήνησιν ἐξῆγον, καθάρσια ἐσομένυς τῆς πόλεως, ἐν Θαργηλίοις· ἕνα μὲν, ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν· ἕνα δὲ, ὑπὲρ τῶν γυναικῶν. *Duos viros Athenis educebant futuros piacula urbis per Thargelia; alterum quidem pro viris; alterum vero pro fœminis.* Et hæc luſtratio facta menſis dicti die ſexto. Clare docet Diogenes Laertius in *Socrate*, lib II. Θαργηλιῶνος ἕκτη, ὅτε καθαίρυσι τὴν πόλιν οἱ Ἀθηναῖοι. *Thargelionis ſexta*

**Cur omittit φθοῖς & Porphyrio ibi additos & ſatis notos?*

A *die, quando expiant urbem Athenienſes.* Ergo Thargelia neceſſario celebrata Thargelionis die ſexto. De altero die, ſeptimo nimirum, locus unus eſt Plutarchi, Caſtellano etiam obſervatus, *Symp.* lib. VIII. Quæſt. I. Ὁ δὲ Φλῶρος ὐδὲ Καρνεάδην ἀπαξιῶν ἔφη μνήμης ἐν τοῖς Πλάτωνος γενεθλίοις, ἄνδρα τῆς Ἀκαδημίας εὐκλεέςατον ὀργιαςήν. Ἀπόλλωνος γὰρ ἀμφοτέρυς ἑορτῇ γενέσθαι, τὸν μὲν γὰρ Θαργηλίοις Ἀθήνησι, τὸν δὲ Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων. ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζυσι. *Florus vero neque Carneadem dixit judicare indignum memoria in Platonis nataliciis, virum Academiæ glorioſiſſimum fanaticum: Apollinis enim feſto utroſque genitos; hunc quidem*
B *per Thargelia Athenis, illum vero Carnea Cyrenenſibus celebrantibus: ſeptima autem feſtum utrumque colunt.* Dixi initio, luſtrari tunc urbem viris duobus conſueviſſe; atque hi quidem Φαρμακοὶ dicebantur, ut eſt videre apud Harpocrationem in Φαρμακὸς, alioſque Grammaticos. Etiam Σύμβακχοι nuncupati. Helladius *Chreſtomathiæ* lib. III. apud Photium in Bibliotheca. Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις φαρμακὺς ἄγειν δύο· τὸν μὲν, ὑπὲρ ἀνδρῶν· τὸν δὲ, ὑπὲρ γυναικῶν. καὶ ὁ μὲν τῶν ἀνδρῶν, μέλαινας ἰσχάδας περὶ τὸν τράχηλον εἶχε. λευκὰς δ', ἅτερος. Σύμβακχοι δὲ, φησιν, ὠνομάζοντο. *Mos erat Athenis expiato-*
C *res ducere duos; hunc quidem pro viris; illum vero pro fœminis. Et iſte quidem virorum, nigras ficus circa collum habet; albas vero alter: vocabantur autem, ait, Symbacchi.* Alii non viros duos; ſed virum, & fœminam, tradunt: utrumque pro ſuo ſexu. Heſychius. Φαρμακοὶ, καθαρτήριοι, περικαθαίροντες τὰς πόλεις, ἀνὴρ καὶ γυνή. *Expiatores, purgatores, circumluſtrantes urbes, vir & fœmina.* Et alebantur hi quidem de publico in illam rem. Suidas. Φαρμακὺς, τὺς δημοσίᾳ τρεφομένυς, οἳ ἐκάθαιρον τὰς πόλεις τῷ ἑαυτῶν φόνῳ. *Pharmacos, publice nutritos, qui expurgabant urbes ſuas ipſorum cæde.* Ritus vero luſtrationis univerſus iſte erat. Immolan-
D dis e collo caricæ ſuſpendebantur; nigræ, illi qui pro viris; albæ, qui pro fœminis eſſet. Videre eſt in Helladii *verbis* jam *citatis*. Καὶ ὁ μὲν τῶν ἀνδρῶν, μέλαινας ἰσχάδας περὶ τὸν τράχηλον εἶχε· λευκὰς δ', ἅτερος. *Et alter quidem virorum habebat nigras caricas circa collum; alter vero albas.* Præterea in manus dabant caſeum, mazam, & caricas; deinde ſepties colaphis, ſcillis, ficubuſque agreſtibus, & aliis ejuſmodi verberantes; igne cremabant, ex lignis infelicibus exſtructo, cinereſque in mare ſpargebant. Joannes Tzetzes *Chil.* V. *cap.* XXV.

Ὁ φαρμακὸς, τὸ κάθαρμα, τοιῦτον ἦν τὸ πάλαι.
Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνίᾳ,
E Εἴτ' ὖν λοιμὸς, εἴ τε λιμὸς, εἴ τε καὶ βλάβος ἄλλο,
Τὸν πάντων ἀμορφότερον ἦγον ὡς πρὸς θυσίαν,
Εἰς καθαρμὸν, καὶ φάρμακον, πόλεως τῆς νοσύσης.
Εἰς τόπον δὲ τὸν πρόσφορον ςήσαντες τὴν θυσίαν,
Τυρόν τε δόντες τῇ χειρὶ, καὶ μάζαν, καὶ ἰσχάδας,
Ἑπτάκις γὰρ ῥαπίσαντες ἐκεῖνον εἰς τὸ τότε
Σκίλλαις, συκαῖς ἀγρίαις τε, καὶ ἄλλοις τ̃ ἀγρίων,
Τέλος πυρὶ κατέκαιον ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
Καὶ τ̃ σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρραινον εἰς ἀνέμυς,
Εἰς καθαρμὸν τ̃ πόλεως, ὡς ἔφην, τῆς νοσύσης.
Pharmacus, purgamentum, tale erat quondam.
Si caſus occupet civitatem ira Deum,
F *Sive ergo peſtis, ſeu fames, ſive alia noxia,*
Omnium deformiſſimum ducebant ad immolandum,
Ut purgationem & medicinam civitatis ægrotantis.
Ad locum vero commodum ſiſtentes victimam,
Caſeumque dantes manu, & pultem, & ficos,
Septies etiam verberantes eum illo tempore
Scillis, ficubuſque ſilveſtribus, & ſilveſtribus aliis,
Tandem igne comburebant in lignis ſilveſtribus,
Cineremque in mare ſpargebant ad ventos,
Ad luſtrationem civitatis, ut dixi, ægrotantis.

Quæ

Quæ ille omnia collegit ex variis Hipponactis locis, quæ ibi repræsentat. De caricis, maza, & caseo, sunt isti ejus versus.

Δεῖ δ' αὐτὸν εἰς τε φαρμακὸν ἐκποιήσασθαι,
Χ' ἀφῇ παρέξειν ἰχάδας τε καὶ μᾶζαν,
Καὶ τυρὸν, οἷον ἐσθίουσι φαρμακοί.
Πάλαι γὰρ αὐτοὺς προσδέχουσι χάσκοντες,
Κράδας ἔχοντες, ὡς ἔχουσι φαρμακοί.
Oportet vero eum ad pharmacum emancipare,
Et tactu præbere ficus & pultem.
Et Caseum, quali vescuntur pharmaci.
Diu enim illos expectant hiantes,
Ramos ficuum habentes, prout habent pharmaci.

De colaphis, scillis, & ficubus, ecce isti.
Βάλλοντες ἐν χειμῶνι, καὶ ῥαπίζοντες,
Κράδῃσι, καὶ σκίλλῃσιν, ὥσπερ φαρμακοί.
Jactantes in hieme, & verberantes.
Ramis, & scillis, tanquam pharmaci.
Et rursus de ficubus.
Πόλιν καθαίρειν, καὶ κράδῃσι βάλλεσθαι.
Urbem purgare, & ramis ficuum cædi.

A ficubus autem, quibus inter alia ὁ φαρμακὸς petebatur etiam Κραδησίτης appellatus fuit. Hesych. Κραδησίτης, φαρμακὸς, ὁ ταῖς κράδαις βαλλόμενος. *Cradesites, pharmacus, qui ramis ficuum cæditur.* Præterea veste ornatiore induti producebantur. Suidas *in* Καθάραι. Ὑπὲρ δὲ καθαρμοῦ πόλεως ἀνῄρουν ἐστολισμένον τινὰ, ὃν ἐκάλουν κάθαρμα. *Pro purgatione autem urbis occidebant subornatum quendam, quem vocabant purgamentum.* Ubi observare licet, etiam Καθάρματα appellatos ejusmodi homines. Sic est in *citato* Tzetzæ *versu:*

Ὁ φαρμακὸς, τὸ κάθαρμα, τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι.
Pharmacus, purgamentum, tale erat quondam.

Ac deducebantur ad tibiæ cantum, cujus modulus Κραδίης νόμος dicebatur. Hesych. Κραδίης νόμος. νόμον τινὰ ἐπαυλοῦσι τοῖς ἐκπεμπομένοις φαρμακοῖς. *Cordis cantilena: cantilenam quandam tibia accinunt pharmacis qui emittuntur.* Quin olla quoque illis parabatur, Φαρμακὴ appellata. Idem Hesych. alibi. Φαρμακὴ, ἡ χύτρα, ἣν ἡτοίμαζον τοῖς καθαίρουσι τὰς πόλεις. *Pharmace, olla, quam parabant purgantibus civitates.* Dicti autem Φαρμακοὶ homines isti a Pharmaco quodam, qui furatus sacras Apollinis phialas, cum deprehensus esset ab Achille, lapidibus obrutus, commissum crimen morte luit. Ejusque rei hic τῶν φαρμακῶν occidendorum in Thargeliorum festo ritus imitatio quædam erat. Docet Auctor Etymologici, *in* Φαρμακός. Ὁ Φαρμακὸς, ἱερὰς φιάλας τοῦ Ἀπόλλωνος κλέψας, ἁλοὺς ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ἀχιλλέα, κατελεύσθη. καὶ τὰ τοῖς Θαργηλίοις ἀγόμενα, τούτων ἀπομιμήματά ἐστιν. *Pharmacus, sacras pateras Apollinis quum furatus esset, convictus ab Achille, lapidatus fuit: & ea quæ Thargeliis aguntur, horum sunt imitamenta.* Et Harpocration in *eadem dictione.* Ὅτι δὲ ὄνομα κύριόν ἐστιν ὁ Φαρμακὸς, ἱερὰς δὲ φιάλας Ἀπόλλωνος κλέψας, καὶ ἁλοὺς ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Ἀχιλλέα κατελεύσθη, καὶ τὰ τοῖς Θαργηλίοις ἀγόμενα, τούτων ἀπομιμήματά ἐστιν, Ἴστρος ἐν πρώτῳ τῶν Ἀπόλλωνος ἐπιφανειῶν εἴρηκεν. *Esse vero nomen proprium Pharmacum, & sacras Apollinis pateras furatum, & convictum ab Achille lapidatum esse, & ea quæ Thargeliis aguntur, horum imitamenta esse, Ister in primo præsentiarum Apollinis dixit.* Præterea chorum etiam virilem exhibebant. Lysias in ea Oratione, quæ inscribitur, Ἀπολογία δωροδοκίας, Καὶ τρίτῳ μηνὶ Θαργηλίοις νικήσας ἀνδρικῷ χορῷ, (ἀνήλωσα) δισχιλίας δραχμάς. *Et mense tertio Thargeliis vincens virili choro, (impendi) duo millia drachmarum.* Etiam circularem; quique eo victor esset, tripodem dedicabat in æde Apollinis, a Pisistrato ædificatæ. Suidas. Πύθιον,

A ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν, ὑπὸ Πεισιστράτου γεγονὸς, εἰς ὃ τοὺς τρίποδας ἐτίθεσαν οἱ τῷ κυκλίῳ χορῷ νικήσαντες τὰ Θαργήλια. *Pythium, templum Apollinis Athenis, ab Pisistrato exstructum, in quo tripodas ponebant illi qui per Thargelia vicerant choro circulari.* Quin liberos quoque adoptivos per hoc festum moris erat curiæ offerre; cum naturales Apaturiis offerrent, ut supra in illo festo ostendi. Animadverto apud Isæum in *Orat.* Ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου. Καὶ ἐπειδὴ Θαργήλια ἦν, ἤγαγέ με ἐπὶ τοὺς βωμοὺς εἰς τοὺς γεννήτας τε καὶ φράτορας. *Et quum Thargelia essent, duxit me ad aras ad gentiles & curiales.* Loquitur ibi de Thrasyllo, quem Apollodorus adoptaverat. Hoc vero festo binæ tribus

B impensarum præbitorem unum habebant. Ulpianus *in Orat.* πρὸς Λεπτίνην. Ἐν τοῖς Θαργηλίοις δυοῖν φυλαῖν εἷς μόνος καθίστατο χορηγός. *Thargeliis ex duabus tribubus unus solus constituebatur præbitor.* Porro neque pignus tunc capere, neque quicquam, quod alterius esset, licebat. si quis contra admisisset, injuriam passo adversus eum actio erat in conventu, qui in æde Bacchi habebatur. Demosthenes in *Midiana.* Καὶ Θαργηλίων τῇ πομπῇ, καὶ τῷ ἀγῶνι, μὴ ἐξεῖναι μήτε ἐνεχυράσαι, μήτε λαμβάνειν ἕτερον ἑτέρου, μηδὲ τῶν ὑπερημέρων, ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. ἐὰν δέ τι τούτων παραβαίνῃ τις, ὑπόδι-

C κος ἔσω τῷ παθόντι, καὶ προβολαὶ κατ' αὐτοῦ ἔσωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τῇ ἐν Διονύσου, ὡς ἀδικοῦντος. *Et Thargeliorum pompa ac certamine non licere neque pignus capere neque prehendere alterum alterius, nec quorum dies jam cessisset, in illis diebus. Quod si horum aliquid quis transgrederetur, noxæ reus sit illi, qui id passus fuerit, & actiones contra eum fiant in concione, quæ in Bacchi templo, ut qui injuriam dederit.* Idque observatum a se affirmat Antiphon in *Orat.* Περὶ χορευτοῦ. Ἐπειδὴ χορηγὸς κατεστάθην εἰς Θαργήλια, τὸν χορὸν συνέλεξα ὡς ἐδυνάμην ἄριστα, οὔτε ζημιώσας οὐδένα, οὔτε ἐνέχυρα βίᾳ φέρων, οὔτ' ἀ-

D πεχθανόμενος οὐδενί. *Postquam præbitor constitutus fui ad Thargelia, chorum collegi ut potui optime, neque mulctans quenquam, neque pignora per vim auferens, neque infestus cuiquam.* Celebrabant porro etiam festum hoc Milesii. Hesychius. Θαργήλια, ἑορτὴ καὶ παρὰ Μιλησίοις ἀγομένη. *Thargelia, festum quoque apud Milesios actum.* Et quidem multo cum vino, aliarumque rerum pretiosarum impensa. Clare videre licet apud Parthenium *Erotic.* IX. Τοῖς Μιλησίοις ἑορτὴ μετὰ τρίτην ἡμέραν Θαργήλια ἐπῄει, ἐν ᾗ πολύν τε ἄκρατον εἰσφοροῦνται, καὶ τὰ πλείστου ἄξια καταναλίσκουσι. *Milesiis festum post diem tertium Thargelia aderat, in quo & multum meri absorbent, & pretiosissima impendunt.*

E

ΘΑΥΛΙΑ.

Tarentini celebrabant. Hesychius. Θαύλια, ἑορτὴ Ταραντίνων, ἀχθεῖσα ὑπὸ Κτεάτου. *Thaulia festum Tarentinorum, celebratum ab Cteato.*

ΘΕΟΓΑΜΙΑ.

F Proserpinæ honori celebrabant Siculi. Pollux *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXXIII. Κόρης (ἑορτὴ) παρὰ Σικελιώταις, Θεογάμια. *Proserpinæ (festum) apud Siculos, Theogamia.*

ΘΕΟΓΝΙΑ.

Demosthenes Orat. *in Neæram.* Τὰ Θεόγνια, καὶ Ἰοβακχεῖα, γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια. *Theogonia & Jobacchia colo in honorem Bacchi more patrio.* Interpres eruditissimus vertit. *Divinum natalem, & Jobacchea, celebro.* Sed corruptus sine dubio est locus, scriben-

dumque, Τὰ Θεοίνια, καὶ Ι'. Et vertendum, *Theœnia*, *& I. c.* Nam

ΘΕΟΙΝΙΑ

Baccho agitabant Athenienſes. Heſych. Θεοίνια, θυσία Διονύσου Ἀθήνησι. *Theœnia, ſacrificium Bacchi Athenis.* Immo proprie ita dicebantur, quæ populi Atticæ celebrabant; cum Athenienſes ſua Διονύσια vocarent. Hoc eſt quod Harpocrat. inquit. Τὰ κατὰ δήμους Διονύσια Θεοίνια ἐλέγετο. *Bacchi feſtum, quod per populos cultum fuit, dicebatur Theœnia.*

ΘΕΟΞΕΝΙΑ.

Pellenenſes in Achaja celebrabant. Schol. Pindari *Olymp.* Od. VII. Τελεῖται δὲ ἐν μὲν Πελλήνῃ τῆς Ἀχαΐας ἀγὼν, ὁ καλούμενος Θεοξένια. *Peragitur autem in Pellene quidem Achajæ certamen, quod dicitur Theoxenia.* Et quidem in honorem Mercurii, atque Apollinis. Idem Scholiaſtes *ad Oden* IX. Ἄγεται δὲ Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος ἑορτὴ, Θεοξένια καλουμένη. *Celebratur vero Mercurii & Apollinis feſtum, Theoxenia vocatum.* Ariſtides Orat. *De Smyrna.* Οἱ μὲν, Θεοξένια ἦγον. ὑμεῖς δὲ, ὡς ἐν τοῖς ἡμερωτάτοις ὧν κέκτησθε, ἀναπαύεσθε. *Illi quidem celebrabant Theoxenia: vos autem, ut in tranquilliſſimis temporibus rerum quas poſſidetis, ceſſatis.*

ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ.

Pollux *l.* I. *cap.* I. *ſect.* XXX. Καιροὶ δ' ἱεροὶ, πανηγύρεις, ἑορταὶ, ἱερομηνίαι, Θεοφάνεια, Θεοξένια. *Tempora vero ſacra, conventus ſolennes, feſta, legitima ſacra, Theophania, Theoxenia.* Syneſius in *Calv. Encomio.* Οὗτός ἐστιν ὁ νεοτελὴς, ὁ μεμυημένος τὰ Θεοφάνεια. *Hic eſt ille novellus, ille initiatus Theophania.*

ΘΕΡΑΠΝΑΤΙΔΙΑ.

Apud Lacones celebrabantur. Heſychius. Θεραπνατίδια, ἑορτὴ παρὰ Λάκωσι. *Therapnatidia, feſtum apud Laconas.*

ΘΕΡΜΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Thermi, Ætoliæ oppido, Ætoli mercatum, & feſtum, celebrabant: & comitia illic habebant. Polybius *Hiſt.* lib. V. ubi de ea urbe agit. Καθ' ἕκαστον γὰρ ἔτος ἀγοράς τε καὶ πανηγύρεις ἐπιφανεστάτας, ἔτι δὲ καὶ τὰς τῶν ἀρχαιρεσιῶν καταστάσεις ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ συντελούντων αὐτῶν, ἕκαστοι πρὸς τὰς ὑποδοχὰς, καὶ εἰς ταῦτα παρασκευὰς, τὰ πολυτελέστατα τῶν ἐν τοῖς βίοις ὑπαρχόντων, εἰς τοῦτον ἀπετίθεντο τὸν τόπον. *Quolibet enim anno nundinas & conventus conſpectiſſimos, quin etiam comitiorum deſignationes in hoc loco illis peragentibus, ſinguli ad hoſpitia, amicorum exceptiones, & apparatus illuc pertinentes, pretioſiſſima hujus vitæ bona, in hoc depoſita habent loco.*

ΘΕΡΤΗΡΙΑ.

Incertum quorum hoc feſtum fuerit. Heſychius. Θερτήρια, ἑορτή τις. *Therteria, feſtum aliquod.*

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

Celebrabantur Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ. Dixi de iis nuper in *Lectionibus Atticis*, ſed hic reponam, & plenius multo, loco proprio. Inſtituta autem ab Orpheo, ut teſtantur Demoſthenes, Diod. Siculus, ac Plutarchus; & ex iis Theodoretus *Therapeut.* I. Ὅτι δὲ καὶ τῶν Διονυσίων, καὶ τῶν Παναθηναίων, καὶ μέν
A τοι καὶ τῶν Θεσμοφορίων, καὶ τῶν Ἐλευσινίων τὰς τελετὰς Ὀρφεὺς, ἀνὴρ Ὀδρύσης, εἰς τὰς Ἀθήνας ἐκόμισεν, καὶ εἰς Αἴγυπτον ἀφικόμενος, τὰ τῆς Ἴσιδος καὶ τοῦ Ὀσίριδος εἰς τὰ τῆς Δηοῦς καὶ τοῦ Διονύσου μετατέθεικεν ὄργια, διδάσκει μὲν Πλούταρχος, ὁ ἐκ Χαιρωνείας τῆς Βοιωτίας. διδάσκει δὲ ὁ Σικελιώτης Διόδωρος. μέμνηται δὲ Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ. *Bacchanalium vero & Panathenæorum, imo etiam Theſmophoriorum & Eleuſiniorum feſtas ſolennitates ab Orpheo, viro Odryſa, Athenas fuiſſe delatas, & progreſſum in Ægyptum, Iſidis & Oſiridis ſacra convertiſſe in Cereris & Bacchi, docet quidem Plutarchus ex Chæronea Bœotiæ; docet etiam Siculus Diodorus; meminit vero Demo-*
B *ſthenes rhetor.* Aliis traditur fuiſſe Triptolemus, rex Athenienſium. Lutatius *ad Theb.* II. *Poſtquam domum rediit (Triptolemus) Cepheus rex eum, tanquam æmulus, interficere conatus eſt. Sed re cognita, juſſu Cereris Triptolemo regnum tradidit, ibique oppidum conſtituit, quod ex patris ſui nomine Eleuſinum appellavit. Cereri ſacra primus inſtituit, quæ Theſmophoria appellantur.* Sed corrupta paullulum verba ita reſtitue, *Celeus rex.* Nam Celeus Athenienſium rex fuit, non Cepheus. Deinde, *Triptolemo regnum tradidit, ibi qui oppidum condidit.* Triptolemus enim Eleuſinem condidit, nomenque a patre Eleuſino impoſuit, non Celeus; quod prior
C lectio innuit. Verum hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Herodotus *lib.* II. ad Danai filias refert, eaſque ex Ægypto ad Pelaſgicas fœminas attuliſſe; poſtea vero, Peloponneſo univerſa a Doribus everſa, intercidiſſe: atque apud Arcades ſolos, quibus parcitum erat, remanſiſſe. Accipe verba. Καὶ τῆς Δήμητρος τελετῆς πέρι, τὴν οἱ Ἕλληνες Θεσμοφόρια καλέουσι, καὶ ταύτης μοι πέρι εὔστομα κείσθω, πλὴν ὅσον αὐτῆς ὁσίη ἐστὶ λέγειν. αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν, αἱ τὴν τελετὴν ταύτην ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι, καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιώτιδας γυναῖκας. μετὰ δὲ, ἐξαναστάσης πάσης Πελοποννήσου ὑπὸ Δωριέων, ἐξαπώλετο ἡ τελε-
D τή. αἱ δὲ ὑπολειφθέντες Πελοποννησίων, καὶ οὐκ ἐξαναστάντες Ἀρκάδες, διέσωζον αὐτὴν μοῦνοι. *Et de feſto Cereris, quod Græci vocant Theſmophoria, & jam de illo reverentia mihi celet non licita, niſi quantum ejus fas eſt dicere. Danai filiæ erant, quæ feſtum illud ex Ægypto educentes, docuerunt quoque mulieres Pelaſgiotidas. Deinde, tota Peloponneſo ab Dorienſibus commota, evanuit feſtum. Reſidui vero Peloponneſiorum, & Arcades, qui in illo motu non exceſſerant, ſoli id conſervarunt.* Errat Arnobius *lib.* V. qui Theſmophoriorum originem narrat, quæ erat Eleuſiniorum. Sciendum autem varia illa, & a variis celebrata omnino fuiſſe. Apud Lacedæ-
E monios triduana erant. Heſychius. Τριήμερος. Θεσμοφόρια ὑπὸ Λακώνων. *Triduanum, Theſmophoria ab Laconibus.* Celebrabantur etiam Drymææ, apud Phocenſes. Pauſanias in *Phocicis.* Δήμητρος δὲ Θεσμοφόρου Δρυμαίοις ἱερόν ἐστιν ἀρχαῖον, καὶ ἄγαλμα ὀρθὸν λίθου πεποίηται. καὶ αὐτῇ Θεσμοφόρια ἑορτὴν ἄγουσιν ἐπέτειον. *Cereris vero Legiferæ apud Drymæos eſt vetus templum, & ſimulacrum rectum ex lapide factum eſt: & illi Deæ celebrant annuum feſtum Theſmophoria.* Quem locum laudat etiam Stephanus *in* Δρυμία. Item Thebis, apud Bœotios. Plutarchus in *Pelopida.* Πεισθέντος δ' ἐκείνου, καὶ μὴ προσδοκῶσι τοῖς Θηβαίοις ἐπιθεμένου, Θεσμοφορίων ὄντων, καὶ τὴν
F ἄκραν κυριεύσαντος, Ἰσμηνίας μὲν συναρπασθεὶς εἰς Λακεδαίμονα, μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἀνῃρέθη. *Quum illi perſuaſum eſſet, & ideo invaderet Thebanos inopinantes per Theſmophoria, & potiretur arce, Iſmenias quidem ſimul abreptus Lacedæmonem, non diu poſt occiſus fuit.* Xenophon *Hiſt. Græc.* lib. V. Ἡ μὲν βουλὴ ἐκάθητο ἐν τῇ ἀγορᾶς στοᾷ, διὰ τὸ τὰς γυναῖκας ἐν τῇ Καδμείᾳ (erat illa arx Thebarum) θεσμοφοριάζειν. *Senatus quidem ſedebat in fori porticu quia mulieres Cadmea celebrabant Theſmophoria.* Et Mi-

leti, apud Iones. Observare est apud Stephanum, in Μίλητος. Ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις πίτυος κλάδον ὑπὸ τὴν στιβάδα, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Δημήτερος ἱερὰ κλωνίον πίτυος ἐτίθεσαν. *In Thesmophoriis ramum pinus sub lectum, & ad Cereris sacra ramulum pinus posuerunt.* Parthenius *Erotic.* VIII. Ὅτε δὲ οἱ Γαλάται κατέδραμον τὴν Ἰωνίαν, καὶ τὰς πόλεις ἐπόρθουν, ἐν Μιλήτῳ Θεσμοφορίων ὄντων, καὶ συνηθροισμένων γυναικῶν ἐν τῷ ἱερῷ, ὃ βραχὺ τῆς πόλεως ἀπέχει, *Quum vero Galatæ infestaverunt Ioniam, urbesque vastarunt, quum in Mileto agerentur Thesmophoria, & mulieres in templo essent congregatæ, quod paulum ab urbe distat,* &c. Et hic quoque triduana erant, pariter atque apud Lacedæmonios. Animadverto apud Diogenem Laertium in *Democrito Milesio*, lib. IX. Τελευτῆσαι δὲ τὸν Δημόκριτον φησὶν Ἕρμιππος τοῦτον τὸν τρόπον. ἤδη ὑπέργηρων ὄντα, πρὸς τὸ καταστρέφειν εἶναι. τὴν οὖν ἀδελφὴν λυπεῖσθαι, ὅτι ἐν τῇ τῶν Θεσμοφορίων ἑορτῇ μέλλοι τεθνήξεσθαι, καὶ τῇ θεῷ τὸ καθῆκον αὐτὴν οὐ ποιήσειν. τὸν δὲ θαρρεῖν εἰπεῖν, καὶ κελεῦσαι αὐτῷ προσφέρειν ἄρτους θερμοὺς ὁσημέραι. τούτους δὲ ταῖς ῥισὶ προσφέρων, διεκράτησεν αὐτὸν τὴν ἑορτήν. ἐπεὶ δὲ παρῆλθον αἱ ἡμέραι (τρεῖς δὲ ἦσαν) ἀλυπότατα τὸν βίον προήκατο. *Obiisse vero Democritum dicit Hermippus hoc modo. Jam senio confectum, venisse morti vicinum. Sororem igitur mœstam fuisse, quod festo Thesmophoriorum moriturus foret, ipsamque Deæ non præstituram officium. Illum vero monuisse, ut bono amino ageret, & jussisse quotidie illic adferri panes calidos. Hos ille naribus admovens sustentavit se per festum. Postquam vero præterierunt dies (tres vero erant) sine ullo mœrore vitam dimisit.* Item Megaris. Pausanias *Atticis*, ubi eam urbem describit. Ἔστι δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν Θεσμοφόρου. *Est vero etiam Cereris templum Legiferæ.* Huc pertinet illud Clementis, in *Protreptico*. Ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις Μεγαρίζοντες χοίρους ἐκβάλλουσι. *In Thesmophoriis, qui sectam sequuntur Megarensium, porcos expellunt.* Item Syracusis, ubi extremo festo muliebria pudenda, ex sesamo & melle facta, quæ Μυλλοὶ per Siciliam totam dicebantur, Cereri & Proserpinæ circumferebantur. Athenæus *lib.* XIV. Ἡρακλείδης ὁ Συρακούσιος ἐν τῷ Περὶ θεσμῶν φησὶ τοῖς παντελείοις τῶν Θεσμοφορίων ἐκ σησάμου καὶ μέλιτος κατασκευάσασθαι ἐφήβαια γυναικεῖα, ἃ καλεῖσθαι κατὰ πᾶσαν Σικελίαν μυλλούς, καὶ περιφέρεσθαι ταῖς θεαῖς. *Heraclides Syracusanus in libro De ritibus dicit in plena consummatione Thesmophoriorum ex sesamo & melle conficere membra pubis muliebria, quæ vocentur per omnem Siciliam Mylli, & circumferri Deabus.* Etiam Eretriæ, urbe Eubœæ; ubi carnes, quas comederent, non ad ignem, sed ad solem, assabant mulieres; neque Calligeniam quoque invocabant. Plutarchus in *Græcis Quæst.* Διὰ τί τοῖς Θεσμοφορίοις αἱ τῶν Ἐρετριέων γυναῖκες οὐ πρὸς πῦρ, ἀλλὰ πρὸς ἥλιον, ὀπτῶσι τὰ κρέα, καὶ Καλλιγένειαν οὐ καλοῦσι. *Quare Thesmophoriis mulieres Eretriensium non ad ignem, sed ad solem, assant carnes, & Calligeniam non vocant?* Video Delios quoque celebrasse, ac panes item magnos fecisse, quos Ἀχαίνας appellarent, solenni pompa inferri solitos, dictitantibus qui inferrent,

Ἀχαΐνην, στέατος ἔμπλεον, τράγον.

Panem magnum, adipis plenum, hircum.

Item festum Μεγαλάρτια, *Magnipania*, ex re illa nuncupasse. Nam de Deliis sane loqui intelligendus est Semus Δηλιάδος *lib.* VIII. apud Athenæum *lib.* III. Locus ejus ecce iste est. Ἀχαΐνας. τούτου τοῦ ἄρτου μνημονεύει Σῆμος ἐν ὀγδόῳ Δηλιάδος, λέγων ταῖς Θεσμοφόροις γίνεσθαι, εἰσὶ δὲ ἄρτοι μεγάλοι. καὶ ἑορτὴ καλεῖται Μεγαλάρτια, ἐπιλεγόντων τῶν φερόντων,

Ἀχαΐνην, στέατος ἔμπλεον, τράγον:

Achainas. Hujus panis meminit Semus in octavo Deliadis, dicens Thesmophoris parari. Sunt vero panes magni; & festum vocatur Magnipania: dicentibus illos ferentibus.

Panem magnum, adipis plenum, hircum.

Mihi propositum, de iis tantum hic differere, quæ Athenienses celebrare consueverunt. Ac initio de dierum numero dicam, quem incertum satis video. Hesychius ait, quatriduana fuisse. Τρίτη Θεσμοφορίων. ζητεῖται πῶς ἅμα μὲν λέγει τρίτην Θεσμοφορίων εἶναι, ἅμα δὲ μέσην, τεττάρων οὐσῶν ἡμερῶν. *Tertia Thesmophoriorum. Quæritur quomodo simul quidem dicat tertiam Thesmophoriorum esse, simul vero mediam, quum dies sint quatuor.* Respexit autem versum istum Aristophanis *Thesmoph.*

Ἐπεὶ τρίτη 'στι Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Quoniam tertia est Thesmophoriorum media.

Certe, si tertius dies medius fuit, uti clarum est ex citatis Aristophanis verbis, errare equidem Hesychium existimo, qui de quatuor diebus ait. Legebantur ad hæc celebranda, quæ præessent, in singulis populis fœminæ binæ, legitimo matrimonio natæ; fiebatque ea electio a mulieribus. Observo apud Isæum *Orat.* Περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. Οὐ τοίνυν ἐκ τούτου δῆλόν ἐστι μόνον, ὅτι ἡ ἡμῶν ἡ μήτηρ θυγάτηρ γνησία Κίρωνος, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν ὁ πατὴρ ἡμῶν ἔπραξε, καὶ ἐξ ὧν αἱ γυναῖκες αἱ τῶν δημοτῶν περὶ αὐτῆς ἐγίνωσκον. ὅτι γὰρ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐλάμβανε, γάμους εἱστίασε, καὶ ἐκάλεσε τρεῖς αὐτοῦ φίλους, μετὰ τῶν αὐτοῦ προσηκόντων, καὶ τοῖς φράτορσιν γαμηλίαν εἰσήνεγκε, κατὰ τοὺς ἐκείνων νόμους. αἵ τε γυναῖκες ἐκ τῶν δημοτῶν μετὰ ταῦτα προὐκρίναν αὐτὴν μετὰ τῆς Διοκλέους γυναικὸς τοῦ Πιθέως ἄρχειν τὰ Θεσμοφόρια. *Non igitur ex hoc est apertum modo, quod mater nostra fuerit filia naturalis Cironis, sed & ex quibus pater noster confecerit, & ex quibus mulieres istæ popularium de illa noscerent. Quum enim pater illam sumpsit, epulatus est nuptias, vocavitque tres suos amicos cum propinquis ipsius, & curialibus intulit pecuniam ob eas debitam pro lege eorum; & mulieres ex popularibus postea elegerunt illam cum Dioclis uxore Pithensis præesse Thesmophoriis.* Et ad sumptus contribuebant pro uxoribus mariti locupletiores; qui tunc Θεσμοφόρεια εἰσφέρειν dicebantur. Animadvertere est apud eundem Isæum in *Orat.* Περὶ τοῦ Πύρρου κλήρου. Δῆλον γὰρ, ὅτι, εἰ ἐπείσθη ἐγγυήσασθαι, ἐπείσθη ἂν καὶ γαμηλίαν ὑπὲρ αὐτῆς τοῖς φράτορσιν εἰσενεγκεῖν, καὶ εἰσαγαγεῖν τὴν ἐκ ταύτης ἀποφανθεῖσαν θυγατέρα, ὡς γνησίαν οὖσαν αὐτῷ. καὶ ἔν τε τῷ δήμῳ κεκτημένος τὸν τριτάλαντον οἶκον, εἰ ἦν γεγαμηκὼς, ἠναγκάζετο ἂν ὑπὲρ τῆς γαμετῆς γυναικὸς καὶ θεσμοφόρια ἑστιᾶν τὰς γυναῖκας, καὶ τἄλλα, ὅσα προσῆκε, λειτουργεῖν ἐν τῷ δήμῳ ὑπὲρ τῆς γυναικὸς, ἀπό γε οὐσίας τηλικαύτης. *Manifestum enim, siquidem persuasum ei est fidejubere, persuasum quoque illi fuisse nuptialem pecuniam pro ea curialibus inferre, & inducere eam quæ ex hac apparuit filiam, ut naturalem sibi genitam: & in populo possidentis domum trium talentorum, siquidem duxisset, coactus fuisset pro nupta conjuge & Thesmophoria in tales mulieres; & alia quæ oportet ministrare in populo pro uxore, & ab tanto censu.* Tenebanturque, si tria talenta in dotem attulisset. Colligere licet ex *citatis istis verbis*. Καὶ ἔν τε τῷ

δήμῳ κεκτημένης ἢ τριτάλαντον οἶκον, εἰ ἦν γεγαμηκώς, ἠναγκάζετο ἂν ὑπὲρ τῆς γαμετῆς γυναικὸς καὶ θεσμοφόρια, καὶ τἄλλα, ὅσα προσῆκε, λειτουργεῖν ἐν τῷ δήμῳ ὑπὲρ τῆς γυναικὸς, ἀπό γε οὐσίας τηλικαύτης. *Et tum in populo possidentis trium talentorum domum, siquidem duxisset, coactus fuisset pro nupta uxore & Thesmophoria, & reliqua, quæ oportet, ministrare in populo pro uxore, & ab tanto censu.* Et habebant sacerdotem sibi proprium, Στεφανηφόρον appellatum; quod nimirum coronatus sacra obiret: eumque mystæ convenientes statuebant. Inscriptio vetus;

Η. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΜΥΣΤΩΝ. ΤΗΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ
ΘΕΑΣ. ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ. ΔΗΜΗΤΡΟΣ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΝ
ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ. ΤΟΥ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΜΑΤΡΩΟΝ *
ΣΥΜΜΑΡΤΥΡΑΣ. ΤΟΝ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ.
Conventus mystarum Magnæ
Deæ legiferæ Cereris Metrodorum
Hermogenis F. Metrodori nepotem Matroum ...
Testes Stephanephorum.

Celebrabant vero mense Pyanepsione; ascendebantque ad ea peragenda die XI. qui illa de causa Ανοδος nuncupatus fuit. Hesychius. Ανοδος. ἀνάβασις. ἡ ἑνδεκάτη τοῦ Πυανεψιῶνος, ὅτε αἱ γυναῖκες ἀνέρχονται εἰς τὰ Θεσμοφόρια, οὕτω καλεῖται. *Adscensus; aditus. undecima dies Pyanepsionis, quando mulieres adscendunt ad Thesmophoria, sic vocatur.* Et quidem Eleusine, pariter atque Eleusinia. Æneas Tacticus *Poliorcetici* cap. V. Πεισιστράτῳ γὰρ Ἀθηναίων στρατηγοῦντι ἐξηγγέλθη, ὅτι οἱ ἐκ Μεγάρων οἱ ἐπιχειροῖεν, ἀφικόμενοι πλοίοις, ἐπιθέσθαι νυκτὸς ταῖς Ἀθηναίων γυναιξὶ, Θεσμοφόρια ἀγούσαις ἐν Ἐλευσῖνι. *Pisistrato enim Atheniensium duci nunciatum fuit, Megarenses illi insidiari, profectos navibus invadere nocte Atheniensium uxores Thesmophoria celebrantes Eleusine.* Ascendebant autem Eleusina, cumque ascenderent, libros legales, in memoriam acceptarum a dea legum, capiti impositos deferebant. Theocriti Schol. *Idyllio* XIV. Νόμος ἦν Ἀθηναίοις, κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια, καὶ παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναὶ, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς, τὰς νομικὰς βίβλους, καὶ ἱερὰς, ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνετίθεσαν, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύσασαι ἐπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. *Lex fuit Atheniensibus, per annos singulos agere Thesmophoria, & virgines mulieres, & vita graves, in die festi, legales libros & sacros verticibus ipsarum imponere, & tanquam precantes accedere Eleusina.* Ante tamen, quam se illuc conferrent, castitati operam dantes, per dies aliquot rebus Venereis abstinebant. Atque huc pertinet responsum Theanus Pythagoricæ; quæ interrogata, quoto die post viri congressum mulieri ad Thesmophoria accedere liceret, a suo quidem, inquit, statim; ab alieno vero, nunquam. Narrat Clemens *Strom.* IV. Τῆς αὐτῆς φέρεται σεμνότητος κἀκεῖνο τ' ἀπόφθεγμα. ἐρωτηθεῖσα γὰρ (ἡ Θεανὼ) ποσταία γυνὴ ἀπὸ ἀνδρὸς εἰς τὸ Θεσμοφόριον κάτεισιν; ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου, καὶ παραχρῆμα, ἔφη, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀλλοτρίου, οὐδεπώποτε. *Ejusdem gravitatis memoratur hoc dictum. Nam rogata (Theano) quo temporis intervallo mulier ab viro proficiscitur ad Cereris templum? ab proprio quidem vel statim dixit; ab alieno autem, omnino nunquam.* Habes quoque apud Theonem in *Progymn.* cap. Περὶ χρείας. Itaque cneorum substernebant sibi in lecto. Hesych. Κνέωρον, φυτόν τι, ὃ τοῖς Θεσμοφορίοις ὑποστρώννυται. *Cneorum, frutex aliquis, qui substernitur Thesmophoriis.* Iterum alibi, *in* Βαθύμαλλον. Ἀπὸ κνεώρου φυτοῦ, ᾧ ἐχρῶντο πρὸς κάθαρσιν. *Ab cneoro frutice, quo utuntur ad castum.* Item viticem. Plinius *lib.* XXIV. *cap.* IX. *Non multum a salice vitilium usu vitex distat, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset, Græci* Λύγον *vocant, alii* Ἄγνον*: quoniam matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt.* Atque inde nomen Ἄγνος accepit. Ælianus *Hist. Anim.* lib. IX. cap. XXVI. Ἐλαύνει δὲ ἰσχυρῶς τῇ φυγῇ τοὺς ὄφεις ἡ ἔνδροσός τε καὶ νοτερὰ καλαμίνθη, φασὶ, καὶ ὁ ἄγνος. τοῦτόν τοι καὶ ἐν Θεσμοφορίοις ἐν ταῖς στιβάσι τὰ γύναια τὰ Ἀττικὰ ὑποστρώννυται. καὶ δοκεῖ μοι καὶ ἐχθρὸς εἶναι τοῖς δακέτοις ὁ ἄγνος. ἤδη δὲ καὶ ὁρμῆς τῆς Ἀφροδισίου κώλυμά ἐστι. καὶ ἔοικε τό γε ὄνομα λαβεῖν ἐνταῦθα. *Efficaciter autem fugat serpentes rore inducta & madida calaminthe, dicunt, & vitex. Hunc adeo etiam Thesmophoriis in lectis mulieris Atticæ substernunt. Et mihi etiam videtur inimica esse serpentibus vitex. Jam vero etiam impetus Venerei impedimentum est. & videtur inde habere nomen.* Dioscorides *lib.* I. *cap.* CXXXV. Ὠνόμασται δὲ ἄγνος, διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ. *Nominatur vero Agnus, quia in Thesmophoriis mulieres casto operatas ad culcitam illa herba utuntur.* Scholiastes Nicandri *ad Theriaca.* Πολυανθὴς δέ ἐστι ὁ λύγος τοῦ ἄγνου, ὃν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ὑπεστρώννυντο αἱ γυναῖκες. ἀντιπράττει γὰρ εἰς συνουσίαν. διὸ καὶ ἄγνος λέγεται, ἄγονός τις οὖσα. *Vitex autem Agni est multiflorus, quem in Thesmophoriis substernebant mulieres. Habet enim contrarios veneri effectus: ideo etiam agnus dicitur, quasi herba quædam casta.* Idem legere est apud Eustathium, *Comment. in Odyss.* ι. Substernebant autem totum fruticem. Galenus Περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως. *lib.* V. *cap.* Περὶ ἄγνου. Ἐπέχει δὲ καὶ τὰς πρὸς ἀφροδίσια ὁρμὰς, ὅτε πεφρυγμένος, καὶ ὁ ἄφρυκτος καρπός· καὶ τὰ φύλλα, καὶ τὰ ἄνθη τοῦ θάμνου ταυτὸ τοῦτο δύναται δρᾷν, ὥστε οὐ μόνον ἐσθιόμενα καὶ πινόμενα πρὸς ἁγνείαν πεπίστευται συντελεῖν, ἀλλὰ καὶ ὑποστρωννύμενα. ταῦτα ἄρα καὶ τοῖς Θεσμοφορίοις αἱ γυναῖκες Ἀθήνησιν ὑποστρωννύουσιν ἑαυταῖς ὅλον τὸν θάμνον. *Cohibet autem quoque impetus ad venerea fructus sive defrictus sive non; & folia ac flores fruticis illud idem possunt præstare, ut non tantum comesa & potata ad castitatem credantur conferre, sed etiam substrata. Hæc adeo etiam Thesmophoriis mulieres Athenis substernunt sibi totum fruticem.* Etiam conyzam substernebant. Nicandri Scholiastes *loco citato.* Κόνυζα, εἶδος βοτάνης. καταψυκτικὴ δὲ αὕτη πρὸς συνουσίαν, διὸ καὶ τοῖς Θεσμοφορίοις ἐστρώννυντο. *Conyza species herbæ; refrigerans vero hæc ad coitum, etiam sternitur Thesmophoriis.* Item Theocriti, *ad Idyll.* IV. Κνύζα, φυτὸν χορτῶδες, ὃ αἱ Θεσμοφοριάζουσαι διὰ τὴν ἁγνείαν στιβαδοποιοῦνται. δοκεῖ γὰρ ἡ βοτάνη, ψυχρὰ οὖσα, ἐπέχειν τὰς πρὸς συνουσίαν ὀρέξεις. *Cnyza, planta graminea, quam Thesmophoria obeuntes propter castitatem loco lecti habent. Videtur enim herba, frigida ex se, cohibere appetitus ad venerem.* Etiam allia edebant, castitatis studio. Etymologici Auctor. Ἐν τοῖς τῆς ἑορτῆς ἤσθιον σκόροδα, ἕνεκα τοῦ ἀπέχεσθαι Ἀφροδισίων. *In diebus festi edebant allia ad abstinendum Venereis.* Eodem modo in rem eandem Milesiæ pinus folia sternebant. Stephanus *in* Μίλητος, verbis jam citatis. Ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις πίτυος κλάδον ὑπὸ τὴν στιβάδα, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Δήμητρος ἱερὰ κλωνίον πίτυος ἐτίθεσαν. *In Thesmophoriis pinus ramum sub lectum, & Cereris sacra ramulum pinus ponebant.* Quin & fœminæ quædam, quæ sacris nimirum ministrarent, in summa castitate publice alebantur; isque locus

* *Sed Gruterus pag.* MCXVII. habet ΜΑΤΡΕΑΝ. . . . ΣΗΜΑΡΤΥΡΑΝ.

ex re dictus Θεσμοφορεῖον. Obſervo apud Heſychium *in* Πρυτανεῖον. Τρία Ἀθήνησι συσσίτια. Πρυτανεῖα, Θεσμοφορεῖον, Πρυτανεῖον. *Tria Athenis loca convivandi, Prytania, Theſmophorium, Prytaneum.* Ab hac re capiendus eſt jocus ille Luciani in *Timone*. Εἰ δέ τις ἔμπαλιν ἐλευθέραν γυναῖκα εἰς τὴν οἰκίαν νόμῳ παραλαβὼν ἐπ' ἀρότῳ παίδων γνησίων, ὁ δὲ μήτε αὐτὸς προσάπτοιτο ἀκμαίας καὶ καλῆς παρθένου, μήτε ἄλλῳ προσβλέπειν ἐπιτρέποι, ἄγονον δὲ καὶ στεῖραν κατακλείσας παρθενεύοι, καὶ ταῦτα ἐρᾶν φάσκων, καὶ δῆλος ὢν ἀπὸ τῆς χρόας, καὶ τῆς σαρκὸς ἐκτετηκυίας, ἐθ' ὅπως ὁ τοιοῦτος οὐ παραπαίειν δόξειεν ἄν, δέον παιδοποιεῖσθαι, καὶ ἀπολαύειν τοῦ γάμου, καταμαραίνων εὐπρόσωπον οὕτω καὶ ἐπέραστον κόρην, καθάπερ ἱέρειαν τῇ Θεσμοφόρῳ τρέφων διὰ παντὸς τοῦ βίου. *Si vero quis vice verſa liberam fœminam lege domum ducat, ad ſementem liberorum naturalium, ille autem neque ipſe attingat florentem & formoſam virginem, neque alteri adſpicere permittat, ſed infœcundam & ſterilem includens ſervet virginem, idque dicens ſe amare, atque etiam prodens id colore, & carne extabeſcente, quo modo erit, ut non videatur is delirare, quum oporteret procreare liberos, & nuptiis frui, marcere jubens adeo venuſtam & amabilem puellam, velut ſacerdotem Legiferæ alens per omnem vitam?* Iterum in *Dialogo Matris, & Muſarii.* ἀνέραστος σὺ μενεῖς διὰ τοῦτο, καὶ σωφρονήσεις, καθάπερ οὐχ ἑταίρα, τῆς δὲ Θεσμοφόρου ἱέρειά τις οὖσα. *Propterea tu manebis expers amoris, & continebis, tanquam non meretrix, ſed ſacerdos quædam Legiferæ?* Hæ puellæ, quæ ita publice alebantur, quæque ſe ad ſacra obeunda præpararent mulieres, dum rebus Venereis abſtinebant, Ἁγνεύειν dicebantur Græcis; Latinis, *In caſto eſſe.* Non recte Theologi Latini veteres, Arnobius, Hieronymus, & Tertullianus, pro cibi abſtinentia poſuerunt; ac Ἁγνείαν & Νηστείαν inter ſe confuderunt. Abſtinebant vero etiam coronis floreis, quibus uti illis nefas. Schol. Sophoclis *Oed. Col.* Αὖθις γοῦν φασι τὰς θεὰς ἀνθινοῖς μὴ κεχρῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τὰς Θεσμοφοριαζούσας τὴν τῶν ἀνθινῶν στεφάνων ἀπειρῆσθαι χρῆσιν. *Poſtea igitur dicunt Deas floreis non fuiſſe uſas, ſed etiam Theſmophoria colentibus fœminis interdictum eſſe uſu coronarum ex floribus.* Item mali Punici grana non edebant. Clemens *Protreptico*. Καὶ αἱ Θεσμοφοριάζουσαι τῆς ῥοιᾶς τοὺς κόκκους παραφυλάττουσιν ἐσθίειν. *Et Theſmophoria obeuntes fœminæ cavent edere grana mali Punici.* Medium vero diem, quem jam ante tertium dixi, totum jejunio tranſigebant; atque inde ille Νηστεία dicebatur. Athenæus *lib.* VII. Τούτων ποτὲ λεχθέντων ἐπὶ τῷ καλῷ τούτῳ ὄψῳ, τῶν Κυνικῶν τις ἑσπέριος ἐλθών, ἔφη, ἄνδρες φίλοι, μὴ καὶ ἡμεῖς Νηστείαν ἄγομεν, Θεσμοφορίων τὴν μέσην, ὅτι δίκην κεστρέων νηστεύομεν. *His aliquando dictis de pulchro illo cibo, Cynicorum aliquis veſpertinus veniens dixit, Viri amici, num & nos jejunium agimus, Theſmophoriorum mediam, quia tanquam mugiles jejunamus?* Erat autem Pyanepſionis decimus ſextus. Plutarchus in *Vita Demoſthenis*. Κατέστρεψε δὲ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα Πυανεψιῶνος μηνός, ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην τῶν Θεσμοφορίων ἄγουσαι παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες. *Mortuus eſt ſexta decima Pyanepſionis menſis, in qua ſeveriſſimam Theſmophoriorum diem colentes fœminæ jejunant apud Deam.* Jejunium vero hoc agitabant in templo deæ, ad ejus ſimulacrum deſinentes. Hoc innuunt illa verba. Παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες. *Apud Deam jejunant fœminæ.* Et quidem humi. Plutarchus *De Iſide & Oſiride*. Καὶ γὰρ Ἀθήνησι νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες ἐν Θεσμοφορίοις χαμαὶ καθήμεναι. *Etenim Athenis jejunant fœminæ in Theſmophoriis humi ſedentes.* Intelligit hoc jejunium Phurnutus, ubi de Cerere. Νηστεύουσι δὲ εἰς τιμὴν τῆς Δήμητρος, ἢ γεραίροντες αὐτὴν ἰδίῳ τρόπῳ, ἢ διὰ τὸ πρὸς μίαν ἡμέραν ἀπέχεσθαι τῶν δεδομένων αὐτοῖς ὑπ' αὐτῆς, ἢ κατ' εὐλάβειαν ἐνδείας παρὰ τῆς θεοῦ ποτὲ γενομένης. *Jejunant vero in honorem Cereris, aut venerantes eam proprio modo, aut ut uno die abſtinerent datis ab ea, aut ob metum penuriæ ab Dea quondam immiſſæ.* Porro hinc colligere ſimul licet; initium ſacrorum celebrandorum in decimum quartum menſis iſtius, finem in decimum octavum incidiſſe: ab undecimo vero, quo aſcendiſſe eas oſtendi, uſque ad decimum quartum ſeſe præparaſſe. Atque hoc omnino obſervandum; neque enim temere aliunde diſcamus. Ergo triduum caſtitati, & purificationi, eſt impenſum. Atque eo reſpexiſſe eſt cenſendus Ariſtoteles *De Cœlo*, lib.
B I. cap. I. ubi de ternario numero ei ſermo. Διὸ παρὰ τῆς φύσεως εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνης, καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας τῶν θεῶν χρώμεθα τῷ ἀριθμῷ τούτῳ. *Propterea adepti ab natura velut leges illius, etiam ad ſanctimonias Deorum utimur iſto numero.* Ubi Simplicius. Ὅτι δὲ τὰ τρία πάντα, καὶ τέλεια, ἔδειξεν, ἐκ τοῦ καὶ τὰς ἱερὰς ἁγιστείας τῷ ἀριθμῷ τούτῳ χρῆσθαι. *Omnia vero eſſe tria & perfecta oſtendit, ex eo quod caſtæ ſanctimoniæ utantur illo numero.* Illud quoque non prætereundum, quod porcos expuliſſe Clemens tradit in *Protreptico*. Βούλει δὲ τὰ Φερεφάττης ἀνθολόγια διηγήσομαί σοι, καὶ τὸν κάλαθον,
C καὶ τὸ χίσμα τῆς γῆς, καὶ τὰς ὗς τὰς Εὐβουλέως, τὰς συγκαταποθείσας ταῖν θεαῖν. δι' ἣν αἰτίαν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις Μεγαρίζοντες, χοίρους ἐκβάλλουσιν. *Vis-ne ut Proſerpinæ florilegia narrem, & ſportulam, & fiſſuram terræ, & ſues Eubulei, ab Deabus deglutitas, ob quam cauſam in Theſmophoriis, more Megarenſium, expellunt porcos.* Sed errare ego eum omnino exiſtimo; & in Eleuſiniis potius factum id veriſimile. Certe ad iſta ſacra hæc omnia pertinent, quæ commemorat. Nam diverſa fuerunt Eleuſinia a Theſmophoriis. quippe illa, inſtituta in memoriam errantis Cereris in quærenda rapta Proſerpina, & tunc acceptarum frugum; hæc vero, ob
D acceptas leges. Talis quoque Theodoreti hallucinatio, qui membrum muliebre ab illis cultum refert, *Therapeut.* lib. III. Καὶ τὸν κτένα τὸν γυναικεῖον. οὕτω δὲ τὸ γυναικεῖον ὀνομάζουσι μόριον. ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις παρὰ τῶν τετελεσμένων γυναικῶν θείας τιμῆς ἀξιούμενον. *Et pectinem muliebrem: ita vero muliebre appellant membrum; in Theſmophoriis ab ſacratis mulieribus honore divino reveritum.* Hoc itidem Eleuſiniis factum affirmare non dubitaverim; idque in memoriam obſcœni iſtius Baubonis facti, cum revelata parte pudenda triſtem Cererem, nec bibere volentem, ad riſum, & ſumendam oblatam potionem, tandem permovit; ut narrat Clemens
E *libro citato*, & ex eo etiam Arnobius *lib.* V. Profecto illis magis convenit; ſiquidem obſcœniſſima licentia celebrari conſueviſſe, ſatis conſtat. Contra vero Theſmophoria ſumma ſane cum veneratione a matronis longe caſtiſſimis, graviſſimiſque, peragebantur. Ecce apud Schol. Theocriti *Id.* IV. Νόμος ἦν Ἀθηναίοις, κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια. καὶ παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναί, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς. *Mos erat Athenienſibus, quotannis peragere Theſmophoria, & virgines mulieres, & vita graves, in die ſacrificii.* & quæ ſequuntur,
F jam ſemel citata. Tamen convitia illic uſitata, in memoriam Jambes, quæ convitiis deæ mœſtæ riſum expreſſerat. Apollodorus *lib.* I. Ἔπειτα πρὸς Κελεὸν ἐλθοῦσα (ἡ Δημήτηρ) τὸν βασιλεύοντα τότε Ἐλευσινίων, ἔνδον οὐσῶν γυναικῶν, καὶ λεγουσῶν τούτων παρ' αὐτὰς καθίζεσθαι, γραῖά τις Ἰάμβη, σκώψασα τὴν θεόν, ἐποίησε μειδιάσαι. διὰ τοῦτο ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις τὰς γυναῖκας σκώπτειν λέγουσιν. *Deinde ad Celeum veniens (Ceres) tunc regem Eleuſiniorum, quum intus eſſent fœminæ, & dicentibus his ſe prope illas collocari, vetula quædam Jambe, deridens Deam, compulit ad riſum. Ideo in Theſmophoriis dicunt*

fœminas ridicula verba fundere. Huc respexit Cleomedes *Meteor.* lib. II. Καὶ ἄλλας τοιαύτας κακὰς ἄτας· ὧν τὰ μὲν ἐκ χαμαιτυπείων ἄν τις εἶναι φήσειε· τὰ δὲ, ὅμοια τοῖς λεγομένοις ἐν τοῖς Δημητρίοις ὑπὸ τῶν Θεσμοφοριαζουσῶν. *Et alias hujusmodi pravas noxas; quarum alia quis dixerit esse ex lupanaribus; alia vero similia illis quæ dicuntur Cerealibus ab fœminis Thesmophoria celebrantibus.* Porro sacrum item arcanum, quodque effari non liceret, faciebant, Δίωγμα prius, postea Ἀποδίωγμα dictum. Hesychius. Δίωγμα, θυσία τις Ἀθήνησι, ἐν ἀπορρήτῳ τελεμένη ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις. τὸ αὐτὸ καὶ Ἀποδίωγμα ὕστερον ἐκλήθη. *Diogma, persecutio, sacrificium quoddam Athenis, in operto celebratum ab mulieribus per Thesmophoria. Id ipsum postea etiam Apodiogma vocatum fuit.* Ac originem ejus sacrificii apud Suidam observare mihi videor, istis verbis. Χαλκιδικὸν δίωγμα. τοῖς Θεσμοφορίοις Ἀθήνησί τι νόμιμον, ἐν πολέμῳ γυναικῶν δεξαμένων, διωχθῆναι τοὺς πολεμίους. καὶ συνέβη φυγεῖν εἰς Χαλκίδα. *Chalcidica persecutio. Thesmophoriis solenne quid Athenis, in bello mulieribus precantibus fugatos esse hostes: & contigit fugere Chalcida.* Et attingit obiter alibi Hesychius. Χαλκιδικὸν δίωγμα, διότι εἰς Χαλκίδα ἐγένετο ἡ ἐκδίωξις. *Chalcidica persecutio; quoniam effugium pertinebat usque Chalcida.* Invocabant etiam Calligeniam. Huc pertinent illa Aristophanis in *Thesmoph.* ubi ita mulieres Thesmophoria celebrantes præco affatur.

Εὔχεσθε ταῖν Θεσμοφόροιν,
Τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρῃ,
Καὶ τῷ Πλούτῳ, καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ.
Precamini Legiferis,
Cereri ac Proserpinæ,
Et Pluto, & Calligeniæ.

Omittebant hanc invocationem mulieres Eretrienses. Docet Plutarchus in *Græcis Quæst.* Διὰ τί τοῖς Θεσμοφορίοις αἱ τῶν Ἐρετριέων γυναῖκες οὐ πρὸς πῦρ, ἀλλὰ πρὸς ἥλιον ὀπτῶσι τὰ κρέα, καὶ Καλλιγένειαν οὐ καλοῦσιν; *Quare Thesmophoriis fæminæ Eretriensium non ad ignem, sed ad solem assant carnes, & Calligeniam non vocant.* Jam Καλλιγένεια dicebatur Ceres; vel, ut alii, nutrix ejus: alii sacerdotem faciebant, alii pedissequam. Hesychii hac de re locus plane corruptus est. Καλλιγένειαν, ἀλλὰ τὴν Δήμητραν γῆν. οὐδεὶς γὰρ οὕτω ἔφη τὴν γῆν Καλλιγένειαν. οἱ μὲν, τροφὸν αὐτῆς. οἱ δὲ, γερίαν. οἱ δὲ, ἀκόλουθον. *Calligeniam, sed Cererem terram; nemo enim ita dixit terram Calligeniam; alii quidem nutricem ejus; alii vero gerian; alii autem pedissequam.* Restituo, Καλλιγένειαν, τὴν Δήμητραν, ἀλλὰ μὴ τὴν γῆν. οὐδεὶς γὰρ οὕτως ε. τ. γ. Κ. *Calligeniam, Cererem; sed non terram. nemo enim ita, &c.* Et deinde, οἱ δὲ, ἱέρειαν· οἱ δὲ, ἀ. *alii vero sacerdotem; alii vero p.* Quin carmina quoque illic quædam cantata videntur Elegiaca, præposita in initio syllaba una, alteraque in medio inserta. Conjecturam inde facere est, quod talia Θεσμοφόρια nuncupata. Marius Victorinus *Artis Grammaticæ* lib. IV. *Item e duobus dactylis & semipede repetiti faciunt Elegiacum, adjecta in prima syllaba una, & in medio altera inserta, quod Thesmophorion vocatur; ut,*

O perpetuo tellus quæ nunc viget usta gelu.

Aliud quoque sacrificium peragere solitæ, puto ultimo festi die, ad averruncandam deæ iram, si quid forte, dum id celebrant, non rite factum; idque, ceu mulctæ instar esset, Ζημία appellatum. Hesychius. Ζημία, θυσία τις, ἀποδιδομένη ὑπὲρ τῶν γενομένων ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις. *Mulcta, sacrificium aliquod, datum propter ea quæ fiunt in Thesmophoriis.* Atque hæc omnia a fœminis facta. Jam viri quoque Athenienses festum illud agitabant, & in honorem etiam deæ captivos e carcere dimittebant. Marcellinus *ad Hermogenem.* Νόμος, ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις λύεσθαι τοὺς δεσμώτας. *Lex, in Thesmophoriis solvi vinctos.* Sopater *De Divis. Quæst.* Νόμος, τοὺς δεσμώτας τοῖς Θεσμοφορίοις λύεσθαι. ὑποπτεύσας τις ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ, τὸν οἰκέτην ἔδησε. καὶ δήσας, ἀπεδήμησεν. ἐπιστάντων τῶν Θεσμοφορίων, ἔλυσε τὸν οἰκέτην ἡ γυνή. *Lex, vinctos Thesmophoriis solvi. Suspicans quis de sua uxore, vinxit servum; & quum vincivisset, peregrinatus est. Instantibus Thesmophoriis solvit servum mulier.* Sciendum tamen, illis tantum liberationem permissam, qui sacrorum adhuc participes; at, si qui polluti essent, quibus interdictum sacris, eos solvere non licebat. En mox ibidem apud illum ipsum Sopatrum. Ἐξάγειν δεσμωτηρίου δίδωσιν, οὓς μετέχειν ἱερῶν, καὶ σπονδῶν, ὅσιον. οὐ τοὺς ἀκαθάρτους, καὶ ἐναγεῖς, καὶ τῶν περιρραντηρίων ἀπελαυνομένους. *Educere ex carcere permittit, quos perticipes sacrorum & libationum esse fas est; non impuros, & noxios, & abactos ab aspersionibus.* Et medio die, tertio, a jure dicendo abstinebant. Observare licet ex istis Aristophanis verbis Θεσμοφοριαζ.

Καὶ πῶς, ἐπεὶ νυνὶ γ' οὔτε δικαστήρια
Μέλλει δικάζειν, οὔτε βουλῆς ἐσθ' ἕδρα;
Ἐπεὶ τρίτη ἐστὶ Θεσμοφορίων, ἡ μέση.
Et quomodo, quia nunc tribunalia
Judicatura sunt, nec senatus est sedes;
Quoniam tertia est Thesmophoriorum, non media.

Ac sciendum, præter morem publicum esse, & extra ordinem, quod mox mulieres τὰς Θεσμοφοριαζούσας introducit eo die concionem convocantes, ad ferendam in Euripidem sententiam.

Ἄκουε πᾶς, ἔδοξε τῇ βουλῇ τάδε
Τῇ τῶν γυναικῶν, Τιμόκλει' ἐπεστάτει,
Λύσιλλ' ἐγραμμάτευεν. εἶπε Σωστράτη
Ἐκκλησίαν ποιεῖν ἕωθεν τῇ μέσῃ
Τῶν Θεσμοφορίων. ——
Audi quicunque, visum est senatui
Hæc mulierum, Timoclia erat præses,
Lysilla erat scribæ loco. Dixit Sostrate
Concionem facere a mane media
Thesmophoriorum. ——

Accedere vero ad hæc sacra servis, ancillisque, vetitum; Itaque Euripides apud eundem, *eadem fabula.*

—— σὺ δ' ἄπιθ' ὦ Θρᾶττ' ἐκποδών.
Δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.
Tu autem abito o Thressa e vestigio.
Servis enim non licet audire verba.

ΘΗΣΕΙΑ.

Festum Thesei Athenis. Hesychius. Θήσεια, ἑορτὴ Ἀθήνησι. *Thesea, festum Athenis.* Epulum tunc pauperibus dabatur. Hinc est istud Aristophanis *Pluto*,

Ὦ πλεῖστα Θησείοις μεμυστιλημένοι,
Γέροντες ἄνδρες, ἐπ' ὀλιγίστοις ἀλφίτοις;
O plurima Thesei haurire soliti,
Senes viri, ob exiguos cibos.

Mentio Theseorum iterum apud eundem in *Thesmoph.*

Προεδρίαν ταυτῇ δίδοσθαι Θησείοισι, καὶ Σκίροις.
Præcipuum locum illi dari Theseis, & Sciris.

Et certamen etiam fuit. Ecce apud Aulum Gellium, *lib.* XV. *cap.* XX. *Eleusinio, & Theseo, certamine pugnavit, & coronatus est.* Celebrata autem die mensis octavo, Schol. Aristophanis *Pluto.* Ταῖς ὀγδόαις τὰ Θήσεια ἤγετο. *Octavis Thesea agebantur.* Plutarchus Καὶ ταῖς ἄλλαις ὀγδόαις τιμῶσιν αὐτόν. *Et aliis octavis eum venerantur.* Suidas. Ἡμέραι τινὲς ἐνομίζοντο Ἀθήνησι θεοῖς τισίν. οἷον νουμηνία, καὶ ἑβδόμη, Ἀπόλλωνι· τετάρτη, Ἑρμῇ· ὀγδόη, Θησεῖ. *Dies quidam Athenis sacrabantur Diis quibusdam; ut Kalendæ & septimus Apollini; quartus Mercurio; octavus Theseo.* Et quod sacrum illi factum, Ὀγδόδιον dictum. Hesychius. Ὀγδόδιον, θυσία παρὰ Ἀθηναίοις, τελουμένη Θησεῖ. *Ogdodion, sacrificium apud Athenienses celebratum Theseo.*

ΘΡΙΩ.

Apollini celebrabatur hoc festum. Hesychius. Θριὼ, λίπος, ἑορτὴ Ἀπόλλωνος. *Thrio, pinguedo, festum Apollinis.*

ΘΥΙΑ.

Baccho agitabant Elei stadiis circiter octo extra urbem; credebantque ad illa deum accedere. Celebrabant vero hoc modo. In sacello sacerdotes lebetas tres vacuos deponebant, præsentibus civibus, & peregrinis, si quos forte adesse contigisset; mox vero templi fores vel sacerdotes ipsi, vel alii, quibus mandatum hujus rei periculum facere, suo quisque annulo obsignabant: ac postridie, inspectis signis introgressi, lebetas vino repletos inveniebant. Pausanias narrat in fine *Eliac.* II. Θεῶν δὲ ἐν τοῖς μάλιστα Διόνυσον σέβουσιν Ἠλεῖοι, καὶ τὸν θεόν σφισιν ἐπιφοιτᾶν ἐς τῶν Θυίων τὴν ἑορτὴν λέγουσιν. ἀπέχει μέν γε τῆς πόλεως, ὅσον τε ὀκτὼ στάδια, ἔνθα τὴν ἑορτὴν ἄγουσι, Θυῖα ὀνομάζοντες. λέβητας δὲ ἀριθμὸν τρεῖς ἐς οἴκημα ἐσκομίζοντες οἱ ἱερεῖς κατατίθενται κενούς, παρόντων καὶ τῶν πολιτῶν, καὶ ξένων, εἰ τύχοιεν ἐπιδημοῦντες. σφραγῖδας δὲ αὐτοί τε οἱ ἱερεῖς, καὶ τῶν ἄλλων ὅσοις ἂν κατὰ γνώμην ᾖ, ταῖς θύραις τοῦ οἰκήματος ἐπιβάλλουσιν. ἐς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν, τά τε σημεῖα ἐπιγνῶναι πάρεστι σφίσι, καὶ ἐσελθόντες ἐς τὸ οἴκημα, εὑρίσκουσιν οἴνου πεπλησμένους τοὺς λέβητας. *Deorum vero inter præcipuos Bacchum colunt Elei, & Deum ipsos accedere ad Thyiorum festivitatem dicunt. Abest quidem ab urbe, circiter octo stadia, ubi festum agunt, Thyia nominantes. Lebetes autem numero tres in conclave inferentes sacerdotes deponunt inanes, præsentibus & civibus & peregrinis, si qui fuerint immorantes. Signa vero & ipsi sacerdotes, & alii quibuscunque ita placet, foribus delubri injiciunt. Sequenti mox die licet eis recognoscere signa, & ingressi in delubrum, reperiunt vino repletos lebetes.*

ΘΥΛΛΑ.

Veneris festum. Hesychius. Θύλλα. κλάδους, ἢ φύλλα, ἢ ἑορτὴ Ἀφροδίτης. *Thylla, ramos aut folia, aut sacrum Veneris.*

ΘΥΝΝΑΙΑ.

Neptuno peragebantur post thynnorum capturam, quæ si felix extitisset, thynnum, quem cepissent primum, immolabant: & sacrificium Θυνναῖον dicabant. Athenæus *lib.* VII. Καὶ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος, ἐν τῷ Περὶ λέξεως, τοὺς ἁλιέας λέγει θυσίαν ἐπιτελοῦντας τῷ Ποσειδῶνι, ὑπὸ τὴν τῶν θύννων ὥραν, ὅταν εὐαγρήσωσι, θύειν τῷ θεῷ τὸν πρῶτον ἁλόντα θύννον, καὶ τὴν θυσίαν ταύτην καλεῖσθαι Θυνναῖον. *Et Antigonus Carystius in scripto De dictione, dicit piscatores sacrificium peragentes Neptuno sub tempus thynnorum, quum felix facilisque est piscatio, immolare Deo primum thynnum qui captus est, & sacrificium illud vocare Thynnæum.*

ΙΕΡΟΣ ΓΑΜΟΣ.

In memoriam, ut puto, nuptiarum Jovis, ac Junonis, agitabatur. Hesychius. Ἱερὸς γάμος. ἑορτὴ Διὸς καὶ Ἥρας. *Sacræ nuptiæ; festum Jovis ac Junonis.* Non recte faciunt viri docti, qui eum Heræis confundunt. Meminit Menander in Comœdia, Μέθη inscripta, apud Athenæum *lib.* VI.

——ἐμὲ γὰρ διέτριψεν ὁ
Κομψότατος ἀνδρῶν Χαιρεφῶν, ἱερὸν γάμον
Φάσκων ποιῆσαι δευτέραν μετ' εἰκάδα.
—— *Me enim attrivit*
Festivissimus virorum Chærephon, sacras nuptias
Dicens fecisse post vicesimam secundam.

ΙΘΩΜΑΙΑ.

Celebrabantur a Messeniis, in honorem Jovis Ithomatæ; & antiquitus certamen quoque Musicum erat. Pausanias *Messeniacis*, ubi de Jove Ithomata. Ἄγουσι δὲ ἑορτὴν ἐπέτειον, Ἰθωμαῖα. τὸ δὲ ἀρχαῖον καὶ ἀγῶνα ἐτίθεσαν μουσικῆς. *Celebrant vero festum annuum, Ithomæa; olim vero etiam certamen posuerunt musicæ.* Stephanus *in* Ἰθώμη. Ἀφ' οὗ ὁ πολίτης, Ἰθωμάτας, καὶ Ζεὺς Ἰθωμάτας. καὶ ἑορτὴ, Ἰθώμαια. *Unde civis Ithomatas, & Jupiter Ithomatas; & festum Ithomæa.*

ΙΛΑΡΙΑ.

Festa erant, non pietati, sed lætitiæ consecrata; eaque duplicia: illa, publica; hæc, privata. Maximus Monachus in *Scholiis ad Dionysii Areopagitæ* Epist. VIII. Ἦσαν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρίας ἐκάλουν. καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἰδίαι, καὶ ἱλάρειοι, (rescribo,) ἦσαν ἰδία καὶ ἱλάρειοι) ὡς ὅταν τὶς ἔγημεν, ἢ υἱὸν ἔτεκε. αἱ δὲ κοιναὶ, καὶ δημόσιαι, Ἱλάρια ἐκαλοῦντο, ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος τὰς δημοσίας ἱλαρίας παρεῖχε, καὶ οὔτε πένθιμα ἐν ταύταις φορεῖν ἐξῆν, ἀλλὰ καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν διετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν, καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς ὡρισμένας ἡμέρας τοῖς τοιαύταις ἱλαρίαις. *Erant quidam dies idololatris, quos vocabant Hilaria. Et alii quidem singulares & hilares, ut quum quis uxorem duxisset, aut filium nactus esset: alii vero communes & publici, Hilaria vocabantur, ut quum rex renuntiatus publicas Hilaritates præberet, & per illos nec lugubria gestare licebat, sed etiam sacrificia quotidie continuabantur publica, & lugentes desinebant, & spectacula adibant, & in epulis assiduis exigebant statutos illis hilaritatibus dies.* Quæ verbo tenus descripsit Georgius Pachymerius, in ejusdem *Epistolæ paraphrasi.* Apud Romanos proprio nomine *Hilaria* dicebantur, festum Matri deum sacrum. Maximus ille *loco citato.* Ἦν δὲ καὶ Ἱλάρια ἑορτὴ ἰδικὴ Ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν. *Erant vero etiam Hilaria festum proprium Romanorum in honorem Matris Deum.* Lampridius in *Alexandro Severo: Hilariis Matris deum, & ludis Apollinaribus, & Jovis epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus.* Vopiscus in *Aureliano: Hilaribus, quibus omnia festa, & fieri debere scimus, & dici.* Celebrataque ad diem VIII. Kal. Apriles. Macrobius *Sat.* lib. I. cap. XXI. *Celebratur lætitiæ exordium ad* VIII. *Kal. Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore diem longiorem nocte protendit.*

ΙΛΙΕΙΑ.

Præteriissem istud festum, tanquam a proposito nostro alienum: nisi inter Græca viderem a doctissimo Castellano commemorari. Erat vero non Græcorum, sed Iliensium. Suidas. Ἰλίεια, Ἀθηνᾶ, ἡ παρ' Ἰλιεῦσι τιμωμένη. *Iliea, Minerva, quæ apud Ilienses culta.* Sed errat ille, qui cognomen deæ putat, quod festi nomen, deæ sacri. Eustathius *ad Iliad.* λ'. Ἰλίεια, ἑορτὴ δὲ ταῦτα ἦσαν ἐν Ἰλίῳ, γράφεσθαι μὲν ὤφειλε κατὰ τὴν παραλήγουσαν διὰ τοῦ ἰῶτα, τῷ λόγῳ τοῦ Ὀλύμπια, καὶ Πύθια. *Iliea, ea vero erant festum Ilio, scribi quidem oportebat in penultima per literam ι, ea ratione qua Olympia & Pythia.* Corruptus iste Hesychii locus in errorem Petrum Castellanum induxit. Ἰλίεια. ἑορτὴ ἐν Ἀθήναις. ἐν Ἰλίῳ Ἀθηνᾶς Ἰλιάδος καὶ πομπὴ καὶ ἀγών. *Iliea, festum Athenis. in Ilio Minervæ Iliadis & pompa & certamen.* Restituo, Ἰλίεια, ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Ἰλίῳ Ἰλιάδος. *Iliea, festum erat Minervæ in Ilio Iliadis.* Postremum illud Ἀθηνᾶς, male a supino librario geminatum, corrumpendo loco fuit; & corruptio decipiendo viro dicto.

ΙΝΩΑ.

Celebrabantur ad aquam Inus, in quam festo hoc panificia injiciebant; quæ si ea retineret, faustum omnino signum erat: si rejiceret, infaustissimum. Pausanias in *Laconicis*. Προελθόντι δὲ ἐν δεξιᾷ δύο που σταδίους, ἐστὶν Ἰνοῦς καλούμενον ὕδωρ. μέγεθος μὲν κατὰ λίμνην μικράν, τῆς γῆς δὲ ἐν βάθει μᾶλλον. ἐς τοῦτο τὸ ὕδωρ ἐν τῇ ἑορτῇ τῆς Ἰνοῦς ἐμβάλλουσιν ἀλφίτων μάζας. ταύτας ἐπὶ μὲν αἰσίῳ τοῦ ἐμβαλόντος καταδεξάμενον ἔχει τὸ ὕδωρ. εἰ δὲ ἀναπέμψαιτο σφᾶς, πονηρὸν κέκειται σημεῖον. *Progredienti autem in dextera circiter duo stadia, est Inus vocata aqua; mensura quidem circa modicæ paludis, sed terræ in profunditate superat. In hanc aquam in festo Inus injiciunt farreas pultes. Has ad felicitatem injicientis excipiens tenet aqua: quod si eas remiserit, pravum signum judicatur.* Celebrabant quoque Megarenses. Pausanias *Atticis*, ubi de iis agit. Μόνοι δέ εἰσιν Ἑλλήνων οἱ Μεγαρεῖς οἱ λέγοντες τὸν νεκρὸν τῆς Ἰνοῦς ἐπὶ τὰ παραθαλάσσιά σφισιν ἐκπεσεῖν τῆς χώρας, Κλησὼ δὲ καὶ Ταυρόπολιν εὑρεῖν τε καὶ θάψαι· θυγατέρας δὲ αὐτὰς εἶναι Κλήσωνος τοῦ Λέλεγος· καὶ Λευκοθέαν τε ὀνομασθῆναι παρὰ σφίσι πρώτοις φασὶν αὐτήν, καὶ θυσίαν ἄγειν ἀνὰ πᾶν ἔτος. *Soli vero Græcorum sunt Megarenses, qui dicunt cadaver Inus ad litoralia regionis suæ excidisse, Cleso autem & Tauropolin reperisse & sepeliisse. Esse autem illas filias Clesonis, qui filius Lelegis. Et Leucothean nominatam fuisse apud se primos dicunt eam, & sacrificium celebrare quotannis.* Antiquissima Corinthi instituta a rege Sisypho, Athamantis fratre. Isaacius Tzetzes *ad Lycophronem*, ubi de Inone agit, filioque ejus Palæmone. Σίσυφος δὲ, ἀδελφὸς ὢν Ἀθάμαντος, βασιλεύων Κορινθίων, ἀγῶνα καὶ θυσίαν ἐπ' αὐτῶν ἐτησίως ἐκέλευσε γενέσθαι. ὅθεν καὶ θεοὺς αὐτοὺς κεκλήκασι, καὶ Λευκοθέαν, ἀπὸ τοῦ τῆς θαλάσσης ἀφροῦ, τὴν Ἰνώ. *Sisyphus autem, frater Athamantis, rex Corinthiorum, certamen & sacrificium propter eos annuum fieri jussit; unde etiam Deos illos vocaverunt, & Leucothean ab spuma maris Ino.*

ΙΟΒΑΚΧΕΙΑ.

Baccho sacra erant. Demosthenes Orat. *in Neæram.* Τὰ Θεοίνια, (ita emendandum supra docui) καὶ Ἰοβάκχεια, γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια. *Theœnia & Iobacchia veneror Baccho ex ritu patrio.*

ΙΟΛΑΙΑ.

Herculi Thebani celebrabant, itaque appellabant in honorem Iolai; aliter Ἡράκλεια etiam dicta. Schol. Pindari *Olymp.* Od. VII. Ἐν δὲ Θήβαις, τὰ Ἡράκλεια. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Ἰολάϊα καλεῖται. *Thebis vero Heraclea; ea vero ipsa quoque Iolaia vocantur.* Iterum *Isthm.* Od. I. Ἐν μὲν Θήβαις, Ἰολάϊα, ἢ Ἡράκλεια. *Thebis quidem Iolaia, aut Heraclia.* Etiam Sardi, ut est observare apud Pausaniam *Phocicis*. Ἔστι δὲ οὖν καὶ κατ' ἐμὲ ἔτι χωρία τε Ἰολάϊα ἐν Σαρδοῖ, καὶ Ἰόλαος παρὰ τῶν οἰκητόρων ἔχει τιμάς. *Et siquidem etiam meo tempore & loca Iolaia in Sardinia, & Iolaus apud incolas habet honores.* Apud Thebanos eo festo certamen quoque erat, eoque qui vicisset, coronam e myrto accipiebat. Docet Scholiastes Pindari *Isthm.* Od. IV. Μυρσίνης στεφάνοις ἐν Θήβαις στεφανοῦνται, οἱ νικῶντες τὰ Ἰολάϊα. *Myrti coronis in Thebis coronantur vincentes Iolaia.*

ΚΑΒΕΙΡΙΑ.

Ita legendum esse puto apud Hesychium. Καβείρια, ἑορτὴ ἀγομένη. *Cabiria, festum celebratum.* Male hodie editur, Κάββηρα. Festum autem erat τῶν Καβείρων, qui in Lemno colebantur. Ipse statim explicat. Κάβειροι. καρκῖνοι. πάνυ δὲ τιμῶνται οὗτοι ἐν Λήμνῳ ὡς θεοί. λέγονται δὲ εἶναι Ἡφαίστου παῖδες. *Cabiri, Cancri. Valde hi coluntur in Lemno ut Dei. Dicuntur autem esse Vulcani filii.* Suidas. Κάβειροι. ὄνομα ἔθνους. σημαίνει δὲ καὶ δαίμονας. *Cabiri. nomen populi. Significat vero etiam dæmonas.* Etiam Thebani celebrabant, auctore Methapo Atheniensi. Pausanias in *Messenicis*. Ὁ δὲ Μέθαπος γένος μὲν ἦν Ἀθηναῖος, τελεστὴς, καὶ ὀργίων, καὶ παντοίων συνθέτης. Οὗτος καὶ Θηβαίοις τῶν Καβείρων τὴν τελετὴν κατεστήσατο. *Sed Methapus erat quidem genere Atheniensis, sacrificii & orgiorum quoque omnigenarum auctor. Iste etiam Thebanis Cabirorum solennitatem constituit.* Plura apud eundem vide in *Bœoticis*. Item Samothraces. Himerius in *Eclogis Declam.* Λέγεταί ποτε καὶ Ὀλυμπιάδα, τὴν ἐπὶ τοῖς Ἀλεξάνδρου τόκοις εὐδαίμονα, ὀργιάζουσαν τὰ Καβείρων ἐν Σαμοθράκῃ μυστήρια, ἰδεῖν κατὰ τὴν τελετὴν τὸν Φίλιππον. *Dicitur aliquando & Olympiadem, felicem illam partu Alexandri, obeuntem Cabirorum in Samothrace mysteria, vidisse in ipsa operatione Philippum.* Inde est apud Dionysium Periegeten.

—— Θρηϊκίη τε Σάμος, Κορυβάντιον ἄστυ.
—— *Et Thracia Samos, Corybantium castrum.*

Ad quem locum Eustathius. Τὴν δὲ Σάμον τὴν Θρακικὴν, Κορυβάντιον ἄστυ λέγει, διὰ τὰ ἐκεῖ τῶν Κορυβάντων μυστήρια. *Samum vero Thracicam dicit Corybantium castrum, propter illic sacrata Corybantum mysteria.* Scholiastes Apollonii *lib.* I. Μυοῦνται ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις. *Initiantur in Samothrace Cabiris.* Erant autem antiquissima, & Jove, ut fabulantur, priora; qui desita jam renovavit, & Jasionem, alterum ex Electra filium, quo honoratior esset, iis præfecit. isque primus, antea non solitum, cum exteris communicavit; ut major ceremoniis celebritas accederet. Diodorus Siculus *lib.* V. Τὸν δὲ Δία βουληθέντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν υἱῶν (τὸν Ἰασίωνα) τιμῆς τυχεῖν, παραδεῖξαι αὐτῷ τὴν τῶν μυστηρίων τελετὴν, πάλαι μὲν οὖσαν ἐν τῇ νήσῳ, τότε δέ πως παραδοθεῖσαν, ὧν οὐ θέμις ἀκοῦσαι, πλὴν τῶν μεμυημένων. δοκεῖ δὲ οὗτος πρῶτος ξένους μυῆσαι, καὶ τὴν τελετὴν διὰ τούτων ἔνδοξον ποιῆσαι. *Jovem vero quum voluisset quoque alterum filiorum (Jasiona)* bono-

honore mactari, demonstrasse illi mysteriorum solennitatem, olim quidem cultam in insula tunc vero quodammodo traditam per talia, quæ nefas audire præter initiatos. Videtur vero ille primus initiavisse peregrinos, & festivitatem per ea celebrem fecisse. Huc respexit Jamblichus *De Vita Pithagoræ*, lib. I. cap. XXVIII. Ἔτι δέ φασι καὶ σύνθετον αὐτὸν ποιῆσαι τὴν θείαν φιλοσοφίαν, καὶ θεραπείαν. ἃ μὲν, μαθόντα παρὰ τῶν Ὀρφικῶν. ἃ δὲ, παρὰ τῶν Αἰγυπτίων ἱερέων· ἃ δὲ παρὰ Χαλκιδέων *, καὶ Μάγων, ἃ δὲ, παρὰ τῆς τελετῆς τῆς ἐν Ἐλευσῖνι γενομένης, ἐν Ἴβρῳ τε, καὶ Σαμοθράκῃ. *Insuper autem dicunt etiam conjunxisse illum divinam philosophiam & venerationem; quum didicisset alia quidem ab Orphicis; alia ab Ægyptiis sacerdotibus; alia ab Chalcidensibus & Magis: alia denique ab morte quæ fit Eleusine & in Ibro & Samothrace.* Sed legendum illic primo, π. τῆς τελετῆς, *ab initiatione*. quod viro erudito, Joanni Arcerio, etiam visum; deinde, non ἐν ἠπείρῳ, *in continente*, ut idem existimat: sed, ἐν Ἴμβρῳ, *in Imbro*: nam Imbrus quoque Cabirorum erat. Stephanus. Ἴμβρος, νῆσος ἱερὰ Καβείρων. *Imbrus, insula sacra Cabirorum.* Eustathius in *Dionysium*. Ἡ δὲ Ἴμβρος, Θρακικὴ μέν ἐστι νῆσος, ἱερὰ Καβείρων καὶ αὐτή. *Imbrus vero, Thracica quidem est insula sacra Cabirorum etiam illa.* De Samothracibus, est etiam locus Herodoti, *lib.* II. Ὅστις δὲ τὰ Καβείρων ὄργια μεμύηται, τὰ Σαμοθρήϊκες ἐπιτελέουσι, λαβόντες παρὰ Πελασγῶν, οὗτος ὠνὴρ οἶδε τὰ λέγω. *Quisquis vero initiatus est Cabirorum orgia, quæ Samothraces peragunt, nacti ab Pelasgis, ille vir novit quæ dico.* Ubi hoc observa; illos a Pelasgis accepisse. Celebrabantur vero noctu. Cicero *De Nat. Deorum* lib. I. *Prætereo Samothraciam, eaque quæ Lemni nocturno aditu occulta coluntur.* Initiabantur his pueri a certo tempore. Donatus *ad Terentii Phorm.* Act. I. Sc. I. *Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari, more Atheniensium.* Porro Cabirorum mysteria commemorat etiam Clemens in *Protreptico*, sed corruptis hodie verbis. Καβείρους δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντες, καὶ τελετὴν Καβειρικὴν καταγγέλλουσιν. *Cabiros vero appellantes Corybantas, & mortem Cabiricam denunciant.* Restituo καὶ τελετὴν Καβειρικὴν κ. *& initiationem Cabiricam d.* Etiam Athenagoras in *Legatione*. Διαγόρα μὲν γὰρ εἰκότως ἐνεκάλουν Ἀθηναῖοι, μὴ μόνον τὸν Ὀρφικὸν εἰς μέσον κατατιθέντι λόγον, καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰ τῶν Καβείρων δημεύοντι μυστήρια. *Diagoram enim quidem merito accusarunt Athenienses, non modo Orphicum in medium proferentem sermonem, & Eleusinia & Cabirorum publicantem mysteria.* Macrobius *Sat.* lib. III. cap. IV. *Tarquinius, Demarati Corinthii filius, Samothracicis religionibus mystice imbutus.* Scholiastes Aristophanis *Pace*. Μεμυημένος. τὰ μυστήρια τῶν Καβείρων. δοκοῦσι γὰρ οἱ μεμυημένοι ταῦτα δίκαιοί τε εἶναι, καὶ ἐκ δεινῶν σώζεσθαι, καὶ ἐκ χειμώνων. *Initiatus, mysteria Cabirorum. Videntur enim illa initiati tum justi esse, tum ex periculis servari ac tempestatibus.* Ubi observandum; quod, qui illis initiati, tuti contra tempestates maris, aliaque item pericula, censerentur. Id ipsum tradit quoque Interpres vetus Apollonii *lib.* I. Τὰς τελετὰς λέγει, τὰς ἐν Σαμοθράκῃ ἀγομένας, ἃς εἴ τις μυηθείη, ἐν τοῖς κατὰ θάλασσαν χειμῶσι διασώζεται. *Initiationes dicit, quæ celebrantur in Samothrace, quas si quis initiatus fuerit, in tempestatibus in mari conservatur.* Diodorus Siculus *lib.* V. Διαβεβόηται δὲ ἡ τούτων τῶν θεῶν ἐπιφάνεια, καὶ παράδοξος ἐν τοῖς κινδύνοις βοήθεια τοῖς ἐπικαλεσαμένοις τῶν μυηθέντων. *Percelebrata est horum Deorum majestas, & inopinata in periculis* A *opitulatio si invocent initiati.* Quo respexit Aristophanes *Pace*.

Ἀλλ' εἴ τις ὑμῶν Σαμοθράκῃ τυγχάνῃ
Μεμυημένος, νῦν ἐστιν εὔξασθαι καλόν.
Sed si quis vestrum in Samothrace fuerit
Initiatus, nunc est precari oportunum.

His autem sacris quos initiare vellent, eos in folio collocabant, circum choreas agitantibus mystis aliis; idque Θρονισμός, sive Θρόνωσις, dicebatur. Observare est apud Platonem *Euthydemo*. Ποιεῖτο δὲ ταυτὸν, ὅπερ οἱ ἐν τῇ τελετῇ τῶν Κορυβάντων, (hi vero B iidem cum Cabiris, ut norunt antiquitatis periti) ὅταν τὴν θρόνωσιν ποιῶνται περὶ τοῦτον ὃν ἂν μέλλωσι τελεῖν. καὶ γὰρ ἐκεῖ χορεία τίς ἐστι καὶ παιδιά, εἰ ἄρα καὶ τετέλεσαι. *Faciunto autem idem quod in initiatione Corybantum, quando celebrant collocationem in throno circa eum, quem initiaturi sunt. Nam & illic chorea est & lusus, siquidem & initiatus es.* Has ipsas Cabirorum initiationes intellexit Dion Chrysostomus, *Orat.* XII. Καθάπερ εἰώθασιν ἐν τῷ καλουμένῳ θρονισμῷ καθίσαντες τοὺς μυουμένους οἱ τελοῦντες, κύκλῳ περιχορεύειν. *Sicut soliti sunt in solennitate thronismi, ut vocant, collocantes ini-* C *tiandos illi, qui peragunt, in orbem saltando lustrare.* Hesychius Θρόνωσις, καταρχὴ περὶ τοὺς μυουμένους. *Collocatio in throno; solennitas circa initiandos.* Platonis locum respexit Proclus, *Theol. Plat.* lib. VI. cap. XIII. Πειθόμενος δὲ ταῖς τελεταῖς ὁ Πλάτων, καὶ τοῖς περὶ αὐτὰς δρωμένοις, ἐνδείκνυται περὶ αὐτῶν, ἐν μὲν τοῖς Νόμοις, τῆς ἐκ Κορυβάντων καταυλήσεως ἡμᾶς ἀναμιμνήσκων, τῆς πᾶν τὸ ἄτακτον, καὶ θορυβῶδες, κίνημα καταστελλούσης. ἐν δὲ τῷ Εὐθυδήμῳ, τοῦ θρονισμοῦ μεμνημένος, ὃν ἐν τοῖς Κορυβαντικοῖς ἐπετέλουν. *Persuasus autem initiationibus Plato & illis quæ circa eas fiunt, declarat de illis, in Legibus quidem, nos revocans in memoriam tibia-* D *rum cantus ex Corybantibus, qui omnem inordinatum & tumultuosum motum componit: in Euthydemo autem mentionem faciens collocationis in throno, quem in corybanticis efficiebant.* Descripserat hujus in solio collocationis ritum Orpheus, sive Nicias Eleates, ut alii volunt; & Poema Θρονισμοὺς inscripserat. Suidas *in* Ὀρφεὺς, ubi ejus Opera recenset. Θρονισμοὺς, Μητρῴους, Βακχικά. ταῦτα Νικίου τοῦ Ἐλεάτου φασὶν εἶναι. *Collocationes in throno, sacerdotes Matris Deum, Bacchica: hæc dicunt esse Niciæ Eleatæ.* Porro hoc pacto initiati fascia purpurea ventrem circuligabant. Docet Scholiastes Apollonii *loco jam citato*, ubi de his mysteriis agit. Περὶ τὴν κοιλίαν οἱ μεμυημένοι ταινίας ἅπτουσι πορφυρᾶς. *Cir-* E *ca ventrem initiati tænias purpureas aptant.* Caput autem oleæ germine coronabant. Proclus *in Platonem De Rep.* Τὸ ἔλαιον, ῥώμης ὂν ποιητικὸν, καὶ γυμναστικῇ προσῆκον, οἰκείως ἔχει τῇ Κουρητικῇ θεότητι. καὶ γὰρ οἱ πρώτιστοι Κουρῆτες, τά τε ἄλλα τῇ τάξει τῆς Ἀθηνᾶς ἀνῆπται, καὶ περιεστέφθαι λέγονται τῷ θαλλῷ τῆς ἐλαίας. *Oleum, quod roboris addendi vim habet, & exercitatoriæ arti commodum, similiter habet Cureticæ majestati. Etenim primi Curetes tum alia remittunt ordini Minervæ, tum dicuntur coronati esse ramo oleæ.* Sacrorum eorum arcana prodit nobis F Arnobius *lib.* V. *Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur: frater trucidatus a fratribus.* Firmicus *De Errore Prof. Relig. In sacris Corybantum parricidium colitur; nam unus frater a duobus interemptus est.* Inde alibi ab eodem dictum, eodem Opere. *Qui fraternum desiderat sanguinem, Corybantium sequatur institutum.* Confugiebant ad hæc sacra, qui cædem aliquam admisissent; ut a sacerdote, qui Κοίης, sive Κόης, dicebatur, lustrarentur. Observare est in Hesychii *Glossis*. Κοίης, ἱερεὺς Κα-

* *Poterat etiam pro hoc reponere* Χαλδαίων.

θείρων, ὁ καθαίρων φονέα. οἱ δὲ, κόης. Cœes, sacerdos Cabirorum, purgans homicidam. alii dicunt Coes.

ΚΑΛΑΟΙΔΙΑ.

Dianæ celebrabantur apud Lacedæmonios, eratque certamen. Hesychius, Καλαοίδια, ἀγὼν ἐπιτελούμενος Ἀρτέμιδι παρὰ Λάκωσιν. *Calaœdia, certamen peragi solitum Dianæ apud Laconas.*

ΚΑΛΛΙΣΤΕΙΑ.

Lesbii celebrabant, & certamen erat in fano Junonis inter mulieres de forma, Schol. Homeri ad *Iliad. l.* Παρὰ Λεσβίοις ἀγὼν ἄγεται κάλλους γυναικῶν ἐν τῷ τῆς Ἥρας τεμένει, λεγόμενος Καλλιστεῖα. *Apud Lesbios celebratur certamen pulchritudinis mulierum in templo Junonis, quod dicunt Callisteia.* Mentio est in Hediili Epigrammate, quod sine Auctoris nomine citat Suidas in Καλλιστεῖα; exstatque Anthologiæ *lib.* VI. *cap.* VII.

> Τῷ γάρ τοι κρίναντι τὰ καλλιστεῖα Πριήπῳ
> Νεβρίδα καὶ χρυσέην τήνδ' ἔθετο πρόχοον.
> *Namque illi qui judicavit præmia formæ Priapo*
> *Pellem hinnuli & auream hanc posuit hydriam.*

Celebrarunt etiam Parrhasii, cum in urbem convenissent, a Cypselo ad Alpheum flumen ædificatam, qui instituit festo Eleusiniæ Cereris, quæque concertarent mulieres, Χρυσοφόροι appellabantur. Athenæus *lib.* XIII. Οἶδα δὲ καὶ περὶ κάλλους γυναικῶν ἀγῶνα ποτὲ διατεθέντα· περὶ οὗ ἱστορεῖ Νικίας ἐν Ἀρκαδικοῖς. διαθεῖναι φασὶν αὐτὸν Κύψελον, πόλιν κτίσαντα ἐν τῷ πεδίῳ περὶ τὸν Ἀλφειόν. εἰς ἣν κατοικήσαντας Παρρασίων τινὰς, τέμενος καὶ βωμὸν ἀναστῆσαι Δήμητρι Ἐλευσινίᾳ. ἧς ἐν τῇ ἑορτῇ καὶ τὸν τοῦ κάλλους ἀγῶνα ἐπιτελέσαι, καὶ νικῆσαι πρώτου αὐτοῦ τὴν γυναῖκα Ἡροδίκην. ἐπιτελεῖται δὲ καὶ μέχρι νῦν ὁ ἀγὼν οὗτος, καὶ ἀγωνιζόμεναι γυναῖκες Χρυσοφόροι ὀνομάζονται. *Novi vero etiam de pulchritudine mulierum aliquando agonem celebratum esse, de quo memorat Nicias in Arcadicis. Præfuisse illi dicit Cypselum, qui urbem condidit in campo circa Alpheum: in quam colonos inductos Parrhasiorum aliquos, templum & aram erexisse Cereri Eleusiniæ; cujus in festo etiam pulchritudinis certamen peragi, & vicisse primum ejus uxorem Herodicen. Celebratur vero etiam nunc istud certamen, & fœminæ certantes nominantur Auriferæ.* Ut autem fœminæ, ita etiam hoc certamen viri certarunt apud Elienses; ubi victor præmium arma accipiebat, quæ Minervæ consecrabat, vittis redimitus ab amicis, & coronam e myrto gestans, ad deæ templum accedens. Narrat id Athenæus, *loco citato* Θεόφραστος δὲ ἀγῶνα κάλλους φησὶ γενέσθαι παρὰ Ἠλείοις καὶ τὴν κρίσιν ἐπιτελεῖσθαι μετὰ σπουδῆς, λαμβάνειν τε τοὺς νικήσαντας ἆθλα ὅπλα, ἅπερ ἀνατίθεσθαι φησὶ Διονύσιος ὁ Λευκτρικὸς τῇ Ἀθηνᾷ. τὸν δὲ νικήσαντα, ταινιούμενον ὑπὸ τῶν φίλων, καὶ πομπεύοντα, ἕως τοῦ ἱεροῦ παραγίνεσθαι. τὸν δὲ στέφανον αὐτοῖς δίδοσθαι μυρρίνης ἱστορεῖ Μυρσίλος ἐν Ἱστορικοῖς Παραδόξοις. *Theophrastus vero dicit agonem pulchritudinis fieri apud Eleos, & judicium peragi cum studio, & victores accipere præmia arma, quæ consecrari dicit Dionysius Leuctricus Minervæ: Eum vero qui vicisset, ornatum tæniis ab amicis & cum pompa incedentem ad templum pergere: coronam vero illis dari ex myrto narrat Myrsilus in Historicis Paradoxis.*

ΚΑΛΛΥΝΤΗΡΙΑ.

Apud Athenienses celebrabantur. Etymologici Auctor. Καλλυντήρια, καὶ Πλυντήρια, ἑορταὶ δύο Ἀθήνησι. *Callynteria, & Plynteria duo festa Athenis.*

ΚΑΡΝΕΙΑ.

Instituta Spartæ Olympiade XXVI. Athenæus *lib.* XIV. Ἐγένετο δὲ ἡ θέσις τῶν Καρνείων κατὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὡς Σώσιμος φησὶν ἐν τῷ Περὶ χρόνων. *Facta est autem institutio Carneorum sexta & vicesima Olympiade, ut Sosimus ait in scripto de temporibus.* Et Anonymus in *Descript. Olymp.* ad ejus Olympiadis annum primum ita diserte notat. Τὰ Κάρνεια ἀγὼν πρῶτον ἐτέθη ἐν Σπάρτῃ. *Carneia agon primum positus fuit in Sparta.* Habebat autem festum hoc militiæ imitationem; quippe loca erant numero novem, Σκιάδες appellata: in quorum singulis viri novem ad mandatum publicum, per præconem denunciatum, cœnabant dies continuo novem, quibus festum terminabatur. * Athenæus *l.* IV. Δημήτριος δ' ὁ Σκήψιος ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ Τρωϊκοῦ Διακόσμου, τὴν τῶν Καρνείων φησὶν ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. τόπους γὰρ εἶναι ἐννέα μὲν τῷ ἀριθμῷ. σκιάδες δὲ οὗτοι καλοῦνται, σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι. καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρες δειπνοῦσι, πάντα τε ἀπὸ προστάγματος κηρύττεται. ἔχει τε ἑκάστη σκιὰς φρατρίας τρεῖς. καὶ γίνεται ἡ τῶν Καρνείων ἑορτὴ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα. *Demetrius vero Scepsius in primo Troici regiminis dicit Carneorum festum apud Lacedemonios esse imitamentum disciplinæ militaris: loca enim esse novem numero, qui vocantur sciades, habentes aliquid simile tentoriis: & in unoquoque novem viri cœnant, omniaque ab imperio pronunciantur, habetque singula scias tres curias: estque Carneorum festum per novem dies.* Et Eustathius extremo *Commentario ad Iliad.* ω. Ἡ τῶν Καρνείων παρὰ Λάκωσιν ἑορτὴ μίμημα ἦν στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. τόποι μὲν γὰρ ἐννέα τῷ ἀριθμῷ, σκιάδες μὲν καλούμενοι, σκηναῖς δέ τι ἔχοντες παραπλήσιον. ἐννέα δὲ καθ' ἕκαστον ἄνδρες ἐδείπνουν. φιλία ἴσως καὶ ἐκεῖ ἀριθμοῦ Ὁμήρου φίλου τοῦ ἐννέα. διὸ καὶ ἐπάγει ὁ ταῦθ' ἱστορήσας τὸ, γίνεται δὲ ἡ ἑορτὴ ἐφ' ἡμέρας ἐννέα. *Carneorum apud Laconas festum est imitatio vitæ militaris. loca enim novem quidem numero, sciades vero appellati, tentoriis item habentes aliquid simile: novem vero viri in unoquoque cœnabant. amicitia fortassis etiam illic numeri Homeri amici novenarii. Propterea etiam adjungit ille qui hæc narravit, istud, procedit autem hoc festum ad dies novem.* Primus autem festi dies erat mensis Carnei septimus. Observo apud Plutarchum *Symp* l. VIII. q. I. Ὁ δὲ Φλῶρος οὐδὲ Καρνεάδην ἀπαξιοῦν ἔφη μνήμης ἐν τοῖς Πλάτωνος γενεθλίοις, ἄνδρα τῆς Ἀκαδημίας εὐκλεέστατον ὀργιαστήν. Ἀπόλλωνος γὰρ ἀμφοτέρους ἑορτῇ γενέσθαι. τὸν μὲν γὰρ Θαργηλίοις Ἀθήνησι, τὸν δὲ Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων. ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσι. *Florus vero dixit neque Carneadem judicare indignum memoria in Platonis nataliciis repotiis, virum Academiæ clarissimum sacrificulum: Apollinis enim festo utrosque natos esse; hunc quidem Athenis per Thargelia, illum vero Cyrenensibus celebrantibus. Et utraque septimo die coluntur.* Ac certamen tunc quoque erat. Anonymus in *Descript. Olymp.* citatis jam verbis. Τὰ Κάρνεια ἀγὼν πρῶτον ἐτέθη ἐν Σπάρτῃ. *Carnia festus ludus primum positus est in Sparta.* Eoque primus victoriam retulit Terpander. Athenæus *lib.* XIV. Τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ, ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνεονίκαις, καὶ ἐν τοῖς καταλογάδην. *Carnia primus omnium Terpander vicit, ut Hellanicus narrat, tum in poetico scripto Carneonicarum, tum*

* *In eis quæ hic scribit, nulla apparet imitatio militiæ, quia præterit considerare voces* σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν, τι, *in quibus solis ea consistit, nec debuit negligere.*

in prosaico. De eo ipso est Plutarchi locus in *Lac. Instit.* Τιμοθέου δὲ ἀγωνιζομένου τὰ Κάρνεια, εἷς τῶν ἐφόρων, μάχαιραν λαβὼν, ἠρώτησεν αὐτὸν, ἐκ ποτέρου τῶν μερῶν ἀποτέμοι τὰς πλείους τῶν ἑπτὰ χορδῶν. *Timotheo autem certante Carnea, unus ephororum, machæra sumpta, rogavit eum, ex qua parte abscideret plures ex septem chordis*. Sacerdos, qui hoc festo rem sacram faceret, Ἀγητὴς dicebatur. Hesychius: Ἀγητὴς, ὁ ἱερωμένος. ἄτιμος. ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τοῦ θεοῦ. *Agetes, sacratus, inhonoratus. In Carneis autem sacratus Deo*. Ita emendo. Non recte editur, ἱερωμένος τῆς θεοῦ, *sacratus Deæ*. Nam Apollini sacra Carnea erant.

ΚΑΡΥΑ.

Dianæ in honorem celebrabantur. Hesychius. Καρύαι. τὰς ἀμυγδάλους, καὶ κασάνας. καὶ τόπος Ἀρτέμιδος, καὶ ἑορτὴ, Καρύα. *Caryæ*; (*notant*) *amygdalos, & castaneas, & locus Dianæ, & festum Carya*. Fortassis idem est festum, quod

ΚΑΡΥΑΤΙΣ

eidem Hesychio commemoratur, Καρυᾶτις, ἑορτὴ Ἀρτέμιδος, καὶ ἱερόν. *Caryatis, festum Dianæ, & sacrum*. Erat autem Dianæ id festum apud Laconas, celebratum Caryis; virginesque, dum id celebratum, choreas deæ in honorem agitabant. Pausanias *Laconicis*. Τρίτη δὲ ἐκ τῆς ὁδοῦ τῆς εὐθείας ἐμβολὴ κατὰ τὰ δεξιὰ ἐς Καρύας ἄγει, καὶ ἐς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος. τὸ γὰρ χωρίον Ἀρτέμιδος καὶ Νυμφῶν ἐστιν αἱ Καρύαι. καὶ ἄγαλμα ἕστηκεν Ἀρτέμιδος ἐν ὑπαίθρῳ Καρυάτιδος. χοροὺς δὲ ἐνταῦθα αἱ Λακεδαιμονίων παρθένοι κατὰ ἔτος ἱστᾶσι, καὶ ἐπιχώριος αὐταῖς καθέστηκεν ὄρχησις. *Tertium autem ex via recta divortium versus dextera ducit ad Caryas templum Dianæ. Est enim locus Dianæ & Nympharum Cariæ, & stat simulacrum Dianæ Caryatidis sub Divo; choros autem illic Virgines Lacedæmoniorum quotannis agunt, & patria illis constituta est saltatio*. Diomedes Grammatices *lib.* III. *Quo tempore, adventante Xerxe in Græciam, omnes, deserta Laconia, metu Barbarorum perterriti, in diversas partes fugisse creduntur; & cum virgines timore laterent, ex hoc evenisse, ut eo die, quo solitus erat chorus virginum Dianæ Caryatidi hymnum canere, nemo ad solenne sacrum inveniretur*. Huc pertinet illud Statii *Theb.* IV.

Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ.

Ubi corruptus valde Lutatius Interpres, & per occasionem emendandus. *Templum in Laconia Dianæ sacrum, quod etiam Carratium nominatum est ex hac causa. Cum luderent virgines, meditatus ruinam omnis chorus in arborem nucis fugit, & in ramo ejus pependit; quam nucem Græci caram vocant. Ergo de arbore, & templo, & de dea, nomen accepit*. Restituo, *q. etiam* Καρυάτιον *nominatum*. Deinde, *q. n. Græci* καρύαν *vocant*. Denique, *Ergo de arbore & templum, & dea nomen a.*

ΚΙΣΣΟΤΟΜΟΙ.

Festum isthoc apud Phliasios erat, Hebæ sacrum. Pausanias *Corinthiacis*. Παρὰ δὲ Φλιασίοις τῇ θεῷ ταύτῃ (τῇ Ἥβῃ) καὶ ἄλλαι τιμαὶ, καὶ μέγιστον τὸ ἐς τοὺς οἰκέτας ἐστί. δεδώκασι γὰρ δὴ ἄδειαν ἐνταῦθα ἱκετεύουσιν. λυθέντες δὲ οἱ δεσμῶται, τὰς πέδας πρὸς τὰ ἐν τῷ ἄλσει δένδρα ἀνατιθέασιν. ἄγεται δὲ καὶ ἑορτὴ σφίσιν ἐπέτειος, ἣν καλοῦσι Κισσοτόμους. *Sed apud Phliasios Deæ illi (Hebæ vel Juventæ) & alii honores, & maximum est, quod ad servos pertinet. Dederunt enim securitatem illic supplicantibus. Captivi quoque soluti, compedes ad arbores in luco dedicant. Celebratur etiam festum illis annuum, quod vocant Hederisecas*.

ΚΛΑΔΕΥΤΗΡΙΑ.

Hesychius. Λέγουσι Μεσσάπιοι καὶ ἑορτὴν Βισβαίαν, ἣν ἡμεῖς Κλαδευτηρίαν λέγομεν. *Messapii dicunt & festum Bisbæum, quod nos dicimus Cladeuteriam*.

ΚΝΑΚΑΛΗΣΙΑ.

Dianæ Cnacalesiæ celebrabant quotannis in monte Cnacalo Caphyatæ. Meminit Pausanias in *Arcadicis*. Καφυάταις δὲ ἱερὰ θεῶν Ποσειδῶνός ἐστι, καὶ ἐπίκλησιν Κνακαλησίας Ἀρτέμιδος. Ἐστὶ δὲ αὐτοῖς καὶ ὄρος Κνάκαλος, ἔνθα ἐπέτειον τελετὴν ἄγουσι τῇ Ἀρτέμιδι. *Apud Caphyatas sunt templa Deorum Neptuni & Dianæ cognomento Cnacalesiæ. Est autem eis etiam mons Cnacalus, ubi annuum festum celebrant Dianæ*.

ΚΟΝΝΙΔΕΙΑ.

In Connidæ, Thesei pædagogi, honorem celebrabant Athenienses pridie Theseorum, arietem ei immolantes, Plutarchus in *Vita Thesei*. Ἐπιστάτην ἔχειν, καὶ παιδαγωγὸν, ὄνομα Κοννίδαν. ᾧ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι μιᾷ πρότερον ἡμέρᾳ τῶν Θησείων κριὸν ἐναγίζουσιν. *Habere inspectorem & pædagogum, nomine Connidan. cui usque ad hoc tempus Athenienses die præcedente festum Thesei immolant arietem*.

ΚΟΡΕΙΑ.

In Proserpinæ honorem agitata. Scholiastes Pindari *Olymp.* Od. VII. Πολλοὶ δ' ἄγονται ἀγῶνες ἐν Ἀρκαδίᾳ, Λύκαια, Κόρεια, Ἀλέαια. *Multa vero celebrantur certamina in Arcadia, Lycæa, Corea, Aleæa*. Plutarchus in *Dione*. Ταῦτα ποιήσας ὁ Κάλλιππος πάντα, καὶ τὸν ὅρκον ἀπομόσας, οὕτω κατεγέλασε τῶν θεῶν, ὥστε περιμείνας τὴν ἑορτὴν ἧς ὤμοσε θεᾶς, δρᾶν τὸν φόνον ἐν τοῖς Κορείοις. *Hæc omnia, quum egisset Callippus, & jurejurando firmasset, sic derisit Deos, ut expectato festo Deæ quam juraverat, commiserit cædem in Coreis*. Hesychius. Κορεία, θεραπεία, καλλονή. ἡ θυσία τῇ Κόρῃ τελουμένη. *Corea, cultura, pulchritudo; aut sacrificium quod fit Proserpinæ*.

ΚΡΟΝΙΑ.

Saturno peragebantur. Theodoretus *Therapeutico* VII. Ἀπεκλήρωσε πανηγύρεις ἑκάστῳ τῶν δαιμόνων, ἐκ τῆς προσηγορίας ὀνομάσας τὴν ἑορτήν. Ἑρμαῖα, καὶ Κρόνια. *Sortito designavit solennitates publicas cuique dæmonum, ex appellatione nominans eas: Mercurialia, & Saturnia*. Scholiastes Aristophanis *Nubibus* Ἐστὶ Κρόνια παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἑορτὴ, τὰ παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενα Σατορνάλια. *Cronia sunt apud Græcos festum, apud Romanos vocata Saturnalia*.

ΚΥΝΟΦΟΝΤΙΣ. *

Argivorum festum erat, quod diebus canicularibus celebrabant, ita dictum, ut videtur, quia tunc canes occiderentur. Colligere est ex Athenæo, *l.* III. Μὴ βαύζε, εἶπεν, ὦ ἑταῖρε, μηδὲ ἀγριαίνης, τὴν κυνικὴν προβαλλόμενος λύσσαν, τῶν ὑπὸ κύνα ὄντων ἡμερῶν δέον αἰκάλλειν μᾶλλον, καὶ προσσαίνειν τοῖς συνδείπνοις, μὴ καί τινα Κυνοφόντιν ἑορτὴν ποιησώμεθα, ἀντὶ τῆς παρ' Ἀργείοις τελουμένης. *Ne latra, inquit, amice, nec efferveris, cynicam prætendens insaniam, quum diebus canicularibus oporteat magis blandiri & adsentari convivis, ne forsan fecerimus festum aliquod Canicidium, pro eo quod apud Argivos peragitur*.

* *De hac videri tamen debet Th. Reinesius lib.* I. Var. Lection. *c.* XV. *ubi hoc festum delet*.

JOANNIS MEURSII GRÆCIÆ FERIATÆ, SIVE DE FESTIS GRÆCORUM, LIBER V.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

NOMEN festi est ignotum. In hoc fœminæ optimates seorsim in androne magno pervigilium agitabant; reliquæ vero promiscue cum familia universa. Meminit Plutarchus, *Amator. Narrat.* ultima, ubi de Alcippo Lacedæmonio & uxore ejus Damocrita. Πανταχόθεν δὲ ἡ Δαμοκρίτα περιελαυνομένη, ἐτήρησέ τινα πάνδημον ἑορτὴν, ἐν ᾗ γυναῖκες ἅμα παρθένοις, καὶ οἰκείοις, καὶ νηπίοις ἑώρταζον. αἱ δὲ τῶν ἐν τέλει, καθ᾽ ἑαυτὰς ἐν ἀνδρῶνι μεγάλῳ διεπαννύχιζον. *Undiquaque vero Damocrita circumducta observabat aliquod commune populi festum, in quo mulieres cum virginibus, & familiaribus, & infantibus feriabantur. Sed magistratuum uxores seorsum in magno conclavi, quod a viris occupari solet, agebant pervigilium.* Aliud quoque, pariter ignotum, in quo fœminæ viros cœlibes, circum aram tractos, colaphis cædebant; ut hac contumelia eos ad uxorem ducendam impellerent. Athenæus initio *lib.* XIII. Κλέαρχος δ᾽ ὁ Σολεὺς ἐν τοῖς Περὶ παροιμιῶν. ἐν Λακεδαίμονι, φησὶ, τὰς ἀγάμους αἱ γυναῖκες ἐν ἑορτῇ τινὶ περὶ τὸν βωμὸν ἕλκουσαι ῥαπίζουσιν, ἵνα τὴν ἐκ τοῦ πράγματος ὕβριν φεύγοντες, φιλοστοργῶσί τε, καὶ ἐν ὥρᾳ προσίωσι τοῖς γάμοις. *Clearchus vero Solensis in libris de Parœmiis; Lacedæmone, ait, cælibes ab uxoribus in festo quodam circum aram tracti verberantur, ut contumeliam ex hac re manantem vitantes, ament amare, & oportuno tempore accedant ad nuptias.*

ΛΑΜΠΑΣ.

Lampadum certamen erat. Dixi de eo nuper libro *De Populis Atticæ*, quia occasio erat, in Κεραμεικός. Hic reponam, emendatius, pleniusque, loco proprio. Hesychius. *Λαμπάς. Λαμπάδος ἀγών. Lampas. Lampadis certamen.* Andocides Orat. *in Alcibiadem*. Καίτοι τυγχάνω νενικηκὼς εὐανδρίᾳ, καὶ λαμπάδι, καὶ τραγῳδοῖς. *Quum tamen vicerim & robore, & lampade, & tragœdis.* Ita enim locum illum, corruptum hodie, emendandum pridem monui, libro, quem jam dixi, & loco. Arrianus *De exped. Alexandri*, lib. III. Ἀλέξανδρος, καὶ λαμπάδα ποιήσας, καὶ ἀγῶνα γυμνικόν. *Alexander quum & lampada fecisset, & agonem gymnicum.* Æneas Tacticus *Poliorcetici* cap. XVII. Ἐν δὲ μὴ ὁμονοούσῃ πόλει, καὶ ὑπόπτως πρὸς ἀλλήλους ἐχόντων, χρὴ προνοοῦντα εὐλαβεῖσθαι τὰς μετ᾽ ὄχλου ἐξόδους, ἐπὶ θεωρίαν λαμπάδος, καὶ ἱπποδρομίας, καὶ τῶν ἄλλων ἀγώνων. *In civitate autem non concordi, & suspectis invicem sibi (incolis) oportet præmeditantem vereri exitus frequentes ad spectaculum lampadis, vel equorum cursus aliorumque ludicrorum.* Isæus in *Orat.* Περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου. Τηλικοῦτος ὢν τετριηράρχηκε, κεχορήγηκε δὲ τραγῳδοῖς, γεγυμνασιάρχηκε δὲ λαμπάδι. *Talis cum esset, trierarchus fuit, & præbitor fuit tragœdis, & gymnasiarcha in festo Lampadis.* Inscriptio vetus.

ΛΑΜΠΑΔΑ
ΝΕΙΚΗΣΑΣ
ΣΥΝ ΕΦΗΒΟΙΣ ΤΥΔΑ
ΝΕΘΗΚΑΣΟ
ΤΥΧΙΔΟΥ
ΑΘΜΟΝΕΥΣ.

Lampadis
Victor
Cum Ephebis
Hoc dedicavi
Opanton
Otycbidæ
Athmonensis.

Meminit etiam Xenophon Περὶ προσόδων, & Pollux *lib.* VIII, *cap.* IX Peragebatur autem in Ceramico extra urbem. Suidas. Κεραμεικὸς, τόπος τῆς Ἀττικῆς ὑψηλὸς, ὅπου ἐπετέλουν Ἀθηναῖοι κατ᾽ ἔτος λαμπάδος χοροῦ ἀγῶνα. *Ceramicus. locus Atticæ excelsus, ubi quotannis Athenienses peragebant Lampadis chori agonem.* Erat vero triplex; unumque Panathenæis, alterum Vulcanalibus, tertium Prometheis celebrabatur. Scholiastes Aristophanis *ad Ranas.* Ὁ τῆς λαμπάδος δὲ ἀγὼν τρίτον Ἀθήνησιν ἤγετο κατὰ τὰ Προμήθεια, Ἡφαίστεια, Παναθήναια. *Lampadis vero solennitas tertium Athenis agebatur, per Promethia, Vulcanalia, Panathenæa.* Harpocration. Τρεῖς ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος. Παναθηναίοις, καὶ Ἡφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. *Tres celebrant Athenienses festa Lampadis, Panathenæis, & Vulcanalibus, & Promethiis.* Ac sacra singula diis festorum præsidibus, Minervæ, Vulcano, & Prometheo. Scholiastes Aristophanis *ad Ranas*. Λαμπαδηδρομίαι γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, Ἀθηνᾶς, Ἡφαίστου, Προμηθέως. *Lampadum cursus fiunt tres in Ceramico, Minervæ, Vulcani, Promethei.* Vide quoque Etymologici Auctorem in Κεραμεικός. Plato *De Rep.* lib. I. Λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ᾽ ἵππων τῇ θεῷ. *Lampas erit ad vesperam ab equis Deæ.* Minervam intelligit; cui ut proprium festum illud Panathenaicum, ita, quod tum celebrari usitatum, Lampadum certamen. Alterius, Vulcano sacri, meminit Herodotus, *lib.* VIII. Καθάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορία, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. *Sicut Græcis Lampadis translatio, quam Vulcano peragunt.* Etiam Themistius Orat. *De Theodosii Humanitate*. Καὶ τότ᾽ ἐγὼ μόνον ᾐσθόμην φωνῆς νικώσης τῷ τάχει τὴν τῷ Ἡφαίστῳ τελουμένην λαμπαδηφορίαν, καὶ διὰ πομπίμων ἐξ ἄλλων εἰς ἄλλους, σταδίους πόσους καὶ πόσους, ὥσπερ φρυκτωρίας διαπεμπομένην. *Et tunc ego tan-*

tum lætabar voce quæ vinceret celeritate illam Lampadis translationem Vulcano agi solitam, & per missoria ab aliis ad alios, tot & tot stadia, tanquam ignium specula transmissam. Et certaturi ex turri quadam, quæ in Ceramico, accensas faces accipiebant. Hinc Aristophanes *Ranis*.

ΗΡ. Καθέρπυσον νῦν ἐς Κεραμεικόν. ΔΙ. κᾆτα τί;
ΗΡ. Ἀναβὰς ἐπὶ τὸν πύργον ὑψηλόν. ΔΙ. τί δρῶ;
ΗΡ. Ἀφειμένην τὴν λαμπάδ' ἐντεῦθεν θεῶ.
Κἄπειτ' ἐπειδὰν φῶσιν οἱ θεώμενοι
Εἶναι, τόθ' εἶναι καὶ σὺ σαυτόν. ——

HER. Derepito nunc in Ceramicum. DI. Propter quid?
HER. Ascendens in altam turrim. DI. Quid facio?
HER. Demissam lampadem inde Deo.
Deinde postquam dixerint spectantes
Ire, tunc ire & te ipsum.

Ubi Scholiastes. Κεραμεικὸς δὲ τόπος Ἀθήνησιν, ὅπου συνετέλουν οἱ Ἀθηναῖοι κατ' ἐνιαυτὸν λαμπαδοῦχον ἀγῶνα. πρὸς δὲ τῷ τόπῳ τούτῳ πύργον τινὰ ὑπάρχειν φασίν, ἐφ' ὃν συμβουλεύει αὐτὸν ἀναβάντα θεωρεῖν τὴν λαμπάδα. *Ceramicus autem locus Athenis, ubi peragebant Athenienses anniversarium certamen per lampadas. Prope locum vero istum dicunt turrim esse, in quam suadet ipsum adscendentem spectare lampada.* Dixi in Ceramico certatum; sed Promethea in Academia peragebant. Clarum ex Pausania in *Atticis*; qui tradit, aram in Academia Promethei fuisse, unde accensas faces in urbem cursu deferebant. Ἐν Ἀκαδημίᾳ δὲ, inquit, ἐστι Προμηθέως βωμός. καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. *In Academia vero est Promethei ara; & currunt ab illa ad urbem habentes ardentes lampadas.* Et accendi in Academia faces solitas tradit quoque Plutarchus *Solone*, ad Cupidinis nempe statuam, quæ illic erat, a Pisistrato collocata. Verba ejus ecce ista. Λέγεται δὲ καὶ Πεισίστρατος ἐραστὴς Χάρμου γενέσθαι, καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἔρωτος ἐν Ἀκαδημίᾳ καθιερῶσαι, ὅπου τὸ πῦρ ἀνάπτουσιν, οἱ τὴν ἱερὰν λαμπάδα διαθέοντες. *Dicitur autem quoque Pisistratus amator Charmi fuisse, & imaginem Amoris in Academia consecravisse, ubi ignem accendunt illi, qui discurrunt lampadem.* Solvam nodum, ne quid turbet. Academia, & Ceramicus, idem erant. Hesychius. Ἀκαδημία, λουτρὸν, ἢ πόλις. λέγεται δὲ γυμνάσιον Ἀθήνησιν ἀπὸ Ἀκαδήμου ἀναθέντος. καὶ τόπος. καλεῖται δὲ οὗτος ὁ Κεραμεικός. *Academia, lavacrum, aut urbs. Dicitur autem gymnasium Athenis ab Academo, qui dedicavit; & locus: nam vocatur ille Ceramicus.* Sed hæc de eo certamine capienda, quod Vulcanalibus, Prometheisve, habebatur; nam quod Panathenæis fuit in Piræeo celebratum: ut ostendo libro *de illis* singulari. Ut vero singula singulis sacra, ita uni Pani universa. Accipio ex Libanii verbis *Declam.* xv. Μηδ' ὁράσθω τοίνυν ὁ βωμὸς, μέχρις ἂν θεραπεύηται Παναθηναίοις μὲν Ἀθηνᾶ, Μυστηρίοις δὲ Δημήτηρ, τῇ Λαμπάδι δὲ ὁ Πάν. *Neque igitur aspiciatur ara, donec colatur Panathenæis quidem Minerva, Mysteriis autem Ceres, Lampade autem Pan.* Invenio ejus rei originem apud Herodotum *lib.* VI. Περὶ τὸ Παρθένιον ὄρος τὸ ὑπὲρ Τεγέης ὁ Πὰν περιπίπτει. βώσαντα δὲ τὸ οὔνομα τοῦ Φειδιππίδεω τὸν Πᾶνα, Ἀθηναίοισι κελεῦσαι ἀπαγγεῖλαι, διότι ἑωυτοῦ οὐδεμίαν ἐπιμέλειαν ποιεῦνται, ἐόντος εὔνου ἤδη Ἀθηναίοισι, καὶ πολλαχῆ γενομένου ἤδη σφίσι χρησίμου, τὰ δ' ἔτι καὶ ἐσομένου. καὶ ταῦτα μὲν Ἀθηναῖοι, καταστάντων σφίσι εὖ ἤδη τῶν πραγμάτων, πιστεύσαντες εἶναι ἀληθέα, ἱδρύσαντο ὑπὸ τῇ ἀκροπόλι Πανὸς ἱερὸν, καὶ αὐτὸν ἀπὸ ταύτης τῆς ἀγγελίης θυσίῃσι ἐπετείῃσι, καὶ Λαμπάδι, ἱλάσκονται. *Circa Parthenium montem,*

A *qui est super Tegeam, Pan fit obvius. Hunc igitur Panem inclamantem nomen Phidippidis, jussisse annunciare Atheniensibus, cur sui nullam gererent curam, qui benevolus esset Atheniensibus, & crebro illis jam fuisset commodus, fortassis & alia futurus. Et ista Atheniensibus, rebus ipsorum bene jam cedentibus, credentes esse vera, exstruxerunt sub arce templum Panis, illumque ab hoc nuncio annuis sacrificiis & Lampade placant.* Ubi non recte eruditissimi Interpretes Λαμπάδι vertunt; *ex ardenti candelabro*: debuissent, *Lampadis certamine*. Atque ut certamen erat triplex, ita tres numero, qui certabant. B Certamen autem istud erat; ut facem ardentem in locum destinatum perferrent. nam cui exstingui illam contingeret, is victoria excidebat. Utrumque est animadvertere apud Pausaniam *loco citato*. Τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ δρόμῳ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην, ἐστίν. ἀποσβεσθείσης δὲ, οὐδέν ἐστι τῆς νίκης τῷ πρώτῳ. δευτέρῳ δ' ἀντ' αὐτοῦ μέτεστιν. εἰ δὲ μηδὲ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, οὐδείς ἐστιν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. *Certamen vero in eo consistit, ut simul cum cursu servet facem adhuc ardentem. Qua exstincta, nihil ad victoriam residuum est primo: sed secundo ab eo id cedit. Quod si neque illi ardens maneat, tertius* C *est, qui obtinet. Quod si etiam omnibus exstinguatur, nullus est, cui victoria supersit.* Tradebant nempe inter currendum alter alteri. Interpres Vetus Persii *Sat.* VI. *Apud Athenas, cum juvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat, deinde sequenti se tradebat, & secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus impleretur.* Psellus in *Phys.* v. ut quidem Joannes Baptista Camotius vertit, nam Græcus textus nondum editus. *Quemadmodum & in cursu fiebat, in quo faces adhibebantur. Eo enim cursus certamine ii qui currebant, inter currendum vicee inter se partita ἐκ διαδοχῆς facem accensam alius alii dabant, & accipiebant; rur-* D *sumque accensam conservabant.* Inde nimirum dictum a Persio *loco citato*.

Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?

Varro *De Re Rust.* lib. III. cap. XVI. *Sed, o Merula, Axius noster ne, dum hoc audit, physicam addiscat, quod de fructu nihil dixit, nunc cursu lampada tibi trado.* Lucretius *lib.* II.

Inque brevi spatio mutantur secla animantum,
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Aristoteles *Physic.* lib. v. cap. IV. Ἡ λαμπὰς, ἐκ διαδοχῆς, φορὰ ἐχομένη. *Lampas ex successione & vicissitudine, est latio cohærens.* Et currebant qui- E dem pedibus; nisi quod Panathenæis postea etiam in equis cœperunt. Observo ex Platonis *verbis*, jam ante citari a me cœptis. Ἀρά γε, ἦδ' ὅς, οὐδ' ἴστε ὅτι λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ; ἀφ' ἵππων, ἦν δ' ἐγώ, καινόν γε τοῦτο. *Utique ajebat ille, nostis lampadem fore ad vesperam ex equis Deæ? ab equisne, inquiebam ego; illud quidem novum.* Quia autem, ne facem exstinguerent nimia cursus agitatione segnius interdum currebant, ea propter sese mutuo, risus excitandi causa, planis manibus verberabant. atque inde verbera, eo modo illata, Κεραμεικαὶ πληγαὶ diceban- F tur. Hesychius. Κεραμεικαὶ πληγαὶ πλατεῖαι. ἀγὼν γὰρ Ἀθήνησιν ἐντελὴς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, ἐν ᾧ τύπτουσι πλατείαις χερσὶ τοὺς μὴ τρέχοντας, καὶ τοὺς ἄλλους ἀγωνιστὰς, γέλωτος χάριν. *Ceramicæ plagæ latæ. Agon enim Athenis integer in Ceramico, in quo verberant planis manibus eos qui non currunt, & alios certatores, risus causa.* Schol. Aristophanis *ad Ranas*, istis verbis.

—— κᾆθ' οἱ Κεραμῆς
Ἐν ταῖσι πύλαις παίουσ' αὐτοῦ
Γαστέρα, πλευρὰς, λαγόνας, πυγήν.

Ο᾽ δὲ τυπτόμενος ταῖσι πλατείαις,
Υποπερδόμενος,
Φυσῶν τὴν λαμπάδ᾽, ἔφευγε.
—— *Postea Ceramenses*
In portis feriunt ejus
Ventrem, latera, ilia, podicem.
Ille autem verberatus planis,
Suppedens,
Flans lampada, fugit.

Ταῖς πλατείαις, inquit, χερσὶ δηλονότι, ἢ οὕτω λεγομέναις Κεραμεικαῖς πληγαῖς τε καὶ πλατείαις. *Planis, manibus scilicet, aut ita dictis Ceramicis plagis & planis.*
B Præerant porro huic certamini ὁ Βασιλεὺς qui dictus, & οἱ Επιμεληταί. Pollux *l.* VIII. *cap.* IX. *sect.* III. Ο᾽ δὲ Βασιλεὺς, μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν Επιμελητῶν, καὶ Ληναίων, καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ λαμπάδι. *Rex vero, præest mysteriis cum Curatoribus tum Lenæis, item certaminibus ad facem.* Qui victor evaserat, Λαμπαδηφόρος dicebatur. Hesychius. Λαμπάς. λαμπάδος ἀγών. καὶ ὁ νικήσας λέγεται λαμπαδηφόρος. *Fax; facis Ludicrum: & qui vicit, dicitur facis lator.*

ΛΑΜΠΤΗΡΙΑ.

C Celebrabant Pellenenses in Achaia, in honorem Bacchi τοῦ Λαμπτῆρος, faces in templum noctu inferentes, & vini crateres passim per urbem disponentes. Pausanias Achaicis, ubi de Pellenensibus agit. Τοῦ δὲ ἄλσους τῆς Σωτείρας ἱερὸν ἀπαντικρὺ Διονύσου Λαμπτῆρός ἐστιν ἐπίκλησιν. τούτῳ καὶ Λαμπτηρίαν ἑορτὴν ἄγουσι, καὶ δᾷδάς τε ἐς τὸ ἱερὸν κομίζουσιν ἐν νυκτὶ, καὶ οἴνου κρατῆρας ἱστᾶσιν ἀνὰ τὴν πόλιν πᾶσαν. *Luco autem Servatricis templum e regione est Bacchi Lampteris cognomine. Huic etiam festum celebrant Lampterian, & tum faces in templum noctu ferunt, tum vini crateres statuunt per omnem urbem.*

D ΛΑΡΙΣΣΑΙΩΝ ΑΓΩΝ.

Certabant in eo juvenes disco, aliisque certaminibus singillatim; quia nondum quinquertium erat. Scholiastes Apollonii, *lib.* IV. ubi de Perseo, & Acrisio. Καὶ ὅτε δὴ ἔμελλον ἰέναι, συντυγχάνει ἀγῶνι νέων ἐν τῇ Λαρίσσῃ, καὶ ὁ Περσεὺς ἀποδύεται εἰς τὸν ἀγῶνα, καὶ λαβὼν τὸν δίσκον, δισκεύει. τὸ δὲ πένταθλον οὔπω ἦν. ἀλλ᾽ ἰδίᾳ ἕνα ἕκαστον τῶν ἄθλων ἤθλουν. *Et quum ituri essent, occurrit certamini adolescentum Larissæ; & Perseus exsuendo accingitur ad certamen,*
E *& accepto disco eum projicit: quinquertium vero nondum erat: sed particulatim unumquodque athlorum certabant.*

ΛΑΦΡΙΑ.

Dianæ Laphriæ agebant Patrenses, hunc in modum. Ligna viridia, cubitorum sedecim singula, circa aram disponebant; intra aram aridissima: sub festi tempus ascensum ad aram exstruentes, limum ad aræ gradus aggerebant. ac pompam primum deæ instruebant magnificentissimam; in ea sacerdos virgo ultima omnium curru, quem trahebant
F cervi, vehebatur. postero die sacra facta, magno omnium publice privatimque studio. Intra aræ autem septum animalia viva conjiciebant, & arborum pomiferarum fructus; inde igne injecto incendebant. Pausanias *Achaicis.* Αγουσι δὴ καὶ Λαφρία ἑορτὴν τῇ Αρτέμιδι οἱ Πατρεῖς ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐν ᾗ τρόπος ἐπιχώριος θυσίας ἐστὶν αὐτοῖς. περὶ τὸν βωμὸν ἐν κύκλῳ ξύλα ἱστᾶσιν ἔτι χλωρὰ, καὶ ἐς ἑκκαίδεκα ἕκαστον πήχεις. ἐντὸς δὲ τοῦ βωμοῦ τὰ αὐότατά σφισι τῶν ξύλων κεῖται. μηχανῶνται δὲ ὑπὸ τὸν καιρὸν τῆς ἑορτῆς

A ἄνοδον ἐπὶ τὸν βωμὸν, λειοτέραν ἐπιφέροντες γῆν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοὺς ἀναβαθμούς. πρῶτα μὲν δὴ πομπὴν μεγαλοπρεπεστάτην τῇ Αρτέμιδι πομπεύουσι, καὶ ἱερωμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. ἐς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν, τηνικαῦτα ἤδη δρᾷν τὰ ἐς τὴν θυσίαν νομίζουσι, δημοσίᾳ τε ἡ πόλις οὐχ ἧσσον ἐς τὴν ἑορτὴν ἢ οἱ ἰδιῶται φιλοτίμως ἔχουσιν· εἰσβάλλουσι γὰρ ζῶντας ἐς τὸν βωμὸν, ὄρνιθάς τε τοὺς ἐδωδίμους, καὶ ἱερεῖα ὁμοίως ἅπαντα, ἔτι δὲ ὗς ἀγρίους, καὶ ἐλάφους τε καὶ δορκάδας. οἱ δὲ καὶ λύκων, καὶ ἄρκτων, σκύμνους. οἱ δὲ καὶ τέλεια τῶν θηρίων. κατατιθέασι δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν καὶ δένδρων καρπὸν τῶν ἡμέρων. τὸ δὲ ἀπὸ τούτου πῦρ
B ἐνιᾶσιν εἰς τὰ ξύλα. *Sed & Laphriæ * festum Dianæ celebrant Patrenses quotannis, in quo ritus sacrificandi indigena ipsis est. Circum aram quidem in orbem ligna statuunt adhuc viridia & unumquodque sedecim cubitorum: intra aram vero siccissima ab eis ligna ponuntur. Aggerunt autem sub festi tempus aditum ad aram, molliorem terram aggerentes ad gradus aræ. Primo quidem igitur pompam magnificentissimam Dianæ ducunt, & sacrata virgo vehitur postrema agminis in cervis ad currum junctis. In sequentem vero diem tunc facere quæ ad sacrificium pertinent, legitimum putant, & tam publice civitas non minus ad*
C *festum quam privati ambitione quadam tenentur. Conjiciunt enim viventes in aram aves esculentas, & pecora similiter omnia, etiam sues agrestes, & cervos, & dorcadas; alii quoque luporum & ursorum catulos: alii vero etiam adulta ferarum. Deponunt item in aram & arborum mitium fructum: tunc demum ignem immittunt in ligna.*

ΛΕΟΝΙΔΕΙΑ.

Leonidæ honori festum diem instituerunt Lacedæmonii; in quo oratio funebris dicta, & certamen etiam peractum; in quo, nisi Lacedæmonio,
D nemini certare licitum. Pausanias tradit in *Laconicis.* Εκ δὲ τῆς ἀγορᾶς πρὸς ἥλιον ἰόντι δυόμενον, τάφος κενὸς Βρασίδᾳ τῷ Τέλλιδος πεποίηται. ἀπέχει δὲ οὐ πολὺ τοῦ τάφου τὸ θέατρον λίθου λευκοῦ θέας ἄξιον. τοῦ θεάτρου δὲ ἀπαντικρὺ Παυσανίου τοῦ Πλαταιᾶσιν ἡγησαμένου μνῆμά ἐστι· τὸ δὲ ἕτερον, Λεωνίδου. καὶ λόγους κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐπ᾽ αὐτοῖς λέγουσι, καὶ τιθέασιν ἀγῶνα, ἐν ᾧ πλὴν Σπαρτιατῶν ἄλλῳ γε οὐκ ἔστιν ἀγωνίζεσθαι. *Ex foro autem versus solem occidentem eunti, sepulchrum inane Brasidæ Tellidis filio factum est. Abest vero non multum ab sepulchro theatrum lapidis albi dignum visu. E regione theatri est Pausaniæ, qui dux fuit ad Platæas, monumentum: alte-*
E *rum vero Leonidæ: & orationes quotannis de illis dicunt, & agonem celebrant, in quo præter Spartiatas nulli licet certare.*

ΛΕΟΝΤΙΚΑ.

Incertum, cui deo, aut deæ. Sacra autem tunc peragi solita, quibus qui initiarentur, aquæ loco abluendis ipsis manibus mel infundere moris erat: quo testatum cupiebant, puras a re omni tristi, noxiave, ac detestanda, manus esse oportere. Porphyrius *De Nymph. Antro.* Οταν μὲν οὖν τοῖς τὰ Λε-
F οντικὰ μυουμένοις εἰς τὰς χεῖρας ἀνθ᾽ ὕδατος μέλι νίψασθαι ἐγχέωσι, καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ, καὶ βλαπτικοῦ, καὶ μυσαροῦ. *Quando quidem igitur Leontica initiatis ad manus lavandas pro aqua mel infundunt, puras habere manus annunciant ab omni re mœsta, & noxia, & odiosa.* Mentio horum est in Inscript. vet.

** Sic Græca eduntur, sed insigni vocum confusione: & videndum, an non Λέρναια ediderit auctor ipsam solennitatem sic ab cognomento Deæ dictam innuens.*

CONSTANTIO. NONO. ET. IVLIANO. II
CON. NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS
V. C. P. P. ET. AVREL. VICTOR. AVGEN
TIVS. V. OP. TRADIDERVNT. LEONTICA

Et in alia:

EVSEBIO. LIPPATIO. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. ET
AVREL. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
TRADIDERVNT. LEONTICA. V. IDVS
MARTIAS. FEL
DATIANO. ET. CEREALE. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. PP
ET. AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
P. TRADIDERVNT. LEONTICA
XVI. KAL. APRIL. FELIC

ΛΕΡΝΑΙΑ.

Cereri agitabant Lernæi. Pausanias testis *Corinthiacis*. Ἡ δὲ Λέρνα ἐστίν, ὡς καὶ τὰ πρότερα ἔχει μοι τοῦ λόγου, πρὸς θαλάσσῃ. καὶ τελετὴν Λερναία ἄγουσιν ἐνταῦθα Δήμητρι. *Lerna vero est, prout etiam in priore libro scripsi, ad mare, & festum Lernæa celebrant illic Cereri*. Sacra autem non Cereri tantum, sed Libero quoque, & Proserpinæ. Observo ex Inscriptione quadam Antiqua;

SACRATÆ. APVD. LÆRNAM. DEO
LIBERO. ET. CERERI. ET CORÆ

Atque instituisse Philammon fertur. Pausanias mox, *loco citato*. Καταστήσασθαι δὲ τῶν Λερναίων τὴν τελετὴν Φιλάμμωνα φασί. *Constituisse Lernæorum initiationem dicunt Philammona*. Antiquitus ad ea ignem Argivi deportabant e Dianæ Pyroniæ fano, quod in monte Crathide erat. Commemorat idem alibi in *Arcadicis* suis. Ἐν δὲ τῷ Κράθιδι τῷ ὄρει, Πυρωνίας ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος. καὶ τὰ ἔτι ἀρχαιότερα παρὰ τῆς θεοῦ ταύτης ἐπήγοντο Ἀργεῖοι πῦρ ἐς τὰ Λέρναια. *In monte Crathide est templum Pyroniæ Dianæ; & antiquioribus temporibus ab ista Dea inducebant Argivi ignem ad Lernæa*.

ΛΗΝΑΙΑ.

Suidas. Λήναια, ὄνομα ἑορτῆς ἐν Ἀθήναις. *Lenæa nomen festi Athenis*. Celebrabantur autem mense ab illis Lenæone dicto. Hesychius in Ληναιών. Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ληναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν. *Athenienses Lenæorum festum in eo agunt*. Et quidem in honorem Bacchi; certamen que tunc Poetarum erat. Unde Aristophanes ait in *Equitibus*.

Θόρυβον χρηστὸν Ληναΐτην,
Ἵν' ὁ ποιητὴς ἀπίῃ χαίρων,
Κατὰ νοῦν πράξας.
Φαιδρὸς λάμποντι μετώπῳ.
Tumultum bonum Lenaiten,
Ut poeta abeat lætans,
Ex sententia acto negotio,
Renidens splendida fronte.

Ubi Scholiastes. Ἑορτὴ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις τὰ Λήναια. ἔστι δὲ εἰς Διόνυσον. ἐν ᾗ μέχρι νῦν ἀγωνίζονται ποιηταί, συγγράφοντές τινα ᾄσματά τοῦ γελασθῆναι χάριν. *Festum apud Athenienses Lenæa. Est autem in honorem Bacchi; in quo etiam nunc certant poetæ, conscribentes quosdam cantus ridendi causa*. Ac Tragici quidem certabant quatuor dramatibus simul, quorum quartum Satyricum erat. Diogenes Laertius in *Platone*, lib. III. Τετράσι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις. ὧν τὸ τέταρτον ἦν Σατυρικόν. *Quatuor operibus certabant, Bacchanalibus, Lenæis, Panathenæis,*

A *Chytris, quorum quartum erat Satyricum*. Agebantur vero autumno, nec peregrini iis intererant. Idem Scholiastes *ad Acharnenses*. Τὰ δὲ Λήναια ἐν τῷ μετοπώρῳ ἤγετο, ἐν οἷς οὐ παρῆσαν οἱ ξένοι. *Lenæa autem agebantur autumno, quibus non intererant peregrini*. Et quidem desinente, cum in propinquo hyems esset. Idem *alibi* eadem fabula. Ὁ τῶν Διονυσίων ἀγὼν ἐτελεῖτο δὶς τοῦ ἔτους. τὸ μὲν πρῶτον, ἔαρος ἐν ἄστει, ὅτε οἱ φόροι Ἀθήναζε ἐφέροντο. τὸ δεύτερον, ἐν ἀγροῖς, ὁ ἐπὶ Ληναίῳ λεγόμενος, ὅτε ξένοι οὐ παρῆσαν Ἀθήνησι. χειμὼν γὰρ λοιπὸν ἦν. *Bacchanaliorum ludicrum bis anno peragebatur; primum quidem vere in urbe, quando tributa Athenas*
B *ferebantur; alterum in agris, quod dicebatur ad Lenæum, quando peregrini non aderant Athenis. hiems enim in reliquum erat*. Dixerat Comicus nempe,

Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.
Κοὔπω ξένοι πάρεισιν. ——
Soli enim sumus, & ludicrum ad Lenæum,
Nec amplius peregrini adsunt.

Quem locum explicat quoque Hesychius in suis *Glossis*. Ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών. Ἔστιν ἐν τῷ ἄστει Λήναιον, περίβολον ἔχον μέγα. καὶ ἐν αὐτῷ Ληναίου Διονύσου ἱερόν, ἐν ᾧ ἐπετελοῦντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων, πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι. *Certamen in Lenæum. Est*
C *Lenæum in urbe, habens magnam maceriam: inque eo Lenæi Bacchi templum, in quo celebrabantur ludicra Atheniensium, priusquam conderetur theatrum*. Et observa; Bacchi illic fanum fuit, Ληναίου ex loco cognominati, cui agon ille sacer. Certaminis tunc celebrati meminit Stephanus. Λήναιος ἀγών, Διονύσου ἐν ἀγροῖς. *Lenæus agon, Bacchi in agris*. Diogenes Laertius in *Platone*, lib. III. Τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις. *Quatuor operibus certabant, Bacchanalibus, Lenæis*. Phylomachus apud Athenæum *lib*. x.

—— ἐκ γὰρ ἀγώνων
D Τῶν τότε Ληναϊκῶν ἦλθ' ὑπὸ τὴν κάπετον.

—— *Nam ex agonibus*
Tunc Lenaicis venit sub hanc scrobem.

Neque ipse Athenæus alio respexit *lib*. IV. ubi inquit. Σὺ δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων σεαυτὸν εὐδαιμονίζεις, τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων, θύμα, καὶ εὔζωμα. καὶ τοὺς καλοὺς ἐσθίων στρεπτούς, Λήναια, καὶ Χύτρους θεωρῶν. *Tu autem modo Athenis manens putas te beatum esse, Theophrasti positiones audiens, thyma & erucam & bonos illos comedens tortiles, Lenæa & Chytros spectans*. Clemens *Protreptico*. Ἀλλὰ γὰρ τὰ
E μὲν δράματα, καὶ τοὺς Ληναΐζοντας ποιητάς, τέλεον ἤδη παροινοῦντας κιττῷ που ἀναδήσαντες, ἀφραίνοντας ἐκτόπως, τελετῇ Βακχικῇ, αὐτοῖς Σατύροις, καὶ θιάσῳ μαινόλῃ, σὺν καὶ τῷ ἄλλῳ δαιμόνων χορῷ, Ἑλικῶνι καὶ Κιθαιρῶνι κατακλείσωμεν γεγηρακόσιν. *Sed enim dramata quidem & poetas per Lenæa recitantes, penitus jam potulentos, hedera alicubi circumligantes, absurde insanientes, initiatione Bacchica, cum ipsis satyris, & furente thyaso, cumque alio geniorum choro, Heliconi & Cithæroni senescentibus incluserimus*. Demostheni ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπή, *pompa ad Lenæum*, dicitur, non longe ab initio *Midianæ*. Præerat vero huic certamini ὁ Βασιλεὺς dictus, & οἱ Ἐπιμελη-
F ταί. Pollux *lib*. VIII. *c*. VIII. *sect*. III. Ὁ Βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν, καὶ Ληναίων. *Rex præest mysteriis cum Curatoribus, ut & Lenæis*.

ΛΙΘΟΒΟΛΙΑ.

A Trœzeniis celebrabatur in honorem Lamiæ, & Auxesiæ; quæ virgines, cum ex Creta illuc advenissent, laborante seditionibus civitate, a multitudine concitata lapidibus obrutæ. Pausanias *Co-*

rinthiacis. Ἐς δὲ τὴν Λαμίαν καὶ Αὐξησίαν, (καὶ γὰρ Τροιζηνίοις μέτεστι αὐτῶν) οὐ τὸν αὐτὸν λέγουσιν οἱ Ἐπιδαύριοι καὶ Αἰγινῆται λόγον· ἀλλὰ ἀφικέσθαι παρθένους ἐκ Κρήτης, στασιασάντων δὲ ὁμοίως τῶν ἐν τῇ πόλει ἁπάντων καὶ ταύτας φασὶν ὑπὸ τῶν ἀντιστασιωτῶν καταλευσθῆναι. καὶ ἑορτὴν ἄγουσί σφισι, Λιθοβολίαν ὀνομάζοντες. *De Lamia vero & Auxesia (nam & Trœzeniis cum illis res est) non eundem sermonem referunt Epidaurii & Æginetæ; sed venisse virgines ex Creta; sed omnibus pariter tumultuantibus in urbe etiam has dicunt ab contraria factione lapidatas fuisse: & festum illis celebrant appellantes Lapidum missionem.*

ΛΙΜΝΑΤΙΣ.

Dianæ Limnatidis festum, ut Καρυᾶτις Caryatidis. Pausanias in *Achaicis*. Ἐπειδὰν δὲ τῇ Λιμνάτιδι τὴν ἑορτὴν ἄγουσι τῇ θεῷ, τῶν τις οἰκετῶν ἐκ Μεσόας ἔρχεται τὸ ξόανον κομίζων τὸ ἀρχαῖον εἰς τὸ τέμενος τὸ ἐν τῇ πόλει. *Quando autem Limnatidi festum celebrant Deæ, aliquis servorum ex Mesoa venit gestans simulacrum vetus in templum, quod est in urbe.*

ΛΥΚΑΙΑ.

Arcades agitabant, erantque fere, qualia Romanorum Lupercalia. Plutarchus in *Vita Cæsaris*. Ἦν μὲν γὰρ ἡ τῶν Λουπερκαλίων ἑορτή, περὶ ἧς πολλοὶ γράφουσιν, ὡς ποιμένων τὸ παλαιὸν εἴη. καί τι καὶ προσήκει τοῖς Ἀρκαδικοῖς Λυκαίοις. *Erat quippe Lupercalium festum, de quo multi scribunt fuisse pastorum quondam: atque etiam aliquo genere accedit ad Arcadica Lycæa.* Schol. Pindari *Olymp.* Od. VII. Πολλοὶ δ' ἄγονται ἀγῶνες ἐν Ἀρκαδίᾳ. Λύκαια, Κόρεια, Ἀλέαια. *Multa vero ludicra celebrantur in Arcadia; Lycæa, Coria, Aleæa.* Ac hominem tunc immolabant. Porphyrius, Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *lib.* II. Μέχρι τοῦ νῦν, οὐκ ἐν Ἀρκαδίᾳ μόνον τοῖς Λυκαίοις, οὐδ' ἐν Καρχηδόνι τῷ Κρόνῳ, κοινῇ πάντες ἀνθρωποθυτοῦσιν· ἀλλὰ κατὰ περίοδον, τῆς τοῦ νομίμου χάριν μνήμης, ἐμφύλιον αἷμα ῥαίνουσι πρὸς τοὺς βωμούς. *Usque ad hoc tempus, non tantum in Arcadia Lycæis, neque Carthagine Saturno, communiter cuncti immolant hominem; sed per temporis circuitum, ad juris ac ritus memoriam, civilem sanguinem spargunt ad aras.* Instituta autem in honorem Jovis τοῦ Λυκαίου a Lycaone. Pausanias *Arcadicis*. Λυκάων δὲ ὁ Πελασγοῦ τοσάδε εὗρεν ἢ ὁ πατήρ οἱ σοφώτερα. Λυκόσουράν τε γὰρ πόλιν ᾤκισεν ἐν τῷ ὄρει τῷ Λυκαίῳ, καὶ Δία ὠνόμασε Λυκαῖον, καὶ ἀγῶνα ἔθηκε Λύκαια. *Lycaon vero Pelasgi filius talia invenit aut pater ipso sapientiora. Nam Lycosuram urbem condidit in monte Lycæo, & Jovem nominavit Lycæum, & agonem statuit Lycæa.* Et, ecce, certamen quoque illo festo fuit. Meminit iterum postea, *eodem libro*. Τὸ δὲ ἀρχαῖον τῶν Λυκαίων ἦγον τὸν ἀγῶνα ἐνταῦθα. *Olim vero Lycæorum agebant illic certamen.*

ΛΟΥΚΟΥΛΛΕΙΑ.

Lucullo instituerunt Græci Asiatici. Plutarchus in *ejus Vita*. Λούκουλλος δὲ τὴν Ἀσίαν πολλῆς μὲν εὐνομίας, πολλῆς δ' εἰρήνης ἐμπεπληκώς, οὐδὲ τῶν πρὸς ἡδονὴν καὶ χάριν ἠμέλησεν. ἀλλὰ πομπαῖς, καὶ πανηγύρεσιν ἐπινικίοις, καὶ ἀγῶσιν ἀθλητῶν καὶ μονομάχων, ἐν Ἐφέσῳ καθήμενος, ἐδημαγώγει τὰς πόλεις. αἱ δ' ἀμειβόμεναι, Λουκούλλειά τε ἦγον ἐπὶ τιμῇ τοῦ ἀνδρός. *Lucullus vero Asiam multa legum bonitate, item multa pace quum implevisset, etiam non neglexit illa quæ ad delicias & amœnitatem facerent; sed pompis & solennitatibus ob victorias, & certaminibus athletarum & gladiatorum, in urbe Ephesо sedens, oblectabat civitates. Illæ vero vicem reddentes, Lucullea celebrarunt in honorem viri.* Et quotannis egerunt Cyziceni, quia eos a Mithridatis obsidione liberasset. Appianus *De Bell. Mithrid.* Ὧδε μὲν οἱ Κυζικηνοὶ πολλὴν βασιλέως (τοῦ Μιθριδάτου) παρασκευὴν διέφυγον, αὐτοί τε γενναίως ἀγωνισάμενοι, καὶ λιμῷ πιεσθέντος ὑπὸ Λουκούλλου. ἀγῶνά τε αὐτῷ θέμενοι, μέχρι νῦν τελοῦσι τὰ Λουκούλλεια καλούμενα. *Sic quidem Cyziceni multum regis (Mithridatis) apparatum effugerunt, & ipsi alacriter pugnantes, & fame compulsi ab Lucullo; unde certamen instituentes hodieque peragunt illa appellata Lucullea.*

ΛΥΚΟΥΡΓΕΙΑ.

Lycurgo celebrarunt Lacones. Plutarchus in *ejus Vita*. Ὑπερῆρε τῇ δόξῃ τοὺς πώποτε πολιτευσαμένους ἐν τοῖς Ἕλλησι. διόπερ Ἀριστοτέλης ἐλάττονας σχεῖν φησὶ τιμὰς ἢ προσῆκον ἦν αὐτὸν ἔχειν ἐν Λακεδαίμονι, καίπερ ἔχοντα τὰς μεγίστας. ἱερόν τε γάρ ἐστιν αὐτοῦ, καὶ θύουσι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὡς θεῷ. *Supergressus est gloria cunctos qui unquam apud Græcos rempublicam administraverunt. Quapropter Aristoteles dicit minores habere honores quam æquum erat eum frui in urbe Lacedæmone, quamvis habeat maximos. Est enim & templum ejus, & sacrificant quotannis ut Deo* Strabo *l.* VIII. Ἔφορος δ' ἐπιτιμᾷ, φήσας, Λυκούργου μὲν αὐτὸν μηδαμοῦ μεμνῆσθαι, τὰ δ' ἐκείνου ἔργα, τοῖς μὴ προσήκουσιν ἀνατιθέναι. μόνῳ γοῦν Λυκούργῳ ἱερὸν ἱδρῦσθαι, καὶ θύεσθαι κατ' ἔτος. *Ephorus autem coarguit, dicens, Lycurgi quidem eum nuspiam meminisse, sed ejus facta illis ad quos non pertinent, attribuisse. Soli igitur Lycurgo templum esse positum, & sacrificari quotannis.*

ΛΥΣΑΝΔΡΙΑ.

Samii celebrabant in Lysandri honorem, mutato τῶν Ἡραίων nomine. Plutarchus in *ejus Vita*. Σάμιοι δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς Ἡραῖα, Λυσάνδρεια καλεῖν ἐψηφίσαντο. *Samia vero apud illos Heræa decreverunt appellare Lysandria*. Athenagoras in *Apologia*. Καὶ Χῖοι Ἀρισταῖον τὸν αὐτὸν καὶ Δία καὶ Ἀπόλλω νομίζοντες. Θάσιοι Θεαγένην, ὑφ' οὗ καὶ φόνος Ὀλυμπιάσιν ἐγένετο. Σάμιοι Λύσανδρον, ἐπὶ τοσαύταις σφαγαῖς, καὶ τοσούτοις κακοῖς. *Et Chii Aristæan eundem Jovemque & Apollinem existimantes; Thasii Theagenem, a quo etiam cædes Olympiis facta fuit: Samii Lysandrum post tot cædes totque mala.* Certamina tunc fuisse ait Hesychius. Λυσάνδρεια, πανήγυρις, ἀπὸ Λυσάνδρου ὀνομασθεῖσα. ἤγοντο δὲ ἐν αὐτῇ ἀγῶνες, καὶ θυσίαι. *Lysandria, festivitas publica, ab Lysandro nominata. In ea vero celebrabantur certamina & sacrificia.* Et est videre apud Plutarchum in *ejus Vita*. Ἀντιμάχου δὲ τοῦ Κολοφωνίου, καὶ Νικηράτου τινὸς Ἡρακλεώτου, ποιήμασι Λυσάνδρεια διαγωνισαμένων ἐπ' αὐτοῦ, τὸν Νικήρατον ἐστεφάνωσεν. *Antimachus autem Colophonius, & Niceratus quidam Heracleota, quum poematibus certavissent per Lysandria propter illum, Niceratum coronavit.*

ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΑ.

Sacra Jovi τῷ Μαιμάκτῃ, *furibundo*, fieri solita, a quibus mensis, quo nimirum ea fierent, Μαιμακτηριών nuncupatus: quemadmodum reliqui quoque menses a sacris propriis. Res ipsa loquitur; etsi nusquam expressum istud sacrorum nomen.

ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ.

In M. Marcelli, ejusque familiæ, honorem colebant Syracusani. Cicero *in Verrem* l. II. *Per eosdem istius injuriarum, furtorum, uxorumque socios, istius imperio Syracusis Marcellea tolluntur, maximo gemitu, luctuque civitatis. Quem illi diem festum cum recentibus beneficiis M. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima*

volun-

voluntate tribuebant. Sustulit mox Verres, & *Verrea* a se nominata instituit. Idem Cicero *loco citato*: *Tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impertiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, ut ceteros dies festos agere possent. At vero præclarum diem illis reposuistis Verrea ut agerent, & ut ad eum diem, quæ sacris, epulisque, opus essent, in complures annos locarentur.* Deinde iterum: *O Verrea præclara, quoquam si accessisti, quo non attuleris tecum istum diem*. Et mox: *Quare appellentur sane Verrea, quæ non ex nomine, sed ex moribus naturaque tua, constituta esse videntur*.

ΜΕΓΑΛΑΡΤΙΑ.

Delii celebrabant. Vide supra in Θεσμοφόρια. Meminit festi hujus etiam Eustathius *ad Iliad. β'.* Ἄρτυ δέ τινος μεγάλυ ἐπιλεγομένυ, ἑορτὴ ἐπ' αὐτῷ ἐτελεῖτο τὰ Μεγαλάρτια. *Quum panis quidam magnus cognominaretur, festum propterea colebatur Megalartia*.

ΜΕΝΕΛΑΕΙΑ.

Menelao festum celebrabant Lacedæmonii. Athenagoras in *Apologia*. Ἀθηναῖοι μὲν Κελεὸν καὶ Μετάνειραν ἵδρυνται θεὰς. Λακεδαιμόνιοι δὲ Μενέλεων, καὶ θύουσιν αὐτῷ, καὶ ἑορτάζουσιν. *Athenienses quidem Celeum & Metaniram collocant Deos: Lacedæmonii vero Menelaum, & sacrificant illi, & festum agunt*. Et quidem Therapnis. Isocrates in *Encomio Helenæ*, de ea, & Menelao, ita ait. Ἐν Θεράπ[illegible] νικῆς [illegible] ὡς ἥρωσιν, ἀλλ' ὡς θεοῖς ἀμφοτέροις [illegible]σιν. [illegible] *Laconicæ T*[illegible] *patria, non ut heroibus, sed ut Diis utrisque*. Æneas Gazæus in *Theophrasto*. Τὸν γοῦν Μενέλεων, καὶ νὴ Δία τὴν Ἑλένην, μετὰ τὸν Ἀλέξανδρον, καὶ Δηΐφοβον, ἐν Θεράπναις τῆς Λακωνικῆς τοῖς θεοῖς συναριθμοῦντες μετ' ἐκεῖνον ᾄδουσι, θυσίαις τε καὶ ἀναθήμασι θεραπεύοντες. *Menelaum igitur, &, per Jovem, Helenam post Alexandrum & Deiphobum in Laconicæ Therapnis annumerantes Deis post illum canunt, & sacrificiis & donariis venerantes*. Et Pausanias quoque in *Laconicis* templum Menelai commemorat in Therapnis. Θεράπνη δὲ ὄνομα μὲν τῷ χωρίῳ, ἀπὸ τῆς Λέλεγος θυγατρός. Μενελάου δέ ἐστιν ἐν αὐτῇ ναός. *Therapne autem nomen loco ab filia Lelegis. Menelai autem in ea est templum*. Quin e regione Spartæ, trans Eurotam, in collibus quibusdam etiam fuisse discimus ex Polybio, *Hist.* v.

ΜΕΣΟΣΤΡΟΦΩΝΙΑ.

Lesbii celebrabant, communia tunc omnes sacra facientes. Hesychius. Μεσοστροφώνια. ἡμέραι, ἐν αἷς Λέσβιοι κοινὴν θυσίαν ἐπιτελοῦσιν. *Mesostrophonia, dies, in quibus Lesbii commune sacrificium peragunt*.

ΜΕΤΑΓΕΙΝΙΑ.

Celebrabantur a Melitensibus, Atticæ populo, qui Diomea commigrarunt, mense inde Metageitnione dicto. Plutarchus *De Exilio*. Ἆρα οὖν ξένοι καὶ ἀπόλιδές εἰσιν Ἀθηναίων οἱ μεταστάντες ἐκ Μελίτης εἰς Διόμεια, ὅπου καὶ μῆνα Μεταγειτνιῶνα, καὶ θυσίαν ἐπώνυμον ἄγουσι τοῦ μετοικισμοῦ Μεταγείτνια. *Hospites sane igitur & extorres sunt illi Atheniensium, qui ex Melite in Diomeia concesserunt, ubi & mensem Metageitnionem & sacrificium celebrant nomine servans migrationem Metageitnia*. Fiebantque tunc sacra Apollini τῷ Μεταγειτνίῳ. Atque hæc sunt illa, de quibus Suidas. Μεταγειτνιὼν, δεύτερος μὴν παρ' Ἀθηναίοις. ἐν δὲ τούτῳ Ἀπόλλωνι Μεταγειτνίῳ θύουσι. *Metageitnion, secundus mensis apud Athenienses. In hoc sacrificant Apollini Metageitnio*. Idem legere est apud Harpocrationem.

ΜΙΛΤΙΑΔΕΙΑ.

Miltiadis honori festum Chersonesitæ instituerunt, atque in eo certamen equestre, gymnicumque; ad quod Lampsacenus nemo admitti solitus. Herodotus *lib.* VI. Μετὰ δὲ ταῦτα (ὁ Μιλτιάδης) τελευτᾷ ἄπαις, τὴν ἀρχήν τε καὶ τὰ χρήματα παραδοὺς Στησαγόρῃ, τῷ Κίμωνος ἀδελφοῦ παιδὶ ὁμομητρίου. καὶ οἱ τελευτήσαντι Χερσονησῖται θύουσι, ὡς ὁ νόμος, οἰκιστῇ, καὶ ἀγῶνα ἱππικόν τε καὶ γυμνικὸν ἐπιστᾶσι, ἐν τῷ Λαμψακηνῶν οὐδενὶ ἐγγίνεται ἀγωνίζεσθαι. *Post hæc vero (Miltiades) moritur orbus, imperiumque & pecuniam tradens Stesagoræ, filio Cimonis, qui frater ejus uterinus. Et huic mortuo Chersonenses sacrificant, ut lex est, conditori, & certamen equestre & gymnicum constituunt, in quo non licet ulli Lampsaceno certare*.

ΜΙΝΥΕΙΑ.

Orchomenii celebrabant. Scholiastes Pindari *Isthmionic.* Od. I. Ἐν δὲ Θήβαις, Ἰολάϊα, ἢ Ἡράκλεια. ἐν δὲ Ὀρχομενῷ, Μινύεια. *Thebis autem Jolaia aut Herculea, in Orchomeno Minyea*.

ΜΙΤΥΛΗΝΑΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Festum Mitylenenses celebrabant extra urbem in onorem Apollinis Μαλόεντος. Thucydides initio *lib.* III. Εἰσηγγέλθη γὰρ αὐτοῖς ὡς εἴη Ἀπόλλωνος Μα[illegible] ἔξω τῆς πόλεως ἑορτὴ, ἐν ᾗ πανδημεὶ Μιτυλ[illegible] [illegible]ορτάζουσι. *Annunciatum enim illis erat agi festum Apollinis Maloentis extra urbem, in quo publice Mytilenæi ferias agunt*.

ΜΟΥΝΥΧΙΑ.

Sacra erant Dianæ τῇ Μουνυχίᾳ, celebrabanturque die decimo sexto mensis inde Munychionis appellati. Observo apud Plutarchum *De Gloria Atheniensium*. Τὴν δὲ ἕκτην ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνυχιῶνος, Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος. *Sextam decimam Munychionis diem consecrarunt Dianæ, in qua Græcis ad Salamina vincentibus alluxit Dea pleno orbe*. Ubi etiam causam institutionis animadvertis ab historia. Meminit breviter Harpocration. Μουνυχιὼν, ὁ δέκατος μὴν παρ' Ἀθηναίοις οὕτω καλεῖται, ἐν δὲ τούτῳ τῷ μηνὶ Ἀρτέμιδι θύεται Μουνυχίᾳ. *Munychion, decimus mensis apud Athenienses ita vocatur. in illo autem mense sacrificatur Dianæ Munychiæ*. In hoc festo placentæ, Ἀμφιφῶντες dictæ, in Munychiæ Dianæ templum deæ isti offerebantur, affixis circumquaque facibus, unde etiam nomen illis placentis datum. Habes ecce apud Suidam *in* Ἀνάστατοι. Οἱ δὲ ἀμφιφῶντες γίνονται Μουνυχιῶνος μηνὸς ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, οἱ εἰς τὸ Μουνυχίας ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος κομίζονται. ὀνομάζονται δὲ ἀμφιφῶντες, ὡς μέν τινες, ὅτι τότε γίνονται, ὅτε ἥλιός τε καὶ σελήνη πρωῒ ὑπὲρ γῆς φαίνονται. ὡς δὲ Ἀπολλόδωρος, ὅτι κομίζουσιν αὐτοὺς δᾳδία ἡμμένα παραπηγνύντες ἐπ' αὐτῶν. *Placentæ Amphiphontes parantur Munychionis mensis sexta decima die, qui in templum Munychiæ Dianæ portantur. Nominantur autem ita, prout nonnulli, quia tunc parantur, quando sol & luna mane super terram apparent: ut vero Apollodorus, quia ferunt illas faculas accensas defigentes in illis*. Pollux *lib.* VI. *cap.* XI. Μᾶζαι δὲ, αἱ μὲν ἱεραὶ, ἀμφιφῶντες μὲν, ἃς ἔφερον εἰς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος, δᾷδας ἡμμένας περιπήξαντες. *Placentæ vero, sacræ quidem, amphiphon-*

tes, quas ferunt in Munychiæ Dianæ, faces accensas circumfigentes. Athenæus *lib.* XIV. Ἀμφιφῶν, πλακοῦς Ἀρτέμιδι ἀνακείμενος. ἔχει δ' ἐν κύκλῳ καόμενα δᾳδία. *Amphiphon, placenta Dianæ sacrata: habet vero in orbem ardentes faculas.* Philemon Πτωχῷ ἢ Ῥοδίᾳ.

Ἄρτεμι, φίλη δέσποινα, τοῦτον σοι φέρω,
Ὦ πότνι', ἀμφιφῶντα, καὶ σπονδήσιμα.

Diana, bona domina, hanc tibi fero
O dia, amphiphontem & libationes.

Hesychius. Ἀμφιφόων, πλακοῦς ποιὸς, Ἀρτέμιδι μετὰ δᾴδων προσφερόμενος. *Amphiphoon, aliquod genus placentæ, Dianæ cum facibus oblatum.* Etymologici Auctor. Ἀμφιφῶν, εἶδος πλακοῦντος, τελούμενος τῇ Ἀρτέμιδι. διὰ τὸ κύκλῳ φωτίζεσθαι ὑπὸ τῶν δᾴδων. ἢ διὰ τὸ πανσελήνου οὔσης πέμπεσθαι τῇ Ἑκάτῃ. *Amphiphon, genus placentæ, sacratæ Dianæ; quia in circuitu illuminatur ab facibus; aut quia quum luna est integra, mittitur Hecatæ.* Erant autem hæ placentæ e caseo factæ. Eustathius *ad Illiad. σ'.* Ἀμφιφῶν προσηγορεύθη πλακοῦς διὰ τυροῦ, ἐφ' οὗ δᾷδα πήσσοντες ἅπτουσι τοῦ φωτὸς χάριν. *Amphiphon appellatum fuit genus libi per caseum, in quo facem figentes apprehendunt propter lucem.*

ΜΟΥΣΕΙΑ.

Musis instituta erant. Jamblichus *De Vita Pythagoræ*, lib. XXXV. Τὸ δ' ὅλον οὕτω τῇ διαβολῇ τοὺς ἀκούοντας ἐξηγρίωσεν, ὥστε μετ' ὀλίγας ἡμέρας Μούσεια θυόντων αὐτῶν ἐν οἰκίᾳ παρὰ τὸ Πύθιον, ἀθρόοι συνδραμόντες οἷοί τ' ἦσαν, τὴν ἐπίθεσιν ἐπ' αὐτοὺς ποιήσασθαι. *In summa vero sic ista calumnia efferavit audientes, ut post paucos dies festum Musarum colentibus illis in domo prope Pythium, densi concurrentes potuerint impetum in illos facere.* Pollux *lib.* I. *cap.* I. ubi festa quædam commemorat. Μουσῶν, Μούσεια. Ἑρμοῦ, Ἕρμαια. Διὸς, Δίσια. *Musarum Musia; Mercurii Mercurialia; Jovis Jovialia.* Celebrabant autem tiam pueri in scholis. Æschines *in Timarchum.* Καὶ περὶ παιδαγωγῶν ἐπιμελείας, καὶ περὶ Μουσείων ἐν διδασκαλείοις. *Et de cura pædagogorum, & de Musarum festis in scholis.* Maxime vero omnium Thespienses. Pausanias *Bœoticis.* Περιοικοῦσι δὲ καὶ ἄνδρες τὸ ἄλσος, καὶ ἑορτήν τε ἐνταῦθα οἱ Θεσπιεῖς, καὶ ἀγῶνα ἄγουσι, Μούσεια. *Circumhabitant quoque viri lucum istum, & festum diem inde Thespienses, & certamen celebrant Musia.* Et quidem quinto quoque anno. Plutarchus *Erotico.* Ἄγουσι γὰρ (οἱ Θεσπιεῖς) ἀγῶνα πενταετηρικὸν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις, καὶ τῷ Ἔρωτι, φιλοτίμως πάνυ, καὶ λαμπρῶς. *Celebrant enim (Thespienses) agonem quinquennalem, sicut & Amori, ambitiose prorsus ac splendide.* Erat porro Musarum quoque, ac Jovis, festum apud Macedonas, ab Archelao rege institutum; durabatque id novem dies, ita ut Musæ cujusque nomini unus proprie dicaretur. Diodorus Siculus *lib.* XVII. Καὶ σκηνικοὺς ἀγῶνας (συνετέλεσε) Διὶ καὶ Μούσαις, οὓς Ἀρχέλαος ὁ προβασιλεύσας πρῶτος κατέδειξε. τὴν δὲ πανήγυριν ἐφ' ἡμέρας ἐννέα συνετέλεσεν, ἑκάστῃ τῶν Μουσῶν ἐπώνυμον ἡμέραν ἀναδείξας. *Et scenica certamina (perfecit) Jovi & Musis, quæ Archelaus qui ante regnavit primus exhibuit. Festivitatem vero per dies novem concinnavit, unicuique Musarum diem ab ipsarum nomine dictum efficiens.*

ΜΟΥΤΙΑ.

Q. Mutio Scævolæ, quia Asiam eximia virtute rexerat, festum hoc Græci honoris ergo decreverunt. Cicero *in Verrem* lib. II. *Mithridates in Asia, cum eam provinciam totam occupasset, Mutia non sustulit; hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus, & immanis, tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit.* Asconius *in Divinat.* *Q. Mutius. Scævolam significat. hujus quæstor Rutilius Ruffus damnatus est, quod cum prætore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua. quo cognito equites Romani, (nam tum ante Syllana tempora judicabant,) damnarunt eum. Hic est Mutius, in honorem cujus Asiani diem festum Mutia nominabant.* Idem iterum *in Verr.* III. *Q. Mutius Asiam singulariter rexerat, adeo ut dies festus a Græcis in honorem ejus constitueretur, qui diceretur Mutia.*

ΜΥΣΙΑ.

Cereris τῆς Μυσίας festum erat apud Argivos, agitabaturque per dies septem; quorum tertio viri omnes, & canes masculi, templo arcebantur: mulieres vero, intus relictæ, noctu sacra ritu patrio peragebant. postridie vero redibant, ac risu, & dicteriis, sese mutuo excipiebant. Pausanius in fine *Achaicorum.* Πελλήνης δὲ ὅσον στάδια ἑξήκοντα ἀπέχει τὸ Μυσαῖον, ἱερὸν Δήμητρος Μυσίας. ἱδρύσασθαι δὲ αὐτὸ Μύσιον φασὶν, ἄνδρα Ἀργεῖον. ἔστι δὲ ἄλσος ἐν τῷ Μυσαίῳ ὁμοίως τὰ πάντα, καὶ ὕδωρ ἄφθονον ἄνεισιν ἐκ πηγῶν. ἄγουσι δὲ καὶ ἑορτὴν τῇ Δήμητρι ἐνταῦθα ἡμερῶν ἑπτά. τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς ὑπεξίασιν οἱ ἄνδρες ἐκ τοῦ ἱεροῦ. καταλειπόμεναι δὲ αἱ γυναῖκες δρῶσιν ἐν τῇ νυκτὶ ὁπόσα νόμος ἐστὶν αὐταῖς. ἀπελαύνονται δὲ οὐχ οἱ ἄνδρες μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν κυνῶν τὸ ἄρρεν. ἐς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν ἀφικομένος ἐς τὸ ἱερὸν τῶν ἀνδρῶν, αἱ γυναῖκές τε ἐς αὐτοὺς, καὶ ἀνὰ μέρος ἐς τὰς γυναῖκας οἱ ἄνδρες, γέλωτί τε ἐς ἀλλήλους χρῶνται καὶ σκώμμασιν. *Pellena vero abest circiter stadia sexaginta Mysæum, templum Cereris Mysiæ. Dicunt autem id exstruxisse Mysium, hominem Argivum. Est autem lucus in Mysæo similiter omnia, & aquam sufficientem emittit ex fontibus. Quin etiam festum celebrant Cereri illic dierum* VII. *Tertio autem festi die egrediuntur viri ex templo. Relictæ autem mulieres faciunt noctu, quæcunque rite fieri debent. Abiguntur autem non viri solum, sed & canum quod masculum est. Ad sequentem vero diem venientibus ad templum viris, mulieres de viris, & vicissim viri de fæminis, risu & dicteriis inter se utuntur.* Alii pro mysteriis illis celeberrimis Cereris Eleusiniæ, de quibus libro singulari a me dictum, accipiebant. Phurnutus, ubi de Cerere agit. Πιθανὸν γὰρ ἐντεῦθεν ὀνομάσθαι τὰ μυστήρια, ὅθεν καὶ Μύσια παρά τισι λέγεται. *Probabile enim illinc nominari mysteria, unde etiam Mysia apud quosdam dicuntur.*

ΝΕΚΥΣΙΑ.

Glossæ Latino-Græcæ. *Parentalia*, Νεκύσια. Et ita est quoque apud Charisium, *Gramm.* lib. I. Artemidorus *lib.* IV. *cap.* LXXXIII. Τὰ ἐν νεκυσίοις καὶ περιδείπνοις παρατιθέμενά τισιν, οὔτε ἰδεῖν, οὔτε φαγεῖν ἀγαθόν. *Quæ apponuntur quibusdam in parentalibus & silicerniis, nec videre nec comedere bonum.* Hesychius. Ὡραῖα, νεκύσια. *Tempestiva, parentalia.* Recenset quoque inter festa mortualia Pollux *lib.* III. *cap.* XIX. Ἔνατα, τριακοντάδες, γενέσια νεκύσια. ταῦτα γὰρ ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν ἀπηλλαγμένων νενόμισται. *Nona, trigesimæ, vera parentalia. Ea enim ad cultum mortuorum instituta.* Eustathius *ad Odyss.* λ. Ἀρριανὸς δὲ λέγει, καὶ ὅτι Βιθυνοῖς τελοῦνται τὰ νεκύσια, καλεῖν ὀνομαστὶ τὰς τῶν κατοιχομένων ψυχὰς, ὅσοι τελευτῆσαι ἔτυχον ὑπερόριοι, καὶ κατακαλεῖν αὐτοὺς εἰς τρὶς, καὶ δέεσθαι ἀνελθεῖν, ὡς μετάσχοιεν δαιτός. *Arrianus autem ait etiam ab Bithynis peragi parentalia, vocando nominatim animas defunctorum, quotquot contigit mori extra terminos regionis, & inclama-*

re eas ter, & rogare ut accedant & participent epularum.

ΝΕΜΕΣΕΙΑ.

Nemeseos festum. Moschopulus. Νεμέσεια, ἑορτὴ Νεμέσεως, καθ' ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα. *Nemesia, festum Nemeseos vel Adrastiæ, quando mortuis peragebant legitima.*

ΝΕΟΗΝΙΑ.

Ita emendandum apud Hesychium arbitror. Hodie editur, Νεοίνια, ἑορτὴ Διονύσου. *Neoenia, festum Bacchi.* Nomen indicat, novi vini tempore celebrata. Censeo illud ipsum esse, de quo Longus, *lib.* II. Οἷον εἰκὸς ἐν ἑορτῇ Διονύσου, καὶ οἴνου γενέσει, αἱ μὲν γυναῖκες, ἐκ τῶν πλησίον ἀγρῶν εἰς ἐπικουρίαν κεκλημέναι, τῷ Δάφνιδι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπέβαλλον. *Quale igitur verisimile est, in festo Bacchi, & exortu vini, mulieres quidem, ex vicinis agris in auxilium vocatæ, Daphnidi oculos injiciebant.* Similiter *Meditrinalia* agitabant Latini veteres; quo die primum novum vinum bibentes ominis gratia dicebant; *Vetus novum vinum bibo, veteri, novo morbo medeor.* Festus. *Meditrinalia dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, dicere ominis gratia;* Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. *A quibus verbis etiam Meditrinæ deæ nomen cœptum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt.*

ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΕΙΑ.

Neoptolemo, Achillis F. celebrabantur quotannis Delphis. Pausanias *Phocicis*. Ἐξελθόντι δὲ τοῦ ναοῦ, καὶ τραπέντι ἐς ἀριστερὰ, περίβολός ἐστι, καὶ Νεοπτολέμου, τοῦ Ἀχιλλέως, ἐν αὐτῷ τάφος. καὶ οἱ κατ' ἔτος ἐναγίζουσιν οἱ Δελφοί. *Egresso autem ex æde, & vertenti ad sinistram, septum est, & Neoptolemi, Achillis filii, in eo sepulchrum; & illi annuas inferias præstant Delphi.* Meminit Heliodorus extremo II. *Æthiopic.* Τεκμήριον λαμβάνει πρὸς τοῖς ἄλλοις, οἷς καταλέγει καὶ τὸν ἐναγισμὸν τῷ Νεοπτολέμῳ πεμπόμενον, *Documentum accipit super alia, in quibus recenset etiam inferias Neoptolemo missas.* Et mox. Συμπαρεῖναι γὰρ καὶ τὴν ζάκορον τῆς Ἀρτέμιδος τῇ πομπῇ, καὶ τοῖς ἐναγισμοῖς τοῖς Νεοπτολέμου, πάτριον. *Simul enim occurrere etiam æditu am Dianæ ad pompam & inferias Neoptolemi, patrius ritus.* Habes ejus plenissimam descriptionem apud eundem, ineunte *lib.* III.

ΝΗΛΗΙΣ.

In honorem Dianæ agitabatur apud Milesios. Plutarchus *De Virt. Mul.* Οὔσης ἑορτῆς Ἀρτέμιδι καὶ θυσίας παρὰ Μιλησίοις, ἣν Νηληΐδα προσαγορεύουσιν, ἔπεμψε τὴν γυναῖκα, καὶ τὴν θυγατέρα, δεηθείσας ὅπως τῆς ἑορτῆς μετάσχωσι. *Quum igitur festum & sacrificium Dianæ adesset, apud Milesios, quod appellant Neleidem, misit uxorem & filiam, oratum, ut participes essent festi.* Polyænus *lib.* VIII. Πυθῶ, ἀνδρὸς ἐνδόξου, θυγάτηρ Πιερία, ἑορτῆς οὔσης παρὰ Μιλησίοις, ἣν Νηληΐδα καλοῦσιν, ἧκεν εἰς Μίλητον. *Pythæ, viri clari, filia Pieria, quum festum esset apud Milesios, quod vocant Neleidem, venit Miletum.* Ejusdem festi, in eadem historia, sed sine nomine, meminit Aristænetus *lib.* I. *Epist.* XV. Μίλητος τοίνυν καὶ Μυοῦς αἱ πόλεις ἐπὶ μήκιστον χρόνον πρὸς ἀλλήλας ἀνεπίμικτοι διετέλουν. πλὴν ὅσον ἐς Μίλητον οἱ τῆς ἑτέρας ὑπόσπονδοι βραχὺ προσεφοίτων, καιρὸν ἔχοντες καὶ μέτρον τῆς αὐτόθι τιμωμένης Ἀρτέμιδος τὴν πανήγυριν, σμικρὰν ἀνακωχὴν ἑκάτερος τὴν ἑορτὴν ἐποιοῦντο. *Miletus igitur & Myus urbes lon-*

A *gissimo tempore nullis inter se commerciis miscebantur; nisi quod in urbem Miletum incolæ alterius fide publica ad breve momentum accedebant, tempus & mensuram habentes festivitatem publicam Dianæ illic cultæ, breves inducias uterque faciebant festum.*

ΝΗΣΤΕΙΑ.

A Tarentinis celebrabatur in memoriam jejunii, a Rheginis decimo quoque die acti, victusque ejus ipsis submissi, dum a Romanis obsiderentur. Ælianus *Var. Hist.* lib. V. cap. XX. Ταραντίνων πολιορκουμένων ὑπὸ Ῥωμαίων, καὶ μελλόντων ἁλῶναι
B ὑπὸ λιμοῦ, οἱ Ῥηγῖνοι ἐψηφίσαντο μίαν ἡμέραν ἐν τῶν δέκα νηστεύειν, καὶ ἐκείνας τὰς τροφὰς ἐκχωρῆσαι Ταραντίνοις. Ἀπόστων οὖν αὐτῶν ἐσώθησαν, καὶ μεμνημένοι τοῦ πάθους, ἑορτὴν ἄγουσι τὴν καλουμένην Νηστείαν οἱ Ταραντῖνοι. *Quum Tarentini oppugnarentur ab Romanis, & jam capi deberent ob famem, Rhegini decreverunt uno die ex decem jejunare, & ista alimenta concedere Tarentinis. Recedentibus igitur illis servati sunt, & casum hunc memorantes, festum agunt Tarentini quod vocant Jejunium.*

ΝΙΚΗ Η ΕΝ ΜΑΡΑΘΩΝΙ.

C In memoriam victoriæ ad Marathonem celebrabatur ad diem sextum mensis Boedromionis. Plutarchus *De Gloria Atheniensium.* Ἕκτη μὲν ἱσταμένου Βοηδρομιῶνος ἔστι νῦν ΤΗΝ ΕΝ ΜΑΡΑΘΩΝΙ ΝΙΚΗΝ ἑορτάζει. *Sexta quidem labente Boedromionis etiamnunc victoriæ in Marathone festum celebrat.*

ΝΙΚΗΤΗΡΙΑ ΑΘΗΝΑΣ.

In honorem Minervæ celebrabant Athenienses, ob devictum ab ipsa Neptunum. Proclus *in Timæum*, Comment. I. Ἔτι τοίνυν ΤΗΣ ΑΘΗΝΑΣ ΤΑ
D ΝΙΚΗΤΗΡΙΑ παρ' Ἀθηναίοις ὑμνεῖται, καὶ ἑορτὴν ποιοῦνται ταύτην, ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς νικωμένου. *Ergo nunc quoque festo victoriæ Minervæ apud Athenienses celebrantur, faciuntque illud solenne, tanquam Neptuno ab Minerva victo.*

ΝΟΥΜΗΝΙΑ.

Marinus in *Vita Procli*. Τὰς νουμηνίας λαμπρῶς ἐπετέλει, καὶ ἱεροπρεπῶς. καὶ τὰς παρὰ πᾶσι δὲ ὡς εἰπεῖν ἐπισήμους ἑορτὰς καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις πάτρια δρῶν ἐνθέσμως διετέλεσε. *Novas lunas splendide peragebat, & ex dignitate sacri. Etiam apud omnes, ut sic dicam, insignia festa ex patrio cujusque ritu facere le-*
E *gitime continuabat.* Erat sacra omnibus diis. Scholiastes Homeri Anonymus *in Odyss.* υ. Ἐπεὶ καὶ πᾶσιν ἑορτή. Τὴν νεομηνίαν πάντων τῶν θεῶν νομίζουσιν εἶναι. ταύτην γὰρ οἱ πρόγονοι τοῖς θεοῖς ἀνέθεσαν, διὰ τὸ πρώτην αὐτὴν εἶναι τοῦ μηνός. *Quoniam etiam omnibus festum. Novam lunam omnium Deorum existimant esse. Hanc enim majores Diis consecrarunt, quia dies primus esset mensis.* Plutarchus in *Quæst. Rom.* Ἕλληνες ἐν τῇ νεομηνίᾳ τοὺς θεοὺς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν ἥρωσι, καὶ δαίμοσιν, ἀποδεδώκασιν. *Græci in nova luna Deos venerati, secundam heroibus & Geniis concedunt.* Alii Apollini privatim tribue-
F bant. Suidas. Ἔξω τῶν ἑορτῶν ἡμέραι τινὲς ἐνομίζοντο Ἀθήνησι θεοῖς τισιν. οἷον νουμηνία, καὶ ἑβδόμη, Ἀπόλλωνος. *Extra festa dies quædam Athenis existimabantur dicatæ diis quibusdam; ut nova luna, & septima Apollinis.* Causa erat, quod ille, veluti sol, lucis auctor esset; atque inde etiam Νεομήνιος cognomento appellatus. Scholiastes Homeri, quem laudavi, *loco cit.* Τοῦ δ' Ἀπόλλωνος ταύτην εἶναι νομίζειν ἡμέραν εἰκότως, τὸ πρῶτον φῶς τῷ αἰτιωτάτῳ τοῦ πυρός· ἐκάλουν τε αὐτὸν καὶ Νεομήνιον. *Apollinis vero illum diem jure esse existimare, primam lucem maximo*

ignis auctori: vocabantque eum etiam Novilunarem. Apollini ſacrum fuiſſe diem iſtum, tradit quoque Euſtathius *ad citatum Odyſſeæ librum*. Νουμηνία γὰρ ἡ ἡμέρα, ὡς ἐῤῥέθη, Ἀπόλλωνος ἱερὰ, τουτέστιν ἡλίου, ὃς αἴτιος νεομηνίας, συνοδεύων τηνικαῦτα τῇ σελήνῃ. *Nova luna enim hæc dies; ut dictum eſt, Apollini ſacra, hoc eſt, Soli, ut cauſa & auctor novæ lunæ, tunc congrediens cum luna.* Iterum *ad Odyſſ.* φ'. Ἑορτὴ δὲ ἦν ἄρτι, ὡς προείρηται, Ἀπόλλωνος ἡλίου, διὰ τὴν ἐν τριακάδι, ὡς δεδήλωται, σύνοδον. Ἀπόλλωνος γὰρ ἱερὰ πᾶσα νουμηνία. *Feſtum vero erat modo, ut prædictum eſt, Apollinis Solis; propter congreſſum, ut declaratum eſt, in triceſimo die. Apollinis enim ſacra omnis nova luna.* Certe Plutarchus ſacratiſſimum dierum vocat, lib. *De vitando ære alieno*. Οὐδὲ ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν, καὶ τῆς νουμηνίας, ἣν, ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν, ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ, καὶ στύγιον. *Neque reminiſcetur calendarum & novæ lunæ, quam, ſacratiſſimam dierum, nefaſtam faciunt fœneratores & abominabilem.* Certamen tunc erat. Hinc ſunt illa hominis ruſtici apud Theophraſtum in *Eth. Charact.* cap. Περὶ ἀγροικίας. Εἰ σήμερον ὁ ἀγὼν νουμηνίαν ἄγει. *Si hodie agon novam lunam ducit.* Et in arcem tunc aſcendebant, vota facturi, ut urbi publice, & ſibi privatim, fauſta omnia toto menſe inſequente evenirent. Demoſthenes *in Ariſtogitonem* Orat. I. Πῶς δὲ ταῖς νουμηνίαις εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀναβαίνοντες, τἀγαθὰ τῇ πόλει διδόναι, καὶ ἕκαστος ἑαυτῷ τοῖς θεοῖς εὔξεται. *Quomodo autem novis lunis in arcem contendentes, bona civitati dare; & quiſque ſibi Deos rogabunt.* Votum pro urbe publice commemoratur apud Etymologici Auctorem. Ἐπιμήνια, τὰ καθ' ἕκαστον μῆνα θυόμενα. ἢ τὰ ὑπὲρ ὅλου τοῦ μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γινόμενα θύματα ὑπὲρ τῆς πόλεως. *Epimenia, quæ unoquoque menſe immolantur; aut quæ pro toto menſe ſemel aliquando fiunt ſacrificia pro civitate.* Corrigendus Suidas in eadem dictione, apud quem male eſt φυόμενα, *naſcentia*, pro θυόμενα, *immolata*. De privato, eſt videre apud Libanium *Declam.* XL. Καὶ ταῦτα οὐ ψεύδομαι, ὦ πάτερ, οἶσθα γὰρ, ὡς ἡδόμενος εἴης, ὁπότε σε παραπέμποιμεν εἰς ἱερὰ ταῖς νουμηνίαις, ὁ μὲν ἔνθεν, ὁ δὲ ἔνθεν βαδίζων. ὅτε σοι, καὶ τὸ πλεῖστον τῆς εὐχῆς ἦν, τὼ παῖδε σοι τῆς οὐσίας κληρονόμω γενέσθαι, καὶ μηδένα δαίμονα, μηδὲ φόνον, κινῆσαί τι τῶν παρόντων ἀγαθῶν. *Et hæc, o pater, non mentior; noſti enim, quam fruaris, quando te deducimus ad ſacra novis lunis, hic quidem inde, iſte vero inde veniens; quando etiam tibi maxima voti pars fuit, ut liberi tui eſſent bonorum hæredes; utque nullus genius nec cædes verteret quidquam præſentium bonorum.* Lucianus *Icaromenippo*. Κἀπειδὰν τάχιστα καταπτῶμαι πάλιν ἐς τὴν Ἑλλάδα, μεμνήσομαι σπένδειν τέ σοι ἐπὶ τῆς καπνοδόχης, κἂν ταῖς νουμηνίαις, πρὸς τὴν σελήνην τρὶς ἐγχανὼν, προσεύχεσθαι. *Et poſtquam celerrime devolavero rurſus in Græciam, meminero libare tibi ad furnum, & in novis lunis, ad lunam ter inhians, comprecari.* Nec vota tantum faciebant, ſed & ſacra. Idem Libanius alibi, *Declam.* VIII. Ταῖς νουμηνίαις νόμῳ μὲν πόλεως ἐθύομεν. *Novis lunis quidem lege urbis ſacrificamus.* Theon in *Paradigmatis*. Καὶ τῆς νουμηνίαις μεθ' ὑμῶν προσῆλθε τοῖς ἱεροῖς, καὶ ταῖς χερσὶν, αἷς ἔδρασε τὸν φόνον, συνεψήφατο τῶν ἱερῶν θυσιῶν. *Et novis lunis vobiſcum acceſſit ad templa, & manibus, quibus cædem fecit, ſimul tetigit ſacras hoſtias.* Eſtque in *citatis* Etymologici Auctoris *verbis*. Ἐπιμήνια, τὰ καθ' ἕκαστον μῆνα θυόμενα, &c. *Epimenia, quæ unoquoque menſe immolantur.* Atque ut feſtum Νουμηνία, ita ſacra Ἐπιμήνια, ac ſacrifici Ἐπιμήνιοι, dicebantur. Docet illud nos Heſychius, ſed loco hodie valde corrupto. Ἐπίμηνον, οἱ ἱεροποιοὶ, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ θυσία τις. Ἐπιμηνία, ἡ κατὰ μῆνα τῇ νουμηνίᾳ συντελουμένη. *Epimenum, ſacrificuli: vocabatur & ſacrificium aliquod. Epimenia, quæ per menſes nova luna peragitur.* Reſtituo, & interpungo, Ἐπιμήνιοι, ἱεροποιοί. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ θυσία τις Ἐπιμήνια, ἡ κατὰ μῆνα τ. ν. σ. *Epimenii, ſacrificuli. Vocabatur autem & ſacrificium aliquod Epimenia, quod quovis menſe n. l. p.* Ac ſacrifici quidem Ἀγρεμόνες etiam dicti. Heſychius, Ἀγρεμόνα, τὸ ἐπιμήνιον. *Agremona, epimenium.* Offerebant autem in iſtis ſacris placentam e melle ſerpenti, qui in arce. Herodotus *lib.* VIII. Λέγουσιν οἱ Ἀθηναῖοι ὄφιν μέγαν φύλακα τῆς ἀκροπόλιος ἐνδιαιτᾶσθαι ἐν τῷ ἱερῷ. λέγουσί τε ταῦτα, καὶ δὴ ὡς ἐόντι ἐπιμήνια τελέουσι προτιθέντες. τὰ δ' ἐπιμήνια, μελιτόεσσά ἐστι. *Ferunt Athenienſes ſerpentem magnum arcis cuſtodem immorari fano; dicunt etiam hæc, quaſi illic manenti menſtrua ſacra perficere apponentes. Illa autem menſtrua ſunt mellita.* Et quidem in fano Erechthei. Obſervare eſt apud Heſychium. Οἰκουρὸν ὄφιν, τὸν τῆς Πολιάδος φύλακα δράκοντα. καὶ οἱ μὲν ἕνα φασὶν, οἱ δὲ δύο, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἐρεχθέως. τοῦτον δὲ φύλακα τῆς ἀκροπόλεως φασὶν, ᾧ καὶ μελιττοῦταν παρατίθεσθαι. *Domi ſervatorem ſerpentem, Minervæ Poliadis cuſtodem draconem. Et alii quidem dicunt unum, alii duos, in fano Erechthei. Hunc vero cuſtodem arcis dicunt, cui etiam melleam placentam apponi.* Jubebatur hæc ſacerdos cum paraſitis facere, decreto Alcibiadis; quod Cynoſarge in templo Herculis e columna affixum erat. Athenæus *lib.* VI. Ἐν Κυνοσάργει μὲν οὖν ἐν τῷ Ἡρακλείῳ στήλη τίς ἐστιν, ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδου, γραμματεὺς δὲ Στέφανος ὁ Θουκυδίδου. λέγεται τ' ἐν αὐτῷ περὶ τῆς προσηγορίας οὕτω. Τὰ δὲ ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων. *In Cynoſargi quidem igitur in fano Herculis eſt columna, in qua decretum quidem Alcibiadis, ſcriba autem Stephanus Thucydidis filius. Diciturque in eo de allocutione ita: Illa vero menſtrua ſacrificet Sacerdos cum paraſitis.* Quin panes tunc fieri ſoliti, qui a feſto Νουμήνιοι dicti. Lucianus in *Lexiphane*. Ἄρτοι μέντοι ἦσαν σιφαῖοι, οὐ φαῦλοι, καὶ ἄλλοι νουμήνιοι, ὑπερήμεροι τῆς ἑορτῆς. *Panes erant quidem ſiliginei, non mali, & alii, qui per novas lunas comeduntur, reſervati ultra feſtum:* Mulieres quoque ſe lavabant. Libanius *Declam.* XXXVII. ubi de muliere ſordida, & quæ vix vel novilunio, cum nimirum feſti lege teneretur, ſe lavaret. Τὴν μὲν οὖν γυναῖκα ἐπαινῶ τῆς μιμήσεως, ἥν με ἐμιμήσατο, ἄσιτος τὰ πολλὰ διατελοῦσα, τοῖς περιλείμμασι τῶν ἄρτων παρατρεφομένη. ὕδωρ αὐτή τε πίνουσα, καὶ τὰς θεραπαίνας ἐθίζουσα. μόλις ταῖς νουμηνίαις λουομένη. *Mulierem igitur laudo quidem ob imitationem, qua me fuit imitata, jejuna ut plurimum manens, reliquiis panum enutrita; aquamque ipſa bibens, & ancillas adſuefaciens; vix per novas lunas lavata.* Et egeni ad potentiores ibant, ut ab iis aliquid acciperent. Ecce apud Herodotum in *Vita Homeri*. Ταῖς νουμηνίαις προσπορευόμενος πρὸς τὰς οἰκίας τὰς εὐδαιμονεστάτας, ἐλάμβανέ τι. *Novis lunis accedens ad domos beatiſſimas, accipiebat aliquid.* Feſtum hoc colere, Νουμηνιάζειν; quique colerent, Νουμηνιασταὶ dicebantur. Ecce apud Athenæum *lib.* XII. Ἀπολλοφάνης, καὶ Μυσταλίδης δὲ, καὶ Λυσίθεος, συνεστιῶντο μίαν ἡμέραν ταξάμενοι τῶν ἀποφράδων, ἀντὶ νουμηνιαστῶν κακοδαιμονιστὰς σφίσιν αὐτοῖς τοὔνομα θέμενοι. *Apollophanes, ſed & Myſtalides & Lyſitheus convivabantur unum diem ſtatuentes nefaſtorum, pro illis, qui novam lunam colentes dicuntur numeniaſtæ, nominantes ſe cacodæmoniſtas, & infauſto genio utentes.*

ΥΜΦΕΙΑ.

Nymphis olim apud Oetam Amphissus instituit, propter merita in matrem Dryopen. Erat autem certamen cursus, neque ad illud fœminæ ulli accedere licitum. Antoninus Liberalis *Metamorph.* XXXII. *Αμφισσος δὲ ἀντὶ τῆς πρὸς τὴν μητέρα χάριτος ἱερὸν ἱδρύσατο Νυμφῶν, καὶ πρῶτος ἀγῶνα ἐπετέλεσε δρόμου. καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐπιχώριοι τὸν ἀγῶνα διαφυλάσσουσι τοῦτον. γυναικὶ δὲ οὐχ ὅσιον παρατυχεῖν, ὅτι Δρυόπην ἀφανισθεῖσαν ὑπὸ Νυμφῶν δύο παρθένοι τοῖς ἐπιχωρίοις ἐδήλωσαν. Amphissus autem pro benignitate erga matrem exstruxit templum Nympharum, & primus peregit cursus certamen: & nunc quoque incolæ servant hoc certamen: mulieri vero nefas est intervenire, quia Dryopen ab Nymphis esse suppressam duæ puellæ incolis indicaverunt.*

ΞΑΝΘΚΑ.

Macedones celebrabant; eratque militum lustratio. Hesychius. *Ξανθικά, ἑορτὴ Μακεδόνων, Ξανθικοῦ μηνὸς, ἢ Ξανθικοῦ ἀγομένη. ἔστι δὲ καθάρσιον τῶν στρατευμάτων. Xanthica, festum Macedonum Xanthico mense celebrata, aut Xanthico. Est autem lustratio exercituum.* Sed corruptus ille locus. Nam cur Xanthici mensis nomen bis commemorat? deinde, quonam mensis die actum festum? Rejicio illud posterius *Ξανθικοῦ*, a librario oscitante geminatum, & restituo, *Ξανθικοῦ μηνὸς η. ἀγομένη. Xanthici mensis octavo die celebrata.* Nempe ad diem VIII. Xanthici celebrari id festum solitum Hesychius scripserat. De lustratione militum, quod subjungit, tunc peracta; eam ita describit Livius, ab V. C. *lib.* XL. *Forte lustrandi exercitus venit tempus; cujus solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ, & prior pars ad dextram cum extis, posterior ad lævam viæ ponitur. inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur. præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniæ regum; deinde rex ipse cum liberis sequitur. proxima est regia cohors, custodesque corporis; postremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit. Mos erat, lustrationis sacro peracto, exercitum decurrere; & divisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ.* Et mox, in Demetrii *Oratione* ad patrem Philippum, *Quis dies? quo lustratus exercitus, quo inter divisam victimam prælatis omnium qui unquam fuere Macedoniæ regum armis regiis, duo soli tua tegentes latera, pater, prævecti sumus, & secutum est Macedonum agmen.* De eadem lustratione, sed non adeo plene, Curtius *l.* X. *Placet exercitum patrio more lustrari. & probabilis causa videbatur, præterita discordia. Macedonum reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissæ canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur, ab utraque abjicerentur parte: intra id spatium armati omnes starent; hinc equites, illinc phalanx.*

ΟΓΧΗΣΤΙΑ.

Neptuno τῷ Ὀγχηστίῳ sacra, a Thebanis celebrata. Meminit Pausanias *Bœoticis*. Κλύμενον μὲν ἐν τῇ ἑορτῇ τοῦ Ὀγχηστίου Ποσειδῶνος Θηβαίων φονεύουσιν ἄνδρες. *Clymenum quidem in festo Onchestii Neptuni Thebanorum occidunt viri.*

ΟΛΥΜΠΙΑ.

Elide celebrata, in honorem Jovis Olympii. Sed de istis nihil dicam, quia alii abunde dixerunt. Alia erant, quæ Athenis celebrata. Scholiastes Thucydidis *l.* I. Ἔστιν Ὀλύμπια καὶ ἐν Μακεδονίᾳ, καὶ Ἀθήναις. *Sunt Olympia & in Macedonia, & Athenis.* Estque de his Pindari locus, *Pythionic.* Od. IX.

Ἐν Ὀλυμπίοισί τε καὶ βαθυκόλπου
Γᾶς ἀέθλοις. ——
In Olympiisque & profundæ
Terræ certaminibus. ——

Ubi Scholiastes. *Ὀλυμπίοις, οὐ τοῖς ἐν Πίσῃ νῦν. οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἔρριψεν ἁπλῶς τὸν λόγον. ἀλλὰ τοῖς ἐν Ἀθήναις. Olympiis, non quæ nunc in Pisa. Non enim ita simpliciter jecisset seemonem. Sed quæ Athenis.* Idem *Olympionic.* Od. VII. *Κρανααῖς ἐν Ἀθάναις. Τὴν ὅλην Ἀττικὴν, Ἀθήνας εἶπεν. εἴη δ' ἂν, ἤτοι τὰ Παναθήναια νενικηκὼς, ἢ τὰ Ἡράκλεια, ἢ τὰ Ὀλύμπια, ἢ τὰ Ἐλευσίνια, ἢ τὰ Πανελλήνια. Cranais in Athenis. Totam Atticam Athenas dixit. Vicerit igitur vel Panathenæa, vel Herculea, vel Olympia, vel Eleusinia, vel Panellenia.* Erat autem tunc certamen. Hesychius. *Ὀλύμπια. ὁ Ἀθήνησιν ἀγών. Olympia, Athenis certamen.* Meminit Inscriptio vetus.

ΟΛΥΜΠΙΑ
ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ
ΑΝΔΡΩΝ
ΠΑΛΗΝ.
Olympia
In urbe Athenis,
Virorum
Luctam.

Et agonistæ, Elide pariter atque Athenis, prius quam certamen adirent, sacra faciebant, nempe pro felici successu. Observo apud Athenæum, qui indistincte ita dicit, *l.* XIV. *Πελίγναν τὸν μάγειρον λαβὲ παρὰ τῆς μητρός. οὗτος γὰρ οἶδε τὰ ἱερὰ σου τὰ πατρῷα πάντα ὃν τρόπον θύεται, καὶ τὰ Ὀργιαστικὰ, καὶ τὰ Βακχικὰ, ὅσα τε ἐν Ὀλυμπίοις προθύεται, οὗτος οἶδε. Pelignan coquum accipe ab matre. Ille enim novit sacra tua patria omnia, quemadmodum fieri oporteat; & Orgia & Bacchica, item quæ in Olympiis præmactantur, ille novit.* Ita enim ibi legendum; non, *ὅσα τε Ὀλυμπιὰς προθύεται. Et qualia Olympias præmactat.* Erantque hæc item Jovi sacra, ut ista Elide. Accipio ex eodem Pindaro, jam citato, *Nem.* Od. II.

—— τὰ δ' οἴκοι,
Μάσσον' ἀριθμῷ,
Διὸς ἀγῶνι. ——

—— quæ vero domi,
Majora numero,
In Jovis certamine. ——

Ubi iterum Scholiastes. *Τίθεται ἐν Ἀθήναις Διὸς ἀγὼν, τουτέστι τὰ Ὀλύμπια. Agitur Athenis agon Jovis, hoc est, Olympia.* Et mox. *Τὸν ἀγῶνα τῶν Ὀλυμπίων: ἢ τὸν Δία, ᾧ ἀνατίθεται ὁ ἀγών. Agona Olympiorum, aut Jovem, cui sacratur agon.* Erant quoque apud Macedonas. Scholiastes Thucydidis, in *verbis* jam *citatis*. *ἔστιν ὀλύμπια καὶ ἐν Μακεδονίᾳ. Sunt Olympia etiam in Macedonia.* Etiam apud Smyrnæos. Inscriptio vetus. ΟΜΟΙΩΣ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜΠΙΑ. *Similiter Smyrnæ Olympia.* Item apud Alexandrinos. In eadem Inscriptione. ΑΝΑΓΚΑΣΘΕΙΣ ΕΝ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ ΚΑΙ ΝΙΚΗΣΑΣ ΟΛΥΜΠΙΑ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ. *Necessitate compulsus in patria Alexandrea, & qui vicisset Olympia Pancratium.* Etiam apud Nicæenses. Eustathius *in Dionysium*. *Ἱστορεῖται δὲ κατὰ ζῆλόν τινα καὶ παρὰ Νικαεῦσι ποταμόν τινα Ἀλφειὸν ὠνομάσθαι, καὶ ὄρη τινὰ Ὀλύμπια· καὶ ἀγῶνα δὲ Ὀλυμπιακὸν ἄγεσθαι, κατὰ μίμησιν τῶν ἐν Ἤλιδι. Memoratur & per imitationem quandam apud Nicæenses fluvium quendam Alpheum nominari, & montes quosdam Olympia; sed & agonem Olympiacum celebrari, per imitationem illorum in Elide.* Quæ Elide erant, præ-

mium victori dabant coronam ex apio, ut notissimum; in aliis, si non omnibus, at quibusdam, corona e lauro dari solita. Observare est apud Chrysostomum *in Geneseos cap.* XVIII. *Hom.* XLII. Καὶ ἐν μὲν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς τούτοις ἀγῶσιν ὁ στέφανος μετὰ τὴν νίκην οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ φύλλα δάφνης. *Et quidem in illis Olympiacis certaminibus corona post victoriam nihil aliud est, nisi folia lauri.* Iterum *De Nom. Mut. Hom.* LXIV. Οὐχ ὁρᾶτε τοὺς Ὀλυμπιακοὺς ἀθλητὰς μέσον τοῦ θεάτρου ἑστῶτας ἐν μεσημβρίᾳ μέσῃ καθάπερ ἐν καμίνῳ τῷ σκάμματι, καὶ γυμνῷ τῷ σώματι τὴν ἀκτῖνα δεχομένους, ὥσπέρ τινας ἀνδριάντας χαλκοὺς, καὶ ἡλίῳ καὶ κονιορτῷ καὶ πνίγει μαχομένους, ἵνα τὴν τοσαῦτα ταλαιπωρήσασαν κεφαλὴν φύλλοις δάφνης ἀναδήσωνται, ὑμῖν δὲ οὐ στέφανος δάφνης, ἀλλὰ στέφανος δικαιοσύνης πρόκειται. *Non videtis Olympiacos athletas in medio theatri stantes in media meridie tanquam in furno gradu & nudo corpore radium accipientes, velut aliquas statuas æreas, contra solem & pulverem & æstum pugnantes, ut caput tam gravia perpessum foliis lauri revinciant? Vobis autem non corona lauri, sed corona justitiæ promititur.*

ΟΜΟΛΩΙΑ.

Puto Thebanos, Thessalosque, celebrasse; in honorem Jovis τοῦ Ὁμολωΐου, & Cereris τῆς Ὁμολωΐας, de quibus videre est apud Suidam *in* Ὁμολώϊος. Meminit Scholiastes Theocriti, *Idyll.* VII. Καὶ Ἀριστόδημος ὁ Θηβαῖος, ἐν οἷς περὶ τῆς ἑορτῆς τῶν Ὁμολωΐων. *Et Aristodemus Thebanus, in quibus de festo Homoloiorum.*

ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ.

Alii Ὠσχοφόρια scribunt. Dixi de iis per occasionem nuper libro *De Pop. Atticæ.* Hic reponam, loco suo. Instituta illa a Theseo. Plutarchus in ejus *Vita*. Ἄγουσι δὲ καὶ τὴν τῶν Ὠσχοφορίων ἑορτὴν, Θησέως καταστήσαντος. *Celebrant vero etiam festum Oschophoriorum, Theseo auctore.* Certabant autem cursu ephebi, palmitem gestantes uvis onustum, quem Ὄσχην nominabant. Currebant autem a Bacchi templo usque ad Minervæ τῆς Σκιράδος; quique prior pervenisset, is victor edebat e phiala, quæ Πενταπλόα, sive Πενταπλῆ, dicebatur: quia nimirum mixta in ea erant vinum, mel, caseus, farina, & olei parum. Athenæus *l.* XI Ἀριστόδημος δ' ἐν τρίτῳ Περὶ Πινδάρου, τοῖς Σκίροις φησὶν Ἀθήναζε ἀγῶνα ἐπιτελεῖσθαι τῶν ἐφήβων δρόμου. τρέχειν δ' αὐτοὺς ἔχοντας ἀμπέλου κλάδον κατάκαρπον, τὸν καλούμενον ὄσχην. Τρέχουσι δ' ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου μέχρι τοῦ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱεροῦ, καὶ ὁ νικήσας λαμβάνει κύλικα, τὴν λεγομένην Πενταπλόαν, καὶ κωμάζει μετὰ χοροῦ. Πενταπλόα δὲ ἡ κύλιξ καλεῖται, καθότι οἶνον ἔχει, καὶ μέλι, καὶ τυρὸν, καὶ ἄλφιτον, καὶ ἐλαίου βραχύ. *Aristodemus autem in tertio de Pindaro, Sciris ait Athenas certamen peragi ephebor um cursus. Currere autem eos habentes vitis ramum refertum fructibus, quem vocant oschen. Currunt vero ex templo Bacchi usque ad fanum Scirados Minervæ. Et qui vicit, accipit calicem, qui vocabatur Pentaploa, & comessatur cum choro. Pentaploa autem vocatur calix, quippe habet vinum, & mel, & caseum, & farinam, & parum olei.* Atque erant isti juvenes, qui utrumque parentem superstitem haberent, legebanturque e singulis tribubus. Scholiastes Nicandri *Alexiph.* Ὀσχοφόροι δὲ λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. *Oschophori autem dicuntur Athenis pueri patrimi & matrimi, certantes per tribus, qui accipientes racemos vitis, ex templo Bacchi currebant ad Minervæ Sciradis fanum. Hi autem racemi habebant uvas.* Et quidem nobiles. Accipio ex Hesychio. Ὠσχοφόρια, παῖδες εὐγενεῖς ἡβῶντες καταλέγονται, οἱ φέροντες τὰς ὤσχας εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. *Oschophoria, pueri nobiles pubescentes eliguntur, qui ferentes palmites in templum Sciradis Minervæ.* Dixi lectos e singulis tribubus, & victorem e phiala quintuplice edisse. Proclus confirmat in *Chrestomathia.* Ἐξ ἑκάστης δὲ φυλῆς ἔφηβοι διημιλλῶντο πρὸς ἀλλήλους δρόμῳ. καὶ τούτων ὁ πρότερος ἐγεύετο ἐκ τῆς πενταπλῆς λεγομένης φιάλης, ἣ συνεκιρνᾶτο ἐλαίῳ, καὶ οἴνῳ, καὶ μέλιτι, καὶ τυρῷ, καὶ ἀλφίτοις. *Ex qualibet autem tribu ephebi inter se certabant cursu: & eorum primus gustabat ex quintuplice, ut dicebatur, phiala, quæ temperata erat oleo, & vino, & melle, & caseo, & farina.* De cursu e fano Bacchi ad Minervæ Sciradis, idem refert. Ἦν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις ἡ παραπομπὴ ἐκ τοῦ Διονυσιακοῦ ἱεροῦ εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σκιράδος τέμενος. *Erat autem Atheniensibus deductio ex Bacchico templo ad Minervæ Sciradis fanum.* Erat item chorus, qui carmina cantabat, Ὀσχοφορικὰ dicta, in honorem certantium; eumque ducebant juvenes duo, veste muliebri induti, & ipsi palmites, uvis maturis plenos, gestantes. Commemorat *ibidem* Proclus. Ὀσχοφορικὰ δὲ μέλη παρὰ Ἀθηναίοις ᾔδετο. τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι, κατὰ γυναῖκας ἐστολισμένοι, κλήματα ἀμπέλου κομίζοντες μεστῶν εὐθαλῶν βοτρύων, (ἐκάλουν δὲ αὐτὸ ὄσχην, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς καθηγοῦντο. εἵπετο τοῖς νεανίαις ὁ χορὸς, καὶ ᾖδε τὰ μέλη. *Oschophoricæ autem cantilenæ apud Athenienses canebantur. Chori vero duo adolescentes, instar mulierum apparati, palmites vitis ferentes refertis benefiorentibus racemis (vocabant id oschen, unde etiam cantilenis denominatio (sacrum auspicabantur. Hos adolescentes sequebatur chorus, & cantabat cautiones.* Sed corruptus iste locus, legendumque, Κλῆμά τε ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν β. *Et palmitem vitis ferentes refertum beneflorentibus.* Commeabant ad hos mulieres, quæ cibum illis ferrent, eæque Δειπνοφόροι dicebantur. Observo ex istis Hesychii verbis. Παρὰ Ἀθηναίοις καθίστανται ἐν τῇ τῶν Ὀσχοφορίων ἑορτῇ οἱ Δειπνοφόροι. *Apud Athenienses constituuntur in festo Oschophoriorum Cœnigeri.* Verum legendum, αἱ Δ. *Cœnigeræ.* Nam fœminæ erant. Plutarchus *in Theseo*, ubi festum id describit. Αἱ δὲ δειπνοφόροι παραλαμβάνονται, καὶ κοινωνοῦσι τῆς θυσίας, ἀπομιμούμεναι τὰς μητέρας ἐκείνων τῶν λαχόντων. ἐπεφοίτων γὰρ αὐτοῖς, ὄψα καὶ σιτία κομίζουσαι. *Cœnigeræ autem adsumuntur, & participant sacrificium, imitantes matres eorum, qui sortiti sunt; accedebant enim ad eos obsonia & panem ferentes.* Ex illis fuerit Tritonis, ad quam est Cymothi Epistola *apud Alciphronem.* Ἄστυ δὲ θαμίζεις, καὶ Ὀσχοφόρια, καὶ Λήναια, ταῖς πλουσίαις Ἀθηναίων συνεορτάζουσα. *Urbem vero frequentas, & Oschophoria ac Lenæa cum divitibus Atticarum concelebrans.* Ubi hoc quoque animadvertere est, e ditioribus illas fuisse. Præco quoque aderat, caduceum gestans coronatum; interque libationem acclamabant astantes, ΕΛΕΛΕΥ, ΙΟΥ, ΙΟΥ. Plutarchus *Theseo*. Καὶ νῦν ἐν τοῖς Ὠσχοφορίοις στεφανοῦσθαι μὲν οὐ τὸν κήρυκα λέγουσιν, ἀλλὰ τὸ κηρύκειον. ἐπιφωνεῖν δὲ ταῖς σπονδαῖς ΕΛΕΛΕΥ, ΙΟΥ, ΙΟΥ, τοὺς παρόντας. ὧν τὸ μὲν σπεύδοντες ἀναφωνεῖν καὶ παιωνίζοντες εἰώθασι, τὸ δὲ ἐκπλήξεως καὶ ταραχῆς ἐστι. *Et nunc in Oschophoriis coronari non quidem præconem dicunt, sed caduceum; acclamare autem libationibus ELELEV, IOY, IOY, præsentes; quorum alterum quidem festinantes reclamare & exultantes solent, alterum vero perculsionis & tumultus est.* Ejusque rei causam habes illic explicatam pluribus verbis antecedentibus. Erat autem templum hoc Minervæ Sciradis, quo currebant, non in Sciro, ne quid

erres; sed alterum, quod Phaleri, vetustius scilicet, & exstructum a vate Sciro; cujusque meminit Pausanias in *Atticis*, ubi de Phalero agit. A Ἐνταῦθα καὶ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ναός ἐστι. *Ibi & Sciradis Minervæ ædes est*. Et alibi. Ἐλευσινίοις πολεμοῦσι πρὸς Ἐρεχθέα, ἀνὴρ μάντις ἦλθεν ἐκ Δωδώνης, ὄνομα Σκῖρος, ὃς καὶ τῆς Σκιράδος ἱδρύσατο Ἀθηνᾶς ἐπὶ Φαληρῷ τὸ ἀρχαῖον ἱερόν. *Eleusiniis pugnantibus contra Erechtheum, vir vates venit ex Dodone, nomine Scirus, qui etiam Sciradis Minervæ ad Phalerum exstruxit vetustam ædem*. Et locus, in quo templum, a ramorum illuc gestatione, quam dixi, Ὠσχοφόριον. Ita interpretor Hesychii verba, Ὠσχοφόριον, τόπος Ἀθήνησι Φαληροῖ, ἔνθα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς B ἱερόν. *Oschophorion, locus Athenis in Phalero, ubi Minervæ templum*. Nam dubium nullum est, quin Minervam hanc Sciradem intelligat.

ΟΥΕΡΡΕΙΑ.

Apud Syracusanos acta, cogente Verre; qui eas sublatis Marcelleis, instituit. Vide supra Μαρκέλλεια.

*

ΠΑΜΒΟΙΩΤΙΑ.

C Omnes Bœoti communiter celebrabant, atque inde etiam nomen datum. Eustathius *ad Iliad. β'*. Ὁμοίως δὲ τούτοις τοῖς Πανιωνίοις καὶ τὰ Παναθήναια ἡ ἑορτή, ὡς καὶ τὰ Παμβοιώτια. *Similis vero formæ Panioniis etiam Panathenæa festum, prout etiam Pambœotia*. Et rursum *alio loco*. Παμβοιώτια, ἑορτὴ ἦν κοινὴ πάντων Βοιωτῶν. *Pambœotia, festum erat commune omnium Bœotorum*. Et quidem in campo ante Coroneam, in templo Minervæ Itoniæ. Strabo *l.* IX. ubi de ista urbe. Ἐνταῦθα δὲ καὶ τὰ Παμβοιώτια συνετέλουν. *Illic vero etiam Pambœotia peragebant*. Polybius *Hist.* libro IX. Τί δὲ Λάτταβοι καὶ Νικόστρατος; οὐ τὴν τῶν Παμβοιωτίων πανήγυριν, εἰρήνης D οὔσης, παρεσπόνδησαν, Σκυθῶν ἔργα καὶ Γαλατῶν ἐπιτελοῦντες; *Quid autem Lattabi & Nicostratus? nonne Pambœotiorum festivitatem, tempore pacis, perfidia violarunt, Scythorum opera & Gallorum perpetrantes*. Plutarchus in *Amat. Narrat.* Ἡ δὲ διασωθεῖσα, ἐφύλαξε τὴν τῶν Παμβοιωτίων ἑορτήν, καὶ τότε εἰς Κορώνειαν ἐλθοῦσα, ἱκέτις καθέζεται ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς. *Illa autem adservata retinuit festum Pambœotiorum; & tunc veniens Coroneam, supplex sedet ad aram Itoniæ Minervæ*. Intelligit hujus festi celebrationem Pausanias *Bœoticis*. Πρὶν δὲ ἐς Κορώνειαν ἐξ Ἀλαλκομενῶν ἀφικέσθαι, τῆς E Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἐστι τὸ ἱερόν. καλεῖται δὲ ἀπὸ Ἰτωνίου τοῦ Ἀμφικτύονος. καὶ ἐς τὸ κοινὸν συνίασιν ἐνταῦθα οἱ Βοιωτοὶ σύλλογον. *Priusquam ex Alalcomenis Coroneam venias, templum est Itoniæ Minervæ. Vocatur autem ab Itonio filio Amphictyonis; & conveniunt illic ad commune consilium Bœoti*. Peragebatur autem etiam cum choreis. Itaque inde intelligendus est Statius *Theb.* II. ubi ita Minervam invocans Tydeus loquitur.

Seu Pandionio nostras invisere cædes
Monte venis, sive Aonia divertis Itone,
Læta choris. ——

F

* Hic inseri possent ΠΑΙΩΝΙΑ festum Athenis celebratum in honorem Apollinis, apud Scholiasten Aristophanis *ad Acharnenses*. Παιᾶνα φησὶν ἐπικαλλῆ, ὥσπερ οὐκ εἰδώς, ὅτι σήμερον οὐκ ἔστι Παιώνια. ἔστι δὲ ἑορτὴ Ἀθήνησιν Ἀπόλλωνι ἴσως ἀποκειμένη. *Pæana dicit perpulchrum, quasi nesciens hodie non agi Pæonia. Est vero festum Athenis, fortassis Apollini consecratum*.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ.

De his nobis libro singulari dictum.

ΠΑΝΑΚΕΙΑ.

Consecrata honori Panaces. Commemorat Theodoretus *Therap.* VII. Ἀπεκλήρωσε πανηγύρεις ἑκάστῳ τῶν δαιμόνων, ἐκ τῆς προσηγορίας ὀνομάσας τὴν ἑορτήν. Ἑρμαῖα, καὶ Κρόνια, καὶ Ποσειδώνια, καὶ Ἡράκλεια, καὶ Ἀσκληπίεια, καὶ Πανάκεια. *Assignavit festivitates publicas cuique dæmonum, ex appellatione nominans festum; Mercurialia, & Saturnalia, & Neptunalia, & Herculea, & Æsculapiea, & Panacea*.

ΠΑΝΔΗΜΟΝ.

Aliter Χαλκεῖα vocabatur, & Ἀθήναια. Suidas. Χαλκεῖα, ἑορτὴ Ἀθήνησι δημώδης, καὶ ἀρχαία πάλαι· ἅτινες, Ἀθήναια καλοῦσιν· οἱ δέ, Πάνδημον, διὰ τὸ πρὸ πάντων ἄγεσθαι. *Chalcea festum Athenis populare & vetustum olim; quæ nonnulli vocant Athenæa; alii vero Pandemum, quia pro omnibus celebrantur*.

ΠΑΝΔΙΑ.

Jovi, vel Lunæ, ut alii volunt, agebantur. Etymologici Auctor. Πάνδια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἀπὸ Πανδίας τῆς σελήνης, ἢ ἀπὸ Πανδίονος, οὗ καὶ ἡ φυλὴ ἐπώνυμος. ἢ ὅτι τῷ Διὶ ἄγονται τὰ Πάνδια. ὠνόμασται δὲ ἀπὸ τοῦ πάντα δινεῖν τῷ Διί. *Pandia festum Athenis; ab Pandia Lunæ filia: aut ab Pandione, cui etiam tribus cognominis: aut quoniam Jovi celebrantur Pandia. Nominata vero sunt ab eo quod omnia moventur Jovi*.

ΠΑΝΔΡΟΣΙΑ.

Pandroso festum agitasse Athenienses, discimus ex Athenagora in *Apologia*. Καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελετὰς καὶ μυστήρια ἄγουσι, καὶ Πανδρόσῳ. *Et Agraulo Athenienses cum initiationes, tum mysteria celebrant, & Pandroso*. Ac templum habuisse, factumque illi ove fuisse, cum Minervæ bove fecissent, doceo *Atticarum Lectionum* lib. III. cap. XXII. Illic vide, si tanti est. Et vestis quoque, illi sacra, asservabatur, Ποδώνυμος dicta. Hesychius. Ποδώνυμος, ἐσθὴς ἱερὰ τῆς Πανδρόσου. *Podonymus, vestis sacra Pandrosi*.

ΠΑΝΔΥΣΙΑ.

Erat illud tempus, cum clauso mari naves in terram protraherentur. Hesiodus de eo, Ἔργων *lib.* II.

Εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρεῖ,
Εὖτ' ἂν Πληϊάδες σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος
Φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον,
Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θυίουσιν ἀῆται.
Καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐν οἴνοπι πόντῳ.
Γῆν δ' ἐργάζεσθαι μεμνημένος, ὥς σε κελεύω,
Νῆα δ' ἐπ' ἠπείρου ἐρύσαι.
Sin te navigationis molestæ desiderium rapit,
Dum Pleiades, robur validum Orionis
Fugientes, ceciderint in tenebrosum pontum,
Sane tunc omnigenum ventorum strident flatus.
Et tunc ne amplius naves habeto in nigro ponto
Terram vero versare reminiscens, ut te jubeo,
Navem in terram trabito.

Ubi Proclus, Οἱ ναυτικοὶ Πανδυσίαν καλοῦσι τοῦτον τὸν καιρόν. τότε οὖν παντοῖα πνεύματα πνεῖ δύσκολα, καὶ χρῆναι μᾶλλον ἐργάζεσθαι τὴν γῆν, ἢ πλεῖν.

ἀνέλκειν οὖν τὴν ναῦν, ϗ ἑδράζειν ἐπὶ τῆς γῆς, λίθοις πυκάσαντα κελεύει πάντοθεν, ἵνα μὴ σαλεύσωσιν οἱ ἄνεμοι τὴν ναῦν νεωλκηθεῖσαν. *Nautici Pandysiam vocant illud tempus. Tunc igitur omne genus flatus spirant sine discrimine, & oportere magis versare terram, quam navigare. Subducere igitur navem, & stabilire in terra, lapidibus densantem jubet omnino, ne concutiant venti navem subductam.* Inter festa autem fuisse, discimus ex Ænea Tactico, *Poliorcetici* cap. XVII. Χρὴ προνοοῦντα εὐλαβεῖσθαι τὰς μετ' ὄχλου ἐξόδους ἐπὶ θεωρίαν λαμπάδος, ϗ ἱπποδρομίας, ϗ τῶν ἄλλων ἀγώνων, ὅσαι γε ἱεροποιίαι πανδημεὶ ἐκτὸς τῆς πόλεως, καὶ σὺν ὅπλοις πομπαὶ ἐκπέμπονται. ἔτι ϗ περὶ τὰς πανδήμους νεωλκίας. *Oportet providentem timere exitus cum multitudine ad solennitatem facis, & equorum cursus, aliorumque certaminum, quæque aliæ sacrorum operationes extra urbem, & cum armis pompæ emittuntur; etiam circa communes navium subductiones.*

ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ.

Omnibus Græcis communia, ut Πανιώνια, Ionibus; Παμβοιώτια, Bœotis. Schol. Pindari *Olymp.* Od. VII. Εἴη δ' ἄν, ἤτοι τὰ Παναθήναια νενικηκώς, ἢ τὰ Ἡράκλεια, ἢ τὰ Ὀλύμπια, ἢ τὰ Ἐλευσίνια, ἢ τὰ Πανελλήνια. *Possit esse aut qui vicerit Panathenæa, aut Herculea, aut Olympia, aut Eleusinia, aut Panellenia.* Philostratus in *Herode*, *Sophist.* l. II. Καὶ μὴν καὶ ἐλειτούργησαν Ἀθηναῖοι τήν τε ἐπώνυμον, καὶ τὴν τῶν Πανελληνίων. *Quin etiam publice ministrarunt Athenienses & festum simile nomini urbis, & alterum omnium Græcorum.* Eustathius *ad Iliad.* β'. Ἐκ δὲ τοῦ Παναχαιῶν, ὕστερον οἱ Πανέλληνες εἴρηνται. ϗ τὸ Πανελλήνιον, ὥς που καὶ τὸ Πανιώνιον. *Ex voce autem Panachæorum postea Panellenes fuerunt dicti. & Panellenion, ut alibi quoque Panionium.* Et in Inscriptione quadam est legere. ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ. *Panathenæa, Olympia, Panellenia.*

ΠΑΝΙΩΝΙΑ.

Ionum omnium communia erant. Diodorus Siculus *lib.* XV. Κατὰ τὴν Ἰωνίαν ἐννέα πόλεις εἰώθεισαν κοινὴν ποιεῖσθαι σύνοδον τὴν τῶν Πανιωνίων, ϗ θυσίας συνθύειν ἀρχαίας ϗ μεγάλας Ποσειδῶνι περὶ τὴν ὀνομαζομένην Μυκάλην ἐν ἐρήμῳ τόπῳ. *In Ionia septem urbes solebant communem facere conventum festivitatis omnium Ionum, & sacrificia simul immolare antiqua, & magna Neptuno circa celebratam Mycalen in loco deserto.* Eustathius *ad Iliad.* β'. Ὁμοίου δὲ τύπου τοῖς Πανιωνίοις ϗ τὰ Παναθήναια ἡ ἑορτή. *Similis formæ Panioniis etiam Panathenæa festum.* Et iterum alibi. Παμβοιώτια, ἑορτὴ ἦν κοινὴ πάντων Βοιωτῶν, ὥσπερ καὶ ἡ τῶν Ἰώνων πάντων Πανιώνια. *Pambœotia festum erat commune omnium Bœotorum, sicut etiam Ionum omnium Panionia.*

ΠΑΝΟΨΙΑ.

Vide infra, Πυανέψια,

ΠΑΡΑΛΙΑ.

Paralo heroi sacra. Eustathius *ad Odyss.* δ'. Ἐκεῖθεν γίνεται ϗ ἡ πάραλος, ναῦς Ἀττική. καὶ τὸ ἐκ τῆς τοιαύτης λέξεως παραγωγὸν, παράλιον. ᾧπερ ὁμώνυμος ἑορτὴ παλαιὰ, τὰ Παράλια. *Inde est etiam Paralus, navis Attica; & quod ex tali vocabulo deducitur Paralion; cui similem appellationem habet festum vetus Paralia.*

ΠΑΥΣΑΝΙΕΙΑ.

Pausaniæ diem festum Lacedæmonii instituerunt, & certamen; in quo nulli, nisi Spartano,

A certare licebat: quin oratio quoque in honorem ejus habebatur. Pausanias in *Laconicis*. Τοῦ θεάτρου δὲ ἀπαντικρὺ, Παυσανίου τοῦ Πλαταιᾶσιν ἡγησαμένου μνῆμά ἐστι, τὸ δὲ ἕτερον Λεωνίδου· καὶ λόγους κατ' ἔτος ἕκαστον ἐπ' αὐτοῖς λέγουσι, ϗ τιθέασιν ἀγῶνα, ἐν ᾧ πλὴν Σπαρτιατῶν ἄλλῳ γε οὐκ ἔστιν ἀγωνίζεσθαι. *E regione autem theatri, est Pausaniæ præfecti ad Platæas monumentum, alterum vero Leonidæ; & quotannis sermones de his dicunt, peraguntque certamen, in quo præter Spartiatas nulli licet certare.*

ΠΕΛΩΡΙΑ.

B Et fœminino singulari, & neutro plurali efferebant. Erat festum Thessalorum, Saturnaliis simile. Athenæus *lib.* XIV. Βάτων δ' ὁ Σινωπεὺς ὁ ῥήτωρ, ἐν τῷ Περὶ Θεσσαλίας καὶ Αἱμονίας, σαφῶς ἐμφανίζει, τὴν τῶν Σατουρναλίων ἑορτὴν Ἑλληνικωτάτην, φάσκων αὐτὴν* παρὰ τοῖς Θεσσαλοῖς Πελώρια καλεῖσθαι. *Baton, Sinopensis rhetor, in scripto de Thessalia & Æmonia manifeste declarat, Saturnalium festivitatem vel maxime Græcanicam esse, dicens eam ab Thessalis vocari Peloria.* Et mox in *subjectis* illic *verbis* Batonis. Καὶ νῦν Θεσσαλοὺς μεγίστην ἑορτὴν ἄγοντας, προσαγορεύειν Πελωρίαν. *Etiam nunc Thessalos ma-* C *ximum festum celebrantes appellare Pelorian.* Habes ibidem festi institutionem, ac celebrationem. Operæ pretium est inspicere locum. Refert quoque ex Athenæo Eustathius *ad Illiad.* ρ.

ΠΕΡΙΠΕΤΕΙΑ.

Festum erat Macedonicum. Hesychius. Περιπέτεια, ἑορτὴ Μακεδονική. *Peripeteia, festum Macedonicum.*

ΠΕΡΙΦΑΛΛΙΑ.

Phallorum pompa erat, in honorem Bacchi, Bacchanalibus agitata. Hesychius. Περιφάλλια, D πομπὴ Διονύσῳ τελουμένη τῶν φαλλῶν. *Periphallia, pompa Baccho peragi solita veretrorum.* Sed eadem erat, quæ Φαλλαγώγια nuncupata. De quibus ago in libro singulari, *De Dionysiis.*

ΠΙΤΟΙΓΙΑ.

Erat primus dies τῶν Ἀνθεστηρίων. Vide supra in Ἀνθεστήρια.

ΠΙΤΑΝΑΤΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Certamen in illo gymnicum erat apud Pitanatas. E Meminit Hesychius. Ὁ Πιτανάτης λόχος αὐτοσχεδιάζεται, οὐκ ὢν τῇ ἀληθείᾳ. Πιτανάτῃ δὲ ἀγῶνι, γυμνικῷ, ἐν Πιτάνῃ ἀγομένῳ. *Pitanates numerus frustra dicitur, quum rebus non sit. Pitanatæ autem agoni, gymnico nempe, qui in urbe Pitane celebratur.*

ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ.

Dixi de his *Atticarum Lectionum* l. II. c. XIII. Hic reponam loco suo. Celebrabantur ab Atheniensibus. Harpocration. Πλυντήρια. Λυκοῦργος ἐν τῷ Περὶ ἱερείας. ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις. *Plynteria, Lycurgus* F *in scripto de sacerdote; festum apud Athenienses.* Idem Suidas dicit *in* Πλυντήρια. Meminit eorum Etymologici Auctor. Καλλυντήρια, καὶ Πλυντήρια, ἑορταὶ δύο Ἀθήνησι. *Callynteria, & Plynteria, duo festa Atheniensium.* Erant autem instituta in honorem Agrauli, Cecropis filiæ. Hesychius. Πλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγραύλῳ, τῇ Κέκροπος θυγατρὶ, ἄγουσιν. *Plynteria, festum Athenis, quam propter Agraulon, Cecropis filiam, celebrant.* Plutar-

* *Male Meursius edidit* αὐτῶν.

chus vero in *Alcibiade* Minervæ tribuit. Οὕτω δὲ τῷ Ἀλκιβιάδῃ λαμπρῶς εὐημεροῦντος, ὑπέθραττεν ἐνίους ὅμως ὁ τῆς καθόδου καιρός. ᾗ γὰρ ἡμέρᾳ κατέπλευσεν, ἐδρᾶτο τὰ Πλυντήρια τῇ Θεῷ. *Ita autem splendide omnibus Alcibiadæ cedentibus, conturbavit nonnullos tamen tempus reditus. Nam qua die in portum venit, celebrabantur Plynteria Deæ.* Et ita Auctores quoque alii. Sed concilio. Colebatur Minerva, cognomento Ἄγλαυρος, sive Ἄγραυλος; atque huic sacrum illud festum. Erravit doctissimus Grammaticus; &, quos ille secutus est, Auctores: qui Agraulum, Cecropis filiam, acceperunt pro Minerva, ita ab ea cognominata. In hoc festo detracta deæ ornamenta lavabant, unde nomen etiam datum; tum simulacrum ejus velabant: quique id facerent, Πραξιεργίδαι dicebantur. Erat autem dies Thargelionis XXVI. & veluti inter maxime nefastos censebatur. Plutarchus in *Alcibiade* citato. Δρῶσι δὲ τὰ ὄργια Πραξιεργίδαι Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος ἀπόρρητα. τόν τε κόσμον καθελόντες, καὶ τὸ ἕδος κατακαλύψαντες· ὅθεν ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων ταύτην ἡμέραν ἄπρακτον Ἀθηναῖοι νομίζουσι. *Faciunt autem orgia Praxiergidæ arcana Thargelionis vigesima & sexta die; tum ornatum dementes, tum simulacrum operientes. Unde in maxime nefastis diem istum feriatum censent Athenienses.* Itaque templa quoque fune circumdata veluti obsepiri solita; quod diebus aliis nefastis usitatum. Pollux *lib.* VIII. *cap.* XII. Περισχοινίσαι τὰ ἱερὰ ἔλεγον ἐν τῇ ἀποφράσι, καὶ τὸ παραφράξαι. οἷον πλυντηρίοις, καὶ ταῖς τοιαύταις ἡμέραις. *Fune cingere templa dicebant in nefastis diebus, & circummunire: ut in Plynteriis, & similibus diebus.* Ad simulacri velationem fieri solitam quod attinet, de ea quoque clare Xenophon *Hist. Græc.* lib. I. Κατέπλευσεν εἰς τὸν Πειραιᾶ ἡμέρᾳ, ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις, τοῦ ἕδους κατακεκαλυμμένου τῆς Ἀθηνᾶς. *Delatus est in Piræea die, quo Pynteria urbs agebat, simulacro Minervæ obtecto.* Et hanc ipsam designat quoque Hesychius. Πραξιεργίδαι, οἱ τὸ ἕδος τὸ ἀρχαῖον τῆς Ἀθηνᾶς ἀμφιεννύντες. *Praxiergidæ, qui simulacrum vetus Minervæ amiciunt.* Ferebant etiam in pompa massam caricarum; quia nimirum indigenæ post glandes hunc primum fructum comedissent, quodque ille eos in rationem victus puriorem melioremque quasi introduxisset: eaque massa Ἡγητηρία, sive Ἡγητορία, nam utroque modo scribi video, nuncupabatur. Etymologici Auctor. Ἡγητορία, παλάθη σύκων, ἣν ἐπὶ τῇ πομπῇ τῶν Πλυντηρίων φέρουσιν, ὅτι ἡμέρου πρώτης ταύτης τροφῆς ἐδέξαντο. *Hegetoria, massa ficuum, quam in pompa Plynteriorum gerunt, quia hoc primum mite alimentum acceperunt.* Hesychius. Ἡγητηρία, παλάθη σύκων. ἐν γὰρ τῇ ἑορτῇ πλυντηρίων φέρουσι παλάθην συγκειμένην ἐξ ἰσχάδων, διὰ τὸ τοὺς αὐτόχθονας ἥμερον καρπὸν πρῶτον φαγεῖν τῶν σύκων. *Hegeteria, massa ficuum. Nam in festo Plynteriorum gerunt massam compositam ex ficubus, quia indigenæ mitem fructum primum comederunt ficuum.* Ita enim illic legendum; non, τῇ ἑορτῇ παραπλυντηρίων, *festo paraplynteriorum*. Nam Πλυντήρια, non Παραπλυντήρια, festum illud indigetabatur.

ΠΟΛΙΕΙΑ.

Apollinis τοῦ Πολιοῦ festum fuit apud Thebanos, cujus meminit Pausanias in *Bœoticis*. Τῷ δὲ Ἀπόλλωνι Θηβαῖοι τῷ Πολιῷ ταύρους ἔθυον τὸ ἀρχαῖον. καί ποτε παρήκοντος σφίσι τῆς ἑορτῆς ἤτε ὥρα κατήπειγε τῆς θυσίας, καὶ οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὸν ταῦρον οὐχ ἧκον. οὕτω παρατυχούσης ἁμάξης, τὸν ἕτερον τῶν βοῶν τῷ θεῷ θύουσι, καὶ ἀπ' ἐκείνου ἐργάτας βοῦς θύειν νομίζουσι. *Apollini autem Polio (cano) Thebani immolabant antiquitus tauros. Et tunc quum adesset ipsis festum, & hora sacrificii urgeret, etiam missi ad taurum non venerunt. Sic quum occurreret currus, alterum taurorum Deo immolant, & ex eo operantes boves immolare fas habent.*

ΠΟΜΠΕΩΝ ΔΑΙΜΟΝΟΣ ΕΟΡΤΗ.

Meminit hujus festi Hesychius. Στεμματιαῖον, δίκηλόν τι ἐν ἑορτῇ πομπέων δαίμονος. *Stemmatiæum (coronatium) simulacrum quoddam in festo pomparum dæmonis.*

ΠΟΣΕΙΔΙΑ.

Neptuno sacra. Hesychius. Ποσείδια, ἑορτὴ Ποσειδῶνι τελουμένη. *Posidia (Neptunalia) festum Neptuno celebratum.* Sed rectius existimaverim,

ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑ.

Theodoretus *Therapeut.* VII. Ἀπεκλήρωσε πανηγύρεις ἑκάστῳ τῶν δαιμόνων, ἐκ τῆς προσηγορίας ὀνομάσας τὴν ἑορτήν. Ἕρμαια, καὶ Κρόνια, καὶ Ποσειδώνια, καὶ Ἡράκλεια. *Sortito attribuit festivitates publicas cuique dæmonum, ex appellatione nominans festum; Mercurialia, & Saturnalia, & Neptunalia, & Herculea.* Athenæus *lib.* XIII. Ἀρίστιππος δὲ κατ' ἔτος συνδιημέρευεν αὐτῇ ἐν Αἰγίνῃ τοῖς Ποσειδωνίοις. *Aristippus quotannis cum ea morabatur in Ægina festo Neptuni**. Τῇ δὲ τῶν Ἐλευσινίων πανηγύρει, καὶ τῇ τῶν Ποσειδωνίων, ἐν ὄψει τῶν πανελλήνων πάντων ἀποτιθεμένη θοιμάτια, καὶ λύσασα τὰς κόμας, ἐνέβαινε τῇ θαλάττῃ. *At publica illa festivitate Eleusiniorum, & altera Neptunalium, in conspectu omnium omnino Græcorum depositas habens vestes, & capillo passo, ingrediebatur mare.* Ac sacrum illi quoddam factum, Ὀνείλεον dictum. Hesychius. Ὀνείλεον, θυσία Ποσειδῶνος. *Onileum, sacrificium Neptuni.* Occurrit passim mentio apud Auctores.

ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑΤΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Posidoniatæ, ad Tyrrhenicum sinum habitantes, quum Græci ab origine essent, festo quodam Græcis usitato convenientes, memoriam renovabant nominum antiquorum, & consuetudinum patriarum; ac collacrymantes inter sese cum sortem suam deplorassent, iterum abibant. Athenæus *lib.* XIV. Ἀριστόξενος ἐν τοῖς Συμποτικοῖς, ὅμοιον, φησί, ποιοῦμεν Ποσειδωνιάταις, τοῖς ἐν τῷ Τυρσηνικῷ κόλπῳ κατοικοῦσιν, οἷς συνέβη τὰ μὲν ἐξ ἀρχῆς Ἕλλησιν οὖσιν ἐκβεβαρβαρῶσθαι, Τυρρηνοῖς ἢ Ῥωμαίοις γεγονόσι, καὶ τήν τε φωνὴν μεταβεβληκέναι, τά τε λοιπὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων. ἄγειν τε μίαν τινὰ αὐτοὺς τῶν ἑορτῶν τῶν Ἑλληνικῶν ἔτι καὶ νῦν, ἐν ᾗ συνιόντες ἀναμιμνήσκονται τῶν ἀρχαίων ἐκείνων ὀνομάτων τε καὶ νομίμων. ἀπολοφυράμενοι δὲ πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἀποδακρύσαντες, ἀπέρχονται. *Aristoxenus in Convivalibus, simile, inquit, facimus Posidoniatis, qui in Thusci maris sinu habitant, quibus contigit, quum ab principio essent Græci, in barbaros converti, Ethruscis seu Romanis factis, & tum linguam immutavisse, tum reliqua instituta: atque agere tamen unum adhuc ex festis Græcis, in quo coeuntes reminiscuntur antiqua illa nomina & jura: atque ita quum inter se complorarunt, idque cum lachrymis, discedunt.*

* *Hæc enim sunt singularia verba, nec cohærent cum sequentibus, prout Meursius edidit.*

ΠΡΗΡΟΣΙΑ.

Vide infra paullo in Προηρόσια.

ΠΡΙΑΠΕΙΑ.

Priapo celebrata. Theodoretus *Therap.* III. Καὶ τὸ σμικρὸν ἐκεῖνο ζώδιον, τὸν Πρίαπον λέγω, μετὰ τοῦ μεγίστου καὶ πεταμένου μορίου τιμώμενον. *Et parvum istud animal, Priapum dico, cum maximo & extento membro honoratum.* Quin mysteria illi etiam propria fuerunt. Idem Theodoretus *Therap.* I. Καὶ ὅτι μὲν ὁ Πρίαπος Διονύσου καὶ Ἀφροδίτης υἱὸς, ἴσασι τῶν ταῦτα μεμυημένων τινές. αὐθ' ὅτι δὲ τούτων υἱὸς ὀνομάζεται, καὶ σμικρῷ γε ὄντι ἐντίθεται μόριον ἐντεταμένον, καὶ μέγιστον, ὁ τῶν μυσαρῶν μυστηρίων ἱεροφάντης. *Et Priapum quidem Bacchi & Veneris filium esse, sciunt nonnulli istis initiati. Quia autem horum filius nominatur, etiam exiguo illi imponit membrum extentum & maximum iste nefariorum mysteriorum hierophanta.* Theophylactus *in Oseam*, cap. IV. *Initiatos appellat hujusmodi idoli (Priapi) sacros mystas, dignos jam arcanis apud illos sacris judicatos, ceu perfectiores.* Et mox. *Cum Priapo initiatis sacrificare dicitur.* Meminit sacrorum ejus Prudentius *contra Symmachum*, lib. I.

Hic deus e patrio prænobilis Hellesponto
Venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos.

ΠΡΟΑΚΤΟΥΡΙΑ.

Vide in Προηρόσια.

ΠΡΟΗΡΟΣΙΑ.

Cereri τῇ Προηροσίᾳ propria. Dixi de iis nuper in *Atticis Lectionibus*. hic refingam, & reponam, loco proprio. Athenienses pro felici frugum proventu, antequam ararent, sacra Cereri faciebant, & diem festum agitabant. Phurnutus, ubi de illa dea. Καὶ περὶ τὸν τοῦ σπόρου καιρὸν αὐτῆς ἄγουσι τὴν ἑορτήν. *Et circa sementis tempus celebrant ejus festum.* Arrianus *in Epictetum*, lib. III. cap. XXI. Οὐδὲ σπείρουσιν ἄλλως οἱ ἄνθρωποι, εἰ μὴ τὴν Δήμητραν ἐπικαλεσάμενοι. *Neque aliter seminant homines, nisi post invocatam Cererem.* Nomen festo ex re datum, Προηρόσια. Hesychius. Προηρόσια, τὰ πρὸ τοῦ ἀρότου θύματα. *Proerosia, libationes ante arationem.* Ita corrigo. Hodie editur, πρὸ τοῦ ἀρότρου, *ante aratrum*. Idemque mendum est apud Suidam, ubi itidem corrigendum. Ac habemus antiqui hujus moris vestigium apud Euripidem in *Supplicibus*, ubi sic Æthra.

Μόνον τόδ' ἔργον προστιθεὶς ἐμῷ τέκνῳ,
Πόλει τ' Ἀθηνῶν, τυγχάνω δ' ὑπὲρ χθονὸς
Ἀρότου προθύουσ' ἐκ δόμων ἐλθοῦσ' ἐμῶν
Πρὸς τόνδε σηκόν. ——
Hoc solum opus adjungens meo filio,
Urbique Athenarum. sum vero super terram
Ante arationem sacrificans ex ædibus gradiens meis
Ad hoc delubrum. ——

Vel etiam dicebatur fœminino genere singulariter, Προηροσία. Harpocration. Προηροσία. Ὑπερίδης Δηλιακῷ. ὄνομα θυσίας. *Proerosia, Hyperides Deliaca oratione; nomen sacrificii.* Etymologici Auctor. Προηροσία, ὄνομα θυσίας ὑπὲρ τῶν καρπῶν γενομένης. *Proerosia, nomen sacrificii quod fit pro frugibus.* Libanius *Declam.* XIX. Εἶθ' ὑμεῖς ἔτι κριθῶν, καὶ πυρῶν, μνημονεύετε. καὶ τὴν προηροσίαν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος θύετε. *Ergo vos adhuc hordei & tritici meministis; & proerosiam pro Græcia celebratis.* Per syncopen quoque dicebant, Πρηροσία. Observo apud Hesychium alibi. Πρηροσία, θυσία Ἀθήνησιν. *Prerosia, festum Athenis.* Vulgus Προακτούρια appellabat. Hesychius, *loco jam citato.* Προηρόσια, τὰ πρὸ τοῦ ἀρότου (ita emendandum jam monui) θύματα. καὶ ὁ δῆμος δὲ αὐτὰ προακτούρια καλεῖ. *Proerosia, libationes ante sementem: & populus vero ea vocat proacturia.* Excidit sine dubio hujus sacrificii nomen apud Plutarchum *Adversus Coloten.* Τίνι γὰρ προτέλεια θύσομεν; τίνι σωτήρια; πῶς δὲ Φωσφόρια, Βάκχεια, προτέλεια γάμων ἄξομεν, μὴ ἀπολιπόντες μηδὲ Βακχεῖς, καὶ Φωσφόρους προηροσίους, καὶ σωτῆρας; *Cui enim prælusoria sacra immolabimus? cui salutifera? quomodo autem Luciferi, & Bacchi sacra, item auspicatoria nuptiarum celebrabimus, non relictis nec Bacchis, nec Luciferis, Antesementivos & Servatores?* Neque simpliciter mutilus hic locus, sed præterea etiam corruptus. Primum enim, quænam hic sacra, quæ diis τοῖς Προηροσίοις respondent. Deinde, ubi dii Γαμήλιοι, quibus τὰ προτέλεια γάμων? & cur bis Προτέλεια commemorat? Omnino censeo, priore loco rescribendum, Τίνι γὰρ προηρόσια θύσομεν; τίνι σωτήρια; *Cui enim proerosia immolabimus; cui salutifera?* in fine vero addendum esse, Καὶ προηροσίους, καὶ σωτῆρας, καὶ γαμηλίους. *Et Antesementivos, & Servatores, & Nuptiales.* Opus habebat tam insignis locus curatione. Instituta vero hæc sacra ab Atheniensibus, suasu oraculi, cum fame gravi, sive peste, ut alii volunt, premerentur. Docet Scholiastes Aristophanis *Equitibus*. Οἱ μὲν γάρ φασιν, ὅτι λιμοῦ, οἱ δὲ, ὅτι καὶ λοιμοῦ, τὴν πᾶσαν κατασχόντος οἰκουμένην, χρωμένων τίνα ἂν τρόπον παύσαιτο τὸ δεινὸν, τὴν λύσιν ταύτην ὁ Πύθιος ἐμαντεύσατο, εἰ προηρόσιον ὑπὲρ ἁπάντων Ἀθηναίων θύσαιεν. θυσάντων οὖν τῶν Ἀθηναίων, τὸ δεινὸν ἐπαύσατο. *Alii enim dicunt fame, alii peste omnem corripiente habitatam, consulentibus quomodo cessaturum esset malum, solutionem hanc Pythius vaticinatus est, si antesementivum pro omnibus Atheniensibus sacrificarent. Itaque quum Athenienses immolavissent, malum finitum est.* Sed scribendum illic, ὑπὲρ ἁπάντων Ἀθηναῖοι θύσαιεν, *pro omnibus sacrificarent Athenienses.* Nam Athenienses hæc sacra faciebant pro omnibus Græcis; siquidem universa terra laborabat, ut est videre in ipsius Scholiastæ verbis, cum ait. Τὴν πᾶσαν κατασχόντος οἰκουμένην, *omnem corripiente habitatam.* Et postrema verba evincunt. θυσάντων οὖν τῶν Ἀθηναίων, τὸ δεινὸν ἐπαύσατο. *Itaque quum immolavissent Athenienses, malum finitum est.* Suidas confirmat. Προηροσίαι, αἱ πρὸ τοῦ ἀρότου (ita scribendum jam monui, non ἀρότρου) γινόμεναι θυσίαι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι καρπῶν, ὥστε τελεσφορεῖσθαι. ἐγίνετο δὲ ὑπὸ Ἀθηναίων ὑπὲρ πάντων Ἑλλήνων. *Proerosiæ, libationes quæ fiunt ante sementem de futuris fructibus, ut consummentur. Factum est vero ab Atheniensibus pro omnibus Græcis.* Aristides in extrema *Panathenaica*. Φανερὰ δὲ καὶ ἡ παρ' αὐτῶν τῶν θεῶν εὔνοια, καὶ ψῆφος, καὶ διὰ τοῦ κοινοῦ μάντεως καὶ ἐξηγητοῦ τοῦ πατρῴου τῇ πόλει, θύειν τε ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων τὴν προηροσίαν κελευόντων, καὶ μητρόπολιν τῶν καρπῶν αὐτὴν ἐπονομαζόντων. *Manifesta vero etiam benevolentia ab ipsis Diis, & suffragium, & per communem vatem & interpretem patrium urbi, jubentibus pro omnibus Græcis immolare antesementivam, & metropolin fructuum eam cognominantibus.* Huc pertinet locus Lycurgi in *Orat.* Κατὰ Μενεσαίχμου. Καὶ γὰρ νῦν πολλὰς καὶ μεγάλας ὑμῖν τιμὰς ὀφείλω. καὶ ζητῶ παρὰ πᾶσιν Ἕλλησι μαντευομένοις τὸν Δία προηροσίας ποιήσασθαι. *Etenim nunc multos & magnos vobis honores debeo; & quæro apud omnes Græcos consulentes Jovem antesementivas facere.* Facta autem hæc sacra Cereri, ut initio dixi, quæ ea ex re Προηροσία dicta. Suidas *in* εἰρεσιώνη. Λοιμοῦ πᾶσαν τὴν γῆν κατασχόντος, ὁ θεὸς εἶπε, Προηροσίᾳ τῇ Δηοῖ ὑπὲρ πάντων θῦσαι τὴν θυσίαν Ἀθηναίους. *Fame omnem terram infestante, dixit Deus, Antesemen-*

tivæ Cereri pro omnibus ſacra facere Athenienſes. Plutarchus in *Convivio* VII. *Sap.* Ὀμβρίῳ δὲ Διὶ, καὶ Προηροσίᾳ Δήμητρι, καὶ Φυταλμίῳ Ποσειδῶνι πῃ βωμός ἐστι; ποῦ δὲ θυσία; *Pluvio autem Jovi & Anteſementivæ Cereri, & Neptuno algæ marinæ præſidi ubi ara eſt? ubi vero ſacrificium?* Ad hoc Cereris cognomentum reſpexerit Maximus Tyrius *Diſſert.* XIV. Φοβερὸς γεωργὸς οὐδενὶ, φίλος πᾶσιν. ἄπειρος αἵματος, ἄπειρος σφαγῆς, ἱερὸς καὶ παναγὴς θεῶν Ἐπικαρπίων, καὶ Ἐπιληναίων, καὶ Ἁλώων, καὶ Προηροσίων. *Timendus agricola nulli, amicus cunctis; inexpertus ſanguinis, inexpertus cædis, ſacer & devotus diis Fructiferis, & Prælaribus, & Arealibus, & Anteſementivis.*

ΠΡΟΜΑΧΙΑ.

Lacedæmonii celebrabant, & arundine tunc coronabantur. Athenæus *lib.* XV. Καὶ γὰρ καὶ Λακεδαιμόνιοι καλάμῳ στεφανοῦνται ἐν τῇ τῶν Προμαχίων ἑορτῇ, ὥς φησι Σωσίβιος ἐν τοῖς Περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν. *Etenim & Lacedæmonii arundine coronantur in feſto Promachiorum, ut ait Soſibius in libris de ſacrificiis Lacedæmoniorum.*

ΠΡΟΜΗΘΕΙΑ.

Prometheo ſacra erant. Meminit eorum Xenophon *de Rep. Athen.* Πρὸς δὲ τούτοις, χορηγοῖς διαδικάσαι εἰς Διονύσια, καὶ Θαργήλια, καὶ Παναθήναια, καὶ Προμήθεια, καὶ Ἡφαίστεια, ὅσα ἔτη. *Adhæc vero præbitoribus imponere ad Bacchanalia, & Thargelia, & Panathenæa, & Promethea, & Vulcanalia quotannis.* Et Lyſias in *Oratione*, cui titulus, Ἀπολογία δωροδοκίας. Ἐπειδὴ κατέπλευσα ἐπὶ Ἀλεξίου ἄρχοντος, εὐθὺς ἐγυμνασιάρχουν εἰς Προμήθεια, καὶ ἐνίκων ἀναλώσας δώδεκα μνᾶς. *Poſtquam in portum veni Alexia archonte, ſtatim fui gymnaſiarcha ad Promethea, & vici impendens duodecim minas.* Mendum eſt apud Iſæum, *Orat.* Ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου. Γεγυμνασιάρχηκα εἰς προμήθειαν τοῦδε τοῦ ἐνιαυτοῦ φιλοτίμως, ὡς οἱ φυλέται πάντες ἴσασιν. *Gymnaſiarcha fui ad Providentiam hujus anni ambitioſe, ſicut tribules omnes ſciunt.* Reſtituo, Γεγυμνασιάρχηκα εἰς Προμήθεια τοῦδε τ. ἐ. *Gymnaſiarcha fui ad Promethea hujus a.* Erat hoc feſto etiam lampadum certamen. Scholiaſtes Ariſtophanis *Ranis*. Ὁ τῆς λαμπάδος δὲ ἀγὼν τρίτον Ἀθήνησιν ἤγετο, κατὰ Προμήθεια, Ἡφαίστεια, Παναθήναια. *Facis vero agon tertium Athenis celebrabatur per Promethea, Vulcanalia, Panathenæa.* Harpocration. Τρεῖς ἄγουσιν Ἀθηναῖοι ἑορτὰς λαμπάδος, Παναθηναίοις, καὶ Ἡφαιστείοις, καὶ Προμηθείοις. *Tria agunt Athenienſes feſta facis, Panathenæis, & Vulcanalibus, & Prometheis.* Atque hac de cauſa eſſe puto, quod Prometheus δᾳδοῦχος appellatur ab Apollonio Athenienſi in *Callia*, apud Philoſtratum in *ejus Vita Sophiſt.* lib. II. Ἰὼ Προμηθεῦ δᾳδοῦχε, καὶ πυρφόρε, οἷά σου τὸ δῶρον ὑβρίζεται. *Io, Prometheu facitenens, & ignifer, quomodo tuum donum contumelia afficitur.*

ΠΡΟΣΧΑΙΡΗΤΗΡΙΑ.

Agitata eo die, quo a parentibus diſcederet filia, in mariti domum tranſitura. Innuit Harpocration. Προχαιρητήρια. Λυκοῦργος ἐν τῇ Κροκωνιδῶν διαδικασίᾳ, ἑορτὴ παρ᾽ Ἀθηναίοις γραφομένη, ὅτι δοκεῖ ἀπιέναι ἡ κόρη. *Proſchæreteria. Lycurgus in Croconidarum conteſtatione; feſtum apud Athenienſes ſcriptum, quia videtur abſcedere puella.* Habes totidem verbis apud Suidam.

ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ.

Ante nuptias celebrabantur, & in iis ſacra facta. Heſychius, Προτέλεια. ἡ πρὸ τῶν γάμων θυσία, καὶ ἑορτή. τέλος γὰρ, ὁ γάμος. *Proluſoria, immolatio ante nuptias & feſtum. Finis enim nuptiæ.* Maximus Monachus in Dionyſii Areopagitæ Epiſtolam *ad Demophilum* VIII. Προτέλεια μὲν θυσιῶν εὐχάς. τὸν γὰρ γάμον, τέλος ἐκάλουν· ὡς τελειοῦντα πρὸς τὸν βίον τὸν ἄνθρωπον. *Proluſoria quidem ſacrificiorum preces: nam nuptias vocabant finem; velut qui conſummaret hominem ad vitam.* Quæ totidem verbis Georgius Pachymerius in *Paraphraſi* ejuſdem Epiſtolæ. Himerius in *Eclogis Declam.* Ἰδοῦσάν τε (λέγεται) ἐρασθῆναι τοῦ νεανίσκου, καὶ ὁμολογῆσαι τὸν γάμον, προτέλειά τε ποιησαμένην τὸν γαμηλίου πυρὸς τὰ μυστήρια. *Et quum vidiſſet, (dicitur) amore capta fuit adoleſcentis, & conſenſiſſe in nuptias, & proluſoria faciens nuptialis ignis myſteria.* Euſtathius *ad Iliad.* λ΄, ex Pauſaniæ *Lexico Attico*. Προτέλεια. ἡ πρὸ τῶν γάμων θέα. *Proluſoria, ſpectaculum ante nuptias.* Reſcribo, ἡ πρὸ τῶν γάμων θυσία. *Sacrificium ante nuptias.* Scriptum fuerat per compendium, θῦα. Inde nobis illud, θέα. Meminit Etymologici Auctor. Τέλος, καὶ τὸ πέρας, καὶ ὁ γάμος. ὅθεν καὶ τὰ Προτέλεια. *Finis & exitus & nuptiæ; unde & Proluſoria.* Sacrificabant autem Nymphis. Scholiaſtes Pindari *Pythionic.* Od. IV. Οὔτε γάμος οὐδεὶς ἄνευ τῶν Νυμφῶν. ἀλλὰ ταύτας πρῶτον τιμῶσι, μνήμης χάριν, ὅτι εὐσεβείας καὶ ὁσιότητος ἀρχηγοὶ ἐγένοντο. *Neque nuptiæ ullæ ſine Nymphis; ſed eas primum honorant, memoriæ cauſa, quia pietatis & ſanctitatis proauctores fuerunt.* Et Plutarchus lib. *Adverſus Coloten.* Πῶς δὲ Φωσφόρια, Βάκχεια, Προτέλεια γάμων ἄξομεν. *Quomodo autem Luciferi ſacra, & Bacchi & proluſoria nuptiarum agemus.* Iterum in *Narrat. Amat.* Ἡ κόρη κατὰ τὰ πάτρια ἐπὶ τὴν Κισσόεσσαν καλουμένην κρήνην κατῄει, ταῖς Νύμφαις τὰ Προτέλεια θύσουσα. *Puella ritu patrio ad hederaceum vocatum fontem deſcendit, Nymphis proluſoria ſacrificatura.* Athenis parentes filiam nupturam hoc die in arcem deducebant; ac Minervæ, pro felici ejus matrimonio, ſacra faciebant. Suidas. Προτέλεια. ἡμέραν οὕτως ὀνομάζουσιν, ἐν ᾗ εἰς τὴν ἀκρόπολιν τὴν γαμουμένην παρθένον ἄγουσιν οἱ γονεῖς εἰς τὴν θεὸν, καὶ θυσίας ἐπιτελοῦσι. *Proluſoria; ſic nominant diem, in quo in arcem ducunt puellam nubentem parentes ad Deam, & ſacrificia peragunt.* Item Junoni, Dianæ, ac Parcis, quaſi præinitiabantur; & comam deponentes, iis illam dedicabant. Pollux *lib.* III. *cap.* III. Προτελεῖσθαι δὲ ἐλέγοντο οὐ μόνον αἱ νύμφαι, ἀλλὰ καὶ νυμφίοι. καὶ τέλειος, ὁ γάμος ἐκαλεῖτο· καὶ προτέλειοι, οἱ γεγαμηκότες. διὰ τοῦτο καὶ Ἥρα Τέλεια, ἡ Ζυζυγία. ταύτῃ γὰρ τοῖς Προτελείοις προετέλουν τὰς κόρας, καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ Μοίραις. καὶ τῆς κόμης δὲ τότε ἀπήρχοντο ταῖς θεαῖς αἱ κόραι. *Proludi autem dicebantur non modo Nymphæ ſed & ſponſi; & perfectæ nuptiæ dicebantur; & Proluſorii illi qui contraxerunt nuptias. Propterea etiam Juno Perfecta, illa Conjugalis. Huic enim Proluſoriis ante perficiebant puellas, & Dianæ, & Fatis: & aliquid comarum tunc deabus offerebant puellæ.* Sed corrupta ibi verba; ac primum lego, καὶ τέλος, ὁ γάμος. *Et finis, nuptiæ.* Deinde, Ἥρα Τέλεια, ἡ Ζυγία. *Juno Perfecta, Jugalis.* De comæ dedicatione, eſt etiam legere apud Heſychium. Γάμων ἔθη. τὰ Προτέλεια, καὶ ἀπαρχαὶ, καὶ τριχῶν ἀφαιρέσεις τῇ θεῷ πρὸ μιᾶς τῶν γάμων τῆς παρθένου. *Nuptiarum mores; Proluſoria & libamenta, & crinium ablationes Deæ ante unum diem nuptiarum puellæ.* E quo loco iſtud quoque eſt diſcendum, pridie nuptiarum ſolita τὰ Προτέλεια agitari. Et Dianæ ſpeciatim caniſtra ferebant. Scholiaſtes Theocriti *Idyll.* II. Εἰώθασι τῇ Ἀρτέμιδι κανηφορεῖν αἱ μέλλουσαι γαμεῖν, ἐπ᾽ ἀφοσιώσει τῆς παρθενίας, ἵνα μὴ νεμεσηθῶσιν ὑπ᾽ αὐτῆς. τὰ δὲ μυστήρια ταῦτα Ἀθήνησι πολιτεύονται. ἐκανηφόρουν δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς

παρθενίας τῇ θεῷ, ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλέσαις τολοιπὸν φθείρεσθαι. *Solent Dianæ caniſtra portare illæ, quæ nubent, ad conſecrationem virginitatis, ne faſcinentur ab illa. Hæc autem myſteria Athenis adminiſtrantur. Caniſtrum vero portabant Dianæ puellæ nubili ætate, velut excuſaturæ de virginitate apud Deam, ne ſuccenſeat illis in futurum devirginandis.* Megarenſes virgines Iphinoæ primitias comæ conſecrabant, Deliæ vero Hecaergæ, atque Opidi. Pauſanias *Atticis*, ubi de Megarenſibus agit. Καθέστηκε δὲ ταῖς κόραις (τῶν Μεγαρέων) χοὰς πρὸς τὸ τῆς Ἰφινόης μνῆμα προσφέρειν πρὸ γάμου, καὶ ἀπάρχεσθαι τῶν τριχῶν· καθὰ καὶ τῇ Ἑκαέργῃ, καὶ Ὤπιδι, αἱ θυγατέρες ποτὲ ἀπεκείραντο τῶν Δηλίων. *Conſtituit autem puellis (Megarenſium) libationes ad Iphinoæ ſepulchrum offerre ante nuptias, & inferias crinium facere; ſicut etiam Hecaergæ, & Opidi aliquando detondebantur filiæ Deliorum.* Argivæ, pariter atque Athenienſes, Minervæ comam defectam dicabant. Statius *Theb.* II.

—— hic more parentum
Iaſides, thalamis ubi caſta adoleſceret ætas,
Virgineas libare comas, primoſque ſolebant
Excuſare thoros. ——

Ubi Lutatius. *In templo Minervæ ſolebant virgines nupturæ placare deam, quæ ſit fautrix virginitatis; & excuſare, quod neceſſitate, & lege naturali, nubere cogebantur.* Antiquiſſimis vero Athenienſium legibus fiebant ſacra hæc Cœlo, & Terræ. Proclus *in Timæum* Platonis, Comment. v. Καὶ ἔοικε διὰ ταῦτα καὶ Οὐρανῷ τούτῳ, καὶ Γῇ, προσήκειν ὁ γάμος· ὡς ἐκεῖνον οὐρανὸν, καὶ γῆν ἐκείνην, ἐνεικονιζομένοις. ὃ δὴ καὶ οἱ θεσμοὶ τῶν Ἀθηναίων εἰδότες, προσέταττον Οὐρανῷ, καὶ Γῇ, προτελεῖν τοὺς γάμους. *Et videntur propterea tum Cælo iſti, tum Terræ peculiares eſſe nuptiæ; velut iſtud cælum & illam terram imagini imprimentibus; quod etiam leges Athenienſium cognoſcentes injunxerunt Cœlo & Terræ proludere nuptias.* Atque hi ſunt, qui Γαμήλιοι θεοὶ dicebantur. Sopater *De Diviſ. Quæſt.* Μοιχὸς θύσας γαμηλίοις τοῖς θεοῖς παρὰ τὴν πανήγυριν. *Adulter ſacrificans nuptialibus diis per feſtivitatem publicam.* Illud quoque hic monebo. Videri facta iſta ſacra menſe Gamelione: ſiquidem ille apud Athenienſes nuptiis celebrandis proprius, atque ex ea re appellatus. Olympiodorus in *Meteora*, cap. VI. Γαμηλιὼν δὲ ἐλέγετο μὴν παρ᾽ Ἀθηναίοις, διὰ τὸ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν γάμους ἐπιτελεῖσθαι. εὔλογον γὰρ ᾤοντο τότε σπείρειν, ὅτε καὶ ἡ γῆ ἀρδεύεται. ἐπιτήδειος γὰρ ὁ καιρὸς πρὸς καρπῶν γένεσιν. *Gamelion vero dicebatur menſis apud Athenienſes, quia eo tempore perficiebant nuptias. Putabant enim rationi conveniens tunc ſeminare, quando etiam terra humectatur. Opportunum namque tempus ad proventum fructuum.* Euſtathius *ad Iliad.* σ΄. Οὐ παρώνυμον ὥσπερ ὁ γαμήλιος λόγος, οὕτω καὶ μὴν Ἀττικὸς ὁ Γαμηλιὼν, γάμοις ἀφωρισμένος. *Cujus derivativum velut nuptialis ſermo, ſic etiam menſis Atticus Gamelion, nuptiis deſtinatus.* Apud Lacedæmonios Veneri Junoni matres ſacra faciebant. Pauſanias in *Laconicis*. Ξόανον δὲ ἀρχαῖον καλοῦσιν Ἀφροδίτης Ἥρας. ἐπὶ δὲ θυγατρὶ γαμουμένῃ νενομίκασι τὰς μητέρας τῇ θεῷ θύειν. *Simulacrum vero antiquum vocant Veneris Junonis. Ad filiam vero nubentem ſtatuerunt matres ſacrificare Deæ.*

ΠΡΟΤΡΥΓΕΙΑ.

Feſtum erat Baccho ſacrum, & Neptuno. Heſychius. Προτρύγεια, (ita ſcribo, non Προτογέα) ἑορτὴ Διονύσου, καὶ Ποσειδῶνος. *Antefæcalia, feſtum Bacchi & Neptuni.* Nam proprium Baccho erat, cui Προτρύγης cognomentum. Meminit ejus Ælianus *Var. Hiſt.* lib. III. cap. XLI. Τὸν Διόνυσον Φλέωνα ἐκάλουν, καὶ Προτρύγην. *Bacchum Phleona vocabant, & Antefæcalem.* Nempe idem eſt, qui Προτρυγαῖος dicitur Achilli Tatio, initio *libri ſecundi*; ubi feſtum ejus, apud Tyrios celebrari ſolitum, ejuſque originem, prolixe deſcribit.

ΠΡΟΦΘΑΣΙΑ.

Clazomeniorum feſtum erat, inſtitutum ob Leucam prævertendo occupatam. Diodorus Siculus *lib.* XV. Οἱ δὲ Κλαζομένιοι, διάστημα πλέον ἀπέχοντες, τεχνάζονταί τι τοιοῦτο πρὸς τὴν νίκην. κληρώσαντες ἐξ ἑαυτῶν ἀποίκους, ἔκτισαν πλησίον τῆς Λεύκης πόλιν, ἐξ ἧς ὁρμηθέντες ἅμ᾽ ἡλίῳ ἀνατέλλοντι, ἔφθασαν τοὺς Κυμαίους τὴν θυσίαν ἐπιτελέσαντες. τούτῳ δὲ τῷ φιλοτεχνήματι γενόμενοι κύριοι τῆς Λεύκης, ἐπώνυμον ἑορτὴν ἄγειν κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐπεστήσαντο, τὴν πανήγυριν ὀνομάσαντες Προφθασίαν. *Clazomenii vero, majori intervallo diſtantes, tale quid machinantur ad victoriam. Sortito eligentes ex ſeſe colonos, prope Leucam condiderunt urbem, ex qua progreſſi cum ſole oriente, occupaverunt Cumanos in ſacrificio perficiendo. Hoc excogitato artificio facti domini Leucæ, feſtum pari nomine quotannis inſtituerunt, ſolenne iſtud ſacrificium nominantes Prophthaſian.*

ΠΡΩΤΕΣΙΛΑΕΙΑ.

Proteſilai in honorem agebantur apud Theſſalos. Schol. Pindari *Iſthm.* Od. I. Ἐν μὲν Θήβαις, Ἰολάεια, ἢ Ἡράκλεια. ἐν δὲ Ὀρχομενῷ Μινύεια. ἐν δὲ Εὐβοίᾳ, Βασίλεια. ἐν δὲ Θεσσαλίᾳ, Πρωτεσιλάεια. *Thebis quidem Iolaia, aut Herculea: Orchomeni vero Minyea: in Eubœa, Regia: in Theſſalia, Proteſilaea.* Etiam apud Cherroneſitas. Lucianus in *Deorum Concilio*. Καὶ Ἕκτορι θύουσιν ἐν Ἰλίῳ, καὶ Πρωτεσιλάῳ καταντικρὺ ἐν Χερρονήσῳ. *Et Hectori ſacrificant in Ilio, & Proteſilao ex adverſum in Cherſoneſo.*

ΠΥΑΝΕΨΙΑ.

Celebrabantur die ſeptimo menſis ab iis Pyanepſionis dicti. Harpocration. Πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ τὰ Πυανέψια Ἀπολλώνιος ἄγεσθαι φησί. *Pyanepſionis ſeptimo die Pyanepſia Apollonius notat agi.* Heſychius. Πυανέψια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν. καὶ ἄγεται Πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ. *Pyanepſia, feſtum Athenis, & celebratur Pyanepſionis ſeptimo.* Nempe ideo, quia Theſeus eo die in urbem ſalvus rediiſſet. Ingerit Plutarchus in *Theſeo*. Θάψας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου. ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. *Quum ſepeliviſſet patrem, Apolloni votum ſolvit ſeptimo die Pyanepſionis menſis inchoati. Eo enim aſcenderunt in arcem ſervati.* Nomen feſto a fabis; quippe Πύαμος antiqui dicebant pro Κύαμος. Pollux. *l.* VI. *c.* IX. Κύαμοι, οἱ καὶ πύαμοι. ἀφ᾽ ὧν καὶ τὰ Πυανέψια ἑορτή. *Cyami, qui & Pyami; a quibus etiam feſtum Pyanepſia.* Euſtathius *ad Iliad.* χ΄. Καὶ Πυανέψια λέγεσθαι, οἷον Κυαμέψια, διὰ τὸ πυάμους πρότερον τοὺς κυάμους καλεῖσθαι. *Et Pyanepſia dici, quaſi Cyamepſia, quia pyami antea cyami vocabantur.* Apud alios, & quidem frequentius, Πύανος ſcribitur, aut neutro etiam genere Πύανον; & confirmat hanc ſcripturam, quod menſis ipſe Πυανεψιὼν dicatur. Ad fabas tunc coqui ſolitas alludit ille apud Athenæum, *l.* IX. Ἐκ τούτων δῆλόν ἐστιν, ὅτι Τηλέμαχος κυάμων χύτρας ἀεὶ σιτούμενος ἦγε Πυανεψίων πορδὴν ἑορτήν. *Ex his manifeſtum eſt, Telemachum fabarum ollas ſemper comedentem celebraſſe Pyanepſiorum feſtum inter crepitus ventris.* Celebrabant autem in honorem Apollinis. Suidas. Τὰ Πυανέψια

A Ἀπόλλωνι ἄγεσθαι φασί. *Pyanepsia Apollini celebrari dicunt*. Nempe Apollini quoque votum fecerat Theſeus pro felici reditu, cujus rei memoria hic repræſentabatur. Eſt videre apud Plutarchum *loco citato*, Scholiaſten Ariſtophanis, & Euſtathium *ad Iliad. χ'*. Verba ſtatim in rem aliam producemus. Ergo a fabis, coqui tunc ſolitis, nomen feſto. Sed non illæ tantum coctæ; verum ramus quoque oleagineus efferebatur, Εἰρεσιώνη appellatus. Harpocration, ubi de hoc feſto. Πύανα γὰρ ἕψουσιν ἐν αὐτῇ, καὶ ἡ εἰρεσιώνη ἄγεται. *Fabis enim veſcuntur in eo feſto, & ramus oleagineus celebratur*. Suidas. Πύανα γὰρ ἕψουσιν ἐν αὐτοῖς, καὶ ἡ εἰρεσιώνη πλέκεται. *Fabas enim coquunt in illis, & ramus oleagineus nectitur*. B Erat hic ramus lana coronatus, omniſque generis fructus circum pendentes habebat; & a puero ferebatur, cui parens uterque ſuperſtes; quique inter ferendum cantabat hos verſus.

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ἵνα μεθύουσα καθεύδῃ.
Ramus oleagineus fert caricas, & pinguens panes,
Et mel in vaſculo, & oleum ad tergendum,
Et calicem meraci bene plenum, ut inebriata dormiat.

C Euſtathius *ad Iliad. χ'*. Εἰρεσιώνη, θαλλὸς ἐλαίας ἐστεμμένος ἐρίῳ, προσκρεμαμένους ἔχων διαφόρους ἐκ γῆς καρπούς. τοῦτον ἐκφέρει παῖς ἀμφιθαλής, καὶ τίθησι πρὸ θυρῶν τοῦ Ἀπόλλωνος ἱεροῦ, ἐν τοῖς Πυανεψίοις. λέγεται γάρ, φησι, Θησέα, ὅτε εἰς Κρήτην ἔπλει, προσχόντα Δήλῳ τῇ νήσῳ διὰ χειμῶνα, εὔξασθαι Ἀπόλλωνι, καταστέψεσθαι κλάδους ἐλαίας, εἰ τὸν Μινώταυρον κτείνας σωθῇ, καὶ θυσιάσειν. καὶ γοῦν τὴν ἱκετηρίαν ταύτην καταστέψας, ἑψῆσαι λέγεται χύτραν ἀθάρας καὶ ἔτνους, καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι. διὸ καὶ Πυανέψια λέγεσθαι, οἷον Κυαμέψια, διὰ τὸ πυάμους πρότερον τοὺς κυάμους καλεῖσθαι. ἦγον δὲ ἔσθ' ὅτε ταῦτα καὶ D ἐπὶ ἀποτροπῇ λιμοῦ. ᾖδον δὲ παῖδες οὕτω.

Εἰρεσιώνη, &c.

Eireſione, ramus oleæ coronatus lana, habens appenſos varios ex terra fructus. Hunc effert puer patrimus ac matrimus, & ponit ante fores templi Apollinis per Pyanepſia. Dicitur enim, ut ajunt, Theſea, quum navigaret in Cretam, appellentem Delo inſulæ propter tempeſtatem, vota feciſſe Apollini, coronaturum ſe ramos oleæ, ſi Minotauro occiſo ſervaretur, & ſacrificaturum. Itaque hoc indicium ſupplicis coronans, dicitur coxiſſe ollam farinæ & pultis ex leguminibus, aramque ſtatuiſſe. Propterea E *etiam Pyanepſia dici, tanquam Cyamepſia, quia pyami prius vocabantur cyami vel fabæ. Celebrabant autem iſta interdum etiam ad avertendam famem. Pueri vero ita cantabant.*

Ramus oleagineus, &c.

Quæ totidem verbis Suidas *in* Εἰρεσιώνη. Fructuſque hos omnis generis appenſos, Διακόνια appellabant. Heſychius. Διακόνιον, μάζα, ἢ ζωμός. καὶ ἡ κρηπὶς τοῦ πλακοῦντος. οἱ δὲ, πέμματα ἐξαπτόμενα τῆς εἰρεσιώνης. *Diaconion, puls vel offa; & crepido placentæ: alii autem liba alligata ad ramum oleagineum*. Sunt qui τῆς εἰρεσιώνης originem non ad Theſei votum referant, ſed ad oraculum, Athenienſi- F bus quondam datum, cum fame premerentur. Etymologici Auctor *in* Εἰρεσιώνη. Λυκοῦργος δὲ φησὶν, ἀφορίας γενομένης Ἀθηναίοις, τοῦτο ἐπιτελεσθῆναι κατὰ χρησμὸν, ὥσπερ ἱκετηρίαν. *Lycurgus vero dicit, ſterilitate Athenienſibus exorta, id celebraviſſe ex oraculo, velut ſupplicationem*. Suidas *loco citato*. Κράτης δὲ ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ Περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν, ἀφορίας ποτὲ τὴν πόλιν καταχούσης θαλλὸν καταστέψαντας ἐρίοις, ἱκετηρίαν ἀναθεῖναι τῷ Ἀπόλλωνι. *Crates vero Athenienſis in ſcripto de ſacrificiis, quæ*

A *fiunt Athenis, inopia frugum aliquando urbem premente, ramum coronantes lanis, ſupplicationis indicium poſuiſſe Apollini*. Quæ habes quoque apud Euſtathium, *loco citato*. Et plenius narrat alibi Suidas. Εἰρεσιώνη, κλάδος ἐστὶν ἐλαίας, ἐρίοις πεπλεγμένος. ἐξήρτητο δὲ αὐτοῦ τὰ ὡραῖα πάντα. προετίθετο δὲ αὐτὰ μετὰ τῆς εἰρεσιώνης πρὸ τῶν θυρῶν κατὰ παλαιὸν χρησμόν. οἱ μὲν γὰρ φασὶν, ὡς λοιμοῦ (ſcribe, λιμοῦ) πᾶσαν τὴν γῆν κατασχόντος, ὁ θεὸς εἶπε Προηροσίᾳ τῇ Δηοῖ ὑπὲρ πάντων θῦσαι θυσίαν Ἀθηναίους. οὗ ἕνεκεν χαριστήρια πανταχόθεν ἐκπέμπουσιν Ἀθήναζε τῶν καρπῶν τὰς ἀπαρχάς. *Eireſione, ramus erat oleæ, lanis nexus. Suſpendebantur autem ex eo o-* B *mnia tempeſtatum anni munera. Hæc vero proponebantur cum ramo ante fores ex vetuſto oraculo. Dicunt enim nonnulli, tanquam peſte (fame) omnem terram vexante Deus dixerit Proluſoriæ Cereri pro omnibus ſacrum ſacrare Athenienſes. quamobrem pignora gratæ voluntatis undiquaque emittunt Athenas frugum primitias*. Super ramum vero iſtum, prius quam carmen ordirentur, bellaria effundebant, & craterem vino plenum. Etymologici Auctor *in* Εἰρεσιώνη. Καταχύσματα δὲ, κύλικα οἴνου κεκραμένην, καταχέοντες αὐτῆς, ἐπιλέγουσιν.

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, &c.

C *Libamenta autem, calicem vino temperatum, defundentes inde aliquid, ſuperdicunt.*

Ramus oleagineus caricas fert, &c.

Euſtathius *loco citato*. Ἀλλαχοῦ λέγεται καὶ ὅτι στέμμα λευκὸν, καὶ φοινικοῦν, ἀπήρτητο τοῦ θαλλοῦ. καὶ ὅτι προυτίθετο ἱκεσία τῷ Ἀπόλλωνι, καθ' ἣν ἡμέραν οἱ περὶ Θησέα σωθῆναι δοκοῦσι. καὶ ὅτι καταχύσματα, καὶ κύλικα οἴνου κεκραμένην, ἐπιχέοντες αὐτῆς, ἐπέλεγον τὴν ῥηθεῖσαν ᾠδήν. *Alibi vero dictum eſt quoque, vittam albam & purpuream ex ramo ſuſpendi; & ſupplicationis inſtar proponi Apollini, quo die Theſeus videtur ſervatus fuiſſe: atque etiam libamenta & calicem vino temperatum, affundentes ex eo, ſu-* D *perdixiſſe cantilenam, quam memoravi*. Statuebatur autem ante fores templi Apollinis. Ecce in *citatis jam verbis* Euſtathii. Τοῦτον ἐκφέρει παῖς ἀμφιθαλής, καὶ τίθησι πρὸ θυρῶν τοῦ Ἀπόλλωνος ἱεροῦ, ἐν τοῖς Πυανεψίοις. *Hunc effert puer patrimus ac matrimus, & ponit ante fores templi Apollinis per Pyanepſia*. Hoc ipſum eſt, quod Etymologici Auctor innuit, iſtis verbis. Προετίθετο δὲ ἱκεσία τῷ Ἀπόλλωνι. *Proponebatur autem ſupplicatio Apollini*. Alii tamen ante ædes ſuas a pueris iſtis, qui ferrent, collocatas tradunt. Ariſtophanis Schol. *Pluto*. Ταύτην δὲ τὴν εἰρεσιώνην πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐτίθεντο οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ κατ' ἔτος ἤλλαττον. *Hanc vero eireſio-* E *nen ante domos ponebant Athenienſes, & quotannis renovabant*. Et Suidas, ubi de re eadem. Ταύτην δὲ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐτίθεσαν, καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν ἤλλαττον. *Hanc vero ante domos ponebant, & quotannis eam renovabant*. Sed explicabo. Ramus iſte feſto die ante templum Apollinis poſitus; eo exacto inde abductus ante ædium fores ſtatuebatur. Ipſe Euſtathius diſertis verbis non multo poſt in iſtius moris priſci enarratione. Μετὰ δὲ τὴν ἑορτὴν, ἔξω ἀγρῶν τιθέασι παρὰ θύρας. *Poſt feſtum vero, extra agros ponunt ad fores*. Quæ totidem verbis habes etiam apud Suidam, & Apoſtolium, ubi explicat F iſtum Ariſtophanis verſum, etſi non nominato Auctore.

Ὥσπερ παλαιὰν εἰρεσιώνην καύσεται.
Velut priſcum ramum oleæ comburet.

Dixi vero initio, ramum oleaginnem fuiſſe; idque præter Auctores jam citatos etiam teſtatur Heſychius, in cujus *Gloſſis* eſt. Εἰρεσιώνη, κλάδος ἐλαίας. *Eireſione, ramus oleæ*. Sed ſciendum, e lauro quoque interdum fuiſſe. Clare nobis diſcri-

men indicat Scholiastes Aristophanis *ad Plutum*. Εἰρεσιώνη, θαλλὸς ἐλαίας, ἢ δάφνης. *Eiresione, ramus oleæ, vel lauri*. Lutatius *in Thebaida*, extremo secundo Commentario, ubi τὴν εἰρεσιώνην describit, ad illa Statii verba,

—— & ab arbore casta
Nectent purpureas niveo discrimine vittas.

ita inquit: *Ab arbore casta. Oliva, sive lauro; pro inventore, id quod inventum est. nam casta non est olea, sed Minerva. Aliter. Castam arborem dixit, quæ post quinquennium Athenis Minervæ offerebatur .... pestilentiæ civitatem .... quam verbenam nominant, in qua omnium frugum, pomorumque, primitias obligabant, ut Cratinus ait. Hanc igitur castam arborem dicit; id est, in qua purpureis nexibus omnia supra dicta pendebant; quæ tamen interjectis duobus pedibus candida fila discriminabant*. Expediam hic quoque istum nodum. Utriusque honori ἡ Εἰρεσιώνη oblata fuit; Apollinis, & Minervæ: itaque cum Apollini offerretur, e lauro fuerit, arbore illi sacra: cum Minervæ, ex oliva, ipsi itidem consecrata. Sed Lutatii ille locus, corruptus admodum, emendandus mihi nunc obiter per occasionem istam, & illustrandus. Itaque verba mutila, & depravata, sic restituo, *Athenis Minervæ offerebatur, ob liberatam pestilentia civitatem, quam eresionam nominant*. Sed errat, quod pestilentiam dicat, quæ fames fuit; & decepit eum Auctoris, quem sequutus est, corruptus locus; in quo perperam λοιμοῦ pro λιμοῦ fuerat: quemadmodum etiam apud Suidam. Quod autem ait. *In qua purpureis nexibus omnia supra dicta pendebant, quæ tamen interjectis duobus pedibus candida fila discriminabant*. Hoc est, quod dixit Etymologici Auctor. Εἰρεσιώνη, θαλλός ἐστιν ἐλαίας, πάντας τοὺς καρποὺς ἔχον ἀπηρτημένους, καὶ στέμμα λευκὸν καὶ φοινικοῦν. *Eiresione, ramus est oleæ, omnes fructus habens alligatos, & vittam albam purpureamque*. Et Eustathius, *loco* jam pluries *citato*. Ἀλλαχοῦ δὲ λέγεται καὶ, ὅτι στέμμα λευκὸν καὶ φοινικοῦν ἀπήρτηται τοῦ θαλλοῦ. *Alibi vero dicitur etiam vittam albam & purpuream alligari suspensam ab ramo*. Deinde non Apollini tantum, aut Minervæ, sed Horis quoque ἡ Εἰρεσιώνη ferebatur; idque non Pyanepsiis duntaxat, de quibus nunc agimus, verum enim vero etiam Thargeliis. Suidas. Πυανεψίοις, καὶ Θαργηλίοις, Ἡλίῳ, (qui idem cum Apolline) καὶ Ὥραις, θύουσιν Ἀθηναῖοι. φέρουσι δὲ οἱ παῖδες τὰ προκατειλεγμένα ἀκρόδρυα, καὶ ταῦτα πρὸ τῶν θυρῶν κρεμῶσι. *Pyanepsiis & Thargeliis Soli & Horis sacrificant Athenienses. Ferunt autem pueri illas fruges antea electas, easque suspendunt ante fores*. Scholiastes Aristophanis *Equitibus*. Πυανεψίοις, καὶ Θαργηλίοις, Ἡλίῳ, καὶ Ὥραις, ἑορτάζουσιν Ἀθηναῖοι. φέρουσι δὲ οἱ παῖδες τούς τε θαλλοὺς ἐρίοις περιειλημμένους, ὅθεν εἰρεσιῶναι λέγονται. *Pyanepsiis & Thargeliis Soli & Horis feriantur Athenienses. Pueri autem ferunt ramos lanis circumvolutos, unde Eiresionæ dicuntur*. Idem alibi, Commentario *ad Plutum*, de solis Horis loquitur. Πυανεψίοις, καὶ Θαργηλίοις, Ὥραις θύουσιν Ἀθηναῖοι. φέρουσι δὲ οἱ παῖδες τὰ προκατειλεγμένα ἀκρόδρυα. *Pyanepsiis & Thargeliis Athenienses sacrificant Horis. Pueri vero ferunt illa prius electa frugum genera*. Dixi porro omne genus fructus appensos fuisse, idque Auctorum testimoniis confirmavi; sed mala, ac pira, aliaque, quæ ferre haud poterat, abfuisse, nos docet Strabo, cujus ista verba *lib*. I. Τὸ μὲν οὖν ἅπαντα ζητεῖν περιποιεῖν αὐτῷ, προσεκπίπτοντος ἄν τις ἐκθείη φιλοτιμίᾳ. ὡς ἂν εἴ τις, φησὶν ὁ Ἵππαρχος, Ἀττικῆς εἰρεσιώνης κατηγοροίη, καὶ ἃ μὴ δύναται φέρειν μῆλα, καὶ ὄχνας, οὕτως ἐκείνου πᾶν μάθημα, καὶ πᾶσαν τέχνην. *Omnia quidem igitur conari vindicare sibi, attribuat aliquis ambitioni egredientis modum: ut si quis, ait Hipparchus, in Attica eiresione recenseat etiam quæ nequit ferre mala ac pira, sic illius omnem disciplinam & omnem artem*. Meminit τῆς εἰρεσιώνης Clemens *Strom*. IV. Αὐτίκα Σεξωματεῖς ἡμῶν, κατὰ τὸν γεωργὸν Τιμοκλέους τοῦ κωμικοῦ, σῦκα, ἔλαιον, ἰσχάδας, μέλι προσοδεύουσι, καθάπερ ἐκ παμφόρου χωρίου. δι' ἣν εὐκαρπέαν, ἐπιφέρει,

Σὺ μὲν εἰρεσιώνην, οὐ γεωργίαν, λέγεις.

Ἐπιφωνεῖν γὰρ εἰώθεσαν Ἀθηναῖοι,

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι.

Statim Segestria nostra, juxta agricolam Timoclis comici, ficus, oleum, caricas, mel proferunt, tanquam ex frugifera regione; propter quam fertilitatem, infert,

Tu quidem eiresionen, non agriculturam, dicis.

Solebant enim acclamare Athenienses,

Eiresione ficus fert, & pingues panes,
Et mel in vasculo, & oleum ad tergendum:

Denique ab aliis Πανόψια appellatum hoc festum fuit. Harpocration. Πυανόψια ταύτην ἑορτὴν καλοῦμεν, οἱ δ' ἄλλοι Ἕλληνες Πανόψια, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει. *Pyanopsia hoc festum vocamus, alii vero Græci Panopsia, quia omnes fructus visu cernebant.*

Π Υ Λ Α Ι Α.

Agebatur a Pylæis, in honorem Cereris τῆς Πυλαίας. Nam Pylis sacra ei Deæ faciebant Pylagoræ. Strabo *lib*. IX. Ἐν Πύλαις συνήγοντο, ἃς καὶ Θερμοπύλας καλοῦσιν. ἔθυον τῇ Δήμητρι οἱ Πυλαγόραι. *In Pylis congregabantur, quas etiam Thermopylas vocant. sacrificabant Cereri Pylagoræ*. Et hinc illa Ceres Πυλαία cognomento dicebatur, ibi culta proprio fano, & festo. Erotianus. Πύλας, τόπος Θεσσαλίας, ἐν ᾧ καὶ τὸ τῆς Πυλαίας Δήμητρος ἱερὸν ἵδρυται. *Pylæ, locus Thessaliæ, in quo etiam Pylææ Cereris templum positum est*. Et festum quidem, Πύλαια dictum. Hoc Stephanus vult in Πύλαι, cum inquit. Λέγεται καὶ Πύλαια τὸ οὐδέτερον, ἐπὶ τῆς θυσίας. *Dicitur etiam Pylæa ut neutrum de sacrificio.*

Π Υ Ρ Σ Ω Ν   Ε Ο Ρ Τ Η.

Ab Argivis celebrabatur, in memoriam Lyncei, & Hypermnestræ; quorum ille Lyrceæ, ista Larissæ, accensa face periculum se evasisse significabat. Pausanias *Corinthiacis*. Ἑτέρα δὲ ὁδὸς ἀπὸ τῶν πυλῶν τῶν πρὸς τῇ Δειράδι ἐστιν ἐπὶ Λύρκειαν, ἐς τοῦτο λέγεται τὸ χωρίον Λυγκέα ἀποσωθῆναι τῶν πεντήκοντα ἀδελφῶν μόνον, καὶ ἡνίκα ἀνεσώθη, πυρσὸν ἀνέσχεν ἐντεῦθεν. συνέκειτο δὲ ἄρα αὐτῷ πρὸς τὴν Ὑπερμνήστραν ἀνασχεῖν τὸν πυρσόν, ἢν διαφυγὼν Δαναὸν ἐς ἀσφαλὲς ἀφίκηταί ποι· τὴν δὲ καὶ αὐτὴν ἀνάψαι λέγουσιν ἕτερον ἀπὸ τῆς Λαρίσσης, δῆλα καὶ ταύτην ποιοῦσαν, ὅτι ἐν οὐδενὶ οὐδὲ αὐτὴ καθέστηκεν ἔτι κινδύνῳ. ἐπὶ τούτῳ δὲ Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος ἕκαστον ΠΥΡΣΩΝ ΕΟΡΤΗΝ ἄγουσιν. *Alia vero via ab portis ad Deiradem est versus Lyrceam. In hanc regionem dicitur Lyncea servatum evasisse solum ex quinquaginta fratribus, & postquam conservatus fuit, facem extulit inde. Convenerat autem inter ipsum & Hypermnestram allevare tædam, si evadens Danaum alicubi in securum veniret. Hanc vero etiam dicunt accendisse alteram ab Larissa, ut sic quoque manifestum faceret, ne ipsam quidem in ullo positam esse periculo. Propter hanc rem Argivi quolibet anno celebrant festum facum.*

JOANNIS MEURSII
GRÆCIÆ FERIATÆ,
SIVE
DE FESTIS GRÆCORUM,
LIBER VI.

ΡΑΨΩΔΩΝ ΕΟΡΤΗ.

HÆC Dionysiorum tempore celebrabatur a rhapsodis, qui statuam Bacchi circumeuntes versus ei in honorem recitabant. Observare est apud Athenæum *initio* l. VII. Φαγήσια, οἱ δὲ Φαγησιπόσια, προσαγορεύουσι τὴν ἑορτήν. ἐξέλιπε δὲ αὕτη, καθάπερ ἡ τῶν ῥαψωδῶν, ἣν ἦγον κατὰ τὰ Διονυσίων, ἐν ᾗ παριόντες ἕκαστοι τῷ θεῷ οἷον τιμὴν ἀπετέλουν τὴν ῥαψωδίαν. *Phagesia, alii vero Phagesiposia, appellant festum. Sed id defecit, perinde ut Rhapsodorum, quod celebrabant per Bacchanalia, in quo accedentes quisque ad Deum velut laudem tribuebant istam rhapsodiam.*

ΣΑΒΑΣΙΑ.

Festum Jovis τοῦ Σαβαζίου; cujus sacris qui initiarentur, iis anguis in sinum immissus per partes inferiores rursum eximebatur. Clemens *Protreptico*. Μίγνυται δὲ αὖθις ὁ γεννήσας οὑτοσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ, τῆς προτέρας μύσους, πατὴρ καὶ φθορεὺς Κόρης ὁ Ζεύς. καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος. ὃς ἦν, ἐλεγχθείς. Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις, ὁ διὰ κόλπου θεός. δράκων δέ ἐστιν οὗτος, διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων, ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. *Miscetur autem rursus postquam genuisset ille Jupiter Proserpinæ, suæ filiæ, post matrem Cererem. Obliviscens prioris facinoris pater & corruptor Puellæ Jupiter; misceturque mutatus in draconem, qualis erat, deprehensus. Igitur Sabaziorum mysteriorum symbolum initiatis, iste Deus in sinu. Ille autem draco est, traductus per sinum eorum qui consummantur, argumentum incontinentiæ Jovis.* Arnobius *lib.* v. *Ipsa novissime sacra, & ritus initiationis ipsius, quibus sabaziis nomen est, testimonio esse poterunt veritati; in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus, atque imis.* Firmicus *De Errore Prof. Relig. Sabazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Alii Bacchi festum putant, Σαβαζίου nuncupati, cui pater Caprius fuerit. Cicero *De Nat. Deorum*, lib. III. *Dionysos multos habemus; primum, e Jove & Proserpina natum; secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse: tertium, Caprio patre, eumque regem Asiæ præfuisse dicunt: cui Sabazia sunt instituta.* Diodorus Siculus variat in patre *lib.* III. Φασὶ γὰρ ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης Διόνυσον γενέσθαι, τὸν ὑπό τινων Σαβάζιον ὀνομαζόμενον. οὗ τήν τε γένεσιν, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τιμὰς νυκτερινάς, καὶ κρυφίας, παρεισάγουσι, διὰ τὴν αἰσχύνην τὴν ἐκ τῆς συνουσίας ἐπακολουθοῦσαν. *Dicunt enim ex Jove & Proserpina natum esse Bacchum, ab nonnullis nominatum Sabazium; cujus & originem, & sacrificia, & honores nocturnos absconditosque inducunt propter pudorem ex concubitu exortum.* Quique his sacris initiati, Σαβοὶ dicti. Harpocration. Οἱ μὲν σαβοὺς λέγεσθαι (φασὶ) τοὺς τελουμένους τῷ Σαβαζίῳ, τουτέστι τῷ Διονύσῳ. *Alii quidem sabos dici (ajunt) devotos Sabazio, hoc est, Baccho.* Scholiastes Aristoph. *Vespis*. Σαβάζιον δὲ τὸν Διόνυσον οἱ Θρᾶκες καλοῦσι, καὶ Σαβοὺς, τοὺς ἱερεῖς αὐτῷ. *Sabazium vero Bacchum Thraces vocant, & Sabos ei sacros.* Oppianus *Cyneget.* I.

—— τὰ Σαβάζια νυκτερὰ θύσθλα.
—— *Sabazia nocturna orgia.*

ΣΕΒΑΣΤΙΑ.

In honorem Imperatoris passim celebrabantur. Menander Rhetor *cap.* Πῶς δεῖ ἀπὸ τῶν ἐπιτηδεύσεων τὰς πόλεις ἐγκωμιάζειν. Εορτὴ δὲ τὰ Ἴσθμια, Παλαίμονι. καὶ Νέμεα, Ἀρχεμόρῳ. βασιλεῖ δὲ, ὡς τὰ Σεβάστια πολλαχοῦ. *Quomodo oporteat ab artium disciplinis laudare urbes. Festum vero Isthmia Palæmoni; & Nemea Archemoro; Cæsari autem ut Sebastia multis locis.*

ΣΕΜΕΛΗ.

Incertum, quale festum fuerit. Hesychius. Σεμέλη, τράπεζα. παρὰ δὲ Φρυνίχῳ, ἑορτή. *Semele, mensa: sed apud Phrynichum, festum.* Puto Semeles fuisse.

ΣΕΠΤΗΡΙΟΝ.

Delphis celebrabatur nono quoque anno. Plutarchus in *Quæst. Græc.* Τρεῖς ἄγουσι Δελφοὶ ἐννατηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς. ὧν τὴν μὲν, Σεπτήριον καλοῦσι. τὴν δ' Ἡρωΐδα· τὴν δὲ, Χαρίλαν. *Delphi agunt tria novennalia festa deinceps: quorum unum vocant Septerium; alterum Heroida; tertium vero Charilan.* Fœminino genere habes apud Hesychium. Σεπτηρία, καθαρμός. *Septeria, purgatio.*

ΣΤΕΝΙΑ.

Argivorum erat. Hesychius. Σθένια, ἀγών τις ἐν Ἄργει οὕτω προσηγορεύετο. *Sthenia, certamen quoddam in urbe Argo sic dicebatur.*

ΣΙΚΕΛΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Festum apud Siculos erat, in quo epheborum certamen, scillis sese verberantium; quique victor evasisset, præmium a gymnasiarchis taurum habebat. Scholiastes Theocriti *Idyll.* VII. Τῶν ἐφήβων ἐν Σικελίᾳ γίνεται ἀγὼν ἐν σκίλλαις. καὶ νικήσαντες, ταῦρον ὑπὸ τῶν γυμνασιαρχῶν τιθέμενον λαμβάνουσιν ἔπαθλον. *Epheborum in Sicilia est certamen in scillis: & qui vicerunt, taurum ab gymnasiarchis positum accipiunt præmium.*

ΣΚΕΙΡΑ, aut ΣΚΙΡΑ.

De hoc festo dictum mihi libro *De Populis Atticæ*, in voce Σκίρον. Hic reponam, loco proprio. Etymologici Auctor. Σκεῖρα, ἑορτὴ Ἀθηνᾶς. *Scira, festum Minervæ*. Corruptus est Hesychii locus. Σκεῖρα, ἑορτὴ Ἀθήνησιν Ἀρείονος, *Scira festum Athenis Arionis*. Restitue, ἑ. Ἀθήνησιν Ἀθηνᾶς. *f. Athenis Minervæ*. Nam Minervæ festum erat, ut ostendam. Deinde malim Σκίρα, quam Σκεῖρα. Ita alii omnes scribunt. Et mensis ab eo Σκιροφοριὼν appellatus. Harpocration. Σκίρα, ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἀφ' ἧς καὶ ὁ μὴν Σκιροφοριών. *Scira, festum apud Athenienses, a quo & mensis Scirophorion*. Celebrabatur vero die mensis istius Scirophorionis XII. in honorem Minervæ Σκιράδος; vel, ut alii volunt, Cereris, & Proserpinæ. Scholiastes Aristophanis *ad Concion*, Σκίρα, ἑορτή ἐστι τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς, Σκιροφοριῶνος τῇ δωδεκάτῃ, οἱ δὲ, Δήμητρος, καὶ Κόρης. *Summa festum est Sciradis Minervæ, duodecimo die Scirophorionis; alii autem Cereris & Proserpinæ*. Corruptus Stephani quoque locus *in* Σκίρος. Σκίρα δὲ κέκληται. τινὲς μὲν, ὅτι ἐπὶ Σκίρῳ Ἀθήνησι θύεται. ἄλλοι δὲ, ἀπὸ τῶν γιγνομένων ἱερῶν Δήμητρι, καὶ Κόρῃ, καὶ ἡ ἑορτὴ ταύτῃ Ἐπισκίρα κέκληται. *Scira autem vocata sunt, ut nonnulli, quod in Sciro sacrificatur Athenis; alii vero ab sacris quæ fiunt Cereri & Proserpinæ. & hoc festum Episcira vocatum fuit*. Rescribe primum, Ἐπὶ Σκίρῳ Ἀθηνᾷ θύεται, *In Sciro sacrificatur Minervæ*. Deinde, Καὶ ἡ ἑορτὴ ταύτῃ ἔτι Σκίρα κέκληται. *Et hoc festum adhuc Scira vocatum est*. Et sacrum, quod tunc fieri solitum, Σκίρωσις dictum. Strabo *lib.* IX. Ἀφ' οὗ μὲν Ἀθηνᾶ τε λέγεται Σκιρὰς, καὶ τόπος Σκίρα ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ ἔτι Σκίρωσις ἱεροποιΐα τις, καὶ ὁ μὴν Σκιροφοριών. *A quo quidem & Minerva dicitur Sciras, & locus Scira in Attica, & adhuc Scirosis quædam solennitas, & mensis Scirophorion*. Hunc diem, sacrum antea festo, multo magis sacrum reddidit victoria ad Mantineam. Plutarchus *de Gloria Athen*. Τὴν δὲ δωδεκάτην τοῦ Σκιροφοριῶνος ἱερωτέραν ἐποίησεν ὁ Μαντινικὸς ἀγών, ἐν ᾧ τῶν ἄλλων συμμάχων ἐκβιασθέντων καὶ τραπέντων, μόνοι τὸ καθ' ἑαυτοὺς νικήσαντες ἔστησαν τρόπαιον ἀπὸ τῶν νικώντων πολεμίων. *Duodecimam vero Scirophorionis religiosiorem fecit prælium Mantinense, in quo aliis sociis vi expulsis & conversis, soli quod ad ipsos pertineret vincentes excitarunt tropæum ab hostibus vincentibus*. Meminit festi etiam Polyænus *lib.* III. Ἦν ἑορτὴ Σκίρα. Τιμόθεος κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν μυρσίνῃ στεφανώσας τὰς τριήρεις ἦρε τὸ σημεῖον. *Erat festum Scira. Timotheus illo die, quum myrto coronavisset triremes, sustulit signum*. Sunt qui datum nomen velint ab umbella, quæ Σκίρον nuncupabatur; ferebaturque a sacerdotibus Minervæ, Neptuni, & Solis, ex arce Scirum abeuntibus: erat autem umbella ista alba; quique gestabant, Eteobutadæ. Harpocration. Σκίρον, σκιάδιόν ἐστι, μεθ' οὗ φερόμενοι ἐξ ἀκροπόλεως, εἴς τινα τόπον, καλούμενον Σκίρον, πορεύονται. ἥ τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια, καὶ ὁ τοῦ Ἡλίου. κομίζουσι δὲ τοῦτο Ἐτεοβουτάδαι. *Sciron, umbella est, cum qua descendentes ex arce in quendam locum, qui vocatur Scirus, abeunt, tum sacerdos Minervæ, tum Neptuni, & Solis. Eam vero portant Eteobutadæ*. Totidem verbis Scholiastes Aristophanis *loco citato*, nisi quod Neptuni ibi sacerdotis nulla mentio. Dixi vero umbellam istam albam fuisse; idque ejusdem Comici Scholiastæ locus testatur: qui hoc quoque addit, non ab Eteobutadis gestatam, sed a sacerdote Erechthei. Ecce verba. Ἐν ᾗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδιον λευκὸν, ὃ λέγεται σκίρον. *In qua sacerdos Erechthei portat umbellam albam, quæ dicitur Sciron*. Ea autem umbellæ portatio significabat, tempus jam ædificando idoneum esse. Harpocration. Σύμβολον δὲ τοῦτο γίνεται τοῦ δεῖν οἰκοδομεῖν, καὶ σκέπας ποιεῖν, ὡς τούτου τοῦ χρόνου ἀρίστου ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν. *Ea vero tessera est indicans ædificandum esse & tecta facienda, utpote illo tempore optimo ad ædificandum*. Habes totidem verbis apud Suidam, & Scholiasten Aristophanis. Qui pompam hanc instruebant, pellibus victimarum, Jovi Milichio ac Ctesio immolatarum, utebantur. Suidas. Διὸς κώδιον, οὗ τὸ ἱερεῖον Διὶ τέθυται. θύουσι δὲ τῷ Μειλιχίῳ Διΐ. τὰ δὲ κῴδια τούτων φυλάττουσι, Δῖα προσαγορεύοντες. χρῶνται δ' αὐτοῖς, οἵ τε Σκιροφορίων τὴν πομπὴν στέλλοντες, καὶ ὁ δᾳδοῦχος ἐν Ἐλευσῖνι. *Jovis vellus, cujus victima Jovi sacrificata est. Sacrificant autem Jovi Placido. Vellera vero ista servant, cognominantes Jovialia: utunturque eis & illi qui pompam Scirophoriorum ducunt, & facitenens apud Eleusina*. Apud Apostolium *in* Διὸς κώδιον luxata verba. Restitue ad exemplar Suidæ, e quo transcripta. Præterea tum quoque cursu ephebi concertabant, palmitem uvis onustum gestantes, quem Ὀσχὴν nuncupabant; & ab eo certamen istud Ὀσχοφόρια. De qua re plene a me dictum est supra in Ὀσχοφόρια. Illic vide, neque enim hic repetere libet.

Σ Κ Ι Ε Ρ Ι Α.

Festum hoc Aleæ celebratum, Arcadiæ oppido, in honorem Bacchi, in eoque fœminæ sese flagellabant, ex oraculi Delphici jussu, ut juvenes Spartani ad aram Dianæ Orthiæ. Pausanias in *Arcadicis*. Μετὰ δὲ Στύμφαλόν ἐστιν Ἀλέα, συνεδρίου μὲν τοῦ Ἀργολικοῦ μετέχουσα καὶ αὐτή. Ἀλεὸν δὲ τὸν Ἀφείδαντος γενέσθαι σφίσιν ἀποφαίνουσιν οἰκιστήν. Θεῶν δὲ ἱερὰ αὐτόθι, Ἀρτέμιδός ἐστιν Ἐφεσίας, καὶ Ἀθηνᾶς Ἀλέας, καὶ Διονύσου ναὸς καὶ ἄγαλμα. τούτῳ παρὰ ἔτος Σκιερίαν ἑορτὴν ἄγουσι. καὶ ἐν Διονύσου τῇ ἑορτῇ, κατὰ μάντευμα ἐκ Δελφῶν, μαστιγοῦνται γυναῖκες, καθὰ καὶ οἱ Σπαρτιατῶν ἔφηβοι παρὰ τῇ Ὀρθίᾳ. *Post Stymphalum vero est Alea, & ipsa quidem particeps conventus Argolici. Aleum vero Aphidantis filium demonstrant fuisse ipsis conditorem. Sunt autem illic Deorum templa Dianæ Ephesiæ, & Minervæ Aleæ, & Bacchi ædes ac simulacrum. Huic quotannis celebrant festum Scieria; & in Bacchi festo ex oraculo Delphico flagellantur mulieres, sicut etiam Spartiatarum ephebi ad Orthiam*. Polluci Σκιερὰ dicitur, nescio an rectius, *lib.* VII. *c.* XXXIII. *sect.* IV. Καὶ τὸ Σκιάδιον δὲ ἐστιν ἐν χρήσει, καὶ Σκιαδοφόροι, καὶ Ἐσκιαδοφόρει. καὶ Σκιὰς, ὑφ' ἧς ὁ Διόνυσος κάθηται. καὶ Σκιερὰ ἑορτή. *Sed & umbella est in usu, & Umbelliferi, & Umbelliferebat; & Umbra, sub qua Bacchus positus est, & festum Sciera*. E quibus verbis colligere liceat, eo festo Bacchi simulacrum, sub umbella desidens, produci solitum.

Σ Π Ο Ρ Τ Ι Α.

Incertum cui deo, aut deæ, agitatum. Hesychius. Σπορτία, ἑορτὴ ἀγομένη. *Sportia, festum celebrari suetum*.

Σ Τ Ο Φ Ε Ι Α.

Dianæ Stopheæ erant, apud Eretrienses. Meminit Athenæus *lib.* VI. Ἦν δὲ ἑορτὴ καὶ πανήγυρις ἀγομένη Ἀρτέμιδι Στοφέᾳ. *Erat vero festum & publica solennitas, quæ celebrabatur Dianæ Stopheæ*.

Σ Τ Υ Μ Φ Α Λ Α Ι Α.

Stymphaliæ Dianæ erant, ut Βραυρώνια Brauroniæ. Meminit Pausanias in *Arcadicis*. Ἐν Στυμφάλῳ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Στυμφαλίας τὴν ἑορτὴν κατά

*τε ἄλλα ἦγον ἐ σπουδῇ, καὶ τὰ ἐς αὐτὴν καθεστηκότα ὑπερέβαινον * τὰ πολλά.* * *In urbe Stymphalo festum Dianæ Stymphaliæ tum per alia agebant negligenter, tum quæ ad id constituta erant, multa prætermittebant.*

ΣΥΓΚΟΜΙΣΤΗΡΙΑ.

Agitabantur post comportatas fruges. Hesychius. *Συγκομιστήρια, θυσία ἐπὶ καρπῶν συγκομιδῇ. Syncomisteria, Convecticia, sacrificium ob fructuum convectionem.* Ita nimirum Oratores appellabant, quæ aliis Θαλύσια dicebantur. Eustathius *ad Iliad. ι'.* *Θαλύσια δὲ αἱ ἀπαρχαί, ἤγουν αἱ μετὰ συλλογὴν τῶν καρπῶν διδόμεναι θεῷ, ὑπὲρ τοῦ καὶ εἰς ἔπειτα θάλλειν τὰς ἀρούρας. τινὲς δὲ τῶν ῥητόρων καὶ Συγκομιστήρια ταῦτα καλοῦσιν. Thalysia autem primitiæ, vel quæ post collectionem fructuum dantur Deo propterea, ut etiam deinde floreant arva: quidem vero rhetorum etiam Syncomisteria illa vocant.*

ΣΥΝΟΙΚΙΑ.

Theseus instituit, cum XI. Atticæ oppida in unas Athenas coegisset. Stephanus *in* Ἀθῆναι. *Ὁ Θησεὺς τὰς ἕνδεκα πόλεις τὰς ἐν τῇ Ἀττικῇ συνοικίσας εἰς Ἀθήνας, Συνοίκια ἑορτὴν κατεστήσατο. Theseus undecim quæ sunt in Attica urbes in unam urbem Athenas quum conduxisset, festum instituit Synœcia.* Thucydides Ξυνοίκια Attice dixit, lib. II.

ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Incertum, cujus dei, aut deæ; & quo item proprie nomine. Sacra in eo factitata a mulieribus per continuos decem dies. Plato in *Epistola* quadam ad Dionis propinquos, ubi narrat, quæ a Dionysio facta Syracusis. *Καὶ πρῶτον μὲν ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ἐκπέμπει με, εὑρὼν πρόφασιν, ὡς τὰς γυναῖκας ἐν τῷ κήπῳ, ἐν ᾧ κατῴκουν ἐγώ, δέοι θῦσαι θυσίαν τινὰ δεχήμερον. Et primo quidem ex arce dimisit me, reperto prætextu, quasi mulieres in horto, in quo morabar ego, oporteret celebrare sacrum dierum decem.* An Ennensis Cereris fuit, de quo Cicero *Verr.* IV. ubi Ennam describit. *Propter est spelunca quædam, conversa ad Aquilonem, infinita altitudine; qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse: & subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse: ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu.*

ΣΥΡΜΑΙΑ.

Lacedæmonii celebrabant; habebantque certamen, in quo præmium, Συρμαία dictum: quod edulii genus erat, ex adpie, & melle. Hesychius. *Σύρμαια, ἀγών τις ἐν Λακεδαίμονι, ἔπαθλον ἔχων συρμαίαν. ἔστι δὲ βρωμάτιον διὰ στέατος, καὶ μέλιτος. Syrmæa, agon quidam Lacedæmone, præmium habens syrmæam: est autem genus cibi per adipem & mel.*

ΣΩΤΗΡΙΑ.

Sicyonii celebrabant; in memoriam urbis ab Arato tyrannide vindicatæ. Vide supra, in Ἀράτεια. Alia erant, de quibus Polybius *Hist.* lib. IV. *Ἠρέθιζεν αὐτὸν καὶ τὸ δοκεῖν Βυζαντίοις πρὸς μὲν Ἄτταλον εἰς τὰς τῆς Ἀθηνᾶς ἀγῶνας τοὺς συνθήσοντας ἐξαπεσταλκέναι. πρὸς αὐτὸν δ' εἰς Σωτήρια, μηδένα πεπομφέναι. Irritabat vero illum, quod videbantur Byzantii ad Attalum quidem emisisse aliquos, qui simul celebrarent Minervæ ludicra; ad ipsum vero in Soteria misissent neminem.* Nempe sacra, ac festa, ob salutem datam. Talia sunt, de quibus Plutarchus in *Galba*. *Ἔθυσε Σωτήρια, καὶ παρεσκεύασε λαμπρὰν ἑστίασιν. Celebravit Soteria, & apparavit splendidum epulum.* Herodianus *lib.* I. *Καὶ Σωτήρια τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἐπανηγύριζε. Et saluti principis dicatum festum consensu & conventu celebravit populus.* Lucianus *Hermotimo*. *Σωτήρια τήμερον ἄξων. Soteria hodie celebraturus.* Et occurrunt passim apud Auctores.

ΤΑΙΝΑΡΙΑ.

Festum Neptuni τοῦ Ταιναρίου, apud Lacedæmonios. Hesychius. *Ταινάρια, παρὰ Λακεδαιμονίοις ἑορτὴ Ποσειδῶνος. Tænaria, festum Neptuni apud Lacedæmonios.*

ΤΑΛΛΑΙΔΙΤΗΣ.

Puto fuisse Jovis τοῦ Ταλαιοῦ, apud Cretenses. Hesychius. *Ταλαιός, ὁ Ζεύς, ἐν Κρήτῃ. Ταλαιδίτης, ἀγὼν γυμνικός. Talæus, Jupiter in Creta. Talædites agon gymnicus.*

ΤΑΥΡΕΙΑ.

Neptuni festum, puta τοῦ Ταυρείου. Hesychius. *Ταύρεια, ἑορτή τις ἀγομένη Ποσειδῶνος. Taurea, festum aliquod Neptuni solenne.* Censeo autem illud esse, quod Ephesii celebrabant; & in quo adolescentes, qui vinum ministrabant, Ταῦροι dicebantur. Athenæus *l.* X. *Παρὰ δὲ Ἐφεσίοις οἱ οἰνοχοοῦντες ἠΐθεοι τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἑορτῇ, Ταῦροι ἐκαλοῦντο, ὡς Ἀμερίας φασίν. Sed apud Ephesios vinum ministrantes adolescentes festo Neptuni, vocabantur Tauri, ut ait Amerias.* Eustathius *Iliad.* υ'. *Παρὰ Ἐφεσίοις οἱ ἐν τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἑορτῇ οἰνοχοοῦντες ἠΐθεοι, Ταῦροι ἐκαλοῦντο. Apud Ephesios qui in festo Neptuni vinum ministrabant adolescentes, vocabantur Tauri.* Meminitque alibi illorum Hesychius. *Ταῦροι, οἱ παρὰ Ἐφεσίοις οἰνοχόοι. Tauri, pincernæ apud Ephesios.*

*

ΤΑΥΡΟΠΟΛΙΑ.

Dianæ festum, nempe τῆς Ταυροπόλου. Hesychius. *Ταυροπόλια, ἃ εἰς ἑορτὴν ἄγουσιν Ἀρτέμιδι. Tauropolia, quæ celebrant ad festum Dianæ.* Athenæus *l.* VI. *Μαγευόμεναι καὶ μαγεύουσαι Ταυροπολικά, τρίοδοι τινὲς αὗται πρὸς ἀλήθειαν ἐγένοντο. Incantantes magicis modis per Tauropolica, trivia quædam vere extiterunt.*

ΤΑΥΡΟΧΟΛΙΑ.

Cyziceni celebrabant. Hesychius. *Ταυροχόλια, ἑορτὴ ἐν Κυζίκῳ. Taurocholia, festum in urbe Cyzico.*

* *His interponi oportet* ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΑ, *quorum insignem memoriam præbent Oxoniensia Marmora & ipso vocabulo & processu ludicri in cælatura egregia servato; quam hinc abesse nolui, ubi quæ notantur, videri possunt. Sed ne non in hoc mustaceo laureolam captaret Vossius, ex inspecti hujus marmoris serie statim in* Catullianis *reprehendit Salmasium sane non necessaria mutatione aggredientem verba Plinii: sed unde ordinem hujus Larissæorum pugnæ notum habuerit, citius crepare maluisset argutus ille Isaacus, quam fateri ex hoc marmore id didicisse. Sane hi Thessali* Ταυροκαθάπται *videntur ab aliquo dicti fuisse κεραταστεῖς, unde Hesychio explicantur οἱ τοὺς ταύρους ἕλκον ἀπὸ τῶν κεράτων. καλοῦνται δὲ καὶ κεραελκεῖς,* qui tauros trahebant cornibus: vocantur vero etiam ceraelceis, cornutractores. *Etiam plurium dierum ludos fuisse docet Inscriptio mentionem diei secundi faciens.*

* *Male enim citabatur ὑπερβαίνοι.*

ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΝ.

De hoc festo dictum mihi, lib. *De Puerperio*, cap. VII. Hic reponam, loco suo. Celebrabant ob feliciter transactum a puerpera diem quadragesimum. Censorinus *De die natali*, cap. XI. *In Græcia dies habent quadragesimos insignes; namque prægnans ante diem quadragesimum non prodit in fanum; & post partum quadraginta diebus pleræque fœtæ sunt graviores, nec sanguinem interdum continent: & parvuli ferme per hos dies morbidi, sine risu, nec sine periculo sunt. ob quam caussam, cum is dies perierit, diem festum solent agitare. quod tempus appellant* Τεσσαρακοστόν.

ΤΙΘΗΝΙΔΙΑ.

Apud Lacedæmonios agitabantur, isto modo. Nutrices pueros mares extra Urbem abducebant in Dianæ Corythalliæ templum, quod ad flumen Tiassam situm, prope Cletam; ibique instituto pro puerorum istorum salute epulo, quod Κοπίδα indigetabant, porcellos lactentes immolabant, ac furnaceos in convivio panes præbebant. Athenæus *l.* IV. Κοπίζει δὲ καὶ τῶν ἄλλων Σπαρτιατῶν ὁ βουλόμενος. ἐν δὲ τῇ πόλει κοπίδας ἄγουσι καὶ τοῖς Τιθηνιδίοις καλουμένοις ὑπὲρ τῶν παίδων. κομίζουσι γὰρ αἱ τίτθαι τὰ ἄρρενα παιδία κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ἀγρὸν, καὶ πρὸς τὴν Κορυθαλλίαν καλουμένην Ἄρτεμιν, ἧς τὸ ἱερὸν παρὰ τὴν καλουμένην Τίασσαν ἐστιν, ἐν τοῖς πρὸς τὴν Κλήταν μέρεσι, τὰς κοπίδας ἐπιτελοῦσι. θύουσι δὲ καὶ τοὺς γαλαθηνοὺς ὀρθαγορίσκους, καὶ παρατιθέασιν ἐν τῇ θοίνῃ τοὺς ἰπνίτας ἄρτους. *Copide autem utitur etiam quilibet aliorum Spartiatarum, qui voluerit: in urbe Copidas celebrant etiam festo Nutriciorum, ut vocantur, pro liberis. Nam nutrices gestant puerulos illo tempore in agrum, & ad Corythalliam, ut vocatur, Dianam, cujus templum est prope Tiassam, quam dicunt, in partibus versus Cletam, peragunt copidas; mactant autem etiam lactentes porcellos, & in epulo apponunt panes furnarios.* Ac choreas quoque agitabant. Κορυθαλλίστριαι dictæ. Hesychius. Κορυθαλλίστριαι, αἱ χορεύουσαι τῇ Κορυθαλλίᾳ θεᾷ. *Corythallistriæ, quæ choream instituunt Deæ Corythalliæ.* Erant etiam, qui personis ligneis velati risum concitarent, Κυριττοὶ appellati. Idem Hesychius *alibi*. Κυριττοὶ, οἱ ἔχοντες τὰ ξύλινα πρόσωπα κατ' Ἰταλίαν· καὶ ἑορτάζοντες τῇ Κορυθαλλίᾳ γελοιασταί. *Cyritti, habentes personas ligneas in Italia; & ridiculi operantes Corythalliæ.*

ΤΙΤΑΝΙΑ.

Titanum in memoriam agitari solita. Moschopulus *in Collect. Attic.* Κρονια, ἑορτὴ τοῦ Κρόνου. καὶ Διάσια, ἡ τοῦ Διός. καὶ Τιτάνια, ἡ τῶν Τιτάνων. *Saturnalia, festum Saturni: & Jovialia, Jovis: & Titania, Titanum.*

ΤΛΗΠΟΛΕΜΕΙΑ.

Tlepolemo instituta, apud Rhodios. Meminit Pindarus *Olympionic.* Od. VII.

Τόθι λύτρον συμφορᾶς
Οἰκτρᾶς γλυκὺ Τλαπολέμῳ
Ἵσταται, Τιρυνθίων ἀρ-
χαγέτα, ὥσπερ θεῷ,
Μάλων τε κνισάεσσα πομπὰ,
Καὶ κρίσις ἀμφ' ἀέθλοις.

Ibi solutio calamitatis
Dolendæ grata Tlepolemo
Statuta est, Tirynthiorum pri-
mo auctori, tanquam Deo,
Et ovium nidoribus suffita pompa,
Et judicium de præmiis.

Ubi Scholiastes. Ἀγὼν ἐκεῖ ἄγεται, Τληπολέμεια. *Certamen illic celebratur Tlepolemia.* Celebrabantur autem XXIV. mensis Gorpiæi; certabantque pueri, ac viri: & victoriæ præmium erat, corona populea. Idem mox: Τελεῖται αὐτόθι (ἐν Ῥόδῳ) ἀγὼν, Τληπολέμεια ἐπικαλούμενος, τελεῖται δὲ μηνὸς Γορπιαίου εἰκοστῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ. ἀγωνίζονται δὲ παῖδες, καὶ ἄνδρες. ὁ δὲ στέφανος, λεύκη δίδοται. *Peragitur ibi (in Rhodo) certamen, quod vocatur Tlepolemia. Celebratur autem mensis Gorpiæi die vicesimo quarto. Certant autem pueri & viri; corona autem datur populus.*

ΤΟΝΕΙΑ.

Apud Samios celebrata. Athenæus *lib.* XV. Διόπερ ἐξ ἐκείνου καθ' ἕκαστον ἔτος ἀποκομίζεσθαι τὸ βρέτας εἰς τὴν ἠιόνα, καὶ ἀφανίζεσθαι. ψαιστά τε αὐτῷ παρατίθεσθαι, καὶ καλεῖσθαι, Τόνεια τὴν ἑορτὴν, ὅτι συντόνως συνέβη περιειληφθῆναι τὸ βρέτας ὑπὸ τῶν τὴν πρώτην αὐτοῦ ζήτησιν ποιησαμένων. *Propterea ab isto tempore quotannis deferri simulacrum ad littus, & occultari: & liba illi apponi, vocarique Tonia festum, quia intente contigit circumvolvi simulacrum ab illis, qui primum invenerunt.* Vide totam eorum originem pluribus illic pertractatam.

ΤΟΞΑΡΙΔΕΙΑ.

Toxaridis festum, apud Athenienses; quem Ἰατροῦ ξένου, *Medici peregrini*, nomine inter heroas relatum colebant. Lucianus *Scytha*. Ὁ Τόξαρις οὐδ' ἀπῆλθεν ἔτι ὀπίσω ἐς Σκύθας, ἀλλ' Ἀθήνησιν ἀπέθανε. καὶ μετ' οὐ πολὺ καὶ ἥρως ἔδοξε, καὶ ἐντέμνουσιν * αὐτῷ ΞΕΝΩ ΙΑΤΡΩ οἱ Ἀθηναῖοι. τοῦτο γὰρ τοὔνομα ἥρως γενόμενος ἐπεκτήσατο. *Toxaris ille nec postea reversus est ad Scythas, sed Athenis obiit: & non multo post etiam Heros visus est, & sacrificant ei MEDICO PEREGRINO Athenienses. Istud enim nomen Heros agnitus insuper possedit.* Et mox ibi caussam ejus cognomenti exponit pluribus. Atque hunc ipsum esse censeo, de quo est apud Hesychium. Ἰατρὸς, θεραπευτὴς, ἢ ἐφαπτὶς, ἢ ἥρως Ἀθήνησιν ἀρχαῖος. *Medicus, sanator, sagum, aut heros Athenis vetustus.* Et candidus ei equus immolabatur ad sepulchrum. Idem Lucianus, *loco citato*. Ὁ δ' οὖν μισθὸς τῆς ἰάσεως ἔτι καὶ νῦν ἀποδίδοται αὐτῷ, λευκὸς ἵππος, καταθυόμενος ἐπὶ τῷ μνήματι. *Merces igitur sanationis etiam nunc redditur illi equus albus, immolatus ad sepulchrum ejus.*

ΤΡΙΚΛΑΡΙΑ.

Dianæ Triclariæ propria, apud Iones quosdam. Pausanias *Achaicis*. Ἰώνων τοῖς Ἀρόην, καὶ Ἄνθειαν, Μεσάτιν οἰκοῦσιν, ἦν ἐν κοινῷ τέμενος, καὶ ναὸς, Ἀρτέμιδος Τρικλαρίας ἐπίκλησιν, καὶ ἑορτὴν οἱ Ἴωνες αὐτῇ, καὶ παννυχίδα, ἦγον ἀνὰ ἔτος. *Ex Ionibus illi, qui Aroen, & Anthiam, & Mesatin habitant, erat domi templum & fanum Dianæ Triclariæ cognomento: & festum Iones ei ac pervigilium celebrabant quotannis.* Vide illic historiam festi, bene longam.

ΤΡΙΠΟΝΗΤΑΙ.

Ignotum festum. Hesychius. Τριπονῆται, ἑορτή τις. *Triponetæ; festum quoddam.* An corruptus locus, legendumque? Τριπονήτεια.

* *Male citabatur* ἐκτέμνουσιν.

ΤΡΙΤΟΠΑΤΟΡΕΙΑ.

His Athenienses pro liberorum generatione vota faciebant diis, qui Τριτοπάτορες ipsis nuncupati. Repræsentat festum eorum nobis Auctor Etymologici *in* Τριτοπάτορες. Φανόδημος δὲ φησὶν, ὅτι μόνοι Ἀθηναῖοι θύουσι καὶ εὔχονται αὐτοῖς (τοῖς Τριτοπάτορσιν) ὑπὲρ γενέσεως παίδων. *Phanodemus autem ait solos Athenienses immolare, & sacra facere illis (Tritopatribus) pro nativitate liberorum.* Hi ipsi sunt, qui Θεοὶ γενέθλιοι dicuntur ab Aristæneto *lib.* I. *epist.* XIX. Παιδοποιεῖν δὲ ἐκεῖνε πᾶσι τοῖς γενεθλίοις θεοῖς. *Liberos procreare ab illo tempore omnibus Genitalibus Diis*. Item a Sopatro, lib. *de Divis. Quæst.* ubi eundem hunc Atheniensium morem est observare. Ηὐχόμην γενέσθαι μοι παῖδα, καὶ πολλὰ τοὺς γενεθλίους ἐλιπάρουν θεοὺς πληρῶσαί μοι διὰ τάχους τὸ σπευδαζόμενον. *Optarem mihi nasci puerum, & multa obsecravi Genitales Deos implere mihi celeriter quod tam studiose cupiebam*. Vocanturque hic ab eo Θεοὶ γενέθλιοι, *Dei Genitales*, qui alibi Γενέσεως ἔφοροι δαίμονες, *nativitatis inspectores genii*, & θεοὶ, ab eodem Λέγων, γάμων, καὶ γενέσεως ἔφοροι δαίμονες. *Dicens, nuptiarum & puerperii inspectores genii*. Iterum: Τῶν γάμων θεοὶ, καὶ γενέσεως ἔφοροι. *Nuptiarum dii, & nascendi inspectores*. Latinis veteribus *Dii geniales* dicebantur.

ΤΡΟΦΩΝΙΑ.

Trophonio celebrabantur. Pollux *lib.* I. *cap.* I. *sect.* XXXII. ubi festa quædam enumerat. Ἀπόλλωνος, Δήλια· Ἑκάτης, Ἑκατήσια· Τροφωνίου, Τροφώνια. *Apollinis Delia; Hecatæ Hecatesia; Trophonii Trophonia.* Et quidem Lebadeæ, in Bœotia. Scholiastes Pindari *ad Olymp.* Od. VII. Τελοῦνται δὲ ἐν Βοιωτίᾳ διάφοροι ἀγῶνες. ἐν μὲν Θεσπιαῖς, τὰ Ἐρωτίδια. ἐν δὲ Πλαταιαῖς, τὰ Ἐλευθέρια. ἐν δὲ Λεβαδείᾳ, τὰ Τροφώνια. *Celebrantur vero in Bœotia diversi agones; Thespiis quidem Cupidinea; Platæis autem Liberalia; Lebadiæ vero Trophonia.*

ΤΥΠΑΙ.

Incertum festum, cujus mentio in Hesychii *Glossis* exstat. Τύπαι, ἑορτή τις. *Typæ, festum aliquod.*

ΤΥΡΒΗ.

Festum Bacchi apud Achivos. Pausanias *Corinthiacis*. Πρὸς δὲ τῷ Ἐρασίνου ταῖς κατὰ τὸ ὄρος ἐκβολαῖς Διονύσῳ καὶ Πανὶ θύουσι. τῷ Διονύσῳ δὲ καὶ ἑορτὴν ἄγουσι καλουμένην Τύρβην. *Apud Erasini ostia versus montem sacrificant Baccho & Pani: Baccho quidem etiam festum colunt, quod dicunt Tyrban.*

ΥΑΚΙΝΘΙΑ.

Celeberrimum apud Lacones festum. Meminit Thucydides *lib.* V. Ἐκέλευον δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι, πρὶν τέλος τι αὐτῶν ἔχειν, ἐς τὸ Ἄργος πρῶτον ἐπαναχωρήσαντας αὐτοὺς, δεῖξαι τῷ πλήθει, καὶ ἢν ἀρέσκοντα ᾖ, ἥκειν ἐς τὰ Ὑακίνθια, τοὺς ὅρκους ποιησομένους. *Jusserunt Lacedæmonii, priusquam finis aliquis his imponeretur, Argos primo secedentes ipsos, monstravisse multitudini, & siquidem ita placeret, occurrere ad Hyacinthia, jurejurando adigendi*. Philostratus in *Polluce, Sophist.* lib. II. Ποτὲ παρὰ Λακεδαιμονίοις Ὑακίνθια, καὶ παρὰ Κορινθίοις Ἴσθμια. *Aliquando apud Lacedæmonios Hyacinthia, & apud Corinthios Isthmia*. Herodotus *lib.* IX. Οἱ γὰρ δὴ Λακεδαιμόνιοι ὅρταζον τοῦτον χρόνον, καί σφι ἦν Ὑακίνθια. *Nam Lacedæmonii feriabantur illo tempore, erantque illis Hya-*

A *cinthia*. Et mox iterum: Ἐπελθόντες δὲ, ἔλεγον τάδε. Ὑμεῖς μὲν, ὦ Λακεδαιμόνιοι, αὐτοῦ τῇδε μένοντες Ὑακίνθιά τε ἄγετε καὶ παίζετε. *Advenientes igitur dixerunt ista: Vos quidem, Lacedæmonii, illic ita manentes, & Hyacinthia agite & ludite*. Plutarch. in *Aristide*. Ταῦτα ἀκούσαντες οἱ ἔφοροι, μεθ' ἡμέραν μὲν ἐδόκουν παίζειν καὶ ῥαθυμεῖν ἑορτάζοντες. ἦν γὰρ αὐτοῖς Ὑακίνθια. *His auditis ephori post diem quidem decernebant ludere & feriantes diffundi: erant enim illis Hyacinthia*. Amplissime vero totum hoc Hyacinthiorum festum e Polycratis *Laconicis* Didymus descripserat, a quo accepit Athenæus, quæ tradit *lib.* IV. Erat autem triduanum; & primo quidem

B die, ac tertio, quo occisum Hyacinthum deflebant, cœnabant sine ullis coronis, quod in aliis sacris solitum; neque panem appositum habebant, sed bellaria; neque hymnum deo item ullum canebant, sed a cœna ordinate discedebant: secundo autem maxima lætitia agitabatur, ludique & spectacula edebantur, puerique in tunicis præcincti citharam pulsabant, atque ad tibiam canebant. alii in equis exornatis per theatrum discurrebant, accedebant frequentes adolescentum cœtus, regionis suæ poemata quædam cantitantium; & permixti his saltatores, staticulos prisci moris dantes

C ad tibiam, & cantum; virgines quoque, pars in pilentis tectis vectæ, splendide instructis, pars in curribus agonisticis, pompam spectatum veniebant. Ac publicum tota urbe eo die gaudium erat; multæque passim hostiæ cædebantur; & urbani familiares, ac servos domesticos, ad cœnam vocabant. Locus Athenæi, qui nos hoc docet, ecce iste est: Πολυκράτης ἐν τοῖς Λακωνικοῖς ἱστορεῖ, ὅτι τὴν μὲν τῶν Ὑακινθίων θυσίαν οἱ Λάκωνες ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας συντελοῦσιν, καὶ διὰ τὸ πένθος τὸ γινόμενον περὶ τὸν Ὑάκινθον οὔτε στεφανοῦνται ἐπὶ τοῖς δείπνοις, οὔτε ἄρτον εἰσφέρουσιν, ἀλλὰ πέμματα, καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα διδόασι, καὶ τὸν εἰς τὸν θεὸν παιᾶνα οὐκ ᾄδουσιν, οὐδ' ἄλλο τι

D τοιοῦτον εἰσάγουσιν οὐδὲν, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις θυσίαις ποιοῦσιν. ἀλλὰ μετ' εὐταξίας πολλῆς δειπνήσαντες ἀπέρχονται. τῇ δὲ μέσῃ τῶν τριῶν ἡμερῶν γίνεται θέα ποικίλη, καὶ πανήγυρις ἀξιόλογος, καὶ μεγάλη. παῖδές τε γὰρ κιθαρίζουσιν ἐν χιτῶσιν ἀνεζωσμένοι, καὶ πρὸς αὐλὸν ᾄδοντες, πάσας ἅμα τῷ πλήκτρῳ τὰς χορδὰς ἐπιτρέχοντες, ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαίστῳ, μετ' ὀξέος δὲ τόνου τὸν θεὸν ᾄδουσιν. ἄλλοι δ' ἀφ' ἵππων κεκοσμημένων τὸ θέατρον διεξέρχονται, χοροί τε νεανίσκων παμπληθεῖς εἰσέρχονται, καὶ τῶν ἐπιχωρίων τινὰ ποιημάτων ᾄδουσιν, ὀρχησταί τε ἐν τούτοις ἀναμεμιγμένοι, τὴν κίνησιν ἀρχαϊκὴν ὑπὸ τὸν αὐλὸν, καὶ τὴν ᾠδὴν

E ποιοῦνται. τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ἐπὶ τῶν κανάθρων καμαρωτῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται, πολυτελῶς κατεσκευασμένων. αἱ δ' ἐφ' ἁμίλλαις ἁρμάτων ἐζευγμένων πομπεύουσιν. ἅπασα δ' ἐν κινήσει καὶ χαρᾷ τῆς θεωρίας ἡ πόλις καθέστηκεν· ἱερεῖά τε παμπληθῆ θύουσι τὴν ἡμέραν ταύτην. καὶ δειπνίζουσιν οἱ πολῖται πάντας τοὺς γνωρίμους, καὶ τοὺς δούλους τοὺς ἰδίους. οὐδεὶς δ' ἀπολείπει τὴν θυσίαν, ἀλλὰ κενοῦσθαι συμβαίνει τὴν πόλιν πρὸς τὴν θέαν. *Polycrates in Laconicis memorat, sacrificium Hyacinthiorum Laconas per triduum celebrare, & propter luctum, qui Hyacintho datur, nec coronari in cœnis, neque panem inferre, sed liba, & quæ his annexa, dare, nec pæana in Deum canere,*

F *neque aliquid quidquam tale inducere, prout in aliis sacrificiis faciunt; sed cum multa modestia cœnatos abire. Verum medio trium dierum esse spectaculum varium, & festivitatem memorabilem & magnam. Quippe & pueri citharam pulsant in tunicis altecincti, & ad tibiam canentes, omnes pariter plectro chordas percurrentes, in rythmo quidem anapæsto, sed cũ acuto tono Deum canũt. Alii autem ex equis adornatis theatrum transeunt, & chori adolescentum permulti ingrediuntur, ac quædam poematum vernaculorum canunt, saltatoresque his immixti, gesticulationem vetustam*

ad tibiam & cantum exhibent. Puellarum vero aliæ quidem sirpeis fornicatorum ex ligno curruum vehuntur, laute pretioseque adornatum; aliæ vero ad certamina curruum junctorum pompam ducunt. Omnis sane in discursu & lætitia spectaculi sacri urbs concitata est; eoque die numerosas hostias cædunt, civesque ad cœnam invitant omnes notos, atque etiam proprios servos. Nemo autem deserit hanc festivitatem, sed evacuari oportet urbem ad hæc solennia. In his verbis observa, quod dicat, cum summa lætitia, & voluptate, actum diei secundi festum. Ἅπασα δ' ἐν κινήσει καὶ χαρᾷ τῆς θεωρίας ἡ πόλις καθέστηκεν. *Omnis vero urbs in motu & lætitia hujus spectaculi sacri occupata est.* Hoc est, quod Philostratus dicit *de Vita Apollonii*, lib. VI. cap. X. Ξυνιᾶσιν, εἶπεν, ὥσπερ ἐς τὰ Ὑακίνθια, καὶ τὰς Γυμνοποδίας, θεασόμενοι ξὺν ἡδονῇ τε καὶ ὁρμῇ πάσῃ. *Conveniunt, ait, velut ad Hyacinthia & Nudipedalia, spectaturi cum voluptate & studio omni.* Et Nicephorus Gregoras *Hist. Rom.* lib. VIII. Καὶ τοῦτο παρέσχεν ἡμῖν ἡ παροῦσα πανήγυρις αἰτ' ἄλλης ἀνέσεως, καὶ τρυφῆς, πολλῷ γε ἥδιον ἢ Ἀθηναίοις καὶ Σπαρτιάταις, ὁπότε γε σφίσιν ἐπῄει τελεῖν πρὸ τοῦ ἄστεος, τοῖς μὲν τὰ Διάσια, τοῖς δὲ ἃ φασὶν Ὑακίνθια. *Et hoc præbuit nobis præsens festivitas pro alia remissione & luxu, multo prorsus dulcius quam Atheniensibus & Spartiatis, quando illis obveniebat peragere ante urbem, aliis quidem Jovialia, aliis vero quæ dicunt Hyacinthia.* Deinde ait, amicos, familiares, servosque, ab urbanis ad cœnam advocatos fuisse. Καὶ δειπνίζουσιν οἱ πολῖται πάντας τοὺς γνωρίμους, καὶ τοὺς δούλους τοὺς ἰδίους. *Et cives ad cœnam vocant omnes notos, etiam servos proprios.* Quo referendum, quod Theodoretus ait, *Therapeut.* VIII. Καὶ τὰ Ὑακίνθια δὲ οἱ Σπαρτιάται ἑορτὴν μεγίστην, καὶ δημοθοινίαν, ἐνόμιζον. *Et Hyacinthia vero Spartiatæ festum maximum & publicam voluptatem statuebant.* Sed nondum omnia de hoc festo narrat nobis Athenæus; neque enim quando celebrari solitum, neque a quibus, nec ubi etiam, nec in cujus honorem, scripto producit; deinde alia quoque omittit, quæ omnino addi oportuit. Ego hæc, alibi observata, hic edisseram. Celebratum igitur fuit mense, qui Lacedæmoniis Ἑκατομβεὺς nuncupatus. Hesychius. Ἑκατομβεὺς, μὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις, ἐν ᾧ τὰ Ὑακίνθια. *Hecatombeus mensis apud Lacedæmonios, in quo Hyacinthia.* Locus festi apud Amyclæos. Docet Xenophon *Hist. Græc.* lib. IV. Οἱ Ἀμυκλαῖοι ἀεί ποτε ἀπέρχονται εἰς τὰ Ὑακίνθια, ἐπὶ τὸν παιᾶνα. *Amyclæi adeo semper exeunt ad Hyacinthia, & ad pæanem.* Et quidem in Amyclæo, id est, Apollinis Amyclæi templo. Strabo *lib.* VI. Συνέκειτο μὲν δὴ τοῖς Ὑακινθίοις ἐν τῷ Ἀμυκλαίῳ συντελουμένου τοῦ ἀγῶνος, ἡνίκα τὴν κυνῆν περιθῇ ὁ Φάλανθος, ποιεῖσθαι τὴν ἐπίθεσιν. *Convenerat quidem festo Hyacinthiorum in Amyclæo dum peragitur agon, quando galeam imponeret Phalanthus, facere impetum.* Agitabatur vero in honorem Apollinis, & Hyacinthi. De Hyacintho innuit Athenæus, cum ait: Καὶ διὰ τὸ πένθος, τὸ γινόμενον περὶ τὸν Ὑάκινθον, οὔτε στεφανοῦνται ἐπὶ τοῖς δείπνοις, οὔτε ἄρτον εἰσφέρουσιν. *Et propter luctum, qui impenditur Hyacintho, neque coronantur in cœnis, neque panem inferunt.* Clare dicit Schol. Thucydidis *lib.* V. Ἐς τὰ Ὑακίνθια. εἰς τὴν ἑορτὴν τοῦ Ὑακίνθου. *Ad Hyacinthia, ad festum Hyacinthi.* De Apolline, Macrobius docet; cujus verba mox citabo. De utroque est locus Pausaniæ in *Laconicis*. Καὶ (ἐπῄει γὰρ Ὑακίνθια) ἀφίησι τοὺς Ἀμυκλαιεῖς οἴκαδε ἀπελθόντας, τὰ καθεστηκότα τῷ τε Ἀπόλλωνι καὶ Ὑακίνθῳ δρᾶσαι. *Et (appropinquabant enim Hyacinthia) dimittit Amyclaenses domum reversos, solemnia Apollini & Hyacintho celebrare.* Ac Hyacintho quidem primum inferias mittebant, inde Apollini sacra faciebant. Observare est alibi ex Pausaniæ ejusdem verbis, *libro citato*. Καὶ Ὑακινθίοις πρὸ τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας ἐς τοῦτον Ὑακίνθῳ τὸν βωμὸν διὰ θύρας χαλκῆς, ἐναγίζουσιν. *Et Hyacinthiis ante sacrificium Apollinis in hac ara Hyacintho per æream portam libamenta dabant.* Erantque hedera coronati. Macrobius *Saturnal.* lib. I. cap. XVIII. *Apud Lacedæmonios etiam in sacris, quæ Apollini celebrant, Hyacinthia vocantes, hedera coronantur, Bacchico ritu.* Negat vero Athenæus, pæanem illic cantatum fuisse. Καὶ τὸν εἰς τὸν θεὸν παιᾶνα οὐκ ᾄδουσιν. *Et pæana in Deum non canunt.* Verum ego contrarium tibi affirmabo. Ecce apud Xenophontem, in *verbis citatis*. Οἱ Ἀμυκλαῖοι ἀεί ποτε ἀπέρχονται εἰς τὰ Ὑακίνθια, ἐπὶ τὸν παιᾶνα. *Amyclæi semper omnino exeunt ad Hyacinthia, ad pæanem.* Et in eo præfectus chori in ordinem omnes redigebat, ac suum cuique locum adsignabat. Animadverto apud eundem Xenophontem, lib. *De Agesilao Rege*. Οἴκαδε ἀπελθὼν εἰς τὰ Ὑακίνθια, ὅπου ἐτάχθη ὑπὸ τοῦ χοροποιοῦ, τὸν παιᾶνα τῷ θεῷ συνεπετέλει. *Domum reversus ad Hyacinthia, ubi locabatur ab chori præside, pæana Deo simul celebrabat.* Sed concilio dissensum; & de primo ac tertio die Athenæum, qui luctus erant, de secundo Xenophontem dicere arbitror. Quin certamen quoque erat. Vides in Strabonis verbis, semel citatis. Τοῖς Ὑακινθίοις ἐν τῷ Ἀμυκλαίῳ συντελουμένου τοῦ ἀγῶνος. *Hyacinthiis in Amyclæo, quum perageretur agon.* Et in istis Lutatii *ad Statii Theb.* lib. IV. *Amyclæ, Laconiæ civitas, sacra Apollini, in qua Hyacinthus in agone celebratur.* Peragebantur vero singulis annis. Videre est apud Ovid. *Met.* lib. X.

— — celebrandaque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Illud quoque hic dicendum; Lacedæmonios, ut Timomachum honorarent, qui cum Ægidis bello contra Amyclæos suppetias ipsis tulisset, isto festo loricam ipsi æneam proposuisse. Invenio apud Scholiasten Pindari *Isthm.* Od. VII. Εἰσὶν Αἰγεῖδαι φατρία Θηβαίων. ἀφ' ἧς ἧκόν τινες εἰς Σπάρτην, Λακεδαιμονίοις βοηθήσοντες, ἐν τῷ πρὸς Ἀμυκλαιεῖς πολέμῳ, ἡγεμόνι χρησάμενοι Τιμομάχῳ, ὃς πρῶτος μὲν πάντα τὰ πρὸς πόλεμον διέταξε Λακεδαιμονίοις. μεγάλων δὲ παρ' αὐτοῖς ἠξιώθη τιμῶν. καὶ τοῖς Ὑακινθίοις δὲ ὁ χάλκεος αὐτοῦ θώραξ προτίθεται. *Ægidæ sunt tribus Thebanorum; unde quidam venerunt Spartam, Lacedæmoniis suppetias laturi, in bello contra Amyclaenses, præfecto usi Timomacho, qui primus bellicam disciplinam Lacedæmonios docuit; magnisque apud eos mactatur laudibus: etiam in Hyacinthiis pectorale illi æneum proponitur.*

ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ.

Argivi celebrabant novilunio mensis Hermæi ipsis dicti, in honorem Telesillæ; quæ, mulieribus ad arma vocatis, urbem fortiter contra regem Spartanum Cleomenem defendisset. In hoc autem festo mulieres tunicis chlamydibusque virilibus amictæ erant; viri vero muliebres peplos, ac vittas, gestabant. Plutarchus *de Virt. Mul.* Τὴν δὲ μάχην οἱ μὲν ἑβδόμῃ λέγουσιν ἱσταμένου μηνὸς, οἱ δὲ νουμηνίᾳ γενέσθαι τοῦ νῦν τετάρτου, πάλαι δὲ Ἑρμαίου παρ' Ἀργείοις, καθ' ἣν μέχρι νῦν τὰ Ὑβριστικὰ τελοῦσι, γυναῖκας μὲν ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσιν, ἄνδρας δὲ πέπλοις γυναικῶν καὶ καλύπτραις ἀμφιεννύντες. *Pugnam vero nonnulli septimo dicunt inchoati mensis, alii autem nova luna fuisse mensis nunc quarti, olim vero Hermæi apud Argivos, quo die etiam nunc peragunt Contumeliosa, fœminas quidem virilibus tunicis & chlamydibus, viros autem peplis mulierum ac vittis amicientes.* Et de hac ipsa re Polyænus *lib.* VIII.

Τοῦτο τὸ στρατήγημα τῶν γυναικῶν μέχρι νῦν Ἀργεῖοι τιμῶσι, νεμηνίᾳ μηνὸς Ἑρμαίου, τὰς μὲν γυναῖκας ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσι, τὰς δὲ ἄνδρας πέπλοις γυναικείοις ἀμφιεννύντες. *Hunc dolum fœminarum nunc quoque celebrant Argivi, novilunio mensis Hermæi, fœminas quidem virilibus tunicis & chlamydibus, viros vero peplis fœmineis vestientes*. Sacra autem Veneri tunc faciebant, sive Lunæ; nam eandem utramque putabant. Macrobius *Sat.* lib. III. cap. VIII. *Philochorus quoque in Atthide eandem (Venerem) affirmat esse Lunam; & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili*. Atque hoc Telesillæ fortiter factum, ejusque ob eam rem ἀποθέωσιν, ac festum, designat Lucianus in *Amoribus*. Οὐχ ἡ Σπαρτιάταις ἀνθωπλισμένη Τελέσιλλα, δι' ἣν ἐν Ἄργει θεὸς ἀριθμεῖται γυναικῶν Ἄρης. *Non illa contra Spartiatas armata Telesilla, propter quam in urbe Argo numen habetur fœminarum Mars*.

ΥΔΡΟΦΟΡΙΑ.

Apud Athenienses festum erat lugubre. Hesychius. Ὑδροφόρια, ἑορτὴ πένθιμος Ἀθήνησιν. *Hydrophoria vel Aquiferia, festum lugubre Athenis*. Institutum in memoriam eorum, qui diluvio interiissent. Etymologici Auctor. Ὑδροφόρια, ἑορτὴ Ἀθήνησι πένθιμος, ἐπὶ τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ ἀπολομένοις. *Hydrophoria, festum Athenis lugubre, propter illos qui in diluvio perierunt*. Quæ totidem verbis habes apud Suidam, & Apostolium, qui insuper Apollonium laudant auctorem. Etiam apud Æginetas festum hoc nomine erat; & certamen, quod mense, Delphinio ipsis dicto, peragebant in honorem Apollinis. Schol. Pindari *Nem.* Od. V. Μεὶς ἐπιχώριος (παρ' Αἰγινήταις) ὁ Δελφίνιος μὴν καλούμενος. καθ' ὃν τελεῖται Ἀπόλλωνος ἀγὼν, Ὑδροφόρια καλούμενος. *Mensis vernaculus (apud Æginetas) qui vocatur mensis Delphinius, quo peragitur agon Apollinis, quem vocant Hydrophoria*.

ΥΜΝΙΑ.

In Dianæ Hymniæ honorem celebrabant Orchomenii, & Mantinenses. Pausanias in *Arcadicis*. Ἐν δὲ τῇ χώρᾳ τῇ Ὀρχομενίων, ἐν ἀριστερᾷ τῆς ὁδοῦ τῆς ἀπὸ Ἀγχισίων, ἐν ὑπτίῳ τοῦ ὄρους, τὸ ἱερόν ἐστι τῆς Ὑμνίας Ἀρτέμιδος. μέτεστι δὲ αὐτοῦ καὶ Μαντινεῦσι. *In regione vero Orchomeniorum, ad sinistram viæ quæ fert ab Anchisiis, in supina parte montis, est templum Hymniæ Dianæ: sed & communicatur cum Mantinensibus*. Et mox. Τῇ δὲ Ἀρτέμιδι τῇ Ὑμνίᾳ καὶ ἑορτὴν ἄγουσιν ἐπέτειον. *Dianæ autem Hymniæ festum quoque celebrant anniversarium*.
*

ΦΑΓΗΣΙΑ, & ΦΑΓΗΣΙΠΟΣΙΑ.

Festum videtur fuisse appellatum, quod in eo egregie Genio indulgerent. Meminit Athenæus initio *lib.* VII. Ἐπιτελουμένης δὲ ἤδη τῆς δείπνου, τῶν Φαγησίων ἑορτὴν συντελεῖσθαι νομίσαντες οἱ Κυνικοὶ, πάντων μᾶλλονηὐφραίνοντο. *Jam autem perfecta cœna, Phagesiorum festum celebrari existimantes Cynici, omnium maxime exhilarabantur*. Et mox. παρά τινι εἴρηται Φαγήσια ἑορτὴ, καὶ Φαγησιπόσια. *Apud quem dictum est festum Phagesia, & Phagesiposia*. Deinde. Φαγήσια, οἱ δὲ, Φαγησιπόσια προσαγορεύουσι τὴν ἑορτήν. ἐξέλιπε δὲ αὕτη, καθάπερ ἡ τῶν ῥαψῳδῶν, ἣν ἦγον κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων. *Phagesia, alii vero Phagesiposia appellant festum. Sed istud evanuit, sicut & istud rhapsodorum, quod per Bacchanalia agebant*. Ejusmodi fuit etiam

* Hic interponi possent ΥΣΤΗΡΙΑ. Callimachus sive Zenodotus in Commentar. historicis apud Athenæ. *lib.* III. p. 96. Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια. *Argivi Veneri sues sacrificant, & festum vocatur Hysteria*.

ΦΑΓΩΝ.

Eustathius *ad Odyss.* φ'. Φάγων ἑορτὴ λέγεται, ὁποία καὶ ἡ παρὰ Κλεάρχῳ, τῷ Ἀριστοτέλους μαθητῇ. ὃς, καθὰ λέγει Ἀθήναιος, Φαγησίων ἑορτὴν ἱστορεῖ. κατὰ δέ τινας, Φαγησιποσίων. *Phagon festum dicitur quale & istud apud Clearchum Aristotelis discipulum, qui, sicut ait Athenæus, Phagesiorum festum memorat; sed secundum nonnullos Phagesiposiorum*.

ΦΑΜΜΑΣΤΡΙΑ.

Ignotum festum. Hesychius. Φαμμάστρια, τὰ ψαιστά. καὶ ἑορτή τις. *Phammastria, opera pistoria; & festum aliquod*.

ΦΕΛΛΟΣ.

In Bacchi honorem ab Atheniensibus agitabatur. Suidas *in* Φελλά. Καὶ ἑορτή τις περὶ τὸν Διόνυσον, Φελλὸς καλουμένη. *Et festum quoddam pertinens ad Bacchum, vocatum Phellus*. Et initium erat τῶν Διονυσίων. Schol. Aristophanis *ad Nubes*. Ἀλλὰ καὶ περὶ τὸν Διόνυσόν ἐστι τις ἑορτὴ τοῖς Ἀθηναίοις, Φελλὸς καλουμένη, ἥ τις τῶν Διονυσίων ἄρχεται. *Sed & circa Bacchum est aliquod festum Atheniensibus, quod vocatur Phellus, a quo initiantur Dionysia*.

ΦΕΡΕΦΑΤΤΙΑ.

Proserpinæ sacra, apud Cyzicenos, qui bovem deæ nigram immolabant. Plutarchus in *Lucullo*. Ἔοικε δὲ καὶ τὸ θεῖον ἐπιθαρρῦναι τοὺς Κυζικηνοὺς, ἀγασθὲν αὐτῶν τὴν ἀνδραγαθίαν, ἄλλοις τε σημείοις ἐναργέσι, καὶ τῶν Φερεφαττίων ἑορτῆς ἐνεστώσης, οἱ μὲν ἠπόρουν βοὸς μελαίνης πρὸς τὴν θυσίαν. *Videtur autem numen quoque confirmare Cyzicenos, venerans eorum virtutem, tum aliis indiciis manifestis, tum instante festo Proserpinæ, illi quidem carebant bove nigra ad sacrificium*. Appianus de iisdem, lib. *De Bellis Mithrid.* Σέβουσιν αὐτὴν (τὴν Κόρην) οἱ Κυζικηνοὶ μάλιστα θεῶν. ἐπελθούσης δὲ τῆς ἑορτῆς, θύουσι βοῦν μέλαιναν. *Colunt eam (Proserpinam) Cyziceni maxime Deorum. Accedente autem festo, sacrificant bovem nigram*.

ΦΩΣΦΟΡΙΑ.

Hesychius. Φωσφόρια, ἑορτή τις. *Luciferia, festum aliquod*. Celebrabantur autem Luciferi in honorem. Plutarchus lib. *Adversus Coloten*. Πῶς δὲ Φωσφόρια, Βάκχεια, Προτέλεια γάμων ἄξομεν, μὴ ἀπολιπόντες μηδὲ Βακχεῖς, καὶ Φωσφόρους. *Quomodo autem Luciferia, Bacchica, Prolusoria nuptiarum celebrabimus, nisi reliquerimus Bacchantes & Luciferos?*

ΧΑΛΚΕΙΑ.

Dictum mihi de hoc festo *Attic. Lect.* lib. IV. cap. XXIV. Et nunc hic repræsentabo, loco proprio. Agitabatur autem Athenis a manuariis artificibus universis, maxime vero omnium fabris; idque trigesimo die mensis Pyanepsionis. Etymologici Auctor. Χαλκεῖα, ἑορτὴ ἀρχαία, καὶ παλαιὰ, δημώδης. *Chalcia, vel Ærea, festum vetus & antiquum, publicum*. Harpocration. Τὰ χαλκεῖα, ἑορτὴ παρ

Αθlwαίοις, ἀγομένη Πυανεψιῶνος ἔνῃ ϗ νέᾳ, χειρώναξι κοινὴ, μάλιςα δὲ χαλκεῦσιν. ὡς φησὶν Απολλώνιος ὁ Αχαρνεὺς. Φανόδημος δὲ ἐκ Αθlwᾶ φησὶν ἄγεσθαι τὴν ἑορτὴν, ἀλλὰ Ηφαίςῳ. *Chalcia, festum apud Athenienses, quod celebratur Pyanepsionis die trigesimo, opificum commune, maxime vero fabrorum in ære; ut ait Apollonius Acharnensis. Phanodemus vero non Minervæ ait celebrari id festum, sed Vulcano.* Initio toti populo commune erat, postea vero ad artifices pertinere tantum cœpit: quia Vulcanus artem fabrilem in Attica instituisse ferebatur. Etymologici Auctor *loco citato*. Υςερον δὲ ὑπὸ μόνον ἤγετο τεχνιτῶν, ὅτι ὁ Ηφαιςος ἐν τῇ Αττικῇ χαλκὸν εἰργάσατο. *Postea ab solis celebrabatur opificibus, quia Vulcanus in Attica officinam æris exercuit.* Idem Eustathius docet *ad Iliad. β'.* Οτι δὲ πρῶτοι Αθlwαῖοι ἐχαλκεύργησαν, δηλοῖ ὁ εἰπὼν, ὅτι Χαλκεῖα ἑορτὴ ἀρχαῖα δημοτελὴς, ὕςερον δὲ ὑπὸ μόνων ἤγετο τῶν τεχνιτῶν ἔνῃ ϗ νέᾳ Πυανεψιῶνος, ἐπεί περ Ηραιςος ἐν τῇ Αττικῇ χαλκὸν εἰργάσατο. *Primos vero Athenienses tractavisse artem fabrilem, indicat dicendo, Chalcia fuisse festum vetus populare, postea vero ab solis celebratum opificibus postremo Pyanepsionis die, quoniam Vulcanus in Attica fabricavit ærea vasa.* Ac principio Minervæ quidem hoc festum sacrum; cum nimirum omnium commune esset, & Αθήναια quoque, ac Πάνδημον, diceretur. Accipio ex Suida, cujus ista verba. Χαλκεῖα, ἑορτὴ Αθήνησι δημώδης, ϗ ἀρχαῖα πάνυ. ἅτινες Αθήναια καλοῦσιν. οἱ δὲ, Αάνδημον· διὰ τὸ ὑπὸ πάντων ἄγεσθαι. *Chalcia, festum Athenis publicum & valde antiquum; quæ nonnulli Minervia vocant; alii vero publicum populi; quia ab omnibus celebratur.* Et Αθlwαια quidem, quia in Minervæ honorem celebrabatur, dictum fuit; Πάνδημον vero, quia omnium artificum commune esset; quibus ea dea tutelaris, unde & Εργάνη cognomento dicta. Postea cum fabris proprium esse cœpit, Χαλκεῖα appellatum: & Vulcano, eorum deo, consecratum. Hinc est apud Pollucem *lib.* VI. *c.* XXIV. Χαλκεῖα, ἐν τῇ Αττικῇ ἑορτὴ Ηφαίςου. *Chalcia, in Attica festum Vulcani.* Apud Scriptores veteres controversum fuisse video; Minervæ, an Vulcano, sacrum hoc festum: & hi Minervæ, illi Vulcano, adscribebant. Patet ex istis Harpocrationis verbis. Φανόδημος δὲ ἐκ Αθlwᾶ φησὶν ἄγεσθαι τὴν ἑορτlw, ἀλλὰ Ηφαίςῳ. *Phanodemus vero non Minervæ ait celebrari festum, sed Vulcano.* Sed cur Phanodemi testimonium profert contra Apollonium Acharnensem? quia scilicet ille dixerat, Minervæ sacrum. Hoc Harpocration sine dubio in verbis præcedentibus posuerat; ac facile apparet attento Lectori, mutilum hunc locum: nam, ut nunc quidem ille habet, nusquam hoc dicitur. Ergo excidit nomen Minervæ, quod repono, & rescribo, Χαλκεῖα, ἑορτὴ παρ Αθlwαίοις τῇ Αθlwᾷ ἀγομένη Πυανεψιῶνος ἔνῃ ϗ νέᾳ. *Chalcia, festum apud Athenienses celebratum Minervæ die postremo Pyanepsionis.* Ita demum integer locus; & posteriora verba antecedentibus, ad quæ referebantur, respondent. Porro dissensum recte conciliavimus; & alterum beneficium nobis antiquitas illustrata debet, alterum Harpocration restitutus. Præterea Menandri quoque quædam Fabula fuit, isto titulo. Harpocration *loco citato*. Γέγραπται δὲ Μενάνδρῳ δρᾶμα, Χαλκεῖα. *Scripta est ab Menandro comœdia, Chalcia.* Et laudat Athenæus *lib.* XI. Μένανδρος δὲ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Χαλκεῖα φησί.

——— τοῦτο δὴ τὸ νυῦ ἔθος
Ακρατον ἐβόων τlw μεγάλlw ψυκτῆρά τις
Προὔπινεν αὐτοὺς ἀθλίους ἀπολλύων.

Menander vero in fabula quæ inscribitur Chalcia dicit.

——— *Hic utique nunc mos*
Merum clamabant magnum psyctera quis
Propinavit illos miseros perdens?

Meminit quoque Stobæus *Serm.* CXV.

ΧΑΟΝΩΝ ΕΟΡΤΗ.

Nomen ignotum est. Meminit ejus Parthenius *Erot.* XXXII. Εορτῆς ποτὲ τοῖς Χάοσι δημοτελοῦς ἀγομένης, ϗ πάντων εὐωχουμένων. *Quum aliquando Chaonibus festum publicum celebraretur, & omnes essent hilares.*

ΧΑΡΙΛΑ.

Festum novennale, unum de tribus, apud Delphos. Plutarchus in *Quæst. Græc.* Τρεῖς ἄγουσι Δελφοὶ ἐννεατηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς. ὧν τlw μὲν, Σεπτήριον καλοῦσι. τlw δ', Ηρωΐδα. τlw δὲ, Χαρίλαν. *Delphi celebrant tria deinceps novennalia festa: quorum unum vocant Septerion vel Venerabile; alterum Heroida; tertium Charilan.*

ΧΑΡΙΣΙΑ.

Pervigiliis, & choreis, celebrabantur in honorem Gratiarum; quique diutissime pervigilasset, præmium placentam accipiebat. Eustathius *ad Odyss. Σ.* Ιςέον ὅτι ἐκ τῶν Χαρίτων Χαρίσια παρωνόμαςαι. παννυχίδες δὲ ταῦτα ἦσαν, ἐν αἷς πλεῖςον ὅσον χρόνον διηγρύπνουν χορεύοντες, ὅτε πυραμοῦς εἰς ἔπαθλον ἐδίδοτο τοῖς διαγρυπνήσασι. *Sciendum ab Charitibus denominata esse Charisia. Erant vero ista pervigilia, in quibus plurimum quantum temporis vigilabant choream ducentes, quando placenta præmium dabatur illis qui pervigilavissent.*

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ.

Celebrabant in memoriam restitutæ a Thrasybulo, ductis Phyla militibus, libertatis; idque Boedromionis die XII. Plutarchus *De Gloria Athen.* Τῇ δὲ δωδεκάτῃ, (Βοηδρομιῶνος) ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ἔθυον ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ. ἐν ἐκείνῃ γὰρ οἱ ἀπὸ Φυλῆς κατῆλθον. *Duodecimo autem die (Boedromionis) celebrabant ferias & supplicationes Libertatis: nam in eo illi ab Phyla descenderunt.*

ΧΕΙΡΟΠΟΝΙΑ.

Opifices celebrabant, & sacra faciebant. Hesychius. Χειροπόνια. ἑορτὴ, ἐν ᾗ τεχνῖται θύουσιν. *Cheiroponia; festum, in quo opifices sacrificant.*

ΧΕΛΙΔΟΝΙΑ.

Festum apud Rhodios, mense Boedromione celebratum; quo pueri circumeuntes stipem hirundini colligebant: quæ res Χελιδονίζειν dicta. Inter circumeundum autem cantabant hanc cantilenam.

Ηλθ' ἦλθε χελιδὼν, καλὰς
Ωρας ἄγουσα, ϗ καλοὺς ἐνιαυτούς.
Επὶ γαςέρα λευκὰ, κἀπὶ νῶτα μέλαινα.
Παλάθαν οὐ προκυκλεῖν ἐκ πίονος οἴκου,
Οἴνου τε δέπαςρον, τυροῦ τε κάνιςρον ϗ πυρῶν.
Χελιδὼν ϗ λεκιθίταν οὐκ απωθεῖται.
Πότερ' ἀπίωμες, ἢ λαβώμεθα;
Εἰ μέν τι δώσεις. εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἐάσομες.
Η τὰν θύραν φέρωμες, ἢ τὸ ὑπέρθυρον,
Η τὰν γυναῖκα τὰν ἔσω καθημέναν.
Μικρά μέν ἐςι, ῥαδίως μιν οἴσομες.
Αν δὴ φέρῃς τὶ, μέγα δή τι ϗ φέροις.
Ανοιγ' ἄνοιγε τὰν θύραν χελιδόνι,
Οὐ γὰρ γέροντες ἐσμὲν, ἀλλὰ παιδία.
Venit, venit hirundo, pulchras

Tempestates ducens, & pulchros annos.
Ventre candida, & in tergis nigra.
Ficuum massam non proferre ex pingui domo,
Et vini vasculum, & casei canistrum ac tritici?
Hirundo & croceum panem non aversatur.
Utrum abibimus, an accipiemur?
Si quidem aliquid dabis. sin, non sinemus.
Aut januam ferimus, aut limen superum,
Aut conjugem intus sedentem.
Exigua quidem est: facile eam feremus.
Quod si feras aliquid, magnum etiam quid feras,
Aperi, aperi januam hirundini.
Non enim senes sumus, sed pueruli.

Athenæus *lib.* VIII. Καὶ Χελιδονίζειν δὲ καλεῖται παρὰ Ῥοδίοις ἀγειρμός τις ἄλλος, περὶ οὗ Θέογνίν φησιν ἐν δευτέρῳ Περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν γράφων οὕτως. Εἶδός δέ τι τοῦ ἀγείρειν Χελιδονίζειν οἱ Ῥόδιοι καλοῦσιν, ὃ γίνεται τῷ Βοηδρομιῶνι μηνί. Χελιδονίζειν δὲ λέγεται, διὰ τὸ εἰωθὸς ἐπιφωνεῖσθαι,

Ἦλθ' ἦλθε χελιδών.

Et Chelidonizein, facere more hirundinis, apud Rhodios vocatur corrogatio quædam alia, de qua Theognis dicit in secundo de Sacrificiis in Rhodo fieri solitis ita scribens: Speciem quandam colligendi vocant Rhodii Chelidonizein, quod fit mense Boedromione. Appellatur vero Chelidonizein, quia solitum est acclamari,

Venit, venit hirundo.

Et quæ sequuntur, jam a nobis recitata. Eustathius extremo Commentario *ad Odyss.* φ'. Χελιδονίζειν παρὰ Ῥοδίοις (ita legendum, non Ῥωμαίοις, recte visum etiam magno Casaubono) ἦν ἀγειρμὸς γινόμενος Βοηδρομιῶνι μηνί, καλούμενος οὕτω, διὰ τὸ εἰωθὸς τηνικαῦτα ἐπιφωνεῖσθαι, Ἦλθ' ἦλθε χελιδών. *Chelidonizein apud Rhodios erat corrogatio fieri solita mense Boedromione; sic vocata, quia tunc solitum acclamari, Venit, venit hirundo.* Ac pueri illi Χελιδονισταὶ nuncupati. Eustathius *loco citato.* Καὶ οὗτοι μὲν πάντες Χελιδονισταί. *Et illi quidem omnes Chelidonistæ.* Hesychius. Χελιδονισταί, οἱ τῇ χελιδόνι ἀγείραντες. *Chelidonistæ, qui hirundini colligunt.* Institutum vero fuit a Cleobulo Lindio, cum aliquando pecunia Lindiis opus esset. Athenæus *loco citato.* Τὸν δὲ ἀγειρμὸν τοῦτον κατέδειξε πρῶτος Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος, ἐν Λίνδῳ χρείας γενομένης συλλογῆς χρημάτων. *Hanc colligendi rationem monstravit Cleobulus Lindius, quum Lindi esset necessitas colligendæ pecuniæ.*

ΧΘΟΝΙΑ.

Hermionenses agitabant in honorem Cereris τῆς Χθονίας. Pausanias in *Corinthiacis*; Χθονίαν δὲ (φασι) κομισθεῖσαν ἐς Ἑρμιόνα ὑπὸ Δήμητρος, Ἑρμιονεῦσι ποιῆσαι τὸ ἱερόν. Χθονία δ' οὖν θεός τε αὕτη καλεῖται, καὶ Χθόνια ἑορτὴν κατὰ ἔτος ἄγουσιν ὥρᾳ θέρους. ἄγουσι δὲ οὕτως. *Chthoniam vero (dicunt) devectam in urbem Hermionem ab Cerere, fecisse templum Hermionensibus. Itaque & hæc Dea Chthonia,* id est, *terrestris, vocatur, & festum Chthonia celebrant quotannis tempore æstatis. Celebrant vero ita.* Et prolixe in sequentibus narrat totam festi celebrationem. Ælianus *De Hist. Anim.* lib. XI. cap. IV. Τὴν Δήμητρα Ἑρμιονεῖς σέβουσι, καὶ θύουσιν αὐτῇ μεγαλοπρεπῶς τε καὶ σοβαρῶς. καὶ τὴν ἑορτὴν Χθόνια καλοῦσι. Μεγίστας οὖν ἀκούω βοῦς ὑπὸ τῆς ἱερείας τῆς Δήμητρος ἄγεσθαι τε πρὸς τὸν βωμὸν ἐκ τῆς ἀγέλης, καὶ θύειν ἑαυτὰς παρέχειν. καὶ οἷς λέγω, μάρτυς Ἀριστοκλῆς, ὅπου φησί.

Δάματερ πολύκαρπε, σὺ κ' ἐν Σικελοῖσιν ἐναργὴς
Καὶ παρ' Ἐρεχθείδαις. ἓν δέ τι τοῦτο μέγα
Κρίνετ' ἐν Ἑρμιονεῦσι. τῆς ἐξ ἀγέλης γὰρ ἀφειδῆ
Ταῦρον, ὃν οὐκ αἴρουσ' ἀνέρες οὐδὲ δέκα,
Τοῦτον γραῦς στείχουσα μόνη μόνον οὔατος ἕλκει
Τόνδ' ἐπὶ βωμόν. ὁ δ' ὡς ματέρι παῖς ἕπεται.
Σὸν τόδε, Κάματερ, σὸν τὸ σθένος, ἵλαος εἴης.
Καὶ πάντων θάλλοι κλῆρος ἐν Ἑρμιόνῃ.

Cererem Hermionenses colunt, & magnifice illi splendideque sacrificant; & festum ejus vocant Chthonia. Maximas igitur audio boves ab sacerdote Cereris duci ad aram ex grege, & præbere se mactandas; & quæ dico, eorum testis Aristocles, ubi inquit:

O Ceres fertilis, tu & in Siculis manifesta,
Et apud Erechthidas: unum vero hoc magnum
Judicatur apud Hermionenses: ex grege namque sibi non parcum
Taurum, quem non tollant viri vel decem,
Hunc vetula incedens sola solum aure trahit
Ad hanc aram; ille autem ut matrem puer sequitur.
Tuum istud, o Ceres, tuum hoc robur; propitia sis,
Et omnium floreat census in Hermione.

ΧΙΤΩΝΙΑ.

Dianæ Chitonæ, sive Chitoniæ, sacra in Atticæ populo Chitona. Schol. Callimachi *Hymno in Dianam.* Ἑορτῆς τελουμένης τῇ Ἀρτέμιδι ἐν τῇ Χιτώνῃ. ἔστι δὲ δῆμος Ἀττικῆς, ἀπελθὼν εὗρε δρῦν, πάμπολλον καὶ διάφορον ἔχουσαν ἠρτημένον καρπόν. *Quum festum coleretur Dianæ in Chitone. (est autem populus Atticæ) discedens reperit quercum, quæ habebat copiosum & multiplicem dependentem fructum.* Celebrabant quoque in Sicilia Syracusani, cum saltatione propria. Athenæus *lib.* XIV. Παρὰ δὲ Συρακουσίοις καὶ Χιτωνίας Ἀρτέμιδος ὄρχησίς τίς ἐστιν ἴδιος, καὶ αὔλησις. *Sed apud Syracusanos etiam Chitoniæ Dianæ saltatio quædam peculiaris est, ac tibicinium.* Meminit Epicharmus, poeta Siculus, in *Sphinge*, apud Stephanum *in* Χιτώνη.

——— καὶ τὸ τᾶς
Χιτωνίας αὐλησάτω τίς μοι μέλος.
——— *& illam*
Chitoniæ cecinit tibia quidam mihi cantilenam.

In corruptum incidit codicem Hesychius, cujus in litera Κ ista est glossa. Κιθωνέα, ἐπίθετον Ἀρτέμιδος. *Cithonea, appellativum Dianæ.*

ΧΛΟΕΙΑ.

De hoc festo corruptus est Hesychii locus. Χλοιά, ἑορτή, ἀπὸ τῶν.... κάλπων. *Chloa festum ab.....ollis.* Rescribo, Χλόεια, ἑορτή, ἀπὸ τῶν καρπῶν. *Chloia festum ab fructibus.* Non dubito, quin festum fuerit Cereris τῆς Χλόης, cujus fanum in Attica fuisse commemorat Eustathius *Iliad.* ι. Οὐ μόνον χλόη, ἡ γῆθεν φυομένη, ἀφ' ἧς εἴρηται ὁ χλοῦνης. ἀλλὰ καὶ ἡ Δημήτηρ, ἐπιθετικῶς. Χλόης γάρ φασι Δήμητρος ἱερὸν παρά που τῆς Ἀττικῆς. *Non tantum Chloa, herba virescens, enata ex terra, unde dicitur chlounes, in gramine ut cubili jacens; sed & Ceres, adjective; Chloæ enim Cereris dicunt templum alicubi per Atticam.* Immo Athenis erat, ante arcem. Meminit Pausanias in *Atticis*. Ἔστι δὲ καὶ Γῆς Κουροτρόφου, καὶ Δήμητρος ἱερὸν Χλόης. *Est vero etiam Terræ alimentis virentis & liberos alentis, ac Cereris templum Chloæ.* Atque hæc ipsa est, quæ Εὔχλοος dicitur Sophocli *Oed. Col.*

Τὼ δ' Εὐχλόου Δήμητρος ἐς ἐπόψιον
Πάγον μολοῦσα, ———
Illæ autem bene virentis Cereris in conspicuum
Tumulum meantes, ——— ———

Ubi Scholiastes. Εὐχλόου Δήμητρος ἱερόν ἐστι πρὸς τῇ ἀκροπόλει. *Bene virentis Cereris templum est prope arcem.* Celebrabatur hoc festum vere. Phurnutus. Περὶ δὲ τὸ ἔαρ Δημήτρι Χλόῃ θύουσι, μετὰ παιδιᾶς, καὶ χαρᾶς, ἰδόντες χλοάζοντα, καὶ ἀφθονίας αὐτοῖς ἐλ-

πίδα ἐπιδεικνύντα. *Circa ver autem Cereri Chloæ ſacrificant cum luſu & lætitia, videntes virentia & oſtendentia ipſis ſpem abundantiæ*. Ita emendo; non recte editur, Δημήτερι χλόλω θύουσι. *Cereri gramen ſacrificant*. Et quidem die ſexto menſis Thargelionis, qui reſpondet Romanorum Aprili; erratque Scholiaſtes idem, *loco citato*, qui Septembrem eſſe autumat. Οὕτω δὲ τιμᾶται ἐκ τῆς τῶν κήπων χλόης. θύουσι γὰρ αὐτῇ Θαργηλιῶνος ἕκτῃ, ἤτοι Σεπτεμβρίου. *Sic autem colitur ex hortorum viriditate: nam ſacrificant illi die ſexto Thargelionis, vel, Septembris*. Immolabant autem arietem. Obſervare eſt in iſtis verſibus Eupolidis in *Marica*.

Ἀλλ' εὐθὺ πόλεως εἶμι, θῦσαι γάρ με δεῖ
Κριὸν Χλόῃ Δήμητρι. ——
Sed recta ad urbem eo, ſacra facere enim me oportet
Arietem Chloæ Cereri.

Χ Ο Ε Σ.

Vide Ἀνθεστήρια.

Χ Ο Λ Α Σ.

Bacchi feſtum erat. Heſychius. Χολὰς, ἑορτὴ Διονύσου. *Cholas, feſtum Bacchi*.

Χ Υ Τ Ρ Ο Ι

Vide Ἀνθεστήρια.

ΩΜΟΦΑΓΙΑ.

Baccho celebrabantur. Arnobius *lib*. v. *Bacchanalia etiam prætermittimus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum eſt. in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque, ut vos plenos dei numine ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis*. Clemens *Protreptico*. Διόνυσον Μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐάν. *Bacchum inſanientem colunt Bacchi, crudivora eſca demonſtrantes ſacram inſaniam, & perficiunt viſcerationes cædium, coronati ſerpentibus, exulantes Euan*. Prudentius *contra Symmachum* lib. I.

—— *Baccho caper omnibus aris*
Cæditur, & virides diſſcindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt. ——

Ω Ρ Α Ι Α.


Heſychius. Ὡραῖα, ἡμέρα, ἢ ἑορτή. *Tempeſtiva, dies, vel feſtivitas*. Sacra quoque tunc faciebant, primitias frugum uniuſcujuſque anni temporis offerentes. Idem Heſychius. Ὡραῖα θύειν, τελετή τις. ἐν ᾗ τῶν ὡραίων ἁπάντων ἐγίνοντο ἀπαρχαί. *Tempeſtiva immolare, ſolennitas quædam; in qua omnium tempeſtivorum fructuum fiebant primitiæ*. Fuerit ſine ullo dubio Horarum feſtum, idque nomen ſatis loquitur; & iiſdem Athenienſes ſacra feciſſe, precantes deas, ut nimios æſtus, ſiccitateſque, arcere vellent; moderatum vero calorem, & pluvias tempeſtivas darent; nihilque in illis aſſum fuiſſe, ſed elixa e contra omnia, Athenæus nobis auctor luculentus, *lib*. XIV. Ἀθηναῖοι δ', ὥς φησι Φιλόχορος, ταῖς Ὥραις θύοντες, οὐκ ὀπτῶσιν, ἀλλ' ἕψουσι τὰ κρέα, παραιτούμενοι τὰς θεὰς, ἀπείργειν τὰ περισκελῆ καύματα, καὶ τοὺς αὐχμοὺς, μετὰ δὲ τῆς συμμέτρου θερμασίας καὶ ὑδάτων ὡραίων, ἐκτελεῖν τὰ φυόμενα. *Athenienſes vero, ut ait Philochorus, Horis, vel anni tempeſtatibus, ſacra facientes non aſſant, ſed coquunt carnes, impetraturi ab Deabus, ut avertant nimios & exurentes calores, ardoreſque ſiccos, ſed cum temperata apricitate & aquis tempeſtivis conſummare naſcentia*. Fieri autem ſolita hæc ſacra ſingulis anni temporibus, vere, æſtate, autumno, hieme, colligere licet ex altero Heſychii loco. Ὡραῖα, νεκύσια· οἱ δὲ, δαιμόνια. τάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἐκ γῆς ὡραίων, καὶ ἐπὶ τῶν καθ' ὥραν συντελουμένων ἱερῶν. *Tempeſtiva, funebria. alii autem genialia. Ponitur vero etiam de fructibus temporum anni ex terra, & de ſacris, quæ quolibet tempore celebrantur*. Item iſto. Ὡραῖον, καίριον, καὶ τὸ ἱερεῖον, τὸ θῦμα, τὸ καθ' ὥραν. *Tempeſtivum, oportunum, & victima, libamentum, & quod in tempore*.

ADDENDUM col. 811.

Hic poſſet inferi ΛΑΜΠΑΔΟΔΡΟΜΙΚΟΣ ex Pindari Scholiaſte pag. 115. Γίνεται οὖν τῆς Ἀθηνᾶς ἑορτὴ ἐν Κορίνθῳ, ἐν ᾗ καὶ ὁ ἀγὼν τελεῖται καλούμενος Λαμπαδοδρομικὸς, ἐν ᾧ ἔτρεχον οἱ νεανίαι, λαμπάδας κρατοῦντες. *Agitur ergo feſtum Minervæ Corinthi, in quo etiam certamen celebratur, quod vocatur Lampadocurſorium, in quo currebant adoleſcentes, tenentes lampadas*.

F I N I S.

Ab his


ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΩΝ ΗΜΕΡΑ ϛ Β

Ab his abesse nequeunt munera annorum; qui sequuti sunt Meursianam editionem: in quibus prima est Inscriptio marmoris Arundelliani, quod nunc inædificatum exstat Theatro Sheldoniano Oxonii; editaque est cum commentariis ab Cl. Seldeno.

Γ. Αντ. ΣεπτΙΜΙΟΣ ΠΟΠΛΙΟΣ	*C. Ant. Septimius Publius*
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΣ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟΣ	*Pergamenus & Smyrnæus & Atheniensis*
ΗΑΙ ΕΦΕΣΙΟΣ ΚΙΘΑΡΩΔΟΣ ΜΟΝΟΣ ΚΑΙ	*Et Ephesius citharœdus, qui solus &*
ΠΡΩΤΟΣ ΤΟΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ ΝΙΚΗΣΑΣ	*Primus omnium ab ævo vicit*
ΤΟΥΣ ΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΣ ΑΓΩΝΑΣ	*Infrascripta certamina*
ΣΜΥΡΝΑΝ ΟΛΥΜΠΙΑ Η ΚΑΙ Ι ΑΔΡΙΑΝΙΑ	*Smyrnam Olympia octies & decies, Hadriania*
ΡΩΜΗΝ Β ΠΟΤΙΟΛΟΥΣ Β ΝΕΑΝΠΟ	*Romam bis, Puteolos bis, Neapo-*
ΛΙΝ Γ ΑΚΤΙΑ Β ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΥΣ ΑΣ	*lin ter, Actia bis, ex Argo cly-*
ΠΙΔΑ ΝΕΜΙΑ Γ ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΘΕΞΗΣ	*peum, Nemia ter, omnia deinceps continue*
ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ ΠΕΡΓΑ	*Smyrnam commune Asiæ, Perga-*
ΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ	*mum Augustea ter, Trajania*
ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β ΠΥΘΙΑ	*Æsculapia Comodia bis Pythia*
ΤΑ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ ΕΦΕΣΟΝ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ	*Quæ in Delphis, Ephesum Hadriaa*
ΕΦΕΣΟΝ ΕΦΕΣΗΑ ΒΑΡΒΙΛΛΗΑ	*Ephesum Ephesea Barbillea*
ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΑΘΗΝΑΣ	*Epidaurum Æsculapia Athenas*
ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ ΣΑΡΔΕΙΣ ΧΡΥΣΑΝΘΙ	*Hadriania Sardes Chrysanthi-*
ΝΟΝ ΤΡΑΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ ΜΕΙΛΗ	*num, Tralles Pythia, Mile-*
ΤΟΝ ΔΙΔΥΜΕΙΑ ΡΟΔΟΝ ΑΛΕΙΑ Β	*tum Didymea, Rhodum Solaria bis*
ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΑ ΜΑΝΤΙΝΕΙΑΝ	*Lacedæmona, Mantinean*
ΘΕΜΑΤΙΚΟΥΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΛΑΝΤΙΑΙΟΥΣ	*Pecuniaria vero & talentis honorata*
ΠΑΝΤΑΣ ΟΣΟΥΣ ΗΓΩΝΙΣΑΤΟ	*Omnia quotquot certavit*
ΥΠΟ ΦΩΝΑΣΚΟΝ Γ. ΑΙΛ. ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΝ	*Sub Phonasco C. Ælio Agathemero*
ΕΦΕΣΙΟΝ ΚΑΙ ΣΜΥΝΑΙΟΝ ΚΑΙ	*Ephesio & Smyrnæo &*
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ ΚΙΘΑΡΩΔΟΝ ΙΕΡΟΝΕΙ	*Pergameno citharœdo, sacrorum certaminum*
ΚΗΝ ΚΑΙ ΜΕΛΟΠΟΙΟΝ ΕΝΔΟΞΟΝ ΠΕΡΙ	*Victore & cantuum auctore claro pe*
ΠΑΝΤΑ ΕΥΝΟΥΝ ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ ΩΣ ΦΥΣΕΙ	*Omnia benevolo tanquam natura*
ΠΑΤΕΡΑ.	*Patre.*

Sed & Cl. Sponius Megaris incidit in duos lapides, quorum alteri insculpta hæc erant.

ΟΛΥΜΠΙΑ	ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ	*Olympia*	*Panellenia*
ΕΝ ΠΕΙΣΗ	ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ	*in Pisa,*	*in Athenis*
ΠΥΘΙΑ ΕΝ	ΕΛΕΥΣΙΝΙΑ	*Pythia in*	*Eleusinia*
ΔΕΛΦΟΙΣ Β	ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ Γ	*Delphis bis,*	*In Athenis ter*
ΝΕΜΕΙΑ ΕΝ ΑΡ	ΗΡΑΚΛΕΙΑ ΕΝ ΘΗ	*Nemea in Ar-*	*Heraclea in The-*
ΓΕΙ Γ	ΒΑΙΣ	*go ter*	*bis*
ΙΣΘΜΙΑ Β	ΤΡΟΦΩΝΕΙΑ	*Isthmia bis*	*Trophonia*
ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ	ΕΝ ΛΕΒΑΔΕΙΑ Β	*Panathenæa*	*in Lebadia bis*
ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ Β	ΕΛΕΥΘΕΡΕΙΑ	*in Athenis bis*	*Liberalia*
ΟΛΥΜΠΙΑ Α	ΕΝ ΠΛΑΤΕΑΙΣ	*Olympia in A-*	*in Plateis*
ΘΗΝΑΙΣ	ΤΗΝ ΕΞ ΑΡΓΟΥΣ	*thenis*	*ex Argo*
	ΑΣΠΙΔΑ.		*Clypeum.*

Alteri autem sequentia:

ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΕΙ	ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ ΕΝ	*Pythia in Mi-*	*Æsculapia in*
ΛΗΤΩ	ΕΠΙΔΑΥΡΩ	*leto*	*Epidauro*
ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΑΓΝΗ	ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ ΕΝ ΡΩΜΗ	*Pythia in Magne-*	*Capitolina in Roma*
ΣΙΑ	ΑΘΗΝΑΣ ΠΡΟΜΑΧΟΥ	*sia*	*Minervæ Propugna-*
			tricis
ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ΕΝ	ΕΝ ΡΩΜΗ Δ	*Communia Asiæ in*	*In Roma quater*
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ	ΕΥΣΕΒΕΙΑ ΕΝ ΠΟΤΙΟ	*Philadelpia*	*Pia in Puteo-*
ΑΚΤΙΑ ΕΝ ΝΕΙΚΟ	ΛΟΙΣ	*Actia in Nico-*	*lis*
ΠΟΛΕΙ Β		*poli bis*	
ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΣΙΔΗ Β	CΕΒΑΣΤΑ ΕΝ ΝΕΑΠΟΛΕΙ	*Pythia in Side bis*	*Augusta in Neapoli.*
ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΠΕΡΓΗ Δ		*Pythia in Perge quater*	
ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΘΕΣΣΑ		*Pythia in Thessa-*	
ΛΟΝΕΙΚΗ.		*lonice.*	

Præterea idem Cl. Vir hanc Athenis notavit ad Panagiam GorgopiKo:

ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ	*Marcus Tullius*
ΑΠΑΜΕΥΣ ΤΗΣ ΒΙΘΥΝΙΑΣ ΑΘΗΝΑΙ	*Apamensis Bithyniæ Athenien-*
ΟΣ ΚΟΡΙΝΘΙΟΣ ΖΜΥΡΝΑΙΟΣ ΜΟΝΟΣ	*sis Corinthius Smyrnæus solus*
ΚΑΙ ΠΡΩΤΟΣ ΤΩΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ ΠΥΚΤΩΝ	*& primus qui fuerint ab ævo pugilum*
ΝΕΙΚΗΣΑΣ ΚΑΤΑ ΤΟ ΕΞΗΣ ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ	*qui vicit continenter Panellenia*
ΟΛΥΜΠΙΑ ΙΣΘΜΙΑ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ ΡΩΜΗ...	*Olympia, Isthmia, Hadriania Roma..,*
ΟΛΥΜ ΔΙΣ ΝΕΜΕΙΑ Α	*Olym bis Nemea semel*
ΠΙΑ	*pia*
ΑΘΗΝ ΔΙΣ ΙΣΘΜΙΑ	*Athen bis Isthmia*
ΝΕΑΝ ΑΘΗ.. ΑΘΗ..	*Nea Athe Athe*
ΠΟΛΙΝ	*polin.*
ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ	*Smyrnam Commune*
ΑΣΙΑΣ	*Asiæ*
ΕΦΕ	*Ephe*
....	
ΕΝΕΙΚΑ ΔΕ ΘΕΜΑΤΙΚΟΥΣ ΚΑΙ ΤΑΛΑΝΤΙ	*Vicit autem pecuniaria & talen-*
ΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΠΕΝΤΕ ΕΤΕΛΕΥ	*ti præmio constantia certamina* XXXV. *mor-*
ΤΑ ΕΤΩΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ ΜΗΝΩΝ ΤΡΙΩΝ	*tuus est annorum triginta duorum, mensium trium*
ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΕΥΤΥΧΗΣ	*Marcus Tullius Eutyches*
ΕΠΟΙΕΙ....ΑΔΕΛΦΟΣ....	*Faciebat .... frater .....*
ΤΟΠΟΝ ΕΔΩΚΕ ΚΛΕΙΤΟΡΙΣ.	*Locum dedit Clitoris.*

Ex his Inscriptionibus quum varia sacrorum aut festorum nomina procedente tempore in Græciam invecta & Meursio ignorata cognoscantur, ab viris doctis etiam affatim illustrata; tum oportet hic moneri de explicatione notarum, quæ in versu sexto exhibentur ab Seldeno vel tales Η ͞ϛ Ι 7, vel tales Η ͞ϛ Ι 7, describuntur autem ad hunc modum (*prima earum ita typis repræsentari debuit, ut superior, quæ transversa est linea, sinistro τῶ* Η *apici conjungeretur, ac si* Τ *&* Η *in unum coaluissent. De secunda figura, quæ sive τῷ ἐπισήμῳ* ϛ *sive Hebraico* ל *non prorsus est dissimilis, & non semel in sequentibus etiam iterari videtur, vide Gruterum in Inscriptionibus pag.* 585.) Ex qua descriptione non mirum est nihil aliud sequi, nisi ut fateatur se plane cæcutire & nodum sibi esse inextricabilem. Nec postea Oxonienses quidquam adjuvare laborant. Ego prout vides, illa sic explanare non dubitavi, ansam securissimam nactus ex consideratione illius notæ, quam in fine velut septenarii numeri instar affingunt, nimis profecto ampliatum & productum in istis editionibus, ex quo errore extricare nemo se potest, nisi qui ipsum lapidem viderit. Hunc igitur quum Oxonii inspicerem, etsi pars prior a me legi amplius non potuit, tamen notavi post voces ΕΠΙΔΑΥΡΟΝ, ΣΑΡΔΕΙΣ, ΤΡΑΛΛΕΙΣ positam fuisse hujusmodi triangularem incisionem, nihil aliud indicaturam, nisi esse illic vocis exitum. Hanc ipsam notam mihi propono etiam literæ Ι ab proximo appositam, temere ab Seldeno consideratam; quum tantummodo esset vel nota finitæ sententiæ vel intervalli ac discriminis inter literam Ι & vocem ΑΔΡΙΑΝΙΑ. Unde quum in ista litera deprehenderem δεκάκις, promptum fuit colligere etiam monstrosa alioquin præcedentia, quum notarent ὀκτάκις κὴ δεκάκις.

Quin etiam quum suo ordine & loco curarem poni Ταυροκαθάψια, qui tamen commodus non erat ad aliquid observandum in ludis tamdiu subobscure cognitis ex indicio Suetonii & Plinii, sed per hunc lapidem conspectui denique ad liquidum velut per instaurationem exhibitis; fateri cogor me erubuisse, quum viderem illic unius doctissimi omnino viri allegare verba quibus jamdiu testatus fuit nec de die Ταυροκαθαψίων, nec de voce alibi quam in hoc marmore unquam legisse. Nec tantum; sed & hodiernus Interpres sustinet denunciare, quamvis *nec de die Ταυροκαθαψίων, nec de voce in aliquo auctore legamus*. Quod ut de suis forsan testari potest, ita de eruditis nequivit, quum exstet Glossarium, in quo edidit Vulcanius *Pile*, Ταυειδειοι, Ταυροκαθάπται. Quod citans Ill. Scaliger *ad Festum* exhibet *pilæ*. At non minus Ill. Salmasius *ad Historiam Augustam*, *pilæ tarariæ*, Ταυροκαθάπται corrigendum judicavit. Quod qualecunque sit, ut vox facti & rei ipsius explicatrix abolita est ex nostris libris; ita proximam, quæ ipsos artifices notaret, non fuisse ignoratam & ab notitia absconditam declarat; quæ quantum ab altera distat? egregie simul indicans hanc Thessalicam vocem, quæ inde permanavit cum ipsa ludi solennitate in Asiam, porro circumvagatam esse ad similem taurorum exstimulationem, quæ non utique ab vivis & equitantibus, sed ab simulacris fieret, ut illi docuerunt.

JOHANNIS JONSTONII

DOCTORIS MEDICI

DE

FESTIS GRÆCORUM

SCHEDIASMA.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIOR.

PARS POSTERIOR.

JOHANNIS JONSTONII

DOCTORIS MEDICI

DE

FESTIS GRÆCORUM SCHEDIASMA:

PARS I.

DE

FESTIS DEORUM ET HEROUM APUD GRÆCOS.

CAP. I.

De Festis Jovis.

FEsta apud Græcos Diis vel Deabus, Heroibus & Heroinis sacrata erant. Inter Deos sunt Juppiter, Apollo, Bacchus, Mercurius, Neptunus, Vulcanus, Saturnus, Priapus, Cupido, &c.

Jovis festa sunt, 1. Αμμαλῶ, 2. Δαίδαλα, 3. Διάσια, 4. Διιπόλια, 5. Διόμεια, 6. Εκατομφόνια, 7. Ιθώμαια, 8. Ελευθέρια, 9. Μαιμακτήρια, 10. Ολύμπια, 11. Ομολώϊα, 12. Πάνδια, 13. Σαβάζια, 14. Ταλαιδίτης.

1. Αμμαλῶ Hesychius Jovi fuisse agitatum scribit. Quid in eo actum ignoratur.

2. Δαίδαλα Pausan. in *Bœoticis*, a Bœotis & Platæensibus celebrabantur. Origo, Junonis in Eubœam a Jove secessus, quam Juppiter ex consilio Cithæronis Platæensium Principis, simulachro ligneo quod in curru tectum pro Platæa Asopi filia sibi quasi desponsata circumducebat, deceptam, fraude lætam reduxit. Exponebant in querceto Bœotiæ maximo carnium elixarum frusta; exque quercu, in qua avis abrepto aliquo consederat, faciebant signum ligneum δαίδαλον dictum. Erant & Minora & Majora. Illa Platæenses privatim septimo quoque anno obibant, inque iis signa quatuordecim, quotannis facta, sortito a Platæensibus, Chæronensibus, Orchomeniis, Lebadensibus & Thebanis tollebantur. Hæc a Conventu Bœotiorum sexagesimo quoque anno celebrabantur. Simulacrum ad Asopi fluminis ripam ornabant: pronubam in plaustrum sublatam mulieres pompæ præficiebant; Ordo sorte ducebatur; tandem plaustrum ad Cithæronis jugum agebant. Ibi Junoni bove, Jovi tauro, hostiis, vino & odoribus repletis honor. Δαίδαλα aræ imposita, omniaque simul concremabantur.

3. Διάσια *Etymol.* Author. Athenis fuere decimo nono Munychionis die. Pompa in equis ducta, & liberis munuscula a parentibus emebantur.

4. Διιπόλια Porphyr. περὶ ἀποχῆς, agitabantur quoque Athenis in arce Jovi τῷ πολιεῖ seu πολιαίῳ. Ponebantur in mensa ænea mola & liba. Circumagebantur boves, qui degustasset, mactabatur. Trium inde familiarum ibidem nomen.

5. Διόμεια Eustath. *ad Iliad.* δ'. Jovi τῷ Διομεῖ sacra erant.

6. Εκατομφόνια Paus. in *Messen.* peragebant Jovi Ithomatæ apud Ithomen Messenii, si quando centum hostes cecidissent.

7. Ιθώμαια Pausan. in *Messen.* eidem ab iisdem sacra. Erat & certamen Musicum antiquitus.

8. Ελευθέρια Pausan. in *Bœot.* singulis primo quinquenniis celebrata; mox Platæenses quotannis cœperunt. Decimo sexto Mæmacterionis die agebatur prima luce pompa, in qua tibicen classicum canens, plaustra myrto & coronamentis onusta, una cum tauro nigro. Pueri ingenui inferium vinum, lac, oleum & unguenta portantes, Archon Platæensis puniceo sago amictus cum hydria & gladio ad monumenta Heroum procedebant, ibique iste immolato tauro, Jovem & Mercurium τὸν χθόνιον precatus, viros fortes, qui pro Græciæ libertate occubuissent, ad cœnam invitabat, iisque craterem vino plenum propinabat. Nulli servo ministrare licitum. Fiebat & agon gymnicus in honorem Jovis Eleutherii. Currebant ante aram armati; maximaque cursus proposita præmia. Celebrabant & servi libertate restituti privatim Ελευθέρια.

9. Μαιμακτήρια Jovi τῷ Μαιμάκτῃ mense Mæmacterione fieri solebant. Ritus nullibi forte invenies.

10. Ολύμπια Thucid. *lib.* 1. & Elide & Athenis, apud Macedonas & Nicæenses celebrabantur, eratque & certamen, quod antequam adirent agonistæ, sacra pro felici successu faciebant. Præmium victoris corona ex apio vel lauro.

11. Ομολώϊα Schol. Theocr. *Idyll.* VII. agitavere Thebani & Thessali in honorem Jovis τοῦ Ομολωΐου, & Cereris τῆς Ομολωΐας.

12. Πάνδια *Etymol.* Author. Jovi sacra Athenis, ἀπὸ τοῦ πάντα δινεύειν τῷ Διὶ dicta. Poterant & ἀπὸ πανδίας τῆς σελήνης dici.

13. Σαβάζια Arnob. *lib.* V. Jovis τοῦ Σαβαζίου festa, in quibus aureus coluber in sinum demittebatur consecratis, & eximebatur rursus ab inferioribus partibus atque imis. Initiati Σαβοὶ dicebantur.

14. Ταλαιδίτης Hesych. Jovis τοῦ Ταλαιοῦ apud Cretenses agon gymnicus.

CAP. II.

De Festis Apollinis.

APollinis festa erant 1. Ακτια, 2. Αλια, 3. Απολλώνια, 4. Γαλάξια, 5. Δρυόπια, 6. Ερεθύμια, 7.

Δαφνηφόρια, 8. Δελφίνια, 9. Δήλια, 10. Επιθεɩδάκια, 11. Θαργήλια, 12. Μιτυλluαίων ἑορτὴ, 13. Μεταγείτνια, 14. Πολίεια, 15. Κάρνεια, 16. Πυανέψια, 17. Υακίνθια, 18. Θεɩω, 19. Εβδόμη, 20. Επιδήμια Απόλλωνος.

1. *Ακτια* Stephan. *περὶ πόλεων*, feriabantur Acarnanes in urbe Actia in honorem Apollinis *Ακτίυ*, ſingulis trienniis. Bos inſtante feſto muſcis immolabatur, ut ſanguine ejus ſaturatæ avolarent, nec feſto moleſtæ eſſent. Certamen erat gymnicum, equeſtre, & navale. Auguſtus victo prope Actium Antonio, & exſtructa Nicopoli, certamen Muſicum, gymnicum, & equeſtre in quintum quemque annum inſtituit.

2. *Αλια* Ariſtid. in *Rhodiac.* Soli dabant Rhodii XXIV. Gorpiæi. Certamen pueri & viri, præmium corona populea.

3. *Απολλώνια* Pauſan. *Corinth.* apud Sicyonios erant, inque illis pueri & puellæ ſeptem ad Sytham flumen abeuntes, Apollinem & Dianam in ſuadelæ fanum ducebant. Rem & originem apud Pauſaniam vide.

4. *Γαλάξια* Heſych. Apollinis forte *τȣ̃ γαλαξίȣ* erant. Coquebatur in illis *πόλτος κρίθινος*, *puls hordeacea* in lacte.

5. *Δρυόπια* Pauſan. *Meſſen.* Dryopi Apollinis F. apud Athenienſes ſacra erant. Placuit huc referre.

6. *Ερεθύμια* Heſych. Apollini *τῷ Ερεθυμίῳ* peragebant Lycii.

7. *Δαφνηφόρια* Proclus in *Chreſtomath.* anniverſaria Apollinis Iſmenii & Galaxiæ erant. Puer patrimus aut matrimus, forma & natalibus clarus præerat ſacris, lignum coronatum *κωπὼ* dictum geſtante alio. *Δαφνηφόρη* illi nomen, quia laurum manu contingebat.

8. *Δελφίνια* Pauſan. in *Attic.* Apollini *δελφινίῳ* menſe *δελφινίῳ* apud Æginetas ſacrabantur. Colebatur is & ab Athenienſibus, eique templum non longe a Jovis Olympii.

9. *Δήλια* Theodoret. *Therapeut.* VII. Apollo Delius ſibi vendicabat quinto quoque anno. Curabant *οἱ ἱεροποιοί*.

10. *Επιθεɩδάκια* Heſychio memorantur. Quid in iis actum, ignoratur.

11. *Θαργήλια* *Etymol.* Author. Apollinis quoque Delii, ſed & Dianæ apud Mileſios & Athenienſes erat. Illis multo cum vino & pretioſorum impenſa celebratum. His, menſis Thargelionis die ſexto & ſeptimo, binis tribubus unum impenſarum præbitorem exhibentibus. Rami oleaginei circumferebantur, urbs luſtrabatur, chorus tam *ἀνδρικὸς* ſeu *virilis*, quam *κύκλιος circularis* agebatur, inque eo victor tripodem in æde Apollinis a Piſiſtrato erecta offerebat. Liberi adoptivi in curia præſentabantur. Nec pignus tunc capere, nec quicquam, quod alterius eſſet, licebat. Secus agente, actio, in conventu qui in æde Bacchi habebatur. Ritus plures hæc ſequentia vocabula dabunt.

1. *Εἰρεσιῶναι* Porphyr. *περὶ ἀποχῆς lib.* II. rami oleaginei lana obducti circumferebantur. Dependebant ex iis, panis, ficus, *μεμαίκυλα, κρίθαι, πυροί*, &c.

2. *Φαρμακοὶ* Hellad. *Chreſtom.* lib. III. apud Photium, duo viri (Heſych. virum & fœminam ponit) *δημοσίᾳ τρεφόμενοι* de publico ſuſtentati, qui *ἐςυλισμένοι*, ornatius veſtiti, extra urbem ducti, eam luſtrabant, uno virorum, altero fœminarum vices ſubeunte. Suſpendebantur immolandis caricæ e collo, nigræ pro viris, albæ pro fœminis. Dabatur in manus, caſeus, maza, carica; ſepties colaphis, ſcillis, ficubus agreſtibus, &c. percuſſi, igne ex lignis infelicibus exſtructo cremabantur, cinis ſparſus in mare. Dicebatur etiam *σύμβακχοι* Helladio; *κραδησίται* Heſychio, quia ficubus petebantur; *καθάρματα* Tzetzæ: revera enim tales: *φαρμακοὶ*, ut dixi, a Pharmaco quodam, qui ſacras Apollini pateras furatus, ab Achille deprehenſus, lapidibus obrutus eſt. Illius hi ritus imitatio.

3. *Κραδίης νόμος* Heſych. modulus cantus tibiæ, ad quem *φαρμακοὶ* extra urbem deducebantur.

4. *Φαρμακὴ* Heſych. *χύτρα* ſeu olla, qua *τοῖς καθαίρουσι τὰς πόλεις* cibus parabatur.

12. *Μιτυλluαίων ἑορτὴ* Thucyd. *lib.* III. a Mytilenenſibus in honorem Apollinis *Μαλόεντος* extra urbem agitabatur.

13. *Μεταγείτνια* Plutarchus *de Exil.* Apollini *μεταγειτνίῳ* menſe Metageitnione a Melitenſibus Atticæ populo qui Diomea commigrarant, dicebatur. Sacrificium in eo.

14. *Πολίεια* Pauſan. in *Bœoticis* Apollinis *τȣ̃ πολίȣ* ſeu *cani* apud Thebanos erant. Tauri priſcis temporibus immolabantur. Cum vero aliquando propter moram eorum, qui taurum adducere debebant, bos de plauſtro prætereunte mactaretur, ſtatutum impoſterum *ἐργάτας βȣ̃ς θύειν, domitos boves offerre*.

15. *Κάρνεια* Athen. *lib.* IV. Apollini celebrabant Spartani, menſe Carneo per novem a ſeptimo dies. Novem aſſignatæ *σκιάδες* dictæ, in quorum ſingulis novem viri ad mandatum per præconem denunciatum, novem continuos dies cœnabant. Tunc & certamen in quo primus victor Terpander. Sacerdos qui ſacra faciebat *Αγητὴς* Heſychio.

16. *Πυανέψια* Harpocration honori Apollinis a Theſeo in urbem reduce inſtitutum, & a fabis (*πύαμος* Antiqui dicebant pro *κύαμος*, Harpocration *πύανα* vocat) quæ in eo coquebantur dictum eſt. *Πανόψια* aliis. Ramus oleaginus, cui *εἰρεσιώνη* nomen, vel laureus lana coronatus, & fructibus omnis generis, qui *ὡρακόνια*, onuſtus (pira, mala, & alia excipit Strabo) a puero, cui parens uterque ſuperſtes, cum cantu portabatur; qui ante templum Apollinis poſitus, feſto exacto ante ædes paternas ſtatuebatur. Carmen erat.

> Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτȣς.
> Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι, &c.
> *Eireſione fert ficus, & panes pingues,*
> *Et mel in cotyla, & oleum ad frigendum.*

17. *Υακίνθια Hyacinthia* Athen. *lib.* IV. Apollinis & Hyacinthi honori a Laconibus, per triduum menſe qui illis *ἑκατομβεύς*, apud Amyclæos in Amyclæo ſeu Apollinis Amyclæi templo quotannis datum. Primo & tertio die deflebant Hyacinthum, eique mittebant inferias. Cœna ſine coronis, ſine pane: bellaria tantum proponebantur & ſine hymno. Secundo *θέα ποικίλη ſpectacula varia*. Pueri in tunicis præcincti; pulſus citharæ; diſcurſus in equis exornatis per theatrum; poematum a Choro *νεανίσκων* cantus; ſaltatores ſeu *ὀρχηςαὶ* ſtaticulos priſci moris ad cantum & tibiam dantes; Virgines pars *ἐπὶ τῶν κανάθρων καμαρωτῶν in pilentis tectis*, pars *in curribus agoniſticis*, *ἐφ' ἁμίλλαις ἁρμάτων ἐζευγμένων* pompæ ſpectatrices; multæ hoſtiæ, & familiarium ac ſervorum ad cœnam invitatio. Tum & pæan, & a præfecto chori ſuus cuique locus. Sacra Apollini ab hedera coronatis. Tum & Timomacho Laconibus olim contra Amyclæos ſubſidio, lorica ænea proponebatur.

18. *Θεɩω* feſtum ab Heſychio Apollini tributum. Sed rituum non meminit.

19. *Εβδόμη* Gellio lib. XV. *Noctium Atticar.* ſeptimo quoque lunæ die, quem Apollini natalem credebant, qui inde *ἑβδομαγενὴς* Athenis celebrabatur. Geſtabant in eo laurum, coronabant caniſtrum, canebant DEO hymnum, & Ephebi agitabant convivium.

20. *Επιδήμια Απόλλωνος* Procop. in Epiſt. *ad Zachariam*, agitabatur Delphis quaſi in præſentis honorem.

CAP. III.

De Festis Bacchi.

FEsta in honorem Bacchi celebrata sunt, 1. Ἀγρυπνὶς, 2. Ἀμβροσία, 3. Ἀνθεςήρια, 4. Ἀσκώλια, 5. Βάκχεια, 6. Θεοίνια, 7. Θυία, 8. Ἰοβάκχεια, 9. Λαμπτήρια, 10. Λήναια, 11. Νεοίνια, 12. Σκιέρια, 13. Τύρβη, 14. Φέλλος, 15. Διονύσια, 16. Προξύγεια.

1. Ἀγρυπνὶς Hesychio apud Arbelam Siciliæ urbem. Nomen a pervigiliis, quæ Deo illi debebantur.

2. Ἀμβροσία *Etymol.* Author. mense Lenæone quo suetum τὰς οἴνας εἰσκομίσθαι a Græcis celebrabatur.

B 3. Ἀνθεςήρια *Etymol.* Author. mense Anthesterione per triduum a die undecimo ex Pandionis seu Demophontis instituto agitabantur, & quia τὰ ἄνθη inferebantur, nomen inde. Primus dies qui πιθοίγια, quod tum dolia aperirentur, sacra facta. Statuti proprii in eam rem crateres, & pueri trimi coronati. Peractis, datum vinum omnibus, & nec servo quidem prohibere fas. Chæronenses diem ἀγάθυ δαίμονος appellabant. Secundo qui χόες & δωδεκάτη, quia Anthesterionis duodecimus, Baccho τῷ χοοπότῃ sacer, Mercurio τῷ χθονίῳ sacra fiebant. Certamen bibendi per præconem ad tubæ
C sonum. Propositum præmium, uter inflatus, quem tollebat, eidem insistens, mensuram congii ebibisset. Præter utrem vino plenum, dabatur & corona ex foliis contexta. Tum & ebrii a comessantibus per convicia deridebantur, merces mittebatur Sophistis. Origo apud Athenæum exacta. Tertio qui χύτροι, olla πανσπέρμιος illis qui ex diluvio evaserant ad ignem: sed inde Mercurii reverentia nil gustatum. Poetæ quatuor dramatibus inter se certabant; Victor ex lege Lycurgi civitate donabatur. Exacto festo protrudebantur servi ad opus, cum hoc dicto, θύραζε Κᾶρες, ὐκ ἔτ' Ἀνθεςήρια. *Facessite Cares, jam non sunt Anthesteria.*

D 4. Ἀσκωλίοις Aristoph. *Pluto* insiliebant in Attica uno pede in utrem ex pellibus hircinis, unctum & vino plenum, οἱ γεώργων νεανίσκοι. Insilire ἀσκωλίζειν dicebatur. Insistenti uter præmii loco.

5. Βάκχεια Bacchanalia Hesychio dicta, sed sine ritibus. Hoc tantum, θυρσοπλῆγες οἱ ἐν τοῖς βακχείοις ἐνθεαζόμενοι.

6. Θεοίνια Hesych. agitabant populi Atticæ. Athenienses etiam, sed Διονύσια vocabant.

7. Θυία Pauf. in *Eliac.* celebrabant Elei stadiis extra urbem octo; credebantque Deum eo accedere. Deponebantur a sacerdotibus tres in sacello vacui lebetes, civibus & peregrinis spectantibus: ob-
E signabatur ab uno quoque suo annulo sacellum. Postero die ingressi, signacula integra, lebetes vino plenos inveniebant.

8. Ἰοβακχείων Demosthenes Orat. *in Neæram* meminit, sed de ritibus plane nihil.

9. Λαμπτήρια Pausan. in *Achaicis*. Pellenenses in Achaja honori Bacchi τῷ λαμπτῆρος dabant. Faces noctu in templum inferre, & vini crateres per urbem passim disponere solemne.

F 10. Λήναια Hesych. Athenienses mense Lenæone, autumno nempe desinente, quotannis celebrabant. Tragici quatuor dramatibus certabant; quorum ultimum Satyricum. Agon sacer, cui ὁ βασιλεὺς & ἐπιμεληταὶ præerant. Peregrinis interesse nefas.

11. Νεοίνια, (hodie editur Νεφάλια) Hesych. novi vini tempore celebrabantur. Eadem apud Romanos *Meditrinalia*.

12. Σκιέρια Pauf. in *Arcadicis*. Aleæ Arcadiæ oppido celebrabantur. Bacchi simulachrum sub umbone desidens producere mos erat, fœminæque sese, ex oraculi Delphici jussu, flagellabant.

A 13. Τύρβη Pausan. in *Corinth.* Achivis celebrare suetum meminit. De ritibus altum silentium.

14. De Φέλλῳ apud Suidam lege. Initium fuisse τῶν Διονυσίων Scholiastes Aristophanis *ad Nubes* author est.

15. Διονύσια, seu μυςήρια μίκρα, Magnis antiquiora, celebrabantur mense Anthesterione Athenis in Limnis in templo Bacchi. Ministræ xx.

16. Προξύγεια Hesych. Baccho, cui Προξύγης cognomentum, sacrum erat, & Neptuno. Idem iste cum Προξυγαίῳ, cujus festum Achilles Tatius *lib.* xi. describit.

CAP. IV.

De Festis Mercurii, & Vulcani.

I. FEsta Mercurio sacra erant, 1. Ἑρμαῖα, 2. Θεοξένια.

1. Ἑρμαῖα Pollux *lib.* 1. *cap.* 1. plurimi obibant. 1. Athenienses & sacrorum fœminæ hederea coronatæ. Ferebatur in pompa amphora vini, & palmitis sarmentum: post trahebatur capra, sequebatur calathus cum ficubus, tum Phallus seu Priapus ex ligno ficulneo an corio factus, nisi deformatas hominum imagunculas pudendis magnis prominentibus esse malis, νευρόσπαςα, quod membra filii trahi & agitari possint) quem de collo suspensum omnes portabant, φαλλόφοροι hinc dicti, rectaque ex adverso fuligine repleti incedebant. Hos qui sequebantur ἐπίορκοι sagulis semialbis & Tarentino tegmine ad talos cooperti, serpillo vel densa ex violis & hedera corona caput ornati, Ἰθύφαλλοι vocabantur. Successu temporis devenit devotio ad insaniam. Ministræ *Menades* inter quas Sileni, Bacchæ, Lenarchio Tityri sacris operabantur. Ovum inter consecrata; Vannus quo triticum purgatum, inter purgatæ animæ signa. Quidam cum Lenæis eadem faciunt, quidam in palæstris, per comessationes & promiscuam libidinem. Ideo prohibitum, ne quenquam tum adultum in gymnasium ingredi permitterent gymnasiarchæ, nisi lege de ingeniorum corruptela teneri vellent. 2. Phaneatæ in Arcadia. 3. Cyllenenses in Elide, apud quos membri arrecti specie Deus colebatur. 4. Pellenenses in Achaja ubi agon erat. 5. Cretenses, apud quos tunc epulantibus servis Domini famulabantur. 6. Tanagræi in Bœotia Mercurio κριοφόρῳ quo juvenum τὰ εἶδος κάλλιςον, arietem humeris portans muros circumibat.

2. Θεοξένια Schol. Pindari, in Achaja agitabant Pellenenses. Non tantum Mercurii, sed & Apollinis honori dabantur.

II. Vulcano dicata erant 1. Ἡφαίςεια, 2. Λαμπὰς, 3. Χαλκεῖα.

1. Ἡφαίςια Xenoph. *de Rep. Athen.* Vulcanalia, in quibus lampadum certamen, de quo mox.

2. Λαμπὰς Hesych. lampadum certamen erat, quorum etiam & alibi mentio, & quod Vulcanalibus debebatur. Certatum in Ceramico, cursu, palæstra, utribus, faces ex turri quadam ibidem distributæ. (ad Cupidinis statuam a Pisistrato erectam in Academia alii scribunt. Sed unum erat.) Inter currendum vice inter se partita ἐκ διαδοχῆς, facem accensam alius alii dabat. Aliquando se planis manibus feriebant, quæ verbera κηραμικαὶ πληγαὶ, victor λαμπαδηφόρος dicebatur. Præsides ὁ βασιλεὺς & ἐπιμεληταί.

2. De Χαλκείοις in festis Minervæ dicemus. Posteaquam fabris propria esse cœperunt, Vulcano Deo consecrata sunt.

CAP. V.

De Festis Neptuni, Saturni, Cupidinis, & Priapi.

I. NEptuno erant sacra 1. Θυνναῖον, 2. Ὀγχήστια, 3. Ποσείδια, 4. Ταινάρεια, 5. Ταύρεια, 6. Αἰγινητῶν ἑορτὴ, 7. Γεραίστια.

1. Θυνναῖον Athen. *lib.* VI. sacrificium erat, peragebaturque post thynnorum capturam; quæ, si felix, primus thynnus immolabatur.

2. Ὀγχήστια Pausan. in *Bœot.* a Thebanis Neptuno τῷ Ὀγχηστίῳ sacra erant.

3. Ποσείδια Hesych. vel potius Ποσειδώνια, ut Theodor. *Therapeutic.* lib. VII. habet, sacro quodam celebrabantur, quod Ονείλεον dictum.

4. Ταινάρεια Hesych. Neptuni τοῦ Ταιναρίου apud Lacones erant.

5. Ταύρεια Hesych. Neptuno quoque τῷ ταυρείῳ tribuebantur. Forte Ephesii celebrabant, inque illo, adolescentes qui vinum ministrabant ταῦροι dicebantur. Hinc isti Hesych. οἱ παρὰ Ἐφεσίοις οἰνοχόοι.

6. Αἰγινητῶν ἑορτὴ Plutarch. in *Quæst. Græc.* sacra & convivia per XVI. dies instituebantur, in quibus sibi ipsi sine servis ministrabant, μονοφάγοι hinc dicti, & postea Veneri sacrificabant.

7. Γεραίστια Schol. Pind. Geræstii dabant, propter tempestatem, quæ circa Geræstum acciderat. Erat ibi & templum celeberrimum.

II. Saturno data erant Κρόνια, ut apud Theodoretum *Therap.* l. VII. habemus. Scholiast. Aristoph. eadem cum Romanorum Saturnalibus facit.

III. Cupido habebat sua apud Thespienses ἐρατίδια, vel potius ἐρωτίδια, de quibus plane nihil occurrit.

IV. Priapi honori celebrata Πριάπεια, cui & mysteria propria fuere; ut Theodoret. *Therapeut.* lib. I. tradit. Forte in iis μόριον ἐντεθαμένον καὶ μέγιστον, ὁ τῶν μυσαρῶν μυστηρίων ἱεροφάντης exhibebat.

CAP. VI.

De Festis plurium Deorum.

PLuribus Diis dicata erant 1. Ἀπατούρια, 2. Νουμήνια, 3. Τειτοπατόρεια, 4. Ἀποπομπαί.

1. Ἀπατούρια in honorem Jovis, Minervæ, Bacchi, Dianæ & Cereris, sed illius præcipue, Athenis mense Pyanepsione celebrabantur; Tres dies vulgus, quinque senatus & Curiæ aliæ insumsere, idque a Cephisodoro Archonte constitutum. Primus dies δορπία, quo luculentum circa vesperam inter φράτορας epulum, puer ad aras adductus, isque tertio albo civium inferebatur. Secundus ἀνάῤῥυσις quo Jovi & τῷ φρατρίῳ & Ἀπατήνορι, Minervæ & Baccho, qui μελαναιγὶς cognominatus, sacra. Inter hæc puer ille ad aras Diis quasi sistebatur, & cum facibus a foco sumptis in pulcherrimis stolis cursus, Vulcani, a quo ignis usus, memoria. Tertius κουρεῶτις, in quo liberi tam naturales quam adoptivi in tribules referendi, curiæ a parentibus offerebantur; filii triennes & quadriennes, secundum quosdam eodem anno nati, pro quibus juratum Athenienses esse & Athenis natos. Coma resecta sacra Dianæ fiebant, quod θύειν φρατρίαν, & qui negligerent, ἐπιπαίζειν Laconibus dicebantur. Ovis vel capra immolanda certi tum ponderis: & quia per ludum μεῖον μεῖον quasi infra justum pondus esset a tribulibus acclamabatur. Offerentes μειαγωγοὶ, hostia μεῖος, prout ovis φρατὴρ, capra φράτειος appellabatur. Sacrificium κουρεῖον, quia tum οἱ κοῦροι εἰς τοὺς φράτορας εἰσγράφοντο. Unde & dici nomen. Filiæ jam nupturæ referebantur in tribules. Sacrificii nomen γαμήλια. Tum & Cereri τῇ κουροτρόφῳ in trivio a mulieribus sacra, quibus virum intervenire nefas. Dies ultimum sequens ἐπίβδα dicebatur, quod & cuilibet festum sequenti nomen.

2. Νουμήνια, Plutarcho lib. *de vitando ære alieno* dierum sacratissimus, ἀνάμνησις τῶν καλανδῶν, quia forte omnibus Diis sacer, Apollini tamen vindicabant, quod lucis author esse crederetur. Ideo Νεομήνιος. Ascendebant in arcem, vota pro salute urbis facturi & sacra. Offerebatur in fano Erechthei placenta ex melle serpenti qui in arce: idque sacerdos cum parasitis decreto Alcibiadis, quod Cynosarge in templo Herculis columnæ affixum facere tenebatur. Sacrum ἐπιμήνιον; sacrifici ἐπιμήνιοι & ἀγρήμονες; panes tum fieri soliti, νουμήνιοι dicebantur. Νουμηνιάζειν erat festum colere; qui colebant Νουμηνιασταὶ. Tum & egeni a ditioribus dona petebant.

3. Τειτοπατόρεια Etymol. *Auctor*, Atheniensium etiam erant, inque iis Diis, qui τειτοπάτορες pro liberorum generatione vota fiebant. Dicuntur & θεοὶ γενέθλιοι, γενέσεως, & ἔφοροι δαίμονες.

4. Ἀποπομπαὶ Hesych. dies aliquot, in quibus sacra Diis τοῖς πομπαίοις facta.

CAP. VI.

De Festis Heroum.

I. HEroum Festa quadraginta novem hic ponentur. 1. Ἀδώνια, 2. Αἰάκεια, 3. Αἰάντια, 4. Ἀλκάθοια, 5. Ἀμφιαράϊα, 6. Ἀνακλητήρια, 7. Ἀνάκεια, 8. Ἀνάκτων παίδων ἑορτὴ, 9. Ἀνδρογεώνια, 10. Ἀντιγόνεια, 11. Ἀντινόεια, 12. Ἀράτεια, 13. Ἀσινάρια, 14. Ἀσκληπίεια, 15. Ἀχίλλεια, 16. Βαλλητὺς, 17. Βρασίδεια, 18. Βορεασμοὶ, 19. Δαρὸν, 20. Διόκλεια, 21. Διοσκούρια, 22. Εὐαγγέλια, 23. Εὐρύκλεια, 24. Ἐργάτια, 25. Ἐλευσίνια, 26. Ἠλακάτια, 27. Ἐφήβια, 28. Ἡράκλεια, 29. Κοννίδεια, 30. Λεωνίδεια, 31. Λυκούργεια, 32. Μενελάεια, 33. Μιλτιάδεια, 34. Μούτια, 35. Νεοπτολέμεια, 36. Οὐέῤῥεια, 37. Πανδρόσια, 38. Παράλια, 39. Πανσαυίεια, 40. Προμήθεια, 41. Πρωτεσιλάεια, 42. Σεβάστια, 43. Τιτάνια, 44. Τληπολέμεια, 45. Τοξαρίδεια, 46. Τροφώνια, 47. Ὑδροφόρια, 48. Φωσφόρια, 49. Καβείρια.

1. Ἀδώνια Hesych. Adonidis memoriæ, & honori apud Athenienses dabantur. Semestre is unum in Proserpinæ complexibus; alterum in Veneris exigere solebat. Circumferebantur Adonidis & Veneris simulachra in pompa, horti quoque ex fœniculo & lactuca, in qua Venus occisum Adonidem deposuerat, in testis in quibus citius excrevisse frumentum Simplicius credidit; quique in fontes vel in mare abjiciebantur. Locata & mortuorum simulachra per urbem, quibus mulieres funus ac lessum facerent.

2. Αἰάκεια Pindari Schol. Æaci apud Æginetas festum, inque ejus honorem certamen. Victor coronam in fano Herois dedicabat, quod apud Æginetas urbis loco illustrissimo; & cui e lapide albo quadratum septum. Colebantur & Athenis, templumque ei ibi.

3. Αἰάτια Hesych. Ajaci apud Salaminios & Athenienses sacra. Adornabatur ei omni armatura instructus lectus apud istos.

4. Ἀλκάθοια Schol. Pind. honori Alcathoi apud Megarenses data sunt. Ibidem & ejus ἡρῷον.

5. Ἀμφιαράϊα Schol. Pind. Amphiarao Oropii dicarunt, quem primi inter Deos retulere. Ejus ibidem templum, & e lapide candido statua.

6. Ἀνακλητήρια Polyb. *Hist.* l. XVII. in honorem Regis vel Principis cum renunciaretur instituta sunt.

7. Ἀνάκεια Hesych. Dioscurorum apud Athenienses erant. Ἀνάκειον τὸ Διοσκούριον Dioscurorum templum.

8. Ἀνάκτων παίδων ἑορτὴ Paus. in *Phoc.* Amphissensibus

ſibus ſolemnis feſtivitas, & arcanum ſacrum. Quidam putabant fuiſſe Dioſcuros, alii Curetas, plerique Καβείρες.

9. Ανδρογεώνια Heſych. Androgeo dicatum feſtum, in quo & certamen funebre in Ceramico.

10. Αντιγόνεια Plut. *in Agide & Cleomene*, Antigono agitata, in quibus ſacrificium ϗ παιᾶνας ᾄδων.

11. Αντινόεια Pauſ. in *Arcadic.* Adrianus Imperator Antinoo ſuo apud Mantinenſes inſtituit; erantque ſacra annua, & certamen quinquennale.

12. Αράτεια Plut. in *Arato*, intra duos dies in honorem Arati ſteterunt; quintum nempe Antheſterionis ſeu Δαισίε μlwὸς, quo patriam a tyrannide liberavit, & illum quo natus erat. Illa Σωτήεια dicebantur, a Jovis ſervatoris θυηπόλω acta. Hæc ab Arati ſacerdote, faſcia non ex toto candida, purpura intertexta. Carmina ad citharam a ſymphoniacis. Pompæ puerorum & adoleſcentum gymnaſiarcha ductor; quem ſenatus coronatus & cives ſequebantur.

13. Ασινάρια Plut. in *Nicia* feſtum a Syracuſanis promulgatum, cum Niciam Ducem Athenienſem, decimo ſeptimo Metageitnionis ad Aſinarum flumen profligaſſent.

14. Ασκληπίεια Theod. *Therap.* VII. Æſculapii honori celebrabantur a pluribus, ſed magnificentiſſime ab Epidauriis. Certamen ibi Rhapſodorum, & cæteræ Muſices.

15. Αχίλλεια Pauſ. in *Lacon.* Celebrabant Lacedæmonii. Feſtum Achilli ſacrum.

16. Βαλλητὺς Heſych. Athenienſes cum populo Eleuſines, in gratiam Demophontis Celei filii agitabant.

17. Βρασίδεια Pauſ. in *Lacon.* Braſidæ apud Lacedæmonios feſtum, in quo oratio funebris; Certamen inter ſolos, & ſacra.

18. Βορεασμοὶ Heſych. deprecabantur Athenienſes Boream, qui Orithyiam Erechthei filiam juxta Iliſſum rapuerat, ne flaret; affinemque eum ſibi nuncupabant. Megalopolitis in Arcadia pro præcipuo Deorum habebatur.

19. Δαρὸν Heſych. Macedonum forte, apud quos genius Δάῤῥων, cui pro ægrotis vota nuncupabant.

20. Διόκλεια Schol. Pind. Megarenſium feſtum.

21. Διοσκέρεια Schol. Pind. feſtum Dioſcurorum, quod Cyrenæis & Lacedæmoniis in uſu.

22. Εὐαγγέλια Vitruv. *l.* X. *c.* VII. Pixodoro paſtori ob nunciatam marmoris inventionem Epheſii quot menſibus celebrabant, pœna iis qui neglexiſſent indicta, ſolebant & ob res lætas quando nunciabantur obiri; inque his ſacra, & amicis victimarum partes.

23. Εὐρύκλεια, vetus Inſcriptio. Lacedæmoniorum in Alcibiadis honorem propria.

24. Εργάτια Heſych. Herculis apud Lacones erant.

25. Ελευσίνια, μίκρα ſcil. Schol. Homeri *Iliad.* θ. Herculis honori qui ab Eumolpo, Eryſthei juſſu, Cerberum ex inferis abducturus initiatus erat, Agris menſe Antheſterione ab Athenienſibus celebrabantur, ut magnis luſtrandi initiationi præpararentur. Solemne ergo luſtrandos in pelle victimæ Jovi immolatæ, unde Διὸς κώδιον dicta, per daduchum ſtatuere: porcum fæminam gravidam, & in portu Cantharo ablutam offerre: ſacris & votis rite factis, caſtitatis exercitium præmittere; ut ſe dignos initiationi oſtenderent. Admiſſi μύσαι dicti, conſidebantque in ſacrarii veſtibulo; ipſa ſacra quaſi προπέλεια.

26. Ηλακάσια Heſych. agon in honorem Elacati ab Hercule adamati.

27. Εφήβια *Etymol.* dies erat, quo Athenienſium & propter Hippocratis honorem Coorum ingenui filii; anno XVI. impleto, in ephebos, nominibus eorum in librum quendam ei rei deſtinatum inſcriptis, referebantur. Comam tondebant, eamque Delphos proficiſcentes Apollini conſecrabant. Durabat hæc ephebia annum unum, quo tempore peregre illis ire non licebat. Ritus ex ſequentibus verbis colligi poterunt.

I. Κορυθάλη, ſeu κορυθάλια, *Etymol.* laurus bifida & coronata, quæ præ foribus ædium ſtatuebatur.

II. Οἰνιστηρία Heſych. libatio Herculi ex menſura vini illata facta, cujus reliquum ebibendum dabatur iis, qui in unum convenerant.

III. Εφηβεύειν Heſych. dicebantur illi, qui jam inter Ephebos adſcripti erant.

IV. Εφηβεῖον Vitruv. *lib.* VI. *cap.* XI. gymnaſium, in quo ἐφηβεύεντες exercebantur.

V. Εφήβαρχος Arrian. *Epict.* lib. III. cap. 1. præfectus gymnaſio Epheborum, qui in annum conſtituebantur.

VI. Παιδικέωρ Heſych. famulus Epheborum in gymnaſiis proprius.

VII. Εφηβικὸν Heſych. locus in theatro, e quo Ephebi ſpectabant.

28. Ηράκλεια Theodor. *Therap.* VII. honori Herculis celebrabantur a multis Græciæ populis: Athenienſibus nempe, Diomenſibus & Melitenſibus in Attica. Theſbitis in Bœotia, Thebanis, Sicyoniis, Lindis, & Cois. Athenienſibus quinto quoque anno celebrare moris. Apud Melitenſes Hercules λεξίκακος cognominatus, & quia ſacra ei pomis facta Μήλων. Thebani feſtum Ιολαία dicebant. Sicyoniis biduo celebratum: primum diem Ονομάταν, ſecundum Ηράκλειαν nominabant. Lindiis per maledicta & execrationes celebrabantur: & pro violato habebant, ſi quando inter ſolemnes ritus, vel imprudenti alicui excidiſſet bonum verbum. Apud Coos ſacerdos mitra redimitus, & veſte muliebri amictus ſacra faciebat.

Ιολάϊα Schol. Pind. apud Thebanos quid fuerint, jam dictum. Erat eo feſto & certamen. Victori corona myrtea cedebat. Celebrata & a Sardis.

29. Κοννίδεια Plutarch. Connidæ Theſei pædagogi honori, apud Athenienſes, pridie Theſeorum dabantur. Aries ſacri ficium erat.

31. Λεονίδεια Pauſan. feſtus Leonidæ apud Spartanos dies. Funebris in eo oratio, & certamen, in quo ſolis Spartanis certare licitum.

31. Λευκόλλεια Plutarch. a Græcis Aſiaticis inſtituta ſunt. Cyziceni quotannis, quod eos a Mithridatis obſidione liberaſſet celebravere,

32. Μενελάεια Athenag. feſtum Spartanis celebratum, & quidem Terapnis. Fuit ibidem ejus templum, & in regione Spartæ trans Eurotam in collibus quibuſdam aliud.

33. Μιλτιάδεια Herod. Cherſonitæ in Miltiadis honorem obibant. Certamen in eo equeſtre gymnicumque, ad quod nemo Lampſacenus admittebatur.

34. Μέτια Cicero in *Verrem*. Græci Q. Mutio Scævolæ, quia Aſiam ſingulariter rexerat, decreverant; Mithridates ea provincia occupata non ſuſtulit, hoſtis in cæteris rebus nimis ferus & immanis.

35. Νεοπτολέμεια Pauſan. Delphis Neoptolemo Achillis filio quotannis dabantur. Deſcriptionem vide apud Heliodor. l. II. *Æthiop.*

36. Οὐέῤῥεια agebantur apud Syracuſanos cogente Verre, qui ea ſublatis Marcelleis inſtituit.

37. Πανδρόσια Athenag. Pandroſi feſtum erat apud Athenienſes. Templum habuit, & ex ove illi factum. Veſtis quoque illic aſſervata, quæ ποδώνυμος dicebatur.

38. Παράλια Euſtath. Paralo heroi ſacra erant.

39. Παυσανίεια Pauſ. in *Lacon*. Pauſaniæ apud Lacones feſtum & certamen; inque ejus honorem oratio. Soli Spartano certare licitum.

40. Προμήθεια Xenophon *de Republ. Athenienſ.* Prometheo ſacra, in quibus lampadum certamen. Et hinc forte Prometheus Δαδῦχος ab Apollonio Athenienſi in Callia apud Philoſtratum appellatur.

41. Πρωτεσιλάεια Schol. Pind. agebantur apud Theſſalos & Cherroneſitas in Proteſilai honorem.

42. Σεβαςια Menand. honori Imperatoris dabantur.

43. Τιτάνια Moſchopul. in memoriam Titanum celebrare moris erat.

44 Τληπολέμεια Pindar. Rhodii Tlepolemo inſtituere, pro die XXIV. menſis Gorpiæi. Certabant viri & pueri. Victoriæ præmium corona populea.

45. Τοξαρίδεια Lucian. Toxaridis, qui inter heroas ἰατρῦ ξένυ nomine colebatur, apud Athenienſes feſtum. Immolabatur ei candidus equus ad ſepulchrum.

46. Τροφώνια Pollux. Celebrabantur Trophonio Lebadiæ in Bœotia.

47. Υδροφόεια Heſych. feſtum Athenienſibus lugubre, in memoriam eorum, qui diluvio perierant. Erat & Æginetis, in quibus certamen menſe Delphinio in honorem Apollinis peractum.

48. Φωσφόεια Heſych. in honorem Luciferi agitabantur.

49. Καβείεια Heſych. τῶν Καβείρων erant, Jove priora, qui Jaſionem alterum ex Electra filium illis præfecit. Celebrabantur in inſulis Lemno & Imbro, apud Thebanos & Samothracas, & quidem noctu. Mos pueros initiare. Initiandi in ſolio collocabantur, choreas circumagitantibus myſtis, idque θρονισμὸς ſeu θρόνωσις dicebatur. Initiati faſcia purpurea ventrem circumligabant: Caput oleæ germine coronabant, & tuti contra tempeſtates maris, aliaque pericula eſſe putabantur. Qui cædem aliquam admiſiſſent, huc confugiebant, & a ſacerdote, qui Κοίης ſeu Κόης dictus, luſtrabantur.

CAP. VII.

De Feſtis variis.

VARIA feſta & incertum cui dicata ſunt 1. Αγητόρειον, 2. Αγητόεια, 3. Αλεκτρυόνων ἀγὼν, 4. Αμμὼν, 5. Απαύλια, 6. Βάρατρον, 7. Βασίλεια, 8. Βισβαία, 9. Βοτιαίων ἑορτὴ, 10. Γαμήλια, 11. Γενέθλια, 12. Γενέσια, 13. Γενετυλλὶς, 14. Γεφυρισμοὶ, 15. Γῆς ἑορτὴ, 16. Γυμνοπαίδια, 17. Δαδὶς, 18. Δαρὸν, 19. Δαυλὶς, 20. Διαντίνια, 21. Διόκλεια, 22. Εβδόμη, 23. Ελώεια, 24. Εμπλόκια, 25. Ενηλίαξις, 26. Επιδήμια, 27. Επινίκια, 28. Επισκάφια, 29. Επισκήνια: 30. Εφιππος, 31. Ηρωὶς, 32. Θανατούσια, 33. Θαύλια, 34. Θεοφάνεια, 35. Θεραπνατίδια, 36. Θερμίων ἑορτὴ, 37. Θερτίεια, 38. Ινῶα, 39. Καλλιςεῖα, 40. Καλλυντήρια, 41. Κυνοφόντις, 42. Λακεδαιμόνων ἑορτὴ, 43. Λαειασαίων ἀγὼν, 44. Λεοντικὰ, 45. Μεσοςροφώνια, 46. Μινύεια, 47. Νεκύσια, 48. Νεμέσεια, 49. Νηςεία, 50. Νίκη ἡ ἐν Μαραθῶνι, 51. Ξανθικὰ, 52. Πανδύσια, 53. Πανελλήνιον, 54. Πανιώνια, 55. Πελώεια, 56. Περιπέτεια, 57. Πιτανάτων ἑορτὴ, 58. Προμάχια, 59. Προσχαιρητήρια, 60. Προφθάρια, 61. Σεμέλη, 62. Σεπτήριον, 63. Σθένια, 64. Σικελῶν ἑορτὴ, 65. Σπόρτια, 66. Συνοίκια, 67. Συρακυσίων ἑορτὴ, 68. Σύρμαια, 69. Ταυροχόλια, 70. Τεσσαρακοςὸν, 71. Τόνεια, 72. Τειπονῆται, 73. Τύπαι, 74. Υδροφόρια, 75. Φαγήσια, 76. Φαμμάςρια, 77. Χαόνων ἑορτὴ, 78. Χάριλα, 79. Χειροπόνια, 80. Χελιδόνια.

A 1. Αγητόρειον Heſych. incertum feſtum.

2. Αγητόεια Heſych. ejuſdem commatis. Αγητὴς ἐν τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τῦ θεῦ.

3. Αλεκτρυόνων ἀγὼν Ælian. *Var. Hiſt.* l. II. cap. XXVIII. gallinaceorum certamini ab Athenienſibus, poſt devictos a Themiſtocle Perſas, inſtitutus erat. Cauſam inſtitutionis *ibidem* habes.

4. Αμμὼν Heſych. incertum apud Athenienſes feſtum.

5. Απαύλια *Etymol.* Author, non tam feſtum, quam ſecundus nuptiarum dies, in quo ἄρχεται ἡ κόρη χωρὶς τῦ πατρὸς αὐλίζεσθαι, ἢ τότε ἐπαυλίζετο τῷ ἀνδρὶ ἡ γυνή. B

6. Βάρατρον Heſych. feſtum apud Theſprotos, & certamen de virilitate in eo, εὐανδρίας ἀγών.

7. Βασίλεια Scholiaſt. Pind. Lebadeæ in Bœotia celebrabantur.

8. Βισαία Heſych. aliis κλαδευτηρία, Meſſapienſes obibant, cum vites putarent. Βίσβη δρέπανος ἀμπελότομος.

9. Βοττιαίων ἑορτὴ, Plutarch. in *Quæſt. Græcis*, feſtum ignotum, in quo puellæ choreas ducentes canebant.

C 10. Γαμήλια Moſchop. in *ſylloge dict. Attic.* feſtum privatum, quod quiſque privatim celebrabat nuptiarum ſuarum cauſa.

11. Γενέθλια *Etym.* Author, privatum etiam natalis diei feſtum, quod unuſquiſque quotannis die nativitatis obibat. Dictum & ἡμέρα ſimpliciter.

12. Γενέσια, Ammon. *de differ. vocum*, memoria natalis defuncti, quam familiares & amici celebrabant. Epicurus apud Laertium, natalem matris, patris, fratrum & ſuum in teſtamento ſuo poſt mortem celebrandum ordinat. Celebrata a Philoſophis Platonis & Socratis γενέσια.

13. Γενετυλλὶς Heſych. agitabatur a mulieribus pro felici gravidarum partu. D Dea ipſa γυναικεία θεὸς γενετυλλίς. Canes illi offerebantur.

14. Γεφυρισμοὶ ab Æliano *H. A.* lib. IV. c. XLIII. inter feſta recenſentur. Vide Eleuſinia.

15. Γῆς ἑορτὴ Thucyd. *lib.* II. *p.* 163. Athenis, ubi τὸ Γῆς templum, ſolemne feſtum erat, inque eo & certamen, ut apud Pindar. videre eſt.

16. Γυμνοπαίδια Laconum erat, & cum ſaltationibus peragebatur.

17. Δαδὶς Lucian. *Pſeudom.* triduanum erat, & ad faces accenſas celebrabatur. Δᾶδες faces ſunt Græcis.

E 18. Δαρὸν Heſych. Macedonum feſtivitas, in qua forte genio cuidam, qui Δάῤῥων dictus, vota pro ægrotis nuncupabant.

19. Δαυλὶς Heſych. Argivis ſolemne, ad pugnæ Prœti & Acriſii imitationem.

20. Διαντίνια in inſcript. quadam extant. Εὐρύκλεια ἐν Λακεδαίμονι καὶ διαντίνια.

21. Διόκλεια Schol. Pind. Megarenſes obibant.

22. Εβδόμη Heſych. privatum Græcorum feſtum, ſeptimo a nato infante die peragi ſolitum.

23. Ελώεια Heſych. a Siculis juxta Elorum amnem agitabantur, inque iis certamen.

24. De Εμπλοκίοις hoc ſolum apud Heſychium F occurrit, quod ab Athenienſibus celebrata fuerint.

25. Ενηλίαξις Heſych. vel potius ἐνυαλίαξις, feſtum etiam de quo nihil reliquum præter nomen.

26. Επιδήμια Himer. in *propempt. Flaviani*, celebrabantur aliquo ex familiaribus, amicis & conſanguineis domum ſalvo & incolumi reverſo.

27. Επινίκια Halicarn. *Antiq.* lib. III. quæ & ἐπινίκιος ἑορτὴ, poſt victoriam partam celebrabantur. Fiebant ſacra; hinc ἐπινίκια θύειν; ſacrificia quæ

θυσίαι ἐπινίκιοι; Choreæ, pæanes, & convivia, quæ summa cum hilaritate peragebantur. Et hoc est *τὰ ἐπινίκια ἑςιᾶν*.

28. *Επισκάφια* Hesych. Rhodiorum erant.

29. *Επισκήνια* Hesych. Lacedæmonum. Alii *ἐπίσκlωα*, sed male.

30. *Εφιππος* Hesych. Laconum etiam, in quo certamen, & forte equestre.

31. *Ηρωῒς* Plutarch. in *Quæst. Græcis*, de quibus ibi ita: *Τρεῖς ἄγυσι Δελφοὶ ἐννναετηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς. ὧν τlὼ μὲν Σεπτήριον καλῦσι, τlὼ δὲ Ηρωΐδα, τlὼ δὲ Χαρίλαν.*

32. *Θωατύσια* Lucianus *Variæ Hist.* lib. II. cum certamine erant.

33. *Θαύλια* Hesych. Tarentinorum *ἑορτὴ, ἀχθεῖσα ὑπὸ Κτεάτυ.*

34. *Θεοφανείων* Pollux *lib.* I. *cap.* I. meminit, & Synesius *τῦ μεμνημένυ τὰ Θεοφάνεια.*

35. *Θεραπνατίδια* Hesych. Lacedæmonum erant sacra.

36. *Θερμίων ἑορτὴ* Polyb. *Hist.* lib. V. Ætolorum mercatus & festum Thermi Ætoliæ oppido. Habebantur ibidem & Comitia.

37. *Θερπήςια* Hesych. incertum quæ fuerint.

38. *Ινῶα* Pausan. in *Lacon.* instituta Corinthi a Rege Sisypho Athamantis fratre, observabanturque & a Megarensibus. Conjiciebant in aquam Inus panificia. Bonum omen si retinebantur; malum si rejecta.

39. *Καλλιςεῖα* Schol. Homeri, certamen mulierum & virorum de forma. Mulieres certabant apud Lesbios in fano Junonis, apud Parrhasios ad Alpheum flumen, ubi urbs a Cypselo ædificata, Cereris Eleusiniæ festo. Fœminæ concertantes *χρυσοφόροι* dicebantur. Viri apud Elienses. Victori præmium arma, quæ, vittis redimitus, coronam e myrto gestans, Minervæ consecrabat.

40. *Καλλυντήρια* *Etymol.* Auctor Atheniensibus tribuit.

41. *Κυνοφόντις* Athen. *lib.* III. diebus canicularibus apud Argivos sacra: forte, quia tum canes occidebantur.

42. *Λακεδαιμονίων ἑορτὴ*. ignotum nomen. Agebant in eo optimates fœminæ in Androne magno seorsim pervigilium: reliquæ promiscue cum familia universa, ut apud Plutarchum in *Amatoriis* videre est. Erat & aliud, in quo cælibes a fœminis circa aram tracti, colaphis cædebantur, ut uxores ducerent, quod apud Athenæum *lib.* XIII. extat.

43. *Λαριςαίων ἀγὼν* Scholiast. Apollon. *lib.* IV. certamen juvenum, qui, quod nondum quinquertium esset, disco, & aliis certaminibus sigillatim certabant.

44. *Λεοντικοῖς*, de quibus Porphyr. in *Nymph. antro*, sacra peragebantur, quibus qui initiabantur, aquæ loco mel infundebant. Mentio eorum in veteri inscriptione.

45. *Μεσοςροφώνια* Hesych. dies in quibus Lesbii omnes communia sacra faciebant.

46. *Μινύεια* Schol. Pind. in *Isthmionicis*. Orchomeniorum erant.

47. *Νεκύσια parentalia*, Eustath. *ad Odysseam* IX. agitabant Bithynii, inque iis ter *ὀνομαςὶ* vocabant demortuorum animas, qui in exilio vel extra patriæ fines mortui sunt, easque ut ad convivium ascenderent, orabant.

48. *Νεμέσεια* Moschopulo est *ἑορτὴ Νεμέσεως, καθ' lὼ κατοιχομένοις ἐπετέλυν τὰ νομιζόμενα*, *festum Nemeseos, quo demortuis justa peragebant.*

49. *Νηςεία* Ælian. *H. V.* lib. V. cap. XX. dies decimo quoque die a Tarentinis in memoriam submissæ sibi a Rheginis, dum a Romanis obsiderentur, annonæ celebratus.

50. *Νίκη ἡ ἐν Μαραθῶνι*, Plutarch. *de gloria Athen.* victoriæ de Persis ad Marathonem reportatæ memoria, sextoque Boedromionis die celebrabatur.

51. *Ξανθικά* Hesyc. festum VIII. Xanthici mensis die celebratum. in quo militum lustratio. Traducebantur armatæ copiæ, inter discissæ canis viscera apud Macedonas. Præferebantur primo agmini Regum insignia. Rex cum proximis, regia cohors, custodesque corporis, multitudo denique Macedonum præcedebant. Vide Livium *lib.* XL.

52. *Πανδύσια* Hesiod. *ἔργων* lib. II. feriabantur Græci, cum clauso mari, naves *ἐπὶ τῆς γῆς ἕδραζον*, *in terram protraherent.*

53. *Πανελληνίων* apud Schol. Pind. in *Olympion.* mentio. Omnibus Græcis communia erant, ut *Παμβοιώτια* Bœotis.

54. *Πανιώνια* Diod. Sicul. *lib.* XV. Ionum erant

55. *Πελώρια* Athen. *lib.* XIV. Thessalorum Saturnalibus similia.

56. *Περιπέτεια* Hesych. Macedones obibant, forte ob subitum aliquem casum.

57. *Οιτανάτων ἑορτὴ* Hesych. certamen apud Pitanatas gymnicum.

58. *Προμάχια*, Athen. *lib.* XV. Lacedæmonii agitabant, & arundine coronabantur.

59. *Προχαιρητήρια* Harpocratione teste celebrabantur eo die, quo puella a parentibus in mariti domum tran.ibat.

60. *Προφθάσια* Diod. Sicul. *lib.* XV. anniversarium Clazomeniorum festum, ob Leucam prævertendo occupatam. *Εφθασαν τὺς Κυμαίυς τlὼ θυσίαν ἐπιτελέσαντες.*

61. *Σεμέλη* Hesych. incerta solemnitas, forte Semeles.

62. *Σεπτήριον*, Plutarch. in *Quæst. Græcis*, Delphis celebrabatur anno quoque nono. Hesychius *σεπτηρίαν* fœminino vocat. Erat unum ex tribus *Εννεατήρισι* seu *novenniis*.

63. *Σθένια* Hesych. certamen apud Argivos.

64. *Σικελῶν ἑορτὴ*, Schol. Theocr. *Idyl.* VIII. certamen apud Siculos, in quo ephebi scilla se verberabant. Victori taurus a gymnasiarcha præmium.

65. *Σπόρτια* Hesych. cui Deo sint celebrata, ignotum.

66. *Συνοίκια* Steph. *in Αθῆναι*, Theseus instituit, cum XI. Atticæ oppida, in unas Athenas coegisset.

67. *Συρακυσίων ἑορτὴ*, Plato in *Epist.* a Syracusiis celebrabatur, ignoti festi, Dei & Deæ nomine. Mulieres sacra per continuos decem dies faciebant. Forte Ennensi Cereri, de qua Cicero *Verrina* IV.

68. *Σύρμαια* Hesych. certamen apud Lacedæmonios, in quo *βρωμάτιον διὰ ςέατος καὶ μέλιτος* *edulium ex adipe & melle*, *συρμαία* dictum, præmium.

69. *Ταυροχόλια* Hesych. Cyzicenorum erant.

70. *Τεσσαρακοςὸν* Censor. *cap.* XI. dies festus ob feliciter transactum a puerpera diem quadragesimum. Non prodibat ante eum prægnans in fanum: & parvuli ferme per hos dies pro morbidis, sine risu, nec sine periculo habebantur.

71. *Τόνεια* Athen. *lib.* XV. Samiis solemnia. Origo ibidem.

72. *Τριπονῆται* seu *Τριπονήτια* Hesych. festum ignotum.

73. *Τύπαι* Hesych. ejusdem cum priore commatis.

74. *Υδροφόρια* Hesych. *ἑορτὴ* apud Athenienses *πένθιμος*, in illorum qui in diluvio perierunt memoriam. Erat & apud Æginetas ejusdem nominis, in quo, mense Delphinio certamen in honorem Apollinis peragebatur.

75. *Φαγήσια* Athen *l.* VIII. solemnitas in qua ge-

nio a Cynicis egregie indulgebatur. Dicebatur & Φαγησιπόσια. Affinis huic Φάγων, vel eadem, apud Eustathium.

76. Φαμμάσεια Hesych. ignotum festum.

77. Χαόνων ἑορτὴ Parthen. *Erot.* XXXII. nominis ignoti & rituum.

78. Χάριλα Plutarch. in *Quæst. Græcis* festum apud Delphos novennale, unum de tribus.

79. Χειροτόνια Hesych. opifices celebrabant, & sacra faciebant.

80. Χελιδόνια Athen. *lib.* VIII. instituta a Cleobulo Lindio, cum pecunia egerent. Celebrabantur apud Rhodios mense Boedromione. Pueri circumeuntes stipem hirundini colligebant: res Χελιδονίζειν dicta. Cantilena circumeuntium apud Athenæum.

JOHANNIS JONSTONI DE FESTIS GRÆCORUM SCHEDIASMA.

PARS II.

DE FESTIS DEARUM ET HEROINARUM APUD GRÆCOS.

CAP. I.

De Festis Junonis.

I. FESTA Junonis duo invenio ἑκατόμβαια nempe, & ἥραια.

1. Ἑκατόμβαια, duplex erat festum, 1. Argivorum ab Archino Rege institutum, a quibus Æginetæ tanquam ἄποικοι accepere. Centum boves Junoni immolabantur. Unde nomen ἐκ ἑκατόμβη Δωρικῇ τροπῇ καὶ προσλήψει τοῦ ι desumptum. Carnes populo ex lege distribuebantur. Erat & certamen, in quo τὸ ἔπαθλον, ἀσπὶς χαλκῆ, seu *præmium*, *scutum æreum*. 2. Lacedæmoniorum, quod regio ipsorum esset ἑκατόμπολις.

2. Ἥραια festum, quod ἐκ τῇ ἥρᾳ γίνεται, apud Argivos, Eleos, Coos & Corinthios. Apud Argivos trahebatur currus albis bobus ad templum Junonis extra urbem: ducebatur pompa ἐν ὅπλοις τῶν ἐν τῇ ἡλικίᾳ συχνῶν, qua pompa finita ad aram ponebantur, immolabantur boves centum, qui pompam antecedebant, & immolati inter cives distribuebantur. Circa clypeum qui loco supra theatrum fere inaccesso valide affixus erat, certabant. Victor clypeum æneum, qui Ἀργολικαῖς χρῆσθαι καὶ τοῖς δόρασι μεγάλοις scribitur, & coronam myrteam accipiebat. A clypeo χάλκειος ἀγὼν dicebatur. Apud Eleos matronæ sedecim quinto quoque anno, peplum τῇ ἥρᾳ texebant; ἀγῶνα faciebant, in quo virginum pro ætate δρόμου ἅμιλλα; Juniores antecedebant, πρεσβύταται absolvebant τελευταῖαι. Omnibus capillus passus; χιτὼν ὀλίγος ὑπὲρ γόνατος; dexter humerus ad pectus exertus; stadium Olympicum in quo decurrebant sexta parte imminutum. Victricibus corona ex olea; pars e bove Junoni immolata καὶ ἀναθεῖναι γραψαμένας εἰκόνας. Ludis præerant matronæ sedecim, quibus totidem ministræ. Origo ad Hippodamiam Junoni pro nuptiis gratiam referentem refertur. Apud Coos dum sacra fierent, servo nec templum ingredi, nec quicquam τῶν παρασκευασμένων gustare permissum. Apud Corinthios πένθιμος ἑορτὴ erat, a Medea honori liberorum suorum instituta. Juno hæc dicebatur Ἀκραῖα, immolabantque ipsi capram: injectum Deæ simulacro amiculum πέπλος.

CAP. II.

De Festis Minervæ.

MINERVÆ novem festa dicata erant. Ἀθήναια, 2. Ἀλαῖα, 3. Ἀλώτια, 4. Ἀρρηφόρια, 5. Νικητήρια, 6. Ὀσχοφόρια, 7. Παμβοιώτια, 8. Σκίρα, 9. Χαλκεῖα.

1. Ἀθήναια & Παναθήναια, postquam Theseus omnes Atticæ incolas in urbem traduxisset, festum τῇ Ἀθηνᾷ ab Erichthonio vel Orpheo dicatum, & multis cum Romanorum *Quinquatribus* idem. Erant duplicia 1. Minora, quibus quotannis XX. Thargelionis data, & triplex certamen, equestre nempe, lampadarium, quod vespere exhibitum, & nox sequens pervigilio transigebatur; gymnicum, quod olympiadis LIII. anno tertio institutum, juxta paludem inter Piræeum & Herculis Tetracomum, in stadio παναθηναϊκῷ habebatur; & Musicum a Pericle authore in Odeo agi solitum, in quo Aristogitonis, Harmodii, & Thrasybuli laudes decantatæ. Chorus circularis χορηγῶν impensis exhibebatur, & Poetæ quatuor dramatibus concertabant. Victor epulum sodalibus dabat: ipsi corona oleaginea, & ex olivis μορίαις olei urceus, quod & extra Atticam deportare licebat præmium. Dati & Pyrrhichistæ pueri investes, & gladiatores ex nequissimis emti. Veste tincta ludos spectare nefas, & in loca theatri dabatur populo ex ærario pecunia. Ad sacram viscerationem & epulum, singulæ urbes coloniarum bovem mittebant. Aperiebatur iis mare. 2. Majora, quibus quinto quoque anno, XXIII. Hecatombæonis data. Cerimoniæ fere eædem: proprium, pepli seu veli navis Athenaicæ in arcem pomposa deductio, quam extra urbem & quidem in Ceramico instruere moris erat. Senes præcedebant & anus; hos viri florentes ætate cum armis; mox ephebi cum corona, milio & chlamyde: tum virgines cum canistris primates, quibus pro pedissequis colonorum filiæ virgines datæ; tandem pueri tunicis ποικιλαμινοῖς induti. Suetum tum & carmina Homeri per rhapsodos recitari, & coronas aureas honoris ergo conferre; Platæensibus & Atheniensibus per præconem bene precari, & captivos vinculis solvere. Cura penes νομοφύλακας.

qui tum fascia alba coronati spectabantur. Reliquos ritus sequentes voces exprimunt.

1. Ἀθλοθέται Polluci certaminum curatores, qui decem, ex unaquaque tribu singuli, quadriennium munere fungebantur.

2. Stadium Παναθηναϊκὸν Hesych. in quo in Panathenæis equites decurrebant. Erat ad Ilissum amnem prope Ardettum. Lycurgus Rhetor struxit, Herodes Sophista collapsum ex albo lapide restauravit.

3. Τετραλογία Laert. in *Platone*, dramata quatuor, quibus simul in Panathenæis Poetæ certabant. Ultimum Satyricum semper.

4. Συναυλία Pollux *lib.* IV. *cap.* X. Concentus tibicinum in Παναθηναίοις συναυλούντων.

5. Χορηγοὶ Xenoph. in *Reip. Athen.* qui sumptus, drachmas τριακοσίας in chorum circularem Panathenæorum festo faciebant.

6. Pocula Παναθηναϊκὰ in Athen. *lib.* XI. quorum in illo festo usus. Capiebant congios binos aut plures.

7. Ἱερὸς πέπλος *Etymol.* Author. velum navis Panathenaicæ candidum & clavis aureis interstinctum, cui Titanomachia, res Minervæ & Atheniensium strenuissimorum præclare gestæ, nec non Antigonus & Demetrius intertexta. Insternebatur Minervæ simulachro.

8. Ἐργαστῖναι Hesych. virgines Athenienses, quæ ab annis septem ad undecim, peplum Panathenaicum XXX. die Pyanepsionis exorsæ texebant.

9. Ἀῤῥηφόροι *Etymol.* Author. virgines duæ virginibus peplum texentibus præfectæ.

10. Ναῦς Παναθηναϊκὴ Philostr. *lib.* II. navis Panathenaica, quæ in illo festo terra per machinas subterraneas remis impulsa, impleto etiam vento ferente sinu, per Ceramicum ad Cereris Eleusiniæ templum volvebatur; idque circumvecta præter murum Pelasgicum, Apollinis Pythii templum, & Mercurios in arcem decucebatur.

11. Κατανίπτης *Etymol.* Author. qui partes pepli Panathenaici, si forte in pompa inquinatæ, purgabat.

12. Πλακὶς Hesych. κλινίδιον κατεσκευασμένον ἐξ ἀνθῶν festo Panathenæorum.

13. Θαλλοφόροι *Etymol.* Author. florentes ætate viri & fœminæ, qui in Panathenaica pompa θαλλὸν seu oleæ ramum ferebant. Παροιμιακῶς dicuntur illi, qui πρὸς μηδὲν χρήσιμοι ἄλλο, ἢ βοσκήμασι θάλλον παραβάλλειν.

14. Σκαφηφόροι Hesych. inquilini qui in Panathenæorum majorum festo, viros ætate florentes, quibus clypeus & hasta, σκάφαις seu ligonibus instructi sequebantur.

15. Ὑδριαφόροι Pollux *lib.* III. *cap.* IV. Mulieres inquilinorum, quæ in eadem pompa cum hydria fœminas Atheniensium subsequebantur.

16. Χλαμύδες μέλαιναι Philostr. lib. II. *in Herode Chlamydes nigræ*, vestes quibus Ephebi in majoribus Panathenæis induebantur, & quidem propter Copreum, quem ab aris Heraclidas avellentem, Athenienses interfecerant. Herodes Atticus albas esse jussit.

17. Κανηφόροι Hesych. Virgines Athenienses primariæ (αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι) quæ a tempore Erichthonii, canistra, in quibus ad sacra facienda necessaria, in pompa eadem ferebant.

18. Ἱστειαυΐδες Hesych. σκεπάσματα seu *Velamenta*, quibus τὰ ἱερὰ κανᾶ seu *sacra canistra* tegebantur.

19. Ἀρχιθέωροι Andocid. in *Orat.* Canistrorum modo dictorum & reliquorum pompæ instrumentorum custodes, qui eadem inter virgines laturas distribuebant. Tanta vero horum veneratio, ut, priusquam attingerent, aliquot diebus ἁγνεύειν necesse habuerint.

20. Διφροφόροι *Etymol.* Author. inquilinorum filiæ, κανηφόρον virginum pedissequæ, quæ umbellam & sellam in deductione navis ferebant.

21. Πανδαμικοὶ Hesych. tunicæ quibus in hac solemnitate pueri induebantur.

22. Πομπαῖον Hesychio ædificium quoddam Athenis, εἰς παρασκευὴν τῶν πομπῶν urbem ingressis a Piræeo prope Cereris.

2. Ἀλαῖα seu Ἀλεαία Pausan. in *Arcad.* festum Minervæ Aleæ apud Tegeates in Arcadia, in quo agon.

3. Ἁλώτια Pausan. festum apud Arcades eidem dicatum, ὅτι Λακεδαιμονίων τὸ πολὺ ἐν τῇ μάχῃ ζῶντας εἷλον.

4. Ἀῤῥηφόρια *Etymol.* Author. festum Minervæ a virginibus Ἀῤῥηφόροις quatuor prosapia nobili, septem annis non minoribus, nec majoribus undecim celebratum, mense Scirrophorione. Suidas ἄῤῥητα ἐν κίσταις τῇ θεῷ tulisse ait. Vestis illis alba & in ea aurum; Sphæristerium in arce, panis proprius, qui νασὸς dicebatur & placentæ quæ Ἀνάστατοι. Duæ pepli texturæ præficiebantur. Festo sui præbitores, a quibus sumptus. Alii ἑρσηφορία in honorem Ersæ Cecropis filiæ scribunt.

5. Νικητήρια Ἀθηνᾶς Procl. in *Timæum Comm.* I. festum ejusdem Deæ ob devictum ab ipso Neptunum Athenis celebratum.

6. Ὀσχοφόρια vel Ὠσχοφόρια Plut. in *Theseo*, festum Minervæ a Theseo institutum. Certabant in eo cursu ephebi nobiles, e singulis tribubus lecti, quorum uterque parens superstes. Currebant a Bacchi templo ad Minervæ τῆς Σκιράδος, quo Phaleri a Sciro vate exstructum, cum palmitibus uvis onustis, qui ὄσχαι dicti: Victor e phiala, quæ πενταπλόα seu πενταπλῆ, quia vinum, mel, caseus, farina & olei parum in ea permixta, dicebatur. Chorus in honorem certantium carmina ὀσχοφορικὰ cantabat, eundemque juvenes duo vestes muliebres induti, palmites gestantes ducebant. Ad hoc muliebres δειπνοφόροι dictæ, quod illis cibum ferrent, commeabant. Præco cum caduceo coronato adstabat, & inter libationem Ἐλελεῦ Ἰοὺ Ἰοὺ acclamabatur. locus in quo templum illud, e ramorum gestatione ὀσχοφόριον apud Hesychium audit.

7. Παμβοιώτια Eustath. *ad Iliad.* β΄. festum Minervæ ab omnibus Bœotis communiter in campo ante Coroneam in templo Minervæ Itoniæ celebratum. Peragebatur cum choreis. Inde Statio *Itonæ læta choris*.

8. Σκεῖρα aut Σκίρα Harpocrat. festum XII. Scirophorionis honori Minervæ τῆς Σκιράδος datum Quædam in eo occurrunt. 1. Umbellæ albæ Σκίρον dictæ quæ tempus ædificando idoneum indicabat a Minerva, Neptuni & Solis sacerdotibus Eteobutadis ex arce Scirum abeuntibus, gestatio. 2. Sacrum σκίρωσις dictum. 3. Cursus epheborum cum palmis ὀσχοφόρια vocatus. 4. Præbitorum ex pellibus victimarum Jovi Milichio ac Ctesio immolatarum vestitus.

9. Χαλκεῖα Harpocrat. festum quod honori Minervæ XXX. Pyanepsioni, primo quidem ab omnibus Atheniensibus, post ab omnibus opificibus, quibus ea Dea tutelaris, ideo Ἐργάνη dicta, celebrabatur. Unde Ἀθηναία & Πάνδημιος vocata est.

CAP. III.

De Festis Cereris.

Plurima Cereri tributa apud Græcos sacra. 1. Ἁλῶα, 2. Δημήτρεια, 3. Ἐρχλώια, 4. Δάμεια, 5. Ἐπαχθὴς, 6. Ἐπικλείδια 7. Ἐπίσκιρα, 8. Θεσμοφόρια, 9. Εὐρυθιώνιον, 10. Λέρναια, 11. Μυ-

σια, 12. Προηρόσια, 13. Πύλαια, 14. Χθόνια, 15. Χλόεια, 16. Ἐλευσίνια, 17. Θαλύσια, 18. Ἐπικρλεῦαι.

1. Ἀλῶα Suidæ Cereris τῆς Αλωάδος erant apud Athenienſes menſe Poſideone, cum τὰς διατριβὰς circa τὰς ἅλως ſeu *areas* facerent. Plurium dierum fuiſſe ex Alciphronis *Epiſtolis* videre eſt.

2. Δημήτρεια Pollux *lib.* I. *cap.* I. τῆς Δημήτρας. Verberabant ſe in illis flagello ex cortice contexto, quod μόροττον dicebatur. Sacerdos Deæ ex Pœmenidarum familia. Δημήτριον lucus Cereris.

4. Ἐρκλεῦια Heſychio feſtum quidem ejuſdem, ſed de quo nihil occurrit.

4. Δάμεια Heſych. Bonæ Deæ erat dicatum a Tarentinis, inque eo *Damium* ſacrificium, quod in operto in honorem ejus habebatur, a contrarietate ita dictum, quod minime eſſet δημόσιον. Deaquoque ipſa Δάμια, & ſacerdos Δαμιάς. Sed quia Tarentinorum dialectus Dorica, dicta potius videatur tanquam δήμια, quia pro populo.

5. Επάχθης Plut. *de Iſide & Oſiride*, Cereri τῃ Αχαίᾳ a Bœotis dicatum: quod tum ob Proſerpinæ deſcenſum cum dolore conflictaretur.

6. Ἐπικλειδίων mentio apud Heſychium, ſed de hoc ſolum ab Athenienſibus celebratum.

7. ΕπισκίραStephano in *Urbibus* Athenienſes in Sciro, (τόπος Σκίρα ἐν τῇ Αττικῇ) obibant, ἱεροποιΐα dicebatur ἐπισκίρωσις.

8. Θεσμοφόρια Theod. *Terapeut.* I. Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ propria, ſeu ab Orpheo ſeu a Triptolemo Rege inſtituta, ſeu a Danai filiabus Pelaſgicis fæminis communicata. Celebrabantur ab Arcadibus, Lacedæmoniis, Drymæis, Thebanis, Mileſiis, Megarenſibus, Syracuſanis, Eretriis, qui carnes, quas tum comedebant, ad ſolem non ad ignem aſſabant, & ſolemnitatem Μεγαλάρτια nuncupabant, & Deliis. Apud Athenienſes celebrabantur Eleuſine, menſe Pyanepſione, per quatuor ni fallor dies a fæminis, quæ quia tribus diebus ante rebus venereis abſtinere tenebantur, ſubſternebant ſibi in lecto cneorum, viticem, conyzam & pinus folia: quædam allia edebant. Porcos expuliſſe Clemens tradit. Tertio die jejunabatur. De ſacris ipſis ſcito, Initia in XIV. menſis diem incidiſſe. Uſitata convitia in Jambes, quæ noſtræ Deæ riſum expreſſerat, memoriam. Invocatam Calligeniam, ſed non ab Eretrienſibus. Carmina peculiaria cantata. Sacrificium ultimo die oblatum. Servis & ancillis ad ſacra accedere nefas. Viri interim captivos qui ſacrorum participes e carcere dimittebant, & die tertio a jure abſtinebant. Reliquos ritus ſequentia vocabula dabunt.

I. Μυλλοὶ Athen. *lib.* XIV. muliebria pudenda, quæ ex ſeſamo & melle facta, extremo feſto Cereri & Proſerpinæ Syracuſis circumferebantur.

II. Αχαίναι Athen. *lib.* III. panes magni, quos Celii ſolemni pompa inferebant dictantes, Αχαίνην ςέατος ἔμπλεον τράγον.

III. Θεσμοφόρια εἰσφέρειν Iſæus in *Orat.* dicebantur viri Athenienſes locupletiores, quando pro uxoribus ſumptus ad Theſmophoria celebranda contribuebant. Tenebantur, ſi tria talenta in dotem attuliſſet.

IV. Στεφανηφόρος *Inſcript. vetus* ſacerdos huic feſto proprius: qui a myſtis ſtatuebatur, & ſacra coronatus obibat.

V. Ἄνοδος Heſych. dies undecimus Pyanepſionis quo fæminæ Athenis Eleuſinem ad Themoſphoria aſcendebant, & quidem cum libris legalibus capiti impoſitis, ob acceptarum a Dea legum memoriam.

VI. Θεσμοφορεῖον Heſych. locus in quo fæminæ & puellæ ſacris his miniſtraturæ, (Θεσμοφοριάζουσαι) publice alebantur, & tum ἁγνεύειν ſeu *in caſto eſſe* dicebantur. Abſtinebant floreis coronis, & mali punici granis.

VII. Νηστεία Athen. *lib.* VII. dies feſti medius ſeu tertius, Pyanepſionis, decimus ſextus, quo jejunium in templo Deæ, & fæminæ ad ſimulachrum ejus χαμαὶ καθήμεναι.

VIII. Δίωγμα Heſych. ſacrificium ἐν ἀπορρήτῳ τελούμενον, quod effari non licebat. Dictum poſtea Ἀποδίωγμα

IX. Ἱεροποιοὶ Polluci *lib.* VIII. *cap.* VIII. qui ſacra faciebant decem numero.

X. Ἐπόπται Suidæ qui ad myſteria anno minimum uno admittebantur poſtquam prius in minoribus Eleuſiniis μύσται fuiſſent. Iidem & ἔφοροι. Ἐποπτεύειν eſt epoptam factum eſſe; quod & ἐποπτεύειν τὰ μυστήρια apud Xiphilinum in *Hadriano*. Hinc & ſacra ipſa ἐποπτικά. Admittebantur quidem in adytum: nec tamen omnia ipſis revelabantur: inprimis σύμβολα τῆς τῶν θεῶν παρουσίας ἃ καὶ μόνοις ἐστι γνώριμα τοῖς τελεσταῖς.

XI. Πέτρωμα Pauſan. in *Arcad.* opus e lapidibus duobus magnis. ἡρμοσμένοις πρὸς ἀλλήλους, in quo libri rituales ſervabantur.

XII. Μελίσσαι Heſych. fœminæ omnis ætatis dignitatis & ordinis ſacris initiatæ. Alii τὰς τῆς Δήμητρος ἱερείας eſſe volunt.

XIII. Ἄχθεια Heſych. Cereris myſticum in his ſacris nomen, quod, ut nec alia, prodere vel audire erat nefas. Parem apud Athenienſes cæteroſque Græcos contrahebant noxam aures & linguæ temerariæ curioſitatis. Atque apud Cretenſes divulgare licitum, idque originem ipſorum ſibi deberi indicio.

XIV. Ἀγυρμὸς Heſych. primus myſteriorum dies in quo initiatio fieri ſolita. Incidebat in XV. dem menſis.

XV. Ἄλαδε μύσται Polyæn. *Strateg.* lib. III. ſecundus myſteriorum dies, quo a præcone admoneri ſolebant, ut ipſa appellatio oſtendit, uti ad mare ſe conferrent. Chabrias in eo victoriam navalem obtinuit.

XVI. Θύα Heſych. omnia quæ tertio die Cereri & Proſerpinæ immolata erant. Immolabant autem mullum Æxonicum, qui a myſtis colebatur, nec guſtabatur. Hordeum, qui in campo Rhario natus ad molas & liba adhibebatur: nihil ex iis foras abjicere licitum. Junonis ſacerdoti nefas quicquam ex iis guſtare. Quin templum ejus, cum Cereri fieret, claudebatur, & vice verſa.

XVII. Χαῖρε Δήμητερ Callimach. in *hymno*, acclamatio mulierum in proceſſione, quæ quarto die fiebat. Vehebatur veſperi calathus curru, tarde bobus trahentibus. Sequebantur fæminæ, μυστιπόλοι ταλάροιο Nonno, cum ciſtis myſticis, faſciis purpureis redimitis, in quibus ſeſamides pyramides, lanæ odoratæ, πόπανα πολυόμφαλα, micæ aliquot ſalis, draco, mala Punica, quod granum Proſerpina comediſſet, corda, ferula, hederæ, placentæ & papavera. Humi tum ſpectabant profani non e tectis, nec ſpuebatur.

XVIII. Ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα, *lampadum dies* quintus myſteriorum dicebatur. Incedebant cum facibus accenſis, noctu, tam viri quam fæminæ, errantis Cereris ſpecie. Unde λαμπάδες ἀκταὶ Sophocli. Dedicabant eaſdem Deo, de magnitudine concertantes.

XIX. Ἴακχος Plut. in *Phocione*, ſextus myſteriorum dies εἰκὰς menſis illius, quo Jacchi Jovis Cererīſque ſi non Proſerpinæ filii, cui templum proprium, ſimulacrum facem manu geſtans & myrto coronatum a Ceramico Eleuſinem per fora cum multo plauſu, choreis, qui etiam Ἴακχος, & æris ſono, a myſtis myrto coronatis deducebatur. Occurrunt in eo ſequentia, I. Ἰακχαγωγοὶ Pollux *l.* I. *c.* I.

qui Simulachri Jacchi deducendi cura fuit. 1. Μυστικὸν μέλος Arist. inter Atheniensium cantus qui in deducendo usitatus. Repræsentationem ejus apud Aristophanem in *Ranis* habes. 3. Ῥειτοὶ *Hesych.* scatebræ prope Eleusinem duæ, quarum una Cereri, altera Proserpinæ sacra, cujus aqua qui Jacchum deducebant, abluebantur & lustrabantur. Hesychius τοῖς λυτροῖς ἁγνίζεσθαι τὰς θιάσης dixit. 4. Ἱεραὶ πύλαι Theoph. in *Charact.* porta qua pompa exibat. 5. Ἱερὰ ὁδὸς,. Etymol. ἡ εἰς Ἐλευσῖνα ἄγουσα ἣν ἀπίασιν οἱ μύσται, via Eleusinem ducens qua mystæ ire sueverant, ad quam Isocratis μνῆμα. 6. Ἱερὰ συκῆ suburbium, in quo ficus ubi mystæ sacra in urbem reducentes interquiescere consueverant. 7. Γεφυρισταὶ Hesych. Convitiatores qui ponti Cephissi, fluvii Athenas ab Eleusina dirimentis, insidentes, in transeuntes eum in reditu mystas scommata jaciebant. 8. Μυστικὴ εἴσοδος Schol. Sophocl. via trans pontem jam dictum qua Eleusinem ingrediebatur. Munita Decelea, sicque impedito itinere terrestri, mari pompa ducebatur.

XX. Certamen Eleusinium A.Gell. *lib.* XV. *cap.* XX. agon gymnicus qui septimo Eleusiniorum die exhibebatur. Præmium victori hordeum, quod id primum Eleusine inventum fuerit.

XXI. Ἐπιδαύρια Pausan. in *Corinth.* octavus Eleusiniorum dies, quo in gratiam Æsculapii, qui Epidauro peractis jam mysteriis venerat, secunda sacra ab Atheniensibus, ut initiari posset, instituta sunt. Illo eos qui primo neglexissent, vel initiari non potuissent, initiari mos erat.

XXII. Πλημοχὸν Athen. *lib.* XI. dies nonus & ultimus mysteriorum, a πλημοχόη vase figulino (κοτυλίσκος alias) dictus. Implebant binas, earumque una ad ortum, alteram ad occasum statuebant, utraque, mystica verba profati, evertebant, Proclus cœlum prius aspexisse ὕε, mox terram despicientes κύε clamasse dicit. Libatio forte erat eversio illa; eaque apud Pollucem censenda, ubi μυστηριώτιδες σπονδαὶ commemorantur.

XXIII. Thesmophorion Marius Victor. *Gramm.* lib. IV. carmen elegiacum in hoc festo cantatum, e duobus dactylis & semipede, adjecta in prima Syllaba una, & in medio altera inserta, ut:

O perpetuo tellus quæ nunc viget usta gelu.

XXIV. Ζημία Hesych. sacrificium quod ultimo festi die ad averruncandam Deæ iram, si quid non rite factum, quasi mulctæ instar offerebatur.

9. Εὐρυθιώνιον Hesych. Cereri sacrum, de quo nihil apud authores.

10. Λέρναια Pausan. in *Corinthiac.* instituit apud Lernæos Philammon honori & Cereris, & Proserpinæ, & Liberi. Deportabatur ad ea ab Argivis antiquitus e Dianæ Pyrhoniæ fano, quod in monte Crathide, ignis.

11. Μύσια Pausan. in *Achaic.* Cereris Μυσίας erant, & apud Argivos per septem dies agitabantur. Primo viri & canes masculi arcebantur templo; mulieres intus relictæ, noctu sacra peragebant. Postridie reduces, risu & scommatibus sese excipiebant.

12. Προηρόσια Hesych. θυσία Cereris τῆς Προηροσίας vulgo προαρκτήρια. Instituta suasu oraculi cum fame premerentur per universam Græciam. Fiebant antequam ararent, pro felici frugum proventu.

13. Πύλαια Strabo *lib.* IX. *Georg.* a Pylæis Cereri τῇ Πυλαίᾳ dicata, Pylagoræ faciebant sacra. Ibidem & ejusdem templum.

14. Χθόνια Pausan. in *Corinth.* Hermionensium erant Cereri τῇ Χθονίᾳ sacra. Totam festi celebrationem apud eundem habes.

15. Χλοεία Eustath. *Iliad.* X. Cereris τῆς Χλόης festum, cui Athenis ante arcem templum erat, estque illa quæ Sophocli εὔχλοος. Celebrabatur vero die sexto Thargelionis, qui Aprili respondet. Immolabatur aries.

16. Ἐλευσίνια, majora nempe ab ipsa Cerere cum Athenas frumento in annonæ caritate sublevasset, vel potius ab Erechtheo Eleusine, ubi Proserpinam filiam quærens fatigata juxta puteum consedit, & a Celeo seu Baubone hospitio excepta ad risum commota fuit, instituta. Dicuntur κατ᾽ ἐξοχὴν Μυστήρια, & quidem τὰ συνέχοντα τὸ ἀνθρώπειον γένος ἁγιώτατα μυστήρια Pretextato. Concurrebant ali-
B quando ad solemnitatem XXX. M. Celebrabantur per novem dies, & quia putabantur πρὸς τὴν παιδείαν καὶ ἐπανόρθωσιν τοῦ βίου facere, ideo τελετὴ dicebantur. De majoribus vero res est, non minoribus, de quibus tanquam Herculis sacris superius dixi. Initiabantur in his a hierophanta noctu, accipiebantque initiandi (inter hos Atheniensium liberi adhuc pueri) qui myrto coronati manus in ingressu templi abluebant, Agræ in templo exiguo, Eleusinæ in amplissimo mysteriorum leges. Jussi puram mentem & puras manus linguæque Græcæ peritiam habere, prælectos ritus describebant. Tum
C variis spectaculis inter quæ membrum muliebre, distinebantur, cum acclamatione κόγξ ὄμπαξ dimittebantur, & quam induerant vestem nunquam nisi detritam deponebant, & vel Cereri aut Proserpinæ dicabant, vel ad infantum fascias utebantur. Exclusi ab eis peregrini, barbari, homicidæ etiam involuntarii, magi, præstigiatores, impii & scelerati. Templo non initiati arcebantur: nec initiati iis quicquam prodere audebant; quin ut eloqui ita audire nefas; jurare tamen per ea licitum. Durantibus nec licebat supplicem libellum offerre; nec manus alicui injicere, nec fœminis bigis Eleusinem vehi; nec mystis vel mustellum edere, vel salem.
D Valentinianus ea tollere propter Pretextatum non potuit, Theodosius evertit. Plura in vocabulis ritualibus quæ sequuntur.

I. Καλλίχορος Apollod. *Bibl.* lib. I. juxta quem Ceres a Proserpinæ, quam Pluto rapuerat, inquisitione fatigata, consedit.

II. Ἀγέλαστος πέτρα Apollod. *ibid.* saxum juxta puteum jam dictum in quo sedit. Alii dicunt in puteo extra Eleusinem in via Megarensi sito, quem Ἄνθινον vocant, consedisse. Ideo nec mystis ei insidere licitum, ne ludentem imitari viderentur.

III. Αὐτοψία Psell. in *schol. in oracula Zoroastris*
E spectatio rerum in mysteriis exhibitatum.

IV. *Cereris mundus* Apul. in *Apol.* dicebantur omnia illa, quæ initiatis in mysteriis exhibebantur, inter quæ κεραυνοί, πῦρ, κυνώδη τινὰ καὶ ἄλλως ἀλλόκοτα τὰς μορφὰς φάσματα; nec non muliebre αἰδοῖον quod Baubo ostenso eo, Cererem ad Cyceonem sumendum permovisset.

V. Ἱεροφάντης Hesych. sacerdos qui mysteria ostendebat; Tacito *Antistes Ceremoniarum*, Idem & *Mystagogus*. Non poterat esse nisi Atheniensis; & quidem Eumolpida, perque totum vitæ tempus, quo munere fungebatur celebs: ideo cicutæ li-
F quore se inungebat. Ornabatur εἰς εἰκόνα τοῦ δημιουργοῦ, veste, coma, & strophio insignis. Ætas & Vox propria; nec fas initiatis nomen ejus prodere.

VI. Δᾳδοῦχος Plut. in *Alcibiade* dicebatur, qui facem gestabat, coma & strophio ornatus. Fungebatur hoc munere per totam vitam, & licitum ei uxorem ducere, repræsentabatque solis effigiem.

VII. Κῆρυξ Pollux *lib.* VIII. *cap.* IX. Præco Mercurii effigiem gestans.

VII. Οἱ ἐπὶ βωμῷ, Euseb. *de Præpar. Evang.* lib. III. qui ad aram miniſtrabant, εἰς τὴν εἰκόνα σελήνης ἐνεσκευασμένοι.

IX. Ὁ βασιλεὺς Heſych. qui ſacris myſteriis præerat. Munus ejus vota patrio ritu nuncupare, ſacra Eleuſine aut Athenis in Eleuſinio facere, ne quis in myſteria peccaret providere, de delinquentibus poſtridie coacto ſenatu cognoſcere.

X. Οἱ ἐπιμεληταὶ Pollux *lib.* VIII. *cap.* VIII. qui myſteria cum Rege curabant. Legebantur a populo quatuor, duo ex Athenienſibus, tertius ex Eumolpidis, quartus ex Cerycibus.

17. Θαλύσια *Etymol.* Author, agitata poſt comportatas fruges, ὑπὲρ Εὐθαλίας καὶ εὐφορίας τῶν καρπῶν. Non tantum Cereri, ſed & Baccho, ad quem ſatio & aratio ſpectat, ſacra.

18. De Ἐπικληναίαις vel forte Ἐπικληνίοις, de quibus Heſychius, nihil occurit præter nomen.

CAP. IV.

De Feſtis Dianæ.

FEſta Dianæ ſunt viginti & duo. 1. Ἀμαρύσια, 2. Ἀρθεμίσια, 3. Βενδίδεια, 4. Βραυρώνια, 5. Δικτυώνια, 6. Καλαοίδια, 7. Καρυατὶς, 8. Κνακαλήσια, 9. Λάφρια, 10. Λιμνάτις, 11. Μουνύχια, 12. Στόφεια, 13. Στυμφάλια, 14. Ταυροπόλια, 15. Τιθηνίδια, 16. Ὕμνια, 17. Χιτώνια, 18. Ἐφέσεια, 19. Τρικλάρια, 20. Θαργήλια, 21. Νηλήϊς, 22. Διαμαστίγωσις.

1. Ἀμαρύσια Pauſan. in *Atticis* celebrabantur in honorem Dianæ τῆς Ἀμαρυσίας tam Athenis ab Athmonenſi populo, quam apud Amarinthios in Eubœa, Eretrienſes & Caryſtios. Illis & certamen, quod Ἀμαρύνθια dicebant.

2. Ἀρθεμίσια Plut. in *Marcello* Syracuſani per triduum celebrabant, vino multo & luſu. Λοχία panis qui offerebatur nomen. Λόμβαι quæ ſacra ordiebantur dictæ.

3. Βενδίδεια Strabo *lib.* X. Thraces primo quibus Diana Βένδις, etiam Athenis, mox φιλοξενοῦντες talia Athenienſes die XIX. Thargelionis obibant. Inſtitutum id in Piræeo & quidem ætate Platonis. Quid illius inſtitutio ſibi velit, vide apud Proclum *in Timæum* Comment. I.

4. Βραυρώνια Heſych. Athenis in Braurone populo, honori Dianæ Brauroniæ ideo dictæ, habebantur quinto quoque anno curantibus Decemviris. Celebrabant ſacra virgines Ἄρκτοι dictæ, quas neque infra quintum, neque ſupra decimum annum eſſe opportuit; quo tempore ἀρκτεύειν & δεκατεύειν dicebantur, quod nempe ad decimum ætatis annum, eo munere fungerentur. Tempus ita exactum Ἀρκτεία dicebatur. Mactabatur Deæ capra, & Rhapſodi canebant Iliada.

5. Δικτυώνια Pauſan. in *Lacon.* Dianæ Dictynniæ annuum apud Lacedæmonios & Cretenſes feſtum. Habebat ad mare ἐπὶ ἄκρᾳ templum. Oblata & ſacrificia, de quibus nihil occurrit.

6. Καλαοίδια Heſych. apud Lacedæmonios quoque celebrabantur. Erat & certamen.

7. Καρυατὶς Pauſan in *Lacon.* Laconibus ſolemne Caryis vico Dianæ, ubi ipſius templum quod καρυάτιον & ἐν ὑπαίθρῳ *ſub dio* ἄγαλμα. Virgines choreas, dum celebrabant, in honorem Deæ anniverſarias, patrio ritu ducebant.

8. Κνακαλήσια Pauſan. in *Arcad.* feſtum quod in monte Cnacalo quotannis Caphyatæ Dianæ Cnacaleſiæ celebrabant.

9. Λάφρια Pauſan. in *Achaic.* agitabant Patrenſes Dianæ Laphriæ. Circumponebantur aræ ligna viridia cubitorum ſedecim, intra aram aridiſſima. Sub feſti tempus aſcenſus ad aram fiebat, limus ad aræ gradus aggerebatur. In pompa, ſacerdos virgo ultima omnium curru, quem cervi trahebant, vehebatur: poſteroque die ſacra magno omnium publice privatimque ſtudio facta. Septo aræ omnis generis animalia, volucres nempe ἐδώδιμοι, apri, cervi, capræ, urſi, lupi, & arborum pomiferarum fructus injiciebantur, & igne injecto incendebantur.

10. Λιμνάτις Pauſan. in *Achaicis*, Dianæ Limnatidi dictum feſtum. In eo ſignum ejus a Preugene opera ſervi Spartanis ſurreptum & Meſoæ ſervatum, e ſacris ſervis unus, Meſoa Patras in aram Deæ transferebat.

11. Μουνύχια Pollux *lib.* VII. *cap.* I. ſacrum Dianæ τῇ Μουνυχίᾳ die XVI. Munychionis, qui menſis decimus, quod tum vincentibus ad Salamina Athenienſibus ἡ θεὸς πανσέληνος ἐπέλαμψε. Offerebantur in templo Deæ placentæ e caſeo factæ Ἀμφιφῶντες dictæ, quibus ἐν κύκλῳ καιόμενα δᾳδία, *circumquaque faces affixæ.*

12. Στόφεια Athen. *lib.* VI. Dianæ Stopheæ erant apud Eretrienſes, Erat & πανήγυρις.

13. Στυμφάλια Pauſan. in *Arcadic.* Dianæ Stymphaliæ Stymphali agebantur, ubi ejuſdem vetuſta ædes, ſignum e ligno rude & impolitum, maxima tamen inauratum parte; ſub lacunaribus ſtymphalides aves ligneæ an gypſeæ? In poſtica parte virginum ſigna cum avium cruribus e candido lapide. Miraculum vide ibidem.

14. Ταυροπόλια Heſych. Dianæ τῇ ταυροπόλῳ dicata erant.

15. Τιθηνιδίοις Athen. *lib.* IV. ferebant apud Lacedæmonios nutrices pueros mares extra urbem in Dianæ Corythalliæ templum, quod ad flumen Thiaſſam prope Cleram erat. Ibi porcellos lactentes immolabant; epulum quod κοπὶς pro puerorum ſalute exhibebatur, inque eo panes furnacei, Κορυθαλλίστριαι Heſychio agitabant choreas τῇ Κορυθαλλίᾳ θεᾷ: Κυριττοὶ Heſych. perſonis ligneis velati riſum excitabant.

16. Ὕμνια Pauſan. in *Arcad.* Dianæ Hymniæ honori & Orchomenii & Mantineenſes celebrabant. Habent in Orchomeniorum regione ἐν ὑπτίῳ τοῦ ὄρους templum.

17. Χιτώνια Schol. Callimachi ſacra Dianæ Chitoniæ tam in Atticæ populo Chitona, quam apud Syracuſas in Siciliæ, quibus & ſaltatio propria.

18. Ἐφέσεια Achil. Tatio *lib.* VI. *de Amorib. Clitophont.* celebrabantur Epheſi a viris multa temulentia pleno per totam noctem foro, & virginibus. In nemore quod retro templum, antrum erat, ad quod virginibus aditus, mulieribus excluſis. Templum nulli ingenuæ fæminæ, ſub capitis pœna f s ingredi: ſervæ Dominum apud Deam accuſare volenti, patebat aditus. Qui ſacra curabant, Ἐσσῆνες dicebantur: qui præerant οἱ Ἀκριτοβάται.

19. Τρικλάρια Pauſan. in *Achaic.* propria Dianæ apud Jones quoſdam. Fiebat lectiſternium penes Virginen uſque dum nuberet. Mactabantur poſt, ob Comethus Virginis ſacerdotis libidinem, Virgo & puer ex formoſiſſimis Deæ: quo ſacrificio tandem abrogato ſolebant liberi eodem quo mactandi ornatu, ſpiceas coronas ei ſuſpendere, & poſtquam ſe flumine Milicho abluiſſent, novis ex hedera impoſitis, fanum Æſymnetes petere.

20. Θαργήλια Dianæ & Apollini erant ſacra; ideo de illis ſuperius.

21. Νηλήϊς Plut. *de virtut. mulier.* Mileſiorum erat, cujus & Ariſtænetus lib. I. *epiſtol.* V. meminit.

22. Διαμαστίγωσις Plutarchus in *Lacon. inſtitut.* quotannis apud Lacones celebrabatur. Flagellabant ſe eo ante aram Dianæ τῆς Ὀρθίας, quæ & *Orthoſia*, ad-

adstantibus parentibus & propinquis hortantibusque, uti perseverarent, adolescentes nobiles: seu oraculo ita jubente, seu in Pausaniæ memoriam, quod Lydas virgis & flagellis depulisset, seu ut vulneribus perferendis, fere assuefacerent. Aram sic cruore perfundebant, & mallebant cadere in conspectu suorum, qui cedentibus minabantur, quam cedere. Certantes *βωμονεῖκαι* dicebantur. Qui ceciderant, publico funere & capite coronato efferebantur, honoresque statuæ. Leve hoc dum conflictus acris: leve fiebat, si sibi pepercissent. Lacones hinc *Plagipatidæ*. Certabant & servi.

CAP. V.

De Festis Proserpinæ & Veneris.

II. PROSERPINA quatuor festa habuit. 1. Ανθεσφόρια, 2. Κόρεια, 3. Θεογάμια, & 4. φερεφάττια.

1. Ανθεσφόρια Poll. *lib.* 1. *cap.* 1. agitabant Siculi & Argivi. Sacris operabantur virgines Ανθεσφόροι nuncupatæ. Inter sacra accinebatur Carmen quoddam θερακιὸν μέλος dictum, tibia.

2. Κόρεια Hesych. θυσία τῇ κόρῃ τελυμένη dicitur.

3. Θεογάμια Pollux *lib.* 1. *cap.* 1. Celebrabant Siculi, sed de iis nihil amplius occurrit.

4. Φερεφάττια Plutarch. in *Lucullo* sacra apud Cyzicenos; immolabatur nigra bos.

III. Veneri data quatuor. 1. Αναγώγια, 2. Αφροδίσια, 3. Θύλλα, & 4. Υςήεια.

1. Αναγώγια Ælian. *V. H.* lib. 1. c. xv. festum Erycinorum, quo Veneri ex Sicilia quasi in Libyam solventi, ut benigne redire vellet, in ejusdem templo sacra fiebant.

2. Αφροδίσια Athen. *lib.* IV. solemnia Cypriis authore Cinyro, in quibus sacris Deæ initiati, pugillum salis & phallos propitii numinis signa accipiebant; ipsi vero assem unum mercedis nomine tanquam meretrici inferebant. Celebrabantur & in Papho, ubi per sexaginta stadia a viris & mulieribus deducta pompa; & Amathunte urbe Cypri, ubi sacrum ei factum *κάρπωσις* dicebatur. Corinthi denique a meretricibus & mulieribus honestis, sed seorsim.

3. Θύλλα Hesych. festum quoque Veneris, sed de quo nihil occurrit.

4. Υςήεια Athen. festum in quo eidem sus immolabatur.

CAP. VI.

De Festis Heroinarum variis.

HABEBANT præter Deas & Heroinæ sua festa, quæ honori ipsarum sacravit superstitiosa antiquitas, ut sunt 1. Εςίαια, 2. Εκδύσια, 3. Αγραύλια, 4. Αγράνια, 5. Λιθοβόλια, 6. Μύσεια, 7. Νεμέσεια, 8. Νύμφεια, 9. Αριάδνεια, 10. Ελένια, 11. Ελλώτια, 12. Εὐμενίδια, 13. Υβρίςικα, 14. Εὐρυνόμεια, 15. Χαρίσια, 16. Αἴωρα, 17. Γαλινθιάδια, 18. Γῆς ἑορτὴ, 19. Ερώτια, 20. Ωραια.

1. Εςίαια Hesych. *Vestalia*, quibus Vestæ sacrificabantur primitiæ, ex quibus nec quicquam efferre vel alteri dare licebat.

2. Εκδύσια Anton. Liberali *Metamorph.* XVI. Latonæ Phytiæ Phæstii celebrabant, & sacra faciebant. Dicta, ἐπεὶ τὸν πέπλον ἡ παῖς ἐξέδυ.

3. Αγραύλια Porphyr. περὶ ἀποχῆς *lib.* II. in honorem Agraulis celebrabant Athenienses & Cyprii. Apud hos homo usque ad Diomedis tempora ipsi immolabatur.

4. Αγράνια Hesych. Argivi agitabant in unius e Prœti filiabus memoriam. Eadem forte cum Αγρια-

A νίοις, quæ apud Argivos νεκύσια, id est, *Mortualia*, apud Thebanos ἀγῶνες seu *certamina* erant.

5. Λιθοβόλια Pauf. in *Corith.* Trœzeniorum erant in honorem Lamiæ & Auxesiæ virginum, quæ cum ex Creta illuc advenissent σασιασάντων in urbe ἁπάντων, a multitudine concitata lapidibus obrutæ sunt.

6. Μύσεια Pollux *lib.* 1. *cap.* 1. Musis sacra. Celebrabant & in scholis pueri, quinto quoque anno, Thespienses maxime. Instituit & apud Macedonas Archelaus, durabatque πανήγυρις per dies novem, uno cuique nomini dicato.

B 7. Νεμέσεια Moschopul. Nemesi dicata ἑορτὴ, καθ' ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα.

8. Νύμφεια Liberal. *Metam.* XXXII. Amphissus Nymphis apud Oetam instituit, propter merita in matrem Dryopen. Erat certamen cursus, neque ad illud fæminæ ulli accedere ὅσιον, ὅτι Δρυόπην ἀφανισθεῖσαν ὑπὸ Νυμφῶν, δύο παρθένοι τοῖς ἐπιχωρίοις ἐδήλωσαν.

9. Αριάδνεια Plut. in *Vita Thesei*, Ariadnæ Theseus instituit, quæ secundo mensis Gorpiæi die celebrabantur. Sacrificium erat, & puer in lecto cubans vociferabatur, & faciebat quod ὠδίνουσαι mulieres solent. Naxii duas Ariadnas fuisse statuunt, utrique festum suum.

C 10. Ελένια Hesych. honori Helenæ, quæ etiam proprio templo, juxta Sebrium vicum prope Alcmanis sepulchrum colebatur, apud Lacedæmonios dicata. Virgines mulo aut curru storea tecto, κάναθρα Græcis, vectæ, pompam in templum, de quo dixi, deducebant. Culta & in Therapnis una cum Menelao, Paride, ac Deiphobo.

11. Ελλώτια Athen. *lib.* XV. Europæ apud Cretenses sacra. Vehebatur tunc, cum Europæ ossibus, solemni pompa, viginti cubitorum amplitudine e myrto corona, ἑλλωτὶς dicta; unde & festo nomen. Quanquam & Europam ἑλλωτίδα τὸ παλαιὸν vocatam, prodit Etymologus: & Phœnices D virginem ἑλλωτίαν dicunt. Sed hoc de Minerva τῇ ἑλλωτίδι accipi debere videtur, cui etiam ἑλλώτια apud Corinthios.

12. Εὐμενίδεια Philo. Eumenidum honori ab Atheniensibus, quibus, σεμναὶ θεαὶ, & Sicyoniis celebrata. Ibi omnia solemnia per viros & fæminas inculpatæ vitæ peragebantur; bellaria seu πέμματα, e juvenibus, spectatissimi apparabant, nec ulli ad pompam servi admissi. Hic πρόβατα ἐγκύμονα *oves gravidæ* immolabantur; pro libamine mulsum, pro coronis adhibebantur flores.

E 13. Υβρίςικα Plutarch. *de Virt. mulier.* mensis Hermæi novilunio ab Argivis celebrabantur, in Telesillæ (quæ mulieribus ad arma vocatis, urbem contra Regem Spartanorum Cleomenem fortiter defendit) honorem, sacra tum Veneri sive Lunæ, quibus una fiebat. Mulieres tunicis chlamydibusque virilibus amiciebantur: Viri muliebres vittas & peplos gestabant.

14. Εὐρυνόμεια Pauf. in *Arcad.* Eurynomes Oceani filiæ apud Phigalenses, qui Dianæ cognomen esse credunt, festum. Fanum ei in Nedæ & F Lymacis confluente, ob loci asperitatem aditu difficile; circaque multæ & condensæ cupressi. Aperiebatur in festo semper alias clausum. Sacra & publice & privatim fiebant.

15. Χαρίσια Eustath. *ad Odiss.* Σ. Gratiarum quidem παννυχίδες erant. Pervigilia in eis & choreæ: qui diutissime pervigilasset, placentam εἰς ἔπαθλον accipiebat.

16. Αἴωρα seu Εωρα *Etymol.* Author. institutum Athenis oraculi jussu in memoriam Erigones Ægisthi & Clytæmnestræ filiæ, quæ cum Tyndareo avo, Athenas ut Orestem accusaret profecta, ab-

ſoluto eo ſe ſuſpendit. Dicebatur & Εὐδείπνος. Carmina tum a Theodoro Colophonio in Erigonem compoſita canebantur. Sacrificium publice & privatim fiebat, quod Ἀλῆτιδα Hygino teſte appellabant.

17. Γαλινθιάδια Liberal. *Metamorph.* XXIX. in honorem Galinthiadis Prœti filiæ inſtituit Hercules: exque eo tempore Herculis feſto præmittebant Thebani.

18. Γῆς ἑορτὴ Thucyd. *lib.* II. habebat certamen. Templum ejus in arce.

19. Ἐρώτια Plutarch. in *Erot.* celebrabantur a Theſpienſibus, quinto quoque anno. Sacrificabatur Amori placandis inter conjuges diſſidiis.

20. Ὥραια Athen. *lib.* XIV. Horarum feſta quatuor anni temporibus haberi ſolita apud Athenienſes. Omnia in illis aſſa, nihil elixum. Ut nimios æſtus ſiccitateſque arcere vellent, pluviaſque tempeſtivas darent, precabantur.

Gratia Deo, qui nos talia feſta celebrare noluit.



JULII CÆSARIS BULENGERI,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI,

DE

LUDIS VETERUM

LIBER UNICUS.

AD
ILLUSTRISSIMUM PUERUM LUDOVICUM A
TURNONE, COMITEM ROSSILIONÆUM,
ILLUSTRISS. HEROIS HENRICI A
TURNONE FILIUM.

ILLUSTRISSIMO PUERO

JUSTO LUDOVICO

A TURNONE COMITI ROSSILIONÆO, ILLUSTRISSIMI HEROIS HENRICI A TURNONE FILIO,

JUL. CÆSAR BULENGERUS

SOCIETATIS JESU PRESBYTER P. F.

Quid mihi animi esse putes, Comes Illustrissime, qui tibi puero libellum de Ludis offeram, a quibus præclara tua indoles, contra pueritiæ ingenium, abhorret? Nam neque pilæ, neque talorum ludo caperis, neque aliis lusibus, quos vulgo pueritia sectatur, addictus es. De te non injuria predicare possum, quod de filio Imperatoris Poeta,

Ludus erat puero raptas ex hoste sagittas
Tractare, & tenero jaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorsum cum pondere conti
Indutas Chalybum saltu transferre catenas,
Inventas agitare feras, & fronde latentes
Quærere.

Mactus hoc virtutis ingenio esto, Illustrissime Comes, & bellicam virtutem, ac literas doctore patre penitus imbibere pergito. Spes enim est, ubi maturior ætas vires animi, corporisque firmaverit, ut in utroque genere, & Galliæ, sicuti majores tui, præsidio sis, & illustrissimæ tuæ familiæ ornamento. Vale.

BENEVOLO LECTORI.

Quia *ludi inter vina frequentes sunt, libuit hic pauca* de Veterum Ludis *scribere, ut sicuti convivia sine luxu esse posse ostendi, ita & lusus quosdam sine noxia & culpa usurpari posse ostendam. Tu quicquid hoc est opellæ, benevole Lector, boni consulito & vino ac lusu moderate uti memento.*

SYLLABUS CAPITUM.

JULII CÆSARIS BULENGERI
DE
LUDIS VETERUM
LIBER UNICUS.

PROLUSIO,
DE ALEÆ LUDO.



NEQUE homines, neque bruta in perpetua corporis, & animi contentione esse possunt, non magis quam fides in cithara, aut nervus in arcu. Ideo lusu egent. Ludunt inter se catuli, equulei, leunculi, ludunt in aquis pisces, ludunt homines labore fracti, & aliquid remittunt, ut animos reficiant. Sed in lusu modus, ut in cæteris rebus, tenendus est. Alea pene ubique vetita. Cicero II. *Philipp.* de Antonio agens, hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere. Idem ait Antonium lege, quæ est de alea, condemnatum. Alea toleranda fuit in Augusto sene, quam remissionis causa sumeret. *Forum*, inquit, *aleatorium calefecimus*, apud Suetonium. Germani aleam inter seria sobrii exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerint, extremo, ac novissimo jactu, de libertate, ac corpore contendant, ait Tacitus lib. *de Morib. Germanor.* Victus voluntariam servitutem adit, quamvis junior, quamvis robustior, alligari se, ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia, fidem ipsi vocant. S. Ambrosius *de Tobia* cap. XI. pertinax aleæ studium Hunnis attribuit. Ferunt Hunnos, cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul, & arma portare, & plures suis, quam hostilibus ictibus interire, frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea, quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fœneratoris, addicant. Laertius *lib.* III. Plato adolescentem, quod alea lusisset, graviter cecidit. Cum autem quidam diceret: *Ita sævis ob rem parvi momenti?* Respondit: *Res parvi momenti non est malis assuescere.* Chilo Laco missus Corinthum, ut fœdus cum Corinthiis feriret, incidit in Principes alea ludentes; abscedit, atque: *Absit ut Spartani cum aleatoribus societatem ineant.* Eliberitano concilio *can.* LXXIX. *Qui ludit alea, cœtu piorum movetur.* Romæ tesseris, aut talis lusere. Horatius *Sat.* III. *lib.* II.

—— *Postquam te talos, Aule, nucesque*
Fere sinu laxo vidi.

Martialis *lib.* XI. *epigr.* VII.

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus.

Persius *Sat.* III.

—— *Angustæ collo non fallier Orcæ.*

Hegesilochus, quod talis luderet, a Rhodiis in exsilium pulsus est. Fugienda alea, quia, ut S. Basilius lib. VII. *Exaemer*, ἐπὶ τοῖς κύβοις ὅρκοι, καὶ φιλονεικίαι χαλεπαὶ, καὶ φιλοχρηματίας ὠδῖνες. *In tesserarum ludo juramenta, contentiones molestæ, avaritiæ dolores existunt.* Aristoteles lib. IV. *Nicomach.* ὁ μὲν κυβευτὴς, καὶ ὁ λωποδύτης, καὶ ὁ λῃστὴς τῶν ἀνελευθέρων εἰσίν. αἰσχροκερδεῖς γὰρ ἀπὸ τῶν φίλων κερδαίνουσιν, οἷς χρὴ διδόναι. *Aleator, fur, latro, sunt illiberales, turpe lucrum sectantur, cum ab amicis lucrum captent, quibus dare oportuit.* Romæ pueri etiam alea ludebant. Horatius lib. III. *Carm.* od. XIV.

—— *Nescit equo rudis,*
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Græco jubeas trocho,
Seu mavis vetita legibus alea.

Leg. 3. *Cod. de aleatoribus*: *Alearum usus antiqua res est, & extra operas pugnatorias concessa. Verum pro tempore abiit in lacrymas*, &c. Vide *lib.* II. *Pandectar. tit. de alea*, *lib.* I. Ea coercitio pertinuit ad Ædiles. Martialis *lib.* V. *epigr. ult.*

Jam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso revocatur a magistro;
Et blando male perditus fritillo,
Ædilem rogat udus aleator.

Ovidius II. *Tristium:*

Sunt aliis scriptæ, quibus alea luditur, artes:
Hæc est ad vestros non leve crimen avos.
Quique alii lusus, nec enim nunc persequar omnes,
Perdere rem caram tempora nostra solent.

Seneca: *Aleator quanto in arte melior est, tanto est nequior.* *L. ult. C. de Religios.* *Nulla est major occasio depravandi animi, quam ludus passim immodicus, ad perniciem omnium rerum.* Sidonius, lib. I. *Epist.* de Theodorico spectante eos, qui alea ludunt, aut ludente: *Theodoricus*, inquit, *Rex Gotthorum in bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in utrisque philosophatur.* Alea ludebant senes. Suetonius in *Augusto*. cap. LXXI. *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς heri, & hodie.* Apud Ciceronem *de Senectute*, Cato ait: *Nobis relinquant talos, & tesseras, qui senes sumus.* Sidonius *lib.* I. *epist.* VIII. *Student pilæ senes, aleæ juvenes præter morem.* Vetus Gloss. κοττιστής, aleator, aleo, qui aleam ludit. Julius Firmicus *lib.* VIII. *cap.* XXV. Aleones. Aleatorium erat prope sphæristerium, ubi aleatores talis ludebant, & pilæ ludo fessi vires integrabant. Sidonius *epist.* IX. & XI. *lib.* VIII. *epist.* XVII. *lib.* V. Horatius *lib.* II. *Satyr.* VII. Volanerium quemdam commemorat, qui cum chiragra perpetuo laboraret, hominem mercede diurna conductum pavit, qui pro se tolleret, & in pyrgum talos mitteret.

—— *qui pro se tolleret, atque*
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pavit.

Jovius lib. XXIX. *Histor.* Philibertum Arausionensem Caroli V. Legatum Florentiam obsedisse ait, & omnia militum stipendia alea perdidisse; quare infecta re abscedere coactum præ dolore obiisse. Omnes ludos improbat Tertullianus lib. *de Spect.* *Ludi etsi minore cura per provincias pro minoribus viribus administrantur, tamen omnes illuc deputandi sunt, unde petuntur, unde inquinantur. Nam & rivulus tenuis ex suo fonte, & surculus modicus ex sua*

fronde qualitatem originis continet. In omnibus ludis aut spurcitia, aut insania, aut sævitia, fraudes, perjuria, molestiæ, rixæ fuere. Apud Ælianum Chius servo iratus dixit: *Ego non te in pistrinum trudam, sed mittam spectatum ludos Olympicos*, πικροτέραν τιμωρίαν εἶναι οἰόμενος ἐν Ὀλυμπίᾳ θεώμενον ὑπὸ τῆς ἀκτῖνος ὀπτᾶσθαι, ἢ ἀλεῖν μύλῃ παραδοθέντα. *Acerbius supplicium ratus spectantem ludos Olympicos sole torreri, quam pistrino traditum molere. Non ita generati sumus a Natura*, inquit M. Tullius, *ut ad ludum & jocum facti videamur, sed ad severitatem potius, & quædam studia graviora, atque majora. Ludo, & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tunc cum gravibus rebus, seriisque satisfecerimus. Ludendi quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. Suppeditant autem & campus noster, & studia venandi honesta exempla.* Tabula talaris dicitur. Tertullianus lib. *de Carne Christi*. Cælius Aurelianus lib. II. *tard. passion.* tabellam talearem vocat alveolum. Calculi, latrunculi, duodecim scripta in alea numerantur, etsi industria in hoc genere plurimum potest. Qui digitis micant, aleam ludunt. Ammianus Marcellinus: *Aleatores se dici timentes, tesserarios appellari cupiunt.* Sed istis alius locus est. Juvenalis *satyr.* I.

- - Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.
- - Simplexne furor sextertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere servo?

P. Mimus: *Aleator quantus in arte aleæ est, tanto est nequior:* Xenophon in *Oecumenico*: Οἱ ἀργοὶ, καὶ μαλακοὶ πονηρότατοι, εἴπερ πονηρίαν νομίζομεν ἀργίαν εἶναι, καὶ μαλακίαν ψυχῆς, καὶ ἀμέλειαν. καὶ ἄλλαι δέ εἰσιν ἀπατηλαί τινες δέσποιναι προσποιούμεναι ἡδοναὶ εἶναι, κυβεῖαί τε, καὶ ἀνωφελεῖς ἀνθρώπων ὁμιλίαι, αἳ προϊόντος τοῦ χρόνου καὶ αὐτοῖς τοῖς ἐξαπατηθεῖσι καταφανεῖς γίνονται, ὅτι λῦπαι ἄρ' ἦσαν ἡδοναῖς περιπεπλεγμέναι. Calor ludentis sæpe aberrat.

Utque petit primo plenum flaventis arenæ,
Nondum calfacti velitis hasta solum.

Sed verba Xenophontis interpretemur: *Ignavi, & molles pessimi sunt, si ignaviam existimamus esse malitiam, & mollitiem animi, & negligentiam. Et aliæ sunt deceptrices dominæ voluptates, cujusmodi est aleæ lusus, & colloquia conventusque hominum inutiles, quæ tandem iis, qui decipiuntur, ostendunt se doloros voluptate obvolutis esse.*

CAP. I.

DE LUDORUM ORIGINE.

LUDOS a Lydis ortos esse auctor est Herodotus *lib.* I. tempore Atyis Regis, ut otio, & quiete, famem, quæ in Lydia grassabatur, fallerent, quam exercitatione, & motu augeri, ac incendi putarent. ἐξευρεθῆναι δὴ ὦν τότε καὶ τῶν κύβων, καὶ τῶν ἀστραγάλων, καὶ τῆς σφαίρης, καὶ ἀλλέων πασέων παιγνιέων τὰ εἴδεα πλὴν πεσσῶν. τούτων γὰρ ὦν τὴν ἐξεύρεσιν οὐκ οἰκηιοῦνται Λυδοί. *Tum igitur inventum ab iis tesserarum, & talorum ludum, & pilæ, cæterorumque ludorum omnia genera, præterquam calculorum, quorum sibi inventionem non vindicant Lydi.* Porro ad famen discutiendam altera quidem die quam longa fuit lusisse, ne ciborumquærendorum sollicitudine torquerentur, altera vero lusu abstinentes vesci consuevisse, atque hoc modo vixisse annis duodeviginti. Si ludos omnes Lydi repererunt, exceptis calculis, sequitur & scenicos ab iis repertos, quibus spectandis totum diem persidendo operam darent. Miror eos pila lusisse, quæ motu & agitatione famem debuit accendere

Tertullianus eadem de re lib. *de Spectacul. Lydos ex Asia transvenas in Hetruria consedisse, & spectacula religionis nomine instituisse, inde Romam accersitos artifices, mutuantur tempus, & enuntiationem, ut ludi a ludis vocarentur.* Plato in *Phædro* Theut Ægyptium πρῶτον, ait, ἀριθμὸν, καὶ λογισμὸν, καὶ λογισμὸν εὑρεῖν, καὶ γεωμετρίαν, καὶ ἀστρονομίαν, ἔτι δὲ πεττείας καὶ κυβείας, *primum reperisse numerum, & numerandi artem, & Geometriam & Astronomiam, & calculos, aleam, tesseras & talos.* Eustathius *ad lib.* I. *Odysseæ* verba Platonis referri ait non ad talos & aleam, sed ad tabulam, aut laterculum, in quo per calculorum motus indicantur Solis & Lunæ conversiones & defectiones. Vocat πεττευτικὴν παιδίαν, πεττευτήριον, διαχαράττεσθαι γάρ τι πλινθίον, ὥσπερ ἐν τῇ πεττευτικῇ παιδιᾷ, *describi quendam laterculum ut in ludo calculorum, & in eo laterculo signari motus solis, & Lunæ.* Idem *ad lib.* II. *Iliad.* πεττείαν Ægyptiacam docet esse philosophiam. Isaacius Porphyrogennetes in *Paralipomenis Homeri* πεττείαν Palamedi ascribit, ut & alii, de quibus infra agemus. Hesychius interdum πεττείαν, & calculos cum κυβείᾳ, & alea confundit. Alibi distinguit his verbis, ἐν κυβείᾳ τοὺς κύβους ἀναρριπτοῦσιν, ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. *In alea talos aut tesseras jaciunt, in ludo calculorum, calculos tantum movent.* Græci, Ægyptii, & Pyrrhus in ludo tabulæ calculos cum tesseris conjunxerunt, & eum lusum usurparunt qui vocatur hodie *trictac*. Romani XII. scripta indigetarunt. Lusus tabulæ constans calculis sine tesseris dicitur hodie *Sckakia*. vulgo *jeu d'Eschmats. Chekmat* regem mortuum significat. Eustathius igitur ex Herodoto discrimen inter κύβους, & πεσσοὺς id est, *tesseras* seu talos, & *calculos* fuisse ostendit his verbis, Ἡρόδοτος οὖν φανερῶς διαφέρειν δηλοῖ κύβον, καὶ πεσσὸν, ἐν οἷς λέγει, ὅτι Λυδοὶ τοὺς κύβους εὗρον, καὶ τοὺς ἀστραγάλους, καὶ τὴν σφαῖραν, καὶ ἄλλα παίγνια πλὴν πεσσῶν. *Herodotus manifeste declarat tesseras, & talos a calculis differre, dicens Lydos invenisse tesseras, talos, pilam, & alia ludicra exceptis calculis.* Sophocles a Palamede tesseras, & calculos repertos ait, ut famem falleret, ac cibi memoriam tolleret.

Οὐ λιμὸν οὗτος τῶν δ' ἀπῶσε σὺν θεῷ.
Εἰπεῖν, χρόνου διατριβὰς σοφωτάτας
Ἐφεῦρε, φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις,
Πεσσοὺς, κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος.

Annon Palamedes famem Deo faciente ab illis expulit, & invenit rationem temporis fallendi sapientissimam, sedentibus post laborem maris, & fluctuum, calculos & tesseras, jucundum desidiæ remedium. Aleam militem fuisse bello Trojano qui aleæ lusum invenerit putat Isidorus; nescio quo auctore. Videtur, ut sæpe alias, in rebus quas ignorat divinare. Verba ejus sunt *lib.* XVIII. *Alea lusus tabulæ inventa a Græcis in otio Trojani belli a quodam milite nomine Alea.* Melius Joannes Antiochensis lib. *de originibus*, Suidas, Cedrenus, & Isaacius Porphyrogenneta Palamedi abscribunt. Ὁ Παλαμήδης διὰ τῆς τάβλας τὸν γήϊνον κόσμον ἠνίξατο, τὸν ζωδιακὸν κύκλον διὰ τῶν δώδεκα κάσσων, διὰ τοῦ ψηφοβόλου, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ἑπτὰ κοκκίων τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν, διὰ δὲ τοῦ πύργου τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ ἐξ οὗ δίδοται πᾶσι καλά τε, καὶ φαῦλα. *Palamedes per tabulam mundum terrestrem obscure significavit, per duodecim capsos, seu septa, & sedes calculorum Circulum zodiacum, per fimum, & colum vimineum, in quo inclusa erant septem grana, quatuor scilicet tali, & tres tesseræ, septem Planetas. Per turriculam, seu fritillum altitudinem cœli, unde bona, & mala dantur; ex colo seu fimo in turriculam tesseræ mittebantur ne fallaci manu tractarentur.* Suidas; Ταῦλα ὄνομα παιδιᾶς. ταύτην ἐφεῦρε Παλαμήδης εἰς διαγωγὴν Ἑλληνικοῦ στρατοῦ σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. τάβλα γὰρ

ἐστὶ ὁ γήϊνος κόσμος, δώδεκα δὲ κάστοι ὁ ζωδιακὸς ἀριθμὸς, &c. ut supra. *Tabula nomen lusus, quem invenit Palamedes in oblectamentum Græci exercitus, cum multa Philosophia,*&c. ut supra ex Joanne Antiochensi. Putem Palamedem reperisse calculorum ludum sine tesseris, quod belli simulacrum est; tesseras a Lydis repertas; tabulam, in qua tesseris, & calculis luditur, quam mundi simulacrum esse volunt, ab Ægyptiis repertam. Negat enim Herodotus calculos a Lydis repertos. Homerus quidem Procos latrunculis, seu calculis lusisse ait. Athenæus *lib.* I. Καὶ οἱ μνηστῆρες δὲ παρ' αὐτῷ πεσσοῖσι προπάροιθε θυράων ἐτέρποντο, οὐ παρὰ τοῦ μεγαπολίτου Διοδώρου, ἢ Θεοδώρου μαθόντες τὴν πεττείαν, οὐδὲ τοῦ Μιτυληναίου Λέοντος τοῦ ἀνέκαθεν Ἀθηναίου, ὃς ἀήττητος ἦν κατὰ τὴν πεττευτικήν. *Proci apud Homerum pro foribus calculis ludunt, non docti ludere a Diodoro, aut Theodoro Megapolita, aut Leone Mitylenæo Athenis, a majoribus oriundo, qui in eo ludo fuit insuperabilis.* Centum & octo fuere Proci, qui totidem, quot essent ipsi, calculos inter se contrarios, numero pares statuerint, ut ex utraque parte quinquaginta quatuor essent, intermedio quodam spatio relicto, quod vacuum esset. In area, quæ acies, & ordines discernebat, calculum unum collocasse, quem Penelopen nominabant. Pro signo, ac scopo is erat, si quis altero calculo ferire posset. Hæc habet Athenæus *lib.* I. quæ ad tabulam Palamedis non faciunt. Itaque verbum ea de re non addimus.

CAP. II.

DE LUDORUM DIVISIONE.

LUDI alii fuere publici, qui in publico ederentur; alii privati, quibus domi luderetur. Ludi publici, in Græcia Olympici, Pythii, Nemeæi, Isthmici, de quibus Petrus Faber doctissime. Romæ Scenici, Gladiatorii, Circenses, Venationes, de quibus nos olim, & plærique alii. De pila Mercurialis. Nos hic de privatis agemus, qui minus vulgati sunt, maxime de iis, qui Romæ in usu fuere, si prius monuerimus in omnibus pene ludis aliquid contra bonos mores esse. Trochus a Catone Dionysio commendatur, qui pueros jubet trocho ludere. Multi alii sunt ludi minus damnosi, quibus hodieque utimur, cum a Græcis, aut Romanis arcessantur, de quibus sic habeto.

CAP. III.

DE LUDO TROCHI, ET TURBINIS.

TROCHUM vulgo eumdem esse putant turbini, βέμβικι, quem pueri flagello in porticibus agitant, dicuntque: τὸν κατὰ σαυτὸν ἕλα, *agito turbinem, qui tuis viribus respondeat.* Hac mente Pittacus dixit cuidam consulenti quam uxorem duceret, ut audiret in porticibus, quid pueri turbines agentes dicerent, audivit ille canentes, τὸν κατὰ σαυτὸν ἕλα, & moneri se sensit, ut uxorem duceret suis viribus, & generi parem. De turbine Tibullus *lib.* I. *eleg.* V.

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arce puer.

Persius *sat.* III.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Græci dicunt, βέμβικα ἐλᾶν, vel ἄγειν. Alius tamen a turbine trochus fuit. Erat enim trochus circulus æneus magnus, cui annuli multi inserti erant, ut strepitu obvii trocho cederent de via. Ansa apprehensus in longum mittebatur, volutabaturque cum strepentibus annulis. Vidi in Italia, qui circulum æneum longe jacerent volutabundum, donec motus per se quiesceret, aut ad lapidem, & obicem offensus inflecteretur, & caderet. Vetus Gloss. Trochus rotæ genus ad ludum. Trochus ludentum rota. Propertius ansam, qua trochus apprehendebatur, clavem vocat. Martialis *lib.* XI. *epigr.* XXII.

—— Tam laxa
Quam celer, arguto qui sonat ære trochus.

Lib. XIV. *epigr.* CLXVIII.

Inducenda rota est. das nobis utile munus,
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Alii *cantum* legunt, ob sonum suavem. Ovidius lib. III. *Artis*:

Sunt illis celereque pilæ, jaculumque, trochique.

Horatius lib. *de Arte Poetica*:

Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit.

Lib. III. *Carminum* Od. XXIV. ludum Græcum vocat:

Venarique timet ludere doctior,
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Martialis *lib.* XIV. *epigr.* CLXIX.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Propertius *lib.* III. *eleg.* XIV.

Quum pila veloces fallit per brachia jactus.
Increpat & versi clavis adunca trochi.

Martialis supra canthum trochi vocavit: Proprie canthus est ferrum ambiens curvaturam rotæ. Gloss. vetus, κάνθος τροχοῦ. Propertius clavem aduncam trochi vocat, ut diximus, ansam, qua trochus apprehenditur. Passeratius putat clavem esse, qua trochus compactilis aperiebatur immitendis annulis, & claudebatur. Ovidius eleg. I. lib. II. *Tristium*:

Hic artem nandi præcipit, ille trochi.

Apud Platonem lib. IV. *de Legibus*: Trochi erant, qui defixi in eodem loco circumagebantur, οἵ γε στρόβιλοι ὅλοι ἑστᾶσί τε ἅμα καὶ κινοῦνται ὅταν ἐν τῷ αὐτῷ πήξαντες τὸ κέντρον περιφέρονται, *Trochi toti stant simul, & moventur, quum in eodem loco defixerint cuspidem.* Basil. homil. V. *in Exaemer. Trochi*, inquit, *accepto primo ictu circumaguntur, quum defixa cuspide in seipsis circumaguntur. Vincit is, cujus trochus ictus diutius volvitur.* Diximus alios fuisse turbines, quorum inferior cuspis in eodem loco non circumageretur, sed scutica agitati vagarentur. Virgilius lib VII. *Æneid.*

Ceu quondam torto volitans sub vespere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent, ille actus habena
Curvatis fertur spatiis. Vocat volubile buxum.

Græci στρόμβον, στρόβιλον, βέμβηκα. Alius fuit trochus, de quo Acron *lib.* III. *Ode* XXIV. Horatii, Trochus est rota, quam currendo pueri virga regunt. Xenophon in *Symposio* meminit circuli pleni ensibus rectis, quos saltu saltatrix ensibus rectis transiliret, de quo egimus lib. I. *Theatri nostri*. Artemidorus *lib.* II. *cap.* LXXVIII. vocat τροχοπαικτεῖν, ἢ μαχαίρας περιδινεῖσθαι. Ludere ad rotam, volvi, & circumagi circum enses, eosque transilire. In *Symposio* Xenophontis mentio fit duodecim rotarum, quas saltatrix vibratas in altum ejiciebat, & excipiebat recidentes saltans.

CAP. IV.

DE LUDO MATERUM, SEU LAPILLORUM.

HODIE pueri apud nos ludum Madrellarum usurpant, in quo quatuor lineæ quadræ foris, quatuor alias lineas includunt, quæ media linea quasi diametro fecantur, & tres unus ex collusoribus bacillos, totidem alius variis locis collocant, & id studiose agunt, ut tres bacillos suos in eadem linea contineant. Meminit ludi illius Ovidius lib. II. *Trist.* eleg. II.

Parva sedet ternis instructa tabella lapillis,
In qua vicisse est, continuasse suos.

Lib. III. *ματαιοτεχνίας*,

Parva tabella capit ternos utrinque lapillos,
In qua vicisse est, continuasse suos.

Madrellas, inquam, nostri vocant, quia Materes sunt baculi, auctore Nonio, unde & apud nos hodieque vox Gallica *Matras* sagittam significat, quasi baculum. Sisenna vetus auctor, *Gallia materibus*, id est, *telis oblongis pugnat*. Materis ἡ ξυλεία, τὸ ὕλημα, unde & materia dicta.

CAP. V.

DE CAPITE, AUT NAVIA.

VULGARIS hodie lusus est, indigetatus, *croix ou pile*, pila navem significat, unde vulgo magister navis dicitur *Pilote*. A Romanis & Græcis ludus hic arcessitur, diciturque, *Caput, aut Navia*, quia olim in nummis ratitis caput erat Jani ex uno latere, ex altero navis. Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. VII. *In aleæ lusu cum pueri denarios in sublime jactantes capita aut naviam exclamant.* Ejus ludi meminit S. Augustinus.

CAP. VI.

DE LUDO PARIS, AUT IMPARIS, SEU ARTIASMO.

HODIE ludus apud pueros frequens est, cui nomen, *pair, ou sou*. de quo Horatius *Sat.* III. *lib.* II.

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Sueton. in *Augusto* cap. LXX. *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quot singulis convivis dederam si vellent inter se post cœnam vel talis, vel par impar ludere.* Schol. Aristoph. *ad Plutum*, παίζειν ζυγὰ ἢ ἄζυγα, ἄρτια ἢ περισσά. Aristot. lib. III. cap. V. *ad Theodect.* ἀρτιάζειν. Ovidius,

Est etiam par sit numerus qui dicat, an impar,
Ut divinatas auferat augur opes.

Plato in *Lyside*, ἀρτιασμὸν qui fiebat nummis, aut nucibus, aut fabis. Pollux *cap.* VII. *lib.* IX. Τὸ δὲ ἀρτιάζειν ἐν ἀστραγάλων πλήθει κρυπτομένων ὑπὸ ταῖν χεροῖν μαντείαν εἶχεν τῶν ἀρτίων, καὶ τῶν περιττῶν. τὸ αὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ κυάμοις, ἢ καρύοις, καὶ ἀμυγδάλαις, καὶ ἀργυρίῳ πράττειν ἠξίουν. Aristophan in *Pluto*,

Στατῆρσι οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν.

Aristoteles lib. III. *Rhetor.* τύχοι γὰρ ἄν τις ἐν τοῖς ἀρτιασμοῖς ἄρτια ἢ περισσὰ εἰπών. Id est, *Vox artiazein in talis pluribus manu comprehensis divinationem habuit parium & imparium.* Idipsum factitatum in fabis, nucibus, amygdalis, & argento. Servi staterибus manu inclusis par impar ludimus. Fieri potest ut in ludo hoc divinet aliquis par ne sit numerus, an impar. Galli nostri dicunt *pair, ou non*. Alii *pair, ou sou*, sive solum intelligant, qui numerus est impar, sive solidum unum, & solitarium, sive illud Gallicum *pair, ou sou*, a voce Græca περισσοῦ dictum sit. Scholiast. Aristoph. *in Plutum*, Δραξάμενός τις καρύων, ἐρώτα πόσα; ἐκτείνας τὴν χεῖρα, καὶ ἐὰν ἐπιτύχῃ λαμβάνῃ ὅσα ἦν ἐν τῇ χειρί, ἐὰν δ' ἁμάρτῃ, &c. Artiasmo luditur apud Platonem in *Lyside*, idque talis, ut & apud Pollucem *lib.* IX. Apud Suetonium tamen distinguuntur tali ab artiasmo, loco quem supra posui. Dio Chrysost. *de consultando*, Οἱ ἀρτιάζοντες ἴσασι μὲν ὅτι ἐν τῇ χειρὶ οἱ προκαλεσάμενοι αὐτοὺς χρῆμα ἔχουσι, οὐ μέντοι ὅτι τοσοῦτον ἀλλ' ἐνίοτε καὶ ἐπέτυχον εἰπεῖν, καὶ οὕτω δὴ κρατήσαντες ἀπηλλάγησαν. *Qui par impar ludunt sciunt eos a quibus provocantur manu rem continere, numerum nesciunt, interdum divinant, & vincunt.* Aristophanis verba quæ supra posui Latina facio. *Quum aliquis pugno incluserit nuces, extenta manu dicit, quot latent nuces hic. Si qui rogatus est numerum divinarit, lucratur id quod erat in manu, si aberraverit,* ἀποτίνει τόσα, *tantumdem de suo exsolvit.* Vide Pollucem *lib.* VII. *cap.* XXXIII. & *cap.* XXIV. χαλκίζειν δὲ παιδείας τι εἶδος ἐν ᾧ νομίσματι ἠρτίαζον. *Ludus in quo nummis par impar ludebant.* Erat alter chalcismus cum rectum nummum digito impositum circumagentes mox excutiebant, & priusquam humi caderet recto digito rursus excipiebant. Qui ita exceperat vincebat, ait Eustathius *Iliad.* ξ. & *Il.* α. Item Pollux *l.* IX. *c.* VII.

CAP. VII.

DE MICANDO DIGITIS.

LUSUS hodie in Italia frequens quo digitis micant, & utraque manu protensis aliquot digitis dicunt, quinque, aut tres, aut septem, & divinare conantur numerum digitorum qui prodeunt. Vulgo vocatur *Mourre*. Hoc ludo ludunt Hymenæus & Cupido apud Nonnum *l.* XXXIII.

—— φιλακρήτου δὲ βολάων
Λαχμὸς ἔην μετέπων ἑτερότροπα δάκτυλα χειρῶν,
Καὶ τὰ μὲν ὀρθώσαντες ἀνέσχεθον, &c.

Sortitio erat jaculationum vinosarum sequens digitos versatiles manuum, quorum alios attollebant, alios intra volam concludebant colligatos. Vet. Gloss. micare λαγχάνειν. Varro in *Parmenone*, *Micandum erit cum Græco, utrum illius numerum, an ille meum sequatur.* Unde proverbium, *Dignus qui cum in tenebris mices*, id est, fidelis est, non fallax, quia si vel in tenebris divinaris quot digitos sustulerit, fatebitur. Olim micatione carnes & merces in foro emebantur, quod postea vetitum, & cautum ut sub exagio, id est, ad trutinam emerentur. Vetuit primus Apronianus præfectus urbi, ut est in veteribus inscriptionibus. Sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus tradere. Glossa, ἐξάγιον, *pensatio*.

CAP. VIII.

DE CASTELLO NUCUM.

LUSIO alia puerilis fuit, quæ hodieque tenet, quamque puer sæpius olim usurpavi, cum castellum e nucibus componeretur, de qua Ovidius *de Nuce*:

Poma cadunt mensis non interdicta secundis,
Et condit lectas parca colona nuces,
Hac puer aut certo rectas deverberat ictu,
Aut pronas digito, bisve, semelve petit.
Quatuor in nucibus non amplius alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus.
Per tabulæ clivum labi jubet alter, & optat,
Tangat ut e multis quælibet una suam.

Fit

Fit quoque decreta qualem cæleste figura
Sidus, & in Græcis littera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus quæ constitit intus,
Quot tetigit virga, tot capit ipsa nuces.
Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur,
In quod missa levi nux cadat una manu.

Plure Ovidius attingit ludos: Primus est, cum rectæ nuces statuerentur, deinde certo ictu dejicerentur, aut digito pronæ decuterentur, aut tribus una imponeretur, castellumque fieret, quod jactu nucum dejiceretur, aut in tabulam declivem, in qua multæ nuces essent, aliæ jactæ eas tangerent quæ in tabula erant. Tum Δ *delta* litera pluribus nucibus compositis exprimeretur, quasi cæleste sidus, & virga tangeretur; aut in vas cavum a longe nuces conjicerentur, quæ vel in cavum intrarent, vel deciderent, cum non intrassent. De illo castello e quatuor nucibus conflato Philo Judæus in *Cosmopœa*: Οἱ καρυατίζοντες εἰώθασιν τρία ἐν ἐπιπέδῳ προστιθέντες κάρυα ἐπιφέρειν ἓν σχῆμα πυραμοειδὲς ἀπογεννῶντες. τὸ μὲν οὖν ἐν ἐπιπέδῳ νηπίοις τρίγωνον ἵσταται, μέχρι τριάδος, τὸ δὲ ἐπιτεθὲν τετράδα μὲν ἀριθμοῖς, ἐν δὲ σχήματι πυραμίδα γεννᾷ στερρὸν ἤδη σῶμα. *Qui nucibus ludunt, solent in plano tribus compositis nucem unam imponere, faciuntque pyramidem. Triangulus igitur in plano puellulis stat usque ad ternarium, nux imposita quaternarium numerum facit, sed inter figuras pyramidem, quæ jam solidum est corpus.* Pueri olim nuces in sinu vestis gerebant, ludebantque, & deprehensi pœnas dabant. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XVIII.

Alea parva nuces, & non damnosa videtur,
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Horatius *sat.* III. *lib.* II.

—— Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo vidi.

CAP. IX.
DE PILA, ET RETICULO ROMANO.

De pila consule Mercurialem lib. *de re Gymnastica*. Romanos autem pilas, ut nos hodie reticulo excussisse docet Ovidius *lib.* III. ματαιοτεχνίας,

Reticuloque pilæ leves fundantur aperto,
Nec nisi quam tollis, ulla movenda pila est.

Apud Romanos quatuor pilæ genera fuisse vulgatum est, follem vento tumentem, quo pueri expulsim ludunt, apud Nonium. Propertius. *lib.* III.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Follis major proprie dicitur pila. Secundo, Trigonalis pila minor dicta est a figura, & situ ludentium, non quod tribus angulis constaret. Cavebant, ne pila excideret. Martialis *lib.* XII. *epigr.* LXXXIV.

Captabit tepidum læva, dextraque trigonem.

Tertio, pila paganica, quæ pagis erat in usu, major trigone, minor folle. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XLV.

Hæc, quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est; & minus arcta pila.

Quarto, Harpastum, pila parva e corio, dicta ex eo, quod ludentes alter alteri pilam pulvere aspersam raperet. Athenæo φαινίνδα est. Martialis *l.* VII. *epigr.* XXXI.

Non harpasta vagus pulverulenta rapis.

Clemen Alexandrinus lib. III. *Pædag.* σφαίρῳ μικρὰν vocat. Pila dicitur & κώρυκος unde Hippocrati κωρυκομαχίη. De Græca pila mox agemus.

CAP. X.
DE SPÆROMACHIA:

Statius in *Præfatione libri* IV. *Sylv.* sphæromachiæ meminit his verbis: *Sed & sphæromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur.* Sphæra illa, seu pila vento plena manibus, pedibusque impellebatur. Quum enim duæ factiones, seu partes essent in stadio, ab una parte pila in medium mittebatur, accurebant alterius factionis partiarii, & pilam manu, vel pede impellebant, ut trans fines, & limites adversariorum eam jacerent. Interim pugnis, calcibus sibi ora contundebant, ut alii aliis pilam præriperent, quam jacerent. Vidi Florentiæ hunc ludum in latissima platea usurpari. Seneca *ep.* LXXX. *Spectaculum, quod omnes molestos ad sphæromachiam avocavit. Si corpus perduci ad hanc patientiam potest, qua & pugnos pariter, & calces non unius hominis ferat.* Infra ex Polluce lusum non absimilem referemus.

CAP. XI.
DE OSCILLATIONE.

De Oscillatione egimus lib. I. *de Theatro*. Græci vocant αἰώρας. Virgilius *Georg.* II.

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

Æoræ erant pensiles jactationes quibus suspenso fune ex arbore homines se jactarent, ut Germanicus *ad Aratum*. Vidi pueros qui trabes longiores in utroque extremo duobus pedibus instructas transversas σταυροειδῶς collocarent, ita ut altera alteri imponeretur, & cum duo in extrema trabe se attollerent, & demitterent, æoras imitarentur.

CAP. XII.
DE OCELLATORUM LUSU.

Ocellata dicuntur nuces quæ occellorum præferunt rotunditatem. Varro, *altera exorat patem libram ocellatirum*. Augustus talis ocellatis, nucibus ludebat cum pueris, apud Suetonium.

CAP. XII.
DE CHALCISMO.

Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. ἐν χαλκισμῷ ὄρθον νόμισμα ἔδει συντόνως περιστρέψαντες ἐπιστρεφόμενον ἐπιστῆσαι τῷ δακτύλῳ. Phrynes lusio fuit. Chalcismus lusio est aleatoria quæ fit per contentam & violentam ærei nummi vertiginem. Is vincit qui nummum rectum digito gerit. Eustathius ὁ χαλκισμὸς κυβευτικὴ παιδιὰ διὰ συντόνου περιστροφῆς χαλκοῦ νομίσματος γενομένη ὅπερ ὁ τῷ δακτύλῳ ὀρθὸν ἔχων ἐνίκα. Pollux, χαλκίζειν δὲ παιδιᾶς τι εἶδος, ἐν ᾧ νομίσματα ἠρτίαζον. *lib.* VII. *cap.* XXII. & XXXIII.

CAP. XIV.
DE OMILLA.

Græcis ludus fuit haud infrequens, quem Pollux exponit *lib.* IX. *cap.* VII. Circulum vel humi, vel in mensa describebant, & ex spatio definito talum in circulum mittebant. Is vicerat, cujus talus in circulo mansisset. Ludus hic vocabatur εἰς ὤμιλλαν, vel ὤμιλλα, quia de certo jactu inter ludentes certamen erat. Interdum in eo circulo coturnicem, ὄρτυγα locabant, quam unus e ludentibus digito feriebat. Ea si ictui cedens extra circulum alas excussisset recalcitrans, addicebatur ei, qui eam digito percussisset & domino victo adimebatur. Alius ludus fuit, cui nomen Tropæ. Talos, vel nuces, & ἀκύλους, glandes in scrobem jaciebant. Vincebat, qui miserat in scrobem; qui aberrarat, vincebatur.

Alter lusus dicitur Episcyrus, seu Ephebica, & promiscua, seu ἐπίκοινος. Sunt duæ factiones, seu partes, singulæ ex pluribus lusoribus, qui lineam quamdam in medio constituunt, quæ Scyr. vocatur.

Ab ea linea ambæ partes ex æquo diſtant, & in ea pilam ponunt. Tum vero duas alias lineas a media linea ex æquo diſtantes hinc inde ducunt', ex quibus utrinque ad mediam lineam currunt, ut pilam arripiant, & ſupra aliorum limites, & fines jaculentur. Certamen utriuſque factionis in eo eſt, ut pilam jactatam arripiant, & eouſque in longum jaciant, donec ſupra limites, & ultimam lineam contrariæ partis eam tranſegerint οἷς ἔργον ἦν ἐπιδράξαϑαί τε τῆς σφαίρας φερομένης, καὶ ἐπιβάλλειν ἕως ἂν οἱ ἕτεροι τοὺς ἑτέρους ἐπὶ τὴν ἑτέραν γραμμὴν ἀπώσονται. *Quibus id negotii eſt, ut pilam per aerem, aut humum expulſam arripiant, donec alterutri alios ad aliam uſque lineam expulerint.* Hoc genus ludi Florentiæ magna celebritate uſurpari vidi.

Tertio, pilæ ludo nomen eſt ἀπόρραξις. In eo pilam oportuit directe in ſolum jactu allidere, ut alii exſilientem in altum arriperent, & manu iterum alliſam remitterent, & ſaltus pilæ varios, ac multiplices numerarent.

Quartus pilæ ludus fuit Urania, quum unus aliquis reclinans ſeſe pilam in cælum projicit, aliis vero cura eſt, ut aſſilientes, priuſquam terram contingat, arripiant. Quod genus ludi apud Homerum in Phæacibus uſurpatum volunt. Porro quando pilam ad murum mittunt, ſaltuum multitudo numeratur. Et victus quidem Aſinus vocatur, & paret imperanti: victor vero Rex dicitur, & imperat quid ſibi officii a victis exhiberi velit.

CAP. XV.

DE TELIA, SEU COTURNICUM PUGNA, SEU ORTYGOPIA.

DIXIMUS ſupra in ludo, qui dicitur ad Hamillam, ſeu certamen, coturnicem in medio circulo poſitam. Telia ludus fuit ſimilis *Artopoli di*, ſeu fœminæ panes vendenti. In eo ludo plures circulos faciunt, in illiſque coturnices ſtatuunt, quas ad pugnam inter ſe ſtimulant. Coturnix, quæ victa circulo ejicitur, in quo locata fuerat, cedit domino coturnicis victricis. Vide Pollucem *lib.* IX. *cap.* VII.

CAP. XVI.

DE BASILINDA, ET DIELCYSTINDA.

IN ludo, cui Baſilindæ nomen fuit, unus aliquis ſorte Rex fiebat, jubebatque quid agi vellet, cæteri parebant. In ludo Dielcyſtinda duæ ſunt puerorum partes, alii alio trahentes. Victoria penes eos, qui alios ad ſuas partes traxerint. Vide Pollucem *loco* mox *citato*. In palæſtris autem luſus hic frequens erat.

CAP. XVII.

DE MYINDA, ET CHYTRINDA.

VULGARIS apud nos ludus eſt, cæci appellatione. Unus aliquis clauſis oculis ambulat, cæteri ſuffugiunt, & laceſſunt ambulantem; quemcumque manu apprehenderit, eum in locum ſuum ſubſtituit. Ita Græcis in Myinda unus aliquis connivens oculis, voces ſociorum obſervat, & quemcumque ſuffugentium arripuerit, hunc connivere cogit, & conniventem caſu occultatos invenire. Si tamen nomen ejus, quem apprehenderit, divinarit. In Græco Pollucis error eſt, quem ita reſtitue, αὐτίκα καταμύειν ἀναγκάζει, καὶ μύσαντα κρυφθέντας ἀνιχνεῦσαι μέχρι φωράσῃ, καὶ μύσας ἄν τις προσάψηται προδείξῃ μαντευόμενος, ἕως ἂν τύχῃ.

In Chytrinda unus aliquis in medio ponitur, ſedetque olla, ſeu chytra dictus. Alii circumcurrentes vellicant eum, & laceſſunt, ac feriunt. Ipſe in orbem ſe vertens, ſi quem apprehenderit, eum in locum ſuum ſubſtituit. Eſtque interdum, ut quis capiti ollam impoſitam ſiniſtra teneat manu in circulo ambulans. Alii ipſum feriunt interrogantes, *Quis ollam*. Reſpondet ille: *Ego Midas*. Quemcumque contigerit pede, hic pro eo cum olla circumit. Vide Pollucem, Heſychium, & Suidam.

CAP. XVIII.

DE EPOSTRACISMO.

IN Oſtraciſmi ludo teſtulam marinam in aquæ ſuperficiem mittunt, numerantque quoties ſubſilierit, priuſquam aqua mergeretur. Ex ſaltuum enim, quos teſta dedit, multitudine jacienti victoria adſcribitur. Pollux. *lib.* IX. *cap.* VII. ὄστρακον τῶν θαλαττίων κατὰ τοῦ ὕδατος ἐπιπολῆς ἀφιᾶσιν, &c. Minutius Felix in *Octavio*: *Pueros videmus certatim geſtientes, teſtarum in mare jaculationibus ludere*. Is luſus eſt, teſtam teretem jactatione fluctuum lævigatam legere de littore. Eam teſtam plano ſitu digitis comprehenſam inclinem, ipſum atque humilem, quantum poteſt irrotare, ut illud jaculum vel dorſum maris raderet, vel enataret dum leni impetu labitur, vel ſummis fluctibus tonſis emicaret. Is ſe in pueris victorem ferebat, cujus teſta & procurreret longius, & frequentius exſiliret.

CAP. XIX.

DE MUSCA ÆNEA.

IN ludo muſcæ æneæ faſcia pueri obligabant oculos, qui deinde clamabat: *Æneam venabor muſcam*. Alii reſpondebant: *Venaberis, ſed non capies*. Tum funiculis eum cædebant, donec aliquem apprehendiſſet. Unde Pollux in χαλκῇ μυίᾳ, *lib.* IX. *cap.* VII. & Heſychius in *voce* μυῖνδα. Si quis oculis clauſis alios quærens aperuiſſet oculos, ne diu erraret, πάλιν καταμύει, rurſus claudere oculos, & connivere cogitur.

CAP. XX.

DE LUDO ἐν κοτύλῃ.

EUSTATHIUS *ad Illiad* X. κοτύλη τὸ κοῖλον τῆς χειρὸς, *Cotyle eſt vola*, ſeu *cavum manus*. Unus aliquis manus poſt terga retorquebat, & digitos digitis implicabat. Alius quiſpiam in cavum manuum ejus genua indebat, & ita dorſo inſidebat, & caput, vel cervices, aut oculos ferentis manu amplectebatur, ut firmius dorſo ejus hæreret, ne decideret. quum deſcenderat, idem qui prius ferebatur, alium dorſo exceptum eodem modo circumferebat, ut ait Euſtathius *ad lib.* V. *Iliadis*. Vide Pollucem *lib.* IX. *cap.* VII.

CAP. XXI.

DE ACINETINDA.

IBIDEM Pollux meminit ludi Acinetindæ, quum certarent inter ſe quis diutius ſine motu in veſtigio permaneret.

CAP. XXII.
DE APODIDRASCINDA.

DE hoc ludo Pollux, quidam in medio sedet clausis oculis, aut ab altero compressis. alii diffugiunt, ad quos ille inquirendos cum surrexerit, hi certatim locum ejus occupant.

CAP. XXIII.
DE ASCOLIASMO.

APUD Pollucem Ascoliasmus fuit quum uno pede sublato, altero solo saltarent. qui plures saltus, ac longiores fecisset is vincebat. Interdum is qui uno pede saltabat, alios utroque fugientes insequebatur, donec aliquem ex iis assecutus esset. Interdum insiliebant in utrem unctum vino plenum per Dionysia, idque uno pede, ut cum cecidissent, risui essent, ait Eustath. *ad lib.* x. *Odyss.*

CAP. XXIV.
DE OSTRACINDA.

POLLUX. *lib.* IX. *cap.* VII. Ostracinda est cum pueri in medio lineam trahentes, & in duas partes divisi, altera pars stans id quod erat extra testam sibi vindicabat, quod intus, quum unus aliquis testam in lineam jecisset, pars superior & victrix victos fugientes insequebatur. Qui fugiens captus erat, dicebatur Asinus, qui jacit testam dicit, nox aut dies. Nam pars interior pice oblinitur, pars exterior dicta alba. Vocatur & hic ludus ὀςράκυ περιςροφὴ, *testæ conversio*. de quo Plato in *Phædro*. Asinus sedere, & ludo abstinere cogitur. Eustathius *ad l.* v. *Iliad.* Duos tantum pueros ponit, qui testam jacerent in lineam in medio ductam: Plato comicus ait alios pueros ex altera parte, alios ex altera stetisse, testa ex una parte alba, ex altera nigra erat, Si pars testæ alba cecidisset, fugiebant nigri, sequebantur albi.

CAP. XXV.
HIPPAS.

APUD Hesychium Hippas lusus fuit, *ὅταν οἱ παῖδες ἐπὶ τῶν ὤμων περιβάδην καθέζονται, quum alter alterius pueri dorso insidens, ut equo vehitur.*

CAP. XXVI.
DE MONOBOLO.

JUSTINIANUS *Cod. de Aleatorib. l.*3. plures ludos commemorat: *Monobolon, Contomonobolum, Quintanum Contacem sine fibula, Perichyten, & Hippicen quibus sine dolo & machinationibus uti permittitimus*. Photius *Nomocanonis* cap. XXIX. *μόνον δὲ παίζειν ἔξεςι μονόβολον.* Hoc Photius sumpsit ex *l.* I. *C. de Aleatorib.* ubi hæc verba habentur. *Duntaxat autem ludere liceat Monobolon*. Balsamon *ad Photium* Monobolum esse ait δρόμον, seu *cursum*.

CAP. XXVII.
DE IMANTELIGMO.

IMANTELIGMUS, ut est apud Pollucem, est duplicis lori implicata more labyrinthi circum volutio, *καθ' ἧς ἔδει καθέντα παττάλιον, τῆς διπλόης τυχεῖν, per quam oportuit, baculo inserto complicationem tangere, & solvere*. Si enim non soluto loro, paxillus loro circumplicatus esset, vincebatur is qui paxillum inseruerat. Debuit igitur qui paxillum inserebat ita eum inserere, ut inserendo duplex lorum solveret, ne paxillus circumplicaretur. Quod Galterus Pollucis Interpres non explicat. Meursius ita ludum interpretatur. Duplex lorum inter se circumvolvebant, cui inserto paxillo, nisi is soluto loro obvolutus eo esset, is qui inseruisset vincebatur. Imo, nisi soluto loro paxillus evolutus, & explicatus esset illa complicatione, is qui inseruerat vincebatur. Verba Græca sic habent *lib.* IX. *c.* VII. *ὁ δὲ ἱμαντελιγμὸς διπλῦ ἱμάντος λαβυρινθώδης τίς ἐςι περιςροφὴ, καθ' ἧς ἔδει καθέντα παττάλιον τῆς διπλόης τυχεῖν. εἰ γὰρ μὴ λυθέντος, ἐμπεριείληπτο τῷ ἱμάτι τῷ παττάλιον, ἥττητο ὁ καθείς. παττάλιον* interpretor clavum, vel pessulum ligneum, qui indebatur ut solveret complicationem. Eustathius *ad ξ. Iliad.* rem non explicat. *Imanteligmus*, inquit, *erat duplicis lori flexuosa quædam involutio, διπλῦ ἱμάντος σκολία τις εἴλησις.*

CAP. XXVIII.
DE EQUITANDO IN ARUNDINE.

HUJUS ludi meminit Horatius *lib.* II. *Sat.* II. *Ludere par impar, equitare in arundine longa*. Quod hodieque factitant puelli. Valerius Maximus *l.*VIII.*c.*VIII. *Socrates non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade visus est*. Plutarchus in *Apophthegm. Lacon. de Agesilao*, *ὅτι μικροῖς τοῖς παιδίοις κάλαμον ἐπιβεβηκὼς ὥσπερ ἵππον οἴκοι συνέπαιζε, quia colludebat cum filiolis, arundinem quasi equum inscendens*. Ælianus dixit, *κάλαμον περιβαίνοντα ἱππεύειν*, lib. XII. *Var. Hist.* cap. XV.

CAP. XXIX.
DE CASULIS EXSTRUENDIS.

HORATIUS *ibidem* alios puerorum ludos attingit:

Ædificare casas, plostello adjungere mures.

Tibullus *lib.* II. *eleg.* I.

Turbaque vernarum saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virgis exstruet arte casas.

CAP. XXX.
DE SPECULO PYTHAGORÆ, SEU PYTHAGO.

SUIDAS in *verbo θετταλὴ γυνή*. Pythagus est lusus per speculum. Luna plena, & orbiculata si quis speculum sanguine inscribat, & exaret quæ voluerit, cum alium monuerit, ut stet pone se, ostendit ad Lunam literas. Et ille, qui prope est, intendens oculos *εἰς τὸν τῆς σελήνης κύκλον, in circulum Lunæ*, leget omnia, quæ scripta sunt in speculo.

CAP. XXXI.
DE RATHAPYGISMO.

RATHAPYGISMUS fuit, cum per ludi lasciviam obliquo pede, vel plano, vel etiam manu nates alicujus percuterent. Quod hodieque servatur inter milites, quorum nates, si deliquerint, galea feriuntur. Hesychius in *voce ῥαθαπυγίζειν*. Eustathius *ad Odyss.* ρ. Aristophan. Scholiastes in *Equitibus*. Milites Romani præbebant suram vite feriendam Centurioni. Tacitus I. *Annal.*

CAP. XXXII.
DE LUDO ATHENIS IN BALNEO ACADEMIÆ.

EXPLICATUM a Gregorio Nazianz. in *Vita S. Basilii: Qui recens Athenas studiorum causa venerat, ab iis, qui priores eum occupassent, hospitio excipiebatur, deinde ab aliis varie exagitabatur,*

tum per forum cum ingenti pompa ad balneum Academiæ trahebatur, binis omnibus, æquo spatio distantibus ante eum incedentibus: Cum propius accessissent, fores ante eum, horrendo clamore pulsabant, ut adolescentem terrerent, & fiduciam ejus experirentur, foribus apertis introductum in numerum suum cooptabant. Ante hoc tentamentum non licuit, ut Photius scribit in *Excerptis*, nisi pallium Sophistarum sententia ei adjudicaretur. Dabatur ætate Basilii in balneo, postquam lavisset, ab antistitibus scholarum. Sed sumptus splendidos faciebat in eos, a quibus pallium accepisset. Olympiodorus vocat eos τοὺς τῶν διατριβῶν προστάτας, *adolescentes scholasticos*. Vide Theodorum Prodromon in *Tetrastichis*, & Eunapium in *Proæresio*.

CAP. XXXIII.
DE CINDALISMO.

POLLUX *lib.* IX. *cap.* VII. Cindalum vocant paxillum, quem unus aliquis defigebat in terra humida, & madida, mox defixi paxilli caput alio paxillo feriebat, expellebatque, Is Hesychio dicitur κινδαλοπαίκτης, seu πασσαλιστής. Apud Eustathium *ad Iliad.* ι. pro κινδαλοπλίτας, lego κινδαλοπλήκτας. Meursius κινδαλοπαίκτας.

CAP. XXXIV.
DE SCARIA, SEU SCINTHARISMO.

POLLUX *ibidem*: Scintharismus est cum medio manus digito pollici submisso nasum alicujus ferimus. σκινθαρίζειν est talitro ludere. Hesychio dicitur σκαρία, σκαρίζειν. Eustathius *ad Iliad.* λ.

CAP. XXXV.
DE STREPTINDA.

POLLUX *ibidem*: In hoc lusu testulam, aut numisma jacens, alio desuper injecto convertebant.

CAP. XXXVI.
DE SCHOENOPHILINDA.

POLLUX *ibidem*: Considunt in orbem, unus ex eo numero funem clam a tergo alicujus deponit, qui, id si non animadvertit, vapulat circum currens considentes, si animadvertit, eum, qui deposuit, circumagitans verberat.

CAP. XXXVII.
DE COLABISMO.

POLLUX *ibidem*: Unus aliquis manibus planis sibi ipse oculos comprimit, alius eum percutit, & rogat, utrum eum percusserit. Hoc lusu Judæi Christo Domino, qua nocte captus est, illusserunt apud Caipham, cum ei oculos fascia obvelassent, & alapis genas ejus cæderent. Ludus vulgo dicitur *Cappifolet*.

CAP. XXXVIII.
DE COTTABO.

COTTABI varia genera in conviviis fuere. Hoc tantum pono ex Suida. Virga longa in terram defixa est, ac super eam altera, quæ utrinque agitatur ut in statera. Ex hac lances duæ appensæ, sub quibus crateres duo aqua pleni, sub aqua statua ænea erat Manes dicta. Qui volunt cottabum ludere, phialam vino plenam habent, & longius absistentes inter se certant. Quod vini ex epota illa superest, id in lancem mittunt, ut repleta gravis fiat, inclinetque & caput allidat statuæ sub aqua latentis, atque ita sonum ædat. Qui ita jacit, ut ne gutta quidem in terram cadat, majoremque e jactu sonum edat, vincit. Vide Athenæum *lib.* XI. & XV. Tzetzem *Chiliade* VI. *cap.* LXV. & Pollucem *lib.* VI. *cap.* XIX.

CAP. XXXIX.
DE CONTOMONOBOLO.

CONTOMONOBOLUM, *l.* I. *Cod de Aleatoribus*, *& leg.* 3. est πήδημα, ut vult Balsamon. Existimem eos conto innixos fossas, aut rivos transiliisse, quod hodieque fit. Ibidem Hippice est lusus equestris. Eadem *leg.* 3. permittitur Quintanus Contax sine fibula, χωρὶς τῆς πόρπης. Balsam. *ad tit.* 13. *Nomocanonis*, ait fuisse jaculationem ἄνευ περόνης, ἤτοι σιδήρου, *sine fibula, ferro, vel cuspide*; dictam a Quinto quodam milite. Habemus hodie in Gallia ejusmodi ludos, qui fiunt vel decursione navigiorum in fluviis cum lancea, & conto, ita ut scopus aliquis percutiatur, ubi percutientes sæpe in fluvium devolvuntur. Dicitur *Courir la Quintaine*. Aut ut in Italia equites decurrentes, hasta inermi, & pura stipitem armatum feriunt, quem Itali vocant *Il Faquino*. Memini hujus ludi Robertus Monachus *historiæ Hierosolymitan.* lib. v. Terræ infixis sudibus scuta apponuntur, quibus in crastinum quintanæ ludus scilicet equestris exerceretur. Igitur ad sudes humi fixas scuta suspendebantur, ut discerent equites adversis hastis cum hoste concurrere, & clypeos hostium ferire vel trajicere. Sumptum id a militibus, qui Romæ in campo Martio ad palum exercebantur, de quibus Juvenalis:

—— *quis nescit palaria campi?*

Quid sit Contopæctes, Synodo VI. in Trullo *can.* LI. ignoratur. Eadem *l.* 3. mentio fit περιχυτῆς, quam Balsamon *tit.* XIII. *cap.* XXIX. *Nomocan.* interpretatur πάλην. Perichyte est lucta, vel quia ipsi luctantes circum seipsos funduntur; vel quia se in terram fundunt, & sternunt, vel quia se manibus, & brachiis circumfundunt; vel quia oleo inuncti in arena se versant, ne membra lubrica sint. Statius;

Postquam oleo gavisa cutis procedit, uterque
Procursu in medium, atque hausta versantur arena

CAP. XL.
DE APHENTINDA.

APUD Pollucem, Aphentinda lusus fuit, in quo qui mittebat testam in circulum, ita jactum moderari opportuit, ut testa intra circulum, consisteret. Hodieque juvenes eo ludo nummos argenteos in circulum, vel unum aliquem laterem pavimenti mittunt. Si nummus in circulo vel latere non steterit, perit jacienti. Idem fiebat talo, vel nuce in eo ludo, qui dicitur ὤμιλλα, vel εἰς ἄμιλλαν. Suidas, ὤμιλλα παιδία τις, ἐν ᾗ ὁ εἰς τὸν κύκλον βαλὼν κάρυον ὥστε ἐμμεῖναι, νικᾷ. Idem scribit Hesychius. Meursius, apud Pollucem legit ὤμιλλαν. Non ausim damnare ἄμιλλαν, quia ex ea voce ὤμιλλα conflata videtur.

CAP. XLI.
DE CHELICHELONE.

APUD Pollucem, Chelichelone est lusio virginum similis chytræ seu ollæ; una aliqua sedens in medio vocatur Chelone, seu testudo, aliæ circumcurrentes rogant: *Chelichelone, quid facis in medio?* Respondet: *Lunam texo, & tramam Milesiam.* Aliæ iterum rogant: *Nepos autem tuus quo fato periit?* Respondet: *Ex equo in mare album saliit*

Eadem pene habet Eustathius *ad Odyss.* φ. ait tamen τὸ χέλει esse προςακτικὸν παρηχήμενον τῇ χελώνῃ, *imperativum, quod testudini acclamabatur.*

CAP. LXII.

DE PHRYGINDA.

APUD Pollucem *lib.* IX. *c.* VII. Testulas læves (Gultherus interpretatur contritas, ὄςρακα τῶν λείων) sinistræ manus digitis interponentes, testulas dextra manu secundum numerum feriunt.

CAP. XLIII.

BASILINDA.

HODIE apud nos pueri regem sorte eligunt cui parent. Ita Cyrus Rex electus in nobiles pueros virgis animadvertit apud Justinum. Vide Pollucem *l.* IX. *c.* VII. Suidam, & Hesychium. S. Chrysost. *de utilitat. lect. scr.* vocat παίζειν ἀρχάς, *ludere magistratus*. Dio Chrysost. orat. IV. *de regno*, παίζειν βασιλέα. Romæ regem in conviviis sorte elegisse vulgatum est. Item pueros inter ludendum sibi regem posuisse docet Horatius. Hodie apud nos sexta Januarii fit rex fabæ, qui vere convivii rex est, sed rex fabæ dicitur, quia faba in placenta inclusa sorte in eum incidit. Horatii verba sic habent, *epist.* I. *lib.* I.

— At pueri ludentes, rex eris, ajunt,
Si recte faxis.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia? quæ regnum recte facientibus offert.

Plato in *Theæteto*, ὁ μὲν ἁμαρτὼν, καὶ ὃς ἂν ἀεὶ ἁμαρτάνῃ κατεδεῖται, ὥσπερ φασὶν οἱ παῖδες σφαιρίζοντες, ὄνος· ὃς δ' ἂν περιγένηται ἀναμάρτητος βασιλεύσει ἡμῶν, καὶ ἐπιτάξει ὅτι ἂν βούληται. *Qui peccavit, & qui semper peccaverit sedebit asinus, ut ajunt pueri pila ludentes; qui vero non peccando superior fuerit rex erit noster, & quicquid volet imperabit.* Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Basilinda est quum sorte rex captus jubet quod fieri oportet, qui sorte minister est & famulus imperata peragit, & undique in eo, & ubique laborat.

CAP. XLIV.

ELCISTINDA.

EUSTATHIUS *ad lib. Iliad.* ρ. δοκὸς ἀνδρομήκης ἵςατο. Trabs figebatur viri magnitudine in medio perforata, per quam funis trajiciebatur, quo suspensi utrinque duo juvenes, alter alterum trahere satagebant, dorsumque inter se obvertebant. Qui vim faciebat, & alterum ad trabis verticem attollebat, victor erat. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. id vocant Scaperdam trahere. Interdum aliqui terga invicem præbentes trahunt uno alligati vinculo. Id fiebat Dionysiorum festo, ait Hesychius. In eo, quia erat labor multus trahentibus, factum est ut omnia difficilia dicerentur Scaperda, ajunt Eustathius, & Hesychius.

CAP. XLV.

DE PLAUSU AD SOLEM.

APUD Pollucem *l.* IX. *c.* VII. Si Sol nube tegeretur, pueri manibus complosis exclamabant: ἔξεχ' ὦ φίλε ἥλιε, *Exere caput, amice Sol.* Vide Suidam, & Eustathium *ad Iliad.* λ.

CAP. XLVI.

DE CUBESINDA.

APUD Hesychium, Cubesinda fuit lusus, quo alius alium in dorso ferebat. Apud Pollucem *l.* IX. *c.* VII. dicitur & Hippas, quia alii aliorum dorso inequitabant. Hic ludus apud nos frequens.

CAP. XLVII.

DE EPHEDRISMO.

APUD Pollucem *l.* IX. *c.* VII. Lapidem erigentes, ad illum eminus pilis jaculantur, aut lapidibus. Qui lapidem non prosternit prosternentem bajulat, compressis ab eo oculis, donec recta ad lapidem perveniat, quem δίορον, seu *diremptorem* vocant. Qui dorso fertur, dicitur ἐφεδριςήρ. Vide Hesychium in ἐφεδρίζειν. Putat eumdem lusum esse ἐν κοτύλῃ, de qua alibi dicimus.

CAP. XLVIII.

DE PENTALITHIS.

POLLUX *ibid.* Quinque calculi, vel lapilli, vel tali sursum jaciuntur, ut manu conversa ea, quæ projecta sunt, in posteriorem manus partem recipiantur. Si non omnia potest ita recipere, ea saltem, quæ novit, & in manu jacent, digitis denuo recipiat. Dicitur πενταλιθίζειν. Apud nos ita puellæ globulos vitreos in altum jaciunt, & manu recipiunt, ne unquam globi mensam, aut terram attingant. Est lusus mulierum.

CAP. XLIX.

DE EOLOCRASIA.

SUIDAS ait moris fuisse, ut juvenes una cœnantes pervigilio certarent. Et qui somr.o consopiti essent, in hos mixturam pridianæ cœnæ effunderent. ἑωλοκρασία. τὸ χθιζὸν βρῶμα, *pridiana cœna*. Hesychius, χθεσινὴ μέθη, *hesterna ebrietas*. Vide Eustathium *ad Odyss.* β. & Tzetzen *Chiliade* VI. *cap.* LXXXV.

CAP. L.

DE PLATAGONIO.

POLLUX *l.* IX. *c.* VII. Platagonium amatores, aut amicæ ludebant. Sic autem & crepitaculum vocatur, & sistrum, quo sopiunt nutrices cum voluptate pueros ægre dormientes. Sed & papaveris, & telephylli folia primis duobus sinistræ manus digitis in circulum flexis imponentes, & vola alterius manu percutientes, si folium hoc ictu ruptum clare sonaret, eos, quos amabant, sui meminisse putabant. Vide Scholiasten Theocriti *ad Idyll.* III. Addit Pollux, Lilium duplex existens, & vacuum interius inflantes, ita ut spiritu repleretur, ad frontem allidentes disrumpebant, & ex sono, an redamarentur, judicabant. Quin & malorum semen, quod malis intus summis inest, primis dextræ digitis humidum adhuc existens, & lubricum comprimentes, si in altum exsiliret, hoc judicabant amicarum benevolentiam, veluti & stillarum sonitu, si reliquiæ potus cottabisantium sonarent.

CAP. LI.

DE EQUESTRIBUS LIGNEIS.

PHOTIUS in *Nomocanone* CXIII. ait eos ludos lege prohibitos, quia in iis esset aliquid aleæ. Ubi Balsamon *ἱππικὰ ξύλινα, equestria lignea*, fuisse ait fabricam ligneam per scalas ligneas alte structam, & oblique, *διὰ κλιμάκων λοξοειδῶς ἀνυψωμένων per scalas oblique exaltatas*, varie in medio perforatam. In scalarum fastigio quatuor globulos discolores deponebant, quos mittebant deorsum per declive. Primus globulus, qui ex ultimo foramine exiret, victorem faciebat eum, qui globum miserat, aut qui globum illum sortitus erat. Verba Græca, quia difficilia sunt, adscribam: *Ἱππικὰ ξύλινα, εἶναι τοῦτο ξύλινόν τι κατασκεύασμα διὰ κλιμάκων λοξοειδῶς ἀνυψωμένων ἐχουσῶν διὰ μέσου ὀπὰς διαφόρους. οἱ δὲ συνθηκίζοντες ἐπὶ τῷ τοιούτῳ παιγνίῳ, βώλους τέσσαρας ἑτεροβαφεῖς ἄνωθεν τῶν κλιμάκων τιθέμενοι πρὸς τὸ κάταντες ἀπολύουσι, καὶ ὁ πρῶτος ἀπὸ τῶν βώλων ἐξερχόμενος διὰ τῶν ὀπῶν ἐκ τῆς τελευταίας ὀπῆς τὴν νικῶσαν δίδωσι ἔχοντι αὐτόν*. Sint igitur quatuor collusores, inter quos convenerit, ut hoc ludant ludo, sint quatuor globi, viridis unus, rubeus alter, albus tertius, niger quartus; sibi quisque suum assumat, aut sortiatur, tum quisque sumat globulum, in fastigio fabricæ hujus collocet, & inde mittat deorsum per declives scalas in medio variis foraminibus perforatas. Is victor erit, cujus globulus per ultimum foramen scalæ in medio foratæ variis foraminibus, primus exierit. Verbum *συνθηκίζειν* ostendit id inter eos convenisse. Verbum *ἀπολύειν* indicat eos e fastigio fabricæ per pronum globulos misisse. Verba *ἔχοντι αὐτόν*, sibi quemque ex collusoribus unum e globulis assignasse, aut sortitum esse. Est apud nos hodie lusus dictus *Foramen Dominæ*, isti aliqua ex parte similis. Est enim fabrica quædam duodecim foraminibus forata, in quæ mittunt suos globulos collusores. Interpres Balsamonis sententiam non est assequutus.

CAP. LII.

DE MELOLONTHE.

FREQUENS hic ludus est in Italia, Pollux *l.* IX. *c.* VII. Melolonthe volucris est. Pueri lino alligantes in aerem emittunt, & quum volunt, filum retrahunt. Avis volans sinuose filum implicat. Ea avis dicitur galleruca. Linum, quo alligabant, erat trium cubitorum, ut docet Eustathius. Vide Scholiasten Aristophanis in *Nubibus*.

CAP. LIII.

DE TROPA.

POLLUX *ibidem*: Mittunt talos in foveam, aut glandes, quæ de industria ad eam rem parata est. Apud Hesychium in *Tropa* vertunt talos in aliam partem.

CAP. LIV.

DE TRYGODIPHESI.

POLLUX *ibidem*: Si quid in catinum fæce plenum immersum sit, unus aliquis reductis post tergum manibus, os in fæcem immergit, & ore extrahit quod in fæce latebat; itaque ore fæce oblito risum movet.

CAP. LV.

DE PYRRICHA.

SERVIUS *ad Æneid.* V. Lusus quem vulgo Pyrricham appellant, Troja vocatur. Pueri galeati belli simulacra cient. Est & armata saltatio, de qua nos in *Theatro*.

CAP. LVI.

DE CHYTRINDA.

POLLUX *l.* IX. *c.* VII. In hoc ludo aliquis in medio considet, Chytra dictus, id est, olla, quem alii vellunt, aut circumtrahunt, aut etiam verberant circumcurrentes. Qui autem ab ipso converso comprehensus fuerit, ejus loco residet. Fit interdum, ut quis capiti ollam impositam sinistra teneat manu in circulo ambulans. Alii ipsum feriunt, interrogantes: *Quis ollam?* Et is respondet: *Ego Midas*. At quemcunque contigerit pede, hic pro eo cum olla circumit. Vide Hesych. & Suidam.

CAP. LVII.

DE EPHETINDA.

EPHETINDA est minoris pilæ ludus a rapiendo harpasto dictus. Athenæus *l.* I. ubi lego, *διὰ τοῦ μικροῦ σφαιρωτοῦ, ὁ ἐκ τοῦ ἁρπάζειν ὀνομάζεται.* Harpastum Romæ dictum. Pollux *ibid.* Phennidem vocat, quam ait vocari ab inventore ludi, aut a *φενακίζειν*, a *decipiendo*; quia quum alteri pilam ostenderint, ad alterum mittunt, & decipiunt. Meursius legit *φαινίνδα*, quod ita vocetur ab Eustathio *ad Odyss.* Θ. Si tamen dicitur a *φενακίζειν*, ut *ibid.* vult Eustathius, melius vocatur *φεννίδα*. Subjungit: *Phæninda missionem habuit ἄφεσιν, & fugam*. Athenæus *l.* I. Pheninda *ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων*, *quod pila ludentes eam mitterent*. Inventor ejus fuit Phænestius pædotriba. Pheninda igitur quasi *φενακίνδα*. Casaubonus legit *Ephetinda* ab *ἐφέσεως*. In Etymologico vocatur *φεννίς*, & inventor *φενέστιος*. Phenindam vult dici quasi *φενακίνδαν*, *deceptricem*. Athenæus *lib.* I. Harpastum dici vult *φαινίνδαν*. Idem Etymologicum, *ἐφετίνδα*, lusus deceptor, & *φενακικός*. Cratinus Ephetindam primus vocavit a missione, *ἀπὸ τῆς ἐφέσεως*.

CAP. LVIII.

DE ALEA.

ALEA proprie dicitur de talis, tesseris, calculis, & omnibus fortuitis, quæ vetita *ff. de Aleatoribus, Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum, l. ult. Authent. interdicimus. Cod de sacrosanct. Eccles.* apud Cyprianum l. *de Aleatorib.* Tali dicuntur a Græcis Astragali, quia fiunt e talis animantium. Talo sunt quatuor anguli inflexi, latera sex inæqualia. Talus ipse ex una parte sinuatus est, altera pronus, seu planus, & concavus. Ei nulla facies plana perfecte, in latera minus lata si cadat, stat; sed minus stabilis est, quam si in latiores duas superficies caderet, suppusque, aut planus fieret. Gellius *l.* I. *c.* XX. Talus quatuor tantum partes habet, quibus insistat, cum ab utroque longitudinis extremo rotundetur. Talus igitur non fere cadit nisi duobus modis, vel in eam faciem e duabus, quas habet latiores, quæ cava est, vel in oppositam, quæ eminet, & protuberat. Aristoteles *l.* II. *c.* I. *de Animal. Omnia*, inquit, *talum habentia in posterioribus cruribus, eum habent erectum in suffragine*, *ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλούμενα ἔξω,*

καὶ τὰς κεραίας ἄνω. *Quod est pronum, foris est; quod est supinum, intus, id est, suppum. Ita ut coa, & felicia intus ex adverso sibi opposita sint, chia, & infausta foris sint, cornua sint supra.* Isidorus *lib.* XVIII. & Papias in *Vocabulario*, pessime existimant trionem esse suppum, quaternionem esse pronum, seu planum. Talis ipse casus fuit pro punctis numerorum, quia ipsis sua figura fuit. Tesseræ autem sex lateribus constabant. & punctis notabantur, ut nostrates tali. Gellius *l.* I. *c.* XX. Talus cubus non est, tessera est. Cubus enim figura est ex omni latere quadrata. Tessera sex lateribus constat. Tesserarum, seu *κύβων πτώσεις ἐξ ἑβδομάδος κατ' ἀντίθεσιν συγκείμεναι*, numeros habuere sic dispositos, ut qui in oppositis duobus lateribus essent juncti, semper efficerent septem: *opponebatur enim unio senioni, trio quatrioni, binio quinioni, ἀντέκειτο γὰρ μονὰς καὶ ἑξὰς, τριὰς καὶ τετρὰς, δυὰς καὶ πεντάς. In talis binio, & quinio non erant*, ait Eustathius. In talis igitur quatuor erant latera, & situs, casusque, nominibus canis, vulturii, & plani jactuum infelicium, Veneris, Basilici, suppi felicium. Artemidorus de tesseris *l.* III. *c.* I. *οἱ κύβοι ἀριθμὸν περιέχουσι. καὶ ψῆφοι λέγονται, tesseræ numeros habent, & calculi vocantur.* Tesseræ, quovis modo cadat, situs firmus est, quia plana est, & non cava. Talorum jactus sunt, Cous, suppus, Venus, Basilicus, felices, Chius, planus, canis, vulturius, infelices. Si pluribus talis luderent, canis, seu monas fuit, quando uno vultu tali omnes caderent, ut infra ostendemus. In talis binio, ternio, seu trio, quaternio non fuere. Soli senio, id est, Venus, & unio, id est, canis, fuere. Venus, si diverso omnes vultu; canis, si uno omnes tali vultu caderent. Suppus tamen ὕπτιος fuit felicior plano, seu πρανεῖ prono. Si unico talo luderent, senio felix fuit, unio damnosus. Si pluribus, canis fuit, si omnes eodem vultu caderent. Apud Ammianum Marcellinum *l.* XXVIII. *c.* IV. Aleatores tesserarii dicti. Tali sub Heroibus fuere minus infames tesseris. De talis, & tesseris quæ ratio Veterum fuerit, Recentiores non satis explicant, quia Græcum morem cum Romano confundunt. Rem duobus verbis expediam, ut nemo in posterum dubitet. Eandem ludi rationem, quæ apud nos hodieque viget, tenuere, quæ triplex fuit. Aut enim in tabula lusere, in qua duodecim lineæ, triginta calculi, ut calculos ad jactum tesserarum ponerent. Apud nos hodie duodecim lineæ, viginti quatuor calculi, vocamus majorem *Trictacum*. Originem rei ad Palamedem refert Isaacius Porphyrogenneta in *Paralipomenis Homeri*: Παλαμήδης πρῶτος τὸ ταβλίζειν, ἤτοι κυβεύειν ἐξεύρηκε, ἐκ τῶν ἑπτὰ κοκκίων τὴν κίνησιν τῶν ἐν οὐρανῷ πλανητῶν, τῶν καὶ μοιρικὴν τύχην, ὥς φασιν, ἐπαγόντων χαρὰς τοῖς ἀνθρώποις, καὶ λύπας, καὶ ὡρίσατο τὴν τάβλην, ἤτοι τὸν πίνακα παιγνίου τὸν γήϊνον κόσμον, τοὺς δὲ δώδεκα κάσους, ἤτοι χαρακώματα, τὸν ζωδιακὸν ἀριθμόν. *Palamedes primus ludere latrunculis, & tesseris in abaco, seu tabula invenit, septem granulis motum erronum cæli, qui fato, ut ajunt, nobis gaudia, & dolores invehunt, & tabulam, in qua ludicrum exercetur, terrarum orbem esse definivit, & duodecim capsos, seu sedes, ac lineas, & septa, in quibus calculi disponuntur, zodiacum esse dixit.* Romani postea calculos cum tesseris conjunxerunt. Qui ludus dicitur *Trictac*. Ausonius de tabula, seu abacio:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo
Omnes qui fuerant enumerasse bolos.

Quisque collusor quindecim calculos movebat ad jactum tesseræ. Quintilianus *Instit.* lib. XI. cap. II. *An vero Scævola in lusu duodecim scriptorum (nam idem est cum tabula) cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus, ad eum rediit qui cum luserat, isque ita factum esse confessus est.* Potuit fuisse ludus hic calculorum qui dicitur *Scakia*. Cum autem Græci, & Romani talos ac tesseras habuerint, jactus, seu boli apud Græcos triginta quinque fuere, plura jactuum nomina, quia pluribus talis usi, quatuor, ut plerumque, sed tesseris tribus tantum, aut duabus. Nomina jactuum Græcanicorum alibi ascribemus. Romani jactus pauciores habuere, infelices canem in tesseris, qui unio, vulturiusque dicitur, ὄνος, κύβος, μονὰς, punctum, οἴνη, unde Latinis unus, in talis Chius, & planus infelices, Venus, qui idem est basilicus, senio, cous item, & suppus felices. Apud Græcos, & Romanos præter tabulæ ludum, de qua supra egimus, fuere duo præcipui talorum, & tesserarum ludi, qui hodieque apud nos publico malo vigent. Prima Plistobolinda, de qua Pollux *l.* IX. *c.* VII. in qua qui plura jacit vincit. Numerantur enim puncta in singulis jactibus, quum luditur ad punctum. Apud Græcos qui tres seniones jecit, τρὶς ἕξ, *ter sex*, semper victor est, qui tres cubos, tria puncta, tres canes τρεῖς μονάδας, *tres uniones*, tres asses, ut Galli loquuntur, semper vincebatur olim, hodie apud nos vincit, nisi adversarius jaciat tres biniones, tres triones, tres quatriones, quiniones, aut seniones. Apud Romanos, & Græcos ætate Luciani qui Venerem jecerat, cum nullus talus eodem vultu consisteret, vincebat. Vulgo ludus ille in quo major numerus vincit, indigetatur, *rafle*, quasi ῥάως ἀφελῶν, *facile* omnia *auferens* numerus. Alter ludus a nostratibus dicitur, *chanse*, sibi quisque numerum quem citius rediturum putat, eligit & vocat, Græci προαιρέσιμον appellant, alium numerum subire cogitur. Ovidius,

Et modo tres jactet numeros, modo cogitet apte,
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Tibi tres ludos præcipuos posui, Tabulam, Plistobolindam, & Ludum proæresimum, in quo sibi quisque tres numeros optat, quos citius redituros putat. Non tantum in ludo calculorum Abacus, & tabula fuit, verum & in tesseris. Plinius *l.* XXXVII. *cap.* II. Alveum lusorium cum tesseris. Tertullianus tabulam talarem, Cœlius Aurelianus tabulam alearem, & alveum nuncupat, Eustathio, σηλία, τηλία, σανὶς πεττευτική. Æschines *in Timarchum*, διημερεύειν ἐν τῷ κυβείῳ, οὗ ἡ σηλία τίθεται, καὶ τοὺς ἀλεκτρυόνας συμβάλλουσι, καὶ κυβεύουσι τοὺς ἀλεκτρυόνας. σηλίαν vocat tabellam aleatoriam, κυβεῖον forum aleatorium. πέσσοι in tabula dicuntur loca, & sedes talorum. Scholiast. Euripid. in *Medea*, πεσσοὺς τοὺς τόπους τῶν κυβευτῶν ἐπεὶ ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς τόποις ὠνόμαζον τοὺς τόπους. ὡς ὄψον καὶ λῦρα ἔνθα ταῦτα συνήθως ἐστίν. ὅπου φησὶν εἰθισμένοι εἰσὶ πεσσεύειν. *Pessos seu calculos vocat ubi talis ludunt, quia loca appellabant a rebus quæ in locis erant, ut obsonia pro macello ponuntur, unguenta pro loco ubi unguenta veneunt.* Calculi proprie latrunculi, & globuli rotundi sunt, tesseræ sex lateribus constant, tali quatuor. Sed quia petti, cubi, & psephi, seu calculi, sæpe pro ludo tabulæ ponuntur, in qua tesseris & calculis luditur; ideo psephos pro tesseris ponunt. In Epigrammatis Græcis *lib.* IV. *tit.* XXXII. *epigr.* IV. in tabula lapidea luditur, seu mensa. Jactus dicuntur βολίδες, βολοκτυπίη.

Ἑζόμενος μὲν τῇδε παρ' εὐλάϊγγι τραπέζῃ,
Παίγνια κινήσεις τερπνὰ βολοκτυπίης.

Item,

Τὴν ὀλίγην μεμφόμενος βολίδα.

Sedens hic apud mensam pulcris lapidibus structam, ludicra jucunda jactus talorum movebis. Lucianus meminit unionis infelicis jactus, & senionis felicis in *Sacerdote*, & *Chrono*. τοῖς ἄλλοις ἐς τὴν μονάδα κυλιομένου τοῦ κύβου, σοὶ τὴν ἑξάδα ὑπεράνω ἀεὶ φαίνεσθαι· πολλοὶ γοῦν ἐς κόρον ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἐπεσιτίσαντο,

οἷς ἵλεως καὶ φόρος ὁ κύβος ἐπινεύσει, οἱ δὲ πάλιν γυμνοὶ ἐξενήξαντο συντριβέντος αὐτοῖς τοῦ σκάφους περὶ οὕτω μικρῷ ἕρματι τῷ κύβῳ. *Tessera aliis in unionem cadente, tibi senionem supra semper extare. Multi igitur ex hoc ludo ad satietatem victitant, quibus tessera amicus est pro vectigali, alii nudi enatant rate fracta ad saxum tesseræ tam parvum.* Cicero *lib. I. de Divinat. Quatuor tali jacti casu Venereum efficiunt.* Senes talis lusere. Sueton. *lib. II. cap. I. Inter cœnam lusimus* γεροντικῶς, ait Augustus. Puncta Latini vocant uniones. Ausonius.

Narrantem fido per singula puncta recursu.

Maximus jactus tres seniones, ut diximus. Epicharmus apud Stobæum tit. *de Nuptiis*, τὸ δὲ γαμεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβους ἀπὸ τῆς τύχης βαλεῖν, *Nubere simile est ac si quis jaciat tres seniones, aut tria puncta forte fortuna, non arte.* Suidas. τρὶς ἕξ νικητήριος βόλος, *tres seniones jactus victoriæ.* Eustathius, κύων κυβευτικὸς βόλος ὃς χῖος καὶ κῷος οἶνος καὶ οἴνη, unio. Suidas, ἔστι δὲ καὶ οἴνη παρὰ τοῖς Ἴωσι μονὰς, *Oene Ionibus est unio.* οἴνη dicitur non οἶνος. ideo Meursius bene legit ὄνον. Non video cur Pollux *l.* IX. *c.* VII. dixerit τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν καλεῖται κύων, τὸ δὲ ἀντικείμενον χῖος καὶ χιὰς, quia Chius est canis Hesychio, Eustathio, Suidæ, cui opponitur Cous. ἑξίτης κῷος, senio. Iones dixerunt ἢ τρεῖς ἕξ, ἢ τρεῖς οἶναι, *aut tres seniones, aut tres uniones.* Pollux *l.* VII. *c.* III. χῖος ὂν καὶ κῖον, καὶ οἶνον, καὶ οἴνην. ἔστι δὲ οἴνη παρὰ τοῖς Ἴωσι μονάς. Gallice vocamus, *as.* jeci tres uniones, *j' ay trois as.* Vitruvius adjecto asse, id est, unitate. εἷς, *unus*, Siculis αἷς, Tarentinis ἆς. κύβος, μονὰς, *cubus, unio.* Eustathius, καθ' ἑκάστην κύβον, ἤγουν καθ' ἑκάστην μονάδα ἔπαιζον ἀργύριον ὁρίσαντες, *ad singulos uniones ludebant definita pecuniæ summa*; qui plura jecerat totam summam auferebat. Tali dicuntur & Meliæ. Eustathius μηλίαι, ἀστράγαλοι, ἄστεια, καὶ ἀστράγαλοι. Tali, taxilli. Pacuvius, *Interim dum contemplor arcam taxillos perdidi.* συνωετικὸς, ἢ κῷος Hesychio senarius, γλάμματα ἀστράκαλοι Hesychio. Tali apud Reges fuere aurei. Justinus *l.* XXXVIII. Demetrius cum a Parthis bis e fuga esset retractus, donatus est a Rege Parthorum talis aureis ad exprobrationem puerilis levitatis. Hesychius, δόρχελοι ἀστράγαλοι, κόνδοι ἀστράγαλοι. Alea, βόλων παιδιά. κυνῆραι, καὶ κωαὶ ἀστράγαλοι. λίγδοι οἱ προστετριμμένοι τῶν ἀστραγάλων, ligdi contriti tali. Bolus, κύβος ἑξάπλευρος, *cubus tessera sex lateribus.* κυβεῖον κυβευτήριον locus ubi alea luditur. Sidonius *l.* IV. *ep.* II. Aleatorium vocat ubi alea luditur. Hesychius, οἱ βύβαλοι οἱ ἀστράγαλοι. Apud Suetonium Augustus ait, *forum aleatorium calfecimus.* Theophrastus in *Characteribus*, δορκάδειοι ἀστράγαλοι. Tali ex cornu, vel osse, vel talo hinnulei. Callimachus, ζορκὸς ἀστείας πέντε νεοσμήκτους, *hinnuli talos quinque recens expressos.* Athenæus *l.* V. ἀστράγαλοι φοινικοβάλανοι, *tali e dactylo palmæ.* Propertio *l.* II. tali eburnei. Tali διάσειστοι *agitati*, παρὰ τὸ κινεῖσθαι, καὶ διασείεσθαι πρότερον, εἶτα βάλλεσθαι, ἵνα ἀκακούργητοι μᾶλλον ὦσι. *Tali commoti prius in fritillo, ne fraus a mala, & sagaci manu sit*, ait Suidas. Æschines *contra Timarchum*, πρῶτον μὲν συνέτριβον τὰ σκευάρια, καὶ διερρίπτουν εἰς τὴν ὁδὸν, ἀστραγάλους τε τινὰς διασείστους καὶ φιμούς. *Primum confregerunt vasa quædam aleatoria, & in viam ejecerunt talos quosdam agitabiles, & fimos.* Pollux *l.* X. κυβευτοῦ σκεύη ἄβαξ, ἀβάκιον, κόσκινον, κύβοι, διάσειστοι, ἀστράγαλοι, φιμοὶ, κημοί, *Aleatoris vasa tabula, abacus, cribrum, in quem indebantur tali, priusquam mitterentur in turriculam, tesseræ, tali commotiles, fumi, cami, fritilli, coli.* Straboni Siphnii tali εὐτελεῖς, & viles a Siphno insula. ἀστρίζειν Eustathio. ἀστραγάλοις παίζειν, ἄστριχοι, ἀστράγαλοι οἷς παίζουσι. Mercurius, & Pan præsidere aleæ dicuntur, κυβείας προστάται λέγονται· κύβοι παρὰ τὸ κυκλόθεν βάσιν ἔχειν, ait Eustathius, *cubi quod in ambitum basim habeant*, πεττοὶ, quia cadunt, πίπτουσι. κύβος πᾶσα τετράγωνος ψῆφος, *cubus, omnis calculus quatuor laterum*; aut παρὰ τὸ κύπτω, ἢ ἀπὸ τῆς κοιλότητος, *quia in præceps volvatur, & in caput.* κύβη *caput.* κύβοι οἱ καταρριπτόμενοι ἑξάπλευροι βόλοι, καὶ οἷον κατακυβιστῶντες ἐν τῷ βάλλεσθαι, *tesseræ boli sex laterum, qui jaciuntur proni, quia subsultant.* Proverbium, κῷος παραστὰς χῖον οὐκ ἐᾷ λέγειν, *Cous astans non sinit loqui Chium.* Vide Eustathium *Iliad.* ψ'. Pollux *lib.* IX. κύβος τὸ βαλλόμενον, καὶ τὸ ἐν αὐτῷ κοιλότητος σημεῖον, *cubus est talus, qui jacitur, & quod in eo cavi signum est, id est, inanitas, canis, punctum.* τύπος, vel τόπος, *character, sedes calculorum*, τρηματικταὶ *aleatores* a punctis, quæ in tesseris notata, & effossa sunt. τύπος τὸ δηλοῦν τὸν ἀριθμὸν τῶν βληθέντων, *typus numerum ostendens jactuum.* τρηματίζειν *ludere tesseris.* σκιρόφια τὰ κυβευτήρια, locus ubi alea luderent, quia Athenis in Scyro templo Minervæ alea ludebant, ajunt Hesychius, Pollux, Eustathius, Suidas. Hesychio γύλλος, κύβος. His subjiciemus varia jactuum nomina apud Græcos. Eustathius, ἄρτος πτῶσίς τις, *Artus casus quidam talorum.* ἀγὰς ἡ πτῶσις τοῦ ἀστραγάλου. *Agas, casus tali.* πλειστοβολεῖν παίζειν ἀστραγάλοις, *Plistobolein ludere talis.* Stesichorius jactus, qui octonarium numerum significat, ὁ τὴν ὀκτάδα σημαίνων βόλος, quia tumulus Stesichori constabat octo angulis. Graus, seu anus jactus quidam tali, item Darius. πάλαι τρισὶν ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδειὰς κύβοις, καὶ οὐκ ὡς νῦν δύο. *Olim tribus utebantur in lusu talis, non ut nunc duobus.* Bulaca, Abola, Abramias, nomina jactus talaris. βούλακα. ἄγραμμα ἀφεῖται, ἐν τῇ βόλων παιδιᾷ οὕτως ἐλέγετο. Dicebatur in jactuum lusu, Linea carentia mittuntur. Cynorchias jactus nomen, ut & Midas, & Manes Hesychio. τροχαῖα μέσα ἐν κύβοις ὁδὸς, *Media illa via Trochæa*, quia per eam currunt tesseræ, de qua vetus Poeta de duodecim scriptis, seu tabula loquens:

Discolor ancipiti sub jactu calculus astat,
Decertantque simul candidus, atque niger.
Qui quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is capiat palmam, quem bona fata juvant.

Hesychius, τροπὰ εἶδος παιδιᾶς καθ' ἣν στρέφουσιν ἀστραγάλους εἰς τὸ ἕτερον μέρος. *Tropa, seu versura, ludi genus, talos vertunt in aliam partem.* De ea supra ex Polluce paulo aliter legimus, *l.* IX. *c.* VIII. ἀστράγαλοι βαλλόμενοι ἐν τροπᾷ, στοχάζονται βόθρου τινὸς εἰς ὑποδοχὴν τοιαύτης ῥίψεως. Scrobem aliquam observant, quæ talem jactum recipiat. Vide Eustathium *ad l. Iliad.* ψ'. Hesychio Schadon jactus talaris, & Beronice, & Argies ἀργείης. Alexander item, Agyrtes, Kinkasus. Suidæ Ægle, βόλος κυβευτικὸς φαῦλος αἴγλη, malus jactus. Polluci *l.* VIII. Boni jactus βόλος φανής, ἐπακοντιστὴς, καλλίβολος, φύτων, ὅροι, συνωρίς. Midas τῶν μέσων βόλων ἦν. Infelices jactus Manes, Midas, Patrelus, Patræna, Magnes, Abola, Aplia, Athetus, ὑπτιάζων, Chryphasus, Caccasus, Trichias, ἐκδύνων. ἱμαντελιγμὸς ναυμαχία, genus calculorum. Talorum πτώσεις, & casus erant triginta quinque. In tesseris plures conspectus diversi reperiri poterant. Euripides, numerus quadragenarius. Jactum talorum ad quadragenarium coacervabant, εἰς μ'. συνήθροιζον ἀστραγάλων βολὴν, Polluci. Quia quatuor, aut plures tali fuere in Græcia, tres autem, aut duæ tantum tesseræ. Pollux *l.* IX. *c.* VII. *l.* VII. *c.* XXXIII. Vide sis. In veteribus Glossis aleator dicitur κοττιστής. Apud Julium Firmicum l. VIII. *Astrolog.* c. XXV. Aleones, aleatores. Senio Cnidiis dicitur ἑξάστιχος. Lucianus in *Saturn.* Saturnum aleæ præsidem facit. Saturnus enim Sacerdoti respondet, quæ suæ potestatis essent, non esse parva, aut omnino contemnenda. Nisi putet rem esse parvi momenti alea ludentem vincere, & facere, ut cum alii jaciant tantum canes, ipse semper jaciat seniones.

εἰ μὴ σοίγε μικρὸν δοκεῖ τὸ νικᾶν κυβεύοντα ϗ τοῖς ἄλλοις εἰς τὴν μονάδα κυλιομένου τοῦ κύβου, σοί τὴν ἑξάδα ὑπεράνω ἀεὶ φαίνεσθαι. Hoc imperium aleæ datum videtur Saturno, quia Romæ per Saturnalia ingenui, servi, viri, pueri alea ludebant. Venerem jactum felicem fuisse diximus in talis, quum quatuor tali diverso omnes vultu constitissent, in tesseris jactus felix tres seniones, seu senarii. In conviviis, jactus Veneris partes ciborum præcipuas jacienti adjudicabat. Plutarchus in *Catone majore*: *In conviviis Cato sortiebatur de partibus*, εἰ δὲ ἀπολάχοι, πρῶτον αἱρεῖν τῶν φίλων κελευόντων, *cum amici vellent eum primum partes sumere, si canem jecisset, aliis Venerem jacientibus, respondebat se non posse, aut debere invita Venere*. Vetus Horatii Scholiastes ad hæc verba *lib.*II.*Od.*VII. *Quem Venus arbitrum dicet bibendi*, ἀρχιποσίαν *significat, id est, tesserarum jactu datum in bibendo primatum. Veneris autem jactus lætissimus dicebatur, qui habet numerum ter senarium*. Melius dixisset, tesserarum jactu datum vini magisterium, & Modimperatorem creatum. Canis fuit infelix jactus in talorum, & tesserarum ludo. Isidorus *lib.* XVIII. *Origin.c.*LXI. *Vitant canem, quia damnosus est, unum enim significat*. Apud Plautum in *Curculione*: *Jacit vulturios quatuor*, id est, quatuor uniones, seu canes; qui jactus in talis infelix, ut in tesseris tres canes. Apud Pollucem *lib.*VII.*c.*III. unio dicitur οἴνη, non οἶνος, pro quo legendum ὄνος, ut bene Meursius monet. Ab οἴνη, apud Hesychium, οἰνίζειν, μονάζειν. Unio dicitur, & inanis κενός. Hesychius, ὁ κενὸς ϗ ἀντικείμενος τῷ ἕξ. *Inanis, seu unio senioni opponitur*. Apud Pollucem *lib.* VII. *c.* XXXIII. ϗ μάλιστά γε ἥτε μονὰς, ἣ ἐν αὐτοῖς ὄνος καλεῖσθαι εἶχε, ϗ κύβος, *& maxime unio, qui & in ipsis vocatur, asinus, & cubus*. Unde vulgo dictum: *Aut tres seniones, aut tres asini*, ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι. Jactus felices in talis ponit Pollux *loco cit.* in quibus dicitur εὐκυβεῖν *feliciter jacere*. Sunt autem hi, βόλος πρανὴς *pronus*, ἐπακοντιστὴς *jaculator* καλλίβολος *pulcher jactus*. Physon, oros, seu finitio, synoris, seu synoricus, quasi dicas bigam, aut bigatum, cous. Hæc nomina usurpata apud Græcos. Coum ἑξίτην senionem esse Eustathio diximus de Venere. Suetonius in *Augusto*, cap. LXXI. *In singulis talis singulos denarios conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat*. Venus dicitur, & Basilicus, jaciebatur quatuor talis, quos omnes diverso aspectu cadere oportuit. Lucianus in *Amoribus*, τῇ δὲ τραπέζῃ τέσσαρας ἀστραγάλους λιβυκῆς δορκὸς ἀπαριθμήσας διεπέττευε τὴν ἐλπίδα. εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν δὲ βολήσειε μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει. *In mensa quatuor talis e Lybica caprea jactis tentabat ludo spem suam; & si Venus cecidisset, nullo talo eodem vultu stante adorabat*. Cicero lib.II. *de Divinat.* Venereum casu jaci posse quatuor talis jactis, quadringentis centum Venereos non posse casu consistere. Vulturius Plauto in *Curculione*, est unio, seu Chius, canis. Pollux *lib.*IX.*c.*VII. μονὰς, ὄνος, κύβος, *unio*, *asinus* dicitur, & *cubus*, tres monades, tres cubi, aut ter sex, ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, vetus verbum fuit. Meursius existimat apud Suetonium *loco cit.* mendum esse in his verbis, *Nam si quas manus remisi cuique*, legit, *si quos Manes*. Non putem Romæ inter jactus fuisse Manem, qui jactus erat Græcanicus. Manus jactum significat. Ovidius:

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
Et revocat cupidas alea sæpe manus.

Qui Pleistobolinda luderent, dicti Pleistoboli. Epigramm. Græc. *lib.*III.*c.*VI.

—— ἢ ῥα ὅτι παίκτας
Ἦσθά τις, οὐ λίην ὦ 'γαθὲ πλειστοβόλος.
—— *An quod eras lusor*
Aliquis, non valde multa jaciens o bone.

τρήματα sunt puncta. Unde apud Hesychium τρηματικταὶ, κυβευταὶ, τρηματίζειν, *forare*. Apud Græcos triginta quinque jactus fuere, quibus nomina facta a Diis, Deabus, Heroibus, viris claris, & aliis, Eustathio teste *ad lib.* XXIII. *Iliad.*

CAP. LIX.

DE ROMANA ALEA.

MULTI fuimus in Græca alea, de Romana quærendum, quam M. Tullius damnat II. *Philipica*: *Hominem*, inquit, *hominum nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere*, lege, *quæ est de alea, condemnatum*. Papias in *Vocabulario*, aleam esse vult tabulam lusoriam ab Alea inventore dictam. Idem sentit Isidorus. Existimem aleam dictam ab ἀλέομαι, *fugio*, quia tesseræ e manibus, aut turricula fugiant; vel ab ἀλέα, *tepore*, *calore*, *æstu*, quia lusores æstuant vincendi studio, & quia forum aleatorium excalefacerent. κύβος forte a κύπτω, *propendeo*, *pronus sum*, quia κύβοι κεκυφότες, *proni saliunt, cum jactantur*. Diximus duas ludendi rationes fuisse, ut vel is vinceret, cui major numerus cecidisset, vel is numerus, quem quisque vocasset. Primus modus Polluci *lib.* IX. Πλειστοβολίνδα, dicitur, οὐ μόνον ἡ διὰ τῶν κύβων, ἀλλὰ ϗ διὰ τῶν ἀστραγάλων, ἐπὶ τὸ πλεῖστον βαλεῖν ἀριθμόν. *Plistobolinda non tantum in tesseris, sed etiam in talis, in qua vincit, qui majorem numerum jecit*. Ἀργυρίου τινὰ ἀριθμὸν ἐπιφημίσαντες καθ' ἑκάστην μονάδα διῃρημένην δραχμὴν ἢ στατῆρα, ἢ ὁποσονοῦν. *Argenti summam aliquam incidebant in singulis jactibus infelicibus, ut in unione diviso drachmam, aut staterem, aut alium quemlibet nummum*. Jactus illos manus vocant. Suetonius in *Aug.* c.LXXI. *Si quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia*. Ὁ ὑπερβαλλόμενος τῷ πλήθει τῶν μονάδων ἔμελλεν ἀναιρεῖσθαι τὸ ἐπιδεικνύμενον ἀργύριον, ait Pollux. Athenæus *lib.* X. ὁ ἐλάττω βάλλων τοῖς ἀστραγάλοις. Qui minorem numerum jecisset, talis vincebatur, victor pecuniam depositam auferebat. Manus proprie erat jactus, singuli jactus singulæ manus. τὸ ἐπιδεικνύμενον ἀργύριον erat pecunia ex pluribus manibus collecta, quod æs manuarium vocat Gellius *lib.*XVIII. *c.*XIII. Dicitur σύνθεσις. *l.*I.*C. de Aleatoribus*, οἱ σφόδρα πλούσιοι νομίσματος ἑνὸς ἑκάστην σύνθεσιν παίζουσιν. *Divites ad singulos jactus infelices unum aureum deponunt*. Qui Venerem, aut tres seniones jaciunt, omne æs manuarium auferunt. Constituebant ipsi inter se de jactibus, & de manu, an ad singulos jactus, aut plures victoria staret. Erat enim id arbitrium, ut hodieque apud nos. Sed ut a capite rem arcessamus, alium esse talum a tessera docent M. Tullius *de Senectute*, & Clemens Alexandrinus lib.III. *Pædagog.* c.XI. Confundit Isidorus lib.XVIII. *Orig.* qui suppum, & planum tesseræ tribuit, & Seneca in *Ludo Claudii*, *Tum Æacus jubet illum alea ludere pertuso fritillo, & jam cœperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere.*

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Utraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, similisque petenti.
Decepere fidem refugi, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.

M. Tullius lib. II. *de Finibus*: *Talus lusorius si non in quatuor latera cadit, sed in extrema, & tamquam capita, rectus est*. Philostratus junior *in* ἀθύρμασι, Amorem, & Ganymedem ludentes talis inducit: Ganymedes δυοῖν ἀστραγάλοιν ἔτι τὸν μὲν καὶ αὐτὸν ἀπολωλεκὼς, τὸν μὲν ἐφ' ὁμοίᾳ προπέμπων ἐλπίδι, *cum ex duobus astragalis alterum perdidisset, alterum autem ea-*

dem spe mitteret. Astragali, ἀστεῖς, ἀστράγαλοι Polluci, talus ἀστεῖον, taxillus, non est cubus. Pollux ait quosdam talos a Stesichoro Stesichorios dictos octonarios, qui octo numeros valerent; alios Euripideos, qui quadraginta. Talorum jactus sunt, Cous, Chius, Planus, Suppus, Venus, Canis, Basilicus, Vulturius. Aristophanes in *Ranis*: πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν οὐ χῖος, ἀλλὰ κῶος. *Cecidit extra infortunium Cous, non Chius*, qui infelix jactus. Chius enim, unio, canis, planus, voltorius, damnosi. Cous, Basilicus, qui Venus, & suppus dicitur, felix. Lucillius:

Si das id, quod rogat, & si suggeris suppum.

Hesychio Cous ἑξίτης, χῖος unio, seu canis. In talis binio, trio, seu ternio, quaternio non fuere. Soli senio, & unio. Si unica tessera, vel singulari talo ludebant, senio felix erat, unio damnosus. Si pluribus, unio, vel canis fuit, quando uno vultu tali omnes, vel iisdem numeris tesseræ caderent. Martialis *lib.* XIII. *epigr.* I.

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Venus uno talo jaci non potuit, sed quatuor talis, qui sic cecidissent, ut omnibus diversa facies esset, ut Cicero lib. I. *de Divinat.*. Venus fuit ἀστραγαλισμοῦ proprie, non κυβείας, cum quatuor tali jacti diverso omnes vultu cecidissent. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XIV.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Lucianus in *Amoribus*, τῇ δὲ τραπέζῃ τέτταρας ἀστραγάλους λιβυκῆς δορκὸς ἀπαριθμήσας, διεπέττευε τὴν ἐλπίδα, καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει. *Super mensa quatuor talos Lybicæ capræ componens ludendo experiebatur, quid sibi spei esset, & jaciens feliciter, maxime si Venerem jecisset, nullo talo eadem facie cadente adorabat*. Sicut autem in singulari talo canis senioni, sic in pluribus talis Veneri canes opponuntur. Ovidius:

Quid valeant tali, quo possis plurima jactu.
Figere, damnosos effugiasque canes.

Propertius *lib.* IV.

Et mihi per talos Venerem quærente secundos,
Damnosi semper subsiliere canes.

Suetonius in *Aug.* c. LXXI. *Talis jactis, ut quisque senionem, aut canem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat*. Alius igitur jactus Senio, alius Venus. Senio in talo singulari semper felix, in multis talis semper infelix, nisi si quando omnes facies dissimiles essent, ut Venus fieret. Priusquam tali pingerentur, Venus erat, cum talus unus suppus jaceret, alter pronus, reliqui duo diverso quisque lateri incumberet. Apud Græcos tres seniones felicissimi, cum tesseræ omnes eodem vultu cecidissent, apud Romanos contra infelicissimi. Si nulla tessera, nullus talus eodem vultu cecidisset, Romæ Venus fuit, & Basilicus, jactus felicissimus. Horatius lib. II. *Carm.* od. VII.

—— Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi.

Plautus in *Curculione* Act. II. Sc. III.

Jacit Voltorios quatuor.

Id est, canes,

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem.
Jacto Basilicum.

Nutricem suam vocat Herculem, quia cum Decimas Herculi pollucerent, fuit visceratio, & epulum publicum, ubi parasiti ventrem saburrabant. Priusquam autem talos, aut tesseras jacerent, invocabant Deos, aut amicos, & amicas, ut ille apud Plautum Planesium amicam invocat, & jacit volturios quatuor, alter parasitus Herculem nutricem suam. Talos autem aureos, vel eburneos, vel ex ossibus animalium in fritillum mittebant, eoque concusso super mensam, aut tabulam effundebant. In talo humano est tuber, quod τέτρωρον, seu quatrio dicitur. *Tesseræ autem*, ait Isidorus, *dictæ, quia quadratæ sunt ex omnibus partibus*. Tribus tesseris tantum luditur, ob tempus præsens, præteritum, & futurum. Ipsæ viæ ternariis locis distinctæ, ternariis lineis tabula describitur. Male, quia utrinque senis lineis descripta erat, ut essent duodecim lineæ, duodecim scripta in ludo tabulæ. Talis quatuor ludebatur. Cicero lib. *de Divinat.* Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XV.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Major, quam talis, alea sæpe mihi.

Talis simul, & tesseris interdum ludebatur. Martialis *lib.* XIII. *epigr.* I.

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Interdum separatim. Ovidius lib. II. *Artis*.

Et modo tres jactet numeros, modo cogitet apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Numeros vocat tesseras, quibus usi, nec pluribus, quam tribus. Subibant, aut vocabant partem, cum numerum elegissent; qui si cecidisset, vincebant. Galli *Chansam* vocant. Ibidem:

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos,
Seu jaciet talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito sint tibi sæpe canes.

In talis canes erant, in tesseris uniones, seu puncta. Lib. I. *Tristium*:

Quid valeant tali, quo possis plurima jactu
Figere, damnosos effugiasque canes.
Tessera quos habeat numeros, distante vocato,
Mittere quo deceat, quo dare missa modo.

Petronius: *Puer cum tabula therebinthina, & crystallinis tesseris*. Tesseræ dicti numeri. Cyprianus lib. *de Aleatoribus*: *Ut paternas suas hæreditates sub hostium suorum multiformi numero dispergant*. Diximus apud Græcos τρὶς ἓξ παντελῆ νίκην, τρεῖς κύβους παντελῆ ἧτταν, significasse tres senarios victoriam omnimodam, tria puncta eorum fuisse, qui omnino victi essent, ut Eustathius *Iliad.* π' & Aristænetus *lib.* II. *ep.* XVIII. & Lucianus in *Chrono*, σοὶ μονάγα, μοὶ ἑξάδα ἐπουράνω ἀεὶ φαίνεσθαι. *Tibi unionem, mihi senionem semper supra emergere*. In tesseris autem aliquis putet Deorum imagines sculptas fuisse. Cyprianus lib *de Aleatorib. Diabolus Palamedem* (aut Midam) *artibus suis repleverat. Hanc ergo artem ostendit, quam & colendam sculpturis cum sua imagine fabricavit.* Item: *Cum se in statunculis, & simulacris formaret, aliud crimen adinvenit, quo se ab imitatoribus suis colendum, & sibi sacrificandum instituit, ita ut qui vellet studio ejus adhærere, non ante manum in tabulam mitteret, nisi auctori hujus prius sacrificasset*. Statunculæ illæ forte sunt parvæ statuæ in tesseris exsculptæ, id est, imagunculæ. Tamen vulgo tesseræ punctis distinguebantur, unione, binione, trione, quatrione, quinione, & senione. Nemo diserte statunculas illas ponit. Martialis ne te fallat, cum ait *lib.* XIV. *epigr.* XVII.

Hæc mihi bisseno numeratur tessera puncto,
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Agit de tabula, in qua latrunculis lusum, qui collocabantur in duodecim lineis, & punctis, cum alii calculi albi essent, alii discolores. Etymologicum tesseras vocat ὀστᾶ ἐστιγμένα, ossa, puncta. Tessera dicitur lepusculus, jaculum, βόλιον, βολὶς, κύβος, quadrantale, numeri, quæ æqualia sex latera habuit, angulos rectos bis quatuor. Papias: Lepusculi: quod saliendo discurrant. Isidorus *lib.* XVIII. scribit in talis unionem canem, trionem suppum, quatrionem planum fuisse. Ostendi supra, falsum id esse. Vetus verbum fuit, ἄξιος οὐδὲ μόνου, *ne unione quidem dignus est*. Si prior jactus infelix fuerat, secundo emendare nitebantur. Lucianus *in Amoribus*,

εἰ δὲ φαύλως κτ̃ τ̃ τραπέζης ῥίψειεν, οἱ δ᾽ ἐπὶ τὸ δυσφημότερον ἀνασταῖεν, ἑτέρῳ βόλῳ τ̃ πρὸ ἀστοχίαν ἐθεράπευον. Si prima vice infelix jactus fuerat, altero jactu prioris vitium emendare conabatur. Certe in tabula, infelicem jactum proba dispositio calculorum sæpe corrigebat. Plato lib. x. *Politic.* ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα, *ut in jactu talorum, disponenda est res tua ad id quod jeceris.* Terentius in *Adelphis* Act. IV. Sc. VII.

Ita vita est hominum quasi cum ludas tesseris,
Si illud quod est maxime opus jactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Tesseræ autem, & tali ne mala manu & fallaci tractarentur, per fritillum, orcam, pyrgum, turriculam, fimum, camum mittebantur. Martialis lib. XIV. *de Pyrgo*, epigr. XVI.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

De orca Persius *Satyr.* III.

—— *Quid dexter senio ferret,*
Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet, angustæ collo non fallier orcæ.

Unde apparet & in orca, seu fritillo fraudem intercedere potuisse, quam ut vitarent, prius tesseras in Psephobolon, seu in colum, & fimum seu κημὸν, deinde ex fimo mittebant in orcam, quæ dicitur ab εἴργω *cohibeo*, unde ἕρκος *vallum*, & orcus, quemadmodum turricula erat vas turbinatum capaciore fundo, angusto ore, in cujus utero gradus eburnei erant, ad quos allisi tali, casum incertum faciebant. Fritillus videtur a feriendo talo dictus. Isidorus, *Jactus tesserarum ita a peritis aleatoribus componitur, ut adferat quod voluerint.* Scholiastes vetus Juvenal. *ad Satyr.* XIV. *Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, moventesque fundebant.* Verba Juvenalis,

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Horat. *Satyr.* VII. *lib.* II. de scurra Volanerio podagrico,

—— *postquam illi justa chiragra*
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos mercede diurna
Conductum pavit.

Ausonius in *Professor.* cap. II.

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo
Omnes qui fuerant enumerasse bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excussi per cava buxa gradus,
Narrantem fido per singula puncta rotatu
Quæ data per longas, quæ revocata moras.

Martialis *lib.* IV. *epigramm.* XIV.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis,
Et ludit rota nequiore talo.

Epigramm. LXVI. *ibidem*:

Supposita est blando nunquam tibi tessera ludo:
Alea sed parcæ sola fuere nuces.

Ad tabulam & calculos pertinent ista Sidonii *lib.* I. *epist.* II. *Quibus horis tabula cordi est, Theodoricus tesseras colligit rapide, inspicit sollicite, volvit argute, mittit instanter.* Tabula dicitur Alveolus. Varro, *Quales sunt tesseræ quibus in alveolo luditur.* Festus, *tabula lusoria. Muger dictus a castrensibus hominibus qui tabula male ludit.* Aristophanes in *Ranis*, βέβληκε δύο, καὶ τέσσαρα. *Jecit* Achilles *duo puncta, & quatuor.* Dicit autem esse ibi consistendum, quia hic jactus fiebat sub finem ludi. Ubi Scholiastes, ἔθος ἦν τοῖς κυβεύουσιν ἐπιλέγειν, β. δ. γ. ε. *duo & quatuor, tres, & quinque* numeri. Apud Aristotelem *sect.* XVI. *cap.* III. Fuere tali obplumbati μεμολυβδωμένοι, quorum partem leviorem si ad te vertens projicias circumferentur. Scholiastes Aristophan. Achilles βέβληκε δύο κύβω, καὶ τέτταρα, τουτέστι δύο κενὰς, καὶ τ̃ τέτταρον. κενὰς vocat uniones, τέτταρον, quatrionem. Plutarchus de Pyrrho, quem Antigonus comparabat aleatori multa jacienti, & belle uti jactu nescienti, ἀπείκασε κυβευτῇ πολλὰ βαλόντι, καὶ καλὰ χρῆσθαι μὴ δυναμένῳ. Suidas, ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, οἳ κενοί εἰσι, *aut ter sex, aut tria puncta, quia cubi sunt vacui, & inanes.* Æschylus in *Agamemnone*,

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόν, πεθήσομαι
Τρὶς ἓξ βαλούσης τ̃ ἐμῆς φρυκτωρίας.

Vitruvius *lib.* V. *uti sunt tesseræ quas in alveo ludentes jaciunt.* Macrob. lib. I. *Saturn.* cap. V. Abacum tabulam aleatoriam vocat. Martialis *lib.* V. *epigramm.* LXXXV.

Jam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso revocatur a magistro,
Et blando male perditus fritillo.

Hesychius, κήθεια, κηθάρεια, τὰ ὀξύβαφα, ἐν οἷς τοὺς κύβους ἔβαλλον, cetharia erant acetabula, in quæ tesseras mittebant. κημὸς Polluci, φιμὸς Etymolog. mag. κῆθμὸς Agathiæ seu colus, e quo in fritillum talos mittebant. Interdum pro ipso fritillo accipiuntur. Sidonius sub finem *carminis* XXIII.

Hic promens teretes pilas, trochosque,
Hic talos crepitantibus fritillis,
Nos ad verbera tractuum struentes,
Tamquam Naupliades repertor artis,
Gaudebas hilarem ciere rixam.

Hesychius, τάλαρις ἐξ οὗ βάλλουσι τοὺς ἀστραγάλους, φιμός. Plato in *Phædro*, Theut Ægyptiorum Deum aleam invenisse ait. Herodotus in *Clio*, Lydos. Admonui supra lusores amicas suas cum tesseras jacturi essent invocasse. Plautus *Captivis* Act. I. Sc. I.

—— *nam in convivio sibi*
Amator talos cum jacit scortum invocat.

In *Asinaria* Act. V. Sc. II.

Te Philænium mihi, atque uxori mortem, hoc venereum est.

Hesychio, βόλος κύβος ἑξάπλευρος, *bolus tessera sex laterum.*

CAP. LV.

DE LUDO CALCULORUM.

CALCULORUM ludus antiquissimus fuit, cujus meminerit Sophocles apud Pollucem, καὶ πεσσὰ πεντέγραμμα, καὶ κύβων βολαί, *& calculos quinquelineares, & tesserarum jactus.* Ubi tesseras cum calculis jungit; quia, ut non tantum fortunæ, sed etiam arti locus esset, Græci calculos cum tesseris, κυβείαν cum πεττεία conjungebant. Latini meris latrunculis ludebant, sive calculis, ut omnia judicii, & artis essent. Latrunculos Itali *Scacchos*, & *Schacchiam* vocant, Galli *Eschets*, Græci cames, Latini milites, latrones, latrunculos, calculos. Eustathius ad Homerum *p.* 228. 1426. πέντε ψῆφοι ἦσαν ἐπὶ πέντε γραμμῶν παιζόμενοι, *quinque calculi erant in quinque lineis, & quisque collusor habebat quinque calculos.* Quid autem sit discriminis inter calculos, & tesseras, ostendit Hesychius, ἐν τῇ κυβείᾳ τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσι, ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ, αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. *Tesseras in alveolo jaciunt, calculos e linea in lineam movent.* Eustathius *ad Iliad.* κ΄. quinque calculos, & quinque lineas utrinque fuisse ait, & mediam sacram dictam, ultra quam calculi promoveri non poterant. Idem *pag.* 633. & *pag.* 1396. κινεῖν τ̃ ἀφ᾽ ἱερᾶς, τ̃ ἀπὸ γραμμῆς κινεῖν λίθον. Nam & calculos lapides vocabant. Theocritus, τ̃ ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον, *movet lapidem a linea, redigitur ad incitas.* Plutarchus, ἐν χερσαίοις, φέρε. κινήσαντες τ̃ ἀφ᾽ ἱερᾶς, *moventes lapidem a sacra linea.* Excalculari, excuneari, excuriari dicti, qui vincerentur. Iidem μονόχωροι vocati, qui ad unum locum redacti essent, qui ad incitas redacti, qui omnibus suis calculis, uno excepto, spoliati. Qua voce utitur Aristænetus *lib.* I. *ep.* XXIII. Glossæ, μονόχωρος, *adunatus*

in tabula, id eſt, ad unum redactus. Pollux *lib.* X. ἑκάτερος ἔχει πεσσὺς πέντε ἐπὶ πέντε γραμμῶν, παιδιὰ λέγεται διὰ πολλῶν ψήφων πλινθίον, χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακειμένας. *Ludus plurium calculorum dicitur laterculus, locos habens in lineis ſitos.* Suidas, ἀναθέσθαι, ἀπὸ τῶν πεττευόντων, καὶ τὰς κεκινημένας ἤδη ψήφους διορθούντων. *Reponere, anatheſthai. ſumitur ea vox ab iis, qui ludunt calculis, & corrigunt calculos jam motos.* Antiphon, ἀναθέσθαι ὥσπερ πεττὸν τὸν βίον οὐκ ἔστι, *corrigere vitam quaſi calculum non licet.* Artis erat calculos adverſarii abſcindere, & abducere ab aliis, & ſingulos duobus includere. Polybius *lib.* II. πολλοὺς ἀποτεμνόμενος, καὶ συγκλείων, ὥσπερ ἀγαθὸς πεττευτὴς, *multos abſcindens, & includens, ut bonus calculorum luſor.* Ita Martialis *lib.* VII. *epigr.* LXXII.

Mandris, & vitreo latrone cluſus.

Erat imago quædam rei militaris. Sidonius *lib.* I. *ep.* II. Putes illum & in calculis arma tractare. Donatus *ad Eunuchum*: Rex Pyrrhus peritiſſimus ſtratagematum, primus, quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit. Sareſberienſis tamen *lib.* I. *Policrat. cap.* V. Attalum Aſiaticum calculos inveniſſe ait. Caſſiodorus *lib.* VIII. *ep.* XXXI. Palamediacos calculos vocat. Exiſtimem eburneas illas quadrigas, quibus quotidie Nero in abaco ludebat, ad calculorum ludum pertinuiſſe. *Cap.* XXII. Suetonius: Et calculos fuiſſe quadrigarum forma. Apud Suidam tabulæ ludus eſt, ubi duodecim calculi. Tabulam terræ imaginem eſſe ait, duodenarium numerum calculorum zodiacum exhibere τὰ ἐν ψηφιβόλῳ ἑπτὰ κοκκία τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν, ὁ δὲ πύργος τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ. Ad ludum calculorum referendus ludus, ſive ad duodecim ſcripta. In tabula, in qua latrunculis ludebant, ait Varro lib. IX. *de lingua Latina*, erant ordines bini, alii tranſverſi, alteri directi. Erant ſedes calculorum χῶραι, τόποι, γραμμαὶ, πόλεις, γραμμικαὶ χῶραι, Mandræ, ſepta, capſi, carceres, valli, clauſa mœnia, ſtabula, χαρακώματα. Calcem pro calculo Plautus in *Pœnulo* Act. IV. Sc. II. poſuit:

Prius quam unum calcem civerit.

De tabula, & Palamede Cedrenus idem omnino habet, quod Suidas *pag.* 103. πεσσονομεῖν, ἐπττιᾶν, *latrunculis ludere, ad latrunculos ludere.* Vopiſcus in *Proculo*. Paulus Diaconus *lib.* I. *cap.* XX. *de geſtis Langoti*, ad tabulam ludere, ταλίζειν. ζατρίκιον vocarunt recentiores Græci. Seneca *epiſt.* CVI. *Latrunculis ludimus.* *Epiſt.* CXVIII. Tabulam latrunculariam perſpicit, ut ſciat, quomodo calculus alligatus exeat. Calculi enim aut ligabantur, aut capiebantur, unus poterat duos adverſæ partis ligare ſed unus diſcolor capi non poterat, niſi a duobus contrariis. Euripides in *Aulide* Palamedem, & Proteſilaum calculis ludentes introducit, πρωτεσίλαόν τ' ἐπὶ θακοῖς πεσσῶν ἡδομένους μορφαῖς πολυπλόκοις, παλαμήδεά τε. *Proteſilaum, & Palamedem in ſedibus calculorum oblectantes ſe figuris multiplicibus.* Euſtathius *pag.* 1190. & 1397. αἱ τῶν ψήφων χῶραι ἐν τῇ δι' ἀστραγάλων παιδιᾷ λέγονται πόλεις. *Calculorum ſedes in talorum luſu dicuntur urbes.* Karic Myrcont in *Annal. Perſidis*, ſcribit calculorum ludum vocari *Chet Mat*, id eſt, *Rex mortuus eſt.* Euſtathius Aſtragalos, ſeu talos poſuit pro calculis. Ita & κύβους, ſeu teſſeras pro calculis ponit, his verbis: κύνες αἱ ἀντεπιβουλεύουσαι ἀλλήλαις ψῆφοι ἐν τῇ διὰ κύβων παιδιᾷ. *Canes dicuntur calculi, qui mutuo ſibi inſidiantur in ludo latrunculorum, ſeu teſſerarum.* Idem, εἶδός τι κυβείας καὶ πόλις, *ſpecies ludi urbs.* ψήφων πολλῶν ἐν διαγεγραμμέναις τισὶ χώραις κειμένων ἐγίνετο ἀναίρεσις. *Cum multi calculi in deſcriptis quibuſdam locis poſiti eſſent, alii ab aliis per vices capiebantur.* Laterculus ille dicitur urbs, quia ut in urbe plures domus, ſic & in laterculo loci plures. Calculus quiſque dicitur canis ob impudentiam, διὰ τὸ ἀναιδές. Laterculus enim lineis erat diſtinctus tranſverſis, & directis, ut ait Varro. & unicuique calculo ſua ſedes attributa. Heſychius, πόλεις παίζειν, *ludere urbes.* δοκεῖ μετηνέχθαι ἀπὸ τῶν ψήφοις παιζόντων ἐν ταῖς λεγομέναις νῦν χώραις, τότε δὲ πόλεσι. *Videtur deſumptum ab iis, qui calculis ludunt in ſedibus, quæ prius dicebantur urbes.* Ludus dicitur ζατρίκιον. Heſychius, ζητρεῖον τὸ τῶν δούλων κολαστήριον. *Zetreum ſervorum ergaſtulum.* ζάτρειον, ζατρεῖον, quia ſedes illæ dictæ carceres, quibus calculi includerentur. Ars calculorum difficilis fuit. Plato *Politic.* II. πεττευτικὸς, ἢ κυβευτικὸς ἱκανὸς οὐδ' ἂν εἷς γένοιτο, μὴ αὐτὸ τοῦτο ἐκ παιδὸς ἐπιτηδεύων. *Nemo poteſt perite ludere calculis, aut teſſeris, niſi a puero id ſtuduerit.* Lib. VII. *de Legibus*, πεττεύειν δεῖ τοὺς νέους μανθάνειν, *Juvenes calculis ludere diſcere debent.* Lib. VI. *de Republica*, ὥσπερ ὑπὸ τῶν πεττεύειν δεινῶν οἱ μὴ τελευτῶντες ἀποκλείονται, καὶ οὐκ ἔχουσι ὅτι φέρωσι. *Ut a peritis ludi calculorum, ii, qui non finiunt, includuntur, & non habent quod ferant.* Idem, περὶ πλούτου, ὥσπερ ἐν τῇ πεττείᾳ εἶναι πεττοὺς οὓς εἴτις φέροιτο δύναιτο ἂν τοὺς ἀντιπαίζοντας ποιεῖν ἡττᾶσθαι, οὕτως, ὥστε μὴ ἔχειν ὅτι πρὸς ταῦτα ἀντιφέρωσι. *Ut in ludo calculorum ſunt calculi, quos ſi quis tulerit, poſſit adverſarios vincere, ita ut non habeant ad iſta quod contra ferant.* Vide Euſtathium *Odyſſ.* fol. 25. Athenæus *lib.* I. Diodorum Megalopolitam, Theoxenum, Leonem Mitylenæum calculis invictos fuiſſe ſcribit. Apud Pollucem *lib.* IX. Cratinus dixit, καὶ κύνα, καὶ πόλιν ἣν παίζουσι. *Et canem, & urbem, quam ludunt.* Pollux, ἐπειδὴ δὲ ψῆφοι μέν εἰσιν οἱ πεσσοὶ, πέντε δὲ ἑκάτερος εἶχε τῶν παιζόντων, &c. *Quia calculi dicuntur peſſi, & unuſquiſque ludentium quinque calculos habuit*, &c. Calculi autem vel ordinarii ſunt, vel inciti. Ordinarii vagi ſunt, inciti non moventur, ait Iſidorus *lib.* XVIII. Unde proverbium, *Ad incitas redigere.* πεττεύειν, ταυλίζειν, ψηφίζειν, *calculis ludere.* Calculi erant bicolores. Sidonius lib. VIII. *Epiſt.* Hic tabula calculis ſtrata bicoloribus; alter alterum ἑτερόχρουν diverſi coloris, vel ligat, vel includit, & capit. Ovidius lib. II. *Triſtium*:

Diſcolor ut recto graſſetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoſte perit.

Quia unus diſcolor, a duobus diverſi coloris, incluſus capiebatur. *Ibidem*,

Ut magne velle ſequi ſciat, & revocare priorem,
Ne tuto fugiens incomitatus eat.

Calculi enim fugiunt ſequentes, ſequuntur fugientes, comites accipiunt, quibus adverſarios includunt, eſt belli ſimulacrum. Lucanus *ad Piſones*:

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos,
Ut citus, & fracta prorumpat in agmina mandra.

Frangit mandram, & ſtabulum calculus, qui prorumpit in ſedem calculi diverſæ partis; ideo latrones dicti. Ovidius latronum prælia ludere dixit. Calculi erant vitrei, eburnei, argentei, aurei. Petronius pro calculis albis, aut nigris, aureos, argenteoſque habebat denarios. Tabulam, laterculum, abacum, alveolum vocant. Petronius:

Nomen amicitiæ, ſi quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ludit opus.

Græci in tabula luſere teſſeris, & calculis, ut fortunæ, & arti locus eſſet. Martialis lib. XIV. epigr. XVII. *de tabula luſoria*:

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto,
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Ibid. epigr. XX.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Ovidius II. *Artis*:

Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus.

Calculi leves erant, & rotundi, ut Iſidorus ſcribit *lib.* XVIII. Unus diſcolor a duobus adverſæ partis in-

cludebatur. Lucanus *ad Pisonem*:

Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos.

Ovidius lib. III. *Artis*:

Cautaque non stulte latronum prælia ludat,
Unus cum gemino calculus hoste perit.
Bellatorque suus prensus sine corpore pugnet,
Æmulus, & cœptum sæpe recurrat iter.

Martialis *lib.* VII. *epigr.* LXXI.

Sic vincas Noviumque, Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clusos.

Hesychius, ἔφεδρος, παβλιστής, τρίτος ἐνεδρεύων, *Subsessor, insidiator, t ablista, & tertius in insidiis subsidens.* Idem, ἐπιστημονικωτέραν τὴν πεττείαν τῆς κυβείας ἐνόμιζον. *Plus scientiæ, & artis in calculis, quam in tesseris esse censebant.* Seneca *de Tranquil.* *Ludebat calculis, cum Centurio agmen periturorum trabens, illum quoq; citari jubet. Vocatus numeravit calculos. Centurioni dixit: Testis eris me uno antecedere.* Calculus unus fuit, qui Rex diceretur. Scholiastes Theocriti, ἡ δὲ λέξις μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν παιζόντων τὸ κοινολέκτως λεγόμενον ζατρίκιον. ἐκεῖνοι γὰρ ὅταν πολλὰ ποιήσαντες οὐ δύνωνται ἑτέρως νικῆσαι τὸν ὅμοιον παίκτωρα, κινοῦσι καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς γραμμῆς λίθον, τὸν ὑπὸ βασιλέα καλούμενον. *Dictio sumpta est per metaphoram ab iis, qui ludunt zatricio. Illi enim cum omnia fecerint, si non possunt vincere eum, cum quo ludunt, lapidem movent a sacra linea, qui Rex dicitur.* C.241. Achmes, ὁ βασιλεὺς, ἢ μέγιστος, ἢ ἄρχων πολέμου ἐὰν ἴδῃ ὅτι τὸ ζατρίκιον αὐτοῦ ἀπώλετο, ἢ ἐκλάσθη ἢ ἐκλάπη, ἀπολέσει τὴν στρατιὰν αὐτοῦ. *Rex, aut dux belli si somniaverit zatricium suum periisse, fractum, aut furto subductum esse, exercitium suum amittet.* Item, ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι παίζων συζατρικίζει ἑτέρῳ γνωρίμῳ. *Si somniaverit ludere se calculis cum altero noto sibi.* ἐὰν ἴδῃ ὅτι παίζων πλείονας ἔλαβε τῶν παιγνίου προσώπων, *si viderit in somnis se ludentem plures cepisse ludi personas.* Id est, adversarii sui calculos Pollux *lib.* IX. διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χροιὰς, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστι περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν. *Cum calculi in duas partes divisi sint secundum colores, ars ludi in eo est ut duo ejusdem coloris calculi bostem contrarii coloris circumveniant, & tollant.* Vincebat qui omnes adversarii calculos ceperat, & regem ipsum ad incitas redegerat. Lucanus *ad Pisonem*,

Interea sectis quamvis acerrima surgunt
Prælia militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliatus milite vincis.
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.

CAP. LXI.

DE DIAGRAMMISMO.

DIAGRAMMISMUS alius fuit a ludo calculorum. Eustathius *ad Iliad.* ζ. διαγραμμισμὸς εἶδος κυβείας διὰ ψήφων. *Diagrammismus species ludi per calculos.* Constabat calculis sexaginta nigris & albis, qui de loco ad locum trahebantur ad jactum tesseræ. Hesychius, διαγραμμισμὸς παιδιά ἐστι ψήφων ἑξήκοντα λευκῶν καὶ μελαινῶν ἐν χώραις ἑλκομένων. Pollux γραμμισμὸν, διαγραμμισμὸν, & διαγραμμίζειν vocat. Vide *lib.* I. *Anthologiæ*, titulum εἰς παιδιάν, ubi sextus dicitur habere septem calculos, unum nonus, summus duos qui erat æqualis decimo, qui erat post summum habuit duos. Divus qui locus fuit in dextro latere, habuit unionem, qui erat & calculus ultimus. Sed niger duos in octavo loco reliquit, & duos alios ad positum undecimi. Similes alii circa duodecimum enitebant, & tertiodecimo unus solus calculus erat. Bijuges Antigonum ornabant quod nomen est sedis in sinistro latere. Decimoquinto æqualis erat typus, octodecimo similis, quartus ab ultimo duos alios habebat, sed rex albi calculi signa sumens, & futuras insidias non videns triplices, cum ex improviso ex colo, seu fritillo calculos jecisset, duo & sex, & quinque adduxit, statim vero octo

A habuit impares omnes, totos prius divisos, & victus est,

Τειχθαδίᾳ; ἀδόκητα βαλὼν ψηφῖγας ἀπ' ἠθμοῦ
Πύργου δουρατέου κλίμακι κευθομένην,
Δοιά, καὶ ἕξ, καὶ πέντε κατήγαμεν.

Describit sexaginta calculorum ludum, qui apud Græcos cum tesserarum jactu jungebatur. Is ludus dicebatur & γραμμαὶ Hesychio. In ludo calculorum Græcanico quinque tantum fuere lineæ, quinque singulis lusoribus calculi. Deinde & Romæ, & in Græcia duodecim lineæ, triginta calculi, cuique lusori quindecim; de quibus vetus epigramma, quod Salmasius vir doctissimus affert. De Tabula,

B *In parte alveoli pyrgus velut una resedit,*
Qui vomit internis tesserulas gradibus.
Sub quarum jactu discordans calculus exit,
Certantesque fovet fors variata duos.
Hic proprium faciunt ars, & fortuna periclum:
Hæc cavet adversis casibus, illa favet.
Composita est tabulæ nunc talis formula belli,
Cujus missa facit tessera principium.
Ludentes vario tum exercent prælia fato,
Russeus, an nitidus præmia sorte ferat.

Omnino ludus ille est, quem hodie vulgo vocamus *Trictrac.* Tesseras enim in alveolum mittimus, in C quoutrinque duodecim lineæ, pro jactu calculos disponimus; ars, & fortuna inter se certant. Terentius in *Adelphis*, Act. IV. Sc. VII.

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris,
Si illud, quod maxime opus est, jactu non cadit;
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Ovidius lib. II. *Artis*:

Ceu ludet, numerosque manu jactabit eburnos:
Tu male jactato, tu male jacta dato.

Ita bene Salmasius vir eruditiss. legit, non ut vulgo,

—— tu bene jacta dato.

Tu quæ male jeceris, male promoveto, male disponito, ut vincaris. Agathius epigramm. *in tabulam Zeno-* D *nis,* ποικιλότατον θέσιν calculorum vocat, *varie structam positionem.* Aristænetus *lib.* I. *epist.* XXIII. ποικίλας μεταθέσεις τῶν ψήφων. Eumdem ludum esse volunt cum ludo duodecim scriptorum, de quo Cicero lib. I. *de Orat.* Pila bene & duodecim scriptis ludere. Ovidius lib. III. *Artis*:

Est genus in totidem tenui ratione diductum,
Scriptula quot menses lubricus annus babet.

Cicero: *Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis olim, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.* θέσθαι ψῆφον, *ponere calculum,* ἀναθέσθαι, *reducere, corrigere.* Ausonius in *Professoribus* cap. II.

Narrantem fido per singula puncta recursu
E *Quæ data per longas, quæ revocata, moras.*
Vidimus & quondam tabulæ certamine longo
Omnes, qui fuerunt, enumerasse bolos.
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excussi per cava buxa gradus.

Dare calculos, in sedibus ponere, in lineis locare. Boli sunt tesseræ, vel tesserarum jactus, quæ dari dicuntur, cum moventur. Eustathius, κύβοι μὲν γὰρ οἱ καταρριπτόμενοι ἑξάπλευροι βόλοι. *Tesseræ boli sex lateribus instructi, qui jaciuntur.* Glossæ, βόλια, *tesseræ,* βολίδες. Isidorus: Tesseræ jacula appellantur. Herodotus tesserarum, talorum, & pilæ ludos Lydis attribuit, calculorum Ægyptiis. Palamedes reperit calculorum F ludum sine tesseris, non alium, quem Græci modo πεσσὸν, modo κύβον vocant, quia ad jactum tesseræ calculi movebantur. In tabula, seu ἀβακίῳ duodecim fuere lineę, seu duodecim scriptula Romanis, sed triginta calculi, quindecim albi, quindecim nigri. In veteri ludo calculorum ostendimus supra quinq; tantum utrinque fuisse lineas, & quinq; utrinq; calculos. Sed præter illas quinque lineas utrinque erat medialinea, quæ dicitur sacra. Pollux *lib.* IX. τῶν δὲ πέντε ἑκατέρωθεν γραμμῶν μέση τις ἦν ἱερὰ καλουμένη, καὶ ὁ τὸν

ἐκεῖθεν κινῶν πεττὸν παροιμίαν ὑποίει, κινῶ τὸν ἀφ᾽ ἱερᾶς. *In medio quinque linearum, quæ utrinque erant, ſacra linea fuit intermedia; unde qui moveret calculum, proverbio locum faciebat, Moveo calculum a ſacra linea.* In hoc ludo, ut ſupra oſtendimus, nihil fortunæ datum, omnia arti, & judicio. Ludus e teſſeris, & calculis mixtus Ægyptiorum inventum eſt, in quo duodecim lineæ, ſeu duodecim ſcripta. Tribus teſſeris utebantur Veteres ad hunc ludum, & quiſque ludentium quindecim calculis. Is ludus Tabula dictus. Suidas, τάβλα ὄνομα παιδιᾶς. Juvenalis, *ſat.* I.

—— Nec enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.

Unde ταβλιστής, ταβλίζειν. Euſebius lib. V. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* τάβλαις καὶ κύβοις παίζειν, ταβλίοις παίζειν. Gloſſ. κύβος τὸ ταβλίον. Auguſtus apud Suetonium *cap.* LXXI. *Forum aleatorium calfecimus*, id eſt, tabulam. Virgilius *Æneid.* IV.

Implevitque foros.

Martialis lib. XIV. epigr. XVII. *de tabula luſoria:*

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto,
Diſcolor hic gemino calculus hoſte perit.

Bis ſenum punctum vocat, quia in tabula erant duodecim ſcripta, duodecim lineæ, in quibus calculi diſponebantur ad jactum teſſerarum trium, aut duarum. Quod fit hodieque in noſtro Trictraco. Iſidorus *lib.* XVII Sed & ipſas vias ſenariis locis diſtinctas. τόπους, χώρας, ὁδοὺς vocant lineas, per quas currunt teſſeræ. Laterculus dictus πόλις, ut oſtendimus. Palamedes apud Philoſtratum in *Heroicis*, reperit ludum calculorum. Vide quæ diximus *cap.* I. Pollux *lib.* VII. *cap.* XXXIII. Aleæ genera numerat Pleiſtobolindam, Artiaſmon, Diagrammiſmum, quem vocat γραμμὰς, Imanteligmum, & Naumachiam. In Diagrammiſmo erant πλινθία, ſeu laterculi, in quibus collocabantur, & movebantur ſexaginta calculi, albi, & nigri. Philemon, μεθύει, δζγμαμμίζει, κυβεύει, *Ebrius eſt, calculis, & alea ludit.* Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* II. Pompejus in triumpho tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium, e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. In eo fuit Luna aurea pondo triginta.

F I N I S.



JOANNIS MEURSII
DE
LUDIS GRÆCORUM
LIBER SINGULARIS.

AD VIRUM CLARISS.

PETRUM SCRIVERIUM.

VIRO CLARISSIMO

PETRO SCRIVERIO

AMICO VETERI, ET PRÆSTANTI

JOANNES MEURSIUS

S. D.



Ta comparatum eſt humanum ingenium, mi Scriveri, ut non minus ludum interdum, & oblectamentum aliquod, quam negotium, ſibi quærat. Neque viri vel graviſſimi, a Natura, aut Fortuna, ad res maximas ſevocati, tam ſevere vitam unquam exegere, quin & nugas ſeriis ſuis, atque luſus, interponerent. Noſti hoc Horatianum:

Quin, ubi ſe a vulgo, & ſcena, in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli,
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti. - - - -

Et Auguſtus, Principum omnium optimus maximus, talis ſeſe, teſſerisque, luſitaſſe, profiteri non erubuit. Quippe non vigorem ſuum animus tueri poteſt, niſi ſe remittat etiam; plane ut arcus, qui, ſi tenſum ſemper teneas, tandem rumpitur. Itaque ab omni ævo gens quæcumque, ordo, ætas, item ſexus, ludos ſuos habuerunt. Et ex illis qui fuerunt inter Græcos uſitati, dum Antiquitatem cæteram inveſtigo, iſtos mihi obſervavi, & excerpſi. Ac nunc publici juris facio; nominique tuo inſcribo. Eſt exiguum iſtud quidem; ſed defatigato animo, ad recuperandas vires, oblectatio quanquam exigua etiam valet. Deinde, qualecunque demum eſt, amicitiæ noſtræ veteris, & conſtantis amplius viginti annis, monumentum eſſe volui: a quo dolum malum abeſſe, ex vetere formula, affirmarem; niſi tu adfectum meum longo uſu ſat perſpectum tibi haberes. Nec profecto, rei adeo ſanctæ teſtes Ludos dari, indignum putes; nam in illis maxime ſe prodit animus; neque fere in aperta hilaritate latebras habet, quas & plurimas, & facillime, inter occupationum & curarum ſinuoſa ſemper invenit. Bene vale, mi Scriveri; &, cum reſpirare voles, Ludis iſtis te oblecta; meque amare, ut ſoles, perge. Lugduni Batavorum, ad diem XIV. Maii MDCXXII.

BENIGNE LECTOR.



Ecce tibi, DE LUDIS GRÆCORUM. Non hic tracto illos publicos, toto orbe celebratos, Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea; quorum spectandorum causa undique concurrebatur: sed privatos, & quos, oblectandi sui, domi quisque agitabat. Publicos illos, alii jam pertractarunt; sed de istis, quæ collegi, visum mihi nunc vulgare, ut Antiquitatis partem etiam istam illustrarem. His si addas, quæ jam ante quatuor annos DE SALTATIONIBUS dedi, quæ & ipsæ ludi quidam, universa ejus generis Veterum oblectamenta es habiturus. Velim autem sic opella tibi hæc placeat, ut Antiquis ipsi ludi placuerunt. Quod si impetro, mox alacrius proditura cum ATHENÆ, tum CECROPIA, & BIBLIOTHECA item ATTICA; quæ perfectæ, & ad prælum jam paratæ. Vale, ac me ama, placere tibi cupientem.

JOANNIS MEURSII
DE
LUDORUM
APUD GRÆCOS GENERIBUS VARIIS,

Liber Singularis.



DE Græcorum Ludis librum olim ſingularem Suetonius ſcripſerat. Suidas teſtis. Τράγκυλλος, ὁ Σουητόνιος χρηματίσας, γραμματικὸς Ῥωμαῖος, ἔγραψε, Περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν, βιβλίον ἕν. *Tranquillus, Suetonius dictus, grammaticus Romanus, ſcripſit de Ludis apud Græcos librum unum.* Joannes Tzetzes *Var. Hiſt.* Chil. VI. cap. LXXXV.

Τράγκυλλος Σουητῖνος τὶς ἐν Παιδιαῖς Ἑλλήνων
Πολλὰς μὲν ἄλλας παιδιὰς καὶ συμποσίων λέγει.

Tranquillus Suetinus quidam in Ludis Græcorum
Multos quidem alios luſus etiam conviviorum dicit.

Servius *ad Æneid.* V. *Ut ait Suetonius Tranquillus, luſus ipſe, quem vulgo pyrrhicham appellant, Troja vocatur: cujus originem expreſſit in libro DE PUERORUM LUSIBUS.* Euſtathius *ad Odyſſ.* α. citat ſemel, iterumque; verum ſine Auctoris nomine, iſtis verbis: Ὁ τὰ περὶ τῆς Ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψας, διαφορὰν καὶ αὐτὸς εἰδὼς κύβων καὶ πεσσῶν, C καὶ παλαιοτάτην εἰπὼν τὴν κυβευτικὴν παιδιάν, &c. *Qui de Ludis Græcis ſcripſit, diſcrimen & ipſe ridens teſſerarum & calculorum, etiam antiquiſſimum dicens teſſerarum luſum,* &c. Et mox: Ὁ τὰ Περὶ τῆς καθ' Ἕλληνας παιδιᾶς γράψας. *Qui de Ludis apud Græcos ſcripſit.* Utinam hoc Opus, ut *de Cæſaribus, Grammaticis, & Rhetoribus*, ad manus noſtras perveniſſet; ſed, cum illud interciderit, inſtaurare, quantum licet, mihi viſum. Erat iſthic,

ΑΓΚΟΤΥΛΗ.

Hic, manibus a tergo vinctis, genu accipiebant. Heſychius, D Ἀγκοτύλη. παιδιά τις, ἐν ᾗ, τὰς χεῖρας ὀπίσω πλέξαντες, δέχονται τὰ γόνυ. *Ancotyle. luſus aliquis, in quo manibus a tergo nexis accipiunt genu.* Apud alios non Ἀγκοτύλη, ſed Ἐνκοτύλη, ſcribitur ludi hujus nomen; quod rectius puto, & in mendoſum codicem incidiſſe Heſychium. Ludus autem, ut rectius cognoſcas, ita ſe habebat. Alter alterum, manibus in tergo vinctis, impoſitis in vola utraque genu utroque geſtabat. Idem Heſychius *alibi.* Ἐν κοτύλῃ φέρειν. παιδιᾶς εἶδος. ὁ γὰρ φέρων τινὰ ἐν κοτύλῃ, ἐποίει ὀπίσω τὰς χεῖρας. καὶ ὁ αἰρόμενος, ἐνετίθει τὰ γόνατα. καὶ οὕτως ἐβαστάζετο. E *In vola ferre. Luſus ſpecies. ferens enim aliquem in vola, collocabat poſt tergum manus; & qui elevabatur imponebat genua; & ita geſtabatur.* Quique geſtabatur, oculos geſtantis tangens claudebat. Euſtathius *ad Iliad.* ε. Καὶ παιδιά τις παίζεται, καλουμένη ἐν κοτύλῃ. προάγεται δὲ οὕτως. περιαγαγὼν τὶς ὀπίσω τὼ A χεῖρε, συμπλέκει τοὺς δακτύλους. ἕτερος δέ τις, εἰς τὰ κοιλώματα τῶν χειρῶν, ἅπερ εἰσὶ κοτύλαι, τὰ γόνατα ἐνθεὶς, καὶ οὕτως ἀναβαλὼν ἑαυτὸν, φέρεται ἔποχος, ἐπιλαβὼν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ φέροντος. εἶτα ἐν μέρει ὁ τέως φερόμενος, κατελθὼν φέρει τὸν ἕτερον. *Et luſus aliquis luditur, dictus in vola. procedit autem ſic. Circumducens quidam retro manus connectit digitos: alius autem quis in concavis manuum, quæ ſunt volæ, genibus impoſitis, & ita attollens ſe, portatur firmiter, obſtruens oculos portantis. Poſtea viciſſim qui huc-uſque ferebatur, deſcendens ferebat alterum.* Idem Euſtathius *ad eandem Iliada*, extremo χ΄. ex B Pauſaniæ *Lexico Attico.* Παυσανίας δὲ ἱστορεῖ, ὅτι παιδιά τις ἦν, καλουμένη Ἐνκοτύλη. ἐν ᾗ διαπλέξας τὶς ὀπίσω, καθὰ καὶ προδεδήλωται, τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν, ἐπενωτίζετο τὸν ἀναιρούμενον. ὁ δ' ἐνθεὶς τὸ γόνυ ταῖς χερσὶ, καὶ περιλαβὼν τοῦ αἴροντος τὴν κεφαλὴν, ἢ τὸν τράχηλον, ἐβαστάζετο. ἐκλήθη δὲ, φησιν, Ἐνκοτύλη· ἐπεὶ τὸ κοῖλον τῆς χειρὸς κοτύλη λέγεται. εἰς ὃ κοῖλον ἐνετίθει τὸ γόνυ ὁ βασταζόμενος. ἀλλαχοῦ δὲ γράφεται οὕτω. Ἐνκοτύλη, παιδιά τις, ὡς καὶ ἑτέρωθι γέγραπται, ἐν ᾗ κοιλάναντες χεῖρα, δέχονται τὰ γόνατα τῶν νενικηκότων οἱ νενικημένοι, καὶ βαστάζουσιν αὐτούς. C *Pauſanias autem narrat, luſum aliquem fuiſſe qui dicebatur in vola: in quo innexis aliquis poſt tergum, ſicut & ante declaratum eſt, digitis manuum, in tergum excipiebat ſublatum. Hic autem impoſito genu manibus, & amplexus attollentis caput aut cervicem, ferebatur. Vocatus eſt autem, dicunt, in vola; quia cavum manus dicitur vola; in quod cavum imponebat genu ferendus. Alibi autem ſcribitur ita. In vola, luſus aliquis, ſicut etiam alibi ſcriptum eſt, in quo concavam reddentes manum, accipiunt genua victorum victi, & portant illos.* Quæ vero illic ex auctore alio profert, cujus nomen non commemorat; ſciendum eſt, Athenæum eſſe; cujus illa ipſa verba, *lib.* D XI. Meminit hujus ludi Tarrhæus, in *Proverbiis.* Ἐν κοτύλῃ φέρειν. παιδιᾶς εἶδος. ὁ γὰρ φέρων τινὰ ἐν κοτύλῃ, ἐποίει ὀπίσω τὰς χεῖρας. καὶ ὁ αἰρόμενος, ἐνετίθει τὰ γόνατα, καὶ οὕτως ἐβαστάζετο. *In vola ferat: luſus ſpecies; ferens enim aliquem in vola, collocat poſt tergum manus; & ſublevatus imponit genua & ita geſtabatur.* Quæ totidem verbis etiam Zenob. *Cent.* III. *Proverb.* LX. Etiam Ἱππὰς, & Κυβησίνδα, dicebatur. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ μὲν ἐν κοτύλῃ (παιδιὰ.) ὁ μὲν, περιάγει τὼ χεῖρε εἰς τοὐπίσω, καὶ συνάπτει· ὁ δὲ, κατὰ τὸ γόνυ ἐφιστάμενος αὐταῖς φέρεται, ἐπιλα- E βὼν ταῖν χεροῖν τὼ ὀφθαλμὼ τοῦ φέροντος· ταύτην καὶ Ἱππάδα, καὶ Κυβησίνδαν, καλοῦσι τὴν παιδιάν. *Hic quidem in vola (luſus). Hic quidem circumducit in tergum manus, & conjungit: alter autem per genu inſiſtens illis fertur, amplectens manibus oculos geſtantis: Hunc etiam Hippada & Cyſebindan appellant luſum.* Ita autem ab Atticis vocatus hic ludus, qui

ab aliis Ἐφεδρισμὸς dicebatur, ut ex Hesychio infra doceo, ubi de illo ludo ago. Et, ut puto, Κοτυλισαὶ sunt appellati, qui hunc ludum ludere solerent, apud Julianum in *Misopogone*. Καὶ δὴ τέλος ὡς ἐνεδήκασιν ἔτι κοτυλισῶ. τοῦτο δ' ὑμεῖς ἴστε πρὸς τῷ ἔργῳ τοὔνομα· καὶ τοῦτον ἐνθένδε ἐκάλει, πόθῳ, καὶ ἔρωτι, τῆς σεμνῆς παρ' ὑμῖν διαίτης. οἱ Κελτοὶ δὲ τὸν μὲν κοτυλιστὴν ἠγνόησαν· ἐδέξατο γὰρ αὐτὸν αὐτίκα τὰ βασίλεια. τοὺς ὀρχηστὰς δὲ, ἐπιτραπέντας ἐν τῷ θεάτρῳ τὴν τέχνην, εἴασαν, οἰόμενοι τοῖς νυμφολήπτοις αὐτοὺς ἐοικέναι. *Atque adeo tandem postquam aderat adhuc cotylistes (hoc autem vos scitis præter opus nomen.) Et hunc inde vocabat desiderio & amore honestæ apud vos vitæ consuetudinis. Celtæ autem cotylistam quidem ignoraverunt. Exceperunt enim ipsum statim regiæ. Saltatores autem, quorum curæ mandantur theatralia artificia, omiserunt, putantes nympharum ira perculsis similes videri.*

ΑΓΧΙΑΛΛΟΣ.

Qualis fuerit, in incerto est. Meminit Balsamon, *ad Conc.* VI. *Can.* LI. Ἔοικε δὲ διὰ τὰ τῶν τοιούτων κανόνων ἐπιτίμια ἐπινοηθῆναι τὰ βασιλικὰ παίγνια, τὸ Κοντοπαίκτην δηλαδὴ, τὸ Μάρωνα, τὸ Ἀγχίαλλον. *Videntur autem propter horum canonum pœnas excogitati esse regii lusus, Contopæctam vel contilusorem nempe, Marona, Anchiallon.* Ita scriptum in Palatino codice erat, quo sum usus Heidelbergæ, cum illic agerem: at in Regio Gallicano, quem repræsentarunt nobis Parisienses, fuit, τὸ Ἀχιλλέα.

ΑΓΧΟΝΗ.

Apud Thracas usitabatur, in conviviis. Laqueum e sublimi loco adaptatum suspendebant, lapidemque subjiciebant, qui facile circumverteretur, si quis insisteret. inde, quem sors tetigisset, falcem manu sua tenens, collum laqueo inserebat; aliusque tunc accedens, lapide impulso, discedebat: qui pendebat, nisi ocius falce laqueum secuisset, strangulatus, moriebatur. morsque ejus spectatoribus ludus tantum, & jocus, erat. Athenæus *lib.* IV. Σέλευκος δὲ Θρακῶν φησί τινας ἐν τοῖς συμποσίοις Ἀγχόνην παίζειν, βρόχον ἀρτήσαντας ἔκ τινος ὕψους, στρογγύλον, πρὸς ὃν καὶ κάθετον προστίθεσθαι λίθον εὐπερίτρεπτον τοῖς ἐπιβαίνουσι. διαλαγχάνειν οὖν αὐτοὺς, καὶ τὸν λαχόντα, ἔχοντα δρεπάνιον, ἐπιβαίνειν τῷ λίθῳ, καὶ τὸν τράχηλον εἰς τὸν βρόχον ἐντιθέναι· παρερχόμενον δὲ ἄλλον, ἐγείρειν τὸν λίθον. καὶ ὁ κρεμάμενος, ἐπιτρέχοντος τοῦ λίθου, ἐὰν μὴ ταχὺ φθάσας ἀποτέμῃ τῷ δρεπάνῳ, τέθνηκε· καὶ οἱ ἄλλοι, γελῶσι παιδιὰν ἔχοντες τὸν ἐκείνου θάνατον. *Seleucus autem Thracum ait quosdam in conviviis Strangulationem ludere, laqueum suspendentes ex aliqua altitudine rotundum, ad quem juxta perpendiculum apponi lapidem probe versatilem insistentibus. Sortiri igitur illos, & quem sors tetigit, eum habentem falcem conscendere lapidem, & cervicem in laqueum inserere: advenientem autem alium suscitare lapidem. Et suspensus decurrente lapide, nisi cito occupans abscindat falce, mortuus est; & alii rident, ludibrio habentes istius mortem.*

ΑΙΓΛΗ.

Suidas. Αἴγλη ἐστὶ καὶ παιδιά τις. *Ægle est etiam lusus aliquis.*

ΑΚΙΝΗΤΙΝΔΑ.

Certabant inter se, quis diutius sine motu in vestigio permaneret. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἀκινητίνδα, ἅμιλλαν τοῦ ἀκινητεὶ μένειν εἶχεν. *Acinetinda, certamen immobiliter manendi habebat.*

ΑΝΑΚΡΟΥΣΙΑ.

Pilæ ludus erat. Hesychius. Ἀνακρουσία. παιδιᾶς εἶδος, ἐπὶ σφαίρας. *Anacrusia. lusus genus per pilam.*

ΑΠΟΔΙΔΡΑΣΚΙΝΔΑ.

Quidam in medio considebat, clausis oculis, aut ab altero compressis; interim alii diffugiebant. ad quos ille inquirendos cum surrexisset, hi certatim locum ejus occupabant. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἀποδιδρασκίνδα, ὁ μὲν ἐν μέσῳ καταμύων κάθηται, ἢ καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ τις λαμβάνει. οἱ δὲ, ἀποδιδράσκουσι. διαναστάντες δὲ ἐπὶ τὴν ἐξερεύνησιν, ἔργον ἐπῆν ἑκάστῳ εἰς τὸν τόπον ἐκείνου φθάσαι. *Apodidrascinda. hic quidem in medio claudens oculos sedet, aut oculos ejus aliquis complectitur. illi autem aufugiunt. excitantes autem ad indagationem, opus aderat unicuique locum ejus occupare.*

ΑΠΟΡΡΑΞΙΣ.

In pilæ lusu dicebatur. Hesychius. Ἀπόρραξιν. παιδιὰν διὰ σφαίρας. *Aporraxim; lusum per pilam.* Erat nempe, cum pila, murum non tangens, recta in terram incideret; & exultans repelleretur. Eustathius *ad Odyss.* θ'. Ὅτι δὲ ἡ ῥηθεῖσα οὐρανία, εἶδος ἦν τῆς σφαίρας παιδιᾶς, δηλοῖ ὁ γράψας, ὅτι παύτης ἡ μέν τις, ἐλέγετο οὐρανία· ἡ δὲ, ἀπόρραξις. *Quod autem appellata urania, erat species pilæ lusus, declarat qui scripsit, quod lusus quidem hæc dicebatur Urania; illa autem Aporraxis.* Et mox subjungit: Ἀπόρραξις δὲ, ὅτ' ἂν τὴν σφαῖραν μὴ πρὸς τοῖχον, ἀλλὰ πρὸς ἔδαφος, σκληρῶς φασιν ἀράττωσιν, ὥστε ἀποκρουομένην ἅλλεσθαι πάλιν. *Aporraxis autem, si quando pilam non ad murum, sed ad solum duriter, dicunt, impingunt, ut recellens saltet rursus.* Oportebat autem eum, qui repellebat exultantem pilam, ostendere, ac denotare, locum, ubi exultasset: tum & quoties exultasset, numeratum. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ τῆς σφαίρας παιδιὰ ὀνόματα εἶχεν, ἐπίσκυρος, φεννίδα, ἀπόρραξις. *Pilæ autem lusum nomina habebat, episcurus, phennida, aporraxis.* Deinde non multo post: Ἡ δὲ ἀπόρραξις. ἔδει τὴν σφαῖραν εὐτόνως πρὸς τὸ ἔδαφος ῥῆξαντα, ὑποδεξάμενον τὸ πήδημα τῆς σφαίρας τῇ χειρὶ πάλιν ἀντιπέμψαι. καὶ τὸ πλῆθος τῶν πηδημάτων ἠριθμεῖτο. *Aporraxis autem. oportebat pilam vehementer ad solum impellentem, monstrato saltu pilæ, manu iterum remittere; & numerus saltuum numerabatur.*

ΑΡΠΑΣΤΟΝ.

Vide infra, in Ἐφετίνδα.

ΑΡΤΙΑΖΕΙΝ.

Suidas. Ἀρτιάζειν. τὸ παίζειν, Ἄρτια ἢ περιττά. *Artiazein, ludere par vel impar.* Nempe ludentes sumptis in manu talis, fabis, nucibus, amygdalis, interdum etiam nummis, interrogantes alterum divinare jubebant, Ἄρτια, ἢ Περιττά, paria nempe, an imparia, haberent. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ Ἀρτιάζειν, ἐν ἀστραγάλων πλήθει, κεκρυμμένων ὑπὸ ταῖν χεροῖν, μαντείαν εἶχε τῶν ἀρτίων καὶ τῶν περιττῶν. ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ κυάμοις, ἢ καρύοις τε, καὶ ἀμυγδάλαις, καὶ ἀργυρίῳ πράττειν ἠξίουν, εἰ πιστὸς Ἀριστοφάνης, ἐν τῷ Πλούτῳ λέγων.

Στατῆρσιν οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν.

Artiazein autem, in talorum multitudine, absconditorum sub manibus, divinationem habebat parium & imparium. Hoc autem ipsum etiam fabis, aut nucibus, &

amygdalis, argentoque facere solebant, si credendum Aristophani in Pluto dicens:

Stateribus servi par impar ludimus.

Qui Aristophanis locus exstat *Pluti* Act. IV. Sc. I. Notatque *ad eum* Scholiastes. Ἀρτιάζομεν, ἤγουν παίζομεν, Ἄρτια ἢ περιττά. *Artiazomen, sive ludimus, paria aut imparia.* Meminit Plato, *Lyside.* Εἰσελθόντες δὲ, κατελάβομεν αὐτόθι τεθυκότας τε τοὺς παῖδας, καὶ τὰ περὶ τὰ ἱερεῖα σχεδόν τι ἤδη πεποιημένα· ἀστραγαλίζοντάς τε δὴ καὶ κεκοσμημένους ἅπαντας. οἱ μὲν πολλοὶ, ἐν τῇ αὐλῇ ἔπαιζον ἔξω. οἱ δέ τινες, τοῦ ἀποδυτηρίου ἐν γωνίᾳ ἠρτίαζον ἀστραγάλοις παμπόλλοις, ἐκ φορμίσκων τινῶν προαιρούμενοι. *Ingressi autem deprehendimus illic & qui sacrificaverant pueros, & quæ ad sacra pertinerent propemodum jam peracta; talisque ludentes & ornatos cunctos. Multi quidem in aula ludebant foris; aliqui autem in vestiarii angulo par impar ludebant talis permultis, ex sportulis quibusdam progressi.* Quem locum respexit Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Καὶ μὴν καὶ ἁρπάζειν ἀστραγάλους, ἐκ φορμίσκων καταιρουμένους, ἐν τῷ ἀποδυτηρίῳ τοὺς παῖδας ὁ Πλάτων ἔφη. *Quinetiam & rapere talos ex sportulis progressos in vestiario pueros Plato dixit.* Sed corrupta illic verba sic restituo. Καὶ μὴν ἀρτιάζειν ἀστραγάλοις, ἐκ φ. κ. *Quinetiam & par impar ludere talis* &c. Aristoteles *Rhet.* lib. III. cap. V. Τύχοι γὰρ ἄν τις ἐν τοῖς ἀρτιασμοῖς, ἄρτια ἢ περισσὰ εἰπὼν μᾶλλον, ἢ πόσα ἔχει. *Fortasse enim quis in hoc genus lusibus, paria vel imparia dixerit potius, quam quot habet.* Et Suetonius *Augusto*, cap. LXXI. *Si vellent inter se inter cœnam vel talis, vel* PAR IMPAR *ludere.* Horatius, *lib.* II. *Sat.* III.

Ludere PAR IMPAR, *equitare in arundine longa.*

ΑΣΚΩΛΙΑΣΜΟΣ.

Uno pede saltabant. Hesychius. Ἀσκωλιάζοντες, ἐφ᾽ ἑνὸς ποδὸς ἀλλόμενοι. *Ascoliazontes, uno pede saltantes.* Eustathius *ad Odyss.* κ΄. Παρὰ τοῖς ὕστερον Ἀσκωλιάζειν ἑρμηνεύεται, τὸ ἑνὶ ποδὶ ἅλλεσθαι. *Apud posteriores verbum Ascoliazein interpretatur, uno pede saltare.* Uno pede sublato, altero solo saltare oportebat; ac certamen erat, quis longius saltaret, & frequentius: quippe plures saltus fecisset, is vincebat. interdum etiam is qui uno pede saltabat, alios, utroque fugientes, insequebatur; donec aliquem ex iis assecutus esset. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ὁ δὲ ἀσκωλιασμὸς, τοῦ ἑτέρου ποδὸς αἰωρουμένου, κατὰ μόνου τοῦ ἑτέρου πηδᾶν ἐποίει, ὅπερ ἀσκωλιάζειν ὠνόμαζον. ἤτοι εἰς μῆκος ἐνήλλαντο. ἢ ὁ μὲν ἐδίωκεν οὕτως, οἱ δ᾽ ὑπέφευγον, ἐπ᾽ ἀμφοῖν θέοντες, ἕως τινὸς τῷ φερομένῳ ποδὶ ὁ διώκων δυνηθῇ τυχεῖν. ἢ καὶ στάντες ἐπήδων, ἀριθμοῦντες τὰ πηδήματα· προσέκειτο γὰρ τῷ πλήθει τὸ νικᾶν. *Ascoliasmus autem altero pede sublato per alterum solum saltare faciebat; quod ascoliazein nominabant; sive in longitudinem insiliebant; sive hic quidem persequebatur ita, illi autem aufugiebant utroque currentes, quoad aliquem sublato pede poterat tangere persequens. sive etiam stantes saltabant numerantes saltur. Vincere enim situm erat in multitudine.* Interdum insiliebant etiam in utrem unctum, vino plenum, in festo Bacchi. Aristophanis Scholiastes *Pluto.* Ἀσκώλια, ἑορτὴ Διονύσου. ἀσκὸν γὰρ οἴνου πληροῦντες, ἑνὶ ποδὶ τοῦτον ἐπήδων. καὶ ὁ πηδήσας, ἆθλον εἶχε τὸν οἶνον. *Ascolia, festum Bacchi. utrem enim vino repletum uno pede eum insiliebant. & qui saltavit, præmium habebat vinum.* Eustathius, *loco jam citato.* Καὶ τὸ ἀσκωλιάζειν, ὅπερ ἐστὶ κατὰ κυριολεξίαν μὲν, ἐν ἀσκῷ λιάζειν. ᾧ πεφυσημένῳ ἐμπηδῶντες οἱ βουλόμενοι ἔν τινι ἑορτῇ οὐκ ἀμφοῖν ποδοῖν, ἀλλ᾽ ἑνὶ, καὶ ὡς εἰκὸς, οὐκ εὐστοχοῦντες, ἀλλά που καὶ καταπίπτοντες, ὑπεκίνουν γέλωτα τοῖς θεωμένοις. *Et verbum ascoliazein, quod quidem secundum loquendi proprietatem est, in utre jactare; cui inflato insilientes qui volebant in quodam festo non utroque pede, sed uno, & ut verisimile, non bene scopum attingentes, sed interdum etiam decidentes, movebant risum spectantibus.* Vide quæ notata mihi præterea *Græciæ Feriatæ* lib. I. in Ἀσκώλια.

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ.

Talorum lusus, de quo alii jam dixerunt, sed de jactuum nominibus verbum plane nullum fecerunt. Itaque addo. Erant illi numero triginta quinque, varie dicti, vel a diis deabusve, vel heroibus, vel viris claris, vel etiam scortis, aliisve quibusdam rebus. Eustathius, *ad Iliad.* ψ΄. Ἦσαν δὲ, φασιν, αἱ πᾶσαι τῶν ἀστραγάλων, παραλαμβανομένων ὡς ἔθος, πέντε καὶ τριάκοντα. ὧν αἱ μὲν, θεῶν ἐπώνυμοι. αἱ δὲ, ἡρώων· αἱ δὲ, ἐνδόξων ἀνδρῶν· αἱ δὲ, ἑταιρίδων· αἱ δὲ, ἀπό τινων συμβεβηκότων κατὰ τιμὴν, ἢ χλεύην, προσαγορεύονται. *Erant autem, dicunt, omnes casus talorum, assumptorum ut mos, quinque & triginta; quorum hi quidem diis cognomines, alii autem heroibus, alii autem illustribus viris, alii autem meretriculis, alii autem a quibusdam fortuitis honoris aut ludicri causa appellantur.* Et *ad Odyss.* α΄. Τῶν κατὰ τοὺς ἀστραγάλους πτώσεων, αἱ μὲν, θεῶν εἰσιν ἐπώνυμοι· αἱ δὲ, ἡρώων. αἱ δὲ, βασιλέων· αἱ δὲ, ἐνδόξων ἀνδρῶν· αἱ δὲ, ἑταιρίδων. *Casuum in talis, hi quidem diis sunt cognomines, illi autem heroibus, illi autem regibus, illi autem viris illustribus, illi autem meretricibus.* In his fuit, ΑΦΡΟΔΙΤΗ. Ita dicebatur jactus, quo tali omnes diverso aspectu cecidissent. Lucianibus, in *Amoribus.* Ἐπειδὰν δὲ καὶ μικρὰ τοῦ πάθους ἑαυτὸν ἀποβουκολήσειν θελήσειε, προσειπὼν, τῇ δὲ τραπέζῃ τέσσαρας ἀστραγάλους Λυβικῆς δορκὸς ἀπαριθμήσας, διεπέττευε τὴν ἐλπίδα. καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ μάλιστα δ᾽ εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν (τὴν Ἀφροδίτην) εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι, προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. *Postquam autem & affectum lenire paullum voluerit, alloquutus, mensæ autem quatuor talis Lybicæ capreæ pernumeratis, per talos querebat spem; & jaciens quidem ad scopum, potissimum autem si quando deam ipsam (Venerem) bene jecerit, nullo talo in eadem forma lapso, venerabatur, desiderio se potiturum existimans.* Suetonius, in *Augusto*, cap. LXXI. *In singulos talos singulos denarios conferebat; quos tollebat universos, qui* VENEREM *jecerat.* Hunc jactum qui jecisset, rex convivii fiebat. Horatius, *lib.* II. *Od.* VII.

——— quem VENUS *arbitrum*
Dabit bibendi.

Inde *Basilicus* dicitur Plauto, in *Curculione*, Act. II. Sc. III.

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem;
Jacto basilicum.

Jaciebatur autem quatuor talis. Cicero, *De Divinat.* l. I. *Quatuor tali jacti casu Venereum efficiunt. num etiam centum Venereos, si quadringentos talos jeceris, casu futuros putas?* Et mox iterum, *lib.* II. *Dixisti multa de casu; ut Venereum jaci casu posse, quatuor talis jactis: quadringentis, centum Venereos non posse casu consistere.* Designatur a Martiale, *lib.* XIV. *epigr.* XIV.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

ΒΕΡΟΝΙΚΗΣ ΠΛΟΚΑΜΟΣ. Hesychius. Βερονίκης πλόκαμος. τοῦτον κατηστερίσθαι φησὶ Κόνων. καὶ βόλος δέ τις ἀστραγάλων οὕτω καλεῖται. *Beronices crinis;*

hunc in stellarum numerum relatum esse dicit Conon: jactus autem quidam talorum etiam ita vocatur. ΓΡΑΥΣ. Hesychius. Γραῦς, τὸ συναγόμενον, καὶ ἐπιπηγνύμενον ἐπάνω, ὅταν γάλα ἕψηται, ἤ τι τοιοῦτον ὑγρόν. καὶ ἡ ἐν τοῖς χείλεσι τῶν ποταμῶν γραμμή, καὶ βόλος τις ἀστραγάλων. *Graus, vel anus: collectum & compactum superne, cum lac coquitur, aut tale quid humidum: etiam quæ in labiis fluviorum linea, & jactus quidam talorum.* ΔΑΡΕΙΟΣ. Hesychius. Δαρεῖος. ὑπὸ Περσῶν, ὁ φρόνιμος. ὑπὸ δὲ Φρυγῶν, Ἕκτωρ. καὶ ἀστραγάλων δέ τινων βόλος οὕτω καλεῖται. *Darius: a Persis, prudens; a Phrygibus autem Hector: talorum autem quorumdam jactus etiam ita vocatur.* ΔΙΚΕΝΤΡΩΝ. Hesychius. Δικέντρων. βόλος τὶς ἀστραγάλων οὕτως ἐκαλεῖτο. *Dicentron; jactus quidam talorum sic vocabatur.* ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ. Eustathius, *ad Iliados* ψ'. ubi de talorum jactibus. Ἑτέρα δὲ (πτῶσις) ἐκαλεῖτο Εὐριπίδης· ἡ δηλαδὴ σημαίνουσα τὰ τεσσαράκοντα, ἐπειδὴ δοκεῖ ὁ Εὐριπίδης γενέσθαι εἷς τῶν ἐν Ἀθήναις τεσσαράκοντα προστατῶν, μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν τριάκοντα. *Alius autem (casus) vocabatur Euripides; denotans videlicet quadraginta; quoniam videbatur Euripides fuisse Athenis unus quadraginta præfectorum, post dissolutionem istorum triginta.* Meminitque iterum, *ad Odyss.* ά. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἐπὶ δὲ τοῖς τεσσαράκοντα, τοῖς μετὰ τοὺς τριάκοντα προστᾶσιν Ἀθήνησι, συνῆρξεν Εὐριπίδης· εἶτα, εἰ τετταράκοντα τὸν ἀριθμὸν συνήθροιζεν ἀστραγάλων βολή, τὸν ἀριθμὸν τοῦτον Εὐριπίδην ὠνόμαζον. *Inter autem quadraginta, qui post illos triginta præfecti Athenis fuerint, simul imperavit Euripides: postea, si quadraginta numerum collegerat talorum jactus, hunc numerum Euripidem vocabant.* ΚΩΟΣ, & ΧΙΟΣ; quorum ille senio erat, hic unio. Hesych. Κῶος Χῖον, ὁ δὲ Κῶος ἀστράγαλος, ὁ ἕξ. ὁ μὲν γὰρ Χῖος, ἐδύνατο ἕν· ὁ δὲ Κῶος, ἕξ. *Cous Chium: Cous talus, qui sex: Chius enim quidem valuit unum; Cous autem sex.* Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Οἱ δὲ πλείους τὸν μὲν ἑξίτην, Κῶον. τὸν δὲ κύνα, Χῖον καλεῖσθαι λέγουσι. *Plures autem hunc quidem senarium, Coon; canem autem Chion nominatos esse dicunt.* Meminit Aristoteles, *Hist. Anim.* lib. II. cap. I. Καὶ τὰ μὲν Κῶα, ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ Χῖα καλούμενα, ἔξω. *Et Coa quidem intus versa in se invicem: Chia autem dicta extra.* Iterum *de Cælo*, lib. II. cap. XII. Μυρίους ἀστραγάλους Χίους βαλεῖν, ἀμήχανον. *Innumerabiles talos Chios jecisse impossibile.* Ad quæ verba ita Simplicius. Ὅπερ ἐστὶ δυσκολώτατον, οἷον, μυρίους ἀστραγάλους Χίους ἀστραγαλίζοντα βαλεῖν, ἢ Κώους γράφεται δὲ καὶ οὕτως, ὡς μεγάλων ἀστραγάλων ἐν ἀμφοῖν ταῖν νήσοιν γενομένων. *Quod est difficillimum, quale innumerabiles talos Chios ludentem talis jecisse, aut Coos. scribit autem etiam sic, tanquam, magnis talis in utraque insula usitatis.* Videndus etiam Zenobius, *Cent.* IV. *Proverb.* LXXIV. Tarrhæus, in *Collectaneis*, & Suidas. ΣΤΗΣΙΧΟΡΟΣ. Pollux *lib.* IX. *c.* VII. Καὶ μὴν Στησίχορος ἐκαλεῖτό τις παρ' ἀστραγαλίζουσιν ἀριθμὸς, ὃς ἐδήλου τὰ ὀκτώ. τὸν γὰρ ἐν Ἱμέρᾳ τοῦ ποιητοῦ τάφον, ἐξ ὀκτὼ πάντων συντεθέντα, πεποιηκέναι τὴν ΑΠΑΝΤΑ ΟΚΤΩ φασὶ παροιμίαν. *Quinetiam & Stesichorus vocabatur quis apud talis ludentes numerus, qui significabat octo. In Himera enim poetæ monumentum, ex octo omnibus compositum, fecisse dicunt proverbium OMNIA OCTO.* Eustathius, *ad Iliad.* ψ'. Ἦσαν δέ, φασιν, αἱ πᾶσαι πτώσεις τῶν ἀστραγάλων, παραλαμβανομένων, ὡς ἔθος, πέντε καὶ τριάκοντα· ἐλέγετο δέ τις ἐν αὐταῖς καὶ Στησίχορος, ὁ τὴν ὀκτάδα δηλαδὴ σημαίνων, ἐπεὶ ὁ ἐν Ἱμέρᾳ τῇ Σικελικῇ τάφος τοῦδε τοῦ μελοποιοῦ ἐξ ὀκτὼ γωνιῶν συνέκειτο. *Erant autem, dicunt, omnes casus talorum, quia adsumebantur, ut mos, quinque & triginta. Dicebatur autem aliquis in illis etiam Stesichorus, octavum scilicet numerum denotans, quoniam in Himera Siciliensi monumentum hujus odarum poetæ ex octo angulis compositum fuit.* Ejusdem ludi, ut existimo, erat ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Hesychius. Ἀλέξανδρος, ὄνομα βόλου. *Alexander, nomen jactus.* ΑΝΤΙΓΟΝΟΣ. Hesychius. Ἀντίγονος. βόλος τὶς οὕτως ἐκαλεῖτο. *Antigonus, jactus quidam ita vocabatur.* Agathias, in *Epigrammate*.

> Δίζυγες Ἀντίγονον διεκόσμεον· ἀλλὰ καὶ αὐτῷ.
> Ἶσος ἔμιμνε τόπος πεντεπικαιδεκάτῳ.

> *Duplices Antigonum exornabant: sed & ipsi*
> *Æqualis mansit forma in quinto super decimum.*

Erant alii, cum aleæ tesseræve ludo communes; de quibus vide infra, in Κυβεία.

ΑΦΕΝΤΙΝΔΑ.

Testulam in circum abjicientes, ita jactum moderari oportebat, ut intra eum illa subsisteret. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἀφεντίνδα. ὡς ἐστὶν εἰκάζειν, ὄστρακον ἀφέντα εἰς κύκλον, ἐχρῆν συμμετρήσασθαι, ὡς ἐντὸς τοῦ κύκλου στῇ. *Aphentinda; ut est conjectare, testam mittentem in circulum oportebat eo modo formare, ut intra circulum staret.* Idem talo fiebat in eo ludo, qui Ωμιλλα dicebatur. Vide infra.

ΑΧΙΛΛΕΥΣ.

Vide in Ἀγχίαλλος.

ΒΑΣΙΛΙΝΔΑ.

Suidas. Βασιλίνδα. εἶδος παιδιᾶς. *Basilinda; lusus species.* Eustathius *ad Odyss.* ά. Βασιλίνδα παιδιά τις, βασιλέας τινὰς ἀποδεικνύουσα. *Basilinda; lusus quidam, reges aliquos exhibens.* Hesychius. Βασιλίνδα. παιδιᾶς εἶδος, ἢ βασιλέας καὶ στρατιώτας ἀπομιμούμενοι ἐχρῶντο. *Basilinda; lusus species, quo regum & militum imaginem imitantes utebantur.* Quidam hic sorte rex fiebat, qui imperabat cæteris facienda. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Βασιλίνδα μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν διακληρωθέντες, ὁ μὲν βασιλεὺς προστάττῃ τὸ πρακτέον· ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν, πανταχόθεν ἀπεκπονῇ. *Basilinda quidem igitur est, quando sortiti, rex quidem imperabat exsequenda: qui vero sorte acceperat, ut minister esset, undiquaque laborabat.* Respexit Dion Chrysostomus *De regno* Orat. IV. Οὐδὲ γὰρ τῶν παίδων ὁ νικήσας, ὅταν παίζωσιν, ὡς αὐτοί φασι, βασιλέα, τῷ ὄντι βασιλεύς ἐστιν. *Nec enim ex pueris ille qui vicit, quando ludunt, ut ipsi dicunt, regem, revera rex est.* Et Joannes Chrysostomus, *De Util. Lect. Script.* Ἵνα μάθῃς τὸ μέσον τῶν παιδίων, τῶν παιζόντων ἀρχάς· καὶ τῶν ἀρχῶν, τῶν ἐχόντων τὰς ἀρχάς. *Ut discas medium puerorum ludentium principatus; & principum habentium principatus.*

ΒΟΛΓΩΝ ΠΑΙΓΝΙΟΝ.

Bulgæ lusus, etiam hodie usitatus. Anonymus *De Arte Persica.* Δηλοῖ δὲ καὶ παίγνια βόλγων, καὶ ζατρικίων, ἀγάπας γυναικῶν, καὶ παιδίων ἀῤῥένων. *Notat autem lusus etiam bulgarum & zatriciorum, dilectiones mulierum, & puerorum masculorum.*

ΓΡΑΜΜΑΙ, & ΓΡΑΜΜΙΣΜΟΣ.

Vide infra Διαγραμμισμός.

ΓΩΝΟΣ.

In palæstra usitabatur. Hesychius. Γῶνος, γυνὸς ἕδος, καὶ παιδιά τις παλαιστρική. *Gonos, genus sedes & lusus quidam in palæstra.*

ΔΙΑΓΡΑΜΜΙΣΜΟΣ.

Ludebatur ſexaginta calculis, partim albis, partim nigris, & Γραμμαὶ quoque dicebantur. Heſychius. Διαγραμμισμός. παιδιά τις ἑξήκοντα ψήφων λευκῶν, καὶ μελαινῶν, ἐν χώραις ἑλκομένων, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ Γραμμὰς ἐκάλουν. *Diagrammiſmus, luſus aliquis ſexaginta calculorum alborum & nigrorum, qui in locis trahuntur: hoc autem ipſum quoque Grammas vocabant.* Etiam Γραμμισμός. Pollux *lib.* IX. *c.* VII. Ἐγγὺς δέ ἐστι ταύτῃ τῇ παιδιᾷ καὶ ὁ Γραμμισμὸς, καὶ τὸ Διαγραμμίζειν· ἣν τινα παιδιὰν καὶ Γραμμὰς ἐκάλουν. *Vicinum autem eſt huic luſui & Grammiſmus, & Diagrammizare, quem luſum etiam Grammas nominaverunt.* Euſtathius *ad Iliad.* ζ. Δοκεῖ δὲ καὶ παρὰ τὸ γράμμα καὶ ῥῆμα εἶναι Γραμμίζειν. ἀφ' οὗ παιδιά τις, ὁ Διαγραμμισμός, ἐγίνετο δέ, φασιν, αὕτη κυβείας οὖσα εἶδος, διὰ τῶν ἐν πλινθίοις ψήφων ἑξήκοντα, λευκῶν τε ἅμα καὶ μελαινῶν. χρῆσις τοῦ παιγνίου τοῦδε παρὰ Φιλήμονι ἐν τῷ,

Μεθύει, διαγραμμίζει, κυβεύει. ——

Videtur autem etiam præter nomen Gramma & verbum eſſe Grammizein; a quo luſus quidam Diagrammiſmus. fiebat autem, dicunt, hic quum ſit genus luſus teſſerarum, per calculos ſexaginta in laterculis albos ſimul & nigros. Uſus hujus luſus apud Philemonem in illo,

Ebrius eſt, calculis ludit, teſſeris ludit. ——

ΔΙΑΛΑΟΣ.

Heſychius. Διαλαός. οἱ μὲν, ἐπιμυλίδιον δαίμονα. ἄλλοι δὲ, παιδιᾶς εἶδος, ἐν ᾗ διαλέγουσι τὰς ψήφους. *Dialaus. hi quidem molis additum dæmona; alii autem luſus ſpecies, in quo ſecernebant calculos.*

ΔΙΕΛΚΥΣΤΙΝΔΑ.

In eo pars una ſingulos alterius partis ad ſe attrahere conabatur, ac ludebatur etiam in palæſtris. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ Διελκυστίνδα, παίζεται μὲν ὡς ἐπιτοπολὺ ἐν ταῖς παλαίστραις. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀλλαχόθι. δύο δὲ μοῖραι παίδων εἰσὶν, ἕλκουσαι τοὺς ἑτέρους οἱ ἕτεροι, ἔστ' ἂν καθ' ἕνα κρατοῦντες. *Dielcyſtinda autem, luditur quidem ut plerumque in palæſtris; nihilominus & alibi. duæ autem partes puerorum ſunt, trahentes alios alii, donec viciſſim ſingulæ vicerint.* In palæſtris luſitari conſueviſſe, etiam Heſychius tradit. Διελκυστίνδα. παιδιά τις οὕτω καλεῖται ὑπὸ τῶν παίδων ἐν τῇ παλαίστρᾳ. *Dielcyſtinda, luſus aliquis ita vocatur ab pueris in palæſtra.*

ΕΝΚΟΤΥΛΗ.

Vide ſupra, in Αγκοτύλη.

ΕΛΚΥΣΤΙΝΔΑ.

Trabs figebatur, viri magnitudine, in medio perforata, ubi funis trajiciebatur; quo ſuſpenſi utrinque duo juvenes, tergo inter ſe obverſo, in altum trahere alter alterum nitebantur. Ejus pars Σκαπέρδα erat. Euſtathius *ad Iliad.* ρ. Ἡ Ἑλκυστίνδα, λεγομένη παιδιά. ἧς μέρος, καὶ τὸ, Σκαπέρδαν ἕλκειν. ὅπερ τοιοῦτόν φασιν ἦν. δοκὸς ἀνδρομήκης ἵστατο τετρημένη κατὰ μέσον. διήρτητο δὲ δι' αὐτῆς σχοινίον τι, οὗ ἑκατέρωθεν ἐξημμένοι δύο νεανίσκοι, ἀνθεῖλκον, ἐντρέψαντες ἀλλήλοις τὰ νῶτα. ὁ δὲ βιασάμενος, καὶ προαγαγὼν ἄνω τῆς δοκοῦ, ἐνίκα τὸν ἕτερον Σκαπέρδαν. *Helcyſtinda, dictus luſus; cujus pars etiam illa, Scaperdam trahere: quod tale, dicunt, erat. Trabs proceritatem viri æquans ſiſtebatur perforata in medio. Suſpendebatur autem per illam funiculus quidam, unde utrinque annexi duo adoleſcentes, trahebant in contrarium, obverſis invicem tergis. Hic autem ſumma vi contendens, & ſurſum ducens ad trabis ſummitatem, vincebat alterum.* Dixi ex Euſtathii verbis, Σκαπέρδαν ejus partem eſſe; ac Σκαπέρδας nomine deſcribit Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ Σκαπέρδα. δοκὸν ἐν μέσῳ τρυπήσαντες καταπηγνύουσι. διὰ δὲ τοῦ τρυπήματος διήρτηται σχοινίον, οὗ ἑκατέρωθεν εἷς δέδεται, οὐ πρὸς τὴν δοκὸν βλέπων, ἀλλ' ἀπεστραμμένος. ὁ δὲ τὸν ἕτερον πρὸς βίαν ἑλκύσας, ὥστ' ἀνωτάτω τῇ δοκῷ προσαγαγεῖν, νικᾶν οὗτος δοκεῖ. καὶ τοῦτο ΣΚΑΠΕΡΔΑΝ ΕΛΚΕΙΝ λέγουσιν. ἔσθ' ὅτε μὲν τινες καὶ νῶτα προστιθέντες ἀλλήλοις ἀνέλκουσιν ἑνὶ δεσμῷ δεθέντες. *Scaperda autem: trabem in medio quum perforaviſſent, defigunt: per foramen autem traducitur funiculus, cujus ab utraque parte unus ligabatur, non aſpiciens trabem, ſed averſus. Alter autem alterum vi trahens, ut in ſummum trabem adducat, hic vincere putatur. Et hoc* SCAPERDAM TRAHERE *dicunt. Nonnunquam quidem aliqui etiam tergis oppoſitis invicem trahunt uno vinculo ligati.* Fiebat autem Dionyſiorum feſto. Heſychius docet. Σκαπέρδα, ἐν τοῖς Διονυσίοις ἀγομένη. πηγνυμένης δοκοῦ ἀνδρομήκους, καὶ τετρημένης, ᾗ διήρτηται διὰ μέσου σχοινίον. καὶ δύο οἱ ἀγωνιζόμενοι, ἀντίους ἀλλήλοις τοὺς νώτους ἔχοντες. *Scaperda, in Dionyſiis celebrari ſolita. Defixa trabe viri longitudine & perforata, cui inſeritur trajectus funiculus per medium: & duo certantes contraria invicem habentes terga.* Quia autem difficultas in altero protrahendo ſumma erat, inde factum, ut poſtea, quicquid difficile eſſet, Σκαπέρδα diceretur. Euſtathius, *loco* jam *citato*. Ἐκ τούτου δὲ καὶ τὰ δυσχερῆ πάντα σκαπέρδαν ἔλεγον παροιμιακῶς, διὰ τὸ ἐπίπονον τῆς ὁλκῆς, καὶ ἀνθολκῆς. *Ex hoc autem etiam difficilia omnia ſcaperdam dixerunt proverbialiter, propter laborioſum tractum, & contrarium tractum.* Neque hoc tantum; ſed & Σκαπέρδης dictus, qui vinceretur. Heſychius. Καὶ πᾶν τὸ δυσχερὲς, Σκαπέδρα λέγεται· καὶ ὁ πάσχων, Σκαπέρδης. *Et omne difficile Scaperda dicitur; & qui patitur Scaperdes.*

ΕΜΒΑΛΛΕΚΥΛΛΗ.

Heſychius. Ἐμβαλλεκύλλη. οἱ αἰτοῦντες κατὰ παιδιὰν τὴν χεῖρά πως περιάγοντες, καὶ καλοῦντες, παρακαλοῦσιν ἐμβάλλειν. *Emballecylle; mendicantes per luſum manum quodam modo circumducentes & curvantes* (nam legendum κυλλοῦντες) *hortantur injicere.*

ΕΜΠΟΔΙΖΕΙΝ.

Heſychius. Ἐμποδίζων, ἰσχάδας μασσώμενος. τοῦτο δέ φασιν εἰρῆσθαι ἐπὶ τῶν μισθῷ τὰς μελίσσαις ἰσχάδας μασσωμένων. τοῦτο δέ φασί τινες εἶδος εἶναι παιδιᾶς. *Empodizon: caricas manducans. Hoc autem ajunt dictum eſſe de illis qui mercede apibus caricas manducant. hoc autem dicunt quidam luſus eſſe ſpeciem.*

ΕΞΑΓΩ ΧΩΛΟΝ ΤΡΑΓΙΣΚΙΟΝ.

Heſychius. Ἐξάγω χωλὸν τραγίσκιον. παιδιᾶς εἶδος παρὰ Ταραντίνοις. *Educo claudum hirculum. Luſus ſpecies apud Tarentinos.*

ΕΞΕΧ' Ω ΦΙΛΕ ΗΛΙΕ.

Ita pueri plaudentes acclamabant Soli, cum nube obſcuraretur. Pollux, *l.* IX. *c.* VII. Ἡ δὲ ΕΞΕΧ' Ω ΦΙΛΕ ΗΛΙΕ παιδιά, κρότον ἔχει τῶν παίδων, σὺν τῷ ἐπιβοήματι τούτῳ, ὁπόταν νέφος ἐπιδράμῃ τὸν θεόν. ὅθεν καὶ Στράττις ἐν Φοινίσσαις.

Εἶθ' ἥλος μὲν πείθεται τοῖς παιδίοις,
Ὅταν λέγωσιν, ΕΞΕΧ' Ω ΦΙΛΕ ΗΔΙΕ.

Luſus autem EMICA O AMICE SOL, plauſum habet puerorum, cum hac acclamatione, quando nubes incurrit ſubter deum. Unde etiam Strattis in Phœniſſis.

Ergo ſol quidem paret pueris,
Quando dicunt, EMICA O DILECTE SOL.

Suidas. Ἐξέχειν τὸν ἥλιον. τὸ ἐπιτεταλκέναι. Ἔξεχ' ὦ φίλε ἥλιε. κωλάβριον παροιμιῶδες, ὑπὸ τῶν παίδων λεγόμενον, ὅταν ἐπινέφῃ, ψύχους ὄντος. Ἀριστοφάνης Νήσοις.

Λέξεις ἄρ' ὡς τὰ παιδί' ΕΞΕΧ' Ω ΦΙΛΕ
ΗΛΙΕ. — —

Apparere ſolem; exortum eſſe. EMICA O DILECTE SOL. Verſiculus proverbialis, a pueris dici ſolitus, quum nube obtectus eſt, exiſtente frigore. Ariſtophanes Inſulis,

Dices ergo ſicut pueri EMICA O DILECTE
SOL. — —

Euſtathius *ad Iliad. λ'.* Κωλάβριον ἕν τι παροιμιῶδες Αἴλιος Διονύσιός φησιν ὑπὸ παίδων λέγεσθαι, δηλοῦν ἐξέχειν, ὅ ἐστιν ἐπιτεταλκέναι, τὸν ἥλιον. *Verſiculum igitur quemdam proverbialem Ælius Dionyſius dicit a pueris dici, ſignificantem apparere, quod eſt exortum eſſe, Solem.* Deinde Ariſtophanis locum profert, e Νήσοις fabula, Suidæ citatum; ſed omiſſo fabulæ nomine.

ΕΠΙΚΟΙΝΟΣ.

Vide in Ἐπίσκυρος.

ΕΠΙΣΚΥΡΟΣ.

Erat inter pilæ ludos, & Ἐπίκοινος item, atque Ἐφηβική, dicebatur. Plene deſcribit Pollux, ſed verba ſine mendo non ſunt, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ τῆς σφαίρας παιδιὰ, ὀνόματα εἶχεν, Ἐπίσκυρος, Φενίδα, Ἀπόρραξις, Οὐρανία. καὶ ἡ μὲν Ἐπίσκυρος, καὶ Ἐφηβική, καὶ Ἐπίκοινος, ἐπίκλην ἔχει. παίζεται δὲ κατὰ πλῆθος, διαστάντων ἴσων πρὸς ἴσους, ἤτοι μέσην γραμμὴν ἄτρυπον ἐκλυσάντων, ἣν σκῦρον καλοῦσιν. ἐφ' ἣν καταπιθέντες τὴν σφαῖραν, ἑτέρας δύο γραμμὰς κατόπιν ἑκατέρας τῆς τάξεως καταγράψαντες, τοὺς ὑπὲρ ἑτέρους οἱ προανελόμενοι ῥίπτουσιν. οἷς ἔργον ἦν ἐπιδράξασθαί τε τῆς σφαίρας φερομένης, καὶ ἐπιβάλλειν, ἕως ἂν οἱ ἕτεροι τοὺς ἑτέρους ἐπὶ τὴν ἑτέραν γραμμὴν ἀπώσωνται. *Pilæ autem luſus nomina habebat, Epiſcyrus, Phennida, Aporraxis, Urania. Et quidem Epiſcyrus etiam Ephebice & Epicœnus cognominabatur. Luditur autem ſecundum multitudinem, diſpoſitis paribus ad pares, vel mediam lineam ſine foramine exſolventes, quam ſcyrum vocant. Huic imponentes pilam alias duas lineas a tergo utriuſque ordinis deſcribentes, ceteros eos qui ultra ſunt, illi qui primum ſuſtulerunt, jaciunt. quibus negotium erat & corripere pilam volantem & injicere, donec reliqui alios ad aliam lineam pepuliſſent.* Euſtathius *ad Odyſſ. θ'.* Ἐπίσκυρος δὲ, ᾗ ἐχρῶντο οἱ παίζοντες (τῇ σφαίρᾳ) κατὰ πλήθη. καλουμένη διὰ τοῦτο καὶ Ἐπίκοινος. ἡ δ' αὐτὴ καὶ Ἐφηκή. ὠνόμαστο δὲ Ἐπίσκυρος, ἐπειδὴ οἱ κατ' αὐτὴν σφαιρίζοντες, ἐπὶ λατύπης ἑστῶτες, ἣν σκῦρον φαμὲν, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ δεδήλωται, βολῇ ἀλλήλους ἐξεδίωκον. *Epiſcyrus autem quo utebantur ludentes (pila) ſecundum multitudines. Dictus per hoc etiam Epicœnus. Idem autem & Ephece. Eſt autem appellatus Epiſcyrus, poſtquam illi pila ludentes in figlinæ terræ linea ſtantes, quam ſcyrum dici-*

A *mus, ſicut & alibi declaratum eſt, jactu invicem ſe perſequebantur.* Emendandus eſt Heſychii locus. Ἐπίσκυρος. ὁ μετὰ πολλῶν σφαιρισμός. *Epiſcyrus, inter multos pilæ luſus.* Hodie editur, μ. πολλῶν σκαρισμός. *cum multis ſaltus.*

ΕΠΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΣ.

Heſychius. Ἐποστρακίζειν, ὀστράκοις παίζειν. *Epoſtraczein, teſtis ludere.* Etymologici Auctor. Ἐποστρακίζειν. παιδιά τις, ἣν παίζουσιν οἱ παῖδες, ὄστρακα ἀφιέντες εἰς θάλασσαν. *Epoſtracizein. luſus quidam, quem ludunt pueri teſtas mittentes in mare.* Quæ to-
B tidem verbis Suidas habet. Ita autem habebat ludus. Teſtulam marinam in aquam pueri injiciebant, ita ut reſultaret ſubinde; iſque, cujus teſtula plurimum reſultaſſet, victor erat. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ὁ δὲ Ἐποστρακισμός. ὄστρακον τῶν θαλαττίων κατὰ τοῦ ὕδατος ἐπιπολῆς ἀφιᾶσιν, ἀριθμοῦντες αὐτοῦ τὰ πρὸ τοῦ καταδῦναι πηδήματα ἐν τῇ ὑπὲρ τὸ ὕδωρ ἐπιδρομῇ. ἐκ γὰρ τοῦ πλήθους τῶν ἁλμάτων ἡ νίκη τῷ βάλλοντι. *Epoſtraciſmus autem. teſtam marini generis in aquæ ſuperficiem emittunt, numerantes ejus, antequam mergatur, ſaltus in decurſu ſuper aquam. Ex multitudine enim ſaltuum victoria jacienti.* Euſtath.
C *ad Iliad. σ'.* Καὶ ὁ Ἐποστρακισμός. εἶδος δὲ οὗτος παιδιᾶς. καθ' ἣν φασιν ὀστράκια πλατέα ἐκτετριμμένα ὑπὸ θαλάσσης προΐενται κατὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ ὑγροῦ, καὶ ἐπιτρέχοντα ἐνίοτε πολλάκις, ἕως ἀτονήσαντα δύωσι κατὰ θαλάσσης, ἡδίστην ποιοῦνται πρόσοψιν. *Et Epoſtraciſmus. ſpecies autem illa luſus; in quo dicunt teſtulæ latæ extritæ a mari projiciuntur in ſuperficiem humidi, & percurrentes interdum ſæpe, donec jactus robore infirmato mergantur in mare, dulciſſimum faciunt adſpectum.* Eſt hunc luſum obſervare, pleniſſime deſcriptum, apud Minutium, in *Octavio. Cum ad id loci ventum eſt, ubi ſubductæ naviculæ, ſubſtratis roboribus, a terrena labe ſuſpenſæ quieſce-*
D *bant; pueros videmus, certatim geſtientes, teſtarum in mare jaculationibus ludere. Is luſus eſt, teſtam teretem, jactatione fluctuum levigatam, legere de littore. eam teſtam, plano ſitu digitis comprehenſam, inclinem ipſum, atque humilem, quantum poteſt, ſuper undas inrotare: ut illud jaculum vel dorſum maris raderet; vel enataret, dum leni impetu labitur; vel, ſummis fluctibus tonſis, emicaret, dum aſſiduo ſaltu ſublevatur. is ſe in pueris victorem ferebat, cujus teſtula & procurreret longius, & frequentius exſiliret.*

ΕΣΒΟΘΥΝ.

E Heſychius. Ἐσβοθύν. εἶδος παιδιᾶς Ταραντίνοις. *Esbothyn; ſpecies luſus Tarentinis.*

ΕΦΕΔΡΙΣΜΟΣ.

Lapidem ponebant ſatis longe remotum, qui Δίορος dicebatur. ad hunc pilis, lapidibusve, jaculabantur, ut proſternerent. quique proſtraviſſet, is victor, ab altero, compreſſis oculis, geſtabatur, donec ad eum uſque lapidem ſine errore perveniſſet. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ὁ δὲ Ἐφεδρισμός. λίθον καταστησάμενοι πόρρωθεν, αὐτοῦ στοχάζονται σφαίραις, ἢ λί-
F θοις. ὁ δ' οὐκ ἀνατρέψας τὸν ἀνατρέψαντα φέρει. τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπειλημμένος ὑπ' αὐτοῦ, ἕως ἂν ἀπλανῶς ἔλθοι ἐπὶ τὸν λίθον, ὃς καλεῖται δίορος. *Ephedriſmus autem: lapidem erigentes eminus, in illum pilis jaculantur aut lapidibus: qui autem non proſternit eum qui proſtravit fert obturatis oculis ab eo, donec ſine errore veniat ad lapidem, qui vocatur diorus.* Heſychius dicit, eum ipſum ludum fuiſſe, qui ab Atticis Ἐν κοτύλῃ appellatus; de quo ſupra in Ἀγκοτύλη a me actum. Verba ejus ecce iſta: Ἐφεδρίζειν. παίζειν τὴν λεγομένην Ἐφεδρισμὸν παιδιάν. ὅταν πε-
ρια-

εἰσαγαγὼν τὰς χεῖρας τις κατὰ νώτε, ἐκ τῆ κατόπιν βαστάζῃ τὸ νικήσαντα. ταύτην δὲ τὴν παιδιὰν Αττικοὶ ΕΝ ΚΟΤΥΛΗ λέγουσιν. *Ephedrizein; ludere dictum Ephedrismum lusum; quando circumducens manus aliquis in tergum, in tergo portabat victorem. hunc autem lusum Attici IN VOLA dicunt.* Ac victor, quia ita ab altero gestabatur, Εφεδριστὴρ dictus. Hesychius idem mox subjungit. Εφεδριστῆρας. τὰς ἐπικαθημένους ἐν τῇ εἰρημένῃ παιδιᾷ. *Ephedristeras; assidentes in dicto lusu.* A

ΕΦΕΤΙΝΔΑ.

B Etymologici Auctor. Εφετίνδα, ὄνομα παιδιᾶς φενακικῆς. ὡς γὰρ Αριστοφάνης φησὶ, τὸ ὀστρακίνδα παρὰ τὸ ὄστρακον ἀναπλάσας, αἰνιττόμενος τὸν ἐξοστρακισμόν· οὕτω Κρατῖνος ἀνέπλασε τὸ Εφετίνδα, παρὰ τὰς ἐν τοῖς δικαστηρίοις γενομένας ἐφέσεις. παρὰ οὖν τὴν ἔφεσιν, Εφετίνδα παιδιάν. *Ephetinda nomen lusus vani & deridendi. ut enim Aristophanes dicit, ostracinda ab testa refingens, quum obscure significet exostracismum: ita Cratinus refinxit vocem Ephetinda ob provocationes factas in judiciis. ob provocationem igitur Ephetinda lusum.* Ubi observandum, quod dicat fuisse παιδιὰν φενακικήν. Nam alteri pilam ostendentes, alteri mittebant. Hesychius. Εφετίνδα. εἶδος παιδιᾶς. ὅταν σφαῖραν ἄλλῳ προτείναντες, ἀλλαχῆ βάλλωσι. καὶ πεποίηται παρὰ τὸ φενακίζειν. C *Ephetinda; species lusus; quum pilam aliorsum porrigentes, aliorsum jaciunt; & facta vox est ab fallendo.* Verum in etymo longe fallitur; quia etsi ludus iste φενακικὸς erat, tamen non ideo recte nomen datum traditur, παρὰ τὸ φενακίζειν, *ab fallendo.* Rectius Etymologici Auctor παρὰ τὴν ἔφεσιν, *ab provocatione* derivat. De hoc pilæ lusu sunt isti Antiphanis Comici *versus*.

> —— σφαῖραν λαβὼν
> Τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε, τὸν δ' ἔφυγ' ἅμα,
> Τὸν δ' ἐξέκρουσε, τὸν δ' ἀνέστησιν πάλιν
> Κλαγκταῖσι φωναῖς. ——

D
> —— *pilam sumtam*
> *Huic quidem dans gavisus est, hunc autem fugit simul,*
> *Ab hoc autem expulit, hunc autem excitavit rursus*
> *Stridulis vocibus.* ——

E Eadem fuit, quæ Φεννὶς alias nuncupata. Eustathius *ad Odyss.* ζ. Σκοπητέον δὲ, εἴπερ ἡ κατὰ σφαῖραν αὕτη παιδιὰ, ἡ λεγομένη ἐφετίνδα ἐστί. τοιαύτη δὲ λέγεται παρὰ τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἄλλῳ προδείξαντες τὴν σφαῖραν, ἄλλῳ ἐφιᾶσιν. ἡ δ' αὐτὴ καὶ φεννὶς ἐλέγετο. ἔστι γάρ φασι φεννὶς, παιδιὰ διὰ σφαίρας, ὁπηνίκα ἑτέρῳ προδεικνύντες, εἶτα ἄλλῳ ἀφιᾶσι τὴν σφαῖραν, ὥσπερ φενακίζοντες. *Videndum autem, siquidem hic per pilam lusus fuerit is qui dicebatur ephetinda. Talis autem dicitur ab antiquis, quum alteri præmonstrantes pilam, alteri immittunt. Hic ipse autem etiam phennis dicebatur. Est enim, dicunt, phennis, lusus per pilam, quando alteri præmonstrantes, deinde ad alium emittunt pilam, tanquam fallentes.* F Ac meminit τῆ φεννίδος Hesychius. Φεννίς. εἶδος παιδιᾶς μετὰ σφαίρας. *Phennis; species lusus cum pila.* Suidas. Φεννίς. παιδιὰ διὰ σφαίρας, ὁπηνίκα ἑτέρῳ προδεικνύντες, εἶτα ἄνω ἀφιᾶσι τὴν σφαῖραν, ὥσπερ φενακίζοντες. *Phennis; lusus per pilam, quando alteri præmonstrantes, postea sursum mittunt pilam, quasi decipientes.* Sed scribendum, εἶτα ἄλλῳ ἀφιᾶσι τ. σ. *Postea ad alium mittunt pilam.* Apud Pollucem φεννίνδα scribitur, *lib.* IX. *cap.* VII. Η τῆς σφαίρας παιδιὰ ὀνόματα εἶχεν, ἐπίσκυρος φεννίνδα, ἀπόρραξις, οὐρανία. *Pilæ lusus nomina habebat, episcyrus, phennida, apporraxis, urania.* Et mox. Η δὲ φεννίνδα εἴρηται ἢ ἀπὸ Φεννίδε, τῆ πρώτως εὑρόντος, ἢ ἀπὸ τῆ φενακίζειν· ὅτι ἑτέρῳ προδείξαντες, ἑτέρῳ ῥίπτουσιν, ἐξαπατῶντες τὸν οἰόμενον. *Phennida autem dicitur aut a Phennida primo inventore, aut ab decipiendo; quod alteri præmonstrantes, ad alterum jaciunt, decipientes putantem.* Sed φαινίνδα ibi scribi in MS. testatur Seberus, in *Notis suis*: unde, transposita leviter litera, φαινίνδα repono. Eustathius *ad Odyss.* Οτι δὲ ἡ ῥηθεῖσα οὐρανία εἶδος ἦν τῆ διὰ σφαίρας παιδιᾶς, δηλοῖ ὁ γράψας, ὅτι ταύτης ἡ μέν τις ἐλέγετο οὐρανία. ἡ δὲ, ἀπόρραξις· ἡ δὲ, ἐπίσκυρος. ἡ δὲ φαινίνδα. *Quod autem lusus, qui dicebatur urania, species erat lusus per pilam, notat qui scripsit, quod hujus quidem quædam dicebatur urania; alia autem aporraxis; alia autem episcyrus; hæc autem phæninda.* Deinde. Φαινίνδα δὲ, ὅταν ἑτέρῳ φασὶ τὴν σφαῖραν προδεικνύντες, ἑτέρῳ αὐτὴν ἐπιπέμπωσιν. ἣν καὶ ἐτυμολογοῦντες οἱ παλαιοὶ λέγουσι γενέσθαι αὐτὴν ἴσως ἀπὸ τῆ φενακίζειν, οὐ πάνυ ἀκριβῶς οὕτως ἐτυμολογήσαντες. *Phæninda autem, quum alteri dicunt pilam præmonstrantes, alteri illam immittunt; quem etiam ab etymologia explicantes antiqui dicunt fieri, ipsum fortasse ab decipiendo, non plane accurate ita etymologiam exercentes.* Et mox. Η εἰρημένη φαινίνδα, ἄφεσιν εἶχε, καὶ φυγήν. *Dicta phæninda remissionem habet & fugam.* Athenæus, *lib.* I. Εκαλεῖτο δὲ φενίνδα, ἀπὸ τῆ ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων. ὅ, τε εὑρετὴς αὐτῆ, ὥς φησι Ιόβας ὁ Μαυρούσιος, Φαινέσιος ὁ παιδοτρίβης. *Vocabatur autem pheninda ab emissione pila ludentium; & inventor ejus, ut dicit Jobas Maurusius, Phænestius ludimagister.* Ubi Athenæus non vult dicere, a voce ἀφέσεως nomen inditum; sed a fallaci abjiciendæ pilæ modo; quod alteri mitterent, cum alteri velle viderentur: itaque φενίνδα dicta putata etiam per syncopen, quasi φενακίνδα, ut testatur Etymologus. itaque frustra in emendando Athenæi isto loco sese torquent viri magni. Ad Phænestium inventorem quod attinet, ejus meminit quoque Antiphanes.

> Φαινίνδα παίζων ᾔει ἐς Φαινεσίε.
> *Phæninda ludens ibat ad Phænestium.*

Etymologici Auctori Φενέστιος scribitur, sine diphthongo; quemadmodum & Φενίνδα, non Φαινίνδα. Ecce verba. Φεννίς. παιδιὰ διὰ σφαίρας γινομένη. ἔστι καὶ φενίνδα, ἀπὸ τῆ φενακίνδα, κατὰ συγκοπήν. ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων. ἢ ἀπὸ τῆ φενακίζειν ἐν τῷ ῥίπτειν, καὶ μὴ ῥίπτειν ἐκεῖσε, ἀλλ' ἑτέρωσε. ἢ ἀπὸ Φενεστίε, τῆ εὑρόντος αὐτήν. *Phennis; lusus per pilam fieri solitus. est etiam pheninda, ab phenacinda per syncopem; ab emissione eorum, qui pila ludunt; aut a fallendo in jaciendo, & quod non jacerent illuc, sed aliorsum; aut ab Phenestio qui invenit eum.* Apud Pollucem est, ἀπὸ Φεννίδε, τοῦ πρώτως εὑρόντος. *A Phenninda primo inventore.* Postea etiam Αρπαστὸν appellari cœpit. Observare est apud Athenæum, *libro citato.* Τὸ δὲ καλούμενον διὰ τῆς σφαίρας ἁρπαστὸν, φαινίνδα ἐκαλεῖτο. *Vocatum autem per pilam harpastum, phæninda vocabatur.*

ΕΦΗΒΙΚΗ.

Vide Επίσκυρος.

ΕΩΛΟΚΡΑΣΙΑ.

Adolescentes, una cœnantes, & pernoctantes, pervigilio certabant. qui somno victi obdormivissent, in hos mixturam cœnæ pridianæ effunde[bant]. Suid. Εωλοκρασία. τὸ χθιζὸν βρῶμα ...

τὴν τοῖς νέοις δειπνοῦσι, καταχεῖν τῶν κοιμωμένων τῶν ἑώλων δείπνων τοὺς ζωμοὺς, πρὸς τοιαύτην παιδιὰν κεκραμένους. *Heolocrasia, hesternus cibus proprie. Mos erat juvenibus cœnantibus, effundere in dormientes hesternarum epularum juscula, ad talem lusum mixta.* Joannes Tzetzes *Chil.* VI. *cap.* LXXXV.

Τράγκυλλος Σουητῖνός τις ἐν παιδιαῖς Ἑλλήνων,
Πολλὰς μὲν ἄλλας παιδιὰς καὶ συμποσίων λέγει.
Ὧν συμποσίων μία μὲν ἡ ἑωλοκρασία.
Οἱ νέοι γὰρ κωμάζοντες τόποις ἀφωρισμένοις,
Περὶ ἑσπέραν τοὺς χοὰς καὶ τοὺς βίκους τιθέντες,
Ἕκαστος ἀνδριζόμενος ἔπινε τὸν οἰκεῖον.
Ὃς δὲ πιεῖν οὐκ ἴσχυσε τὸν ἑαυτοῦ χοέα,
Περιεχεῖτο ἕωθεν, τῶν συμποτῶν γελώντων.
Τὸ δ' ἑωλοκρασία μέν. ——

Tranquillus Suetinus quidam in lusibus Græcorum,
Multos quidem alios lusus etiam conviviorum dicit;
Quorum conviviorum una quidem heolocrasia.
Juvenes enim comessantes locis separatis,
Per vesperam congia & urnas ponentes,
Quisque virile robur exhibens bibebat suam peculiarem:
Qui autem bibere non potuit hoc suum congium,
Circumfundebatur mane convivis ridentibus.
Hoc autem heolocrasia quidem. ——

Eustathius *ad Odyss.* β'. Τάχα ἂν καὶ διενυκτέρευσαν ἐν τῷ πότῳ, ἵνα καὶ ἑωλοκρασίαν ἔθεντο· ἣν κατεσκεδάννυσαν φασὶ τῶν κατακοιμηθέντων οἱ διαπαννυχίσαντες ἐν τῷ πίνειν, χθιζὴν κρᾶσιν οὖσαν, ἤτοι λείψανον τοῦ χθὲς κρατῆρος, ὃ τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μὴ κρατερῶν τοῦ πίνειν κατεχέετο. *Fortasse etiam pernoctaverunt in potatione, ut etiam heolocrasiam posuerint; quam diffuderunt, dicunt, in dormientes illi qui pernoctant in bibendo, hesternam scilicet mixturam, seu reliquum hesterni crateris, quod postera die in illos, qui non valebant bibere, effundebatur.* Hesych. Ἑωλοκρασία. χθεσινὴ μέθη. ἕωλος κρᾶσις. ἡ παρ' Ἀθηναίοις κατεχεῖτο τοῖς παννυχίζουσι, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι στέγειν τὸ παννυχίζειν. *Heolocrasia, hesterna ebrietas; pridiana mixtura. quæ apud Athenienses effundebatur pernoctantibus, propterea quod non poterant occultare pervigilium.*

ΖΑΤΡΙΚΙΟΝ.

Fuit is lusus, qui vulgo *Scacchia* nuncupatur. Certum inde est, quod ad militiam referat Achmes *Onirocrit.* cap. CCXLI. Ὁ βασιλεὺς, ἢ μέγιστος, ἢ ἄρχων πολέμου, ἐὰν ἴδῃ ὅτι τὸ ζατρίκιον αὐτοῦ ἀπώλετο, ἢ ἐκλάσθη, ἢ ἐκλάπη, ἀπολέσει τὸν στρατὸν αὐτοῦ. *Rex autem maximus, aut princeps belli, si videat zatricium suum amissum esse, aut fractum, aut furto ablatum, perdet exercitum suum.* Iterum. Ἐὰν ἴδῃ ὅτι ζατρικίζει, (nam ζατρικίζειν dicebantur, qui ludebant) τόπον πολέμου μετ' ἐχθρῶν ἐναντίων διαμηχανήσεται. *Si videat se zatricissare, locum belli cum inimicis adversariis summo studio machinabitur.* Deinde. Ἐὰν ἴδῃ τις, ὅτι παίζων ζατρικίζει ἑτέρῳ γνωρίμῳ χάριν κέρδους, τροπαιουχοῦσιν ἀλλήλοις. *Si videat quis ludentem zatricissare, alteri familiari propter lucrum, tropæum erigunt contra se invicem.* Clarissime autem ex eo loco est animadvertere. Εἰ δὲ ἴδῃ, ὅτι παίζων ἔλαβε πλείονας τῶν τοῦ παιγνίου προσώπων, πλείονας δεσμώσει τῶν πολεμίων. *Si autem videat, ludentem accepisse plures quam sunt personæ lusus, plures ligabit hostium.* Et Theocriti Scholiast. confirmat, qui regem in eo lusu nominat, *ad Idyll.* VI. Ἡ δὲ λέξις μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν παιζόντων τὸ κοινολέκτως λεγόμενον ζατρίκιον. ἐκεῖνοι γὰρ, ὅταν πολλὰ ποιήσαντες οὐ δύνανται ἑτέρως νικῆσαι τὸν ὅμοιον παίκτορα, κινοῦσι καὶ τὸν ἀπὸ γραμμῆς λίθον, τὸν οὕτω βασιλέα καλούμενον. *Oratio autem metaphorice ab ludentibus vulgari sermone dictum zatricium. Illi enim quando multa conati non possunt aliter vicisse similem lusorem, movent etiam ab linea lapidem, ita regem dictum.* Meminit quoque hujus ludi Anonymus *De arte Persica.* Δηλοῖ δὲ καὶ παίγνια βόλγων, καὶ ζατρικίων. *Notat autem etiam lusus bulgarum & zatriciorum.* Erat autem idem, quod Veterum Πεττεία; de qua infra.

ΙΜΑΝΤΕΛΙΓΜΟΣ.

Duplex lorum inter se circumvolvebant; cui inserto paxillo, nisi is, soluto loro, obvolutus eo esset, is, qui inseruisset, vincebatur. Pollux *lib.* IX. *c.* VII. Ὁ δὲ Ἱμαντελιγμὸς, διπλοῦ ἱμάντος λαβυρινθώδης τίς ἐστι περιστροφή. καθ' ἧς ἔδει καθέντα παττάλιον, τοῦ διπλόης τυχεῖν. εἰ γὰρ μὴ λυθέντος ἐμπεριείληπτο τῷ ἱμάντι τὸ παττάλιον, ἡττῆτο ὁ καθείς. *Himanteligmus autem duplicis lori intricatissima quædam est convolutio; in quam oportebat inserentem paxillum duplicitatem accipere: si enim non soluto intus comprehensus esset loro paxillus, victus est qui inseruit.* Idem *lib.* VII. *c.* XXXIII. *sect.* X. inter τῆς κυβείας species ponit. Meminit Eustath. *ad Iliad.* ζ'. Ὁ Ἱμαντελιγμὸς, ὃς ἦν παιδιᾶς τινος εἶδος. ἤγουν διπλοῦ ἱμάντος σκολιά τις εἴλησις, ὥς φασιν οἱ παλαιοί. *Himanteligmus, qui est lusus cujusdam genus; sive duplicis lori tortuosa quædam involutio, ut dicunt antiqui.*

ΙΠΠΑΣ.

Pollux *lib.* IX. *c.* VII. Καὶ Ἱππάδα, καὶ Κυβησίνδαν, καλοῦσι τὴν παιδιάν. *Etiam Hippada, etiam Cybesindam vocant lusum.* Nempe datum inde nomen, quod alter, alterius humeris insidens, tanquam equo veheretur. Inde & Ἱππασὶ καθίζειν dicebant. Hesychius. Ἱππασὶ καθίζειν. ὅταν οἱ παῖδες ἐπὶ τῶν ὤμων περιβάδην καθέζονται. *Hippasti vel equestri modo sedere; quum pueri in humeris pedibus circumdantes collocantur.* Erat idem, aut similis, lusus, qui Ἀγκοτύλη appellabatur; de quo supra est videre.

ΙΠΠΙΚΗ.

Equestris ludus erat, cujus meminit Imperator in *L. Victum* I. *Cod. de Aleatoribus. Liceat vero exerceri etiam hippice.* Et mox, *l. Alearum* 3. eodem titulo. *Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon, Contomonobolon, Quintum Contacem sine fibula, Perichyten, & Hippicen; quibus sine dolo, atque callidis machinationibus, ludere permittimus.* Diversus ab hoc ludus erat.

ΙΠΠΙΚΑ ΞΥΛΙΝΑ.

Hic censebatur in prohibitis. Photius in *Nomocanone,* Tit. XIII. Οὔτε τοῖς καλουμένοις ΞΥΛΙΝΟΙΣ ΙΠΠΙΚΟΙΣ, οὔτε ἄλλῃ κυβείᾳ παίζειν ἔξεστι. *Nec dictis ligneis equestribus, nec alio tesserarum lusu ludere licet.* Interpretatus autem ista imperatoris verba in lege *Alearum* citata. *Probibemus etiam, ne sint EQUESTRES LIGNEI.* De quo lusu controversia aliqua fuit; affirmantibus quibusdam, illum esse, quo ludentes extra circum equestrem pueri, equorum loco ad currum hominibus uterentur; aliis autem, ligneam aliquam fabricam esse, per scalas ligneas exaltatam, varie in medio perforatam, in quarum fastigio diversicolores globulos, numero quatuor, deponebant; ac, qui primus per foramina cætera ex ultimo egrediebatur, hic victoriam dabat ei, qui projecerat. Balsamon docet, *in cit. Photii loc.* Περὶ δὲ τοῦ ξυλίνου ἱππικοῦ πότε γέγονεν ἀμφιβολία

παρὰ τῷ βασιλικῷ βήματι. καί τινες μὲν, εἶπον εἶναι τοῦτο τὸ συνήθως παρὰ τῶν παίδων γινόμενον παίγνιον ἔξωθεν τοῦ ἱππικοῦ, ἀντὶ ἵππων χρωμένων ἀνθρώποις εἰς διφρηλασίαν· τινὲς δὲ, εἶπον εἶναι τοῦτο ξύλινόν τι κατασκεύασμα, διὰ κλίμακων λοξοειδῶς ἀνυψούμενον, ἐχουσῶν διὰ μέσου ὀπὰς διαφόρους. οἱ γὰρ συνηθικίζοντες ἐπὶ τῷ τοιούτῳ παιγνίῳ, βώλους τέσσαρας ἑτεροβαφεῖς ἄνωθεν τῶν κλιμάκων τιθέμενοι, πρὸς τὸ κάταντες ἀπολύουσι. καὶ ὁ πρῶτος ἀπὸ τῶν βώλων ἐξερχόμενος διὰ τῶν ὀπῶν ἐκ τῆς τελευταίας ὀπῆς τὴν νικῶσαν δίδωσι ἔχοντι αὐτόν. *De ligneo autem equestri aliquando nata fuit ambiguitas ad regium tribunal: & nonnulli quidem dixerunt esse hunc solitum a pueris fieri lusum extra equestre, qui loco equorum utuntur hominibus in aurigationem. Aliqui autem dixerunt esse hoc ligneam quandam machinam, per scalas oblique exaltatam, habentes in medio foramina diversa. Qui enim considebant in tali lusu, globulis quatuor diversicoloribus supra scalas positis, per declive demittunt; & primus ab globulis egrediens per foramina ex ultimo foramine victricem dat ei qui illam habet.* Meminit hujus ludi iterum Commentario *in Synodum* VI. quæ in Trullo, ad Can. XXIV. Τὸ δὲ ΞΥΛΙΝΟΝ ΙΠΠΙΚΟΝ εἶπον κωλύεσθαι ὑπὸ τοῦ νόμου, διὰ τὸ ἔχειν καὶ τοῦτο αἰτίαν κύβου. *Ligneum autem equestre dicebant vetitum esse per legem, quia habebat etiam hoc causam aleæ.*

ΚΑΛΑΜΟΝ ΕΠΙΒΑΙΝΕΙΝ.

Erat puerorum ludus, qui arundine, intra crura inserta, tanquam equo utebantur. Observamus in Agesilai facto, quod varii memorant. Plutarch. in *Apophthegm. Lac.* Μικροῖς τοῖς παιδίοις κάλαμον ἐπιβεβηκὼς, ὥσπερ ἵππον, οἴκοι συνέπαιζεν. *Cum parvis pueris arundinem inscendens, ut equum, domi lusit.* Ælianus *Var. Hist.* lib. XII. cap. XV. Ἀγησίλαος δὲ, κάλαμον περιβὰς, ἵππευε μετὰ τοῦ υἱοῦ, παιδὸς ὄντος. *Agesiliaus autem, calamo inscenso, equitavit cum filio puero admodum.* Valerius Maximus idem de Socrate narrat, *lib.* VIII. *cap.* VIII. *Idque vidit, cui nulla pars sapientiæ obscura fuit, Socrates: ideoque non erubuit tunc, cum, interposita arundine cruribus suis, cum parvulis filiis ludens, ab Alcibiade risus est.* Meminit etiam ejus lusus Horatius, *lib.* II. *Sat.* III.

Ludere par, impar; equitare in arundine longa.

ΚΑΤΑ ΛΟΥΤΡΟΝ ΤΟ ΑΘΗΝΗΣΙ ΠΑΙΓΝΙΟΝ.

Athenis, in Academia, balneum erat. Inde est in Hesychii *Glossis.* Ἀκαδημία, λουτρόν *Academia lavacrum.* Ad hoc ipsum lusus quidam studiosorum agitabatur, quem hic pluribus explicabo. Est inter Theodori Prodromi *Tetrasticha* in Basilium Magnum unum, isthoc titulo; Εἰς τὸ κατὰ λουτρὸν Ἀθήνησι παίγνιον. *In lusum per lavacrum Athenis.* Ipsum tetrastichon ita habet.

Ναὶ ναὶ τὸ λουτρὸν τοῖς Ἀθήνησι ξένοις,
Ὡς πλῆκτρον, ὡς φόβητρον, ὡς καινὴ θέα.
Ἀλλ᾽ ἄχει ταῦτα τοῦ σοφοῦ Βασιλείου
Μόνου φυγόντος τοὺς νεηλύδων νόμους.

Næ næ lavacrum ejus qui sunt Athenis hospites,
Ut plectrum, ut terriculum, ut nova dea.
Sed usque hæc sapientis Basilii
Solius fugientis recens advenientium leges.

Et mox alterum subjungit.

Δοῦποι ἄρ᾽ λουτροῖς θυρῶν ἀπὸ ῥησσομενάων.
Παίγνιά τ᾽ Ἀθήνησι φόβητρά τ᾽ ἀφρονεόντων,
Ἀμφ᾽ ἑτέροις παίζεσθε νεηλύσιν, οὐ Βασιλείῳ·
Οἶος ὁ γὰρ προφύγεσκε τὰ παίγνια κρέσσονι μοίρῃ.
Sonitus utique lavacri ab januis fractis
Lususque Athenis, terriculamentaque inconsideratorum
Propter alios ludite recens adventitios, non Basilium.
Solus enim profugit lusus præstantiori fato.

Erat vero usitatus iste lusus adolescentibus, qui Athenis studiorum causa agebant; non dissimilis plane iis, quæ in Academiis hodie *Depositiones* vulgo appellantur. Ita autem sese habebat. Quisquis studiorum causa in urbem recens advenisset, ab iis, qui priores eum occupassent, hospitio excipiebatur; deinde ab omnibus, quotquot vellent, varie lacessebatur, his modestius, mitiusque, illis durius exagitantibus. tum per forum, cum ingenti sane pompa, ad balneum hoc deducebatur; binis omnibus, æquo spatio distinctis, ante eum incedentibus. cumque propius accessissent, sublato clamore horrendo, ad terrendum adolescentem, fores pulsant; quibus apertis introductum postea ut sodalem habent. Hac de re insignis locus est Gregorii Nazianz. in *Epitaphio Basilii Magni*. Ἐπεὶ δ᾽ ἂν οὖν τις ἐπιστῇ τῶν νέων, καὶ ἐν χερσὶ γένηται τῶν ἑλόντων· γίνεται δὲ ἢ βιασθεὶς, ἢ ἑκών· νόμος οὗτός ἐστιν αὐτοῖς Ἀττικὸς, καὶ παιδιὰ σπουδῇ σύμμικτος. πρῶτον μὲν ξεναγεῖται παρά τινι προειληφότι, ἢ φίλων, ἢ συγγενῶν, ἢ τῶν ἐκ τῆς αὐτῆς πατρίδος, ἢ τῶν ὅσοι περιττοὶ τὰ σοφιστικὰ, καὶ προσαγωγοὶ τῶν λημμάτων. κἀντεῦθεν μάλιστα διὰ τιμῆς ἐκείνοις, ἐπεὶ καὶ τοῦτο μισθός ἐστιν αὐτοῖς τῶν σπουδαστῶν τυγχάνειν. ἔπειτα ἐρεσχελεῖται παρὰ τοῦ βουλομένου παντός. βούλεται δὲ αὐτοῖς, οἶμαι, τοῦτο τῶν νεηλύδων συστέλλειν τὸ φρόνημα, καὶ ὑπὸ χεῖρα σφῶν ἀπ᾽ ἀρχῆς ἄγειν. ἐρεσχελεῖται δὲ παρὰ μὲν τῶν, θρασύτερον. παρὰ δὲ τῶν, λογικώτερον· ὅπως ἂν ἀγροικίας, ἢ ἀστειότητος, ἔχῃ τὸ πρᾶγμα, τοῖς μὲν ἀγνοοῦσιν, λίαν φοβερὸν, καὶ ἀνήμερον· τοῖς δὲ προειδόσι, καὶ μάλα ἡδὺ, καὶ φιλάνθρωπον. πλείων γάρ ἐστιν ἡ ἔνδειξις, ἢ τὸ ἔργον τῶν ἀπειλουμένων. ἔπειτα πομπεύει, διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐπὶ τὸ λουτρὸν προαγόμενος. ἡ δὲ πομπή, διαταξάντες ἑαυτοὺς στοιχηδὸν κατὰ συζυγίαν ἐκ διαστήματος οἱ τελοῦντες τῷ νέῳ τὴν πρόοδον, ἐπὶ τὸ λουτρὸν προπέμπουσιν. ἐπεὶ δ᾽ ἂν πλησιάζωσι, βοῇ τε πολλῇ καὶ ἐξάλμασι χρώμενοι, καθάπερ ἐνθουσιῶντες. κελεύει δ᾽ ἡ βοὴ, μὴ προβαίνειν, ἀλλ᾽ ἵστασθαι, ὡς τοῦ λουτροῦ σφᾶς οὐ παραδεχομένου. καὶ ἅμα τῶν θυρῶν ἀρασσομένων, πατάγῳ τὸν νέον φοβήσαντες, εἶτα τὴν εἴσοδον συγχωρήσαντες, οὕτως ἤδη τὴν ἐλευθερίαν διδόασιν. ὁμότιμον ἐκ τοῦ λουτροῦ, καὶ ὡς αὐτῶν ἕνα, δεχόμενοι. καὶ τοῦτό ἐστιν αὐτοῖς τῆς τελετῆς τὸ τερπνότατον, ἡ ταχίστη τῶν λυπούντων ἀπαλλαγή, καὶ κατάλυσις. *Quando igitur quidam advenit juvenum, & in manibus sit capientium (fit autem aut coactus, aut sponte.) Lex talis est ipsis Attica, & lusus serio commixtus. Primo quidem hospitio excipitur a quodam qui ante excepit, aut amicorum, aut cognatorum, aut illorum, qui ex eadem urbe sunt, aut illorum, qui præstantiores in sophisticis, & ligurritores præmiorum. Et illic potissimum in honore est apud illos, quoniam etiam hoc est merces illis acquirendi studiosos aliqua pretiosa. Postea ludificatur a quocunque volente. Vult autem ipsis, puto, hoc recens advenientium coercere fastum, & sub manum suam a principio ducere. Ludibrio autem habetur ab illis quidem audacius, ab illis autem decentius; ut prout rusticitatis aut urbanitatis habeat negotium, ignorantibus quidem valde terribile & immite; præscientibus autem etiam sane quam dulce & humanum. major enim est ostentatio quam factum minantium. Postea pompam celebrat per forum ad lavacrum ductus. Pompa autem, quum collocarunt se ipsi ordine per geminam seriem ex intervallo,*

peragentes juveni processum, ad balneum prosequuntur. Postquam illuc appropinquant, clamore multo & exsultatione utentes, tanquam furibundi. Jubet autem clamor non progredi, sed stare, velut lavacro ipsos non admittente: & simul januis pulsatis, strepitu juvenem terrentes, postea ingressu concesso, ita jam libertatem dant; eodem honore ex balneo, & ut illorum unum recipientes; & hoc est illis initiationis jucundissimum, celerrimus dolentium abitus & dimissio. Ante ista, non licebat pallio uti, idque in peregrinis maxime usitatum. Plenissime etiam describit Photius, in *Excerptis* ex Olympiodoro. Λέγει δὲ καὶ περὶ τοῦ τρίβωνος, ὡς οὐκ ἐξῆν κατὰ τὰς Ἀθήνας περιβάλλεσθαι αὐτόν τινα, καὶ μάλιστα ξένον, ᾧ μὴ ἡ τῶν σοφιστῶν γνώμη ἐπέτρεπε, καὶ αἱ κατὰ τοὺς σοφιστικοὺς νόμους τελεταὶ ἐβεβαίουν τὸ ἀξίωμα. ἦν δὲ τὰ τελούμενα τοιαῦτα. πρῶτον δὲ κατήγοντο ἐπὶ τὸ δημόσιον βαλανεῖον ὅσοι νεήλυδες, ἄν τε μικροί, ἄν τε μεγάλοι. ἐξ ὧν καὶ οἱ πρὸς τὸν τρίβωνα ἐπιτήδειοι ἡλικίᾳ ἤδη καιροῦ γεγονότες. οὓς εἰς μέσον ἔβαλλον οἱ κατάγοντες σχολαστικοί. εἶτα τῶν μὲν, ἔμπροσθεν τρεχόντων. καὶ κωλυόντων· τῶν δὲ ὠθούντων, καὶ ἐπεχόντων· πάντων δὲ τῶν κωλυόντων ταῦτα βοώντων, ΣΤΑ, ΣΤΑ, ΟΥ ΛΟΥΕΙ· καταπρατεῖν δῆθεν τοῦ ἀγῶνος ἐδόκουν· οἱ ἀπωθοῦντες εἰς τιμὴν τοῦ καταγομένου σχολαστικοῦ· ὅστις μετὰ πολλὴν ὥραν, στάσεως πολλῆς ἐπὶ τοῖς προαχθεῖσιν ἀτίμοις ῥήμασι προγενομένης, εἰσάγεται εἰς τὸν θερμὸν οἶκον, καὶ ἀπολούεται. εἶτα ἐνδυσάμενος, ἐδέχετο τὴν τοῦ τρίβωνος ἀξίαν. καὶ αὐτόθεν μετὰ τοῦ τρίβωνος ἐκ τοῦ βαλανείου, ἔντιμοι καὶ περιδόξῳ δορυφορούμενος πομπῇ, ἀπήει, δαπάνας ἐπιγνοὺς φανερὰς εἰς τοὺς τῶν διατριβῶν προστάτας, τοὺς λεγομένους ἀκρωμίτας. *Dicit autem etiam de pallio, quasi non licebat alicui Athenis circumjicere illud, & potissimum peregrino, cui non sophistarum decretum indulsisset, & initiationis ritus secundum sophisticas leges firmabant dignitatem. Erant autem perficienda hæc. Primum autem deducebantur ad publicum balneum quotquot adventitii, sive parvi, sive magni; ex quibus etiam, qui ad pallium idonei statura tunc temporis facti essent. Quos in medium conjiciebant deducentes scholastici. Deinde hi quidem ante currentibus & vetantibus; his autem propellentibus & inhibentibus; omnibus vero vetantibus hæc clamantibus, STA, STA, NON LAVAT. superare videlicet in certamine videbantur, qui repellebant in honorem deducti scholastici; qui post multum tempus, seditione multa propter præmissas indignas voces facta, introducitur in calidum conclave, & abluitur. deinde vestitus accipiebat pallii dignitatem, & abhinc cum pallio ex balneo, honorabili & gloriosa stipatus pompa, abibat, sumtus agnoscens perspicuos in conclavium præfectos, dictos acromitas.* Ecce, pallium nemini permittebatur, nisi sophistarum suffragio ejus gestatio permissa, ac ritibus suis confirmata esset. Isti autem tales erant. Primum ad publicum balneum hoc deducebantur, qui novitii advenissent; sive parvi illi forent, sive magni: & inter illos, qui ætate ad sumendum pallium apti: quos in medium protrudebant scholastici, a quibus deducebantur. Deinde, aliis præcurrentibus, atque prohibentibus; aliis vero trudentibus, & retinentibus; omnibus autem, qui vetabant, vociferantibus *Sta Sta, non lavat*: nihilominus in certamine ii tamen potiores videbantur, qui scholastici, quem ducebant, in honorem obsistentes repellebant. Tandem, post contentionem satis longam, ob sparsa hinc & inde probra, ac contumelias, qui deducitur, in cellam calidam introducitur, ibique abluitur. Deinde, postquam se induerit, pallii dignitatem accipit; & cum eo inde e balneo, magna pompa honorifice deductus, mox digreditur, destinatis in antistites scholarum sucu lentis honorariis. Summi autem id honoris instar erat, ut disertis satis verbis ab Olympiodoro dicitur. Et hanc ipsam lotionem esse puto, quam Alaricho, Urbem ingresso, honoris ergo, inter cætera præbuere Athenienses. Refert Zosimus, *lib.* V. Εἰσῄει σὺν ὀλίγοις Ἀλάριχος εἰς τὰς Ἀθήνας· τυχὼν δὲ φιλοφροσύνης ἁπάσης, λουσάμενός τε, καὶ κοινωνήσας ἑστιάσεως τοῖς ἐν τῇ πόλει λογάσι, καὶ προσέτι γε δῶρα λαβὼν, ἀπεχώρει, τήν τε πόλιν ἀβλαβῆ, καὶ τὴν Ἀττικὴν πᾶσαν, καταλιπών. *Ingrediebatur cum paucis Alarichus in Athenas. Nactus vero benevolentiam cujuscunque, lotusque & communicans convivium cum illis qui in urbe electi, & adhuc dona accipiens, profectus est, tum urbe innocua tum Attica tota relicta.* Ejusdem moris est vestigium quoque istud apud Eunapium, in *Proæresio*. Καὶ οἱ μὲν, ἀπεδέξαντο τοὺς ἐλθόντας, καὶ ἤεσαν εἰς γειτόνων, καὶ περὶ τὰ λουτρὰ μετὰ πάσης ἐπιδείξεως ἡ τότε νεότης ἐς αὐτοὺς ἀπεδείκνυτο καὶ χλευασίαν, καὶ γέλωτα. καὶ οἱ μὲν τούτων ποτὲ ἀπηλλάγησαν ἅπαξ λουσάμενοι. *Et hic quidem recipiebant eos, qui venerant & ibant ad vicinos, & circa lavacra cum omni demonstratione juventus tunc in illos ostendebat & cavillationem & risum: & hi quidem illorum quandoque digressi sunt semel loti.*

ΚΕΛΕΥΜΑ.

Hesychius. Κελεύματα. παιδιᾶς εἶδος. *Celeumata, lusus species.*

ΚΙΝΔΑΛΙΣΜΟΣ.

Paxillorum lusus. Meminit Eustathius, *ad Iliad.* ε Παιδιά τις, διὰ πασσάλων γινομένη, κινδαλισμὸς ἐλέγετο. *Lusus quidam, per paxillos fieri solitus, cindalismus dicebatur.* Talis autem iste erat. Paxillum, terræ madidæ impactum, altero, super caput ejus impacto, expellebant. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Ὁ δὲ κινδαλισμὸς, διὰ παττάλων ἐστὶ παιδιά. κινδάλους γὰρ τοὺς παττάλους ὠνόμαζον. ἦν δὲ ἔργον, οὐ μόνον αὐτῷ τινι καταπῆξαι τὸν πάτταλον κατὰ γῆς διύγρου· ἀλλὰ καὶ τὸν καταπαγέντα ἐκκροῦσαι, πλήξαντα τὴν κεφαλὴν ἑτέρῳ παττάλῳ. *Cindalismus autem per paxillos est lusus. Cindalos enim paxillos nominabant. Erat autem negotium non modo cuidam soli impegisse paxillum telluri humidæ; sed etiam impactum expulisse percutientem caput alio paxillo.* Apud Hesychium per υ scribitur. Κυνδάλη. παιδιά τις. καὶ οἱ μὲν ὑπομνηματισταὶ, κυνδάλας τὰς σκυτάλας ἀπέδοσαν. οἱ δὲ, τὰ γεωμετρούμενα σχήματα. κακῶς. κυνδάλους γὰρ, ἔλεγον τοὺς πασσάλους· καὶ κυνδαλοπαίκτην, πασσαλιστήν. *Cyndale, lusus quidam. Et commentatores quidem cyndalas reddiderunt fustes: alii autem ad dimetiendam terram figuras, male. Cyndalos enim dicebant paxillos; & cyndalopæctam paxillis ludentem.* Qui hunc luderet, Κινδαλοπαίκτης a poetis quibusdam Doriensibus dicebatur. Pollux, *loco citato*. Ἔνιοι δὲ τῶν Δωριέων ποιητῶν, τὸν ὧδε παίζοντα, κινδαλοπαίκτην ἐκάλουν. *Quidam autem Doriensium poetarum eum, qui illo ludit, cindalopectam vocabant.* Et corrupta, Eustathii verba. Ἰστέον δὲ καὶ ὅτι γλωσσά τις λέγεται, κινδάλους λέγειν τοὺς πασσάλους. καὶ κινδαλοπλίτας, τοὺς πασσαλίσκους. *Sciendum autem quod vox quædam notabilior dicitur, cindalos dicere paxillos. & cindaloplitas parvos passalos.* Rescribe, καὶ κινδαλοπαίκτας, τοὺς πασσαλιστάς. *Et cindalopæctas paxillis ludentes.*

ΚΙΝΗΤΙΝΔΑ.

Vide infra κυνητίνδα.

ΚΟΛΛΑΒΙΣΜΟΣ.

Quidam sibi planis manibus ipse oculos comprimebat, & interrogabat alter, utrum percussisset. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ κολλαβίζειν ἐςὶν, ὅταν ὁ μὲν πλατείαις χερσὶ τὰς ὄψεις ἐπιλάβῃ τὰς ἑαυτοῦ· ὁ δὲ παίσας ἐπερωτᾷ, πότερον τετύπηκε. *Collabizare autem est, quum alter quidem planis manibus oculos suos amplectitur; alter autem ludens interrogabat, utrum verberavisset.*

ΚΟΝΤΑΞ ΚΥΝΤΑΝΟΣ.

Hic prius cum fibula ludebatur, postea illa interdictum. Justinianus Imperator in L. *Victum.* I. *Cod. De Aleatoribus. Duntaxat autem ludere liceat* Μονόβολον, Κοντομονόβολον, Κυντανὸν κόντακα χωρὶς τῆς πόρπης. *Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contaca sine fibula.* Iterum in *L. Alearum* 3. ibid. *Deinceps vero ordinet quinque ludos, monobolon, contomonobolon, Quintanum contacem sine fibula, pericbyten, & hippicen.* Erat autem jaculatio; fiebatque sine cuspide ulla, aut ferro; & a Quincto auctore nomen habebat. Balsamon *ad Photii Nomocan.* Tit. XIII. Κυιντανὸς κόνταξ χωρὶς τῆς πόρπης, ὁ ἀκοντισμός (ἐςιν) ἄνευ περόνης, ἤτοι σιδήρου· ἀπὸ Κυίντου τινὸς οὕτω κληθείς. *Quintanus contax præter fibulam; jaculatio (est) sine fibula seu ferro; ab Quinto quodam ita nominatus.* Meminit hujus ludi etiam Robertus Monachus, *Hist. Hierosol.* lib. V. *Tentoria variis ornamentorum generibus venustantur; terræ infixis sudibus scuta apponuntur, quibus in crastinum* QUINTANÆ *ludus scilicet equestris exerceretur.* Ubi amplius observa, in equis lusitari solitum, appensis ad sudes, in terram impactas, scutis.

ΚΟΝΤΟΜΟΝΟΒΟΛΟΝ.

Meminit Imperator, in *citatis* statim *verbis.* Erat vero saltatio, ut e Balsamone accipimus, loco quem jam nunc laudavi. Κοντομονόβολον, τὸ πήδημα. *Contomonobolon, saltatio.*

ΚΟΝΤΟΠΑΙΚΤΗΣ.

Qualis fuerit, in incerto est. Meminit ejus Balsamon *in Syn.* VI. quæ in Trullo, Can. LI. Ἔοικε δὲ διὰ τῶν τοιούτων κανόνων ἐπιτίμια ἐπινοηθῆναι τὰ βασιλικὰ παίγνια· τὸν κοντοπαίκτην δηλαδή. *Videtur autem ob istorum canonum pœnas excogitatos fuisse regios lusus; contopæctam videlicet.*

ΚΟΤΤΑΒΙΣΜΟΣ.

Celeberrimus hic antiquorum in conviviis lusus fuit, a Siculis inventus. Hesychius. Κότταβος. παιδιὰ παρ᾽ Ἀττικοῖς, ἀπὸ Σικελίας παραδοθεῖσα. *Cottabus lusus apud Atticos, ab Sicilia traditus.* Athenæus, *lib.* X. Ἐχρῶντο ἐπιμελῶς τῷ κοτταβίζειν, ὄντος τοῦ παιγνίου Σικελοῦ. *Utebantur diligenter cottabizare, lusu Siciliensi.* Inde Anacreon dixit, Σικελικὸν κότταβον ἀγκύλῃ δαΐζων. *Siciliensem cottabum jaculo discerpens.* Critias, in *Elegiis;*

Κότταβος ἐκ Σικελῆς ἐςὶ χθονός. εὐπρεπὲς ἔργον.
Cottabus ex Sicilia est terra, decorum opus.

Callimachus.

Πολλοὶ ϗ φιλέοντες ἀκόντιον ἧκαν ἔραζε
Οἰνοπόται Σικελὰς ἐκ κυλίκων λατάγας.
Multi etiam diligentes jaculum miserunt versus terram,
Vini potores Siculas ex calicibus latagas.

A Adeo autem illi studiosi cottabi, ut vasa facerent,
maxime idonea, quæ Κοτταβίδες dicerentur; dein-
de ædificium etiam exstruebant, rotundum; ut,
cottabo in medio constituto, ex æquis spatiis, &
similibus item locis, de victoria, cujus præmium
Κοττάβιον dictum, concertarent. Athenæus, *lib.*
XI. ex Hegesandro Delpho. Ὁ καλούμενος κότταβος
παρῆλθεν εἰς τὰ συμπόσια· τῶν περὶ Σικελίαν, ὥς
φησι Δικαίαρχος, πρῶτον εἰσαγαγόντων. τοσαύτη δὲ
ἐγένετο σπουδὴ περὶ τὸ ἐπιτήδευμα, ὥστε εἰς τὰ συμπό-
σια παρεισφέρειν ἆθλα, κοττάβια καλούμενα. εἶτα
κύλικες, αἳ πρὸς τὸ πρᾶγμα χρήσιμαι εἶναι μά-
B λιςα δοκοῦσαι, κατεσκευάζοντο, καλούμεναι κοτ-
ταβίδες. πρὸ δὲ τούτοις οἶκοι κατεσκευάζοντο κυκλο-
τερεῖς, ἵνα πάντες, εἰς τὸ μέσον τοῦ κοττάβου τεθέντος,
ἐξ ἀποςήματος ἴσου, ϗ τόπων, ἀγωνίζοιντο περὶ τῆς
νίκης. *Dictus cottabus venit in convivia; Siculis, ut
inquit Dicæarchus, primo introducentibus. Tale au-
tem exstabat studium circa illud exercitium, ut in
convivia adferrent præmia, cottabia dicta. Dein-
de calices, qui ad hoc negotium utilissimi esse videban-
tur, elaborabantur dicti cottabides. Ad hæc autem
conclavia exstruebantur rotunda, ut omnes, cottabo
posito in medio, ex distantia æquali & locis similibus,
certarent de victoria.* Ac de ædificio quidem, ad
C hunc lusum proprie exstructo, iterum meminit *lib.*
XV. Ὅτι δ᾽ ἐσπούδαςο παρὰ τοῖς Σικελιώταις ὁ κόττα-
βος, δῆλον ἐκ τοῦ ϗ οἰκήματα, ἐπιτήδεια τῇ παιδιᾷ,
κατασκευάζεσθαι, ὡς ἱςορεῖ Δικαίαρχος. *Quod au-
tem in studio habebatur apud Siculos cottabus, cla-
rum ex hoc etiam, quod conclavia idonea lusui ex-
structa fuerint, ut scribit Dicæarchus.* Ipse lusus
talis erat. Defixa in terram virga quædam longa
erat, ac super eam item altera; quæ utrinque agi-
tabatur, ceu in statera. ex hac lances duæ appen-
sæ, & sub ipsis crateres totidem, aqua pleni. sub
aqua statua ænea erat, deaurata, Μάνης dicta. Jam
qui κοτταβίζειν vellent, phialam vino plenam ha-
D bebant, longiusque absistentes inter se certabant,
quod vini ex epota illa superesset, id in lancem il-
lam mittere, ut repleta gravis fieret, inclinaretque,
& caput allideret statuæ sub aquæ latentis, atque
ita sonum ederet. quique ita jaceret, ut ne gutta
quidem una in terram caderet, majoremque e jactu
suo sonum ederet, ille victor, ab amica redamari
se putabat. Suidas, *in* Κοτταβίζειν. Ἦν παίγνιον
παρ᾽ Ἀθηναίοις τοιοῦτον, ῥάβδος μακρὰ πεπηγμένη
ἐν τῇ γῇ, καὶ ἑτέρα ἐπάνω αὐτῆς, κινουμένη ὡς ἐπὶ ζυ-
γίου· εἶχε δὲ πλάςιγγας δύο ἐξηρτημένας, ϗ κρατῆ-
ρας δύο ὕδατος ὑποκάτω τῶν πλαςίγγων. ϗ ὑπὸ τὸ ὕ-
E δωρ ἀνδριὰς χαλκοῦς κεχρυσωμένος. τοῦτο δὲ ἦν ἐν
τοῖς συμποσίοις. ϗ πάντων παιζόντων, ἀνίςατό τις ἔ-
χων φιάλην, γέμουσαν ἀκράτου. ϗ μήκοθεν ἱςάμενος,
ἔπεμπεν ὅλον τὸν οἶνον ὑπὸ μίαν ςαγόνα εἰς τὴν πλάςιγ-
γα, ἵνα γεμισθεῖσα βαρυνθῇ, ϗ κατελθοῦσα κρούσῃ
εἰς τὴν κεφαλὴν τοῦ ἀνδριάντος, τοῦ ὑπὸ τὸ ὕδωρ κεκρυμ-
μένου, ϗ ποιήσῃ ἦχον. ϗ ἢν μὲν μὴ ἐκχυθῇ ἐκ τοῦ οἴ-
νου, ἐνίκα· ϗ ᾔδει, ὅτι φιλεῖται αὐτὸς ὑπὸ τῆς ἐρωμέ-
νης· εἰ δὲ μὴ, ἡττᾶτο. ἐλέγετο δὲ ὁ ἀνδριὰς, ὁ ὑπὸ
τὸ ὕδωρ, μάνης. *Erat lusus apud Athenienses hujus-
modi. Virga longa fixa in terra, & alia super hanc,
quæ movebatur ut in libra: habebat autem lances
duas appendentes & crateres duos aquæ sub lanci-
F bus, & sub aqua statua ex ære deaurata. Hoc autem
erat in conviviis: & cunctis ludentibus surgebat aliquis
habens phialam repletam mero, & ex longinquo stans
mittebat totum vinum sub una gutta in lancem, ut
repleta ingravesceret, & descendens pulsaret in caput
statuæ sub aqua absconditæ, faceretque sonum. Et
siquidem nihil effunderetur ex vino, vincebat; scie-
batque se diligi ab amata: sin autem, vincebatur.
Dicebatur autem statua, quæ sub aqua, manes.*
Quæ totidem verbis etiam narrat Aristophanis
Scholiastes Εἰρήνῃ. Jo. Tzetzes *Chil.* VI. *cap.* LXXXV.

Τῷ συμποσίῳ ἵστατο ζυγὸς, καὶ λεκανίσκαι
Παρ' ἑκάτερα τοῦ ζυγοῦ, κάτωθεν τῶν πλαστίγγων.
Αἱ λεκανίσκαι δὲ μέσον εἶχον ἀνδριαντίσκους·
Ἀνδριαντίσκους, οὓς μανᾶς ὠνόμαζον οἱ τότε.
Οἱ κωμασταὶ πληροῦντες οὖν οἴνου τὸ τούτων στόμα.
Ὁ λάταξ, καὶ λατάγη δὴ, ἤγουν ὑγρὸν, καὶ ῥῦσις,
Τοῦτο ἀπεκοττάβιζον εἰς μίαν τῶν πλαστίγγων.
Τουτέστιν ἐξετίναζον, ἀπέπλυον, ἐκένουν.
Κότταβον καὶ τὸ ὄργανον ἅπαν ἐκάλουν τοῦτο.
Ἂν οὖν ἡ πλάξις τῇ φορᾷ κατέρρεψεν τοῦ οἴνου,
Καὶ τὴν μάνην εἰς κεφαλὴν ἤχησε κεκρουκυῖα,
Ὁ κωμαστὴς συγκωμασταῖς ἐδόκει τῶν γενναίων·
Εἰ δ' οὔ, πολὺν ἐλάμβανεν ὡς ἀσθενὴς τὸν γέλων.

In convivio sistebatur libra, & minutæ pelves
Ad utramque partem libræ infra lances.
Pelves autem in medio habebant icunculas;
Icunculas quas manas nominabant illo tempore.
Comessatores igitur implentes vino illorum os;
Quod latax & latage etiam, aut humidum, aut fluxus,
Illud apocottabizabant, in unam pelvium:
Hoc est, excutiebant, despuebant, evacuabant.
Cottabum etiam officium totum vocabant illud.
Si igitur strepitus descenderet cum dejectione vini,
Et manem in caput sonuisset dejiciens,
Comessator sodalibus videbatur aliquis nobilium;
Sin minus, multum accipiebat ut infirmus risum.

Pollux *lib.* VI. *cap.* XIX. Τὸ κοτταβεῖον ἐκρέματο ὑπὸ τοῦ ὀρόφου, ὕπτιόν τε, καὶ λείου χαλκοῦ πεποιημένον, ὥσπερ λύχνον ἐπ' αὐτοῦ φέρει· καὶ μακρά τις ῥάβδος, ἣν καὶ ῥάβδον κοτταβικὴν ὠνόμαζον. τὸ δέ τι ἦν κοίλη τις καὶ περιφερὴς λεκανὶς, ἣν καὶ χαλκεῖον, καὶ σκάφην ἐκάλουν. ἐῴκει δὲ πόλῳ, τῷ τὰς ὥρας δεικνύοντι. καὶ τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ ὀρόφου κρεμάμενον, ἐχρῆν ἐπικοτταβίσαντι ποιῆσαί τινα ψόφον, ὃς καλεῖται λάταξ. τοῦτο δὲ καὶ τὸ κοτταβεῖον κατακτὸν Ἀριστοφάνης καλεῖ * ἢ κότταβον, προσεικάζων αὐτὸ κώδωνι σάλπιγγος. τὸ δὲ χάλκειον ἐπεπλήρωτο μὲν ὕδατος, ἐπεπόλαζε δ' αὐτῷ σφαῖρα, καὶ πλάστιγξ, καὶ μάνης, καὶ τρεῖς μυρρίναι, καὶ τρία ὀξύβαφα. ὁ δὲ ὑγρᾷ τῇ χειρὶ τὸν κότταβον ἀφεὶς, καὶ τούτων τινὸς τυχὼν, εὐδοκίμει· ὁ δὲ πλεῖστα καταδύσας τῶν ἐπιπολαζόντων, τὰ κοτταβεῖα ἆθλον ἐλάμβανεν. *Præmium quod dicebant cottabium pendebat sub tabulato, supinum & ex levi ære factum, velut facem in se gestat: & longa quædam virga, quam etiam virgam cottabicam appellabant. Illud autem erat cava quædam & rotunda pelvis, quam etiam æs & naviculam vocabant: similis autem videbatur polo horas monstranti. Et hoc quidem ab tabulato suspensum oportebat cottabizans facere quendam sonum, qui vocatur latax. Hoc autem etiam cottabium fragile Aristophanes vocat aut cottabum, comparant illud cum tintinnabulo tubæ. Æneum autem implebatur quidem aqua, innatabat autem illi pila & lanx, & manes, & tres myrteas & tria acetabula. Ille autem humida manu cottabum remittens, & horum aliquid capiens laudatur. Qui autem plurima innatantium submersit, cottabia præmium accipiebat.* Quo loco verba, asterisco notata, sic restituo. Καὶ τὸ κοτταβεῖον, κατακτὸν Ἀριστοφάνης καλεῖ κότταβον, προσεικάζων αὐτὸ κ. σ. *Et cottabium, fragile Aristophanes vocat cottabum, comparans illud cum t. t.* Locus Aristophanis, quem respexit, exstat Εἰρήνῃ.

ΣΑΛ. Τί δ' ἄρα τῇ σάλπιγγι τῇδε χρήσομαι;
Ἣν ἐπριάμην δραχμῶν ποθ' ἑξήκοντ' ἐγώ.
ΤΡ. Μόλιβδον ἐς τουτὶ τὸ κοῖλον ἐγχέας
Ἔπειτ' ἄνωθεν ῥάβδον ἐνθεὶς ὑπόμακρον,
Γενήσεταί σοι τῶν κατακτῶν κοττάβων.

SAL. Quid ergo hac tuba utar?
Quam emi drachmis aliquando sexaginta ego.
A *TR. Plumbum in hoc cavum infundens*
Postea superne virgam imponens oblongam,
Erit tibi inter fragiles cottabos.

Quod ad myrtos, quarum illic etiam mentio, meminit item Scholiastes Aristophanis Εἰρήνῃ. Καὶ ἐν τῷ ἀγγείῳ τούτῳ ὅμοιόν τι ποτήριον περιεπήγνυσαν, καὶ κύκλῳ τῆς λεκάνης μυρσίνας. *Et in hoc vase simile aliquod poculum circumfixerunt, & in circuitu pelvis myrtos.* Et ipse Comicus Δαιταλεῦσιν, apud Athenæum.

—— ἔγνωκ' ἐγὼ δὲ χάλκιον,
B Τουτέστι κοτταβεῖον ἱστάναι, καὶ μυρρίνας.
—— Novi autem ego æneum,
Hoc est cottabium sistere & myrteas.

Inde Μάνης commemoratur; cujus item Athenæus mentionem facit, *lib.* XV. Τὸ καλούμενον κατακτὸν κοττάβιον, τοιοῦτόν ἐστιν. λυχνίον ἐστὶν ὑψηλὸν, ἔχει τὸν μάνην καλούμενον, ἐφ' ὃν τὴν καταβαλλομένην ἔδει πεσεῖν τὴν πλάστιγγα. *Quod vocatur autem infractum cottabium, tale est. Candelabrum quidem altum habet manem, qui vocatur, in quo dejectam oportebat cadere lancem.* Inde Amipsiæ quoque fa-
C bula quædam inscripta, Ἀποκοτταβίζοντες, ἢ Μάνης. *Cottabo utentes, vel Manes.* Ita restituendum puto apud eundem Athenæum, libro citato. Ἀμειψίας Ἀποκοτταβίζουσιν, ἢ Μάνῃ α'.

—— φέρ' ὀξύβαφα, καὶ κανθάρους.
Ameipsias cottabo utentibus vel Mane primo.
—— fer acetabula & cantharos.

Hodie editur, Ἀμειψίας Ἀποκοτταβίζουσιν, ἢ Μανία. *Ameipsias in cottabo utentibus, aut insania.* Corruptius etiam *lib.* XI. Ἀμειψίας ἐν Ἀποκοτταβίζουσι φησὶν,

D Ἡ Μαμία φέρ' ὀξύβαφα, καὶ κανθάρους.
Ameipsias in cottabo utentibus ait:
O Mamia fer vascula & cantharos.

Rescribo, Ἀμειψίας ἐν Ἀποκοτταβίζουσι φησὶν, Μάνῃ α',

—— φέρ' ὀξύβαφα, καὶ κ.
Ameipsias in cottabo utentibus ait, aut Mane primo:
—— fer vascula &c.

Ac fuerint duæ ejus fabulæ, Manis nomine inscri-
E ptæ. una, Μάνης α'. altera, Μάνης β'. quales plures aliorum Comicorum est observare. Quod reliquum e vino epoto, Λατάγη dicebatur. Athenæus. Λατάγη δ' ἐστὶ τὸ ὑπολειπόμενον ἀπὸ τοῦ ἐκποθέντος ποτηρίου ὑγρὸν, ὃ συνεστραμμένῃ τῇ χειρὶ ἄνωθεν ἐρρίπτουν οἱ παίζοντες εἰς τὸ κοτταβεῖον. *Latage vero est residuum humidum ex poculo exhausto, quod conversa manu ad cottabi gratiam.* Ipsam cottabi projectionem, Ἀγκύλην vocabant. Scholiastes Aristophanis *Pace*. Ἐκάλουν δὲ ἀγκύλην τὴν τοῦ κοττάβου πρόεσιν, διὰ τὸ ἐπαγκυλοῦν τὴν δεξιὰν χεῖρα ἐν
F τοῖς ἀποκοτταβισμοῖς. *Vocabant vero ancylen projectionem cottabi, quia ob id incurvabatur dextra manu in cottabi ludicris.* Hesychius. Ἀγκύλη, ἀκόντιον, ἢ ἡ καμπὴ τοῦ ἀγκῶνος, καὶ ποτηρίου γένος εἰς κοττάβους· οἱ γὰρ τοὺς κοττάβους προϊέμενοι, τὴν δεξιὰν χεῖρα ἤγκυλουν, κυκλοῦντες αὐτὴν ὡς ἐνῆν πρεπωδέστατα, σεμνυνόμενοι ὡς ἐφ' ἑνὶ τῶν καλῶν. *Ancyle, jaculum, aut curvatura cubiti, & poculi genus ad cottabos. Nam qui cottabos projiciebant, dextram manum obliquabant, rotundantes eam prout fieri poterat decentissime, gloriantes tanquam ob rem pulchram.* Et mox. Ἀγκύλη χεὶρ ἀπηγκυλωμένη, καὶ

συνεστραμμένη εἰς ἀποκοτταβισμόν. *Ancyle, manus obliquata & conversa ad modum cottabi.* Ubi nota, quod dicat, τὴν δεξιὰν χεῖρα ἠγκύλουν, κυκλοῦντες αὐτὴν ὡς ἐνῆν εὐπρεπωδέστατα. *Dextram manum obliquabant, rotundantes eam ut fieri poterat decentissime.* Cui conveniunt, quæ dicit Athenæus, *lib.* XI. Οὐ γὰρ μόνον ἐφιλοτιμοῦντο βάλλειν ἐπὶ τὸν σκοπὸν, ἀλλὰ καὶ καλῶς ἕκαστα αὐτῶν. ἔδει γὰρ εἰς τὸν ἀριστερὸν ἀγκῶνα ἐρείσαντα, καὶ τῇ δεξιᾷ κυκλώσαντα, ὑγρῶς ἀφεῖναι τὴν λάταγα. οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὸ ἐκπῖπτον ἐκ τῆς κύλικος ὑγρόν· ὥστε ἔνιοι μεῖζον ἐφρόνουν ἐπὶ τῷ καλῶς κοτταβίζειν, τῶν ἐπὶ τῷ ἀκοντίζειν μέγα φρονούντων. *Non enim modo studebant mittere ad scopum, sed etiam venuste singula ejus generis. Oportebat enim innixum sinistro cubito, & dextra rotundantem, liquide emittere latagen. Sic enim vocabant id quod excidebat ex poculo humidum; adeo ut nonnulli insolescerent ideo quod venuste cottabum jactarent, ex iis scilicet qui propter hanc jaculationem superbirent.* Ac περὶ τῆς ἀγκύλης iterum ait, *lib.* XI. Ἐκάλουν δὲ ἀπ' ἀγκύλης τὴν τοῦ κοττάβου πρόεσιν. διὰ τὸ ἀπαγκυλοῦν τὴν δεξιὰν χεῖρα ἐν τοῖς ἀποκοτταβισμοῖς. *Vocabant autem ab ancyle projectionem cottabi; quia dextram manum incurvabant in jactationibus cottabi.* Antiphanes Ἀφροδίτης γοναῖς.

——— ἀλλ' ἐγὼ μὲν σφενδόνῃ
Οὐκ ἂν ἐφικοίμην αὐτός· ἀλλὰ μάνθανε·
Δεῖ ἀγκυλοῦντα σφόδρα τὴν χεῖρ' εὐρύθμως
Τὸν κότταβον πέμπειν. ———
——— *Sed ego quidem funda*
Non assequerer solus: verum audi.
Oportet obliquantem acriter manum modeste
Cottabum mittere. ———

Bacchilides in *Eroticis*.

Εὖτε τὴν ἀπ' ἀγκύλης
Ἵησι τοῖσδε τοῖς νεανίαις
Λευκὸν ἀντείνασα πῆχυν.
Et bene ab curvatura
Mittit his adolescentibus
Album elevans cubitum.

Idem nempe κοτάβους ἀγκυλητοὺς, *cottabos obliquatos*, dixit Æsychius Ὀστολόγοις. Athenæus, Καὶ Αἰσχύλος δ' ἐν Ὀστολόγοις ἀγκυλητοὺς λέγει κοττάβους. *Et Æschylus vero in Ossilegis obliquatos ait cottabos.* Et deinde fragmentum profert. Eustathius *ad Iliad.* β'. Ἔτι ἰστέον καὶ ὅτι ἀγκύλη, οὐ μόνον ἡ ἀνωτέρω ῥηθεῖσα, ἀλλὰ καὶ ἡ καμπὴ τοῦ ἀγκῶνος. καὶ ποτηρίου γένος, χρήσιμον εἰς κοττάβους· παρὰ τὸ ἀγκύλον, τὸ ἐπικαμπὲς, καὶ στρεβλὸν, καὶ σκολιὸν, καὶ ἐπικεκλασμένον· ἠγκύλουν γὰρ, φασι, τὴν δεξιὰν, οἱ τοὺς κοττάβους προϊέμενοι, κυκλοῦντες αὐτήν. οὓς δὴ κοττάβους ἀγκυλητοὺς Αἰσχύλος ἔφη. *Præterea sciendum, quemadmodum & ancyle, non modo anterius dicta, sed etiam obliquatio cubiti; & poculi genus utile ad cottabos; ab voce ancylon, hoc est, inflexum, & tortum, & obliquum, & infractum. Incurvabant enim, dicunt, dextram illi, cottabos projiciebant, rotundantes eam; quos nempe cottabos obliquatos Æschylus dixit.* Ita corrigendus Aristophanis Scholiastes, *ad citatam Pacem.* Καὶ ἀγκυλητοὺς ἔλεγον κοττάβους. *Et obliquatos dicebant cottabos.* Perperam editur, καὶ ἀγκυλητοὺς ἔλεγον κ. Quod victori præmium positum, Κότταβος dictum. Athenæus, *lib.* XV. Κότταβος δ' ἐκαλεῖτο τὸ τιθέμενον ἆθλον τοῖς νικῶσιν ἐν τῷ πότῳ. *Cottabus autem dicebatur positum præmium vincentibus in potu.* Euripides *Oeneo*.

Πυκνοῖς δ' ἔβαλλον Βακχίου τοξεύμασιν
Κάρα γέροντος, τὸ βάλλοντα δὲ στέφειν
Ἐγὼ τετάγμην ἆθλα κότταβον διδούς.
Crebris autem jactabant Bacchii sagittationibus
Valde senis, sed coronare jacientem
Ego ordinatus sum præmia cottabum largiens.

Etiam Κοτταβεῖον. Pollux, *loco citato*. Ὁ δὲ πλεῖστα καταδύσας τῶν ἐπιπολαζόντων, τὰ κοτταβεῖα ἆθλον ἐλάμβανεν. *Qui vero plurima eorum, qui in superficie erant, mergeret, cottabeia accipiebat præmium.* Aut sine diphthongo, Κοττάβιον. Athenæus, *lib.* XI. Τοσαύτη δὲ σπουδὴ ἐγένετο περὶ τὸ ἐπιτήδευμα, ὥστε εἰς τὰ συμπόσια παρεισφέρειν ἆθλα, κοττάβια καλούμενα. *Tantum vero studium inolevit circa hoc ludicrum, ut in convivia simul adferrent præmia, quæ vocabantur cottabia.* Illud autem præmium multiplex erat. Ecce crepidas, & cotylum, ponit ille apud Platonem Comicum, in ea fabula, quæ inscribitur, Ζεὺς κακούμενος.

——— τίθεμαι κοττάβια σφῷν ἐγὼ
Τὰς δή γε τὰς κρηπῖδας, ἃς αὕτη φορεῖ·
Καὶ τὸν κοτύλον τὸν σόν. ———
——— *Dono cottabia vestra ego*
Has sane has crepidas, quas ipsa gerit:
Et cotylum tuum. ———

Alii bellaria. Antiphanes Ἀφροδίτης γοναῖς.

——— ᾠὰ μὲν,
Καὶ πέμμα, καὶ τράγημα, νικητήριον.
——— *ova quidem,*
Et placentam, & bellaria, victoriæ præmium

Quem locum ita restituit Casaubonus, ex istis Athenæi verbis. Ὅτι δὲ ἆθλον προὔκειτο τῷ εὖ προεμένῳ τὸν κότταβον, προείρηκεν μὲν καὶ ὁ Ἀντιφάνης ᾠὰ γάρ ἐστι, καὶ πεμμάτια, καὶ τραγήματα. *Quod autem præmium propositum erat recte projicienti cottabum, prædixit quidem & Antiphanes. Ova enim sunt, & placentæ, & bellaria.* Quidam oscula. Plato Comicus, *fabula citata*.

——— παίζωμεν δὲ περὶ φιλημάτων.
——— *ludamus autem de osculis.*

Placentam, & oscula, complectitur Callippu Παννυχίδι.

Ὁ δ' ἀγρυπνήσας τὸν πυραμοῦντα λήψεται
Τὰ κοττάβια, καὶ τῶν παρουσῶν ἣν θέλῃ
Φιλήσει. ———
Qui vigilaverit autem liba triticea accipiet
Cottabia, & præsentium quam velit
Osculabitur. ———

Etymologici Auctor in Κοτταβίζω. Καὶ ἆθλα οἱ νικῶντες ἐλάμβανον, πλακουντίσκους, πυραμοῦντας, καὶ σησαμοῦντας· ἅπερ κοττάβια ἔλεγον. *Et præmia vincentes accipiebant placentulas, liba triticea, & sesamo sparsa; quæ cottabia dicebant.* Dixi jam statim præmio nomen Κότταβος fuisse; sed ita etiam appellatum ipsum vas, in quod τὰς λατάγας conjicerent. Athenæus *lib.* XV. Ἐκαλεῖτο δὲ κότταβος καὶ τὸ ἄγγος, εἰς ὃ ἔβαλλον τὰς λατάγας. *Appellabatur autem cottabus etiam vas, id quod jaciebant latagas.* Sciendum porro hujus ludi plura genera extitisse. Primum est illud, de quo dixi, frequentissimum; quod Κατακτὸν κότταβον nuncupabant. Athenæus, *lib.* XV. Ἐκάλουν δὲ καὶ κατακτούς τινας κοττάβους. ἔστι δὲ λυχνία ἀναγόμενα, πάλιν τε συμπίπτοντα. *Vocabant autem & defractos quosdam cottabos; sunt autem candelabra sursum tracta, rursumque corruentia.* Et mox. Τὸ δὲ καλούμενον κατακτὸν κοττάβιον τοιοῦτόν ἐστι. λυχνίον ἐστὶν ὑψηλὸν, ἔχον τὸν μάνην καλούμενον, ἐφ' οὗ τὴν καταβαλλομένην ἔδει πεσεῖν πλάστιγγα. ἐντεῦθεν δ' ἔπιπτεν εἰς λεκάνην ὑποκειμένην, πληγεῖσαν τῷ κοττάβῳ. *Dictum autem defractum cottabium tale est. Candelabrum est altum, habens manem dictum, cui demissam oportebat incidere lancem. Illinc autem cadebat in pelvim subjectam, percussam cottabo.* Et hoc est, quod e Suida, Polluce, ac Tzetze, supra descripsi. Alterum erat, de quo in verbis subsequentibus Athenæus

Ἕτερον δέ ἐστιν εἶδος παιδιᾶς τῆς ἐν λεκάνῃ· αὕτη δ᾽ ὕδατος πληροῦται, ἐπινεῖ τε ἐπ᾽ αὐτῆς ὀξύβαφα κενά, ἐφ᾽ ἃ βάλλοντες τὰς λατάγας ἐκ καρχησίων ἐπειρῶντο καταδύειν. *Alia autem est species lusus in pelvi: hæc autem aqua impletur, & supernatant in illa acetabula vacua, in quæ jacientes latagas ex poculis conabantur submergere.* De utroque hoc ita Comici Scholiastes *Pace* inquit. Τῶν κοττάβων δύο ἦσαν εἴδη. ἓν μὲν, τοῦ κατακτοῦ λεγομένου. ἣν δὲ οἷον λυχνίον ὑψηλὸν, ἔχον ἐν αὐτῷ πρόσωπον, ὃ μάνην ἐκάλουν. ἐφ᾽ ὃ ἔδει πεσεῖν καταβαλλομένην τὴν πλάστιγγα. ἕτερον δὲ, ἀγγεῖόν τι, ᾧ ὀξυβάφων* ἦν ἐπιπλέον τὸ πλῆθος, ὅπερ καταδύειν τῇ λάταξιν ἐπειρῶντο. *Cottaborum duæ erant species: Una quidem, defracti dicti. Erat autem quasi candelabrum altum, habens in se personam, quam manen vocabant. In quem oportebat cadere demissam lancem. Altera autem, vas quoddam, cui acetabulorum erat innatans multitudo, quam mergere latagis conabantur.* Posterioris meminit *Etymologici* Auctor, in Κοτταβίζω. Tertium genus, in pervigiliis usitatum. Athenæus. Ἦν δὲ ἄλλο κοτταβίων εἶδος, προτιθέμενον ἐν ταῖς παννυχίσιν· οὗ μνημονεύει Κάλλιππος ἐν Παννυχίσιν, διὰ τούτων.

> Ὁ δ᾽ ἀγρυπνήσας τὸν πυραμοῦντα λήψεται
> Τὰ κοττάβια. ——

Erat autem alia cottabiorum species, proponi solita in pervigiliis: cujus meminit Callippus in Pervigilibus, per hæc.

> *Qui vigilaverit autem libum triticeum accipiet*
> *Cottabia.* ——

Et præmium, ecce, in eo victori πυραμοῦς; quo respectum ab Artemidoro, *Onirocritic.* lib. I. C. LXXIV. Ἦν ὁ πυραμοῦς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐπινίκιος. *Erat libum triticeum apud Veteres ob victoriam præmium.* Scholiastes Aristophanis *Equitibus*. Εἰώθασι δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις ὁμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας. καὶ ὁ διαγρυπνήσας, μέχρι τὴν ἕω, ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα. *Soliti autem sunt in conviviis certare de vigilia. Et pervigil, usque ad auroram, accipiebat libum triticeum.* Quartum autem, quod primo loco nominat Athenæus, in quo alea ludebatur. Παιδιᾶς εἶδος παροίνιον τὸν κότταβον εἶναι ἀποδίδωσιν, ἐν ᾗ ἐξίσαντο καὶ τῶν σκευαρίων οἱ δυσκυβοῦντες. *Lusus species inter vina cottabum esse tradunt, in qua etiam supellectile excidebant infeliciter tesseris ludentes.* Plato Comicus Διὶ κακουμένῳ.

> Πρὸς κότταβον παίζειν, ἕως ἂν σφῶν ἐγὼ
> Τὸ δεῖπνον ὧδε σκευάσω, πάνυ βούλομαι.
> *Ad cottabum ludere, donec vestrum ego*
> *Cœnam hic paravero, plane volo.*

ΚΥΒΕΙΑ.

Tesseræ lusus, cujus præses Saturnus creditus; uti docet Lucianus *Saturnalibus*; ubi, postquam Saturno dixisset sacerdos, Πλὴν τά γε σοι δυνατὰ ἐθέλω εἰδέναι, τίνα ταῦτ᾽ ἐστιν; *Sed potentiam tuam velim vidisse, quæ hæc sit?* is respondet. Οὐ μικρὰ ὅλως, οὐδὲ παντάπασιν εὐκαταφρόνητα· εἰ μὴ σοί γε μικρὸν δοκεῖ τὸ νικᾶν κυβεύοντα, καὶ τοῖς ἄλλοις εἰς τὴν μονάδα κυλιομένου τοῦ κύβου, σοὶ τὴν ἑξάδα ὑπεράνω ἀεὶ φαίνεσθαι. *Non parva omnino, nec plane aspernanda: nisi tibi parvum videatur vincere tesseris ludentem, & aliis in punctum voluta tessera, tibi senarium superne semper apparere.* Ejus species istæ erant, ut Pollux recenset, *lib.* VII. *cap.* XXXIII. *sect.* X. Πλειστοβολίνδα, Ἀρτιασμὸς, Διαγραμμισμὸς, Χαλκισμὸς, Ἱμαντελιγμὸς, Ναυμαχία. *Plistobolinda,* A *Artiasmus, Diagrammismus, Chalcismus, Imanteligmus, Naumachia.* De quibus singulis loco suo, atque ordine. De lusu quidem universo varie dixerunt hactenus viri duo præstantissimi, M. Antonius Delrio, *in Senecam*; & Cl. Salmasius, *in Historiæ Augustæ Scriptores*: ego jactuum nomina addam, nondum ipsis observata. In his autem erat, ΑΒΟΛΑ. Hesychius. Ἄβολα. ὄνομα βόλου κυβευτικοῦ. *Abola. nomen jactus tesserarii.* Inter infelices ponitur a Polluce, *lib.* VII. *cap.* XXXIII. *sect.* IX. ΑΒΡΑΜΙΑΣ. Hesychius. Ἀβραμίας. ὄνομα βόλου κυβευτικοῦ. *Abramias. nomen jactus tesserarii.* ΑΓΥΡΤΗΣ. Eustathius *ad Odyss.* β΄. Ἀγύρτης κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὁ ἀγείρων ὄχλον, καὶ ἀπατεὼν, καὶ ἀ- B λαζών· ἔστι καὶ ὄνομα δὲ βόλου κυβευτικοῦ. *Agyrta secundum antiquos colligens turbam, & impostor, & jactator: verum & nomen jactus tesserarii.* Suidas. Ἀγύρτης. πτωχός. ὀχλαγωγός. ἐπαίτης. φιλοκερδής. ἔστι δὲ καὶ βόλος κυβευτικός. *Agyrta. mendicus. turbam congregans. stipem petens. lucri cupidus. Est autem jactus etiam tesserarius.* Hesychius: Ἀγύρτης. ὀχλαγωγός. ἐπαίτης. συμφερτώδης. ἰδιώτης. ἔστι δὲ καὶ ὁ ἀγείρων ὄχλον, καὶ ὄνομα βόλου κυβευτικοῦ. *Agyrta. turbæ congregator, mendicus, stipem petens, unus ex colluvie, idiota. Est autem etiam colligens turbam, & nomen jactus tesserarii.* Verum C ibi legendum puto συρφετώδης, pro συμφερτώδης. A Polluce inter medios jactus ponitur. Corrigendus *Etymologici* Auctor. Ἀγύρται. λωποδύται. ἐπαῖται. φιλοκερδεῖς. καὶ ἀγύρτης, εἶδος βόλου. *Agyrtæ. vestibus spoliantes, stipem petentes, lucri cupidi. Et agyrta, species jactus.* Hodie editur, εἶδος βώλου. *Species glebæ.* ΑΘΕΤΟΣ. Inter malos a Polluce recensetur. ΑΙΓΛΗ. Suidas. Αἴγλη. βόλος κυβευτικός. *Ægle. jactus tesserarius.* Inter infelices numeratur ab Hesychio. Αἴγλη. λαμπηδών. αὐγή. φῶς. λαμπρότης. ἔστι δὲ καὶ βόλος φαῦλος κυβευτικός. *Ægle, scintilla, splendor, lux, fulgor. Est autem jactus etiam vilis tesserarius.* Eustathius D ad *Iliad.* α΄. Καὶ αἴγλη. οὐ μόνον λαμπηδὼν, ἀλλὰ καὶ ποπάνου εἶδος κατὰ Παυσανίαν. καὶ θυσία τις, πεμπομένη εἰς Δελφούς. καὶ κυβευτικὸς βόλος. ἕτερος δέ τίς φησιν, ὅτι αἴγλη ὄνομα κυβευτικοῦ βόλου φαύλου. *Et Ægle, non solum scintilla, sed & libi species secundum Pausaniam: Et sacrificium quoddam, mitti solitum Delphos. Et tesserarius jactus. Alius autem quidam dicit, Ægle esse nomen tesserarii jactus infausti.* ΑΝΑΚΑΜΠΤΩΝ. Inter medios a Polluce recensetur. ΑΝΗΒΟΣ. Hesychius. Ἄνηβος. ὁ μήπω φθάσας τὴν ὀφείλουσαν ἡλικίαν, τουτέστιν δωδεκαέτης. ἢ βόλου ὄνομα. *Anebus. qui nondum pervenit ad debitam ætatem, hoc est duodecim annorum:* E *aut jactus nomen.* ΑΝΤΙΤΕΥΧΟΣ. Inter medios a Polluce recensetur. ΑΝΤΙΤΥΠΟΣ. Etiam iste inter medios est Polluci. ΑΝΥΠΟΜΟΝΗΤΟΣ. Hesychius. Ἀνυπομόνητον. πρῶχον. ἢ βόλος τίς. *Anupomoneton. eminens. aut jactus quidam.* ΑΠΛΙΑ. Malorum in numerum a Polluce refertur. ΑΡΓΕΙΗΣ. Hesychius. Ἀργείης. κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα. *Argies. tesserarii jactus nomen.* Eundem ego esse censeo, qui Polluci Ἀργεῖος dicitur, & inter medios collocatur. ΑΡΜΑ ΥΠΕΡΒΑΛΛΟΝ ΠΟΔΑΣ. Polluci memoratur inter medios. ΑΡΜΑ- F ΤΙΑΙ. Etiam iste inter medios a Polluce recensetur. ΑΡΤΙΑ. Et hic eidem inter medios. ΑΡΤΟΣ. Hesychius. Ἄρτος. βόλος τίς. *Panis. jactus quidam.* ΑΦΡΟΔΙΤΗ. Plutarchus in *Catone Majore*. Ἐν δὲ τοῖς δείπνοις ἐκληροῦντο περὶ τῶν μερίδων. εἰ δὲ ἀπολάχοι, πρῶτον αἱρεῖν τῶν φίλων κελευόντων, ἔλεγε μὴ καλῶς ἔχειν, ἀκούσης τῆς Ἀφροδίτης. *In conviviis autem sortiebantur de partibus. Si autem sorte excidebat, primum tollere amicis jubentibus, dicebat: non bene habere, invita Venere.* Erat hic in talorum pariter, & tesserarum, lusu. Ac de talis, supra

* *Nescias, an de industria fecerit. Verba enim Scholiastæ sunt:* ἕτερον δὲ ἀγγεῖόν τι ἐοικὸς λουτῆρι, πλῆρες ὕδατος, ἐν ᾧ ὀξύβαφον.

Pra dixi; in tesseris vero dicebatur, cum tres senarii apparerent. Vetus Horatii Interpres, *ad libri* II. *Od.* VII. Αρχιποσίαν *significat; id est, tesserarum jactu datum in bibendo primatum. Veneris autem jactus lætissimus dicebatur, qui habebat numerum ter senarium.* Itaque alias Τρὶς ἓξ dicebant. Hesychius. Τρὶς ἓξ. *νικητήριος βόλος. Ter sex. victoriam præbens jactus.* Huc proverbium etiam pertinet, Ἠ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι. *Aut ter sex, aut tres tesseræ.* ΒΟΥΛΑΞ. Hesychius. Βύλακα. *βόλυ ὄνομα. Bulaca. jactus nomen.* ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣ. Hesychius. *Γυμνασιάρχης. ἄρχων τῦ ξυστῦ. ἢ βόλυ ὄνομα. Gymnasiarcha. princeps xysti. Aut jactus nomen.* ΔΑΚΝΩΝ. Inter medios a Polluce memoratur, ΔΟΡΕΥΣ. Polluci inter medios recensetur. ΕΚΔΥΝΩΝ. Inter malos est Polluci. ΕΛΛΕΙΠΩΝ. Eidem inter medios ponitur. ΕΞΙΤΗΣ, idem qui Κῶος; ubi vide. ΕΠΑΚΟΝΤΙΣΜΟΣ. Hesychius. *Επακοντισμός. βόλυ ὄνομα. Epacontismus. jactus nomen.* Eundem puto, qui Επακοντιστὴς Polluci, & inter bonos numeratur. ΕΠΙΘΕΤΟΣ. Inter medios ab eodem collocatur; quemadmodum etiam ΕΠΙΦΕΝΩΝ, ΕΠΙΦΕΡΩΝ, & ΕΥΔΑΙΜΩΝ. ΙΕΡΟΣ. Inter medios a Polluce nominatur, ut ΚΑΚΧΑΣΟΣ, inter malos; ΚΑΛΛΙΒΟΛΟΣ, inter bonos; ΚΕΝΤΡΩΤΟΣ, & ΚΗΡΥΝΟΣ, rursum inter medios. Sed pro *Κάγκασος*, qui Polluci nuncupatur, scribendum ego ΚΙΓΚΑΣΟΣ censeo. Hesychius. *Κίγκασος. κυβευτικός τις βόλος. Cincasus. tesseræ quidam jactus.* Qui mox *κίκκασος* quoque scribitur, geminato *κ.* apud eundem, istis verbis. *Κίκκασος. ὁ ἐκ τῶν παραμηρίων ῥέων ἱδρώς. καὶ βόλυ ὄνομα. Ciccasus ex partibus circa femora fluens sudor; & jactus nomen.* ΚΙΟΣ. Hic ipse etiam Χῖος; ubi vide. ΚΡΥΦΑΣΟΣ. Polluci inter malos ponitur. ΚΥΒΟΣ, qui & *κύων*; de quo statim sum dicturus. ΚΥΚΛΩΠΕΣ, inter medios. ΚΥΝΟΡΧΙΑΣ. Hesychius. *Κυνόρχιας. βόλυ ὄνομα. Cynorchias. jactus nomen.* ΚΥΝΩΤΑΣ. A Polluce inter medios recensetur. ΚΥΩΝ, qui & ΧΙΟΣ. Eustathius *ad Iliad.* ψ'. Τῶν δὲ βόλων, φασὶν, ὁ τὸ μὲν ἓξ δυνάμενος, Κῶος ἐλέγετο, καὶ Εξίτης. ὁ δὲ τὸ ἕν, Χῖος, καὶ Κύων. *Jactuum autem, dicunt, qui quidem sex valet, Cous dicebatur, & Hexites: qui autem unum, Chius & Canis.* Eadem quoque *ad Odyss. α'.* dicit Ergo unio isto nomine designabatur. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλῦν, καλεῖται Κύων. *Et unionem quidem denotans, vocatur Canis.* Isidorus *Orig.* lib. XVIII. cap. LXV. *Unionem canem, trionem suppum, quatrionem planum vocabant.* Meminit Hesychius. Κύων. δηλοῖ καὶ ὑπὸ κυβευτῶν βόλον τινά. ὃς καὶ Χῖος καλεῖται. *Canis. notat etiam apud tesseris ludentes jactum quendam. qui & Chius vocatur.* Erat autem communis tam talorum, quam aleæ ludo. Suetonius *Augusto*, cap. LXXI. *Talis enim jactatis, ut quisque* CANEM, *aut* SENIONEM, *miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat.* Ovidius *Trist.* lib. II.

Quid valeant tali, quo possis plurima jactu
Figere, damnosos effugiasque canes.

Ubi observa *Damnosos* dici; quia nempe infelicissimus hic jactus, & nummis suis ludentes mulctaret. Sic apud eundem *de Arte* lib. II.

Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito stent sibi sæpe canes.

Persius *Sat.* III.

- - - quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet. - - - - -

Isidorus *Orig.* lib. XVIII. cap. LXVI. *Vitant canem, quia damnosus est; unum enim significat.* Plauto *Vulturius* non aliam ob causam dicitur, *Curculione* Act. II. Sc. III.

- - - - jacit vulturios quatuor.

Dicebatur autem etiam idem Χῖος Græcis. Clarum est ex *citatis* Eustathii, & Hesychii, *verbis*. Etiam Ὄνος dicebatur. Pollux, *loco citato*. Ιστέον, ὅτι κύβος αὐτό τε τὸ βαλλόμενον ἂν εἴη, καὶ τὸ ἐν αὐτῷ κοιλότητος σημεῖον, ὁ τύπος, ἡ γραμμὴ, τὸ δηλῦν τὸν ἀριθμὸν τῶν βληθέντων. καὶ μάλιστά γε ἥ τε μονὰς, ἣ ἐν αὐτοῖς ὄνος καλεῖσθαι εἶχε, καὶ κύβος. *Videlicet, quod tessera sit & id ipsum, quod jacitur, & quod in illo cavitatis signum, figura, linea, notans numerum jactorum; & maxime unio, quæ in ipsis asinus vocari solet, etiam tessera.* Ac corrigendus idem, *lib.* VII. *cap.* XXXIII. *sect.* IX. Βόλων δὲ ὀνόματα, τῶν μὲν φαύλων τε καὶ δυσβόλων, ἐφ' οἷς τὸ δυσκυβεῖν, μίδας, μάνης, πάτρηλος, πάτραινα, μάγνησσα, ἄβολα, ἄπλια, ἄθετος, ὑπτιάζων, κρύφασος, κάκχασος, τειχίας, ἐκδύων, χῖος· ὃν καὶ Κῖον, καὶ ὄνον, καὶ οἴνην. *Jactuum autem nomina, vilium quidem & infelicium, in quibus infeliciter tessera uti, midas, manes, patrelus, patræna, magnessa, abola, aplia, irritus, resupinans, cryphasus, cacchasus, capillaris, egrediens, chius: quem etiam Cion, & asinum, & vitem.* Perperam editur, ὃν καὶ Κῖον, καὶ οἰνὸν, καὶ οἴνην. *Quem & Cion, & v num, & vitem.* Et nobis quoque hodie is jactus *Asinus* dicitur. Observa autem, item Οἴνη nomen fuisse. Qua de re Hesychii locus hodie depravatissimus. Οἴνη. ἡ ἄμπελος, καὶ κυβευτικὸς βόλος. ὁ κενὸς, καὶ ἀντικείμενος τὴν ἔξω Αχαιός. οἰνίζειν γὰρ τὸ μονάζειν, κατὰ γλῶσσαν. *Oine. vitis, & tesserarum jactus. Vacuus & oppositus quod ad externam partem Achivus. œnizein enim est solum agere, secundum linguam exquisitam.* Emendo, καὶ κ. βόλος. ὁ κενὸς, καὶ ἀντικείμενος τῷ ἕξ. ὁ Χῖος. οἰνίζειν γ. & τ. *jactus. Vacuus & oppositus senioni. Chius.* Suidas *κύβον* interpretatur. Οἴνας. οὕτω καλοῦσιν Ἴωνες τοὺς κύβους, ἔνθεν καὶ ἡ παροιμία. ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρὶς οἴνας. *Vites. Ita vocant Iones tesseras, unde etiam proverbium: Aut ter sex, aut ter vites.* Sed nimirum Κύβος quoque idem erat, quod hic Κύων. Ecce in *citatis* paullo ante Pollucis *verbis*. Καὶ μάλιστά γε ἥ τε μονὰς, ἣ ἐν αὐτοῖς ὄνος καλεῖσθαι εἶχε, καὶ κύβος. Καθάπερ καὶ ὁ παροιμιώδης λόγος προμηνύειν ἔοικε. Ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρὶς κύβοι. *Et potissimum unio, quæ in illis asinus vocari potest, & tessera. Sicut & proverbialis sermo præmonstrare videtur; Aut ter sex, aut ter tesseræ.* Ergo ita intelligendus Suidas erit. ΚΩΟΣ, qui & Συνωρικὸς, inter bonos Polluci commemoratur. Pollux, *lib.* VII. *cap.* XXXIII. Οἱ δὲ βελτίους (βόλοι) ἐφ' οἷς καὶ τὸ εὐκυβεῖν ἐλέγετο, βόλος πρανὴς, ἐπακοντιστὴς, καλλίβολος, φυσῶν, ὅροι, συνωρὶς, συνωρικὸς, ἢ Κῶος. *Meliores vero (jactus) de quibus etiam felici lusu uti dicebatur, jactus pronus, tangens jaculando, pulcer jactus, inflans, termini, biga, bigatus, aut Cous.* Merito autem, nam senio erat, qui inde etiam *Dexter* Persio, in citato statim versu. Vide supra, in ἀστραγαλισμός Etiam Εξίτης dicebatur. Eustathius *ad Iliad.* ψ'. Τῶν δὲ βόλων, φασὶν, ὁ μὲν ἓξ δυνάμενος, Κῶος ἐλέγετο, καὶ Εξίτης. *Jactuum autem, dicunt, aliis quidem sex valens Cous dicebatur, & senio.* ΛΑΚΩΝ, & ΛΑΜΠΩΝ, inter medios erant, ut testis Pollux, *loco* proxime *citato*. ΜΑΓΝΗΣ. Hesych. Μάγνης. κυβευτικῦ βόλυ προσηγορία. *Magnes. tesserarii jactus appellatio.* Corruptum Pollucem censeo, *lib.* VII. *cap* XXXIII. Βόλων δὲ ὀνόματα, τῶν μὲν φαύλων τε καὶ δυσβόλων, ἐφ' οἷς τὸ δυσκυβεῖν. μίδας, μάνης, πάτρηλος, πάτραινα, μάγνησσα, ἄβολα. *Jactuum autem nomina, aliorum vilium quidem & infelicium, de quibus infaustum esse in ludo dicebatur. midas, manes, patrelus, patræna, magnessa, abola.* Corrigendum, πάτραινα, μάγνης, ἄβολα. *Patræna, magnes, abo-*

la. Temere geminata est litera ultima, deinde etiam prima e sequenti verbo adhæsit. Diversus ab hoc, ne confundas, ΜΑΝΗΣ erat. Vides clare in *citatis* Pollucis *verbis*; ac distinguit etiam Hesychius, qui seorsim mox in istis suis *Glossis*. Μάνης, κυβευτικῦ βόλυ ὄνομα, καὶ βαρβαρικὸν, ὡς Εὔβυλος ἐν Κυβευταῖς παρίστησι, καὶ ἄλλων καταλέγων ὀνόματα βόλων. *Manes, tesserarii jactus nomen, & barbaricum, ut Eubulus in tesserariis lusoribus probat, etiam aliorum enumerans nomina jactuum*. Fuisse autem inter infelices jactus, e Polluce, in *citatis* statim *verbis*, manifestum. Corruptus est Suetonii locus, in Epistola quadam Augusti ad Tiberium, quæ repræsentatur nobis in *Augusti ipsius Vita*, cap. LXXI. *Ego perdidi viginti millia nummum meo nomine; sed, cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumque. nam si, quas manus remisi cuique, exegissem; aut retinuissem, quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia*. Ubi mire sese torquent docti Interpretes; &, quid ibi *Manus* sit, divinant varie. Ego putem restituendum, *si quos manes*. nam de jactu infelici illic agi, nulli dubium. Neque recte, ut Augusti verba explicent, huc Ovidii istud trahunt, *De Arte* lib. I.

Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor;
Et revocat cupidas alea sæpe manus.

Quorum verborum iste est sensus; Ne perdidisse videatur, semper ad aleam recurrere lusorem; quam, poetica sane phrasi, ideo dicit, revocare sæpe cupidas manus. ΜΙΔΑΣ. Tarrhæus in *Collectaneis Proverbiorum*. Μίδας. παροιμία. ὁ ἐν κύβοις εὐβολώτατος, ὁ γὰρ Μίδας βόλυ ἐςὶν ὄνομα. *Midas. proverbium in tesseris facillimus jactu. Midas enim jactus est nomen*. Vaticana Appendix, a Viro præstantissimo Andrea Schotto edita, *Cent*. II. *Proverb*. LXIX. Μίδας ἐν κύβοις εὐβολώτατος, βόλυ ὄνομα ὁ Μίδας, τῦ καὶ Εὔβυλος ἐν Κυβευταῖς μέμνηται. *Midas in tesseris facillimus jactu, jactus nomen Midas, cujus etiam Eubulus in tesserariis lusoribus meminit*. Hesychius. Μίδας. κυβευτικῦ βόλυ ὄνομα. *Midas. tesserarii jactus nomen*. Suidas. Μίδας. κύβυ ὄνομα εὐβυλοτάτυ. *Midas, tesseræ nomen prudentissimæ*. Corrigendum, Μ. κύβυ ὄνομα εὐβολωτάτυ. *Tesseræ nomen facillimæ jactu*. Inter infelices eum censet Pollux. Βόλων δὲ ὀνόματα τῶν μὲν φαύλων τε καὶ δυσβόλων, ἐφ' οἷς τὸ δυσκυβεῖν, Μίδας, μάνης, πάτρηλος. *Jactuum autem nomina vilium quidem & infelicium, de quibus infelici alea uti, Midas, manes, patrelus*. Verum duplicem animadverto; unum malum, quem jam dixi; alterum nec malum, nec bonum, sed τῶν μέσων, *mediorum*. Idem Pollux, postquam bonos pariter malosque commemoravit, mox subjungit: Ὁ μέντοι Μίδας, καὶ τῶν μέσων βόλων ἦν. *Midas nihilominus etiam mediorum jactuum erat*. ΞΑΝΘΙΜΙΑΣ. Hesychius. Ξανθιμίας, βόλυ ὄνομα. *Xanthimias, jactus nomen*. ΟΙΝΗ. Vide Κύων. Οἶςρος. Inter medios a Polluce nuncupatur. ΟΝΟΣ. Vide Κύων. ΟΡΟΙ. Inter bonos est Polluci; quemadmodum ΠΑΤΡΑΙΝΑ, & ΠΑΤΡΗΛΟΣ, inter malos. ΠΕΡΣΗΣ. Hesychius. Πέρσης. κυβευτικῦ βόλυ ὄνομα. *Perses, tesserarii jactus nomen*. ΠΡΑΝΗΣ. Inter bonos a Polluce numeratur. ΠΥΛΑΙΤΗΣ, ΣΙΜΩΝ, ΣΟΛΩΝ, inter medios. ΣΥΝΩΡΙΚΟΣ. Idem qui Κῷος, de quo supra. ΣΥΝΟΡΙΣ. Polluci inter bonos dicitur, uti ΣΦΑΛΛΩΝ inter medios. ΣΧΑΔΩΝ. Hesychius. Σχαδών. κυβευτικὸς βόλος. *Schadon. tesserarius jactus*. ΤΙΜΟΚΡΙΤΟΣ. Inter medios est Polluci. ΤΡΙΣ ΕΞ. Idem qui supra Ἀφροδίτη; ubi vide. ΤΡΙΧΙΑΣ, & ΥΠΤΙΑΖΩΝ, inter malos a Polluce referuntur. ΦΑΛΛΟΣ. Hesychius. Φαλλός. λευκός. ἢ βόλος. *Phallus. albus. aut jactus*. ΦΥΣΩΝ. In bonis a Polluce ponitur. ΧΙΟΣ. Idem qui Κύων. Illic vide. Hæc de jactibus hujus ludi; in quibus quia quidam

A etiam talo tesseræve communes, simpliciter jactus ab Auctoribus, quos citavi, esse dicuntur.

ΚΥΒΗΣΙΝΔΑ.

Pollux, *lib*. IX. *cap*. VII. Ταύτην καὶ Ἱππάδα, καὶ Κυβησίνδαν, καλῦσι τὴν παιδιάν. *Hunc & Hippada & Cybesindam, appellant lusum*. Hesychius. Κυβησίνδα, ἐπὶ κεφαλὴν, ἢ τὸ φορεῖν ἐπὶ νώτυ, ἢ κατὰ νώτυ. *Cybesinda, in caput: aut gestare in tergo, aut de tergo*. Vide supra, in Ἀγκοτύλη.

ΚΥΝΔΑΛΗ.

B Vide Κινδαλισμός.

ΚΥΝΗΤΙΝΔΑ.

Ludus hic ab osculando, quod Κυνεῖν a Græcis dicitur, nomen habet. Pollux, *lib*. IX. *cap*. VII. Ἡ δὲ κυνητίνδα, ἀπὸ τῦ κυνεῖν, ὅ ἐςι καταφιλεῖν, ὠνόμαςαι. *Cynetinda autem, ab cynein, quod est osculari, nominatus est*. Ita rescribendum censeo. Male enim hodie editur, Κιννητίνδα, & Κινεῖν. Forte est is lusus, quo pueros, auribus prehensis, & vicissim aures apprehendere jussos, osculabantur. Indicat Plutarchus, lib. *de Auditu*. Οἵ τε πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλῦντες, αὐτοί τε τῶν ὤτων ἅπτονται, καὶ τύτοις ταυτὸ ποιεῖν κελεύυσιν, αἰνιττόμενοι μετὰ παιδιᾶς, ὅτι δεῖ φιλεῖν μάλιςα τὺς διὰ τῶν ὤτων ὠφελῦντας. *Et vulgus parvos pueros osculans, & ipsi aures tangunt, &*
C *illos hoc ipsum facere jubent. Significantes cum lusu, oportet amare in primis, qui per aures prosunt*. Clemens, *Strom*.V. Οὐκῦν εἰκῆ τοῖς παιδίοις παρακελευόμεθα, τῶν ὤτων λαμβανομένοις φιλεῖν τὺς προσήκοντας. τῦτο δήπυ αἰνιττόμενοι, δι' ἀκοῆς ἐγγίγνεσθαι τῆς ἀγάπης τὴν συναίσθησιν. *Non igitur temere pueros admonemus, prehensis auribus osculari cognatos: sane significantes, per auditum innasci amoris intelligentiam*. Est & videre osculandi istum lusum apud
D Theocritum, *Idyll*. V.

Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρὰν ὐκ ἐφίλασε,
Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
Non amo Alcippen, quod me nuper non est osculata,
Prehendens aures, quum ipsi palumbum donavi.

Aristænetus, *lib*. I. *Epist*. XXIV. Μηδὲν μελλήσας, ἧκέ μοι φίλημά τι μόνον ἀποκομίζων· κἀγὼ, τῶν ὤτων λαβομένη, τρίς σε φιλήσω. *Nihil morans, venit mihi osculum solum deferens: & ego aures capiens, ter te osculabor*. Tibullus *lib*. II. *eleg*. V.

Et fœtus matrona dabit; gnatusque parenti
Oscula, comprensis auribus, eripiet.

E Et id osculi genus Χύτρα dictum. Pollux, *lib*. X. *cap*. XXIV. Εἰδέναι δὲ ὐ φαῦλον, ὅτι χύτρα φιλήματος ἦν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοῖεν, τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. *Scire autem non vile, quod chytra osculi erat species, quando pueros oscularentur auribus prehensos*. Suidas. Χύτρον, χῶμα, καὶ φιλήματος εἶδος. *Chytrum, agger, & osculi species*.

ΚΥΝΤΑΝΟΣ ΚΟΝΤΑΞ.

Vide Κόνταξ.

*

ΜΑΡΩΝ.

Incognitus ludus. Meminit ejus Balsamon *ad*
F *Conc*. VI. *Can*. LI. Ἔοικε δὲ διὰ τῶν τοιύτων κανόνων ἐπιτίμια ἐπινοηθῆναι τὰ βασιλικὰ παίγνια, τὸ κον-

* His interponi oportet ΛΗΚΙΝΔΑ. Apollonius: Ὡς ἰδὲ τινὰ εἰς δα λήγοντα βαρύτονα ἐςὶν, ὡς τὸ Λήκινδα, Ὀςράκινδα, ὀνόματα παιδιῶν. *Ut ecce quædam in δα desinentia accentum habent in penultima, ut Lecinda, Ostracinda, nomina ludorum*. Et paulo post: Τύτῳ γὰρ τῷ λόγῳ καὶ τὸ Λήκινδα ἐν βαρεῖ τόνῳ ἐςί. *Hac enim ratione etiam Lecinda gravi accentu gaudet*.

τοπαίκτlω δηλαδὴ, ἢ Μάρωνα. *Videntur autem per hujusmodi canonas pęnæ excogitatæ esse regia ludicra, contopæcta videlicet, Maron.*

ΜΗΛΟΛΟΝΘΗ.

Hanc aviculam pueri lino alligantes, in aerem mox emittebant; &, cum vellent, retrahebant: atque ita sese oblectabant. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ μηλολόνθη, ζῶον πτlωόν ἐστιν· ὃ ζῶν λίνον ἐκδήσαντες, ἀφιᾶσιν, ὅπερ ἑλικοειδῶς ἐν τῇ πτήσει τὸ λίνον διελίσσεται. *Melolonthe autem, animal volucre est: cui linum alligantes, emittunt, quod circuli instar in volatu linum evolvitur.* Meminit Aristophanes *Nubibus*, ubi ita Socratem loquentem introducit.

Μή νυῦ περὶ σαυτὸν εἶλε τlὼ γνώμlω ἀεί·
Ἀλλ' ἀποχάλα τlὼ φροντίδ' εἰς τὸν ἀέρα,
Λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθlω τοῦ ποδός.

Ne nunc intra te versa animum semper:
Sed suspende cogitationem in aerem,
Lino vinctam, sicut melolontham pede.

Ubi Scholiastes: Μηλολόνθlω. οὕτω γράφουσιν οἱ ἀκριβέστεροι. τινὲς δὲ λέγουσιν, ὅτι ζωΰφιόν ἐστι χρυσίζον, κανθάρῳ ὅμοιον. ὃ λαμβάνοντες οἱ παῖδες, ἀποδεσμοῦσι λίνῳ, καὶ ἐκπεταννύουσιν. *Melolontham. ita scribunt accuratiores. Quidam autem dicunt, quod animalculum est aureolum, scarabæo simile. Quod capientes pueri alligant lino, & explicant.* Linum autem, quo alligabant, erat tricubitale. Eustathius *ad Iliad.* ψ'. Μηλολόνθη, ζῶόν ἐστι, μεῖζον σφηκὸς, ἐκ τῆς ἀνθήσεως τῶν μηλέων γεννώμενον, ἢ ἀρχομέναις ἀνθεῖν προσιπτάμενον. ὃ παῖδες λίνον τρίπηχυ ἐξάπτοντες, ἐῶσι πέτεσθαι. καὶ φερομένου δι' ἀέρος ἑλικοειδῶς, ἡδόμενοι τῇ θέᾳ, παρέπονται, τὰς χεῖρας ἐπικροτοῦντες. *Melolonthe, animal est, majus vespa, ex productione florum in mali arboribus natum, aut incipientibus florere advolans. Quod pueri, linum tricubitale adnectentes, sinunt volare. Et quum fertur per aerem obliquo motu, delectati spectaculo, insequuntur, manibus applaudentes.* Suidas addit, lignum exiguum appensum fuisse. Μηλολόνθη. ζωΰφιον, ᾧ χρῶνται οἱ παῖδες εἰς παιδιάν. ὃ τοῖς ἄνθεσιν ἐπικαθίζεται. οἱ δὲ παῖδες, λίνον τοῦ ποδὸς ἐξαρτῶντες, καὶ ξυλίφιον, ὃ οὐκ ἰσχύουσιν ἀνακουφίσαι, εἰς τὸν ἀέρα ἀφιᾶσιν. *Melolonthe. animalculum, quo utuntur pueri ad lusum; quod floribus insidet. Pueri autem, linum pedi alligantes, & lignum parvum, quod non possunt elevare, in aerem emittunt.*

ΜΟΝΟΒΟΛΟΝ.

Meminit Imperator Justinianus, in *L. Victum* 1. *Cod. de Aleatoribus. Duntaxat autem ludere liceat* Μονόβολον. Iterum in *L. Alearum* 3. ibid. *Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon*, &c. Photius in *Nomocanone*, cap. XXIX. Μόνον δὲ παίζειν ἔξεστι μονόβολον. *Solum autem ludere licet monobolum.* Ubi Balsamon, in *Scholiis*. Γίνωσκε δὲ, ὅτι μονόβολον λέγεται ὁ δρόμος. *Scito autem, quod monobolum dicitur cursus.*

ΜΥΙΑ ΧΑΛΚΗ.

Puer, clausis oculis, manus protendens, obambulabat, donec aliquem comprehenderet. Hesychius. Μυῖα χαλκῆ. παιδιά τις, lὼ οἱ παῖδες παίζοντες καταμύουσιν. ἀποτείνοντες τὰς χεῖρας, ἄχρις ἄν τινος λάβωνται. *Musca ænea. lusus quidam, quem pueri ludentes claudunt oculos; extendentes manus, donec quendam accipiant.* Nomen ludo, quia, qui oculos clausos habebat, colludentes quæsiturus,

A inquiebat, Χαλκlὼ μυῖαν θηράσω. *Æream muscam venabor.* ad quæ alii: θηράσεις, ἀλλ' οὐ λήψεις, *venaberis sed non capies*, respondebant. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ χαλκῆ μυῖα. ταινίᾳ τὼ ὀφθαλμὼ περισφίγξαντες ἑνὸς παιδὸς, ὁ μὲν περιστρέφεται, κηρύττων· χαλκlὼ μυῖαν θηράσω. οἱ δὲ ἀποκρινάμενοι, θηράσεις, ἀλλ' οὐ λήψεις, σκύτεσι βυβλίνοις παίουσιν αὐτὸν, ἕως τινὸς αὐτῶν λήψηται. *Ærea autem musca. Tænia oculos circumstringentes unius pueri, hic quidem circumvertitur, clamans: æream muscam venabor. Hi autem respondentes, venaberis, sed non capies, cum quibusdam papyraceis feriunt ipsum, donec aliquem ipsorum ceperit.* Et observa, etiam,

B dum quæreret, percussum fuisse. Eustathius *ad Iliad.* φ'. Οἱ δὲ ὕστερον, παιδιάν αὐτῇ ἐπωνόμασάν τινα, ἣν χαλκῆν μυῖαν ὠνόμασαν, περὶ ἧς φράζουσιν οὕτω. καταδεῖται τὶς ῥακίῳ τὰς ὄψεις, καὶ καταστὰς εἰς μέσον τῶν συνειλεγμένων, παρεὼν φωνεῖ, χαλκῆν μυῖαν θηράσω. οἱ δὲ κύκλῳ ἑστῶτες, βίβλοις ἢ καὶ ταῖς χερσὶ παίοντες, ἀποκρίνονται. ἀλλ' οὐ λήψεις. ὃν δὲ ἂν λάβηται, καθίστησιν ἐκεῖνον εἰς τlὼ ἑαυτοῦ χώραν. *Posteriores autem, lusum illi cognominaverunt quendam, quem æream muscam nominaverunt, de quo memorant ita. Circumligatur quis panniculo oculos, & consistens in medio congregatorum, tran-*

C *siens dicit, æream muscam venabor. Illi autem circumstantes, scirpis aut manibus ferientes, respondent: sed non capies. Quem autem capit, constituit eum in suum locum.*

ΜΥΙΝΔΑ.

Similis fere priori erat. Hesychius. Μυΐνδα παιδιά τις, οὕτω καλουμένη ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος. καταμύων γάρ τις, τὸν ἐρωτώμενον ἀποφαίνεται σχεδιάζων, ἕως ἂν ἐπιτύχῃ· ἐὰν δὲ ἁμαρτὼν ἀναβλέψῃ, πάλιν καταμύει. *Muinda. lusus quidam, sic appellatus ab eo quod contingit. Claudens enim oculos quidam, in-*

D *terrogantem demonstrat conjiciens ex tempore, donec cum tangat: si autem peccans sursum aspiciat, rursus claudit oculos.* Pollux *lib.*IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ μυΐνδα. ἤτοι καταμύων τις φυλάττεται βοῶν· καὶ ὃν ἂν τῶν ὑποφευγόντων λάβῃ, αὐτίκα καταμύειν ἀναγκάζει. *Muinda autem. seu claudens oculos quis servatur clamans: & quem ex subterfugientibus prebendat, statim claudere oculos cogit.*

ΜΥΣΤΕΑ.

Hesychius. Μυστέα. παιδιά τις, ἐπιτελουμένη καταλύοντα

E τοὺς ἐξάρχοντας.

ΝΑΥΜΑΧΙΑ.

Inter aleæ species ponitur a Polluce, *lib.* VII. *cap.* XXXIII. *sect.*X. Κυβείας δὲ εἴδη καὶ ἡ πλειστοβολίνδα παιδιά, καὶ τὸ ἀρτιάζειν, καὶ διαγραμμίζειν, καὶ διαγραμμισμὸς, καὶ χαλκίζειν, καὶ χαλκισμὸς, καὶ ἱμαντελιγμὸς, καὶ ναυμαχία. *Tesseræ autem lusus species etiam pleistobolinda lusus, & paria ludere, & diagrammizare, & diagrammismus, & chalcizare, & chalcismus, & himanteligmus, & naumachia.*

F

ΟΑΡΟΙ.

Ludus quidam obscœnus. Hesychius. Ὄαροι, αἱ γυναῖκες, ἀπὸ τοῦ συναρμόσθαι. ὀάρων ἕνεκα σφετεράων. μῦθοι, λόγοι, βουλεύματα. τινὲς δὲ θιάσους, καὶ παιδιὰν περὶ τὰ ἀφροδίσια. *Nuptiales, mulieres, a nubendo. Nuptiarum causa suarum. Dicta, sermones, consultationes. Quidam autem sodalitia, & lusum in Venereis.* Eustath. *ad Iliad.* ν'. Δῆλον δὲ ἐκ παρασημειώσεως παλαιᾶς, καὶ ὅτι ὄαρος λόγος, ὁμιλία, παιδιά.

Manifestum autem ex annotatione veteri, & quod nuptialis sermo, consuetudo, lusus.

ΟΚΤΟΗΧΟΣ.

Balsamon *ad Conc.* VI. *Can.* LI. Ἔοικε δὲ διὰ τὰ τῶν τοιούτων κανόνων ἐπιτίμια ἐπινοηθῆναι τὰ βασιλικὰ παίγνια, τὴν κοντοπαίκτην δηλαδὴ, τὴν μάρωνα, τὴν ἀγχίαλλον, τὴν ὀκτώηχον, καὶ τὰ λοιπά. *Videtur vero per talium canonum mulctas excogitata esse regia ludicra, contopæctam videlicet, marona, anchiallon, & octisonum, & reliqua.*

ΟΡΤΥΓΟΚΟΠΙΑ.

Cribro circulum cum fecissent, coturnices, inter se depugnaturas, statuebant. quæ excedere circulo coacta, victa ipsa, & is cuius ea esset. ac interdum ipsæ aves pretium victoriæ erant, interdum constituta pecunia. Nonnunquam vero sic ludebant. coturnicem unus quidem exhibebat, alter medio eam digito feriebat, deinde e capite pennas etiam evellebat. quod si illa sustinuisset, qui exhibuisset eam, victor erat; contra autem si cessisset, & vulsuram subterfugisset, victoria penes alterum erat. Solebant vero victæ ad aurem inclamare, ut victoris oblivisceretur vocem; quod Τρυλλίζειν, & Ἐντρυλλίζειν appellabant: ac qui luderent, Ὀρτυγοκόποι, & Στυμφοκόποι dicebantur. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Καὶ μέν τοι καὶ τὸ ὀρτυγοκοπεῖν, παιδιά. καὶ τὸ πρᾶγμα, ὀρτυγοκοπία. καὶ οἱ παίζοντες, ὀρτυγοκόποι, καὶ συμφοκόποι ἐκαλοῦντο. καὶ τὸ κόπτειν τοὺς ὄρτυγας, καὶ ἀνακλαδάλλειν, καὶ ἀνερεθίζειν, καὶ ἀνεγείρειν, παροξύνειν· καὶ ταῦτα ἐκ τῶν ὀρτυγοκοπικῶν ὀνομάτων. καὶ τηλία μὲν, ὁμοία τῇ ἀρτοπώλιδι, κύκλους ἐμπεριγράψαντες, ἀνίστασαν τοὺς ὄρτυγας ἐπὶ τὰς μάχας τὰς πρὸς ἀλλήλους. ὁ δὲ ἀνατραπεὶς, καὶ ἐκπεσὼν τοῦ κύκλου, ἡττᾶτο αὐτός τε, καὶ ὁ τοῦ ὄρτυγος δεσπότης. καὶ ποτὲ μὲν ἐπ' αὐτοῖς διετίθεντο τοῖς ὄρτυξι, ποτὲ δὲ καὶ ἐπ' ἀργυρῷ. ἔσθ' ὅτε δὲ ὁ μὲν ἵστη τὴν ὄρτυγα, ὁ δὲ ἔκοπτε τῷ λιχανῷ, εἶτα ἐκ τῆς κεφαλῆς πτερὰ ἀπέτιλλε. καὶ εἰ μὲν ἐγκαρτερήσειεν ὁ ὄρτυξ, ἡ νίκη μετὰ τοῦ θρέψαντος αὐτὸν ἐγίνετο. ἐνδόντος δὲ, καὶ ὑποφυγόντος, ὁ κόπτων, ἢ ὁ τίλλων, ἐνίκα. τοὺς δὲ ἡττηθέντας ὄρτυγας ἐμβοήσαντες κατὰ τὸ οὖς, αὐτοὺς ἐξιῶντο, λήθην ἐργαζόμενοι τῆς τοῦ νενικηκότος φωνῆς. καὶ τὸ ἐμβοᾶν τρυλλίζειν, καὶ ἐντρυλλίζειν, ὠνόμαζον. *Et tamen etiam coturnicem verberare, lusus. Et negotium, coturnicum verberatio. Et ludentes, coturnicum verberatores & stymphocopi vocabantur. Et percutere coturnices, & reverberare, & irritare. Et excitare, concitare: & hæc ex nominibus ad coturnices feriendas. Et in pegmate quidem, simili loco ubi panis venditur, circulos circumscribentes, sistunt coturnices in pugnas contra se invicem. Prostrata autem, & excidens circulo, vincebatur & ipsa, & hujus coturnicis dominus. Et aliquando quidem constituebantur sub ipsarum avium præmio, quandoque autem etiam in argento. Interdum autem hic quidem statuit coturnicem, alter autem percussit digito, deinde ex capite plumam evellebat. Et siquidem duraverit coturnix, victoria penes eum, qui avem nutrierat, erat. Verum non tolerante & subterfugiente, percutiens, aut vellens, vincebat. Victas autem coturnices inclamantes in aurem excitabant, oblivionem vocis, qua dicebatur victa, conciliantes; & inclamare illud, tryllizare, & entryllizare dicebant.*

ΟΣΤΡΑΚΙΝΔΑ.

Hesychius. Ὀστρακίνδα. παιδιά ἦν ἐπὶ τῷ ὀστράκῳ. *Ostracinda. lusus erat per testam.* Pueri, linea in medio ducta, utrinque stantes, testam in eam jaciebant; cujus pars una, nempe interior, pice illita, Νύξ, *Nox*, dicebatur: altera vero alba, Ἡμέρα, *Dies*. quique abjiceret, νὺξ, ἢ ἡμέρα, *nox, aut dies*, inter abjiciendum dicebat. Elegerant autem inter se partes; illi albam, isti nigram: quorumque pars superior esset, fugientes alios insequebantur; ac si quem comprehendissent, is sedere, & ludo etiam abstinere, ὄνος, *Asinus* dictus, jubebatur. Eustathius *ad Iliad.* σ'. Ἐλέχθη δὲ αὕτη καὶ ἐκ παιδιᾶς τοιαύτης. παῖδες δύο γραμμῇ τινι μεσολαβούσῃ διεστηκότες ἀλλήλων, ὄστρακον ἀνερρίπτουν. οὗ θάτερον μὲν μέρος πεπισσωμένον ἦν, τὸ ἐντὸς δηλαδή· τὸ δ' ἐκτὸς, ἀπίσσωτον. διώριστο δὲ τοῖς συμπαίζουσι, τίνων μὲν ἦν, τὸ τὴν πίσσαν ἔχον· τίνων δὲ, τὸ λοιπόν. καὶ ὅτε φασὶν ἀναβληθὲν τὸ ὄστρακον πέσοι, ὧν μὲν τὸ κάτω τοῦ ὀστράκου, ἔφευγον· οἱ δὲ λοιποὶ, ἐδίωκον. καὶ ἐλέγετο τοῦτο, περιστροφὴ ὀστράκου. καὶ ἡ παιδιὰ, ὀστρακίνδα ἐκαλεῖτο. *Dicta autem est etiam illa ex lusu hoc. Pueri duo linea quadam in medio ducta distantes invicem, testam jaciunt: cujus altera quidem pars picata erat, interior videlicet: exterior autem non picata. Definitum vero erat colludentibus, quorum quidem foret, pars picem habens: quorum vero, reliquum. Et quando dicunt, sursum jacta testa cadat, quorum quidem erat pars infra testam, fugiebant: reliqui autem, persequebantur. Et dicebatur hoc, conversio testæ. Et lusus, ostracinda vocabatur.* Et mox, e Platone Comico: Εἴξασι τοῖς παιδαρίοις τούτοις, οἳ ἑκάστοτε γραμμὴν ἐν ταῖς ὁδοῖς διαγράψαντες, διανειμάμενοι δίχ' ἑαυτοὺς, ἑστᾶσιν αὐτῶν οἱ μὲν, ἐκεῖθεν τῆς γραμμῆς· οἱ δ' αὖ, ἐκεῖθεν. εἷς δ' ἀμφοτέρων ὄστρακον αὐτοῖς ἀνίησιν, εἰς μέσον ἑστώς. κἂν μὲν πίπτωσι τὰ λευκὰ ἐπάνω, φεύγειν ταχὺ τοὺς ἑτέρους δεῖ· τοὺς δὲ, διώκειν. ὁ δ' ἀναρρίπτων τὸ ὄστρακον, ἐπιλέγει νὺξ, ἢ ἡμέρα. *Cedentibus bis puerulis, qui identidem linea in viis perscripta dividentes bifariam se, stant pars quidem eorum ab hoc latere lineæ, pars vero rursus, illinc. Unus autem utrorumque testam illis emittit, in medio stans. Et siquidem cadunt alba superne, fugere cito alteros oportet: hos autem persequi. Qui vero sursum jacit testam, adjicit: nox, aut dies.* Eum vero, qui comprehensus forte esset, ὄνον, *Asinum*, dictum, ex Polluce nobis constat, cujus verba ecce ista, *lib.* IX. *cap.* VII. Ὀστρακίνδα δὲ, ὅταν γραμμὴν ἑλκύσαντες οἱ παῖδες ἐν μέσῳ, καὶ διανεμηθέντες, ἑκατέρα μερὶς, ἡ μὲν τὸ ἔξω τοῦ ὀστράκου πρὸς αὐτὴν εἶναι νομίζουσα, ἡ δὲ τὸ ἔνδον, ἀφέντος τινὸς κατὰ τῆς γραμμῆς τὸ ὄστρακον, ὁπότερον ἂν μέρος ὑπερφανείη, οἱ μὲν ἐκεῖνο προσήκοντες διώκωσιν, οἱ δὲ ἄλλοι φύγωσιν ὑποστραφέντες. ὅπερ εἶδος παιδιᾶς αἰνίττεται καὶ Πλάτων, ἐν τοῖς εἰς Φαῖδρον ἐρωτικοῖς. ὁ μὲν τοίνυν ληφθεὶς τῶν φευγόντων, ὄνος οὗτος κάθηται· ὁ δὲ ῥίπτων τὸ ὄστρακον, ἐπιλέγει νὺξ, ἢ ἡμέρα. τὸ γὰρ ἔνδον αὐτοῦ μέρος καταλείπεται πίττῃ, ὃ τῇ νυκτὶ ἐπιπεφήμισται. καλεῖται δὲ καὶ ὀστράκου περιστροφὴ τὸ εἶδος τοῦτο τῆς παιδιᾶς. *Ostracinda autem, quum lineam trahentes pueri in medio, & divisi utraque pars, altera quidem extra testam ad ipsam esse putans, illa autem interius, mittente quodam testam per lineam. quæcunque pars superior apparuerit, hi quidem ad illud pertinentes persequuntur, alii autem fugiunt conversi. Quam speciem lusus innuit quoque Plato, in amatoriis ad Phædrum. Qui igitur ex fugientibus captus quidem est, asinus hic desidet: jaciens autem testam adjicit: nox, aut dies. Interior enim pars oblita est pice, quæ nocti respondet. Vocatur autem etiam testæ conversio species hæc lusus.* Ubi vides, ut & in Eustathii *verbis*, quod Περιστροφὴ ὀστράκου, *conversio testæ*, etiam appellatus ludus iste fuerit. Est Platonis quoque in *Phædro* locus quidam, Polluci citatus; qui alludit: Φυγὰς δὲ γίνεται ἐκ τούτων, καὶ ἀπεστερηκὼς ὑπ' ἀνάγκης, ὁ πρὶν ἐραστὴς, ὀστράκου μεταπεσόντος,

ἵσταται φυγῇ μεταβαλών. ὁ δὲ ἀναγκάζεται διώκειν ἀγανακτῶν, ϗ ἐπιθειάζων. *Exul autem fit exinde, & privatus necessitate, qui antea amator, testa recidente, mittitur fuga commutatus. Hic autem cogit persequi indignatus, & obtestans deos.* Eunapius, in *Proæresio*. Καὶ ὁ μὲν, ὕπω βασιλέως ἐπιτρέψαντος, ϗ μεταπεσόντος ὀστράκου, κατῄει τὸ δεύτερον εἰς τὰς Ἀθήνας. *Et hic quidem, ita rege concedente, & recidente testa, discessit secunda vice Athenas.* Et apud Suidam, *in* Ὀστράκου περιστροφή. Ὥσπερ ὀστράκου μεταπεσόντος, ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐχώρησε Ῥωμαίοις. *Testæ conversio. Velut testa recidente, ad melius evasit Romanis.* Arrianus *in Epictetum*, lib IV. cap. VII. Ὡς ὀστρακίοις τὰ παιδία παίζοντα, περὶ μὲν τῆς παιδιᾶς διαφέρεται, τῶν δ' ὀστρακίων οὐ πεφρόντικεν· οὕτω δὲ ϗ οὗτος, τὰς μὲν ὕλας παρ' οὐδὲν ἦ πεποιημένος. τὴν παιδιὰν δὲ, τὴν περὶ αὐτὰς, ϗ ἀναστροφὴν, ἀσπάζεται. *Prout testis pueri ludentes, de lusu quidem litigant, testas autem non curant: sic vero etiam hic, materias quidem nihili faciebat; lusum autem, qui circa illas, & conversationem, amplectitur.*

ΟΥΡΑΝΙΑ.

Hesychius. Οὐρανίαν. ὅταν τὴν σφαῖραν ἀναβάλωσι. ϗ τὴν τοιαύτην δὲ καθόλου παιδιὰν, οὐρανίαν καλοῦσι. *Uranian; quum pilam sursum jactant. Et hunc autem universe lusum, uraniam vocant.* Dicebatur nempe in pilæ lusu, cum alter eam in sublime ejiceret; alter, priusquam in terram caderet, assiliens raperet. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ τῆς σφαίρας παιδιὰ, ὀνόματα εἶχεν· ἐπίσκυρος, φεννίδα, ἀπόρραξις, οὐρανία. *Pilæ autem lusus, nomina habebat: episcyrus, phennida, aporraxis, urania.* Et mox. Ἡ δὲ οὐρανία. ὁ μὲν, ἀνακλάσας αὐτὸν, ἀπορρίπτει τὴν σφαῖραν εἰς τὸν οὐρανόν. τοῖς δ' ἦν ἀλλομένοις φιλοτιμία, πρὶν εἰς γῆν αὐτὴν ἐμπεσεῖν, ἁρπάσαι. *Urania autem. hic quidem, reflectens se ipsum, abjicit pilam in cœlum. Aliis autem erat salientibus studium, antequam in terram ipsa incideret, rapuisse.* Eustathius *ad Odyss.* Θ'. Εἰκὸς δὲ καὶ τὴν διὰ σφαίρας παιδιὰν, τὴν καλουμένην οὐρανίαν, τοιαύτην εἶναι. *Verisimile autem & hunc per pilam lusum, dictum uranian, talem esse.* Nec multo post. Ὅτι δὲ ἡ ῥηθεῖσα οὐρανία, εἶδος ἦν τῆς διὰ σφαίρας παιδιᾶς, δηλοῖ ὁ γράψας, ὅτι ταύτης ἡ μέν τις, ἐλέγετο οὐρανία· ἡ δὲ, ἀπόρραξις· ἡ δὲ, ἐπίσκυρος. ἡ δὲ, φαινίνδα. οὐρανία μὲν, ἡ εἰς οὐρανὸν τῆς σφαίρας ἀναβολή. *Quod autem dicta urania, species erat per pilam lusus, notat iste qui scripsit, quod hujus alia quidem dicebatur urania: alia autem, aporraxis: hæc autem, episcyrus: hæc autem, phæninda. Urania quidem in cælum pilæ jactatio.*

ΠΑΙΔΙΑ ΕΝ ΥΔΑΤΙ.

Qualis iste lusus fuerit, ignoramus; gymnasticum fuisse, istud scimus. Galenus meminit, Περὶ τῶν πεπονθότων τόπων *lib.* IV. Πυθόμενος ἐν τῇ διηγήσει διατρίψαι τὸν ἄνθρωπον ἐν λίμνῃ τινὶ κατ' ἀγρὸν, ὥρᾳ θέρους μετά τινων ἑτέρων παίζοντα γυμναστικὰς παιδιὰς, ὁποίας εἰώθασιν οἱ νέοι παίζειν ἐν ὕδατι. *Comperiens in relatione moratum fuisse hominem in lacu quodam in agro, tempore æstatis cum quibusdam aliis ludentem gymnasticos lusus, quales solent adolescentes ludere in aqua.*

ΠΕΝΤΑΛΙΘΑ.

Mulierum potissimum erat. Ita describitur a Polluce, *lib.* IX. *cap.* VII. Τὰ δὲ πεντάλιθα, ἤτοι λίθια, ἢ ψῆφοι, ἀστράγαλοι, πέντε ἀνερρίπτοῦντο, ὥστε ἐπιστρέψαντα τὴν χεῖρα δέξασθαι τὰ ἀναρριφθέντα κατὰ τὸ ὄπισθε θέναρ. ἢ εἰ μὴ πάντα ἐπίσταται, ἢ τῶν ἐπιστάντων ἐπικειμένων ἀναιρεῖσθαι τὰ λοιπὰ τοῖς δακτύλοις. τὸ δὲ ῥῆμα, τὸ πενταλιθίζειν, ἐστὶν ἐν τοῖς Ἑρμίππου Θεοῖς. τὸ δὲ ὄνομα, πεντάλιθα. γυναικῶν δὲ μᾶλλόν ἐστιν ἡ παιδιά. *Pentalitha autem, vel lapilli, aut calculi, aut * tali, quinque sursum jaciebantur, ut conversa manu accipiat sursum jacta in posteriore vola: Aut si non omnia insistant utique insistentibus illis quæ imposita sunt attollere reliqua digitis. Verbum autem pentalithizare, est in Hermippi Diis. Nomen autem est pentalitha. Mulierum autem potius est lusus.*

ΠΕΡΙΣΤΡΟΦΗ ΟΣΤΡΑΚΟΥ.

Vide Ὀστρακίνδα.

ΠΕΡΙΧΥΤΗ.

Imperator in L. *Victum.* I. *Cod. De Aleatoribus. Liceat item ludere* Περιχυτήν. Iterum in *L. Alearum* 3. ibid. *Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon, contomonobolon, Quintanum contacem sine fibula, perichyten, & hippicen.* Balsamon *in Photii Nomocan.* Tit. XIII. cap. XXIX. Περιχυτή, ἡ πάλη. *Perichyte, lucta.*

ΠΕΤΤΕΙΑ.

Calculorum lusus; quos uterque quinque habebat, in laterculo totidem lineis distincto; quarum media, ἱερὰ γραμμὴ, *sacra linea*, dicebatur. ipse laterculus, πόλις, *urbs*; calculi, Κύνες, *Canes*, nuncupabantur: erantque utrinque discolores. Et in eo ludentium industria versabatur, ut calculi duo concolores alterum discolorem circumventum tollerent. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ πεττεύειν, ϗ ἡ πεττεία, ϗ τὸ πεσσὸν, ὄνομ' ἦν· ϗ πεσσονομεῖν, ϗ πεττευτής. ϗ ταῦτα μὲν ἐν ἐκείνοις προείρηται. ἐπειδὴ δὲ ψῆφοι μέν εἰσιν οἱ πεσσοὶ, πέντε δὲ ἑκάτερος εἶχε τῶν παιζόντων ἐπὶ πέντε γραμμῶν, εἰκότως εἴρηται Σοφοκλεῖ,

Καὶ πεσσὰ πεντέγραμμα, ϗ κύβων βολαί.

Τῶν δὲ πέντε ἑκατέρωθεν γραμμῶν μέση τις ἦν, ἱερὰ καλουμένη γραμμή. ϗ ὁ τὸν ἐκεῖθεν κινῶν πεττὸν, παροιμίαν ἐποίει. Κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Ἡ δὲ διὰ πολλῶν ψήφων παιδιὰ πλινθίον ἐστὶ, χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακειμέναις. ϗ τὸ μὲν πλινθίον, καλεῖται πόλις· τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη, κύων. διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστι, περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν. *Calculis ludere autem, & calculorum lusus; & calculus nomen erat; & pessonomein vel calculos disponere, & petteutes. Et hæc quidem in illis antea dicta sunt. Quoniam vero lapilli quidem sunt tali, quinque autem unusquisque habebat ludentium in lineas quinque, merito dictum est a Sophocle,*

Et calculi quinque, lineis notati, & tesserarum jactus.

Quinque autem utrinque linearum media quædam erat, sacra dicta linea. Et qui illinc movebat calculum, proverbium faciebat: Moveo hunc ab sacra. Per plures autem calculos lusus laterculus est, loca in lineis habens disposita. Et laterculus quidem, vocatur urbs: lapillorum unusquisque, canis. Divisis autem in duo lapillis secundum colores, ars lusus est, comprehensione duorum lapillorum concolorum diversicolorem tollere. De quinque calculis, *Etymologici* Auctor tradit, inde etiam Πεττείαν dictam, quasi Πεντείαν, *quinariam*, videri. Πεσσοί. βόλια κυβιστῶν. πεσσὰ ὁμωνύμως, ἥτε γραμμὴ, ϗ ὁ ψῆφος. πέντε δὲ ἦσαν, οἷς ἐχρῶντο. ϗ πεσσὰ πεντάγραμμα. ϗ τάχα ἡ πεττεία, οἱονεὶ πεντεία τις οὖσα. *Calculi; ja-*

* *Nam in Polluce legitur* ἢ ἀστράγαλοι, *quam voculam nescio cur Meursius omiserit.*

ctus ludentium tesseris. calculi ejusdem nominis, & ipsa linea, & calculus. Quinque autem erant quibus utebantur. Et calculi quinquelineares. Et fortassis, vox petteia, vel calculorum lusus, considerari debet, quasi penteja quinaria quædam. De lineis quinque, & media sacra, mox idem affirmat. Επὶ δὲ τῶν πέντε γραμμῶν τὰς ψήφους ἐτίθουν· ὧν ἡ μέση γραμμὴ, ἱερὰ ἐκαλεῖτο. *In quinque autem lineis lapillos ponebant: quarum media linea, sacra vocabatur.* Eustathius, *ad Odyss. α.* Πέντε ἦσαν (πεσσὰ) οἷς ἐχρῶντο· ϗ ἐπὶ πέντε γραμμαῖς τὰς ψήφους ἐτίθουν. ὧν ἡ μέση, ἱερὰ ἐκαλεῖτο. ϗ διὰ τὰς πέντε ταύτας ϗ πεττεία ἐδόκει κληθῆναι, ὡς οἱονεὶ πεντεία τὶς οὖσα. *Quinque erant (calculi) quibus utebantur: & in quinque lineis lapillos ponebant. Quarum media, sacra vocabatur. Et propter has quinque etiam pettia videtur appellata esse, quasi instar quinariæ alicujus.* Et mox: Τοὺς δὲ πεσσοὺς λέγει, ψήφους εἶναι πέντε· αἷς ἐπὶ πέντε ἕκαστος τῶν πεττευόντων ἔχῃ τὰς καθ' ἑαυτόν. Σοφοκλῆς. ϗ πεσσὰ πεντάγραμμα, ϗ κύβων βολαί. *Calculos autem dicit, lapillos quinque: quos quinos quisque ludentium habebat circa se. Sophocles. Et calculi quinquelineares, & tesserarum jactus.* Ab his quinque lineis, Πεσσὰ πεντάγραμμα, *calculos quinquelineares*, dixisse Sophoclem ajunt Grammatici; idque in fabula, cui titulus a poeta datus erat, Ναύπλιος Πυρκαεύς. Hesychius. Πεσσὰ πεντάγραμμα, ϗ κύβων βολάς. Σοφοκλῆς Ναυπλίῳ πυρκαεῖ. παρ' ὅσον πέντε γραμμαῖς ἔπαιζον. *Calculos quinquelineares, & tesserarum jactus. Sophocles Nauplio facem accensam tenenti: in quantum v. lineis ludebant.* A quinta linea, quæ Ιερὰ, *sacra*, dicebatur, non temere calculum movebant, nisi summa urgente necessitate. Itaque proverbium erat, τὸν ἀφ' ἱερᾶς κινεῖν. *Ab sacra movere calculum.* Eustathius *ibidem*. Παρετείνετο δέ, φησι, δι' αὐτῶν ϗ μέση γραμμή· ἣν ἱερὰν ὠνόμασον, ἐπεὶ ὁ νικώμενος ἐπ' ἐσχάτην αὐτὴν ἵεται. *Producebatur autem, dicit, per illas etiam media linea; quam sacram nominabant, quoniam victus ad ultimam illam mittitur.* Hesychius. Τὸν ἀφ' ἱερᾶς. γραμμή τις ἐν τῇ παιδιᾷ τῶν πεσσῶν, ἱερὰ καλουμένη. *Calculum ab sacra. Linea quædam in lusu calculorum, sacra dicta.* Suidas. Κινήσω τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Τοῦτο ἐπὶ τῶν τὴν ἐσχάτην βοήθειαν κινούντων τέτακται. *Movebo illum ab sacra. Hoc de illis qui ultimum auxilium movent poni solet.* Diogenianus, *Cent.* v. *Proverb.* XLI. Κινήσω τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Επὶ τῶν τὰ ἔσχατα κινδυνευόντων. *Movebo illum ab sacra. De illis, qui ultima periclitantur.* Sophron.

Κινήσω δ' ἤδη τὸν ἀφ' ἱερᾶς.
Movebo autem jam hunc ab sacra.

Theocritus, *Idyll.* VI.

Καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον.--
Et illum ab linea movet lapidem.—

Eustathius, *De Amoribus Ismeniæ*. Αἱ δέ γε μητέρες ἡμῶν ϗ λίθον, ὅ φασι, τὸν ἀπὸ γραμμῆς κινοῦσι πρὸς δάκρυον. *Matres autem nostræ & lapidem, quod dicunt, illum ab linea movent ad lacrimam.* Laterculus, in quo ludebatur, Πόλις, *Urbs*, dictus. Allusisse videtur Plato *De Rep.* lib. IV. Εκάστη γὰρ αὐτῶν πόλεις εἰσὶ πάμπολλαι, ἀλλ' οὐ πόλις, τὸ τῶν παιζόντων. *In unaquaque enim illorum urbes sunt permultæ, sed non urbs, id quod ludentes solent dicere.* Unde Πόλει παίζειν, *Urbe ludere*, dixit Cratinus Δραπέτισι. Zenobius, *Cent.* v. *Proverb.* LXVII. Πολει παίζειν. (ita rescribo, non Πόλεις, ut editur; neque Πόλεια, ut in Vaticano esse monet Schottus.) Μέμνηται ταύτης Κρατῖνος ἐν Δραπέτισι. ἡ δὲ πόλις, εἶδος ἐστὶ παιδιᾶς πεττευτικῆς. ϗ δοκεῖ μετενηνέχθαι ἀπὸ τῶν τῶν ψήφοις παιζόντων, τῶν λεγομέναις νῦν μὲν χώραις· τότε δὲ, πόλεσιν. *Urbe ludere. Meminit hujus Cratinus in Fugitivis. Urbs autem, species est lusus calculatorii. Et videtur traductus ab illis qui lapillis ludunt, dictis nunc quidem locis: tunc vero urbibus.* Sed neque recte Πόλιν, *Urbem*, ludum facit, neque lineas Πόλεις, *Urbes*, dictas esse tradit; quem errorem etiam Hesychius errat. apud quem tamen recte legitur, Πόλει παίζειν, *Urbe ludere*. Cum ante hos viginti sex annos, pene puer, Spicilegium in Theocritum instituerem, aliter volui; sed erravi, ut in illa ætate non semel. De diverso eorum colore, quo distincti, Lucanus, si is est auctor, in Carmine *in Pisonem*:

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella;
Ut niveus nigros nunc, & niger alliget albos.

De ludi modo, & calculo uno discolore a duobus concoloribus circumvento, versus iste Martialis, *lib.* XIV. *epigr.* XV.

Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Ovidius *De Arte Amand.* lib. II.

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Et *lib.* III.

Cautaque non stulte latronum prœlia ludat,
Unus cum gemino calculus hoste perit.

Eleganter itaque *Insidiosos latrones* Martialis calculos dixit, *libro citato, epigr.* XVIII.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis, erit.

Erat itaque plane idem cum eo, quem posteriores Græci Ζατρίκιον appellarunt; de quo supra a me dictum. Inventum autem ludum istum quidam a Palamede volunt. Philostratus in *Heroicis*, ubi de eo heroe agit. Οντων δὲ τῶν Αχαιῶν ἐν Αὐλίδι, πεττοὺς εὗρεν· οὐ ῥᾴθυμον παιδιὰν, ἀλλ' ἀγχίνουν, ϗ εἴσω σπουδῆς. *Achivis autem in Aulide morantibus, calculos invenit: non otiosum lusum, sed ingeniosum, & intra serium studium. Etymologici* Auctor. Εὗρε δὲ αὐτὴν (τὴν πεττείαν) Παλαμήδης. *Invenit autem eum (calculorum lusum) Palamedes.* Et apud Ilienses lapis ostendebatur, in quo Græci ludere soliti. Eustathius *ad Iliad.* β'. Καὶ Παλαμήδους ἐπινοησαμένου κυβείαν ϗ πεττείαν [illegible] παραμύθιον λιμοῦ, κατασχόντος τὴν στρατιὰν, λίθος ἐκεῖ ἐδείκνυτο, καθὰ Πολέμων ἱστορεῖ, ἐφ' οὗ ἐπέσσευον. *Et quum Palamedes excogitavisset tesserarum lusum & calculorum in Ilio, ad solatium famis, quæ invaserat exercitum, lapis illic monstrabatur, ut Polemon scribit, in quo calculis ludebant.* Deinde afferuntur ab eo isti versus e Sophoclis *Palamede*,

Οὐ λιμὸν οὗτος τόνδ' ἀπῶσε, σὺν θεῷ
Εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας
Εφεῦρε, φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις,
Πέσσους, κύβους τε, τερπνὸν ἀργίας ἄκος.
Non famem hic istam repulit, cum deo
Dixerim, & temporis moras doctissimas
Invenit, murmurantis fluvii post abrupta sedentibus,
Calculos, tesserasque, jucundum otii remedium.

Apud Argivos etiam Palamedis calculus erat. Idem Eustathius, *loco citato*. Εμαρτύρουν δὲ ϗ Αργεῖοι, παρ' οἷς ἦν, φασὶν, ὁ λεγόμενος Παλαμήδους πεσσός. *Testabantur autem etiam Argivi, apud quos erat, dicunt, dictus Palamedis calculus.* Utrumque, & de lapide apud Ilienses, & de Palamedis calculo, iterum tradit *ad Od.* α. Λέγει δὲ ϗ ἐν μὲν Ιλίῳ δείκνυσθαι λίθον, ἐφ' οὗ ἐπέσσευον οἱ Αχαιοί· ἐν δὲ Αργει, τὸν λεγόμενον Παλαμήδους πεσσόν. *Dicit autem etiam in Ilio quidem monstrari lapidem, in quo luserunt calculis Achivi: in Argis autem dictum Palamedis calculum.* Plato in *Phædro*, Theuth Ægyptium invenisse commemorat. Ηκουσα τοίνυν, περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου γενέσθαι τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινὰ θεῶν, οὗ ϗ τὸ ὄρνεον τὸ ἱερὸν, ὃ δὴ καλοῦσιν Ιβιν· αὐτῷ δὲ ὄνομα τῷ δαίμονι εἶναι Θεῦθ. τοῦτον δὲ, πρῶτον ἀριθμόν τε ϗ λογισμὸν εὑρεῖν, ϗ γεωμετρίαν, ϗ ἀστρονομίαν,

ἔτι δὲ πεττείας τε ϗ κυβείας. *Audivi igitur, circa Naucratim Ægypti fuisse illic quendam antiquorum deorum, cui & avis sacra, quam vocant Ibin: ipsi autem nomen dæmoni esse Theuth. Hunc autem, primum & numerum & computationem invenisse, & geometriam, & astronomiam, adhuc autem calculorum & talorum lusus.* Sed diversam hanc πεττείαν, *calculorum lusum*, fuisse, & eam quæ τοῦ πεττευτηρίου, *laterculi astronomici*, dicebatur, tradunt veteres Platonis in locum istum Interpretes. Non exstant quidem illi ipsi; sed eorum explicationem repræsentat nobis Eustathius, *ad Od. α.* Πλάτων τὴν τῶν πεσσῶν εὕρεσιν Αἰγυπτίοις ἀνατίθησιν ἐν Φαίδρῳ. ϗ οἱ τοῦ Πλάτωνος ὑπομνηματισαὶ, οὐ τὴν παρ' Ἕλλησι πεττείαν σημανθῆναι φασὶν ὑπὸ Πλάτωνος, ἀλλὰ τὴν τοῦ λεγομένου πεττευτηρίου· καταγράφεσθαι γάρ τι πλινθίον, ὥσπερ ἐν τῇ πεττευτικῇ παιδιᾷ, δι' οὗ τὰ κινήματα τοῦ ἡλίου, ϗ τῆς σελήνης, ἔτι δὲ ϗ τὰ ἐλλειπτικὰ, πραγματεύονται οἱ Αἰγύπτιοι. *Plato calculorum inventionem Ægyptiis reponit in Phædro. Et Platonis interpretes non illum apud Græcos calculorum lusum significari dicunt ab Platone, sed alterum dicti laterculi astronomici; describi enim quendam laterculum, sicut in calculorum lusu, per quem motus solis & lunæ, adhuc autem & elliptica, efficiunt Ægyptii.* Idem brevius dicit *ad Il. ad. β'.* Τὴν αὐτῶν (τῶν πεσσῶν) εὕρεσιν, Αἰγυπτίοις ἀνατιθέασιν ἕτεροι· ϗ οὐ παικτικὴ, ἀλλὰ φιλόσοφος, ἡ Αἰγυπτιακὴ πεττεία λέγεται. *Hanc istorum (calculorum) inventionem Ægyptiis reponunt alii: & non ludibundus, sed philosophicus Ægyptiacus calculorum lusus dicitur.* Et hæc ipsa est illa πεττεία, *calculorum lusus*, de qua Suidas; quam tamen cum ista altera non recte confundit, dum inventionem ejus Palamedi adscribit, istis verbis. Τάβλα. ὄνομα παιδιᾶς. ταύτην ἐφεῦρε Παλαμήδης, εἰς συναγωγὴν τοῦ Ἑλληνικοῦ στρατοῦ, σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. τάβλα γάρ ἐστιν, ὁ γήϊνος κόσμος. δώδεκα δὲ κάσοι*, ὁ ζωδιακὸς ἀριθμός· τὸ δὲ ψηφοβόλον, ϗ τὰ ἐν αὐτῷ ἑπτὰ κοκκία, τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν· ὁ δὲ πύργος, τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ ἐξ οὗ ἀνταποδίδοται πᾶσι πολλὰ, ϗ καλὰ ϗ κακά. *Tabla. nomen lusus; hunc invenit Palamedes, ad congregationem Græci exercitus, cum sapientia multa. Tabla enim est, terrenus mundus: duodecim autem casus, Zodiacus numerus: alveus autem lusorius, & in eo septem grana, septem sidera planetarum: turris autem, altitudo cœli: ex qua attribuuntur omnibus multa, & bona, & mala.* Eodem modo Cedrenus. Οὗτός ἐστι Παλαμήδης, ὁ ϗ τὴν ταῦλαν ἐφευρὼν πρὸς μετεωρισμὸν τοῦ στρατοῦ, ϗ τὴν ἐν αὐτῇ σύνθεσιν σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ κατασκευάσας. ὥρισε γὰρ εἶναι τὴν ταῦλαν, τὸν γήϊνον κόσμον· τοὺς δὲ δώδεκα κάσους, τὸν ζωδιακὸν ἀριθμόν· Τὸ δὲ ψηφόβολον, ϗ τὰ ἐν αὐτῷ κοκκία, τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν· τὸν δὲ πύργον, τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ, ἐξ οὗ ἀνταποδίδοται πᾶσι καλὰ, ἢ κακά. *Hic est Palamedes, qui & taulan invenit ad elevationem exercitus, & quæ in illa est compositio, cum sapientia multa constituit. Determinavit enim esse taulan, terrenum mundum: duodecim autem casus, zodiacum numerum: alveum autem lusorium, & quæ in ea grana, septem sidera planetarum: turrim autem, altitudinem cœli, ex qua adsignantur omnibus bona, aut mala.* Isaacius quoque Porphyrogeneta, in *Paralipomenis* Homeri. Ὁ δὲ (Παλαμήδης) πρῶτος τὸ ταυλίζειν ἐξεύρηται. ἐκ γοῦν τῆς κινήσεως τῶν ἐν οὐρανῷ ἑπτὰ πλανητῶν, τῶν κατὰ μοιρικὴν τύχην, ὥς φασιν, ἐπαγόντων χαρὰς τοῖς ἀνθρώποις, ϗ λύπας, ὡρίσατο τὴν ταῦλαν, ἤτοι τὸν πίνακα τοῦ παιγνίου, τὸν γήϊνον κόσμον· τοὺς δὲ δώδεκα κάσους, ἤτοι τὰ χαρακώματα τούτου, τὸν ζωδιακὸν ἀριθμόν. *Primus autem (Palamedes) tablizare invenit. Ex motu igitur in cœlo septem planetarum, qui secundum particularem fortunam, ut dicunt, afferunt gaudia hominibus & dolores, definivit taulan, sive tabulam lusus, terrenum mundum: duodecim autem casus, sive castra hujus, zodiacum numerum.* Ut autem hi tres posteriores Scriptores τὴν πεττείαν Græcorum, & Ægyptiorum, inter se confundunt; ita Hesychius τὴν πεττείαν, & τὴν κυβείαν, *calculorum & tesserarum lusum*, aliquot Glossis. Ecce. Πεσσοῖς. πεττοῖς. βολίοις. κύβοις. *Calculis. calculis. jaculis. tesseris.* Iterum. Πεττεία. ἡ διὰ κύβων παιδιά. *Calculorum lusus, per tesseras lusus.* Et mox. Πεττείαις. κύβοις. τάβλαις. *Calculorum lusibus. tesseris. tablis.* Deinde, Πεττεύουσι. κυβεύουσι. *Calculis ludunt. tesseris ludunt.* Alibi tamen satis clare distinguit, cum inquit. Διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας. ἐν ᾗ μὲν γὰρ, τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσιν. ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ, αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. *Differt calculorum lusus ab lusu tesserarum; in hoc quidem enim, tesseras sursum jaciunt: in calculorum autem lusu, id solum lapillos commovent.*

* *Sed hanc vocem κάσοι in editione sua non habet Portus. Sed mire excitata illa συναγωγὴ, quum in Suida sit διαγωγή.*

ΠΛΑΤΥΓΙΖΕΙΝ.

Scholiastes Aristophanis *Equitibus*. Πλατυγίζειν, κυρίως τὸ ἐπιτιθέναι πλαταγώνιον τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ, ϗ παίειν τῇ δεξιᾷ, ϗ ἦχον ἀποτελεῖν. *Platugizare, proprie imponere papaveris folium sinistræ manui, & verberare dextra, & sonitum efficere.* Folium papaveris, aut anemones, πλαταγώνιον dictum, & τηλέφιλον, prioribus duobus digitis manus sinistræ imponentes, dextra illud feriebant; &, si sonum edidisset, cum rumperetur, amari sese ab amasiis arbitrabantur: sin autem, contra. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ πλαταγώνιον οἱ ἐρῶντες, ἢ ἐρῶσαι, ἔπαιζον. ϗ τὰ τοῦ τηλεφίλου καλουμένου φύλλα ἐπὶ τοὺς πρώτους δύο τῆς λαιᾶς δακτύλους, εἰς κύκλον ἐμβληθέντας, ἐπιθέντες, τῷ κοίλῳ τῆς ἑτέρας χειρὸς ἐπικρούσαντες, εἰ κτύπον ποιήσειεν εὔκροτον, μεμνῆσθαι τοὺς ἐρωμένους αὐτῶν ὑπελάμβανον. *Platagonium autem amantes, vel amatæ, ludebant. A papaveris dicti folia primis duobus sinistræ digitis, in circulum contectis, imponentes, cavo alterius manus percutientes, si sonum clarum ederet, eorum meminisse amatos putabant.* Meminit Theocritus, *Id.* III.

Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτιμαξάμενον πλατάγησεν.
Nec telephilum percussum sonuit.

Ubi Scholiastes. Ἀναλαμβάνεται παρὰ τῶν ἐρώντων τὸ τηλέφιλον· ϗ πληττόμενον, εἰ ψόφον ἀπετέλει, ἐδίδου αὐτοῖς σημειοῦσθαι, ὅτι ἀντερῶνται ὑπὸ τῶν ἐρωμένων· εἰ δ' οὐκ ἀπετέλει, ὅτι μισοῦνται. *Recipitur ab amatoribus telephilum: & percussum, si sonum efficiat, dabat illis notandum reclamari ab amatis: si autem non efficiat, odio haberi.* Et inde nempe Τηλέφιλον appellatum, quasi Δηλέφιλον. Idem. Εἴρηται δὲ τηλέφιλον, οἱονεὶ δηλέφιλόν τι ὂν, τὸ δηλοῦν τὸν φίλον. *Dicitur autem telephilon, quasi delephilon esset quoddam, quod notaret amicum.* Explicat ludum istum amantium etiam Suidas. Πλαταγώνιον. τὸ τῆς μήκωνος φύλλον, ϗ τὸ τῆς ἀνεμώνης. ἀπὸ τοῦ πλατάσσειν, ἤγουν ἠχεῖν. ἐσημειοῦντο δὲ ἀπ' αὐτοῦ τὴν τῶν ἐρωμένων στοργὴν, τιθέντες ἐπί τε τοῦ ἀντίχειρος ϗ τοῦ λιχανοῦ, ϗ ἀντικόπτοντες. ϗ εἰ ἤχησεν, ἐστέργοντο. εἰ δὲ μὴ, τὸ ἀνάπαλιν. *Platagonium, papaveris folium, & anemones; ab verbo platassein, quod notat sonare. conjectabant autem per illud amorem eorum quos amabant: ponentes tum in pollice, tum & indice, & contra ferientes. Et si sonuit, vicissim amabantur; si autem non, contrarium.* Neque in sinistra tantum manu istud faciebant, sed & humero, cubitove.

Scholiastes Theocriti *loco citato*. Οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τὰς χεῖρας τὸ τηλέφιλον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἐσθ' ὅτε καὶ ἐπὶ τὸν πῆχυν, ἐπεπειρῶντο τοῦ ψήφου. *Non solum autem manibus telephilum, sed etiam humero imponentes, quandoque etiam cubito, experiebantur calculum.* Ac de cubito, est istuc animadvertere apud Theocritum.

Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχει ἐξεμαράνθη.
Sed frustra tenero in cubito exaruit.

Alii colorem observabant; & amari se putabant, si rubrum esse conspexissent; contra, si exaruisset. Habes in *Scholiis ad Theocritum*. Τινὲς τῶν ἐρωτικῶν τὸ τηλέφιλον ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἢ τὸν καρπὸν, ἐπικρούουσι· καὶ ἐὰν μὲν ἐρυθρὸν γένηται, καλοῦντες αὐτὸ ῥόδιον, νομίζουσιν ἀγαπᾶσθαι. τοῦ χρώματος δὲ ἐμπρησθέντος, ἢ ἑλκωθέντος, μισεῖσθαι. *Quidam amatorum telephilum humero imponentes, aut fructum, percutiunt: & siquidem rubrum fiat, vocantes id roseum, putant se diligi: Sed si color comburatur aut exulceretur, odio haberi.* Huc pertinet, quod in *citato* statim Theocriti *versu*,

——ποτὶ πάχει ἐξεμαράνθη.
——*in cubito exaruit.*

Hesychius, seorsim ab omnibus. παίγνιον ξύλινον, *ludicrum ligneum*, esse dicit. Ἐπλαταγήσεν. ἐψόφησεν. ἔνθεν τὸ πλαταγώνιον, παίγνιον ξύλινον, ᾧ ψοφοῦσιν. *Eplatagesen, id est, strepitum edidit. Inde platagonium, ludicrum ligneum, quo strepunt.* Ut papaveris autem folium, aut anemones, in amoribus adhibebant, ita & lilium; quod intrinsecus inflantes, ita ut spiritu repleretur, mox ad frontem allidentes disrumpebant; & ex sono, an redamarentur, judicabant. Pollux, *loco citato*. Καὶ μὴν καὶ τὸ κρῖνον, διπλοῦν ὂν, καὶ διάκενον, ἔνδοθεν ἐμφυσήσαντες, ὡς ὑποπλῆσαι πνεύματος, πρὸς τὰ μέτωπα ῥηγνύντες, ἐσημαίνοντο τὰ παραπλήσια τῷ κτύπῳ. *Insuper & lilium, duplex existens & vacuum, interius instantes, ut impleatur vento, in frontibus rumpentes, sono huic similia conjectabant.* Quin & nucleos pomorum, adhuc madidos, lubricosque, summis primis digitis comprimebant; qui si in altum exiliissent, faustum itidem in amore signum erat. Idem Pollux, *ibidem*. Ἔτι τοίνυν τὸ σπέρμα τῶν μήλων, ὅπερ ἔγκειται τοῖς μήλοις ἔνδοθεν, ἄκροις τοῖς πρώτοις τῆς δεξιᾶς δύο δακτύλοις συμπιέζοντες, ἔτι διάβροχον καὶ ὀλισθηρὸν ὂν, εἰ πρὸς ὕψος πηδήσειεν, ἐσημαίνοντο τούτῳ τὴν εὔνοιαν τὴν παρὰ τῶν παιδικῶν. *Præterea etiam semen malorum, quod inest malis interius, summis primis dextræ duobus digitis comprimentes, adhuc humidum & lubricum existens, si in altitudinem saliat, notabant hinc benevolentiam apud amicas.*

ΠΛΕΙΣΤΟΒΟΛΙΝΔΑ.

Inter aleæ lusus erat. Pollux *l.* VII. *c.* XXXIII. *sect.* X. Κυβείας δὲ εἴδη καὶ ἡ πλειστοβολίνδα παιδιὰ, καὶ τὸ ἀρτιάζειν. *Tesserarum autem lusus species etiam pleistobolinda lusus, & par ludere.* Hesychius τὸ πλειστοβολεῖν ascribit talis. Πλειστοβολεῖν. παίζειν ἀστραγάλοις. *Pleistobolein. ludere talis.* Ita enim ibi scribendum, non πλειστοβάλειν, censeo. Sed in aleæ pariter, ac talorum lusu, dicebatur; cum nimirum inter se contenderent, quis plura numero puncta jaceret. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ πλειστοβολίνδα, οὐ μόνον ἡ διὰ τῶν κύβων, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ἀστραγάλων, ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀριθμὸν βαλεῖν. *Pleistobolinda autem, non solum per tesseras, sed etiam per talos, de majori numero jaciendo.* De punctorum plurium jactu, est alter quoque Pollucis locus, ineunte illo capite, quod citavi. Τῷ τρυπήματι δὲ τούτῳ, ὃν κύβον ἐπωνομάσθαι φαμὲν, ἀργυρίου τινὰ ἀριθμὸν ἐπιφημίσαντες καθ' ἑκάστην μονάδα διῃρημένην, δραχμὴν, ἢ στατῆρα, ἢ ὁποσονοῦν, ἔπαιζον τὴν πλειστοβολίνδαν καλουμένην παιδιάν. ὁ δὲ ὑπερβαλλόμενος τῷ πλήθει τῶν μονάδων, ἔμελλεν ἀναιρεῖσθαι τὸ ἐπιδιακείμενον ἀργύριον. *Foramini autem huic, quod tesseram cognominari dicimus, pecuniæ aliquem numerum adtribuentes secundum quamque unitatem distinctam, videlicet drachmam, aut staterem, aut quantum liberet, ludebant pleistobolindam dictum lusum. Qui autem superjecerat multitudini unitatum, sublaturus erat depositum in eo argentum.* Habes ibi totius lusus expressam rationem. Inde Τριμναῖον, apud Amipsiam in Σφενδόνῃ fabula, quia tres minas in hoc lusu deposuissent. Pollux *ibidem*. Ἐν δὲ τῇ Ἀμειψίου Σφενδόνῃ, ὅ, τε τρόπος δεδήλωται τῆς κυβείας, καὶ προείρηται τὸ τριμναῖον, ὡς μνᾶν αὐτῶν ἐπιδιατεθειμένων τῷ ἑκάστῳ κύβῳ. *In Ameipsiæ autem Sphendone, vel Funda, & modus declaratus est aleæ lusus, & antea dictum trium minarum, utpote minam ipsis deponentibus in singulas tesseras.* Sed quo modo, quæso, Τριμναῖον, si una tantum mina deposita? Omnino vitiosa lectio, & emendanda, ὡς μνῶν ἂν τριῶν ἐπιδιατεθειμένων ἑκάστῳ κύβῳ. *Velut minis tribus depositis in singulas tesseras.* Qui sic luderent, Πλειστοβόλοι nuncupabantur. Leonides in Epigrammate, quod exstat *Anthologiæ* lib. III. cap. VI.

—— ἦ ῥ' ὅτι παίκτας
Ἦσθά τις, οὐ λίην δ' ὦ 'γαθὲ, πλειστοβόλος.
—— *Erat utique quod lusor*
Eras quidam? non nimium autem, o bone, ludens pleistobolinda.

Apud Dorienses Τρηματίζειν dicebantur; ut ipsum ludere, Τρηματίζειν. Pollux, *loco citato*. Παρὰ δὲ τοῖς Δωριεῦσιν οἱ ταύτῃ τῇ παιδιᾷ χρώμενοι, τρηματικταὶ τὴν προσηγορίαν εἶχον· καὶ τρηματίζειν, τὸ πρᾶγμα. *Apud Dorienses autem hoc ludo utentes Trematictæ appellabantur: & trematizare, ipsum negotium.* Ita ibi reponendum, pro τρημανιῆται, *trematietæ*, quod vulgatur. Eodem modo apud Hesychium. Τρηματικτάς. κυβευτάς. ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς κύβοις τρημάτων. *Trematictas. tesseris lusores. ab foraminibus quæ in tesseris.* Non recte editur, τρημασικτάς. Eustath. *ad Iliad.* π'. Καθ' ἕκαστον κύβον, ἤγουν καθ' ἑκάστην μονάδα, ἔπαιζον, ἀργύριον ὁρίσαντες· καὶ οἱ τῆς παιδιᾶς ταύτης, τρηματικταὶ, ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς κύβοις τρημάτων, ἐλέγοντο. *Secundum singulas tesseras, aut secundum singulas unitates, ludebant, pecuniam definientes; & hujus lusus consortes, trematictæ, ab foraminibus in tesseris, dicebantur.* Iterum, *Odyss.* α'. Οἱ τῇ παιδιᾷ ταύτῃ χρώμενοι, ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς κύβοις τρημάτων, τρηματικταὶ ἐλέγοντο. *Hoc ludo utentes, ab foraminibus in tesseris, trematictæ dicebantur.* Utrobique illic editur, τρηματῖται, *trematitæ*. Sophron.

Δειπνήσας ὠστίζεται τοῖς τρηματιζόντεσσι.
Cœnatus traditur ab aleatoribus.

ΠΥΘΑΓΟΣ.

Plenilunio speculum sanguine inscribebant, quantum vellent; alterique, quem adstare pone jusserant, quæ scripsissent, ad lunam cuncta ostendebant: isque, cum intenderet oculos, quæ in speculo scripta erant, in luna legebat. Suidas, *in* Θετταλὴ γυνή. Ἔστι δὲ καὶ πύθαγος παίγνιον διὰ κατόπτρου τοιοῦτο. πληροσελήνου τῆς σελήνης οὔσης, εἴ τις ἔσοπτρον ἐπιγράψειεν αἵματι, ὅσα βούλεται, καὶ προειπὼν ἑτέρῳ στῆναι κατόπιν αὐτοῦ, δείκνυσι πρὸς τὴν σελήνην τὰ γράμματα. κἀκεῖνος ἀτενίσας ὁ πλησίον εἰς τὸν τῆς σελήνης κύκλον, ἀναγνοίη πάντα τὰ ἐν τῷ κατόπτρῳ γεγραμμένα. *Thessala femina. Est autem etiam Pythagus lusus per speculum talis. plenilunio lunæ existente, si quis speculum inscriberet sanguine, quæ vult, & prædicens alteri, ut stet a tergo suo, ostendit ad lunam litteras. Et ille vicinus intendens in lunæ circulum, legerit omnia*

in

in speculo scripta. In Scholiis *ad Aristophanis Nubes*, ubi hæc illis ipsis verbis leguntur, male est προσελώνη, pro πληροσελώνη. Præterea, Ἔστι δὲ καὶ Πυθαγόρου παίγνιον. *Est autem etiam Pythagoræ lusus*. Sed Pythagoræ istum lusum non commemorat Diogenes Laertius, neque Porphyrius, in *ejus Vita*; nec, quod sciam, quisquam alius.

ΠΥΡΡΙΧΗ.

Hunc quoque lusum inter cæteros exposuerat Suetonius. Servius, *ad Æneid.* v. *Ut ait Suetonius Tranquillus, lusus ipse, quem vulgo pyrrhicham appellant, Troja vocatur.* Sed de eo fuse egi in *Orchestra*. Illic vide.

ΡΑΘΑΠΥΓΙΖΕΙΝ.

Obliquo pede nates alterius feriebant. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ ῥαθαπυγίζειν, σιμῷ τῷ ποδὶ γλουτὸν παίειν. *Rathapygizare autem, pede obliquo clunes ferire*. Quæ totidem verbis Eustathius, *ad Iliad.* λ΄. Alii plano pede feriisse tradunt. Idem Eustathius, *ad Odyss.* ρ΄. Τὸ δὲ λὰξ ἔνθορεν ἰσχίῳ, ἀντὶ τοῦ, τῷ λήγοντι τοῦ ποδὸς μέρει, τῷ πρὸς τοῖς δακτύλοις, ἔκρουσε τὸ ἰσχίον πρὸς τῷ γλουτῷ, τὸ δὲ τοιοῦτον καὶ ῥαθαπυγίζειν λέγεται. ἔστι γάρ, φασι, ῥαθαπυγίζειν, τὸ πλατεῖ ποδὶ εἰς τὸ ἰσχίον ῥαπίζειν. *Calce autem insultavit coxæ; id est, finiente pedis parte, quæ est ad digitos, pulsavit coxam ad clunes. hoc autem etiam rathapygizare dicitur. Est enim, dicunt, rathapygizare, plano pede in coxam percutere.* Utrumque de plano pede, & obliquo, Hesychius tradit, sed emendandus. Ῥαθαπυγίζειν, ὃ τινες σκομβρίζειν. τὸ τῷ σκέλους πλάτει παίειν κατὰ τῶν ἰσχίων, τὸ εἰς τὸν γλουτὸν σιμῷ τῷ ποδὶ τύπτειν. *Rathapygizare; quod quidam scombrizare; cruris latitudine ferire in coxas; vel in clunes obliquo pede verberare*. Perperam editur, ῥαθαπυρίζειν, & κομβρίζειν. *Rathapyrizare & combrizare*. Ac de voce ῥαθαπυγίζειν, res est evidens; de σκομβρίζειν, nam ita quoque hic ludus dictus, ipse Hesychius alibi firmat, cum sic inquit. Σκομβρίσαι. γογγύσαι. καὶ παιδιᾶς ἀσελγοῦς εἶδος. *Scombrisavisse, murmuravisse. Et lusus petulantis species*. Nec pede tantum verberabant, sed & manu. Aristophanes in *Equitibus* ait.

—— τὰς πρεσβείας τ' ἀπελαύνεις
Ἐκ τῆς πόλεως ῥαθαπυγίζων. —
—— *& legationes expellis*
Ex urbe calce nates verberans.

Ad quem locum Scholiastes. Ῥαθαπυγίζων, τῇ πυγῇ ῥόθον ποιῶν. τουτέστι, πυγὴν τῇ χειρὶ παίων, ἢ τῷ ποδὶ τύπτων. *Rathapygizans, strepitum natibus ciens; hoc est, podicem manu pulsans, aut pede verberans*. Et alius ibidem. Λάθρα τύπτων κατὰ τῆς πυγῆς τῇ πλατείᾳ χειρὶ, καὶ πλατεῖ τῷ ποδί. *Furtim verberans in podice plana manu, aut plano pede*.

ΣΚΑΝΘΑΡΙΖΕΙΝ.

Vide Σκαρία.

ΣΚΑΠΕΡΔΑ.

Vide Ἑλκυστίνδα.

ΣΚΑΡΙΑ.

Hesychius. Σκαρία. παιδία. *Scaria. disciplina*. Sed omnino scribendum censeo. Σ. παιδιά. *S. lusus*. Nam lusus erat; quem qui luderent, Σκαρίζειν, & Σκινθαρίζειν, dicebantur. Ita autem se habebat; ut medio digito nasum ferirent. Idem Hesychius. Σκινθαρίζειν, ἔνιοι, σκαρίζειν. τὸ γὰρ τῷ μέσῳ δακτύλῳ τὸν μυκτῆρα παίειν δηλοῖ, ὡς Δίδυμος. *Scintharizare, nonnulli, scarizare. Nam medio digito nasum ferire significat, ut Didymus*. Ac de Σκινθαρίζειν porro est Eustathii quoque locus, *ad Iliad.* λ΄. Ἔστι γάρ, φασι, σκινθαρίζειν μὲν, τὸ τῷ μέσῳ δακτύλῳ παίειν μυκτῆρα τινός. *Est enim, dicunt, scintharizare quidem, medio digito ferire nasum alicujus.* Corrigendus vero Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ σκινθαρίζειν ἐστὶ, τὸ τῷ μέσῳ τῆς χειρὸς δακτύλῳ, ὑπὸ τοῦ μείζονος ἀφεθέντι, τὴν ῥῖνα παίειν. *Scintharizare autem est, medio manus digito, emisso ab majore, nasum ferire*. Hodie editur, Τὸ δὲ σκανθαρίζειν.

ΣΚΟΜΒΡΙΖΕΙΝ.

Vide Ῥαθαπυγίζειν.

ΣΤΡΕΠΤΙΝΔΑ.

Testulam, aut numisma jacens, desuper injecta alia sive testula, sive numismate, convertebant. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ στρεπτίνδα. ὄστρακον ὀστράκῳ, ἢ νόμισμα νομίσματι, τῷ βληθέντι τὸ κείμενον ἔστρεφον. *Sed streptinda; testam testa, aut nummum nummo, conjecto jacentem vertebant*.

ΣΦΑΙΡΙΖΕΙΝ.

Pila ludebant, variis modis; de quibus singulis suo loco.

ΣΧΟΙΝΟΦΙΛΙΝΔΑ.

Considebant in orbem; unusque e numero, accepto fune, clam a tergo alicujus eum deponebat: qui si id non animadvertisset, considentes circumcurrens vapulabat; quod si vero animadvertisset, eum, qui deposuisset, circumagitans verberabat. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ σχοινοφιλίνδα. κάθηται κύκλος, εἷς δὲ, σχοῖνον ἔχων, λαθὼν παρ' αὐτῷ τίθησι. κἂν μὲν ἀγνοήσῃ ἐκεῖνος, παρ' ᾧ κεῖται, περιθέων περὶ τὸν κύκλον, τύπτεται· εἰ δὲ μάθοι, περιελαύνει τὸν θέοντα τύπτων. *Sed schœnophilinda: considet circulus, unus vero, funem habens, clanculum apud eum ponit. Et siquidem is ignoraverit, apud quem positus est, circumcurrens circulum verberatur; quod si didicerit, circumagitat currentem verberans*. Sed legendum in fine censeo, περιελαύνει τὸν θέντα, τύπτων. *Circumagitat eum qui posuit, verberans*.

ΤΑΥΡΕΙΝΔΑ.

Apud Tarentinos ludebatur. Hesychius. Ταυρεΐνδα. κεφαλή. ἢ παιδεία παρὰ Ταραντίνοις. *Taurina fax. caput; aut disciplina apud Tarentinos*. Sed corruptum locum puto, & scribendum, ἢ παιδιὰ παρὰ T. *aut lusus apud T.*

ΤΡΗΜΑΤΙΖΕΙΝ.

Vide Πλειστοβολίνδα.

ΤΡΟΙΑ.

Vide *Orchestram nostram*, in Πυῤῥίχη.

ΤΡΟΠΑ.

Talos, aut glandes, in foveam quandam, in id paratam, jaciebant. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ τρόπα καλουμένη παιδιὰ, γίγνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι' ἀστραγάλων· οὓς ἀφιέντες στοχάζονται βόθρου τινὸς, εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένου. πολλάκις δὲ καὶ ἀκύλοις, καὶ βαλάνοις, ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων οἱ ῥιπτοῦντες ἐχρῶντο. *Tropa vero appellatus lusus, fit quidem utplurimum per talos; quos emittentes conantur jaculari scrobem quandam, ad suscipiendum hujusmodi lapsum directo factam. Sæpe autem & ilicis fructibus & glandibus loco talorum jacien-*

res utebantur. Meminitque etiam Hesychius, qui aliter exponit. Τρόπα. εἶδος παιδιᾶς, καθ' ἣν στρέφουσι τοὺς ἀστραγάλους εἰς τὸ ἕτερον μέρος. *Tropa; species lusus, in qua vertunt talos in aliam partem.*

ΤΡΟΧΟΣ.

Τροχὸς, qui Βέμβηξ quoque, Στρόβιλος, & Στρόμβος, Latinis *Turbo*, lusus puerilis instrumentum notissimum; quod flagello percutientes circumagitabant. Suidas. Βέμβηξ. ἐργαλεῖον, ὃ μάστιγι στρέφουσιν οἱ παῖδες. ἢ παίγνιον τῶν παίδων, ὡς τροχός· ὃς μάστιγι διωκόμενος, στρέφεται. *Bembex; instrumentum, quod flagello vertunt pueri; aut ludicrum puerorum, velut trochus; qui flagello percussus vertitur.* Quæ totidem verbis Scholiastes Aristophanis *ad Vespas*, & *Aves*. Acron *in Horatii Artem. Trochus, dicitur turben, qui flagello percutitur, & in vertiginem rotatur.* Persius, *Sat.* III.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Meminit Artemidorus, *Onirocrit.* lib. II. cap. LVII. Τροχὸν ἐλαύνειν, πόνοις περιπεσεῖν σημαίνει, ἐξ ὧν ἀπόλαυσις τῷ ἰδόντι περιέσαι. *Trochum agitare, laboribus jactari significat, unde voluptas contingit videnti.* Callimachus, *Epigramm.* I.

Οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβηκας ἔχοντες,
Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ·
Hi vero sub flagris celeres turbines habentes,
Vertebant lato pueri in trivio.

Virgilius, *Æneid.* VII.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille, actus habena,
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubisque manus, mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ. ——

Tibullus, *lib.* I. *eleg.* V.

Namque agor, ut per plena citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Alludit Aristophanes *Avibus*.

ΣΤ. Οἴμοι τάλας, μάστιγ' ἔχεις; ΠΕΙ. πτερὼ μὲν οὖν,
Οἷσί σε ποιήσω τήμερον βεμβηκιᾶν.
Ah me miserum, flagrum habes? PEI. alas quidem duas,
Quibus te faciam hodie agitari.

Et paullo ante.

Βέμβηκος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ.
Turbine nihil distare oportet.

Ubi Scholiastes. Εὔστροφον, καὶ εὐκίνητον, δεῖ εἶναι. *Versatilem & mobilem oportet esse.* Plutarchus *Lysandro*. Εἰ δ' ἀληθὴς ὁ λόγος, ἐξελέγχει κατὰ κράτος τοὺς φάσκοντας, ἔκ τινος ἀκρωρείας ἀποκοπείσης * πνεύμασι καὶ ζάλαις πέτραν, ὑπολειφθεῖσαν δ' ὥσπερ οἱ στρόβιλοι, καὶ φερομένην ᾗ πρῶτον ἐνέδωκε, καὶ διελύθη περιδινοῦσαν, ἐκριφῆναι, καὶ πεσεῖν. *Si autem vera ratio, validissime reprehendit eos, qui dicunt, ex quodam montano jugo abscisso * ventis & fluctibus saxum, relictum vero velut turbines & actum, quo primum cessit, & dissolutum est id quod circumagebat, ejectum fuisse & cecidisse.* Fiebat autem trochus ille, sive turbo, e ligno. Suidas. Βέμβηξ, ὁ ξύλινος στρόμβος. *Bembex, ligneus turbo.* Ac plerunque e buxo. Observare est in *citatis* Virgilii *verbis*.

—— *stupet inscia turba,*
Impubisque manus, mirata volubile buxum.

Item in *istis* Persii;

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Et ars quoque in lusu erat. Ecce in *citato* Tibulli *versu*.

Quem celer assueta versat ab arte puer.

* Sed interpretes Plutarchi intelligunt ac si legeretur ἀποκοπεῖσαν *defectum saxum*, & mox ὑποληφθεῖσαν *sublatum*.

Itaque est illud apud Horat. lib. III. *Car.* Od. XXIV.

—— *ludere doctior,*
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Item in *Arte Poetica*.

Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit.

Quamobrem & doctores erant, qui præcepta lusus darent. Manifestum ex Ovidio, *Trist.* II.

Ecce canit formas alius, jactusque pilarum;
Hic artem nandi præcipit, ille trochi.

Verum trochi, si quid video, duo omnino genera erant, plane ut hodie. iste, scutica agitabatur, ut jam dixi; alter, cuspidem inferius habens, loro circumvoluto ejectus, & in terra sic defixus, in cuspide circumagebatur. certamenque erat, cujus trochus, sic ejectus, diutius verteretur. Animadverto apud Platonem *De Leg.* lib. IV. Οἵ γε στρόβιλοι ὅλοι ἑστᾶσί τε ἅμα καὶ κινοῦνται, ὅταν ἐν αὐτῷ πήξαντες τὸ κέντρον περιφέρωνται. *At turbines universi & stant simul & moventur, quum in eodem figentes centrum circumaguntur.* Ecce, defixi in eodem loco circumagitabantur; quod utique non faciebant, qui scutica impellebantur, & huc illuc vagabantur. nam istos vagari, cuspis, qua defixi erant, non sinebat. Eundem trochum repræsentat nobis etiam Basilius Magnus, *in Hexaemeron*, Homilia V. Οἱ στρόβιλοι, ἐκ τῆς πρώτης αὐτοῖς ἐνδοθείσης πληγῆς, τὰς ἐφεξῆς ποιοῦνται περιστροφὰς, ὅταν, πήξαντες τὸ κέντρον, ἐν ἑαυτοῖς περιφέρωνται. *Turbines, ex prima illis inflicta plaga, deinceps efficiunt sequentes gyros & volutationes, quando, ubi fixerunt centrum, in se ipsis agitantur in circulum.* Porro tertium genus fuit, rota, sive canthus ligneus; quem cursu propellentes pueri, virga regebant; pariter atque etiam hodie apud nos usitatum. Acron, *ad citatum Horatii locum. Aut est rota, (trochus) quam currendo pueri virga regunt.* Certe hunc quoque trochum ostendit Martialis, lib. XIV. epigr. CLXVI. cui lemma, *Trochus*.

Inducenda rota est; das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Nostrates pueri trochis istiusmodi suis lamellas quadratas affigere interius solent; quæ concussæ, dum circumvolvuntur trochi, sonitum edunt. Tale quid Veteribus usitatum fuisse, clare observo; ideoque *annulum garrulum*, & *argutos trochos*, dici censeo Martiali, libro citato, epigr. CLXVII. cui idem lemma datum:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Denique trochi quoque lusum quartum invenio, saltatoribus usitatum. Ingerit Artemidorus, qui inter saltationes ponit τὸ τροχοπαικτεῖν, *lib.* II. *cap.* LXXVIII. Τροχοπαικτεῖν δὲ, ἢ μαχαίρας περιδινεῖσθαι, ἢ ἐκκυβιστᾶν, τοῖς μὲν ἔχουσιν, οὐ πονηρόν, τοῖς δὲ λοιποῖς, εἰς ἔσχατον ἐλάσαι κίνδυνον προσημαίνει. *Trochum vero ludere, aut gladios circum volutare, aut corpore in orbem agitari, illis qui ea arte instructi sunt, non malum: reliquis vero in extremum deduci periculum præsignificat.* Xenophon, *in Symposio*. Μετὰ δὲ τοῦτο κύκλος εἰσηνέχθη, περίμεστος ξιφῶν ὀρθῶν. εἰς οὖν ταῦτα ἡ ὀρχηστρὶς ἐκυβίστα τε καὶ ἐξεκυβίστα ὑπὲρ αὐτῶν, ὥστε οἱ μὲν θεώμενοι ἐφοβοῦντο μή τι πάθῃ· ἡ δὲ, θαρρούντως τε καὶ ἀσφαλῶς ταῦτα διεπράττετο. *Post hæc illatus est circulus plenissimus undiquaque gladiorum rectorum. In hos igitur saltatrix volvebatur & revolvebatur super eos, adeo ut spectatores metuerent, ne quid pateretur. Illa vero audacter & sine errore ab ista perficiebantur.* Vide *Orchestram nostram*, in Κυβίστησις. Quintum addo. Rotis acceptis aliquot numero, interdum usque ad duodecim, & fortassis etiam pluribus, saltatricula simul saltabat, & vibratas in altum ejiciebat, conjecturam industrie faciens, quam alte ejicere oporteret, ut concinne excipere

possit. Xenophon, in *Symposio* eodem. Παρεςηκώς δέ τις τῇ ὀρχηςρίδι, ἀνεδίδου τὰς τροχὰς μέχρι δώδεκα· ἡ δὲ, λαμβάνουσα ἅμα τε ὠρχεῖτο, καὶ ἀνερρίπτει δινημένους, συντεκμαιρομένη ὅσον ἔδει ῥιπτεῖν ὕψος, ὡς ἐν ῥυθμῷ δέχεσθαι αὐτούς. *Adstans autem aliquis saltatrici, dedit rotas admodum duodecim. Illa vero accipiens simul & saltabat, & rotatos jaculata fuit, simul ex conjectura colligens, in quantam altitudinem pervenire jaculando deberent, ut ordine eas reciperet.* Sextus erat; cum, illata rota aliqua, ex eo genere, quo figuli utuntur, in ea circumagitata legerent ipsi, scriberentque. Apud Xenophontem, *ibidem*. Ἐπεὶ δ' ᾖσεν, εἰσεφέρετο τῇ ὀρχηςρίδι τροχὸς τῶν κεραμεικῶν, ἐφ' οὗ ἔμελλε θαυματοποιήσειν. Ἔνθα δὲ εἶπεν ὁ Σωκράτης. καὶ μὴν τό γε ἐπὶ τοῦ τροχοῦ ἅμα περιδινουμένου γράφειν τε καὶ ἀναγινώσκειν, θαῦμα μὲν ἴσως τί ἐστιν, ἡδονὴν δὲ οὐδὲ ταῦτα δύναμαι γνῶναι τίν' ἂν παράσχοι. *Postquam vero cantavit, inferebatur saltatrici rota ex figularibus, in qua editura erat miracula. Ibi vero dixit Socrates: equidem in rota simul circumgyrante scribere & legere fortassis pro miraculo haberi convenit, voluptatem vero quamnam talia præbeant, nequeo intelligere.* Septimus denique, cum nullo quidem trocho usi, ita tamen se retrorsum lusitantes intorquebant, uti hos repræsentarent. Xenophon meminit, *ibidem*. Ὅτι δὲ ἡ παῖς, εἰς τοὔπισθεν καμπτομένη, τροχοὺς ἐμιμεῖτο, ἐκεῖνος ταῦτα εἰς τοὔμπροσθεν ἐπικύπτων, μιμεῖσθαι τροχοὺς ἐπειρᾶτο. *Quum autem puella retrorsum flexa, trochos imitabatur, ille talia in anterius pronus incumbens, imitari trochos conabatur.* Et postea. Οὐ γὰρ μὲν τό γε διαςρέφοντας τὰ σώματα, καὶ τροχοὺς μιμουμένους, ἥδιον, ἢ ἡσυχίαν ἔχοντας, τοὺς καλοὺς καὶ ὡραίους θεωρεῖν. *Verum ne quidem illud, convertentes corpora, & trochos imitantes, dulcius, quam quietem habentes, pulcros & decoros videre.*

ΤΡΥΓΟΔΙΦΗΣΙΣ.

Fæcis perscrutatio. Erat hic lusus risus concitandi causa; inde dictus, quod aliquid, in fæcis catinum demersum, reductis post tergum manibus, ore eximerent. Pollux, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ τρυγοδίφησις τοῦ γελοίου χάριν εὕρηται. δεῖ γάρ τι εἰς τρυγὸς λεκάνην καταδεδυκὸς, περιαγαγόντα ὀπίσω τὼ χεῖρε, τῷ ςόματι ἀνελέσθαι. *Fæcis perscrutatio autem ridiculi gratia inventa est. Oportet enim aliquid in fæcis lebetem demersum, circumductis post tergum manibus, ore inde tollere.*

ΦΑΙΝΙΝΔΑ, sive ΦΕΝΙΝΔΑ.

Vide Ἐφετίνδα.

ΦΙΤΤΑ ΜΑΛΙΑΔΕΣ. ΦΙΤΤΑ ΜΕΛΙΑΙ. ΦΙΤΤΑ ΡΟΙΑΙ.

Virginum lusus erant; quæ, Nymphas fausta acclamatione nominantes, sese mutuo ad festinationem exhortabantur. Corruptus valde in his nominibus Pollucis locus, *lib.* IX. *cap.* VII. Γυναικῶν δὲ μᾶλλόν ἐστιν ἡ παιδιά. ὥσπερ καὶ ἡ Φιτταμαλιάδες, καὶ οἱ Φίτταροι, Φιτταμελίαι, παρθένων ἦν παιδιά. τὰς γὰρ Νύμφας εὐφημοῦσαι θέουσι· παροξύνουσαι ἀλλήλας εἰς τάχος. *Mulierum autem potius est lusus: sicut etiam Phittamaliades, & Phittari, Phittameliæ, virginum erat lusus. Nymphis enim fauste acclamantes currunt; se invicem excitantes ad festinationem.* Scribendum censeo, καὶ ἡ Φίττα μαλιάδες, καὶ ἡ Φίττα ῥοιαί, Φίττα μελίαι. *Et Phitta Maliades, & Phitta mala Punica, Phitta fraxini.* Eustathius, *ad Odyss.* ω. Ἔτι ἐκ τῆς μηλέας, καὶ μηλίδες, αἱ κατὰ Δωριεῖς λαλίδες, Νύμφαι· αἳ καὶ τετρασυλλάβως. μαλιάδες. καθ' ὃ, Φίττα μαλιάδες. Φίττα ῥοιαί. Φίττα μελίαι. ἐν οἷς Νυμφῶν μὲν εἰσιν ὀνόματα τὰ θηλυκά. τὸ δὲ Φίττα, ἐπίρρημα, τάχους δηλωτικόν. *Adhuc ex fraxino, quæ Græcis μηλέα, etiam Melides, quæ secundum Dorienses Malides, nymphæ: quæ etiam per quatuor syllabas Maliades; secundum hoc, Phitta maliades, Phitta mala Punica, Phitta fraxinus. In quibus nympharum quidem sunt nomina fœminina: Phitta autem, adverbium, celeritatem notans.* Et alibi, *ad Iliad.* λ'. Καὶ τὸ Φίττα δηλωτικόν φασι τάχους. οἷον, Φίττα μαλιάδες· Φίττα ῥοιαί. Νυμφῶν δὲ, φασι, ταῦτα ἐπωνυμίαι. *Et vox Phitta dicunt significativum celeritatis. Quale, Phitta Maliades, Phitta mala Punica: nympharum autem, dicunt, hæc cognomina.*

ΦΡΥΓΙΝΔΑ.

Hesychius. Φρυγίνδα. παιδιᾶς εἶδος διὰ κυάμων. *Phryginda. lusus species per fabas.* Pollux pro fabis testas ponit, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ Φρυγίνδα, ὄςρακα τὰ λεῖα μεταξὺ τῶν τῆς ἀριςερᾶς χειρὸς δακτύλων διαθέντες, ἐπικρούουσι τῇ δεξιᾷ κατ' ἀριθμόν. *Phryginda autem: testas ex iis quæ leves sunt, inter manus lævæ digitos disponentes, percutiunt dextra ad numerum.*

ΧΑΛΚΗ ΜΥΙΑ.

Vide Μυῖα Χαλκῆ.

ΚΑΛΚΙΝΔΑ.

Inter τῆς κυβείας *tesserarum lusus* species ponit Hesychius, istis verbis. Χαλκίνδα. τὸ εἰς χαλκὸν κυβεύειν. *Chalcinda. in æs tessera ludere.* Idem, ut arbitror, lusus fuit, qui dicebatur.

ΧΑΛΚΙΣΜΟΣ.

Pollux, *l.* VII. *c.* XXXIII. *sect.* X. Κυβείας δὲ εἴδη, καὶ ἡ πλειςοβολίνδα παιδιά. καὶ τὸ ἀρτιάζειν, καὶ διαγραμμίζειν, καὶ διαγραμμισμός, καὶ χαλκίζειν, καὶ χαλκισμός. *Tesserarum autem lusus species, etiam pleistobolinda lusus species, etiam pleistobolinda lusus, & par ludere, & diagrammizare, & diagrammismus, & chalcizare, & chalcismus.* Ludebant nempe par impar nummis æneis. Idem, *libro* jam *citato*, cap. XXIV. Χαλκίζειν δὲ, παιδιάς τι εἶδος, ἐν ᾧ νομίσματα ἠρτίαζον. *Calcizare autem, lusus quædam species, in quo nummi faciebant paria.* Sed & alter isto nomine lusus erat; cum nimirum rectum nummum digito impositum circumagentes mox excuterent; &, prius quam humi caderet, recto digito rursum exciperent: quique id faceret, victor erat. Eustathius, *ad Iliad.* ξ'. Δόξοι δ' ἂν ἴσως καὶ ὁ χαλκισμὸς (παιδιά δέ τις αὕτη· καὶ, ὡς οἱ παλαιοί φασι, κυβείας εἶδος) ἐκ τῆς Χαλκίδος παρωνομάσθαι. οὐκ ἔχει δ' οὕτως. ἀλλ' ἦν ὁ χαλκισμός, ὀρθοῦ νομίσματος, θατέρου χαλκοῦ, ςροφὴ, καὶ σύντονος περιδίνησις. μεθ' ἣν ἔδει τὸν παίζοντα ἐπέχειν ὀρθῷ τῷ δακτύλῳ τὸ νόμισμα εἰς ὅσον τάχος πρὶν ἢ καταπεσεῖν. καὶ ὁ τοῦτο ἀνύσας, ἐκράτει τὸν χαλκισμόν, καὶ ἦν νικητής. *Videatur autem fortassis etiam chalcismus (lusus autem quidam hic: &, ut Veteres dicunt, tesserarum lusus) a Chalcide cognominatus esse. Non habet autem ita. Sed erat chalcismus, recti nummi, exempli gratia chalci conversio, & vehemens circumactio. Post quam oportebat ludentem inhibere recto digito nummum quanta potest celeritate antequam decidat. Et hoc faciens, tenebat chalcismum, & erat victor.* Iterum, *ad Odyss.* α. Ἰςέον δὲ, ὅτι ἐκ τοῦ χαλκοῦ συβευτική τις παιδιὰ ἐλέγετο χαλκισμός. ἦν δὲ, φασιν, αὕτη, ὀρθοῦ νομίσματος περιςροφὴ συντόνος. μεθ' ἣν ἔδει τὸν παίζοντα ἐπέχειν τῷ δακτύλῳ τὸ νόμισμα ὀρθόν. καὶ ἐνίκα, ὁ τοῦτο κατορθώσας. *Sciendum autem, quod ex ære tesserarum quidam lusus dicebatur chalcismus. Erat autem, dicunt, hic, recti nummi vehemens conversio: post quam oportebat lusorem inhibere digito nummum rectum, & vincebat, qui nunc erexerat.* Meminit hujus quoque χαλκισμοῦ, qui prioris, Pollux; & Phrynem meretricem eo delectatam præ cæteris scribit, *lib.* IX. *cap.* VII. Ὁ μὲν χαλκισμός. ὀρθὸν νόμισμα ἔδει συντόνως περιςρεφόμενον ἐπιςῆσαι τῷ δακτύλῳ. ᾧ τρόπῳ μάλιςα τῆς παιδιᾶς ὑπερηδέσθαι φασὶ Φρύνην τὴν ἑταίραν. *Chalcismus quidem. Rectum nummum oportebat vehementissime circumactum continere digito: quo modo potissimum lusus delectatam fuisse dicunt Phrynen meretricem.*

A

ΧΕΛΙΧΕΛΩΝΗ.

Virginum erat; quarum una in medio sedens, χελώνη *testudo* dicebatur: hanc circumcurrentes aliæ interrogabant.

Χελιχελώνη τί ποιεῖν ἐν τῷ μέσῳ;
Chelichelone quid facis in medio?

& ipsa respondebat,

Ἔρια μαρύομαι, καὶ κρόκην Μιλησίαν.
Lanas glomero, & subtemen Milesium.

Illis vero rursum interrogantibus,

Ὁ δ᾽ ἔκγονός σου τί ποιῶν ἀπώλετο;
Tuus vero nepos quid faciens periit?

B

regerebat,

Λευκὰν ἀφ᾽ ἵππων εἰς θάλασσαν ἅλατο.
Album ab equis in mare desiluit.

Pollux tradit, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ χελιχελώνη, παρθένων ἐστὶν ἡ παιδιά, παρόμοιόν τι ἔχουσα τῇ χύτρᾳ. ἡ μὲν γὰρ κάθηται, καὶ καλεῖται χελώνη. αἱ δὲ περιτρέχουσιν ἀνερωτῶσαι.

Χελιχελώνη τί ποιεῖς ἐν τῷ μέσῳ;

ἡ δὲ ἀποκρίνεται,

Ἔρια μαρύομαι, καὶ κρόκην Μιλησίαν.

εἶτ᾽ ἐκεῖναι πάλιν,

Ὁ δ᾽ ἔκγονός σου τί ποιῶν ἀπώλετο;

ἡ δὲ φησὶ,

C

Λευκὰν ἀφ᾽ ἵππων εἰς θάλασσαν ἅλατο.

Chelichelone autem virginum est lusus, simile quid ollæ habens. Nam hæc quidem sedet, & vocatur testudo: illæ autem circumcurrunt interrogantes.

Chelichelone, quid facis in medio?

hæc autem respondebat,

Lanas glomero, & subtemen Milesium.

postea hæ rursus.

Tuus autem nepos quid faciens periit?

hæc autem dicit,

Album ab equis in mare desiluit.

Commemorat eundem nobis lusum Eustathius, sed dirimit vocem, & χέλει χελώνη scribit; addens, τὸ

D

χέλει illic esse προστακτικὸν, *imperativum*. Ecce tibi verba ejus, *ad Odyss.* φ'. Εἰ δέ τις οἴεται, καὶ τὸ χέλει χελώνη τοῦ χελιδονισμοῦ ἔχεσθαι· ἴστω, ὡς ἄλλο τί ἐστι τοῦτο. καθημένη γάρ τινος ἐν μέσῳ, ἣν φασι χελώνην ἐκάλουν, περιτρέχουσαι παρθένοι, ἐπυνθάνοντο, καὶ ἀντήκουον, δι᾽ ἀμοιβαίων ἰάμβων, οὕτω.

Χέλει χελώνη τί ποιεῖς ἐν τῷ μέσῳ;
Ἔρια μαρύομαι, ἤγουν κλώθω, καὶ κρόκην Μιλησίαν.
Ὁ δ᾽ ἔκγονός σου τί ποιῶν ἀπώλετο;
Λευκαὶ ἀφ᾽ ἵππων εἰς θάλασσαν ἅλατο.

Ἔστι δὲ ἐν τούτοις τὸ χέλει προστακτικὸν δῆθεν, παρηχούμενον τῇ χελώνῃ.

E

Si autem quis putet, & etiam illud Chelei Chelone hirundinei moris esse affine; sciat, aliud quid esse illud. Sedente enim quadam in medio, quam dicunt testudinem, vocabant, circumcurrentes virgines, interrogabant, & vicissim audiebant, per jambos alternantes, ita:

Chelei Chelone, quid facis in medio?
Lanas glomero, vel neo, & filum Milesium.
Tuus autem nepos quid faciens periit?
Album ab equis in mare desiluit.

Est autem in illis vocabulum chelei imperativum scilicet, accinens sonum similem testudini.

ΧΥΤΡΙΝΔΑ.

F

Duplex lusus erat. Interdum aliquis in medio considebat, χύτρα *olla* dictus; quem alii vellebant, aut verberabant; ac quicque deprehensus esset, sedere tenebatur. Interdum etiam aliquis ollam capite gestans, quam sinistra manu teneret, circumibat; cum verberantes eum cæteri interrogent, τίς τὴν χύτραν; *quis ollam?* ad quæ ille respondere, ἐγὼ Μίδας, *ego Midas*. ac quem ille pede contigisset, is cum olla circumire cogebatur. Pollux nobis utrunque memorat, *lib.* IX. *cap.* VII. Ἡ δὲ χυτρίνδα. ὁ μὲν ἐν μέσῳ κάθηται, καὶ καλεῖται χύτρα. οἱ δὲ τίλλουσιν, ἢ περικνίζουσιν, ἢ καὶ παίουσιν αὐτὸν, περιθέοντες. ὁ δ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ περιστρεφομένου ληφθεὶς, ἀντ᾽ αὐτοῦ κάθηται. ἔσθ᾽ ὅτε ὁ μὲν, ἔχεται τῆς χύτρας κατὰ τὴν κεφαλὴν τῇ χειρὶ τῇ λαιᾷ κυκλῶν· οἱ δὲ, παίουσιν αὐτὸν, ἐπερωτῶντες, τίς τὴν χύτραν; κἀκεῖνος ἀποκρίνεται, ἐγὼ ὁ Μίδας· ᾧ δ᾽ ἂν τύχῃ τῷ ποδὶ, ἐκεῖνος ἀντ᾽ αὐτοῦ περὶ τὴν χύτραν περιέρχεται. *Chytrinda autem. Hic quidem in medio sedet, & vocatur olla. Hi autem vellunt, aut circumradunt, aut etiam pulsant ipsum, circumcurrentes. Qui autem ab illo converso captus, pro eo sedet. Quandoque hic quidem tenetur ab olla in capite manu læva gyrans: hi autem verberant ipsum, interrogantes quis ollam? & ille respondet, ego Midas. Quem vero tangit pede, ille pro hoc circum ollam ambulat.* De priore tantum Hesychius. Χυτρίνδα παιδιᾶς εἶδος τοιαύτης. καθέζεταί τις ἐν μέσῳ, εἶτα κύκλῳ περιτρέχοντες οἱ παῖδες περὶ τὸν καθεζόμενον, ποιοῦσιν αὐτὸν περιστρέφεσθαι, ἕως ἅψηταί τινος, τύπτοντες αὐτόν. εἶτα καθέζεται ὁ ληφθείς. *Chytrinda. lusus species hujusmodi. Sedet aliquis in medio, deinde in orbem circumcurrentes pueri circum sedentem, faciunt ipsum circumverti, donec tangat quendam, verberantes ipsum. Deinde sedet captus.* Et Suidas. Χυτρίνδα, παιδιά. καθέζεται γὰρ ἐν μέσῳ, οἱ δὲ, κύκλῳ περιθέοντες, παίουσιν αὐτὸν, ἕως ἂν ἐφάψηταί τινος, ὃς ἀντ᾽ αὐτοῦ κάθηται. *Chytrinda. lusus: sedet enim in medio, hi autem in orbem circumcurrentes, pulsant ipsum, donec attingat quendam, qui pro eo sedet.*

ΩΜΙΛΛΑ.

Circulum ducebant, in quem qui ita nucem jecisset, ut maneret, is vincebat. Suidas. Ὤμιλλα. παιδιά τις, ἐν ᾗ ὁ εἰς τὸν κύκλον βαλὼν κάρυον, ὥστε ἐμμεῖναι, νικᾷ. *Omilla. lusus quidam, in quo in circulum jaciens nucem, ita ut in eo maneat, vincit.* Hesychius. Ὤμιλλα, παιδιά τις, ὅταν κύκλον περιγράψαντες βάλωσιν εἰς αὐτὸν κάρυα. εἶτα ὁ ἐν τῷ κύκλῳ μένων, λαμβάνει τὸ ἔπαθλον. *Omilla. Lusus quidam, quum circulum circumscribentes jaciunt in eum nuces. Deinde in circulo manens, accipit præmium.* Eupolis, apud Suidam, *in* χρυσῷ γένει:

Ἐπεισείμεθα δὲ μείνας εἰς ὤμιλλαν.
Incutimur autem manens ad omillam.

Pollucis quoque hac de re insignis locus, sed corruptus; *lib.* IX. *cap.* VII. Κύκλου περιγραφέντος, ἀφιέντες ἀστράγαλον, ἐστοχάζοντο τοῦ μεῖναι τὸν βληθέντα ἐν τῷ κύκλῳ· ταύτην εἰς ἅμιλλαν τὴν παιδιὰν ὀνόμαζον. *Circulo circumscripto, emittentes talum, conjiciebant, ut maneret jactus in circulo: hunc in amillam vel certamen lusum vocabant.* Omnino rescribendum, εἰς ὤμιλλαν τὴν π. ὠ. *In omillam lusum v.* Et in *versu* illo Eupolidis, qui ibidem recitatur;

Τί ἐστιν; εἰς ἅμιλλαν ἀριστήσομαι.
Quid est? in certamen prandebo.

Etiam hic restituendum.

—— *εἰς ὤμιλλαν ἀριστήσομαι.*
—— *in omillam prandebo.*

F I N I S.

DANIELIS SOUTERII

FLANDRO-BRITANNI

PALAMEDES.

SIVE

DE TABULA LUSORIA, ALEA, ET VARIIS LUDIS,

LIBRI TRES.

QUORUM I. *PHILOLOGICUS*; II. *HISTORICUS*; III. *ETHICUS, SEU MORALIS.*

PERILLUSTRI DOMINO AC GENEROSISSIMO HEROI,

D. EDWARDO ZOUCHE,

S. MAURE, ET CANTALUPE;

QUINQUE IN CANTIO PORTUUM GUARDIANO, SIVE PRÆFECTO, CASTRI DOVERENSIS CONNESTABILI; ARCANI CONSILII REGII CONSILIARIO, &c.

TUM QUOQUE

GENEROSO, AMPLISSIMO, ET HONORIFICENTISSIMO VIRO,

DOMINO EDWINO SANDYS,

EQVITI AURATO, &c.

ILLUSTRISSIME HEROS, AC GENEROSE DOMINE.



AMETSI terra marique a vobis disjunctus, litteris vos compellare aggrediar, nihil tamen insolentis, importuni, præposteri conari me, aut extra oleas transgredi, ut dicitur, ultrave septa transilire quispiam judicare poterit; si vel qui sim, & quo animo fecerim, prius exploratum habuerit. Sum natione Anglus, ex Flandricis parentibus oriundus: natus in OPPIDO DOVERENSI, quod est in tractu CANTII, portus opportunitate celebratissimum. Durus essem profecto, si paterni soli dulcissimi charitatem memoriæ excidere paterer; si ejus utilitati, vel etiam gloriæ (si qua potero) incumbere negligerem. Desidiæ arguar, an ingratitudinis? si conatu meo Rempublicam illam destituerem. Cum enim (ut loquitur Cicero) patriæ tanta vis sit, ac tanta natura, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, ædificatam Sapientissimus vir immortalitati antepofuerit: mirum non erit, si me teneat CANTII soli florentissimi & amœnissimi ingens desiderium; utpote in quo DOVERNUM, infantiæ meæ altrix, sese offert: Etenim, ut ait Euripides, πᾶν σύντροφον γλυκύ; *omne id cui innutriti sumus, dulce est*. Et quid dulcius CANTIO, sua gratissimi cœli serenitate? Quid gleba fertilius? Cujus gaudio animum non perfunderent pinguia frugiferaque arva? Quem non exhilararent ibidem montes amœnissimi, in iisque omne pecus,

Quod montium anfractus pererrat,
Quod nemorum tegitur latebris?

Ibi, rerum omnium tam ad necessitatem satietas, quam ad voluptatem exuberantia. Ibi

Tum liquidi fontes, imis de collibus augent
Flumina per virides undas volventia campos,
Unde sitim sedent pecudes; quæ pinguia tondent
Pascua, quique feris onager saxa invia silvis
Incolit. Hic levibus quæ tranant aera pennis;
Per virides passim ramos sua tecta volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca sola querelis.

Adeo ut qui tantarum divitiarum possessor, tantæ divinæ bonitatis particeps factus est, nunquam satis Deum suum collaudare in omni sua vita potest.

Ad quam CANTII felicitatem & beatitudinem accedit (testante famigeratissimo illo Gulielmo Camdeno) *incolarum elegantes, facillimi, ac compositissimi mores, ingeniorumque vis incredibilis: CANTII enim gens sive rustica, sive urbana, plusquam cæteri Angli antiquæ nobilitatis conscientiam spirat, & ad honorificentiam, & hospitium cujuslibet pronior, &c.* Inter quos, *Illustrissime Heros, & Generose Domine*, quemadmodum vos præ cæteris in sede dignitatis & honoris amplissimi eminetis, ita & vos maximis virtutibus prælucere aliis, quis inficias ire potest? Annon, *Illustrissime Heros*, in maximis rebus Regni Britannici gerendis, virtutem & fidem tuam exploratam REX

MAXIMUS habet? Annon & suæ Majestatis Regiæ observantissimum clientem? Annon & ad gubernaculum Reipublicæ sagacem ac indefessum curatorem? Abunde hæc omnia testantur, omnes honores, omnes status, quos sua Regali munificentia Rex in te contulit, & indies conferre non supersedit.

Deinde, nec tua, *Amplissime Domine & generose Eques*, tuis, nobisque incognita Virtus, quàm Dominus Deus, singulari quodam dono, in te contulit. In te autem singulares animi dotes, quæ vinculo prudentiæ, eruditionis, scientiæ, comitatis, & pietatis (quæ omnium est regina) arctissimo sunt colligatæ: eæque tantum apud CANTII ORDINES valuere, ut te Rerum Cantianarum advocatum & auctorem in Parlamento Regio, non sine subditorum omnium voto & applausu, esse voluerint, atque statuerint. Neque enim tanti muneris gravitas dignè a quoquam sustineri potest; nisi quem pietas, prudentia, justitia, (uno verbo) Virtus, suis omnibus numeris absoluta, commendaret.

Sed cur longior sim, *Viri Illustres & Amplissimi*, in vestris, quod scio non desideratis, recensendis laudibus & meritis? Si ea, prout res est, commemorare digne satis vellem (ut Plauti verbis loquar) *& face & viatico opus futurum esset, ad tam longæ narrationis iter*. Recordatio priorum, me satis mei officii admonet, & ad aliquod animi mei observantiæque symbolum, & studii propensissimi erga vos documentum exhibendum, exstimulat. Accipitote igitur placidis ulnis hunc nostrum PALAMEDEM, sive *Commentarium de Aleatoribus, & variis Ludis*; quem sub amplissimis titulis vestrarum dignitatum, & sub vestris honorificis nominibus emitto, & in lucem edo. Quem si amica & benevola fronte suscipiatis, erit mihi volupe, & gratissimum. Valete, *Illustrissimi Domini*, quibus libenter meas defero preces, & opto ex animo tranquillam in his terris vitam, & post illam gaudia æterna. Christus filius Dei concedat, ut ipsi vivatis, & ipsi moriamini. Harlemi, die XXV. Augusti CIↃ IↃ CXXII.

Vestr. Ampliss. Excellent.
observantissimus

DANIEL SOUTERIUS,

Ecclesiæ Harlemensis Pastor

EPISTO-

EPISTOLA NUNCUPATORIA

AD JUVENTUTEM.

CUM Homo mortalis cupidinum ſuarum affectibus miſere in tranſverſum huc illuc rapi ſe interdum patiatur, mirum non eſt, quod tantum vitiorum agmen, erga animam inſurgat. Quod ut in omnibus, ita & præcipue in Adoleſcentibus deprehenditur, in quibus adoleſcentia per juveniles calores & voluptatum malarum ardores concitata, variiſque effrænatis efferatiſque moribus æſtuoſe ſeſe jactitans, veluti fretum irrumpit ad omnia vitia, & quo pernicius, eo pernicioſius. Inter alia autem, innata & agnata vobis eſt, Adoleſcentes, peſtis illa aleatoria, cujus ardet mollis flamma medullas. Quot, quæſo, hodie inter vos maleferiati Adoleſcentes, albæque (ut ajunt) gallinæ filii, qui omiſſis bonis exercitiis, totos dies abaco & latrunculis conterunt? Neque id abſque maximo ipſorum damno, imo exitio: Etenim, quid non damnoſa mali tulit alea? Quid non taxilli? Profecto peccandi cauſſam multis hi ſæpe dederunt. Hi multis

—— quoque ſemina præbent
Nequitiæ:

Maxime, meo quidem judicio, adoleſcentibus: quorum inprimis quia lubrica eſt ætas & frænare ſeſe ac regere neſcia, ideo ad vitia his facillime eruditur. Nam alearum exercitio ipſi detenti, ab optimis liberalium arcium ſtudiis animi peregrinantur, & ad maxima peccata proruunt. Imo quot, quæſo, Viri magni, aleatorii ludi voluptate ducti, ab honeſtis exercitiis ſe divelli & ſeduci patiuntur? Ita autem plerunque evenit, ut qui ſe aleæ illecebris dediderunt, miſſos faciant honores, nec attingant Rempublicam, patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui: adeoque alea, res ipſis eſt pernicioſa, ut nihil altum, nihil magnificum ac præclarum ſuſcipere poſſint, qui ſuas omnes cogitationes in rem tam vilem, tam contemptam, tamque noxiam abjecerunt. Reſtat igitur, ut huic peſti ac animi periculoſiſſimo morbo remedium afferamus, ac medicorum more, qui correpta ſimul & corrupta morbis membra præcidunt, ita turpes & pernicioſos, diuturna conſuetudine adhærentes, mores aleatorios amputemus.

At, quid mihi videor audire? Potius eſt, inquiunt, omittere adulta & prævalida vitia, quam illud aſſequi, ut palam fiat, quibus flagitiis impares ſumus. His reſponſum volo, me quidem artem aleatoriam, prævalidam & vetuſtate adultam agnoſcere, verum non idcirco omnem medicinam omittendam, omneque remedium amittendum & immaturum exiſtimandum eſſe: plus enim hic movendo atque monendo, quam quiete aut ſilentio proficietur. Licet autem vitioſa illa cupiditas, non funditus ſtatim exſcindi, magna tamen ex parte, remediis adhibitis, labefactari poteſt. Ne deſperemus fieri poſſe, quæ facta ſunt. Poſſunt autem ſenſim vitiorum fomenta extingui, quæ momento uno extirpari nequeunt;

Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos,

Quid ni etiam Adoleſcentum ætas, ſi frænis leniter motis regatur, tandem flectetur, atque ad ſaniorem perducetur mentem, ſi in tempore cervix eorum placido ſubdatur jugo? Hanc ego ſpem de vobis, Adoleſcentes, concipiendo, aggredior in hoc libro (cui titulus PALAMEDES *) primum explicare, deinde oppugnare ludum aleatorium, ut vos cupiditatum malarum voraginibus immerſos adjuvem, ac emergere faciam, ut emerſi, ac pravis aleæ cupiditatibus (quod faxit* Deus Opt. Max. *) liberati, ad meliorem mentem & ad honeſtiora exercitia revertamini. Valete, & benevolis animis accipitote hunc noſtrum laborem, tanquam erga vos noſtri boni affectus* σημεῖον, *ac deſiderantis veſtram ſalutem* τεκμήριον.

AD BENEVOLUM LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR, recte, meo quidem judicio, ait Poeta; *amant alterna Camœnæ*: nam, ut Seneca scribit: *danda est animis remissio, ut meliores, acrioresque requieti surgant*. Ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fæcunditas; ita animorum impetus, assiduus labor frangit; vires vero recipient paulum resoluti & remissi. Quas ne animo meo, indies negotiorum Ecclesiasticorum mole gravato & presso, videar velle subtrahere, ideo remissius studii genus aggressus, me ad aleam contuli, non eam in tabulis jaciendam, verum ex hominum societate ejiciendam, nec non ex albo honestorum ludorum expungendam. Non est autem æquum, ut isto genere ludi delectetur Christianus, in quo uberrima vitiorum est copia. Fateor quidem, *aleas tractare, non videtur multis esse peccatum*, ut inquit Chrysostomus, *sed tamen infinita mala vitæ, eæ solent inferre*: adeo ut nemo mihi periculosius ludere & laborare videatur, quam is, qui aleæ studio trahitur.

Cujus studio & amori ne quis immoretur, aut immoriatur: en hic me offero fidelem Ἀλεξίκακον ad noxiam illam ac pestiferam cupiditatem, demonstratis honestioribus ludis atque exercitiis, ex animis adolescentum evellendam. Nec hoc alienum a meo, quo fungor, munere Ecclesiastico. *Missi autem jamdudum manum ad aratrum Domini*, (cum Bernardo loquor) *in Ecclesia speculator factus sum, debitorque sapientibus & insipientibus*: Prædicare igitur non tantum debeo, sed etiam reprehendere delicta publica publice, tam scripto, quam dicto, juxta illud Apostoli 1. *Timoth.* cap. v. vers. 20. *Eos, qui peccant, coram omnibus argue, ut reliqui timeant*. Natura quidem contumax est humanus animus, in contrarium atque arduum nitens, at bonis juvandus præceptis, corrigendus dehortationibus, & interventu salutarium monitorum ad frugem revocandus. siquidem nihil tam præclarum, hominique conveniens esse potest, quam erudire homines ad rectam vitæ rectæ rationem (relictis vitiis) capessendam.

Atque in his habes, *Benevole Lector*, instituti operis caussam & materiam; quam ut ordine conspicuo tractem, ac tibi tradam, distribui eam in Partes tres, quarum prima Philologica; secunda Historica; tertia Ethica, seu Moralis, quæ circa præcepta vitæ in melius mutandæ versatur. In priori Parte paulo fui prolixior quam statueram, nec alia de caussa, quam quod mihi quædam notatu dignissima & instituto nostro accommodatissima ab humanissimis & doctissimis viris erant suppeditata: quæ licet non mea, tamen operi intexere malui, quam te iis privare. Tu, *Lector Benevole*, nostris laboribus feliciter fruere, &

Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

Bonis placuisse mihi, sat est: non enim curo istum ranarum chorum, quæ bonis litteris & litteratis obstrepere gaudent, quarum magnus ubique locorum est numerus. Quibus licet non satis apertum os aut lingua prompta videtur, quæ meditata pectore evolvat, nihilque possint ad communem afferre fructum, nihilominus semper parum integre atque inconsiderate æstimant loquutum aut scriptum, quicquid alii aut scribunt, aut loquuntur. Natura pugnaces sunt, tantum ut sententiis & laboribus aliorum absque ratione contradicant; & adversus peritos, pervicaces. Verum, istis fortiter neglectis, oportet nos ea sequi, & scribere, (quod felix faustumque sit) quæ maxime sunt in rem Juventutis Christianæ. His Vale iterum atque iterum.

IN ALEAM.

ERgone lethali perdes, tu dira Voluptas,
Christicolas, tu melle tuo, tanquam altera Circe?
Alea Scylla vorax, species certissima furti,
Non contenta tui semel exhausisse profusas
Sectatoris opes, animum quoque perfida merges?
Quin etiam corpus, nimia dum torpet in umbra,
Mille reples sævis, requies vanissima, morbis:
Grande nefas, damnosa lues, scelerata libido,
Fœda, furax, infamis, iners, furiosa, ruina
Illex, & sacri contemptrix Numinis, & nex.
Hæc nimirum adfers tecum mala, tetra Voluptas.
Ne tanti ergo pio cuiquam sit ludere jacti,
Sortibus, & tali dubios adscifcere casus:
Sed valeant talique vagi, chartæque nocentes,
Quæque alia incerto dant plurima damna rotatu.
Me, Musæ, in vestro juratum adscribite cœtu
Sorti hostem, ludique tamen non nescium honesti.

MONITUM AD JUVENTUTEM.

ILliciti lusus fugiantur, & alea fallax
Ne tibi jactetur: nam mala multa parit.
Concitat hæc rixas, pugnas, perjuria, cædes,
Hæc grassatores, sacrilegosque facit.
Hinc etiam Veteres vetuerunt legibus olim
Infames fieri, quos juvat illa: liquet.
Nam nimium, turpis res est, & sordida, lusus
Hoc genus, ingenuo nec quoque digna viro.
Dæmonis instinctu sibi quod reperere maligni
Cum variis Homines in sua damna dolis.
Perpendas animo quid in hoc certamine fiat,
Quam multis noceat dira cupido lucri.
Perditur inprimis, quo nil pretiosius, ipsum
Tempus: opes pereunt: hinc venit omne nefas.
Horrendas jactant voces, convicia miscent,
Ensibus infestis in sua fata ruunt.
Vulnera per *Christi* jurant, per Numina *Patris*,
Omnes per divos, omnia perque sacra.
Quique semel barathrum fuerit delapsus in illud,
Haud ullis valeas hunc revocare modis.

IN ALEAM, ET ALEATORES,

MARTIALIS MONERII

ELEGIA.

CÆca dedit gnatam caussarum inscitia Sortem,
Cujus cæcorum mox seges orta utero est.
Extremum (ut perhibent) illi dedit Alea ventrem,
Non expectato præcoqua nata die.
Quæ mox prosiliens humentibus humida rimis
Fœcundi faceret ventris ut esse fidem,
Hanc produxit aquæ sobolem, quæ Lachryma vulgo est
Nimirum humorem quod fuit humor agens.
Mox inconsultam pueris par reddita mentem
Protulit, atque inopes consiliorum animos.
Donec jam juveni Baccho juvenarier una
Collibuit, rigido mox tumefacta Deo.
Ex quo, Mercurio in Cancrum inclinante, gemellos
Edidit, ingluvies, furtaque venter erant.
Et jam Marte superfœtans, confessa maritum,
Rixarum genuit, monstra timenda, luem.
Demum emensa pares annis muliebribus annos
Endeiæ voluit nomen habere Deæ.
Credo quod exhaustos aliena ad limina cogat,
Atque situ miseros sordidiore notat.
Quos ceu Circeis mutat Dea dira venenis,
Atque humili excelsa sistit ab arce loco.
O felix nimium priscis juglandibus ætas,
Cum foret imberbi terra novella Jove.
Alea sola fuit puerilibus orta cachinnis,
Sæpius & collo nux repetita brevi.
Tortus & in numerum plagoso verbere turbo,
Fluminis aut funda missus ad alta lapis.
Aut honor in triviis equitata paludis arundo,
Trojaque confictis ludicra velitibus.
Alea sola senum, crepitacula, cottabus, ollæ,
Phænida, par, impar, lattages, astragali.
Ipsaque non pretium. sed erat victoria risus,
Poppysmi, plausus, serta, chorea, nuces.
Hibernus donec retineret in ædibus horror,
Jungeret & talus tecta propinqua mero.
Post, crescente Jove, una & progrediente furore,
Ludicra nummorum fœdera rupit amor.
Non tamen acris adhuc talos jactura notabat,
Majorumque dabant lucra pusilla fidem.
Deventum est sensim magnis, ceu parva favilla
Quæ fuerat, summum mox rapit igne larem.
Continuo pueris licta nuce talus inhæsit;
Et senibus tali tessera facta vice est.
Inde Asini, Venus, atque Canes, & Senio dexter
Et genus hoc varii prosiliere modi.
Frangere tum patrum cœpere peculia nati,
Hinc cœpit sobolis rem lacerare parens.
Et, velut exitio deesset satis ampla facultas,
Altera in hanc venit caussa fritillus opem;
Quod minuat, nam voce patrum minuisse friare est;
Aut quia sors sævo consonet ipsa freto.
Hæc Veteres: Sed nos, quorum est vitiosior ætas,
Ut vitio, caussa vicimus & vitii.
Accessit pictæ damnosa inventio chartæ;
Posterior facti tempore, clade prior.
Credo aliquis Dæmon, mundoque inimica voluntas,
Sparserit hac orbi tristia damna via:
Aut his picturis animas exerceat Orcus,
Unde ut tormentis eliciat lachrymas.
Aut hac forte umbris flagrorum dividat ictus,
Quot patiare Typhœu, quot patiare Pelops.
Quot jam Sysiphii montis labor impleat annos,
Quotque Ixioniæ sæcla terenda rotæ.
Quamque diu Lapithum duret cervicibus horror,
Cribraque Belidibus quam diuturna fluant.
Quin, si vera placent, tabulis legit Æacus illis
Ceu Hieroglyphica crimina cuncta nota.
Non alio miseri cruciantur judice Manes,
Sontibus hic testis, formula, lex, liber est.
Nos tamen exitii proles secura jocamur,
Et tegitur ludi nomine pernicies.
Nempe unum superest, sibi quod meditata juventus
Thrax oblectandis dicitur esse animis:
In laqueum tecto pendentem immittere colla,
Stare globo, læva cultra tenere manu:
Mox, aut obtentum dextra præcidere funem,
Aut dare submoto pendula colla globo.
O extrema mali facies! jam summa tenemus:
Quid tandem adjicient sæcla futura sui?

INDEX CAPITUM

TRIBUS HIS DE ALEA LIBRIS COMPREHENSORUM.

LIBRO I.

LIBRO II.

LIBRO III.

DANIELIS SOUTERII
PALAMEDES
SIVE
DE TABULA LUSORIA, ET ALEATORIBUS.

CAP. I.

Instituti Operis ratio, & Argumentum.

SUNT *aliis scriptæ, quibus alea luditur, artes:*
Hæc est ad nostros non leve crimen avos.
Quid valeant Tali; quo possis plurima jactu
Figere, damnosos effugiasque Canes.
Tessera quot numeros habeat: distante vocato
Mittere quo deceat, quo dare missa modo.
Discolor ut recto grassetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoste perit.
Ut mage velle sequi sciat, & revocare priorem,
Nec tuto fugiens incomitatus eat.
Parva sed est ternis instructa tabella lapillis;
In qua vicisse est, continuasse suos.
Quique alii lusus (neque enim nunc persequar omnes)
Perdere rem caram tempora nostra jubent 1.

Non idem nobis est animus, sed longe diversissimus, ac juxta Musicorum proverbium, discrepans δὶς διὰ πασῶν. Etenim medicamentum diligenter applicabimus, quo fori aleatorii malum, studiumque immoderatum, e vita humana amoliri possit, & in ultimas terras tandem aliquando deferri. Interim

—— quid dexter Senio ferret,
Scire erit in voto 2.

Veterum, inquam, aleam in gratiam studiosæ juventutis, excussis doctissimorum Philologorum armariolis & libris, quatenus licet in tanta rei obscuritate, describam hic accuratius, quam unquam ante me factum a quoquam memini: ostendens inter alia,

— damnosa Canicula quantum
Raderet 3.
- Neque enim (etiam hodie: pudet, & piget me referre) *loculis comitantibus itur*
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca 4.

Si tu lapsabunde, quisquis es,
Pessimorum pessime, audax, ganeo, 5 *lustro, aleo,*
ad sanitatem reduci poteris nostra hac lucubratiuncula, erit quod serio triumphem; & jam votorum meorum summam attigi.

QUOD IGITUR FELIX FAUSTUMQUE SIT;

agam de blanda, sed damnosa, &
— vetita legibus alea 6.
Quam bene & utiliter, candidi atque eruditi lectoris esto judicium. Famæ mihi nunc hæc jacta sit alea; his subsecivis horis, Saturnaliciis vulgi feriis, &
- - libertate Decembri
Qua & mecum, Lector benevole,
(Quando ita majores voluerunt) utere 7.

Quid potius faciam? non sum qui segnia ducam
Otia: mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat in lucem nimio marcescere vino:
Nec tenet incertas alea blanda manus 1.

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur 2.

Quattuor in nucibus, non amplius, alea tota est 3.

Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces 4.

Μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην: *Insaniam potius, quam ista voluptate gaudeam* 5.

Liber, laborque hic noster præcepta salutaria instillabit: & aleatorum improbitate patefacta, a vitiis animum deterrebit, spero. Hic Operis nostri scopus:

Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus.
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum 6.

Quantum alii tribuunt intempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero 7.

CAP. II.

De Tabula Lusoria, & de vario ejus usu & denominatione apud Veteres.

NEMO, opinor, tam imperitus est, qui nesciat Tabulam lusoriam, eam a nobis hic designari, quæ Belgice vocatur, *Verkeer-bert, Tictack-bert, Schaeck-bert, Speel-bert,* &c. Martialis, ubi inquit sub lemmate TABULA LUSORIA, lib. XIV. epigr. XVII.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto;
Calculus hic gemino discolor hoste perit;

significat eandem tabulam tesseris pariter & calculis (qui diversi tamen ludi sunt, uti infra uberius demonstrabitur) inserviisse. Quare recte annotatum patrum ævo: *Erat Tabula lusoria, in qua & alea exercebatur tesseram jactando, & latrunculorum ludus* 8.

Tabula, in qua calculis luditur, *latruncularia* L. Annæo Senecæ dicitur *Epist.* CXVII. *Nemo*, inquit, *qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latruncularium perspicit, ut sciat, quomodo alligatus exeat calculus.* Sed de Latrunculorum ludo plenius planiusque infra suo loco.

Aliter Latinis *alveus lusorius* appellatur. Nam in Annalibus est, (Plin. *lib.* XXXVII. *cap.* II.) Cn. Pompejum Magnum *tertio triumpho, quem de piratis, Asia, Ponto, gentibusque & regibus,* &c. *egit, transtulisse* (Romam) *alveum lusorium cum tesseris e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor.* Vitruvius *Architect.* lib. V. in præfatione: *Uti sunt etiam tesseræ, quas in alveo ludentes jaciunt.* Lucilio, poetæ antiquissimo, diminutive *alveolus*, *Satyrar.* lib. XIV.

1 Ovidius *Trist.* lib. 2. eleg. 1. 2 Pers. *Sat.* 3. 3 Persius *ibidem.* 4 Juvenalis *Sat.* 1. 5 Al. *lurco.* Nævus, an Novius? apud Festum *de Verb. S.* 6 Horat. lib. 3. *Carm.* Od. 24. 7 Idem *lib.* 2. *Sat.* 7.

1 Ovid. *de Pont.* lib. 1. Eleg. 6. 2 Martial. *l.* 13. *ep.* 1. 3 Ovid. *de Nuce.* 4 Mart. *lib.* XIV. *epigr.* 1. 5 Philos. N. N. apud Sext. Empir. 6 Martial. *lib.* 13. *epigr.* 1. 7 Cic. *pro Archia.* 8 Raph. Volaterr. lib. 29.

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, &
Calces: delectes te hilo non rectiu' vivas.

Quo loco [1] *calces* sunt calculi. Cicero *de Finibus* lib. v. *Alveolum poscere*. A. Gellius *lib.* I. *cap.* XX. Κύβος *est figura ex omni latere quadrata: quales sunt*, inquit M. *Varro*, *tesseræ, quibus in alveolo luditur; ex quo ipsæ quoque appellatæ* κύβοι. Anonymus in Epigrammate veteri *de Tabula*:

In parte alveoli pyrgus velut urna resedit [2].

Paullus Diaconus ex Festo Pompejo, *Alveolum, tabula aleatoria.*

Abacus Aurelio Macrobio *Saturnalium* lib. I. cap. v. *Sed vultisne*, inquit, *diem sequentem, quem plerique omnes abaco & latrunculis conterunt, nos istis sobriis fabulis, mutuis ex lecto relationibus exigamus?*

Sunt [3] qui *Magidem* Paulli Jurisconsulti huc trahant. De quo ego multum addubito. Locus, quem denotari existimo, exstat in *Pandectis*, *ff. lib.* XII *tit.* VI. *de condictione indebiti*, l. 36. Ubi sic Paullus lib. v. *Epitomarum* Alfeni digestorum: *Servus cujusdam insciente domino magidem commodavit: is cui commodaverat, pignori eam posuit, & fugit: qui accepit, non aliter se redditurum ajebat, quam si pecuniam accepisset. accepit a servulo, & reddidit magidem*, &c. Sed *Magis* hoc loco si pro lance accipiatur, mea sententia, melius succedit. Sic Plinius accipit *lib.* XXXII. *cap.* XI. & Varro pro vase escario, lib. IV. *de Ling. Lat.* Videatur in *Annotationib. ad Pandectas* Budæus, & Alciatus *Parergor.* lib. VIII. cap. XVI. nec non Brissonius in *Commentar. de Verbor. Juris S.*

Constabat hæc lusoria tabula, ut plurimum, e ligno. Apud Diomedem Grammaticum *lib.* II. ecce, ænigma hujusmodi legitur: *Ut mare concretum in creta, ligneo in campo, ubi humana caro ex ossibus ludebat*. Per *mare concretum in creta*, sal denotat in salino fictili. *Ligneus campus* videri potest abacus lusorius. Sed verisimilius forte mensam significare vult, super quam esset salinum fictile, & in quam manus talos jactabat. Ita ipse Grammaticus exponit. Πύργου δουρατέου, *pyrgi lignei*, sane meminit Agathias Scholasticus in obscurissimo Epigrammate, quod inferius exhibebimus ex Græcorum *Antholog.* lib. I. tit. Εἰς παιδιάν; quo Zenonis Imperatoris tabula describitur. De buxeo fritillo, Capite sequenti.

Ex ebore fuisse alii indicant. Martialis Epigrammate præliminari ad *Xeniorum* librum:

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

Illud de gemmeo alveo, pedes tres lato, & quatuor pedes longo, quod ex ipsis Pompeii triumphorum actis memoriæ prodit Plinius, insolens est luxuque plenum. quæ causa etiam est, quare illud in commentarios suos retulerit singularis ille Naturæ mystes, & morum censor optimus maximus. *Victoria illa Pompeii*, inquit idem, *primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit*: & reliqua. quæ, suadeo, omnino legas, *lib.* XXXVII. *cap.* II. Ubi inter alia (non enim tempero mihi quin elegantissimum locum inde excerpam.) *Imago Cn. Pompeii e margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentes, illa inquam e margaritis, severitate victa, & veriore luxuriæ triumpho. Quam profecto inter illos viros durasset cognomen Magni, si prima victoria sic triumphasses? & margaritis, Magne, tam prodiga re & fœminis reperta, quam gerere te fas non sit, hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? Nonne illa similior tui est imago, quam Pyrenæi jugis imposuisti? Grave profecto fœdumque probrum erat, ni verius iræ Deorum ostentum credi*

1 Vide Festum *de verb. S.* 2 Poeta incertus MS. apud Salmasium. 3 Had. Jun. in *Nomenclatore*.

A *oporteret: clareque intelligi posset, jam tum illud caput Orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum.*

CAP. III.

De Pyrgo, sive Turricula, tabulæ apposita.

TURRICULA seu fritillus, idem quod apud Græcos πύργος dicebatur; Volater. *lib.* XXIX. inter lemmata Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XVI. sub hoc Disticho:

Quæ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

B Erat parvum turriculæ modo vasculum, quo inclusæ tesseræ sive tali, ad tollendam jactantis fraudem, jactabantur.

Horatius Græca nuncupatione Turriculam *Pyrgum* dixit, *Sat.* VII. *lib.* II.

- - - Qui pro se tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pavit. quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser.

Isidorus Hispalens. *Orig.* lib. XVIII. cap. LXI. festivum etymon more suo adfert. *Pyrgus*, inquit, *dictus quod per eum tesseræ pergant.* Sed cordatius, & proculdubio meliorem se auctorem sequutus, subjicit: *Sive quod turris speciem habeat.* Recte.

C Cæterum nimium quantum a vero dissident, qui *Pyrgum* pro ipsa tabula lusoria accipiunt, quod in ea scilicet tesseræ talive in turris sive metæ similitudinem accumulentur.

Quamquam Sidonius Apollinaris *Pyrgi* vocabulo aleam intelligat, Epist. *ad Hecdicium* III. lib. III. his verbis: *Omitto quod hic primum tibi pila, pyrgus, accipiter, canis, equus, arcus ludo fuere.* Et *Epist.* XVII. *lib.* V. *Tesseras ceperat, quatiebatque; quo velut classico ad pyrgum vocabat aleatores.*

Turriculam & pyrgum *Fritillum* alias appellari, erudite observavit Volaterranus. Confirmabo ego
D illud aliquot clarissimis exemplis; quibus reclamet, qui cum ratione insanire volet. Martialis, *lib.* IV. *epigr.* XIV.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Ubi Domitius Calderinus Interpres: *Fritillis*) Alveolis. Idem Porphyrio *ad Horatium* putat. Poeta idem Hispanus *lib.* v. *epigr. ult.*

Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,
Ædilem rogat udus aleator.

Hic idem Interpres fritillum, *phimum*, alveolum
E idem significare prodit. ut & Commentario *in lib.* XI. *epigr.* VIII. ludum aleæ accipit. Hoc loco:

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus.

Hæc vero *ad lib.* XIII. *epigr.* I. annotat: *Fritillus, alveolus, & phimus dicitur tabula, qua alea exercetur. Porphyrio* [1] *putat dici fritillum a sonitu, ut puto, quo alea movetur. Seneca in Claudio* (in *Apocolocynthosi*, sive Joco in Claudium:)

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Utraque subducto fugiebat tessera fundo.

F Hæc Domitius ad illum locum. Meminit præterea Fritilli Martialis *epigr.* I. *lib.* XIV.

Nec timet ædilem moto spectare fritillo.

Et Seneca *eodem Ludo*:

Qui concusso
Magna parastis
Lucra fritillo.

Et ibidem: *Placuit novam pœnam constitui debere*, &c. *Tum Æacus jubet illũ alea ludere pertuso fritillo:*

1 Scholiastes Horatii.

& jam cœperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere. Juvenalis *Sat.* XIV. initio:

Si damnosa senem juvet alea; ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Sidonius Apollinaris *lib.* II. *Epist.* IX. *Huc inter aleatoriarum vocum competitiones, frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur.* Vide & *Epist.* XVII. *lib.* V. Idem in Carmine *de Narbone*, sub fin.

Hic talos crepitantibus fritillis.

Ex his locis patet, tesseras in turricula, seu pyrgo, moveri solitas ab aleatoribus, atque motas crepitum edidisse, priusquam in alveolum mitterentur.

Vetus Dictionarium *Fritillum* interpretatur *molinellum, in quo piper teritur, & dicitur a frango, quod grana piperis vel alia frangit. & est perforatum ab inferiore parte, & inde piper tritum recolligitur. Ponitur etiam pro vase perforato, per quod solent projici taxilli, ne ibi fraus fiat.*

Hæc *cornea pyxis* quibusdam. Vetus Interpres Juvenalis, initio *Sat.* XIV. *Fritillus, pyxis cornea, qui phimus* (φιμὸς) *dicitur Græce. Fritinnire aves dicuntur strepere, aut sonare.* Aliud Scholium: *Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, moventesque fundebant. Aut fritillum, pyrgum dixit.* Hæc Scholiastæ veteres. Glossarium Latino-Græcum ab Henrico Stephano editum: *Fritillum*, πυξίς. vasculum e buxo videlicet. Ausonius in Commemoratione Professorum Burdegalensium, Carm. I. *de Tiberio Victore Minervio*:

Vidimus & quondam, tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant, enumerasse bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt [1] *excisi per cava buxa gradus,*
Narrantem fido per singula puncta recursu,
Quæ data, per longas quæ revocata moras.

Et Pyrgum ligneum agnoscit Agathias Scholasticus in epigrammate *de Zenonis tabula*, Anthol. *lib.* I.

Cæterum ex Ausonii loco conjecit non infeliciter magnus Turnebus *Adversf.* lib. VI. cap. III. & lib. XXII. cap. X. Pyrgum illum aleatorium gradatim excavatum fuisse exsculptumque, ut agitati concussique tali, in graduum offendentes supercilia, volutarentur, incertiorque & minus fallax jactus esset: neve aleator improbus collusorem artificio quodam compositis talis deciperet, ac nummis emungeret. Stabiliendæ ejus sententiæ faciunt Agathias in epigrammate *de tabula Zenonis*:

Πύργου δουρατέου κλίμακι κλωθομένην.

Et Sidonius *lib.* VIII. *epist.* XII. *Hic tabula calculis strata bicoloribus; hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus exspectat.* Itemque Anonymus Epigrammate *de Tabula*:

In parte alveoli pyrgus velut urna resedit,
Qui vomit internis tesserulas gradibus.

Verum idem Turnebus *Adversf.* lib. XXVII. cap. III. ψηφιβόλον fritillum interpretatur: & ait non idem esse fritillum & pyrgum. Nam fritillus fuisse videtur, inquit, vasculum longum, in quod mittebantur tesseræ, vel calculi, vel tali: pyrgus turricula, per cujus altitudinem mittebantur in alveum. Turriculam namque & Fritillum distinxit Suidas, eodem arbitro atque interprete. Idem tamen videtur, cum Martialis scribit de Turricula, *lib.* XIV. *epigr.* XVI.

Quæ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Nisi si quis dicat, fritillo missas in alveolum fuisse tesseras; per pyrgum talos. Quod in medium relinquo. Inclinat tamen animus credere; Pyrgum, sive Turriculam, & Fritillum idem fuisse: eamque turriculam fuisse cavam, gradus intus excisos habentem. Quod liquet ex Ausonio, Sidonio, & Agathia.

1 *Excussi*, P. S.

Fritillum dici a sonitu constat, quem motu aleatores exprimunt ex tesseris agitatis & concussis. Fritinnire enim aves dicuntur strepere aut sonare. Unde Togatorum doctissimus [1]:

Et pullos peperit fritinnientes.

Et Seneca in Epigrammate:

Et Marcus, dulci qui nunc sermone fritinnit.

Apte igitur Fritillus nomen sortitur a crepitu tesserarum, seu talorum.

Ad hunc Pyrgum viros aliquot insignes Satyrographi istum locum (Juvenal. *Sat.* XIV.) referre perperam video:

- - partos gladio vel pyxide nummos.

Perperam, inquam. Introspice, sodes, ipsum auctorem, & interpretandum *gladio vel pyxide*, ferro vel veneno, statim liquebit. Pyxidem venenariam dicit, non aleatoriam. Ita ut mirer hic obhæsisse & caligasse primi nominis Jurisconsultos, Cujacium & Gothofredum, *ff. ad l. De aleatoribus*. Ubi per pyxidem Juvenalis intelligunt pyrgum, sive phimum. Male. His tamen accessit nuper diligentissimus & eruditissimus Joannes Savaro, *ad Sidonii Epist.* XII. *lib.* VIII. Pyrgi, inquit, sunt turriculæ, in formam pyxidis; unde pyxides dictæ Juvenali *Sat.* XIV.

- - partos gladio vel pyxide nummos.

Ubi vetus Interpres: *Pyxide*, id est, *veneno*. Malim, inquit, cum Cujacio accipere pro pyrgo aleatorio, & fritillo. Vetus Interpres Juvenalis *Sat.* XIV. *Fritillus, pyxis cornea*, &c. Acro *in Horatii Sat.* VII. *lib.* II. *Pyrgus, pyxis sine fundo*. idcirco gradilis: quod Sidonius significat. Hi pyrgi, sive pyxides, sine fundo erant, ut per posticum sive foramen tesseræ in pyxidem jacerentur, & per eburneos vel corneos gradus devolverentur in alveolum.

Pyrgi vocem Latino cœlo supra astruximus, Venusini poetæ [2] auctoritate subnixi. Nam lippitudo Sidonianæ Latinitatis tanti apud me non fit, ut inter classicos eum scriptorem censeam. Sed Cruquius ex manuscriptis exemplaribus edidit, *Mitteret in phimum talos*. Elige, utrum malis. Utraque vox Græca est. Nobis arridet vehementer recepta antiquitus lectio, *Mitteret in pyrgum talos*.

Orca quinetiam appellata hæc machinula, ad præcavendos aleatorum dolos comparata. Persius *Sat.* III.

Jure etenim id summum; quid dexter Senio ferret,
Scire erat in voto: damnosa Canicula quantum
Raderet, angustæ collo non fallier orcæ.

Nam ridiculi sunt [3], qui vas fictile somniant, in quod inter ludentes pueros qui nucem injecisset, victor erat. Bernardus Autumnus huc respicit *ad Juvenalis Sat.* XIV. Nam adducto Martialis illo,

Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

statim subjicit: *Pueri vas in terram figebant, & in illud nuces jaciebant.* Nugæ. Nusquam hoc lectum, equidem quod recordor. Et si sit; non hoc vult Persius. Pyrgum dicit lata alvo, angusto ore atque collo longiore, in quem tali tesseræve conjicerentur. Hic instar orcæ, sive urnæ, fuit. Vetus Epigramma de *Tabula*:

In parte alveoli pyrgus, velut urna, resedit.

Pomponius Bononiensis, antiquissimus Comicus, orcæ etiam meminit; hoc fragmento [4]:

Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi.

Taxillus diminutivum a *talo*.

Isaacius Porphyrogennitus, in *Characteribus Trojanorum & Græcorum*, pyrgum illum suo ævo appellatum notat μόδιον. Infra locum adscribemus. Jam enim plus satis de Turricula. Pergamus.

1 Terentius Varro, apud Nonium. 2 Horat. *lib.* II. *Sat.* VII. 3 Barthol. Fontius, & alii. 4 Extat apud Priscian. *lib.* III.

CAP. IV.

Ludus Latrunculorum. Tabula latruncularia. Calculi milites, & hostes. Ii vitrei, gemmei, & in duas partes divisi, discolores. Insidiæ. Scacchia. *Etymologia ejus nominis varie inquisita.*

CUM ex Martiale discamus in eadem tabula apud Veteres tesseris talisve lusum pariter, atque latrunculis; unde & ea Tabula *latruncularia* dicta Senecæ: opportune hic eum ludum describemus. Sic enim poeta Bilbilitanus, sub lemmate TABULA LUSORIA, *lib.* XIV, *epigr.* XVII.

Hic tibi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Ubi recte Domitius Calderinus interpres annotat *Eadem tabula & tesseris & calculis serviebat. In calculis autem, ut infra dicitur, alii dicebantur milites alii hostes.* Et mox *ad Distichon* XX. cui CALCUL. lemma imposuit: [1]

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Calculi item latrones dicebantur, inquit; qui vitrei erant, in partes divisi. Ovidius, lib. II. *de Arte Amand.*

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Martialis *lib.* VII. *epigr.* LXXI.

Sic vincas Noviumque, Publiumque,
Mandris, & vitreo latrone clusos.

Auctor ad Calpurnium Pisonem, in loco mox citando. Gemmeos Martialis vocat supra; & idem *lib.* XII. *epigr.* XL.

—— *gemma vis ludere: vincor.*

Vitrum intelligit, aut certe lapidem pellucidum.

1 Hi in duas divisi turmas erant, colore diversi. & lusus erat, ut turmis instructis velut qui congredi acie parant, hinc inde sub hostium imagine procederent; at præscripto fine, quoad quisque progredi debeat. Ita cavere oportebat, ut dum hostem quisque invadere nititur, alterius non pateat incursibus. Ovid. *lib.* III. *de Arte Am.*

Cautaque non stulte latronum prælia ludat,
Unus cum gemino discolor hoste perit.
Bellatorque suo prensus sine compare bellet
Æmulus, & cœptum sæpe recurrat opus.

Idem lib. II. *Tristium,* prolixa illa atque unica Elegia *ad Cæsarem Augustum:*

Discolor ut recto grassetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoste perit:
Ut mage velle sequi, sciat, & revocare priorem:
Nec tuto fugiens incomitatus eat.

Nondum satis mihi perspectum est, an latruncularium hunc ludum respiciat Anonymus in veteri Epigrammate:

Indica materies blandum certamen amicis
Offert, sed belli fert simulachra tamen.
Namque acie æquali concurrit russeus albo,
Ut gravibus damnis se domet alteruter, &c.

Nam verisimile est tesserarum ludum designari. Vide infra, ubi totum Epigramma exhibemus.

3 *Calculus* vero is est, qui etiam *latro*, sive per diminutionem *latrunculus* appellatur, vulgo *Scachum* dicimus. *Sub imagine latrocinii*] sub forma rapiendi & occidendi militis tui. Nam qui ludunt calculis, insidiantur colluseribus. Et is ludus est quasi pugnæ cujusdam simulachrum.

4 Ludus latrunculorum, qui nunc ludus *Scachorum*, fortasse a fugando (si liceat a nostra lingua [Germanica] etymologiam sumere) dicitur.

Scacos a *scandendo* dictos nonnulli putant, quod calculi cum moventur, in alteram adversariam partem scandere videantur. Polyd. Virgil. *l.* II. *c.* XIII.

1 Quidam hunc ludum Hebræorum inventum esse volunt. Apud eos namque hujus ludi nomina, nempe *Scachi* & *Mathi;* quibus ludus perficitur. *Scach* Ossæ, & alibi, est *vallavit, sæpivit:* & *Mat* vel *Mot*, mortuus est. Et in ludo Scacario cum ludi rex ita obsidetur & circumvallatur, premiturque, ut sede egredi cogatur, tum *Scach* & *Mat* dicunt: Cum jam videlicet nulla fugiendi spes restat, atque nulla evadendi via superest, adeo ut calculus ad extremum redactus, immobilis quasi mortuus reddatur; tunc voces illæ Hebraicæ audiuntur.

2 Alii *Scachi* nomen reliquum esse a Latinorum *Calculo* existimant. Nam Calculorum ludus, & Latrunculi idem. Quod ex Martiale liquido constat: Nam cum dicit,

Insidiosorum si ludis bella latronum, &c.

apposito lemmate CALCULI, *latronum bella,* & *latronum prælia* (quomodo scribit Ovidius) non patitur nos ignorare, ut alia loca dissimulem. *Scalculum* hodieque Galli atque Itali calculum vocant. *Calculorum* (sive *Scachiæ*) *ludus habet quiddam quod animum exerceat* 3. Est enim nihil aliud, quam castra & instructa acies.

Hypotyposis elegantissima Scachiæ, sive latrunculorum ludi extat in *Ecloga ad Calpurnium Pisonem* in Catalectis veterum Poetarum, & alibi; Cujus Poematii Ovidium quidam, Had. Junius vero & Jos. Scaliger Lucanum auctorem statuunt. Sic autem ille quisquis est:

Te si forte juvat studiorum pondere fessum
Non languere tamen, lususque movere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc ut niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Dum fugit, ipse rapit, longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis, hic se committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hostem,
Ancipites subit ille moras, similisque ligato,
Obligat ipse duos: hic ad majora movetur,
Ut citus, & fracta perrumpat in agmina mandra,
Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea sectis quamvis acerrima surgant
Prælia militibus; plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliata milite vincis,
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.

Annæus Philosophus agens de summa Julii Cani jamjam morituri securitate, in aureolo libello *de tranquillitate animi* cap. XIV. sic ait: *Verisimile non est, quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cum centurio agmen periturorum trahens, & illum quoque citari jubet. Vocatus, numeravit calculos; & sodali suo, Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens centurioni. Testis, inquit, eris me uno antecedere. Lusisse tu Canum illa tabula putas? illusit,* &c. Idem *Epist.* CXVII. *Nemo qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latruncularium perspicit, ut sciat quomodo alligatus exeat calculus.* Ubi doctissimus Lipsius: *Pugna enim erat, & alterius coloris calculi alteros ad lineam ultimam urgebant: artis, implexum vel obsessum evadere.* Concludam hoc Caput gemino ejusdem Sophi loco: *De Brev. vitæ* cap. XIII. *Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi, aut excoquendi in Sole corporis cura, consumpsere vitam.* *Epist.* CVI. *Latrunculis ludimus: in supervacuis subtilitas teritur.*

1 Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXXI. 2 Extat apud Salmasium ex Vet. MS. 3 Bart. Merula *ad Ovid. lib.* II. *de Arte Am.* 4 Vitus Ametpachius *in Exposit. Ovid.*

1 Petr. Gregor. Tolosan. in *Syntagm. Juris lib.* XXXIX. *cap.* IV.
2 Vide Scaligerum & Salmasium Cap. seq.
3 Cæl. Aurelian. lib. II. *tardar. pass.* cap. V.

CAP.

CAP. V.

Calculi *Latinorum*, Scalculi *Italorum & Gallorum*. Excalculari-*Hispanorum* Axedres *sive* Axadres, *quasi* exquadri. Scalclus *pro* calclus, *&* scalcius *vel* scacius *pro* scaclus *vel* scalculus.

OPERÆ pretium hic erit incomparabilis Scaligeri notam apponere; eique eruditissimi Salmasii locum subjungere: ut etiam iis, quibus fortassis eorum scripta, æternitati consecrata, ad manum non erunt, constet quæ præstantissimorum virorum sententia super illo ludo *Scachiæ* & nomine fuerit. Josephus itaque Scaliger ad Catalecta veterum Poetarum *Commentario in Eclogam M. Annæi Lucani ad C. Pisonem* (ita illud poemation appellat, & auctorem nominat) in hunc modum inter alia scribit: *Calculorum ludus & latrunculorum idem est. Ovidius:*

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit.

Lucilius lib. XIV.

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, &
Calces: delectes te, hilo non rectiu' vivas.

Nam calces *sunt calculi, ut alicubi notat Festus. Hodie alludunt ad vetus nomen Itali, & Galli;* Scalculum *enim vocant. Puto artis verbum fuisse* excalculari, *de eo qui vinceretur: ut* Excuriari *&* Excuneari *Varroni. Unde & eadem licentia videntur dicti* Axedres, *ut Hispani vocant, quasi* [1] exquadri: *nam* squadrones *quadras phalanges vocant. Calculorum vero ludus, nihil aliud, quam castra & instructa acies. Sed cave, ne duodecim scriptorum ludum cum latrunculis confundas. Alius enim est; cujus inventorem tradiderunt Palamedem.* Hæc ille. Nunc novum Galliæ suæ sidus Claudium Salmasium audiamus: Scachios *hodie vocant Itali & Galli, voce a calculis detorta.* Calclum *vel* caulclum *dicebant, & præposita sigma* scalclum: *sic enim* sphalangium *pro* phalangium *recentioribus Latinis: atque ita apud Vegetium scribitur. sic* sfæculam *pro* fæcula: *hinc Græcis medicis* σφέκλα. *sic* squadrones *pro* quadrones, *&* squadras *pro* quadras. *ita etiam* stupham *pro* tupham. τύφη *est* accensio, ἀπὸ τοῦ τύφω: *ut* ὀφείλη debitum, ἀπὸ τοῦ ὀφείλω. *addito* s. *Latini fecerunt* stufam, *&* stubam; *quæ vox* hypocaustum *significat apud Palladium caput est*, De balneis & stufis. *Ita* σχυφίαν *pro* χυφίαν *dicebant. Sic igitur &* scalclum *pro* calclum. *at solent Itali Lambdam in Iotam eliquare: hinc* scalcius *vel* scacius *pro* scaclus, *vel* scalculus. Hanc vocem Longobardi ab Italis Germanisque sumpsere. [2] Scachum *pro furto vel latrocinio memini legere in veteribus Longobardorum legibus. Calculi igitur & latrones iidem Græci recentiores* [3] ζατρίκιον, *hunc latronum ludum vocarunt.* Hactenus duo illa insignia lumina, & reipublicæ literariæ columina.

CAP. VI.

Latrones & Latrunculi unde dicti.

CALCULORUM ludus igitur & latrunculorum idem. Quod loca illa præcedenti Cap. IV. allata, satis evincunt. Nunc unde *Latrunculorum* nomen huic ludo impositum, videamus. *Latrones* prisci pro militibus acceperunt, ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, *a serviendo:* quo nomine comprehendebantur omnes promiscue seu conductitii milites, seu Principum stipatores. Quamquam Varro *Latrones* a latere vult dictos, quasi laterones; *qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum: quos postea a stipatione Stipatores appellarunt, & qui conducebantur mercede. Ea enim merces dicitur Græce* λάτρον.

[1] Aliter Scriverius. Vide *cap.* XI. [2] *Scaken* hodieque Belgis *latrocinari*, & *rapto vivere*. [3] Vide *cap.* IX.

A *Ab eo veteres Poetæ nonnunquam milites appellant latrones, quod item, uti milites, cum ferro; aut quod latent ad insidias faciendas.* Hæc Varro lib. VI. *de Ling. Lat.* Nomen vero hoc militibus communicari solitum, ostendit Ennius *Annali primo:*

Hæc effatus ubi, latrones dicta facessunt.

Idem *alibi:*

—— *fortunas ecquas cepere latrones,*
Inter se memorant.

M. Attius Plautus, *Milite glorioso* Act. I. Sc. I.

Videtur tempus esse, ut eamus ad forum,
Ut in tabellis quos consignavi hic heri
B *Latrones,* * *ibus dinumerem stipendium.* * Id est, *iis.*
Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem & conscriberem.

Et eadem *Fabula*, Act. II. Sc. VI.

An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis? ——

Quia homines militares estis videlicet. Item Act. IV. Sc. I.

Nam hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret.

Et in fragmento ejusdem poetæ, ex deperdita fabula [1] *Cornicularia:*

Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.

C Et *alibi:*

Nam & hic latro in Sparta fuit.

Vide præterea *Pœnulo* Act. III. Sc. III. & *Trinummo* Act. II. Sc. IV. Adeatur & eruditissimus glossarum auctor Hesychius in *voce* λάτρον.

Quoniam igitur *latrones* antiquitus dicebantur, qui postea *milites* communiore voce; factum est, opinor, quod calculi tabulæ lusoriæ, quæ nihil aliud quam castra & instructa acies, modo *latrones*, & diminutive *latrunculi*; modo *milites* in Veterum libris dicantur. Exempla ejus rei diligenti lectori observata, & nos non pauca supra annotavimus. Cæterum ex etymis Varronianis illud mihi fere arridet;
D *latrones* appellatos scilicet, *quod ad insidias faciendas laterent.* Apte, & convenienter ad mores militares. Atque huc respexerit Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XX.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, hic hostis erit.

Quomodo V. Cl. Petro Scriverio legendum atque interpretandum videbatur. Quo etiam censore *latrocinii* vox apud Ovidium pro *militia* accipitur, hoc versu lib. II. *de Arte A.*

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit.

Gracchus apud Nonium: *Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium accepisti.* Alludit Sidonius A-
E pollinaris *lib.* I. *epist.* II. *Putes illum & in calculis arma tractare.* Alludunt & alii auctores, qui latrunculos belli cujusdam simulachrum & imaginem existimabant.

CAP. VII.

Scacchiæ *ludus, diversus ab antiquorum* Latrunculis, *quorundam sententia.* Πλινθίον.

HIERONYMUS Vidas, poeta insignis, & Episcopus Albanensis, in principio *Scaccheidis suæ* dicit:

F *Ludimus effigiem belli, simulataque veris*
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna:
Ut gemini inter se reges albusque nigerque
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis, &c.

Atque hæc communis vulgi opinio est, referentis hunc ludum ad Veterum tabulam latruncularium. Ausus id tamen fidenter negare ante aliquot annos doctissimus Micyllus, ad Nasonis hunc locum, *Trist.* lib. II.

[1] Citat Varro *de L. L.* lib. VI. & Nonius.

Discolor ut recto grassetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoste perit, &c.

Falluntur, inquit, *qui eundem ludum esse putant eum de quo hic dicitur, & qui nostra ætate Scacchiæ, & veteris imitatione Latrunculorum vocatur. Id quod ex ipsis verbis Poetæ intelligitur; cum inquit:*

Cum medius gemino calculus hoste perit.

Et rursus:

Nec tuto fugiens incomitatus eat.

Item lib. III. *de Arte*:

Unus cum gemino calculus hoste perit,
Bellatorque suo prensus cum compare bellet
Æmulus, & cœptum sæpe recurrat opus.

Nam neque comite opus ubique habent nostræ ætatis latrunculi, sive milites; neque statim capiuntur, etiamsi qui singuli inter geminos diversæ partis deprehendantur. & quod hic de Rege & Regina, qui nostri temporis sunt, Bartholomæus Merula meminit, de eo nullus Veterum mentionem facit. Quare is ludus, de quo Ovidius agit, totus alius atque diversus est ab eo ludo quem nostra ætate Scacchiam vocant, Græceque πλινθίον, *Latine (ut puto) laterculus appellatur; cujus rationem Pollux lib.* IX. *describit*. Vide infra De promiscua Philologorum super Tabula lusoria & Calculis sententia.

CAP. VIII.

Recepta opinio firmata novo tibicine, ostensumque Latrunculos Scacchiæ ludum omnino esse.

THOMAS Dempsterus Scotus, J.C. & Philologus eximius, in *Paralipomenis ad Joannis Rosini Antiquitatum Romanarum* lib. I c. I. inter alia ita commentatur, præmisso hoc loco Flavii Vopisci in *Proculo*: *Nam cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies imperator exisset, quidam non ignobilis scurra,* AVE, *inquit*, AUGUSTE, *allataque læna purpurea, humeris ejus junxit, eumque adoravit: Malim*, inquit, *legere*, allataque læna purpurea, humeros ejus vinxit. *Videtur enim exprimere formulam creandi Imperatoris Byzantinis observatam. Nam inter alia Principatus ornamenta & inaugurationis symbola, purpurea chlamide humeros vestiebant. Corripus de laudibus Justini August. lib.* II. *num.* IV.

Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamys, rutiloque ornata metallo,
Principis exerta vincebat lumina dextra:
Aurea juncturas morsu præstrinxit adunco
Fibula, & a summis gemmæ nituere catenis.

Deinde subjungit: *Ad latrunculos revertor. Nonnulli existimant alium & diversum esse ludum ab eo, quem hodie in Europa frequentissime usurpamus, in tabula lusoria sexaginta quatuor areolis distincta, novem lineis ex unaquaque parte se mutuo intersecantibus; in quibus duo scrupi nomen regum præferunt, duo alii reginarum, quatuor equitum, quatuor satellitum, quatuor centurionum, seu elephantorum turrigerorum; sexdecim denique minores peditum: ut elegantissime descripsit Hieronymus Vidas Cremonensis, libello cui titulus*, Scacchia ludus. *Sed falsam esse eorum opinionem, palam est; cum etiamnum hodie latrones illi colore dispares sedecim, totidem concolores, latronum, militum, regum, nomina habeant, (Fl. Vopiscus supra,* imperatoris *appellationem in hoc ludo dixit, & turmis instructi, hostili quadam imagine procedant, & simulata acie congrediantur, & statione unicuique calculo præscripta, hostem appetant, sibi, quantum licet, caveant*. Sed nemo melius inter priscos scriptores expressit incerto Auctore *Panegyrici ad Pisonem*, quem falso, vel Ovidio, vel Lucano hactenus adscripserunt.

A

CAP. IX.

Scacchiæ lusus, idem qui recentioribus Græcis Ζατρίκιον. *qui ludus imaginem belli habuit;* ζατρικίζειν, *eum ludum ludere.*

NON possum hic oscitanter præterire, quæ diligentissimus & inexhaustæ lectionis vir Joannes Meursius observavit: atque ea mihi hoc Caput conficient. Scribit in Opere nunquam satis laudando, *Glossario Græco-barbaro* Ζατρίκιον, Ludi genus. Achmes cap. CCXLI. ὁ βασιλεὺς, ἢ μέγιστος, ἢ ἄρχων πολέμου, ἐὰν ἴδῃ ὅτι τὸ ζατρίκιον αὐτοῦ ἀπώλετο, ἢ ἐκλάσθη, ἢ ἐκλάπη, ἀπολέσει τὸν στρατὸν αὐτοῦ, καὶ εἰς

B θλῖψιν μεγίστην ἥξει. Theocriti Scholiastes *Idyll.* VI. ἡ δὲ μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν παιζόντων τὸ κοινολέκτως λεγόμενον ζατρίκιον. Anonymus *de Arte Persica M.S.* Δηλοῖ δὲ καὶ παίγνια βολγῶν, καὶ ζατρικίων, καὶ ἀγάπας γυναικῶν. Hinc ζατρικίζειν, lusum istum ludere. Achmes, *loco citato*: Ἐὰν ἴδῃ ὅτι ζατρικίζει, τόπον πολέμου μετ' ἐχθρῶν ἐναντίων διαμηχανήσεται. Iterum: Ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι παίζων ζατρικίζειν ἑτέρῳ γνωρίμῳ, χάριν κέρδους προπχοῦσιν ἀλλήλοις. Videtur autem fuisse ille ludus, qui vulgo *Scacchia* appellatur. Colligas inde, quod ad militiam semper & bellum ejus interpretationem referat Onirocrita. Preterea etiam

C clarius est ex altero ejusdem Achmetis loco: Εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι παίζων ἔλαβε πλείονας τῶν τοῦ παιγνίου προσώπων, πλείονας δεσμώσει τῶν πολεμίων δεσμίων. Hact. V.Cl.

Calculorum vero ludum & latrunculorum eundem esse, jam supra abunde a nobis commonstratum est. In Zatricio ludo calculi; & in Latrunculorum ludo calculi. Quare & Grammatici iste locus adjiciatur reliquis. Neque ullum dubium est (Petrum Scriverium sequor, qui mihi hujus sententiæ præcipuus auctor & fundus) Zatricion recentium Græcorum, veterum Latruncularium tabulam, & Hispanorum *Axedres*, nostrumque *Scaken* esse.

CAP. X.

D *Unde orta* Zatricii *appellatio, ex sententia Salmasii.* Γραμμαί. Γραμμικαὶ χῶραι. μονόχωρος, adunatus in tabula. Πόλεις. πόλις. ζητρεῖον, ζήτριον, ζάτριον.

EX iis quæ supra adduximus jam satis inter omnes constat, Ζατρίκιον apud recentiores Græcos eundem esse ludum cum Veterum latrunculis & calculis. Nunc restat quærendum, quare iidem Græci hunc ludum ita appellarunt. Faciam id verbis doctissimi & acutissimi viri Claudii Salmasii, & rara ejus supellectile domum meam inopem alioquin atque incultam, cum bona ipsius, uti spero, venia diligenter exornabo.

E Tabula, inquit *ad Hist. Aug. p.* 460. in qua latrunculis ludebatur apud Veteres, tota lineis erat distincta, & unicuique calculo suus locus ac sua sedes attributa. nec aliter hodie est apud nos. tabula enim lusoria ligneis quadraturis discoloribus alternatim positis distincta est, & in illis quadraturis locari solent calculi. Sedes illas calculorum Græci olim πόλεις, postea χώρας nuncuparunt. Γραμμὰς etiam vocarunt, & γραμμικὰς χώρας, quod lineis invicem disclusæ essent & interceptæ calculorum illæ sedes sive regiones. Hesychius in *Glossis*, & Eustathius *in Homerum*. Πόλις sane veterum Græcorum idem omnino fuit cum Zatricio recentiorum, & latrunculis Romanorum. Cratinus in eo ludo describendo

F βασιλέως etiam meminit, apud Pollucem *in* πόλις. In utroque ludo calculorum sedes χῶραι dicebantur. In ludo quoque tesserarum, quam πεττείαν Græci dicunt, lineæ in quibus disponebantur calculi, χῶραι vocabantur. Hinc μονόχωρος tam in tesseris, quam in latrunculis, lusor ille dicebatur, qui in omnibus suis calculis spoliatus & victus abibat, utpote qui ad unum redactus esset calculum. Veteres Glossæ: μονόχωρος, *adunatus in tabula*. Tabulam vocat tesserarum ludum. Χώρας illas etiam τόπους vocare consueverant.

Etymologicum Magnum: πρὸς τοὺς τόπους οὓς ἔχει Παλαμήδειον ἀβάκιον. Χαρακώματα etiam appellabant. At Latini [1] *mandras, septa,* [2] *vallos* & *capsos,* & *carceres* vocabant loca illa sive sedes in tabula, in quibus veluti clausi tenebantur latrunculi. Græci recentiores quoque ζατρικία nominarunt. ζατρίκιον & ζατρεῖον vel ζατρεῖον idem: quod & ζητρεῖον dicebant. sic autem dicebatur pistrinum vel carcer in quem servi nequam conjiciebantur. Hesychius: ζητρεῖον τὸ τῶν δούλων κολαστήριον. Moschopulus interpretatur [3] κύφωνον. Ζητρεῖον κοινῶς ὁ κύφωνος, ἔστι δὲ εἶδος κολαστηρίου ᾧ οἱ δοῦλοι ἐδεσμοῦντο. Ζήτρειον etiam & ζάτρειον scribebatur. inde verbum ζατρεύω in Etymologico Magno; quod ibi exponitur, ἐν μύλωνι βασανίζω. Ζατρίκιον recentiores Græci dixerunt, atque ita vocarunt mandram, vel septum sive carcerem latrunculi, hoc est locum vel sedem in qua veluti clausus tenebatur latrunculus. Hinc totum latrunculorum ludum vel tabulam potius in qua latrunculis ludebatur ζατρίκιον nominarunt. Sic veteribus Græcis πόλεις dicebantur singulorum calculorum sedes, & χώρας vocatas diximus; nihilo tamen secius & ipsum calculorum ludum πόλιν appellarunt, & tabulam ipsam lusoriam quæ plures πόλεις habebat. Vide Pollucem. Ita plane apud recentiores ζατρίκιον tabula ipsa lusoria dicebatur, in qua tamen complura fuere ζατρίκια, hoc est, latronum sive calculorum sedes & castra. ζατρίκιον plane Achmes (vide Capite præcedente) pro alveo lusorio cum ipsis calculis accepit.

Hæc perquam ingeniose & docte Salmasius. sed cui sententiæ calculum suum non adjicit clarissimus Scriverius.

CAP. XI.

Zatricium & *Axadres, Persicum vocabulum (cum Scriverio) non Græcum (cum Salmasio) De tabulæ latruncularia sive Scachiæ inventoribus, Petri Teixeriæ Hispani sententia laudata.*

STRENUE oppido & acute (negari non potest) Ζατρίκιον Græciæ vindicare conatus est elegantissimus Salmasius *ad Vopisc.* p. 459. sed non ita feliciter ei successit negotium, quin aliis conjectandi & seorsum sentiendi locus aliquis relictus sit. In varias, scio, opiniones nominis derivationem spargi posse, alias aliis verisimiliores: Mihi sane palmaria videtur Petri Scriverii observatio. Sentit ille Ζατρίκιον vocabulum purum putum Persicum. Persis namque latrunculorum ludus *Xatreng*, vel *Xatrang*, appellatur; quod ipsis est *Regius jocus, sive lusus*. Inde Græci recentiores Ζατρίκιον fecerunt, ν litera omissa. quod in multis usu venit. Sic καστρέσιον sive καστρίσιον, *castrense*; ῥωμανήσιον, *Romanense*; ἑρμηντα, *armenta*, & ἑρμηντάρειον, *armentarium*, scribunt efferuntque, & similia alia Græco-barbari [4]. A Persico *Xatreng*, Hispanorum *Axadres* similiter detortum; quod plene olim fuerit *Al-Xatrengs*. Nemini enim paulo humaniori *al* articulus Arabicus est ignotus, quo appellativa & adjectiva nomina late patentia & vaga restringunt. Hæc quoque divinatio est eruditissimi ejusdem Scriverii. Legerat ille apud Petrum Teixeiram in *Compendio Historiæ Persicæ* (ex Tarryco MirKondo Persarum Chronographo antiquo, & aliis) Hispanice conscripto, circa tempora [5] Anuxironis Persarum regis, & Avicennæ celeberrimi medici, ex India in Persiam allatos esse duos insignes libros Philosophicos; quorum alteri *Kelilab*, alteri *Wademana* nomen inditum erat: iisque adjunctam fuisse tabulam latruncularium [6] (*Zatricion* Achmes, & alii, *Axadres* Hispani vocant) qua significabant inconstantiam ac mutabilitatem vitæ humanæ, ejusdemque perpetuam discordiam. in qua cum luctandum esset & certandum quotidie, arbitrabantur vitam institui oportere caute imprimis ac prudenter. Testatur MirKondus, remissum Indis a Persis alveum tesserarium [1]: quod indicabant, solam prudentiam hominibus in hac vita militantibus non sufficere, sed addendam etiam esse necessario aliquam arti & industriæ fortunam. cui in tesseraria tabula plurimum licet: in latrunculorum vero ludo peritiæ ludentium & ingenio soli locus erat. nihil ibi alea quod ageret, habebat. Teixeiras idem Persis atque Indis frequentari utrumque lusum [2], præstantissimosque inibi in ea arte non paucos refert. Quamquam autem diversos præceptores & varia dogmata sequantur, tamen Scachiæ imprimis ludo dediti sunt. Neque a vero absonum videri sibi scribit Teixeiras, apud Persas primum repertam tabulam latruncularium, ratione potissimum hac persuasus: quod quibuscumque in regionibus hoc ludi genus luditur, serventur calculorum sive latronum nomina eadem, aut corrupta saltem minimum & variantia a Persica nomenclatura. Nam Rex illis est *Xa*, quod probe convenit. Domina seu Regina *Wazir*, qui calculus proximus est a Rege. Qui nobis *Delfin*, illis *Fil* est, quæ vox Elephantem denotat, quorum animalium plurimus in bello apud Orientales usus. Equum illi appellant *Asp*, vel *Faraz*; quod idem est. *Peon*, vocant *Peada*, quasi peditem. Quodque *Xaque* nos dicimus, illi *Xa* enunciant; quo verbo Rex admonetur. Et pro Nostro *Mate*, illi *Xamate* dicunt; quod lingua Persica significat, *Rex mortuus est*. Hæc obiter Historiæ Persicæ compendio intexit Petrus Teixeiras. Qui præterea addit latruncularium tabulam Babyloniorum inventum quibusdam videri. Recte, ut ait ille, & probabiliter. quo evincitur videlicet, debere nos hunc ludum Persis: quorum in confinio Babyloniorum regnum, cujus imperio sæpe ac aliquamdiu potiti fuerunt Persæ. Dissertatiunculam hanc prorsus novam, & Latinis literis nusquam antea, quod equidem recordor, consignatam, habeo ex schedis humanissimi viri P. Scriverii. Assentior tibi, mi Domine; assentior: nam vestigia clarissima, & omnia conjecturæ tuæ favent.

CAP. XII.

Quis Tabulæ lusoriæ, sive ludicræ dimicationis, inventor.

INVENTOREM tabulæ latruncularia facit communior consensus PALAMEDEM: quidam Pyrrhum, alii Chilonem, unum ex Sapientibus: sunt & qui Attalum Asiaticum auctorem prodant. De omnibus ordine ac distincte videamus.

Pyrrhus Epirota, strategematum peritissimus, primus, quemadmodum ea disciplina per calculos traderetur in tabula, ostendit. Hæc Donatus Grammaticus ad illud *Terent. Eunuch. Act.* IV. *Sc.* VII. *Idem hoc jam Pyrrhus factitavit.* Ammianus Marcellinus *lib.* XXIV. in limine, de eodem Pyrrho: *fuit opportunis in locis castrametandi, armorumque speciem diffundendi ex industria, vel attenuandi, perquam scientissimus, maximusque præceptor certaminis Gymnici.* Quod testatur L. Seneca lib. II. *De ira*, cap. XIV. Et de acie instruenda reliquit ipse Commentarium, referente in *Vita ejus* Plutarcho. Cujus & alii meminerunt. Sed de Gymnici certaminis inventore dubitat Lipsius, interrogatque: An regem illum nobilem; an potius alium hujus artis, a quo & *Pyrrhica saltatio* nomen habet?

Attalo Asiatico Joannes Sarisberiensis attribuit

1 Martialis, & auctor *ad Pisonem*. 2 Idem auctor *ad Pison.* 3 Vide Meursium in *Gloss.* 4 Vide Meursii *Gloss.* 5 Circa annum DLXXV. 6 *El juego del Axadres.*

1 *El juego de las Tablas.* 2 *El Axadres*, *Tablas*.

aleæ inventionem, *Policratici* lib. I. cap. v. *si gentilium historiis creditur*, inquit.

Sed communior, inquam, consensus, neque Pyrrhum, neque Attalum, sed PALAMEDEM Nauplii filium; qui in obsidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud ludi genus belli imagine, seu tesserarum lusum, excogitavit. Sophocles in *Palamede*:

Οὐ λιμὸν ἔτος τόνδ' ἄπωσε, σὺν θεῷ,
Εἰπεῖν, χρόνον τε διατριβὰς σοφωτάτας
Εἰεῦρε φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις
Πεττοὺς, κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος.

Hoc est, Hadriano Junio Interprete.

B *Namque ille (dicam enim) procul famem, deo*
Juvante abegit, otiumque fallere
Docuit sedentes littore in sicco, mare
Ubi murmurat, ludo reperto tesseræ,
Ad dulce vitæ desidis solatium.

Sidonius Apollinaris *Carm.* XXIII. num. 461.

Hic promens teretes pilas, trochosque,
Hic talos crepitantibus fritillis,
Nos ad verbera tractuum struentes,
Tamquam Naupliades repertor artis,
Gaudebas hilarem ciere rixam.

Lactantius Placiades Statii poetæ Scholiastes, *Achilleidos* lib. I. de eodem: *Hunc autem constat fuisse* C *prudentem, nam & Tabulas & ipse invenit, ad comprimendas otiosi seditiones exercitus.* Eustathius *ad Homerum*, & Suidas *in* ταβλά. Unde ab inventore *Palamediaci calculi*, Cassiodoro dicuntur, *Variar. Ep.* lib. VIII. ep. XXXI. Sed omissis cæteris & minutis auctoribus, Pausanias locupletissimus est testis in *Corinthiacis*, & rursus in *Phocicis*; adstipulante Philostrato Lemnio. Quorum testimonia proferemus, & finem Capiti imponemus. Pausanias igitur in *Corinthiacis*: Πέραν δὲ τοῦ Νεμείου Διὸς, Τύχης ἐστὶν ἐκ παλαιοτάτου ναός· οἱ δὲ Παλαμήδης κύβους εὑρὼν ἀνέθηκεν ἐς τοῦτον τὸν ναόν. *Supra Nemei Jovis, Fortunæ fanum est perantiquuum: in quo inventas a se tesseras Palamedes dedicavit.* D Et in *Phocicis*: Καὶ Παλαμήδης τε καὶ Θερσίτης κύβοις χρώμενοι παιδιᾷ τῷ Παλαμήδους εὑρήματι: *Mox cernes Palamedem & Thersiten tesseris (quod* ludicrum ipse *Palamedes excogitavit) lusitantes.* Philostratus vero in *Heroicis* ita scribit: Οἴνωπων δὲ τῶν Ἀχαιῶν ἐν Αὐλίδι, πεττοὺς εὗρεν, οὐ ῥάθυμον παιδιὰν, ἀλλ' ἀγχίνουν τε, καὶ εἴσω σπουδῆς: *Græcis autem in Aulide desidentibus tesseras excogitavit, ludum non modo non desidem, verum solertem ac studio dignum.*

Alii [1] dicunt hoc ludi genus olim inventum circiter annum Orbis conditi ter millesimum IↃCXXXV. E a quodam sapienti viro, nomine Xerxe; qui ita Tyranni sævitiam coercere metu, ac cum documento monere volens, ostendit majestatem sine viribus, hominumque adminiculis, parum admodum valere, atque tutam esse; quando per istiusmodi ludum satis patebat regem facile oppressum iri, nisi invigilaret, a suisque defenderetur.

CAP. XI.

Tabulæ Palamediacæ descriptio secundum Suidam, Cedrenum, & alios. Allegorica ejus expositio.

F TΑΒΛΑ, ὄνομα παιδιᾶς. ταύτην ἐφεῦρε Παλαμήδης εἰς διαγωγὴν τοῦ Ἑλληνικοῦ στρατοῦ, σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. Τάβλα γάρ ἐστιν ὁ γήϊνος κόσμος. δώδεκα δὲ ὁ ζωδιακὸς ἀριθμός. τὸ δὲ ψηφόβολον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ ἑπτὰ κοκκία, τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν. ὁ δὲ πύργος, τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ. ἐξ οὗ ἀνταποδίδοται πᾶσι πολλὰ, *καὶ κακά. Ἄλλοι δὲ λέγουσι. Hæc Suidæ, in voce Τάβλα, Æmilius Portus, Francisci Porti Cretensis filius, qui integrum Suidam primum Latinitate donabat, sic interpretatur: *Tabula, nomen*

1 Polydor. Virgil. lib. II. cap. XIII. *De rer. Invent.*

A *ludi. Hanc Palamedes, ad exercitus Græci delectationem, magna cum sapientia invenit. Tabula vero, est mundus terrestris. Duodenarius vero numerus, est ipse Zodiacus. Ipsa vero* [1] *tabula, in qua calculi jaciuntur, & in ea septem grana, septem stellæ planetarum* sunt. *Turris vero*, est *ipsa cœli altitudo, ex qua multa, & mala omnibus rependuntur. Alii vero* aliter *dicunt*. Quibus addit: *Tabula, in qua luditur tesseris; Gallice*, Tablier, au quel on joue aux dames, ou bien aux eschecs. *Hanc Palamedes magna cum eruditione & ingenii acumine, ad tempus transigendum & fallendum, invenit. Intelligitur autem Tabula, ludusque* Schaccorum, *ut vul-* B *go vocantur. In Græcis sub finem, legendum forte,* πολλὰ καλὰ, καὶ κακὰ, *multa bona, & mala.* Hæc ille. Georgius Cedrenus in *Historiarum compendio*, Edit. Guliel. Xylandri p. 103 Οὗτός ἐστι Παλαμήδης, ὁ καὶ τὴν ταῦλαν ἐφευρὼν πρὸς μετεωρισμὸν τοῦ στρατοῦ, καὶ τὴν ἐν αὐτῇ σύνθεσιν σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ κατασκευάσας. ὥρισε γὰρ εἶναι τὴν ταῦλαν, τὸν γήϊνον κόσμον. τοὺς δὲ δώδεκα κάσους [2], τὸν ζωδιακὸν ἀριθμόν. τὸ δὲ ψηφόβολον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ κοκκία, τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανητῶν: τὸν δὲ πύργον, τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ, ἐξ οὗ ἀνταποδίδοται πᾶσι καλὰ, ἢ κακά. Hoc est: *Is est Palamedes, qui ad exercitus reficiendos oblectatione animos, tabulam &* C *ejus compositionem, philosophica admodum industria, invenit. Sic enim instituit, ut tabula esset mundus elementaris: duodecim casus (capsulæ,) signorum Zodiaci numerus: talorum jactus, & quæ in tali sunt grana, septem planetarum astra: turris, cœli altitudo, ex quo omnibus bona malave tribuuntur.* Eadem apud Joannem Antiochensem περὶ ἀρχαιολογίας apud Salmas. *p* 463. & uberiora apud Isaacium Porphyrogennetam in *Paralipomenis Homeri*, seu Characteribus Græcorum & Trojanorum, qui ad Trojam fuere; quos se e Dicty sumpsisse testatur. Quare operæ pretium fecero, si locum integrum adscripsero: Ὁ Παλαμήδης, φρόνιμος, εὐπαίδευ- D τος, πολύβουλος, μεγαλόψυχος· ὃ δὴ πρώτως τὸ ταυλίζειν, ἤτοι κυβεύειν ἐξεύρηται. ἐκ γὰρ τῆς κινήσεως τῶν ἐν οὐρανῷ ἑπτὰ πλανητῶν, τῶν κατὰ μοιρικὴν τύχην, ὥς φασιν, ἐπαγόντων χαρὰς τοῖς ἀνθρώποις, καὶ λύπας, ὡρίσατο τὴν ταῦλαν ἤτοι τὸν πίνακα τοῦ παιγνίου, τὸν γήϊνον κόσμον. τοὺς δὲ δώδεκα κάσους, ἤτοι τὰ χαρακώματα τούτου, τὸν ζωδιακὸν ἀριθμόν. καὶ τὸ ψηφόβολον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ κοκκία, ἅπερ τῷ κύβῳ ῥιπτάζονται, ὡς ἀναλογοῦντα τοῖς ἄστρασι· τόν τε πύργον αὐτὸν, τὸν καλούμενον μόδιον, τὸ ὕψος αὐτὸ τὸ οὐράνιον αἰνιττόμενον· ἐξ οὗ καὶ ἔρχονται εἰς τιμὰς κατὰ ἀνταπόδοσιν, ὥς φασιν Ἕλληνες, κακὰ καὶ καλά. Τούτοις οὖν ὁ Παλαμήδης, σοφίᾳ πεπαιδευμένος ὢν, πάλαι τὴν ταῦλαν ἀπήρτισεν. [3] *Pala-* E *medes, prudens, bene eruditus, multi consilii, magnanimus; qui primus tabulam, sive ludum aleæ invenit. Et motu siquidem septem errantium stellarum, quæ fatali (ut fama est) destinatione, gaudia aut dolorem hominibus inducunt, tabulam delineavit; eam dico, in qua luditur, tabellam, quæ terrarum hunc referret mundum. Duodecim autem ductus, quorum singuli ad instar valli cujusdam sunt, numerum referunt Zodiaci. Locus qui calculos recipit* ita clarissimus Rutgersius τὸ ψηφόβολον accipit) *quique in eo sunt quasi siliquæ* [4]*, quæ petuntur alea, proportione stellis respondent. Turris autem, sive pyrgus, quem* F *& modium nunc vocant, cœli sublimitatem ut exprimeret. Ex quo ad nos pro merito, aut mala, sicut volunt Græci, veniunt & bona. Ex his igitur Palamedes, eruditus ac sapiens cum esset, tabulam construxit olim.* Ex Isacii hoc loco, & altero Cedreni, quibus paria refert Joannes Antiochensis, liquido constat, Suidæ locum mutilum esse, & depravatum, resti-

1 Vel, *ipsa calculorum jaciendorum area*. 2. κάτοι, pro κάψοι. Vide Salmas. *p.* 461. & 463. 3. Ex Joan. Rutgersii interpretatione, *Var. Lect.* lib. v. cap. xx. 4 Meursius in *Glossario*: Κοκκίον, *siliqua*. Scribitur quoque, κουκκίον.

tuendamque ei vocem *κάσυς*, quæ hodie in editis libris exulat. quod & V. C. Joannes Meursius animadvertit in *Glossario Græco-barbaro*, voce *κάσος*. & post illum quoque diligentissimus Claudius Salmasius. Igitur tribus illis scriptoribus præviis, corrige *in* Suida: *Τάβλα* [illegible] *κόσμος· Δώδεκα δὲ κάσοι, ὁ ζωδιακὸς ἀριθμός*. Et fine illius loci, *πᾶσι καλὰ ἢ κακὰ*, cum Cedreno & Porphyrogenneta: vel, *πᾶσι φαῦλα καὶ καλὰ*, cum Joanne Antiochensi. quæ lectio Salmasio arridet. Cujus de insolentiore ista voce, *κάσοι*, commentum sane quam elegans & doctum: dignumque, quod hic apponatur.

Sed quare, inquit, *κάσοι? aut quid sunt κάροι? κάσοι sunt κάψοι. namque ψ & σ sæpe apud Græcos invicem mutari consuerunt. Hinc σίττακος, & ψίττακος, idem. σάγδας, & ψάγδας: quod est genus unguenti. Sic κάσοι pro καψοι.* Hesychius: *καψοὶ, οἱ τοῖχοι. κάψοι*, capsi, *Latina plane vox est, quæ parietem craticium, aut vallum aut septum significat. Hinc* capsus *in plaustro, quem Græci πείρινθον vocant: &* capsum animalium *apud Vellejum, pro septo vel stabulo. Recentior ætas Latinorum* sudem *dixit. Sed verius est* cassum *pro* capsum *ex more loquendi, quem infima Latinitas habuit, manavisse? sic* cassetam *pro* capseta, *hoc est, parva capsa, vulgo dicimus, &* cassam *alicujus Sancti, pro* capsa. *Inde igitur κάσοι Græcis pro καψοὶ, loculamenta calculorum in tabula: quæ &* puncta, *&* scripta *dicebantur, &* lineæ, *& γραμμικαὶ χῶραι Græcis, & γραμμαί.* Κάσυς, *χαρακώματα exponit Is. Porphyrogenneta in* Paralip. Homeri.

Quemadmodum in lusu latrunculorum, loculi lineis distincti *in quibus calculi statuebantur*, carceres, *&* mandræ *&* septa *&* valli: *sic etiam in tesserarum lusu* lineæ *&* scripta, *per quæ currebant calculi, dicebantur* capsi *&* septa, *per quæ movebantur calculi, variosque positus ac situs accipiebant, ex vario tesserarum jactu.*

Glossarium Meursii interpretatur, Κάσος, *κάσος Casus*. Quod in ea *voce* consulendum; & vide, an Juvenalis huc faciat, *sat. I.*

—— Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.

Sed quemadmodum *casum tabulæ* dixit Satyricus; sic *τάβλης τύχας* dixit Agathias in Epigrammate *de tabula Zenonis*: quod eidem Salmasio recte observatum.

CAP. XIV.

Ψηφόβολοι (ex Turnebi sententia) fritillus. Pyrgus, turricula; tessera, talus, tabula lusoria; Latronum ludus; grammismus; grammę; calculi ordinarii, & vagabundi; & inciti: Proverbium. Res ad incitas rediit.

DE ludo Tabulæ [1], quæ apud Suidam legi, non alienum nec abs re fore credo, si & hic memoriæ tradam: sunt enim nec injucunda, nec illepida. Et fortasse ad intelligentiam poematum & auctorum non inutilia. *Tabulam*, inquit, *Palamedes reperit ad Græcanici exercitus lusum, non sine magna philosophia: nam ipsa Tabula, iste terrestris mundus est: numerus duodenarius, Zodiacus: psephobolum* (quod interpretor *fritillum*) *& septem granula in eo, sidera errantia; turris, altitudo cœli.* Hoc ex loco intellectu proclive est, non idem esse *fritillum*, & *pyrgum*, id est, *turriculam*. Nam fritillus fuisse videtur vasculum longum, in quod mittebantur tesseræ, vel calculi, vel tali: pyrgus, turris, per cujus altitudinem mittebantur in alveum. Condemnatum scribit in *Apocoloc.* Claudium Imp. ut percusso (pertuso) fritillo luderet tesseris.

Nam quoties, inquit, *missurus erat resonante fritillo,*
Utraque subducto fugiebat tessera fundo,
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti
Decepere fidem refugi, digitosque per ipsos
Fallax assiduo delabitur area furto.

1 Ex *Advers.* Turneb. lib. XXVII. cap. II.

Turriculam & fritillum distinxit Suidas. Idem tamen videtur; cum Martialis scribit de turricula, *lib.* XIV. *epigr.* XVI.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Nisi quis dicat; Fritillo missas in alveolum fuisse tesseras, per Pyrgum tamen; ut ex Suida dicebamus. Pluribus autem videntur Veteres lusisse talis, quam tesseris: tribus enim tesseris, quatuor talis lusitabant; cum Martialis scribat in Epigrammate præcedenti: (XXV. lib. XIV.)

Non sim talorum numero par tessera. ——

In tessera sex latera, quatuor in talo erant; itaque talo neque binio, neque quinio erat: sed tantum ternio, & quaternio, & senio, & canes, id est, unitas. Ternionem & quaternionem etiam suppum & planum vocatos esse legimus [1]. Præter eos jactus Venus erat, cum tali quatuor diverso erant omnes numero; id est, cum jacti erant omnes talorum numeri. Martialis *epigr.* XIV. *ejusdem libri*:

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Erat & tabula lusoria duodecim numeris distincta, in qua calculis vel latrunculis ludebatur. Alii in ea quinas utrinque lineas fuisse dicunt, & mediam sacram, ut undecim numero essent. Ludus autem latronum erat, ut duo concolores unum discolorem includerent, & perimerent. Cui ludo finitimus erat Grammismus, quem & Grammas vocabant. Cicero in *Hortensio*, & Quintilianus *lib.* XI. cap. II. *scripta* vocasse videntur [2]. Fuisse autem e calculis accepimus *ordinarios*, & *vagos*: illi ordine movebantur; hi velut vagabantur, & errabant. Erant & *inciti*, qui moveri nullo modo poterant: unde *ad incitas rem rediisse* in proverbium abiisse, & a calculis id sumptum esse, quidam referunt. quorum non omnino improbanda auctoritas est.

CAP. XV.

Palamediacus Abacus; Tabula. Q. Mucius Scævola lusor egregius. Collis, colus, ἰθμός. Calculi rubri atque albi. Nigri item atque albi. Delicatorum aurei argenteique denarii, pro iisdem.

PRÆTER superiora testimonia, etiam hæc, quæ continuo subjungemus, facile Palamediacam tabulam adstruant. Jure certe Aurelius Cassiodorus *lib.* VIII. *ep.* XXXI. *Palamediacos calculos* indigitat. Hinc & Παλαμήδειον ἀβάκιον Etymologico Magno. Vide & Gregor. Nazianzenum *Invectiva* I. Sed non Græci tantum recentiores, Suidas, Cedrenus, Joannes Antiochensis, Isaacius Porphyrogenneta, quorum jam supra meminimus; sed Latini quoque infimæ vetustatis auctores, tabulæ inventionem Palamedi passim tribuunt. Et *tabulam* cum nominant, totum ludum intelligunt in tabula lusitari consuetum, tesseris calculisque constantem. Nam diversum a ludo latrunculorum esse, doctissimis quibusdam viris, & Salmasio imprimis, videtur: cujus sententiam Capite seq exponemus. Nunc testimonia Latinorum proferamus. Vetus Epigr. *ἀνέκδοτον* DE TABULA.

Has acies bello similes cano, quas Palamedes
Constituit casu vario, paribusque periclis.

Aliud Epigramma vetus, etiam *ἀνέκδοτον*, *De Tabula* similiter inscriptum: quod exhibitum primum a Salmasio, reponam hic denuo integrum. Ecce illud, quomodo apud ipsum legitur. DE TABULA.

In parte alveoli pyrgus velut urna resedit,
Qui vomit internis tesserulas gradibus;
Sub quarum jactu discordans calculus exit,
Certantesque fovet sors variata duos.
Heic proprium faciunt ars & fortuna periclum.
Hæc cavet adversis casibus, illa favet.

Sequentia Salmasius a præcedentibus non interstinguit aut separat. P. Scriverio aliter videtur; di-

1 Apud Isidor. *Orig.* l. XVIII. c. LXV. 2. Idem *ibid.* c. LXVII.

rimenda nempe, atque in duo Epigrammata, quorum prius Hexastichon, posterius Octastichon fit, secanda: cum titulo, DE EADEM; vel ALIUD.

Composita est tabulæ nunc talis formula belli,
Cujus missa facit tessera principium.
Ludentes vario tum exercent prælia fato,
Russeus an nitidus præmia sorte ferat.
Pascitur a multis avide damnosa voluptas,
Ne fœdet gliscens otia segnities.
Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
Et parili excellens Mucius ingenio.

Vidit is horum Epigrammatum apographum M.S. e Galliis in Bataviam transmissum: in quo hanc varietatem lectionis mihi notavi. Epigram. I. vers. 3. in illa scheda legebatur:

Sub quarum jactu concurrit russeus albo.

Et vers. 5. *Ambiguum faciunt ars & fortuna p.* Non, *Hic proprium faciunt*. In II. Epigr. vers. 4. melius fortasse legetur, *præmia forte ferat*. Adjungebatur præterea aliud Epigramma nondum editum ejusdem argumenti: Cujus meminit quoque Salmasius, & locum unum & alterum ex eo producit. Nos hic totum, quomodo id Scriverius descripserat, cum reliquis extrudemus.

DE TABULA.

Indica materies, blandum certamen amicis
Offert, sed belli fert simulacra tamen.
Namque acie æquali concurrit russeus albo,
Ut gravibus damnis se domet alteruter.
Contorquet varios alternans tessera missus,
Fataque ludentum collis & ima probant.
Pax & pugna simul ludo junguntur in uno,
Cum victi spoliis victor amicus ovat.

Ita erat in exemplari, quod vir eximius, quem honoris causa supra nominavi, P. B. communicavit. Sed varia iterum hic occurrit lectio apud Salmasium. Vers. 2. *Offert se, belli fert simulacra*. Vers. 6. *colus & urna probant.* cum hac Nota: *Colum* & *urnam* vocat veteris auctor Epigrammatis nondum editi, τὸν ἠθμὸν καὶ πύργον. Sed minime dissimulandum est, in antiquo exemplari scriptum esse, *collis & ima probant.* quod temere mutandum non est. Nam & *collis* in tabula mentionem facit [1] Cento ἀνέκδοτος, quem habemus vetustum, ex Virgilianis contextum versibus, & DE ALEA inscriptum, qui totam hanc in tabula calculis tesserisque ludendi rationem luculentissime & elegantissime exponit. Carmen ipsum ita incipit:

Artis opus raræ, tua si mihi certa voluntas,
Expediam dictis, donum exitiale Minervæ.
Tu vatem tu diva mone. nunc ipsa vocat res,
Et furiis agitatus amor &c.

Et infra:

Quæ loca, quæve habeant gentes, ubi sistere detur;
In summo collem qui plurimus, alter ab illo
Est locus.

Vides, *In summo collem*: & quæ *ima* dicuntur auctori veteris Epigrammatis, Cento ille *imum fundum* appellat:

Ossa minutatim fundo volvuntur in imo.

Et alio loco:

Terna tibi hæc primum fundo volvuntur in imo.

Imum tabulæ fundum, nisi fallor, intelligit: per collem autem pyrgum. Nam πύργον in tabula τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ significare tradunt, qui hunc ludum ἀλληγοροῦσι. Per ima vel imum fundum, & per collem fata ludentium probari dixit, quæ per pyrgum & tabulam probabantur. De pyrgo enim in tabulam jaciebantur tesseræ, in quibus ludentium fata consistebant. Per ἠθμὸν vero quasi per infundibulum mittebantur in pyrgum tesseræ. & ἠθμὸν vocarunt tam δικαστικὸν quam κυβευτικὸν, quod similis utriusque figura esset, & infundibulum uterque re-

[1] Cento Virgilianus *De Tabula*, M.S. apud Cl. Salmasium.

A ferret. Nam in summo latus erat, *in imo strictus* & angustus, &c. quæ castigatissimi judicii vir *ad Flavium Vopiscum in Proculo* p. 470. annotat.

Discolores fuisse tabulæ calculos, nullum dubium est. Jam supra, in *Panegyrico ad Pisonem*, vidimus in latrunculorum ludo, nigros atque albos: hic albos & rubeos habemus calculos:

Russeus an nitidus præmia sorte ferat.

Item:

Namque acie æquali concurrit russeus albo.

Vetus præterea Epigramma, in collectione Pithœana [1], *De tabula*:

B *Discolor ancipiti sub jactu calculus adstat,*
Decertantque simul candidus atque rubens.
Qui quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is capiat palmam, quem bona fata juvant.

De nigris & albis, omnis nequitiæ Arbiter in *Satyrico*: *Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseris: notavique rem omnium delicatissimam; pro calculis enim albis aut nigris, aureos argenteosque habebat denarios.* Similiter in tabula Zenonis, quam describit Agathias, nigri cum albis certabant. Hesychius in *voce* διαγραμμισμὸς, & alii meminerunt.

CAP. XVI.

C *Ludus duodecim scriptorum. Scripta, & Scriptula, calculorum sedes ac regiones.*

LUDI, inquit Ovidius, *de Arte Am.* lib. III.

Est genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menses lubricus annus habet.

Corrupte ibi editur, *Spicula*. Bartholomæus Merula Interpres ait a poeta designari, *eum ludum qui constat ex duodecim calculis*. Imo ex triginta calculis, & bis senis lineis, sive viis; quarum meminit Isidorus. Ne te vero hic per ambages circumagam, breviter, quod res est, dicam. In tabula lusoria, ut olim apud Veteres, quod antea retulimus, sic hodie apud nos, D duplex præcipue ludus ludebatur: *calculorum*, quos & *latrunculos* & *latrones* dicebant: & *tesserarum*, quem & *tabulæ lusum* appellabant, & *tabulam*, & *aleam*, & *duodecim scriptorum ludum*: si Salmasio credimus *ad Hist. Aug.* p. 462. & seq. Alterum tabulæ latus, in quo tesseris calculisque ludebatur, lineis duodecim distinctum descriptumque erat, in quibus calculi varie disponebantur, prout tesseræ cecidissent. Quare alea hic, & arti pariter fortunæque locus: ars cum fortuna certabat. fortuna ex tesserarum jactu pendebat; ars in calculorum dispositione tota posita erat. Latruncularia vero tabula non habebat aleam, sed solam artem, & ingenium. Lineas illas La-E tini *scripta* vocabant, Græci, γραμμὰς, vel γράμματα. Sic *scripta* & *scriptula* iidem Latini dixerunt in ponderibus, quæ Græci γράμματα. Γράμμα, sive *scriptulum* tertiam drachmæ partem constituebat, hoc est, duos obolos. Dictum autem Græcis γράμμα, & Latinis *scriptulum*, quod duabus lineis scriberetur notareturque ad hunc modum ⌶. Ita etiam *scripta* & *scriptula* dicebantur in tabula lineæ, in quibus calculi collocabantur. Hinc tabulæ ludus, & duodecim scriptorum, plane idem. Nam tabulæ pars, quæ tesseris serviebat, duodecim scriptis erat notata, ad lusum & usum calculorum. Vetus Epigramma, quod & supra nos produxisse meminimus, *De tabula*:

F *Discolor ancipiti sub jactu calculus astat,*
Decertantque simul candidus atque rubens:
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is capiet palmam, quem bona fata juvant.

Scriptorum tramitem vocat scripta illa sive lineas per quas calculi currebant: ὁδὸν Agathias in Epigrammate de tabula Zenonis de hoc eodem lusu: *Vias* etiam Isidorus, *Origin.* lib. XVII. Capite *de figuris aleæ*: *Sed & ipsas vias senariis locis distinctas, propter ætates hominum argumentantur.* Atque hæc est ea-

[1] Epigrammata & Poemata vetera, edita *Paris.* 1590.

dem Palamediaca tabula, duodecim cassis sive capsis distincta. De qua satis superque modo disseruimus. Hujus ludi meminit M. Fabius Quintilianus *lib.* XI. *cap.* II. *An vero Scævola in lusu duodecim scriptorum, cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus, rediit ad eum quicum luserat; isque, ita factum esse, confessus est.* Scribit de eodem Valerius Maximus *lib.* VIII. *cap.* VIII. *Scævola quietæ remissionis certissimus testis optime pila lusisse traditur; quia videlicet ad hoc diverticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. Aleæ quoque, & calculis vacasse interdum dicitur, cum bene ac diu jura civium, ac cæremonias Deorum, ordinasset. Ut enim in rebus seriis Scævolam, ita & in* [1] *scurrilibus lusibus hominem agebat: quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.* Et Anonymus in Epigrammate veteri, *De tabula*, quod totum exhibuimus supra;

Hoc opus inventor nimirum Palamedes amavit,
Et parili excellens Mucius ingenio.

Ludi porro hujus etiam diserte meminit Cicero [2]: *Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.* Ausonius quoque Burdigalensis, sed obscure, in *commemoratione Professorum patriæ*, de Tiberio Victore Minervio, oratore:

Anne & divini bona naturalia doni
Adjiciam, memori quam fueris animo?
Audita ut vel lecta semel, ceu fixa teneres:
Auribus & libris esset ut una fides.
Vidimus & quondam, tabulæ certamine longo,
Omnes, qui fuerant, enumerasse bolos;
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt [3] *excisi per cava buxa gradus;*
Narrantem fido post singula puncta recursu,
Quæ data, per longas quæ revocata moras.

Diceres Ausonium hoc confinxisse de suo Minervio, ex eo, quod de P. Mucio Scævola Jurisconsulto refert Quintilianus, agens de memoria. De iisdem autem scriptis duodecim, sunt Epigrammata illa *De tabula*, quæ jam ante recitavimus, intelligenda.

CAP. XVII.

Aleæ & Calculorum ludus, senum oblectamentum: Heroum etiam & magnatum. Valerii Maximi, de Scævolæ aleatorio exercitio, locus varie tentatus.

NON negabo, suboffendit me cum amplissimo & subactissimi judicii viro, Jano Rutgersio, id quod de Q. Mucio scribit Val. Maximus *lib.* VIII. *c.* VIII. *Aleæ quoque, & calculis, vacasse interdum dicitur, cum bene ac diu jura civium, ac cæremonias Deorum, ordinasset. Ut enim in rebus seriis Scævolam, ita & in scurrilibus lusibus hominem agebat.* Quid enim? ut scurrilibus Scævola delectatus sit?

Ζεὺς τό γ' ἀλεξήσειε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Neque enim eam aleam turpem dixeris, quæ fatigato negotiorum mole animo, oblectamenti tantum caussa luditur; aut, ut de hac eadem re Joh. Saresberiensis verbis utar, *Policratici* lib. I. cap. V. *quæ absque vitio curarum gravium pondus allevat, & sine virtutis dispendio jucundam interpolationem gaudiorum affert;* qualem Valerius Scævolæ fuisse dicit; verum eam demum, quæ, ut teterrimum prodigalitatis instrumentum, legibus damnata est; quæ, dum turpiter lucrum inhiat, aut opes suas prodigit, aut alienas captat. Quare vir clarissimus [4] pro *in scurrilibus lusibus*, legendum putat *in senilibus l.* vel (nam in libris est *inseenis*) *in senis*; aut, si mavis, *in senii l.*

1. Vide *cap. seq.* 2. In *Hortensio*; apud Nonium in voce, *Scripta*. 3 *Excussi* P. S. Elias Vinetus Santo. 4. *Variar. Lection.* lib. II. cap. XII.

A Est enim alea, ut Sidonius inquit, senum oblectamentum, ut pila juvenum. Unde & Cato in libello Ciceronis *de Senectute*, cum juvenibus arma, & equos, & pilam, & id genus exercitamenta concessisset, ab illis vicissim ex omni lusionum genere tesseras, & talos, senectuti relinqui postulat. Et Augustus in quadam ad Tiberium epistola, *Inter cœnam*, inquit, *lusimus* γεροντικῶς *& heri & hodie*. Hæc fere Rutgersius, vir præter summam eruditionem incomparabili judicii integritate præditus.

Sed torsit hic Valerii locus alios etiam viros doctos. Videamus. Notat diligentissimus Stephanus B Winandus Pighius, pro *Aleæ quoque & calculis vacasse interdum dicitur*, legi in quatuor manu exaratis codicibus, *Alveo quoque & calculis*. Melius, inquit; nam alea inhonesta est. Ad illa vero, *Ut enim in rebus seriis Scævolam, ita & in scurrilibus hominem agebat;* Sic disputat, & dispungit: *Quomodo? Scurrilibusne lusibus delectabatur Scævola, vir gravissimus? Sane suspectus est locus. Scripti libri quinque*, in scenis lusibus, *produnt. Pulmannianus*, in senis. *Conjice Lector, quid esse velit. Forte legendum*, inseriis lusibus, *id est, non seriis. Adfuit Interpres, qui* puerilibus *explanavit; quod deinde mutatum in* scurrilibus. Hæc ille.

C Johannes Isaacius Pontanus, vir doctissimus atque integerrimus, famæque non incelebris Criticus, emendabat ex fide membranarum, quas ille in Anglia contulerat, *in serotinis lusibus* [1]. Nam in optimæ notæ Scripto testatur fuisse, *in Serois l.* Unde Scriverius exsculpebat, *ita & in heroicis lusibus hominem agebat*. Vel, *in herois lusibus*. Non infeliciter, & recte fortassis; cum Maximus ante indicarit Scævolam *Alveo & calculis interdum vacasse*. Et hic per Heroicos lusus, Calculorum, sive Latrunculorum ludum intelligat. Ita ut totus Valerii locus ad hunc modum necessario videatur interpolandus, præeuntibus auspicato libris antiquis, & doctissimo viro D opitulante: *Scævola quietæ remissionis certissimus testis, optime pila lusisse traditur: quia videlicet ad hoc diverticulum animum suum, forensibus ministeriis fatigatum, transferre solebat. Alveo quoque & calculis vacasse interdum dicitur; cum bene ac diu jura civium & cæremonias Deorum ordinasset: ut enim in rebus seriis Scævolam* [2]; *ita & in Heroicis lusibus hominem agebat; quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.* Laudatur otium, non quo evanescit virtus, sed quo recreatur. Quod si quorundam palato necdum Scriveriana lectio satis placet, cogitent illi an quid melius in medium adferre possint, quo corruptus sine dubio locus in integrum restitui possit, & E persanari. Nam ambigit etiamnum ipse Scriverius: cui videbatur alias, illud *scurrilibus* ex glossemate in contextum irrepsisse, & Valerium scripsisse: *ut enim in rebus seriis Scævolam; ita & in lusibus hominem agebat*. Neque enim admodum necesse est *lusus* epitheto aliquo insigniri. Bellissime namque *Res seriæ* & *Lusus* opponuntur. Si vero illud de *herois*, sive *heroicis lusibus* quibusdam magis arridebit, utpote vestigia priscæ lectionis fideliter referens, meminerit antiquos non solum latrunculis, sed & tesseris talisve delectatos: siquidem *aleæ quoque & calculis vacasse* Scævolam malit, cum Editionibus, & non *alveo* cum Pighianis. Studiosus lector non ignorat F Veterum τὴν πεττείαν. Quare in recensendis Poetarum & aliorum scriptorum locis parcam operæ. Unicum tantummodo locum minus obvium, eruditissimo Salmasio suggerente, adscribam, & huic Capiti finem imponam. Achillem tesseris ludentem inducebat in tragœdia *Telepho*, e qua versum hunc citant Grammatici veteres:

Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα.

Observant iidem Euripidem in διασκευῇ illius trage-

1 Vide ejus *Analecta*. 2. Q. Muc. Scævola, Augur. & J. C.

diæ, πεττείαν ex ea & heroas tesseris ludentes sustulisse, & versum illum expunxisse. Zenobius in Proverbiis, *Centur.* II. *Proverb.* LXXXV.

Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα.
τοῦτο Εὐριπίδου ἐστί. καὶ Ἀριστόξενος δέ φησιν, ὅτι Εὐριπίδης διορθῶν τὸν Τήλεφον ἐξεῖλε τὴν πεττείαν. Id est.

Jecit Achilles duo puncta & quatuor:

Euripideum. Et Aristoxenus refert, Euripidem quum Telephum suam emendaret, tesserarum ludum (ex ea tragœdia) *sustulisse*. Ita enim cum Salmasio *ad Hist. Aug* p.471. vertendus erat ille locus, quem nuper viri doctissimi imperitissime reddiderunt, hoc modo:

Duas Achilles quatuorque tesseras Jecit. ——

Et: *Aristoxenus refert, Euripidem Telephum reprehendendo calculorum evertisse ludum.* Quæ interpretatio nec cœlum, nec terram tangit. Primum, Achilles non duas & quatuor tesseras jecit, sed duabus jactis tesseris, duo & quatuor attulit puncta. Mos enim erat aleatoribus, quum duas tesseras jacerent, earum puncta sic designare: *duo, & quatuor: tria, & quinque: quatuor, & sex*. Quod etiam hodieque in more habent. Aristophanis Interpres: ἔθος δὲ κυβεύουσιν οὕτω λέγειν, β. δ. γ. ε. Ita distinguendum est: male vulgo scribitur, βδγε. Fefellit eruditissimos homines ὁμωνυμία vocis κύβος, qua apud Græcos non tessera tantum significatur, sed etiam punctum tesseræ, & unitas. De qua significatione infra agemus. Deinde non ea mens Aristoxeni fuit. Dixerat ille Euripidem, quum novam Telephum daret, totum illud ἐπεισόδιον, quo heroas tesseris ludentes in priore produxerat, sustulisse. Διορθῶν Τήλεφον, est *corrigens & emendans* tragœdiam *Telephum*. Vide Eustathium *Iliad.* π'. Cæterum de auctore illius versus inter veteres Criticos dubitatur. Euripidis negat esse vetus Aristophanis Scholiastes *ad Ranas*; apud quem Comicum Bacchus usurpat in Æschylum victorem Euripidis.

CAP. XVIII.

De ludi aleatorii prima inventione, variæ sententiæ.

REVERTOR iterum ad Tabulam, de qua manum removeram, Critico eam ferro parumper commodans. Nam de inventione prima talorum, tesserarumque & latronum, non exsecutus sum omnia ea qua par est diligentia: tum quod cum superiora chartis mandarem, quædam non succurrerent festinanti; tum quod studiosius quædam Capite singulari enarranda, distuleram. E diverticulo itaque in viam regressus, pergo telam, quam Capite XII. & XIII. exorsus eram, pertexere. A Palamede, Nauplii Eubœæ regis filio, Calculos inventos ex Sophocle, Philostrato, aliisque, ibidem a nobis edisserum, Veterum testimoniis in medium prolatis. Quibus adde, si lubet, quæ ex Eustathio & *Etymologici* Auctore Clarissimus Meursius, vir mea laude major, & perpetua memoria dignissimus, in elegantissimo Commentariolo suo DE LUDIS GRÆCORUM, docte atque accurate, ut solet, nuper observavit, in ΠΕΤΤΕΙΑ. Ubi notat apud Ilienses lapidem ostendi solitum, in quo Græci lusitarint: & Palamedis calculum apud Argivos fuisse. Nos *Palamediacos calculos* ex Cassiodoro obiter produximus. Verba ejus sunt *Var. Epistolar* lib. VIII. ep. XXXI *Cui enim minus grata nobilium videatur occursio? cui non affectuosum sit, cum paribus miscere sermonem, forum petere, honestas artes invisere, causas proprias legibus expedire, interdum Palamediacis calculis occupari, ad balneas ire cum sociis, prandia mutuis apparatibus exhibere?* Euphorion: Πεσσὰ Ναυπλιάδαο. Palamedi etiam aleam tribuunt Volaterr. *lib.* XXIX. & Calcagninus *de ludo talario & tesserario*, repertam in castris Græcorum contra Trojanos, dum otia miles ageret, aut animum a militari opere paululum relaxaret. Isidorus *Originum* lib. XVIII. cap. LX. *Aleam* quoque *inventam* refert *a Græcis in otio Trojani belli*, non a Palamede, sed *a quodam milite nomine* ALEA; *a quo & ludus iste nomen acceperit*. Nugatur de more, & antiquum obtinet Hispalensis Antistes; nam quis ejus facetias & Iberas nænias nescit Siculis gerris inaniores?

Herodotus *lib.* I. tesserarum & aleę inventum Lydis, Asiæ populis, adscribit. Eodemque auctore Eustathius Homeri Interpres. Polydorus Virgilius *de Invent.* l. II. c. XIII. *Aleæ*, inquit, *tesserarumque ludum & pilæ, cæteraque lusoria animi recreandi gratia inventa, præterquam talaria, Lydi, teste Herodoto, omnium primi excogitaverunt*. Unde ludos nonnulli volunt a Lydis (quæ natio olim fortis & invicta) dictos esse, monente Cælio Calcagnino in *Præfat. de Lud.* Hinc deum Lydium religiose cultum apud Veteres, accepimus; quem alii Lysium, a solvendis curis, maluerunt appellare. Atqui Lydos ejusmodi aleatorias artes non tam voluptatis, quam famis propulsandæ causa excogitasse, idem Herodotus memoriæ prodit. *Nam cum annonæ caritate patria* (*tempore Atydis Manis regis filii*) *premeretur, sic famem consolari solebant, altero quidem die cibum sumentes, altero ludis operam dantes* 1. Atque hoc modo inediam solantes vixere annis duodeviginti.

A Lydis ad Græcos perfluxisse ludos legimus, mox e Græcis ad Romanos; quorum semper ingenia ea fuerunt facultate prædita, ut seria æque ac joca pari studio ac laude amplecterentur. Calcag. *ibid.*

2 Plato auctor est in *Phædro*, Theuth priscorum quendam deorum Ægyptiorum invenisse talorum tesserarumque ludum His fere verbis: *Dæmoni autem ipsi nomen Theuth: hunc primum numerum, & computationem invenisse numerorum, geometriamque & astronomiam, talorum denique alearumque ludos audivi*, &c Ipsa Græca Meursius recitat, *de Ludis Græc.* p. 53. in Πεττεία. Ubi & vir doctissimus nos docet diversam Platonis πεττείαν fuisse, & eam quæ τῆς πεττευτικῆς dicebatur. Quod olim divini viri Interpretes (qui nunc interciderunt) in eum locum annotaverant: repræsentante has tam insignis naufragii tabellas Eustathio Grammatico. Vide omnino, vide apud Meursium.

Ad Ægyptium hunc Dæmonem Joannes Chrysostomus videtur allusisse *Homil.* VI. *in Matth.* cum inquit. *Deum non invenisse ludum, sed Diabolum: sedit enim populus ad manducandum & bibendum, & surrexerunt ad ludendum in honorem turpissimi Idoli.*

Non a Diabolo ipso, sed a Philosopho quopiam instinctu Diaboli aleam excogitatam prodit Cypr. *de aleatoribus*, Oper. Tom. III. sive alius quispiam doctor Ecclesiasticus, sub sanctissimi nominis ejus involucro populum & Clerum erudiens atque castigans, quodam Sermone in Aleatores: *Cum enim quidam*, inquit, *studio literarum bene eruditus, multum meditando hoc malum & tam perniciosum studium adinvenit, instinctu solius* Zabuli (id est, *Diaboli*) *qui eum artibus suis repleverat. hanc ergo artem ostendit, quam & colendam sculpturis cum sua imagine fabricavit*, &c quæ de inventione hujus ludi subjungit, non obscure innuens Philosophum aliquem auctorem.

Ille (Diabolus) *cum se in statunculis & simulachris formaret, aliud crimen adinvenit, quo se ab imitatoribus suis colendum, & sibi sacrificandum instituit; ita ut qui vellet studio ejus adhærere, non ante manum in tabulam porrigeret, nisi auctori huic prius sacrificasset*. Cyprianus *ibidem*.

3 Antonius Florentinus *tot crimina ex ludo nasci* arbitratus est, *quot in taxillis puncta*. Imo,

4 *Vulnera plus crescunt punctis, quam bella sagittis.*

M. Mantua *Polymathiæ* l. VIII. c. III. dicit, *non tantum aleę lusum crimen esse, sed malorū Dęmonum inventū.* Et

1 Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. 2 Georg. Merul. *ad Ovid. Artem A. lib.* II. 3 Gregor. Tholosan. 4 M.S. Epigr. *de Tabula*.

Et Joannes Bodinus I. *Dæmonol.* cap. VI. asserit *in alea & fortuito illius jactu, geomantiam artemque Diabolicam sitam esse*. Et Vincentius *Sermone de S. Matthia: Manus Diaboli est ludus taxillorum*. Extra dubium igitur Alea tale quid est,

[1] Dæmonis instinctus sibi quod reperere maligni
Cum variis homines in sua damna dolis.

Atqui cum nullum nobis esse possit cum Diabolo & ipsius muneribus commercium tutum aut salutare; ideo toto pectore abominanda alea est, & Christianorum finibus exterminanda.

CAP. XIX.

Tabulæ veteris forma, & Scriptorum lusoriorum in ea descriptio.

Luculenta & ampla satis testimonia de Inventore primo congessimus. Afferta igitur aliquot Capitibus (XII. XIII. XV. & XVIII.) Palamediaca Tabula; Abaci hic lusorii forma vetus describenda porro & enarranda est. Eam longiorem fuisse, quam latiorem, non obscure indicat Plinius ex actis triumphorum Pompeii Magni *l.* XXXVII. *c.* II. *Transtulit*, inquit, *alveum lusorium cum tesseris, e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor*. Vides tertiam partem latitudinis ad longitudinem adjectam fuisse ut plurimum, in abacis illis lusoriis fabricandis. Talis etiam hodieque fere forma nostrarum tabularum. Et ut forma est eadem, sic & ipsa vox Gallis remansit. Sed *tabulas* illi non alveolos, in quibus luditur, sed calculos lusorios, albos nigrosque, sive quo alio colore; & *tablarium* alveum ipsum lusorium, vel tabulam appellant. Quæ Martiali l. XIV. in lemmate distichi XVII. *Tabula lusoria*; ea aliis scriptoribus simpliciter *tabula*. Isidorus l. XVIII. *Originum*, cap. LX. *Alea, id est, lusu tabulæ, a Græcis in otio Trojani belli a quodam milite nomine Alea; a quo & ars nomen accepit*. Luxorius in Epigrammate, *De tablista furioso, quasi tesseris imperante*. ubi inter alia:

Hic si forte unam tabulam non arte, sed errans
Vicerit, aut aliam, nil bene dante manu.

Abdias Babylonius *tabulis ludere* dixit in numero plurali: *Dum ludere tabulis & spectaculis non erubescunt*. Si Τάβλαις παίζειν apud Eusebium lib. V. προφήτης στιβίζεται καὶ φιλοκομεῖ. προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει. hoc est, *tesseris & tabulis ludit*.[2] Hieronymus in *Vita Apollonii: Prophetes tabula ludit & tesseris*? Hesychius: Πεττείαις, κύβοις: τάβλαις. Suidas: Τάβλα, ὄνομα παιδιᾶς. Agathias in obscurissimo epigrammate *de Zenonis tabula*: Τάβλην, vel, ut in *Anthologia* hodie cusum,

Ταύλην φθέγγετε πάντες, ἐπεὶ καὶ κοίρανος,[3] αὐτὸς
Κείνης τὰς ἀλόγους οὐχ ὑπάλυξε τύχας.

Et in lemmate ejusdem epigrammatis legendum, εἰς ταῦλαν, sive, εἰς τάβλαν Ζήνωνος τοῦ βασιλέως. quod mendosissime hactenus conceptum fuit, ad hunc modum: εἰς τὰ λυπὰ Ζήνωνος. Sed pridem emendatum est ab illustri viro & eruditorum phœnice, Josepho Scaligero[4]; monitumque postea a Salmasio, titulum illum ita omnino oportere concipi, selectissimis suis *in Flavium Vopiscum Notis*: loco jam non semel a nobis indicato. Meursius in *Glossar.* V. Ταυλωτὸν, malebat, εἰς ταυλωτά; quasi *tabulatum* usurpaverit pro ipsa tabula lusoria. Sed quid diutius barbaro isti luto inhæremus? Ipsi Latini, etiam tum Roma florente, *tabulam* simpliciter dixerunt hunc lusum, qui in tabula calculis tesserisque peragitur. Eloquentissimus nequam Petronius

A Arbiter in *Satyrico*: *Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseris*. Itemque alius Satyrographus, Juvenalis *Sat.* I.

-- Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.

Eodem modo dixit Agathias τάβλης τύχας. Lucanus, sive quis alius auctor *Panegyrici ad Pisonem*:

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus. ——

Ausonius *Commemoratione Rhetorum Burdigalensium*. Locum Cap. XVI. produximus. *Ad tabulam ludere*. Paulo Diacono, *De gestis Longobardorum* l. I. c. XX. *Horum itaque viribus rex indubitanter fidens,*
B *dum ipse securus ad tabulam luderet*. Hoc Græci recentiores dixere uno verbo ταβλίζειν, vel ταυλίζειν, (nam & ταῦλα, pro τάβλα, scribitur) ut in Zatricii ludo ζατρικίζειν, latrunculis, vel lusum istum ludere. De quo postremo, Cap. IX. habes ex Achmete *Oneirocritico*. De ταβλίζειν vero exemplum Isaacii Porphyrogennetæ suppeditat Caput XIII. & Meursius in *Glossario*, hac voce. Quibus adde Hesychianum illud, Πεττοὶ, βόλια ἐν οἷς ταβλίζουσι, vel, ταυλίζουσι. A voce τάβλης Palladas poeta Græcus Ταβλιόπη vocabulum composuit, ad Καλλιόπη festiva paronomasia alludens; hoc Epigrammate *Antholog.* l. II. Tit. εἰς κυβευτάς:
C
Πάντων μουσοπόλων ἡ Καλλιόπη θεός ἐστιν,
Σεῖο δὲ Καλλιόπη Ταβλιόπη λέγεται.

Ταβλιόπη per lusum dicta aleatorum Dea, hoc disticho; quod sic Latine adumbramus:

Est Dea Calliope doctorum maxima vatum;
At tua Calliope, vir bone, Tabliope est.

Inde etiam infimæ vetustatis auctores *Tablistam* finxere. Luxorius, cujus locum paulo ante adscripsimus: & alius quidam Anonymus, *De ebore*:

Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tablistis,
Discolor & tabulæ calculus inde datur.

In veteribus Glossis H. S. Ταβλιστὴς, sed interpre-
D tatio desideratur vulgo. Meursius in *Glossario* ejus vicem supplet: Ταβλιστὴς, *Tabulista*, Aleator. Ibidem: Ταβλοπάροχος, qui tabulam lusoribus exhibet. *Tabulis* autem *ludere* cum Latini dicunt (observatum hoc, notatumque eruditissimo Salmasio *ad Hist. Aug.* p. 462.) aut Græci τάβλαις, vel ταβλίοις παίζειν, per *tabulas* non intelligunt alveos lusorios, sed vel tesseras ipsas, vel calculos, quibus in tabula luditur. Græci enim recentiores τάβλας etiam & τάβλια pro tesseris usurparunt. Grammaticorum Glossæ: κύβος τὸ ταβλίον. hinc ταβλία pro clavis aureis purpureisque, quibus vestes intexi prætexive solebant. Chronicon Alexan-
E drinum, &c. Hinc Galli suas *tablas* pro calculis, & *tablarium* pro alveo lusorio (quod modo perstrinximus) accepere. Duplex autem tabulæ lusoriæ clausæ latus erat: in quorum altero latrunculis ludebatur, &c. Rursus apertæ sive explicatæ tabulæ duplex quoque latus; dextrum & sinistrum; utrumque a summo ad imum duodecim descriptum distinctumque erat lineis, sibi invicem respondentibus, & exadverso oppositis. Sic erant in totum viginti quatuor lineæ. Totidem hodieque sunt in nostris alveis lusoriis, æqualibus omnes spatiis & pari intervallo disparatæ. Hinc[1] Quintilianus *lusum duodecim scriptorum* appellavit, *lib.* XI. *capite*
F II. ubi vulgo male *scruporum* legitur. Nam ante Fabium, sic Cicero loquutus erat in *Hortensio*; ex quo fragmentum hoc Nonius Marcellus producit, in voce *Scripta*. *Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis*[2] *solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet*. Allusit hoc loco Tullius ad Platonem, in *Phædro*[3]. ex quo etiam colligere licet Πεττοὺς & *duodecim scripta* non esse diversa. Ad

1 Vet. *Apherdianus*. 2 Apollonius *contra Phryges*, Meurs. in *Gloss.* V. τάβλα. 3 ἀνδρῶν apud Salmasium. 4 Vide *Ausonianas Lection.*

1 Vide supra *cap.* XV. 2 Alii, *olim*. 3 Vide Salmasium pag. 464.

hunc ludum duodecim ſcriptorum Martialem quoque referri video [1].

TABULA LUSORIA.

Hic mibi biſſeno numeratur teſſera puncto:
Diſcolor heic gemino calculus hoſte perit.

Ut tabula duodecim diſtincta lineis, quas Poeta hic *puncta* appellaverit, intelligatur. & ſenſus illius diſtichi ſit: *Heic*, id eſt, in tabula duodecim punctis notata, luditur ad teſſeram; *Diſcolor heic*, &c. in eadem etiam tabula calculis, hoc eſt, latrunculis, luditur. Eadem namque tabula & teſſeris & latrunculis ſerviebat. ſed alterum tabulæ latus, in quo teſſeris ludebatur, punctis (cum Martiale, ſiquidem vera eſt interpretatio Salmaſii) vel lineis duodecim deſcriptum diſtinctum erat; in quibus calculi varie diſponebantur, prout teſſeræ cecidiſſent. Sed illud apud Martialem *biſſeno teſſera puncto*, aliter vulgus Interpretum accipit [2]. *Duabus teſſeris*, inquiunt, *ut plurimum ludebatur, ut hodie, quarum ſummus numerus δωδεκὰς, duodenarius, duplex nempe ſenio.* Duodecim horum ſcriptorum ſive linearum etiam meminerunt, auctores Græci, Cedrenus, Porphyrogenneta, Suidas, & Johannes ille ἀρχαιόλογος: quos Cap.XIII. laudavimus. qui omnes in Tabula Palamediaca duodecim κάσυς, ſive κάσυς, agnoſcunt. Quos *capſos* interpretatur Salmaſius. At Scriverio *caſæ* videbantur: quomodo *caſe* hodieque apud Italos in uſu ad tabulam latrunculariam ludentibus. Sed quocunque tandem nomine, *capſæ*, *caſæve*, an *caſſæ* barbaris dictæ iſtæ lineæ, in quibus calculi ponebantur; Veteribus *ſcripta*, & *ſcriptula* dicta. Ovidius tertio *Artis ſuæ*: Ludi, inquit,

Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menſes lubricus annus habet.

Perperam etiam hic excuſum, *Spicula*, vel etiam *Scripula*, quis adeo hoſpes in lectione bonorum auctorum, qui neſciat? Hinc & Anonymus in epigrammate *De tabula*, *ſciptorum tramitem* dixit. Hæc *ſcripta* ſive lineas, per quas calculi currebant, *vias*, appellat Iſidorus *Origin* lib.XVII. cap.LX. *de figuris aleæ*. *Sed & ipſa vias*, inquit, *ſenariis locis diſtinctas, propter ætates hominum argumentantur*. Ὁδὸς ſimiliter Agathiæ eſt, in celebratiſſimo Epigrammate *de Zenonis tabula*. Græci antiquiſſimi illas calculorum ſedes appellarunt olim πόλεις, poſtea χώρας. Γραμμὰς etiam vel γράμματα, & γραμμικὰς χώρας nuncuparunt, quod lineis invicem diſcluſæ eſſent & interſeptæ calculorum illæ ſedes, ſive regiones. Et ludus ipſe διαγραμμισμὸς dicebatur Qui ludus ab eo qui πόλις vocabatur, diverſus erat, etſi non multum diſſimilis. Quod in ſequentibus exponemus. In utroque illo Calculorum ludo ſedes χῶραι dicebantur. In ludo quoque teſſerarum, quam πεττείαν Græci dicunt, lineæ in quibus diſponebantur calculi, χῶραι vocabantur. Hinc μονόχωρος tam in teſſeris quam in latrunculis luſor ille dicebatur, qui omnibus ſuis calculis ſpoliatus & victus abibat, ut qui ad unum redactus eſſet calculum. Vincebatur quippe in hoc luſu qui cum paucioribus calculis erat relictus in tabula, imo qui omnes ad unum amittebat. Artemidorus *Oneirocritic*. lib.III.cap.I. Εἰ δέ τις νοσῶν παίζειν ὑπολάβοι ψήφοις, ἢ ἄλλον παίζοντα ἴδῃ, κακόν. μάλιϛα δὲ εἰ αὐτὸς λείποιτο· ἐπειδὴ μείονας ἔχων ψήφυς καταλείπεται ὁ νικώμενος. αὐτοὶ δὲ οἱ κύβοι ὁρώμενοι ϛάσεις καὶ ἔχθρας προαγορεύυσι. Atque ille infelix luſor μονόχορος Græcis, Latine *adunatus* dicebatur. Veteres Gloſſæ H. S. Μονόχωρος ἐν τάβλῃ, (vel τάβλᾳ) *adunatus*. ubi Græca ἐν τάβλᾳ appone reliquis de *tabula* exemplis, quæ ſupra annotavimus: & nota porro elegantem notionem verbi *adunatus*, pro eo qui ad unum redactus eſt calculum,

1 A Salmaſio *pag.* 462. 2 Matth. Raderus *in Comment.*

quique omnes calculos ſuos ad unum amiſerat. *adunatus*, ὁ μονωθεὶς, cum uno calculo ſolo relictus. cui calculus unus tantummodo in ſuo loco ſedeque ſuperaret, cæteris a colluſore captis. Hinc Ariſtæneto *lib.I. epiſt.*XXIII. Μονόχωρος nomen infelicis aleatoris ac tabliſtæ (ut cum rentioribus ita loquar.) Argumentum epiſtolæ eſt, Ἐρωτικὸς κυβευτὴς περὶ ἀμφότερα δυϛυχής· ſequuntur perſonæ, ejus qui ſcribit, & ejus ad quem ſcribitur: Μονόχωρος, Φιλοκύβῳ Tota illa epiſtola Μονόχωρος (nomen hoc infelici aleatori pariter atque amatori non illepide ſane fecit) conqueritur de infelici fato, tam in amoris quam teſſerarum ludo. Quem locum illuſtravit nobis Muſarum illud delicium Salmaſ. *ad Hiſtor. Auguſtam p.* 460. Perperam hodie apud Ariſtænetum editum eſt, μονόχορος, nullo idoneo ſenſu. Χώρας illas in tabula luſoria, etiam τόπυς vocare conſueverant. Etymologicum Magnum: Πρὸς τὺς τόπυς ὓς ἔχει Παλαμήδειον ἀβάκιον. Appellabant etiam χαρακώματα: Exemplum habes Cap.XIII. e Porphyrogenneta. qui κάσυς ea voce exponit. De quibus ſub finem ejuſdem Cap.XIII. egimus. Recte Iſaacius κάσυς χαρακώματα exponit. Duodecim *caſſos* ſive *capſos* habuit tabula luſoria, in quibus calculi collocabantur, & per quos varie movebantur, ſecundum teſſerarum jactum. Latini *mandras*, *ſepta*, *vallos*, & *capſos* & *carceres* vocabant loca illa ſive ſedes in tabula, in quibus veluti clauſi tenebantur latrunculi. Martialis *lib.*VII. *epig.*LXXI.

Sic vincas Noviumque, Publiumque,
Mandris & vitreo latrone clauſos.

Auctor *Panegyrici ad Piſonem*:

—— Hic ad majora movetur,
Ut citus [1] & fracta perrumpat in agmina mandra.

Nam calculus qui in calculi diſcoloris ſedem faciebat impetum, ut eum caperet, & ſede ſua pelleret, mandram ejus ſive vallum frangere intelligebatur: belli quippe imagine hæc peragebantur. *Mandra*, idem quod ſeptum vel vallum. *Vallum* etiam dixit idem Auctor, quam proxime dixerat *mandram*.

Ut citus [2] effracta prorumpat in agmina mandra,
Clauſaque dejecto populetur mœnia vallo.

Vides *mandram*, *vallum*, *clauſa mœnia*. Græcis πόλις & χαρακώματα rem eandem notare indicavimus. *Mandra* autem idem quod χαράκωμα. Heſychius: μάνδραι, ἕρκη, φραγμοί. Mandræ igitur in tabula luſoria, ſunt loca lineis diſtincta, in quibus ſiti erant calculi, ſive latrunculi. Κάσυς etiam ſive *Capſos* vocatos vidimus. Nempe, quod *capſum*, vel *capſus* idem plane quod mandra. *Mandram* pro ſtabulo etiam Græci ſolent ponere. Sic & Latini *capſum*, & *ſeptum*. hinc *capſum animalium* apud Velleium. Calculorum autem regiones in tabula, quas Græcis veteribus πόλεις dictas monuimus, & χώρας, & μάνδρας, & χαρακώματα Latinis etiam *mandras*, & *capſos*, & *carceres*, Græci recentiores ζατρίκια nominarunt: notante Salmaſio, ſed non parum hic (doctiſſimi viri pace dixero) hallucinante, aut animo peregrinante. Vide quæ Cap.X. ex illius ſcriptis ſublegimus. Sed tota illa diſputatio erudita quidem eſt, & arguta; ſed nec cœlum, nec terram tangere, ipſe, lecta Clariſſimi Scriverii obſervatione, quæ ibidem ſequitur continuo, haud diffitebitur. Adi Cap.XI. Hactenus de tabula latruncularia, & teſſeraria, lineiſque aut ſcriptis, aut loculamentis denique, quibus uterque alveus deſcriptus fuit ac diſtinctus.

1 *Effracta prorumpat* P. S. 2 Ex P. S. emendatione.

CAP. XX.

Græcorum Πόλις. Διαγραμμισμός. Χῶραι. Γραμμαὶ, Γραμμικαὶ χῶραι. Γραμμισμός. Πόλις & Ζατρίκιον *idem: forsitan &* Πεττεία. Κύνες.

1 TABULA, in qua latrunculis ludebatur apud Veteres, tota lineis distincta, & unicuique calculo suus locus ac sua sedes attributa: nec aliter hodie est apud nos. Tabula enim lusoria quadraturis discoloribus alternatim positis distincta est, & in illis loculis quadratis locari solent calculi. Sedes illas calculorum Græci olim *πόλεις*, postea *χώρας* nuncuparunt. quod supra annotavimus. &, ut monebamus, *γραμμὰς* etiam vocarunt, & *γραμμικὰς χώρας*. Hesychius: 2 Πόλις *παίζειν, παροιμιῶδες. καὶ δοκεῖ μετηνέχθαι ἀπὸ τῶν τῇ ψήφοις παιζόντων, ἐν τῶν λεγομέναις νῦν χώραις, τότε δὲ πόλεσι.* Idem: *Διαγραμμισμὸς, παιδιά τις ἑξήκοντα ψήφων λευκῶν, καὶ μελαινῶν, ἐν χώραις ἑλκομένων. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ* Γραμμὰς *ἐκάλουν.* Eustathius *in Homerum:* Εἶδός τι κυβείας καὶ πόλις· *ἐν ᾗ ψήφων πολλῶν ἐν διαγεγραμμέναις τισὶ χώραις κειμένων ἐγίνετο ἀνταναίρεσις, καὶ ἐκαλοῦντο αἱ* Γραμμικαὶ *χῶραι, πόλεις ἀστειότερον.* Notabis tamen *διαγραμμισμὸν* diversum fuisse ludum ab eo qui *πόλις* dicebatur, etsi non multum dissimilis esset. Pollux *Onomastici* l. IX. c. VII. postquam τῆς *πόλεως* ludum recensuit, *ἐγγὺς δέ ἐστι,* inquit, *ταυτῇ τῇ παιδιᾷ καὶ ὁ* Γραμμισμὸς, *καὶ τὸ Διαγραμμίζειν· ἣν τινα παιδιὰν καὶ* Γραμμὰς *ὠνόμαζον.* *Διαγραμμισμὸς* sexaginta calculis albis nigrisque constabat, qui de loco in locum trahebantur. Docet id, præter Eustathium *ad Il. ζ.* (de quo Meursius in *voce Διαγραμμισμὸς*) Hesychius loco citato. Atque hic ludus nihil, aut parum, distabat a nostro, quem vocamus, *Dominarum joco*. qui tamen triginta tantum calculis luditur; quindecim albis, & quindecim rubeis. Πόλις vero veterum Græcorum, idem omnino fuit cum Zatricio recentiorum, & cum Latrunculis Romanorum. Nam recentioribus Græcis *ζατρίκιον* latronum, sive Scacchiæ, ludum appellari, notum ex iis quæ Cap. IX. adduximus: quæque Meursius superioribus diebus retulit libro *de Ludis Græcorum*, in voce Ζατρίκιον. ubi planius fidentiusque asserit, quæ jamdudum in *Glossario Græco-barbaro* proposuerat. Docet, inquam, heic certo Scacchiam esse Ζατρίκιον: & monet præterea, idem esse quod Veterum Πεττεία. De qua & ipse consulendus infra. 3 Cratinus apud Pollucem *l.* IX. *c.* VII. ubi ludum τῆς *πόλεως* describit, Βασιλέως etiam meminit. Quem locum ex veteri libro Salmasius 4 ad hunc modum corrigit: *ὅθεν καὶ* Κρατίνῳ *πέπαικται* Πανδιονίδα, *πόλεως βασιλέως τῆς ἐρικόλακος, οἶσθ' ἣν λέγομεν καὶ κύνα καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν.* Ερικόλαξ verbum finxit, ut *ἐριβώλαξ*: nisi ita sit reponendum. Locus hic Pollucis vulgo, etiam in editione Seberi 5, depravatissime circumfertur; neque Notæ ejus quicquam prosunt, nisi quod eæ nos relegent ad Proverbium, *Civitates ludimus*. Enimvero quum *ad Flavii Vopisci hunc locum: In imperium vocitatus est ludo pene & joco, ut Onesimus dicit, quod quidem apud nullum alium reperisse me scio. Nam quum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies imperator exisset, quidam non ignobilis scurra,* AVE, *inquit,* AUGUSTE: *allataque lana purpurea, humeris ejus* 6 *junxit, eumque adoravit:* ita commentatur immortale literarum & literatorum decus Isaacus Casaubonus: *In calculorum ludo, quem Græci recentiores ζατρίκιον dixerunt, unus fuit qui dicebatur Rex, ut scribit Theocriti Scholiastes: sed in latrunculorum ludo, ipse qui ludebat, si faveret alea, Rex exibat,* &c. monendus est lector, ne temere accedat eruditissimo & summæ auctoritatis viro 1. Nam quot in hac observatione verba, totidem pene errores. Primum, calculorum ludum a latrunculorum ludo perperam facit diversum. Deinde, male etiam a latrunculis separat ludum illum quem *ζατρίκιον* dixere recentiores Græci. Tertius error est, primo secundoque longe major, quo latrunculis aleam adsignat, quem plane ludum constat nihil aleæ debuisse, sed arti omnia & ingenio ludentium. Calculorum & latrunculorum ludum eundem fuisse veteribus Latinis, testatissimum est: exposuimusque jam antea, *c.* IV. *& seqq.* Plura adhuc possem congerere: sed quid opus pluribus, ad id confirmandum de quo dubitare potest nemo? Sed probandum contra viri doctissimi sententiam, Græcos recentiores *ζατρίκιον* hunc latronum ludum vocasse. In ludo latronum calculus unus erat, qui dicebatur Rex. Ludus quoque ille, quem *ζατρίκιον* vocabant, Regem suum habebat. Quod non obscure innuit Scholiastes Theocriti *Idyll.* VI. *ἡ δὲ λέξις μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν παιζόντων τὸ κοινολέκτως λεγόμενον* Ζατρίκιον· *ἐκεῖνοι γὰρ ὅταν πολλὰ ποιήσαντες οὐ δύνανται ἑτέρως νικῆσαι τὸν ὅμοιον παίκτρα, κινοῦσι καὶ τὸν ἀπὸ ἱερᾶς γραμμῆς λίθον τὸν ... Βασιλέα καλούμενον.* Sic in ludo Latronum, sive Scacchiæ, sciunt qui in illo ludo docti sunt, non alias eum calculum, qui Rex nuncupatur, moveri solere, quam ubi maxima urget necessitas, & aliud auxilium non suppetit lusori ad se defendendum. Achmes de Zatricio ita scribit 2: *Si rex, aut dux aliquis somniaverit, zatricium sibi furto periisse, aut fractum esse, exercitum amittet, & magnam in bello cladem patietur*. Quare istud? quia totum zatricii aut latronum ludi negotium, bellum erat, vel belli simulachrum. hinc calculos ipsos, quibus ludebatur, & *latrones* & *milites* fuisse dictos, supra *c.* IV. V. & VI. observavimus. Hinc hostium, aciei, phalangis, prælii, captivorum, tropæorum passim mentio apud Veteres, dum illum ludum describunt. Lege ante alios suavissimum Panegyricum illum, jam toties citatum, *ad Calpurnium Pisonem*. Oneirocriticum etiam eodem Capite, nempe CCXLI. adhibe. Idem auctor ibidem *παιγνίου πρόσωπα* vocat calculos, sive latrones. Unus discolor a duobus capiebatur concoloribus. Martialis de *Tabula lusoria*. 3

Calculus heic gemino discolor hoste perit.

Vincebat in hoc ludo, qui omnes ex adverso ludentis milites capere, & Regem ipsum, hoc est, principem calculum, quia nunquam capiebatur, ad incitas redigere poterat. Duo autem concolores calculi, unum discolorem capiebant; quod supra pluribus auctorum testimoniis clarissime explicavimus. Idem fiebat in ludo Zatricii; ut liquet ex Achmete. Sic Zatricium & Latrunculi, idem ludus. Eundem ludum intellexit Pollux *l.* IX *c.* VII. *Διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστὶ περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν.* Sed Achmetis *παιγνίου πρόσωπα*, hoc est calculi, qui Latinis *milites* & *latrones*, Græcis Κύνες dicebantur, *διὰ τὸ ἀναιδὲς*, ut Grammatici notant: *αἱ δὲ ἀντεπιβουλεύουσαι ἀλλήλαις ψῆφοι, κύνες. διὰ τὸ δῆθεν ἀναιδές.* *Insidiosi latrones* Martiali dicuntur l. XIIII. disticho XX cui lemma *Calculi* impositum.

Insidiosorum si ludis bella latronum;
Gemmeus iste tibi miles, & hostis, erit.

Cæterum in hoc ludo ligari etiam calculos, & moris erat olim, (Seneca *Epist.* CXVII. Auctorque *Panegyrici ad Pisonem*) & mos etiam nunc est. Sed aliter ligabantur, aliter capiebantur calculis. Unus poterat duos adversæ partis ac discolores ligare. Sed unus capi discolor non poterat, nisi a duobus contrariis. Utrumque quomodo fieret, satis percipiunt in hoc ludo eruditi;

1 Desumpta fere ex Salmas. *p.* 460. 2 Πόλει π. Meurs. *in* Πεττεία 3 Forte, *in* Δραπέτισι, cujus *Fabulæ* meminit Zenobius. 4 *Ad Histor. August.* p. 460. 5 Wolfgangi Seberi *Pollucis nova edit.* MDCVIII. 6 M. S. *ingessit* F. *injecit*, P. S.

1 Salmasio *p* 459. 2 *Oneirocrit* c. CCXLI. Græca habes supra, *Cap.* IX. 3 Vide supra, *Cap.* IV.

Quique latrocinii sub imagine prælia miscent,
Unus cum gemino calculus hoste perit.

Puto ex his, & quæ supra *cap.* IX. adduximus, omnibus jam liquere, Ζατρίκιον eumdem esse ludum cum Latrunculis, Latrunculos vero eosdem esse cum Calculis, inculcatum est aliquoties ante: adeo ut rem notissimam pudeat repetere, & firmare exemplis.

CAP. XXI.

Πεττεία veterum Græcorum, & Ægyptiorum. Meursio, Ζατρίκιον recentiorum, & Scacchia. Πεττεία, quasi Πεντεία. Ἱερὰ γραμμὴ, Τὸν ἀφ' ἱερᾶς κινεῖν, & Πόλει παίζειν, proverbia.

De Tabula lusoria, Grammismo, & Grammis, deque aliis inibi observandis, quæ Cap. XIIII. ex *Adversariis* summi viri Hadriani Turnebi adduximus, longe profecto cedunt iis quæ Capitibus duobus proxime præcedentibus a nobis consignata sunt. Quæ tamen ut omnibus numeris perfecta sint, & illustriora; addenda quædam erunt ex Cl. V. Joannis Meursii observationibus. *Diagrammismum* ille ex Hesychio, Polluce, & Eustathio *ad Iliad.* ζ. ludum sexaginta calculorum fuisse, partim alborum, partim nigrorum: Et *Grammas* quoque dictas, notat. Quod aliis etiam animadversum. *Zatricium* quoque ludum Scacchiæ indubitanter nuncupat; idemque fuisse dicit, quod Veterum Πεττεία. Quam, Polluce, Etymologico, Eustathio, Hesychio, Suida, aliisque auctoribus, non minus eleganter, quam succincte, sic describit. ΠΕΤΤΕΙΑ, Calculorum lusus: quos uterque quinque habebat, in laterculo totidem lineis distincto: quarum media, Ἱερὰ γραμμὴ dicebatur, ipse laterculus, Πόλις: calculi, Κύνες nuncupabantur; erantque utrimque discolores, Et in eo ludentium industria versabatur, ut calculi duo concolores alterum discolorem circumventum tollerent, A quinque illis calculis *Etymologici* Auctor tradit, etiam dictam videri Πεττείαν, quasi Πεντείαν. A quinta linea, quæ media, & Ἱερὰ, sive *sacra* dicebatur, non temere calculum movebant, nisi summa urgente necessitate. Itaque Proverbium erat [1], τὸν ἀφ' ἱερᾶς κινεῖν. Ab his quinque lineis, Πεσσὰ πεντάγραμμα nuncupata a Sophocle. Laterculus, in quo ludebatur, Πόλις dictus. Quo allusisse videtur Plato *de Republ.* l. IV. Ἑκάστη γὰρ αὐτῶν πόλεις εἰσὶ πάμπολλαι, ἀλλ' οὐ πόλις, τὸ τῶν παιζόντων. Unde Πόλει παίζειν dixit Cratinus Δραπέτισι, apud Zenobium *Centur.* V. *Proverb.* LXVII. Ita enim legendum, non Πόλεις, ut editur; neque Πόλεια, ut esse in Vaticano monet A. Schottus. Sed neque recte Parœmiographus Πόλιν ludum facit, neque lineas πόλεις dictas esse tradit. quem errorem etiam Hesychius errat. Zenobii locus hic est;

Πόλεις παίζειν. (L. Πόλει π.)

Μέμνηται ταύτης Κρατῖνος ἐν Δραπέτισιν. ἡ δὲ Πόλις, εἶδός ἐστι παιδιᾶς πεττευτικῆς· καὶ δοκεῖ μετενηνέχθαι ἀπὸ τῶν ταῖς ψήφοις παιζόντων, τὰς λεγομέναις νῦν Χώραις, τότε δὲ Πόλεσιν. Id est, A. Schotto interprete: *Urbes ludere.) Meminit hujus Cratinus in Fugitivis.* Πόλις *species ludi latrunculorum: tractumque videtur a ludentibus calculis; quos nunc Regiones, nunc Civitates nominabant.* De diverso autem calculorum colore, quo distincti, auctor *Panegyrici ad Pisonem*, Martialis, Ovidius, & si qui alii Cap. IIII. a nobis laudati. Erat itaque Πεττεία, ex Meursii sententia, plane idem ludus cum eo quem posteriores Græci Ζατρίκιον appellarunt. Inventam autem Πεττείαν quidam a Palamede volunt. Philostratus in *Heroicis*, *Etymologici* Auctor, Eustathius *ad Iliad.* β'. Sed apud Platonem in *Phædro* Theuth Ægyptius ludi calculorum inventor perhibetur. Quamquam diversam hanc Πεττείαν fuisse, (notante Meursio) & eam quæ τοῦ πεττευτηρίου dicebatur, tradunt veteres Platonis Interpretes. Non exstant quidem illi ipsi; sed eorum explicationem repræsentat nobis Eustathius *ad Odyss.* α'. meminitque compendio *ad Iliad.* β'. Et hæc ipsa est illa πεττεία, de qua Suidas, Cedrenus, Isaacius Porphyrogenneta, & Joannes Antiochensis; quam tamen cum ista altera non recte confundunt, dum inventionem ejus Palamedi adscribunt. Sed ut illi Scriptores τὴν Πεττείαν Græcorum, & Ægyptiorum, inter se confundunt; ita Hesychius τὴν πεττείαν, & τὴν κυβείαν, aliquot Glossis. Ecce. Πεσσοῖς, πεττοῖς, βολίοις, κύβοις, Iterum; Πεττεία, ἡ διὰ κύβων παιδιά. Et mox; Πεττείαις, κύβοις, τάβλαις. Deinde; Πεττεύουσι, κυβεύουσι. Alibi tamen satis clare distinguit, cum inquit; Διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας. ἐν ᾗ μὲν γὰρ, τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσιν· ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ, αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι.

1 Meminerunt Pollux, Eustathius, Hesychius, Suidas, Diogenianus, Sophron, Theocritus, alii.

CAP. XXII.

Imperator exire, in ludo latrunculorum, itemque, ad incitas redigere. Calculi ordinarii, vagi, & inciti. Scacus mattus qui dicatur, nove expositum a Salmasio.

In latrunculorum itaque ludo (ut ad Vopisci de Proculo verba revertar) *imperator exire* dicebatur, qui superior discedebat, regemque adversæ partis omnibus suis militibus spoliabat, ipsumque ad incitas redigebat, In quo nihil fortunæ licebat, sed arti & industriæ soli, ludendique peritiæ locus erat [1], nihil enim alea, quod ageret, habebat in latrunculorum lusu; ut perperam existimavit *ad hunc locum* Casaubonus. De *ordinariis* autem calculis, & *vagis*, & *incitis*, quæ scribit Isidorus, ea omnia ad latrunculos sunt referenda, quæ viri doctissimi male referunt ad duodecim scriptorum ludum [2]. Etiam hodieque in ludo latronum vel scacorum, alii calculi sunt qui ordine moventur, alii qui vage & oblique. *Inciti* autem dicuntur, qui eo sunt redacti ut cieri moverique nequeant. Inde Proverbium, *ad incitas*, vel *ad incita redigere*, pro ad extremas metas compellere, & in summam desperationem aliquem adducere. Porro quem Veteres *calculum incitum*, hoc est, ad incitas adactum, vocabant, eum nos in hoc eodem ludo *scaccum mattum* dicimus, id est, contritum & exactum, eoque loci adactum, ut moveri non possit. *Mattus* antiqua vox & Latina, quæ emollitum, subactum, & maceratum significat. inde verbum *mattare*, pro domitare, subigere, & macerare. Isidorus in *Glossis*: *Mattum est, humectum est, emollitum, infectum*. Hinc *via matta* Ciceroni, via lutosa & humecta, libro *Epistolar. ad Atticum* XVI. Ep. XII. *Itaque eo die mansi Aquini. longum sane iter, & via matta.* Ita enim eo loco libri veteres omnes constanter legunt. Vulgo excuditur, *& via inepta.* Quod ineptum est. Inde per metaphoram homo tristis, & contusi contritique cordis, *mattus* dicebatur. Veteres Glossæ [3], quarum Excerpta in suis *Adversariis*, *l.* XXVIII. *c.* VI. protulit Turnebus; *Mattus*, *tristis*. Hanc vocem cum aliis quamplurimis eruditissimus Salmasius primus cœlo Latino redonavit, & optime linguæ Latinæ auctori reddidit postliminio. Originationis tamen Græcæ est; nam venit a verbo μάττω, quod est pinso, & subigo, & emollio, a quo μακτὸς, subactus & emollitus: atque inde Latinum *mattus*. Sic enim *bratteam* scribebant pro *bractea*, cum Græce sit βρεκτία. sic *Vittorius*, pro *Victorius*, & similia sexcenta.

1 Salmas. *p.* 461. 2 Vide supra, *Cap.* XIV. 3 *Onomasticum* Petri Danielis.

CAP. XXIII.

Græcorum Πεττεία, *sive* Κυβεία, *calculis tesserisque ludebatur.* Calculi *Latinorum*, Ψήφων παιδιά. *Latrunculorum lusus solis calculis peragebatur, ubi ars sola; alea vero in tesserario ludo & talario. Quæ proprie* alea.

LIQUIDO satis constat errare viros doctos, qui calculos a Latrunculis diversos faciunt. Quapropter si quidam errorem illum pertinaciter tueri volent, scire ex iis percupiam cum Salmasio, dum calculos a Latrunculis separant, ecquem lusum *Calculorum* nomine apud Veteres intelligi putarint. Dicent, opinor, quos Græci πεττὺς vocant, Latine esse *calculos*. Sane Veterum ille lusus, quem πεττείαν Græci dicunt, nunquam sine calculis ludebatur; sed nec sine tesseris. Nego vero atque pernego, quos Græci πεσσὺς vocarunt, Latinis simpliciter & absolute *calculos* appellatos; aut *calculis ludere* Latinos dixisse, ut τὸ πεττεύειν Græcorum significarent. Sic igitur res se habet. Latrunculorum lusus, cum apud Græcos, tum apud Romanos, solis calculis peragebatur, nullis tesseris. quare aleam non habebat ille ludus, sed solam artem; atque hinc factum puto, ut *calculorum* nomine simpliciter & absolute latrunculos semper intellexerint Romani. Soli enim calculi totam lusionem absolvebant, absque ullo tesseræ jactu. Quotiescunque igitur *calculos* simpliciter dictos, aut *calculorum lusum* in Auctoribus invenies, de latrunculis ac latrunculorum lusu intelligere debebis. Πεττεία vero Græcorum tesseris calculisque constabat, artique pariter & fortunæ in ea locus. *Aleam* vocarunt eum lusum Romani, *tesseras, tabulam, duodecim scripta; calculos* vero nunquam. adhibebantur enim tesseræ ad illum lusum, nec in solis calculis res erat posita, ut in ludo latrunculorum. Hinc Græci πεττὺς modo pro calculis, modo pro tesseris accipiunt; ludumque ipsum modo πεττείαν, modo κυβείαν vocant. Eustathius in *Scholiis ad Homerum.* Ἰστέον δὲ ὡς ποτὲ μὲν ἐκ μέρυς κύβος ἡ ὅλη διάθεσις παιδιᾶς· ποτὲ δὲ Πεσσός. Hesychius: Πεττεία, ἡ διὰ κύβων παιδιά, hoc est, *tesserarum lusus*. Idem; Πεττεύει, κυβεύει. Πεττείαις, κύβοις, τάβλαις· Πεττεύει, κυβεύει, *alea ludit*. Πεττοὶ, βόλια ἐν οἷς ταβλίζυσι. Sic Πεττοὶ etiam accipiuntur pro tesseris apud Aristænetum *lib.* I. *epist.* XXIII. Ἐμὲ γὰρ καταναλώσαν ἄπληστος ἑταίρα καὶ πεσσοὶ πίπτοντες ἀτυχῶς μὲν ἐμοὶ, εὐβολώτερον δὲ τοῖς ἐναντίοις. Ita enim legendum monet *ad Hist. Aug. pag.* 462. eruditiss. & ingeniosissimus Salmasius; unde isthæc transcripsi. Vulgo, εὐβυλότερον. At Πεσσὺς etiam pro calculis ponebant. Pollux; ἐπειδὴ δὲ ψῆφοι μὲν εἰσὶν οἱ πεσσοὶ, πέντε δὲ ἑκάτερος εἶχε τῶν παιζόντων, εἰκότως εἴρηται Σοφοκλεῖ,

Καὶ πεσσὰ πεντάγραμμα, καὶ κύβων βολαί.

Sic πεσσοὶ & tesseræ & calculi dicebantur. Nam πεττεία calculis tesserisque ludebatur. Artemidorus *Oneirocritici* lib. III. cap. I. Κυβεύειν δοκεῖν, φιλονεικῆσαι πρός τινα σημαίνει περὶ ἀργυρίου· οἱ γὰρ οἱ κύβοι ἀριθμὸν περιέχουσι, καὶ ψῆφοι λέγονται οἷς οἱ κυβεύοντες παίζουσι. Κύβοι ut notum est, sunt tesseræ; ψῆφοι, calculi. hinc πεττείαν Græci etiam κυβείαν vocant: & πεττεύειν κυβεύειν interpretantur, & a tesseris potius, quam a calculis hunc lusum denominarunt. Nam ψήφων παιδιὰν non de hoc lusu, sed de latrunculis proprie usurparunt. Iidem Latini, quæ Græcis πεττεία, & κυβεία, *aleam* nuncuparunt. & quamquam plures aleæ species & artes essent, hanc proprie tamen & κατ' ἐξοχὴν *aleam* appellarunt, quæ cum tesseris & calculis in tabula vel alveo lusorio luditur. Quæcunque autem in Veterum libris de damnosa & vetita legibus alea dicta occurrunt, de hoc aleæ genere semper accipienda sunt. Cento Virgilianus *De alea* M. S. totam hanc in tabula calculis tesserisque ludendi rationem luculentissime & elegantissime exponit. *Tabulam* etiam simpliciter dixerunt hunc lusum, a tabula in qua calculis tesserisque ludebatur. Hinc passim apud Latinos, *ad tabulam ludere*, & *tabula*; apud Græcos recentiores τάβλα, sive ταῦλα, inde verbum ταβλίζειν, vel ταυλίζειν, pro *tabula ludere*, & ταβλιστὴς *tabulæ lusor*. quem *tablistam* etiam infimæ Latinitatis auctores dixere. De quibus utriusque linguæ deliciis, jam supra *cap.* XIX. satis superque diximus. Porro, si credimus auctori vetusti Epigrammatis, *De tabula*, quod Cap. XV. exhibuimus, hæc ipsa tabula Palamediaca est; idemque ludus duodecim scriptorum; (de quo vide Cap. XVI. & adhibe Cap. XVII.) Muciusque Scævola egregius ad hanc tabulam lusor fuit;

Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
Et parili excellens Mucius ingenio.

Et Quintilianus *lib.* XI. *cap.* II. Scævolam *in lusu duodecim scriptorum* nominat. Et disertissimus Romuli nepotum Cicero *de Oratore* lib. I. *Licet ista* (inquit) *ratione dicamus, pila bene & duodecim scriptis* (male, *scrupis*) *ludere proprium esse juris civilis, quoniam utrumque eorum Publius Mucius optime fecerit.* Atque hoc illud ipsum est, quod memoriæ prodidit de eodem Scævola Valerius Maximus *lib.* VIII. *cap.* VIII. *Aleæ* (al. *alveo*) *& calculis vacasse interdum dicitur.* Quem locum Cap. XVIII. examinavimus, &, *scurrilibus lusibus* ejectis, conati sumus cum Scriverio *Heroos* sive *Heroicos lusus* restituere. Sed vereor, (inquit idem) Tullii locum proxime laudatum considerans, ne damnosam illam & vetitam legibus aleam, lusum heroicum appellarit Maximus: quamquam tesseris ludere & πεττεύειν solitos Heroes, extra controversiam est; Non item ista (Scriverio ipso judice) correctio: quamquam a vestigiis Britannici codicis minimum recedat. Quare alia adhuc ejus erat conjectura, quam adscribere sub finem Capitis statueram, sed nescio quomodo mihi occasio præterlapsa sit. Quare heic potius eam apponendam, quam prorsus omittendam, censui; *Ut enim in rebus seriis Scævolam, ita & Heros is in lusibus hominem agebat.* Vide, quid aptius meliusque censeas. Adscripserat vir præstantissimus his suis conjecturis: *Varie medemur, & ambigue. Non enim aliter hæc sacra constant. Sic fere sunt Criticorum divinationes. Sed assidue ludunt aleam, ut vincant semel. Denique illorum omne studium emendandi bonos auctores, est*

— quasi cum ludas tesseris,
Si illud, quod maxime opus est, jactu non cadit;
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas [1].

CAP. XXIV.

Ovidii insignis locus emendatus. Calculum dare, reducere, revocare. Ἀναθέσθαι ψῆφον. Boli, βόλοι. *Turnebi error.* Dati, *vel* Dadi, *&* Jacti, *voces vulgares.*

ΠΕΤΤΕΙΑ itaque est alea & lusus tesserarius: πεττεύειν, tesseris ludere [2]. Οἱ πεττοὶ sunt tesseræ quarum inventor Palamedes traditur. In hoc lusu autem cum fortuna certare diximus; fortunam ex tesserarum jactu pendere, artem in calculorum dispositione totam positam esse. Licebat itaque quod forte male cecidisset, id arte corrigere, recte scilicet ludendo, & perite calculos ponendo. Quod Comicus [3] innuit. Qui male igitur jactarat, male jacta non dabat, sed artem pro fortuna adhibebat, & in melius reponere tentabat, quod infeliciter ceciderat. male jactat, cui quod jactu opus est non cadit; male jactum dat, qui quod male cecidit, non corrigit, sed fortunam tesserarum sequitur, nullamque artem adhibet, qua vim fati aleæque male faventis frangat, vel saltem molliat. Hæc dixi, ut explicarem emendaremque Ovidii versum, quo præcipit amanti cum amica sua ludenti, ut & male tesseras jactet, & male calculos moveat, & sic de industria perdat, ac vinci se patiatur. Lib. II. *de Arte A.*

1 Terentius. 2 Salmas. p. 464. 3 Terentius.

Seu ludet (inquit) *numerosque manu jactabit eburnos,*

Tu male jactato, tu male jacta dato.

Male hodie legitur: *tu bene jacta dato*. Nos ex veteribus libris ita correximus. Jactabantur tesseræ, dabantur calculi, id est, promovebantur. Dare enim calculum dicebant, pro movere. In jactandis tesseris fortuna dominabatur; in dandis, hoc est, promovendis calculis sola ars locum habebat: male autem calculum dabat, qui male ludebat, & imperite, nec ex arte calculum promovebat. Poterat vero aliquis qui male jactasset, etiamsi male jactus cecidisset, bene tamen calculum dare, in quo ars erat, & sic malam fortunam corrigere. At vult Ovidius eum qui cum amica ludit, & male jactare tesseras, hoc est infelicem jactum adducere, & male etiam calculos dare. Favente fortuna bene aliquis jaciebat, artis autem erat ut bene calculum daret. Hinc ars & fortuna pariter in hoc lusu valebant. Vetus Epigramma, quod exhibuimus supra *cap.* XV.

Heic proprium faciunt ars & fortuna periclum:

Hæc cavet adversis casibus, illa favet.

Quotiescunque autem aliquis hunc lusum ludens, calculum dedisset, & mox pœnitentia ductus, datum reducere ac revocare vellet, licebat ei hoc facere, modo fieri concederet is quicum ludebat. Cicero [1]: *Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis olim, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet*. Quintilianus *lib.* XI. *cap.* II. *Repetiti totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus*. Græci dicunt ἀναθέσθαι ψῆφον, calculum reducere. θέσθαι ψῆφον, est calculum ponere. Contrarium ἀναθέσθαι, quod est calculum ex eo loco, in quem datus erat, retrahere, & in pristinam sedem revocare. Plato *Hipparcho* (locum supra citavimus, & ad illum allusisse Tullium diximus;) Hesychius: Ἀναθέσθαι, μετανοῆσαι. ἐπὶ τῶν πεσσῶν ἐλέγετο. οἱ γὰρ παίζοντες καὶ ψήφους ἐδιώρθουν. ita legendum apud Hesychium. Vulgo excusum est, ὁμολογῆσαι. Μετανοῆσαι autem exponit eruditissimus Grammaticus. Nam proprie ἀναθέσθαι significat, dati calculi pœnitere, & eum revocare. Antipho περὶ ὁμονοίας· ἀναθέσθαι δὲ ὥσπερ πεττὸν τὸν βίον οὐκ ἔστι: *Vitam ut calculum reducere ac revocare non datur*. Ἀναθέσθαι βίον Græci Grammatici interpretantur, ἄνωθεν βιῶναι μετανοήσαντας ἐπὶ προτέρῳ βίῳ. Recte igitur in Hesychio pro ὁμολογῆσαι leges μετανοῆσαι. Suidas exponit, μεταθέσθαι, μεταβουλεύσασθαι, μεταγνῶναι· Ἀναθέσθαι, τὸ μεταθέσθαι· ἀπὸ τῶν πεττευόντων καὶ τὰς κεκινημένας ἤδη ψήφους διορθούντων. *Datum calculum corrigere*, nihil aliud est quam jam promotum reducere ac revocare. Ausonius jam supra citatus, in *Commemorat. Professor. Burdigalens. Carm.* I.

Vidimus & quondam, tabulæ certamine longo,

Omnes qui fuerant enumerasse bolos:

Narrantem fido per singula puncta recursu

Quæ data, per longas quæ revocata manus.

Ad singulos bolos, hoc est, ad singulos tesserarum jactus, secundum puncta dabantur, hoc est, movebantur, calculi. at si male datum calculum judicabat lusor, pœnitentia ductus eumdem revocabat, concessu collusoris. Erravit magnopere magnus Turnebus, qui bolos in eodem ludo dari revocarique solitos adnotavit, atque ita locum illum Ausonii interpretatus est. Boli sunt jactus tesserarum, vel etiam tesseræ ipsæ quæ jaciebantur. *Bolus*, βόλος, jactus, prima brevi, a verbo βάλλω, *jacio*. Plautus in *Rudente*, Act. II. Scen. III.

TR. *Oh! Neptune lepide, salve!*

Nec te aleator ullus est sapientior. profecto

Nimis lepide jecisti bollum: perjurum perdidisti.

Intelligit eum εὔβολον esse, id est, jactu felicem. Pollux *lib.* VII. *cap.* VII. Consule omnino *Notas in Plauti eum locum* Friderici Taubmanni. *Bolus* prima longa, βῶλος, est frustum. Terentius *Heautont*.

Crucior, bolum tantum mihi esse ereptum subito e faucibus.

Cæterum boli non dabantur nec revocabantur, sed simpliciter jactabantur. Prout autem boli cecidissent, ita dabantur calculi; aut si alicujus dati pœnituisset lusorem, revocabantur. Ovidius:

Tu male jactato, tu male jacta dato.

Male jactabantur tesseræ, ab infelici aleatore: male dabantur calculi, ab imperito lusore. *Jaci* igitur proprie dicebantur tesseræ, *dari* calculi. Hinc *jactus* videtur proprie vocari debuisse tessera, quod jaceretur; *datus* autem calculus, quod daretur. At vice versa *datos* vel *dados* vocamus tesseras, *jactos* vero calculos. hinc *jacti* vel *jactones* nobis hodieque dicuntur calculi quibus in putandis rationibus utimur. Græci sane βόλους [2] non tantum tesserarum jactus, sed etiam tesseras ipsas nuncuparunt: itemque βολίδας. *Jacula* veteribus Latinis. Isidorus, *Originum* loco superius indicato: *Olim autem tesseræ Jacula appellabantur, a jaciendo. Jaculum* est βολίς. Glossæ: Βολὶς, *jaculum*. Quemadmodum autem Πεττοὺς Græci & pro tesseris & pro calculis usurparunt, sic Latini etiam *tesseras* posuerunt ἀντὶ κύβων καὶ ἀντὶ ψήφων. Glossæ: *Tesseræ*, βόλια, ψῆφοι. Græci quoque recentiores tam de calculis, quam tesseris dixerunt. Quo minus mirum est, *datos* non hodie vocare tesseras, cum ita vocari potius deberent calculi, & *jactos* econtrario pro calculis sumere, cum id nomen magis conveniret tesseris, quod jaciantur. Græci quoque Grammatici κύβον, πᾶσαν ψῆφον τετράγωνον dici autumant. calculi vero, sive ψῆφοι, quibus in tabula ludebatur, erant rotundi.

CAP. XXV.

Ἀστραγαλισμὸς, sive Talorum lusus luculentissime Erasmi manu descriptus, atque expositus.

DE Talorum lusu nunc tandem agamus. De eo multi multa jam dixerunt. Sed excellunt præ reliquis quæ Bataviæ suæ jubar, vindex ille antiquitatum omnium & priscæ eruditionis, Desiderius Erasmus, memoriæ prodidit. Ejus insignem locum si heic adscripsero, pauca erunt fortassis, Lector candide, quæ desideres: [illegible] Græci vocant ἀστράγαλον, prisci (quorum est Callimachus) dixerunt ἄστριν [illegible] κα δ' ἄστρια αἴ[illegible] [illegible]γαλίζειν, ita & [illegible] Talum autem est illud, quod proprie Talum vocant, quo nunc ludunt puellæ; qui olim puerorum lusus erat, quemadmodum nuces. De quo illud [3] Græcorum,

Ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς,

Id est

Propter (vel *ad*) *talos iratus*.

quum iram levi de causa susceptam indicant. Rursus Horatius in *Odis*, lib. I. od. IV.

Nec regna vini sortiere talis.

Item in *Sermonibus* lib. II. *Sat.* III.

—— *Postquam te talos, Aule, nucesque*

Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi.

Postremo dictum illud Lacedæmonii, ni fallor, Pueros esse fallendos talis, viros jurejurando. Hunc talum negant in ullo animante inveniri, quod sit μώνυχον, hoc est, *ungula solida*, excepto asino Indico unicorni: aut quod sit πολυσχιδὲς, hoc est, pede in multos digitos ungulasve fisso; quod genus sunt leo, panthera, canis, simius, homo, & avis, aliaque permulta. Quæ vero δίχηλα sunt, hoc est, ungula bisulca, pleraque talum habent, idque in posterioribus cruribus. Uni homini duplici de causa tali non sunt;

1 In *Hortensio* apud Nonium in V. *Scripta*.

1 Inde diminutivum βόλια, *tesseræ*. Vide Salmas. *p.* 465.
2 Erasm. *Colloq.* Ἀστραγαλισμός. Quod *Colloq.* scriptum ab auctore in gratiam Quirini Talesii, Consulis Harlemensis. 3 Homer. *Iliad.* penultimo.

primum, quia bipes; deinde, quia quinis digitis fissos habet pedes. Sed quoniam istud lusus genus etiam puellis hodie fastiditum est, quæ aleam, chartas, aliosque masculos lusus affectant (non mirum, quum affectent & Theologiam) situm ac formam tali describam. quam tali formam, etiamsi Mathematicus sim, aut pictor, aut etiam plastes, melius exhibere non possim quam ipso talo; nisi mavis ut tibi describam per literas, ut illi solent. En tibi talum ovillum e dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera; quum in cubo & alea seu tessera sint sex, in ambitu quatuor, in summo & imo duo. In talo, quoniam summa pars & ima curvatur, non sunt nisi quatuor latera, quorum unum vides velut in dorsum intumescere: quod autem est e regione, cavum habere. Illud Aristoteles vocat πρανὲς, id est, *pronum*; hoc ὕπτιον, id est, *supinum*, *Histor. Animal.* lib. II. cap. I. Veluti manus, si vola spectet terram, prona est; si invertas, supina. Quamquam Oratores & Poetæ nonnunquam his verbis abutuntur; quod ad hanc rem nihil attinet. Inter reliqua autem duo latera illud est discriminis; alterum modice cavatum est, ut ossi cui innectitur congruat: alterum propemodum nihil habet concavi, minusque armatum est cartilaginea tunica, sed tantum nervo & pelle tegitur: pronum latus nihil habet nervorum, sed supinæ partis concavo adhæret nervus, quemadmodum dextri lateris summo; lævi, imo. Dextrum a sinistro ita dignosces: talus est in ipsa suffragine crucis infra coxam. Errant [1], qui arbitrantur juxta pedem esse: Is enim qui proprie dicitur talus, est in suffraginibus, quas Græci καμπὰς vocant, sed crurum posteriorum. Inter pedem tuum & genu tibia est, post genu καμπη. Nam, qui flexus est homini in brachiis, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus: simiam excipio semi hominem. Itaque quod genu est in cruribus, id cubitus est in brachiis, ita ut flexus flexui respondeat. Illud dico currum posteriorum & priorum, in ea enim suffragine, quæ respondet suffragini, quæ est post genu, stat talus erectus, quum stat quadrupes; cujus summa & ima pars leniter incurvatur, quamquam non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quædam, quas Aristoteles appellat κεραίας, Theodorus Gaza vertit *Antennas*, juxta quas se submittit pronum latus: ima tale nihil habet. Illud ergo latus, quod spectat tibias priores, Aristoteles vocat supinum; quod illi adversum est, pronum. Rursum sunt duo latera, quorum alterum intus spectat tibiam posteriorem, puta lævam aut dextram; alterum spectat foras. Quod introrsum spectat, Aristoteles appellat κῶλον: quod foras, ἰσχίον [2]. Atque ita Talum videor pulchre oculis tuis subjecisse. Jam superest, ut indicem tibi quæ fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui lusus nostra memoria dicitur in usu fuisse, nihil convenit cum iis, quæ comperimus apud priscos auctores de hoc ludendi genere. Fieri enim potest, ut quemadmodum hodie chartis ac tesseris ad varias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud Veteres talis lusitandi ratio. Theodorus Gaza, sive, ut alii malunt appellare, Thessalonicensis, vertens Aristotelis librum *de Hist. Animal.* secundum, ait tali latus quod foras transversum spectat, Canem vocari: quod introrsum ad alterum crus, Venerem. Cæterum hoc quidem de suo addidit: Nam Aristoteles hæc tantum ponit: Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δ' ἰσχία καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Cæterum quando constat ab aliis [3], Veneris jactum appellari, quoties ex quatuor talis nullus est qui summam faciem habet cum alio congruentem, demiror

A quid sequutus Theodorus unum latus appellet Venerem. Nos hujusmodi observationum non admodum curiosi, in Proverbiis ex auctoritate Veterum indicamus quædam de ludo talorum: velut in Proverbio, *Non Chius, sed Cous*, diximus Coum & Senionem eundem esse quem Græci ἑξίτην dicunt. Idem in Proverbio, *Chius ad Coum*, monentes Chium eundem esse cum Cane; Coi jactum fuisse felicem, Canis infelicem, teste Persio *Sat.* III.

— *Quid dexter Senio ferret,*
Scire erat in voto; damnosa Canicula quantum
Raderet. —

B Et Ovidius *damnosos Canes* appellat, *de Arte A.* lib. II. & *Trist.* lib. II. Iridem Propertius *lib.* IV. *eleg.* IX.

Semper damnosi subsiliere Canes.

Addidimus ex Martiale, Senionem videri per se felicem, cæterum infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur in *Xeniis*, sive lib. XIII. ep. præliminari.

Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

Jam Veneris jactum esse ut rarum, ita felicissimum indicat Martialis in *Apophoretis*, seu lib. XIV. ep. XIV. sub lemmate, *Tali eborei.*

Quum steterit vultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

C Tot autem talis ludebatur, quot quisque habet latera: Nam tesseris non plus tribus ludi solet. Sed propius ad ludendi rationem facit quod scribit Suetonius in *Oct. Augusto* cap. LXXI. recitans ex illius quadam ad Tiberium epistola hæc: *Inter cœnam lusimus* γεροντικῶς, (id est, *seniliter*) *& heri & hodie. Talis enim jactatis ut quisque Canem aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos qui Venerem jecerat.* Ille itaque felicissimus jactus est quum omnes tali quatuor ostenderint diversum latus: quemadmodum in tesserarum ludo fortunatissimus est qui dicitur Midas. Hunc autem jactum dici Venerem, probat Lucianus, ita loquens, in *Cupidinibus*: D καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δὲ εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. Loquitur autem illic de Venere. Si falsus est Theodorus, duo tantum latera suis vocabulis designantur. Sed ille fortassis alicujus auctoritatem sequutus est, quæ nos fugit: quod apud Auctores compertum est, adferimus in medium. Nam sunt qui meminerunt de numero Stesichorio in talis, quem putant ogdoadem esse: Item de Euripideo, qui continebat quadraginta. Restat jam ut Lusus leges videamus. Non E arbitror, pueros iisdem usos legibus, quibus se usum fuisse scribit Octavius apud Suetonium. Nec probabile est, hoc ludendi genus, quod commemorat, fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse, *Inter cœnam lusimus talis.* Sed mihi subindicare videtur, novam ludendi conditionem inter illos repertam, velut aptam senibus, minimeque torquentem animos solicita cogitatione; quemadmodum faciunt hodie complures lusus, ut levius sit intendere studiis. Placetne talis prolatis, ut experiamur? Et quamquam nobis deest turricula volvendis talis, & ipsa tabula; suffecerit pro tabula mensa ad qualecumque specimen exhibendum; pro turricula cyathus, aut F pileum; imo complexus cavarum manuum. Jactus sæpius ostendit supinam partem, quam pronam; & pronam sæpius, quam Senionem, aut Canem. Hæc Ludi lux esto; si inter IV. talos exstiterit unus Canis, expones nummum; si duo, duos; si tres, tres; si quatuor, quatuor; & posthac agnosces damnosum latus. Item quoties jeceris Senionem cum Cane, uterque nummum addet, (si vis,) neuter tollet: cui primum obtigerit Venus, is auferet acervum. Quod si talus ostenderit partem supinam, aut pronam, is jactus erit irritus, & aut tu jactum repetes, aut

1 Complures ita arbitrantur. 2 Corrupto exemplari usus Erasmus. Scribe, Κῷον, & Χῖον. 3 Mart. *lib.* XIV. *ep.* XIV. & Lucian. in *Erot.*

jaciendi jus ad me devolvetur. De forte, age; addemus pusillum pusillo, quemadmodum monet Hesiodus, sic quoque fiet ingens acervus. Quamquam mea sententia secus lusitarit Octavius: nam qui Canem jecerat, apponebat denarium, ut diximus [1]: qui Senionem, nihil quidem auferebat, sed alter ponebat; quod si plures Seniones exissent, totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum acervum semel tollebat Venus. Sed ad leges nostras illud addas licebit. Cui nec Senio obtigerit, nec Canis, nihil aliud quam mittendi vicem perdet. Mihi videtur & hoc elegantius, si tertio quisque jactu defungatur qui talos tenet, & mox alteri tradat vices. Venus item tertia (si videtur) finiet ludum. Deinceps liberum erit de integro pacisci. Siquidem tum raro, tum paucis favet Venus.

CAP. XXVI.

Jactus talarii triginta quinque. Nomina quorumdam, studio atque opera Joannis Meursii, eruta. Salmasii joculare commentum de Antigono *&* Divo. *Δίβος.*

DIXI præcedenti Capite, te post Erasmum neminem alium in ludo talario describendo desideraturum. Atqui desideras, scio, Jactuum nomina. Ea heic referemus, nuper admodum e Veterum monumentis eruta a Clar. Meursio. Observat ille ex Eustathio *ad Illiad.* ψ'. & *Odyss.* α'. in ludo talario fuisse jactus triginta quinque. Varie ii dicti, vel a diis deabusve, vel heroibus, vel viris, vel etiam scortis, aliisve quibusdam rebus. In his fuit

Ἀφροδίτη, VENUS.

Ita dicebatur jactus, quo tali omnes diverso adspectu cecidissent. quando nullus talus eodem vultu, quo cæteri, stabat. eratque is jactus lucrosissimus & felicissimus. Lucianus in *Amoribus*: Augustus in epistola ad Tiberium apud Sueton. in *Augusto*, cap. LXXI. Horatius *lib.* II. *Od.* VII. & ibi vetus Scholiastes. Propertius *lib.* IV. *Eleg.* IX.

Me quoque per talos VENEREM *quærente secundos,*
Semper damnosi subsiliere Canes.

Jaciebatur autem quatuor talis. Cicero *de Divinat.* lib. I. & lib. II. Designatur iste jactus Venereus a Martiale, sub lemmate *Tali eborei*, *lib.* XIV. *epigr.* XIV.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

In his etiam fuere (teste Hesychio)

Βεροιίκης πλόκαμος,
Γραῦς,
Δαρεῖος,
Δικέντρων,
Κῷος & Χῖος,
Ἀλέξανδρος,
Ἀντίγονος.

De quibus omnibus ex eruditissimo illo *Glossographo* Meursius. Apud quem præterea jactus

Ευριπίδης.

Cujus meminit Eustathius *ad Iliad.* ψ'. ubi de talorum jactibus, itemque *ad Odyss.* α'. Pollux quoque *lib.* IX. *cap.* VII. Apud quem ibidem nominatur jactus

Στησίχορος.

Cujus & *ad Iliad.* ψ'. Homeri Scholiastes meminit. Erant alii cum aleæ tesseræve ludo communes: de quibus Capite sequenti.

De *Coo* vero & *Chio*, quorum ille senio erat, hic unio, Hesychius, Pollux, Aristoteles *Histor. Animal.* lib. II. cap. I. & *De Cœlo* lib. II. cap. XII. & ibi Simplicius. Videndus etiam Zenobius, *Centur.* IV. *Proverb.* LXXIV. Tarrhæus in *Collectaneis*, & Suidas.

De *Antigono* autem ita Hesychius: Ἀντίγονος, βόλος τὶς οὕτως ἐκαλεῖτο. Agathias in Epigrammate de *tabula Zenonis Imperatoris*.

Δίζυγες Ἀντίγονον διεκόσμεον. ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ
Ἴσος ἔμιμνε τύπος πεντεπικαιδεκάτῳ.

Sed Ἀντίγονος hoc loco Salmasio est una linearum sive scriptorum, quibus tabula descripta erat, *ad Hist. Aug.* p. 468. erantque numero viginti quatuor. duodenis namque lineis utrumque latus, dextrum & sinistrum, a summo ad imum descriptum erat, sibi invicem respondentibus, & ex adverso oppositis. Primam dextri lateris lineam dicebant & *summam*. Græci quoque recentiores Latinam vocem retinuerunt, & σοῦμμον χῶρον appellarunt in tabula. Agathias in eodem *Epigrammate*:

Ἑπτὰ μὲν ἕκτος ἔχεν, μίαν ἔνατος αὐτὰρ ὁ σοῦμμος
Δισσὰς ἀμφιέπων ἴσος ἔην δεκάτῳ.
Ὃς δὲ πέλει μετὰ σοῦμμον, ἔχεν δύο. - - -

Ultimam infimamque lineam dextri lateris duodecimam vocabant. revera enim erat duodecima. Ab illa ultima dextri lateris linea, quæ & duodecima, transibant ad ultimam sinistri lateris, ex adverso respondentem & oppositam, eamque tertiam decimam appellabant. Agathias *ibidem*:

Ἀμφὶ δυωδέκατον καὶ διέπρεπον εἴκελοι ἄλλαι,
Καὶ τρισκαιδεκάτῳ ψῆφος ἔκειτο μία.

Post tertiam decimam sequebatur locus quartus decimus, quem *Antigonum* dicebant. Post Antigonum quintus decimus; atque ita deinceps secundum numerorum ordinem ascendentes numerabant usque ad primam lateris sinistri lineam, quæ & vigesima quarta erat, & ultima omnium viginti quatuor tabulæ linearum statuebatur. Πύματον χῶρον eam vocat Agathias:

—— εἰσέτι δ' ἄλλας
Εἶχεν διχθαδίας τέτρατος ἐκ πυλάτου.

Τέτρατος ἐκ πυλάτου, erat vigesimus. Fortasse tamen aliquis existimare possit, nec sine ratione, decimum tertium locum sive scriptum tabulæ non illum fuisse, qui sinistri lateris ultimus erat, sed qui primus. Nam a duodecimo puncto & ultimo dextri lateris, verisimilius videri transitum esse factum, ad primum sinistri lateris, quam ad ultimum. Hoc etiam mihi verisimilius videtur. Prima igitur & summa linea sinistri lateris sequebatur ultimam & duodecimam dextri: ideo tertia decima ipsa dicebatur. Sic πύματος χῶρος, quem vocat Agathias, vigesimus quartus, atque idem ultimus & infimus sinistri lateris. Atque hæc fere de lineis, scriptisve tabulæ Salmasius. Cui quare de *Antigono* in *Epigrammate* Agathiæ non possim accedere, facit Hesychii locus, quem doctissimus Meursius observavit, & nos supra adscripsimus. Sed tolerabilis hic Salmasii error videri potest, præ illo quo præter nomina illa numerorum quæ scriptis sive lineis tabulæ imposita hariolatur, fuisse asserit unum qui Ἀντίγονος & alterum qui Δίβος dicebatur: hoc nempe Agathiæ loco:

- - - - μουνάδα δ' ἄλλην
Ψῆφον τὴν πυμάτην ἀμφιέπεσκε δίβος.

Δίβος ipsi Latinum nomen est, ut & Σοῦμμος. Δίβος, *Divus*. *Nemo*, inquit, *Imperatores Romanorum divos post mortem appellatos, nescit*. Fateor. sed huic Divo in Agathiæ Epigrammate non est locus. Quare manum tandem de tabula, V. Cl. jam satis lusisti. Infelix hic profecto divitis ingenii tui jactus est, & conjecturæ præceps alea. Δίβος, ais, est hoc loco *Divus*. Atqui

[1] Ex Augusti Epistola apud Sueton. *cap.* LXXI.

Atqui metrum repugnat: nam prima in δίβος producitur, cum heic syllaba brevis omnino requiratur. Nihil certius est, quam voce hac Græca binionem intelligi. Usurpat hanc vocem e Græcia petitam Arnobius Disputationum *adversus Gentes* lib. II. *Quod si vere*, inquit, *confidis immortales huc animas, & plenas scientiæ pervolare, adolescentulum istum rogare desinito, quem esse conspicis ignarum rerum, & humanitatis in finibus constitutum: quadragenarium istum ad te voca, & ex eo percontare, non abstrusum aliquid, non involutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit Dibus, aut Dynamis, sesquioctavus, aut sesquitertius ultimus; sed (quod in medio situm est) bis bina, bis terna, quam efficiant summulam, quærito*. Quid *Dibus* hoc loco esset, eruditis hominibus, qui quod ignorarent interpolare voluerunt, diu incognitum fuit [1]: donec Meursius noster pæne puer nihil omnino mutandum ostenderet, & hac voce Græca, quales in illo Gentium doctore multæ aliæ occurrunt, binionem designari doceret, ex Agathia: & pro *Dynamus*, quomodo passim editum, *Dynamis* rescriberet. quæ vox similiter Græca, & quaternionem significat. Adi (si placet) Criticum Arnobianum *lib.* II. *cap.* VI.

CAP. XXVII.

Nomenclatura reliquorum Jactuum tam talariorum, quam etiam tesserariorum. Eorum septuaginta producti, ex ejusdem Meursii observationibus.

ERANT Jactus alii plures; sed tesserarii potius, quam talarii. Quos idem Meursius in *Κυβεία* primus observavit. Adscribam & illos. Inter quos deprehendes nonnullos utrique ludo communes. Plerosque autem quos hoc Capite leges, scies a Grammaticis bolorum cubeuticorum nominibus insigniri.

Ἄβολα,
Ἀβραμίας,
Ἀγόρτης,
Ἄθετος,
Αἴγλη,
Ἀνακάμπτων,
Ἄνηβος,
Ἀντίδυχος,
Ἀντίτυπος,
Ἀνυπομόνητος,
Ἄπλια,
Ἀργεϊὴς, al. Ἀργεῖος,
Ἅρμα ὑπερβάλλον πόδας,
Ἁρματίαι,
Ἄρτια,
Ἄρτος,
Ἀφροδίτη,
Βȣλαξ,
Γυμνασιάρχης,
Δάκνων,
Δορεὺς,
Ἐκδύων,
Ἐλλείπων,
Ἐπακοντισμὸς, &
Ἐπακοντιστὴς,
Ἐπίθετος,
Ἐπιφενὼν,
Ἐπιφέρων,
Ἐξίτης,
Εὐδαίμων,
Ἱερὸς,
Κάγκασος, vel Κίγκασος, & Κίκκασος.
Καλλίβολος,
Κεντρωτὸς,
Κήρυνος,
Κῖος, qui & Χῖος,
Κρύφασος,
Κύβος,
Κύκλωπες,
Κυνορχίας,
Κυνῶτας,
Κύων, qui & Χῖος, *Vulturius* Plauto, *Canis* aliis.
Κῶος,
Λάκων,
Λάμπων,
Μάγνης,
Μάνης,
Μίδας,
Ξανθιμίας,
Οἴνη, & Ὄνος, qui & Κῖος, & Κύων.
Οἶστρος,
Ὄνος,
Ὅροι,
Πάτραινα,
Πάτρηλος,
Πέρσης,
Πρανὴς,
Πυαλίτης,
Σίμων,
Σόλων,
Συνωρικὸς, idem qui Κῶος,
Συνωρὶς,
Σφάλλων,
Σχαδὼν,
Τιμόκριτος,
Τρὶς ἓξ, idem jactus qui Ἀφροδίτη, *Venus* Latinis,
Τειχίας,
Ὑπτιάζων,
Φαλλὸς,
Φύσων,
Χῖος, qui & Κύων, &c. Latinis *Canis*: & *Vulturius* Plauto.

Habes heic Jactus septuaginta, plus minus. quidam namque (quamquam admodum pauci) possunt iidem videri. In his quidam, quod initio monebamus, talo & tesseræ communes. Qui autem talarii proprie, qui item tesserarii, non nostrum est in tanta antiquitate & nube prisci ævi discernere: non controversias hinc inde sparsas componere. Plerique ab Auctoribus simpliciter *βόλοι*, sive *jactus*, dicuntur. Quidam etiam tam talo quam tesseræ tribuuntur. Adde, quod τῆ Πεττείαν, & τῆ Κυβείαν Græci non raro confundant. Ad alia igitur compertiora, & illustriora transeamus. Qui Jactus felices, & qui infelices, qui denique nec boni nec mali fuerint, exponamus.

[1] Theod. Canterus, *in Notis ad Arnob.*

CAP. XXVIII.

Qui Jactus in tesseris talisve secundi, lucrosique; qui adversi, ac damnosi: qui etiam medii.

TALORUM πτώσεις, hoc est, varietates quas jactu casuque exhiberent, erant (uti Capite XXVI. indicavimus) triginta quinque. Id enim observatum est a veteribus aleæ magistris [1], non posse ultra eum numerum diversas species exhiberi jactu quocunque quatuor talorum. Dico talorum: nam in tesseris plures conspectus diversi reperiri possunt. Ratio diversitatis est, quia plures sunt πτώσεις tesseræ quam tali. hic quatuor tantum habet partes, quibus insistat & incumbat: cum ab utraque longitudinis suæ extremitate rotundetur: illa sex. Hoc optime doceat αὐτοψία. Quin etsi talus habere quatuor πτώσεις dici potest, fere tamen cum jacias non aliter cadere videas quam duobus modis: vel in eam faciem e duabus quas habet latiores, quæ cava est: vel in oppositam, quæ eminet & protuberat. Has talorum πτώσεις Græci ajunt ἐξ ἑβδομάδος κατ' ἀντίθετον συγκειμένας fuisse: hoc est puncta vel numeros habuisse sic dispositos, ut qui in oppositis duobus lateribus essent, juncti semper efficerent septem. Hoc modo:

1 - - - - 6.
3 - - - - 4.

Αντέκειτο γὰρ, ajunt, μονὰς καὶ ἑξὰς, εἶτα τριὰς καὶ τετράς. In tesseris amplius fuerunt δυὰς καὶ πεντάς. Verum hæc hactenus. Nunc qui Jactus felices lucrosique, qui mali & damnosi, qui denique medii fuerint, quam brevissime fieri potest, ad fidem Julii Pollucis, veteris Grammatici, exponamus, *Onomastici* lib. VII. cap. XXXIII.

JACTUS BONI ET FELICES.

Αφροδίτη, qui & Τρὶς ἕξ.
Εξίτης, idem qui Κῶος.
Επακοντιστὴς, qui Hesychio Επακοντισμὸς videtur.
Καλλίβολος.
Κῶος, qui & Συμωεμκὸς, & Εξίτης.
Ὄρσι.
Πρανής.
Συμωεμκὸς, idem qui Κῶος.
Στιωρὶς.
Τρὶς ἕξ, qui & Αφροδίτη.
Φύσων.

Αφροδίτη.] Erat hic in talorum pariter & tesserarum lusu. Meminerunt Plutarchus in *Catone Minore*, seu *Uticensi*: Ἐν δὲ τοῖς δείπνοις ἐκληροῦντο περὶ τῶν μερίδων. εἰ δὲ ἀπολάχοι, πρῶτον αἵρειν τῶν φίλων κελευόντων, ἔλεγε μὴ καλῶς ἔχειν ἀκούσης τῆς Αφροδίτης. Id est: *Inter cœnam sortem de ciborum partibus mittebat. Si sors ipsum destituisset, amicis ut primam tolleret instantibus, parum id ait convenire invita Venere.* Lucianus in *Amoribus*: Επειδὰν δὲ καὶ μικρὰ τοῦ πάθους ἑαυτὸν ἀποβουκολῆσαι θελήσειε, προσειπὼν, τῇ δὲ τραπέζῃ τέτταρας ἀστραγάλους Λιβυκῆς δορκὸς ἀπαριθμήσας, διεπέττευε τὴν ἐλπίδα. καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δ' εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν (τὴν Αφροδίτην) εὐβολήσειε, [2] μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει, καὶ ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων, &c. Id est: *Cæterum ubi jam paulisper affectus illius molestiam a se removere volebat, affatus deam; in mensam autem quatuor talis capræ Libycæ dinumeratis, ludi aleam in spem voti experiebatur: ac quoties id quod intendebat, jecerat, maximeque si deam ipsam* (Venerem) *jactu feliciori sortitus erat, nullo videlicet talo eadem figura cum alio aliquo cadente, adorabat illam, sperans se id quod expetebat consecuturum esse.* Cicero *de Divinat.* lib I. *Quatuor tali jacti casu Venereum* (jactum) *efficiunt, num etiam centum Venereos, si quadringentos jeceris talos, casu futuros putas?* Et lib. II. *Dixisti multa de casu; ut Venereum jaci casu posse, quatuor talis jactis: quadringentis, centum Venereos non posse consistere.* Plautus *Asinar.* Act. V. Sc. II.

Hoc Venereum est; pueri plaudite.

Apud eundem in *Curculione*, Act. II. Sc. III. *Basilicus* idem jactus doctis quibusdam videtur. Quod ego in medium relinquo. Meminit clare Propert. *lib.* IV. *Eleg.* IX.

Me quoque per talos VENEREM *quærente secundos,*
Semper damnosi subsiliere Canes.

Et Flaccus *ad Pompejum*, *lib.* II. *Od.* VII.

— Quem VENUS *arbitrum*
Dabit bibendi?

Αρχιποσίαν *significat* (inquit Poetæ Interpres vetus Cruquianus) *& tesserarum jactu datum in bibendo primatum. Veneris autem jactus lætissimus dicebatur, qui habebat numerum ter senarium.* Ubi vulgo est apud Acronem & Porphyrionem, *numerum tricenarium:* sed jamdudum emendatum memini ab incomparabili Hadriano Junio in *Nomenclatore*. Recte, inquam, *habebat numerum ter senarium.* Itaque Græcis etiam Τρὶς ἕξ dicebatur. Hesychius, Τρὶς ἕξ, νικητήριος βόλος. Et in Proverbio, Ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι. Meminit præterea insigni loco Augustus in Epistola ad Tiberium: quod fragmentum elegans uti a Suetonio *in Augusti Vita* cap. LXXI. conservatum est ac memoriæ proditum, ita heic totum adscribam: *Cœnavi, mi Tiberi, cum iisdem. Accesserunt convivæ Vinicius & Silvius pater. Inter cœnam lusimus* γεροντικῶς *& heri & hodie. Talis enim jactatis ut quisque Canem, aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat; quos tollebat universos qui Venerem jecerat.* Quem locum Andreas Tiraquellus J. C. in *Semestribus* ita emendari a nonnullis observat, translata voce illa *Senionem* in extremam periodi partem, hoc modo: *quos tollebat universos qui Venerem aut Senionem jecerat:* propterea quod a Persio *Sat.* III. *Senio dexter* appellatur, oppositus *damnosæ Caniculæ* [1]. Mea quidem sententia, nihil est necesse quidquam mutare.

Κῶος.] *Cous* jactus felix, Senio nempe. Hinc Proverbium, Χῖος πρὸς Κῶον. id est, *Unus ad sex.* Item, Κῶος Χῖον. Videndus Zenobius *Centur.* IV. *Proverb.* LXXIV. Tarrhæus in *Collectaneis Adagiorum*, & Suidas. Hesychius: Κῶος Χῖον. ὁ Κῶος ἀστράγαλος, ὁ ἕξ. ὁ μὲν γὰρ Χῖος, ἐδύνατο ἕν· ὁ δὲ Κῶος, ἕξ. Pollux *Onomast.* lib. IX. cap. VII. Οἱ δὲ πλείους τὸν μὲν Εξίτην, Κῶον· τὸν δὲ Κύνα, Χῖον καλεῖσθαι λέγουσι. *Chius* hic, sive *Chias*, male *Colias* ab Alexandro Neapolitano appellatur. *Chius* infelix erat jactus; *Cous* (Senio) felix. Meminit luculenter Aristoteles *Histor. Animal.* lib. II. cap. I. Πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον, ἐν τοῖς ὄπισθεν ἔχει σκέλεσιν. ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω· καὶ τὰ μὲν Κῶα, ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα· τὰ δὲ Χῖα καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Id est, Theodoro Gaza interprete: *Omnia vero* (animalia,) *quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus continent, ita ut erectus in suffragine parte sui prona foras, supina introrsum spectet; &, quæ Veneres vocantur, intus adversæ sibi positæ sint; quæ Canes, foris: quæ antennæ, supra habeantur.* Iterum *de Cœlo* lib. II. cap. XII. Μυρίους ἀστραγά-

1 Vide Eustathium *in Homer.* 2 Martialis *lib.* XIV. *ep.* XIV.
Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

1 Lælius Bisciola *Horar. subsecivar.* lib. XI. cap. 23.

λȣς Χίȣς βαλεῖν, ἀμήχανον. Ad quæ verba ita Simplicius: Ὅπερ ἐςὶ δυσκολώτατον, οἷον, μυρίȣς ἀςραγάλȣς Χίȣς ἀςραγαλίζοντα βαλεῖν, ἢ Κώȣς. γράφε) δὲ κ̀ ὅτως, ὡς μεγάλων ἀςραγάλων ἐν ἀμφοῖν ταῖν νήσοιν γενομένων. Sed in Ariſtotelis illo loco pro Χίȣς βαλεῖν legendum potius videtur, Κώȣς βαλεῖν. Et ſic legit Joannes Argyropylus Byzantius, cum vertit: *Talos Coenſes* (imo, *Coos*) *mille projicere, impoſſibile eſt.* Sic & vetus Interpres. Quanquam æque impoſſibile eſt, mille Chios, quam mille Coos jacere. Utraque lectio adſtruitur a Simplicio. Scripſit forte Philoſophus, (quod clariſſimo Scriverio in mentem veniebat) Μυρίȣς ἀςραγάλȣς Χίȣς, ἢ Κώȣς βαλεῖν, ἀμήχανον: *Mille talos Chios, vel Coos mittere, impoſſibile eſt.* Priorem vero Ariſtotelis locum ex *Hiſtoria Animalium* erudite vertit Gaza; neque enim Eraſmo accedendum aliter ſentienti [1]. Græcum exemplar, quo uſus eſt, mire corruptum fuit; in quo pro τὰ μὲν Κῷα, ἐντὸς ἐςραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ Χῖα καλȣμενα ἔξω, legebatur τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐςραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ἰςχία καλȣμενα ἔξω. Nec ſane melior codex Cælio Calcagnino ad manum fuit, qui eum primum de Venere Coliade mira vaticinari adegit; ſed poſtea a Polluce admonitus, veram lectionem feliciter eruit, lib. *De Talorum ac Teſſerarum & Calculorum ludis*. Sequuntur

JACTUS MALI ET INFELICES.

Omnes, præter Αἴγλη, a Polluce enumerati, *Onomaſt.* lib. VII. cap. XXXIII. ſect. IX.

Ἄβολα.
Ἄθετος.
Αἴγλη.
Hic jactus infelix Heſychio, & Euſtathio *ad Iliad. α'*. Vide & *in* Αἴγλη.
Ἄπλια.
Ἐκδιώων.
Κάκχασος, Κάγκασος, ſive Κίγκασος, & Κίκκασος.
Κρύφασος.
Κῖος, ſive Χῖος, qui & Κύων. Κύβος quoque, ac Ὄνος, & Οἴνη. *Vulturius*, & *Canis* Latinis.
Μάγνης.
Μάνης.
Μίδας.
Πάτραινα.
Πάτρηλος.
Χῖος, Κῖος, qui & Κύων, Κύβος, atque Ὄνος, & Οἴνη.

Κῖος, ſive Χῖος.) Supra [2] ad Jactus bonos & felices, cum de Coo diſputaremus, vidimus obiter quis jactus eſſet *Chius*: nempe unio. Hinc Proverbia, *Chius ad Coum*. Item, *Non Chius*, ſed *Cius*, ſive *Cous*: De quibus conſulendus Deſiderius Eraſmus in *Adagiorum Chiliadibus* elaboratiſſimis & bonæ frugis pleniſſimis, *Chiliad.* II. *Cent.* II. *Adag.* IX. item, ejuſd. *Chiliad. Cent.* VII. *Adag.* LXVIII. Vide etiam infra ſub finem harum annotationum ad Jactus iſtos malos.

Μάνης.) Cum manifeſtum ſit hunc Jactum inter infelices recenſeri a Polluce *lib.* VII. *cap.* XXXIII. cenſet in ea voce corruptum quendam Suetonii locum clariſſimus & doctiſſimus Meurſius. Luculentum Auguſti fragmentum extat apud Suetonium ex literis Auguſti ad Tiberium, in *Vita Auguſti* cap. LXXI. Subjiciam illud quomodo vulgo repræſentatur, cum ad rem faciat, & emendandum, aut ſaltem illuſtrandum videatur. Eſt autem hujuſmodi: *Nos, mi Tiberi, Quinquatriis ſatis jucunde egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit: ad ſummam tamen, perdidit non multum: ſed ex magnis detrimentis præter ſpem paulatim retractus eſt. Ego perdidi viginti millia nummum, meo nomine: ſed cum effuſe in luſu liberalis fuiſſem, ut ſoleo plerumque. Nam ſi quas manus remiſi cuique, exegiſſem; aut retinuiſſem quod cuique donavi, viciſſem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœleſtem gloriam efferet.* Hic mire ſe torquent docti Interpretes. Miſſis cæteris, Phœnicem illum eruditorum Iſaacum Caſaubonum audiamus. *Qui* [1] πλειςοβολίνδα *ludebant*, inquit, *ſingulis jactibus infelicibus certam pecuniam, prout convenerat, in medium conferebant: aliquando in ſingulos talos ſingulos nummos: ut Auguſtus ait in aliis literis: Talis enim jactatis, ut quiſque Canem, aut Senionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat*, &c. Aliquando in ſingulas unitates quas jactus oſtendebat; ſive *in punctum*, ut loquitur Suetonius in *Nerone* [2], ſingulos nummos. Hoc innuit Pollux in deſcriptione iſtius luſus, verbis hiſce *lib.* IX. *cap.* VII. ἀργυρίȣ τινὰ ἀριθμὸν ἐπιφημίσαντες καθ᾽ ἑκάςην μονάδα δηρημένlω, δραχμlὼ, ἢ σατῆρα, ἢ ὁποσονȣ̃ν, Sic ille locus ſcribi debet. Atque iſtæ ſunt *manus*, quas vocat heic Auguſtus. Duplicem ſuam benignitatem refert: alteram, quod colluſoribus ſuis qui ex jactu infeliciore tenebantur pecuniam in medium conferre, remiſerit conferendi neceſſitatem: alteram, quod iiſdem pecunia deſtitutis ad conferendum de ſuo ſit largitus. *Si quas manus remiſi cuique, exegiſſem.* Nempe *manum* pecuniam vocat, quam conferebat quiſque poſt jactum infelicem. Proprie tamen *manus* eſt jactus ipſe. Nam in alea ſinguli jactus ſic dicuntur *manus*, ut in re gladiatoria ſingulæ manus & ſinguli ictus. Quintilianus *lib.* IX. *cap.* I. *In armorum certamine adverſos ictus & rectas manus, cum videre, tum etiam propulſare facile eſt; averſæ tectæque minus ſunt obſervabiles.* Et alibi apud eundem manus gladiatorum *ſecundæ, tertiæ, quartæ*. Cave confundas, ut quidam, *manum* cum univerſa illa pecunia quam ſingulis commiſſionibus victor auferebat, quamque Pollux τὸ ἐπιδιακείμενον ἀργύριον vocat. Hæc eſt, opinor, quam A. Gellius *æs manuarium* appellat, quaſi ex pluribus manibus collectam, *lib.* XVIII. *cap.* XIII. quamque σύνθεσιν Imperator lege prima *Cod. de Aleatoribus*: οἱ σφόδρα, inquit, πλȣ́σιοι νομίσματος ἑνὸς ἑκάςlω σύνθεσιν παίζοισιν. Nam ſi σύνθεσιν ibi *manum* interpreteris, erit immenſa ſumma, quam poterit aliquis una commiſſione, quæ pluribus jactibus abſolvitur, perdere.

Manum pro ea pecunia, quæ inter duos ludentes deponitur, ſumi heic, firmat Ovidii quodam loco Vir eximius [3], qui eodem modo eadem voce uſus ſit *lib.* I. *de Arte*:

Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor,
Et revocat cupidas alea ſæpe manus.

Sed verborum iſtorum ſenſus: Ne perdidiſſe videatur, ſemper ad aleam recurrere luſorem; quam poetica phraſi ideo dicit revocare ſæpe cupidas manus. Quare ut Auguſti verba explicet Meurſius [4], aliud ſubſidium confert a manu medica. Reſtituendum putat, *ſi quos manes remiſi cuique*. Ingenioſe, & erudite. Nam de jactu infelici heic agi, nulli dubium. Μάνης autem, juxta Heſychium, κυβευτικȣ̃ βόλȣ ὄνομα, κ̀ βαρβαρικὸν, ὡς Εὔβȣλος ἐν Κυβευταῖς παρίςησι, κ̀ ἄλλων καταλέγων ὀνόματα βόλων. Fuiſſe autem inter infelices jactus, e Polluce conſtat. Cæterum Eubuli Dramatis, *Aleatores* inſcripti, meminit Athenæus *lib.* XI. & Auctor *Proverbiorum* Bibliothecæ Vaticanæ. Vide ſtatim infra.

Μίδας.) Et hunc jactum inter infelices recenſet Pollux. Sed duplex Μίδας fuit: alium nec bonum

1 Vide ſupra cap. XXV. & col. 1045. 2 Col. 1052.

1 De hoc luſu vide Meurſium, *De Ludis Græcorum*, in Πλειςοβολίνδα. 2 Cap. XXX. *Quadringenis in punctum H. S. aleam luſit.* 3 Jo: Rutgerſius *Variar. Lection.* lib. II. cap. XIX. *Notis in Fragmenta Auguſti.* 4 *De Ludis Græcorum*, in Κυβεία.

nec malum dicit, ſed τ̃ μέσων. Refertur a Suida Proverbii nomine:

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν δ᾽ὶβυλόπατος.

Id eſt:

Midas qui in teſſeris conſultor optimus.

Sed [1] Eraſmus diligenti & erudito perpendendum, monet, num δ᾽ὶβολώτατος legi oporteat, ut verſus ſit Jambicus trimeter:

Μίδας γὰρ ἐν κύβοισιν δ᾽ὶβολώτατος.

Id eſt:

In teſſeris jactus Midas proſperrimus.

Proverbium a teſſerarum ludo natum (eſt enim *Midas* jactus vocabulum) accommodari poterit ad rem quæ forte fortuna bene cadit. Recte ita legit, Senariique lege aſtrinxit Deſiderius [2]. Illuſtris quoque Scaliger in *Stromate Proverbialium verſuum* eundem ſic retulit, verſ. 702. Nec iſtud δ᾽ὶβυλόπατος comparet aut in Tarrhæi *Collectaneis*, aut in *Proverbiis* e Vaticano codice ab Andrea Schotto editis. In his, *Cent.* II. *Proverb.* LXIX. Μίδας ἐν κύβοις εὐβολώτατος] Βόλυ ὄνομα ὁ Μίδας, ὗ κ̀ Εὔβυλος ἐν Κυβδυταῖς μέμνη). Id eſt: *Midas in teſſeris proſperrimus.*] *Jactus vocabulum eſt Midas; cujus etiam Eubulus in Aleatoribus meminit.* In illis: Μίδας. παροιμία. ὁ ἐν κύβοις δ᾽ὶβολώτατος, ὁ γὰρ Μίδας βόλυ ἐςὶν ὄνομα. Manuſcriptum tamen Suidam nihil variare teſtatur Schottus. Cui (ut etiam mihi) Midæ jactus in alea alibi non lectus.

Χῖος, Κῖος, qui & Κύων, Κύβος atque Ὄνος.] Vide ad Κῷος, inter Jactus felices, ex Heſychio, Polluce, Ariſtotele, ejuſque interprete Simplicio. Zenobius *Centur.* IV. *Proverb.* LXXIV. Κῷος, Χίῳ) Ὁ Κῷος ἀςράγαλος ἠδύνατο ἕξ. Παροιμία δὲ ἐςι, [3] Χῖος πρὸς Κῷον. ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἠδύνατο ἕν, ὁ δὲ Χῷος, ἕξ. Id eſt: *Cous Chio.) Cous tali jactus ſex valebat. Hinc natum Proverbium:* Chius ad Coum (collatus.) *Chius enim unionem valebat, Cous vero ſenionem.* Heſychius: Κῷος Χῖον, ſubjecta pari expoſitione cum Zenobiana. Diogenianus Proverbii hujus uſum tradit, cum minora quis cum majoribus componit; *Centur.* V. *Proverb.* LXX. Vide & Proverbia e Suidæ *Collectaneis*, *Centur.* VIII. *Proverb.* LXXXVIII. Sed inibi corrupte legi ἔνδον & ἔξω, pro ἓν & ἕξ, nata e compendiis, ut fit, menda, monuit vir præſtantiſſimus Andreas Schottus in *Notis*; & ante eum magnus Eraſmus, *Chiliad.* II. *Centur.* VII. *Adag.* LXVIII.

Proverbia Vaticanæ Bibliothecæ, beneficio V. Cl. Andreæ Schotti edita, *Centur.* IV. *Proverb.* XLV.

Χῖος παραςὰς Κῷον ὐκ ἐᾷ λέγειν.

Id eſt:

Si Chius adſit, non ſinit Coum loqui.

Ἀπὸ ἀςραγάλων παρωθήκη (Schottus emendat παρῳδική: vel, quomodo ſæpe occurrit, ὑποθετικὴ παροιμία.) ἡ παροιμία. κ̀ ἐπὶ θηραμάτων ἐπεὶ ἐδόκει Χῖος εἶναι. *A talis ductum per parodiam Proverbium, & de captura venationum, ubi Chius apparebat.* Verſus Proverbialis eſt e Statidis Comici fabulis. Competet in rabulam verboſum, qui multiloquio os prudentioris doctiorisque obſtruit, nec patitur verba pro ſe facere. Chiorum ſcurrilitas & illaudata levitas ex auctoribus notiſſima eſt: at Coos inſula magni nominis, & decantatiſſimos viros permultos protulit. Ita explicat Clariſſimus Hadrianus Junius *Adagior.* Cent. III. Adag. L. & ſubjicit, quod magis placet: Niſi mavis referre ad jactuum teſſerariorum vilitatem dignitatem, in quibus Χῖος unionem caniculamve deſignabat, infelix jactus; at Κῷος ſenionem, feliciſſimus omnium jactus. Meminit etiam Proverbialis hujus Senarii Euſtathius *ad Homeri Iliad.* ψ΄.

1 *Chiliad.* II. *Cent.* IX. *Adag.* 87. 2 Corrigit apud Suidam Meurſius: Μίδας κύβυ ὄνομα δ᾽ὶβολωτάτυ. 3 Vel, Χῷος πρὸς Χῖον, *Cous ad Chium*. Sic Diogenianus & Suidas in *Collectan.*

Didymus Proverbium ſubeſſe putat in his Ariſtophanis e *Ranis* in Theramenem verbis:

Πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν, ὐ Χῖος ἀλλὰ Κῖος.

Id eſt:

Evolavit e malis, haud Chius, ſed Cius.

Qui verſus varias recipit interpretationes. quas apud Eraſmum videas licet, *Chiliad.* II. *Cent.* II. *Adag.* IX. Sed Ariſtarchus eo loco non Κῖος, ſed Κῷος legit: & videtur ad talorum ludum reſpicere, in quo jactus *Cous* valebat ſex, *Chius* unum duntaxat. Ita ut hoc dicto indicarit Comicus, Theramenem nunquam infeliciter conſuluiſſe. De altera lectione, varia ſententia eſt. Conſulant, ſi videtur, ſtudioſi Chiliaſtem Batavum *loco* proxime *indicato*. Meminit etiam hujus Proverbii Ariſtophanici Euſtathius Scholiaſtes Homeri, *ad Iliad.* ψ΄.

Κύων.) Unio, Canis. Euſtathius *ad Iliad.* ψ΄. Τῶν δὲ βόλων, φασὶν, ὁ τὸ μὲν ἓξ δυνάμενος, Κῷος ἐλέγετο, κ̀ Ἑξίτης· ὁ δὲ τὸ ἓν, Χῖος, κ̀ Κύων. Eadem quoque *ad Odyſſ.* α΄. dicit. Ergo unio iſto nomine deſignabatur. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Κὰι τὸ μὲν μονάδα δηλῦν, καλεῖται Κύων. Iterumque *ibidem*: Οἱ δὲ πλείυς τ̀ μὲν Ἑξίτην, Κῷον: τ̀ δὲ Κύνα, Χῖον καλεῖσθαι λέγυσι. Heſychius: Κύων. δηλοῖ κ̀ ὑπὸ κυβδυτῶν βόλον τινά. ὃς κ̀ Χῖος καλεῖται. Iſidorus *Originum* lib. XVIII. cap. LXV. *Unionem canem, trionem ſuppum, quatrionem planum vocabant.* & *Cap.* LXVI *Vitant canem, quia damnoſus eſt: unum enim ſignificat.* Plauto *Vulturius* non aliam ob cauſam dicitur, *Curculione* Act. II. Sc. III. Meminerunt *Canis* Auguſtus in Epiſt. ad Tiberium, apud Sueton. *cap.* LXXI. Ovidius *Triſtium* lib. II. & *de Arte* lib. II. Propertius *lib* IV. *eleg.* IX. Perſius *Satyr.* III. Omnes diſerte innuentes infeliciſſimum eum jactum eſſe, & *damnoſi* epithetum fere ei ſemper tribuentes, quia nummis ſuis ludentes mulctaret. Dicebatur autem etiam idem Χῖος Græcis. Quod clarum ex iis quæ paulo ante adduximus [1], & ex proxime citatis Euſtathii & Heſychii verbis. Etiam Ονος dicebatur. Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ιςέον, ὅτι κύβος αὐτό τε τὸ βαλλόμενον ἂν εἴη, κ̀ τὸ ἐν αὐτῷ κοιλότητος σημεῖον, ὁ τύπος, ἡ γραμμὴ, τὸ δηλῦν τ̀ ἀριθμὸν τ̃ βληθέντων. καὶ μάλιςά γε ἥ τε μονὰς, ἡ ἐν αὐτοῖς Ονος καλεῖσθαι εἶχε, κ̀ Κύβος. Ac corrigendus idem *lib.* VII. *cap.* XXXIII. *ſect.* IX. Βόλων δὲ ὀνόματα, τ̃ μὲν φαύλων τε κ̀ δυσβόλων, ἐφ᾽ οἷς τὸ δυσκυβεῖν, Μίδας, Μάνης, Πάτρηλος, Πάτραινα, Μάγνης, (ita legendum cum Meurſio) Αβολα, Απλια, Αθετος, Υπτιάζων, Κρύφασος, Κάκχασος, Τειχίας, Εκδύνων, Χῖος. ὃν κ̀ Κῖον ἐκάλυν, κ̀ Ονον, κ̀ Οἴνην. Perperam editur, ὃν κ̀ Κῖον, κ̀ Οἰνὸν, κ̀ Οἴνην. Et nobis quoque hodie is jactus *Aſinus* (Eſels) dicitur. Obſerva autem, item Οἴνη nomen fuiſſe. Qua de re Heſychii locus hodie depravatiſſimus: Οἴνη. ἡ ἄμπελος, καὶ κυβευτικὸς βόλος. ὁ κενὸς, καὶ ἀντικείμενος τ̀ ἔξω Αχαιός. οἰνίζειν γὰρ τὸ μονάζειν, κατὰ γλῶσσαν. Lege, καὶ ἀντικείμενος τῷ ἕξ. [2] ὁ Χῖος οἰνίζειν γ. Suidas κύβον interpretatur. Οἴνας. ὕτω καλοῦσιν Ιωνες τὺς κύβυς, ἔνθεν καὶ ἡ παροιμία, Ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρὶς οἴνας. Sed nimirum Κύβος quoque idem erat, quod heic Κύων. Ecce in Pollucis *citatis* ſtatim *verbis*: Καὶ μάλιςά γε ἥ τε μονὰς, ἡ ἐν αὐτοῖς Ονος καλεῖσθαι εἶχε, κ̀ Κύβος. Καθάπερ κ̀ ὁ παροιμιώδης λόγος προμηνύειν ἔοικε, Ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρὶς (leg. τρεῖς) κύβοι. Ergo ita intelligendus eſt Suidas. Hactenus Meurſius: quæ ſequuntur, ex Salmaſio excerpſimus.

Errant docti Interpretes cum Proverbium illud, cujus proxime mentionem fecimus, ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, verterunt, *Aut ter ſex, aut tres tali.* Imperitiſſime. Ita enim debuerunt, *Aut ter ſex, aut tria puncta.* Fefellit eos ὁμωνυμία vocis κύβος, qua apud Græcos non teſſera tantum ſignificatur, ſed

1 Ex Joannis Meurſii lib. *de Ludis Græcorum*, in Κυβεία.
2 τῷ ἕξ etiam legit Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* p. 471.

etiam punctum tesseræ, & unitas. Κύβος igitur hoc Proverbio significat τὴν μονάδα. Zenobius parœmiam illam explicans *Cent.* IV. *Proverb.* XXIII. τὸ μὲν τρὶς ἓξ τὴν παντελῆ νίκην δηλοῖ· τὸ δὲ τρεῖς κύβοι, τὴν ἧτταν. πάλαι γὰρ τρισὶν ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδιὰς κύβοις, ϗ οὐχ, ὡς οἱ νῦν, δύο. ἔστι δὲ ὁμωνυμία. Κύβον γὰρ ἔλεγον ἰδίως αὐτὸν τὸν ῥιπτούμενον, ὅτε πλήρης ἐστὶ ϗ μή. Proverbium hoc reperiri ait apud Pherecratem in *Myrmecanthropis*, dictumque de periclitantibus. *Ter enim sex victoriam summam designat; tres vero cubi* (imo, *tria puncta* [1],) *inferiorem esse ac vinci. Ternis enim antiquitus talis ludebant, non ut hodie, binis. Latet autem ambiguitas. Nam κύβον dicebant jactum, quo plus minusve exit.* Hæc Zenobii verba partim mutila, partim corrupta sunt, ab Interpretibus vero nullo modo intellecta. Observat Zenobius antiquos tribus tesseris usos esse, idque colligit ex antiquo Proverbio, quod ita concipiebatur, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι. In quo explicando dicit, τρὶς ἓξ κύβους victori assignari, τρεῖς κύβους victo; & notat idem in ea voce κύβος ὁμωνυμίαν esse. Ὁμωνυμία, quam intelligit, hæc est: κύβος & tesseram [2] Græcis significabat, & tesseræ punctum, vel unionem. Τρεῖς κύβοι igitur in illo proverbio, non sunt tres tesseræ, sed tres uniones, vel tria puncta: τρὶς ἓξ κύβοι, ter sex puncta, vel ter sex uniones. in trium tesserarum jactu, qui ter sex puncta afferebat, felicissime jecerat; nec enim plus poterat afferre. Ideoque facile is vincebat omnes, & omnia auferebat in eo lusu, quem πλειστοβολίνδα vocabant. Qui plura enim puncta attulisset, abibat victor; at cui tria tantum puncta ceciderant, infelicissimum jactum faciebat, ideoque certissime perdebat. Non erat enim qui posset inferius punctum adducere. Verba autem Zenobii, quæ corruptissima, ita corrigenda certo pronunciamus: ἔστι δὲ ὁμωνυμία· κύβον γὰρ ἔλεγον διχῶς, αὐτὸ τὸ ῥιπτούμενον, ϗ ὃ πλῆρές ἐστι ϗ μή. Duplici sensu κύβον dixerunt Græci. αὐτὸ τὸ ῥιπτούμενον, tesseram ipsam nimirum quæ jacitur, & quod in tessera plenum & vacuum est, hoc est τὸν βόλον. Veteres latus tesseræ in quo unitas tantum notata, vel unicum, *vacuum* appellarunt; illud vero quod sex puncta habebat, *plenum*. In ea parœmia, quam Zenobius exponit, τρεῖς κύβοι, sunt tria latera trium tesserarum vacua, quæ tota tria latera tria tantum puncta exhibent. at τρὶς ἓξ κύβοι, sunt tria latera plena in tribus tesseris, quæ ter sex uniones ostendunt. Hesychius: Οἴνη. ἡ ἄμπελος, ϗ κυβευτικὸς βόλος, ὁ κενὸς ϗ ἀντικείμενος τῷ ἕξ. Ita legendum. Meliorem interpretem, quam hunc Hesychium, dare Zenobio non poterant. Οἴνη unionem significabat, τὴν μονάδα. Hunc κενὸν βόλον vocabant; & contrarius erat τῷ ἕξ, quem πλήρη dicebant. Corrupte tamen hodie apud Hesychium excussum est, ὁ κενὸς ϗ ἀντικείμενος τὴν ἔξω. Κύβος igitur & tesseram significabat, & unionem. Eustathius: Διχῶς γὰρ ὁ κύβος αὐτό τε τὸ ἀναρριπτούμενον, ϗ ἡ ἐν αὐτῷ μονάς. Μονάδα illam etiam Οἴνην dicebant, & κενὸν βόλον, ut ex Hesychio didicimus. Ideo Iones Proverbium illud, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, ita efferebant, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς οἶναι. Zenobius, postquam dixit κύβον etiam significare τὸ πλῆρες ϗ τὸ κενὸν tesseræ, addit: Τοὺς δὲ κύβους τοὺς τοιούτους οἱ Ιωνες καλοῦσιν [3] Οἴνας, ϗ τὴν παροιμίαν οὕτως ἐκφέρουσιν, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς οἶναι. Corruptissime legas hodie apud Zenobium, καλοῦσιν Ονους, & τρεῖς εἶναι. Corrigendus & in hac Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Ιστέον δὲ ὅτι κύβος αὐτό τε τὸ βαλλόμενον καλεῖται, ϗ ἡ ἐν αὐτῷ κοιλότης, ὁ τύπος, ἡ γραμμὴ, τὸ δηλοῦν τὸν ἀριθμὸν τῶν βληθέντων. ϗ μάλιστα ἥ γε μονὰς ἡ παρ' Ιωσιν οἴνη, ἔοικε καλεῖσθαι κύβος, καθάπερ ϗ ὁ παροιμιώδης λόγος μηνύειν ἔοικεν, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι. Ita partim ex veteris exemplaris auctoritate, partim ex conjectura restituimus. Asini sunt, qui ὄνος ibi pro οἴνη legunt, ac defendunt. Idem Pollux *lib.* VII. *cap.* XXXIII. Χῖος ὃν ϗ Κῷον ἐκάλουν ϗ οἰνὸν ϗ οἴνην. ἔστι δὲ ϗ οἴνη παρὰ τοῖς Ιωσι μονάς. Perperam editum est apud Pollucem, παρὰ τοῖς Ιωσι μόνοις. Οἴνη antiquæ Græciæ vox, idem valebat quod μονάς. Οἰνὸς quoque idem quod μόνος. hinc Latinorum *unus*: nam Veteres *oenus* & *oinus* scribebant & pronunciabant. ut *oetor & coero*, & similia. Hinc in veteri Scipionis Inscriptione Romæ nuper effossa, OINO scribitur pro UNO:

HONC OINO PLOIRVME CONSENTIVNT. R.
DVONORO OPTIMO FVISE VIRO.

Ab illo antiquo οἰνὸς verbum οἰνίζειν, τὸ μονάζειν. Hesychius: Οἰνίζειν, τὸ μονάζειν, κατὰ γλῶσσαν. Οἴνη igitur apud Iones in talorum lusu idem plane erat, quod apud Latinos *unio*. in tesseris οἴνη τὴν μονάδα significat, & punctum unicum. Οἴνη, μονάς, κοιλότης, σημεῖον, τύπος, γραμμὴ, κύβος, τρύπημα, & τρῆμα, in tesseris synonymæ sunt voces, quibus tesserarum puncta designantur. Τρήματα enim Græci vocabant, & Latini *puncta*. Quare in illo versu Euripidis, quem superius adduximus, *cap.* XVII.

Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω ϗ τέτταρα,

non πρὸς τοὺς κύβους refertur, sed πρὸς τὸ σημαινόμενον, ad τρήματα. Τρῆμα enim & κύβος idem. punctum nimirum tesseræ. Hinc τρηματίζειν apud Dores, punctis ludere; τρηματίκται, lusores. Quod de illo genere aleæ proprie dicebatur, quo in singula puncta, certam pecuniæ summam constituebant, & in medium conferebant, isque eam tollebat universam, qui multitudine punctorum superasset. Eustathius: καθ' ἕκαστον κύβον, ἤγουν καθ' ἑκάστην μονάδα, ἔπαιζον ἀργύριον ὁρίσαντες. Hoc proprie τρηματίζειν dicebatur, hoc est, *in punctum ludere*, ut loquitur Suetonius in *Nerone* cap. XXX. Sophron apud Eustathium: Δειπνήσας ὠστίζεται τοῖς τρηματιζόντεσσι. inde nomen τρηματικτής. Dores enim τρηματίξω dicebant, & τρηματίξαι, ἀπὸ τοῦ τρηματίζω. atque inde τρηματικτὴς pro τρηματιστής. ut Σαλπικτὴς ἀπὸ τοῦ σαλπίζω. Pollux: Παρὰ δὲ τοῖς Δωριεῦσιν οἱ ταύτῃ τῇ παιδιᾷ χρώμενοι τρηματικταὶ τὴν προσηγορίαν εἶχον ϗ τὸ πρᾶγμα τρηματίζειν. Perperam hodie legitur, τρηματῖται. Hesychius: τρηματικτὰς, κυβευτὰς ἀπὸ τῶν ἐν κύβοις τρημάτων. Male vulgo τρησματίκτας. τρηματίτας habet Eustath. quod caret ratione: nec enim ἀπὸ τοῦ τρηματίζειν deduci queat τρηματίτης. Πλειστοβολίνδα hanc aleam vocabant, & nihil ad aleam illam pertinet quæ in tabula cum calculis luditur. Græci autem τρήματα, Latini *puncta* appellant. Ausonius in *Commemorat. Professor. Burdigalens. Carm.* I.

Narrantem fido per singula puncta recursu
Quæ data per longas, quæ revocata moras.

Luxurius in Epigramm. *De tablista furioso*:

Ludit cum multis Vatanas, sed ludere nescit,
Et putat imperio currere puncta suo.

Vetus aliud Epigramma *De tabula*, nondum editum:

Adversis punctis doctum se nemo fatetur.
Vulnera plus crescunt punctis, quam bella sagittis.

Puncta etiam hodie vocamus. Quam Græci autem οἴνην in tesseris appellant, nos *assem* dicimus, hoc est, unionem, τὴν μονάδα. *Assem* quoque pro uno vel unitate, dixere Latini veteres. *adjecto esse* apud Vitruvium, pro *adjecta unitate*: itemque apud Hyginum Grammaticum *accepto asse*, & *assem relinquo*, pro *accepta unitate*, & *unitatem relinquo*. Glossæ: *As*, ἅπαξ. *Assarium*, μονομάχιον. Vocem hanc a Siculis vel Tarentinis Romani veteres sumpsere. εἷς, quod est unus, Siculi dicebant αἷς, ut αἶ pro

1 Ex interpretatione A. Schotti. 2 Vide exemplum Euripidis, *Cap.* XVII. sub fin. 3 Ita rectius in *Vatic. Cod.* quam lectionem confirmat Suidas: Οἴνας καλοῦσιν Ιωνες τοὺς κύβους. ϗ παροιμία, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς οἴνας.

εἶ: αἶθε pro εἴθε, & similia. Tarentini pro αἰς rursum dicebant ἆς, ut ἄνιγμα pro αἴνιγμα. Inde *as* pro uno Latinis. *Tesseræ* quoque vocabulum ab iisdem accepere Romani. Τεσσάρlω vel τεσσάρον illi vocabant figuram quamvis quadratam, quæ quatuor angulos haberet. Hinc Latinis *tessera*, & *tessella*, lapillus quadratus, & κύβος, quem sciunt omnes esse quadratum. Isidorus: *Tesseris, quadris*. Τεσσάρη itaque *tessera*, ut πατάνη *patina*.

Proverb. Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς οἶνοι,
Belgice: *Of drie süsen, of drie esels*.
Vel, Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς ὄνοι.
Belgice: *Of drie süsen, of drie asen*.
Latine: *Aut tres seniones, aut tres uniones*.

Bataviæ jubar [1] ad hoc proverbium ita commentatur:

Η τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι,
Aut ter sex, aut tres tesseræ.

Si quando significabimus non extrema periclitari velle, & aut plane vincere, aut prorsum vinci, hoc adagio tempestiviter utemur. Sumptum est a vetusto tesserarum lusu, in quo qui novem (imo, octodecim: tot enim puncta felix jactus trium tesserarum exhibet, tres puta seniones) jecisset, is modis omnibus superabat; qui tres, is longissime aberat a victoria. Nam antiquiores tribus tesseris uti consueverant, non, quemadmodum nunc, duabus. Tesseram (κύβον) autem etiam jactum ipsum appellant; qui nonnunquam plenus est, interdum inanis. Itaque jactus ter trium (imo, trium senionum) felicissimus erat, trium (singularium punctorum) inanis. Meminit hujus adagionis Julius Pollux l. IX. *De rerum vocabulis*. Porro tesseras easdem esse cum iis quos Græci κύβους appellant, testis A. Gellius *l.* I. *c.* XX. Κύβος, inquiens, *est figura ex omni latere quadrata. Quadrantales sunt inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveolo luditur, ex quo ipsæ appellatæ κύβοι* [2]. Zenodotus parœmiam hanc citat ex Pherecratis fabula, cui titulus *Myrmecanthropi*. Est enim clausula carminis trochaici. Suidas & Æschylum adducit ex *Agamemnone*;

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
Τρὶς ἓξ βαλούσα τ' ἐμῆς φρυκτωρίας.

Id est:

Nam res heroum, faxo, ut optime cadant,
Ter sex ubi phryctoriæ jaciam meæ.

Usurpatum est a Plutarcho libro *De legibus* ultimo: Τί ἂν δεῖ ποιητέον ἐχόντων τούτων οὕτως ὦ ξένε; τὸ λεγόμενον, ὦ φίλοι, ἐν κοινῷ ἡμῖν μέσῳ ἔοικεν ἡμῖν κεῖσθαι καὶ ὑπερκινδυνεύειν περὶ τ' πολιτείας ἐθέλομεν ξυμπάσης, ἢ τρὶς ἓξ, φασι, ἢ τρεῖς κύβους βάλλοντας, πάντα ποιητέον. Id est: *Itaque cum hoc in loco res fuerint quid faciendum censes, hospes? Juxta id quod vulgo dicitur, amici visum est nobis par esse, uti rem in publicum & in commune conferamus, velimusque de universa republ. supremum subire discrimen, nihilque non facere, ita ut vel ter sex, vel tres talos jaciamus.*

Vides, heic in calculo aberravit Chiliastes, qui novem supputat, ut ter tria animo concepisse videatur. Sed demus aliorum erratis veniam, ut nostris citius impetremus. Nec recte κύβοι illo [4] interpretante tesseræ sunt. Diximus uniones ὄνους vocari ab Ionibus (vitiose enim in Zenobio οἴνους, ut & in Polluce non semel, quasi *vinum*, editum erat) testis est idem Julius in *Onomastico*, & ex eo Hadrianus Junius lib. II. *Animadversor.* cap. IV. & *Adagiorum* Centur. V. Adag. LXII. Ubi sic Bataviæ jubar alterum [5]: Τρὶς ἓξ βάλλειν, hoc est, *Ter sex jacere*, proverbio dicitur, cui ex animi sententia ac pro voto omnia succedunt prosperrime; inde nata proverbii origine, quod antiquitus in trium cuborum jactu, tres seniones jecisse, fortunatissimum erat, & primæ palmæ victoriam apportabat, aliter quam putavit Erasmus, ter trium jactum felicissimum fuisse. Diserte namque testatur Suidas quod dixi, ita annotans: Τρὶς ἓξ, νικητήριος βόλος, Id est: *Ter sex, victor jactus est*. Et attestatur proverbium, quod ancipiti voto vel supremam vel infimam sortem deposcit, Τρὶς ἓξ, ἢ, τρεῖς οἶνας. Id est: *Ter sex, aut tres uniones*. Clarissime vero extra controversiam hoc ponit apud Æschylum in *Agamemnone* nuncius, in specula relictus, qui conspicatus in tenebris faciem capti Ilii indicem, uti convenerat, ait ignem illum ter sex jecisse, nimirum fausta ac læta omnia portendere designans. Versus hi sunt:

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
Τρὶς ἓξ βαλούσης τ' δέ μοι φρυκτωρίας.

Id est;

Feliciter cecidisse heriles res dabo,
Fax ista quando jecerit ter sex mihi.

Qui versus quoniam depravati leguntur apud Suidam, admonendus est Lector æquus vitii duplicis, nam & male πεσὸν παθήσομαι in priore scribitur, & in secundo βαλοῦσα τ' ἐμῆς. Neque vacuus erroris est codex Eustathii [1] Romæ excusus, apud quem in *Odysseæ* primo pro τ' δέ μοι legitur τ' διός. Hactenus Junius.

Ergo Κύβον, *Chium*, unionem, & canem nominabant, quem & Iones ὄνον appellarunt, vel οἴνας potius, ut supra vidimus; *Coum* vero ἑξίτlω, vel senionem. Persius *Sat.* III.

———— *quid dexter senio ferret*
Scire erat in voto, damnosa canicula quantum
Raderet. ————

Martialis *lib.* XIII. *epigr.* I.

Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Sequuntur

JACTUS MEDII.

Αγύρτης.
Ανακάμπτων.
Αντίδοχος.
Αντίτυπος.
Αργεῖος Polluci, Αργεεὺς Hesychio.
Αρμα ὑπερβάλλον πόδας.
Αρματίαι.
Αρτια Polluci, Αρτος Hesychio.
Δάκνων.
Δορδύς.
Ελλείπων
Επίθετος.
Επιφερών.
Επιφέρων.
Εὐδαίμων.
Ιερός.
Κεντρωτός.
Κήρυκος.
Κύκλωπες.
Κωῶτας.
Λάκων.
Λάμπων.
Μίδας.
Οἶστρος.
Πυαλίτης.
Σίμων.
Σόλων.
Σφάλλων.
Τιμόκριτος.
Τειχίας.
Υπτιάζων.

Μίδας.) De *Mida* ad malos & infelices jactus diximus. Duplicem nempe fuisse eo nomine jactum.

1 Erasmus *Chiliad.* II. *Cent.* III. *Adag.* XXXXXXVI. 2 Zenob.
3 Βαλούσης τ' δέ μοι φ. apud Junium: cujus & versuum istorum interpretatio hujusmodi:
Feliciter cecidisse heriles res dabo,
Fax ista quando jecerit ter sex mihi,
4 A. Schottus. 5 Had. Junius.

1 Meminit quoque Adagii idem Scholiastes *in Iliad.* Ψ.

Unum malum, cujus meminit Pollux; alterum etiam nec malum, nec bonum, sed τ̃ μέσων, eodem auctore. Nam postquam bonos pariter malosque commemoravit, mox subjungit: Ο μέντοι Μίδας, ἢ τ̃ μέσων βόλων ἦν. Proverbium, Μίδας ἐν κύβοις εὐβολώτατος, *Midas in alea prosperrimus*, supra excussimus. Ibi vide. De hoc sic Calcagninus *De tesseris*: Erat in tesseris jactus qui Μίδας nuncupabatur, commodus admodum jacientibus. Ex quo Adagium illud effluxit:

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβυλότατος.
Midas qui in tesseris consultor optimus.

Etsi magis probem syllabæ gratia εὐβολώτατος legi: ut intelligas facilem, ut qui lubrice pervolvatur. Midam enim a felicitate Midæ regis appellatum arbitror; qui mortalium ditissimus antiquorum monumentis traditus est. Sicut & Jovis tesseræ in Proverbium abierunt, de iis qui auctoritate pollent, quibusque omnia feliciter procedunt.

Αεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.
Feliciter semper cadunt Jovis cubi.

Vide Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

CAP. XXIX.

De Talis, & ludo talario, Galeoti Martii, & Georgii Merulæ, observationes.

GALEOTI MARTII,
Narniensis, *De Homine*, lib. I.

Os quod in calcaneo est, talus vocatur. unde & vestis talaris, quæ ad calcanea usque descendit, appellatur. Et est quadrangulus. Propter hoc majores nostri talos vocaverunt cubos & tesseras: sunt enim tali ad ludum. Propertius, *lib.* IV. *eleg.* IX.

Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
Semper damnosi subsiliere Canes.

Hinc diminutivum taxillus, id est, parvus talus.

GEORGII MERULÆ.
Alexandrini, *Commentario in Galeotum*.

Talos non esse tesseras, Martialis satis declarat, cum dicit, *lib.* XIV. *ep.* XV.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Major, quam talis alea, sæpe mihi.

Et *lib.* XIV. *ep.* XII.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Quare cubos Græce Latine tesseras, auctoribus Gellio & Macrobio, dicimus. Talos autem a tesseris tum forma, tum jactu distare credimus. Nam jactu talorum Venus, Senio, & Canis continebatur: extra punctorum numerum. Tessera vero & quadrata erat, & puncta habebat. Id quod colligitur ex illo Martialis disticho, ubi Tabulam lusoriam exprimit. Sic enim ait, *lib.* XIV. *ep.* XVII.

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

De talis Suetonius in *Vita Augusti* cap. LXXI. *Talis jactatis, ut quisque Senionem, aut Canem jecerat, in singulos talos singulos denarios ponebat. quos omnes auferebat, qui Venerem jecerat.* Forma hac talos putamus fuisse, hoc est quadrata figura & concava, ad similitudinem videlicet tali. Nam os illud quod talum vocitamus, quantum in undecimo Plinii libro cap. XXXVII. *Naturalis Historiæ* legimus, non est ea figura, qua tu scribis. Imo talus rectus est in articulo pedis, ventre eminens concavo, in vertebra ligatus. Nec omnia animalia talos habent. Nam, eodem auctore, quæ solidas habent ungulas, & quæ non sunt cornigera, ungulam habent, non talos.

Quid esset talus, quove jactu tali emitterentur, collatis diversorum scriptorum dictis, nescio quid non admodum a veritate abhorrens id tradidi. Ve-

A rum ut est solers studiosorum natura, cum in hoc mihi non satisfacerem, diligentiusque vetustissimos quoque scriptores, tam nostros quam Græcos, perscrutarer, an aliquid deprehendere possem, quod a vetustis auctoribus sumptum, fidem & auctoritatem, in re dubia aperienda & explananda, haberet; forte incidi in illud Homericum, ubi Patrocli anima per quietem Achillem magis corripuit, quam admonuit, ne amici oblivisceretur, neve eum mortuum contemneret, quem viventem tantopere dilexisset, sed potius humari corpus juberet, ut, conditis manibus, in sedem suam recipi posset. Recordatur autem quod puer in domo Pelei educatus
B foret, cum ex Oponte fugisset, ob cædem Amphidamantis filii, quem ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθεὶς, hoc est, *ira percitus in talorum ludo* occidisset. Quod verbum exponens erudite Eustathius, de astragalis, sive talis, plurima annotavit, quæ in Latinum conversa his subjungere volui, in gratiam eorum, qui hujusmodi ludo cognoscendo, cujus frequens est apud Latinos scriptores mentio, solliciti admodum sunt. Ergo post multa de genere & etymologia dictionis repetita, astragalos ἀστρίας ab aliis dictos esse ait, & ἀστρίζειν astragalis ludere. quod probat auctoritate Callimachi. *Fiebat autem hic ludus*
C *talis quatuor, quorum quisque casus quatuor habebat, non autem sex, quemadmodum cubi, hoc est, tesseræ: in quibus per septenarium numerum contraria quædam constituitur oppositio. Nam utcumque constiterit tessera, semper puncta sex uni opponuntur, tria quatuor; duo vero quinque habent opposita. Quæ oppositio in solis cubis habetur, quippe planicies habentibus. Sed omnes casus talorum pro consuetudine ludentium assumptorum, erant quinque & triginta: quorum quidam a diis, alii ab heroibus, alii a claris hominibus, aut a meretricibus nomen accipiebant: nonnulli vero a quibusdam, nunc in laudem, nunc in vituperationem accidentibus denominabantur. Et quidem in ip-*
D *sis casus* Stesichorus[1] *dicebatur, quippe octonarium significans; quoniam sepulchrum Stesichori, quod erat in Himera urbe Siciliæ, octo angulorum fuit. Vocabatur & alius casus* Euripides, *quippe quadraginta significans; quoniam videtur Euripides unus fuisse quadraginta præfectorum, post triginta tyrannos Athenis exactos. Sed jactuum, ut ajunt, qui sex continebat, is* Κῷος *dicebatur, &* Ἑξίτης. *hoc est Latine* Senio. *Qui vero unum continebat,* Χῖος *dicebatur, &* Κύων, id est, *Canis*. *Unde proverbium,* Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐάσω, Latine, *Chius astans Coum non permittam. Secundum quod apud Strattidem Comi-*
E *cum legitur.* Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν. Hoc est, *Chius astans Coum non permittit dicere. Ad quod videtur allusisse Aristophanes, cum ait:* οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κῖος, ἢ Κῷς. *Significat jactus hic Canum contrariam quandam calculi ruinam in regionibus quibusdam per lineas in tabula lusoria designatis, multisque jacentibus calculis, quos oportebat contra perdere. Dicebantur autem regiones illæ,* urbes, *lege tesseraria. Canes vero calculi, qui sibi e diverso insidiabantur.* Hactenus Eustathius. Illud nos addimus ex Varronis, Gellii, & Macrobii sententia, cubos dici Latine tesseras. Sed astragalos, vocari Latine talos, si libros Ari-
F stotelis, ubi de partibus animalium scribit[2], & nostri Plinii scripta quis contulerit, cognoscet.

CAP. XXX.

Alea Allegorica & Proverbialis.

Quum *Alea*[3] dicatur omnis ludus in varietate fortunæ consistens, factum est, ut figurata locutione *Alea*, sæpe sumatur.

1 *Stesichori* meminit etiam Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. 2 *Hist. Anima'.* lib. II. *cap.* I. 4 *L.* 7. *l. juncta.* *l.* 11. *ff. de hæredit. vel act. vendit.* *l.* 8. *ff. de contr. empt.* *l.* 12. *ff. de act. empt.*

(1) Exempli gratia: *Alea emere*. Quid *Alea emi* dicitur? *scilicet cum ipsum rei incertum venit: veluti, si jactum retis, vel panthera ab aucupe, vel missilium captum quis emat*.

Id quod ex dubio, incerto, & fortuito eventu pendet, dicitur quoque *in aleæ speciem cadere*.

Similiter Seneca *in liberis tollendis aleam* dixit, lib. III. *de Benef.*

Ambrosius *Epist.* XXIX. *lib.* V. *Non fructus, sed culturæ labor; non reditus, sed incerti eventus, quædam (ut dicitur vulgo) alea*.

Sic Togatorum doctissimus, Varro *de Re rust.* lib. I. *Ubi salubritas non est, cultura non aliud est atque alea domini, vitæ ac rei familiaris*.

Seneca rursus *Ep.* CXVII. *Subibo hujus voti aleam.* Quibus verbis ancipitem rei eventum significare voluit: Etenim alea fortunæ ludus est magis, quam artis: atque a fortunæ magis quam jacientis arbitrio pendens. Hinc Livius: *Nec tam celerem aleam universi certaminis timeas*.

Et Plinius *extra omnem ingenii aleam positum Ciceronem* dixit.

(2) Deinde *alea*, per similitudinem, ponitur pro periculo: Quo sensu Horatius inquit *lib.* II. *Od.* I.

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per igneis
Suppositos cineri doloso.

Eo & spectant Ovidiani hi versus, *lib.* I. *de Arte*.

Quæris an hanc ipsam prosit violare ministram?
Talibus admissi alea grandis inest.

Plutarchus in *Vita Coriolani* extremam aleam in eundem sensum usurpasse videtur. ὥσπερ ἔσχατον κύβον ἀφιέντ', id est, *Velut extrema jacta alea*.

(3) Nec non *alea* pro periculi dubitatione accipitur, indeque proverbialis illa locutio emanavit (quando rem universam periclitamur) *omnem jacere aleam*. Vide Erasmum in *Adag.*

Lucianus in quodam *Dialogo*: Τολμήσω ἀναρρίψαι τὸν κύβον, id est, *audebo tesseram* (sive aleam) *jacere*.

Petronius Arbiter tradit Cæsarem dixisse: *Judice Fortuna cadat alea*.

Hegesippus *lib.* V. *cap.* XXX. *O varia atque incerta velut bellorum quædam alea! quæ sicut jactu quodam, ita casu potius quam virtute plerunque inopinatis ludit eventibus, sufficiens novos exitus. Namque & hic jactus sunt, non tesserarum quidem, sed sagittarum telorumque, plurium lapidum quoque, quibus sæpe victor sternitur alieno vulnere. Et, dum aliena spolia rapit, ipse despoliatur*.

Poeta Tragicus, Æschylus in ἑπτὰ Θήβ. *Auct. Thebaid.* v. 629.

Ἔργον δ' ἐν κύβοις ἄρης κρινεῖ.
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Cumque Cæsar dubitans an trajecturus esset copias ultra Rubiconem (qui fluvius Italiam a Gallia disterminat) & adversus Pompejum iret, cum secum perpenderet, quam arduam rem moliretur, tandem relicta cunctatione, eique cum ostento animus esset additus, inquit: *Eatur quo deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat; jacta est alea*. Suetonius *cap.* XXXIII.

Plutarchus illam Cæsaris acclamationem vertit Græce hoc modo: πᾶς ἀνερρίφθω κύβος: id est: *omnis jacta esto alea*. Vide & Athenæum *lib.* XIII. Ad quod alludens Lucanus:

—— *Cadat alea fati,*
Alterutrum morsura caput.

Aleam jacere, ille dicitur, qui se periculis fortunæque committit. unde & Livius: *In dubiam imperii servitiique aleam imus*.

(4) Joannes Digeonius Flandriæ Princeps, sementem jaciens longissimi & funestissimi inter Francicam Burgundicamque regias, odii atque belli; quum antea ignitabulum siliçe feriens, ignemque eliciens, pro Symbolo ominose arripuisset: & ad istam ab Aurelianensi, ex lusu aleæ sumptam publicatamque vocem MITTO, ipse vicissim usurpasset ACCIPIO, *uterque eas pugnantes tesseras lancearum suarum supparis & versicoloribus militum sagulis inscripsit*. Marchantius lib. III. *de Fland. Princip.* Significans sine dubio, dubium istius cruentissimi certaminis exitum.

Sic ferunt Illustr. & bellicosum Ducem Christianum Brunsvicensem, nupera expeditione Westphalica, inter alia signa militaria vexillum confici curasse, hac intexta imagine; Pontifex Romanus mensæ assidet cum fœmina quæ *Libertatem* repræsentat, quæ cum Pontifice duabus tesseris ludit. Ubi apparent in tesseris Pontificis undecim puncta: *Libertatis* vero tesseræ felicissimum jactum exhibent, duos Seniones, sive duodecim puncta, apposita voce LUDITUR.

(5) Unde alii *aleam* pro casu sumpserunt. Cicero, lib. II. *de Divinat. Nonne perspicitis aleam quandam inesse hostiis diligendis, præsertim, quum res ipsa doceat. Quum enim tristissima exta sine capite fuerint, quibus nihil videtur esse dirius, proxima hostia litatur sæpe pulcherrime*.

(6) Tum etiam interdum Proverbialis *aleæ* locutio transfertur in eos, quibus res omnes perpetua quadam felicitate successuque bono ac prospero, ex animi sententia cedunt. Hinc illud [1];

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

Id est:

Semper cadunt feliciter tali Jovis.

Quod proverbium de iis quoque dici potest, qui auctoritate pollent, quorum etiam parum recte factis applauditur, attestante hoc versiculo [2]:

Ὡς εὐκόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι!
Quam facile semper res cadunt potentium!

Accommodari & heic potest, Proverbium de *Midæ tesseris* [3]: etenim si quando res quædam forte fortuna bene cadebat, dicebant Veteres:

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβουλότατος.
Midas qui in tesseris consultor optimus.

(7) Bellissime quoque aleæ jactu, vitæ humanæ varios casus quidam denotarunt. Plato *Vitam hominum similem alearum ludo esse pronunciavit, in quo optimus quisque jactus aleatori maxime expetendus est; adhibenda tamen cura, ut eo, quem casus tulerit, recte utatur*. Plutarchus de *Tranq. animi*.

Ad quam sententiam *Comicus* [4] alludens, & vitam mortalium tesseris comparans,

In vita est (inquit) *hominum, quasi quum ludas tesseris:*
Si illud quod maxime opus est, jactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Euripidis versus ab hoc loquendi genere non admodum sunt alieni, dum ait in *Rheso*:

——Χρὴ δ' ἐπ' ἀξίοις ποιεῖν,
Ψυχὴν προβάλλοντ' ἐν κύβοισι δαίμονος.
—— *Par est labore digna ferre præmia,*
Quicunque vitam sortis aleæ objcit.

Aristides in *Pericle*: Καὶ εἷς ὑπὲρ πάντων κύβος ἀνερρίπτοτο, σωμάτων, χρημάτων, δόξης, ἡγεμονίας. Id est, *Una super omnibus alea jaciebatur, vita, pecuniis, fama, principatu*.

Alea Fortunæ fortes examinat; aurum
In fornace, fides anxietate nitet [5].

(8) D. Apostolus Paulus *aleæ* vocabulum figurate sumens, ait: *Ne circumferamur omni vento doctrinæ*, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων.

1 Erasmus in *Adag. Chiliad.* I. *Cent.* III. *Adag.* IX. 2 Idem *ibidem*. 3 Idem *Chil.* II. *Cent.* IX. *Adag.* XXXXXXXXVVI. & Cæl. Calcagn. *De ludo talorum*. 4 Terentius in *Adelphis*. 5 Matth. Vindocinensis in *Tobia*.

Th.

Th. Beza Pauli locum interpretans, vertit: *in hominum alea*. Ubi per *aleam* intelligit *incertos illos casus, quibus homines jactantur in hujus vitæ curriculo*.

Vetus intepres eo in loco vocem *aleæ* vertit, *Nequitiam hominum*.

Erasmus, *Versutiam*: ut sic referatur ad aleatorum astutias & fraudes, quia sequitur ἐν πανυργίᾳ, quo vocabulo Suidas alterum quoque exponit.

Clemens Alexandrinus *lib.* I. *Stromat.* per κυβείαν lusumve aleæ eleganter intelligit ματαιπονίαν, id est *inanem laborem*. Stephan. in *Lexico*.

Epiphanius *in Manich. vanas & ineptas subtilitates* κυβδευτικὴν διδασκαλίαν vocat.

Hactenus satis sit dictum de proverbialibus figuris atque sensibus, qui *aleæ* vocabulo attribui solent.

CAP. XXXI.

Alea Ονειροκριτική.

QUI observationibus Somniorum addicti atque intenti sunt, atque ad ὀνειροπολεῖα tanquam ad Oraculorum delubra confugiunt, divinatricem quandam aleam nobis fingunt; quæ ex somniis auguria ac de futuris prædictiones suppeditat. Cum Themistio [1] ajunt,

Si sæpe jactaveris, aliquando Venerem jacies.

Quare apud Artemidorum Ephesum, sive Daldianum, legimus, *Onirocrit.* lib. IV.

1. *Si quis sibi per quietem videatur ludere tesseris, id significat adversus quempiam qui cum de argento agatur, victoriam in voto fore: nam tesseræ numerum includunt, & calculi dicuntur, quibus tesseras exercentes ludunt, atque vincere semper auspicatum est.*

2. *Quod si quis æger se ludere calculis aut alium ludentem videre suspicetur, præcipue autem si ipse sibi videatur, dolebit.*

3. *Quod si tesseræ ipsæ videantur, seditiones & simultates prænunciant.*

4. *Amissæ autem, paratas jam seditiones dirimunt: auctæ, intendunt.*

5. *Puerum vero ludentem videre tesseris, vel astragalis, vel calculis, non omnino inauspicatum: nam peculiaris est pueris lusus.*

6. *Viro autem jam adulto & mulieri malum portendit, si ludere talis videatur.*

7. *Ni forte qui somnium viderit, speret se aliunde hæreditatem assecuturum: ex functis enim corporibus tali fiunt. Sic ergo cæteris periculum, ipsi utilitas denunciatur.*

8. *Si rex, aut dux aliquis somniaverit tabulam latruncularium* (*Zatricium* appellat Oneirocrita Achmes *cap.* CCXLI.) *sibi furto periisse, aut fractam esse, exercitum amittet: & magnam in bello cladem patietur. Quare istud, quæris? quia totum zatricii aut latronum ludi negotium, bellum erat, vel belli simulachrum.*

Recensui stultam illam ac superstitiosam prædictionem, quæ ex imaginario aleæ lusu sumitur; ista scio vellicat animos hominum, ac præsertim eorum qui ὀνειροκρίται sive ὀνειροπόλοι somniorum conjectores haberi cupiunt; Verum cum ista divinatione ex alea nihil vanius dici potest, hujus ego stirpes omnes excisas ac procul ejectas vellem. Quantum enim somniis istis præsagientibus diffidendum sit, copiose demonstrat Syrachides *Eccl.* c. XXXIV. v. 1. 2. 3. &c. his verbis: 1. *Vanæ sunt expectationes & mendaces viro carenti intelligentia; somniaque addunt alas insipientibus.*

2. *Ut qui captat umbram, & persequitur ventos; ita est qui se adhibet somniis.*

3. *Rem hanc secundum illam exhibet somniorum visio, ut ex adverso faciei exhibetur similitudo faciei.*

4. *De re immunda quid mundari potest? & de mendace quid verum esse?*

A 5. *Divinatio auguriaque & somnia vana sunt, & tanquam puerperæ visa habet cor tuum.*

6. *Nisi ab Altissimo demittantur, qui invisat te, ne adhibeas ad illa cor tuum.*

7. *Multos enim seduxerunt somnia; & exciderunt qui spem in eis habuerant.*

Ad intelligentiam hujus loci, tria notanda sunt somniorum genera. 1. Sunt namque somnia τὰ θεόπεμπτα, divinitus immissa.

2. Secundo δαιμονόπεμπτα, immissa a Diabolo.

3. Tertio ἐνύπνια, Physica somnia. De quibus omnibus ordine aliquid dicendum.

B (1) Divina somnia sunt, quæ divinitus immissa Sacræ Litteræ affirmant; de quibus pulchre locutus est sanctissimus Job, *cap.* III. *v.* 15. inquiens: *Loquitur Deus fortis per somnium, visionem nocturnam, cum irruit altus sopor in homines: in dormitationibus super cubile.*

Apparet igitur Deus hominibus per somnia; ob quam rem, Deus inquit: *Si quis est Propheta inter vos; aut visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum.* I. *Sam.* III. *Num.* XII. 6. Abulensis *quæst.* LV. *in Mat.*

Sic apparuit Danieli, Josepho, Jacobo in Ægyptum proficiscenti, & alii qui per somnium de futuris moniti. C *Dan.* VII. *Gen.* XXIX.

Non quibusvis promiscue immittuntur, nec captantibus aut expectantibus peculiares ἀποκαλύψεις revelationibus sua opinione: *Sed Sanctis Patribus & Prophetis, Dei arbitrio & voluntate: nec de levibus negotiis aut rebus nugacibus & momentaneis: sed de Christo, de gubernatione Ecclesiæ, de imperiis & eorum ordine, de aliis mirandis eventibus: & certa his semper addidit Deus testimonia; ut donum interpretationis, & alia: quo constaret, non temere ea objici: neque ex natura nasci, sed inseri divinitus.* Peucerus *de div. ex somniis.*

D Divina certissima sunt citra controversiam: & solis illis fides adhibenda est. *Quæ sint divina, cognoscemus, si ea ad normam verbi patefacti collata examinaverimus, Etenim, si congruerint ante traditis exacte, si novi nihil & quod discrepat ab illis, quæ sunt immutabili Lege Dei, & Doctrina Evangelii, explicata & sancita, statuerint, erunt a Deo.* Idem *ibid.*

Errarunt igitur Xenophanes Colophonius, & Epicurei, qui somnia divina non agnoscunt; *Dei majestate indignum putantes, obire lectos dormientium; concursare grabatos, & stertentibus injicere somnia.* Videatur, & Aristot. c. II. *de divinatione per Insomnia.*

Revera quidem esse somnia, quæ recte vocantur E θεόπεμπτα (quasi a Deo insita) satis jam probatum est. Quod & præstantissimi Gentiles, Poetæ pariter atque Philosophi, testati sunt. Homerus *Iliad.* I. τὸ γάρ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Quem versiculum citans Cælius Rhodiginus *lib.* XXVII. *antiq. lect.* cap. VII. ab Eustathio notat vocari somnium, διὸς ἄγγελον, & *somnia ait esse* διόπεμπτα, *a Jove immissa.*

Hippocrates lib. *De somniis*, & Macrobius lib. I. in *Som. Scipionis*, divina quædam agnoscunt.

(2) Somnia δαιμονιόπεμπτα, sive Diabolica, sunt omnia illa quæ Diabolus olim offudit Ethnicis, ubi ad delubra idolorum, captandarum talium præstigiarum caussa, involuti victimarum pellibus cubaF bant: quæque nunc nostri temporis Enthusiastis & fanaticis, in abdito ad novas patefactiones velut hiantibus, aut Magis & Veneficis suæ subjectis tyrannidi exhibet. De talibus loquitur Dominus apud Prophetam *Jerem.* XXIII. *v.* 25. *Audio quid dicant isti Prophetæ, qui prophetant nomine meo falsum, dicendo, somniavi, somniavi,*

Peucerus *de divinat. ex somniis. Pleraque ea quæ a Diabolo nata, profectaque sunt somnia, aut falsa sunt aut* ἀμφίβολα καὶ ἐπίκοινα, *ambigua & perplexa, quo a reliquis præsagientibus, Physicis & divinis, discrepant.*

[1] Libello *de divinatoone per somnium*.

A Omnia ista prorsus detestanda. Quibus qui fidem tribuerunt, misere decepti fuere, atque horribilium furorum auctores ac defensores extiterunt. Unde de talibus dicitur *Deuter. cap.* XIII. *Propheta aut fictor somniorum, qui loquitur, ut avertat vos a Deo vestro, & facit vos errare de via, quam præcepit vobis Dominus Deus vester, interficietur.*

Non augurabimini: nec observabitis somnia. Non inveniatur, qui Ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria. Levit. XIX. 31. *Jerem* XXVII. 9.

Nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat. Deuter. XVIII. *v.* II.

B Prohibemur his Dei mandatis ullam fidem dare Diabolicis patefactionibus aut prædictionibus, eventus quoscunque prosperos aut adversos continentibus. Et merito: alligavit enim Deus animos nostros ad expressam doctrinæ suæ vocem. Adeo ut nos nostraque teneamur instituere *secundum Legem & contestationem divinam. Esa.* VIII. *v.* 20. *In ea se conspici & pernosci voluit, qua erga homines sit mente, quidve significet vobis, quemadmodumque ea procurari, quæ requirit; atque expiari, quibus offenditur, postulet: non hæc ex somniis (Diabolicis) fingi atque æstimari voluit.* Peucerus lib. *de divinat. ex somniis.*

Itaque ea condemnemus atque execremur, ne no-
C stri animi improvide istis seducti, gravis pœnæ participes fiamus, quam Deus denunciavit hisce verbis, *Levit.* XX. 6. *Animam quæ converterit se ad pythones & ariolos, ut scortando sectetur eos; utique opponens iratam faciem meam, animæ illi, exscindam illam e medio populi sui.*

(3) Somnia ἐνύπνια sive *Physica* sunt, cum res interdiu conspectæ, auditæ, tractatæ manibus, aut cogitationibus versatæ, secundum quietem velut repetitæ ac retextæ a cerebro minus occupato moventur atque agitantur in animis: vel temperamenta affectionesque corporum, aut partium aliquarum, connatæ aut ascititiæ, humorumque abundan-
D tiæ & agitationes aut confluxus ac decubitus in membra sensu prædita, φαντάσματα in cerebro commovent: vel aliquo forinsecus admoto appulsove objecto, nervi affecti eam, qua imbuti sunt, vim cerebro communicant. Aristoteles recte definit: " ἐνύπνιόν ἐστι φάντασμα, τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν αἰσθημάτων, ὅταν ἐν τῷ καθεύδει: id est, *somnium est visum seu phantasma de comprehensorum sensibus motu existens in dormiente, quoad hic dormit.*

Ad hoc genus somniorum refero, priora ab Artemidoro recitata ὀνείρατα, de aleæ jactibus imaginariis, qui dormientibus per somnia obveniunt: voluntque nonnulli ea σημαντικὰ significantia &
E præsagientia esse, hisce nempe modis: ut vel ludus alearum, in somniis portendat, quædam ἴδια, *propria; ad ipsum somniatorem pertinentia: vel ἀλλότρια, aliena, non nobis sed aliis tantum: vel κοινὰ, communia nobis & pluribus aliis: vel δημόσια, publica, publicis rebus & publico statui: vel denique κοσμικὰ, ad mundum pertinentia.* Peucerus *ibid.*

Quibus talem vim, talemque divinationem concedi posse, minime astipulor propter has causas. 1. Præsagientia somnia, etsi picturæ sunt eventuum, tamen conjectionum, interpretationumque affir-
F matio prohibita est, cum dicitur *Deuter.* c. XVIII. 10. *Non invenietur in te, qui observet somnia. Item, Ne auscultato somnianti somnium. Deuter.* XIII. 2. *Et Jeremiæ cap.* XXXVII. 9. *dicitur. Nolite audire somniatores, nam falsum illi prophetant vobis. Quare non tribuenda est eis fides, Quanquam enim conjecturæ, quibus explicantur, sæpe ad veritatem dirigunt: tamen crebrius fallunt: Sæpe ingenia magis declarant interpretum, quam vim consensumque naturæ.* Peucerus *ibid.*

2. Deinde, ex somniis aleonum præsagire, aut certos eventus exspectare ex eorum somniorum figuris visis, est plane delirium fanaticum: quoniam sunt inania φαντάσματα, quæ efficit ac formar cerebrum impulsum αἰσθήμασι, iis quæ sensibus comprehenduntur, quæ vel cerebro ipso, ex agitatione diurna, aut ex vanis cogitationibus quæ vigilantibus occurrerunt, aut rebus interdiu oculis objectis inhæserunt. Sæpissime enim inter somniandum ea occurrunt de quibus vigilantes aut cogitavimus aut egimus. hinc Poeta Claudianus:

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno.
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.

Ex istis caussis variæ ac mirabiles somniorum species emergunt, quæ nil nisi perturbatæ ac depravatæ naturæ statum ac somniantis vanitatem indicant. Etenim, ut inquit Salomon *Proverb.* c. XXI. *Ubi multum est somniorum, ibi multum est vanitatis & errorum: tu vero Deum time.*

Eodem Tibullus *lib.* III. *Eleg.* IV. alludens, inquit:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes vana timere jubent.

Si somnia vana, dicet aliquis, cur ea sæpe somniamus? respondebit tibi Cicero l. II. *de divinat. Quis est qui totum diem jaculans, non aliquando collimet? Totas noctes somniamus, neque ulla fere est, qua non dormiamus: & miramur, aliquando id quod somniamus evadere?*

Aleonum igitur somnia, & præsagiorum (quas fingunt) observationes, tanquam fide indignas, rejiciamus. Illis autem minime credere decet eos, qui inter populum Dei, & in Ecclesia ejus numerari cupiunt.

CAP. XXXII.

Alea Auguralis.

DIVINANDI ratio ex sortibus apud profanos quoque in usu fuit, eaque vocabatur κληρομαντεία, seu παλομαντεία, ut ait Ulpianus, divinatio ex sortibus sive sortitione: ita ut tesseris, talisve, aleisve jactatis, sortes captarentur, & ex summis talorum sive alearum faciebus aut punctis, quæ tesseris incisa erant, divinaretur de eventu, aut ad quæsita responderetur. In agro Buraico (ea gens est Achaica) ad Herculis sigillum, auctore Pausania in *Achaicis* [1] ex talis & abaco rerum agendarum captant augurium, hoc modo: *Consulturu, Deo primum reddit vota precesque, tum precibus rite peractis votisque nuncupatis, talos quatit ac jactat in mensam, quorum situm & figuram Oraculi præses accurate perspicit: in singulis autem talis figuræ inscriptæ certam interpretationem in ipsa habent tabella, & quid eventurum sit juxta talos pronunciat Præses.*

Fuit & in agro Patavino Oraculum, quod *Geryonis* appellabant, [2] (nisi Tranquilli codex sit maculosus in *Tiberio*, c. XIV.) in quo eum morem fuisse legimus: *Tali in Aponi fontem jaciebantur, & pro numeri magnitudine felicitatem infelicitatemve augurabantur.*

Istas sortes divinatorias nobilitavit Tiberius Cæsar. Cum enim privatam adhuc vitam agens, super Imperio deque Augusti successore oraculum sciteretur, *aureos talos in fontem misit, cumque summum numerum ab eo aurei tali obvertissent, imperium & successionem ipsi annuerunt: Adhuc Tranquilli temporibus tali illi in fonte videbantur.* [3]

Sic Ethnici ex fortuito talorum casu, abstrusa eruere, ignota aut futura detegere ac in lucem producere voluerunt.

1 Vide *Græc. ed. p.* 233. *& Lat. p.* 198. 2 Cæl. Calcagninus *de ludo talorum.* 3 Idem *ibid.*

Nec minus hodie nonnulli Christiani insaniunt impie, quum ex jactis alearum numeris ipsaque talorum conjectatione, rerum futurarum abdita perspicere, imminentia intelligere, se posse affirmant.

Hos antequam refutemus, sortium genera tria prius ponemus. Sunt autem sortes, 1. aliæ Politicæ: 2. aliæ Divinæ: 3. aliæ Divinatoriæ.

1. POLITICÆ *sortes instituuntur de rebus arbitrio nostro subditis legumque nituntur auctoritate, & consensu sortientium, quo sese ad parendum eventui sortis sua sponte obligant, & coguntur post, authoritate legum, submissioneque atque assensione spontanea, decreto sortis acquiescere, & ferre atque amplecti quæ eveniunt aut deferuntur, qualiacunque sint*. Peucerus *de Sortibus*.

Eæque sunt vel *divisoriæ*: cum quid dividendum sit. His usus est *Josua* (*Deo authore*) *cum populo Israelitico terram sorte distribueret*. Aretius *de sortibus*. *Jos.* cap. XV. XVI. XVII.

Vel *electoriæ*: *Sic sorte Rex Saul eligitur ac designatur*. 1. *Sam*. X. *v*. 21.

Vel *direptoriæ*; quæ non parum momenti afferunt evitandis prohibendisque contentionibus, & dirimendis atque ab arumpendis certaminibus. Ideo inquit Salomon *Proverb*. XVIII. *v*. 18. *Contentiones submovet sors, & inter robustos dirimit*.

Apud Homerum cum inter novem heroes lis esset, quis solus cum Hectore committi deberet, sorte jacta in galea Agamemnonis, & per Nestorem agitata, disceptationem finiunt: inquit enim *Iliad*. VII.

Κλήρυς ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλομεν ὦκα,
Ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος μεγαλήτορος Εὐρυλόχριο.
Ocyus ærata miscemus casside sortes;
Magnanimi vero Eurylochi sors exiit illa.

Non adversatur aut repugnat authoritati Sacrarum Litterarum usus legitimus hujus politicæ consuetudinis sortiendi. *Approbant enim illæ non abrogant constitutiones politicas, ex insitis nobis notionibus derivatas, rationi consonas, & huic conjunctioni tuendæ accomodatas, qua inter se sociati copulatique vivunt homines*. Peucerus *de Sortibus*.

2. *Divinæ sortes* sunt eæ, quæ de consilio & mandato Dei factæ fiunt, ad occultas res patefaciendas, in bonum commodumque Ecclesiæ. Eæque sunt vel *consultoriæ*, quærentes a Deo quid agendum esset. Sic inter duos arietes quis offerendus Domino, quis liber dimittendus erat, per sortes Dominus consulitur. *Et imponito Aharon his duobus hircis sortes*, &c. *Levit*. XVI. *v*. 8. 9.

Vel *distributivæ*, cum dubitatur de officiis inter æquales distribuendis: sic electio sacerdotum per sortes facta est: *Distribuerunt autem eos sortibus alios cum aliis*, &c. 1. *Chron*. XXIV. 5. Sic Matthias Apostolus electus: *Jecerunt enim sortes eorum: & cecidit sors super Matthiam: qui communibus calculis annumeratus est cum undecim Apostolis*. *Act*. 1. 26.

Vel *inquisitoriæ*, abstrusa & abdita in lucem producentes: sic Josua authorem Anathematis sorte exquirit & profert: *Sors enim Achan demonstrabat*. *Josuæ cap*. VII. 18.

Jonathas etiam sorte transgressor paternæ legis invenitur, 1. *Sam*. XIV. *v*. 43.

Singularia ista sunt, nec nobis imitanda, similique indagationis via scelerum authores scrutari haud licet. Etenim exempla ista non sunt leges aut mandata jubentis Dei: Ideoque non possunt approbari. *Decimationes Romanæ*, in quibus *sorte decimus quisque miles ad supplicium legebatur*: Livius *lib*. II. Quod Polybius vocat, ἐκ δεκάδος ἄγεσθαι ἐπὶ θάνατον.

Seneca lib. III. *de Ira*, recte hoc retulit inter iræ mala. *Cambyses*, inquit, *fremebat: & provisis commeatibus; non exploratis itineribus per invia, per arentia, trahebat omnem bello utilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria; nec, quicquam submini-*

A *strabat sterilis, & inculta humanoque ignota vestigio regio: sustinebant famem primo tenerrima frondium & cacumina arborum; tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat: Postquam inter harenas radices quoque & herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum habuerunt fame sævius. Agebat adhuc ira Regem præcipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset, donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit.*

3. *Divinatoriæ sortes sunt eæ, quæ oracula excudunt, abdita atque abstrusa eruunt, ignota eliciunt, in-*
B *certa confirmant, impendentia prospiciunt, susceptorum negotiorum extitus prænoscunt, arguta quidem & solerti conjectatione, de numeris formisque elementorum, deque indiciis casu & fortuito, & porsus* ὡς ἔτυχε, *ut cecidit, acceptis*. Peucerus *de Sortibus*.

Talium sortium artifices & interpretes extitere Ethnici & profani homines, qui temeritatem & casum tantum spectantes, cum dubii hærerent inter duo quid facto optimum foret: tum consultorias sortes jecerunt. Apud Babylonios talem sortium usum fuisse colligimus ex vigesimo primo capite Prophetæ Ezechielis *vers*. 26. ubi dicitur: *Sta-*
C *bit rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum ad divinandum divinationem*.

Ac si diceret: *sortes ad manum Regis venient, & docebunt expeditionem eandem esse suscipiendam*. Fr. Junius in *Annot*.

Postea sequitur *vers*. 27. *In dextera ipsius erit divinatio, Jeruschalaima: Jeruschalaima) Hanc vocem accipimus pro inscriptione calculorum qui sorte accidebant; quasi dicat, omnibus calculis dicentur esse invadenda Jeruschalaima*. Idem Junius.

Ita & *Haman*, Consiliarius regis Assueri, cupiens sorte explorare & cognoscere, qui dies ad cædem Judæorum perpetrandam aptissimus foret, *jussit con-*
D *jici pur, id est, sortem, coram se, de die in diem, & de mense in mensem, usque ad mensem duodecimum, is est mensis Adar*. Esth. *c*. III. *v*. 7.

1. Illicitas has sortes, & pietati repugnantes dicimus. Quibus non dissimiles sortes eæ, quas aleæ auguralis Magistri (de quibus ante incepimus dicere) ad divinanda futura & incognita impio usu astruunt. Quid vero iis sit tribuendum, ex eo fit manifestum: Primo, quod originem non ex verbo Dei sed Idololatrica opinione & superstitione impia Ethnicorum trahant, *quorum auctor ac dispensator Diabolus (qui nunc operatur in filios diffidentiæ*[1]*) Ac significatis completis, & præstitis eventibus, auctoritatem il-*
E *lis admirationemque comparavit apud profanos, & astruxit fidem omni tempore*, Peucerus *de Sortibus*.

Secundo: futurorum prædictionem, & casus cuivis homini eventuros, a sortibus sive alearum notis, aut calculorum efformatis litteris & imaginibus exspectare superstitiose, quid hoc aliud est, quam Dei negare gubernationem? & te facere

- - *Fortuna deam, cæloque locare*[2]?

Nullo certe fundamento aut ratione nititur: Calculorum jactibus aut notis eam vim inesse, ut rei alicujus aut negotii suscepti eventus significare aut dirigere valeant.

F III. Deinde scio quidem, aliquos hæc in numina referre, & vim illam proficisci volunt a Deo, regente artificum manus, materiamque quam tractant, ut dum jaciant figuratas aleas illi, his non advertentibus, evadunt in figuras & numeros qui instituto quadrant; Verum hoc falsum est & contumeliosum in Deum, *Non juvat Deus aut promovet, quæ abominatur & damnat*. Peucerus *de Sortibus*.

Inquit autem divina vox *Deuter*. XVIII. 10. *Non inveniatur in te Menahes*, id est, sortiiegus qui ex sor-

1. Paul, *Ephes*. II. 2. 2. Juvenal. *Sat*. X.

tibus divinat: *Est enim βδέλυγμα, abominatio Jehovæ Domino tuo.*

OBJECTUM, REJECTUM.

Verum, objiciet quis, si divinatoriæ sortes Deo adeo invisæ, & a veritate alienæ censendæ, nihilque nisi impia commenta sint, quomodo id factum, quod sæpe ista eveniant & contingant eodem modo, & eodem ordine, prout sortium artifices alearum ductu seu talorum jactu præmonuere? Huic objectioni respondet Propheta Moyses *Deuter.* XIII. 1. 2. 3. *Cum surgens in medio tui Propheta aut somnians somnium, ediderit tibi signum aut prodigium. Quamvis eveniat signum illud aut prodigium quod prædixerat, tibi, &c. Ne auscultato verbis Prophetæ istius, aut isti somnianti somnium, quia tentat Jehova Deus vester vos, ad cognoscendum an sitis amantes Dei vestri ex toto corde; & ex toto animo vestro.*

Adde his D. Apostoli responsum, II. *Thess.* II, 10. 11. 12. *Pro eo quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fiant. Propterea igitur mittit illis Deus efficaciam deceptionis ut credant mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderunt Veritati, sed acquieverunt in injustitia.*

Quare nec ipsi tractemus eas sortes, nec alios consulamus talium divinationum artifices, quæ quidem partim aperte fictæ, partim temere effutitæ, nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probatæ sunt. *Quæ occulta sunt, penes Jehovam Deum nostrum sunto; at quæ revelata, nobis, & filiis nostris usque in sæculum revelata sunt, ut faciamus omnia verba hujus Legis. Deuteron.* cap. XXIX. vers. 29. Tu ergo:

Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed pudenter præteri.
Nescire velle quæ Magister maximus
Docere non vult, erudita inscitia est [1].

Deo nostro obtemperemus, ac pendeat mens nostra ex Deo summo, & firma spe se illi commendet. Tu

Committe vitam, rem, decus
Illius uni arbitrio:
Animi tibi ex sententia
Confecta reddet omnia [2].

Regi ab eo & defendi pete, ac dicito:

Tu robur es meum; tuæ
Commendo vitam dexteræ:
Tu certa spes mihi es, meæ
Tu portus es fiduciæ [3].

Aderit vocatus Deus;

Dominus petenti fert opem,
Et in periclis liberat
Ab impiis, qui se & suam
Illi salutem credidit [4].

CAP. XXIII.

PROFECTO, *Maximum hoc vitium est, quo laborat humanitas, ut post peccatum suum maxime ad excusationis refugium quasi pœnitudinis se confessionem prosternat; quod facinus inter summa peccata constat numeratum esse, quia inde nascitur, unde ad pœnitentiam reus tardius venire videtur.* Cassiodor. *in Psalm.*

1 Josephus Scaliger in *Gnomis*. 2 Buchanan. *Psalm.* XXXVI. *v.* 5. 3 Idem *Psalm.* XXXI. *v.* 6. 7. 4 *Psalm.* XXXVII. *v.* 40.

Attamen ad hoc vitium quam proclives filii hominum! Si quem corripias, & ad emendationem mali moris trahere contendas; quid inquiet? *Non feci: si feci, non male feci, si male feci, non multum male, si multum male, non mala intentione, aut si mala intentione, tamen aliena persuasione.* Bernard. *de gradib. humilit. grad.* VIII.

Male hoc: *Peccatum* enim *addit, qui culpæ, quam fecit, patrocinia defensionis adjungit.* Hieron. *lib.* XXII. *Mor.*

Pejus adhuc ille agit, qui *aliquam* (peccato) *speciem juris* (aut recti) *imponit.* Livius *lib.* IX.

Quales sunt Aleatores;

Dum ludere tabulis & spectaculis non erubescunt [1].

Qui sibi videntur Philosophicæ aleæ artem exercere, & propterea sub quadam rerum similitudine ludi præstantiam fingunt: *Nam* (juxta Isidorum *Orig. lib.* XVIII. *cap.* LXIV.) *tribus tesseris ludere perhibent, propter tria sæculi tempora, præterita, præsentia, & futura, quia non stant, sed decurrunt. Sed & ipsas vias senariis locis distinctas, propter ætates hominum; trinariis lineis, propter tempora argumentantur: Inde & tabulam ternis descriptam dicunt lineis.* Vide illum, & adhibe Eustachium *ad Iliad.* α, Πεσσοῖσι, &c.

Sic, *gaudent sese res aliter habentes* (ut demonstravimus) *falsis compellare nominibus, quæ facile ipsarum rerum redarguuntur effectu.* Boetius *l.* II. *pr.* VI.

Etenim *usitatum humani generis vitium est, libendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo excusare.* Gregor. *lib.* XXII. *Moral.*

Præsertim *qui trahuntur a vitiis, scientes malis suis favent.* Et *vindicant improbissimis* (suis artibus) *nomen* (Philosophiæ) *& ad sordidissimas negotiationes* (aleatorias) *præferunt titulum* (prudentiæ) Lactant. *de div. præm.* lib. VII. cap. I.

Quos Deus in verbo suo devovens, inquit *Esa.* cap. V. vers. 21. 21. *Væ dicentibus de malo bonum esse, & de bono malum, statuentibus tenebras pro luce, & lucem pro tenebris: statuentibus amarum pro dulci, & dulce pro amaro. Væ sapientibus judicio suo, & coram facie sua intelligentibus*, Salvianus *lib.* I. *de gubern. Dei.*

Vos igitur Aleatores, qui lusionibus animum plane pleneque dedicastis, nolite magnis vestris vitiis mantellum aut involucruum aliquod quærere; nolite, inquam, falsa nomina, aut fucatam interpretationem obtendere. Improbis & ab omni virtutis exercitio alienis hic color mali schematis, hicque calor inumbrandi mala relinquatur. Mali enim & perditi sunt homines,

Qui scævitatem mentis obvolvunt suæ,
Nomenque honestum præferunt turpi probro [2],

Vu potius.

Falli præoptes ipse, quam fallere alios [3].

1. Abdias Babylonicus. 2 Baudius l. IV. *Sap. Civilis.* 3 Idem *ibidem.*

LIBRI PRIMI FINIS.

DANIELIS SOUTERII
PALAMEDES,
SIVE
DE TABULA LUSORIA,
ET ALEATORIBUS,
LIBER II.

CAP. I.

Aleæ usum, ut hodie, ita olim quoque usitatissimum fuisse.



ALEÆ usus cum inter epulandum, tum post epulas est usitatissimus. Juvenalis (vixit is ævo Domitiani) insanum alea ludendi studium, quo Romani suis temporibus flagrabant, perstringit his verbis, *Sat.*I.

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.

Aleæ indulgebat Octavius Augustus: ideo Epistola quadam ad Tiberium apud Sueton. *cap.* LXXI. inquit: *Inter cœnam, mi Tiberi, lusimus γεροντικῶς & heri & hodie.*

Ibidem: *Ego perdidi viginti millia nummum meo nomine: sed cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumque: nam si quas* [1] *manus remisi cuique, exegissem; aut retinuissem, quod cuique donavi; vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cælestem gloriam efferet.*

Qua quidem alea Porcius Cato lusisse fertur, animi laxandi caussa. Alexand. ab Alex. *lib.* III. *cap.*XXI.

Inter reliquos *Theodoricus Gothorum rex, cum in alea vinceret, fertur indulgentissimus fuisse, eaque momenta domesticos promerendis gratiis captare solitos.* Idem *ibid.*

Lucrum enim inter domesticos partiebatur, ut gratiam promereretur. Sidon. Apollin. *lib.*I. *Ep.* II.

Parysatis Persarum regina, mater Artaxerxis, aleæ ita fuit dedita, ut cum filio ludens, uno jactu, dedita opera, mille Daricos amiserit. Plutar. in *vita Artax.*

Hodie apud Christianos *μέθαι* & *κύβοι* [2], alea & convivia sæpissime conjunguntur, estque comessationum atque ebrietatis socia alea, qua invicem vel pecunia emungunt, vel ad bibendum & ingurgitandum alea victos excitant; arbitrantes, quod

Aleaque, & multo tempora quassa mero,
Eripiant omnes animo sine vulnere vires [3].

Quid, inquiunt, non satius est hoc agere, quam discurrere per plateas, obviosque incurrere, & de absentibus convicia spargere?

Utrumque licet homini paulo humaniori, & vere Christiano, cane & angue pejus sit vitandum, tamen prius honestius altero, & (ut ipsis placet) liberum videtur. Sed parcius omnino lusui indulgendum, ne audiat:

Πάντων Μυσοπόλων ἡ Καλλιόπη θεός ἐστιν,
Σεῖο δὲ Καλλιόπη Ταβλιόπη λέγεται.

Est Dea Calliope doctorum maxima Vatum,
At tua Calliope, vir bone, Tabliope est [1].

CAP. II.

Aleatores Ethnicis ipsis displicuisse.

QUONIAM ludendi alea libidinem multis Christianis inesse comperimus, & præsertim Adolescentes hoc morbo laborare, qui nisi exquisito remedio tollatur, in discrimen existimationis & fortunarum adducet eos, arceamus Adolescentes a ludo hoc, primo auctoritate magnorum virorum, qui aleam damnarunt.

Ciceroni alea adeo detestata fuit, ut cum Antonio Consuli, in medio Senatu sedenti, turpem ac infamem rem objicere cuperet, *Domum ejus plenam ebriorum aleatorumque* dixerit, *Philip.* II.

Quam infamiæ notam, cum a se remotissimam demonstrare vellet, inquit: *Ciceroni nequissimorum hominum in ludo talario consessus?* Idem, *ad Atticum Epist.* XIII. *lib.*I.

Idem, Lenticulam (seu, ut alii malunt, Denticulam) de alea condemnatum tradens, ait *Philip.*II. *Licinium Lenticulam de alea condemnatum, collusorem suum Antonius restituit: quasi vero ludere cum condemnato non liceret, sed ut quod ille in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret.*

Et paulo post, vocat *Lenticulam hominem omnium nequissimum, qui non dubitavit vel in foro alea ludere: lege quæ est de alea condemnatum, qui in integrum restituit, non is apertissime studium suum ipse profitetur?*

Plato videns puerum alea ludentem, statim increpavit, inquiens: *Parvum est, alea ludere; at non parvum assuescere.* Laertius.

Non enim sub prætextu relaxandi animi & fallendi temporis ludi hoc genus pueris concedendum, eo quod ista consuetudine ad turpem bonorum decoctionem prolabantur. *Ea quippe mali hujus ratio est, ut qui in pueritia aciculam audent deponere, verendum sit, ne in virili ætate & tunicam & pallium deponant. Adeo ut ab isto lusu sint arcendi tum propter pecunias quas perdunt, tum propter vitia quæ colligunt, & mores pravos quos (inde) addiscunt.* Ant. Guevara *Horol. Princip.* lib. II. cap.XLV.

A minimis autem vitiis incipiunt, qui in maxima proruunt. Bernard. ut videre est in istis Juvenibus, qui *diem abaco & latrunculis conterunt.* Macrob. lib. I. *Saturn.* cap.V.

Xenophanes, cum Lasus Hermionensis recusantem alea secum ludere, timidum vocaret, *fassus est sane, quam timidum se ad turpia, & languidum esse.* Plutarchus *De nimia verecundia.*

Non tantum inter turpia ludi genera aleam Veteres retulere, verum etiam aleatores voluerunt infa-

1 Quid *manus*. Vide *lib.* I. *col.* 1054. 2 Athenæus *lib.*V2.
3 Ovidius *de remed. amoris* lib.I.

1 In *Anthologia lib.* II. *Pallada.*

mes esse: *adeo ut nec admiserint lusores intemperantes & quotidianos, tanquam infames, nullam fidem facere in testimoniis*. Joseph. Mascard. *de prob. vol.* II. *conc.* XIII. VI.

Romana quoque Severitas nunquam passa fuit, istiusmodi inertibus lusibus suam Rempublicam coinquinari; ideoque sine ulla dissimulatione prohibuere. Unde Horatius *lib.* III. *Od.* XXIV.

Seu mavis vetita legibus alea.

Et merito: *Cum enim aleæ lusores Deo maledicant, & graviora facinora nonnunquam aggrediantur, & hoc providendum fuit, ne ludo tam noxio ulla ratione indulgeretur: sed potius, quoad fieri potuit, omnis ejus usus procul e finibus bene institutæ civitatis exterminaretur. Interest enim reipublicæ, ne quis re sua abutatur.* Wesemb. *Digest. lib.* II. *tit.* 5. *in Pandect.*

Ab *hac arte autem fraus, & mendacium, atque perjurium nunquam abest: postremo & odium, & damna rerum. Unde & aliquando propter hæc scelera, interdicta Legibus fuit.* Isidorus cap. LXVII. lib. XVIII. *Origin.* Damna inquam;

—— Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca [1].

EX STATUTIS REGNI POLONIÆ.

REX KAZIMIRUS II. MAGNUS VISLICIÆ DUX, ETC.

Anno Domini MCCCLXVIII. [2]

De tollendo noxio taxillorum ludo, &, Quod parentes filiorum contractibus, circa aleam, aut cum Judæis factis, non obligantur, *fol.* 25.

UT *noxius ludus taxillorum abjiciatur (per quem sæpius justi patres, propter filiorum excessum, de bonis suis pelluntur, & absque ipsorum commeritis, ad nimiam deducuntur paupertatem)* STATUIMUS: *Ut si filius quispiam, utrisque parentibus vivis, & sanis, ludo amiserit aliquam pecuniæ quantitatem: prædicti ludentis parentes, non tenebuntur ipsi victori, pro suis filiis, vel filio, ad pecuniæ perlusæ satisfactionem. Idemque dicimus de Judæis: Si mutuarint pecuniam tali filio, superstitibus dicti filii parentibus, & sanis: quod videlicet ejus parentes non teneantur de mutuo: nec aliquo modo compelli debeant, nec possunt. Sic etiam dicimus de omni contractu inito cum filio-familias: quod nec valet; cum sit in paterna potestate constitutus: (juveturque Senatus-consulto Macedoniano) propter quod non habet alicujus rei dominium, vel aliquam possessionis traditionem.*

Eadem Lex repetitur in Titulo JUDÆI. *Neque lusor, neque fidejussor ejus obligantur.*

[3] *Ad præcludendam Lusoribus taxillorum malitiæ subtilitatem: qui consueverunt cum inebriatis, aut ad iracundiam provocatis & deductis; novam Taxillorum ludiformam adinvenientes, super credito, aut obligandis rebus, etiam & impignorandis quibusvis pecuniis, equis, bonis & hæreditatibus ludere: eosque sibi debitores taliter facere: spoliare bonis, & malitiose amovere: qui tandem sic ludis exuti, & ad inopiam deducti, ut-plurimum ad vitia deteriora labuntur: propter quæ ultio Judicialis, juxta ipsorum commerita, a Nobis consuevit in talibus exerceri: Quare ob hoc malum evitandum (quod præsertim nostri Nobiles, rebus abundantes, strenuitati dediti pro defensione Regni fortius pervigilent) Decernimus: Quod deinceps nullus terrigena noster, cum alienigena, cujuscunque status aut conditionis existat, in Regno nostro ludat taxillos, ad præstam, aut creditum, seu credentiam: sed tantummodo pro pecunia parata. Quod si quisquam contra hoc Statutum venerit temerarie: ipso Jure non valeat creditum: nec ad aliquam solutionem, seu satisfactionem victus victori tenebitur: nec fidejussor datus, ab ipso vincente poterit pro debito conveniri. Si quis vero contraveniens Statuto, proque pecunia sic credita acriter monuerit suum debitorem cum verbis turpibus, vel ejus fidejussorem: quotiescunque maledixerit, & improperaverit, pro debito prælibato; toties illi, pro sua verecundia pœnam* Piatnadziesta *solvet; & nostro Judicio nihilominus, aliam similem pœnam, pro inobedientia assignabit.*

Si filius ludit, ac perdit aliquid; &, de honestis ludendi causis.

[1] *Filius nondum emancipatus, in paterna constitutus potestate, nec a fratribus divisus vel separatus, si globisando, vel tesserisando, aut quemlibet alium ludum damnosum ludendo, aut alia exercendo, aliquid perdiderit: talia omnia & singula, per ipsum deperdita, Volumus & Decernimus: quod in ipsius partem, seu sortem computentur. Nihilominus tamen Decernentes: quod sive in Taxillis, aut Schachis, vel quibuscunque aliis ludis lucrosis, ipsis ludentibus pro pecuniis, equos, aut alias res lucratas, sed in hujusmodi ludis acquisitas, mutuos fidejussores interposuerit: monendi, requirendi, petendi, seu vendicandi (non obstante qualibet fidejussoria cautione, seu obligatione) penitus nullum ex prædictis ludis sit acquisitum: Sed duntaxat quoslibet ludos habere Concedimus, & Volumus, gratia temporis deducendi, & causa solatii & exercitii habendi.*

CAP. III.

A Regibus aleæ ludus damnatus.

NIHIL istis rebuspublicis beatius, quam in quibus regnant Reges ac Principes tales, qui multa habent ob quæ laudentur, & pauca ob quæ vituperentur. Et cum delicatissime Principes educentur, & licentiam habeant maximam, gratia illis habenda est pro operibus quæ præstant præclaris, & multo magis pro vitiis, quibus carent, tum vel maxime propter bonas leges, quas ferunt, & quibus fenestram omni licentiæ ad vitia tendenti præcludunt. Equidem nihil magis Regium, quam aliorum delicias sagaci industria exstirpare, *eoque conferre omnes labores, studia, conatus, ut Reipub. salus procuretur, ut leges bonæ promulgentur, ut populi quies tranquillitasque conservetur.* Jacob. I. Rex Brit. *l.* II. *ad F.*

In illud sedulo incubuisse Reges, jam animus nobis est demonstrare; Constitutionibus istis, quas ad aleæ ludum prohibendum sanciverunt. Juxta Paulum Jovium, in *Vita*: MAGNUS SFORCIA *aleam in castris, uti Duci pariter & militi maxime pestilentem, odio habens, prohibuit.*

Castra autem casta esse voluit; *ac providit: ne quidquid usquam quod corrumpi & corrumpere queat, in illis visatur.* Tacitus lib. XV. *Annal.*

Alexander Magnus *quosdam ex amicis mulctavit, quod in ludo aleæ sensisset eos non ludere, sed velut in re maxime seria versari, fortunas suas omnes aleæ permittentes arbitrio.* Plutarchus in *Reg. & Imp. Apopht.*

Consuetudinem aleæ, in dispendium amicorum observatam, sic studuit tollere. Unde cum Platone in *Alcib.* II. talem *Regem prudentem dicimus, qui sibi, domui, reipub. & amicis consulere potens & validus est.*

1 Juven. *Sat.* 1. 2 Extant in STATUTIS *Regni Poloniæ* in ordinem Alphabeti digestis, a Joan. Herburto de Fulstyn, *nuperæ Editionis* MDCXX. *pag.* 272. & 273. *Titulo*, LUDUS TAXILLORUM. 3 Ibidem.

1 Fol. 28.

Philippus Adeodatus, *Gallorum Rex, ſub initia regni, aleam ſeveriſſimis legibus coercuit*, Stumpſius. ipſi enim (*ut bono Reipub. Moderatori*) *beata civium vita propoſita erat*. Cicero l.VIII. *ad Att. ep.* XI.

Quare ſordes regni ſui expurgando, hujuſmodi ludos prohibuit, *quibus multi facultates & tempus, cujus pretium perpauci æſtimant, in decoctorum & luxurioſorum circulis continuis conſumunt*. Jacob. I. Rex Brit. *l.*III. *ad F*

Ferdinandus, Rex Arragoniæ, *nullum aleatorem in domo ſua eſſe paſſus eſt, verum aula exterminavit*. Laurent. Valla *Hiſt. lib.*III.

Quid in Principe glorioſius, quam ſubditos in vitæ moribus habere compoſitos, & in facultatibus locupletes & quietos? *Gloria Principis propagatur, dum ſubditorum patrimonium augendo ſervatur, nec morum incompoſitorum laſcivia permittitur*. Paulus Geſchin. in *Conſt. Carolinis*.

Carolus VII. Rex Francorum, in ſuis diplomatis Anno MCCCLXIX. omne genus ludorum, quod inhoneſti circumforanei tractant, prohibuit Edictali Conſtitutione de luſu taxillorum, alearumque. Idem *ibidem: Et mandavit, Quod nulla perſona, in quacunque parte vel loco regni ſui prædicti, quacunque occaſione vel cauſa commota audeat vel præſumat cum taxillis vel ad taxillos, ſeu alio argumento aut inſtrumento cujuſvis luſorii generis ludere: vel* (*quod quidam dicunt incongrue*) *ſolatiari: eo modo vel forma, quibus res ſive bona aut pecuniarum ſummæ ludentium, per viam obligationis contracti debiti* (*aliquando etiam juramento firmati*) *perdenda veniunt, in ludum prædictum, licet non inter manus, ut communiter fieri aſſolet* (*ſcilicet in pluribus mundi partibus*) *bona & pecuniæ ipſæ habeantur, ſed in patrimonio proprio aſſerantur; & ipſum patrimonium obligando, ſuper illo promittunt invicem perdendam pecuniam quantamcumque integraliter ſoluturos. Ex quo coguntur plurimi lugere domeſtice. Et unde piæ & hilaris vitæ ſuffragium, ſibi liberiſque ſuis, & cæteræ familiæ conſueverat adhibere pacificus; Inde mœrores & egeſtates varias ex hujuſmodi laſcivis moribus ſuſcipere compellatur improvidus. Et deinde, quod dolendum eſt, penuria impellente, aliena miſere quærendo, ſubripere, & vitam ſuam, nota gravis erubeſcentiæ relicta poſteris, vituperoſe finire; Obligationes, conventiones, aut promiſſiones in caſu hujuſmodi aut ſimili, vel quocunque modo firmatas, tanquam contra bonos mores factas, ex nunc prout ex tunc decernentes nullius fore efficaciæ vel momenti. Nec liceat ſe aſſerenti victorem in ludo prædicto ratione conventionum vel promiſſorum talium movere, requirere, ſeu impetere victum & promiſſorem hujuſmodi, quoquomodo; nec ipſi victo ratione monitionis, requiſitionis, vel impetitionis ipſius, aut etiam abſque eis, quidquam per ſe vel alium ſolvere, vel alias ſatisfacere de promiſſis. Pœna imminente victori, ſi ſolum petere vel monere præſumpſerit* (*ut præfatur*) *& totidem pecuniæ fiſci noſtri commodis applicandæ, pro quota ſumma victorem monere, vel impetere auſus erat. Et ipſi victo ſi ſolvere præſumpſerit* (*ut prætangitur*) *ejuſdem ſummæ pecuniæ vel rerum forte ſolutarum æſtimationis debitæ pecuniariæ quantitatis, dicti noſtri fiſci commodis deferendæ. Etenim etiam illum pœna condigna debemus affligere, qui regiæ pietatis gratioſa remedia infirmitati ſuæ oblata ſpernendo non metuit obtinere*.

Quis hunc regem non laudibus dignis extollet?

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελοῦσι.
Hoc una Reges olim ſunt fine creati,
Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta [1].

Hanc curam Regi *Carolo* infuiſſe liquet, cum uſum aleæ male gratum exterminaverit ſubſidio lati diplomatis, atque ſubjectos bene regendo, malis moribus mederi, populique bonum promovere cupiverit ac ſategerit: Etenim *Non aliter officio* (rex) *fungitur ſuo, quam dum utilitati hominum conſulit*. Cicero *lib.*III. *Offic.*

1 Heſiodus *Theog.*

Idem feciſſe *Juſtinianum* Imperatorem legimus [1]: *Nam cum multa infortunia, blaſphemiæ, maledictiones ex aleæ luſu, cujus uſus eſt antiquus, proficiſcantur, ut anſa maledicendi, aliaque inconvenientia auferantur, per Juſtinianum generali lege conſtitutum eſt, ne cui liceat ludere*. Verba legis hæc ſunt [2]: *Commodis igitur ſubjectorum proſpicientes hac lege decernimus, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus vel locis alea ludere*.

Vidit autem prudentiſſimus hic Imperator, quam *iſte Reipublicæ ſtatus ſit optabilis & firmus, in quo privatim & publice ſancte innoxieque vivitur*. Polybius *lib.* VI.

Moreſque mali, & ſtudia prava ubi prohibentur. Quæ omnia niſi inde abierint, profecto

— *centuplex murus rebus ſervandis parum eſt* [3].

Jacobus primus, Rex magnæ Britanniæ, quid de leviculis ludionibus ſentiat, publicis ſcriptis edocuit: Sic enim ipſe ad filium ſuum primo-genitum: *Talorum vero luſus, qui vel a fortuna, vel a verſatili manu, & colluſoria jacientium arte totus pendet, perditis decoctoribus, & prodigis militibus magis convenit, qui ad tympani ſonitum omnia ſua exponunt*.

Utinam tam pii Regis judicium ab alea luſores deterreret! Quid dicam de noſtris temporibus? *Iniquiſſima habent ingenia homines hodie, & moribus ſuis quam* (conſilio ac) *legibus uti malunt*. Valer. Maxim.

Etenim, *Quam multa injuſta, ac prava fiunt moribus!* Terent. in *Heaut.*

—— *undique legibus æquis*
Mores dominantur iniqui
Et fas atque nefas mixtum, legeſque per omnes
Sævit nequities, pœnaſ jam noxia vincit [4].

Hactenus Leges, Statuta, judiciaque eorum qui ordine, gradu, & gloria cæteris hominibus antiſtant, adduximus: at dolendum eſt, *quod hæc conſuetudine jam pro nihilo habentur*.

CAP. IV.

Jus Canonicum, Aleatores ſeveriſſime punire.

QUID Jure Canonico in Aleatores ſancitum fuerit, non pigebit referre, ut ſic magis liqueat, nullam unquam fuiſſe ætatem, in qua hoc diabolicæ luſionis genus plane non fuerit damnatum, & cœtu proborum profligatum. JUS CANONICUM aleam damnavit, aleatoreſque, tanquam maximam hominum peſtem, deteſtatum eſt. *Papa Leo Decimus, aleam ſemper ut rei familiari moribuſque peſtiferam damnavit*. P. Jovius lib. IV. *de Leone*.

Hinc & Decreta aleæ ludum, ceu impium ac blaſphemum, a Clericorum, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum vita voluerunt eſſe alieniſſimum: Sic enim ea ſonant: *Epiſcopus & Presbyter & Diaconus aleator & ebrioſus eſſe non debet. Capitulare Karoli* lib. VI. cap. CC.

Item: *Ad aleas & taxillos ne ludant Clerici, nec hujuſmodi ludis interſint. De vita honeſta clericorum c.* Cleric. Gregor. Tholoſan.

Prohibentur adeſſe, aut aleæ ludis, in quibus blaſphemiæ ſunt frequentiſſimæ, intereſſe, ut puri maneant & immaculati, quippe, *aliorum peccatis adeſſe, eſt ſeſe peccatorum conſortem reddere, & participem fieri. Levit.* v. 1.

Æquiſſima hæc ſunt Decreta: at ubi eorum valor, vigorque? ſpreta jacent, &

—— *nunc in hacce publica*
Contage morum congreges inter malos,
Malum eſſe, jus eſt [5].

1 Daniel Venat. *Cod. Juſt. l.*3. *t.*43. *fol.* 175. 2 *Lib.*3. *Codicis Juſt. t.*43. 3 Plautus *Perſa*. 4 Euripid. *Iphigen.* Manilius lib. 1. *Aſtron.* 5 Baudius *l.*IV. *Sap. Civilis*.

Nam nunc leges nihil faciunt. quod licet, nisi quod
lubet.
(Aleæ lusus jam) *more sanctus est, liber a legibus.*
Mores, leges perduxerunt jam in potestatem suam.
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis.
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius [1].

2. Ut tamen pœnarum metu homines in officio continerentur: *facit autem modestiores, justioresque ipsa pœna:& improbitatis medicina est.* Plato in *Gorg.*

Ideo & pœnas aleatoribus statuere, ut earum magnitudine maleficio submoverentur. Si *Canonicus deprehensus erit aleator,& in ludo pecunias ad usuram dederit, ut pro undecim nummis, duodecim recipiat, deponatur. De excessu prælatorum cap.* Inter dilectos.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ aut ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur, id est, deponatur, ac in monasterium detrudatur. In Decretis Distinct. XXXV. *cap.* VIII.

Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Episcop. *ibidem.*

Laici & Clerici similiter, si permanserint in alea, communione priventur. Capitulare Karoli lib. VI. *c.* CC.

Si quis Clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis attendat, per tres annos ministerio probibeatur, & si dignam pœnitentiam fecerit, reconcilietur. Capitul. Ludovici Imp. Addit. III. *lib.* XXVII.

Ecce, ut aleatores e cœtu & commercio sacrarum rerum amoventur. Nec injuste: veluti enim membra quædam si sanitate carere cœperint, & noceant reliquis corporis partibus, tum acrioribus remediis tractanda & removenda sunt, quid ni ex Christianorum communitate segregandi sunt ii, qui malis vitæ actionibus, mali ac pestiferi facti, nocent reliquis corporis Ecclesiæ membris? *Quis mundus leprosum in quotidianam familiaritatem assumeret? Quis pastor bonus ovem scabie infectam & correptam porrigine in grege ferret? Nahum concio. de Cœna ex* I. *Corinth. cap.* II. Hieronym. I. V. *ad Gal.* III.

Secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal a caulis ovium repellendum; ne tota domus, massa, corpus, & pecora; ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Puris Christianis nullum est commercium, nullaque conversatio cum impuris aleatoribus [2], *qui turpem vitam agunt, quia illa tria præcepta Legis & Justitiæ transgreditur, scilicet honeste vivere, alterum non lædere, & jus suum cuique tribuere: nec non turpiter vivunt, ob animi inquietudinem & ardentem cupiditatem, quam radicem omnium malorum esse dixit Apostolus* I. *Timoth.* VI. 10. Idcirco aleatores ad Domini Cœnam nequaquam piorum caussa, scilicet ne ab iis inficiantur, admittendos, bene censuere Patres. Tum vel maxime, quod Deus non cum aleatoribus, sed cum piis tantum fœdus inierit: quos si nunc admittas ad Cœnam, necesse est ut hoc pacto fœdus ac sacramentum Dei polluatur. Atque hoc Deus asseverat, dum impium sic alloquitur:

Qua fronte lege tu recitas meas?
Et ore sanctum impurus audes
Sacrilego memorare fœdus [3]?

Et mox *vers.* 17. 18. 19. impiam ipsorum vitam recensens, inquit:

Tu legum habenis impatiens regi,
Et institutis, moribus & bonis
Juratus hostis, voce laudas.
Tecum animo mea verba rides.
Cum fure furti consilium cois,
Mœchis adulter te socium applicas.
Ad probra projectus, dolosa
Perniciem meditare lingua.

1 Plautus in *Trinum.* 2 Hostiensis in *Sum.* 3 Buchan. *Psalm.* L. 16.

Postea concludens, ait *vers.* 21. Deus:

Et arbitraris me similem tui,
Quod perpetrata hæc dissimulaverim?
Ne crede: tecum expostulabo,
Ante oculos tua facta ponam.

Significat autem Deus, se nequaquam inter confœderatos suos censere, nec velle ut censeantur, qui reipsa se impios esse testantur: quia cum ipse peccatum abominetur, isti delectantur eo, fieri nequeat, ut aliqua inter ipsum & illos communio sit. quamobrem a cœna arcendi [1], quoad resipuerint, & mores aleatoris mutaverint; Id dum Veteres fecere,

—— quæ potest esse in tanti sceleris
Immanitate coercenda, crudelitas [2]?

CAP. V

Aleæ luxus Orthodoxis Patribus merito invisus.

AC omnino hic ludus aleæ, PATRUM sententia vehementer improbatur, utpote qui ludus fortunæ mutabilitati maxime subjectus est, ac in quo non artis peritia, non ratio, non consilium, aut sapientia, sed casus, fortuna, temeritas, fallacia, dolus, atque astutia locum obtinent, CHRYSOSTOMUS Diabolum ipsum hujus tam noxii inventi primum auctorem docet esse, cum ait *homil.* VI. *in Matt. Non Deus, sed Diabolus dedit ludere.*

Scit autem Stygius ille veterator, ad quanta & quam plurima mala lusores hoc ludo incautos propellat: Aleatores enim incitat in proximum ut eum lædant: 1.

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum [3].

2. Reddit & impios in seipsos, dum
Horrendas jactant voces, convicia miscent,
Ensibus infestis in sua fata ruunt [4].

3. Diabolus facit præterea aleatores in Deum peccare, quia ejus dona contemnunt ea dilapidando; apud quem propterea accusabuntur tandem, veluti ille dispensator malus apud Dominum suum delatus est, *ὡς διασκορπίζων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ: ut qui dissiparet ipsius bona? Luc.* cap. XVI. vers. I.

Ac cui ideo dictum fuit, *vers.* 2. Τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου· οὐ γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν. *Quid de hoc audio de te? redde rationem dispensationis tuæ: non enim poteris amplius esse dispensator.*

4. Veluti aleatores ut peccare Diabolus facit, in familiam, liberosque, quos immani hoc studio ad extremam ignominiosamque inopiam detrudunt: unde *conjugii tandem lætitia, fit mœror. Proverb.* XIV. 13.

O quam misere
Ludo falluntur, ludum qui sæpe sequuntur [5]!

BERNARDUS de piis & Christianis militibus, qui erant Hierosolymis, verba faciens, sic ait: *Aleas detestantur, mimos & magos, & fabulatores, scurrilesque cantilenas, tanquam vanitates aut insanias respuunt & abominantur.*

Non ab hac nota commendaret milites, nisi alea ludere inhonestum duceret, ac inter levium hominum voluptates numeraret. Nec immerito: qui enim furiose ludendo ad aleam se profundunt, parum aut nihil gravitatis in se habent. Hinc legimus a Phraate rege Parthorum *ad Demetrium regem Syriæ, in levitatis opprobrium taxillos aureos missos fuisse, eo quod fugiens aliquoties ex fuga retractus esset*, Mantua in *Polymath.* lib. VIII. cap. III.

In

1 3. *Cor.* VI. 14. 2 Schonæus in *Saulo.* 3 Horat. 1. *Epist. penult.* 4 Apherdianus. 5 Blyenb. in *cent. Ethic.* p. 6.

In Germania, & Italia, & quocunque locorum infideles Judæi dispersi vagantur, coguntur tesseras sive aleas penes se assiduo gestare, ut eo indicio, istorum hominum non solum notetur impietas, verum hoc modo, *indubitatum vanissimæ mentis* τεκμήριον *in ipsis statuatur*, Conrad. Theodoris *dom.2.Trinit.*

CLEMENS ALEXANDRINUS *lib.*III. *cap.*II. dicit *inconsideratum luxuriæ amorem otiosis isthæc aleæ oblectamina suppeditare, desidiamque in caussa esse.*

Aleatores enim ut plurimum molles, ac ebrietati (cujus instrumentum est alea) dediti sunt; quo vitio qui laborat, *cito is se per licita & illicita fœdat*. Tacitus lib.XV. *Annal.* Atque.

Qui vino indulget, quemque alea decoquit, ille
In Venerem putris [1].

CYPRIANUS *Serm. de Aleator.* Tom.III. aleæ tabulam ponit inter Diaboli tentationes ac laqueos. *Præsto* (inquit) *est Diaboli laqueus manifestus, venenum portans lethale serpentis, & inductio corrumpens, quæ cum videtur nihil esse, magna amplexi operitur deletio.*

Alea quicunque es, Christianum te dicis, quod non es, eo quod seculo participas: nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam. Idem *ibidem*.

Deinde aleatores dicit hinc pauperes fieri: *Hinc opes suas perdunt, hinc jam consumptis omnibus rebus suis, mutuis pecuniis se obruunt, hinc patrimonium sine ulla fori calumnia amittunt*. Idem *ibidem*.

Hoc jugi experientia deprehenditur, omnes hujusmodi ludi Magistros nudos esse, atque inopes & egenos. Petrarcha *Dialog.* XXVII.

Imo, hic *ludus prodit acerbissimas amplissimarum familiarum lachrymas, dum proprias substantias lusores perdunt*. Justinian. *lib.*III. *Cod.*

Quemadmodum pestis adimit vitam, ita ludus aleæ adimit pecuniam, evacuatque bursam. Jodocus Danhoud. *in rer. crim. praxi.*

Attamen quam magna cum licentia Christiani aleam tractant! quos non hæç damnosa atque inhonesta delectatio invasit! Vix rei ullius tam intensum, tamque ineptum studium invenias. *Sed hoc est in regno stultitiæ commune, ut quarum rerum minor est fructus, & cupiditas & delectatio major sit.* Petrarcha *Dialog.*XXVI.

ELIBERINÆ SYNODI PARTIBUS *can.*LXXIX. placuit, *eum abstinere fidelem qui alea, id est tabula, luserat.*

In VALDENSIUM *veteri disciplina*, lusus aleæ quoque interdictus ubi: *Ludi chartarum, taxillorum, & id genus alia, unde infinita ac horrenda mala, peccataque in Deum, tum etiam in proximum prosiliunt, deserantur.*

Ecce, ut prisci illi PATRES hoc totum damnosæ & illicitæ recreationis genus execrentur: *quibus, fides in aliis rebus, cum habeatur, quare hac una in re* (quę aleas spectat contemptum) *non habebitur?* Martyr. *loc. com.* class.II. cap.II.

CAP. VI.

Aleæ ludo, Præcepta primæ DECALOGI tabulæ, *violari.*

NEC tantum humanis Legibus aut scriptis prudentum Virorum aleatoria tabula condemnatur, quin etiam LEGE DIVINA: *Cogita enim tecum ista scelera & flagitia aleæ studio conjuncta; videbis, illa omnia* LEGIS DIVINÆ *præcepta violari*. StucKius l.III. *antiq. Conv.* cap.XXII.

Quod si probare aggrediar, materia (scio) maxima exsurget, imo

Κακῶν πέλαγος εἰσορῶ
Τοσοῦτον, ὥστε μὴ ποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν:
Tantum malorum pelagus aspicio,
Ut inde non sit enatandi copia [1].

Compendiosa velificatione hoc pelagus ingrediar, ipsumque DECALOGUM summam mihi tanquam ἐμπολαῖον ὁδηγὸν, sive Cynosuram, ad quam cursum meum instituam.

I.
Præceptum primum Tabulæ primæ.

NE ESTO TIBI ULLUS DEORUM ALIENORUM ANTE FACIEM MEAM [2].

Ut initium demonstrationis a prima Tabula Decalogi faciam, *Primum Præceptum* dico aleatorem transgredi: habet enim aleator suam πολυθεΐαν, dum *loco unius Dei aut præter unum illum verum Deum, qui se in Verbo suo patefecit aliud quippiam fingat aut habeat, in quo Spem reponit*. Verba sunt *Heidelb. Catechesios.*

Quid illud est, inquies? nempe alea sive taxilli: *Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur. subjicit se lusor jurisdictioni taxillorum, illis obedit, illos veneratur, adeo ut taxillos involvat serico & odore perfuso, apud cor in bursa retineat, illos osculetur, illis se commendet.* Johannes Aquilanius Ordinis Prædicat.

Et cum, instrumentis aleatoriis sibi lucrum comparavit, non minus tum istis adjumentis tribuit honorem, ipsamque causam suæ prosperitatis, quam *Chaldæus qui sacrificat plagis suis, & suffitum facit retijaculo suo, quia per hæc pinguis est portio ejus, & cibus ejus opimus*. *Habac.* cap.I. 16.

Et sic maledictus lusor, efficitur Idololatra pessimus, quod est peccatum maximum. Johannes Aquilan.

II.
Præceptum secundum.

NE FACITO TIBI SCULPTILE, AUT ULLAM IMAGINEM.

Secundo peccat aleator contra Decalogi *Secundum Præceptum*, idque sua εἰδωλολατρείᾳ. *Aleator enim est Idololatra, cujus idolum quod colit & veneratur, est ipsa alea, lucrum turpe & inhonestum, cujus amore insatiabili flagrat*. G. StucK. lib.III. *de antiq. Conviv.*

Ibique Diabolus idololatriam sustentat, dum efficit, ut lusores ipsi figuras illas alearum, ad lucrandum quodammodo adorent. Philipp. Diez in *Summa prædicat.*

Adeo ut non cum Papicolis Deum verum in imaginibus, verum Mundi Deum, Diabolum in suis statuis colant. *Ille ipsus autem est, qui hanc artem* alea ludendi) *ostendit, quam & colendam sculpturis cum sua imagine* (in tabula lusoria) *fabricavit: ille enim cum se statunculis & simulacris formaret, aliud crimen instituit, quo se ab imitatoribus suis colendum, & sibi sacrificandum invenit: ita ut qui vellet studio ejus adhærere, non ante manum in tabulam porrigeret, nisi auctori hujus, prius sacrificasset.* Cyprian. *De alea.*

Tu qui ludis alea, *purifica animam tuam a sacrificiis Diaboli*. Idem ibidem.

III.
Præceptum Tertium.

NE ASSUMITO NOMEN JEHOVÆ DEI TUI IN VANUM.

Tertium Præceptum ab aleatore violatur mirum in modum: *Aleator enim nomen Domini multis horrendis conviciis atque blasphemiis plerunque polluit atque contaminat*. StucKius lib.III. *antiq. Conviv.*

1 Persius *Sat.* v.

1 Euripides. 2 *Exod.* cap. XX. v. 3. *Deuter.* cap. v. 12.

Hinc glossa Jurisconsultorum verissima: *Lusor semper præsumitur blasphemare, & esse blaspemus.* Josephus Mascard. *de probat. vol.*1. *conc.*144. *n.*12.

Etenim dum aleatorium negotium exercet,

Vulnera per Christi jurat, per Numina Patris,
Omnes per Divos, omnia perque sacra [1].

Adde quod & mentiendo nomen Dei polluat. *Nam mendaciorum mater est alea.* Jo. Salisber. *Polycrat.* lib. 1.

Quoties quæso aleator hoc scuto se tuetur! collusorem ut decipiat appositamque pecuniam auferat,

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles [2].

Veluti Caligula Imp. qui aleæ indulgens, *mendacio lucrabatur ut plurimum.* Suetonius.

Venale quoque apud aleatorem est perjurium. Quid quæso aliud secum trahit aleæ ludus, quam *furacissimis vocibus pejerare?* Cyprian. *De alea.* Ludentem, si aspicias, *in eo videbis, alium jurantem se lucratum fuisse, alium vero eodem juramento ei contradicentem, alium se pejerantem, alium vero caussam illius perjurii pertinaciter dantem.* Philippus Diez in *sum. prædic.* tom. II.

Vides ergo qualis quantusque Nominis Divini contemptor ac profanator impius sit aleator? & *quomodo sedes Satanæ in alea?* Petrarcha.

Quin igitur aleatori dicamus: οἶδα τὰ ἔργα σου, καὶ ποῦ κατοικεῖς· ὅπου ὁ θρόνος τοῦ σατανᾶ: *Novi opera tua, & scio ubi habitas,* (dum versaris ac occuparis in tabula aleatoria nempe) *ubi sedes est Satanæ.* *Apoc.* cap. II. *v.* 13.

IV.

Quartum Præceptum.

RECORDARE DIEI SABBATHI, UT SANCTIFICES ILLUM.

Violationem *quarti Præcepti* & hujus diei penes aleatorem esse, non difficile erit demonstrare. *Alea or dies festos, & cultui divino consecratos turpi illo studio prophanat, & omne tempus quod melioribus studiis atque negotiis impendi oportebat, noxio hoc studio suo perdit atque consumit.* G. Stuckuis lib. III. *antiq. convival.*

Domitianus quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus, matutinisque horis. Suetonius in *ejus Vita.*

Huic non dissimiles multi *Christiani*, qui hoc specioso nomine gaudentes tantum, non erubescunt hoc aleæ inhonesto ludo totos dies Sabbatharios transigere, missas facere sanctas sacrasque conciones, malarum cupiditatum istarum lenociniis irretiti. Vel si quis eorum matutinæ concioni interest, quid post auditum fit, aut facit? inutile hoc studium statim repetita domo inter manus sumit. *Quis enim aleatorum repetita domo aliquid Christiano dignum opus aggreditur? quis Scripturarum sensum perscrutatur die Dominico? Nemo sane; sed alveolos & talos frequenter inter manus eorum invenies, libros quam rarissime.* Chrysost. Homil. XXXIII. *in Evang. Joh. c.* IV.

Nihil enim quicquam est, quod perinde homines ab optimis studiis & pietatis exercitiis abducit atque alea. Nullumque est tempus, *aut officium tam sanctum atque solenne, quod non* (ludendi caussa) *comminuere atque violare* (aleatores) *soleant.* Cicero *pro Quintio* orat. I. Profecto,

Cum satis hinc constet, quam sit res impia talis
Ludere, tu fugias pejus & angue velim [3].

1 Aphordianus. 2 Juvenal. *Sat.* VIII. 3 Aphordianus.

CAP. VII.

Præcepta Secundæ Tabulæ *ludo aleæ violari.*

V.

Quintum Præceptum.

HONORA PATREM TUUM, ET MATREM TUAM.

EXPEDITIS superioribus primæ Tabulæ Præceptis, si jam---

Secundum Præcepta secundæ Tabulæ Decalogi examinemus aleatorum actiones, non minus istis omnibus repugnantes inveniemus. *Quintum Præceptum* de honorandis parentibus, exempli gratia inspiciamus. *Aleatores certe non honorant patrem & matrem; imo eos spernunt & vituperant.* Joh. Aquilan. *feria* II. *Quinq.*

1. Quia *efficiuntur erga eos duri & obstinatissimi.* Idem.

2. Quia *non acquiescunt eorum admonitionibus.* Idem.

3. Quia *bona paterna, & opes avorum sudore quæsitas, ignominioso studio dilapidant.* Cyprian. *De alea.*

4. Quia *se devovent, & parentum originem turbis præsentibus dehonorant.* Idem.

5. Quia suis parentibus maledicunt. *Est generatio, quæ vel patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit.* *Proverb.* cap. XXX. v. 11.

Huic generationi impiæ annumerandus aleator, *qui cum perdit, solet maledicere ei qui illum genuit, & matri quæ ipsum peperit.* Philipp. Diez in *Summa prædicant.*

VI.

Sextum Præceptum.

NE OCCIDITO.

Aleator quoque crimini homicidii obligatur.

1. *Hoc autem* (teste Ambrosio *Psalm.* CXVIII.) *est hominem occidere, vitæ suæ ei subsidia subtrahere.* Atque (teste Ecclesiast. XXXIV. 22.) *Is occidit proximum qui aufert communem victum, effunditque sanguinem, qui fraudat mercede mercenarium.*

Hoc facit aleator, pecuniam, qua collusor se suosque liberos honeste potest alere, alea ad se trahendo. Quare jam primo ipsum dico *homicidam non gladio armatum & ferro accinctum, sed astutia, fraude, & injuria instructum.* August. *in Johan.*

2. Tum quoque, *quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.* 1. *Joh.* III. 15.

Aleator talis homicida est, quia odit collusorem suum; hinc *inter ipsos furax dementia, litigiosum monstrum, rabiosa amicitia, jurgia, & atrocissimi sceleris fraternitas discordans, atque implacabiles discordiæ.* Cyprian. *De alea.* Basilius *in Hexam. homil.* VIII.

3. Sæpenumero & hoc atrox dirumque facinus opere ipso consummare ausus, vitam alteri demit. An non agyrtæ & impostores in ludendo gravissimas pugnas commovent? an non Diaboli caligine fascinati atque deorbati, *manus crudeles, & ad periculum armatas habent?* Cyprian. *De alea.*

Arma capiunt, feriunt, mutilant, occidunt; sicut Veronæ superiori anno accidit: unus enim lusor pro damno unius solidi fuit occisus ab altero collusore. Johan Aquilan. *feria* II. *Quinq.* juxta enim Vet *Epigr.* ineditum,

Vulnera plus crescunt punctis, quam bella sagittis.

4. Imo fit interdum, ut aleator sibi ipsi manus inferat, necemque ex desperatione afferat. Idque per gradus quosdam.

1. Nam primo ægerrime pecuniarum suarum jacturas fert aleator.

Ploratur lachrymis amissa pecunia veris,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quam funera [1].

2. Deinde cum se ex felici prosperaque fortuna, miserrimum factum esse comperit, spe meliori perdita, peccati conscientiam, & indignationis magnitudinem intus percipiens, prolabitur in desperationis barathrum; *quæ est homicida animæ*. Augustin. in *Psalm*. L. *Serm*. VI.

3. Deinde ad restim seu laqueum aufugiens, *infamem vitam exitu inhonesto fœdat*. Tacitus lib. I. *Hist.*

Cui in Hispaniis inauditum est nomen Venturæ Beltran? cui Romæ Taveræ? quorum hic cum maximam facultatum & copiarum suarum partem in alea perdidisset, de ponte se in Tyberim dejecit: Ille autem quamdiu vixit, ut ad ludendum copiæ suppeterent, nihil intentatum reliquit. Itaque illud postremo est ausus, quamobrem vitam per summum dedecus & ignominiam amisit. Pascasius Justus lib. I. *De alea*.

Fertur de milite quodam, *qui cum magnam pecuniæ summam in promptu haberet, suos commilitones ad aleę certamen provocavit, qui cum lusum detrectarent, petiit ut se in pontem comitarentur, quod ubi factum, pecuniam in medium projecit, suasque, & commilitonum partes ludendo simul tutatus est. Cum autem adversam experiretur fortunam omnisque pecuniæ jacturam faceret, ultro in Tyberim se dejecit*. Ex *colloq. Lutheri*.

Hi sunt aleæ fructus omnes certissimi, quæ *fons est ut fraudium, ita & maleficiorum scelerumque omnium*. Cicero lib. III. *Offic.*

VII.

Septimum præceptum.

NE SCORTATOR.

Optime Seneca: *In Venerem ac libidinem projectorum, inhonesta labes est*. Etenim, *animis per libidines corruptis, nihil honestum inest*.

Quam labem aleatores, tanquam *septimi Præcepti* transgressores sibi attrahunt. *Est autem, quando ipsi aleatores cum prostitutis mulieribus penes auctorem suum Diabolum nocturnas vigilias, clausis foribus, celebrant: armantur adversus se miseri, Spiritu Diaboli repleti, & illic duplex aut geminum crimen admittunt. Hic concrepat aleæ sonus; illic silentio operatur incestus. Hic sine ullo dignitatis suæ respectu, sine ulla excusatione, pestifero studio cedere bonis cogitur; illic secreto mortale venenum bibitur*.

Dicamus igitur & aleatores turpem vitam agere. Qui quæso aliter?

—— quis mens circumflua luxu
Noverit intactum vitio servare vigorem [2]?

Animi aleatorum per vinum corrupti, *in Venerem proniores sunt*. Livius lib. XLV.

Hæc labes *L. Syllæ fuit, qui vitam libidine, vino, alea, ludicræ artis amore perinquinatam perduxit*. Valerius Maxim. *l.* VI. *c.* IX.

O quam hodie permulti aleatores *meretricum delinimentis Venerisque venenis corrupti ac infecti* [3]! Plurimis ex Juventute nostra (proh dolor!) hæc arrident plus satis:

Amor, Voluptas, Venus, Venustas, gaudium,
Jocus, ludus, sermo suavis, suaviatio [4].

Hinc prodigaliter vivunt Juvenes, patrimonia obliguriunt, atque *animum libidinibus imminuunt*. Tacitus lib. II. *Hist.*

Et *pecuniæ, quas multo cum labore (Parentes) sigillatim per obolos comparserunt* (juxta Archilochum) *universæ semel in scorti marsupium effunduntur* (ab iis.) Ælianus *lib.* IV. *cap.* XIV.

1 Juvenal. *Sat.* XIII. 2 Claudianus *de Probini & Olyb. Conf.* 3 Onidius Benuzu. *Dedecost. part.* II. 3 Plautus in *Bacchid.*

A

VIII.

Octavum Præceptum.

NE FURATOR.

Contra *Octavum Præceptum* delinquunt aleatores, quoniam *non carent furacissimis moribus*. Cyprianus *De alea*.

Unde ab Aristotele lib. IV. *Ethic. ludus alearum comparatus fuit furto & lenocinio, hostesque reipublicæ aleatores reputat, quia hoc cupiunt & optant, ut homines ludant & efficiantur pauperes*.

Hispani pulchre etiam sua lingua aleatorem Tahur, *quasi* hurta, *id est, furem vocant. Nam si recte examinare velimus, quid est aliud aleam jacere, quam* B *furari velle, & invito domino rem auferre? Neque enim solum in effectu semper, sed etiam in cupiditate & voluntate peccatum est*. Pascasius Justus *lib.* I.

Quod ut clarius constet, distinctius rem ipsam examinemus. Si mihi Juvenem aleæ addictum dederis, statim tibi & eundem dabo furem. *Hic enim cum non habet ad ludendum, furatur, & rapit, & deprædatur, vel a parentibus occulte accipiendo, vel a vicinis, vel a magistris, si in exercitiis sit artium Mechanicarum*. Johannes Aquilan. *feria* II. *Quadrag.*

A parentibus dico. Ecce illustre exemplum. Sed fides sit penes Auctorem. C *Imp. Rom. Claudius filium unicum habuit, qui cum non haberet, quod luderet, (indolem enim plus ludendo, quam Philosophos audiendo, defatigabat) & nulla parandi ratio compareret alia, monile aureum magni pretii furtim e patris armariolo statuit auferre, furti illius & conscio & occultatore ipsius Magistro. Quod cum rescivisset Imp. optimus, filium abdicavit, & præceptorem securi percuti jussit, & universos filii collusores in exilium misit, quod factum ingentem universis pavorem incussit*, Anton. Guevara *Horolog. Princip.* lib. II. cap. XLV.

Vel si ex paterna hæreditate aliquid bonorum habeat, dum id alea improbe decoquit, furti crimine D tenetur. Qualis ille *Diodorus* qui *perditus* dictus, eo quod biennio σφαῖραν ἀπέδειξε τὴν πατρῴαν οὐσίαν patrimonium suum pilam reddidit, improbeque omnia devoravit. Athenæus *l.* IV.

Vel mihi adultum adducas, aleæ studiosum, & ipsum facile demonstrabo furem esse.

1. Primo aleator fur est; quia pecunias suas alea dilapidat, *seipsum spoliat, & alienat omnia usque ad bracchas*. Johannes Aquilan.

In aleæ tabula (etenim) *possessionum est amissio*: Cyprianus *ad Herdesian*. Ad quam,

Si quis habet nummos veniens, exibit inanis.

Nam lusus iste,

E *—— immensas opes*
Jam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit [1].

2. Deinde fur est, quia alea decoquit, quod ad pauperum inopiam sustentandam sublevandamque conferre debebat. Quomodo quæso is Christi membris benigne largietur, qui ludendo omnem pecuniam effundit?

—— Posita dum luditur arca,
Stat pauper nudus atque esuriens ante fores [2], *Christusque in paupere moritur*. Hieronym. *ad Gaudent.*

3. Aleator furti reus est, eo quod collusorem suis F spoliat bonis aut pecuniis. *Quisquis igitur alienam pecuniam idcirco apud se retinet, quod eam ludendo sit lucratus, injuste eam detinet, neque meliori conscientia quam fur habet rem a se furto sublatam*. Danæus *De alea*.

4. Denique famuli Aleatorum ad incitas redactorum, sæpe latrocinantur, atque ex rapto vivunt.

Abotritis 3 (quos Luneburgios pariter ac Megaloburgios utramque Albis ripam accolentes, existimo) quis linguæ Germanicę non imperitus, haud justum

1 Seneca *Octavia*. 2 Juvenalis *Sat.* I. 3 Had. Junius *Bataviæ* cap. ult. *p.* 387.

etymon ab antiquo inditum fuisse inficias iverit, quasi *avont-rijters* dictis? Ea vox sonat *vespertinos equites*. Cujus namque aures non pepulit vetus atque usitata, imo ubivis terrarum pervulgata, gentis utriusque latrocinandi viasque insidendi ratio, qua nobilium (qui plerumque re sunt contractiore, per luxum aleæve naufragium comminuta) ministeria armata solent hospitibus & negotiatoribus pagos ac diversoria consueta (quæ in locis insolentibus nec multum habitatis rariora sunt) ad vesperum repetentibus, insidiari sub sera crepuscula, eosque, si viribus superent, exspoliatos vacuosque dimittere.

Veteres *bona alea amissa, tanquam furto ablata, restituenda putabant.* August. *Epist.* XLV. *ad Maced.*

Quid si majus adhuc furtum recenseam? De antiquis Germanorum moribus C. Cornelius Tacitus verba faciens. *Aleam (quod mirere) sobrii inter seria*, inquit, *exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo & novissimo jactu de libertate & de corpore contendant.*

De corpore horribile exemplum accepi de duobus Nobilibus, in urbe Delfensi, tempore Illustrissimi Principis Auriaci, felicis memoriæ.

De aliis alii: ut *cum omnia lusissent nihilque pecuniarum superesset in lusu, extremo de libertate* (imo de vita) *contenderent. Victusque in alea servitium pati & addici Victori velut mancipium patiebatur.* Alexander ab Alex. *l.* v. *c.* XXI.

Quis tantum scelus non abominandum putabit? Vah! libertatem, hominis ingenii præcipuum bonum, aleæ committere? Vah! *libertatem vendere, pro qua viro bono debet omnis esse contentio?* Cicero *l.* 1, *Off.*

Quantæ miseriæ fuit *Attilius Regulus, tum & Valerianus, quorum ille modo Dux, hic autem Princeps populi Romani, moxque ille Carthaginensium, hic Persarum servus, ille cruci supplicio peremptus, hic longa & misera contabuit libertate!* Petrarcha in *Dialog.*

Et his longe miseriores, qui non tantum aleæ jactu, e culmine Christianæ libertatis in servitutem levium homunculorum cadunt, verum isto eodemque casu in vincula Diaboli præcipites ruunt, qui miseras eorum animas nundinatur atque inenodabili laqueo (Justo Dei judicio & permissione) vinctas tenet.

IX.

Nonum Præceptum.

NE PROFERTO CONTRA PROXIMUM TUUM, FALSUM TESTIMONIUM.

Annon quoque Aleator sæpe profert falsum testimonium?

1. Nihil inter ludentes alea frequentius, *quam colloquium serpentinum; apud quos & venale perjurium*, Cyprian. *De alea.*

2. Sæpe etiam falsa testantur in proximi perniciem: *Unus enim lusor injuste sæpe defendit alium.* Joannes Aquilan *fer.* II. *Quad.*

3. Proferunt & ea quæ nesciunt: ideoque *lusores ab omni veritate sunt alieni.* Idem *ibidem.*

4. Dumque nihil, nisi proprium commodum spectent, mentiendi libidine mirum in modum flagrant aleatores, & *ex hoc nullus eis credit, nullus fidem adhibet, omnes eos fugiunt, nullus eis confidit, nullus eos vult pro testibus, quia sunt infames; & testificari non possunt, ostenduntur digito.* Idem *ibidem.*

5. Quam multis solent & hi obtrectare, atque
—— *absentum rodere vitam* [1]?

Ad maledicendum linguas intrepidi assuescunt;
Linguas ceu gladios exacuunt suos:
Oris pestiferi verba nefaria
Intentant, medicata
Tanquam spicula toxico,
Ut rectos animi ex insidiis petant.
Buchananus *Psalm.* LXIV. 4. 5. 6.

1 Augustinus *in vita* cap. XXII.

X.

Decimum Præceptum.

NE CONCUPISCITO DOMUM PROXIMI TUI, &c. AUT QUICQUID EST PROXIMI TUI.

Cum aleatores omnibus vitiis sint implicati, minime tum a vitiosæ concupiscentiæ labe vindicari possunt. Habent enim non tantum manus aleatrices, sed etiam δίνας φιλοχρηματίας, *manus avaritiæ plenas.* Basilius *in Hexam. homil.* VIII. in fine.

Ideoque Philosophus aleatores merito avaros esse dicit, eo quod, *In turpi quæstu sunt occupati.* Aristotel. lib. IV. *Ethic.*

Hac face incensi Pilati milites; *qui in Christi vestimenta aleam miserunt.* Johannes c XIX. 24.

Ut sic Scriptura impleretur, quæ ait:
Partiti amictus sunt meos, tunicæ meæ
Fecere sortes arbitras [1].

Hac cupiditate concitatus Ludovicus Scarampa Cardinalis & Patriarcha Aquilejensis: *qui unica die ab Alphonso rege Neapolitano, ludendo* XXV. *aureorum millia abstulit.* Garimbertus lib. VI. *de vitis Pontif.*

O lucrum turpe, & ambiguis volans alis! raro solet illud diurnare. *Nulla pecunia est stabilis, sed sua potius rotunditate versatilis; tum præcipue quæ taxillis quæritur.* Petrarcha *Dialog.* XXVII.

Vix, inquam, sequitur hæredem pecunia, tali modo acquisita: ideoque justo quodam fato ambulatoria, &
—— *puncto mobilis horæ*
Permutat Dominos, & cedit in altera jura [2].

Hodie ludendo istud insatiabilis avaritiæ genus inductum est. *Quid enim agitur in ludo aleæ, nisi de lucrandis nummis aliorum per fas perque nefas, sive juste sive injuste?* Philipp. Diez in *loc. com.*

Contemnenda ista vitæ ratio, istaque vecordia, qua lusus qui animi caussa repertus dicitur, *in fœdissimum lucrum propter hominum avaritiam convertitur.* Danæus *De alea.*

2. Est & alius cupiditatis sive Concupiscentiæ gradus statuendus in aleatore, scilicet, qua oculos conjiciens in proximi uxorem, tandem se adulterinis cogitationibus polluit. Etenim *ex quo aleatores otiosi sunt, non acquirentes, sua industria, res alienas desiderant.* Johan. Aquilan. *feria* II. *Quinquag.*

Quæritur Ægistus, quare sit factus adulter.
In promptu causa est, desidiosus erat [3].

Cujus rei documentum in aleatoribus quoque reperitur, qui cum in domibus sociorum otiosi sedent pigra nequitia & mollicie diffluunt, in adulterium animo & cogitatione prolabuntur sæpissime. Sicque liquet (ut hactenus demonstratum est) *in tractatione aleæ esse diluvium peccatorum.*

CAP. VIII.

Jus Naturale aleæ usum condemnare.

JURE Naturali, sive jure Gentium & legibus populorum, quibus in singulis civitatibus respublicæ continentur, atque hominum societas inter se conservatur, constitutum est, ut per contrahendi modos homines pecunias dent, pecunias vel accipiant, lucrumque faciat honestum. Verum si inter istos modos lucrandi actio per aleam haud numeretur, quin id satis argumenti ad aleæ contemptum JURE NATURALI comprobandum. *Inter illa contractuum genera, quibus res nostras alienare possumus, nunquam ludus habitus est, sive divinam, sive humanam nomothesiam spectes.* Danæus *De alea.*

1 Buchan. *Psalm.* XXII. *v.* 19. 2 Horat. *lib.* II. *Epist.* ult. *ad Jul. Florum.* 3 Ovidius *de Remed. Amor.*

1. Si quæ vero sunt humanæ leges, quæ omnes honestos contrahendi modos enumerent, certe sunt illæ, quæ Jus Civile, Romanum etiamnum hodie appellatur. *Hæ vero emptionem, venditionem, locationem, conductionem, emphyteusin, infinitosque alios contractus per quos jure tum quæ nostra sunt ad alios transferimus, tum etiam quæ sunt aliena nobis acquirimus, recensent; ludum aleæ vero in eo numero nusquam commemorant.* Idem *ibidem*.

2. Neque etiam ex eo rerum & actionum humanarum genere ludus aleæ est, si vel ludi natura, vel finis vere a nobis cogitetur. Tu igitur Christiane,

Ludens taxillis; bene respice quid sit in illis.
Res tua, spes tua, sors tua, mors tua pendet in illis. 1

Est enim hic ludus altor otii, magister ignaviæ, instrumentum avaritiæ, fraudis officina, rei familiaris eversio, temporis jactura, rixæ materia, morum pernicies, dignitatis labes, & insignis ignominia, est præterea angor animi & cruciatus assiduus: qui enim perdit, affligitur: qui lucrum facit, quamvis intemperanter exultet, ne tamen id, quod est lucratus, amittat, animo anxio & sollicito reformidat. StucKius lib. III. *antiq. conviv.*

Vigiliæ divitiarum caussa tabefaciunt (autem) carnes, & cura earum amovet somnum. Eccl. XXXI. v. 1

Removenda propterea ab hominum actionibus alea, in qua esse videmus *scelerum officinas nefarias, omni peccatorum genere fluitantes*, Boetius.

Avertamus manum, & cor ab istis ludis, per quos in tam horrendam malorum Scyllam ruimus præcipites. *Non tantum peccata fugienda, sed & hæc per quæ in peccata (* ut sunt alearum ludi *) prolabimur.* Chrysost. *Homil.* XII. *ad Rep. Antioch.*

3. Denique Jus Naturale vetat isto genere ludi delectari, in quo unus torquetur propter amissam pecuniam, alter lætatur propter lucrum injuste acquisitum: *Recte*, inquit Cicero lib. III. *Offic. detrahere alteri aliquid, & hominem hominis incommodo augere commodum, magis est contra naturam, quam mors quam paupertas, quam dolor, quam cetera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.*

Aleator quid agit? nempe, is suis utilitatibus, aliorum incommodis studet, cujus proterva sors, victo mors est, illiusque gaudium, societatis diremptio. Nec enim *aliter affectus est quam ut propter suum emolumentum spoliet, alterum violet.* Idem *ibidem*. O facinus indignum!

Hoccine credibile est aut memorabile.
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent, ut commoda? ah,
Id ne est verum? Imo id genus bominum
Est pessimum 2

Non probamus venatoris noxiam cupiditatem, qua dum

Gaudet equis, canibusque. & aprici gramine campi, 3

pau perum segetes sternit, nocetque maxime, adeo *ut illius torneamentum, alterius sit tormentum.* Johannes Bromiard. in *Summa prædic.*

Minus probare tenemur cupiditatem lusoris, qui emolumenti sui gratia, detrahit quod cuique potest, & aliorum pecunias ad se ludendo rapit. Quo facto, *disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem.* Cicero *de Offic.*

Ut sibi quisque quod ad usum, commoditatemque vitæ pertinet, acquirat, & potius etiam sibi quam alteri, concessum est, non repugnante natura. *Illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates aut copias augeamus, sed suæ cuique utilitati, quo sine alterius injuria fiat, serviendum est.* Idem lib. III. *Offic.*

1 Blyenburg. in *Cent. Eth. pag.* 6. 2 Terent. in *Andria* 3 Horatius *de arte Poetica*.

CAP. IX.

Aleæ lusum damnandum ex ipsis aleatorum internis pœnis, demonstratum.

ALEÆ lusum turpem & Christiano homine indignum esse, vel ex eo liquet, quod qui infami isti ludo sunt dediti, suæ impietatis dignas luant pœnas. *Experientia magistra discimus; ludendi alea libidinem morbum esse, qui canis (Seneca teste) rabiosi naturam refert, qui si quem semel mordet, nisi celerrime præsentissimum & exquisitum adhibeatur remedium, in perpetuum rabidum reddit, ita ut rabies dira ad mortem usque perpetuo duret.* Anton. Guevara lib. II. *Horol. Princip.* cap. XLV.

Unde aleatoribus, proprium *flagitium in supplicium cedit*; 1

Et *sceleris in scelere punitio est*. 2

Nam impuræ consuetudini isti quia assueverunt cum avelli ab ea non possint, ideo isti affixi manent; adeo ut verissime canat Poeta Herdosianus.

Alea si quenquam fœda, merumve tenet;
Nec cito principiis obstat, vitioque recenti,
Sed pravæ caussas invenit usque moræ,
Nulla salus illi: nulla revocabitur arte:
Tollitur hinc nulla flebile vulnus ope.

Similes sunt aleatores *Prometheo*, cui assiduus carnifex intimis

—— *inæstuat præcordiis*, 3
Et tondet ales avida fecundum jecur. 4

Sic enim ipsi ad Caucasum latruncularіæ seu aleatoriæ tabulæ affixi, & nequitiæ vinculis astricti sunt, ut qamvis viscera sua consumi cum magno cruciatu videant, non tamem inde avelli possint; verum manet alea tanquam

—— *ales nequitiæ additus*
Custos, 5 ——

Qui animi

Fibras adulat perpeti pastu, & jecur
Vitæ (ipsorum) *superstes, in mortem novam.* 6

2. Adde quod, *nihil altum nihil magnificum ac divinum suscipere possunt qui suas omnes cogitagiones (& actiones) abjecerunt in rem tam humilem, tam contemptam.* Cicero in *Lælio*.

Qui enim ludendi alea voluptate ducuntur *missos faciunt honores, nec attingunt Rempublicam, patiuntur viros fortes labore, se otio suo perfrui.* Idem.

Anni interim labuntur, ætas flagitiose conteritur, res familiaris absumitur, studium dignitatis abjicitur, omnisque ratio industriæ & humanitatis & pietatis extinguitur. *Nec is qui hoc ludo tenetur & ducitur, rem suam familiarem curat: nec suis liberis, aut servis, aut amicis consulit: neque pietatis & religionis memoriam ullam conservat: sic enim occupat illius animum hoc flagitiosum & infame ludendi studium, ut nullum honestæ cogitationi locum relinquat.* StucKius l. III. *antiq. conviv.*

Id quod rursus supplicii vice evenire dico. Nam *sicuti probis probitas fit præmium, ita improbis* (aleatoribus) *nequitia ipsa supplicium est.* Boetius *l.* IV. *prol.* 3.

Valeant & abeant ergo aleatores perditi, quorum familiaritate ac sodalitio in tot tantaque discrimina adduci possunt Juvenes. *Ut Medici abalienata morbis membra præcidunt: ita turpes ac perniciosi, etiamsi nobis sanguine cohæreant, amputandi.* Fab. VIII. c. III.

CAP. X.

Ex ipsis aleatorum externis pœnis, aleæ studium inhonestum illicitumque habendum.

E*St autem* (teste Cujacio *Cod. l.* 3. *tit.* 43.) *non leve crimen, si quis vetita luserit alea, cujus odio multa singulariter recepta sunt.*

1 Tacitus lib. I. *Annal.* 2 Seneca *Epist.* XCVII. 3 Horatius *Epod. od.* XI. 4 Seneca *Agamemn.* 5 Horatius *lib.* III. *od.* IV. 6 Baudius *lib.* I. *Sap. civil.*

Nos ista secundum variarum Gentium & populorum observationes ac constitutiones demonstrabimus. *Deque historiis, vel libris nobis antiqua consuetudo repetenda.* Veget. *lib.* I *cap.* III.

ROMANI.

Ædilibus Romanis cura fuit popinarum, fornicum, & eorum quæ ad libidines, luxum, aleam spectabant. Popinas (ubi plerunque luditur alea, & prostibula ubi se continent) vocavit Seneca *de vita beata* cap. VII. *loca ædilem metuentia. Virtutem* (inquit) *in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: Voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia.* Hinc & Martialis, *lib.* V. *epigr. ult.*

Arcana modo raptus e popina
Ædilem rogat udus aleator.

Pœnarum impositarum varia genera fuisse comperimus.

Vel lusores *pecuniis lucratis privabantur, eæque ab urbis Præfectis, in opera publica erogabantur.* Cujacius *lib.* III. *Codic. tit.* 43.

Vel, in quadruplum ejus pecuniæ damnabantur, quam ludendo amiserant, ut ea pœna cæteri terrerentur. Asconius Pædianus *in* II. *lib. Cic. de Divinat.*

Vel, lege *Roscia exilio mulctabantur, qui supra facultatum suarum modum aliquid alea aut luserant, aut amiserant.* Idem.

ÆGYPTII.

Ægyptiorum lege seu jure olim cautum erat, aleatorem omnibus accusare volentibus noxium esse inque latomias detrudendum. M. Mantua in *Polymath. lib.* VIII. *cap.* III.

AGARENI seu MAHUMETISTÆ.

Apud Agarenos seu Mahumetistas, *lusores pro pecunia quocunque genere lud, ignominia afficiuntur, & deinceps graviori supplicio.* Gregor. Tholosan. *Syntagm. Juris, lib.* XXXIX. *cap.* II.

JURIS-CONSULTI.

Apud Juris-Consultos, *condictio indebiti competit ei, qui victus alea, sciens ultro solvit, id quod alea amisit.* Cujacius *l.* III. *Cod. tit.* 43. *de relig.*

Nec non *Ludentes quotidie ad aleam, & tabernarum frequentatores inter infames habentur, & proinde a testimonio repelluntur, ut in Constitut.* Mores dissoluti. Petrus Follerius.

JUS CIVILE.

Jure Civili animadversum est

1. In aleatores; *Senatus-consultus enim vetuit omnino in pecuniam ludere, aut sponsionem ejusmodi, lusus gratia facere.* Wesembecius *Digest. lib.* II. *tit.* 5.

Hinc lucrum *quod in ludo fit est damnatum tum Jure eodem atque prohibitum, ne exigatur.* F. Hotm. *l.* II. *de Usuris c.* II.

2. Item receptum est, ut susceptori aleatorum (qui aleatoribus ipsis longe nequior est) impune fiat furtum & injuria damnumque detur impune. Ait autem Prætor: SI QUIS EUM APUD QUEM ALEA LUSUM ESSE DICETUR, VERBERAVERIT, DAMNUMVE EI DEDERIT, SIVE QUID EO TEMPORE DOMO EJUS SUBTRACTUM ERIT, JUDICIUM NON DABO. *Pandect. l.* II. *tit.* 5 *de aleat.*

Prætor igitur in odium flagitiosi hospitii præbiti, susceptorem aleatorum verberatum, ac ubicunque & quandocunque occasione tamen ludi infortunio mulctatum non vindicat: adeo ut furtum domi ejus eo tempore quo luditur, impune fiat. Wesemb. *Digest. l.* II. *tit.* 5.

3. Qui cogeret aut compelleret alios ad ludum gravi mulctabatur quoque pœna. Ideoque ait Prætor: IN EUM QUI ALEÆ LUDENDÆ CAUSA VIM ALICUI INTULERIT, UTI QUÆQUE RES ERIT, ANIMADVERTAM. *Pandect.* ubi supra.

Etenim is vel in latomias, vel in lapidicinas, vel in vincula publica detrudebatur, unde rursus Prætor: SI QUIS ALTERUM COEGERIT AD LUDUM, SUMETUR DE ILLO SUPPLICIUM, UT VEL IN LATOMIAS VEL IN PUBLICOS CARCERES CONJICIATUR. *Ibidem.*

Durius hoc tibi videtur? Minime: *Quicunque enim simplices ac incautos juvenes & adolescentes suasionibus, blanditiis, malitiis, ac similibus illecebris ad alearum frequentationem pertrahunt, ii non ut aleatores simplices; sed multo gravius plectendi sunt ad arbitrium Judicis, ob illatum offendiculum, & læsam alterius innocentiam.* Jodocus Damhouderus.

PATRES.

Augustinus *lucrum alea acquisitum Victori adimi præcipit & in pauperes erogari; ut qui perdidit afficiatur damno, & qui lucratus est, non fruatur malo partis.*

Nunquam male partum, bene proderit possidenti.
Per scelus immensas quid opes cumulare juvabit?
Turpiter e manibus res mala parta fluit. [1]

Bonaventura *in Spec. animæ cap.* II. inquit: *Quod ex ludo habetur, nullo titulo possidetur, nec potest retineri, sed debet pauperibus erogari, quia enim, qui in ludo lucratur, injuste lucratur; & qui amittit, injuste amittit: ideo qui lucratur eidem a quo lucratur, restituere non tenetur, nisi forte induxerit ad ludendum.*

Si vero non restituat, at pecuniam apud se retineat, profecto nulla bona conscientia retinere potest, injusti lucri injustus est possessor, unde *Aleatoris Eleemosyna inutilis est & nihil apud Deum:* Idem in *Sentent.* l. I. distinct. XXV. part. II. art. II. quæst. I. in conclus. ad 4. *Oblatio (enim) de rapina reprobatur,* In *Jure Canon.* cap. XIV.

Atque, *Eleemosynæ & sacrificia non placent Deo, quæ offeruntur ex scelere.* *Esa.* LXI 8.

IMPERATOR JUSTINIANUS.

Justinianus Imp. *statuit Publicationem domus aleatoris: Ita namque domus, ubi falsæ tractabantur aleæ imo ubi quævis exercebantur ex consuetudine aleæ, ex jure cedebat fisco.* Jodocus Damhoud. *lib. si fluvius col. l. nemo humanum.*

Imo tanto odio digna alea ipsi visa, ut *non tantum ipsum locum & ædes in quibus luditur confiscare voluerit, quin prorsus destrui jussit, atque vetuit ne in posterum in iis mortalis quisquam habitaret, tanquam perpetua Dei ipsius ira in eo loco mansura, propter sacrosancti Dei Nominis blasphemias, Diaboli invocationes fœdissimas, & Dei ipsius abnegationes horrendas.* Danæus *De alea.*

REX GALLIÆ CAROLUS VII.

Serenissimus Galliarum Rex Carolus VII in suis diplomatis anno MCCCLXIX. omne genus ludorum prohibuit, quod tractant inhonesti illi circumforanei: veluti aleas, tabulas, fritilla, regulas, globos. &c. quæ nulli corporali exercitio conducunt, nec ad suorum Nobilium palæstram exercendam sunt instituta, aut ad defensionem Regni. *Illis enim inertibus lusibus pœnam indixit quadraginta solidorum Parisiensium pro suo Fisco, quoties reperti fuissent, hujusmodi ludos tractasse.* Jodocus Damhoud *Prax. p.* 307.

PLACITA CURIARUM SUPREMARUM GALLIÆ:

Sunt & Placita Curiarum Supremarum Galliæ, quæ ludos aliquos vetant omnino, potissimum sacris diebus & horis, quibus oportet divinis interesse concionibus vel orationibus: *neve quis aleatoria vel loca publica ad latrunculorum seu metarum ludos exhibeat pœna corporali indicta.* Gregor. Tholos. *Syntag. Juris* lib. XXXIX. cap. II.

[1] Anonymus.

Solent & Polit.ci Judices, *hos lusores publicos, festis maxime diebus deprehensos, ad torquem infamem damnare*. Idem *ibidem*.

FRIDERICUS III. ELECTOR PALATINUS.

Anno MDLXIII. Sereniſſimus & Potentiſſimus, pientiſſimuſque Princeps Fridericus III. Elector Palatinus, præter alios flagitiis quibuſdam pollutos, Aleatores a Cœna Domini quoque arcendos eſſe conſtituit forma adminiſtrationis & celebrationis ſacroſanctæ Dominicæ, hiſce verbis: *Quapropter nos quoque ex mandato Christi & Apostoli Pauli, omnes illos qui ipsi sibi conscii sunt, pollutos se esse sequentibus flagitiis, monemus, ut ab hac mensa Domini abstineant, ipsisque denunciamus nullam ipsos partem & communionem Christi habere; cujusmodi sunt omnes qui demortuos sanctos, Angelos, aliasque creaturas invocant, qui simulachra colunt, omnes magi & divinatores*, &c. *Omnes perjuri, homicidæ, rixatores, adulteri*, &c. *Aleatores avari; denique omnes qui scandalo obnoxiam vitam degunt. Hi omnes quamdiu in hujusmodi flagitiis perseverant, certo certius sciant, secumque statuant sibi ab hoc cibo, quem Christus solis suis Fidelibus instituit & adornavit, esse abstinendum, ne judicium & condemnatio ipsorum tanto reddatur gravior*. Johan. Schneidewinus *l.* IV. *de act.*

1. Cum profanis etiam Poetis extorta hæc fuerit confeſſio, ſceleſtos a ſacrificiis templiſque procul arcendos eſſe. Noſterque Salvator hoc unum inculcet: *Ne date quod sanctum est canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis? ne quando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos*. *Matth.* VII. 6.

Sit & nobis hoc ratum, ſacroſancto hoc epulo, quod fidelibus proprium eſt, porcos & canes, id eſt, impudentes & voluptuarios (*quorum Deus est venter*, *Philip.* III.) aleatores prohibendos eſſe.

2. Idque, ne eo pacto fœdus Dei profanetur, & ira Dei in univerſum cœtum concitetur; unde & Apoſtolus II. *Corinth.* VI. 14. pronunciat *nullam luci cum tenebris communionem esse, nec Christo cum Belial*.

Item, I. *Corinth.* X. 21. *non posse nos poculum Domini bibere, & poculum Dæmoniorum, nec posse mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum*.

Atroce igitur contumelia Deum afficitis vos aleatores, qui Domini Sacramento communicare non veremini in templo, *vitam tamen in popinis & comessationibus* (privatim) *terentes*. Tacitus lib. II. *Hist.*

Recte fecit Princeps Fridericus, qui vobis non permiſit communicare: *quumque alea damnosa sit Reipublicæ, optarem omnibus Provinciarum & civitatum Rectoribus eandem in aleatores animadversionem, ut ita nobilium aut civium divitum, aut Mercatorum filios aleis lusibusque deditissimos, ad saniorem Reipub. frugem præstandam, compellerent*. Jodocus Damhoud. *Prax.* p. 507. c. 126.

CAP. XI.

Aleæ lusum contemnendum, Deoque summopere displicere, ex ipsis aleatorum æternis pœnis convinci.

QUID aleatos ad hæc quæ diximus? Fortaſſis inquiet: Tempus illud abiit, evaſit, *novi legum opportunitates mutari atque flecti, neque uno statu consistere, quin ut facies cæli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus variantur*. A. Gellius *l.* XX. *c.* I.

Proinde, *Nunc hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat*. Terentius in *Andria*.

Itane, mi Juvenis, priora flocci facis? Ne ſic, precor, legum mutabilitatis ſpes te ad aleam audentiorem faciat, crede aleatorum *nec sine pœna unquam erunt vitia* [1].

Utcunque facta dignà plecti legibus
Fallant acumen Judicum, aut vitent manus;
Se nemo fallet effugitve, nec nocens
Quisquam supremo creditori decoquit [2].

Et, ut ait ille [3],

Εἱμαρμένον τῶν κακῶν βȣλευμάτων
Κακὰς ἀμοιβὰς ἐςὶ καρπῶσθαι βροτȣ́ς.
Fatale prorsus est malis mortalium
Pœnas rependi pessimas conatibus.

Quod cum ita ſit, *de Malorum inseparabili pœna dubitare sapiens nequit*. Boetius *lib.* IV. *pros.* III.

Ea autem inchoatur ſæpe in hac corporali vita, verum in altera pleniſſime completur ac perficitur.

1. Quod ad hanc vitam: *Deus profecto justissimus ideo in hoc mundo severissime punit lusores; aliquando enim vexati sunt terribiliter a Dæmone, aliquando os eorum inversum est ad partem posteriorem; aliquando fulgure percussi*. Joannes Aquilan. *feria* II. *Quinq.*

Guilelmus Paraldus Ord. Præd. in *Summa*, inter exempla II. *Præcepti*, refert, quod *dum lusor quidam ludendo juraret per oculos Dei, continuo ejus oculus ex capite exiens, coram omnibus super mensam lusoriam cecidit*.

Andreas Hondorffius in *Theatro*, hanc narrat hiſtoriam: *Aleator quidam, cum omnis suæ pecuniæ, unico numulo excepto, fecisset jacturam, furiosa concitatus iracundia, abominandis execrationibus Deo maledixit, seque Satanæ dedidit; qui tandem eo abducto, oblata sibi præda potitus est*.

Ecce, quomodo

— nec scelestos invicem
Relinquit insons pœna, claudenti pede.
Cum provocatus contumeliis dolor,
Cœleste Numen implet ira vindice [4].

2. Videamus pœnas ipſis poſt hanc vitam irrogatas, ſeu malis adhuc irrogandas; quæ ſcilicet ipſos a corpore ſolutos tangunt & angunt: etenim impiis aleatoribus *ὁ ζόφος τȣ σκότȣς εἰς τ̀ αἰῶνα τετήρηται*: *procella tenebrarum servata est in æternum*. *Jud. Ep. vers.* 13.

Erat Imperator CLAUDIUS aleæ ſtudioſiſſimus, *qui & Lusorium conscripsit opus*. Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

Atqui hunc apud Inferos ludere Seneca in ſua *Apocolocynthosi* ſcribit. *De genere pœnæ*, inquit, *diu disputatum est, quod illum pati oporteret. placuit novam pœnam excogitari debere: instituendum illi laborem irritum, & alicujus cupiditatis species sine fine & effectu. tum Æacus jubet illum alea ludere pertuso fritillo. Et jam cæperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere*.

Idque verſibus eleganter expreſſit, inquiens:

Nam quotiens missurus erat resonante fritillo,
Utraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti
Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic cum jam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio volvuntur pondera collo.

Huc uſque Seneca; qui veritatem ſuis involucris involvendo obſcuram ambiguamque proponit, more Poetarum aut Philoſophorum; *qui veritatem injuste detinent*: *Rom.* I. 18.

Atque *deserentes iter rectum, devios sequuntur anfractus; planum deserunt, ut per præcipitium labantur; lucem relinquunt, ut in tenebris cœci ac debiles jaceant*. Lactantius lib. I. *De falsa doctr.* cap. I.

1 Boetius *l.* IV. *pr.* I. 2 Baudius in *Gnomis*. 3 Menander. 4 Baudius *l.* III. *Sap. Civil.*

Nos relictis vanis opinionibus, in planum Veritatis campum descendamus, ac probemus aleatorum *animarum supplicia, post defuncta corpora relinqui*. Boetius *l.* IV. *pr.* IV.

Qua *de re tota, si unum ex omni antiquitate factum* (seu exemplum) *protulero, plura non dicam*. Cicero *pro Cluent*.

Ruffus Cyrilli Episcopi Hierosolymitani nepos, aleæ fuit addictus, *eandemque ob caussam Inferni cruciatus horrendos perpeti Cyrillo per visionem demonstratus fuit*. Marull. *lib.* VI. *cap.* XIV. ex Cyrilli Episc. *Epist.*

Nec minus, vos aleatores impii (nisi a Deo oretis veniam, quam pro sua misericordia non negabit, nisi perseveraveritis in errore) cum sera hinc rapiet dies,

Tunc vos secunda mors manet. [1]

uippe,

—— hanc legem sanciit Deus,
Ut nemo inultus auferat suum scelus.
Divina lento pœna procedit gradu,
Sed tarditatem pensat usura gravi. [2]

Dicite, dicite, quid vos juvabit alea alios vicisse, *ipsi vitiis victi?* Seneca.

Quid proderit in ludo taxillorum cum Leone Mytilenæo invictos fuisse, cum post hanc vitam æternorum cruciatuum minime vacui *improbitatis suppliciis non carebitis*? Boetius *lib.* IV. *pros.* IV.

Scio, hæc vestra est oratio: *Agite, fruamur præsentibus bonis, & possessione hac, tanquam in juventute utamur; studiose (alea,) vino pretioso, & ungentis impleamur; ac ne prætereat nos jucundus aer. coronemur rosarum calyculis antequam marcescant, Nemo nostrum sit expers nostræ lasciviæ: ubique relinquamus symbola lætitiæ* *Sap.* cap. II. 1. 2. 5.

Quærat compositos manus improba mittere talos. [3]
Nam hæc est portio nostra, & sors hujusmodi. [4]

1 Boet. *l.* II. *metr.* VII. 2 Baudius l. I. *Sap. Civil.* 3 Martial. *l.* XIV. *ep.* XVI. 4 *Sap.* II. *v.* 6.

A *Mentem relaxa, motibus festis facem*
Attolle; curas Bacchus exoneret graves.
Ætate fruere; mobili cursu fugit,
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus.
Exultet animus, cur toro viduo jaces?
Tristem juventam solve: nunc luxus rape:
Effunde habenas: optimos vitæ dies
Effluere prohibe. [1]

Et:

-- mediæ nequeant te frangere noctes;
Nec tua sit talos mittere lassa manus. [2]
Lætitia juvenem, frons decet tristis senem.
Quid te coerces? [3]

O misera vitæ ratio, quæ residet jucunde in voluptate! [4] O infelix portio! O sors mala, cui licet
B
-- nigrum præfigere Theta! [5]

Etenim,

Ut herba solstitialis occidi repenst,
Sic fluxus vobis gaudii seges perit. [6]

Istaque ablata & evasa,

Heu quanta moles imminet tibi mali,
Miserande! quantis obruere luctibus! [7]

Quantum te glorificaveris, & in deliciis fueris, tantum dabitur tibi tormentum & luctus. *Apocalyp.* XVIII. 7.

C *Lætare* (igitur) *Juvenis in juventa tua, & exhilaret te animus tuus diebus juventutis tuæ; perge in viis animi tui, & aspectibus oculorum tuorum: sed cognosce fore, ut propter omnia hæc adducat te Deus ipse in judicium.* *Eccl.* XII. 1.

Tu *potius recordare novissima, & non peccabis in æternum*: ibidem *c.* VIII. *v.* 38.

Tuamque vitam sic perage, ut omni tempore & apud omnes hæc verba possis dicere; *Ludentibus nunquam me miscui.* *Tob. c.* III.

1 Seneca in *Hippolyto*. 2. Propertius *l.* II. *Eleg.* XXXIII. 3. Seneca *loc. cit.* 4 Cicero. 5 Persius, 6. Baudius l. III. *Sap, Civil.* 7 Buchanan. *Jepht.*

LIBRI SECUNDI FINIS.

DANIELIS SOUTERII
DE
LUDIS VARIIS,
LIBER III.

CAP. I.

Honesta Exercitia concedi.



LICET aleæ fritillique lusum ex albo honestorum Ludorum expungamus non propterea laqueos conscientiæ injicimus, quasi Christiano Juveni non liceat animum a seriis studiis aut negotiis revocare, aut ludo recreare: *Distinguenda est lectio Juvenum, & alacri fatigatione & innocentis audaciæ gaudiis*. Q. Aurel. Symmachus *l.* v. *Ep.* LXIV.

F Homo autem aliqua remissione ac voluptate opus habet; unde recreetur. *Ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas, ita animorum impetus assiduus labor frangit; vires recipient paulum resoluti & remissi.* Seneca *de Tranq.* cap. LI. Hinc Ovidius *Epist.* IV.

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

Quippe *animus hominis arcui similis est, qui nisi honestis recreationibus remittatur, frangitur*. Anacharsis.

Quocirca bene ille monet:

Arcus, & arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ:
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Velut

Veluti igitur arcus, sic ingenii nostri acies remittenda: atque animus relaxatione a terrenis curis & gravibus studiis, ne nimio pondere obruatur & hebescat, opus habet. Quem in finem (si honesta & licita gaudia intelligas) opportune Dionysius Cato in *Moral.* ad gaudia nos excitat, hoc carmine;

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

Augustinus *l.* II. *de Musica* ait, *Sapientis esse interdum animum a seriis rebus revocare.*

Id autem maxime fit ludo. Quare animi jucundæ & honestæ oblectationes sunt licitæ: tum vel præcipue, si hæ cautiones honestæ adhibeantur.

Primum, *Ne verba turpia & inhonesta ludis admisceantur. Non raro enim cernitur inter ludendum tum obscœna, tum blasphema verba excidere.* Martyr. *in Judic.* XIV.

2. *Videndum item est, ne levitas nimia, & dissolutio decori & gravitatis interponatur. Nam crebo fit ut homines ita se prorsus effundant in ludos, ut deinceps nihil possint graviter cogitare.* Idem *ibidem.*

Animus ludentis debet semper esse inter ludendum *humilis & prudens, ut per humilitatem non superbiat: & per prudentiam moderate se gerat, neve cor ad lasciviam feratur.* Isidorus lib. III. *De summo bono.*

3. Sunt *præterea circumstantiæ diligenter attendendæ; personæ, inquam, loci & temporis.* Petrus Martyr *loco cit.*

4. Sicuti *cavendum semper, ne genera ludorum sint noxia & exitiosa, ita ut periculum sit, ne in ipso ludo qui se exercent, vel qui ad spectandum convenerunt, misere lacerentur ac mutilentur.* Idem *ibidem.*

Atque ut de honestis quibusdam ludis planius loquamur, commodum erit istos ludos in suas formas ac species distribuere.

CAP. II.

Summos viros & multa laude insignes, lusu aliquando & rebus ludicris indulsisse.

QUUM hominum vita eo sit condita temperamento, ut labori quies, quieti labor vicissim succedat; atque ita utrumque alternas vices commutet, ut neque animus assidua meditatione, neque corpus continuo labore frangatur: neque rursus utrumque jugi desidia torpescat: inde factum videmus, ut *clarissimi duces aut sapientiæ professores animum diversis studiis jocisque remiserint.* Alexander ab Alex. *lib.* III. *cap* XXI.

Ita, inquam, comparatum est humanum ingenium, ut non minus ludum interdum, & oblectamentum aliquod, quam negotium, sibi quærat [1]. Neque viri vel gravissimi, a Natura, aut Fortuna, ad res maximas sevocati, tam severe vitam unquam exegere, quin & nugas seriis suis, atque lusus, interponerent.

Quin, ubi se a vulgo, & scena, in secreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia LælI,
Nugari cum illo, & discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti [2].

Magnus ille Agesilaus memoratur cum infante filio arundinem ascendisse: Ælianus *lib.* XII. *cap.* XV. Postquam enim diuturnam operam publicis rebus multa cum laude impendisset, avocamenta recreandi animi atque instaurandi gratia sibi conquisivit, cum filio

—— *equitando in arundine longa* [3].

Quod videnti & reprehendenti amico cuidam, *Tace, inquit, tantisper, donec pater fias.* Ælianus *ibidem.*

Tarentinus Archytas cum pueris & servitiis lusus agitabat, hisque oblectabatur plurimum; Alexander ab Alex. *loco citato.*

Κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος, ἐν δὲ βυλαῖς πρέσβυς:
Nam ille inter pueros juvenis, in consiliis vero senex [1].

Cosmus Medices jam senex, & Patriæ Princeps, nepotibus parvis collusisse fertur; & ex his uni petenti avenam sive fistulam in medio foro aptasse, & mirantibus cunctis dixisse: *Bene habet, quod a me non contenderit, ut eam inflarem.* Volaterranus *lib.* XXIX.

Quod & de Hercule illo portentorum domitore fertur; *qui cum puerulis interdum collusit, eo ut modo curas animi & labores levaret ac remitteret.* Idem *ibidem.*

Socrates, dum animo vacaret, cum pueris minutis, & facie liberali, jocari assueverat. Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI.

Idem ab Alcibiade quandoque deprehensus est cum Lampocle infantulo colludens. Laertius.

Scipio Africanus conchas maris legendo sæpe remisit curas. Alex. ab Alex. *ibid.*

Et *Cato Censorius cum verna & famulatu animum relaxavit.* Idem *ibid.*

Humaniter enim agere novit, & affectum sumere tempori congruentem. Pindarus *Pyth.* VIII.

Heraclitus quoque Ephesius, quum a negotiis quiesceret, astragalis lusisse fertur. Alex. ab Alex.

In Flandria *vidi ego mulieres talis ludentes, quos vario colore pictos vel ex ebore factos habebant: quemadmodum Veteres præter naturales talos, ex alia materia factis usos esse memoriæ proditum est.* Polydorus Virgilius *lib.* II. *cap.* XIII.

Attalus Asiæ rex hortum pro deliciis coluit, nonnunquam fundendis statuis otium occupavit. Alexander ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI.

Memoratur Alexander Severus Imperator perdicum & catulorum pugna se oblectasse. Idem *ibidem.*

Veluti illi quorum ætas, nobilitas, aut corporis robur id patitur, venationibus aut aucupiis, aut aliis excursionibus se exercent. *Neque prætereundum quod de Demetrio proditum est Poliorcete, qui post negotia, bellicas machinas: & de Europo Macedoniæ rege, qui in otio lucernas fabricavit.* Idem *ibid.*

Parthorum quoque reges, quum otium superaret, cuspides acuisse feruntur. *Ibidem.*

Et Dionysius Junior, cura belli solutus, plaustella, mensas, & sedes mira arte compegit. *Ibidem.*

Attalus vero Philometor pro oblectamento habuit, elleborum, aconitum, & cicutam, venenosasque herbas plantare, ut fructum inde legeret. *Ibidem.*

Monemus interim Juvenes, ut honestissimas voluptates sequantur: *Juvenes enim ut bonis moribus se informent, abstinere debent a pravis* (& inhonestis) *ludis:* Cyrillus.

Nec non a levitate nimia, quæ moriones decet. Præstat optima quæque, exercendi corporis & animi vegetandi causa, ludorum genera eligere: ut isto pacto aptiores ad justas virtutis actiones revertantur.

CAP. III.

Quatuor ludorum genera Homero commemorata.

APUD Homerum quatuor ludorum genera commemorantur. 1. σφαῖρα. 2. δίσκος. 3. αἰγανέα. 4. πεττεία.

1. Meurs. in *Epist. ad P. Scriverium.* 2. Horat. *lib.* II. *Sat.* I. 3. Idem *ibid. Sat.* III.

1. Pindarus *Pyth.* IV.

De Sphæra ſive pila, *Odyſſ. ΙΙ. v. 99.*

Αὐτὰρ ἐπὶ σίτε τάρφθεν δμωαί τε, καὶ αὐτή·
Σφαίρῃ ταὶ τ' ἄρ' ἔπαιζον ἀπὸ κρήδεμνα βαλοῦσαι.
Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς.

Id eſt:

Sed poſtquam ſaturatæ ancillæque & ipſa,
Pila ipſæ ludebant, redimicula abjicientes,
His Nauſicaa candida exorſa cantilenam.

Hic luſus, quo ad pilam ſaltabant, maximo laborioſus, dictus eſt Phæninda ab inventore Phæneſtio: ſive (ut alii [1] volunt) *παρὰ τὸ φαίνεσθαι*, *ab elegantia & efficacia illius ſaltationis*. Ariſtonicus Caryſtius luſit optime Sphæricam, hoc eſt, pilarem ſaltationem. Fuit enim Alexandri Magni *Σφαιριστής*, id eſt, *a pila*, qua ſeſe Rex ille exercebat. Athenæus *lib.* I. & Suidas.

Vide de hoc ludo, qui ad Phæneſtium inventorem refertur, doctiſſimum Meurſium in Ἐφετίνδα, aureolo libello *De Ludis Græcorum*, pag. 16. 17. & 18.

2. Secundum ludi genus apud Homerum *ὁ δίσκος* eſt. Quum dixiſſet Homerus *Odyſſ. θ'.*

Λάβε δίσκον μείζονα καὶ παχετόν·

Id eſt:

Sumpſit diſcum majorem & craſſiorem,

Subjungit,

Τόν ῥα περιστρέψας ἧκε στιβαρῆς ἀπὸ χειρός.
Βόμβησεν δὲ λίθος.
Hunc circumrotatum miſit valida e manu.
Sonuit autem lapis.

Hujuſmodi ludis illi ſe exercuerunt ante cœnam. Δίσκος, *Diſcus fuit orbis ex ferro, ære, lapide, aut ligno, qui exercendi corporis cauſa in auras projiciebatur.* Euſtathius. Horatii vetus Interpres *ad Od.* VIII. *lib.* I.

— *Sæpe diſco, Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.*] *Diſcus erat rotula quædam lignea apud Romanos inſtar ſcuti magni ponderis, qui jactabatur in altum, ſeu æqualiter ſuper terram, ut experirentur quis fortius brachium haberet.* Unde & a verbo *δικεῖν*, quod eſt *βάλλειν*, hoc eſt, *jacere* dictum volunt. Volunt & *δίσκον* ut plurimum fuiſſe lapidem rotundum in medio pertuſum, ſeu perforatum, annexo funiculo, quo projiceretur. Et, ut ille [2] ait, Diſcus *fuit inſtar pilæ æneæ, quæ brachiorum viribus excepta, & in altum miſſa, exercebat corpora, animoſque: ita ut quantum quiſque viribus præſtaret, maxime eniteret. Namque is fortior & præcipuo robore habebatur, qui illum ultra ſignatum geſſiſſet ſcopum,* Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI. Unde Propertius *lib.* III.

Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Horatius *Sat.* II. *lib.* II.

Seu te diſcus agit; pete cedentem aera diſco.

Et Martialis *lib.* XIV. *epigr.* CLXIV.

Splendida quum volitent Spartani pondera diſci,
Eſte procul pueri: ſit ſemel ille nocens.

Alludit ad mortem Hyacinthi pueri, qui jactu diſci ab Apolline eſt interfectus, & in florem ſui nominis mutatus. De quo vide Ovidium lib. x. *Metamorphoſeos.*

Homerus *Odyſſ. θ'.* teſtatur, quod

Δίσκῳ δ' αὖ πάντων προφερέστατος ἦεν Ἐλατρεύς,
Diſco præſtantiſſimus erat Elatreus.

Idem teſtatur, quod

Μνηστῆρες δὲ πάροιθεν Ὀδυσσῆος μεγάροιο
Δίσκοισιν τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες
Ἐν τυκτῷ δαπέδῳ ὅθι περ πάρος ὕβριν ἔχεσκον,

Id eſt: *Proci ante Ulyſſis ædeis diſcis delectabantur, & jaculis mittendis in facto pavimento, ubi antea injuriam habuerant.*

Hujuſmodi diſco videntur hodie uti noſtri mimi & hiſtriones, qui quæſtus gratia coram populo geſticulantur, dum neſcio quid ad formam diſci rotundum & æreum jaculantur in aerem, deinde virga excipiunt. Quos *diſcobolos* appellant, ſeu, *Diſci jaculatores*. Plinius *l.* XXXV. *c.* XI.

Inter Adagia relatum quoque vocabulum *Diſci*, hoc pacto: *Diſcum, quam Philoſophum audire malunt.* Eraſmus. Idque refertur ad vulgus hominum, quod propenſius eſt ad quaſvis ineptias & voluptates, quam ad frugifera, & utilia. Quod eleganter expreſſit M. Tullius Cicero lib. II. *de Orat.* cujus verba ſunt hæc: *Auditores diſcum audire quam philoſophum malunt; qui ſimul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus & graviſſimis diſputantem philoſophum omnes relinquunt: ita leviſſimam delectationem graviſſimæ, ut ipſi ferunt, utilitati anteponunt.*

Nec repugno, hoc genus ludi & ſimilia relinquenda, quæ licet natura ſua mala non ſint, tamen per ea multa noxia & exitioſa ſequuntur.

3. Tertium Homeri genus eſt *αἰγανέα*, quodque verſibus paulo ante citatis cum Diſco conjungitur, jaculum vel ſpiculum vel tragulam ſignificat. Dictaque videtur *αἰγανέα*, *quod ἐπιτήδειος εἰς αἰγῶν ἄγραν: quod apta ſit capiendis capris.* Lexicon.

Hinc & *ſpecies haſtæ levis & longæ παρὰ τὸ κατ' αἰγῶν ἵεσθαι, quod in capreas mitteretur.* Euſtathius.

Plautus ab hoc genere exercitii Proverbium ſive Allegoriam ſumpſit ad dolum denotandum, cum inquit *Epidico* Act. V. Sc. II.

Tragulam in te injicere adornat; neſcio quam fabricam facit.

Rurſus in *Pſeudolo* Act. I. Sc. IV.

At volui injicere tragulam in noſtrum ſenem.

4. Quartum genus eſt *πεττεία*, ſive *πεττευτικὴ παιδία*: id eſt, *calculorum ludus*. ut *Odyſſ. α'.*

Πεσσοῖσι (proci) *προπάροιθε θυράων θυμὸν ἔτερπον,*

Eſtque *πεττεία* (ſecundum opinionem quorundam) luſus latrunculorum. De quo Martialis *lib.* XIV. *epigr.* XX.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Sed de hoc ludo abunde lib. I. diximus. Scimus apud Homerum hunc ludum Heroibus tribui; at quid nos de eo ſentiamus, ibidem diſſeruimus. Monitos interea volumus Juvenes probos, ut eligant ſibi tutiſſima exercitia, caveantque ab exitioſis; cum aliqua remiſſione & voluptate opus habeant. A negotiis autem ſtudiiſque, iſta *ludendi licentia ſibi danda eſt, quæ ab honeſtis actionibus non eſt aliena.* Cicero *l.* I. *Offic.*

CAP. IV.

Pilæ ludus.

INTER exercitia & recreationum genera Romanæ Juventutis, magnæ commendationis fuit ludus pilæ; cujus & ſtudio clari viri illuſtreſque exercendi corporis cauſſa dediti fuere. Pila delectatus Scævola, quem ex Valerio didicimus *optime pila ludere ſolitum, remiſſo a negotiis animo.* Volater. *lib.* XXIX.

Qua & Julius Cæſar & Octavius ſtudioſiſſime luſere. Alex ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

Et *de Dionyſio tyranno traditur, quod pila & folliculo aſſidue luderet.* Idem *ibidem.*

Tranquillus in *Flavio Veſpaſiano*; *Valetudine proſpera uſus eſt, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces cæteraque membra ſibimet ad numerum in Sphæriſterio* (locus is pilæ luſioni deſtinatus) *defricaret.*

1. Pollux *lib.* IX. 2. Dionyſius Lambinus *Com. in Horatium lib.* I. *od.* VIII.

Sed tamen pila Juvenum lusus erat, frequens in Martio campo fieri solitus, exque his altera paganica, trigonalis altera, in qua sinistræ usus præcipuus traditur. Namque illius impulsu magis, quam dexteræ, ludus agebatur: cujus erat usus vel maxime in corporis motu, & agilitate, ut sciret apte pilam jacere atque excipere, modo incurrere, modo recurrere. Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

De Phæacum juventute Homerus *Odyss.* VIII. ex Volaterrani interpretatione.

Ille pilam dextra missurus ad astra, reflectit
Terga retro, rursusque ad magnum protinus ictum
Consurgens, terram procumbit pronus ad imam.

Hinc & Seneca *De benef. l.* II. *c.* XXXII. *In lusu est aliquid, scite ac diligenter pilam excipere; sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte & expedite remisit, quam exceperat.*

Pilæ *inventorem primum* dicit Plinius *fuisse quendam Pythum. l.* VII. *c.* LVI.

Herodotus *lib.* I. *Lydos* ait *omnium primos fuisse, qui ut aleam, tesseramque, & cætera lusoria animi recreandi gratia invenerunt, pilæ lusum primo quoque invenisse.*

Alii pilæ inventricem fuisse ajunt *Anagallem puellam Corcyræam, quam dono dedit Nausicaæ Alcinoi regis Corcyræi filiæ.* Ælianus & Volaterranus *lib.* XXIX.

Quod sic varietur inter Scriptores, puto in causa esse plura pilarum genera; adeo ut hic de hac, ille de alia pila, quod dicit, intellexerit. Quatuor autem sunt pilarum genera.

1. Pila vulgaris, quæ & Paganica. De qua Martial. *l.* XIV. *ep.* XLV.

Hæc, quæ difficili turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

2. Follis (qui & pilæ genus, constatque ex aluta vento inflata) puerorum præcipue & senum lusibus conveniens est. Hinc idem *l.* XIV. *ep.* XLVII.

Ite procul Juvenes, mitis mihi convenit ætas;
Folle decet pueros ludere, folle senes.

3. Tertium pilæ genus trigonem, & trigonalem pilam appellarunt; quod ea in trigone lusitare solebant. De hac pila trigonali extat epigramma apud eundem Poetam, *lib.* XIV. *epig.* XLVI.

Si me mobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis rustice, redde p[illegible]m,

Ubi vide eruditissimi viri P. Scriverii Animadversiones: &, si me audis, nom dubitabis ex ingeniosa illius emendatione rescribere:

Si me scis PolybI levis(vel *Libys*) *expulsare sinistris.*

Nam idem Poeta (agens de *Polybio*, qui suo ævo fuit lusor nobilis & famigeratus) ait, *l.* VII. *ep.* LXXI.

Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet PolybI magis sinistras.

4. Quartum genus pilæ fuit Harpastum: (Anglis *foetbbal*) *quod volubili rotunditate in solo jactatur: qui ludus, Polluce autore, fiebat ut Juvenes in geminas divisi turmas, intra lineas seu metas consisterent: barpastoque posito in medio quisque contenderet, ut intra gyrum alterius lineæ immitteretur; quod si contingeret, victores erant.* Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

Laboriosum ludi genus est, grandioribusque tantum conveniens. Quum enim multi simul pilam arripere conantur, in terram se invicem prosternunt, pulvereque & sudore infecti flavescunt. Martialis *lib.* IV. *ep.* XIX.

Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive barpasta manu pulverulenta rapis.

His quatuor pilarum formis vulgaribus, addo quintam, admirandam illam, nempe vitream; cujus inventor *Ursus Togatus*. Meminit ejus marmor antiquum; cujus Inscriptionem luculentam viri Antiquitatis studiosissimi & scientissimi Marcus Velserus II-vir olim Augustanus in *Rerum Augustanar. Commentar.* p. 244. & Janus Gruterus V. Cl. & Bibliothecarius Palatinus *in Opere Inscript.* pag. 637. cum multis aliis monumentis priscis exhibuerunt. Eam ipsam, suasu Cl. Scriverii, cui indicium debeo, heic adponam, quod versus concinni, festivi, sciti, atque elegantes sint; quamquam non omnes usquequaque constent, ut sæpe alias in hujusmodi monumentis Antiquitatis. Ita igitur marmor Romæ ad D. Petri *An.* MDXCII. effossum:

Ursus Togatus, vitrea qui primus pila
Lusi decenter cum meis lusoribus,
Laudante populo maximis clamoribus,
Thermis Trajani, thermis Agrippæ & Titi,
Multum & Neronis, si tamen mihi creditis
Ego sum, ovantes convenite pilicrepi,
Statuamque amici floribus, violis, rosis,
Folioque multo, adque unguento marcido
Onerante amantes & merum profundite
Nigrum Falernum, aut Setinum, aut Cæcubum,
Vivo ac volenti de apotheca dominica,
Ursumque canite voce concordI senem
Hilarem, jocosum, pilicrepum, scholasticum,
Qui vicit omnes antecessores suos,
Sensu, decore, adque arte suptIlissima.
Nunc vera versu verba dicamus senes;
Sum victus ipse (fateor) ter a Consule
Vero patrono, nec semel, sed sæpius,
Cujus nunc libenter dicor exodiarius.

Sed de vulgari pila, qua in sphæristerio luditur, Homerus *Odyss.* ζ. *v.* 115.

Σφαῖραν ἔπειτ᾽ ἔῤῥιψε μετ᾽ ἀμφίπολον βασίλεια.

Et *Od.* θ΄. *v.* 371. Halius & Laodamas *σφαῖραν καλὴν μετὰ χερσὶν ἕλοντο Πορφυρέην*, quam alter *ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα, Ἰδνωθεὶς ὀπίσω:* alter vero, *ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ᾽ ἀερθεὶς, Ῥηϊδίως, μεθέλεσκε, πάρος ποσὶν οὖδας ἱκέσθαι.* Ubi docet quæ *σφαιριστικῆς* ratio fuerit suo tempore. Et fortasse eadem hæc est, cum ea quæ *οὐρανία* dicitur, ex eo nomen sortita, quod pila in cœlum pene jactaretur, quod Homerus dicit *ποτὶ νέφεα σκιόεντα.* Nam pila ludebant variis modis. Eustathius *ad Odyss.* θ΄. *pag.* 1601. quatuor *τῆς σφαιριστικῆς* species enumerat; *οὐρανίαν, ἀπόῤῥαξιν, ἐπίσκυρον, φαινίνδα.* Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. *φέννιδα* habet. Apud quem est hujusmodi descriptio. Ἡ *δὲ οὐρανία. ὁ μὲν, ἀνακλάσας αὑτὸν, ἀποῤῥίπτει τὴν σφαῖραν εἰς τὸν οὐρανόν. τοῖς δ᾽ ἄλλοις ἐστὶν φιλοτιμία. πρὶν εἰς γῆν αὐτὴν ἐμπεσεῖν, ἁρπάσαι.* Hesychius: *Οὐρανίαν. ὅταν τὴν σφαῖραν ἀναβάλωσιν. καὶ τὴν τοιαύτην δὲ καθόλου παιδιὰν, οὐρανίαν καλοῦσι.* Dicebatur nempe in pilæ lusu, cum alter eam in sublime ejiceret; alter priusquam in terram caderet, assiliens raperet. Pilam Α*πόῤῥαξιν* ex eodem Polluce, & Eustathio *ad Odyss.* θ΄ exponit Meursius. & quæ pila Ε*πίσκυρος*, idem docet: quæque item Φ*εννίς*. De quibus singulis suo loco vir doctissimus, in elegantissimo Commentariolo *De Ludis Græcorum.*

Athenæus *lib.* I. cum scribit: Ε*καλεῖτο δὲ φενίνδα, ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων. ὅτε εὑρετὴς αὐτοῦ, ὥς φασι Ἰόβας ὁ Μαυρούσιος, Φαινέστιος ὁ παιδοτρίβης.* Id est: *Pheninda porro vocabant ἀπὸ τῆς ἀφέσεως* (a projectu) *ludentium. Jubas Maurus ejus ludi inventorem fuisse autumat Phænestium pædotribam*, sive *exercitationum ludimagistrum.* Non vult auctor dicere, a voce *ἀφέσεως* nomen inditum; sed a fallaci pilæ abjiciendæ modo, quod alteri mitterent, cum alteri velle viderentur. Vide omnino Meursium in Φ*ενίνδα*: nec virum magnum audi, qui se frustra in emendando Athenæi isto loco torquet. Ad Phænestium inventorem quod attinet, ejus meminit quoque Antiphanes, apud eundem Deipnosophistam:

Φαινίνδα παίζων ἦει ἐς Φαινέστιν.
Phæninda lusurus ad Phænestium ibas.

Athenæus ibidem dicit ad Nausicaam inventricem referri τὴν διὰ τῆς σφαίρας ὄρχησιν.

Habet Suidas & σφαῖραν ἀείβολον, τὴν ἀεὶ βαλλομένην: qui dixit διὰ σφαίρας παίζειν, & τῇ σφαίρῃ παίζειν; *pila ludere*: quibus synonymum est σφαιρίζειν, & σφαιροπαικτεῖν.

Σφαίρισις, *lusio pilaris*, ut Statius loquitur, in Præfatione lib. IV. *Sylvarum*: *Nam & sphæromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur*. Ciceroni, *ludus pilæ*. Ovidius II. *Tristium*, *jactus pilarum* dicit.

Σφαιριστήριον, locus τῇ σφαιρίσει destinatus: locus in quo pila luditur. Quo vocabulo utitur Suetonius in *Vespasiano*, & Plinius Junior *Epist.* XVII. *lib.* II. Item Lampridius, in *Alexandro Severo*: *Post lectionem*, inquit, *operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursu, aut luctaminibus mollioribus dabat*. Ubi tamen σφαιριστήριον accepit pro σφαίρισις, id est, *lusio pilaris*; de qua idem Plinius *Epist.* lib. III. *Ubi hora balinei nuntiata est, in sole, si vento caret, ambulat nudus; deinde movetur pila vehementer & diu*. Id est, in sphæristerio se exercet pila. Est enim σφαιριστήριον balinei locus, in quo pila solebant exerceri, & post varias exercitationes defricari.

Σφαιριστὴς, *Qui pila ludit, Qui callet artem ludendi pila, jacere excipereque & reddere pilam peritus*. Athenæus *l.* XXII. ἦν δὲ ὁ Λύκων καὶ σφαιριστὴς ἀγαθὸς καὶ ἐπιδέξιος. *Lyconi in pilari lusione magna fuit peritia & dexteritas*.

Σφαιριστικὴ, Athenæus *lib* I. scilicet τέχνη, *Ars, seu scientia, ludendi pila*. Nam & hujus artis doctores erant, qui qua voce, qua scripto, præcepta lusus darent. Ovidius *Trist.* II.

Ecce canit formas alius, jactusque pilarum;
Hic artem nandi præcipit, ille trochi.

Sane Timocrates Lacedæmonius *De ludo pilæ* librum scripsit: συνέγραψε δὲ περὶ Σφαιριστικῆς Τιμοκράτης ὁ Λάκων: Athen. *lib.* I.

Σφαιριστικὴ eodem significatu Deipnosophistæ usurpatum. Ut Πολλοὶ διὰ τὴν σφαιριστικὴν αὐτῷ συναπεδύοντο τῶν Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως φίλων, de Ctesibio philosopho Chalcidensi, qui οὐκ ἀηδῶς ἐσφαίριζε: qui non ineleganter pila ludebat. Et paulo ante: Διαβόντος ἐπὶ σφαιριστικῆς, de Demotele, fratre Theognidis Chii Sophistæ. Et Suidas: Τὴν δὲ σφαιριστικὴν ἔπαιζεν Ἀριστόνικος ὁ Καρύστιος, ὁ Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως συσφαιριστής. Aristonicus ille collusor Alexandri in ludo pilæ, a verbo Συσφαιρίζω, *Una cum alio pila ludo*.

Cæterum strenui σφαιρισταὶ, seu pilæ lusores, semper extitere, qui pilam excipiendi remittendique periti fuerunt.

Manzus Florentinus talis fuit, ἀγαθὸς καὶ ἐπιδέξιος, ut *ex eo quæstum talem factitaret, sumptusque domi multorum famulorum toleraret, paremque nullum seu victorem haberet*. Athenæus *lib.* XII. Volateran. *lib.* XXIX.

Pilæ usus valde & frequens est & usitatus apud Flandros nostros: unde in Flandria plurimi scientia ludendi pila excellentes. Ibi enim Juvenes e ludo prodeuntes, statim se *ad pilam conferunt*. Cicero.

Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque, trochique [1].

Ibi viri *labori assiduo & quotidiano assueti, cum tempestatis caussa opere probibentur, ad pilam se, aut talos, aut ad tesseras conferunt*. Cicero *l.* II. *de Orat.*

Quod Juvenes se pila exerceant, non improbo. Quippe in cujus ludo non modica voluptate mens afficitur, ingenium excitatur, corpusque æqualiter exercetur. Id tantum observare eos velim, ne quid nimis lusorias istas artes tractent. Ne quid eveniat illis, quod de Lauro quodam narrat Martialis, *lib.* X. *epigr.* LXXXVI.

Nemo nova caluit sic inflammatus amica.
Flagravit quanto Laurus amore pilæ:
Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc, postquam desit ludere, prima pila est.

Dicit Laurum nimio pilæ studio & assidua lusione pauperem factum, veste pannosa, & lacerata contemptum; denique hominem prorsus parvæ æstimationis & nulli rei redditum. Nam erant pilæ lusoriæ, quod vel pueris notissimum; & pilæ erant effigies laneæ, quæ suspendebantur in compitis Diis inferis, ut illi contenti ejusmodi imaginibus (vide, & ride seculi fatuitatem) vivis parcerent: nam tot erant effigies, quot circa compita liberi, servi, mulieres habitabant. Inde tractum est, ut vestes fœno farctæ ac fultæ quæ objiciebantur in theatro, tauris irritandis, & exercendis, pilæ dicerentur; quoniam petebantur a tauris, tanquam effigies hominum, &c. Vide Domit. Calderinum *lib.* IV. *epigr.* XLIII. Idem Poeta:

At me (velat toga) *quæ passa est furiosi cornua tauri,*
Noluerit dici quam pila prima suam.

Ne illud, inquam, eveniat equis velisque cavendum. Et, ne ipsis vitio vortatur, quod *Octavio, ex felicissimis, qui in hodiernum diem fuerunt, Imperatoribus, inter plurimas virtutes unicum hoc vitio datum fuit, quod pilæ nimium inde a puero studiosus fuit; quod ei non modo exprobratum, sed etiam interdictum fuit*. Antonius Guevara.

Ut vero olim Imperator vitii alicujus publici notatus, in ordinem illum a Senatu cogi fas erat, Cicero lib. *de Legib.* ita quoque Scholæ præfecti ac Magistri præcavere debent, ne, prætextu relaxandi animi, discipuli ludendo ἀκαίρως tempus misere perdant: at, quos vident ludis nimium indulgere, tenentur in ordinem redigere, versusque istos vulgares inculcare:

Sit modus in [ludo] sint certi denique fines,
Quos ultra citraque, nequit consistere rectum.

Etenim (ut Orator inquit,) *Ludo aut joco uti illis licet, sed sicut somno & quietibus, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.*

Si quis plura de ludo pilæ apud Græcos & Latinos desideret, legat Hieronymum Mercurialem *De arte Gymnastica*, lib. II. cap. IV. & cap. V. ex Galeno, Oribasio, Antyllo, Paullo Ægineta, Athenæo, Clemente Alexandrino, Polluce, Cælio Aureliano, Lapidibus antiquis, & aliis auctoribus. Adeat etiam *Agonisticon* Petri Fabri lib. I. Quæque συλλήβδην retulit Matthæus Raderus *ad Martialis epigr.* XIX. *lib.* IV.

CAP. V.

Nuces.

NEc me latet, *armis quoque, & equis, tum hasta, clava, & pila, lucta, venatione, & cursu exerceri* (Hollandicam) *Juventutem; pariter equum agitare, arma tractare*. Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

De quibus singillatim dicere, (ne hoc opus crescat in infinitum) minime nobis est animus. Tantum hoc notabimus, *ocellatis nucibus* (in Hollandia) *ephebos pueros ludere solitos* exemplo puerorum Romanorum. Idem *Ibidem*. Nam majores quoque hoc usos fuisse ludo, docet illud Persianum, *Sat.* I.

Et nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum sapimus patruos.

Et Epigrammatarii illud *l.* V. *ep. ult.*

Jam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro.

Tranquillus, *Augustum laxandi animi caussa cum pueris facie liberali ocellatis nucibus lusisse dicit*. Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI. ex Suet. c LXXI. Vide ibi Torrentium.

Cum tamen nucum lusus soli pueritiæ sit conveniens. Martialis *lib.* XIV. *ep.* XVIII.

Alea parva nuces, & non damnosa videtur;
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

[1] Ovidius *lib.* III. *de Arte*.

Cum nempe ultra præscriptum tempus pueri nucum ludo indulgerent, de corio suo sæpe magistris suis satisfaciebant.

Genera porro ludorum aliquot enumerat & depingit eleganter Auctor Ovid. *de Nuce:*

Has puer aut certo rectas dilaminat ictu,
Aut pronas digito bisve semelve petit.
Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus.
Per tabulæ clivum labi jubet altera, & optat
Tangat ut e multis quælibet una suam.
Est etiam PAR *sit numerus qui dicat, an* IMPAR,
Ut divinatas auferat augur opes.
Δ Fit quoque de creta, qualem cæleste figuram
Sidus, & in Græcis littera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, quæ constitit intus
Quot tetigit virga, tot capit ipsa nuces.
Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur,
In quod missa levi nux cadat una manu.

Cum dicit Poeta, aleam totam esse in quatuor nucibus,

Cum sibi suppositis additur una tribus.

Respicit illum lusum, quem lusisse cum pueris minutis Augustum ait Suetonius in *ejus Vita* cap. LXXXIII. *Animi laxandi caussa*, inquit, *modo piscabatur hamo: modo talis, aut castellatis nucibus, ludebat cum pueris minutis*. Ita enim legi in vetustissimo codice auctor est Beroaldus. Quod genus lusionis ex veteri consuetudine pueri nostri hodieque usurpant. At ista castella quæ solitus de pomis componere Gallienus Imperator, referente Vopisco, Pollione, nihil cum hac lusione puerili commune habuerunt. Sed apud Suetonium aliter vulgo legitur, etiam in editione Casauboniana: *modo talis, aut ocellatis, nucibusque ludebat*. Et hanc lectionem meliores omnes libros præferre, testatur ibi integerrimus & extra controversiam doctissimus vir. *Oscillatis* qui defendunt, suam rerum antiquarum οὐκ ἐμπειρίαν satis produnt. Nam prorsus ratione omni caret illa lectio [1]: neque defendi prudenter potest. Frustra etiam Brodæus *Ossiculis* legi voluit: neque enim ulla fuit apud Veteres ὀστομαχία, ut ipse putavit, inductus loco Ausonii corrupto. *Ocellata* sunt & hic, & apud Varronem, globuli vel lapidei vel eburnei, vel ex alia qua materia, quibus olim puellæ ludebant, & nunc quoque fit. Ovidius X. *Metamorphoseos*:

—— modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos.

Græci χαλολαΐγγας appellant. Johannes Tzetzes *Chiliade* VII. Λεῖαι λίθοι στιλπνόταται, καὶ μέλαιναι εἰς ἄκρον, ὅμοιαι χαλολαΐγξιν, αἷς παίζουσιν αἱ κόραι.

Est etiam PAR *sit numerus qui dicat, an* IMPAR.) Et hæc fuit inter pueris olim consuetas lusiones non postrema. Suetonius, *Augusto* cap. LXXI. *Si vellent inter se inter cœnam vel talis, vel* PAR IMPAR *ludere*. Horatius *lib.* II. *Sat.* III.

Ludere PAR IMPAR, *equitare in arundine longa.*

Hunc lusum ludere, Græcis Ἀρτιάζειν: &, Ἄρτια, ἢ Περιττά. Vide Meursium, *De Ludis Græcorum*, pag. 5.

Ludere igitur nucibus pueruli in Hollandia & Germania ab antiquis didicerunt.

Cujus etiam ritus meminit Virgilius. *Illi nucibus & talis & pila ludunt: his illi se ludis oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quæ ad prudentiam sunt imperfecta*. Nilus in *Ascetic*.

Grandiori ætati is ludus indecorus, eo quod magis seria tractare debeat. Hinc orta illa dicendi figura, *Nuces relinquere*, pro a nugis & apinis ad res serias cogitationes suas convertere. Erasmus in *Ada-*

A *giis*. Apud Persium & Martialem contra, *Nucibus indulgere*, *Ad nuces redire*, repuerascere est.

Vetustus nuptiarum (ut hoc obiter dicam) mos fuit, quod sponsus sponsam ducens nuces spargeret, utpote jam pueritiæ renuncians; & in virorum adscriptus censu.

Unde Catullus in *Epithalamio carmine:*

Da puer propere nuces:
Concubine, nuces da.
Sparge marite nuces.

Provectiores igitur ætate Juvenes hortor ut neglectis istis puerilibus, ab oblectamenta honori magis inservientia, animosque ad præstantia virtutis B insignia excitantia se convertant, τῇ παιδιᾷ τὰ πρὸς σπουδὴν ἐπιμελετῶντες: *ea quæ sunt seria, per ludum exercentes*. Athenæus *lib.* I.

Quibus ad tempus delectati Juvenes, alacriores tum ad studia & libros revertentur. Optime enim vis tibi, mi fili, consultum?

Sit tibi charta nuces, tua sit tibi charta fritillus.

Martial *l.* XIII. *ep.* I.

CAP. VI.

Ἀλεκτρυομαχία, *sive gallorum gallinaceorum certamen.*

C GALLUS gallinaceus nota avis est, qui ad pugnandum tam propensus, ut ei mos sit, ut ad pugnam assiliat, quo magis lædat calcaribus suis, in hunc usum a natura affixis. Ideoque ab hoc animante promanavit illud adagium. Ἀλεκτρυὼν εἰσπηδᾷ: *Gallus insilit:* ubi quis semel victus redintegrat certamen. Erasmus in *Adagiis*.

In certamine cum superior evadit, tanquam ovans cantum edere solet; ac si cantu se victorem testari vellet: si vero in pugna superatur, trepidans aufugit, alasque summittit, unde in pavitantem dicitur: πτήσσει ὥς τις ἀλέκτωρ. *Trepidat tanquam gallus* D *gallinaceus*. Idem *ibid.*

Meminit & istius proverbii Plutarchus in *Alcibiade*. Ἔπτηξ᾽, ἀλέκτωρ ὡς, κλίνας πτερόν.

Id est:

Pavidus refugit, more gallinacei,
Quum victus alas ille summittit suas.

Certamen gallorum apud Veteres solenniter ac publicitus exhibebatur. *Romæ Ephebi pueri coturnicum & gallinaceorum certamine se recreare solitavere. Quo ludo Antonius & Octavius lusisse, & melioribus omnibus victor abiisse fertur*. Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI.

Unde vero hoc certamen gallorum gallinaceorum initium traxerit, narrat nobis Ælianus, *l.* II. *c.* E XXVIII. *Post devictos*, inquit, *Persas, Athenienses legem posuerunt, ut galli gallinacei quot annis uno die certamen in theatro inirent. Unde vero sumpserit occasionem hæc lex, planum faciam. Quum Themistocles civicum exercitum adversus Barbaros educeret, gallos gallinaceos vidit pugnantes: neque ille oscitanter eos vidit: sed totum exercitum advertens, inquit ad ipsos: At hi neque pro patria, neque pro diis familiaribus, neque vero pro avitis monumentis periculum subeunt, neque pro gloria, neque pro libertate, neque pro liberis; sed tantum, ne alter ab altero superetur; aut alter alteri cedat. Quibus verbis Atheniensium animos confirmavit. Quod ergo nunc eis incitamentum ad* F *virtutem extitit, voluit ad similium rerum factorum memoriam sempiternam consecrare.*

Cum hac *cristata coborte* [1], Viri ac Juvenes in scholis hodie pugnarum spectacula edunt, maxime vero in Flandria nostra, ubi tanquam ad bellum Martis hos pullos alunt, & pugnacissimus, ac bellicosissimus omnium, is maximo in pretio habetur; siquidem iste *qui vincit rex dicitur & imperat:*

1 Ex sententia If. Casauboni.

1 Apulejus *lib.* II.

victus vero asinus, & victoris mandata exequitur. Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI.

Ac cujus gallus in conflictu dejectus ac supplex profugit, risum præbens spectatoribus, non caret ipse *sugillatione ac ridiculi censura cachinni, cum* (victus) *a spectatoribus salutatur*. Valerius Max. *l.* VI. *cap.* II.

Hanc vero crudelem & sanguinariam gallorum pugnam, putarem contrariam mansuetudini ac clementiæ humanæ; siquidem & Juvenes, qui istis oculos pascunt, ad feritatem morum, atrocitatemque animi, aliquo modo concitantur. Quid *Neronis* animum crudelem magis reddit, *quam avium laniones*? Plutarchus. An non & Imp. Commodus pugna ferarum ferus factus, & *ad asperiora perductus*? Seneca lib. II. *de Clement.*

Possumus autem dicere, non esse illius animum a feritate alienum, *cui voluptati sævitia est*. Idem *ibid.*

Unde, *qui hac consuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt*. Lactantius *de vero cultu l.*VI. *c.*XX

Ita & Juvenes hoc spectaculo pugnantium gallorum ad pugnas, & rixas, victoriæ avidi, seu socios opprimendi causa, facilius moventur, *nec parcunt innocentibus, sed exercent in* (socios,) *quod in* (gallorum certamine) *didicerunt*. Idem *ibidem*.

Quin liceat idem mihi dicere de hoc certamine, quod Chrysostomus de equorum certaminibus protulit *homil.*XV. *ad pop. Antioch. Equorum certamina spectare non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. Curulis enim certaminis spectatio, pugnas, convicia, flagella, peperit.*

Clementia profecto Christiani animi repellere deberet a se omnem sævitiam, profecto qui illi non convenit vel minimi animalculi malo lætari, aut insultare. Vocatur homo bonus, ejus propterea virtus non circa sævitiam, at circa clementiam posita esse debet; ac cavere sedulo tenetur, *ne per speciem* (sævi spectaculi) *in crudelitatem incidat*. Seneca l. II. *de Clem.*

Gallorum gallinaceorum igitur certamina, *quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentissime valent, tollenda sunt nobis: quia non modo ad* (lætam) *vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimum*. Lactantius ubi supra.

CAP. VII.

Quatuor ludorum genera ab Imper. Justiniano concessa.

JUSTINIANUS Imperator, cum lusus, qui a casu pendent, sustulisset, aliquod genus ludorum substituit, qui virtutis caussa susciperentur, & ad corporis exercitationem maxime facerent. Scilicet μονόβολον, id est, *singularis saltus*. Juvenes enim *cursu & saliendo se exercebant*. Plautus in *Bacchidibus*.

Κοντομονόβολον, est saltus conto suffultus, contus autem est hasta longior, ac durior, ad trajiciendum aut percutiendum apta. Cujacius *cod. Instit. lib.* III. 43. Virgilius *Æneid.* IX.

—— telorum effundere contra
Omne genus Teucri, & duris detrudere contis.

Κονταχὸς κόντακ χωρὶς τῆ πόρπης, *jaculatio hastæ sine cuspide*, quæ *Quintiliani jaculatio* dicitur ab inventore, quæ & *Quintiana dicta*. Justin. *Digest. tit.* 5. *de aleat.*

Hodie a Rebuspublicis præmia interdum jaculatoribus proponuntur, ut cives magis exercitatos habeant. Petrus Martyr. in *Loc. Com.*

Ἱππικὴ, *certatio est, quæ fit equorum cursu, absque dolo, & circumventione*. Nicephorus Gregora *lib.*X.

Herodotus *lib.*VIII. scribit, *Olympicum certamen fuisse certamen gymnicum atque equestre, præmiumque propositum oleaginam coronam, qua donabantur victores.*

Quapropter Tigranes Artabani filius, eo tempore quo Xerxes bellum in Græcia gerebat, ut idem testis

A est, audiens præmium Græcis coronam esse, non pecuniam, generosam illam meritoque laudandam sententiam dixit. *Papæ Mardoni* (is enim Xerxi persuasit, ut in Græcos bellum moveret) *in quos viros induxisti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, sed virtutis*? Idem *ibidem*.

Aristoteles in Rhetoricis hæc exercitia corporis commendat. P. Martyr in *Loc. Com.* Nec non Maro *Æneid.* l. VII. laudat, inquiens,

Ante urbem pueri, & primævo flore Juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus: aut lenta lacertis
B *Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.*

Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, equitando, quod virtutis causa fiat. Paulus *l. c. l* II. *ff. de aleator.*

Apud nos equitandi laus viget.
Equitatio, stomacho, & coxis utilissima [1].

CAP. VIII.

Chartarum lusoriarum ludi scurriles.

CHARTÆ lusoriæ fortuitæ sunt, & *a perditis hominibus inventæ, qui quamvis nostro quoque seculo damnentur adeo, ut piaculum videatur, illis adhuc tamen luditur* [2].

C *Quique semel barathrum fuerit delapsus in illud,*
Haud ullis valeas hunc revocare modis [3].

Volaterranus de his sententiam suam explanans, sic inquit *lib.*XXIX. CHARTARUM *vero & sortium divinationis ludi priscis additi sunt, ab avaris ac perditis inventi, non solum nostro dogmati, sed publicis veterum moribus una cum alea rejecti. cæteri cessationis gratia viros vel summos quandoque occupatos habuere.*

Si, ex qua origine sint natæ, inquiras penitius, authorem harum Satanam comperies. Hic autem, humani generis hostis, idololatriam altius cum animis hominum imprimere, ipsa convicia, jocos, & D ludos deducere vellet, *ut ipse quadam etiam cum voluptate, velut noxio melle inter mortales libere regnaret, chartarum ludum* protulit. *In quibus chartis & foliis figuræ sunt, Reges, Reginæ & servi, qui olim Idolorum ipsorum effigies erant, & Idolorum manifesta nomina habebant*. Danæus *tract. de alea*.

Ætas vero posterior, quod se Christianam esse diceret, *hoc Idololatriæ verissimum & plausibile monumentum retinens, tantum nomina ista interpolavit: Nam pro antiquis illis Idolorum imaginibus, & nominibus, scilicet Caroli Magni, Lanceloti, & aliorum quondam belli ducum, & Regum, nomina inepte substituit,* E *rem tamen ipsam, usumque muneris istius Satanici, conservans*. Idem *ibidem*. Adeo ut etiam inter Christianos ipsos hujus Idololatriæ periculosissima hodie vestigia extent. *Nomen tantum mutatum est; id est, color tantum, & vultus: res autem ipsa, & maleficium, & fæditas manet eadem*. Idem *ibid.*

Hinc quoque omnis inopia ludentibus subrepit: Etenim *cum quibus qui se valde delectant, maxime omnium semper egent*. Polydorus Virg. *lib.* II. *cap.* XIII. Est autem chartarum

Hic (*lusus*) *populator opum, cui semper adhærens*
F *Infœlix humili gressu comitatur egestas* [4].

Ideoque chartarum ludicra a Christianorum exercitiis procul sint remota; ac, ut illicitæ animi recreationes, reputentur, imo damnentur,

Ac valeant talique vagi, chartæque nocentes;
Quæque alia incerto dant plurima damna rotatu [5].

CAP. IX.

Italorum lusus, sortiri digitis.

EST aliud ludi genus, quod dicitur, *Digitis sortiri*, quod fit, cum duo clausis manibus, vo-

1 Cicero II. *Tusc.* Plin. *l.*XVIII. *c.*IV. 2 Ravisius Textor l. IV. c. XLIX. in *Theatr. Poet.* 3 Apherdianus. 4 Claudianus lib. I. *in Ruffin.* 5 Danæus *ad collegium Posthimel.*

cando (seu divinando) certum numerum, subinde digitos porrigunt. Hujus meminit Mantuanus *Eclog.* I.

Sortiri digitis res injucunda, voluptas
Magna prius, tanti dum mens erat inscia morbi.

Verbi caussa; ego tres digitos explico, tu totidem, ipse quatuor nomine, tu vero sex; ita tu, qui numerum vocando divinasti, jam vicisti. Polydorus *l.* II. *c.* XIII.

Et quia digiti ita explicati subito apparent, idcirco per metaphoram *Micare* dicitur. Hinc M. Varro, *Micandum cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur.*

Nemesianus in *carmine Bucolico*;

—— *digitos jactate micantes.*

Cicero quoque *lib.* II. *de divinat.* hujus mentionem facit: *Quid est enim sors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras.*

Augustinus etiam meminit lib. II. *de Trin.* cap. V. *Nam id* (inquit) *ubi volumus facile habemus, ut alia omittam, vel micando digitis tribus. Porro qui cum micas in tenebris, ei liberum est, si velit fallere.*

Hoc lusus genus Italis notissimum, & adhuc apud eos durat, vulgoque appellatur *Mor*, forte a *Moran*, Venetis vicina insula: Vel, si illa videatur, quasi μωρῶν, id est, stultorum lusus, quod digitorum jactatio signum sit levitatis. Quod videre est in stultis & fatuis, *qui post multa inhumaniter ac barbarice dicta, digitos porrigunt nunc supinos, nunc pronos, hoc gestu aliquid mali minitantes, aut insitam stultitiam significantes.* Plutarchus in *Vita Timoleon.* Sed *La Morun* dictas videtur, quasi a *Mauris* deductus lusus.

Quintilianus apud Eras. in *Adag.* digitorum porrectionem dicit *esse morem plebejorum & rusticorum.* Ideo virum gravem micare non decet.

Schemate quidem proverbiali hanc locutionis formam usurpatam legimus. Qui certissima esset fide, eum dignum dicebant, qui cum in tenebris micaretur. Cicero *l.* III. *Offic. Hoc nonne est turpe dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est, id quod tritum est vetustate proverbium. Cum fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, qui cum in tenebris mices.* Erasmus in *Adagiis*. Id est, cui secure credas, & fidem habeas. Atque Græci habent simile quiddam, dum inquiunt; ὁ ἀνὴρ κ᾽ ἀνώμοτος πιςεύειν ἄξιος: *Hic vir dignus, cui credas etiam injurato.* Idem *ibidem.*

CAP. X.

Inhonesti Mechanicorum ludi tres.

APUD nos sexcenti sunt modi ludendi ad aleam; est enim alea omnis ludus, qui in varietate fortunæ constat, ut & sunt hi;

I. *Par impar ludere*; ἄρτιον, ἢ περιττόν, Ludi genus est, cum quis nummos manu occultat, petitque ab altero, par ne, an impar eorum numerus sit. Suetonius de Augusto *cap.* LXXI. *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se, inter cœnam vel talis, vel par impar ludere.*

Quod genus lusus exprimitur carmine illo Horatiano *lib.* II. *Sat.* III.

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Hoc lusu multi pecuniam & tempus misere perdunt, ideoque digni qui his D. Apostoli verbis compellentur: *Videte quomodo accurate incedatis, non ut insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* *Ephes.* V. *v.* 16.

II. Addatur & ludus ille, qui Polluci, πλειςοβολίνδα. Cælio *lib.* XX. *c.* XXVII. πλειςοβαλεῖν.

Ludus est aleæ, scurris & aurigis usitatissimus, quo qui jactu plura numerat puncta, appositam argenti summam aufert. Belgis hoc est; *Meest ooghen werpen.* Atqui his tamen

Pars hominum vitiis gaudet constanter, & urget
Propositum [1].

At vos quæso Christiani, *ne estote imprudentes* (ut filii mundi) *sed intelligentes quæ sit voluntas Domini, ut filii lucis.* *Ephes.* V. 27.

Etenim *exigetur a vobis, usque ad ictum oculi, omne tempus vivendi vobis impensum, qualiter a vobis fuerit expensum.* Anselmus in *Medit.*

III. Est & ludus apud nos usitatus, quod Belgis hodie, *drye stucken.* Qui & apud antiquos fuit cognitus & usitatus. Ad quem refero verba ista Ovidii lib. III. *De Arte*,

Parva tabella capit ternos utrinque lapillos,
In qua vicisse est, continuisse suos.

Unde apparet tribus tesseris in acie lusoria ipsos contendisse, quemadmodum & hodie nostrates. Idque non sine magno pretiosi temporis dispendio; adeo ut vere iste lusus dici possit, πονηρίας διδάσκαλος τοῖς ἀκαιρευμένοις: *Nequitiæ magister sive pædagogus intempestivis.* Basilius in *Hexam. homil.* VIII.

Quocirca deseratur, ac damnetur tanquam σχολὴ ἄνευ φόβου θεοῦ; *exercitatio sine timore Dei* [2].

Atque tempore recreationis seu remissionis, πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω: *omnia honeste & secundum ordinem fiant.* I. *Corinth.* XIV. *v.* 40.

CAP. XI.

Heroum lusus, vulgo Scacarius dictus.

EST aliud ludi genus, quo calculis in tabula lusoria luditur, *qui & latrones dicti* [3] & per diminutionem *latrunculi.* Hinc Poeta:

Cautaque non stulte latronum prælia ludat,
Unus cum gemino calculus hoste perit [4].

Palamedes invenisse proditur, ad comprimendas otiosi exercitus seditiones [5], ut latius a nobis dictum est, libro primo.

Non existimatur a multis hoc genus ludi damnandum, tum vel maxime quod *Viris & mulieribus frequens, a melioribus & summis honoribus vel maxime cultus & celebratus.* Alex. ab Alex. *lib.* III. *c.* XXI.

Verum, ut ego dicam quid sentiam, quis quæso ludum istum commendet, quo perit tempus? *Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere.* Seneca *Epist.* CXVII.

Perditur in primis, quo nil pretiosius, ipsum
Tempus: opes pereunt, hinc venit omne nefas [6].

At vide quam multum temporis diligentissimis lusoribus pereat. *Ex hoc tempore tam angusto, & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum.* Seneca *ibidem.*

Adjice nunc, quod assuescit animus delectare se potius, quam sanare; cum tamen non oblectamentum vitioso animo, sed remedium sit quærendum. *Latrunculis lusisti? in supervacuis subtilitas teritur, non faciunt bonos ista, sed doctos, in supervacuis* [7].

Et nunquam mihi ea vitæ ratio probanda videtur, in qua sedentarium ocium speciosa rerum vanitate alitur, atque ubi voluptate multum negotium sine ullo fructu habent; quemadmodum in hoc ut in omni ludo, fieri solet. *Nam de illis nemo dubitabit quin operose nihil agant qui in (latrunculorum) inutilium studiis detinentur.* Seneca *de brev. Vitæ c.* XIII.

Et, quod quidem turpius est, qui istis sæpe ludunt, cito discunt more latronum altari insidias facere, ad quam nequitiam collusores edocentur duabus contrariis aciebus, distinctorum calculorum accommodato positu instructis, & ad mutuas insidias ordinatis. Quippe,

Insidiosorum si ludis bella Latronum [8].

1 Horatius *lib.* II. *Sat.* VII. 2 Basilius *in Hexam. hom.* VIII. in fine. 3 Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI. 4 Ovidius *lib.* III. *Art.* 5 Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI. 6 Apheredianus 7 Seneca *epist.* CVI. 8 Martial. *l.* XIV. *epig.* XX.

Is tanto facilius per insidias proximum quacumque A
in re invadere edoctus est. Tum,

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit. [1]

An non formam is rapiendi expressam ante oculos habet; hoc ipsum adagium, quod ex hoc ludo dici cœptum est, satis innuit: Οἶσθ' ἣν λέγομεν πόλιν, ἣν παίζουσιν: *Nosti quam dicimus civitatem, quam ludunt*. Cratinus apud Pollucem *l.* IX.

Civitatem ludere, denotat latrunculorum ludum. quadratque is mos loquendi proverbialis, quoties *suum quisque commodum quacunque sectatur via, & æmulo, competitorique, modis omnibus tendit insidias*. Erasmus in *Adag.*

B Nec non Juvenum animi melioribus artibus ac bonarum literarum studiis intenti, hoc ipso modo avelli, & ad horridum bellum accendi possunt. Ordinantur enim calculi in tabula latruncularia ad congressum mutuum, atque conflictum, ad eum modum, ut, dum hi, militum partes in eo certamine agentes, illos, in se ex adversa acie procedentes, invadere nituntur, ut vel sede sua repulsos summovere, vel perimere muniantur, aut adhibitis & circumpositis custodibus, aut arcæ seu arcis natura, ne incidant insidias, aut pateant illorum incursibus, cujus pugnæ dubium certamen eleganter expressit Ovidius lib. II. *de Tristib.* eleg. I. inquiens:

Discolor & recto grassatur limites miles, C
Cum medius gemino calculus hoste perit:
Ut mage velle sequi sciat, & revocare priorem,
Nec tuto fugiens, incomitatus eat. [2]

Adeo ut is ludus pugnæ cujusdam sit simulachrum, quod *levissimum animi affectum movere* (in adolescentibus) *possit, ut nihil magnum, nihil severum, nec serium quidem putare*, (amplius veleant,) verum relictis utilioribus studiis ac curis feriis, ab arte ad Martem prosiliant incogitanter, unde lubrico ingenioso hoc nostro sæculo, in quo est incredi- D
bilium vitiorum copia, experientia hujus stoliditatis testatrix abunde extat. Atque hæc sunt argumenta, quibus moveor ad usum latrunculorum rejiciendum.

CAP. XII.

Græcanicæ Juventutis Trochus.

PUEROS ingenuos interdum ludere *Trocho* videmus. Est Trochus Græca vox, scilicet τροχὸς, a rotando: τρέχω enim significat *curro*, & τροχὸς, *rotam*, vel aliud instrumentum, quod in gyrum circumvolvitur. *Trochus* (inquit Acron) *turbo* E
est, qui a ludentibus pueris scutica rotatur. Hinc Martialis, *lib.* XIV. *epigr.* CLVIII.

Inducenda rota est; das nobis utile munus:
Iste trochus pueris, ac mihi canthus erit.

Horatius Epist. ad Pisones *de arte Poetica*:

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochique quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

Vetus Scholiastes Horatii: Trochus dicitur turben qui flagello percutitur, & in vertiginem rotatur, unde a volubilitate nomen habet: aut est rota, quam currendo pueri virga regunt, & τρόχος
Græce dicitur, qui est, vel τετράκνημος, id est, F
quaternarius, constans quaternis radiis; vel ἑξάκνημος, vel ὀκτάκνημος: Turbo autem turbinis, est impetus venti: Turbo, turbonis proprium militis.

Hoc se exercebant pueri in Græcia, ideoque Græcus trochus dictus Horatio l. III. *Car.* od XXIV.

- - *nescit equo rudis*
Hærere ingenuus puer:
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Græco jubeas trocho, &c.

1 Ovidius *De Arte* lib. II. 2 Seneca *de Tranq. animi*, c. XV.

Unde & *Græcari*, est trocho ludere, seu Græco ludo se exercere, eoque pertinet iste locus Horatii *lib.* II. *Satyr.* II.

- - *vel si Romana fatigat*
Militia assuetum Græcari, seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem:
Seu te discus agit:

Græcari interdum valet intemperantius bibere, ut videre est apud Plautum *Mostell. Dies noctesque bibite, pergræcamini*.

At poeta, priori loco *Græcari* sumit, pro Græcum ludum ludere, qui & inter nostrates pueros usitatissimus, præsertim hyeme, quando frigus est: nam trochum in urbem flagello dum redigunt, facile sibi sudorem & æstum contrahunt Juvenes. Virgilius eleganter hunc lusum puerorum describens sic ait, *Æneid.* lib. VII.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo:
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent. ille actus habena
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubisque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ.

Tibullus:

Namque agor ut per plana citus sola verbere turben.

De trochi circumactione proverbialis locutio hæc facta: *Trochi in morem*. Erasmus in *Adag.*

Id quod de versatilibus & inconstantibus dici solitum. Rursus apud Aristophanem & hoc legitur in *Avibus*, βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ: *non oportet quicquam a trocho differre*. Dictum putant in eum, qui in fuga non tenuerit rectam viam, sed in orbem fuerit circumactus. Bembix autem magno impetu movetur, sed in orbem, ut fugiens non effugiat. Simili tropo stultorum inconstantiam notat Sapiens Hebræus, *Eccl. c.* XXXIII. *Præcordia fatui, quasi trochus (seu rota) currit, & quasi axis versatilis cogitatus illius*. Apud Plautum interdum dicitur aliquis Trocho aut rota figuli versatilior, ut in *Persa*.

—— *citius a foro*
Abeunt, quam in cursu rota circumvortitur.

CAP. XIII.

Exercitium in arcubus & sagitis.

ARCUS instrumentum est e quo jaculantur,

—— *ac nervo per nubem impulsa sagitta*
Tranat, & in medium perlabitur urbis arundo. [1]

Hujus inventorem dicunt *Scythen Jovis filium. Sagittas ut aliis placet, Perseus Persei filius primum invenit*. Polydor. Virg. l. II. c. XI. Ovid. l. III. *Trist. eleg.* X.

Arcus ab arcendo dici potest, eo quod eminus arceat hostem, noceat

Longeque volante sagitta
Quos neque Iber, neque tuta suis Aurora sagittis
Sustinet. [2] ——

Per *auroram* intelligit Orientales.

Non vero cominus propulset, quemadmodum ensis, aut hasta. Omnes fere populi Orientales arcu & sagittis claruerunt.

Hi contra ingentes hostium copias, calamorum & sagittarum jactu præcipue valuerunt, quibus, plerunque solem obumbrant, & ideo serenos exoptant dies. Alex. ab Alex. *l.* VI. *c.* IXII.

Quibus annumera Scythas de quibus Horatius ait *l.* III. *Card od.* VIII.

Jam Scythæ laxo meditantur arcu,
Cedere campis

Scythis autem adeo sagittarum studium fuit, ut dextra ac sinistra pariter jaculari, & vice alterna in hostes mittere, sublato discrimine callerent. Alex. ab Alex. *lib.* VI. *cap.* XXII.

Par-

1 Silius *l.* XIII. 2 Valerius Flac. *lib.* V.

Parthi etiam huic studio dediti,

—— Nec Parthica tanto
Agmine per cæli nubem se fundit arundo. [1]

Hac ratione Catullus Parthos vocat *Sagittiferos*. Erythra habuit incolas peritissimos sagittarum:

Forte sagittiferas Evan populatus Erythras. [2]

Cretenses sagittis quoque utebantur, atque

Attica Cretæa sternebat rura sagitta. [3]

Cydon urbs Cretæ erat, in qua sagittandi ars colebatur,

—— Cydoneas anteibant gesa sagittas. [4]

De Gortyna, urbe Cretæ, Ovidius *lib.* VII. *Metam.*

Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.

Magnesii artem sagittandi habuisse traduntur præcipuam; ubi oppidum Mot bona, in quo Philippus sagittæ jactu amisit oculum, Alex. ab Alex. *lib.* VI. *cap.* XXII.

De Armenia idem traditum. unde Lucanus, *lib.* VIII.

Armeniosque arcus Scythicis intendite nervis.
—— Sic soboles Efræmi docta sagittis
Figere vel jaculo quamvis distantia certo. [5]

Et lamentatus est David lamentatione hac de Schaule & de Jehonathane filio ejus. Quam protulit ad docendum filios Jehudæ tractare arcum: Ecce scripta est in libro Recti. 2. *Sam.* I. 17. 18.

Tacitus de Germanis inquit: *Sola in sagittis spes, quas inopia ferri, ossibus asperant.*

Anglicana pubes, mirum in modum arcu & sagittis gaudet; adeo ut sagittandi consuetudo, *institutum patrium sit*. Alex. ab Alex. *lib.* VI. *cap.* XXII.

Juvenes, simul ac rus obeunt, aut montes petunt (quos sæpe arcu meo sum comitatus, dum viverem in Anglia) dexteram arcu armant, & latus pharetra ornant, unde

—— celereis sagittas
Promunt, [6]

Atque sic Juvenum,

Arcu turba minax (brachiis torquere) *sagittas*
Gaudet [7]

Nec non sæpe viris

Ire libet, Parthos torquere Cydonia cornu
Spicula. [8] ——

Quod exercitium honestissimum duco; utpote cujus laborem, studium ludendi non tantum fallit, ac emollit, sed & corporis facultates exercet, atque animos in his vitæ fluctibus, studiorumque molestiis, remissione ac voluptate tanta recreat, ut dein *meliores acrioresque requieti surgant*. Seneca *de tranq.* cap. XVI.

Verum ita, ut & ludendi *modus hic quoque sit retinendus, ut ne nimis profundamur, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur*. Cicero *lib.* I. *Offic.*

CAP. XIV.

Hiberna in glacie exercitia.

TALARIA, quorum hyemis tempore lusus in glacie, ab Hollando-Batavis reperta primum putarem: Etenim Juventus rustica apud Batavos arte discurrendi per glaciem excellit, ad quod studium

—— pedibus talaria nectit. [9]

Talaria sunt calceamenta lignea, quorum infimæ partes ferreis lineis muniuntur. Vocantur calopodia ferrata, Hollandis *Schatsen*.

His perfidum glacie flumen equitatur. [10]

1 Mantuan. in *Alphonso*. 2 Sidonius. 3 Virgil. in *Æneid.* 4 Stat. lib VII. *Theb.* 5 *Psalm.* LXXVIII. 9. 6 Horatius lib. III. *Car.* od. XX. 7 Lucan. *lib.* VII. 8 Virgili. in *Bucol.* 9 Virg. *Æneid.* lib. IV. 10 Florus *lib.* III. *cap.* IV.

A Atque Viri & Juvenes innuptæque puellæ his indutæ, labuntur per adstrictas glacie aquas mira dexteritate, & celeritate incredibili, adeo ut tanquam alati Mercurii volare videantur spectatoribus. De promiscuo hoc juvenum ac virginum lusu apud Batavos in glacie J. Lipsii *Carmen ad Janum Dousam* V. N. dignum inprimis quod hic adscribatur, propter elegantiam summam & loci opportunitatem.

DOUSA, *quem genitum atque humi cadentem*
Excepere sinu novem Sorores,
Formarunt manibus suis Lepores.
Ride, quidquid amas, tuum Poetam,
B *Qui spectacula Leida in urbe, nuper*
Cum pigra glacie stetisset omnis
Et crustam subitam induisset amnis,
Vidit, qualia non superba Roma,
Non suis Lacedæmon in palæstris,
Namque illinc soleas secante ferro
Suppacti juvenum chorus volabat;
Hinc vestigia juncta, sed minora,
Implexæ manibus premunt puellæ.
Tales credibile est, jacente ponto,
Olim Nereidum fuisse lusus.
O spectacula pulchra, & o beatos
Istos deliciis novis ocellos!
C *Ite ludicra prisca, abite nugæ,*
Mimi, schœnobatæ, gelasiani:
Omnes provocat unus iste Circus
Latinos salibus suis Batavus,
Et Græcos salibus suis Batavus.

Est autem (ut hoc obiter dicam) Batavia aquarum & paludum, fluminumque fæcunda, quæ tempore hyemis quando frigore ingenti compinguntur, incolæ, navigationem & telluris opera intermittentes, otio vitam desidem ne transigere
D cogantur, ad glaciem excurrunt, atque animi recreandi exercendique corporis gratia glaciale æquor istis tenuibus sulcant lignis, quæ, quia ferris sint munita, ideo χαλκόποδες, seu *ferrei calcei*, nominari possunt, Italis *Zoccolo di ghiaccia*: atque Hispanis, *Patino para correr sobre la elada*: Flandris *Schaeuer dynen*: Saxonibus *Schrytschoen*: vox propriissima. Extat de his talaribus proverbialis figura hæc: *Talaria induere*; Pro eo quod est, fugam adornare, quasique velle quopiam avolare. Sic enim scribit Cicero: *Nemo est istorum, qui ocium non timeat: quare talaria induamus*. Erasmus in *Adag.* Cicero *ad Attic. l.* XIV.

Sumptum ab Homero, qui Mercurium, avola-
E turum aliquo, frequenter adornat talaribus:

Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
Ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
Mox ubi jam pedibus talaria subdidit aurea,
Pulchraque, & ambrosiam spirantia: quæ simul illum
Aera per liquidum, simul ampla per æquora vastæ
Telluris, venti flatu dominante ferebant.

Quem Homeri locum Virgilius veluti interpretans, ait lib. IV. *Æneid.*

F *Et primum inquit, pedibus talaria nectit*
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Itaque talaria induere dicemus eos, qui parant aufugere. Nam hoc ipsum Avolare & Revolare apud M. Tullium pro fugere & redire frequens est.

1 Hadrianus Junius in *Nomenclat.*

CAP. XV.

Studioſorum remiſſionem, & recreationem, verſari circa dulcem Muſicæ artis harmoniam.

VELUTI Muſica eſt triplex; vel I. vocalis, 2. organica, 3. mixta. Ita & Muſicorum tria genera ſunt: nam alii ſunt ἀοιδοὶ ſive μελῳδοὶ, cantores ſymphoniaci, qui cantant aſſa voce: alii ſunt ψάλται, qui pulſant inſtrumenta: alii denique ψαλτεπισαὶ, qui melos organicum vocali conjungunt. *In magnum honoris culmen apud Veteres Muſica proceſſit.* Alex. ab Alex. *l.* II. *c.* XXV.

Atque in recte adminiſtrata repub. pueros Muſicam majores docuerunt; teſte Ariſtotele, lib. VIII. *Politic.* Hinc & Terentius in *Eunucho*.

Fac periculum in litteris, fac in palæſtra, in Muſicis, quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem.

Platonis quoque inſtitutum erat, ut juventus muſica diſciplinis inter primas artes inſtruatur, ut graviora ſtudia honeſta voluptate lenirent. Alex. ab Alex. *lib.* II. *cap.* XXV.

Laudo iſtos Juvenes, qui hanc addiſcunt, ſi moderate ac tempeſtive ea utantur. Eſt autem hujus artis cognitio ac delectatio Juvenibus honori, interque dotes ingenui pueri annumeranda, ac *quaſi inſigne carbunculi in ornatu incluſum aureo, ac tanquam ſigillum ſmaragdi in apparatu aureo, ſeu in auro fabrefacti poſitum: Eccleſ.* cap. XL. ita Muſica eſt in adoleſcente ingenuo.

II. Docet & hæc otium contemnere, animoſque recreare. quomodo Juventus labores, quos ingenii memoriæque vexatione & defatigatione ſubeunt, tolerarent, niſi ſubinde hac honeſta delectatione recrearetur! Recte Pythagoras ſuos diſcipulos ad lyræ concentum excitari voluit, *cenſuit animi & mentis perturbationes nulla re magis quam vocum concentu mulceri.* Alex. ab Alex. *l.* II. *c.* XXV.

III. Ejuſque vis ac virtus incredibilis eſt ad affectus animi componendos, ac appetitus in ordinem redigendos. Terpander Lesbius accerſitus a Lacedæmoniis, qui ſeditionibus inter ſe tumultuabantur, *ſuavitate cantus eorum animos adeo delinivit, ut redirent in amicitiam, & a ſeditione deſiſterent.* Plutarchus.

Heliſæus, cum eſſet adverſus Regem Iſrael animo nonnihil commoto, pſalten ſibi advocari juſſit. *Muſica enim delectatio, ſonorum jucunditate ſenſus movet, & rationem ipſam numerorum & proportionum artificio delinit.* II. *Reg.* III. P. Martyr *in loc. com.*

David etiam pſallendo coram Saule, impetus mali ſpiritus, quo ille vexabatur, frænabat. I. *Sam.* XVI. verſ. 23.

Muſica ergo, ad hominum animos ira atque furore inflammatos reſtinguendum atque placandum plurimum habet momenti atque ponderis, quia cum anima rationali miram ſympathiam habet, ob rationes & proportiones ex quibus conſtat. Orpheus.

Dictus ob id lenire tigres, rapidoſque leones;
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet [1].

IV. Ariſtoteles in *Politicis* adfirmat præterea Muſicam conducere ad mores & animum, facere enthuſiaſticos. Hucque pertinet quod de *Clinia Pythagorico* teſtatum eſt. *qui cum & vivendi ratione & moribus paulo eſſet difficilior atque moroſior, lyram pulſando eos lenire atque mitigare ſtuduit.* Athenæus *lib.* XIV.

Multum enim Muſica confert ad exercitationem mentiſque acumen. Idem *ibidem*.

Ac ob eam rem Ariſtoteles in *Polit.* cantilenas eleganter vocavit μιμήματα, ὁμοιώματα, καὶ σημεῖα ἠθῶν.

Qua de cauſſa antiquitus Muſicæ fuerunt ſtudioſiſſimi. *Epaminondas, princeps Græciæ, fidibus præclare ceciniſſe dicitur. Socrates jam ſenex inſtitui lyra non erubuit.* Stuckius *l. antiq.* III.

Themiſtocles aliquot ante annis, cum in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior. Cicero in *Tuſc. quæſt.*

Magnum item illum vatem Davidem intuere, qui muſicæ artis peritiſſimus & amantiſſimus, divino carmine Dei myſteria cecinit, atque illipſus Eccleſiam hortans ut Deum omnibus modis laudet, inquit:

Laudate Dominum nabliis,
Lyriſque blande garrulis.
Laudate Dominum tympanis,
Chorique feſti cantibus:
Laudate Dominum fidibus, &
Sonore dulci tibiæ.
Laudate eum tinnitibus
Lætis canori cymbali [1].

Valeant igitur qui Muſicam tanquam ingenio indignam, odio proſequuti ſunt. Lapis eſt, non homo, degener & ſpurius, non naturæ filius, qui ſtudium Muſicæ ut probrum objectat, ac rejectat, qualis olim *Æteas Rex Scytharum, qui magis equos hinnientes audire, quam homines canentes optavit.* Plutarchus.

CAP. XVI.

Schola Chriſtianæ Juventutis Reformatæ: in qua voluptates honeſtiores datæ, ac commendatæ.

ADOLESCENTES decet, honeſtis voluptatibus trahi, memores iſtius Epigrammatis

Τοῖσι μὲν εὖ πράττουσιν, πᾶς ὁ βίος βραχύς ἐστι:
Τοῖς δὲ κακῶς, μία νὺξ ἄπλεος ἐστὶ χρόνος.

Recte agentibus quidem, omnis vita brevis eſt.
Male autem, una nox infinitum eſt tempus [2].

Non æquum eſt, ut, relictis honeſtis vitæ Chriſtianæ exercitiis, tempus nugis impendamus: quin potius cogitemus, nos Dei beneficio Chriſtianos factos, atque in hoc vitæ contubernio degere, ut utilibus ſtudiis noſmet demus, ac (ut monet Apoſtolus *Epheſ.* v. 16.) *Tempus redimamus.*

Id quod non eſt νεάζειν, aut *adoleſcenturire*, ſeu nugando atque otiando tempus quod reſtat amittere: Eraſ. in *Adag. ſatis nobis eſſe debet quod anteacto vitæ tempore, libidinem gentium patraverimus, quum incederemus in protervîis, cupiditatibus, violentiis, comeſſationibus, compotationibus.* I. *Petr.* IV. *v.* 3.

Jam vero ad majora renati, & luce Evangelii donati, tenemur in memoriam & uſum vitæ revocare, quæ nos docent. Quocirca Chriſtianam Juventutem moneo, ut hanc *Scholam* [3], in qua honeſtæ artes, honeſti ludi, piæque recreationes proponuntur, ingredi ne recuſent. Qui illicitis ac

[1] Horatius *de Arte Poetica*.

[1] Buchanan. *Pſalm.* CL. [2] Lucianus in *Antholog.* [3] M. Mantua in *Polymath.* lib. VIII. cap. II.

turpibus voluptatibus gaudet, *similis est scarabeis, aut suibus qui pretiosi unguenti odore offenduntur, quique amaricini fragrantiam non ferunt, at sterquilinio delectantur*. Chrysost. in *Homil.*

Qui vero ista exercitia dulcia appetit, quibus & animi reficiuntur & ædificantur, hunc prudentem æstimo sibique optime consulentem; ac similem dico *hinnulo cervorum*: *qui versatur in montibus aromatum*. *Cant.* VIII. *v.* 7.

Agedum igitur, mi Juvenis, consilio vis uti recto? ostendam tibi primo generosam atque honestam aleam, qua olim Athenis docti homines usi sunt, ut festis scilicet diebus in concilio amicorum quisque de litteris aliquid in medium proferat, non sophisma lubricum ut illi, sed solidum pro ingenio proferentis ad virtutem aut beatam vitam pertinens, atque ut nos monet D. Apostolus II. *Corinth.* XIV. 26. *quoties convenitis fratres, quisque vestrum canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant*.

Nec minus studiosa Juventus in suis cœtibus tenetur dona sua proferre ad alterius ædificationem & instructionem, collatione facta sine invidia, majus calcar ingenio ministrabitur, studiumque discendi & proficiendi in bonis artibus & scientiarum cognitione excitabitur. *Hoc aleæ genere* (ut ita loquar) *vos pia festa, vos noctes atque dies instruite. Habetis exercitium animi, habetis ludum, quo & ludere juvet, & lusisse non pudeat*. Petrarcha in *Dial.*

Quod si alia adhuc quæratis exercitia. I. cogitate honesta vitæ Christianæ officia, quæ Deus a nobis exigit. II. cogitate tot occasiones quæ indies ad Dei gloriam promovendam dantur. Utpote exercitium pium & perutile, verbi divini & sacrosancti lectio continua. Hinc Apostolus *Col.* III. 16. *Sermo Christi inhabitet in te copiose cum omni sapientia*.

II. Sermones honestos conferre, & psalmos pro fervilibus cantiunculis canere, ac memoriter edifcere, exercitium animæ valde utile est. Unde rursus Paulus monet *Coloss.* III. 16. *Docete & commonefacite vos mutuo psalmis, hymnis, & cantionibus spiritualibus cum gratia canentes in cordibus vestris Domino*.

III. Perdurare in precibus, Christiani muneris quoque pars magna & necessaria, quem in finem monemur *exultare Domino in tremore*. *Psalm.*

Exultatio autem est, *puras manus ad Christum extendere*: *orando, ut promereri Dominum possimus*. Cyprianus in *Epist.*

IV. Est etiam liberalitatis laudatæ exercitium, egentes alere, & pauperibus e bonis suis tribuere unde vivant. Tenuitates enim aliorum nostris opibus sublevare debemus, ac ut dilecti electique fideles tenemur *largiri cœcis, debilibus, claudis, & destitutis*. Lactantius lib. VI. c. XI. *De vero cultu*.

Atque *induentes viscera misericordiæ, officii nostri est, juvare alios*: *Coloss.* III. 12.

Ut enim vitium est, opes suas effundere in malam partem; sic in bonam, virtus. Lactantius *lib.* VI. *cap.* XVII.

Tu igitur *pecuniam tuam, adsistente Christo, spectantibus Angelis super mensam* (non aleatoriam, sed) *Dominicam sparge, patrimonium tuum quod forsitan lævo studio perditurus eras, pauperibus divide, divitias tuas Christo vincenti* (non collusori) *committe. Servus enim Domino tuo vocaris, studio deificio obsequere, artem Domini imitare, quæ non perdit, sed potius acquirit*. Cyprianus *Ser. De aleæ lusu*.

Deinde Dei gloriam specta, & cura, *Sive edas, sive quid facias, omnia in gloriam Dei facito*. I. *Corinth.* X. 31.

A Quod ut sedulo præstes, *Juveniles cupiditates fuge: & sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Dominum ex puro corde*. II. *Tim.* II. 12.

Νεωτερικὴ ἐπιθυμία, sive *Juvenile desiderium*, plurima, tum & gravissima, in se alit vitiorum monstra; cui si resistas, & hæc sustuleris. *Potius ex istis, fili mi, admonitus esto*: *Faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multorum fatigationi est carni*. *Eccl.* XII. *v.* II.

Summa rei est, his omnibus auditis: *Deum ipsum reverere, & præcepta ejus observa*: *quia hoc est totum hominis*. Ibidem *vers.* 14.

B *Nam omne opus Dei ipse adducet in judicium cum omni re occulta, sive bonum, sive malum*. Ibidem *vers.* 14.

CAP. XVII.

Finis Operis: *in quo generalis admonitio ad Juventutem*.

HÆC *vobis Adolescentes scripsi, quoniam Malum illum vincere* [1] debetis.
Malus ille, Diabolus est;

C *—— Rex Erebi, generis fœdissimus hostis*
Humani vestras qui recto avertere mentes
Nititur [2].

Is, ætatis vestræ facilitatem captans, *omnibus modis, instat, die ac nocte, fraudibus & artibus, nunc palam, nunc occulte sagittas venenatas contra vos dirigens, ut interficiat animas vestras*. August. *Soliloq. c.* XVI.

Ad mortem easque vocans per delicias ac voluptates. Lactant. lib. VI. cap. XXII. *De vero cultu*.

D Accedit *Caro proditor Judas quæ est, inimicus familiaris habitans non procul, sed prope, non exterius, sed interius*. Innocent. *De util. cond. hum.* lib. II. cap. XXII.

Huic & addito tertium, ac non minus periculosum hostem, scilicet *Mundum, qui arridet ut sæviat, blanditur ut fallat, illicit ut occidat, extollit ut deprimat*, Cyprianus in *Epist. ad Donatum*.

Eccos animarum vestrarum infensissimos hostes,

Ut jugulent animas surgunt (hi) *nocte latrones*.
Ut te ipsum serves, non expergisceris [3]?

E Mi fili, lecto peccatorum neglecto, blandoque voluptatum somno amoto, expergiscere ad optima quæque virtutum exercitia. Præscripsi meliora ut arripias, & pejora relinquas: *notum feci consilium optimum, ut sapias amplius, & augerem disciplinam tuam*. *Proverb.* IX. 9.

Antidota contra lubricæ adolescentiæ σφάλματα ubertim prompsi, *auditu suavia, intellectu facilia, susceptu honesta*. Lactantius.

F Repete serio & ruminare apud te sæpius, ut his adjutus tanto facilius vincas ætatis tuæ impetus petulantes, *qui nunquam fugantur nisi cum fugiuntur, nunquam mactantur nisi cum macerantur, quantoque magis te occupatum seriis rebus invenient, tanto minus occupabunt*. Innoc. *de util. cond. hum. lib.* II. *cap.* XXII.

Lucerna præceptum est, & doctrina lux, viaque vitæ correctiones erudientes. *Proverb.* VI. 23.

Quas cum hoc libro abunde suppeditaverim, his igitur ad turbidos & voluptatibus turgidos animi motus regendos, utere libenter, hisque (quæso) tu

1. *Joh.* II. 113. 2 Hier. Vida *lib.* IV. 3 Horatius *lib.* I. *epist.* II. *ad Loll.*

——— *animum rege. qui, nisi paret,*
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena [1].
Hæc, inquam, *scripsi, Adolescentes* [2]. *Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

1 Horatius *l.* 1. *Ep.* 2 1. *Joh.* 11. 14. 15. 16.

A *Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est.*

Porro mundus præterit, & cupiditas ipsius. Qui vero præstat voluntatem Dei, manet in æternum.

LIBRI TERTII ET ULTIMI FINIS.

Τῷ Θεῷ χάριτες καὶ δόξα εἰς τὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Αμήν.



ANDREÆ SENFTLEBII,

JCTI URATISLAV.

DE ALEA VETERUM

LIBER SINGULARIS.

V I R I S

NOBILIBUS, CONSULTISS. CLARISS.

D O M I N O

CHRISTOPHORO KUHNIO

J. U. L.

ADVOCATIÆ URATISLAV. PRÆFECTO

OPTIME MERENTI;

E T

DN. GEORGIO SCHOBEL,

J. U. C.

POLITICES ET HUMANITATIS CULTORI EXIMIO,

FAUTORIBUS, ATQUE AMICIS SUIS HONORANDIS

S. P. D.



NTER Tesserarios haut rarenter evenit, ut quis, ludo necdum absoluto, ob caussam magis urgentem, aliorsum avocetur. Idem & olim contigit Viro Cl. Consultissimoque ANDREÆ SENFTLEBIO Aleam suam ad hunc Orbis eruditi pyrgum ludenti, ut extrema fati, satis quidem, uti humanitus videbatur, adhuc crudi, necessitate, annis nempe ævi humani indeflexis, avocatus, ultimam, quæ spes & votum ejus erant, manum addere nequiret. Velut autem *Tesserarius Optionem* sibi aliquem, si de genere hoc casus accidat, constituit, quin immo ultro persæpe, qui partes absentis sustineat, adinvenit; ita quin suum ex Fautoribus atque Amicis Senftlebianis Optionem ALEA hæc inventura fuisset, nisi casus ex insperato alii interpellassent, nulli sane dubitamus. Etenim quanti, singularis nominis SENFTLEBIANI Patronus NICOLAUS HENELIUS ab HENNENFELD, JCtus Silesiæ nostræ concelebratissimus, & Comes Palatinus Cæsareus, Sacræ item Cæsar. Majest. & Illustriss. Ducis Lignicensis Consiliarius, Ducatus Mensterbergici Pro-Cancellarius, & inclytæ nostræ Reip. Syndicus meritiss. hanc Aleam æstimarit, patet ex *Senftlebiana Vita* Aleæ huic eapropter haud immerito a nobis præmissa.

Quam etiam supra omnem commendationis aleam, hanc de ALEA Commentatiunculam posuerit ANDREAS TSCHERNINGIUS, Antecessor Academiæ Rotstochiensis inclutissimus, Philologus, Orator & Poeta haud e multis, nec Amicus minus, quam Civis Macaritæ nostri amicissimus, liquet e Carmine hujus *Nucibus Saturnalitiis* subjuncto. Sane CHRISTOPHORUS COLERUS, noster in Gymnade Prædecessor, & MATTHIAS MACHNERUS, a Latinis Reip. nostræ Expeditionibus, inque Ecclesiastico & Orphanorum judiciis Notarius solertissimus, Vir uterque ingenii, judicii, doctrinæque præcellentis, de Alea hac aliquoties mecum collocuti, in votis habuerunt, ut luci vindicaretur publicæ. Etiamsi autem quatuor hæc singularia Silesiæ Togatæ ornamenta, & pectora nomini Senftlebiano faventissima tantæ singula fuerint eruditionis, ut præ aliis hanc in se recipere meruissent opellam, catenatis tamen Officiorum suorum obruti laboribus mortalitatis prius numeros, quam voti explevere terminum. Unus itaque ego, & infimi quidem inter Amicos Senftlebii Musophilos subsellii supereram, qui partem Tabulæ hujus aleatoriæ, pro necessitudinis nostræ jure, subirem. Subii pro virili, &, ut ut facile sim, contra quam LEO ille sive Mitylinæus, sive Atticus, superabilis; ludere tamen hanc Aleam, ex pietate Amicitiæ veteri debita, perrexi: quo successu, illorum esto judicium, qui, quid dexter olim senio compendii, quid damnosi canes tulerint dispendii, sollicitius & intimius accurant.

Consideranti autem mihi, cujus forte tutelæ hanc ALEAM Macarites, pro sæculi nostri more, si esset in vivis, foret commissurus, in mentem venit, nemini eam alii τὸν ἐν ἁγίοις Senftlebium æquius dedicaturum, nisi Vobis Duumviris Prudentiæ Civilis & humanitatis litteratæ politissimis. Etenim Advocatus Ordinarius Juratus cui scripta sua potius addicat, nisi Advocatiæ Præfecto? Cum itaque, tu, Vir Amplissime, CHRISTOPHORE KUHNI, gloriose nunc hoc defungaris munere, & Adfinitate insuper eidem, si viveret, fores obstrictus, jure dehinc ALEAM istam litteratam Tibi videor offerre. At enim cum Tibi, SCHOEBELI Cl. eruditissimæ Opusculi hujus Senftlebiani commentationes ita arriserint, ut blattis tineisque, cum quibus hactenus colluctarunt præter meritum, noctique sic æternæ

non accurando minus quam consilio eripere conatus sis, cui dehinc Manes Senftlebiani, nisi Vindici huic & Soteri suo, Aleam porro obferant a Bionæis malevolorum morsibus defendendam? Suscipite proin, Fautores honoratissimi, hoc quicquid est Opusculi, vestroque patrocinio Zoilorum ei mastigas defendite: immo ipsimet animum vel litigiis Curialibus vel studiis severioribus fatigatum ad ALEÆ hujus diverticulum transferte. imitati ita JCtum eloquentissimum Q. Mucium Scævolam, qui conceptum tricarum forensium tædium discussurus Aleæ nonnunquam & calculis vacasse memoratur. At enim nec Aleæ sic vacabitis legibus Romanis vetitæ, & damnum fortassean, sed lucrum, ne dubitate, facienti. Quippe in primis Aleæ huic videtur quadrare, quod laudatus supra Rotstochiensis Antecessor de reliquis quoque Senftlebianis Scriptis tulit judicium:

Cum bona Melpomene Senftlebl Scripta videret,
Elysione redit Meursius alter? ait.

Utrum Vir Excellentissimus ex adfectu, an vere sic judicaverit, vestrum posthac esto arbitrari. Mihi sane has Notas non videri e trivio non possum non ingenue profiteri. Valete, Amores Musarum & deliciæ, & pluris hanc, quam vel Minervalem Tegeatarum, vel Palamedis facite Aleam. Dab. Wratisl. Sigillaribus Rom. missitandis olim imagunculis & munusculis in Urbe celebratis, quorsum etiam Saturnalia, atque ea propter ipsum quoque Aleæ lusum licuit extendere. An. MDCLXVII.

Amplifs. Cl. Q. Nominum Vestrorum

Cultor officiosus

JOHANNES GEBHARDUS, Con-
& Bibliothecar. Elisab.

VITA
ANDREÆ SENFTLEBII,
PHILOLOGI ET JCTI.
A Nicolao Henelio ab Hennenfeldt,
IN SILESIA TOGATA ΑΝΕΚΔΟΤΩ DESCRIPTA.

ANDREAS SENFTLEBIUS, Boleslaviæ, in urbe illa bonorum ingeniorum admodum feracè, de qua pium hoc filii legitur teſtimonium,

Bolesla orande Sleſiæ decus noſtræ,
Et hortulorum fontiumque amœnorum,
Nec non virorum alumna fœta doctorum,
Quos cenſeat fors, non recenſeat quiſquam,

bonis oſcinibus vitales in auras An. MDCII. 15. Decemb. editus, Patre Martino, Cive honorato, & Judicii provincialis Scabino, eam nominis claritatem, quam a Patria accepit, ſua Virtute magis magisque illuſtravit. Enimvero cum ſtudia ſua Themidi potiſſimum conſecrare conſtituiſſet, eam illorum rationem iniit, ut prius quam hanc ſalutare Divam, ejusque templum ingredi accelleraret, neceſſariis diſciplinarum aliarum generibus mentem prius imbueret, ac politiori litteratura Philoſophiæque veræ præceptis probe quaſi muniret atque ſuffulciret. Hunc ergo in modum bene præparatus in ſtudio poſtea Juris progreſſus fecit laudatiſſimos: cumque in maximam Sileſiæ delatus non ſolum ibi domicilium figeret, ſed & praxin aggrederetur, Philologico interim ſtudio uſque adeo captus, ut nulla ratione penitus ab eo avelli poſſe videretur; Eruditionem, facundiam, dexteritatem atque integritatem ſuam, qua Clientibus, qua inclyto Magiſtratui ſic probavit, ut dignus judicatus fuerit, qui in numerum Advocatorum ordinariorum cooptaretur. Hanc Spartam nactus tanto ſtudio ad eam ornandam incubuit, nihil ut prætermitteret, quæ ad fidem nomini præſtandam in pio & docto Advocato requiruntur. Ego quidem, ex quo hominem propius noſſe & amare cœpi, vel illud maxime in eo ſuſpexi, quod non voto Clientum jura metiretur, vel, quod colorem aliquem patiebatur, id juſtum putaret, ſed litem ipſe durus arbiter præjudicaret, atque adeo, quod in cauſſæ alicujus vel æquitate vel iniquitate cognoſcenda faciendum eſſe ſuo nos Exemplo docuit Antonius, ille inter præſtantes ſui ævi Oratores tres unus perſonas, ſuam, adverſarii, Judicis ſuſtineret: ſuam nimirum, in perſonarum, rerum, inſtrumentorum ad cauſſam pertinentium accurata perſcrutatione; adverſarii, movendo quicquid in cauſſæ diſceptationem cadit, objiciendo, quæ Clientis intentioni adverſantur, revincendo, quæ juvare videntur; Judicis denique in iis omnibus, quæ vel premunt vel juvant Clientis cauſſam, diligenter expendendis. Quod ſi hæc præponderarent, ita demum patrocinio ſuo complectebatur; econtra ſi cauſſam pravam fovere Clientes cerneret, libere, candide, fideliter monebat, ut aut deſiſterent, aut de diſſidio vel Magiſtratus auctoritate, vel amicorum opera componendo cogitarent: in iis etiam cauſſis, quæ bonæ ac juſtæ viderentur, haut eo minus ad tranſactionem admittendam ſuos hortari, & vulgaria illa dicteria, Meliorem eſſe macram concordiam, quam pinguem ſententiam; Melius eſſe ſumere pecuniolam oblatam repente, quam exſpectantiam litigii plenam lente; Melius denique eſſe, ſecundum Accurſium, unum Tene, Tene, quam centum Cape, Cape, per longum ac moleſtum litigium, inculcare ſolitus. Pecuniæ interea Noſter non ſic inhiabat, ut expilator Clientum argui a quoquam poſſet. Ea quippe animi æquitate & αὐζαρκεία, ut quamvis ex honeſtiſſimo labore, & ab iis, de quibus optime meruerat, quique, ſi nihil invicem præſtent, indigni fuerint defenſione, mercedis auctoramentum ad uſum cultumque vitæ (quis enim omittat curas familiares, ut ſe alienis negotiis gratuito intendat?) jure optimo maximo exſpectaret: moderato tamen Salario contentus, & ſic alienus plane ab illorum Rabularum moribus eſſet, quibus perinde eſt, juſtam an injuſtam defendant cauſſam, dummodo crumenam inaurent, atque per litium Symplegadas navigent Colchos ad aureum vellus. O abyſſum iniquitatum! O teterrimum avaritiæ nefas! At abhorrebat Noſter; hac quoque laude inſignis, quod ſtudia ſua, una cum tempore ipſo, quaſi Labeo aliquis, ita diſtribueret, ut potiorem quidem partem forenſibus negotiis relinqueret, partem vero aliquam humanioribus etiam daret litteris, atque ſic, apta concordia, ſeria & ſevera illa Themidis ſtudia eruditis Muſarum amœnitatibus edulcaret. Unde quidem factum, ut Vir præſtantiſſimus, præter Carmina eruditiſſima, egregios aliquot libellos nobis concinnarit: quorum partem, Nuces puta Saturnalitias, Phaſelum Catulli cum elegantioribus Notis Philologicis, & Argo ſive Naves Antiquorum, publicæ luci, etſi ægre ad id (ut erat ambitionis fugitans, & ipſe ſui contemptor) adduci poterat, expoſuit: partem vero, in qua Alea Veterum, Scriptum multæ curæ & artis, & quod in tranſcurſu ſupra omnem commendationis aleam aſſurgit, & Obſervationes humanæ, morte XXVII. Julii MDCXLII. præpeditus, ἀνέκδοτον reliquit. Ne quid dicam de pluribus aliorum, qua editis, qua non editis, quibus, ære ſuo redemptis, lucem aliquam fœneratus eſt, digniſſimis utique, quæ cum uſu publico communicentur.

Vir fuit ſine omni mala malitia, & in quo adeo præter pietatem in Deum tum candorem, humanitatem, & multam accuratamque doctrinam, tanta apparebat modeſtia, ut mallet eſſe doctus ac bonus, quam talis videri. Quibus quidem nominibus ſicut hominem, ex quo interius noſſe cœpi, ſingulari ſemper proſecutus fui amore; ſic ipſe me ſtudioſiſſime coluit, & id publicis alloquiis teſtatum fecit, ut, quo me ab illo, dum potuit, affectu cultum non ingratus recordor, eodem me ad honeſtandam defuncti memoriam obligatum merito ſentiam & profitear.

IN-

INDEX CAPITUM.

ANDREÆ SENFTLEBII
DE
ALEA VETERUM
LIBELLUS.

CAPUT I.
PROOEMIUM CONTINENS.

Quomodo utendum sit ludo. Qui lusu plurimum delectati fuerint. Quando apud Romanos impune fuerit concessus. Scacus lusus etiam antiquis Germanis notus. Auctores qui de ludo, potissimum vero talorum, tesserarum & latrunculorum scripserunt.

I. ECTE monuit disertissimus Romuli Nepotum Tullius l. I. quem *de Offic.* scripsit: *Ludo, & joco uti quidem licere, sed ut somno & cæteris quietibus, tum, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.* Id quod etiam ab ipsissimo illo Tulliano seculo ad nostra hæc usque tempora nemo sapientissimorum damnavit unquam, licet abusum ejus, tanquam pessimum optimæ etiam rei magistrum, non abs re culpaverint omnes. Ut enim animus arduitate rerum cottidie agendarum quodammodo elanguescit, & alta quasi torpedine sopitus jacet: ita hoc ipso lusuum remedio, quasi cinis sulphuri appositus, reviviscit iterum, & vires sibi subinde acquirit novas. Quod si vero diutius etiam mens resuscitata ludicris hisce inhæret, non minus delinquit ac illi, qui conservandæ valetudinis causa, nimio medicamentorum usu, corpus non reficiunt, sed interficiunt.

II. Delectati autem sunt hoc recreationis studio viri ab omni ævo præstantissimi. Scævola sane JCtorum acutissimus *animum suum*, (ut de eo Valerius M. testatur lib. VIII. cap. VIII.) *forensibus ministeriis fatigatum, ad hoc diverticulum transferre solebat, aleæque & calculis vacasse interdum dicitur, cum bene ac diu jura civium ac ceremonias deorum ordinasset, & ut in rebus seriis Scævolam, ita in scurrilibus lusibus hominem agebat.* Ubi pro *scurrilibus* ipse malim legere *sterilibus*. *Antonius*, juxta Ciceronem *in foro atque propatulo alea lusit*. Fecit hoc ipsum Divus quoque Augustus Cæsar Octavianus, qui aleæ addictissimus γεροντικῶς ut in *ipsius Vita* legitur, id est, non lucri, sed senilis oblectamenti causa, ludendo, forum calefecit aleatorium, ut ipse de ipso scribit ad Tiberium apud Sueton. *cap.* LXXI.

III. Eum secuti sunt alii ex Imperatorum numero. Claudius Cæsar de Aleæ lusu integrum conscripsit librum, ejusque adeo studiosus fuit, ut solitus etiam sit in gestatorio ludere. Nero quadragenis in punctum sestertiis aleam lusit, ut Suetonius Author est. Canius Julus vir imprimis in urbe Romana magnus, in ultimo etiam mortis suæ articulo, hoc ipso remedio mortis suæ metum fefellit; *ludebat latrunculis* (inquit de eo *Seneca* c. XIV. *de Tranq. Animi*,) *cum centurio agmen periturorum trahens, & illum quoque citari jubet. Vocatus numeravit calculos, & sodali suo; vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris, te vicisse. Tum annuens Centurioni: testis, inquit, eris, uno me antecedere calculo. Lusisse tu Canium illa tabula putas? illusit.* Theodoricum Getarum Regem in alea exercitatissimum eleganter describit Sidonius *lib.* I. *Ep.* II. Artaxerxen Plutarchus in *ejus Vita*. Verum Imperatorem Julius Capitol. inter aleæ studiosos recenset. Calvus Poeta Curium Romanum talis pereruditum describit, teste Asconio.

(Pauper erat Curius Regem cum vinceret armis:) Hadr. Junius *lib.* II. *cap.* IV. Ab Athenæo lib. I. *Dipnos.* Diodorus Megalopolitanus, item Theoxenus & Leon Mytilenæus optimi latrunculorum artifices laudantur, quorum ultimus in hoc ludo plane fuit insuperabilis. Consule sis Athenæum & Piazz. *Univers.* lib. III. Disc. XLIV. Ideoque si de vitiis defendendis valeat auctoritas, maximi hi Principes nos satis excusarent. Beroald. in *declam. Scort. Aleat. Ebriosi.*

IV. Apud reliquum populum animi istæc remissio in tantum vires sumserat, ut tanquam palmes male luxurians Ædilibus resecandum committeretur hoc malum, bona consuetudine introductum. Et cum populus, omisso militaris exercitii studio, ad Græcos ineptos luxuriososque hos ludos se conferret, Magistratus certas etiam leges constituit, quibus luxus ille nimius coercebatur, & in ordinem quasi redigebatur; prout adhuc hodie in Libris A. & C. apparet, de quibus Lector etiam differentem videre potest Joh. Bapt. Pium in *Annot. post.* c. LXXII. Legibus autem istis bene convenit, quod Plautus ait in *Trinummo* Act. IV. Sc. III.

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam,
Magis quis sunt obnoxiosi, quam parentes liberis.
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Inde ab Horatio *vetita legibus alea* dicitur, propterea quod non nisi Decembri mense, quo Saturnalia agebantur, ludere concederetur impune.

V. A prisco illo Romanorum seculo, cum ipsa rerum gerendarum fortitudine ad sequiora etiam Germanorum tempora animi istæc relaxatio derivata est. De Germanis vid. Tacitus, qui quod tradit pervicaciæ indicium apud Germanos, ut victus alea, servituti fuerit mancipatus, ipsi victori quoque extitit probrosum. Ejusmodi farinam referunt hodie Sclavi ad triremium ergastula condemnati, quibus dum ipsis quandoque liberum permittitur abire, aleæ se committunt, victusque ad illa redit. Knichen *de restit. paction.* c. III. n. DVI. Inde in castris Pipini Francorum virtuosissimi Principis, lusum latrunculorum seu *Scacum* propriis ipsius filiis non denegatum vel inhibitum fuisse legimus. Immo superiori quoque seculo majores nostri, inter ipsos lituos & armorum strepitus, crepitantibus quoque usi sunt fritillis, tanquam otio liberali in ipso otio militari (ut infra fusius demonstrabitur) invento. Quod & strenuum illum Hungarorum Regem nunquam satis laudandum Matthiam Hunniaden, cum ad Bresslæ mœnia Regi Polonorum, Regique Bohemorum tertium se opponeret, fecisse, ex *Vita Caro-*

li IV. refert Piccartus lib. I. cap. V. ad indignationem usque alea illum lusisse recenset.

VI. Sed ut a pluribus ab hinc seculis lusui, aleæ præsertim multi fuerunt dediti; ita vicissim plurimi quoque ab omni ævo reperti sunt, qui de alea aliisque senilibus & puerilibus exercitiis scribere conati sunt, quorum tamen labores ut semper fuerunt impares, ita sæpissime etiam dissimiles. Cum enim de ejusmodi ludicris tractant, ea potius dissuadere, quam explicare videntur, id quod ex Veteribus fecerunt Tullius, Seneca, Quintilianus, aliique ex Philosophorum & Poetarum Schola, sparsim tamen & nunquam nisi professo quasi odio.

VII. Recentiores hac in parte multo fuerunt vehementiores, & in suis scriptis non leges, sed meras ludendi pœnas statuerunt, ex quorum numero sunt fueruntque Cyprianus, aut si qui alius, cujus libellus *de Aleatoribus* sub sanctissimi hujus Viri nomine circumfertur: Lambertus Danæus in libello *de ludo Aleæ*: Pascasius Justus *de Alea*, seu de curanda in pecuniam ludendi cupiditate, & alii, quibus merito annumerantur aliorum etiam Theologorum hac de re sententiæ, puta Lutheri, Calvini, Petri Martyris, Marlorati, Aretii, Taffini, Toleti, & aliorum, quorum flores collegit, & unico fasciculo cum dicti Pascasii & Danæi libellis edidit Nobilissimus Joh. a Munster in *Vorthlage*.

VIII. Huc etiam referenda est tota JConsultorum natio, qui vestigiis summi Imperatoris Justiniani, in Libris *Digestorum* & *Codicis*, ubi de Aleatoribus agitur, insistentes, & leges simul aleæ & pœnas scribunt, ut videre est apud Parid. de Puteo tract. *de ludo*, Caccialupum tract. *de ludo*, Benevent. Stracham *de Sponsionibus* part. III. n. IV. Berlich. *Decis. aur. decis.* LXVI. per tot. Jerd. Damhoud. in *pract. crim* c. CXXVI. per tot. Chil. Konig. in *process.* c. LVII. Lud. Lopez tract. *de controv. & negotiat.* l. II. c. XXI. & XXII. per tot. Julium Ferrettum in tractatu *de ludis publicis* per tot. Heigium *part. II. quæst.* X. per tot. Andr. Rauchbar. *part. II. quæst.* XXV. per tot. Wehnerum in *Observat. pract.* tit. *auf. Borg. spielen.* Parth. Litig. *lib. I. cap.* XIV. *num.* VI. *& lib. II. cap.* XII. *n.* XXIII. Conradum Lancellottum tract. *de Offic. prætor, in caus. criminal.* tit. *de lusoribus* per tot. Aquilam *de omni ludorum genere* §. III. *Corol.* III. Stephanum Costam tractatu *de ludo*, *Papiæ* 1478. edito, & qui ab eodem Munstero in supra nominato libello notis conjunctim editi exhibentur: Wesembecium in *Paratitlis D. de Aleatoribus.* Jacobum Menochium *de arbitr. Judic. quæst.* lib. II. Cent. IV. Gregorium Tolosanum in *Syntagm. Juris Universi* lib. XXXIX. c. II. Julium Clarum lib. V. *Sent.* §. *ludus* Joseph. Mascardum *de probat. Vol.* II. *Concl.* 997. Cujacium l. IX. *Observat.* c. XXVIII. Robertum Marantam in *Spec. aur.* part. VI. *de delatione juram. num.* XLV. Petr. Follenum *pract. crim. frag.* Scheneidevv in *lib.* IV. *Inst. de Action.* §. *item si quis in fraudem & de act. Paul.* & innumerabiles alios, quos recensere omnes ipsa Lectoris recusat nausea.

IX. Alii omissa carpendi fiducia & austeritate judicandi, id quod res fuit, dixerunt, quales procul dubio fuerunt, ut ab Athenæo passim citantur Alexis, Eubulique antiquorum Comicorum fabulæ, quas κυβευτὰς sive *aleatores* vocaverunt, aut Crateris *παιδιαὶ* seu *ludi*, aut Mnasiæ Patrensis libellus quem *Locrum & Colophonium* inscripsit.

X. Alii plane stylo Philologico aut ipsa ludorum genera ordine professo descripserunt, aut ad minimum vocabula eorundem fusius explicarunt: quod in primo genere ex vetustioribus fecerunt Claudius Imp. in libello supra nominato *de Aleæ lusu*, uti a Sueton. laudatur in *ipsius Vita* cap. XXXIII. his verbis: *Aleam studiosissime lusit, de cujus arte librum quoque emisit: solitus etiam in gestatorio ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne ludus confunderetur.* Item Suetonius Tranq. libro *de ludis Græcorum*, ut attestatur Servius. Qui tamen Libri una cum superioribus ex veneranda antiquitate perierunt omnes. Ex recentioribus vero Cœlius Calcagninus in libro *de Ludo talorum & tesserarum*, Dan. Souterius in *suo Palamede*, Joh. Meursius in Libello *de Ludis Græcorum*, Gustavus Selenus (sub cujus nomine latet illustrissimus & ingeniosissimus quidam Princeps Luneburgensis,) & Hieronymus Vida *de Ludo Scachorum*. Secundi generis partes subierunt & antiqui & moderni Philologi, sparsim tamen, ut diximus, in *Notis suis* & *Commentariis*, puta Julius Pollux in *Onomastico* lib. IX. cap. VII. Hesychius in *Dictionario*, Eustathius Scholiastes Homeri *ad Iliad. α.* Suidas in *Historica*, Isidorus Hispal. lib. XVIII. *Orig.* Alex. ab Alex. lib. III. cap. XXI. *Gen. Dierum*, Raphael Volaterranus lib. XXIX. *Philol.* Cœl. Rhodig. lib. XX. cap. XXVII. *antiq. Lect.* Th. Dempsterus in *Paralip. ad lib.* V. *cap.* I. *Antiq. Rosf.* Polyd. Virg. lib. II. cap. XIII. *de Rer. Invent.* Erasmus in *Adag.* Acron, Porphyrius, Cruquius, Lambinus, & alii Interpretes Horatii. Casaub *ad Suet.* Lipsius lib. I. *Antiq. Lect.* cap. XXI. C. Barthius XXXV. X. *Adversf.* Raderus in *Notis ad Mart.* Majolus in *diebus Canicul. pag.* 576. & quos ab aliis citatos vidimus tantum, Hadrianus Junius in *Adversf.* & *Adag.* Franc. Philelphus lib. I. *Conviv.* Vicentius Castello in libro *de rebus a Palamede inventis*, Delrio in Comm. magno *ad Hercul. furent. Senecæ*, Tiraquell. in *Notis ad Alex. ab Alex.* Beroaldus in *Not. ad Propert.* sed tædet plures addere.

XI. Hoc unicum tamen benevolus Lector sciat, quod alii sparsim habent, nos sedulæ apis instar, ex multorum *Notis* & *Commentariis* in unum contulisse fasciculum, & ubi dissentientes invenimus Criticos, quantum licuerit, reconciliasse invicem; plus tamen nixi sumus eorundem veritate, quam auctoritate. Nec nos etiam Calcagnini aut Danielis Souterii labores ab hoc scopo amoverunt, licet post Homerum Iliada scribere videri possumus: hoc enim non solum ex ipso Satyrico, cujus verba sunt, sed ipsa quoque magistra rerum experientia didicimus, *Bonorum mentium sororem esse paupertatem*; adeo ut non cujusvis sit magna sibi auctorum comparare volumina, qualia sunt ipsius Calcagnini opera, inter quæ etiam hic *de ludo talorum* libellus extat, seorsim nunquam, quod sciam, excusus. Souterii, Viri plurimæ alioquin lectionis, quantum ex Ejus *Pædagogo divitum* mihi constat, scriptum propter infrequentiam Exemplariorum, ne mihi ipsum quidem, magnopere hoc inquirenti, legere contigit. Meursius parvo in *Libello* multa dicit, sed ea plerumque Græce absque ulla interpretatione, qua occasione multos hujus linguæ ignaros lectores Vir alioquin profundæ eruditionis & mare scientiarum misere perdit.

XII. Nos quid præstiterimus, tuum erit, cordatissime Lector, judicare. Hoc enim Philosophorum Sapientissimus ne dicam Christianissimus me monuit Seneca, inquiens: *Quoties aliquid scripturus es, scio te morum tuorum ingeniique hominibus Chirographiam dare.* Quapropter judicium quidem de hoc ipso Libello liberum unicuique facile relinquimus, de ingenio difficulter, de moribus autem neutiquam; sed de iis cum Poeta protestamur:

Crede mihi, distant mores a carmine nostro.

Sed jam nunc rem ipsam aggrediamur;

Jacta est Alea. Fors fuat!

CAP. II.

Etymon Aleæ. Isidori Etymon exploditur. In historia Trojana multa sunt anilia, Varia vocis Aleæ significatio. JCti plerumque boni Philologi. Aleatores & Tesserarii quantum differant. Alea, id est, res dubia. Aleam emere. Cicero extra ingenii aleam positus.

I. NON abs re faciunt illi, qui cum de re aliqua scripturi sunt, in primo statim limine de origine nominis sunt solliciti; nunquam enim quisquam rem ipsam intelliget, qui Symbolum, id est, vocabulum illius ignorat, & quo convenientius rei nomen est, eo magis quoque ejusdem ostendit naturam. In hoc ergo *de Alea Veterum* opusculo, non admittimus illos, qui *Aleam* dictam putant quasi semper aliam, id est, dubiam & fallacem; hoc enim Syllabarum quantitas in prima vocis particula non admittit, quæ in utroque vocabulo diversa est: Nec etiam, quod bona nostra transferat ad alia: Ethicum enim hoc potius est Etymon, quam Grammaticum.

II. Facessat hic etiam Isidorus Hispalensis, qui libro XVIII. cap. LVII. *suarum Originum* inquit: *Alea est Ludus tabulæ inventa a Græcis, in otio Trojani belli, a quodam milite, nomine Alea, a quo & ars nomen accepit*, Nuspiam enim miles iste vel pictus vel scriptus est, & ingrata certe, ne dicam iniqua esset ejusmodi ingeniosissimo homini sacra vetustas, si tam temere memoriam ejus oblivioni dedisset, cum alioquin plurima passim rerum Trojanarum ab Auctoribus commemorentur ridicula & anilia, quæ pueris sæpe magis essent congrua quam Heroibus. Sed ut Hispanus iste plerumque magno conatu magnas nugas agit, ita & hic illum res suas sibi habere jubemus, & aleam potius ab ἄλη Græco, quod errorem significat, cum Christiano Becmanno Philologorum acutissimo, Libro *de Originibus*, dictam putamus, *nihil* enim *alea est incertius*, juxta Tullium lib. II. *de Divinat.*

III. Cæterum vis & natura hujus vocis *Aleæ* diversa est. Interdum enim generaliori significatione omnem ludum denotat, qui in fortunæ consistit arbitrio, uti hoc attestantur non tantum exempla probatæ Latinitatis Auctorum, sed etiam accuratissimorum Criticorum. Martialis *lib.* XV. *epigr.* XVIII. ubi de lusu nucum loquitur.

Alea parva, nuces, & non damnosa videtur.

Ovidius in Poematio *de eadem Nuce* vers. 75.

Quatuor in nucibus non amplius alea tota est.

Iterum Martialis *l.* XIII. *ep.* I.

Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus.
Alea nec damnum, nec facit illa lucrum.

Horat. *lib.* I. *epist.* XVIII.

Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat.

Ovid. lib. IV. *de Ponto* el. II. vers. 41.

Nam neque me vinum, nec me tenet alea fallax.

Ambrosius Lib. *de Tobia* cap. x. *habet & alea suas leges, quas jura fori non solvunt.*

Polyd. Virg. *lib.* II. *cap.* XIII. *Alea omnis ferme ludus, qui in varietate fortunæ consistit, ut sunt tesseræ cumprimis & chartæ lusoriæ. Sexcenti enim apud nos sunt modi ludendi ad aleam.*

Sipontinus *ad Præfat. Plinii*: *Alea dicitur omnis ludus magna ex parte in fortunæ varietate consistens, sed proprie de tesseris dicitur.*

Raderus *ad lib.* XIV. *ep.* XII. *Mart. Alea propria est hujus ludi, quamvis de omni generatim ludo alea dicatur, speciatim tamen tesseræ convenit.*

IV. Quibus merito nostros quoque adjungimus JCtos, tanquam facerrimos verborum censores, id est, egregios ubique Philologos, quod hactenus tot tantisque clarissimorum Virorum exemplis in Rep. literaria approbatum est. Ita enim Joh. Rauchbar *pare.* II. *quæst.* XXV. *num.* XXIII. *Alea*, inquit, *omnes fortunæ lusus tam simplices, quam mistos competitur, ut sunt tesserarum, talorum vel taxillorum, cuborum, scruporum, astragalorum, chartarum vel foliorum, lutriculæ* (forte latrunculorum) *fritilli, equorum ligneorum, quæ ξύλινα ἱππικὰ appellantur*, L. fin. C. *de aleat.* Quibuscum etiam conveniunt Gothofredus & Cujacius *ad t. t. l. d. alea*, vel potius *L.* 3. *h. t.* nam ipse etiam titulus hac generali significatione aleæ accipiendus est. Sichardus *ad h. t.*

V. Agnoscunt hoc ipsum etiam Theologi, puta Petrus Martyr. *ad c.* XIV. *Lib. Judic.* Joh. Taffinus L. II. C. XIX. fol. 380. *de Emendat. vitæ*. Fr. Toletus in *summa Cas. Consc.* lib. v. c. XXVII. Lyra in *Explicat.* VII. *præcepti Decal.* Lutherus *in cap.* I. *Jonæ vers.* 7.

VI. Interdum vox *Aleæ* ad solas *tesseras* spectat, ut hoc supra ex Sipontino & Radero demonstratum est, & adhuc seqq. patet exemplis. Juvenal. *Sat.* XIV, vers. 5.

Si damnosa senem juvet alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Alanus ab Insulis *Class.* I. *parab.* I. (qui Autor anno superiore in lucem etiam prodiit cum Notis Senftlebianis.)

Pauperat & ditat talorum casibus alphum
Alea ——

quanquam hic ad talos potius respiciat, quam ad tesseras. Plautus *Curcul.* Act. II. Sc. III. *vers.* 75.

Postquam cænati atque appoti, talos poscit sibi in manum.

Provocat me in aleam, ut ego ludam.

Ambrosius L. *de Tobia* cap. x. *Ferunt Hunnorum populos omnibus bellum inferre nationibus, fæneratoribus tamen esse subjectos: Et cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis quam hostilibus ictibus interire. In victoria sua captivos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideoque nunquam belli studia deponere, quod victi aleæ ludo, cum totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo.*

VII. Indeque etiam factum est, ut *Aleatores* se *Tesserarios* appellare maluerint quam aleatores, propterea quod aleatorum nomen infame esset, tesserariorum non item. Tesserarii enim non tantum dicebantur illi, qui tesseris ludebant, sed & illi qui tesseram (militare signum quod vocamus *die Losung*) per conturbernia militum aut prætorianorum nunciabant, ut Vegetius ait *lib.* II *c.* VII. Sic *Latrones* malebant audire πορισταὶ, id est, *quæstuarii*, quam latrones. V. Amm. Marc. *lib.* XXVIII. Sed de hac distinctione nimis vere ait idem Marcellinus & cum eo Gothofredus *ad L.* I. *C. d. aleatoribus* l. x. *Differunt aleatores a tesserariis, quantum fures a latronibus*. Non abs re itaque Aristoteles l. IV. *de moribus* c. III. Aleatores, fures, & latrones conjungit, quod hi quidem pericula magna acquisitionis causa subeant, *οἱ δὲ ἀπὸ τῶν φίλων κερδαίνωσιν, οἷς δεῖ διδόναι*, id est, (aleatores) *vero ab amicis lucrentur, quibus dare deberent.*

VIII. Interdum vero tota vox hæc tropica est, &, cum alea nihil sit incertius atque fallcicus, factum est, ut vox *aleæ* pro re quavis dubia, incerta & periculosa apud bonæ notæ Autores passim usurpata reperiatur. Sic Livius: *in dubiam imperii servitiique aleam imus*, id est, in dubium servitutis periculum. Sic ap. Horat. *lib.* II. *Od.* I. *periculosæ opus aleæ tractas*. id est, ut Scholiastes antiquus ait, *res bellicas exponis, quæ sunt plenæ periculo*. Et Cruquius non inepte *ad l.* II. *Sat.* v. *Horatii* ait: *alea de ancipiti rerum eventu dicitur, nimirum ubi res non ex arbitrio nostro, sed a fortuna dependet, qualis est hæredita-*

tis captatio, & cætera fere quæ sunt humana. Sic Cic. *de Divinat. non perspicitis aleam quandam inesse hostibus diligendis*, id est, fortunam, casum, & periculum. Livius iterum: *nec tam celerem aleam universi certaminis timens*, id est, celerem fortunam. Petronius in *Sat.*

Judice fortuna cadat alea; sumite bellum,
Et tentate manus

quo respexit ad illud Caii Cæsaris Sueton. *c.* XXXII. *Eatur, quo deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocat, jacta est alea.* Ubi multus est Casaubonus. Ambros. *in Lib. Tob. c.*X. *vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim, quam pecuniæ, sub momento fertur, quod valet in æternum.*

IX. Inde etiam JCtis notum loquendi genus: *aleam emere*; Jactum retis vel pantheram aucupis, prout illam fortuna exhibet, emere, quod Pomponius JCtus *L.8. D. de contrah. act.* eleganter vocat *spem emere*, cum inquit: *aliquando tamen & sine re venditio intelligitur, veluti cum quasi alea emitur, quod fit, cum captus piscium vel avium, vel missilium emitur. Emptio enim contrahitur, etiamsi nihil inciderit, quia spei emtio est.* Potest enim spes pretio emi, ut patet ex textu *L.*I. *D. quibus ex caus. in poss.* & *L.*II. *de hæredit. vel act. vendita.* Sic Paullus JCtus in *L.7. D. d. E. de hæred. vend.* inquit: *cum hæreditatem aliquis vendidit, esse debet hæreditas, ut sit emtio, nec enim alea emitur, ut in venatione & similibus.*

X. Non ignota etiam vel pueris est Pliniana ista de Ciceronis ingenio notabilis locutio, cum ait in præfat. *Hist. Nat.* ad Vespas. Imp. *Præterea est quædam publica eruditorum rejectio* (in dedicandis libris, quos non semper eruditis inscribimus, sed etiam aliis Viris extra literaturam excellentibus.) *Utitur illa M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus*, id est, ut Sipontinus explicat: cujus ingenium sine dubio omnibus præfertur.

XI. *Alea* quoque interdum denotat id, quod deponitur in alea, & ita Thomas Farnabius explicat illud Mart. *l.*XIV. *ep.*XV.

Non sum talorum numero par tessera, cum sit
Major quam talis alea sæpe mihi.

Plus enim deponebatur in ludo tesserarum, quam talorum, ut infra docebimus. Et hæc quidem de notatione vocis Aleæ dicta sufficiant.

XII. Nos in generali ista significatione manebimus, & quosdam, qui in fortunæ consistebant olim hodieque arbitrio, ludos recensebimus; ita tamen, ut etiam illos, in quibus ars certare solet cum fortuna aut casu nequaquam prætereamus. *Cognitio* enim *talorum* (& aliorum antiquorum lusuum) *mirifice facit ad antiquitatem cognoscendam & Autores pernoscendos*, inquit & fatetur Raderus *in Comm. ad l.*XIV. *ep.*XI. *Mart.* Sed antequam hoc facimus, paulisper etiam in autores talium lusuum inquiramus necesse est.

CAP. III.

De Inventoribus Aleæ. An Diabolus? an Dæmon Theut? an Lydi? an Pyrrhus? an Chilo? an Attalus Asiaticus? An miles Alea? an Palamedes? an Proci Homerici? Zabulus, cur ita scribatur. Ludi a Lydis dicuntur. Hugo VON TRUMBERG. *Alea Minervæ cognomen. Alea oppidum.*

I. THEOLOGI, ut omne illud, quod ipsi malum putant, a Dæmone originem traxisse affirmant: ita & huic quoque aleæ ludo patrem faciunt diabolum. Ita Chrys. *Hom.*VI. *in Matth.* ait: *Deum non invenisse ludum, sed diabolum; sedit enim populus ad manducandum & bibendum, & surrexerunt ad ludendum in honorem turpissimi idoli.* Quanquam ego hoc piissimi Patris dicterium ad ludos potius theatrales, quam hos fortunæ interpretandum esse censeam; hoc enim sequentia ejus verba declarant, cum inquit: *Diabolum quoque in civitatibus theatra exædificasse.* Et hujus opinionis consentaneum habeo Petrum Martyrem *ad Cap.*XIV. *Libri Jud.*

II. Cæcilius Cyprianus in Libello *de Alea*, aut quis alius ejus Auctor non contemnendus, inquit: *quendam studio literarum bene eruditum, perniciosum hoc studium instinctu Zabuli, qui eum artibus suis replevisset, invenisse.* Inde & *alibi* inquit: *ad aleæ tabulam præsto est diabolus, ad capiendum summissus*, &c. Ubi hoc obiter notandum, vocem *Zabuli* vel potius *Zaboli*, hic pro voce diaboli positam esse, qua plerique in scriptis suis utuntur Patres, ut hoc multis exemplis probat & demonstrat Casp. Barthius in *Anim. ad Phœbad.* Unde autem nata sit hæc vox, nemo unquam Criticorum, quod sciatur, satis explicuit. Cælius Rhodiginus lib.II. *Antiq. Lect.* c.X. inquit: *Zabolum obiter pro diabolo positum apud Hilarium observavimus, nisi forsan mendum exemplarium est. Alias Tribus est Zabulon in sacris Literis. Sed apud Suidam Zabulos dicitur, qui vehementer vult, ὁ πάνυ βουλόμενος. Satanam* alias *malleum terræ* vocat Jeremias *cap.*L.23. Turnebus *lib.*XXVI. *cap.*IV. *cit. Zæta quæ sit in eodem libro* (Plinii) *quæstionis est? ego diætas interpretor, ut enim pro διάπλυτος ζάπλυτος dicitur, sic pro diæta Zæta: reperio in Antonini* Itinerario *Hipponem Zarrhytum pro Diarrhyto, & apud Cyprianum Zabulum pro diabolo.* Barthius rem optime tetigisse videtur, cum inquit *ad c. l. Phœbad. Nec est, quod ab alio, quam a διαβάλλειν idem* (*Zabuli* vocabulum) *deducant viri docti, cum Δι sæpius exprimatur una litera nimirum ζ.* Recte, vocem enim hanc contractam esse nemo non videt, error autem & in hoc & in aliis vocabulis a Græco δια incipientibus inde manavit, quod Græci tres hasce literas initiales plerumque per abbreviaturam scribere solebant. διάβολος, διάπλυτος, Δίαιτα, quod etiam adhuc hodie in nostris typis apparet, ex quibus, & quia isthæc abbreviatura literæ ζ non admodum absimilis est, imperiti illam etiam pro ζ legerunt, & ita causam errori dederunt, qui jam usu receptus est.

III. Sed ego ad Theologos revertor; illi, inquam, si rem accuratius attenderimus, tantopere a scopo non aberrant, sed suos quoque hac in parte Auctores inveniunt Ethnicos superiores, a quibus isthæc per traducem quasi dimanarunt. Plato enim, ut ex eo nobis suggerunt Beroaldus, Meursius, aliique, dæmona quendam nomine *Theut* earum scientiarum, quæ in numeris consistunt, Auctorem laudat, eique inter reliquas artes Mathematicas, aleæ quoque inventionem attribuit. Hunc autem Dæmonem Ludovicus Vives *in l.*VIII. *August. de Civit. Dei*, cap.XXVI. & l.XIV. c.IX. Lit.T. Mercurium fuisse dicit, qui vulgo Hermes nuncupatus fuisset, aitque: *Illum & has artes Mathematicas & literas, & aleam, ad Thamum Ægypti Regem, qui postea dictus fuisset Ammon* (a quo in Sacris Ammonitæ nominantur) *detulisse.* Eadem & Rhodiginus habet *l.*XXII. *cap.*XV. cum inquit: *Illud denique non habendum insuper: ad Ægypti Naucratim, ut in* Phædro *scribit Plato, Deum fuisse quendam, cui dicatam ferunt avem Ibim, quique sit Theut ac idem Theutates sive Mercurius, quod plerisque arrisit; hic omnium Princeps & numerum & computationem excogitavit, sed Geometriam quoque & Astronomiam: talorum rursus aleæque lusus & literas: qua tempestate Ægypti Rex fuerit Thamus, quem dicunt Ammonem.*

Paria cum ſuperioribus quoque StucKius refert l.III. c.XXII. *Antiq. Conv.*

IV. Quia Deos vel Dæmones Auctores alicujus rei facere velle plerumque cum fabula conjunctum eſt, ideoque & hujus ludicri alium quæramus Auctorem neceſſe eſt. Herodotus *lib.* I. hoc inventum Lydis adſcribit, ſed ſatis etiam ridicule. Verba ipſius Latine recenſebimus: *Ajunt & ipſi* (Lydi) *ſe ludos inveniſſe, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes ſunt, ſimul autem hæc inveniſſe, & in Tyrrheniam, hoc eſt, Tuſciam, colonos deduxiſſe, idque hunc in modum accidiſſe referunt: Tempore Alydis Manis Regis Filii, annonæ difficultas per univerſam Lydiam valde graſſabatur, adeo ut Lydi, qui tum miſere degebant, non ceſſantes remedia huic malo quærere, alii aliud excogitaverint, inventumque tunc ab iiſdem aleæ teſſerarumque ludum & pilæ, cæterorumque ludorum omnium genera, præterquam talorum, horum enim inventionem ſibi non vendicant Lydi. Porro ad famem diſcutiendam altera quidem dierum, in totum luſibus occupabantur, ne videlicet ciborum quærendorum ſollicitudine diſtorquerentur; altera vero a luſibus abſtinentes paſcebantur, atqui hoc vixerunt modo annis duodeviginti.* Hactenus Herodotus. Cui ſi fides eſt habenda, næ ludus iſthic multum quoque emolumenti foret noſtris militibus, qui nonnunquam multo ſtrenius eſuriunt quam pugnant. Interea tamen non abſonum eſt a veritate etiam hiſtorica, Ludos dici a Lydis, ut Tertull. refert libro ſing. *de Spect.* Siquidem illi ex Aſia tranſvenæ, duce Tyrrheno, in Etruria conſederunt, ibique inter cæteros ritus ſuperſtitionum ſuarum, ſpectacula quoque religionis nomine inſtituerunt. V. Roſin. lib. I. Q. I. *Antiq.* Unde nonnulli etiam Lydum & Tyrrhenum ludi præſertim latrunculorum auctores faciunt, ut Thomas Actius Foro-Sempronienſis in tractatu *de ludo Scachorum*. Cum Herodoto conſentit Livius, & ex recentioribus Polydorus Virgilius lib. II. cap. XIII. *de Rer. Inventoribus*, & Beroaldus in *Declamat. Aleatoris, Scortatoris, & Ebrioſi*. Item StucKius lib. III. cap. XXII. *Antiq. Convival.* Et Cælius Rhodiginus *l.* XX. *c.* XIV. De Talorum quidem ludo ita Polydorus Virgil. *l.* II. *c.* XIII. *ratio ipſius ludi quam ſupra poſuimus* (nempe nomina jactuum, Canis, Senionis, Vulturis, &c.) *videtur ſignificare Romanum eſſe inventum; fuit tamen celebris & apud Græcos, ſiquidem Euripides talorum numerum uſque ad quadraginta auxiſſe fertur.* Idem tamen *d. l.* ait, *Ludum latrunculorum inventum fuiſſe circiter annum orbis conditi* 3635. *a quodam Viro ſapiente, nomine Xerxe, qui ita tyranni ſævitiam coercere metu, ac eum documento monere volens, oſtendit, majeſtatem ſine viribus, hominumque adminiculis, parum admodum valere atque tutam eſſe, quando per ejuſmodi ludum ſatis patebat, Regem facile oppreſſum iri, niſi invigilaret, a ſuisque defenderetur.* Hæc Polydorus.

V. Donatus Grammat. *ad Act.* IV. *Sc.* VII. *Eunuchi Terentiani*: Pyrrhum quendam calculorum ſeu latrunculorum (qui nobis hic communi nomine Aleæ veniunt, licet arte potius dirigatur iſte ludus, quam fortuna) facit Auctorem, cum inquit: *Pyrrhus Epirota ſtratagematum peritiſſimus, primus, quemadmodum ea diſciplina traderetur, per calculos oſtendit in tabula.* Qui illud fortaſſis hauſit ex iſto Senecæ l. II. *de Ira* cap. XIV. cum ait: *Pyrrhum maximum Præceptorum certaminis Gymnici ſolitum, ajunt, his, quos exercebat, præcipere, ne iraſcerentur.* Quæ verba Senecæ me movent, ut plane alium hunc Pyrrhum ab iſto Achillis Filio, quem nonnulli hic ſubintelligunt, fuiſſe crediderim; non enim regiæ Majeſtati conveniret, alios ſibi inferiores ad gymnaſtica erudire exercitia. Thomas Dempſterus hunc locum citando mihi videtur memoria fuiſſe lapſus, cum inquit: *Senecam* (d. l. & cap.) *Chiloni Sapienti hoc inventum attribuiſſe*, cum tamen Seneca ibi ne verbo quidem Chilonis mentionem fecerit. Hoc tamen de Chilone me legiſſe memini apud Joh. Sarisberienſem, illum aliquando jungendæ Societatis cauſa miſſum fuiſſe Corinthum, ibique duces & Seniores populi ludentes inveniſſe alea. Itaque infecto negotio illum reverſum dixiſſe, ſe nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus conſtructo Byzantio clareſcebat, hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxiſſe civitatem. Si itaque ille Auctor extitiſſet aleæ vel alterius cujuſdam ludicri, quare artem ſuam in aliis eandem exercentibus tantopere exſecratus fuiſſet?

VI. Idem Sarisber. lib. I. cap. V. *Policrat.* Attalo cuidam hunc ludum adſcribere videtur his verbis: *Attalus Aſiaticus (ſi gentium hiſtoriis creditur) hanc ludendi laſciviam dicitur inveniſſe, ab exercitio numerorum paululum deflexa materia.* Et paulo poſt: *Alea vero exciſo regno Aſiæ, inter manubias everſæ urbis non ſub una tantum ſpecie migravit ad Græcos. Hinc, teſſera, calculus, tabula, unio, vel dardana pugna, tricolus, ſenio, monarchus, orbiculi, taliarchus, vulpes, quorum artem utilius eſt dediſcere, quam docere.* Hæc Sarisberienſis.

VII. Utut ſit, in hoc tamen plerique Scriptorum tam veterum, quam recentiorum conveniunt, nimirum ad mœnia Trojæ, totius fere Aſiæ metropoleos, aleæ calculorumque ludum inventum eſſe, quamvis de Inventore ejus nonnunquam diſſentiant, quos inter non poſtremus eſt Iſidorus Hiſpal. *l.* XVIII. *c.* LVII. qui, ut ſupra dictum eſt, militem nobis obtrudit ſub nomine Aleæ, cum inquit: *Alea eſt ludus tabulæ, inventa a Græcis in otio Trojani belli, a quodam milite nomine Alea, a quo & ars nomen accepit.* Iſidorum ſecuti ſunt omnes ſequioris ſeculi Scriptores, pro ea auctoritate, qua una cum Martiano Capella & aliis adhuc paucis, apud ſui ſeculi homines pollebat plurimum, ut hoc prolixius de illo recenſet Barthius in *Adverſ.* Et inde ejuſdem cum Iſidoro opinionis quoque eſt Poeta antiquus Germanus, quem domi poſſideo, Hugo *von* TRUMBERG, Didaſcalus quondam Scholæ Turſtadienſis (vixit is Anno 1300.) in libro Rhythmico, quem vocat *den Renner*, ubi per interpretem ſic inquit: *Jam alius ludus eſt, quem Magnates ſolent ludere, qui multum damni & incommodi affert. Hunc vobis ludum latrunculorum appello, quem invenit Eques, dictus* Aber, *ad Trojam; propterea tamen haud lætabundus*, &c. Ubi tamen vel vitio Typographi, vel ignorantia ipſius Auctoris peccatum eſt in voce *Aber*, pro qua ex fatua opinione Iſidori reponenda erat vox *Aleo* vel *Alea*. Verum iſte miles, ut dictum eſt ſupra, in omni antiquitate Trojana plane ignotus eſt.

VIII. *Aleæ* ſane Minervæ cognomen fuiſſe patet ex quodam Statii loco lib. IV. *Sylvarum* Carmine VI.

Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa Sacerdos.

Id eſt, Lucis Minervæ apud Tegeatas, ut hoc apparet ex Herodoti *lib.* IX. cum inquit: *Tegeatarum Principes, diruto Mardonii tentorio, una cum aliis etiam præſepe equorum Mardonii, quod totum ex ære conflatum fuit, ſurripuiſſe, & in templum Aleæ Minervæ repoſuiſſe.* Qui locus huic Minervæ cognomini non parvam addit lucem. Stephanus *de Urbibus* oppidum Arcadiæ Aleam fuiſſe dicit ab inventore *Alea* ſic dictum, ſed hoc nulla probatur Auctoritate Claſſici cujuſdam Auctoris.

IV. Me judice, rectius faciunt illi, qui cum Pauſania Suidaque Palamedem Aleæ tabulæque Auctorem faciunt. Ita enim ille in *Corinthiacis* ex inter-

A pretatione Romuli Amasæi inquit: *Supra Nemei Jovis, Fortunæ fanum est perantiquum, in quo inventas a se primum tesseras Palamedes dedicavit.* Et in *Phocicis* Idem ait: *Mox Palamedem & Thersiten tesseris (quod ludicrum ipse Palamedes excogitavit) lusitantes, alter Ajax aspicit.* Suidæ verba ex interpretatione Wolfii in *voce* τάβλα hæc sunt; *Tabula nomen Ludi; hanc Palamedes ad Græci exercitus delectationem magna eruditione atque ingenio invenit: Tabula enim est mundus terrestris, duodenarius numerus est Zodiacus, ipsa vero area, & septem in eo grana sunt septem stellæ Planetarum: Turris est altitudo cæli, ex qua omnibus bona & mala rependuntur.* B Hæc Suidas. Cujus verba quodammodo aliter in Latina Civitate Turnebus repræsentat *l.* XXVII. *c.* III. quem vide. Sophocles quoque in *Palamede* huic ipsi inventionem hujus ludicri adscribit in his versibus, qui etiam cum Herodoti fabula conveniunt;

Οὐ λιμὸν ἔτος τόνδ᾽ ἄπωσε σὺν Θεῷ
Εἰπεῖν χρόνοντε διατριβὰς σοφωτάτας
Εἰ εὗρε φλοίσβε μετὰ κοπὶω καθαμένοις
Πεσσὲς κύβεσε τερπνὸν ἀγρίας ἄκος.

C Id est, ex interpret. Hadr. Junii.

Nam ille (dicam enim) procul famem, Deo
Juvante, abegit, ociumque fallere
Docuit sedentes, littore in sicco, mare
Ubi murmurat, ludo reperto tesseræ
Vitæ jucundo desidis solatio.

Palæmon, Græcus Auctor, etiam suo ævo *saxum & abacum Palamedæum* tradit extitisse, ut Raderus refert in *Comm. ad Mart. l.* XIV. *ep.* XI. Plura e Veteribus exempla recenset Thomas Dempsterus *l.* V. *c.* I. *Paralip. ad Rosini Antiq.* puta ex Philostrato D Lemnio in *Heroicis*, Gregor. Nazianz. in *Invectivis*, Aurelio Cassiodoro *lib.* VIII. *ep.* XXXI. Sidonio Apoll. *Carm.* XXIII. Ex recentioribus hoc idem de Palamede affirmat Turnebus *d. l.* XXVII. *c.* III. Raphael Volaterranus lib. XXIX. *Philol.* Cæl. Rhodig. *l.* XX. *c.* XIV. cujus verba juvat adscribere: *Quod de aleæ lusu diximus, sciendum, ab Eustathio proditum,* κυβείαν, *id est, cuborum lusum, &* πεττείαν, *id est, pessorum, a Palamede fuisse excogitatum apud Trojam, etiamsi ad Ægyptios id referunt quidam. Quamvis apud illos non tam* παικτικὴ, *id est, lusoria foret ratio, quam Philosophica, & ex intimis eruta doctrinæ conceptaculis.*

E X. Sed antequam caput hoc finiamus, adscribemus ea, quæ Athenæus refert lib. I. *Dipnos.* ex optima Dalechampii interpretatione. *Apud Homerum Odyss. α. proci latrunculorum lusu ante fores animum recreant, non a Diodoro Megalopolitano aut Theoxeno eam ludendi rationem edocti, nec a Leone ortu quidem Mitylenæo, sed Athenis oriundo, qui, ut scribit Phanias, in eo ludo fuit pene insuperabilis. Appion Alexandrinus se ab Ithacensi Ctesone audivisse memorat, qualis esset apud procos iste ludus.* Quæ verba etiam Trojanam agnoscunt inventionem, F vel quod circa illa tempora ludus aleæ & calculorum maxime fuerit in usu. Qualis autem iste Procorum Penelopes fuerit lusus, infra ex eodem Athenæo demonstrabimus.

CAP. IV.

De Talis. Unde dicatur ἀστράγαλος. *An homo habeat talos. Materia talorum. Tali Dorcadii, Siphnii, Eborei, aurei. Aqua mantica. Astragalomantia. Tali opplumbati quales. Latera talorum. Talus rectus. Latera supina, prona. Suppus. Planus. Figuræ, Puncta talorum. Binarius & quinarius an in talis.*

I. HIS ita præmissis ad species quasdam Aleæ jam nunc pergamus, e quibus ut antiquior, ita a moderno usu remotior TALORUM se ludus exhibet. *Taxillus*, pro quo, ut Cicero in *Orat.* refert, talus dictus est, fuga literæ vastioris X, juxta Rhodigini descriptionem *lib.* IV. *cap.* XI. aut potius Plinii in *lib.* XI. *cap.* XLVI. *rectum in articulo pedis os est, ventre eminens concavo, in vertebra ligatum.* Id est, officulum quoddam est, in articulo pedis animalium bisulcorum, ventre extuberans, concava vertebra ligatum, quadratum forma, altera parte concavum, altera planum. Dictus Latinis *talus*, quod τήλοθεν jacitur, vel quasi telum, quod posterioribus pedibus, vice teli, quædam (animalia) talo prædita utantur, inquit C Raderus *ad Mart. lib.* XI. *epigr.* XIV.

II. Græcis dicitur ἀστράγαλος, quasi ἀστράβαλος παρὰ τὸ ἀστραβῆ, καὶ ὀρθὴν φυλάττειν τὴν βάσιν, *quod muniat & rectam servet basin corporis*, vel ὁ μὴ πρὸς τὸ μένειν καὶ ἑστάναι γεγονὼς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κινεῖσθαι ἀστάγαλός τις ὢν, καὶ πλεονασμῷ τοῦ Ρ ἀστράγαλος. *Quod non ad manendum neque standum a natura institutus, sed ad motum quasi astagalus, & additione literæ R astragalus. Aliis ab Astro dictus, quod ita suffragini pedis insertus sit, ut astrum cœlo.* Idem Raderus *d. l.* qui hæc maximam partem desumsit ex Hadr. Junii l. *Adversf.* II. cap. IV. ubi hanc ipsam D astragalorum derivationem ex Eustathio deducit; qui idem Junius ex Plutarcho docet, talos ejusmodi etiam scuticis, quibus in matris deorum templis Galli flagellari soliti fuissent, insertos fuisse, ut quasi pedibus consisterent. Quem ibi videas velim.

III. Quia vero Talus proprie animalium bisulcorum officulum est, in suffragine pedum posteriorum, non equidem rotundum plane, magna tamen parte rotunditatis particeps, quæstio movetur a Physicorum Filiis, num tali etiam reperiantur in homine? Plinius *lib.* II. *cap.* XLXI. plane negat cum inquit: *Talos asinus Indicus unus solidipedum habet;* E *nam sues ex utroque genere existimantur (ideo fædi earum)* (locus hic certe de mendo suspectus est, immo perperam hæc verba in Plinii contextum irrepserunt & penitus extirpanda sunt) *hominem qui existimarent habere, facile convicti.* Idem etiam Aristot. lib. II. *de hist. animal.* cap. I. & Galenus, statuunt. Verba Aristotelis hæc sunt; καὶ ἀστράγαλον δὲ ὁ Ἰνδικὸς ὄνος ἔχει τῶν μωνύχων, μόνον; ἡ δὲ ὗς, ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον, ἐπαμφοτερίζει. Διὸ καὶ οὐκ ἀστράγαλόν ἐστι. τῶν δὲ διχηλῶν πολλὰ ἔχει ἀστράγαλον. πολυσχιδὲς δὲ οὐθὲν ὦπται τοιοῦτον ἔχον ἀστράγαλον, ὥσπερ οὐδὲ ἄν- F θρωπος. Id est, *Talum etiam asinus ille Indicus solus in solidipedum genere possidet. Sus enim, ut modo dixi, ambiguus est; quo fit etiam, ut talo careat. Permulta ex bisulcorum numero talum habent. Ast vero multifidum nullum adhuc talum ejusmodi habere cognitum est, ut ne hominem quidem habere certum est.* Ex quibus Plinii locus admodum illustratur. Vide etiam Aristotelem lib. IV. *de partibus animal.* cap. X. A quibus tamen dissentiunt Herodotus *lib.* III. & Seneca in *Epist.* Polydorus Virgilius lib. II. cap. XIII. *de Rerum Inventoribus*. De qua lite videri potest Cælius Rhodiginus *lib.* IV. *cap.* II.

A Beroaldus in *Comm. ad Suet. August.* p. m.95. & qui hæc omnia prolixius tractat Raderus *ad d. l. Mart.* καταχρηστικῶς tamen etiam talos in homine dicimus pro ima parte sive pro osse, quod ab utraque parte juxta calcaneum extuberat. Inde *tunica talaris* apud Tullium *Verrin.* VII. & *talaria*, alata scilicet Mercurii calceamenta, de quibus in Poetarum Scholis docemur.

IV. Notandum hoc loco, quod Janus Parrhasius in *quæsitis per Epistolas* ep. XVII. *ad Murctum*, Mediolanensem Editorem operum Ciceronis inter alia etiam hoc nomine maxime reprehendat, quod interdum Ludum vocet *Talarem*, cum *Talarium* juxta B auctoritatem & Vet. CC. & ipsius Ciceronis scribere debuisset. *Sicut enim*, inquit, *a parte pedis talo talaris appellatur vestis, ita a talo cum significat* ἀστράγαλον *talarius fit*.

V. Talibus ergo officulis affabre tamen factis, Veteres utebantur in ludo, qui inde tanquam a materia dicebatur *ludus Talorum* vel *taxillorum*, ut hoc expresse asserit in toties laudata *declamatione Aleatoris, Scortatoris, & Ebriosi*, Ph. Beroaldus: nisi mavis etiam a forma potius horum ossium ita vocatos fuisse, mecum sentire. Materiam enim quod attinet, communiter quidem tali ex ejusmodi, quæ jam descripsimus, constabant officulis, animalium C scilicet bisulcorum, quamvis etiam interdum desumta erant e talis Dorcadum, quod genus damarum vel caprarum fuisse ex Æliano constat *l.* XIV. *c.* XIV. quibus plerumque ludebant ditiores. Inde a Græcis ut Casaubonus refert in *Not. ad Charact. Eth. Theophr.* δορκάδειοι ἀστράγαλοι dicuntur, præsertim vero ab ipso *Theophrasto* d. libro cap. περὶ ἀρεσκείας, ubi inquit: ἀμέλει γὰρ καὶ πίθηκον θρέψαι δεινὸς, καὶ τίτυρον κτήσασθαι, καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ δορκαδείοις ἀστραγάλοις. Id est, ex interpretatione Casauboni: *Præterea solet idem simiam domi alere, Satyrum habere, & columbas Siculas, & e cornu Dorcadis talos*. Ex quo tantum discimus, talos non e pe- D dibus Dorcadum, sed e cornu earundem fuisse confectos. Et tales quidem *Dorcadum* (id est, *Damarum Caprearumve*, ut hoc vocabulum in margine Dalechampius exponit) talos Antiochus Epiphanes, Epimanes potius, indiscrete notis ignotisque hominibus muneris loco obtulit, ut de eo duobus in locis scribit Athen. *l.* V. *p. m.* 145. & *l.* X. *p.* 327. *Dipnosoph.* idque auctoritate Polybii *l.* XXVI. & XXX. quibus tamen libris hisce temporibus caremus plane, refert. His autem *Dorcadiis talis* idem Casaub. *d. l. notarum ad Theophr. Charact. talos Siphnios*, id est, viles & minimi pretii, quibus vulgus utebatur, opponi, aitque ita dictos διὰ τὴν εὐτέλειαν a *Si-* E *pho* Insula juxta Strabonem. Meminit ejusdem, sed paucis etiam H. Junius l. II. c. IV. *Advers.* ex Eustathio.

VI. Interdum tamen etiam *ex ebore* constabant. Inde etiam lemma istud Martialeum in Lib. *Apophor.* ep. XIV. TALI EBOREI, & Ovidius l. II. *de A. A.*

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos.

Quo tamen loco Turnebus per numeros eburneos non talos, sed tesseras intelligit, ut infra dicemus. Alex. ab Alex. *l.* XIII. *c* XXI. refert; *Parthorum ludum fuisse aureos talos, quibus certo anni tempore in-* F *dulgere licuisset*. Quod etiam Raderus *ad Mart.* XIV. II. affirmat, cum inquit: *aureis talis Parthorum pueros fuisse usos*. Et Joh. Sarisber. l. I. c. V. *de Nugis Curial.* ait: *Regi Demetrio in opprobrium puerilis levitatis, taxillos aureos a Rege Parthorum fuisse datos*. Vide Nic. Bellejum Piazz. *Univers.* lib. III. Disc. XLIV. Sic Apollonius Rhodius lib. III. *Argonaut.*

-- ἀμφ' ἀστραγάλοισι δὲ τώγε
Χρυσείοις ἅτε κῦροι ὁμήθεες, ἑψιόωντο.

Id est, Junio Interprete:

Ut pueri æquales ex auro ludere talis
Sunt deprensi ambo.

VII. Sic Sueton. de Tiberio refert *cap.* XIV. illum in Aponi fontem talos aureos jecisse, evenisseque ut summum numerum ab eo jacti ostenderent. Quod fuit genus ὕδατος μαντικοῦ, qualis apud Pausaniam aqua Inus dicta, de qua ita refert: *Inus palus est parva, qua lata est, qua vero subsidit, alte descendens: in eam festo Inus die, solemne est panificia porricere, ea si demersa retinuerint aquæ, secunda ei, qui porrecerit, promitti autumant; contra vero adversa, quoties illa aqua rejecerit*, &c. De Ætnæ montis cratere idem Pausanias *d. l.* eadem refert, quem vide. Et in *Arcadicis* de Herculis specu cognomento Buraici, de quo Junius lib. II. cap. VI. *Animadv.* videatur de hac divinatoria Artemidorus *lib.* II. Talos autem in Consultatiobus ejusmodi solitos adhiberi declarat, ἀστραγαλομάντεων appellatio, inquit Casaub. *ad dict. Suet. loc.* Et Cæl. Rhodig. *l.* XX. *c.* XXVII. ait: Erant porro in sacris mensis astragali, quorum jactu vaticinia concipiebant, ut si, me jacente, hoc emerserit, fiet hoc, sin minus, haud fiet. Ex quo procul dubio sua desumsit Junius *d. l.* quamvis Pindari Scholiasten quoque alleget. Quantum vero interdum decepti fuerint hac opinione sortilega vel ex memorabili isto non tam talorum, quam tesserarum jactu apud Æschylum in *Agamemnone* apparet, ubi excubitor per tenebras face captæ Trojæ indice, eam ter sex jecisse, id est, fausta lætaque portendere omnia gaudet, dum sic ait:

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
Τρὶς ἓξ βαλούσης γὰρ δὲ μοι φρυκτωρίας.

Id est, Had. Junio Interpr.

Cecidisse res berile prospere dabo,
Nocturna quando hæc fax mihi ter sex jacit.

Apud Aristotelem in *Probl. Sect.* XIV. ὅσα περὶ τὰ ἄψυχα duobus in locis mentio fit ἀστραγάλων μεμολιβδωμένων, quos Theodorus Gaza vertit, talos opplumbatos. Verba Aristotelis hæc sunt: ὅτε τοῖς μεμολιβδωμένοις ἀστραγάλοις συμβαίνει, ἄν τις τὸ κουφότερον πρὸς αὐτὸν στρέψας μέρος. Id est: *ut in talis fieri opplumbatis videmus, quoties quis partem leviorem ad se vertens projiciat*. Quænam vero earum sit ratio, nemo me hactenus edocuit; ego fere pro adulterinis habeo: quibus ludentes se invicem decipiebant, hoc enim ex posterioribus Aristotelis verbis apparet, quando inquit: *quoties quis partem leviorem ad se vertens projiciat*. sed certi nihil affirmo.

VIII. *Formam* Talorum quod attinet, sciendum est, Auctores inter se non unius esse sententiæ. Joh. Thomas Freigius in bonis alioquin *notis ad Ludovici Vivis Colloquia* ad Dial. VI. inquit: *Inter talos & tesseras hoc apud Veteres discrimen fuit, quod tessera lateribus constabat sex, talus autem quatuor. Cum* (tesseræ) *senum sint laterum, plures numeros quam tali, qui quaternum sunt* (scil. laterum) *habebant*. Et *lib.* XXVII. *cap.* III. expresse inquit: *In tessera sex latera, in talo quatuor erant*. Cælius Rhodig. *lib.* XX. *cap.* XXVII. *cubus sive tessera lateribus constabat sex, talus autem quatuor*. Idem etiam Polyd. Virg. *l.* II. *c.* XIII. statuit. Contra alii talo sex latera, tesseræ autem quatuor attribuunt. Britannicus vetus Persii Commentator *ad Sat.* III. ait: tesseram quatuor laterum fuisse, talum autem sex. Mancinellus Scholiastes Horat. *ad Od.* VII. *lib.* II. talus sex laterum erat. Raderus *ad Mart. l.* I. *ep.* III. *Sex habebat latera sive angulos talus*. Hoc enim nonnulli faciunt, ut talo non sex latera, sed sex angulos attribuant, ut facit Alex. ab Al. *l.* III. *c.* XXI. *Dier. Genial.* cum inquit: *tali fuerunt eburnei sex angulorum*. Dempsterus in *Paral. ad Antiq. Rosin.* c. I. lib. V. quoque talos sex angulos habuisse, tesseras tantum quatuor, ait, citatque hac in parte Hadr. Jun. l. II. *Animadv.* cap. IX. & Beroald. in *Annot.* XXII. & XXVII. aitque *Græcos propterea* κύ-

βοι.

βυς, *Latinos vero quaterniones vocasse tesseras, talos vero Seniones.* Sed hanc controversiam omnium optime componit Raderus *ad Mart.* II. lib. XIV. cum inquit: *Formam seu figuram talorum tute conjectare potes, cum ad similitudinem talorum, qui in pedibus animalium sunt, effecti dicantur, & maxime Leonis, nec rotundi plane, nec quadrati. Sex habent latera, sed quatuor tantum in usu ludentium, duo quippe sunt incurva, ut illis talus vix posset insistere, consistit tamen aliquando rectus: duo illa incurva Græci κεραίας, id est, antennas appellitant.* Radero adstipulatur Casaub. *ad Suet. Aug.* cum inquit: *talus quatuor tantum habet partes, quibus insistat & incumbat, cum ab utraque longitudinis suæ extremitate rotundetur. Hoc optime docet αὐτοψία.* Quod autem Raderus de talo recto innuit, hoc idem etiam in *l.* III. *ep.* I. *Mart.* confirmat, quando inquit: *Sex habet latera, seu angulos talus, & nonnunquam nullum latus incumbebat, sed rectus stabat, qui quidem casus erat felicissimus.* Cum Radero Turnebus etiam *lib.* XVIII. *cap.* XII. super talo recto convenit, sed ab ultimis ipsius verbis, quibus casum hunc rectorum talorum felicissimum asserit, maxime dissentit; ita enim inquit: *In talis lusoriis cum ita evenit, ut talus in latera quatuor non cadat, sed in extrema & tanquam capita, quod perquam rarum est, rectus esse dicitur.* Cic. III. *de Fin. ita jacere talum, ut rectus assistat.* Et Lib. *de senect. qui talus ita erit jactus, ut cadat rectus.*

IX. Latera ergo talus habebat tantum quatuor, quibus ludebatur, quorum duo erant latiora, duo vero angustiora, capita vero, id est, superior & inferior extremitas semirotunda erat, adeo ut in ipso jactu talus in ejusmodi duas extremitates resilire non posset, in reliqua vero quatuor latera optime poterat. *Secundum quosdam autem,* inquit Thom. Freigius in *notis ad Colloq. Lud. Vivis* dial. VI. *duorum laterum latiorum eminentius* VENUS *dicebatur; depressius Canis: duorum autem angustiorum unum Chius, alterum Senio, seu Cous, Græce* Ἑξίτης. Hoc idem & Polyd. Virg. *lib.* II. *cap.* XIII. astruit: *primum latus, quod unicum numerum notasset, Canem & Caniculam fuisse appellatam; alterum vero latus Venerem sive Coum; duo alia latera Chium & Senionem fuisse nuncupata, quorum ille ternarium, hic quaternarium significasset.* Turneb. *l.* XXVII. *c.* III. *Advers.* obscurius hac de re loquitur, cum in uno latere senionem, in altero Canem, in tertio ternionem, in quarto quaternionem collocat, immo quoad Senionem contrarius est reliquis, qui Venerem & Canem invicem opponunt, Senionem vero Chio, quanquam nec hoc sine errore. Apertius hoc explicat Sabellicus *ad Suet. Aug. Tali latera suum singula numerum faciebant, latus quod unitatem habuit Canis, sive Canicula appellabatur, & quia minimus is erat numerus, damnosus erat: latus huic oppositum* VENUS *dicebatur, sive Cous, senarium continens, qui omnium maximus, sex lucrifaciebat nummos: reliqua duo Chius & Senio dicta, ternarium ille, hic quaternarium continens. Chius tres nummos, senio quatuor lucrantes. Binarius & quinarius in talo non erat numerus.* Consentit cum his etiam Raderus *ad Mart.* l. XIV. ep. XI. cum inquit: *Ex reliquis quatuor partibus, una supina, altera prona dicitur, quæ duæ ternarii & quaternarii vices obeunt. Unitas autem & senio duabus reliquis partibus tribuũtur, Senionem Coum, unitatem Chium vel Canem vocabant:* quæ verba Turnebi opinioni propius accedunt, & desumta videntur ex his Aristot. verbis *lib.* II. *c.* I. *de Hist. Animal.* cum inquit: πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον ἐν τοῖς ὄπισθεν ἔχει σκέλεσιν. Ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον, ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω. καὶ τὰ μὲν κῷα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλούμενα, ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Id est, ut Gaza vertit: *Omnia vero, quibus datus est talus, cruribus cum posterioribus continent; ita ut erectus in suffragine parte sui prona foras, supina introrsũ spectet: & quæ veneres vocantur, intus adversæ sibi positæ sunt, quæ canes foris, quæ antennæ supra habeantur.* Gaza κῷα Venerem interpretatur, χῖα vero Canem, quam feliciter τὸ κῷα, eruditi videant. Fretus auctoritate Aristotelica ita etiam contra Galeottum *de Homine* statuit G. Merula Alexandrin. in *not. ad illũ.*

X. Cæterum ea latera quæ Raderus ex Gaza interpretatione supina & prona vocat, alio nomine a Turnebo indigitantur, suppi scilicet & plani, ita enim *lib.* XXVII. *cap.* III. inquit: *ternionem & quaternionem etiam suppum & planum vocatos esse legimus.* Idque, ut ego sentio, factum est apud Isidorum *lib.* XVIII. *cap.* LXI. qui etiam ait: *ternionem suppum, quaternionem planum vocatum fuisse.* Ab Erasmo quoque distinguuntur istæc latera, in latus plenum & vacuum seu inane; ubi per plenum Senionem, per vacuum Canem intelligunt; sed istæc opinio tanquam erronea, ut merito rejicitur ab H. Junio *lib.* II. *Adv. cap.* IV. ita & nos illi quoque non immerito consentimus ex rationibus, quas suo loco in hoc Libello demonstrabimus.

XI. In his autem talorum lateribus pro diversa variorum opinione vel Figuræ erant, vel puncta, non vero numeri, quamvis Turnebus *l.* V. *c.* VI. *Adv.* vel ex solo Senionis vocabulo numeros nobis obtrudat, fallitur tamen, & adhuc secum ipse dubitat; inquit enim: *in talis erant aliquibus fortasse numeri, ut senio. Figuras* puta *Canem, Vulturem, Venerem, Herculem,* &c. In talis adstruit Thomas Freigius in *Not. ad Dial.* VI. *Lud. Vivis,* cum inquit: *in tesseris numeri certi descripti erant,* ut 1. 2. 3. 4. 5. 6. *In talis autem figuræ numeri vicem habebant.* Idem facit Turneb. *l.* V. *c.* VI. *Aliqui interdum fiebant, ut pro numeris effigies animalium haberent, ut vulturum aut regulorum.* Idem & Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. refert: in talis figuræ effictæ vicem numeri habebant. Punctorum Britannicus, vetus Persii Scholiastes, meminit *Sat.* III. cum inquit: *in talis puncta fuisse denominata alia ab Heroibus, alia a claris hominibus, aut a meretricibus, nonnulla vero a quibusdam nunc in laudem, nunc in vituperationem accidentibus, nomen accepisse.* Idem Alex. *d. l. Taxillorum ludus,* inquit, *ex octo punctis vel figuris constabat.* Ut plurimum autem, neque numeri, neque figuræ, neque puncta conspiciebantur in talis, sed ipsa laterum figura, seu ipse talorum casus numerum effigiemque repræsentabat, Julius Pollux docet lib. IX. cap. VII. *Onomast.* ubi ait: τὸ δὲ σχῆμα τοῦ κατὰ τὸν ἀστράγαλον πτώματος ἀριθμοῦ δόξαν εἶχεν. id est: *ipsa casus figura & facies in talo pro numero erat.* Hadr. Junius *l.* II. *c.* I. *positus ipse sive ratio lapsus vicem obtinebat numeri.* A quo edocti hodie ita statuunt. Turnebus *d. l.* V. *c.* VI. Cælius Rhodig. *l.* XX. *c.* XXVII. Cruquius *ad l.* I. *Od.* IV. *Horat.* qui inquit: *in talis aut numeri, aut quod magis cum Polluce crediderim, ipsorum facies, sive forma sine notis ullis aut Senionem, sive Venerem, aut unitatem, sive canem referebat.* Georgius quoque Merula *in Notis ad Galeottum de Homine* ait: *jactu talorum Venus, Senio, Canis continebantur, extra punctorum numerum: tessera vero & quadrata erat, & puncta habebat.*

XII. Antequam hoc caput concludamus, hoc etiam monendum esse duximus: Binarium & quinarium in talis non fuisse, ut in tesseris; hoc enim & ipse Julius Pollux affirmat, cum inquit: δυὰς δὲ καὶ πεντὰς ἐν ἀστραγάλοις, ὥσπερ ἐν κύβοις, οὐκ ἔστι. Id est: *binarius vero & quinarius in talis, uti in tesseris, non est.* Junius quoque *l.* II. *c.* IV. *Adv.* ait: status positusve talorum diversos, nominibus unionis, ternionis, quaternionis & senionis fuisse censitos. Primum enim latus, quod planũ est unitatem denotat, alterum, quod paulisper eminebat, Venerem dicebant, reliqua duo ternionem & quaternionem con-

ſtituebant, capita vero ſive extremitates iſtæ duæ inferior & ſuperior curvata paulū erant & antennæ vocabantur, nulliusque erant valoris, ſed ſi quando talus in has reſiliebat antennas, talus dicebatur rectus, id eſt, erectus. Sed de hoc ſatis hactenus.

CAP. V.

Varii talorum jactus. Tali cum teſſeris perperam confunduntur. Canis damnoſus dicitur. Unitatem denotat. Κύων. χῖος, κῖος. οἴνη. ὄνος. Vulturius. Senio ſeu ἑξίτης, χῷος ſeu Chous. Colias. Venus. Jactus Baſilicus. Hercules nutrix. Steſichorus. Euripides. Γραῦς. Δαρεῖος. Δικέντρων. Ἀλέξανδρος. Ἀντίγονος. Tabula jactuum ſeu oculorum in talis.

1. DE talorum jactibus hæc quidem Iſidorus *lib.* XVIII. *c.* LXII. infert: *Jactus quiſque apud luſores veteres a numero vocabatur, quatrio, quinio, Senio, poſtea mutata eſt, & unionem Canem, trinionem ſuppum, quatrionem planum vocabant.* Sed profecto Hiſpalenſis ille, qualiſcunque etiam illi alioquin apud ſui ſeculi literatos fuerit auctoritas, multoties memoria labitur, & ea quæ ſcribit, mirifice invicem confundit, in primis autem hæc ipſa, quæ de talis ac teſſeris refert, tantopere commiſcet, ut non immerito modernæ confuſionis, qua hodieque multi eruditorum etiam tenentur, qui perpetuo teſſeras cum talis, & hos viciſſim cum illis, æque habent, cauſam dediſſe videatur, de qua etiam Beroaldus conqueritur in *declamat. Scort. Aleat. & Ebrioſi*, cum inquit: *Vulgus errore promiſcuo implicatur, exiſtimans talos eſſe inſtrumenta luſoria, quibus quotidie paſſim luditur, cum teſſeræ illæ ſint nominandæ, non tali.* Quinio enim, cujus Iſidorus meminit, neutiquam in talis erat, ut ſupra dictum eſt. Aliunde ergo jactuum nomina nobis petenda erunt, & primo quidem nobis ſe offert in civitate Latina,

II. CANIS, seu CANICULA.

Hic jactus omnium erat viliſſimus, unitatem enim tantummodo denotabat, & nihil aut parum lucrabatur, immo pro arbitrio ludentium etiam unum vel plures numeros addere cogebatur, qui caniculam jaciebat. Inde a Poetis perpetuo quaſi damnoſi epitheto inſignitur. Perſius *Sat.* III.

—— damnoſa Canicula quantum
Raderet.

Propertius *lib.* IV. *el.* IX.

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiliere canes.

Ovidius *de A. A.* lib. II.

Seu jacias talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Idem *lib* II. *Triſt.*

Quid valeant tali, quo poſſis plurima jactu
Figere, damnoſos effugiaſque canes.

Iſidorus *lib.* XVIII. *cap.* LXVI. *vitant canem, quia damnoſus eſt.* Alex. ab Alex. *cap.* XXI. *lib.* III. *Gen. dier. talorum canis damnoſus eſt.* Barthol. Fontius Schol. antiq. Perſ. *Sat.* III. *Senionis jactus perutilis eſt, canis damnoſus erat.* Beroald. *ad Suet. Aug. Canis Græce κύων, jactus damnoſus eſt.* Meurſius *de Ludis Græcor.* inquit: *Canes ideo damnoſos dici, quia nempe infeliciſſimus jactus hic nummis ſuis ludentes multaret.* Unitatem quod illi adſcripſimus, auctoritate fecimus & Julii Pollucis *lib.* IX. *cap.* VII. qui inquit: *καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν, καλεῖται κύων*; & ſupra nominati Iſidori *lib.* XVIII. *cap.* LXII. & aliorum ſequioris ævi ſcriptorum. Mancinell. *ad Odam* VII. *lib.* II. *Horat. Canis,* inquit, *afferebat jacturam, erat enim unius puncti.* Raderus *ad Mart. lib.* I. *epigr.* XIII. *Canis jactus infeliciſſimus, cum unicum ſenario objectum punctum, apparet.* Fontius *d. l.* Perſii: *Canis unum punctum denotat.* Immo nemo Criticorum contradicit. Tum autem jactus vocabatur *Canis*, (ſeu rectius potius *Canes*: nam Canis vocabatur alterutrum latus in unoquoque talo, *Canes* autem dicebatur jactus plurium canum in pluribus talis) quando, juxta ſententiam Lipſii *lib.* I. *Antiq. Lect. cap.* XXI. *quatuor tali, pari ſitu in dorſum ſubſiliebant;* id eſt, quando ita jaciebantur, ut latus iſtud, quod nos ſupra in deſcriptione tali ex Ariſtotele *depreſſius* vocavimus, in omnibus ſupereminebat talis, *eminentius* autem latus infra cubabat. Cruquius nobiſcum ſentire quodammodo videtur, niſi quod generalius de latere depreſſiore & eminentiore loquatur. Ita enim inquit *ad Odam* IV. *lib.* I. *Horat. Venus erat, cum nullus eadem forma talus apparebat; Ita Canem fuiſſe cenſuerim, quando idem omnibus & unus erat vultus.* Sed Lipſii opinio verior eſt, & cum noſtra ſuperius ex variis auctoribus prolata tali deſcriptione accurate convenit. Græcis dicebatur

III. ΚΥΩΝ, & ΧΙΟΣ, & ΚΙΟΣ.

Κύων cum ſcriberetur a Græcis, idem erat vocabulum cum Latinorum canis, & una & eadem quoque ſignificatio. Χῖος vero cum ſcriberetur, nomen traxiſſe videtur a Chiis populis in Inſula ejuſdem nominis habitantibus, de quibus infra in dictione Cous vel Κῷος ulterius dicetur. Eruditi de hoc jactu non conveniunt. Johannes Meurſius, quem in hoc curriculo quaſi ducem ſequimur, Libr. ſingulari *de Ludis Græcorum*, hunc miſſum Unitati & ita Caniculæ æquiparat, idque probat auctoritate Euſtathii veteris Homeri Scholiaſtis, qui *ad Iliad.* Ψ. inquit: *τῷ δὲ, ὥς φασιν, ὁ τὸ μὲν ἓξ δυνάμενος, κῶος ἐλέγετο, καὶ ἑξίτης. ὁ δὲ τὸ ἕν, χῖος, καὶ κύων.* Item aliis Pollucis & Heſychii locis, quæ ibi eſt legere. Paria ante illum ſenſit Eraſmus II. II. & II. VII. LXVIII. ubi expreſſe ait, *Chium unitatem denotare, & eundem cum Cane jactum eſſe.* Alii contra non obſtante antiquiſſimorum horum Scriptorum auctoritate, Chium non pro unitate, ſed pro ternione & quaternario venditarunt, propterea quod qui hunc jactabat, tres nummos lucraretur. Ita enim inquit Polyd. *lib.* II. *cap.* XIII. *Duo alia latera Chius & Senio nominabantur, & ille ternarium, hic quaternarium ſignificabat.* Et paulo poſt: *Igitur qui Chium jactabat, tres nummos, qui Senionem, quatuor lucrabatur.* Eadem & Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. ſtatuit, cum inquit: *Chius ternarium numerum facit.* Sed ultimus hic facile cum ſuperioribus conciliari poteſt. Chius enim recte ternarium numerum facit, ſcilicet in tribus talis aut teſſeris; eſt enim communis & talorum & teſſerarum jactus, ut infra apparebit; non autem ternarium facit numerum in ſingulo talo vel teſſera, quod falſum eſſet, & procul dubio in mentem ſummo Philologorum nunquam venit. Prior autem ut nulla prorſus auctoritate Scriptoris antiquioris nititur, ita totus quoque, ut in aliis locis quamplurimis, merito rejicitur. Quamobrem ſuperiori opinioni & ſententiæ tamdiu erit ſtandum, donec contrarium edoceatur. Julius Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. *καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν, καλεῖται κύων. τὸ δὲ ἀντικείμενον χίας καὶ χῖος, κῷος ὁ βόλος.* Cujus auctoritas mihi inſtar omnium. Dicitur itidem a Græcis etiam

IV. ΟΙΝΗ, & ΟΝΟΣ.

De quibus tamen infra, ubi de teſſerarum jactibus agimus, plura differere animus eſt, ad earum enim miſſus pertinere potius videntur, quam ad hos talorum. Idem jactus talorum Plauto in *Curcul.* Act. II. Sc. III. verſ. 78. dicitur

V. VULTURIUS.

Cum inquit: *Tace parumper, jacit vulturios quatuor.* Quamvis enim Dempsterus lib. I. *Paralip. ad cap.* V. *Antiq. Rof.* peculiarem hujus nominis manum faciat, unum eundemque tamen jactum cum cane fuisse, subactissimorum in hac Palæstra Virorum testimonia evincunt. Puta Beroaldi *ad Suet. Aug.* cap. de prodigiis, quæ post mortem Cæsaris evenerunt, ubi inquit: *Sicut vultures carnivori sunt & rapto viventes; ita & tali in ludo talario voratores sunt atque rapaces, cum sæpe despolient aleatorem.* (Carpitque illos, qui vulturum imagines hoc loco somniant, aitque hoc a fide historica alienum esse.) *Per quatuor ergo Plauti vulturios, quatuor talos intelligit, quia totidem talis ludebant antiqui,* ait. Vid. totus locus p. m. 113. Sed generalibus nimis inhæret sæpe laudatus Auctor, cujus tamen mentem uberius explicat ὁ θαυμάσιος J. Lips. lib. I. *Antiq. Lect.* cap. XXI. cum expresse infert: *Vulturium dici, quod infelix iste jactus, canis aut vulturis in morem, omnia raperet, & ita ludentis marsupium evacuaret. Inde ei nomina hæc infausta, & mali ominis rapacium animalium indita esse.* Hæc Lipsius. Ex quibus apparet, jactum hunc quatuor vulturium quatuor fuisse unitatum seu canum, qui missus erat planissime infelix, uti *Venus* seu *Basilicus* omnium erat fortunatissimus. Ideoque etiam Cruquius *ad Od.* IV. *l.* I. *Horat.* hunc vulturium jactum Basilico opponit, quando ait: *De talis autem hoc monitum volui Lectorem, præter Venerem & Canem, in iis etiam apud Plautum & Vultures & Basilicos fuisse notatos, Vultures quidem infelices, Basilicos vero faustos.* Cruquius quidem proprie hic ad ipsas talorum figuras respicere videtur, ad ipsum tamen jactum Plauti verba sunt referenda.

VI. SENIO, sive ΕΞΙΤΗΣ.

Alius talorum jactus est *Senio*, a Senario numero, vel a sex istis punctis, quæ in talo erant, si tamen erant, ita appellatus. Ita enim Fontius, vetus Persii Scholiastes *ad* III. *Sat.* ait: *In talis senio puncta sex, canis vero unum punctum continet.* Communis erat perinde ut canis tam tesseris, quam talis. In tesseris enim felicissimus erat jactus, quando nimirum tres seniones, id est, ter sex puncta resiliebant, in talis vero non itidem. *Licet enim*, ut Polyd. lib. II. cap. XIII. tradit, *sex puncta habuerit, in numero tamen quatuor tantum valebant.* Cui etiam adstipulatur Alex. ab Alex. lib. III. cap. XXI. *dier. genial.* Alii vero dicunt *duos Seniones quatuor valuisse*, ut Beroald. *ad Suet. Aug. Existimant*, inquit, *Eruditi Senionem significare quaternarium, quod scil. qui jecerat duos Seniones, ille quatuor nummos lucrabatur.* Utut sit, errasse mihi hoc in loco videtur Raderus, cum in *Adversf. ad Mart.* l. I. ep. XIII. ait: *Senionem in talis tum judicare casum fortunatissimum, cum omnes tali diversas haberent figuras, ut nullus cum altero conveniret.* Hic enim *Venereus* est jactus, qui expresse secernitur a *Senionis* missu, ut patet ex seqq. Augusti verbis *ad Tiberium* ap. Suet. cum inquit: *Talis jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos denarios conferebat in medium, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* Venerem autem fuisse, quando nullus talorum eodem cum alio vultu exiliret, in sequentibus abunde docebimus. Interea tamen hic jactus neutiquam semper erat damnosus, sed potius lucrosus, adeo ut etiam a Persio *Sat.* III. *dexter* vocetur,

—— — quid dexter Senio ferret,
Scire erat in votis.

Ubi Casaubonus: *Ut quisque, talis jactatis, Senionem miserat, vincebat, sin canem, vincebatur; ideo Senionem ferre dicit Persius, hoc est, lucrum concitare, at canem radere, id est, damno illato rem minuere.*

A Nec obstat, quod nonnulli ex jam recitato Augusti loco, damnum quoddam huic jactui adscribere conantur, & illum pro ancipiti, id est, & bono & malo habeant, quod facit Alex. ab Alex. l. III. c. XXI. *Gen. dier.* & Beroaldus *ad Suet. d. l.* Nonnulli hoc idem asserere student ex illo Martialis,

Non mea magnanimo depugnat tessera talo:
Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Ut hoc Erasmus facit in *Adag. Chius ad Coum;* ubi dicit, *damnosum fuisse Senionem, si cum cane subsilisset.* Sed certe Martialis κατ' ἐξοχὴν tantum duorum horum jactuum mentionem facit, pro omni talorum tesserarumque ludo, id est: non ego talis tesseris-B que assidens tempus domi contero, sed studiis potius & scribendis libellis insumo. Senionem autem cum cane exiliente, tanquam unum jactum, & hunc infelicem quidem minime gentium intelligit. Superiorem Augusti ludum Vir admirandus If. Casaub. in *Animad. ad h. l.* pro certa quadam specie ludendi, quæ tam talis quam tesseris etiam communis erat, & πλειστοβολίνδα juxta Pollucem *l.* IX. *c.* VII. vocabatur, accipit quando nimirum inter se contendebant, quisnam ludentium plura numero puncta jaceret. Ita enim Pollux: ἡ δὲ πλειστοβολίνδα οὐ μόνον ἡ διὰ τῶν κύβων, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ἀστραγάλων ἐπὶ τὸν πλεῖστον ἀριθμὸν βαλεῖν. C Et qui πλειστοβολίνδα ludebant, inquit Casaubonus, *singulis jactibus infelicibus certam pecuniam, prout convenerat, in medium conferebant: aliquando in singulos talos singulos nummos, ut hic Augustus ait, aliquando in singulas unitates, quas jactus ostendebat, sive in punctum, ut loquitur Suet. in Nerone, singulos nummos. Hoc innuit Pollux in Descriptione istius ludi verbis hisce:* ἀργυρίου τινὰ ἀριθμὸν ἐπιψηφίσαντες καθ' ἑκάστην μονάδα διῃρημένην δραχμὴν, ἢ στατῆρα, ἢ ὁποσονοῦν. Sed de hoc genere ludendi infra de tesseris etiam aliquid erit dicendum. Ego hunc Augusti ludum plane singularem & regium fuisse existimo, quo Magnates contra usum D receptæ consuetudinis, non tam lucri, quam gloriæ causa ludebant, ideoque nolebant illi particulatim aliquid accipere, sed potius ad singulos jactus, alias etiam in communi usu felices, aliquid addere, & postea, jactu Veneris existente & prosiliente, majorem summam depositæ pecuniæ accipere. Et quia rarissime contingebat jactus isthic Veneris, ideoque magis magisque addendo cumulandoque, id quod depositum erat, crescebat, adeo ut Collusores Augusti plus quam sæpe tandem deficerent nummis, quos tamen ille vel de suo illis iterum largiebatur, vel quoties propter infelices jactus addere aliquid debebant, jactus istiusmodi illis condonabat, ne scili-E cet addere quicquam tenerentur. Hoc enim sequentia Augusti verba declarant, cum inquit: *Nam si quas manus* (seu jactus) *remisi* (id est, condonavi, ne teneretur addere) *cuique exegissem* (id est, ab unoquoque petiissem) *aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia.* Laudi ergo gloriæque sibi ducit Augustus, quod tam felix fuerit jactando Venerem, quæ alioquin minus prosilit frequenter, ut dictum est. Et ita ego hunc locum intelligo, salvo tamen aliorum judicio. Et hæc quidem de Senione, qui alio nomine a Græcis vo-F cabatur

VII. ΧΩΟΣ, vel CHOUS.

Nomen & isthic jactus ab insulanis populis, qui Coi vel Choi vocabantur, traxisse videtur originem, qui, uti referunt Historici, immunes erant ab omnibus illecebris, contra quam Chii, qui in cottidiano versabantur luxu, adeo ut proverbia de iis fuerint nata: χῖος παραστὰς κῷον οὐκ ἐάσω. *Chius adstans Coum non permit tam.* Et, χῖος παραστὰς κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν, *& de iis inferuntur, qui multo inferiores, majores tamen & superiores impediunt & compescunt*, ut Raderus *ad*

Mart. l. XIV. ep. II. ea explicat. Item aliud apud Aristophanem in *Ranis*, πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν, οὐ χῖος ἀλλὰ κῷος, *evolavit e malis, haud Chius, sed Cous*, de quo vid. Erasm. *Adag.* II. *Cent.* II. *non Chius, sed Cous*, ut & de illo, *Chius ad Coum.* id est, comparatio vehementer inæqualis, cujus & Suidas meminit, Κῷος πρὸς χῖον, *Cous adversus Chium, Chius valet intus, Cous foris*, ut habet Latina versio Wolfii. V. Meurs. *de Ludis Græcor.* Beroald. *ad Suet. Aug. Cous Astragalus sive Talus, sive jactus tali est, qui valet sex, Chius vero unum.* Brodæus *ad Epigr. Leonidæ* lib. III. *Anthol.* cap. VI. *Talus qui sex continebat, κῷος dicebatur & ἑξίτης, Latine Senio, qui vero unum χῖος & κύων, Canis, Persio Canicula.* Sed juvat ipsum Epigramma adscribere quod ita sonat:

Τί στοχασώμεθά σου, Πεισίστρατε, χῖον ὁρῶντες
  Γλυπτὸν ὑπὲρ τύμβου κείμενον ἀστράγαλον;
Ἦ ῥά γε μὴν ὅτι χῖος; ἔοικε γὰρ ἦ ῥ' ὅτι παίκτας
  Ἦσθά τις; οὐ λίην δ' ὦ 'γαθὲ πλειστοβόλος.
Ἢ τὰ μὲν οὐδὲ συνέγγυς; ἐν ἀκρήτῳ δὲ κατέσβης
  Χίῳ; καὶ δοκέω τῷδε προσηγγίσαμεν.

Id est:

Quid conjiciamus de te, o Pisistrate, Chium videntes
  Sculptum, super tumulum jacentem astragalum?
Nunquid quod Chius (scilicet patria?) *verisimilior videtur.*
  Nunquid quod lusor (*extitisti quidem*) *non admodum o bone, multijacens.*
An ista quidem neque prope (scil. conjicimus) *extinctus*
  In vino Chio? certe rem video, attigimus.

VIII. COLIAS.

Hunc idem cum Senione & Coo jactum fuisse affirmat Raderus *ad Mart. lib.* I. *ep* XIII. cum inquit: *Senio etiam vocabatur Cous & Colias.* Alex. tamen ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. aliter hunc jactum definit, aitque: *Venus cani opposita Colias dicebatur, tricenariumque absolvebat numerum.* Nos de illo nihil invenire vel legere amplius potuimus. Ideoque merito assentimur magno Tiraquello, qui in *Annot. ad hunc Alex. locum* lit. a. ait, *hoc loco errorem esse vel Auctoris vel Librarii, & Chias scribendum, non Colias; illam enim a Polluce opponi ait Cani, quamvis plurimi ex ejusdem Pollucis sententia, Chiadem eandem cum Cane jactum fuisse existiment.* Apud Plinium piscis genus est (*lib.* XXXI. *cap. ult.*) quos alias lacertos dicimus, ut est apud Aristotelem, apud quem Th. Gaza *monedulam* interpretatus est hunc piscem, propterea que ab Hieronymo Magio *l.* II. *Miscell.* c. IX. reprehenditur. Alias etiam templum *Veneris Coliæ* cum isthoc cognomine conditum est ab Adolescente Attico, quem Tyrrhena puella compedibus captivum exsolvit, & liberavit. κῶλον enim Græce *pedem* quoque dicimus.

IX. VENUS.

Græcis Ἀφροδίτη dictus est hic jactus, quoties tali ita subsiliebant, ut nullus eorum pari vultu cum altero staret, sed omnes essent invicem diversi. Inde Martialis:

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
  Munera me dices magna dedisse tibi.

Meursius *de Ludis Græcor.* Ἀφροδίτη *dicebatur jactus, quo tali omnes diverso aspectu cecidissent.* Brodæus in *Not. ad Mart. Cum nullus in eandem faciem obversus erit talus, jactus hic Venereus dicitur, & Venus.* Turnebus *lib.* V. *cap.* VI. *Cum nullus eodem vultu stabat talus, Venus erat.* Et *lib.* XXVII. *cap.* III. *Cum tali quatuor diverso omnes erant numero*, id est, *cum jacti erant omnes talorum numeri, Venus erat.* Thomas Freigius *ad Exercit. LL. Lud. Vivis: Cum quatuor tali diversas species referebant, tunc Venus exsurgebat.* Lambinus *ad Od.* IV. *lib.* I. *Horatii: Venus erat cum nullus, eadem forma, talus apparebat. Ita canem fuisse censuerim, quando idem omnibus & unus erat vultus.* Taubman. *ad Plaut. Curcul.* Act. II. Sc. III. ad verba, *Nutricem Herculem*, ait: *Jactus autem, qui talos omnes diversa figura ostendebat, Venereum vocabant.* Thomas Farnabius *ad Mart.* ep. IV. l. XIV. *Talorum felicissimus jactus dicebatur Venus, ubi singuli tali diversam haberent faciem, comparentibus simul cane, ternario, quaternario & Senione.* Raderus *lib.* IV. *ep.* XL. *Tali tum felicissime jacti putabantur, cum omnes diversam haberent figuram & faciem, vocabatur is jactus Venus.* Et *epigr.* XI. *lib.* XIV. Idem. *Ut canis infelix; ita felix Senio, felicissimus ille jactus, quem Venerem dicebant, diversus omnino, (quod multi non observant) a Senione. Senio quippe unius tali facies erat, uti canis, Venus autem, cum omnes quatuor tali diversam faciem in casu præferebant, ita ut unus talus canem, alter ternarium, tertius quaternarium, quartus Senionem ostenderet, qui casus ut rarissimus, ita fortunatissimus habebatur, tollebatque sine controversia præmium, cui is casus obtigisset.* Recte ergo Martialis ait:

Munera me dices magna dedisse tibi.

Et Suet. *in Aug.* supra laudato loco; *universos* (scilicet denarios) *tollebat, qui Venerem jecerat.* Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. *multum lucri affert* (hic jactus) *semperque felici exitu ludum terminavit.* Brodæus: *felicissimus erat* (hic jactus) *quem qui jecisset, pecuniam omnem tollebat.* Inde Taubm. *ad Rudent. Plauti* Act. II. Sc. III. recte monet: *Eubolin Græci Venereum jactum dicunt, quia in jactu felicissimus.* Inde etiam Propertius *lib.* IV. *el.* IX. misere conqueritur de sua in jactu talorum infelicitate, cum inquit:

Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
  Semper damnosi subsiliere canes.

Et Cic. lib. II. *de Divinat.* quasi Proverbii loco Venerem inducit, cum inquit: *Quid est tam incertum, quam talorum jactus? tamen nemo est, qui sæpe jactando non Venerem jaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum atque tertium.* Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. inquit: *Venus summum continet numerum.* Hoc ita interpretandum, quod Venus felicissimum repræsentaverit jactum, non vero, ut Acro, Horatii Scholiastes, *ad lib.* I. *Od.* VII. ait: *Veneris jactus latissimus dicebatur, qui habebat & tricenarium numerum*; vel ut Porphyr. in eodem loco ait: *Venereus jactus in talis summum numerum habet, id est, tricenarium.* Ambobus enim in locis erratum est, & pro voce *tricenarium* legendum *ter Senarium*, id est, octodecim puncta, uti videmus in tesseris. Eo enim in ludo Venus etiam locum habet, repræsentaturque, cum in omnibus tribus, quibus ludebatur, tesseris Senarius prosiliebat, id est, octodecim puncta, ut infra apparebit in loco de tesseris. Lectionem autem istam, vel potius emendationem, Hadriano Junio debemus in *Animadv.* lib. II. c. IV. Idem jactus Plauto dicitur.

X. BASILICUS.

Sed hic tantum convivalis est jactus, quod in Conviviis solus ferme fuerit adhibitus. Veteres enim in Conviviis ex omni convivarum numero certam eligebant personam, quæ convivio præesset, legesque, quas Horat. *lib.* II. *Sat.* VI. *insanas* vocat, illis præscriberet. Hæc varie a variis indigitatur Scriptoribus: a Juvenale *Sat.* III. vocatur *Magister*, a Plauto in *Persa* Act. V. Sc. I. *v.* 18. *Dictator*, in *Sti-*

cho Act. v. Sc. IV. v. 20. & 22. *Strategus*, ab Horatio lib. II. *Serm.* VIII. *Pater cænæ*, & lib. II. Od. VII. *Arbiter*, a Varrone lib. XX. *Modimperator*, a Gellio *lib.* XIII. *cap.* XI. *Convivii Dominus*, Sidonio lib. IX. *Rex convivii*, a Græcis autem plerumque *βασιλεὺς*. Quia vero *βασιλεὺς* iste, ut plurimum jactu talorum eligebatur, isque in hunc Regem coronabatur, qui Venerem jecerat, factum est, ut Plautus hunc jactum vocare voluerit *Basilicum*. Manifestum hoc fit ex sequenti loco Horatii *lib.* II. *Od.* VII. cum inquit:

——— ——— quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? ———

Ubi Lambinus: *Veneris jactus Regem vini seu magistrum efficiebat*. Locus alius apud Horatium extat, *lib.* I. *Od.* IV.

——— quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis.

Ubi Scholiastes ait: *Non accipies per sortem regna vini, id est, magisteria conviviorum, quæ talorum jactibus sortiri solebant antiqui, quod & Plautus significat in* Captivis *&* Asinaria. Consentiunt hic Acro, Porphyrio, Cruquius, Mancinellus & Lambinus. Solus Christ. Landinus aberrat, qui per regna vini subintelligit *nobilitatem vini*, *seu nobile vinum*, ut & alius Luisinus, qui hæc verba ita intelligit, ut *τὸ talis* pro nomine adjectivo habeat, ut Grammatici loquuntur: Talis vini, id est, tanti ac tam generosi vini, quo nomine etiam a Lambino carpitur: Plauti locus, quem supra indigitavimus, extat in *Curcul.* Act. II. Sc. III. vers. 79.

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem,
Jacto Basilicum; propino magnum poculum, ille ebibit.

Hoc Plauti loco multi sunt seducti, statuentes hunc jactum vocari *Herculem Basilicum*, inter quos etiam Turnebus est lib. V. cap. VI. *Adverſ.* & lib. XI. cap. VII. cum inquit: *Herculis Basilici, id est, regii faustus & felix erat jactus, ergo, qui eum jecit, vicit. Herculem autem Basilicum accipio, non qui, ut in laboribus exantlandis leonis exuviis esset vestitus, sed qui, omnibus perfunctus ærumnis, cultu regio esset ornatus.* Sed non immerito reprehenditur ab incomparabili Lipsio lib. I. cap. XXI. *Antiq. Lect.* qui negat Herculem unquam regio habitu fuisse pictum, sed cum clava potius & pelle leonina, locumque Plauti ita distinguit;

Talos arripio: invoco almam meam nutricem Herculem,
Jacto Basilicum, propino, &c.

Per nutricem Herculem, Thrasonis & Parasiti Deum Patronumque intelligit, propterea quod parasiti in templo Herculis, ex ejus decimis pulcre olim acciperentur, id est, laute tractarentur. Solemne enim fuit epulum publice præbere, cum decumas Herculi pollucerent, ut ex Athenæo idem demonstrat Lipsius, nosque aliunde legimus. Alii tamen hic malunt legere, *almam nutricem Herem*; idque auctoritate Festi, qui ait: *Herem Martiam antiqui, accepta hereditate, colebant, qui a nomine appellatur heredum*. Alii legunt *H ram*, id est, *Junonem Lucinam*, quæ altrix hominum habita est, de quibus vid. Taub. in *Comm. ad h. l.* Idem Lipſ. lib. III. c. I. *Ant. Lect.* ubi eruditum istud repræsentat convivium, affirmare audet: hunc morem creandi magistrum Cænæ in omni convivio fuisse observatum: cum quo etiam Becmanus convenit *de Orig.* sub finem vocis *Vivo* p. m. 913. Plures apud Plautum locos invenimus ad hunc jactum respicientes: in *Mostell.* Act. I. Sc. III. v. 151. ubi amator meretrici cænam parat, & regale convivium instituit, tum incipit;

Vide, tali ubi sint, ubi unguenta, &c.

Scilicet ut in honorem Dominæ certum Convivii Modimperatorem creemus. Et in *Asinar.* Act. V. Sc. II. vers. 54.

Ar. *Jace pater talos, ut porro nos jaciamus.* De. *maxime*
Te Philenium mihi, atque uxori mortem. hoc Venereum est.
Pueri plaudite.

Et hæc fuit ista per talos Regem eligendi ratio, quæ tamen separata est ab illa alia quæ Græcis *βασιλίνδα* vocabatur, cum quidam puerorum sorte in Regem eligebatur, qui cæteris demandabat, quid essent facturi. Meminit hujus rei Julius Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. his verbis: *βασιλίνδα μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν διακληρωθέντες, ὁ μὲν βασιλεὺς προστάττῃ τὸ πρακτέον. ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πανταχόθεν ἀπεκπονῇ.* hoc est, *Regius itaque est, cum sorte dispositi, Rex quidem, quod faciendum est, præcipit: qui vero famulus sorte factus est, omnia peragit.*

XI. STESICHORIUS.

Jactus isthic a *Stesichoro*, Poeta Græco, nomen accepit, & idem quod octo denotat. *Stesichorus* enim (ut Erasmus *Chil.* I. *Cent.* VII. *Ad* XXVI. refert) *in oppido Catana splendide sepultus fertur, monumento diligenti quadam ratione ex omnibus octonis constructo, octo columnis, octo gradibus, angulis octo, adeo ut inde proverbium increbuerit ἀπαντοκτώ.* Quæ verba desumta sunt ex *lib.* IX. *cap.* VII. Pollucis, quæ ita sonant: *Καὶ μὴν καὶ Στησίχορος καλεῖτό τις παρὰ τοῖς ἀστραγαλίζουσιν ἀριθμὸς, ὃς ἐδήλου τὰ ὀκτώ. Τὸν γὰρ ἐν ἱμέρᾳ τοῦ ποιητοῦ τάφον, ἐξ ὀκτὼ πάντων συντεθέντα, πεποιηκέναι τὴν* ΑΠΑΝΤΑ ΟΚΤΩ *φασι παροιμίαν.* Alium ex Eustathio *ad Iliad.* ψ'. locum allegat Meursius in multoties laudato Libro *de Lud. Græcor.* quem & Merula Alexandrinus in *notis ad Galeottum* non solum citat, sed plane etiam interpretatur. Paria habet Brittannicus *ad Persium Sat.* III. Et Stephanus Niger in *præf. ad Pindarum*, qui hoc ipsum ex Polluce affirmat. Meminit quoque hujus jactus Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. cum inquit: *Taxillorum ludus ex octo punctis vel figuris constabat, inter quos unus Stesichorius nomine, hoc est, octonarius, præcipuus erat.* De hoc Stesichori sepulcro adscribam locum ex lib. III. Decad. I. cap. I. Thomæ Fazelli *de Rebus Siculis*, qui ait: *Claruit olim* (Urbs Catana) *Illustrium Virorum sepulcris, utpote Stesichori, Poetæ Himerensis, cui huc profugo defunctoque primo extra urbem lapide, orientem versus, ad portam, quæ ad Acim oppidum ducit, quæque ab ejus tum nomine fuit insignita, sepulchrum octo gradibus, octo angulis, totidemque columnis elevatum a terra Catanenses voverunt, ut Julius Pollux, Suidas, & Pausanias scriptum reliquerunt. Cujus sepulcri non longe a porta Acidis, in æde Betleem in hortis Nicolai Leontini adhuc extat memoria.*

XII. EURIPIDES.

Et hic jactus ab Alexand. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXI. inducitur, atque *hunc Quadragenarium repræsentasse numerum.* Cujus & Julius Pollux meminit *lib.* IX. *cap.* VII. cum ait, Euripidem jactum ideo Quadragenarium efficere vel constituere, quod Euripides unus fuisset ex quadraginta præfectis, qui post triginta tyrannos Athenis ejectos, regnassent: Verba ejus hæc sunt: *ἐπὶ δὲ τοῖς τετταράκοντα τοῖς μετὰ τοὺς τριάκοντα προστᾶσιν Ἀθήνησι συνῆρξεν Εὐριπίδης εἶτα οἱ τετταράκοντα συνήθροιζεν ἀστραγάλων βολὴν τὸν ἀριθμὸν τοῦτον Εὐριπίδην ὠνόμαζον.* Rem aliter recenset H. Junius lib. II. cap. IV. *Adverſ.* his verbis: *A fracto* XXX. *tyrannorum do-*

minatu. XL. *qui Reipubl. Atheniensis summam tenuerunt in gratiam Euripidis Poetæ, qui cum iis vivebat familiariter excogitarunt quendam talorum jactum, quem Poetæ nomine donatum Euripidium dixere.* Meursius *de Ludis Græcorum* alia duo loca ex Eustathio quoque affert, quos ibi vide. Ex Polluce eadem tradit Brittannicus *ad Sat.* III. *Persii*, & Georgius Merula *ad dictum Galeotti librum*, Polydorus Virgil. *lib.* II. *cap.* XIII. ait: *Euripidem talorum numerum usque ad quadraginta auxisse.* Præter hos autem jactus plures recenset sæpe laudatus Joh. Meursius in Libello *de Ludis Græcorum*, sub titulo Ἀστράγαλοι: Quia vero de iis nobis aliud nihil constat, quam quod sint jactus talorum ita vocati, noluimus illis certa scribere Capita, sed simplicia eorum nomina, una cum Authoribus ubi ita reperiuntur, adponere. Sunt autem

XIII. ΒΕΡΟΝΙΚΗΣ ΠΛΟΚΑΜΟΣ.

Id est, quasi tu dicas, *Beronice longicoma*. De hac enim Beronice ita scribunt Poetæ, quod filia fuerit Ptolomæi Philadelphi & Arsinoes, quæ Ptolomæo Evergetæ fratri suo nupserit, qui cum peractis ferme nuptiis in Asiam expeditionem suscepisset, Berenice comam suam pulcherrimam, se detonsuram vovit, si nimirum novus isthic Maritus salvus & incolumis rediret. Hoc enim Catullus innuit, quum inquit:

At quæ ibi, pro cunctis, pro dulci conjuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum retulisset is haud in tempore longo, &
Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret?

Sed illa voti damnata, abscissam Comam in templo Veneris consecravit, & cum postridie eadem non apparuisset in templo, Rex hoc male ferebat: Conon autem Mathematicus illius gratiam Regis per adulationem captans, inter sidera collocatam comam affirmat. Id quod etiam Catullus dicto carmine tangit, cum inquit:

Idem me ille Conon cœlesti lumine vidit
E Beronicæo vertice cæsariem.

Et paulo post.

Abruptæ paulo ante comæ mea fata sorores
Lugebant, quum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isque per ætherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris casto conlocat in gremio, &c.

Quod autem jactus sit talorum, ex omni Vetustate nemo, quod sciam, asserit, præter solum Hesychium, quem etiam Meursius citat his verbis. Βερονίκης πλόκαμος τοῦτον κατηστερίσθαι φησὶ Κόνων. καὶ βόλος δὲ ἀστραγάλων οὕτω καλεῖται.

XIV. ΓΡΑΥΣ.

Γραῦς Græcis varia significat, puta oleosum quoddam juris crassamentum, seu crustam pultis & spumam, quæ supernatat in olla. Item lineam quandam in labiis fluviorum, & tandem jactum etiam talorum. Quæ omnia Hesychius innuit, cum ait: Γραῦς, τὸ συναγόμενον, καὶ ἐπιπηγνύμενον ἐπάνω ὅταν γάλα ἕψηται, ἤ τι τοιοῦτον ὑγρόν. καὶ ἡ ἐν τοῖς χείλεσι τῶν ποταμῶν γραμμή, καὶ βόλος τις ἀστραγάλων.

XV. ΔΑΡΕΙΟΣ.

Darius nomen prudentissimi Persarum Regis, etiam jactum facit in talorum ludo, ut sæpe dictus Hesychius affirmat, cum inquit: Δαρεῖος, ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμος. ὑπὸ δὲ Φρυγῶν Ἕκτωρ... καὶ ἀστραγάλων δὲ τινῶν βόλος οὕτω καλεῖται. Herodoto idem, quod *Coercitor* est.

XVI. ΔΙΚΕΝΤΡΩΝ.

Κέντρων Græcis vestis est versicolor & multiformis, quales solent esse centones Latinorum, qui & hinc nomen sortiti sunt, quasi κέντρωνες. Ut au-
A tem Latini id, quod pellem coloremque facile mutat, pro astuto accipiunt, ita Græci quoque κέντρωνα hominem varium & versutum dixerunt, Δικέντρωνα vero bis callidum & versutum, maxime astutum & varium. Et ab hoc eventu quoque jactus quidam talorum Δικέντρων. βόλος τὶς ἀστραγάλων οὕτως ἐκαλεῖτο. Procul dubio, quod dubius fuerit jactus, & respectu alterius cujusdam subsequentis jactus vel lucrabatur, vel damnum ferebat. Hæc mea de hoc jactu est sententia.

XVII. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ.

B Quis Alexander fuerit nemini ignotum est. Hesychius de hoc jactu nihil ait amplius, quam quod sit ὄνομα βόλου. In reliqua antiquitate de hoc & superioribus jactuum nominibus nihil constat. Forte Δαρεῖος & Ἀλέξανδρος contrarii invicem fuerunt jactus, adeo ut hic posterior victrix, superior victa fuerit alea, perinde ut ipsa Alexandri Dariique Historia, heic in ludo quasi repræsentata fuisse videatur.

XVIII. ΑΝΤΙΓΟΝΟΣ.

C De hoc quoque jactu Hesychius ait: Ἀντίγονος, βόλος τις οὕτως ἐκαλεῖτο. Alium locum, ubi hujus jactus fit mentio, Meursius adducit ex Agathiæ Scholastici Epigrammate, quod scripsit *in tabulam lusoriam Zenonis Imperatoris*: Quod Epigramma quantum hactenus torserit ingenia Eruditorum, vel ex eo liquet, quod adhuc hodie nemo sit inventus, qui tricas illius expedire potuisset, sed omnes manum ab illo, quasi ab igne subtraxerunt. Hoc sane fecerunt Viri magni nominis Obsopæus, Brissæus, Cuchlerus, & alii. Tædet ergo illud ipsum huc adscribere, quamvis multum nobis alioquin emolumenti adferat, in hac talorum tesserarumque materia. De hoc ita Franciscus Robortellus in *notis ad Epith. Catulli*, vers. Da nuces pueris.
D *Libro Epigrammatum primo, narratur quoddam ludi genus inventum a Zenone Aug. sed adeo obscurum, ut a nemine, quod sciam, adhuc intelligatur.*

XIX. Et hi potissimum sunt illi jactus talarii, de quibus nobis tam ex Græca, quam Latina adhuc superstite antiquitate, Scriptisque modernorum Philologorum aliquid constat, iis tamen exceptis, qui (ut infra audiemus) talis cum tesseris sunt communes. Et finirem jam nunc prolixum hoc satis caput, nisi animus mihi præsagiret Scrupulum
E lectori fuisse injectum supra, ubi de *Stesichoro* & *Euripide* egimus, illumque octonarium, hunc vero quadragenarium valuisse diximus, quanam ratione scilicet fieri potuisset, ut XL. uno jactu caderent. Ingenue fateor, nemo antiquorum recentiorumque mihi hac in parte satis hactenus fecit. Antonius Mancinellus quidem *ad lib.* II. *Od.* VII. *Horat.* ex Eustathio Homeri Scholiaste refert: *Sunt qui dicant, quod omnes talorum casus pro consuetudine ludentium assumtorum erant* XXXV. *quorum quidam a Diis, alii ab Heroibus, alii a claris hominibus aut a meretricibus nomen accipiebant.* Huic adstipulatur Rad. *ad ep.* XI. *l.* XIV. *Mart.*
F *Casus seu jactus talorum ex consuetudine ludentium fiebant quinque & triginta, quorum alii a Diis, alii ab Heroibus, alii a claris hominibus, alii a fæminis, etiam impuris, alii ab animalibus, eventibusque nomen acceperunt. Inde casus octonarius a sepulcro Stesichori octogeno Stesichorius. Quadragenarius Euripidius, quod exactis triginta tyrannis, ex quadraginta præfectis unus Euripides fuerit, dicebatur.* Sed, mi Radere, mi Mantinelle, si tantum XXXV. jactus ex consuetudine ludentium fuerunt adsumti, qui fit, ut Euripideus quadraginta valeat? Nec enim hoc etiam ex

sequentibus tuis, Radere, verbis colligo, quæ ipsam jactuum rationem præbent, cum inquis, dicto loco. *Jaciebantur autem hoc ordine & numero. Missus seu jactus fiebant* XXXV. *ut Eustathius probat. Acron enim vitiosus est in Horatium. Primo quatuor talis (quod in omni missu fiebat) quatuor simplices jactus, ita ut omnes tali in eandem faciem caderent, seu chium, seu senionem, seu ternarium, seu quaternarium. Deinde octodecim jactus geminatos, hoc est, ut quatuor tali in duas tantum facies inciderent. Tertio duodecies jactabant talos, ita ut tres tali eandem haberent figuram. Postremo unum tantum quadriformem, & situm ultimo jactu diversæ omnium talorum facies exstitissent, Venus dicebatur, & vincebat.* Hæc verba ita in gratiam lectoris explico. Vel subsiliebant

1 Omnes Chii,
2 Omnes Seniones,
3 Omnes Terniones,
4 Omnes Quaterniones.

Et ita constituuntur jactus ——— 4.

In Secunda Classe jactuum proveniebant vel

2 Chii, 1 Senio, 1 Ternio,
2 Chii, 1 Senio, 1 Quaternio,
2 Chii, 1 Ternio, 1 Quaternio,
2 Chii, 2 Seniones,
2 Chii, 2 Terniones,
2 Chii, 2 Quaterniones,
2 Seniones, 1 Chius, 1 Ternio,
2 Seniones, 1 Chius, 1 Quaternio,
2 Seniones, 1 Ternio, 1 Quaternio,
2 Seniones, 2 Terniones,
2 Seniones, 2 Quaterniones,
2 Terniones, 1 Chius, 1 Senio,
2 Terniones, 1 Chius, 1 Quaternio,
2 Terniones, 1 Senio, 1 Quaternio,
2 Terniones, 2 Quaterniones,
2 Quaterniones, 1 Chius, 1 Senio,
2 Quaterniones, 1 Chius, 1 Ternio,
2 Quaterniones, 1 Senio, 1 Ternio.

In Tertia Classe prosiliebant vel

3 Chii, & 1 Senio,
3 Chii, & 1 Ternio,
3 Chii, & 1 Quaternio,
3 Seniones, & 1 Chius,
3 Seniones, & 1 Ternio,
3 Seniones, & 1 Quaternio,
3 Terniones, & 1 Chius,
3 Terniones, & 1 Senio,
3 Terniones, & 1 Quaternio,
3 Quaterniones, & 1 Chius,
3 Quaterniones, & 1 Senio,
3 Quaterniones, & 1 Ternio.

Et ita jactus constituuntur ——— 12.

Qui si superioribus computantur, jactus efficiunt ——— 34.

Quibus adde adhuc unicum, Venereum scilicet, quando in uno talo exsiliebat Chius, in altero Senio, in tertio Ternio, in quarto Quaternio: Et sic habemus istos, quos diximus XXXV. jactus ex consuetudine ludentium introductos. Unde autem nobis reliqui sunt petendi ad quadragenarium Euripideum? Certe vel plures numero erant jactuum, vel nobis omnibus hæret aqua. Sane Alexander ab Alexandro lib. III. cap. XXI. *dierum genialium* mihi quicquam suggerere videtur, cum (sine tamen authoritate) asserit, talos etiam interdum octo fuisse laterum, *Asphalosque* dictos. Ita enim inquit: *Geminum vero quadratum, hoc est, octo laterum* (scil. talum) *dixere Asphalum.* Quod si hoc verum est, jam nobis latera sufficiunt ad quadragenarium Euripidis. *Asphalus* autem fortasse dictus ejusmodi talus est, quod securus possit cadere in quodcunque latus, nam ἀσφάλεια Græcis est *securitas*. Inde & Neptunus vocatur *Asphalius* juxta Plutarchum, eique litabatur, quando terræ motus fiebant crebriores, ut vult Proclus, sed hæc tandem dicta sufficiant.

CAP. VI.

Ἀστράγαλοι an talorum nomine veniant. Quot talis Veteres luserint. Quot tesseris. Talorum ludus Senibus competebat olim, Nucis Juvenibus. Talorum ludus hodie non amplius in usu est.

I. ANTEQUAM tesserarum aggrediamur materiam, operæ pretium erit miscellanea quædam de Talis hic adjicere. Et primo quidem videndum erit; Utrum ASTRAGALORUM nomine proprie veniant tali. Sed luscis profecto oculis Brittannicus Pollucem aspexerit, necesse est, si hoc astruit. Verba enim Pollucis plane Scholiastæ sunt contraria, ita enim inquit: δυὰς δὲ καὶ πεντὰς ἐν ἀστραγάλοις, ὡς ὑπὲρ ἐν κύβοις οὐκ ἔστιν. Id est: *Binarius vero & quinarius in astragalis seu talis, uti in tesseris, non est*: Et hic omnium Philologorum unanimus est consensus.

II. Alterum est, quod hic monere volumus, Veteres semper quatuor lusisse talis, aut ad minimum tribus; tesseris vero tribus, vel ad minimum duabus. Semper enim tesserarum numerus talorum erat inferior, ita ut punctorum numero superior. Hinc Martialis recte ait *l.* XIV. *ep.* XV.

Non sum talorum numero par tessera.

Inde Philologorum sententia, puta Turnebi *lib.* XXVII. *c.* XIII. *Pluribus videntur Veteres lusisse talis, quam tesseris, tribus enim tesseris, quatuor talis lusitabant.* Idem *l.* IX. *c.* XXIII. *Tribus talis & sæpius quatuor, duabus tesseris ludebatur.* Brodæus *ad dict. Martial. locum. Duabus tribusve tesseris, quatuor autem ad minimum talis ludebatur.* Alexander *l.* III. *c.* XXI. *In jactu tesseris utebantur tribus, talis vero quatuor.* Beroaldus *ad Suet. Aug. In ludo talario quatuor talos adhiberi solitos, cum in tesserario tres tantum tesseræ, sicut etiam in præsentia fit, adhiberentur.* Idem Beroaldus in *Annot. Martial.* ad versum, Non sum talorum numero par tessera. *Non satis erudite, qui eruditionis nomine plurimum gloriantur, enarraverunt. Non enim Poeta in eo loco loquitur de numero punctorum, tanquam in talo plura, in tessera sint pauciora: Sed de numero talorum & tesserarum, quo in alea Veteres utebantur. Nam cum tribus tesserulis luderent, sicut etiam hac tempestate in foro aleatorio ludere consueverunt, talis quatuor ludebant in ludo talario: Id quod ex Ciceronis lectione observavimus* lib. I. de *Divinatione*. Raderus *l.* XIII. *ep.* I. *Tesseris tribus, talis quatuor ludebatur in alveolo, ita ut inferior videretur tessera & vilior: Astragali autem sunt tali nobiliores; nihilominus tantum erat tesserarum commodum, quantum talorum, & Fortuna par in utroque genere, & æque incerta.* Idem *ad ep.* XI. *lib.* XIV. ait: *Hoc obiter sciendum, non fuisse perpetuum numerum Astragalorum, ut quatuor adhiberentur, quod Calcagninus libello* de lusu talorum, & *Junius* Animadversionibus *notarunt.* Et *ad ep.* XII. *d. lib.* XIV. ait: *Veteres frequenter tribus tesseris, posteriores etiam duabus ludebant, inde* Martialis *lib.* XIV. *ep.* XVII.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto.

Causam, quare quatuor talis lusum fuerit, Cruquius *l.* I. *Od.* IV *Horat.* refert, cum inquit: *Quatuor certe numero* (scil. talis) *quod essent quadrilateri, jaci solebant.* Ridicule, & ferme ad Isidori ineptias, qui lib. XVIII. c. LX. *Origin.* ait: *Quidam autem aleatores sibi videntur Physiologice per allegoriam hanc artem exercere, & sub quadam rerum similitudine fingere. Nam tribus tesseris ludere perhibent, propter tria seculi tem-*

pora, præterita, præsentia & futura, quia non stant, sed decurrunt. Sed & ipsas vias, senariis locis distinctas propter ætates hominum, trinariis lineis propter tempora argumentantur. Inde & tabulam ternis descriptam dicunt lineis. Ride quicquid est ineptiarum Hispalensium! quis aleatorum de hoc potius, quam de lucro captando sollicitus est? Nugæ! quisquiliæ! *Siculæ* gerræ!

III. Tertium quod scire te, Lector amice, voluimus, est, quod juxta sententiam Cicer. Gellii, Macrobii, aliorumque, *Talorum Tesserarumque ludus Senibus quasi proprius peculiarisque fuerit, Nuces vero Juvenum puerorumque lusus.* Inde & Sidonius Apollinaris *lib.* I. *Epist.* VIII. de rebus præpostere actis ita loquitur: *Syri psallunt, negotiatores militant, negotiantur milites, student pilæ senes, aleæ juvenes, armis Eunuchi, literis fœderati*, &c. Et apud Suet. Augustus dicit, *se* γεροντικῶς, id est, *more senum lusisse*, de qua tamen voce vide Beroaldum *ibid.*

IV. Quia vero ludus isthic talorum a Græcis & inventus & maxime excultus est, contraria illis fuit consuetudo, uti constat de Cupidine & Ganymede apud Apollonium Rhodium l. III. *Argon.* c. II. prout a Raphaele Volaterrano l. XXIX. *Philolog.* & Hadriano Junio in *Advers.* & Francisco Robortello in *Notis ad Epithal. Catulli*, in versu, *Da Nuces pueris*, citatur: Et ex supra allegato Plinii loco, quo ait, Polycletum ex ære fecisse duos pueros astragalizontes, id est, talis ludentes, quod contra decorum fuisset, nisi hoc ita moris apud Græcos fuisset. M. Anton. Sabellicus *ad Sueton. Aug.* inquit: *Eo osse* (talo scil.) *Senes & pueri ludere consueverunt, unde illud a Lysandro Lacedæmonio frequenter usurpatum: Pueros astragalis, Viros jurejurando fallere.* Raderus *ad ep.* LIII. *lib.* IV. *Martial. Talus blandus dicitur a Martiale, quia gratior, & omni ætati convenientior, etiam pueris: tessera rixas ciebat, ut sæpius ad manus veniretur.*

V. Quintum & fortasse ultimum est, quod hic monere volumus, *Ludum nimirum hunc talorum, prout hactenus a nobis est descriptus, plane hisce temporibus esse sublatum, nec amplius esse in usu*, adeo ut mirari multoties soleam, Guidonem Pancirollum in lib. *rerum deperditarum* hac de re nihil scribere. Philippus Beroaldus in libro vel potius discursu *de aleat. scort. & ebrioso* inquit: *Utinam possent e vita in totum abdicari tollique tesseræ chartæque lusoriæ, sicuti jam pridem tali sunt sublati & lusio talaria abdicata. Sed vulgus errore promiscuo implicatur, existimans talos esse instrumenta lusoria, quibus quotidie passim luditur, cum tesseræ illæ sint nominandæ, non tali.* Idem & Polydor. Virgil. l. II. c. XIII. *de Rerum Inventoribus* innuit: *Vulgus tesseram vocitat talum, sive per diminutionem taxillum, qui nunc nusquam ferme gentium in usu est, tantum abest, ut ille, quid sit talus, intelligat.* Paulo post. *Sed talorum usus haud penitus obsolevit; vidi ego in Flandria mulieres talis ludentes, quæ multos habebant vario colore pictos, vel ex ebore factos, quemadmodum veteres, præter naturales talos, ex alia materia factis usos esse, memoriæ proditum est.*

CAP. VII.

Tesseræ. Tesserarii. Sculteti. Varia tesserarum significatio. Quadrantalia. Lepusculi. Jacula. κύβοι. *Materia & forma tesserarum. Numeri & puncta tesserarum.*

I. ABSOLUTA talorum materia, jam nunc tesseras quoque aggredi liceat, utpote quarum lusus proprie sub Aleæ nomine venit, uti supra docuimus. In Latio varie hæc vox accipitur; modo enim militare vocabulum est, & symbolum istud denotat, quod vigiliarum tempore militibus datur, majoris securitatis causa: priscis quidem antiquis in taleola seu tabella lata & quadrata dabatur inscriptum, sequioribus vero temporibus humana tantum voce pronunciabatur, iique, qui tesseram circumferebant militibus, *Tesserarii* vocabantur, uti Vegetius autor est, cum inquit *l.* II. *c.* VII. *Tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nunciant.* Iidem, si Cujacio habenda fides est, *lib.* VII. *cap.* XXXIII. etiam *Speculatores* dicti, quod scilicet versentur circa speculas: posteriori ætate vocati sunt *Scultatores*, quasi Auscultatores, a quibus procul dubio moderni descenderunt *Sculteti*, quibus etiam attendendi & auscultandi jus per compita concessum est. De Symbolis hisce militaribus vide omnino Vegetium *lib.* II. *cap.* V. per totum. Harum autem militarium tesserarum Inventorem Plinius *lib.* VII. *cap.* LVI. *Hist. Nat.* ipsum quoque Palamedem constituit, cum inquit: *Ordinem Exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias invenit Palamedes bello Trojano.*

II. In militia aliæ quoque erant tesseræ, puta *Profectionis tessera*, Veget. *l.* II. *c.* IX. *Tessera prælii*, Idem *l.* III. *c.* V. *Tessera prandendi*, Liv *lib.* IX. *Tessera evocandi milites ex hibernis*, Ammiano. De quibus omnibus, ut & superioribus consule Virum inexhaustæ lectionis Godescalc. Stewechium in *Not. ad l.* II. *c.* VII. & *l.* III. *c.* V. a quo etiam isthæc quodammodo hausimus. Tessera quoque *frumentarium signum* est, quo quis exhibito certam frumenti accipiebat summam ab Annonæ Præfecto. Juvenalis *Sat.* VII.

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti.

III. Sic *tesseræ Nummariæ, oleariæ, cænariæ*, quibus exhibitis, nummi, oleum, cæna & similia dabantur Romæ. Erat & *hospitalis* quædam *tessera*, id est, signum quoddam, quod amici amicis, diversis in locis degentibus, offerebant, in hunc finem, ut quoties talis aliquis amicus, vel alius quispiam ex illius domo aut familia præsto erat, apud alterum amicorum qui tesseras invicem constituerant, hospitio exciperetur oblata hac tessera. Ideoque jus hoc tesseræ hospitalis magnopere asservabatur ab antiquis, quia ad hæredes etiam transibat, ut hoc patet ex quodam Plauti loco in *Pœnulo*, Act. V. Sc. II. vers. 86.

Ego sum ipsus, quem tu quæris. HA. *hem quid ego audio?*
AG. *Antidamæ gnatum me esse.* HA. *si ita est, tesseram Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.*
AG. *Agedum huc ostende. est par probe: nam habeo domi.*

Et in *Cistellaria* Act. II. Sc. I. vers. 26.

Abi quærere; ubi jurejurando tuo satis sit subsidii:
Hic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram.

Ubi confringere tesseram, est, violare jus hospitalitatis, ut notat Erasmus *Chil* I. *Cent.* X. *Adag.* L. & Paræus in *Lexico Plautino*,

IV. *Tesseræ* etiam nonnullis *literæ* dicuntur *salvi Conductus*, ut Pratejus statuit in *Lexico Juris Civilis*, in hac voce. Quanquam alii exponunt tesseras *pro literis Cambii*, quæ dictæ alias tesseræ *Collybisticæ*. κόλλυβος enim Græcis dicitur ἀργυρίου ἀλλαγή, id est, *pecuniæ permutatio*. Qua voce utitur Cic. in *Epist. ad Attic.* & in *Verrin.* V. & κολλυβιστής seu Collybista, qui ex permutatione pecuniarum lucrum facit. Aliæ hujus vocis significationes recensentur a Lexicographis.

V. Nobis hic Tesseræ *instrumenta* sunt *lusoria*, quibus utimur in tabula, a forma ita appellata. τέσσαρες seu Ionice τέσσερες Græcis *quatuor* significat, inde & Tesseræ nostræ, non a numero laterum, horum enim sex sunt, sed quod omnia latera quadraturam, vel quatuor angulos, nobis exhibeant, dictæ sunt. Alias *quadrantalia* vocantur, Græcis autem

κύβοι

κύβοι seu *Cubi*. Inde & κυβευτὴς, id est, *aleator*. Gellius *lib.* I. *c.* XX. *Qualia sunt quadrata undique, quæ κύβους illi, nos Quadrantalia dicimus, κύβος enim est figura ex omni latere quadrata, quales sunt, inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveolo luditur, ex quo ipsæ quoque appellatæ κύβοι.* Ausonius pro cubo Cœbum dixit, ut gœrum pro Gyro: ubi vide Scal. in *Lect. Aus.* & *Cast. Catullianis ad Epigram.* LXII. Aliam κύβου significationem reperio apud Athen. l. III. *Dipnos.* ex Eubulo sumtam: qui ait: ὅτι κύβοι εἰσὶν οὐχ οὓς ἀεὶ μεταχειρίζεσθαι, ἀλλὰ τετράγωνοι ἄρτοι ἡδυσμένοι ἀνήθῳ, τυρῷ, καὶ ἐλαίῳ. Id est: *Unde vobis cognitum est, cubos, non semper eos, quos manibus tractatis, quadratos esse panes anetho conditos, oleo, & caseo.*

VI. Tesseræ dictæ fuerunt & *Lepusculi* & *Jacula*, si fides Isidoro est habenda; ita enim inquit, *l.* XVIII. *c.* LIX. *Tesseræ vocatæ, quia quadratæ sunt, ex partibus omnibus. Has alii Lepusculos vocant, quia exsiliendo discurrunt, olim autem tesseræ jacula appellabantur, a jaciendo.* Ut autem Latinis jacula a jaciendo dictæ sunt tesseræ: Inde βόλος *jactus*, & procul dubio etiam illud βόλια, de quo Glossarium. Tessellæ βόλια καὶ ψῆφοι. Idem Hieronymus in *Vita Apollonii*: *Propheta tabula ludit & tesseris.* Ubi Græcus Interpres. Προφήτης τάβλα καὶ βολίοις παίζει; cujus & Agath. in *tabula Zenonis* meminit. Vide Casaub. in *Animadv. ad C. Jul. Cæs. Vitam* c. XLVI. Plures, easque non nisi plane alioquin incognitas, τοῦ κύβου significationes lege apud H. Jun. l. II. *Adversf.* c. IV. Puta quod κύβος pro ancipiti habeatur eventu, pari ratione ut vox alea. Idem Mercurium, orationis Deum, antiquitus in κύβῳ fuisse pictum, propterea quod cubica forma omnium sit stabilissima.

VII. *Materia* earundem, ut hodie, ita & olim varia fuit. *Eburneæ* apud Ovid. l. II. *de A. A.*

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos.

Juvenal. *Sat.* XI. vers. 132.

—— adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus, ex hac
Materia.

Crystallinæ apud Petron in *Sat. Sequebatur Puer cum tabula terebinthina & Crystallinis tesseris: notarique rem omnium delicatissimam; pro calculis enim albis aut nigris aureos argenteosque habebat denarios. Ligneæ*, Plin. l. VI. c. XV. *Hist. natur.* ubi inquit: *Non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, siler, ligustra, tesseris utilissima.* Ubi tamen ego tesseras non pro lusoriis his instrumentis, sed pro tessellis, quarum supra mentio facta est, intelligo. Contra quam facit Alex. ab Alex. l. III. c. XXI. *dierum genial. Materia tesserarum*, inquit Raderus ad *epist.* XII. *lib.* XIV. *Mart. ex dente plerumque constat, ut tali.*

VIII. *Formam* tesserarum idem Raderus ad *ep.* I. *l.* XIII. ita describit: *Tesseræ sunt cubi, quia ex omni parte æquales erant, & quatuor angulos perfectos habebant, æque longi, lati, crassi paribus angulis semper jacebant, nec poterat alius esse situs tesserarum.* Et hac ipsa forma distinguebantur olim a talis, dum sex quidem constabant lateribus, perinde ut ipsi tali, iis autem undiquaque locorum quadratis, q uod in talis non erat, sed duobus in lateribus curvabantur illi paulatim. Ideoque in his (tesseris nimirum) *Binio* erant & *Quinio*, quæ in talis omittebantur, propterea quod talus in duo curvata ista latera exilire non poterat, sed plane nullius erant usus. Sipontinus in *Præfat. ad Plin. Tesseræ*, inquit, *sunt, quibus in fritillis, hoc est, alveolis luditur, a plerisque κύβοι appellatæ sunt. Est enim κύβος ex sex lateribus æquali latitudine planitierum perquadratus. Is enim est jactus, quamcunque in partem incubuerit, quam diu est intactus immotam habet facilitatem, imperiti hunc vocant talum vel taxillum.* Alexand. ab Alex. *l* III. *cap.* XX. *Tesseræ quatuor erant angulorum: Namque erant fi-*

A *guræ ex omni latere quadratæ, quas Græci κύβους vocant,*

IX. Numeros habebant adscriptos vel pictos. Ovidius lib. II. *de A. A.*

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos.

Inde Turnebus lib. V. cap. VI. *Adversf.* ait: *In tesseris antiquorum, ut in nostris scripti erant tantum numeri, unde jactare numeros, pro, jactare tesseras, dixit Ovidius; at cum senum sint laterum, plures numeros quam tali, qui quaternum sunt, habebant.* Simile exemplum extat apud Catullum in *epigr. ad Licinum*:

—— uterque nostrum
B *Ludebat numero, modo hoc, modo illoc*
Reddens mutua per jocum atque vinum.

X. *Puncta* quoque numerorum vicem obtinebant. Inde Mart. *lib.* XIV. *epigr.* XVII.

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.

Raph. Volat. lib. XXIX. *Philolog. Ipsa vero tessera duodena omnino puncta, ut carmen* (Martialis) *demonstrat, habebat.* In quo tamen magnopere fallit Vir Clarissimus, si unam tantummodo tesseram bissena puncta habuisse contendit; Martialis certe duas hic tesseras intelligit, non enim tribus tantum, sed & duabus interdum ludebant Veteres, perinde C ut non semper quatuor talis, sed etiam tribus. Vide Turneb. *lib.* IX. *cap.* XXIII. Quanquam autem, ut & hoc addam, tesseræ numero semper talis erant inferiores, præmio tamen sive lucro multoties iisdem erant superiores; æque enim multa, imo sæpius plura in tesserarum ludo deponebantur, quam talorum. Inde Suetonius refert: *Neronem quadringentis in punctum alea lusisse: hoc est, in singula puncta deposuisse decem millia Philippæorum, ut, quoties alter punctis superasset, toties decem millia tolleret aut amitteret, si minus altero jecisset*, ut hunc locum Raderus explicat *ad ep.* XII. *lib.* XIV. *Mart.* Martialis alio quoque in loco ait: *lib.* IV. *ep.* LIII.

D *Supposita est blando nunquam tibi tessera talo.*
Alea sed parcæ sola fuere nuces.

Ubi iterum Raderus; *Nunquam lucri causa mutasti talum tessera, nam talis ludebatur potissimum animi causa, ab omni ætate, præsertim Saturnalibus. Tessera vero lucri gratia, talus blandus, quia gratior & omni ætati convenientior, etiam Pueris; tessera rixas ciebat, ut sæpius ad manus veniretur. Antiquitate tamen sua ludus hic tesserarum æque nobilis est, ac iste superior talorum, habetque ipsum Palamedem authorem.* Pertinet huc istud Apollonii *lib* III. cum ait:

E Δοιὼ δ᾽ ἔχεν ἄλλον ἔθ᾽ αὔτως.
Ἄλλῳ ἐπὶ προϊεὶς κεχόλωτο δ᾽ καγχαλόωντα.

CAP. VIII.

Species κυβείας. πλειστοβολίνδα. τρηματίζειν. ἀρτιάζειν. διαγραμμισμὸς, χαλκισμὸς, Ἱμαντελιγμὸς, ναυμαχία.

I. SPECIES κυβείας, Julius Pollux *lib.* VII. *cap.* ult. has facit, eum inquit: κυβείας εἴδη, καὶ ἡ πλειστοβολίνδα παιδιὰ, καὶ τὸ ἀρτιάζειν, καὶ διαγραμ-
F μίζειν, καὶ διαγραμμισμὸς, καὶ χαλκίζειν, καὶ χαλκισμὸς, καὶ Ἱμαντελισμὸς, καὶ ναυμαχία, ἔνι τὶς καὶ ἱερὰ γραμμὴ, ἀφ᾽ ἧς παροιμία: κινήσω τὸν ἀφ᾽ ἱερᾶς. Id est, ut Rudolph. Gualterus explicat: *Aleæ porro species, ludus tesserarum, ludere par impar, diagrammissare, diagrammissatio, chalcissare, chalcissatio, Himanteligmus, & navalis pugna, inter has erat & linea quædam sacra, unde & proverbium dimanavit; movebo hunc a sacra.* Quia autem intellectus harum specierum paulo intricatior apparet, de singulis seorsim est dicendum.


II. Prima species est *πλειστοβολίνδα*, quæ a Julio Polluce ita describitur: Πλειστοβολίνδα, est, *ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀριθμὸν βαλεῖν*. Id est, *cum ludentes inter se certarent, quis eorum plura numero puncta jaceret*. Indeque H. Junio lib. II. cap. IV. *Advers.* recte ab eventu nominatam fuisse dicitur, quod qui plura jactu numerasset puncta, appositam argenti summam abstulisset. Aliis quoque verbis eandem ludi speciem, idem Pollux *l.* IX. *c.* VII. describit, cum ait: *τῷ τρυπήματι δὲ τούτῳ, ὃν κύβον ἐπονομάζεσθαι φαμὲν, ἀργυρίου τινὰ ἀριθμὸν ἐπιψηφίσαντες καθ' ἑκάστην μονάδα διῃρημένην δραχμὴν, ἢ στατῆρα, ἢ ὁποσονοῦν, ἔπαιζον τὴν πλειστοβολίνδαν, καλουμένην παιδιάν. ὁ δὲ ὑπερβαλλόμενος τῷ πλήθει τῶν μονάδων, ἔμελλεν ἀναιρεῖσθαι τὸ ἐπικείμενον ἀργύριον*. Id est, *foramine* (id est, puncto) *vero hoc tesseram denominatam dicimus, argenti aliquem numerum adnumerantes secundum singulas unitates distinctas drachmam, aut staterem, aut quantum liberet, ludebant ludo dicto Pleistibole, qui vero unitatem numero superabat jaciens, depositum recipiebat argentum*. Interpretatio & hæc obscurior quodammodo quidem est, clarior autem erit sequentibus.

III. *Τρύπημα* vel *τρῆμα* foramen est in tessera, quod punctum repræsentabat, ut adhuc hodie in nostris apparet tesseris, quæ non minus quodammodo perforatæ, & ita oculatæ sunt, ac antiquorum olim Exempla hujus vocabuli videre est apud Hesychium & Eustathium, quæ recenset Meursius in Lib. *de Ludis Græc.* *ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς κύβοις τρημάτων*, id est, *ab his tesserarum foraminibus seu punctis*. Lusores hujus Pleistobolíæ Græcis non tantum dicebantur *πλειστοβόλοι*; sed &, *τρηματικταὶ* seu *τρηματιταί* apud Dores, juxta Pollucem *τρηματιῆται*, ut nova Seberi habet editio, quem tamen vide in *Notis*, & Meursium, *laudato loco & libello*, qui hoc ultimum plane rejicit, retento medio vocabulo *τρηματιταί*. Ex superioribus vero Pollucis verbis hoc quoque discimus, quod ejusmodi *τρηματιταί* in singulas unitates, quas jaciebant, singulas drachmas vel stateras conferre & adjicere cogebantur. Inde juxta eundem Pollucem ab Amipsia in Σφενδόνη fabula (de qua vide Casaub. *in Athenæum* fol. 645.) *τριμναῖον* dicebatur, id est, ut Junius vult, *trium minarum precium, in trium cuborum jactu, nimirum pro qualibet unione mina*. Hæc ludi species, *ὡς μνᾶν αὐτῶν ἐπιδιατίθεσθαι μόνων ἑκάστῳ κύβῳ*, id est, *veluti minam ipsis in singulas tesseras deponentibus*. ubi tamen Meursius legit & corrigit: *ὡς μνῶν ἂν τριῶν* Sic de Nerone apud Suetonium in *ipsius Vita* legimus, illum *quadragenis in punctum sestertiis aleam lusisse*. Dan. Heinsius in *Exercitationibus sacris ad Nonni Johannem* ait: *Milites Romanos, cum sortem jecissent super tunicam Christi, hac aleæ specie usos fuisse*, ut ibi pluribus videre est. Quanquam alii micationem digitorum, ex ejusdem Nonni *versibus* eruere conantur.

IV. Huc quoque referendus est ludus iste Augusti apud Suet. in *ejusdem Vita*, ubi Casaubonus in *Notis* inquit: *Qui πλειστοβολίνδα ludebant, singulis jactibus infelicibus certam pecuniam, prout convenerat, in medium conferebant, aliquando in singulos talos singulos nummos, ut Augustus hic ait: aliquando in singulas unitates, quas jactus ostendebat, sive in punctum, ut loquitur Suet. in* Nerone, *singulos nummos*. De hoc quoque ludo Salmasius apud Dan. Souter. *c.* XXVIII. *lib.* I. ad vocem *κύων*; *Qui plura puncta attulisset, abibat victor; at cui tria tantum puncta ceciderant, infelicissimum jactum faciebat, ideoque certissime perdebat. Non erat enim, qui posset inferius punctum adducere. Indeque juxta ejusdem sententiam ad hanc ludi speciem referendum est istud proverbium ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι*, id est, *aut ter sex, aut tria puncta*; *κύβος* enim hic non tesseram, sed unitatem denotat, ut infra pluribus demonstrabitur in hoc ipso proverbio. Idem Salm. capite XVII. *in Vopiscum*: *τρηματίζειν de illo genere aleæ proprie dicebatur, quo in singula puncta certam pecuniæ summam constituebant, & in medium conferebant, isque tollebat eam universam, qui multitudine punctorum superasset*, allegans Eustathii verba (*ad Iliad. π'.*] *καθ' ἕκαστον κύβον ἤγουν καθ' ἑκάστην μονάδα ἔπαιζον, ἀργύριον ὁρίσαντες*. Patet ergo ex his jam dictis *πλειστοβολεῖν* & *τρηματίζειν* invicem esse Synonyma, & unam eandemque modo explicatam aleæ speciem denotare. Cui amplius nihil addo, nisi quod hoc ludi genus exerceretur tam in ludo talorum, quam tesserarum, idque authoritate ipsius Pollucis, qui ait *d. l.* IX. *c.* VII. *ἡ δὲ πλειστοβολίνδα, οὐ μόνον ἡ διὰ τῶν κύβων, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ἀστραγάλων ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀριθμὸν βαλεῖν*.

V. *Altera κυβείας* species est Ἀρτιάζειν, id est, ludere & occultando manu astragalos, seu talos, aut tesseras, nuces, vel pecuniam, collusoris conjecturam quærere *τὰ ἄρτια καὶ περιττὰ παίζειν*. Vulgo *par impar ludere*, de quo genere lusus infra capite de Nucibus commodior dicendi locus erit. Hunc illum ipsum ludum fuisse intelligo, quem Robortellus ait fuisse antiquitus dictum *μαντείαν*, id est, *divinatoriam*.

VI. *Tertia* species est *διαγραμμίζειν* seu *διαγραμμισμὸς*, qui & *γραμμισμὸς* dicitur Polluci, & *γραμμαὶ* a lineis scil. quibus isthic ludus exercetur, non a literis, ut vult Cælius Rhodiginus, quando l. XX. c. XXVII. *Antiq. Lect.* ait: *διαγραμμισμὸς species ludi tesserarii dictus, a verbo γραμμίζειν. Adhibebantur in eo* (ut inquit Eustathius) *calculi* LX. *tum albi, tum nigri*. Meminit Philemon; *μεθύει, διαγραμμίζει, κυβεύει*. Sed ludum hunc *Grammas* itidem dicunt, id est, literas. Eustathii verba ita sonant: *ἐγγένετο δὲ, φασιν, ἄυτη κυβείας οὖσα εἶδος, διὰ τῶν ἐν πλινθίοις ψήφων ἑξήκοντα, λευκῶν τε ἅμα καὶ μελαινῶν*. Cui & Hesychius correspondet in hoc verbo: *Διαγραμμισμὸς*, inquit, *παιδιά τις ἑξήκοντα ψήφων λευκῶν καὶ μελαινῶν ἐν χώραις ἑλκομένων*. Idem Meursius in libel. *de Ludis Græcorum*. *Ludebatur* (hic ludus) *sexaginta calculis, partim albis, partim nigris*. Salmasius apud Souterium c. XX. l. I. *de lusu tabulæ*, distinguit inter lusum *τῆς πόλεως*, ut vocat, & *διαγραμμισμὸν*, quorum hunc ultimum ita describit, quod constet sexaginta calculis albis nigrisque, qui de loco in locum trahi soleant: Atque *hic ludus*, ait, *nihil aut parum distabat, a nostro, quem vocamus*, Damarum joco, *qui tamen triginta tantum calculis luditur, quindecim albis, & quindecim nigris*. de *τῆς πόλεως* infra sequuntur plura. Quod autem Souterius cum Salmasio de *ludo Damarum* innuit, hoc aliunde trahit Majolus tom. II. *dierum canicul. Coll.* II. *de Vaticin.* pagina 575. cum ait: *Sed & Διαγραμμίσμος Lusus linearum sive sexaginta calculorum in Schemate, lineis rectis descripto exercebatur, sexaginta calculorum, quorum* XXX. *nigri erant, reliqui candidi, positu ductuque. Huic similis esse videtur is ludus, qui* XVIII. *calculis binis coloribus in duos ordines distinctis apud nos exercetur. His arte dispositis, in cardines & mutuas intersectiones linearum rectarum quadrati diagrammatis, quod trium magnitudine differentium quadratorum tripartita descriptione & transversarum rectarum linearum latera quadratorum æquabiliter dissecantium ductu describitur*. Quæ posteriora verba interpretatur Selenus *l.* I. *c.* II. hoc modo per interpretem: *Hi calculi juxta certum ordinem in angulis, sive lateribus, & centro, ubi lineæ rectæ quadrati lineas transversas tangunt, ponuntur & collocantur. Diagramma autem istud tribus angulis constituitur, qui, hoc ipso, quod quadrata magnitudine differunt, distinguuntur, & in lateribus linearum rectarum transversarum æquabiliter dissecantur. Hoc ludo sine dubio Majolus ludum, ut appellant, molarum intellectum voluit*. & propterea Schema linearum tale erit.



tam operosa tanti Schematis descriptio!

VII. *Quarta* species est χαλκισμός. Alio nomine dicitur ab Hesych. χαλκίνδα, qui duplex est ludus.

1. Aut enim nummis æneis ludebant par impar, eadem ratione, qua nucibus, aut talis solebant, & tunc ludus iste ad aleæ speciem, quæ tota in fortunæ consistebat arbitrio, refertur, quo etiam Pollux & supra citato, & alio quopiam loco *l.* VII. *c.* XXIV. respexisse videtur, cum inquit: χαλκίζειν δὲ, παιδιᾶς τὸ εἶδος, ὃ νομίσματα ἠρτίαζον. Quod Rudolphus Gualterus male interpretatur: *Chalcizare est species ludi, in quo numismata suspendebant.* ἀρτιάζω enim longe alterius est significationis, quam ut illa hic a Gualtero indigitatur; nos illam & supra adduximus, & infra fusius explicabimus in *Nucibus*.

2. Aut nummum æneum rectum digito impositum circumagebant, & mox excutiebant, & priusquam hic humi caderet, recto digito rursum excipiebant, quique id faciebat, Victor erat. Ut hoc ludendi genus reperitur apud Eustathium *ad Iliad.* ξ'. & *Odyss.* α. Polluc. *l.* IX. *c.* VII. Meursium l. *de lud. Græcorum* p. 67. Et tunc ad aleam non pertinet: Sed alius per se ludus puerilis est: Nomen habet ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ: id est, *ab ære*, ex quo percussus erat iste nummus.

VIII. *Quinta* species, quæ a Polluce inter κυβείας genera refertur, est ἱμαντελιγμός, nomen habens a Græco ἱμάς, ἱμάντος, quod Latinis *lorum* significat, ita enim ludebatur iste ludus, juxta Pollucem *l.* IX. *c.* XVII. Duplex lorum, Labyrinthi in morem, complicabant, per quam oportebat, baculo inserto, duplicaturam istam tangere, nisi tunc lorum solveretur, baculus eo implicabatur, & ille, qui inserebat, victus erat, ille autem victor, qui lorum ita solvebat insertione baculi. Quare autem hoc genus a Polluce inter aleam vel κυβείαν referatur, hoc certe ingenue me ignorare confiteor, & video etiam Meursio hic aquam hærere.

IX. *Sexta* & ultima est ναυμαχία, quæ vox alias navalem designat pugnam. Qualiter isthic ludus exercitatus fuerit, neque Pollux, neque Eustathius exponit, qui alias plurima cum Polluce, in hac lusuum materia habet communia. Ideoque nec Meursius quicquam hic addit. Nos qui nihil intactum relinquere cupimus, ex Lucilli *lib.* XIV. hos quoque versus adjiciamus ab H. Stephano in *Fragm. Poetar.* p. 168. & Scal. in *Varrone* p. 201. adductos:

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, &
Calces. delectes te, hilo non rectiu' vivas.

Lusoria alioquin & imaginaria quædam pugna navium erat Naumachia, quæ in Euripis & canalibus, animi laxandi gratia, committebatur; ut & de ipso Domitiano legimus, quod ille navales pugnas pene justarum classium, effosso & circumducto juxta Tiberim lacu, atque inter maximos imbres perspectarit, de qua vide Mart. in *Amphith.* epigr. XXIV. & XXVIII. Uti Suetonius refert in *ipsius Vita*, *illum tota hieme milites in Lucrino lacu exercuisse, quo ad bellum Siculum redderentur aptiores*. Sed ut alveoli vocabulum, ab aquatili seu fluviali materia ad talorum, tesserarum, latrunculorumque instrumenta translatum est; Sic etiam Naumachias vocabulum ad hanc ipsam ludicri materiam assumtum arbitror, ita scilicet, ut cum calculis ludamus in alveo seu alveolo, sic ipse ludus Naumachiæ non sit dissimilis, propter pugnam scil. calculorum, cui se invicem committunt in alveolo, tanquam naves in freto.

X. Ultimum in supra *citato* Pollucis *loco* est illud, ubi de *sacra* loquitur *linea*, de quo plura verba facturi non sumus, cum tota illa linearum materia ad Latrunculos, & ad ipsam tesserarum tabulam pertineat, de qua uberior infra tractandi campus erit.

CAP. IX.

Jactuum tesserarum varia ac diversa nomina.

JACTUS tesserarum quod attinet, ii a Julio Polluce *l.* VII. *c.* IX. dividuntur in *Felices* & *Infelices*. Verba ejus hæc sunt: ἐν μὲν τοίγε τοῖς κύβοις, τὸ δυσκυβεῖν, καὶ εὐκυβεῖν ὀνομάζεται. καί πως καὶ τὸ δύσβολον, καὶ τὸ εὔβολον εἶναι. Ita vero nomina eorundem ab infelicioribus incipiens recenset, cujus ordinem & nos quoque hic retinebimus, paucis additis, quid de uno atque altero jactu nobis constet. βόλων δὲ ὀνόματα (inquit Pollux τῶν μὲν φαύλων τε καὶ δυσβόλων, ἐφ' οἷς τὸ δυσκυβεῖν.

I. ΜΙΔΑΣ.

Ut supra in nominibus talorum jactus quosdam recensuimus, qui Regum & aliarum Illustrium Personarum nomina repræsentabant, ita hic quoque in tesserarum ludo talium nominum jactus sese offerunt, quorum hic primus est *Midas*, nomen trahens ab illo Phrygum Rege, qui avaritiæ maculatus crimine, in omni vita fuit infelicissimus, adeo ut etiam asininas aures Poetæ illi affinxerint, de quibus in eorundem constat libris. Ut autem hic inter Infelices recensetur Midas, ita ab eodem Polluce infra inter medios jactus, qui nec mali omnino, nec boni sunt, collocatur. Suidas enim de illo jactu proverbium recenset:

Μίδας ὁ ἐν κύβοις εὐβουλότατος.
Midas in tesseris consultor optimus.

Seu, ut Erasmus *Chil.* II. *Cent.* IX. *Adag.* LXXXVII. ut & Hieronymus Wolfius in sua Suidæ editione ac interpretatione legunt,

Μίδας γὰρ ἐν κύβοισιν εὐβολώτατος.
Midas quidem in tesseris jactus prosperrimus.

Dempst. I. *ad Rosin.* v. hoc nomen *Senioni* talorum jactui æquiparat ex hoc ipso Suidæ fragmento. Hesyc. Μίδας, κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα, id est, *Midas tesserarii jactus nomen est*. Plura de hoc jactu lege apud Cl. Meursium libello *de ludis Græcorum* tit. κυβεία. Est & Midas vermiculus, qui fabis innascitur;

Ips vineas & cornua
Frumenta cis, trips arbores
Is vitra, sis velamina
Fabas Midas arrodere,
Nascuntur in quibus, solent.

III. ΜΑΝΗΣ.

Hoc vocabulum origine Persicum esse Augustinus, & cum illo Cælius Rhodig. *l.* XXV. *c.* XXIV. & pro servili nomine a Veteribus habitum, asserit; Hieronymus quoque Manichæum Manem seu servum proprie a μανία dictum fuisse meminit. Alex. vero ab Alex. *l.* III. *c.* XX. ait: *Apud Phryges Manes & Mida servile nomen fuit, cujus etiam nominis servum Diogenes Cynicus habuit: quem cum illi aliquando aufugisset, non verberibus affecit, sed liberum ire jussit, ac dimisit: turpe existimans, Manen sine Diogene vivere posse, non autem Diogenem sine Mane.* Talium autem servorum Pherecrates in *Agrestibus* meminit apud Athenæum l. VI. *Dipnosoph.* cum inquit:

Οὐ γὰρ ἦν τότ' οὔτε Μάνης, οὔτε Σηκὶς οὐδενὶ δοῦλος, &c.

Id est,

Nec Manes tum, nec Saces ulli fuit servus.

ubi Dalechampius in margine addit: *Nomina barbara sunt servorum, Davos autem & Getas appellatos fuisse magna ex parte Atheniensium servos adnotat Dionysii interpres Mitalerius*. Et Antiphanes in *Veneris prosapia* apud eundem Athenæum l. XV. *Dipnosoph.* ait, ex interpretatione Dalechampii,

An Cottabo Manes quispiam veluti famulus adest?

Qua occasione notandum, *Manen* quoque vocabulum quoddam esse ad ludum Cottabi pertinens: Erat autem *Cottabus* ludus quidam convivantium, qui reliquias humoris, epoto poculo inversa manu mittebant in altum, ut relabens in terram sonitum quendam strepitumque cieret. Varium autem fuit hoc genus ludi: Interdum humor iste tantummodo dimittebatur in terram, & qui sonum ista dimissione excitabat maximum, victor erat: Interdum mittebatur in pelvim aqua repletam, in qua natabant acetabula, rami, frondes, & id genus alia, & si quis ludentium *latage sua* (ita enim vocabant reliquias potionis in poculo) frondes ramusculosque illos submergeret, is itidem erat victor. Erant autem & *Cottabi deorsum pensiles*, lances nimirum duæ exiguæ sursum elatæ, ita ut possent in utramque partem relabi. Lancibus istis suppositæ erant duæ pelves, in quarum medietate eminebat ænea quædam columna, ad cujus mucronem impingebat lanx ista, in quam mittebatur vel cadebat ista *latax*, & si ita impingebat, ut sonum ederet quodammodo altiorem, tunc mittens sumebat præmium, quod interdum fuit libamen aliquod, interdum ova, interdum aliud quoddam esculenti: media autem ista pelvium columna proprie vocabatur *Manes*. Consulendi sunt de hoc ludi genere inprimis Athenæus *l.* XV. *Dipnosoph.* Meursius in libello *de Ludis Græcorum*, titulo κοτταβισμὸς, Julius Pollux *l.* VI. *c.* XIX. & alii. Hoc autem loco, ut tandem ad rem ipsam deveniamus, *Manes* est jactus tesserarum, & quidem sub Infelicium numero, prout ille & hic a Polluce, & alibi ab Eubulo in Aleatoribus appellatur, & ab Hesychio quoque indigetatur. Alibi enim ejus nulla, quod sciam, fit mentio, nisi quod pauca de illo quoque jactu, infra nobis, extra ordinem, erit dicendum.

IV. ΠΑΤΡΗΛΟΣ & ΠΑΤΡΑΙΝΑ.

De hisce vocabulis plane mihi nihil constat, nec Hesychius eorundem meminit, nec Meursius in dicto *de Græcorum Ludis* libello.

V. ΜΑΓΝΗΣΣΑ.

Pro Μάγνησσα in Polluce Meursius *d. l.* μάγνης legit, & hoc quidem recte, ita enim Hesychius: Μάγνης. κυβευτικοῦ βόλου προσηγορία. καὶ ἄλλων πολλῶν λεγομένων ὀνόματα βόλων. *Magnes proprium Viri & pastoris cujusdam nomen, qui Magnetem invenit*, juxta mentem Plinii *l.* XXXVI. *c.* XVI. is enim pecus pascens, cum pedum haberet ferratum, animadvertit lapidem hunc ferro adhærescere. Fuit & alius quidam *Magnes juvenis Smyrnæus* satis venustus a *Gyge* ob formositatem adamatus, ut & reliquis Magnesiorum fœminis. Rursus item alius *Magnes Atticus* Comicus, qui Comœdias edidit IX. sed tantum bis vicit, & cum adversarios suos, senectute obrutus, comico stylo & acumine mordere amplius non posset, ab iis oppressus est. Vide & de hoc, & de illo Suidam in sua *Histor.* Apparet ergo & hunc jactum *infelicem, a nomine infelicis Poetæ nomen sortitum fuisse*, aliud enim de illo nihil constat.

VI. ΑΒΟΛΑ.

Abolla quidem, quasi *abulla*, certum genus vestimenti Romanis erat, &, si Turnebo credimus *l.* XXVII. *cap.* XV. pallii genus erat: de qua vide Nonium in hac voce, item Giselinum *ad Psychom. Prudentii* vers. 557. Mancinellum & Georg. Vallensem *ad Sat.* III. *Juvenalis*. Hic autem, uno l. jactum tesserarum significat, de quo præter isthæc Hesychii verba nihil amplius invenio. Αβολα. κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα.

VII. ΑΠΑΙΑ, ΑΘΕΤΟΣ, ΥΠΤΙΑΖΩΝ, ΚΡΥΦΑΣΟΣ.

Hi jactus a nullo alio, præter Pollucem, citantur & allegantur, ideoque etiam de iis nihil in medium proferre possum amplius, sed dictos illos puto ab eventu, ut plures etiam alios ex sequentibus. κρύφασος enim ab occultando, id est, a Græco κρύπτω; ὑπτιάζων tanquam *supinus & negligens* ab ὑπτιάζομαι Græcorum: atque adeo apud Eubulum contrarius ille qui πρανὲς dicebatur, ut H. Junius asserit lib. II. cap. IV. *Adversi.* ἄθετος, irritus, ineptus, inutilis, ab ἀθέτεω, quod est *improbo*, *rejicio*, derivatum videtur. Sic &

VIII. ΚΑΓΚΑΣΟΣ.

Quod idem significat, ac *siccus* vel *aridus*, quanquam Meursius sæpius laudato libello p. 37. scribendum potius censeat κίγκασος, idque authoritate Hesychii, qui ait: κίγκασος: κυβευτικός τις βόλος. Scribitur etiam Κίκκασος, Polluci proprie κάκχασος.

IX. ΤΡΙΧΙΑΣ.

Τριχίας Græcis est piscis nomen, Latini *Sardam* vocant. Meminit illius Plinius lib. IX cap. LI. & lib. X. capite XV. *Nat. Hist.* de quibus vide Cœlium Rhodig. lib. XVIII. *antiq. Lect.*

X. ΕΚΔΥΝΩΝ.

Ab eventu ita dictus, quod ludentem nummis exuat & spoliet, ἐκδύνω enim & ἐκδύω idem quod *exuo* Latinis denotat.

XI. ΧΙΟΣ, ΚΙΟΣ, ΟΝΟΣ, ΟΝΗ.

Ita se Pollucis verba habent, χῖος, ὃν καὶ κῖον ἐκάλουν, καὶ οἶνον ἢ οἴνην. De *Chio* & *Cio* supra in talorum materia diximus, quod satis est. Hoc loco de reliquis duabus vocibus aliquid erit adnotandum. Ονος, quod Latinis sonat *Asinus*, jactus tesserarius est, infelix propterea quod vilissimus sit jactus & unitatem tantummodo designet, quem nos in nostris tesseris vocamus *ein Es, oder ein Esle*, quod tamen falsum est, pro eo quod Belgæ vocant *ein Esel*. Asinus enim hic jactus, ut hic ex Julio Polluce apparet, & adhuc hodie in multis observatur locis, vocatur ab hoc Græco Ονος. Huc etiam spectare videtur Proverbium istud: βασιλεὺς ἢ ὄνος, id est, *Rex aut Asinus*. Rex enim erat, qui vincebat; Asinus, qui victus erat. Ideoque Meursius monet, in Polluce non οἶνος, sed ὄνος legendum esse. οἴνη autem ab hoc asinino vocabulo diversum longe est, attestante Salmasio apud Souterium, qui ex quodam Hesychii loco, quem valde depravatum idem acutissimus Meursius elegantissime ita restituit: Οἴνη. ἡ ἄμπελος, καὶ κυβευτικὸς βόλος. ὁ κενὸς, καὶ ἀντικείμενος τῷ ἓξ ὁ χῖος. οἰνίζειν γὰρ τὸ μονάζειν κατὰ γλῶσσαν. Ait & asserit οἴνην idem esse quod *Chium*, id est, unitatem, & ita Senario contrarium, & quod οἴνη dicatur ab οἰνίζω, vel ut alibi legitur οἰνάω, quod idem significat quod μονάζω, id est, *unus, solus & solitarius vitam dego* Ex quo apparet, ex hoc ipso Græco fonte nimirum οἴνη Latinum dimanare *unum*, & Germanicum *Eins*. Inde hic pro ipsa Unitate ponitur. Attestatur hoc Suidas cum inquit: οἴνας καλοῦσιν Ιωνες τοὺς κύβους, καὶ παροιμία, ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς οἴνας.

& ipse Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. ἢ μάλιστα ἥ γε μονάς ἡ παρ' Ἴωσιν οἴνη, &c. Quibus ita præsuppositis, & Meursium & H. Junium sua correctione erraſſe liquido constat.

XII. Pergit Julius Pollux in recensione jactuum tesserariorum, & nunc *felices* denominat: ἔστι δὲ (inquit) καὶ τὸ δ'εὐκυβεῖν ἐλέγετο βόλος. illosque inter primum locum obtinet;

ΠΡΑΝΗΣ,
ΕΠΑΚΟΝΤΙΣΤΗΣ,
ΚΑΛΛΙΒΟΛΟΣ,
ΦΥΣΩΝ,
ΟΡΟΙ,
ΣΥΝΩΡΙΣ & ΣΥΝΩΡΙΚΟΣ.

Omnes quidem boni sunt jactus, sed nomina tantummodo ab eventu habent, πρανὴς enim idem quod *pronus & proclivis* est Græcis, ipso etiam H. Junio probante, cui quasi adversabatur ὑπτιάζων, id est, *supinus*, apud Eubulum. ἐπακοντιστὴς, cujus & Hesychius meminit, sed eum ἐπακοντισμὸν vocat, quasi *jaculatorius est jactus*, ἀποκοντισμὸς enim *hastæ vibrationem*, seu potius *jaculationem* denotat, inde ἀποκοντιστὴς idem quod *jaculator* est. καλλίβολος *bonum ac pulchrum jactum* significat. φυσῶν qualis fuerit, juxtim scio cum ignarissimis: malim tamen ex conjectura legere φυσῶν, a φυσάω, qui facit, ut alius insolescat, & illi spiritus adfert, uti loquitur M. Tullius. Ὅροι sunt *termini*, συνωρὶς autem & συνωρικὸς idem, qui Κῷος. Fuit autem *Synoris* apud Græcos junctura duorum equorum, seu currus bigarum; adhibitus tam in sacris certaminibus, quam etiam in ipsis præliis: ut autem *Synorides* bigis certabant, ita *Celetes* uno currebant equo. de quibus plura vide apud Cælium Rhodiginum *lib.* XXII. *cap.* XXXI. & hac ratione ego sequentem jactum qui vocatur ἅρμα ὑπερβάλλον πόδας huic jactui æqualem fuisse censerem. Sed jactui huic potius nomen inditum esse a *Synoride*, nobili Athenienſium scorto, cujus meminit Athenæus lib. XIII. *Dipnosoph.* atque illam *cognominatam* fuisse *Lucernam*. Ejusmodi autem meretricum nomina jactibus fuisse indita, & supra monuimus, & ex sequentibus apparebit amplius.

XIII. Tandem sæpe laudatus Julius Pollux in suo *Onomastico* etiam illos recenset jactus, qui *nec boni, nec mali sunt nimis, sed medii generis*. ὁ μέντοι Μίδας, inquit, καὶ τῶν μέσων βόλων ὤν. καὶ ἄλλοι δὲ πολλοί εἰσιν, ὡς ὀνομάζει Εὔβουλος ἐν τοῖς κυβευταῖς. Id est: *Midas vero mediorum jactuum unus est, & multi alii sunt, quos nominat Eubulus in Aleatoribus*. De *Mida* supra inter infelices jactus satis superque dictum est. Reliqui vero, quos ex Eubulo Comico citat Pollux, hi sunt:

ΚΕΝΤΡΩΤΟΣ,
ΙΕΡΟΣ,
ΑΡΜΑ ΥΠΕΡΒΑΛΛΟΝ ΠΟΔΑΣ,
ΚΗΡΥΝΟΣ,
ΕΥΔΑΙΜΩΝ,
ΚΥΝΩΤΑΣ,
ΑΡΤΙΑ,
ΑΡΜΑΤΙΑΙ.

Qui plerique nomen ab eventu habent, & nullibi locorum, solo Polluce excepto, reperiuntur. Eubuli enim scripta, paucis fragmentis superstitibus, perierunt. κεντρωτὸς idem quod aculeatus est, κεντρωτοὶ κηφῆνες dicuntur *fuci aculeati* Aristot. lib. IX. *animal.* ἱερὸς sacer quidam jactus erit. Ἅρμα ὑπερβάλλον πόδας, *jactum denotat, qui collusorem ita astringit, perinde ut onus quodam impediens pedes euntis*; vel qui tanquam currus alterius decurrit pedes. Jactus, qui collusorem suum calculis priorem antevertit, tanquam currus, qui alterius supprimit pedes. Ideoque ego hunc jactum cum *Schœnoride* unum eundemque censeo. κήρυνος qualis fuerit, altum apud Autores silentium. Mihi si divinare liceat, placeat κήρινος, a κηρίναις, quæ, Hesychio authore, fuerunt μάστιγες quædam; vel etiam κήρειος a κηρείαις vel κηρίαις, *fasciis sepulcralibus*, eo quod duram fati sortem hic jactus secum afferat. εὐδαίμων felix fortunatusve. Κυνώτας, caninus jactus: ἄρτια καὶ περιττὰ παίζειν; *par impar ludere*, inde ἀρτιάζειν, id est, manu occultando astragalos vel talos vel nuces, vel pruna, & quærere num par sit, vel impar, ἄρτια enim Græcis *paria* sunt. Ἁρματίαι vel potius legendum ἁρματῖται, id est, *bigales*, seu *bigarii*, ab ἅρμα, quod currum significat: esset itaque hic jactus quasi duplus. Sed subjiciamus reliquos a Polluce recensitos tesserarum jactus:

ΛΑΚΩΝ,
ΑΝΤΙΤΕΥΧΟΣ,
ΑΝΤΙΤΥΠΟΣ,
ΑΡΓΕΙΟΣ,
ΔΑΚΝΩΝ.

XIV. Horum alii nomina sunt propria, puta *Lacon*, ἀντίτευχος, id est, *jactui contrario repugnans*, & quasi jactus adversarius & refractarius colludentis. Quo nomine etiam sequens venit jactus ἀντίτυπος, qui simile quid denotat. Ἀργεῖος, qui Hesychio ἀργειὴς, id est, κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα, *jactus est Græcus vel Græcissans*, fortasse ab Inventoribus aut ad minimum καλλιβολουμένοις Græcis ita dictus. Δάκνων, id est, jactus quasi mordens & maxime sollicitans vel jactantem, vel collusorem.

ΤΙΜΟΚΡΙΤΟΣ,
ΕΛΛΕΙΠΩΝ,
ΠΥΑΛΙΤΗΣ,
ΕΠΙΘΕΤΟΣ,
ΣΦΑΛΛΩΝ,
ΑΓΥΡΤΗΣ,
ΟΙΣΤΡΟΣ,
ΑΝΑΚΑΜΠΤΩΝ.

XV. Τιμόκριτος, si nomen hoc non est proprium, jactum procul dubio designat honoratum. Quemadmodum contra ἐλλείπων deficiens videtur fuisse jactus & insufficiens. πυαλίτης, de hoc plane nihil nobis constat: ἐπίθετος, *adjectitius vel oppositus erit jactus*. Σφάλλων *errans*, & decipiens interdum, jactus est. ἀγύρτης, de quo Suidas, ὁ ἀγύρτης καὶ κυβευτικοῦ βόλου ὄνομά ἐστιν. ἐμέμφετο αὐτοῦ τὸ περὶ τὰς μαντείας ἐπτοημένον, καὶ βουλόμενον ἀεὶ τοῖς ἀγύρταις ἐπιτρέπειν τὰ οἰκεῖα πράγματα. Οἶστρος *stimulatus*, & quodammodo supra solitum currendo infaniens. ἀνακάμπτων, jactus *qui revertitur*, aut reduci potest tutius. De ἀγύρτῃ vero, cujus etiam Hesychius & Eustathius meminit, consulendus est porro Meursius, sæpe citato libello *de Græcorum ludis*.

ΔΟΡΕΥΣ,
ΛΑΜΠΩΝ,
ΚΥΚΛΩΠΕΣ,
ΕΠΙΦΕΝΩΝ,
ΕΠΙΦΟΡΩΝ,
ΣΟΛΩΝ,
ΟΙΜΩΝ.

XVI. Horum plurimi e nominibus constant propriis, ut *Doreus*, *Lampon*, *Cyclopes*, *Solon*: alii ab eventu vocati, ut ἐπιφερών & ἐπιφόρων, quasi manum vel bellum Collusori inferens. Ο῎μων *jactus deplorandus*, qui in Editione Basileæ MDXXXVI. excusa dicitur σίμων, & fortean melius, cum Græce alias verius dicatur οἰμώζων. Quid, quod Meursius inter medios hunc ipsum quoque recenseat? Et hos jactus Polluci debemus, quamvis eorundem communes quosdam etiam habeant Suidas & Hesychius.

Sequentes tamen ex solo Hesychii *Dictionario Græco* Doctissimus Meursius eruit, quorum apud Pollucem nulla prorsus fit mentio, quos etiam hic subjicere libet.

XVII. ΑΒΡΑΜΙΑΣ.

Hesychius: ἀβραμίας. ὄνομα βόλε κυβευτικε. Rationem nominis nuspiam reperio. ἀβράμις quidem apud Athenæum lib. VII. *Dipnosophist. piscis* est *Niloticus*, quorum ibi aliquot recensentur genera.

XVIII. ΑΙΓΔΗ.

Suidas: Αἴγλη. βόλος κυβευτικός. Inter Infelices numeratur ab Hesychio. βόλος φαῦλος κυβευτικός. Eustath. *ad Illiad.* α. κυβευτικὸς βόλος. ἕτερος δὲ τίς φησιν, ὅτι αἴγλη ὄνομα κυβευτικε βόλε φαύλε. de hac voce ita Cæl. Rhodig. *lib.* IX. *cap.* XVI. *Æglen inter placentas fuisse, autor Pausanias est, probat & Cratinus. Est item ægle sacrificium, quod in Delphos mittebatur; quin etiam tesserarius jactus.* Verba hæc Cælii desumta sunt ex ipso Eustathio, jam citato loco. H. tamen Junius lib. II. cap. IV. *Advers.* illum a splendore fortunatum jactum existimat.

XIX. ΑΝΗΒΟΣ.

Alias ἄνηβος Græcis est *impubes*. Indeque Hesychius ait. ἄνηβος. ὁ μήπω φθάσας τὴν ὀφείλουσαν ἡλικίαν, τουτέστιν, δωδεκαετής. ἢ βόλε ὄνομα. In quam vero classem hic jactus sit ponendus, expresse non constat; si tamen etymon spectas, profecto debiliorum erit virium, &, si non plane inter infelices, certo tamen certius inter medios locum habebit.

XX. ΑΝΥΠΟΜΟΝΗΤΟΣ.

Hesychius: ἀνυπομόνητος. ψυχρός. ἢ βόλος τις. Latinis denotat intolerabilem & non sustinendum.

XXI. ΑΡΤΟΣ.

Hesychius: ἄρτος. βόλος τις: alias de hoc nihil constat.

XXII. ΑΦΡΟΔΙΤΗ.

Venerem significat, qui tamen jactus in tesseris aliter se habet, quam in talis, ibi enim Venus prosiliebat, cum nullus talorum eodem vultu appareret, sed omnes diverso. Hic vero cum in tribus tesseris tres apparerent Senarii. Cruquius *lib.* II. *Veneris*, inquit, *jactus in tesserario ludo, tribus tesseris ter Senarius erat expletus, supremus & faustissimus.* Exempla hujus jactus ex Plutarcho in *Catone Majore.* & ex vet. Horatii interprete *ad lib.* II. *Odam* VII. profert Meursius in sæpe dicto libello. Vocabatur hic jactus alias Græcis

XXIII. ΤΡΙΣ ΕΞ.

Hunc jactum Hesychius vocat νικητήριον βόλον, id est, *victoriosum jactum*, de quo Proverbium extat: ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, id est, *aut tres Senarii, aut tres unitates*. Erasmus in *Chil.* II. *Cent.* III. *Adag.* LXVI. ex Platonis lib. ult. *de LL.* probat, *in rebus plane desperatis, ubi quis vel vincere vel vinci secum cogitat, hoc quasi Proverbii loco usurpatum fuisse,* ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, interpretaturque hoc, *Aut tres sex, aut tres tesseras*: aitque ipsam interdum tesseræ vocem pro jactu fuisse usurpatam & nuncupatam: additque, *qui novem jecisset in lusu tesserarum, illum modis omnibus superasse: qui vero tres, illum longe abfuisse a victoria, nam antiquiores olim tribus tesseris usos fuisse, non duabus tantum, nostro more*, &c. In qua tamen opinione bis errasse lumen istud Bataviæ deprehenditur; primo quod κύβον hic interpretatur simpliciter tesseram, deinde quod novenarium numerum pro summo jactu proclamat, quos errores etiam ante me viri docti odorati sunt. *Ter sex* enim, sive, ut rectius dicitur, *tres Seniones* non novem, sed octodecim constituunt, ideoque ab Erasmo hic tantummodo levis quidam error calculi committitur, non error scientiæ. Qui tres sex seu tres Senarios, id est, Venerem jecerat, is palmam victoriæ obtinebat, qui vero tantum tres (unitates scil.) ille aberat a victoria quam longissime. Nam is jactus, quem ille tesseram nominat, a Græcis dicitur κύβος. Et hæc est ista ratio, quam supra recensendam nobis reservavimus ad hunc locum, cui etiam adstipulatur H. Junius lib. II. cap. IV. *Advers.* Ea quæ de Veneris jactu supra ex Acrone & Porphyrio omisimus, huc pertinent, ubi pro *ternario* lege ter *senario*.

XXIV. ΚΥΒΟΣ.

In qua significatione non amplius *Cubum* aliquem vel *tesseram*, sed in tessera *unitatem* vel unicum istud punctum, quod Græci μονάδα dicunt, denotat. τρεῖς ergo κύβοι tres sunt unitates. Et ita stabit superius Adagium, *aut tres Seniones, aut tres unitates*. Id est, ut Raderus *ad epigr.* XII. *lib.* XIV. *Mart.* explicat: *Aut maximus numerus, aut minimus; aut omnia, aut nihil; aut Cæsar, aut nihil; aut felicissimus, aut miserrimus.* κύβον autem unitatem denotare ex ipso Polluce discimus, cum inquit: ὦ μάλιστά γε ἦτε μονάς, ἣ ἐν αὐτοῖς ὄνος καλεῖσθαι εἶχε, καὶ κύβος. καθάπερ καὶ ὁ παροιμιώδης λόγος προμηνύειν ἔοικε. ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι. Tiraquell. *ad Alexand. ab Alexand.* cap. XXI. lib. III. ait: *Græca dictione* κύβος *significatur tam tessera, quæ jacitur, quam punctus, & nota insculpta, reddens numerum jactorum ac præcipue unionem, quæ* ὄνος *quoque Asini nomine dicitur*. Vide hac de re distinguentem H. Junium lib. II. cap. IV. *Advers.* ubi exempla ponit utriusque significationis.

XXV. ΒΟΥΛΑΞ.

Consultorius forte jactus, qui victoriæ præbet consilium, aut quod super eo ludentes plurimum debeant habere consilii, qua ratione calculos moveant. Hesychius de illo nil habet, quam quod sit ὄνομα βόλε, cujus autem generis, boni vel mali, non addit.

XXVI. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣ.

Juxta Hesychium est ἄρχον τε ξυστε. ἢ βόλε ὄνομα; id est, *Princeps arenæ athletarum; & nomen jactus*. De illo plura non habemus, nec ipse etiam Meursius.

XXVII. ΕΞΙΤΗΣ. ΚΩΟΣ.

Idem cum Κῷῳ, & Συνφερικῷ, & quod in talis *Senio*, hoc in tesseris præstabat ἑξίτης, qui etiam a sex istis punctis tesseræ adscriptis nomen habebat. Ideoque & inter bonos numerandus erit. Eustath. *ad Iliad.* ψ'. τῶν δὲ βόλων φασίν, ὁ μὲν ἓξ δυνάμενος, κῷος ἐγένετο, καὶ ἑξίτης. De quibus supra satis dictum est in talis.

XXVIII. ΚΙΟΣ, SEU ΧΙΟΣ, SEU ΚΥΩΝ.

Et hæc ſunt nomina jactuum teſſerariorum cum talorum jactibus communia, hicque idem valent, quod in talis, *unitatem* nimirum, vel *unionem*. Etymon illorum ſupra explicavimus. Euſtath. ὁ δὲ τὸ ἓν, χῖο καὶ κύων. Ab hoc jactu, qui κύων ſeu *canis* vocatur, deduci etiam videntur ſequentes, puta.

XXIX. ΚΥΝΟΡΧΙΑΣ ET ΚΥΝΩΤΑΣ.

Quorum prior deſumtus eſt ex Heſychio, qui plura de illo non habet, quam quod ſit ὄνομα βόλου, alter ex Polluce, quem etiam ſupra recenſuimus. Caninos enim jactus ambo deſignant, & fortaſſis unum idemque cum κύῳ valent, diverſis tantum nominibus, ab aleatorum petulantia ita inverſis.

XXX. ΞΑΝΘΙΜΙΑΣ.

De hoc etiam plura Heſychius non habet, quam quod ſit ὄνομα βόλου. Meurſius etiam nihil inſuper addit. At necEtymon quoque huic jactui congruum adſcribere poſſumus.

XXXI. ΠΕΡΣΗΣ.

Nomen proprium extra dubium. Heſychius de illo ait, quod ſit κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα.

XXXII. ΣΧΑΔΩΝ.

Κυβευτικὸς βόλος Heſychio.

XXXIII. ΦΑΛΛΟΣ.

Heſychius, φαλλός. λευκὸς, ἢ βόλος. Atque ea propter rectius fortaſſean ſcribitur φαλὸς, albus, ſiquidem apud eundem τὰ φάλαρα dicuntur ἀστραγαλισμὸς ὁ ἐπὶ τῆς περικεφαλαίας.

XXXIV. Et hi ſunt iſti, quos ex tota antiquitate didicimus, jactus teſſerarii, quos partim ipſi ex Julio Polluce & Heſychio, partim opera & ſubminiſtratione Magni Meurſii exhibuimus, quorum tamen major pars etiam cum talario ludo multa habent communia. Etymon eorundem quia nuſpiam gentium ex veteribus aut neotericis eruere potuimus, noſtris viribus hoc negotium aggreſſi ſumus: ſi qua tamen in re tibi, amice Lector, non ſatis ad ſtomachum fecimus, veniam merebimur, illorum inſtar, qui viam minus adhuc tritam ambulant.

XXXV. *Modernorum* jactuum nomina quod attinet, ſunt illa non plane hodie nata, ſed aliquot abhinc ſæculis etiam in hac noſtra Germania, uſu recepta, ut apparet ex Poematis Germanicis *Hugonis* VON TRUMBERG, in libro, quem vocat *den Renner*, capite *vom Schachzabel*, cujus Rhythmos Germ. Latine ſic expreſſimus:

Per jactum teſſerarium quinarii, quaternarii & unitatis numerorum
Multi ad incitas redacti.
Jactus quinariorum, quater-ternariorum
Non paucis deplorandus.
Per jactum quinariorum, quater-binariorum
Multis eſt curta ſupellex.
Ob jactum quaternariorum, ter-quinariorum
Multis eſt aqua bibenda.
Jactum quinariorum, ter-quaternariorum
Multorum parentes deflere coguntur.
Ob jactum nimium & diuturnum quinariorum, quater-binariorum, & ſenariorum
Metzia, Lucarta, & Agneſa a Patre non elocantur.
Horum miſerere Deus, &c.

Rhythmi quidem ſimplices, & pro ætate conditio- A neque ſæculi, quo iſthic Scriptor vixit, nempe Anno MCCC. attamen nimis veri. Genera modernorum ludorum in tabula, eorundemque vocabula, explicare ſuperſedemus merito, quia noſtri non ſunt inſtituti, ſed iis reliquenda potius, qui in hac palæſtra regnum obtinent.

CAP. X.

Subire & vocare. Ludus Datorum, Revocare manum, remittere manum. Manus quid, Μάνης, Bolus. Tribus bolis. Miſſus. Ovidius bis expoſitus. Auguſti Epiſtola declaratur. Eraſmi error.

I. HOC caput ſupplebimus explicatione nonnullarum phraſium circa jactuum materiam occurrentium, qualis eſt illa apud Ovid. lib. II. *de Arte Amandi*.

Et modo tres jactet numeros, modo cogitet apte,
Quam ſubeat partem callida, quamque vocet.

Per *tres numeros* hic *tres teſſeras* intelligendas eſſe ſupra demonſtratum eſt; nunc autem quæritur, quid hoc loco ſit τὸ *Subire & vocare?* Turnebus *lib.* VI. *cap.* X. inquit: *Subire & vocare contraria ſunt; Nam ſubit ille etiam partem, quam ſi referat teſſera,* C *vincitur. Vocat, quam partem, quemque numerum optat reduci, ut vincat. Itaque qui jactat teſſeras, optionem dat Colluſori ſubeundi vel vocandi; qui non jacit, is e jactatis deligit, quos ſubeat, & quos vocet.* Idem *lib.* VI. *cap.* XXIII. *Vocamus, quod evenire optamus. Subimus quod ferre cogimur; ut alterum voti ſit, alterum neceſſitatis, ſed ea conditio eſt, ut legamus eum numerum, quem potius rediturum ſperemus, ut auguremur nobis potius lucrum, quam jacturam ominemur. Nam & in hac conjectura ineſt calliditas, ſuiſque rationibus adverſaria ſit, quæ eum numerum, qui ſæpius redit, ſubire malit, quam vocare.*

II. Operoſus in his eſt Turnebus. Tu autem D Lector noſtram de hac re ſententiam vide infra capite ſequente ſub titulo, *Calculi*. Auſon. in *Commen. Profeſſorum:*

Narrantem fido per ſingula puncta recurſu
Quæ data per longas, quæ revocata, moras.

Inde & *Datorum ludum* vocari teſſerarum ludum ſæpe laudatus aſſerit Turnebus *lib.* VI. *cap.* III. juxta illud Ovidii lib. II. *de Arte Am.*

Tu male jactato, tu bene jacta dato.

III. *Revocare manum* quid ſit apud eundem Ovidium lib. I. *de Arte Amandi* in hoc diſticho;

Sic, ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor,
Et revocat cupidas alea ſæpe manus.

E multi ignorant. Admirabilis in hiſce literis Joh. Meurſius lib. *de Ludis Græcorum* ita explicat: *Ne perdidiſſe videatur, ſemper ad aleam recurit luſor, quod poetica phraſi dicitur revocare ſæpe cupidas manus.* Ego ſimpliciter pro *reiterare jactus* intelligo, motus authoritate D. Cæſaris Auguſti, qui in Epiſtola *ad Tiberium* quæ extat apud *Suetonium*, ita inquit: *Nam ſi, quas manus remiſi, cuique exegiſſem, aut retinuiſſem, quod cuique donavi, viciſſem vel quinquaginta millia.* Ubi *remittere manum* juxta Beroald. *d. l.* eſt condonare colluſoribus jactum, quem ſua quiſque manu damnoſum ſibi fecit, debuitque ob id nummos ſolvere; Sabellicus, *eod. loco*: *Manum pro pe-* F *cuniarum grumo in aleam conjecto accipit.* Magnus Caſaubonus in *Animadverſionibus* ad hunc locum Suetonii ait: *Manum hic intelligi pecuniam, quam quiſque poſt jactum infelicem conferebat. Proprie tamen*, inquit porro, *manus eſt jactus ipſe, nam in alea ſinguli jactus ſic dicuntur manus, ut in re gladiatoria ſingulæ manus, & ſinguli ictus.* Eſt ergo apud D. Auguſtum Cæſarem *remittere manus*, idem quod colluſoribus ſingulis ſuam remittere debitam pecuniæ partem, quam ad jactum infelicem tenebatur con-

ferre. Quam pecuniam Jul. Pollux vocavit ἐπιδιακείμενον ἀργύριον: & Gellius lib. XVIII. cap. XIII. *Noct. Attic. æs manuarium*, quasi ex pluribus manibus collectum. Vide de his plura apud Casaubonum *dicto loco*. Alias etiam vocantur *Positiones*, uti apparet ex Ambrosio lib. *de Tobia* cap. XI. ubi inquit: *Volvitur census in tabula, fit ludus de periculo, & de ludo periculum, quot propositiones, tot proscriptiones*. Ubi omnino legendum est *quot Positiones*.

IV. Meursius vero hunc Augusti locum apud *Suetonium* corrigit, & pro τῷ *si quas manus*, legendum censet, *si quos manes*. Μάνης enim, ut supra exposuimus, & a Julio Polluce, & ab Hesychio, pro jactu, sed infelici, agnoscitur; ideoque (inquit Meursius dicto libello *de ludis Græcorum*,) *lusorem infelices hos manes sæpe collusoribus remisisse Augustum*. Ingeniosa satis correctura, modo libris responderet antiquis.

V. Quod nos hic manum vocavimus, alii βόλον, seu Latine *Bolum* a Græco βάλλομαι nominant, quoties enim hæc vox primam producit, tunc idem quod *frustum* alicujus rei significat, quando vero primam corripit, tunc *jactum aleatoris vel piscatoris* denotat. Exempla nobis Plautus suppeditat in *Rudente* Act. II. Sc. III. *v.* 28.

—— O Neptune lepide, salve:
Nec te aleator ullus est sapientior: profecto
Nimis lepide jecisti bolum: perjurum perdidisti.

Id est, Lenonem hominem perjurum, quem naufragio consumptum festive hic exagitat Comicus, cum acerbioris genere mortis dignus fuisset. Idem Plautus in *Curcul.* Act. V. Sc. II. *v.* 13.

—— Quid agis bone vir? Cu. *audeo*
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem.

Tribus bolis, id est, tribus jactibus audeo tecum deponere chlamydem, vel ludere tecum de hac chlamyde: paria enim & in *Curcul.* Act. II. Sc. III. v. 15. habemus, in his verbis:

Postquam cœnati atque appoti, talos poscit in manum,
Provocat me in aleam, ut ego ludam, pono pallium:
Ille suum annulum opposuit, invocat Planesium.

Non autem, ut in vulgatis habetur, legi debet,

Si vis tribus bolis velim chlamydem.

falsa enim isthæc lectio est, ut & Erasmi interpretatio, qui explicat verba, *tribus bolis*, pro tribus verbis, vide illum *Chil.* III. *Cent.* VII. *Ad.* L. Mecum, ut jam video, etiam Taubmannus hoc loco convenit. Bolus autem in ludo talario integrum jactum omnium talorum (tesserarumve) conjunctim significat, eosque in ludo, præsertim tesserarum, vel dabant vel revocabant, prout bene vel male ceciderant tesseræ, si enim male, tunc arte corrigendus erat iste bolus, ut supra etiam demonstratum est.

VI. Ut autem a Græco βάλλομαι βόλος vocatur jactus: ita a Latinorum *mittere missus* quoque jactus vocatur, dicimus enim non solum jacere tesseras vel talos, sed etiam mittere; ut ergo a jaciendo jactus; ita a *mittendo missus* deducitur, quæ vox etiam extra aleam alias elegantes habet notationes: interdum enim *missus* idem est, quod *ferculorum appositio*. Sic Latinis missus, quando plures conjunctim una mittuntur & apponuntur cibi. In *Palæstra* quoque *missus* habemus, quando nimirum bestia mittitur in arenam, ut congressum faciat cum alia; vel *missus* erat, quoties nova pugnantium fiebat *commissio*. Exempla habemus apud Sueton. & Lampridium.

CAP. XI.

Tabula. Alveus. Abacus. κόσκοινον. πλίνθιον. *materia tabulæ*. Terpentin. *Forma tabulæ. Lineæ. Linea sacra. Incita linea,* XII. *Scripta. calculi. Fritillus. Turricula. Buxum. Pyxis. Orca. Pyrgus. Phimus, seu* κημός.

I. RESTAT adhuc TABULA, quæ etiamsi jure quidem primas sibi quodammodo vindicat, nos tamen non abs re hunc illi locum reservavimus una cum omnibus ad eam pertinentibus. Sit ergo titulus

TABULA.

Ex tot tantisque summorum etiam Philologorum scriniis nullam certam perfectamque tabulæ hujus descriptionem reperire potui, quod ut per se satis est mirum, ita me hoc potius etiam detinet, quod & illi, iique summi alioquin Viri, qui paucis & summo quasi digito tantummodo rem illam attigerunt, in describenda illa tantopere impegerunt. Acutissimus Criticorum, & inexhaustæ lectionis Vir Casp. Barthius lib. XXXV. cap. X. operis admirandi *Adversariorum* ita de illa loquitur: *Videtur autem Tabula, fritillo subjecta, habuisse signa certa aut numeros, in quos quæve cum incidissent tesseræ, victoriam aut perditionem lusoribus dabant. Sidon. Hic tabula calculis strata bicoloribus*, &c. Sed ignoscat mihi genius summi Viri, sub cujus literis & libris plurimum me profecisse fateor, deque ejusdem amicitia publice mihi gratulor. *Tesseræ* non incidebant in signa tabulæ adscripta, sed in puncta numerosve sibi ipsis appictos, qui si ex voto prosiliebant, spem victoriæ faciebant, secus autem, si minus. Turnebus *lib.* XXVII. *cap.* III. ita eam describit: *Erat & tabula lusoria* 12. *numeris distincta, in qua calculis vel latrunculis ludebatur, alii in ea quinas utrimque lineas fuisse dicunt, & mediam sacram, ut undecim numeri essent*. Aliquid, sed non sufficiens Raphael Volat. lib. XXIX. *Philolog. Erat*, inquit, *tabula, in qua & alea exercebatur tesseram jactando, & latrunculorum ludus, quos Martialis calculos appellavit*. Sed & hoc imperfectum quid est. Sed enim Cujacius *Novell.* 123. ait: ταβλίζειν, id est, ad tabulas ludere aleæ (id est, tesserarum) non latrunculorum ludum significari. At maxime omnium hic errat Isidorus Hispalensis lib. XVII. cap. LVII. *Originum*, cum inquit: *Tabula luditur pyrgo, calculis, tesserisque*. At quis unquam gentium affirmat pyrgo fuisse lusum, & non potius per pyrgum, ut infra, ubi hanc vocem explicabimus, docebitur.

II. Ut ergo propius accedamus, nos tabulam ita describimus: *Tabula instrumentum erat lusorium, ut plurimum e ligno factum, forma quadrata, longior quam latior, asserulis comprehensa, in cujus prima facie adscriptæ erant certæ lineæ, quibus pro casu tesserarum certos applicabant calculos, tesserulis vero istis infixus erat fritillus desuper in tabulam quasi dependens, per quem tali jacti decidebant in ipsam tabulam. In inversa vero altera tabulæ facie iterum certæ depictæ erant lineæ, quæ ita incisæ erant invicem, ut cellulas repræsentarent quadratas, in quibus ludebatur latrunculis, qui & ipsi calculi dicebantur*.

III. Ut autem hanc ipsam descriptionem veritati consentaneam esse lector animadvertat, ecce eandem examinabimus his ipsis notis breviusculis. Tabulam vocavimus, quæ aliis etiam nominibus insignitur passim. Dicitur enim &

IV. ALVEUS, SEU ALVEOLUS, SEU ALVEOLUM.

Cicero *de Finib.* lib. V. *& cum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere, aut quærere quempiam*

piam ludum. Plin. *l.* XXXVII. *cap.* II. *tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium e gemmis duabus*, &c. Alanus in *Parab. Sect.* lib. I. cap. XXX.

Pauperat & ditat talorum caſibus alveum
Alea —— —— ——

Ita procul dubio dictus, quod propter aſſerulas, quibus tabula iſta in extremitatibus laterum erat comprehenſa, alveo fluminis ſimilis eſſet, aſſerulæ enim riparum inſtar ſunt, fundus tabulæ inſtar alvei fluminis. Dicitur etiam

V. ABACUS, & ΑΒΑΚΙΟΝ.

Ita enim Pollux ait *lib.* X. κυβευτὴ σανὶς, ἄβαξ, ἀβάκιον, &c. Cælius Rhodig. *lib.* VII. *cap* XXX in fin. *Scribit Ammonius abaca dici, in quo res apponuntur, abacion vero, in quo ſupputationes fiant, apud Cratinum legimus βαλαίων ἄβακα. Sunt & aleatorum inſtrumenta eodem nomine*, Macrob. l. I. *Sat.* c. V. *Vultiſne diem ſequentem, quem plerique omnes abaco & latrunculis conterunt*, &c.

VI. ΚΟΣΚΟΙΝΟΝ.

Ita Jul. Pollux *d. l b.x.* ait: κυβευτὴ σανὶς ἄβαξ, ἀβάκιον, κόσκοινον. Alias enim *cribrum* denotat: fortaſſe ita dicta, quod lineæ iſtæ inciſæ alterius tabulæ faciei cribri fundum & ſtructuram repræſentare videantur.

VII. ΠΛΙΝΘΙΟΝ

Ita quoque vocatur campus iſte, in quo deducitur pugna teſſeraria, videatur *Lexicon Græcum* Geſner in hac ipſa voce. Latinis dicitur *laterculus* a primitivo Later, lateris. Procul dubio inde dicta, quod Veteres hoc ludi genus exercebant & in lapidibus latioribus & in tabulis ligneis. Inde & Euſtathius *ad Iliad.* β'. refert, *apud Ilienſes lapidem oſtenſum fuiſſe, in quo Græci ludere fuiſſent ſoliti*. Vid Meurſ. *de Lud. Græc.* ubi verba Euſtathii refert. Peſſime ergo H. Junius *l. b.* II. *cap.* IV. in verbis Euſtathii, quæ ille de *Diagrammiſmo* refert, πλινθίον *fritillum* interpretatur, cum ſit ipſa tabula. Tabulam Inſtrumentum diximus luſorium, idque authoritate Pollucis, qui illud σανίδα κυβευτὴ appellat, *dict. l b.* X ligneum quoque non otioſe diximus, quanquam illud interdum *ex ebore* factum fuiſſe, authoritate Martialis approbatur, qui *lib.* XIII. *epigr.* I. ait:

Senio nec noſtrum cum cane quaſſat ebur.

Ipſe vero hoc loco τὸ *ebur* pro *fritillo* potius accipio, quam pro tabula, nam & ille ex hac materia fabrefactus erat, ut infra docebimus. *Terebinthinam* tabulam introducit Petron. in *Satyrico* ſuo cum ait: *Sequebatur puer cum terebinthina tabula & cryſtallinis teſſeris*. Eſt autem *terebinthus* arbor quædam, ex cujus ſudore naſcitur reſina, quæ in myropoliis Terpentina dicitur. Græce τερέβινθος, a qua Germanicum corruptum *Terpentin*. Gemmeæ tabulæ mentio fit apud Plinium *lib.* XXXVII. *cap.* II. ubi ait: *Tranſtulit* (Pompejus) *alveum cum teſſeris luſorium e gemmis duabus*.

VII. Forma tabulæ quadrata quidem erat plane ad formam noſtræ tabulæ, in longitudinem magis, quam latitudinem excreſcens; hoc enim didici ex jam iterum recitato loco Plinii *d. lib.* XXXVII. *c.* II ubi ait: *Pompejanam iſtam tabulam gemmeam latam fuiſſe pedes tres, longam pedes quatuor*. Quibus ex verbis facile apparet longiorem illam fuiſſe, quam latiorem. In medio vero ad formam noſtrarum tabularum infracta non erat, ut complicari quaſi poſſet, ſed plane erat integra, propter lineas junctim poſitas, ut infra dicemus; ubi de lineis nobis erit ſermo. *Aſſerulis* erat *comprehenſa*, ne ſcilicet tali extra tabulam proſilirent, ſed ad earundem etiam incurſum eo fortius ſubſilirent, more noſtra-

A rum. Duas porro tabulæ facies adſcripſimus, idque authoritate doctiſſimorum Virorum, puta Grapaldi, qui *lib.* II. *cap.* VI. ait: *Tabula erat luſoria, qua hinc* (id eſt, in prima facie) *biſſeno puncto, illinc* (id eſt, in inverſa tabulæ parte) *quadris diſcoloribus notata utimur ad luſum talorum, teſſerarum & latrunculorum*. Apparet hoc etiam ex iſto Martialis lemmate *lib.* XIV. *ep.* XVII.

TABULA.

Hic (in prima facie) *mihi biſſeno numeratur teſſera puncto.*
Calculus hic (in altera facie) *gemino diſcolor hoſte perit.*

B Inde & diverſo hoc reſpectu *Tabula* dicitur vel *teſſeraria* aleatoria potius, vel *latruncularia*: quod ultimum hoc vocabulum apud Senecam reperitur *Epiſt.* CXVII. illud apud Feſtum in alveolo, ubi ait: *alveolum tabula eſt aleatoria, alea enim, ut ſupra diximus, in principio libri, proprie teſſerarum ludum denotat*. Sequuntur nunc

IX LINEÆ.

Quoties in ludo Linearum fit mentio, toties illæ (paucis exceptis, de quibus infra) ad ludum teſſerarum ſpectare videntur. C Diverſæ autem pro diverſitate luſuum in tabula erant lineæ; indeque factum eſt, ut Authores minime inter ſe conveniant. Alii enim *biſſenas* tabulæ adſcribunt lineas, alii *ab utraque parte quinque*; utrinque autem recte pro diverſitate, ut diximus, ludi. Julius Pollux lib. XIX. *Onomaſtici* qui unus omnium bene de hac materia cogitat, ita inquit: ἐπειδὴ δὲ, ψῆφοι μὲν εἰσιν οἱ πεσσοί. Πέντε δὲ ἑκάτερος εἶχε τῶν παιζόντων ἐπὶ πέντε γραμμῶν, εἰκότως εἴρηται Σοφοκλεῖ, καὶ πεσσὰ πεντέγραμμα, καὶ κύβων βολαί. Quibus verbis inquit, ita fuiſſe luſum, ut utrique ludentium eſſent calculi quinque, totidem impoſiti lineis; unde & Sophocles dixerit: D *Teſſeræ quinque linearum*, &c. Huic aſſentitur Eraſmus *Chiliad.* I. *Cent.* I. *Adag.* XXV. Item Turnebus *l.* XXVII. *c.* III. cum ait: *alii utrinque quinas lineas fuiſſe dicunt, ut undecim numero eſſent*. Inter has quinque lineas media dicebatur Græcis

X. ΙΕΡΑ, vel SACRA LINEA.

Pergit enim Pollux in jam *citato loco*, aitque: Τῶν δὲ πέντε ἑκατέρωθεν γραμμῶν, μέση τις ἦν ἱερὰ καλουμένη γραμμή. καὶ ὁ τὸν ἐκεῖθεν κινῶν πεττὸν, παροιμίαν ἐποίει: Κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Id eſt, *in eis utrinque quinas lineas mediam vocatam fuiſſe lineam ſacram; quique calculos ab illa moviſſet, locum proverbii dediſſe*: E *Sacræ lineæ calculum movere*. Hoc Proverbium alibi quoque præter Pollucem reperitur, puta apud Platonem *de Legibus* cap. V. ubi inquit: καθάπερ πεττῶν ἀφ' ἱερῦ, id eſt, *tanquam a ſacra teſſerarum*, (ſc linea.) Plutarch. in lib. *an ſeni ſit gerenda reſpubl.* τελευταῖον, ὥσπερ τὴν ἀφ' ἱερᾶς ἐπάγουσιν ἡμῖν τὸ γῆρας, id eſt, *Poſtremam nobis tanquam a ſacra linea ſenectam allegant*. Idem *de comparat. terreſt. & marinor.* inquit: φέρε κινήσοντες τὴν ἀφ' ἱερᾶς, βραχέα περὶ θειότητος αὐτῶν, καὶ μαντικῆς εἴπωμεν, id eſt, *age moto talo a ſacra linea paucis de divinitate eorum & divinatione dicamus*. Plura exempla ut & ipſam Proverbii explicationem vide apud F Eraſmum *d. Chil.* I. *Cent.* I. *Adag.* XXV. unde etiam hæc ipſa deſumſimus. Iſthæc vero omnia, quæ hactenus de utrinque ludentium quinis, ſive conjunctim de undecim lineis, eaque media ſacra diximus, proprie de ludo teſſerarum, prout illum Græci ludere ſolebant, intelligenda ſunt.

XI. Apud Romanos paulo aliter ſe res habebat. Iis enim in tabula adſcriptæ erant, vel *ſex* utrinque ludentium lineæ, id eſt, conjunctim duodecim, vel totidem Numeri. Quos illi ſcripta vocabant. Et

ut apud Græcos media linea erat ἱερὰ vel Sacra, sic Romanis cæterisque Latinis ultima erat quasi sacra, dicebaturque

INCITA LINEA.

ad quam ubi calculi coarctabantur, ad incitam dicebantur redacti. Hoc Scaliger me monuit *ad Varronis lib.* VI. *de L. L.* Non pudet locum ascribere: *Antiqui fines seu terminos, quos amplius promovere non est, incitos vocabant. Et qui eo rerum redacti erant, ut nullum certum rerum suarum consilium capessere possent, ad incitas redacti dicebantur, ubi subaudiendum, lineas. Metaphora enim a ludo duodecim Scriptorum. Nam cum ad ultimam lineam promoti erant calculi, tum is, cujus intererat ad incitas lineas redactus, calculi vero ipsi inciti dicebantur, quod annotat Isidorus. Apud Græcos alia erat tabula Calculorum, quippe quinque linearum. Itaque non in ultimis lineis erant inciti calculi, sed in media. Quare cum alteruter ex lusoribus in incitam lineam cogeretur, tunc movebat calculum ab eadem media linea, hoc dicto, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς nam linea illa vocabatur ἱερά.* Hactenus illustris Scaliger, cujus authoritate plurimum nitor. *Ciere* autem Latinis idem est, quod movere, incitum ergo illud, quod non poterat moveri. Inde recte tandem aliquando Isidorus ait lib. XVIII. cap. LXIII. *Origin. Calculi partim ordine moventur, partim vagi, ideo alios ordinarios, alios vagos appellant; At vero qui moveri omnino non possunt, Inciti dicuntur.* Erasmus quoque *Chil.* IV. *Cent.* VIII. *Adag.* LXVII. ait: *In lusu calculorum erant certæ lineæ, ad quas redactus calculus moveri jam non poterat.* De hac voce *Incitas* Nonius Marcellus l. *de inhonestis & nove Veterum dictis* ita refert: *Incitas dicitur egestas,* Plautus *Trinum.* Act. II. Sc. IV. v. 136.

Alii exulatum abierunt, alii emortui, alii se suspendere.
Hem nunc hic cujus est, ut ad incitas redactus est?

Idem in *Pœnul.* Act. IV. Sc. II. v. 85.

——— Tacitus tace modo.
Profecto ad incitas lenonem redeget, si eas abduxerit.
Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.

Lucilius lib. III. *Sat.*

Illud ad incita cum redit atque internecionem.

Idem lib. XV.

Villicum Aristocratem mediastinum atque bubulcum,
Commanducatus corrupit ad incita adegit.

Apud Nonium quidem his omnibus in locis atque exemplis legitur *ad incitas*. Pareus tamen in *Lexico Plautino* asserit, etiam contra Scaligerum pro τὸ *incitas* non tantum apud Plautum, sed etiam Lucilium legendum esse *incita*, neutro scilicet genere; idque defendit authoritate Giphanii in *Observat. de L. L.* Fr. Dousa, ex Joh. Levinæo *ad* XII. *Panegyr.* nec hac in parte importuna loquitur. Juxta Salmasium autem pag. 461. *Hist. Aug.* & Souter. *l.* I. *c.* XXII. ea quæ tum ab Isidor. de ordinariis, vagis & incitis calculis, tum aliis etiam de linea incita, & ad inditas redigi, ad ludum Latrunculorum, non vero tabulæ seu tesserarum referenda sunt. Qui idem Salmasius ait: *Calculum incitum hodie vocari Scaccum Mattum. Mattus*, vox antiqua Latina emollitum, subactum & maceratum significat, inde *Mattare*, domitare, subigere, macerare. Isidoro *Mattum est humectum, Via matta* Ciceroni lib. XVI. *ad Attic. ep.* XII. Turnebus *lib.* XXVIII. *cap.* VI. *Mattus*, id est, tristis. Origo Græca est a verbo μάττω, id est, *pinso, emollio*, inde μακτὸς, id est, *subactus*, inde Latinum *mattus, permactus*, ut *brattea* pro *bractea*, Græce βρεκτία, sic *Vittorius* pro *Victorius*. Souterius *d. l.* &c.

XII. Eædem etiam bis sex lineæ vocabantur ab antiquis

DUODECIM SCRIPTA.

Martialis vocat *bissena puncta*, (id est, duodecim lineas, quæ constant ex punctis. linea enim nihil est aliud, quam fluxus puncti in longitudinem)

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.

Inde *lusus Duodecim Scriptorum*, cujus Cicero facit mentionem in *Hortensio*, prout illum Nonius citat in voce *scriptat* (*scripta* legendum) cum inquit: *Scripta constat esse rarum. M. Tullius in Hortensio. Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.* Quæ Ciceronis verba, prout hoc exactissime annotavit Muretus lib. II. cap. XIII. *Var. Lect.* desumta sunt ex illis Platonis in *Hipparcho*. Cujus locum ibi vide. Ubi tamen Nizolius in *Indice Ciceroniano, Scrupis* legendum esse satis barbare censet: Quæ vox etiam apud Quintilianum *lib.* II. *c.* II. legitur cum inquit: *An vero Scævola in lusu duodecim scruporum* (Scriptorum lege) *cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus, rediit ad eum, qui cum luserat, isque ita factum esse confessus est.* Barthol. Merula ait *ludum* XII. *scriptorum constitisse ex* XII. *calculis*: sed errat, cum deberet dicere, *illum constitisse ex* XII. *lineis, scilicet ab utraque parte ludentium.* Ut autem ad sententiam Nonii Marcelli ipsa *Scriptorum* vox rara, antiqua & obsoleta suo etiam tempore jamdudum erat: ita proculdubio & ipsum ludendi genus sequioribus Romanorum seculis paulatim obsolevit. Salmasius vero, & ex illo Souterius, ait, *Ludum* XII. *Scriptorum esse ludum tesserarium, prout hodie luderetur, ideoque ait constare illum ex* XXX. *calculis, & bis senis lineis seu viis.* Differentiam vero inter *calculum tesserarium, & latruncularium* idem Souterius ponit c. XVI. γραμμαὶ & γράμματα, *scripta & scriptula sunt lineæ in tabula.* Ergo tabulæ ludus tesserarum, & XII. Scriptorum idem ludus est.

XIII. Absolutis itaque lineolis in descriptione nobis sese offerunt

CALCULI.

quos his ipsis lineis, pro casu tesserarum, applicabant. Tot autem erant Calculi, quot lineæ, uti & supra relatum est. Dispositio eorundem non nisi per somnium quasi nobis adhuc cognita est, eaque admodum dubia, quamvis in ea alioquin totum ludendi artificium consistebat. Ut ut enim tesserarum ludus aleæ fuerit species, atque ita in fortunæ constiterit arbitrio; non tamen penitus ab illa dependebat, sed quod casu talorum fortuito prosiliebat, illud artis ministerio erat applicandum. Si enim male cadebant tesseræ, beneficio artis & ingenii in collocatione calculorum hoc poterat corrigi, prout hoc ipsum Comicus innuit (Terentius) cum ait *Adelph.* Act. IV. Sc. VIII. v. 19.

Ita vita est hominum, quasi, cum ludas tesseris.
Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

In recensita autem calculorum collatione, hoc potissimum nobis constat, quod cum jam ad casum tesserarum calculi essent dati vel collocati, (*Dare* enim *calculos* in hac palæstra proprium quasi artis vocabulum est,) poterant iidem ad sequentem vel alium alterum jactum iterum tolli ac revocari, si nimirum jacens male illum calculum collocasset, & propterea pœniteret, ita tamen, si hoc illi collusor concederet, hoc enim in arbitrio ludentium stabat. Ovidius lib. II. *d. A. A.* pro τὸ *dare*, *subire* ponit.

Et modo tres numero jactet, modo cogitet apte,
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Ubi *subire partem* scilicet *tabulæ*, nihil est aliud quam dare vel collocare calculum, sive repetere.

XIV. Cæterum calculos ipsos quod attinet, fuerunt illi, ab infantia ludi tesserarii, lapilli, quales in ripis per lusum sæpe legimus, inquit Raderus *ad ep.* XII. *lib.* XIV. *Mart.* quos *Oceani spolia* Claudius Cæsar apud Sueton. appellavit, Græci ψήφους, quibus antiqui & numerabant & suffragia ferebant, teste Aristot. I. *Ethic.* Theocritus λίθους appellare videtur. *καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον* id est, *hunc & a linea* (sacra) *movet lapidem*. Successu temporis vero, horum lapillorum loco, alia quoque successit materia, inde calculos ex ebore factos. Juvenalis *Sat.* XI. *v.* 132. inducit.

—— *adeo nulla uncia nobis*
Est eboris, nec tessellæ; nec calculus ex hac
Materia. ——

Sic Petron. in *Satyrico: Sequebatur puer cum terebinthina tabula, & crystallinis tesseris, & pro calculis albis aut nigris aureos argenteosque habebat denarios.* Est autem vox Calculi, ut loquuntur Grammatici, diminutivum a suo primitivo Calx. Ita enim Festus: *Calces per diminutionem dicuntur Calculi.* Lucilius.

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare Calces.

Plautus in *Pœnul.* Act. IV. Sc. II. *v.* 85.

Quin prius disperibit faxo, quam unam calcem civerit.

Quæ exempla Scaligero debemus in *Append. Conject. in Varron. lib.* VI. *de L. L.* ubi expresse ait ad hunc Plauti locum: *Cave calcem hic pro ea parte pedis accipias, quam Græci πτέρναν vocant. Calcem enim vocat hic calculum, alluditque ad Proverbium, quod usurpavit.* Et paulo post: *Vides ergo, quomodo Plautus dixerit ciere calces, κινεῖν τοὺς πεσσούς.* His tamen non obstantibus, sua quasi sponte errare maluit Doctissimus Pareus in *Lexico Plautino*, cum ait, *calcem ciere, esse pedem movere*. Dicebantur autem ejusmodi calculi lege tesseraria, ut ex Eustathio innuit G. Merula *ad Galeottum*, *Canes*, quod ipsum etiam Julius Pollux affirmat *lib.* IX. *cap.* VII. Admiratur hoc in loco, sed frustra Don Joseph. Antonius Gonsalus de Salas in suis *ad Petron. comment.* quid hic in una eademque tabula, tesseræ faciant cum calculis? infra illi satisfaciemus. Ex iis autem quæ in Petronio sequuntur verbis, apparet, Veteres etiam pro calculis adhibuisse *tesserarum frustilla*, ita enim inquit: *Interim dum ille omnium agmen testorum inter lusum consumit, Repositorium allatum est cum corbe, in qua gallina erat lignea.* Mirifice torsit Petronianistas isthic locus, ejusque vera lectio quæ tamen non infeliciter a dicto Don Gonsalo de Salas adjectione unius vocabuli (*agmen*) restituta est. *Agmen* enim *testorum* Petronio agmen est calculorum. Qui hic *Testæ* vocantur, prout *Scrupi* dicuntur a Cic. & Quint. τὸ testum autem pro testa, ut hic, sic & alibi Petronius utitur. *Animadverto Enothæam cum testo ignis pleno.* Vide ipsum Commentatorem.

XV. Sed redeamus tandem ad Explicationem nostræ tabulæ, cui, expositis jam nunc calculis, in parte alveoli affixus sequitur.

FRITILLUS.

Cum enim periculosum interdum foret, nonnullorum ludentium manibus talos committere, propterea quod & olim dolus iste modernus, quem Latini peritiores vocant, *talos componere*, innotuerat, ars inventa fraudi est, &, ne collusores simplici tesserarum ex manu colludentis circumvenirentur jactu, Fritillum hunc tabulæ superponebant, per eumque

A in tabulam dimittebant tesseras. Poeta anonymus MS. apud Salmasium & Souterium:

In parte alveoli pyrgus, velut urna resedit.

Erat autem *fritillus* instrumentum vel potius vasculum quoddam ligneum oblongum, ad similitudinem turris, intus gradatim excavatum, per quod agitati concussique in graduum supercilia offendentes volutabantur, & ita incerto quasi jactu mittebantur in alveolum vel tabulam, minusque fallebantur reliqui collusores. Hæc omnia ut manifestius omnium pateant animis, fusius ea exemplis prosequemur appositis. Et primo quidem ipsam examinabimus vocabuli originem, quæ profecto aliunde non nisi B ex ipso tesserarum sonitu descendit. Inde & Turnebus inquit, in *Adversar. Fritillus dicebatur, vel ab ipso talorum crepitu, vel quod super eo ferantur vel inferantur tali.* Prior opinio verior est. Multa enim in Latinitate habemus vocabula, quæ potius ex ipso sonitu nomen sortiuntur, quam ex materia vel forma, vel alia causa quapiam. Inde *fritinnire & fritillare* dicuntur aves, eædem *Zinzulare & Zinzillare*, *glocitant* vel *clozant* gallinæ, sus *grunnit*, &c. qualia plura recenset vocabula Becmannus in voce *murmur*. Adstipulatur Souterius *lib.* I. *cap.* III. in hac voce. Illustris quidem Scaliger in *notis ad Varr.* C *de L. L.* pag. 77. ex Fabio Pictore *ollam* nobis affert *fritilem*, & ex eo quoque pultis genus *fritilla* Græcis αἰθάρα a τῷ *Frit*, quod αἰθήρ significat, producit, quod tamen ad hoc nostrum nihil facit. Plinius *lib.* XVIII. *c.* VIII. ejusdem pultis mentionem facit. *Hodie*, inquit, *sacra prisca atque natalium pulte fritilla conficiuntur, videturque tam pulsignota Græciæ fuisse, quam Italiæ polenta.* Sed, ut diximus, instrumentum nostrum a sonitu nomen habet, inde & tali (qui pariter cum tesseris per hoc quasi infundibulum ludebantur) Teophrasto in *Charact. Eth.* διάσεισοι, non, ut Lambinus exponit, *Sonori*, sed ut Casaubonus *ad hunc Theophrasti locum* explicat, D quasi *agitati & concussi*. Ex eo enim nomen habuerunt, quod mota prius agitataque manu (per fritillum) jacerentur in alveum lusorium, quod ad vitandam fraudem fieri solebat. Seneca in *Apocolocynth. Claudii*: *Concusso magna parastis lucra fritillo.* Et ibidem circa finem.

Nam quoties missurus erat resonante fritillo.

Sidon. *lib.* VII. *Ep.* IX. *Inter aleatoriarum vocum competitiones frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur.* Aliud *Fritilli* etymon affert Martialis Monerius in eruditissima *ad Aleam* materia;

Et velut exitio deesset satis ampla facultas,
E *Altera in hanc venit causa fritillus opem;*
Quod minuat, nam voce patrum minuisse friare est;
Aut quia fors sævo consonet ipsa freto.
Hæc Veteres, sed nos quorum est vitiosior ætas,
Ut vitio, causa vicimus & vitii.

Sed hæc de vocabuli origine. *Materiam* in sequentibus recensebimus. Erat enim interdum e *cornu* vel alia materia, ut apparebit ex sequentibus. *Forma* erat rotunda, & in turriculæ formam cavata, id est, supra laxior, inferius angustior, infundibuli in morem. In interiore excavata parte gradatim e- F rat teres, quo magis magisque in gradus hosce impingentes tesseræ agitarentur & concitarentur, jactusque ipse magis redderetur dubius. De his gradibus intelligendus est Ausonius in *Comment. Profess.*

Alterius vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excussi per cava buxa gradus.

Quibus verbis seductus est Casp. Barthius *lib.* XXXV. *cap.* X. cum suspicatur, *tesseris injectis fritillum subtus clausum fuisse, donec sæpius circumactæ remoto obstaculo tandem, bona fide emitterentur, immo fritillum dum jaceret alter, ab altero fuisse rotatum.* Sed non

opus erat claudere vel rotare fritillum, injecti enim in fritillum tali tesseræve adeo gradibus concussæ rotabantur interius, ut nullo exteriore motu vel rotatu indigerent, nec possibile esset hac ratione ad compositum alterius posilire. Inde & Acron, Horatii Scholiastes, ait: *Pyrgus, pyxis sine fundo*. Et Souterius *cap.* III. *Hi pyrgi seu pyxides sine fundo erant, ut per posticum sive foramen tesseræ in pyxidem jacerentur, & per eburneos & corneos gradus devolverentur in alveolum*. Cum iis, quæ ex Ausonio (cujus locum Turnebo debemus) protulimus, etiam alius apud Sidonium locus convenit. Ita enim ille *l.* VIII *epist.* XII. *Hic tabula calculis strata bicoloribus, hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum* (id est fritilli) *gradibus exspectat*. Farnabius *ad istud lib.* IV. *ep.* XIV. *Mart.* incertis fritillis, *id est, pyrgis seu turriculis ligneis corneisve intus gradatim asperis, e quibus excutiebant aleas, ne fraus fieret fortunæ, aleas componendo*, bij coggiug the dice.

XVII. De fraude autem aleatoria, cujus vitandæ causa, fritillus erat inventus, Isidorus loquitur *l.* XVIII. *c.* LXII. cum inquit: *Jactus tesserarum ita a peritis aleatoribus componitur, ut adferat, quod voluerit, ut puta Senionem, qui eis jactum bonum affert, vitant autem canem quia damnosus est, unum enim significat*. De hac fallacia itidem Martialis loquitur *lib.* XIV. *ep.* XVI.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Quæ verba, quo quis melius intelligit, eo pejor est, inquit Freig. *ad Exercit. L. L. Vivis* pag. mihi 7.

XVIII. Male vero illi faciunt, qui vel fritillum a pyrgo separant, vel cum ipsa tabula lusoria confundunt. De distinctione *Fritilli & Pyrgi* infra nobis erit sermo, ubi de ipso pyrgo dicemus. Confusionis *tabulæ & fritilli* exempla habemus apud Raph. Volat. lib XXIX. *Philol.* ubi inquit: *Alveolus & phymus ipsa tabula lusoria appellatur*. Paulo autem post: *Turricula & fritillus, idem quod apud Græcos Pyrgus. Pyrgus* autem *Phymus*, fritillus & *Turricula* longe aliud sunt quam *alveolus & tabula*. Eundem quoque errorem errat Polyd. Virg. *lib.* II. *cap.* XIII. cum inquit: *Est & aliud ludi genus, quo calculis in tabula lusoria, id est, fritillis, & alveolis luditur*. Alveolus quidem cum tabula unum idemque est, sed non fritillus. Sic & Stephanus Doletus in *form. L. L. Calculi sunt orbiculi, quibus luditur fritillo*. Male: Calculis enim luditur in tabula, talis tesserisve autem per fritillum in tabula. Videatur & de hac *fritilli, pyrgique & alveoli* distinctione fusius Beroaldus in *Syllog. Annotat. in Horat.* quæ extat in *Face Crit.* tom. I. pag 202. & 203.

XIX. A Martiale *lib.* V. *ep. ult. incertus* vocatur *fritillus*:

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

quia gradus illi in interiore fritilli parte injectos in fritillum talos tesserasve dubios reddebant missus. Idem alio loco inquit, *lib.* IV. *ep.* XIV.

Et ludit rota nequiore talo.

Ubi Raderus non inepte per rotam ipsum fritillum intelligit, *quia rotundus*, inquit, *erat, velut turricula, vel quia rotatim tali excutiebantur, trochleatim enim & capreolatim in his effecti versabant talos effundendos*. Quod idem ferme est cum illo, quod modo ad Barthii opinionem recensuimus.

XX. Præterea, (ne hoc etiam prætereamus,) jocosa satis est illa pœna, qua plectitur apud inferos Imperator Claudius, ut de illo Seneca refert in *ejus Apocolocyntosi* his verbis: *Tum Æacus jubet illum alea ludere, pertuso fritillo, & jam cœperat fugientes tesseras quærere, & nihil proficere*.

Nam quoties missurus erat, resonante fritillo,
Utraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos audebat mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti
Decepere fidem, refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.

Quam ego pœnam omnibus iis, qui alea tantopere tenentur, animitus precor ad infinita usque dierum secula. Vide Beroaldum *d. loco*. Pertusum autem fritillum cur Barthius *lib.* XXXV. *cap.* X. pro vacuo accipiat, non video. Pertusus enim fritillus propterea dicitur, quod plane, contra Barthii mentem, fundo fritillus careat. Sed de fritillo hactenus.

XXI. Idem Instrumentum dicitur etiam

TURRICULA.

Scilicet a forma, cui assimilatum erat; turritim enim desuper patentius in angustius decrescebat os, quo tandem prosiliebant tesseræ. Ita vocatur a Martiale lib. XIV. sub Lemmate *Turricula* ep. XVI.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Ubi notandum (quod supra monere negleximus) Aleatores, quoties felicem aliquem jactum cupiebant mittere, vel Deum Deamque, vel Patronum amicamque invocasse, cujus patrocinio faustum sperabant jactus eventum. Inde apud Plautum *Curcul.* Act. II. Sc. III. *v.* 77. amator suam invocat amicam Planesium, Parasitus Herculem almam suam nutricem, alius alium. Exinde Martialis inquit, qui per fritillum vel turriculam talos mittit, illos nequaquam ad fraudem collusoris & emolumentum sui potest componere, sed, si felicem desiderat jactum, oportet illum vota facere, id est, Deos Deasque vel alium quem patronum invocare.

XXII. Dicebatur etiam

BUXUM.

Ausonius in *Comment. Professorum Burdegalensium*:

Vidimus & quondam tabulæ certamina longa
Omnes, quot fuerant enumerasse bolos.
Alterius vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excussi per cava buxa gradus.

Barthius *loco* mox *cit. Fritillum aptum usui apud Romanos ludentium buxum erat earum, desuper patentius, quod per gradus in angustum os descendens, tesseras injectas rotare sæpius & invertere cogebatur, priusquam fundo emitteret, ne locus fallendi daretur lusoribus*. Nomen itaque accepit a materia. Buxus enim ad quodvis formandum apta & idonea: Inde Ambros. *Hexam.* lib. III. cap. XVII. *Buxus quoque elementorum apicibus utilis exprimendis levi materia usum manus puerilis informat*, unde ait Scriptura: *Scribe in Buxo*. Mammotrectus super Biblia *ad c.* XXX. *Esaiæ*, inquit: *Buxus arbor est, buxum vero lignum sculpturis aptum*.

XXIII. Alio vocabulo dicitur

PYXIS.

Veteres enim & Buxus scribebant & Puxus. a quo Pyxis, quod Græcorum *πυξὶς* est, Becmannus refert. Hanc vocem nobis suggesserunt Gothofredus & Cujacius *ad tit. C. de aleat.* adducto exemplo Juvenalis *Sat.* XIII.

—— *partos gladio vel pyxide nummos,*

Pyxide, id est, fritillo, seu alea. Nec vero e buxo semper fabrefactus erat fritillus, sed constat eam quoque *corneam* fuisse: Schol. Juven. *Sat.* XIV. *v.* 5. *Fritillus pyxis est cornea, qui fimus (phimus) dicitur Græce*. Apud antiquos in cornu mittebant tesseras. Imo juxta Casp. Barthium lib. XXXV. cap. X. *Advers. Æneus* quoque fuit; ita enim inquit: *In non edito*

Glossario fritillum sistrum exponitur, puto vero aliquando id ex ære aut tali materia factum, qua de re & resonans appellavit Seneca in Apocolocyntosi.

XXIV. Appellatur etiam

ORCA.

Persius *Sat.* III. *v.* 50.

—— Angusto collo non fallier orcæ.

Ubi magnus Casaubonus *ad hunc locum*. *Orca idem ac Phimus & Pyrgus; quæ sunt talaris lusus voces, apud Græcos & Latinos*. Potest accipi hic locus de alia lusione, quæ Græcis τρόπα dicebatur, cum vel talos, vel nuces, vel id genus alia in foramen conjiciebant. Eadem etiam statuit ad hunc locum Barth. Fontius, *Orca*, inquit, *vas est fictile lato alveo, angusto ore ac fundo, longiore collo, in quam inter ludentes pueros qui nuces injecisset, victor erat*. Ab ea *Orcula* diminutivum deducitur. Cato *de R. R. C minum, fœniculum, rutam, mentham, in orculam condito*. Ex ea quoque nonnulli *urceum*, atque inde per diminutionem *urceolum* dici volunt. Brittanicus alius in Persium Scholiastes antiquus in eadem opinione est; *Orca, in quam humi defixam pueri nuces jaciebant: orca, genus vasis terrei*. Hoc genus ludi Veteres, ut Casaubonus supra citato loco asserit, τρόπαν vocarunt. Describit illud Julius Pollux. *l.* VIII. *c.* VII. his verbis: ἡ δὲ τρόπα καλουμένη παιδιά, γίγεται μὲν ὡς τὰ πολὺ δι᾽ ἀστραγάλων, οὓς ἀφιέντες στοχάζοντες βόθρου τινος, εἰς ὑποδοχὴν τ᾽ τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένου, πολλάκις δὲ καὶ ἀκύλοις, καὶ βαλάνοις, ἀντὶ τ᾽ ἀστραγάλων οἱ ῥιπτοῦντες ἐχρῶντο. Vide etiam hac de re Joh. Meurs. in libello *de ludis Græcorum*. Plurimi tamen in ea sunt opinione Orcam hic idem esse, quod fritillum. Alex. ab Alex. *l.* III. *c.* XXI. *Tali*, inquit, *Turricula, seu quæ dicitur orca vel fritillus, super patenti tabella, punctis distincta jactabantur, ne lusoris manus jactum falleret, & non casu, sed fraude consisterent*. Beroaldus *ad Suet. Aug. Orca vasculum illud lusorium est, quo conjecti tali agitatique emittuntur in tabulam aleatoriam*, de qua ait eleganter Pompejus Poeta Bononiensis:

Iterum dum contemplor orcam taxillos perdidi.

Sipontinus *in Præfat. Plinii*, *Turriculam*, *Persius Orcam vocat*. Fere tamen Orcæ *Salsamentorum* quoque *vasa* sunt, quæ Græci & Latini *Ceraunia* vocarunt; Suidas ὄρχας nominat. Idem Casaub. *ad Pers.* in hac significatione etiam ab Horat. *l.* II. *Sat.* IV. *v.* 66. accipienda est Byzantia orca;

Non alia, quam qua Byzantia putruit orca.

Ubi vet. Interpr. *Orca, id est, olla, Græce βοῦζα, seu vasis genus ore angusto in formam καυκαλίου*. Cum quo etiam consentit Cruquius *d. l.* Piscis etiam nomen est apud Aristotelem, Ælianum & Hesych. ideoque Becmannus autumat, alterum horum, pro meliori distinctione, interposita H aspiratione scribendum esse.

XXV. Græcis hoc instrumentum aleatorium vocatur

PYRGUS.

Πύργος enim Latinis *Turris* est. Sidonius *lib.* V. *ep.* XVII. *aleatores ad pyrgum vocabat*, id est, ad aleam. Horat. *lib.* II. *Sat.* VII. *mitteret in Pyrgum talos*. Videatur Dempsterus c. I. *Paralip. ad Rosini antiquit.* l. V. Beroald. *ad Sueton. August.* Lambinus *ad Sat.* VII. *l.* II. *Horat.* Cruquius *d. l.* pro pyrgo pymum legit. De qua voce in sequentibus. Cæterum Turnebus lib. XXVII. cap. III. *Advers.* Pyrgum videtur distinguere velle a fritillo, ita enim inquit: *Pyrgus & fritillus non idem est; nam fritillus videtur fuisse vasculum longum, in quo mittebantur tesseræ vel tali vel calculi. Pyrgus turris, per cujus altitudinem mittebantur in alveum*. Sed Vir clarissimus sui oblitus primo in eo peccat, quod ait, *Calculos mitti solitos fuisse in fritillum*, quod certe nemini persuadebit: Calculi enim in tabula dabantur, non vero mittebantur: contra autem tali tesseræve mittebantur, non dabantur, ut ex superioribus apparet. Deinde authoritate Suidæ decipitur, qui in voce τάβλα *fritillum* secus quid esse voluit, quam *Pyrgum*. Utitur enim vocabulo ψηφιβόλου, quod Turnebus fritillum interpretatur, & distinguit illud a πύργου, quod Turnebus turrim recte appellat. Eundem quoque errat errorem H. Junius l. II. cap. IV. *Advers.* cum inquit: *Diagrammismus tesserarii ludi genus, quo calculis sexaginta albis pariter & atris, in fritilli alveo ludebatur*. Ubi fritillum pro ipsa sumit tabula. Valde autem dubitatur, an juxta Turnebi sententiam ψηφιβόλος sit fritillus. Hieron. Wolfius in sua versione Suidæ *Aream* nominat, quæ certe multum abesset a fritillo. Area enim fundus est tabulæ, id est, campus, in quo pictæ erant lineæ. Sic altera tabulæ facies, qua latrunculis luditur, etiam area vocatur a Claud. VI. *Honoris Consulatu*.

Hic & belligeros exercuit area lusus:
Armatos hic sæpe choros.

XXVI. Dicitur &

PHIMUS.

Vox isthæc etiamsi Græca sit, varie tamen a variis scribitur, alii enim *Phymus*, alii *Phimus*, alii *Pymus*, alii *Fimus* ponunt. Cruquius Horatii Scholiastes *ad Sat.* VII. *lib.* II. ait: *Phymus alveolus* (forte urceolus) *angusti oris, in quo ante jactum ab aleatoribus agitantur tesseræ ad evitandum dolum*, ἀπὸ τοῦ φιμόω, id est, *coarcto* seu *constringo*. Scribitur & φιμος in quodam Æschili codice, *contra Tymarchum*: πρῶτον μὲν συνέτριβον τὰ σκεύαρια, καὶ διέρριπτον εἰς τὴν ὁδὸν, ἀστραγάλους δὲ τινας διασείστους, καὶ φιμοὺς καὶ κυβευτικὰ ἕτερα ὄργανα. Id est; *Primum quidem vascula contriverunt & projecerunt in vias, talos quosdam sonoros, vel potius concussos & crepitantes, & phimos & alia instrumenta lusoria*. Sic Julius quoque Pollux lib. X. *Onomastici*: κυβευτοῦ σκεύη, ἄβαξ, ἀβάκιον, κόσκοινον, κύβοι, διάσειστοι ἀστράγαλοι, (iterum attende ad vocem διάσειστοι φιμοὶ, (absque y) φημοί. *Pymus* Cruquianum quoque est. *Fimus* Scholiastes Juvenal. *ad Sat.* XIV. *v.* 5. scribit, *Fritillus pyxis cornea est, qui fimus dicitur Græce*. Lambinus quoque ait in *Comment. ad Horat.* se invenisse *Phimum & Fimum*, qua ultima scriptura per F. etiam Scaliger utitur in *Ausonianis Lectionibus* l. II. c. XIX. cum inquit: *Fimus & turricula lusoria ita describitur ab Ausonio*. Vidimus, &c. ut propterea de gradillis illis, qui intus exscalpti erant in Epigrammate Agathiæ Scholastici, scriptum sit πύργου δηρατέη κλίμακι κευθομένη. Idem Lambinus Phymum *tabulam* exponit, non turriculam, cui tamen contrarius est Casaubonus *ad Theophrasti Characteres*, & Raderus *ad ep.* XII. *lib.* XIV. *Martial.* aliusque antiquus Horatii Scholiastes *ad Sat.* VII. *lib.* II. qui inquit: *Phymus est instrumentum ligneum stricti oris, ex quo conjiciuntur tesseræ, ne possit falli is, qui cum alio ludit*.

XXVII. Dicitur etiam

ΚΗΜΟΣ.

Idque authoritate ipsius Pollucis loco jam demum citato. Sic *ad ep.* XII. *lib.* XIV. Lambinus: *Phimum alio nomine etiam Camum nominant Græci, ut testatur Hesychius, Suidas, & Harpocration*. Sed profecto extra authoritatem Pollucis si esset, parum fidei Lambino tribuerem. Est quidem κημός seu Camus inter alia etiam Cadus quidam coni figuram referens, in quem judices calculos conjiciebant. Rhodiginus lib. X. cap. V. *antiq. lect.* paulo aliter explicat. An vero etiam instrumentum proprie fuerit lusorium, ferme dubitarem.

XXVIII. Sed hæc quoque de tesseris ita dicta sufficiant, adeo ut hic totum negotium optimo jure finire possem. Quia tamen supra in descriptione *Ta-*

bulæ duo illi latera affinximus, quibus singulis diversa fuerunt lusuum genera, absoluto uno latere, quod tesseris inserviebat, alterum adhuc restat, in quo ludus exercebatur Latrunculorum, qui etiam si non in fortunæ consistebat arbitrio, sed a sola calculorum dispositione, id est, arte & ingenio dependebat, atque adeo ad aleæ lusum minus congrue referri possit, nihilominus tamen, ut Tabulæ nostræ satisfaciamus, etiam paucis eundem prosequi visum est. Sequitur ergo aliud Caput.

CAP. XII.

De ludo Latrunculorum. Calculi. Latrunculi, & latrones, eorum materia & forma. Lineæ. χῶραι, πόλεις, Mandræ. Ludus latrunculorum est simulacrum belli. Explicatur Ovidius ad Pisonem. *Procorum ludus apud Homerum.*

I. LATRUNCULORUM Ludum Jul. Pollux l. IX. c. VII. *Onomast.* ita describit: *ἡ διὰ πολλῶν ψήφων παιδιὰ, πλινθίον ἐστι, χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακειμένας. καὶ τὸ μὲν πλινθίον καλεῖται πόλις. Τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη, κύων. διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς, ἐστι περίληψις τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων, τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν, ὅθεν καὶ κρατίνῳ πέπαικται.* Latine ita ferme sonant: *Qui complurium calculorum dicitur lusus, Latrunculus est, Regiones in se continens in lineis sitas. Et latrunculus quidem ipse civitas appellatur, cæterum unusquisque calculus Canis. Porro cum calculi duobus distincti sint coloribus, lusus hæc ars est, ut comprehensis duobus calculis unicoloribus, eum, qui diversi coloris est, tollat e medio.* Fusius hæc verba explicat Majolus in *diebus Canicularibus* p. 575. cum inquit: *Ludus latrunculorum constabat distinctis in Orca seu fritillo*(errat hic Majolus una cum reliquis, qui Orcam vel fritillum pro tabula accipiunt) *quadrato, areolis quadratis, quas πόλεις vocabant. Inque his duabus contrariis aciebus distinctorum calculorum accommodato positu, instructis ceu ad mutuas insidias & conflictus, qui κύνες Canes dicebantur, & Latrunculi. Hi educuntur intra definitos limites ad congressum mutuum, atque conflictum; ad eum modum, ut dum hi illos in se ex adversa acie procedentes, invadere nituntur, ut vel sede sua repulsos summovere, vel perimere muniantur, aut adhibitis circumpositis custodibus aut areæ ceu arcis natura, ne incidant in insidias aut pateant illorum incursibus*, &c. Verum enim vero hic ἐπέχω, Calculi enim in hoc ludo non fuerunt.

II. CALCULI.

De his supra dictum est in ludo tesserario. Græcis dicebatur λίθοι, ψῆφοι, πεσσοὶ, Latinis *Calculi*, *Scrupi*, *Latrunculi*, inquit Raderus, *ad ep.* LX. *lib.* VII. *Martial.* Ubi etiam diserte hunc ludum eundem cum duodecim scruporum ludo comparat. *Latrunculi* dicebantur, quia antiquis Latro erat miles, ut constat ex Varron. lib. VI. *de L. L.* exemplis aliquot Plauti adhibitis, puta *Milit.* I. I. 85. ubi ait:

Nam Rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem & conscriberem.

Idem *ibid.* IV. I. 2.

Nam ego hodie ad Seleucum Regem misi Parasitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret.

Videatur hac de re Petrus Vitorius lib. XVI. *Var. Lect.* cap. XVII. ubi inquit, *eos antiqui dicebant latrones, quia conducti militabant*, ἀπὸ τῆς λατρείας. Hodie itaque in desuetudinem ivit hoc vocabulum, & eandem patitur injuriam, quam vox antiqua *Tyranni* habuit, aliæque plures in Latinitate voces. Stephanus Doletus in *Formulis*: *Calculus est quem latronem seu latrunculum appellaverunt Veteres, Juniores Scacum, & sunt orbiculi, quibus luditur in fritillo*, (ubi etiam fritillum cum tabula confundit.) Dicebantur & *Milites*, item *Hostes*, item *Canes*, ut supra ex Pollucis loco citato apparuit: item *furunculi*, ut placet Polyd. Virg. l. II. c. XIII. *de Rerum Invent.*

III. De materia & forma illorum ita Raderus *ad ep.* XVII. *lib.* XIV. *Mart.* loquitur. *Fiebant ex vitro, gemmis, aliisve materiæ generibus, coloribus geminis, ut calculi inter se secernerentur, qui Latrones, qui milites essent: alter colore candido, alter cæruleo, aliove distinctus.* De vitreis Ovid. loquitur l. II. *de A. A.*

Sive latrocinii sub imagine calculus exit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Mart. *lib.* VII. *ep.* LXXI.

Sic vincas Noviumque Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clausos.

Poemat. *ad Pisonem,*

—— & vitreo peraguntur milite bella.

De gemmeis itidem Mart. *lib.* XIV. *ep.* XX. inquit:

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit. l. hic.

Alex. ab Alex. lib. III. cap. XXI. *Dierum Genialium*: *Latrunculi ex gemma fuere, viris & mulieribus frequens, a melioribus & summis honoribus vel maxime cultus & celebratus lusus.* Plinius *lib.* IX. *c.* LIV. inquit: *Mutianus & latrunculis lusisse, cera fictis, Simias prodidit.* Colorem ex Poematio *ad Pisonem* discimus:


Ut niveus nigros, sic & niger alligat albos.

Item Martial. *lib.* XIII. *ep.* XVII.

Calculus hic gemino discolor hoste perit.

IV. LINEÆ.

Hæ ita erant formatæ, ut varios & *triangulos* & *quadrangulos* repræsentarent: De *triangulis* ita loquitur Freigius in *notis ad Lud. Vivis Exercitationes* dial VI. *Regiones variis lineis & triangulis Quadrati in sedecim quadrata ex latere quadrisecto divisi: Cui inscribantur duæ diagonii, & quadratum dimidium circumscripti.* Raderus autem *ad ep Mart.* ita explicat: *Erant in abaco regiones lineis distinctæ, has urbes nuncupabant, unde & in Proverbium abiit: πόλεις παίζειν, cum res parvas magnis nominibus afficimus, & ollas exornamus. Erant hæ regiones plerumque quinque lineolis transversariisque & decussationibus alternatim dimensæ, quinque & viginti numero, singuli latrones quinque insistebant, præter mediam, cui tantum quatuor tribuebantur.* Freigius tale ponit Schema:



Ex descriptione autem isthac linearum apparet, loca ista vacua varie a variis fuisse appellata. Julius Pollux, loco supra citato, vocat illa χώρας, id est, ut Raderus & alii explicant, *Regiones & Provincias.* χώρα enim Græcis proprie *Locum* significat. Dicuntur & πόλεις, id est, *civitates*, quanquam Pollux ipsum latrunculum πόλιν vocat, non vero regionem, in qua consistit: inde & alio in loco ait *l.* IX. *c.* VII. *πανδιονίδα πόλιν βασιλέως, τῆς πέριξ κόλακος. οἶσθ' ἣν λέγομεν καὶ κύνα, καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν. Pandioniam civitatem regis supra modum adulatricis. Nosti quam dicimus & canem & civitatem, quam ludunt.* Eustathius tamen pro sede calculorum seu latrunculorum utitur. Erasmus *Chil.* III. *Cent.* II. *Ad.* XXVIII. Civitates ludimus *Lusus genus quoddam est*,

in quo calculis ludebatur olim, quos antiquitus πόλεις, id est, *urbes vocabant. Neoterici* χώρας, *hoc est, regiones appellare cœperunt*. Usurpavit adagium Cratinus in *Fugitivis*, quem locum Julius Pollux citat *lib.* IX. de rerum vocabulis, &c. Dicebantur juxta Salmasium & γραμμαὶ & γραμμικαὶ χῶραι, quod lineis invicem disclusæ & interceptæ essent illæ calculorum sedes seu regiones, pag. 460. *Histor. Aug.* & τόποι, id est, *loci* & χαρακώματα. Idem *ibidem*. v. Latinis dicuntur

MANDRÆ.

Martialis *lib.* VII. *ep.* LXXI.

Sic vincas Noviumque Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clausos.

ubi Thomas Farnabius; *Mandris, id est, calculorum seu latrunculorum septis & regionibus, vel ipsis latronum gregibus clausos.* Poemation *ad Pisonem*:

Ut citus & fracta prorumpat in agmina mandra.

Proprie autem Mandra receptaculum quoddam pecoris est. Sed Mancinell. *ad Sat.* III. *Juven.* ait: *Mandra grex mulorum est, rhedas ducentium.* Domitius vero *ibid. Mandra inter cætera significat mulorum multitudinem.* Inde & Mart. *lib.* V. *ep.* XXIII.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Quo loco prolixe Raderus agit de hac voce. Hic metaphorικῶς pro cancellis calculorum accipitur. apud Cyprianum tamen, Sermone *de Alea*, circa finem, *Mandra mendaciorum* legitur: *Alea ne luseris,* inquit, *ubi lusus nocivus, & crimen mortale, ibi dementia sine consideratione, ubi nulla veritas, sed mendaciorum mandra*, id est, multitudo seu grex & cumulus. Dicuntur alio nomine, *Mœnia, Vallum, Septa, Capsi & Carceres*. Autor *ad Pisonem*:

Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea septis quamvis acerrima surgant
Prælia militibus.

Ipsa ludi effigies ab Alexand. ab Alexandro lib. III. cap. XXI. *Dierum Genialium* ita describitur: *Latrunculorum lusus erat, ut turmis instructis, veluti qui congredi acie parant, hinc inde sub hostium imagine procederent, ac præscripto fine, quoad quisque progredi debeat, ita cavere oportebat, ut dum hostem invadere quisque nititur, alterius non pateat incursibus.* Dempsterus cap. I. *Paralip. ad l.* V. *Rosin. de Antiquit.* Rom. ita ait; *Erat quiddam instar dimicationis, & alterius coloris calculi alteros ad ultimam seu extremam tabulæ lineam agebant, deinde victoriæ in eo summa erat posita, si implexum obsessumque calculum lusor edidisset.* Raderus *ad ep.* XVII *l.* XIV. *Martialis* ait: *Ludus Latrunculorum simulacra quædam belli ostendebat: Pyrrhus enim Epirotarum Rex artem militarem per calculos in tabula tradidit. Inde nomina militum, Hostium.* Ovidius *d. l.*

Fac vitreo pereat Miles & hoste tuus.

Martialis *d. l.*

Gemmeus iste tibi Miles, & hostis erit.

Alex. ab Alexand. *d. l. Latrunculi in duas divisi turmas erant, colore diversi, quorum alii milites, alii hostes.* Inde Sidon. *l.* I. *ep.* II. *putes illum & in calculis arma tractare.* Manil. lib. IV. *Astron. Sunt quibus & simulacra placent & ludus in armis*: Claud. VI. *Hon. Cons.*

Hic & belligeros exercuit area lusus.
Armatos hic sæpe choros, &c.

De peremtione calculorum Ovid. lib. III. *d. A. A.*

Cautaque non stulte latronum prælia laudat,
Unus cum gemino calculus hoste perit.
Bellatorque suo prensus sine compare bellat,
Æmulus inceptum sæpe recurrit opus.

Vid. & Turneb. lib XXVII. cap. III. *Advers.* Ejusmodi vero calculus, qui ulterius progredi non audet, a Mart. *lib.* VII. *ep.* LXXI. vocatur *clausus*.

Sic vincas Noviumque Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clausos.

A Seneca, *alligatus*, *Epist.* CXVII. *Nemo qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latruncularium perspicit, ut sciat, quomodo alligatus exeat calculus.* Et Autor *ad Pisonem*:

Ut niveus nigros, sic & niger alligat albos.

Sed non inepte fecerimus, si totum hujus Poematii locum, qui ad hunc ludum spectat, huc referemus. Ita autem se habet:

Te si forte juvat studiorum pondere fessum,
Non languere tamen, lususque movere per artem;
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, sic & niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit, quis te duce cessit
Calculus, aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem
Dum fugit, ipse rapit, longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis, hic se committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos, hic ad majora movetur
Ut citus & fracta prorumpat in agmine mandra
Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea septis quamvis acerrima surgant
Prælia militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliata milite vincis,
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.

Juvat) id est, delectat. *Studiorum pondere)* id est, multitudine & assiduitate. *Languere)* id est, otio indulgere. *Lususque movere per artem)* id est, artificiosum aliquem lusum exercere. *Callidiore modo)* id est, artis & ingenii beneficio. *Tabula aperta)* Ex his verbis patet, tabulam antiquorum pari ratione ac nostra moderna interdum clausam fuisse, & quasi complicatam, ita ut explicare & aperire eandem opus habuerit. *Calculus variatur)* id est, varie & ingeniose hinc inde deducitur. *Vitreo milite)* id est, latrunculo ex vitro facto. *Peraguntur bella)* id est, lusus latrunculorum, qui belli simulacra gerit. *Niveus nigros)* id est, calculus calculum. *Alliget)* id est, implicet & intricet, ut quasi alligatus ulterius im campum progredi nequeat. *Quis tibi non terga dedit)* quem non in hoc ludo vicisti tibi colludentem. *Te duce)* id est, te lusore. *Cessit)* id est, victus est ex tuis calculis. *Periturus perdidit hostem)* id est, quis calculus tibi peremtus est, qui non antequam periret, aliquot prius ipse perdidisset hostes, id est, calculos contrarios, qui ad colludentem spectabant. *Acies tua)* id est, dispositio calculorum tuorum. *Dimicat)* id est, hinc inde partis adversæ calculos interimit. *Ille petentem dum fugit)* id est, cum aliquis tuorum calculorum fugere videtur. *Petentem)* id est, calculum, qui illum interimere nititur, fugiendo hunc ipsum suum rapit petentem. *Longo venit recessu)* id est, rursus ex illo redit loco remotiori, quo secesserat, & hunc vel illum sibi contrarium aufert. *Qui stetit in speculis)* id est, calculus, qui ab alia parte reliquorum calculorum quasi custodias agebat. *Audet committere rixæ)* id est, neglecto suo loco in partem venit prælii. *Decipit hostem)* id est, allicit ut decipiat & in prædam rapiat. *Ancipites subit moras)* id est, alius calculorum cunctando interdum rem restituit. *Similisque ligato)* id est, qui quasi impeditus est in campum prodire. *Obligat ipse duos)* id est, propria hic, verbi significatio: ligantur, alligantur & obligantur cal-

culi, quando partis adversæ calculis ita sepiuntur & cinguntur, ut exire & transilire nequeant. *Hic ad majora movetur)* id est, hic qui inferius latebat calculus ulterius producitur ad majus opus faciendum. *Ut citus)* id est, ut mobilis fiat, qui inferius stabat immobilis. Ciere enim hic movere est, ciere calcem, id est, movere calculos apud Plautum, inde citus & incitus, vagus & quietus seu alligatus, de quibus supra. *Fracta mandra)* id est, disrupto loco & ordine. *Clausa mœnia)* id est, calculos partis adversæ bene munitos & septos. *Dejecto vallo)* id est, interempto calculo, qui valli instar reliquis suis erat militibus seu calculis. *Populentur)* id est, disrumpentur. *Interea sectis)* legendum *septis*, id est, mandris seu locis & quadris, quibus stabant calculi, potest tamen etiam antiqua lectio obtineri, sectis militibus, id est, dissipato calculorum ordine. *Ipse)* Piso. *Plena phalange)* id est, integro adhuc ordine & bene disposita calculorum collocatione. *Spoliata)* scilicet phalange, id est, tu ludis, ut collusoris calculos omnes dispergas, tuos vero vel integre retineas, vel paucis etiam ex iis amissis tamen vincas. *Captiva turba)* id est, calculis, quos collusori interemeras. *Resonat manus utraque)* id est, manus tuas, interemptis calculis ita reples, ut quasi resonare videatur. Manu enim, nostro more, tenebant calculos, quos tanquam victos e tabula rapiebant.

VIII. Non abs re facturi sumus, si, antequam caput hoc finiamus, istud etiam ludi genus recenseamus, quo apud Homerum Proci Penelopes sese exercuisse leguntur. Refert autem hoc Athenæus lib. I. *Dipnosoph.* ex Appione Alexandrino, qui hoc itidem Ctesoni Ithacensi debet. Athenæi verba ex interpretatione Dalechampii ita sonant: *Centum & octo fuerunt proci, qui totidem, quot essent ipsi, calculos inter se contrarios numero pares statuerunt, ut ex utraque parte quinquaginta quatuor essent, intermedio quodam relicto spacio, quod vacuum esset: In ea, quæ acies & ordines discernebat, area, calculum unum collocabant, quem Penelopen nominabant. Pro signo ac scopo is erat, si quis altero calculo ferire posset, cui jaciendi sors obvenerat, in illum collimans dirigebat calcem, & si forte attigisset Penelopen, antrorsumque e sua sede propulisset calculis ejus, qui miserat, in ejecti ac protrusi locum deponebatur: & cum denuo Penelopen in eam sedem, quam obtinebat prius, restituissent, secundo alterum calculum rursum mittebat, ac si percussisset, nullo ex cæteris, qui pone & ex adverso consistebant,* (addit in margine Dalechampius) *calculis icto, vincebat, optimamque spem concipiebat de Penelopes conjugio. Hoc lusu pluries Eurymachus victoriam adeptus Penelopes nuptias sibi magna spe pollicebatur. Sic autem præ deliciis molles fuerunt procorum manus, ut ne arcum possent tendere, egregie vero culti ac sumtuosi illorum ministri.* Huc usque Athenæus.

IX. Non absimilis huic ludo, quamvis longe turpior, ille Rhodiorum ludus, cujus meminit Theopompus apud Athenæum *lib.* X. ubi ait: *Rhodios invicem pactos fuisse, ut qui minimum talis jecisset, victori quamcunque oppidanarum* (virginum & mulierum) *jussus producere, & ita in libidinem quasi collocare teneretur.* citat eundem locum etiam Junius lib. II. cap. IV. *Advers.*

CAP. XIII.

Πόλις βασιλέως. ζατρίκιος, πεττεία.

I. POSSEMUS quidem hic progredi, & ad alia Ludorum puerilium genera, quæ sub Aleæ specie & vocabulo continentur, nos convertere. Sed quoniam nonnullas adhuc difficultates, de hoc ipso Latrunculorum ludo, reliquas habemus, de quibus Critici admodum sunt solliciti, nec nos quoque eas ipsas omni prætereamus silentio. Diximus supra πόλιν Græcis singulorum calculorum sedem denotasse, perinde ut χώραν, mandram, vallum, septum, &c. Sed si Cratini locum apud Julium Pollucem *l.* IX. *c.* VII. paulo accuratius, inprimis autem Salmasianis attendimus oculis, peculiarem ibi reperiemus ludum, quem ille τῆς πόλεως nomine indigitat. Ita enim Cratinus: Πανδιονίδα πόλιν βασιλέως, τῆς περὶ κόλακος. οἶσθ' ἣν λέγομεν, ϗ κύνα ϗ πόλιν, ἣν παίζουσιν. Id quod Rud. Gualtherus ita vertit: *Pandionidem Regis urbem, hujus de adulatore quam dicamus, nosti: & canem & urbem, quam ludunt.* Obscuriora sunt hæc, quam quod intelligi possint vel ab Oedipo. Salmasius autem ita legit p. 460. *Histor. Aug.* ὅθεν ϗ Κρατίνῳ πέπαικται πανδιονίδα, πόλεως βασιλέως τῆς ἐξικόλακος. οἶσθ' ἣν λέγομεν, &c. & ita interpretatur, ut ludus τῆς πόλεως peculiare sit Cratino nomen ludi, idem tamen, qui Latinorum Ludus Latrunculorum, aut Græcorum recentiorum ζατρίκιον. Pollux sane πόλιν pro sede calculorum accipit, cum inquit: ϗ τὸ μὲν πλινθίων καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη, κύων. Id est, *una quidem latrunculorum seu laterculi pars Civitas* (id est sedes) *vocatur, & tesseræ singulæ Canes.* Apud Cratinum autem πόλις βασιλέως regia est sedes & locus, ubi nimirum Rex in ludo latrunculorum vel in nostro ludo Scachiæ locari solet, postremum vero κύνα ϗ πόλιν παίζειν, id est, *canem & urbem ludere*, ipsum ludi nomen denotat, qui tamen ludus hoc ipso, quod Regis locum seu πόλιν βασιλέως continet, facilius nobis persuadet, ut illum pro Latinorum Latrunculo, &, juxta Salmasium, Græcorum recentiorum *Zatricio* accipiamus. Errat ergo Erasmus *Chil.* III. *C.* II. *Adag.* XXVIII. in verbo, *Ludere civitates.* Qua de re fusius Souterius *lib.* I. *cap.* XX.

II. Ut autem & hanc ζατρικίου vocem rectius intelligat æquus lector, ea quæ fusius iterum Salmasius, & ex eo, & acutissimo Criticorum Scriverio, profert ac tractat idem Souterius, concinnius omnium illorum venia hic attexam. Est enim vox isthæc antiquis Græcorum libris ferme incognita, & non nisi in recentiorum scriptis approbata. Ideoque etiamsi Salmasius plurimum nitatur illam ex Græco deducere, dum affirmat 1. varie illam pronunciari, puta modo ζατρίκιον, modo ζάτριον, modo ζατρεῖον. modo ζητρεῖον, modo ζήτριον & ζάτριον. 2. Hesychio & Moschopulo ζητρεῖον idem esse, quod pistrinum vel carcerem, in quem servi nequam fuissent conjecti: Indeque metaphorικῶς quasi ad hunc ludum tralatum vocabulum, vel propterea, quod calculorum sedes in hoc ludo quasi carceres quidam essent, quibus a parte adversa interdum inclusi detinerentur collusoris calculi, Synecdochικῶς autem tanquam pars pro toto ponatur hoc vocabulum pro ipsa tabula, ut apud Achmetem, Metonymικῶς tandem pro ipso ludo tabulæ, &c. Tamen his non obstantibus idem Souterius ex manuscriptis Scriverii notavit, quod vox ista Persica potius sit origine, quam Græca. Iis enim Latrunculorum ludus *Xatreng* vel *Xatrang*, Regius ludus seu jocus appellatur, ex quo Græci recentiores ζατρίκιον suum formarunt. Aitque porro ex isthoc Persico *Xatreng* Hispanorum *Axandres* detortum esse. Plura vide *d. l.* Quod & nobis non displicet, cum videamus hoc vocabulum, ab Achmete tantum, Anonymo quodam *de Arte Persica*, & Theocriti Scholiaste Græco usurpari in hac peculiari significatione ludi.

III. Meursius ait, ζατρίκιον idem esse quod veterum Græcor. πεττεία, quæ quasi πεντεία dicta videtur. *Erat enim calculorum lusus*, inquit, Meurs. *de lud. Græcor.* in hac voce, *quos uterque colludentium quinque habebat in latrunculo totidem lineis distincto, quorum medius ἱερὰ γραμμὴ dicebatur, ipse laterculus* πόλις, *calculi* κύνες *nuncupabantur, erantque utrimque*

que discolores, & in eo ludentium industria versabatur, ut calculi duo concolores alterum discolorem circumventum tollerent. Quæ verba ex Polluce *d. l.* IX *cap.* VII. desumta sunt. Plura de hac voce qui desiderat, ipsum Meursium tanquam fontem adeat, ut & Salmasium, quique plura illi debet Souterium *lib.* I. *cap.* XX. XXI. XXII. Facit idem Junius *lib.* II. *cap.* IV. *Adversf.* qui tamen ait, *in ludo* πεττείας *Veteres quinque tesseris usos fuisse, propterea quod* πεττεία *quasi* πεντεία *dicta sit*, prout ex Eustathio citavit Phavorinus.

IV. Illis tamen, Salmasio & Souterio, in hoc contrarius sum, quod tam audacter statuant ambo, ultimus quidem cap. XXIII. lib. I. sui *Palamedis*, πεττείαν & κυβείαν *unum idemque genus fuisse ludi, peculiare vero a Latrunculis Latinorum seu Græcorum* ψήφων παιδιᾷ, *propterea quod* πεττεία *semper adhibitis tesseris exercitata fuisset*, (ab hac voce etiam tesseræ dicuntur πεσσοὶ seu pessi ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id est, a cadendo) *hæc vero posterior ludi species per solos calculos, adeo ut etiam in antiquorum scriptis ludus Calculorum* κατ' ἐξοχὴν *dicatur, pro ludo Latrunculorum, ut qui non in fortunæ arbitrio, prout reliquæ Aleæ species, constitisset, sed, sola arte adhibita, peractus fuisset, idque authoritate Hesychii, tum aliorum*, &c. Sed ego profecto illis contrarium ex hoc ipso Hesychio monstrabo, quod κυβείας quidem ludus, adhibitis tesseris, usurpatus fuerit; in πεττείας vero ludo, tantum calculi fuerint moti. Locus ita se habet, (quem tamen etiam Meursio debemus) διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας. ἐν ᾗ μὲν γὰρ, τοὺς κύβους ἀναῤῥίπτουσιν. ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ, αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. Videat Lector, quid hac de re sentiat. Hoc tamen verum est, πεττείαν diversum quid esse a latrunculis. Latrunculi enim ludebantur calculis sexaginta, & quidem in πόλεσι, mandris, septis, &c. πεττεία vero quinque calculis, non quinque tesseris, ut temere ex Eustathii quodam loco decipi videtur H. Junius *lib.* II. *cap.* IV. *Adversf.* & quidem super lineis, & si Hesychio credimus (cui Meursius astipulari videtur) absque tesseris. Et absque hoc exemplo si esset, facile persuaderi mihi pateter, ut Souterianæ subscriberem sententiæ, quam ille tam acerrime defendit *dicto cap.* XXIII. Nec ipse etiam Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. si locus recte aspiciatur, πεττείαν hanc cum latrunculis confundit, sed cum primo agit de hoc ipso πεττείας ludo, eo tanquam minori calculorum numero perfecto & absoluto, ita inquit: ἡ δὲ διὰ πολλῶν ψήφων παιδιὰ, πλινθίον ἐστίν. Id est, *Plurimorum autem Calculorum ludus, latrunculorum est*, &c. Quæ verba certe novam ludi speciem repræsentant. Sed & de his hactenus. Juxta Meursium ζατρίκιον, & Latrunculi, ludus est modernus Scacciæ.

CAP. XIV.

De ludo Scachorum. Scacus unde dicatur varia opinio Autorum. Utrum idem sit cum ludo latrunculorum. Persis non incognitus. Sed Germanis etiam antiquis familiaris. Schachzabel. *Julii Ascanii Tuccii descriptio hujus ludi.*

I. VIDESNE, quam concinne nobis una materia scribendi ansam præbeat inquirendi de alia. Supra, ex Stephani Doleti *Formulis*, paucis indicavimus Latrunculos hodie vocari *Scacos*, quibus verbis ardua movetur quæstio, (si qua tamen arduitas in hisce ludicris esse potest,) Utrum modernus Scacorum ludus ejusdem sit generis cum veteri latrunculorum ludo, nec ne? Raderus *ad epigr.* XVII. *lib.* XIV. autoritate Calcagnini ductus, hoc manifeste negat, cum inquit: *Ludus latrunculorum simulacra quædam belli ostendebat. Pyrrhus enim Epirotarum Rex artem militarem per calculos in tabula tradidit.* Unde nonnulli descenderunt in eam sententiam, ludum scaporum, quem Vida eleganti carmine prosecutus est, eundem esse cum ludo latrunculorum. Quod secius est, ut docte Calcagninus ostendit, qui & de hoc duodecim scruporum (latrunculorum) & aliis generibus ludi calculorum copiose disputat in libello *de ludo talorum, tesserarum & calculorum*, ex quo & nos hæc per capita delibavimus. Idem Raderus alio loco *Comm. ad lib.* VII. *ep* LX. *Mart.* ait: *Non hic ludus* (Latrunculorum) *idem cum Scaporum* seu *Scachiæ* (ut Vida appellat) *ludo. In calculorum seu Latrunculorum ludo sunt lineæ tantum quinque, &* XVI *regiones, seu orbes, seu quadræ: In Scaporum vero novem lineæ, & regiones* LXIV. de quibus Cic. I. *de Orat.* ubi recte *scrupis*, non *scriptis* legitur, ut Enarrator errat. Ejusdem quoque opinionis est Jacobus Mycillus, quem Clarissimus Souter. *lib.* I. *cap.* VII. citat, motus auctoritate Ovidii, qui innuit, *in ludo latrunculorum semper comite opus fuisse latrunculis, quod hodiernis nostris non foret.* Item, *in nostro lusu Scacorum assistere Regem & Reginam, cujus tamen nulla in ludo Latrunculorum mentio foret apud Priscos.*

II. Sed his omnibus e diametro contrarius est Dempsterus, (quem etiam Souterius refert) qui cap. I. *Paralip. ad lib.* V. *Antiquit. Roman. Rosini* ait: *Falsam esse eorum opinionem* (*qui diversum* quid inter ludum Latrunculorum & Scachiæ esse asserunt) *palam est, cum etiamnum hodie latrones illi colore dispares sedecim totidem concolores, latronum, militum, regum nomina habeant, & turmis instructi hostili quadam imagine procedant, & simulata acie progrediantur, & statione unicuique calculo præscripta, hostem appetant; sibi, quantum licet, caveant.* Eum sequitur tota pene eruditorum natio. Petr. Martyr in *c.* XIV. *de ludis. Homines his ludis contenti esse non potuerunt, quod etiam animi, qui corporis vires non queunt variis de causis exercere, aliqua voluptate sunt recreandi, propterea genus aliud repererunt, scilicet Latrunculorum, quos vulgo Scacos vocant.* Nec existimatur hoc genus damnandum. Scacorum enim ludus, ut hoc obiter moneam, juxta Gloss. in *auth. intercidimus, C. de Episc. & cler.* in ingenio naturali consistit, nec committitur viribus fortunæ. Melch. Goldast. in *Notis ad Parænesin Winsbeki* in verbo *Scachs*, de quo infra apparebit: Gustavus Selenus *lib* I. *cap.* vom Schachspiel, sive *de Ludo Latrunculorum.*

III. Nec habent Adversarii, quod tantopere nobis objiciant, vel quibus nobis possint esse contrarii. Lineas enim quod attinet, etiamsi numero non pares invicem fuerint; idem tamen in utroque ludo progrediendi tenor, idem ordo, iidem calculi discolores, eadem loca, eadem collocatio calculis sibi contraria, eadem calculorum amissio vel interemtio, & in summa similis ubique ad præscriptum ludendi & procedendi ratio. Mycilli objectum debile est, si enim Scacos nostros aspicimus, quid magis illis est noxium, quam eosdem solos, & ab aliis desertos in aciem prodire? Quid facilius, quam ut unus calculus securior ac minus providus duobus sibi contrariis circumdatus intereimatur? qua de re norint illi, qui in hac palæstra imperium obtinent. Nec in hoc quoque moderno solum nostro ludo Regiæ Personæ hodie fuerunt additæ, sed olim quoque in latrunculorum ludo adhibitæ, ut abunde patet ex iis, quæ Souterius ex Salmasio, Meursio, Scriverio, & aliis *cap.* XI. *lib.* I. producit. Hoc autem facile illis concedo, auctiorem nostris temporibus, & fortasse etiam elegantiorem redditum fuisse ludum antiquum latrunculorum, per nostrum ludum Scacorum. Quid enim frequentius, quam inventis aliquid addere, præsertim in ejusmodi ludicris & otiosorum hominum negotiis, ubi

plerumque ingenioſi ſunt illi, qui otioſi ſunt nimis.

IV. Præter hanc controverſiam, etiam nomen Scachorum non immerito vocatur in dubium, & diverſimode a diverſis derivatur, quorum opiniones aliquot recenſebimus.

Hieronymus Vida refert (in libello, quem *de hoc ludo* nobis offert) *ludum hunc a Schacheide, fœmina Italica, nomen habere, quam Mercurius olim*

Compreſſit ripa errantem & nil tale putantem,
Dum paſcit niveos herboſa ad flumina olores.
Tum bicolorem illi buxum dedit atque pudoris
Amiſſi pretium vario ordine picturatam
Argentique aurique gravem tabulam addidit, uſumque
Edocuit, Nymphæque etiam nunc ſervat honorem,
Et nomen ludus celebrat, quem maxima Roma,
Extremæque hominum diverſa ad littora gentes.

Ideoque etiam ſuperbe nimis inventionem hujus luſus genti ſuæ Italicæ adſcribit ſtatim in principio libri *verſic.* 12.

Vos primæ ſtudia hæc Italis monſtraſtis in oris
Schachidis egregiæ, monumentum inſigne pudoris.

Sed hæc opinio fabuloſa magis, quam vera.

V. Illuſtris Scaliger in *Catalectis*, potiſſimum autem in *Notis ad Poemation*, quo Piſonis decantantur laudes, hoc vocabulum deducit a calculis, qui Italis Gallisque *Scalculi* dicerentur, indeque artis verbum naſci *Excalculari*, perinde ut *Squadrones* exprimerent *quadrones*, ſeu quadratas copiarum Phalanges. Cui aſſentitur *Salmaſius*, ut illum Elegantiſſimus citat Souterius *lib.* I. *cap.*V. aitque vocem hanc a Gallis Italisque detortam eſſe a calculis, *calclum enim & caulclum & præpoſita Sigma ſcalclum dicebant, perinde ut ſphalangium pro phalangium.* Sic apud Vegetium *Sfæculam* pro fæcula, ſic *ſquadrones* pro quadrones, ſic *Squadras* pro quadras, *Stupham* pro tupham, ἀπὸ τοῦ τύφω, *accendo*, inde *Stufa* & *Stuba:* Solere autem Italos Lambdam in Jotam eliquare, hinc *Scalcius* & *Scacius*, pro *Scaclus* vel *Scalculus*, quam vocem poſtea Longobardi Germanique ab Italis ſumſiſſent, & ſuum *Scachum*, id eſt, furtum ſeu Latrocinium finxiſſe. Sed hæc erudita magis, quam vera eſt opinio.

VI. Polydor. Vergil. *lib.* II. *cap.* XIII. *de rerum Invent.* a *ſcandendo* deducit. Quod calculi, cum moverentur in alteram adverſam partem, ſcandere videantur. Sed nec iſthæc placet derivatio. Selenus, qui integrum librum de hoc ludo ſcripſit, *lib.* I. *cap.* II. *in fine*, videtur deducere a Germanico *Schacken*, id eſt, *vertreiben*, ita enim inquit per interpretem: *Nonne Hiſpani, qui ab antiquis Gothis originem ſuam trahunt, eorumdemque JCti vocabulis his* Feridi *&* Fodri, *& hujus generis pluribus utuntur; quæ non latent Eruditos ea eſſe Germanica? Quantopere Germanizant in his & ſimilibus*, jo ho havato, ich habe gehabt) *habui*, jo ſono ſtado, (ich bin geweſen) *fui? Nonne apud illos Germanicum noſtrum* (laſſen) laſciare, *ſinere? Nonne eodem modo ſignificationem vocis* ſcacciare, *id eſt, ejicere, expellere, a pervetuſto hoc Germ. vocabulo* (ſchacken) *propellere, eos deſumſiſſe dices? Salvo interim aliorum doctiori & graviori judicio.* Cum illo conſentit etiam Dominus Gimpelsheimius *in Exercitiis pacis* par. IV. Sect. III. de ludo Scachorum, qui illud a *Scheichen, Schacken oder vertreiben* deducit, propterea, quod in eo pugnæ ſit ſimulacrum. Item Dan. Souterius *lib.* I. *cap.* IV. cum ait: *fortaſſe a fugando, ſi liceat a noſtra lingua Germanica Etymologiam ſumere*, dicitur. Item Vitus Amerbachius in Expoſ. lib. II. Ovid. *de Triſtibus:* Quem etiam Selenus *dicto loco* allegat.

VII. Sed & huic derivationi forte, ſi non meliorem, tamen conſimilem & magis appropriatam, quam & nos hoc loco pro genuina amplectimur, proferemus, deſumtam ex Domini Goldaſti *Notis*, ad parænesim Germanicam Winsbeki, ubi inquit: Sachs *a Latino ſica dicitur, inde* Oſterſachs, id eſt, *ſica paſchalis, quo feſtis diebus utebantur, &* Scherſachs, id eſt, *novacula*, ein Schermeſſer, *& Schachari idem quod in paſſione dominica* der Schecher, id eſt, *latro, qui &* Schachman *dicebatur &* Schach, id eſt, *latrocinium, cædes & ſtrages, inde & Saxones* die Sachſen, *gens latrocinio ab omni ævo infamis*, Schachſpiel, *idem eſt quod* Mortſpiel, *ludus ſcilicet latrunculorum, ubi cæduntur & interficiuntur calculi, inſtar præliantium.* Hæc Goldaſtus, qui profecto in hoc certamine derivationis Scachiæ palmam obtinet.

VIII. Quod tamen non ita dictum volumus, quaſi Germani nobis inventionem ludicri hujus attribuere velimus, ſiquidem, ſi Jodoco Damhoudero in *Parænesi Chriſtiana*, in admonit. ad milit. p.229. credimus, hic ipſe ludus, qui inter omnes reliquos ingenii non vulgaris habetur ab Ægyptiis rerum abſtruſarum indagatoribus & ingenii cultoribus inventus ſit. vide & Cæl. Rhodig. *lib.* XX. *cap.* XIV. Item Nic. Bellejum *in lib.* III. diſc. XLIV. tractat. *Piaſſæ univerſalis.* Imo vel ab ipſis Perſis Indisque, ſi Petro Texeiræ in *Compendio Hiſtoriæ Perſicæ*, (quem Auctorem clariſſimus Souterius *lib.* I. *c.* XI. ex quadam diatribe MS. Scriverii producit) fides adhibenda eſt, qui propterea tabulam primum repertam fuiſſe apud Perſas, hac potiſſimum ratione perſuaſus eſt, quod quibuscunque in regionibus hoc ludi genus luditur, ſerventur calculorum nomina eadem, aut corrupta ſaltem minimum & variantia a Perſica nomenclatura. *Xa*, Rex eſt, *Wazin* Regina, *Fil*, Delphinus eſt, *Aſp* vel *Farazi*, Eques, *Peon Peada* pedites, quod nobis *Matte*, illis *Xamatte*, id eſt, Rex mortuus eſt, nos *Schachmatt*, vide Souterium. Sed hoc tantum indagare voluimus, unde Germanis nata fuerit vox iſta *Schachſpiel*, cum non veriſimile ſit, illos hoc verbi a Latinis mutuaſſe, cum ſequior potius Latinitas multa verborum a Germanis hauſerit.

IX. *Tabulam* vel ipſum potius ludum tabulæ iidem veteres Germani vocant *Schachzabel*. Hugo VON TRUMBERG, qui vixit Anno MCCC. in libello, quem vocat DEN RENNER, jam ſupra col. 1140. citato: *Nunc alius ludus eſt, quem Magnates ſolent ludere, qui multum damni & incommodi affert. Hunc vobis ludum* (Schachzabel) *latrunculorum appello.* Unde diſcimus, Magnatibus tantummodo hunc ludum fuiſſe familiarem. Inde Selenus *lib.* I. *cap.* I. *vom Schachſpiel*, ex antiquo manuſcripto Chronico refert de Alberto & OKario his verbis, ex German. in Latin. verſis: *Ambobus Principibus nonniſi unicus ſuperſtes fuit filius, qui in juventute ſua in Aula Pipini Regis Galliarum ab alio quodam Principe juvene tabula latruncularia interfectus.* Aliter ab eodem refertur verbis Latinis hoc modo: *Okarius filium habuit in Curia Pipini bonis moribus plus, quam filius Pipini, adornatum, quod invidiæ fomitem adminiſtrabat, quoniam ex fortuna ſæpe creſcit invidia: Et dum filii dictorum Principum in Scaco luderent, filius Okarii ſemper filium Pipini vicit, Pipini tamen filius de potentia patria præſumens, filium ducis per tempora percutiens interfecit.*

X. Quam Hiſtoriam poetice deſcripſit Metellus Tegerſeenſis in *Quirinalibus* (vixit circa annum MLX.) Nos ex eodem Seleno verſus iſtos pace illius huc transferemus, ut magis magisque palam faciamus ludum hunc Scacorum multis ab hinc ſeculis Germanis noſtris fuiſſe cognitum. Ita autem verba Metelli ſonant.

Diva progenie par, geminum prodierat decus
Fratrum, bellipotens ac locuples divitiis honos,
Pipinum, quibus & fama refert stemmate proximum
Insignis Caroli, qui validus regna tulit, Patrem.
Alter Bojarici jure, Comes præcipuus Soli
Burgundis alius belligero robore dux probus,
Quem gens illa canens prisca, vocat nunc Osigerium
Primates procerum consilii clavibus intimis
Aulam corde tenent, sed manibus prælia digerunt
Coram Rege Duci nempe tener filius extitit
Urbanosque sales, intra genus tum puer imbibit.
Huic ludo Tabulæ, Regis erat filius obvius,
Donec doctior hic obtinuit promtius aleam.
Rixam victus agit, corde Patris forte potentius:
Et Rocho jaculans mortifero tempora adegerat
Sublatum puerum consequitur mors properantior.
Clam funus tegitur.

Videatur & *Chron. Bavar.* And. Presbyteri a Frehero editum p. 17.

XI. Averrhoes Cordubensis (*Comment. in Aristot.*) qui vixit MCL. ubi agit de multiplicata Analogia, inquit: *Quemadmodum dicitur de quodam viro, qui petiit a quodam Rege, ut sibi exhiberet pro mercede sua frumenti grana, in numero multiplicato per numerum domorum ludi Scachorum, & recusavit hoc Rex, postquam eo inde perveniebat præmium nimis magnum.* Selenus *l.* V. *c.* I.

XII. Illustriores Gothi & Sueones (ut ex Olai Magni *lib.* XV. *cap.* XII. & XIII. idem Dominus Selenus refert) filias suas honesto Conjugio collocaturas Procorum animos miris ingeniis & passionibus examinare solebant, præsertim in *ludo latrunculorum* seu *Schachorum*. Eo enim ludo, ira, amor, petulantia, avaritia, socordia, ignavia, aliæque plures dementiæ passiones & animi motus, fortunæque vires & proprietates demonstrari solent: Scilicet an Procus agrestis animi sit, qui subito triumphando, indiscrete exultet, aut injurias illatas cautius pati vel modestius avertere norit. His visis auspiciis providi parentes charorum liberorum connubia discretius amplectenda vel refutanda moderantur. Vere enim Ovidius lib. III. *de Art. Am.*

Sed nimius labor est sapienter jactibus uti:
Majus opus mores composuisse suos.
Tunc sumus incauti, studioque aperimur in ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent.

XIII. Sed revertamur ad nostrum *Schachzabel*, quo verbo etiam utitur Chil. Konig in *processu judiciario* cap. LVII. num. XII. cum inquit per interpretem: *Secundo isti lusus sunt liciti, qui vires exercent ingenii, neque in Fortunæ arbitrio sunt positi; uti sunt ludus* (Schachzabel) *latrunculorum, pilæ, saltandi, & currendi.* Vox *Zabel* autem Tabulam significat, quasi tu dicas *Schachtabel*, id est, Tabula latruncularia. Inde eleganter Selenus *lib.* I. *cap.* II. inquit: itidem per interpretem: *Veteres Germani T in Z mutarunt, prouti hoc factum esse animadvertimus in Urbibus Germanice dictis* Zabern *in Alsatia*, Zurich, & Zug, *quas Romani* Tabernam, Tigurum, & Thugiam *appellare consueverunt.*

XIV. Ludum ipsum quod attinet, melius ille usu addiscitur, quam ex libris. Vide tamen de illo integros libros proferentes, Hieron. Vidam *de Ludo Scachiæ*, Gustavum Selenum *vom Schachspiel*, & qui ab illo citantur, mihi autem legere non contigerunt; Thomam Actium Foro-Semproniensem: D. Jacob. Menlin, Conradum Ammenhusum, Lucam Wielium *tract. de ludo Scachorum*, Fr. Jacobum de Casallis, qui vixit circa annum MCC. Damianum Portugallensem, Girolamum Zanuchum, Rui Lopezum Hispanum, Georgium Duachum Brescianum, Cosmum Gracinum Florentinum,

A Felicem Paciottum, Joach. Cochanovium Polonum, Athur Saulum Anglum, & alios, ad quos lectorem remitto. Nos vero & latrunculorum antiquum & Scacorum recentem ludum duobus Epigrammatiis præclarissimorum duorum Italorum Poetarum finiemus, & ita colophonem iisdem ludicris imponemus. Prioris Auctorem laudo Magnum & admirabilem Julium Cæsar. Scaligerum, cujus in *Thaumantia* hi leguntur versus sub titulo:

IN LUSU LATRUNCULORUM.

Quæ turmis præmissa cohors pro turribus altis
Explet inexpleti jussa cruenta Ducis:
B *Efferaque horrificis in cædibus ardet Amazon*
Arciger & sparsas carpit avarus opes:
Quis putet imbelles audere Cupidinis artes?
Ah decuit teneras abstinuisse manus.
Ille ubi fulminea sedem sibi legit in arce,
Ex illa Dominæ fulgurat arce Deæ.
Me miserum, qui disperii, sine milite victus:
Quid mihi tot contra tela parata putem.

XVI. Alterius Auctorem nomine Julium Ascanium Tuccium Cremensem, prout illum nobis repræsentat Ranutius Gerus, *id est,* Janus Gruterus
C in altera parte *Poetarum Italorum*, & ex eo Clarissimus olim singularisque studiorum nostrorum Patronus Caspar Dornavius in *Amphitheatro Jocoseriorum*, quod ita se habet:

Duellum Scacchorum.

Tecum militibus gestio buxeis,
Jam conferre manum, Prætor amabilis,
Quanquam Regibus Indicis
Contendas melius, seu
Tu ducas pedites, sive Equites trahas:
Sint omnes nivei, sintque licet nigri;
Prosternam tabulis tamen
Instructas acies, vel
D *Confundam cuneos agminaque omnia:*
Quis tandem validis turribus obviam
Accedet sine sanguine,
Quin saltem capiatur?
Rex lætus veniet prælia in ardua
Et tuto intrepidam tramite conjugem
Ducet non metuens minas,
Ipsos forte nec ictus.
Sic freti domini milite non pigro
Armorum subeunt magna pericula.
Imbellesque cadunt Viri,
Et dant fortibus arma.
Si Regina suis septa cohortibus
E *In densas acies ipsa superbiens*
Hostes per medios viam
Prorumpens faciet, tum
Quid dices? minimum signifer albicans
Conversis pedibus subsidium feret:
Cernes namque meos duces
Punctim tela movere:
Non tantum in Phrygios Æacides ferus
Patravit rutilans arma micantia
Cladem, quando mei dedit
Districto Hectora ferro.
F *Quantam per niveas gens mea copias*
Ingenti strepitu conficiet, nigra
Dum matrona potens suo
Irrumpat peditatu,
Ergo, quando mihi congredier voles,
Jam cautus pedites expedies tuos,
Impelles celeres equos,
Turritas quoque moles.
Bis fusci pedites quattuor impetu
Binis signiferis atque Elephantibus
Binis indomitis Equis,
Nec non cum duce fusco,

Invadent alacres castra tua & viros
Telluremque tegent militibus tuis,
Et Regina decus feret
Nobis sæpe triumphans.
Tum, cernite, tuus Rex stupidus fuga
Conversa veniam forte meo Duci
Deflexis genibus petet,
Se victum quoque dicet.
Quid? ridesne? putas hæc fore somnia?
Plus centum proceres, crede mihi, graves
Nobis exsuvias suas
Victi deseruere.
Hispanus venias miles & Æthiops
Ipsi terribiles vel cuneos ferent
Immitis Darii, abs Jove
Artem qui didicerunt.
Vis promtum manibus forte vicarium
Aut tecum val dum ducere Judicem?
Quid tum? nostra manus premet
Certe albentia castra.
Nam fossi pedites vulneribus fugam
Quærent, si poterunt: jussus eques meus
Hos mucrone petet, vel hos
Hasta denique cedet.
Haut credas, oculis ni videas tuis,
Cunctis quam valeat gens mea prœliis,
Dum palmam referunt domum,
Nec non multa tropæa.
Nam campi in medio sæpe capit ducem
Album noster Eques ponit & exitum
Magnis litibus hostium
Tendens ad nova bella.
Thraso ne videar, qui sibi gloriam
Adscribit nimiam, jam veniunt cito
Ad certamen atrox tui,
Nam res verba sequetur.

CAP. XV.

De Nucibus. Ludus est puerilis. Saturnalitiæ. Proverbia a Nucibus desumta. Nuces spargere in nuptiis quid, & in testamentis.

I. LARGIOREM Aleæ voci significationem supra tribuimus, puta, quæ omnem complecteretur ludum, qui in Fortunæ consisteret arbitrio, in primis autem Nuces quoque, quarum ludus antiquis etiam Scriptoribus diserte nominatur *Alea*, ut patet ex Ovidio & Martiale, quorum hic lib. XIV. epist. XVIII. ait:

Alea parva nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

id est, ut Souterii explicationem retineamus, *lib.* III. *cap.* V. *Palamedis*, cum ultra præscriptum tempus nucum ludo indulgerent, de corio suo sæpe Magistris suis satisfacere cogebantur. Alter vero in festiva *de Nuce* Elegia ita inquit:

Quattuor in nucibus, non amplius alea tota est.

Quæ ad aleam ludendi genera infra explicamus, quantum possumus.

II. Apparet autem ex supra *dicto* Martialis *loco*, ut & aliis subsequentibus, ludum hunc plane fœmineum & puerilem fuisse, non autem senum, ut quibus probri erat *nuces relictas resumere*, ut in proverbio est, aut talibus ineptiis ludicrisque vacare lusibus. Demonstratur hoc ex isto Horatii, *lib.* II. *Sat.* III.

— Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi.

Et Mart. *lib.* V. *epigr. ult.*

Jam tristis, nucibus, puer, relictis,
Clamoso revocatur a Magistro.

Quæ verba, mirifice explicantur per ista Plinii Jun. *lib.* VIII. *ep.* VII. *Neque ut Magistro Magister, neque ut discipulo discipulus; Sic enim scribis: sed ut discipulo Magister, nam tu Magister, ego contra: atque adeo in scholam revocas tu, ego adbuc saturnalia extendo.* De Augusto Suetonius refert *cap.* LXXXIII. *modo talis aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros.* Quibus & moderni consentiunt Philologi Criticique. Mylius in *Horto Philosoph.* sub Tit. *Nux. Nuces loco aleæ fuerunt pueris Romanis nondum adultis, quibus in Saturnalibus permissum, sicut juvenibus alea, reliquo anni tempore vetabatur.*

III. Inde etiam non incongrue a Martiale vocantur *Saturnalitiæ Nuces*, puta *lib.* VII. *epigr.* XC.

De nostro, facunde, tibi, Juvenalis, agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.

Et *lib.* V. *ep.* XXXI.

Commodius nisi forte tibi potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

Perinde ut nostris temporibus sub feriis Natalitiis solet fieri, *da man zu Abend umb die Nusse spielet.*

IV. A puerili hoc ludo varia promanarunt antiquitus proverbia: *Nuces relinquere.* Persius *Sat.* I. *v.* 10.

Et nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum sapimus patruos.

Nuces abjicere. Nuces intermittere. Hisque alia contraria, puta, *Nucibus indulgere: A nucibus nunquam recedere: Redire ad nuces: Nuces repetere,* iisque alia similia, quæ nihil aliud denotant, quam a nugis & apinis ad res serias se convertere, vel contra a seriis iterũ ad puerilia deflectere. *Nuces* autem *legere*, Lipsio nequitiæ vocabulum est, perinde ut *poma legere* apud Ithyphallicos, & ipsum adeo Virgilium. Vide illum lib. III. *Antiq. Lect.* Sane & hoc addamus, *Nuces spargere* in Romanorum nuptiis oppido frequentatum ac penitus solenne fuit, ut discimus ex ipso jam laudato Virgilio *Ecl.* VIII. 30.

Sparge, marite, nuces, tibi deserit Hesperus Oetam.

Et elegantissimo Catullo in lepidissimo Epithalamio, ubi inquit:

Ne nuces pueris neget.

Et alibi:

Da nuces pueris, iners
Concubine, satis diu
Lusisti nucibus, lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine, nuces da.

Cujus quidem moris varia a veteribus & recentioribus redditur ratio. Festus ait: *Nuces flagitantur nuptiis* (al. *nuptis*) *& jaciuntur pueris, ut novæ nuptæ intranti domum novi mariti, secundum* (id est, faustum) *fiat auspicium.*

V. Varro, apud Servium ad supra recitatum Virgilii locum, hanc veram esse rationem arbitratur; quod Jovis omine matrimonium celebraretur; ut nova nupta matrona esset sicut Juno: Nam nuces in tutela Jovis erant, unde & *Juglandes* dictæ quasi *Jovis glandes.* Ad quem Varronis locum non inconcinne allegari potest illud Plauti in *Casina* Act. II. Sc. III. *v.* 14.

Eja, mea Juno non te esse decet tam tristem tuo
Jovi.

Ex quo loco conjicere licet, moris etiam priscis temporibus fuisse, ut mariti uxores suas *Junones*, hæ vicissim maritos *Joves* appellarent suos. De juglandis vocabuli origine videatur Jo: Pincierius in *Pare g. Otii Marpurg.* lib. II. cap. XXV. qui affirmat τὸ *Jupiter* dici quasi magnus Pater, τὸ *Juglans* quasi magna glans, propterea quod eadem nux dicatur *nux Basilica;* sed quam recte hoc faciat, videant alii, ego Macrobio adstipulor lib. II. cap. XIV. *Saturn.* quem, si placet, vide, triplicem vocis hujus, Servii, Bassi & Cloatii Verrii derivationem ibi proferentem.

VI. Idem Varro apud eundem Servium *dicto loco* ait: *Illud vulgare fuisse, idcirco sparsas nuces, ut a rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri*. Cui rationi etiam assentitur Henricus Salmuth in *Notis ad Panciroll. d. Nuptiis*. Item Volaterranus & alii. Inde & Scoppio in quodam loco dicuntur *Tumulticrepi*. Plinius *lib*. XV. *c*. XXII. aliam adfert rationem, cur in Nuptiis nuces spargi fuerint solitæ, cum illos primo *Nuptialium Fescenninorum vocat comites*, postea que adjicit: *Nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis, quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito, quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium sonumve faciant*. Cui subscribunt Rosinus lib. V. *Antiquit. Rom.* capit. XXXVI. Calcagninus in dialogo, quem inscribit *Equitatio*, Volscius *ad Sat*. I. *Persii*.

VII. Alii tamen placuit, ea id gratia factum, ut se puerilibus omnibus ludis renunciare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio testaretur. Cui rationi assentitur Franciscus Robortellus *ad Catulli Epithalam.* ad verba, *Da nuces pueris*, Schonborn. lib. I. cap. V. *Polit*. Pancirollus ejusque Commentator Salmuth *d. Nuptiis*. Morem autem isthunc Scaliger *ad d. Ep. Catulli* a Græcis fontibus manasse, perspicue asserit, ex eorum Grammaticis: *Nam in ea gente*, inquit, *novus sponsus nuces juglandes, amygdalas & id genus spargebat, quæ ipsi* καταχύσματα *vocabant*. Idem Scaliger *dicto loco*, una cum Servio, supra citatum Virgilii locum, non tam novis nuptis, quam pueris meritoriis, qui erant in domo Patrisfamilias, adscribit, qui dum a turpi officio dimittebantur, nuces a novo sponso accipiebant, quas spargerent, nuptialia & Fescennina canentes. Scaligero Servioque paria refert Barthol. Fontius *ad Sat*. II. *Persii*, cum inquit: *Catamiti autem pueri, quibus licenter abutebatur antiquitas, a turpi obsequio recedentes, pueritiæ ludum, nuces spargebant, quo se puerilia cuncta spernere demonstrabant*. Idem & Volscius asserit *ad eundem Persii locum*. Inde & Badius Ascendius Mopsum illum Virgilianum pro ejusmodi Catamito habet puero, adeo ut & ille hac nucum sparsione opus habuerit. Quanquam idem Ascendius aliam quoque habeat rationem. Nimirum, ut fides nuptialis tam firma ac munita sit, ut nucleus in juglande.

VIII. Quia autem semel Nucum sparsionis a nobis facta est mentio, paucis etiam hoc annectere volumus; a Veteribus testamento sæpius cautum fuisse, pueris certa quadam die nuces aliaque incrementa spargere, ut docet idem Josephus Scaliger ex veteri Saxo, cujus verba ita habent: IN-CREMENTA PUERIS CURIÆ ET SPARSIONEM NUCUM DENT. Apud quem etiam inquirere poterit lector, quid sint *incrementa*, in *annotat. ad Eleg*. I. *lib*. I. *v*. 20. *Propertii*. Sed de hoc hactenus.

CAP. XVI.

Quatuor ludendi genera nucibus apud Ovidium explicata. Ipse Ovidius correctus.

I. PLURA procul dubio nucibus ludendi fuerunt genera antiquis, Romanorum Græcorumque pueris, *quatuor* tamen Ovidius, in ingeniosissima illa *de Nuce* Elegia, quam communi calculo Critici Ovidianam esse asserunt, tantummodo recenset, quæ cum obscuriora sint paulisper, lucem eis, quantum possumus, præbebimus. Primum genus in his consistit verbis:

Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus:

Id est, tota alea seu totus ludus quatuor absolvitur nucibus, quarum tribus sibi invicem suppositis quarta quoque additur. Beroaldo, *ad Suetonium*, dicuntur *Castellatæ nuces*, prout illum intelligit Magnus Casaubonus *ad eundem Suetonii locum in Aug.* cap. LXXI. allegato hoc ipso Disticho. Ut & de Gallieno Imperatore refert Trebell. Pollio, illum de pomis solitum fuisse castella componere, cujus verba hæc sunt circa fin. *Ne ejus prætereatur miseranda sollertia, Veris tempore cubicula de rosis fecit; de pomis castella composuit. Uvas triennio servavit: Hieme summa melones exhibuit: Mustum, quemadmodum toto anno habeatur, docuit: Ficos virides, & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit*. Domitius Marius hoc genus ludi ita explicat: *Pueri castellatim nuces sibi construunt, quas procul distantes, si everterint, nuce emissa, quotquot fuerint eversæ, atque etiam quæ dispositæ sunt infra eversas, omnes lucrantur*. Ego ita intelligo, tribus nucibus invicem stricte collocatis in formam tuberculi cujusdam supra imponebatur quarta, ut quoddam quasi castellum appareret, in hoc castellum ludentes procul distantes singuli singulas emittebant nuces; cujus ergo nux tangendo castellum destrueret, ejus erant nuces istæ castellatæ seu in formam castelli instructæ.

II. Secunda ludi species est in his verbis:

Per tabulæ clivum labi jubet alter & optat,
Tangat ut e multis quælibet una suam.

Id est; Unica nux emittebatur in tabulam, quæ ubi jam consistebat, ad eam collusores emittebant invicem alias, quisque tamen suam, & quoties emissarum harum posteriorum nucum aliqua priorem tangebat, toties etiam ille, qui mittebat, lucrabatur nucem, inde optabat, ut una quælibet e multis, nucem istam quasi in scopum expositam tangeret, nimirum ut eo plures lucraretur nuces. Quidam in hoc versu pro τὸ *alter* legunt *altera* ut hac voce subaudiatur alea. Erasmus ita: *Dispositis in seriem nucibus per tabulam declivem, volvebatur nux, quæ si tangat, quam oportet, nucem depositam, vicit qui misit*. Domitius Marius ita: *Pueri se conferunt ad loca declivia, ibique assidentes alternatim nuces, aut Persicorum ossa singula labi sinunt. Ille autem, cujus nux tetigerit aliquam ex illis, quæ jam labi desiverunt & cessant, omnes aufert nuces & lucratur*.

III. Tertia species in his consistit verbis:

Est etiam, par sit numerus, qui dicat, an impar,
Ut divinatas auferat augur opes.

Id est, puer aliquis, clausa manu, tenebat aliquot nuces, & ex altero collusore quærebat, paresne ille censeret se habere nuces, an impares? Quæsitus si divinaret hanc paritatem vel imparitatem, tunc divinatas augur auferebat opes, id est, ipsas, quas alter manu tenebat nuces lucrabatur. Si vero minus divinaret quæsitum, totidem nuces, quot alter manu tegebat, tenebatur illi reddere. Notum est hoc genus ludendi pueris, & vel ex isto Horatii:

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Loquitur de eodem Augustus apud Suetonium in Epistola *ad Filiam*, cum inquit: *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulos convivis dederam, si vellent inter se, inter cœnam, vel talis vel par impar ludere*. Quanquam hic locus non tam de nucibus, earumque ludo sit intelligendus, quam de alio, de quo supra diximus, qui Græcis χαλκίσμος dicitur, ab æneis argenteisve scilicet nummis, quibus pari ratione ac forma par impar ludebant, ut in nucibus. Utut autem ludebatur hæc alea, sive nummis, sive nucibus, sive aliis rerum minutiis, Græcis vocabatur Ἀρτιάζειν. Ita enim

Julius Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. Τὸ δὲ Ἀρτιάζειν, ἐν ἀστραγάλων πλήθει, κεκρυμμένων ὑπὸ ταῖν χεροῖν, μαντείαν εἶχε τῶν ἀρτίων καὶ τῶν περιττῶν. Ταυτὸ δὲ τοῦτο καὶ κυάμοις, ἢ καρύοις τε, καὶ ἀμυγδάλαις, καὶ ἀργυρίῳ πράττειν ἠξίουν. εἰ πιστὸς Ἀριστοφάνης, ἐν τῷ Πλούτῳ λέγων. (Act. IV. Sc. I.) Στατῆρσιν οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν. Id est: *Sed ludere par impar astragalorum multitudine manibus contecta divinationem habet parium & imparium. Idem vero & fabis, nucibus, amygdalis & pecunia facere solebant: si modo vera in Pluto tradit Aristophanes dicens: Stateribus vero nos servi ludebamus par impar.* Meminit ejusdem & Aristoteles lib. III. cap. V. *Reth.* τύχοι γὰρ ἄν τις ἐν τοῖς ἀρτιασμοῖς, ἄρτια ἢ περιττὰ εἰπὼν μᾶλλον, ἢ πόσα ἔχει. Id est, *Si quis in ludo paris & imparis, paria aut imparia dixerit magis, quam quod habeat.* prout Anton. Riccobonus interpretatur. Gregorius item Nazianz. in Carm. *de Virgin.*

> Ἀλλ᾽ ὅστις στρεπτοῖσιν ἰαινόμενος φρένα πεσσοῖς,
> Κεῖνος μὲν προέοικε, τὸ δ᾽ ἄρτιον ἠὲ περιττὸν
> Οὐ χέρες, αὐτόματοι δὲ λίθον στροφάλιγγες ἔμειναι.

Quos ita exponit H. Junius lib. II. *Adverſ.* cap. IV.

> *Qualis cui mentem verſatilis alea paſcit,*
> *Ille quidem jacit, at par impar non manus ipſa*
> *Fingit, fortuita at præbet verſura lapilli.*


IV. Quarta ludendi ſpecies ſequentibus, iiſque admodum obſcuris deſcribitur verſibus:

> *Fit quoque de certa, qualem cæleſte figuram*
> *Sidus, & in Græcis littera quarta gerit.*
> *Hæc ubi diſtincta eſt gradibus, quæ conſtitit intus,*
> *Quot tetigit virga, tot rapit ipſe nuces.*

Hos verſus ita explicat in opere admirabili Caſp. Barthius *lib.* X. *cap.* XXIII. *De pueris*, inquit, *hactenus locutus eſt* (Auctor de nuce) *nunc aliud genus puellaris ludi proponit. Fingebatur Delta Græcorum ſive triangularis forma, quam Deltoton in cælo gerit, in medio ſtatuebatur puella obnuptis oculis, Delta ipſum in gradus diſtinguebatur, gradibus ſingulæ nuces imponebantur, quas cum virguncula tetigiſſet, nuces vicerat; una litera claram facit ſententiam. Nam virgo ſcribendum. Ne autem chorda oberret, puellam pucro ſubjungit. Ciofanius hic nihil expedivit, nec alii Interpretes, puto.* Hæc magnus alioquin Barthius, cui facile aſſentior, neminem Commentatorum Ovidianorum hactenus intellexiſſe iſthæc verba; ita enim Domitius Martius *ad hunc locum* ait: *Genus ludi obſoletum eſt, & ideo nobis minus notum.* Sic minime quoque gentium in ipſius ſententiam pedibus eo, quam de hoc Ovidii loco tulit. Eraſmus quoque ita hunc locum explicat: *In lineis*, inquit, *itaque pictis, certis intervallis, quos hic gradus vocat, diſponuntur nuces, Puer, qui ſtat in medio, jactu virgæ, quot tegit* (ſcil. nuces) *tot aufert.*

V. Verum ignoſcant mihi clara hæc doctorum Virorum ſidera; quoad virginem & puerum, quos illi in medium Deltoton collocant, ambo errant. Vera enim ſane prioris Diſtichi eſt explicatio, creta depictam fuiſſe figuram, qualem vel cæleſte ſidus Deltoton, vel Græcorum litera quarta, id eſt, delta gerit in hanc potiſſimum formam, Δ.

Hæc ipſa quoque figura (nam adhuc clariſſimo Barthio conſentio) gradibus certis erat diſtincta ad hunc modum:



Sed nunc ab ejus & opinione & correctione penitus me abſtineo; verba enim Poetæ,

> —— *quæ conſtitit intus,*
> *Quot tetigit virga.*

(vel ut Barth. vult, *virgo, tot etiam,*) nequaquam ſunt intelligenda de virgine vel puella quadam, quæ in medio hujus figuræ conſtitiſſet, nimiæ enim hac ratione capacitatis Delta fuiſſe oporteret, ut non tantum puella, ſed & in cæteris gradibus, quos remotiores invicem fuiſſe opus eſt, nuces concinne locari potuiſſent. Interea tamen verſum ultimum vitio laborare nemo non videt, cui ego unica forte litera ad priſtinam lectionem adhibita, ſalutarem admovebo manum, cum pro vocabulo *virga* ponam *virgas*; tunc enim rectum & genuinum ſenſum modumque ludendi elicio talem: In tabula vel menſa, Delta Græcorum certis aliquot gradibus, (ut ex ſuperiori Schemate apparet) diſtinguebatur, in quam pueri procul quodammodo ſtantes, nucem unam mittebant, quæ ſi conſiſtebat in hoc Schemate, res erat ſalva, & mittens tot nuces lucrabatur, quot virgas, id eſt, lineas nux iſta tetigerat. Puta ſi tertiam, quartam, quintam, ſextam, &c. lineam tetigiſſet nux emiſſa, 3. 4. 5. 6. etiam nuces accepiſſe ille, qui nucem manu mittebat. Si vero figuram plane exceſſiſſet nux emiſſa, inanis erat jactus, & alius admittebatur ex ſociis.

VI. Non abſimilis huic fuit ille, qui Suidæ ὤμιλλα dicitur: Circulum enim ducebant, in quem qui ita nucem jeciſſet, ut maneret, is vincebat. Suidæ verba ſunt: Ὤμιλλα παιδιά τις, ἐν ᾗ ὁ εἰς τὸν κύκλον βαλὼν κάρυον, ὥστε ἐμμεῖναι, νικᾷ. Id eſt, *Omilla puerilis eſt ludus, in qua ſi ita in circulum jacta nux erat, ut conſiſteret, victoria erat.* Pollux eundem ludum ita deſcribit *lib.* IX. *cap.* VII. Κύκλου περιγραφέντος, ἀφιέντες ἀστράγαλον, ἐστοχάζοντο τοῦ μεῖναι τὸν βληθέντα ἐν τῷ κύκλῳ. Ταύτην εἰς ἅμιλλαν τὴν παιδιὰν ὠνόμαζον. Id eſt: *Alii circulum circumducebant, dimittentes aſtragalum, conabantur, ut aſtragalus in circulo permaneret, & hunc ludum* IN HAMILLAN (ſc. *jacere*) *vocabant.* Quem tamen locum ita corrigit elegantiſſimus Meurſius, ut in Polluce pro τὴν ἅμιλλαν legat & ſubſtituat, ὤμιλλαν. Qui idem Meurſius etiam alios ibidem & apud Suidam locos admodum feliciter corrigit, dicto *de Græcorum Ludis* libello, quem vide in hac voce. Meminit & ejuſdem Heſychius, cujus verba idem recitat Meurſius *d. l.*

VII. Quintus & ultimus ludendi modus ſequentibus deſcribitur verbis:

> *Vas quoque ſæpe cavum, ſpacio diſtante, locatur,*
> *In quod miſſa levi nux cadat una manu.*

Id eſt, vaſculum quoddam ſtrictioris capacitatis loco aliquo ſtatuebant, in illudque, ſpacio aliquo diſtantes, nuces dimittebant, cujus ergo nux incidebat, victor erat, econtra nucem amittebat, qui vaſculo aberrabat, Interdum etiam vaſculi loco vel foveam parabant, vel in eandem etiam foveam vaſculum locabant, & ita nucem in eandem mittebant, qui ludus Græcis dicebatur τρόπα. Ita enim de eo Julius Pollux *lib.* IX. *cap.* VII. ἡ δὲ τρόπα καλουμένη παιδιά, γίγνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι᾽ ἀστρα-

γάλων. ὡς ἀφιέντες στοχάζονται βότρυ τινὸς, εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένης. Πολλάκις δὲ καὶ ἀκύλοις καὶ βαλάνοις, ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων οἱ ῥίπτοντες ἔχρων. Id est: *Ludus autem Tropa dictus, plerumque talis fit, quos in foveam de industria ad horum exceptionem factam projiciunt. Sæpenumero tamen glandibus & nucibus, talorum loco ludentes utuntur.* Aliud ex Hesychio exemplum vide apud Meursium *de Ludis Græcorum* hoc tit. Vasculum autem ipsum ex sententia nonnullorum vocatum fuit *Orca*, ut & supra monuimus, ubi de partibus Tabulæ egimus in Tesseris. Ludovicus Vives non infestive hunc ludum ita describit in multoties laudato Dialogo: *Nucibus ludere ad conjectum scrobuli*, ita explicat: *Alter puerorum vasculum ut pelvim ponit, & cum altero convenit, ut, quot ille, procul stans in pelvim nuces miserit, tot lucretur; quæcunque autem extra pelvim ceciderint, amittantur.* Erasmus ita: *Pueri nuces deponunt in orcam, deinde singuli per vices petunt os ollæ: qui solus aut frequentius immiserit, aufert omnes nuces.*

CAP. XVII.

Ocellatæ nuces quid, & varia de his Auctorum judicia.

I. ABSOLUTIS iis, quibus nucibus luditur, generibus, quantum potissimum ea ex antiquitate, aliorumque recentiorum Philologorum scriptis innotuerunt, unicum adhuc illis dandum erit caput, in quo Suetonii *nuces*, vel potius Divi Augusti Octaviani, quas ille *Ocellatas* vocat, explicabimus, idque non nisi præstantissimorum Philologorum auctoritate ingenioque. Recitavimus supra, ex Suetonio, locum in *Vita Augusti Cæsaris*; illum nimirum interdum, animi laxandi causa, modo piscatum fuisse hamo, modo talis, aut ocellatis nucibus lusisse, cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquisivisset, præcipue Mauris & Syris. Quo in loco Commentatores super voce *ocellatarum nucum*, immane quantum inter se discrepant, quorum opiniones ordine recensebimus.

II. Beroaldus ait; Nonnullos hic intelligere *nuces perforatas*, alios *pillulas rotundas*, instar ocellorum, tandem vero pro ocellatis ipse legit *oscellis*, distinguitque hoc verbum a nucibus hoc modo: *modo talis, aut oscellis, nucibusque*, &c.

III. Alii, ut ex Casaubono constat, *Oscillatis*, quos tamen ille irridet, putans illos suam rerum antiquarum ἀπειρίαν satis hac ratione prodere. Idem quoque Brodæum abire jubet cum suis *officulis*, propterea quod nulla unquam apud Veteres ὀστομαχία, sed illum inductum Ausonii loco corrupto, &c.

IV. Sabellicus ad dictum Suetonii locum ait: per *ocellatas nuces* intelligi ocello præditas, quales essent *avellanæ*, quæ in summo velut parvum oculum figuratum haberent: posse etiam nos *amygdalas* interpretari, cujus testa minutissimis foraminibus, quasi ocellis, perforata est, &c.

V. Alexander ab Alexandro *lib.* III. *cap.* XXI. *dierum Genialium* ait: *Nuces ocellatas dicendos esse nucleos, quos in Persicis pomis sitos inspiceremus, quibus persæpe ludere nostrates pueros hodie videremus, dictasque ocellatas propter ocellos & foramina, quibus muniantur undique.* Affirmatque hoc tanquam exploratæ, & non ambiguæ sententiæ esse credendum.

VI. Magnus quoque ille Turnebus *lib.* III. *cap.* XVIII. in fine de hac voce ita refert: *Eo verbo, Ocellatis, veniunt avellanæ, nucularumque genera, quæ ocellorum quandam præ se speciem & rotunditatem ferunt.* Adducitque, majoris confidentiæ loco, exemplum ex Varrone apud Nonium, in verbo *Margarita*, ubi dictus Varro, ex Marcipore, hisce laudatur verbis:

Altera exorat Patrem libram ocellatarum;
Altera virum, semodium Margaritarum.

Id est, altera filiarum, tanquam infantula, Patrem nuces rogat ocellatas, altera vero grandæva, etiam maritata, virum poscit margaritarum semodium. ὁ θαυμάσιος ille Casaubonus ad supra dictum Suetonii locum in suis ad eundem *Animadversionibus*, itidem cum Beroaldo vocem *Ocellatis* plane separat a nucibus, peculiaremque illis tribuit significationem, cum ait: *Ocellata sunt, & hic, & apud Varronem, globuli vel eburnei vel lapidei, vel ex alia quadam materia* (pellucida scilicet, puta e vitro vel crystallo, de quibus supra dixi, qui oculi speciem accuratius repræsentant) *quibus olim puellæ ludebant, ut nunc quoque fit* (a pueris.) Ovidius x. *Metamorph.*

—— Modo grata puellis
Munera fert illi conchas teretesque lapillos.

Græci χαλολίγγας *appellant; ut apud Tzetzen Chiliad.* VII. *apparet.* Hactenus etiam Casaubonus, cujus sententiam manibus subscribo, pedibus ineo, atque ita etiam finem hujus ludi facio.

CAP. XVIII.

Chartæ lusoriæ. Micare digitis. Exagium. Numeratio per digitos. Dactylologia. Artrologia. Charta quid & unde? Chartarum genera. Hispani inprimis ludicris his dediti. De Chartarum ludicro judicium. Earundem nomina & ludicra mirabilia.

I. CHARTARUM quoque seu Foliorum lusum, cum & ille in arbitrio Fortunæ consistat, huc referre opportunum visum est. Primum hujus exercitii Auctorem reperire non possum, &, quantum existimo, longe sequior ejus inventio est Carolinis temporibus. Nam illud *micare digitis*, quod ex Cicerone & Varrone ad Italorum ludum, qui ab iisdem *Mor* dicitur, & ad has nostras Chartas pertinet, ulterioris est indaginis. Nam Varronis locum quod attinet, illa se ita habet in *Parmenone*: *Micandum erit cum Græco, utrum illius numerum, an ille meum sequatur.* Ubi quidem Nonius: *Micare*, inquit, *est sortiri digitis*, allegando ad hoc ipsius Tullii locum lib. III. *de Officiis*, qui ita se habet: *Dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices*: Nihilominus tamen viri in Republ. literaria principes intelligunt per hanc Varronianam Tullianamque Micationem, transactionem quandam, qua in contractibus, ubi de pretio certo aliave re non convenire possent contrahentes, controversiam totam dirimebant, puta res in foro venales expositæ, item carnes a lanio sæpissime micatione emebantur, quod tamen postea ipso jure mutatum est, cautumque, ut sub *exagio*, hoc est, πρὸς σταθμὸν, id est, *ad stateram* (exagium enim trutinam & certum quoddam ponderationis genus denotat, uti videre est apud Theodosium in *Novell. d. præsol. de ponderibus ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur exagia, quæ sine fraude debent custodiri*,) non vero micatione carnes emerentur. Patet hoc ex inscriptione quadam antiqua, quæ *Aproniana* dicitur, his verbis:

EX AUCTORITATE TURCI APRONIANI V. C. PRÆFECTI URBIS.

RATIO DOCUIT, UTILITATE SUADENTE, CONSUETUDINE MICANDI SUMMOTA, SUB EXAGIO POTIUS PECORA VENDERE, QUAM DIGITIS CONLUDENTIBUS TRADERE.

II. Quæ res tamen ita fiebat, ut Lanio caput, pedes & ſerum lactans, & ſubgulare cedant, reliqua caro cum pelle & interaneis publice appendatur, & a venditore emtori præſtetur. Cui ſimile eſt, quod a Præfecto quodam urbi inſtitutum refertur in l. 1. *Cod. Theod. de Suariis.* ut pondus porcorum trutinæ examine, non oculorum libertate quæratur. Id eſt, non micantibus ſeu colludentibus digitis, ſed ſub Exagio, quæ vox aliis eſt *Sextula* ſeu ſexta pars unciæ, de qua videatur plurimis Cujac. *ad l. fin. C. de Suariis lib.* II. *tit.* XVI. Ad hanc ergo conſuetudinem tranſigendi de pretio in emtione per micationem alluſiſſe videtur Varro, adeoque ipſe etiam Cicero *d.l.* in proverbiali locutione, *Dignus, qui cum vel in tenebris mices*. Id eſt, homo eſt tantæ fidei, ut vel in tenebris cum illo micare, id eſt, ſuper pretio rei alicujus convenire poſſis. *Micare* enim ſpecies ſortitionis erat, quæ proprie fiebat per digitos ſubito expanſos ſub certo numero. Inde idem Cicero lib. II. *de Divinat. Quid eſt enim ſors? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras*. Inde Auguſt. lib. VIII. *de Trinitate* cap. V. *Nam id ubi volumus, facile habemus, ut alia omittam, vel micando digitis tribus*.

III. De numeratione vero per digitos facta legere eſt Macrob. *l.* VII. *c.* XIII. ubi ait: *digitum quem vocant medium, complicatum ſenarium numerum demonſtrare, qui omnifariam plenus, perfectus & divinus ſit*. Sed pleniorem ex Ægyptiorum Schola deſumtam explicationem numerorum per digitos ſignificatorum lector inveniet apud Pierium in *Hieroglyphicis* lib. XXXVII. De digitorum numeris & ſignificatis extant etiam nonnulla apud Irenæum. Daniel vero Swenter in *Steganologia* & *Steganographia* c. III. idem exprimit in fine capitis. & *hæc per digitos locutio*, inquit, *a Beda Dactylologia ſeu Artrologia dicitur*. Qua voce tamen potius iſtam loquacitatem digitorum intelligo, cujus apud Petronium fit mentio. *Trimalcio homo lautiſſimus digitos concrepuit, ad quod ſignum, matellam ſpado ludenti ſuppoſuit*. Et in fragmentis: *Manu puer loquaci, Ægyptias choreas*. Iterum in Sat. *mox digitis gubernantibus vocem. Si non faſtidis*, inquit, *fœminam ornatam*, &c. Tibullus *lib.* III. *El.* IV.

At poſtquam fuerant digiti cum voce locuti.

Ex quibus omnibus apparet, Veteres & *numeraſſe & locutos fuiſſe* digitis, &, quod proprie hujus loci eſt, *micaſſe* quoque, id eſt, invicem contraxiſſe, colludentibus eiſdem digitis.

IV. De ludo, quem nobis per dictam micationem offerunt, mihi nondum ſatisfecerunt, quos hac in parte conſului, puta Pylades Brixianus in *not. ad Aulul. Plaut.* cum inquit: *Micare eſt per luſum digitos alios elevare, alios deprimere manu porrecta, ut numerus a digitis cognoſcatur erectis*. Erythræus quidem in *Indice Virgiliano* ait, *digitis ſortiri, eſſe idem, quod Italis Giocar alla Mora, ab eaque voce Adverbium Venetum Miga, & Etruſcorum Cenomannorumque Mica deductum fuiſſe*; quod ſe meridiana luce clarius demonſtraſſe ait, in ſuo *Stoico*, cujus libri copiam habere nequimus. Videatur etiam hic Nicol. Bellejus lib. IIII. *Piazzæ univerſalis tit. de Luſoribus & Ludis*.

V. Sed revertamur tandem ad Chartas, quarum materia ſe ipſam prodit, quod nimirum folia ſint papyracea, Latinis *chartæ* dictæ, a Græco χάρτης, quod corticem ex papyri arbore denotat, in quo perinde olim, ut in foliis palmarum, antiqui ſcribere ſolebant. Forma earundem varia eſt, ubivis tamen locorum quadrata, modo tamen longior, modo brevior, ut omnibus hodieque conſtat. Si vero picturam earundem requiras, illa tam eſt varia, ut vix recenſeri poſſit.

VI. Genera vero ludendi chartis multo ſunt intricatiora, adeo ut quis ſtellas potius numerare valeat, quam iſta luſuum genera, ſiquidem nullus ferme pagus tam obſcurus eſt, qui non certum aliquod ludicrum in chartis ſibi finxerit, quorum ingentem Catalogum recenſet Auctor ingenioſiſſimus fabulæ Pantagruelis. A Nicol. Bellejo vocantur: *Muntationes, Gloria, Rumphæ, Peres, Centum & unum, Mercator, Panqua dolo male rupta, Infidelis proximus, Sequens, Clamor, Triumphus*, & alii. Videnda ejuſdem *Piazza univerſalis* lib. III. cap. XLIV.

VII. Et quamvis nulla non natio ludicro hoc ſit faſcinata, nihilominus tamen Hiſpanos hac in parte omnes antecellere Paſcaſius Juſtus annotat, lib. I. *Aleæ* p. m. 30. cum inquit: *Hiſpani, callidiores homines, omnium, quos novi, & maxime ludunt, & a natura ad ludendum maxime ſunt propenſi. Quod ideo de illis prædico, ſi qui forte ut generoſi & confidentes animi laudem, invidere hoc illis videatur, quia jam diu longe lateque Hiſpanias luſtranti mihi ſæpe contigit, ut cum multis locis nihil eorum, quæ ad victum faciunt, non panem aut vinum invenire poſſem, tamen nunquam caſtellum aut vicum ullum adeo abjectum & obſcurum tranſire potui, in quo non chartulæ venirent. Quod quidam in aula Regis non parvi nominis mercator callide advertens magna cura, ſummoque ſtudio & diligentia ab Imperatore Carolo Auguſto contendebat, nemo ut in Hiſpania decennio, præter ſe, tabellas diſtrahere poſſet. Quod cum beneficii gratiæque cauſa obtinuiſſet, ita prædives inde factus eſt, facile ut tum cæteris negotia ibi gerentibus hominibus magnis opibus & potentia præſtaret*. Non abſimile eſt illud quod refert Auctor *Vitæ Juſtinæ Dietz*, lib. I. cum inquit per interpretem: *Uti quidam cognatorum meorum, caupo Areradenſis, mihi faſſus eſt; Tria ſunt imprimis quæ cauponem faciunt divitem; Candelæ ſcil. Chartæ luſoriæ, & Vinum. Chartas quod attinet domi habeo plus centies manu tritas, quas etiamſi nunquam ſim palam expoſiturus, eas tamen reſervo uſui pauperum, qui Chartarum pretium ſolvere nequeunt. Et ut verum fatear, a Viro honeſto percepi, primum Chartarum inventorem tria earum habuiſſe genera, Servum nempe, ut appellant, Equum & Regem; & hoc ipſo indicare voluiſſe hunc ludum non niſi tribus diverſi generis convenire hominibus, ſcilicet Servis, ut infimæ ſortis, Equitibus, ſive Nobilibus, & Magnatibus*, &c. Steph. Guazzo *de Civil. Converſat.* ait: *In Gallia de conſuetudine etiam illos, qui in nobilium numero habentur, vel in ipſo foro chartis luſoriis, & aleæ luſu, eadem libertate ſe exercere, qua aliæ nationes ædibus uterentur*. Polyd. Virg. recte inquit: *Chartis luſoriis qui ſe valde delectant, ii maxime omnium ſemper egent*.

VIII. Interea vero gentium, quicquid alii de Chartarum ludo ſentiant, ego tamen, non habito reſpectu ad nimiam ejuſdem frequentiam & fallaciam, quæ ambo eundem contemtui exponunt, non in fortunæ arbitrio hunc ipſum poſitum exiſtimo; ſed potius de illorum numero eſſe luſuum, qui vires exercent ingenii, ubi ex honeſta animi induſtria ludentes, id quod voto ſæpe contrarium evenit, arte & ingenio corrigunt. Quamvis ſecius his faciant agyrtæ & impoſtores, qui veteratoria quadam calliditate caſus moderari

&

& regere didicerunt, quos tanquam nefarie in legem aleæ peccantes, merito ut fraudulentos deceptores ex foro chartariorum excludimus: ut & imperitos illos, qui ex ſolius chartæ proventu & eventu dependent. Reliquos vero, qui eventui ingenio occurrunt, merito ut providæ ſagacitatis amatores admittimus. Inde non tam laudandi, quam admirandi etiam ſunt illi, qui ejuſmodi chartis luſoriis præcepta Grammatices & Dialectices juventuti inculcaſſe & tradidiſſe perhibentur a Dn. Gumpelſhemio *part.* IV. *Sect.* III. *num.* XXV.

IX. De nova etiam Chartarum inventione Volaterranus ait, quod in illis ſcriptæ ſint *Monetæ Scyphi, Gladii, Caducei*, X. IX. VIII. VII. VI. V. IIII. III. I. *Rex, Regina, Eques, Viator pedeſtris, Mundus, Juſtitia, Angelus, Sol, Luna, Stella, Ignis, Diabolus, Mors, Patibulum, Senex, Rota fortunæ, Propugnaculum, Amor, Currus, Temperantia, Summus pontifex, Papiſſa, Imperator, Imperatrix, Minimus*, & denique *Stultus*. Apud Calviſium in *Lexico Latino* ita inveni. *Familia cordium, Familia glandium, Familia viridium, Familia tintinnabulorum*. In qualibet familia, *Rex, Ruſticanus, Vaſallus & Cliens, dias, trias, quaternio, pentas, ſenio, heptas, ogdoas, enneas, decas: ſeu folium binarium, trinarium, quaternarium, quinarium, ſenarium, ſeptenarium, octonarium, novenarium, denarium*.

X. Plures etiam humanæ interdum rationi quaſi contrarios ludos ab ejuſmodi chartarum Profeſſoribus exerceri videmus: Michael ſane Caſpar Londorpius (ſi tamen is eſt, adeo luditur cum hoc libro, ut ferme neſciatur, quid ſit *Garzonii*, quid *Nicolai Belleii* quid denique *Londorpii*, præſertim in poſterioribus libris) in adnotatiunculis *ad Piazza univerſ.* lib. III. cap. XLIV. ait: admiranda plane feciſſe in hoc genere M. Abraamum Columnam Judæum & Illuſtriſſ. Ferrarienſium Ducis Architectum, dum

1. Omnes illas chartas luſorias, quas alter quiſpiam ſuis tenuiſſet manibus, commutaſſet: adeo ut habens illas, rem illam ita ſeſe, nec aliter habere, autumaſſet.

2. Ex iiſdem chartis luſoriis alterius cujuſdam mentem conjectando aſſecutus fuiſſet.

3. Eundem quandoque chartarum luſoriarum faſciculum in menſam collocaſſe, & circumſtantes monuiſſe, ut ex illo faſciculo, quas modo vellent, extraherent chartas, tum illum extractas indicaſſe, licet illas nunquam conſpexiſſet.

4. Sæpe numero aliquem duas chartas extrahere, & penes ſe retinere juſſiſſe, & tamen ambas indicaſſe.

5. Sæpiſſime etiam in tali mutatione colores, & in chartis pictas imagines omnino deletas, illarumque loco illius cogitationes, qui eaſdem in manibus tenuiſſet, literis verſalibus ſcriptis, deprehendiſſe.

6. Aliquando faſciculum chartarum luſoriarum in menſam collocaſſe, & quendam ex circumſtantibus unam, quam modo voluiſſet, eximere juſſiſſe, & tum illam ſponte ſua exilire ſolitam fuiſſe.

Et addit iſte Londorpius, ſe aliquando iſtius rei cauſam a Judæo percunctatum fuiſſe, qui ſancte juraſſet, illud occulta quadam naturæ operatione, abſque ulla geſticulatione, vel incantatione fieri, adeo, ut quilibet hoc ipſum citra periculum animæ & conſcientiæ lubens volenſque præſtare poſſet. Vixit adhuc, cum iſta ſcriberem, in Academia Altorphiana, vir multifariæ eruditionis tam in ſeriis, quam jocoſis Daniel Swenter, qui ſi iſthæc legeret, puerilia tantummodo exiſtimaret, longeque ſagaciores in hoc chartarum genere ludos exhiberet. Prædicta enim vel apud Sileſios meos etiam aniculis & puerulis nota ſunt.

CONCLUSIO.

XI. Effectus tandem Aleæ & fructus horum ludicrorum reſtitiſſet recenſendus: ſed quoniam hoc ipſum ante Auctorem noſtrum præſtiterunt haud pauci, & Theologi graviſſimi, & JCti ſanctiſſimi aliique Viri ſapientiſſimi; eapropter hoc labore, jure merito, potuit ſuperſedere. Cui vero volupe eſt cognoſcere, quæ intertrimenta ſecum attrahat ALEA, illum remittimus ad PASCASIUM JUSTUM, Eclovienſem, Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, qui ALEAM olim, hoc eſt, de curanda in pecuniam ludendi cupiditate libros duos ad Virum Ampliſſ. MAXIMILIANUM a BURGUNDIA, Wackenæ & capellæ Dominum conſcripſit. Hos una dein cum collectaneis, tam veterum, quam recentium Auctorum de Sortibus, Aleæ, Taxillorum & Chartarum ludo auctiores iterum in lucem edidit Joannes a Munſter in Vortlage, excuſos Neapoli Nemetum A. CIↃ IↃCXVII. Unde per ſaturam veluti ὑπὸ μίαν ὄψιν repræſentamus, quæ de Sortibus & Aleæ ludo e Bibliotheca ſua Vortlagica jam laudatus *Aleæ* Paſcaſii Juſti Reſtaurator ad calcem ejudem comportavit. Hæc eo dinarrantur ordine, iiſdemque verbis:

XII. 1. Cæcilius Cyprianus, Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis in Africa, alio nomine *Thaſcius* dictus, edidit lib. 1. *de Aleatoribus*, & vixit circa A. Ch. 249.

2. Joannes Sariſberienſis, natione Anglus, Epiſcopus Carnotenſis, in *Policratico*, ſive de nugis Curialium, & veſtigiis Philoſophorum, ſcripſit *contra aleæ ludum* circa Annum 1182.

3. Nicolaus de Lyra, in libello *Præceptorium* inſcripto, novem rationibus, Aleam Chriſtianos dedecere, & a Chriſti Eccleſia arcendam eſſe, docet. Hic floruit circa Annum 1320.

4. Franciſcus Petrarcha, natione Hetruſcus, duobus *Dialogis* contra Aleæ & Taxillorum ludum diſſerens, vixit Anno 1374.

5. D. Martinus Lutherus, qui pie Islebii obiit, Anno 1546.

6. Joannes Calvinus, qui in Domino placide obdormivit (annorum 55.) A.C. 1564.

7. Petrus Martyr Vermilius, Florentinus, qui poſtquam ſacras Literas, magna cum laude Argentorati, Oxonii in Anglia, & Tiguri docuiſſet, pie extremum clauſit diem, Anno 1562.

8. Auguſtinus Marloratus, qui propter veræ fidei confeſſionem Rothomagi ſupplicio affectus eſt A. 1562. 26. Octobr.

9. Benedictus Aretius, ſacrarum Litterarum Bernæ Helvetiorum Profeſſor, qui ibidem pie obiit, Anno 1581.

10. Joannes Gulielmus Stuckius, Patricius Tigurinus vere Polyhiſtor, magna cum laude ſacras Litteras in Patria docens, in libro doctiſſimo *Antiquitatum Convivialium*, contra ludum Aleæ Anno 1581. ſcripſit, & pie obiit Anno 1609.

11. Lambertus Danæus Gallus, fideliſſime laborans in vinea Domini ſcripſit *de ludo Aleæ*, Anno 1579.

12. Joannes Taffinus Eccleſiæ Amſterodamenſis fidelis Paſtor, in Libris *de Emendatione vitæ*, contra ludum Aleæ ſcripſit, Anno 1594.

13. Franciſcus Toletus Eccleſiæ R. Cardinalis in *ſumma Caſuum Conſcientiæ* cap. XXVIII. lib. V. Anno 1600.

14. Matthæus Weſembecius JCtus & Theologus Cl. ſcripſit in *Paratitlis ff. de Aleatoribus*, Anno 1567.

15. Jacobus Menochius, excellentiſſ. JCtus, ſcripſit in Tractatu *de Arbitrariis Judicum Quæſtionibus*, contra ludum Aleæ, Anno 1569.

16. Petrus Gregorius Tholosanus J. U. D. & in Academia Cadurcensi & Tholosana, & Lotharingica Pontimussana Professor digniss. & plurimæ lectionis homo, scripsit contra ludum Aleæ, Anno 1591.

17. Julius Clarus Alexandrinus JCtus Cl. & Serenissimi Regis Hispanorum supremus Consiliarius ac Regens digniss. contra ludum scripsit, Anno 1559.

18. Jodocus Damhouderus Brugensis JCtus, Eques auratus, Cæsar. & Regiæ Majest. Consiliarius contra ludum Aleæ scripsit, Anno 1555.

19. Josephus Mascardus Zarzanensis Protonotarius Apostolicus in doctissimo & longe disertissimo *de Probationibus* volumine II. contra ludum & lusorem scripsit inter alia, Anno 1593.

20. Jacobus Cujacius JCtus præclarissimus & omnium JCtorum, posteriorum ætatum, facile princeps contra Aleatores lib. IX. *Obs.* cap. XXVIII. scripsit, Anno 1573.

21. Robertus Maranta Venusinus, unus ex JCtorum Principibus, in aureo suo *Speculo* contra Lusores scripsit, Anno 1586.

22. Petrus Fallerius Patricius S. Severini fragmentorum parte, Anno 1581.

23. Joannes Scheneidewinus JCtus præclarissimus & Academiæ Wittebergensis Professor longe dignissimus contra Aleam lib. IV. *Instit. de Actionibus* scripsit, Anno 1571.

24. Potentissimus & Invictissimus Imperator MAXIMILIANUS II. S. A. contra Aleam & alia vitia Comœdiam jussit agi, Anno 1570.

25. Serenissimus & Pientissimus FRIDERICUS III. Elector Palatinus, &c. contra Aleatores Constitutionem Ecclesiasticam jussit conscribi Anno 1565. Cui & A. 1568. Illustris & Generosissimus & æterna laude dignissimus D. Arnoldus Come

A Benthemicus, &c. p. m. non solum præter alios Principes & Comites Germaniæ subscripsit: Sed & eandem, paucissimis mutatis verbis in suis Comitatibus tribus a DEO T. O. M. concessis, & ut Illustribus & Generosissimis, sic Pietate, Doctrina & incredibilibus donis excellentissimis suis Filiis reliquit, Anno 1606. 11. Jan.

26. Inclytæ Reip. Noribergensis Leges Reformationis, Anno 1564. f. 82.

27. Celeberrimæ Genevensis Civitatis Leges Ecclesiasticæ, a Genere & Pietate Clarissimo &
C Consultiss. Viro D. Georgio Remo J. U. D. & Patricio Augustano, Anno 1593. in Germanicum sermonem translatæ, & Herbornæ impressæ per optimum & diligentiss. Typographum Christophorum Corvinum.

28. Quis igitur post tot *Cantores Lesbios* inflare ausit tibias? Fuerunt tamen, qui hanc tot summorum Virorum sententiam impugnarunt. Unde haud ita pridem Anno 1660. prodiit Ultrajecti Libellus, *Veritas secundum pietatem*, dictus, de Lusu Aleæ a Cl. Gulielmo Amesio lib. II. *Medullæ* cap. XI. solide defensa, & rursum ab impugnationibus THOMÆ
B GATTAKERI vindicata, Auctore Leonardo a Ryssen, Ecclesiaste Heusdano. Nos igitur Libello huic Coronidem imponimus Epigrammate Auctoris nostri inter schedas ipsius reperto; cujus Epigraphe:

IN TESSERA QUOT LATERA, TOT PATIBULA.

Quæris, cur facies bis monstret tessera ternas?
Scilicet in sese tot gerit illa cruces.
Ludentis prima est: Socium manet altera, rursum
Tertia spectantem; quarta docentis erit;
Quinta inventoris, sed Judicis ultima muti,
Qui cruce non subolem sustulit atque Patrem.

F I N I S.

CÆLIUS CALCAGNINUS
FERRARIENSIS, PROTONOTARIUS APOSTOLICUS,

DE

TALORUM
AC TESSERARUM
ET CALCULORUM LUDIS,
EX MORE VETERUM,

IN GRATIAM LILII GREGORII GYRALDI.

HABES hic, Benigne Lector, Cælii Calcagnini Libellum DE TALORUM, TESSERARUM, ac CALCULORUM LUDIS, digniſſimum ſane quem denuo prælo ſubjiciamus, noſtriſque *Antiquitatibus Græcis* inſeramus: tum propter illius præſtantiam, tum quod exemplaria ſint oppido rara. Non dubitamus quin acceptiſſimus tibi futurus ſit iſte libellus; quem ex Operibus ejus excerpſimus, ac ob materiæ ſimilitudinem egregie ab eo tractatæ, cæteris Tractatibus ejuſdem Argumenti ſubjunximus: iis quidem præmitti debuerat, ſed nimis ſero eum accepimus. Interim vale.

INDEX CAPITUM.

CÆLIUS CALCAGNINUS
FERRARIENSIS, PROTONOTARIUS APOSTOLICUS,
DE
TALORUM
AC TESSERARUM
ET CALCULORUM LUDIS,
EX MORE VETERUM,
IN GRATIAM LILII GREGORII GYRALDI.



UUM vita hominum eo ſit A condita temperamento, ut labori quies, quieti labor viciſſim ſuccedat: atque ita utrumque alternas vices commutet, ut neque animus aſſidua meditatione, neque corpus continuo labore frangatur: neque rurſus utrumque jugi deſidia torpeſcat: inde factum videmus, ut viri præſtantes & ad præclaras actiones inſtituti, poſtquam diuturnam operam publicis aut privatis rebus multa cum laude impenderunt, avocamenta quædam recreandi atque inſtaurandi animi gratia ſibi conquirant: amicorum puta, & coæqualium dulces collocutiones, mutuas invicem argutias plenas leporis, plenas ſuavitatis: quibus profecto incredibile eſt quantum animus noſter exhilareſcat, amiſſumque vigorem colligat. Quod ſi aut ætas aut corporis robur id patiatur, alii ſe pila, alii aucupiis, venationibus, palæſtris, excurſionibus, cæteriſque id genus pugnæ ſimulachris exercent: ut mox aptiores ad juſtas virtutis actiones revertantur. Quod ſi ea ſit ætas, aut corporis habitudo, aut temporum inclementia: ut neque acriores exercitationes conveniant, neque animus inquies diuturnam poſſit inertiam perferre, aut certe idoneus ſodalis abſit, qui cum jocari & animum molli affatu liceat oblectare, & graves curas diluere: tum reliqua invitamenta, lectionis puta, vel harmoniæ quam vel canendo vel pulſando excitaverimus, in ſatietatem abierint. Nulla enim res eſt, quæ magis animum expleat, quam ejuſdem perfunctionis paulo diutius continuata ſeries: nulla rurſus magis voluptates conciliat, quam temporibus & actionibus diſtincta varietas. Si hæc inquam, nobis defuerint, invenit ſibi mortalium induſtria mediam quandam oblectationum ſpeciem, qua neque corpus tabeſcat, neque animus hebetetur: habeatque laboris & quietis certum quoddam temperamentum, & quaſi cinnum neutrius expertem: vel ut ſatius dicam, utriuſque participem: ludos ſcilicet, quos ferme ſedentes exercemus: iis juvenes a laſſitudine recreantur: iis ſenes incommoda ſenectutis & longa ocia molliunt. Verba ſunt Ciceronis ex ſecundo *de Oratore*: homines labori aſſiduo, & quotidiano aſſueti, quum tempeſtatis cauſa opere prohibentur, ad pilam ſe, aut ad talos, aut ad teſſeras conferunt: aut etiam no- B vum ſibi ipſi aliquem excogitant in ocio ludum. Sic Palamedem & Pyrrhum accepimus caſtrenſes quoſdam ludos inveniſſe: quibus dum ceſſarent a gravioribus curis, eſſentque induciæ a militari opere, animum familiariter laxarent. Sic Auguſtum Cæſarem, ſic Q. Mutium Scævolam accepimus: illum imperii onus, hunc laborem reſpondendi ſuis civibus de jure levaſſe: quæ oblectatio tantum abeſt ut feriis actionibus obſtreperet, ut multo poſtmodum paratiores, vegetioreſque ad operoſas actiones, & maxima quæque redirent negotia. Sciebant enim a ſe ludos exerceri: eoſque ludicre & intra mo- C dum exercebant. Quod ſi ludi hac ætate apud pleroſque infamia laborant, id non magis ludorum culpa evenit, quam eorum qui ludos & immodice, & non tanquam ludos, verum quaſi ſeria meditantur. Ii ſunt ſcilicet qui (ut proverbio dicitur) neſciunt manum tollere de tabula, ϗ τὸ ἔργον ὡς πάρεργον, ϗ τὸ πάρεργον ὡς ἔργον ἀπεργάζονται. Non defuerunt tamen homines ſeverioris vitæ profeſſores, qui omnes promiſcue ludos averſarentur. Qualis Xenophanes, qui ab Hermioneo provocatus, ut vellet una συγκυβεύειν, id eſt *teſſeris ludere*, excuſa-

tionem attulit asseverans se πάνυ δειλὸν, πρὸς τὰ αἰσχρὰ καὶ ἄτολμον, id est, *timidum ac diffidentem ad ea quæ forent turpia*. ceu vero in censum turpium ludus tesserarum esset referendus. Lydos nationem olim fortem atque invictam ludos invenisse memoriæ proditum est: hinc Deum Lydium religiose cultum apud Veteres accepimus, quem alii Lysium a solvendis curis maluerunt appellare. Eos vero a Lydis ad Græcos persluxisse legimus, mox a Græcis ad Romanos: quorum semper ingenia ea fuerunt facultate prædita, ut seria æque ac joca pari studio ac laude amplecterentur.

CAP. I.

DE TALIS.

Ex ludis vero, quos frequentes exercuit antiquitas, tres olim magno fuerunt in ambitu: talus scilicet, tessera, & calculus: quos facile sit studiosis agnoscere, & quantum inter se differant intelligere, si modo scriptores veteres non negligenter adeant, neque sinant se aliquorum persuasione in transversum rapi: quando multos animadvertimus celebri nomine viros ita fœde lapsos, ut talum tesseræ, & utrique calculum improbe nimis ac licenter commiscuerint. Quam nos caliginem detergere posse speramus, si ea quæ apud receptos conditores annotavimus, in unum quasi acervum conferamus. Erit ea res, nisi nos fallit æstimatio, ad vetustatis mores agnoscendos opportuna; ad eruditionem vero & clarissimorum quorundam scriptorum obscuritates illustrandas imprimis accommodata. Talum eum esse apud Latinos, quem Græci vocant astragalum, ita certum est, ut vix probatione indigeat. Sic certe viri clarissimi uno consensu id vocabulum in Latinitatem verterunt. Plinius *lib.* XXXIIII. ubi de Polycleto verba facit, *Fecit*, inquit, *& distinguentem se, & nudum telo incessentem, duosque pueros item nudos talis ludentes; qui vocantur astragalizontes, & sunt in Titi Imperatoris atrio, quo opere nihil absolutius plerique judicant*. Sed & quæ deinceps afferemus, hoc ita planum facient, ut nullus plane dubitationi locus relinquatur. Est autem talus proprie bisulcorum in suffragine pedum posteriorum officulum, non rotundum plane, sed rotunditatis tamen parte magna particeps, etsi vero bisulca pleraque talum habeant, non habent tamen omnia. Quin & nonnulla quæ minime bisulca sunt, talo tamen a natura honestantur. Nam & leoni talum tribuunt sane tortuosum & in morem Labyrinthi convolutum, ut Aristoteles testatur. Ad cujus imitationem talarii magistri talum lusorium effinxerunt. Ita enim ea Aristotelis verba interpretamur: ὁ δὲ λέων οἷόν περ πλάττουσι λαβυρινθῶδες. *Leo contortum habet & implicatum, qualem formant vulgo & affingunt*. Sex vero sunt tali latera: etsi quatuor tantum in usu ludentium sint. nam duo sunt ita incurva, ut illis talus vix possit consistere: has κεραίας, id est, *antennas* videtur Aristoteles appellasse. Proinde scitum est in talo Binarium & Quinarium, qui duo numeri sunt in tesseris oppositi, desiderari. Ex reliquis quatuor tali partibus, una supina, altera prona dicitur: quæ duæ ternarii & quaternarii vices obeunt. Unitas autem & senio, duabus reliquis partibus Chium vocabant. De quibus mox commodius & cumulatius dicemus, testimoniisque receptissimorum utemur, ut res omnibus certior fiat atque testatior. Quæ omnia modo a me dicta non puto me commodius posse approbare: quam si ea autoritate Aristotelis subsignavero, cujus verba sunt ex secundo, *de Animalibus*, libro: Ἀστράγαλον δὲ ὁ Ἰνδικὸς ὄνος ἔχει τῶν μωνύχων μόνος. ἡ γὰρ ὗς ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον, ἐπαμφοτερίζει. διὸ καὶ οὐκ ἔχει ἀστράγαλον. τῶν δὲ διχηλῶν πολλὰ ἔχει ἀστράγαλον, πολυσχιδὲς δὲ οὐθὲν ὥσπερ ἔχον ἀστράγαλον, ὥσπερ οὐδ᾽ ἄνθρωπος. ἀλλὰ ἡ μὲν λύγξ ὅμοιον ἡμιαστραγάλῳ, ὁ δὲ λέων οἷόν περ πλάττουσι λαβυρινθῶδες. πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον ἐν τοῖς ὄπισθεν ἔχει σκέλεσιν. ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ᾽ ὕπτιον εἴσω. Quæ ita Plinius ferme ad verbum interpretatur libro *Naturalis Historiæ* XI. *Talos asinus Indicus unus solidipedum habet. Nam sues ex utroque genere existimantur: ideo fœdi earum. Hominem qui existimarunt habere facile convicti. Lynx tantum digitos habentium simile quiddam talo habet, Leo etiamnum tortuosos. talus autem rectus est in articulo pedis, ventre eminens, concavo in vertebra ligatus*. Hæc Plinius. Theodorus autem: *Talum etiam asinus ille Indicus solus in solidipedum genere possidet, sus enim (ut modo dixi) ambiguus est; quo fit etiam ut talo non careat probiore. Permulta ex bisulcorum numero talum habent. At vero multifidum nullum adhuc talum ejusmodi habere, congnitum est: ut nec hominem certum est. sed Lynci semitalo simile quiddam, leoni autem tortuosum in anfractu est, qualem effingunt. omnia vero quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus continent: ita ut erectus in suffragine parte sui prona foras, supina introrsum spectet*. Illud notandum in his verbis, quod Aristoteles negat sues talum habere, quod inter solidipeda & bisulca ambigant: quando alii pede solido, alii bifido reperiantur. Plinius talos habere affirmat, sed fœdos. Quem locum Theodorus nisi lectio fallit, multo turpius pervertit, cum dixit, *ut talo non careat probiore*: quom Aristoteles plane dicat, διὸ καὶ οὐκ ἔχει ἀστράγαλον. Apud Theodorum tamen puto negationem expungendam, ut sectatus Plinium videatur. Etsi utrumque putem ita posse defendi, quod vulgata Aristotelis lectio ulcerosa hodie habeatur; eique vox desit, quæ in sano olim codice legebatur ad hunc sane modum: διὸ καὶ καλὸν οὐκ ἔχει ἀστράγαλον. vel quod propius vero videri possit, pro ἀστράγαλον, καλὸν tantum legi oportere. ut hoc sentiam movet me, non solum duorum clarissimorum virorum autoritas, sed & ratio. Quom enim sues inter solida & bisulca ambigant, par fuit non omnino carere talo; sed talem habere, qui non utique talus foret, neque omnino longe a talo abesset: sed anceps foret, neque plane probus, neque legitimus: quod nemini sane mirum videri oportet, quom alioqui innumeris scateat mendis nova hæc impressio. Qualis ea quam in eorum verborum initio, quæ modo adscripta sunt, curavimus, ἀστράγαλον δὲ ὁ Ἰνδικὸς ὄνος ἔχει τῶν μωνύχων μόνος. Quom prius legeretur, τῶν ὀνυχῶν μόνον. Hominem vero talo carere hinc certum est, quod neque pedes habeat posteriores: & malleoli qui humano pedi inhærent, non in suffragine, sed in laterum vertebra, inserantur: quorum utrunque talum habentibus ab Aristotele tributum est. Non prætermittam illud quod mihi sæpe admirationem fecit: Galenum tantæ apud me autoritatis virum, ut nemini veterum philosophorum vel magnitudine ingenii, vel disciplinarum omnium cognitione inferiorem putem, in tertio ejus libri volumine quem περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων, conscripsit, constanter talum homini tribuere: & quod admirationem auget, de Aristotelis sententia nihil meminisse: cui tamen in eo libro solet frequenter magna cum libertate repugnare. talum autem sive astragalum adscribit humani pedis suffragini, medium scilicet inter tibiam & calcaneum: utpote cui tibia ac fibula, quæ duo a recentioribus illiterata voce focile majus & minus dicuntur, impacta sit: quom ipse πτέρνῃ, id est *calcaneo* incumbat: cujus finis ossi inferitur, quod a Græcis σκαφοειδὲς, a nostris *naviformæ* dicitur. Tria etiam hæc ossa posterioris pe-

dis parti adſcribuntur a Galeno, πτέρνη, ἀστράγαλος, καὶ σκαφοειδές. Sed neque illud diſſimulandum arbitror, hunc ipſum Galeni aſtragalum cum biſulcorum aſtragalo, quem unum Ariſtoteles probat, nihil omnino habere commune: nequis forte ſuſpicetur ab illius imagine nomen inveniſſe. Ad Ariſtotelem redeo, qui graphice admodum & enucleate nobis ſitum atque imagines talorum depingit *alio loco*: πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον, ἐν τοῖς ὄπισθεν ἔχει σκέλεσιν. ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω. Καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ἴσχια καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Quæ Theodorus ſic interpretatus eſt: *Omnia vero quibus datus eſt talus, cruribus eum poſterioribus continent: ita ut erectus in ſuffragine parte ſui prona foras, ſupina intus ſpectet: & quæ veneres vocantur, intus adverſæ ſibi poſitæ ſint: quæ canes foris, quæ antennæ ſupra habeantur. ſitus talorum omnium talis eſt.* Quem locum pariter cum Theodori translatione non fruſtra videmur ſuſpectum habere: neque enim ſatis exacte videntur tali partes omnes enumeratæ. Tum κῶλα nemo linguæ Græcæ candidatus, ne dicam Theodorus, *veneres* verterit: ut ſuſpicionem mihi aliquando fecerit, non κῶλα ſed κωλιάδα legiſſe. Sic enim Venerem Græci dixerunt: ſic Lucianus appellat in *Amoribus*, a templo ſcilicet quod in Colio Atticæ promontorio fuit, Strabone & Pauſania teſtibus: in qua ſententia video etiam Domitium fuiſſe Sed ne perſtem in ea opinione, faciunt verba quæ ſubſequuntur, & qui præcedit articulus, τὰ, & ἐντὸς ἐστραμμένα, quæ omnia vocem neutram expetunt. Quis præterea patiatur Theodorum ἴσχια *canes* vertentem? nam περὶ τῶν κεραιῶν, id eſt, *de antennis* neminem video aut Græcorum aut Latinorum meminiſſe. Quod ſi Pollucem autorem ſequamur, haud ſane difficile fuerit ejus loci caſtigationem explorare ait. Pollux: τὸ δὲ σχῆμα τοῦ κατὰ τὸν ἀστράγαλον πτώματος ἀριθμοῦ δόξαν εἶχεν. καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν καλεῖται κύων. τὸ δὲ ἀντικείμενον χιάς, καὶ χῖος ὅπως ὁ βόλος. δυὰς δὲ καὶ πέντας ἐν ἀστραγάλοις ὥσπερ ἐν κύβοις οὐκ ἔστιν. οἱ δὲ πλείστην μὲν ἑξίτην κῷον, τὴν δὲ κυνὰ χῖον, καλεῖσθαι λέγουσι. Hoc eſt, *Atqui forma caſus quod ad talum pertinet, numeri rationem habet: & qui monadem quidem ſignificabat, canis vocabatur. Illi vero oppoſitus chias, & jactus ipſe chius. nam binarius & quinarius in talis, veluti in teſſeris, non erat: etſi plures ſenionem Coum, canem vero Chium vocari aſſerant.* Ex his profecto commode conjici poteſt, apud Ariſtotelem non κῶλα, ſed κῷα: neque ἴσχια, ſed χῖα legendum eſſe, ut per chia unitatem, per coa ſenionem intelligas. Qui duo jactus proverbio locum dederunt de rebus inæqualibus adeo ac plurimum inter ſe differentibus: χῖος πρὸς κῷον. *Chius ad Coum*: quando altero minima ſumma, altero maxima notabatur. Hinc etiam eorum ſententia facile refelli poteſt, qui apud Ariſtotelem ea verba τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, ita ennarrant quaſi duæ forent veneres invicem oppoſitæ: quom mea quidem ſententia Ariſtoteles intelligat coa & chia oppoſitis lateribus obniti. Hoc enim fere apud Pollucem ſignificat, τὸ δὲ ἀντικείμενον χιάς. Hæc quæ ab Ariſtotele hauſimus, confirmantur maxime Euſtathii Homerici Interpretis teſtimonio: qui de his multo cumulatius verba facit, utpote qui juſtam prope de talis commentationem habeat. erit autem ad id quod agimus perquam accommodatum, ſi ex iis quæ ſunt apud eum autorem, partem multo maximam in medium attulerimus: ea ſunt in penultimo *Iliados* libro ſuper eo verſu adſcripta,

Νήπιος οὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Talarius ludus talis quatuor exercebatur, quorum quiſque lapſus quatuor habebat, non ſex, quemadmodum cubi ſeu teſſeræ. Sed omnes caſus talorum ex conſuetudine ludentium annumerati erant quinque & triginta, quorum quidam a Diis, alii ab Heroibus, alii a claris hominibus aut a meretricibus nomen accipiebant: nonnulli vero ab eventibus, qui cum laude aut probro acciderant, denominabantur. Inter eos enim caſus quidam Steſichorius dicebatur, quippe octonarium ſignificans: quod ſepulchum Steſichori, quod erat in Himera urbe Siciliæ, octo fuerit angulorum. Alius Euripidius, quippe quadraginta ſignificans. Nam Euripides unus fuiſſe traditur e quadraginta præfectis poſt triginta tyrannos Athenis expulſos. ex omnibus autem qui ſex continebat, κῷος dicebatur, & ἑξίτης qui Latine *ſenio* dici ſolet. Qui vero unum, χῖος dicebatur, & κύων, id eſt, *canis*. ex quo proverbium χῖος παραστὰς κῷον οὐκ ἐάσω, *Chius adſtans Coum non permittam*. Vel ut Stratides Comicus plenius ſcribit, χῖος παραστὰς κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν: *At Chius adſtans non ſinit Coum loqui*. De iis ſcilicet qui quom multo inferiores ſint, eos tamen, qui majores ſuperioreſque ſunt, compeſcunt. Ad quod videtur alluſiſſe Ariſtophanes ἐν Βατράχοις, de Theramene homine ambiguo & qui in duabus ſellis ſederet, atque ideo Cothurni cognomen adepto, loquens: quom inquit, πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν οὐ χῖος ἀλλὰ κεῖος ἢ κῷος. In eo enim bella eſt alluſio, quod Theramenem Chium fuiſſe accepimus. Illud mirari ſubit, quod quom de miſſibus eorumque nomenclatura ab Ariſtotele & Euſtathio atque Polluce tam locuples habita ſit mentio, eorum tamen nemo de celebri admodum ac felici jactu Veneris quicquam dixerit, quom alioqui in eo frequentes & aſſidui ſint ſcriptores, Plautus in *Aſinaria*, Act. 5. Sc. II.

—— *Hoc Venerium eſt.* (*date.*
Pueri, plaudite, & mihi ob jactum cantharo mulſum

Auguſti Epiſtolæ caput ad Tiberium extat apud Suetonium: *Luſimus, mi Tibori* γεροντικῶς *heri & hodie. Talis jactatis ut quiſque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat: quos tollebat univerſos qui Venerem jacerat.* Eſt & adagium illud antiquis frequens, quo Themiſtius utitur in libello *de divinatione per ſomnium* ex Barbari interpretatione:

Si ſæpe jactaveris, aliquando Venerem jacies.

Sed enim dignum ſcitu eſt, Venerem non unius tali faciem fuiſſe, ut canis & ſenio: id quod pleroſque crediſſe hactenus præter unum Nicolaum Leonicum virum doctum & eloquentem video, cujus dialogi aliquot exiere, poſtquam hæc commentatio jam abſoluta apud nos ſanciebatur. Id quod ex Epiſtola Auguſti facile colligere potuerunt, in qua ſenio a Venere nuncupatim ſeparatur. Sed quoties tali quatuor ita excidebant, ut diverſa eſſet omnibus facies: qui jactus inter eos, quos quinque & triginta Euſtathius dixit, ultimus numerabatur: tum felix ille caſus, qui Veneris nomine cenſebatur, affulgebat. Oſtendit id Cicero in primo *de Divinatione*, ſententiam Ariſtotelis mutuatus, quam ex ejus metaphraſte Themiſtio modo attulimus: Itane vero quicquam poteſt eſſe caſu factum, quod omnes habet in ſe numeros veritatis? quatuor tali jacti venerium efficiunt: num etiam centum venerios, ſi quadringentos talos jeceris, caſu futuros putas? ſed Lucianus Samoſatenus in eo dialogo cui Ἔρωτες, id eſt, *Amores* titulum fecit, omnem plane dubitationem diſcutit. ejus verba ſunt: Τῇ δὲ τραπέζῃ τέτταρας ἀστραγάλους Λιβυκῆς δορκάδος ἀπαριθμήσας διεπέττευε τὴν ἐλπίδα. καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν ἀποβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι, προσεκύνει τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. εἰ δ' ὁποῖα φιλεῖ, φαύλως κατὰ τῆς τραπέζης ῥίψειεν, οὐδ' ἐπὶ τὸ δυσφημότερον ἀναστὰς, ὅλῃ Κνίδῳ καταρώμενος, ὡς ἐπ' ἀνηκέστῳ συμφορᾷ, καὶ κατηφεῖ. καὶ δι' ὀλίγου συναρπάσας, ἑτέρῳ βόλῳ τὴν πρὶν ἀστοχίαν ἐθεράπευεν. *Quatuor talos Libycæ capreæ*

in mensam denumerando, lusu spem experiebatur. Ac quoties jecerat id quod intendebat, maxime si quando Deam ipsam fœliciore jactu sortitus erat, nullo talo pari figura cadente, adorabat eam, sperans se id esse consequuturum quod expetebat. Sin autem, uti solet, male per mensam jecisset, & tali in pejoris ominis partem surrexissent, toti Gnido male precabatur, quasi ob immedicabilem, funestamque cladem: & paulo post correptis illis, alio jactu priorem errorem emendabat. Loquitur scilicet Lucianus de eo adolescente, qui in statuam Veneris Cnidiæ opus Praxitelis perdito amore insaniebat. Eumque testatur frequenter talos quatuor Libyssæ dorcadis in spem voti supra tabulam jactasse: qui pro sententia jaciens, tum imprimis, si quando deam ipsam jactasset, nullo videlicet talo in eandem faciem obverso, pronus deam adorabat: ita conjectans, se voti compotem futurum. Quod si ut plerumque fit, perverse atque infeliciter in mensam jecisset, tristemque illi faciem obvertissent, universam Cnidum execrabatur, ceu in magnam calamitatem incidisset: & mox eosdem arripiens altero jactu male captam conjecturam farcire nitebatur. In hanc ferme sententiam exiit illud Propertianum:

Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
Semper damnosi subsiliere canes.

Ex iis quæ a nobis allata sunt, nemo jam, puto, dubitabit, quæ sit sententia in eo disticho quod apud Martialem *l.* XIV. *ep.* XIV. scriptum est, & quin plane ad jactum venerium sit referendum:

Quom steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Sed enim jactu venerio quod lætissimus foret, Archiposiam, id est, in compotatione principatum, fortiebantur Veteres. hoc est quod Horatius dixit, lib. I. *Carm. od.* IV.

Nec regna vini sortiere talis.

Et *lib.* II. *od.* VII.

—— Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi. ——

Arbitrum enim bibendi vocat, quem prisci modimperatorem dicebant. quo loco Acron Interpres alioqui primi nominis, talis tesseras confundit. Quatuor talos consuetos in talario ludo ex Eustathii sententia diximus, in quibus missus quinque supra triginta numerabant: quatuor scilicet simplices eadem omnes facie, geminatos duodeviginti, triplices XII. unum vero quadriformem ultimum omnium, utpote quo nullus numerosius accrevit. Unde facile est Acronis locum castigare, qui venerio jactu tricenarium numerum contineri tradidit, quom quinarium & tricenarium plane sit substituendum. Non tamen eum talorum numerum perpetuum fuisse existimamus. siquidem pro ludorum diversitate numerus commutabatur: erantque interdum plures paucioresve astragali, ad quod videtur Aristoteles allusisse in libro περὶ τῶ ὀρανῶ. Ἐςὶ ϡ τὸ κατορθῶν χαλεπὸν ἢ τὸ πολλὰ ἢ τὸ πολλάκις, οἷον πολλὺς ἀςραγάλυς κώυς βαλεῖν ἀμήχανον, ἀλλ' ἕνα ἢ δύο ῥᾳόν. *Exacte agere difficile est vel multa vel frequenter, sicut & multos tales Coos, id est, seniones jacere perquam arduum, unum aut duos facile.* Quin & ipsos interdum astragalos in præmium cessisse victori constat. Sic certe locum Homeri in penultimo *Iliados* conditores aliquot primi nominis exposuisse video:

Εὖ τέμε τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Οπόεντος
Ηγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
Ηματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Αμφιδάμαντος
Νήπιος ὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀςραγάλοισι χολωθείς.

Verba sunt umbræ Patrocli per quietem Achillem appellantis: quæ sic interpretari potes:

Quom me etiam puerum ex Opoente Menœtius ad vos
Duxit funesta & crudeli cæde madentem,
Qua primum luce occidi natum Amphidamantis

A *Et puer & nolens, ad talos percitus ira.*

Idem hoc testatur Lucianus in dialogo quodam *Jovis & Ganymedis.* ἔχεις κἀνταῦθα τοὶ συμπεξόμενόν σοι τῦτον ἔρωτα. κὶ ἀςραγάλυς μάλα πολλύς. *Habes & hic Amorem hunc qui tecum colludet, & astragalos large multos.* Idem ostendit Apollonius in tertio *Argonauticon* de Cupidine & Ganymede simul talis ludentibus.

Αμφ' ἀςραγάλοισι δὲ τώγε
Χρυσείοις ἅτε κῦροι ὁμήθεες ἑψιόωντο.
Καὶ ῥομλὼ ἤδη πάμπαν ἐνίπλεον ᾧ ὑπὸ μαζῷ
Μαργὸς ἔρως λαιῆς ὑπίσχανε χειρὸς ἀγορῶ
Ορθὸς ἐφεςιώς.

B *Aureolos ad taxillos ludebat uterque,*
Ceu ludunt juvenes allecti moribus iisdem.
Ipse autem plenosque sinus plenasque papillas
Servabat vesanus Amor, nixusque sinistra
Astabat rectus.

Et mox de Ganymede in ludo succumbente.

Δοίω δ' ἔχεν ἄλλον ἔτ' αὔτως
Αλλω ἐπιπροϊεὶς, κεχόλωτο δὲ καγχαλόωντι.
Καὶ μὲν τούσγε παρασσον ἐπὶ προτέροισιν ὀλέσσας,
Βῆ κενεαῖς σὺν χέρσιν ἀμήχανος.

Quomque duo tali superessent: illum atque illum
Ex æquo superinjiciens iratus Amori
C *Multa cachinnanti serie deperdidit una:*
Et vacuis demum manibus subtristis abibat.

Ex quo carmine agnoscimus tum multos fuisse talos, tum etiam in præmium cessisse victori. Nam locutio illa ἀμφ' ἀςραγάλοισι, tam ad ludendi caussam, quam instituta referri potest. Hunc autem locum Apollonii commode æmulatus est, & expressit Philostratus Junior in ea pictura cui titulum fecit ἀθύροντες, id est, *lusores:* quam non pigebit ex nostra interpretatione huc transscribere. *Ludentes illi in atrio Jovis, Amor puto & Ganymedes: siquidem hunc ex tiara, hunc ab arcu & pennis, cognosci licet. Atqui ludunt astragalis. & Amor quidem ad illudendum &* D *ad fastum pictus est, & plenum victoriæ sinum succutit: is vero duobus adhuc reliquis tantum astragalis, & hunc quoque ipsum perdidit, & illum in eandem spem jacit. hinc tristes genæ: & ille oculorum splendor, & si multum habeat suavitatis, profundum tamen dolorem præsefert. En & deæ tres illis præsto sunt, quæ interpretatione non egent. Nam quisquis aspexerit, illam facile Palladem esse intelliget, cognata (ut ajunt poetæ) armatura indutam, & glaucis sub casside oculis: cui virilis aspectus, orisque habitus, & genæ rubentes. At illa rursus dulcem risum sub cesti illicio vel de pictura exprimit. At tertiam Junonem esse tum dignitas, tum species plane regia profitetur. Sed* E *quid volunt sibi? quæve huc impulit necessitas? Argo quinquaginta illos heroas vehens intravit Phasidem, superavitque Bosphorum, & Symplegadas. Viden' fluvium ipsum profunda in arundine jacentem, truci aspectu, coma hispida atque arrecta, horrida item barba, & oculis colore glauco perfusis? Fluminis vero exuberantia non uno ab ore erumpit, ut mos est: sed undecunque restagnat, ut hinc facile intelligamus quantus exundet in pontum. Hujus vero navigationis præmium, puto, & tu audisti, sed ex poetis vellus illud aureum celebrantibus: qui Argo etiam πασιμελῦσαν, ex Homeri cantilena nuncuparunt, ceu tu omnicuram dixeris, quod de ea Dii omnes curam habeant. Sed Argo-* F *nautæ muneri suo quisque intendit, deæ vero oratum veniunt, quærentes scilicet Medeam Aeetæ filiam ad navigantium salutem sibi sociam adjungere. In cujus operæ præmium mater pilam filio pollicetur, quam fuisse Jovis lusum asserit. An non ejus artificium de pictura colligis? ipsa quidem aurea futura, qualis intelligi magis quam perspici possit. capreoli cyanei in ejus excursant ambitu. emissa vero lumen jaculatur, quale astrorum radios imitatur. Hæc ille audiens astragalos nihil moratur: quin ipsos in terram abjiciens parentis peplo manum injicit, obsecrans sibi promissa præstari.*

Neque enim tantæ in spem mercedis hoc certamen recusarit. Hæc Philostratus. Ex iis quæ diximus facile constare potest, talos æque pueris ac senibus fuisse in deliciis, pueris tamen imprimis. Hinc Juno apud Lucianum in quodam cælesti dialogo exprobrat Jovi quasi grave crimen, non solum quod cum Ganymede ludat, sed quod ludat astragalis. Hinc Lysander Lacedæmonius jactabat, pueros astragalis, viros jurejurando circumscribi oportere. Monumentis Veterum traditum est, Demetrium regem Syriæ a Phraate rege Parthorum, in cujus manus venerat, talis aureis ignominiæ causa donatum fuisse: quod fugiens aliquoties retractus esset ex fuga. Quintilianus clarissimi oratoris affert exemplum, qui pueris in epilogum productis talos jecit in medium: quos illi diripere cœperunt. Nec tamen in re ludicra solum, sed & in seriis etiam actionibus constat Veteres talos exercuisse. Nam in agro Burensium (ea gens est Achaica) fanum est Herculis, autore Pausania, in quo ex talis & abaco rerum agundarum captant augurium hoc modo. Consulturus deo primum supplicat, tum precibus rite peractis, talos quatuor, quorum apud deum magna copia est, in mensam jactat: jactorumque situm & figuram accurate perspicit: in singulis autem talis figuræ inscriptæ certam interpretationem in ipsa habent tabella. Hinc fata conjectant. Fuit & in agro Patavino oraculum, quod Geryonis appellabant: nisi Tranquilli codex sit maculosus. Nec enim desunt codices in quibus non *Geryonis*, sed *regionis* scribitur. In quo eum morem fuisse accepimus, ut tali in Aponi fontem jacerentur: & pro numeri magnitudine felicitatem infelicitatemve augurarentur. certe quom Tiberius super imperio oraculum scitaretur, aureosque talos in fontem jactasset, evenit ut summum numerum ab eo jacti ostenderent, & adhuc Tranquilli temporibus tali illi in fonte videbantur.

Nonnulli produntur eximiam adeo operam huic ludo impendisse, ut & nomen nacti sint apud posteros. Nam & Curium elegantius quam oporteret talis lusisse tradidit antiquitas: de quo versiculus ille prodiit, quem apud Pedianum legimus:

Et talis Curius pereruditus.

Quem puto orationibus & epistolis Ciceronis exagitatum, utpote in ludo talario sodalem Antonii: quem quotidie fortunæ aleam adiisse, non sine morsu taxavit. Celebrat idem Cicero Titium nescio quem, pila, Brullam talis egregie ludentem, libro tertio *de Oratore*. Cæterum in universum, ludere astragalis Græci ἀςραγαλίζειν ϰ̀ ἀςρίζειν, dixerunt. Privatim autem dictum est ἁρπάζειν ἀςραγάλυς ἐϰ φορμίσϰων ϰατερομένυς ἐν τῷ ἀποδυτηρίῳ τὺς παῖδας, id est, *pueros in spoliatorio ex sportulis rapere astragalos*. Astragalos autem, quos alii ἀςρίας, Aristophanes etiam ἀςρίχυς vocat, id est, talos, plane rotundos negavimus, perfecta scilicet & absoluta rotunditate, sed parte sui leviter pressa. Negamus & quadratos, quales tesseræ: id res ipsa indicat: ossiculum scilicet in posteriorum pedum articulo bisulcorum animalium plerumque positum est. alioqui hoc nomen apud Græcos polysemum, Nam & os juguli, sive juncturam ipsam significat Homero in XI. *Odysseæ* de Elpenore, qui lapsu scalarum concidit:

Ἐϰ δὲ μοὶ αὐχλὼ ἀςραγάλων ἐάγη.

At mihi lapso fractus ad astragalos jugulus.

Est & herba astragalus a semirotunda radice sic appellata, de qua Dioscorides l. IV. *Sylvæ Medicæ*, & Plinius l. VI. & XX. *Naturalis Historiæ*. Scriptum quoque est in Sacris Literis, Balthasarem filium Nabuchodonosor in cœna recumbentem ex adverso pariete vidisse manus humanæ astragalum scribentem Hebræis literis. Quas ita Daniel interpretatus est: *astragalus quem vides viventis dei manus est: ea scripsit regnum tuum permensum iri, finemque*

A *proxime accepturum. Id audiens Balthasar consternatus est*. Nec sane multo post a Dario Medorum rege expugnatus est. quem locum ex Daniele suppresso autoris nomine Suidas adduxit. Annumeratur & astragalus inter columnarum ornamenta a Vitruvio. Hæc tamen omnia significata deducta sunt ex eo, quod astragalus talum pedis significat, περὰ τὸ ἀςραβῆ ϰ̀ ὀρθὼ φυλάττειν τὼ βάσιν. *quod muniat & rectam servet basem corporis*, id est, pedes. ἢ ὁ μὴ πρὸς τὸ μένειν ϰ̀ ἑςάναι γεγονὼς, ἀλλὰ πρὸς τὸ ϰινεῖσθαι, ἀςάγαλος τὶ ὤν, ϰ̀ πλεονασμῷ τῦ ρ. ἀςράγαλος. *Vel quod non ad manendum neque standum a natura institutus, sed ad motum, quasi astagalus, & additione*
B *literæ r. astragalus*. Alii astragalum dici volunt quasi astrum: quod ita suffragini pedis insertus sit, ut astrum cœlo. Philosophorum enim clarissimi astrum ceu nodum quendam cælesti absidi affixum voluere. Talum vero a Latinis dictum contendunt, quod τηλόθεν jaciatur: vel quasi telum, quod posterioribus pedibus vice teli quædam talo prædita utantur. Nam & Plinius ait, ea quæ cornigera non sunt, ungula pro telo uti. Plautus in *Curculione* Act. II. Sc. III. talos vulturios appellavit:

Tace, inquit, *parumper. jacit vulturios quatuor:*
Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem.
C *Jacto basilicum*. ——

Quo loco almam nutricem, Venerem puto. vulturii autem videntur appellati, vel a rapacitate, vel a fæcunditate, quod id animal foret naturæ symbolum Ægyptiis. Ad summovendas vero aleatorum fraudes, qui subdola manu uti callent, institutum est, ut in conditorio, seu tu pyxidem mavis appellare, repositi tali promerentur in abacum: id conditorium Persius orcam sumpta ex monstro marino translatione appellavit. Sic & Pomponius poeta Bononiensis: *Dum contemplor*, inquit, *orcam, taxillos perdidi*. Horatius Græca nuncupatione πύργον, quam Martialis turriculam, cujus carmen est
D *lib.* XIV. *epigr.* XVI.

Quærit compositos manus improba mittere talos,
Si per me mittit, nil nisi vota facit.

Erat & is ludus de quo Augustus meminit, quom jacto cane aut senione quisque in singulos talos conferebat denarium: quos omnes auferebat qui Venerem jecerat. Sed & illud sæpe usu veniebat, ut cui canis allatraverat, certam summam in medium daret: eam tolleret cui senio addixisset. Hinc poeta dextrum senionem, damnosam caniculam, vocavit. Quod si quis utrumque pariter jactasset, fiebat compensatio, (ut ajunt) Cajus ad Cajam. ea res
E locum dedit proverbio, quod paulo ante ex Eustathio attulimus, χῖος παραςὰς ϰῶον ὐϰ ἐᾷ λέγειν. Erant & aliquot alii ludi ad exercitationem talariam pertinentes, quibus Pollux testimonium reddit, qualis ille quem ἀρτιάζειν, id est, *coaptare*, vel *adæquare*, nuncupabant. Nam astragalorum multitudinem manibus obtegentes divinandum proponebant, pares essent an impares: quod fabis item & amygdalis, sed & argento aliisque id genus interdum factitabant, qui talos non habebant: quod & Aristophanes testatur in *Pluto*. Alius fuit, quem
F εἰς ἄμιλλαν, id est, in *certamen contentionemve* dixerunt. est enim ἄμιλλα, φιλονειϰία, πόλεμος, ἀγών. is hoc pacto exercebatur. Circulum ducentes, talum jaciebant, conjectantes an missus in circulo hæreret, an extra prolaberetur. Qui felicius conjectura usus fuerat, victor salutabatur. hoc hodie nostrates quoque pueri uti solent, pro talo lapillum aut nummum jacientes. Alioqui pari fere exemplo in præscripto circulo coturnicem statuebant. Tum alter eam digito percutiebat: alter in adversum nitebatur illam intra circulum continere. Quod ni fecisset, coturnicis Dominus succumbebat. Ludum alium τρόπαν vocabant, ceu tu *obversionem* dixeris.

hic quoque ut plurimum astragalis exercebatur: quos jactantes diligenter scrobem observabant, qua jactati exciperentur. Ad hunc acylis, id est, ilignis, aliisque id genus glandibus frequenter vice astragalorum utebantur. Ad hunc ludum videtur spectasse, qui carmen illud cecinit in Idylio *de Nuce*:

Vas quoque sæpe cavum spatio distante locatur,
In quod missa levi nux cadat una manu.

Hi sunt ferme ludi talarii, de quibus mentionem habitam apud Veteres inveni: qui ætate nostra prope desiti sunt, quantum ego in regione nostra observavi, alioqui deliciarum voluptatumque omnium tenacissima.

CAP. II.

DE TESSERIS.

NON facile est judicare an tali an tesseræ plus habuerint celebritatis in antiquitate: sane de utrisque crebra mentio est apud Veteres. Sed de talis hactenus, nunc de tesseris agendum. Tesseras invenit Palamedes, quos Græce cubos appellari constat: eosque quorum ille inventor fuisse dicitur, in vetustissimo Fortunæ fano asservatos dicatosque ultra Nemæum Jovem scribit Pausanias in *Corinthiacis*. Lydos in caritate annonæ alternis diebus cibum sumere, & interim tesseris vacare, autor Plutarchus. Quid quod in sacris Romanorum indigitamentis traditum est, rege Anco Marcio, æditiuum Herculis aliquando ociosum per ferias, deum tesseris ad ludum provocasse: ipsumque utriusque munus subiisse, ea proposita conditione, ut victus cœna scortoque multaretur. Mox quom victoria penes Herculem stetisset, ab æditiuo Accam Laurentiam nobile ea tempestate scortum ad deum perductam, non sine cœna ipso plane digna Hercule. Sed & apud externos reges tesseras magna fuisse in æstimatione, atque a Romanis ducibus triumphatas memorabile est. Plinius l. ult. *Natur. Hist.* ex Pompeii triumphorum actis: *Pridie Calendas Octobris die natalis sui transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor.* Quin & Terentius in *Adelphis* Act. IV. Sc. VII. vitam mortalium tesseris comparavit:

Ita vita est, inquit, *hominum, quasi quom ludas tesseris:*
Si illud maxime quod est opus jactu, non cadit:
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Fecit hæc ludi celebritas atque assiduitas, ut licet alea in universum ad ludos omneis fortuitos & plenos discriminis referatur, signate tamen ac privatim ad tesseras pertineat. Sane Latinam illam Cæsaris acclamationem, *jacta est alea*, Plutarchus Græce vertit, *πᾶς ἀνεῤῥίφθω κύβος*, hoc est, *jacta sit omnis tessera*. Sic illud Juvenalis *Sat.* VIII.

—— Tibi luditur alea pernox
Ante Numantinos.

Quod me judice ad tesseram referri opus est. Sic illud de Nerone accipio apud Tranquillum: *Quadringentis in punctum H. S. aleam lusit.* Quæ summa nostro ære quinque & viginti millibus aureorum computabitur. Hoc est quod Cicero conqueritur in *Antonianis*, Licinium Lenticulam condemnatum de alea restitutum ab Antonio. Hæc est alea legibus interdicta, ut ait Horatius, in Saturnalibus tamen permissa. hoc est enim quod ait Martialis, *l.* XIV. *epigr.* I.

Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Quom videat gelidos jam prope verna lacus.

Cæterum tesseram eam esse quam *κύβον* Græci vocant, certum est: etsi Domitius vir proximo seculo doctissimus, Gallii & Sexti Pompeii autoritati obsistere ausus, tesseram a Græcis *κύβον* dici pernegarit: quom ea tamen sit etiamnum Macrobii, Vitruvii, Varronis sententia. Varronis enim verba sunt apud Censorinum in *Die natali* relata: *κύβος* est figura ex omni latere quadrata: quales sunt tesseræ, quibus in alveolo luditur; ex quo ipsæ appellatæ *κύβοι*. Quæ Vitruvius prope ad verbum videtur mutuatus l. V. *Architecturæ*: Cubus est corpus ex sex lateribus æquali latitudine planicierum per quadratum. is quom est jactus, quam in partem incubuit, dum est intactus, immotam habet stationem: uti sunt etiam tesseræ, quas in alveo ludentes jaciunt: ex quo & quadrantalia etiam dicta sunt, teste Gellio. Qua causa amphoræ quadrantalis nomen invenit, utpote quam Veteres cubi forma exprimebant, quaternis scilicet angulis, & pedali undecunque amplitudine, ut fiat in sex latera sessilis forma. Continebat autem amphora octo & quadraginta sextarios rerum humidarum, vini puta & olei: quom medimnus contra siccis, tritico puta vel hordeo impleretur. ex quo illud Ausonii in *Gripho terrario* facile agnoscas.

Est Bromii quadrantal, & est Sicana medimna.

Hæc fuit amphoræ quantitas: quæ ne facile ab iis qui annonam flagellant corrumpi posset, ab antiquis diligenter in Capitolio asservabatur. Hoc scilicet quod apud Julium Capitolinum legimus: *Maximinum Imperatorem persæpe una die amphoram unam Capitolinam hausisse.* quam nonnulli putant fuisse cæteris capaciorem: ego justam & suæ plane mensuræ interpretor. Tesseræ autem quadrantalis nomen inditum puto, non quod quadrata sit quatuor undique partibus inclusa: ut aliqui falso censuerunt: sed quod ex omni parte (sex autem partes sunt) abacum habeat tetragonum: hoc est, quatuor angulis exæquatum. In tesseris autem sex lapsus fuisse, sic enim interpretari lubet quæ Græci *πτώματα* nuncupant, & nos superius diximus, & Eustathium autorem habemus: *In tesseris*, inquit, *per septenarium numerum contraria semper constituitur oppositio: nam utcunque constiterit tessera, septem sibi puncta perpetuo opponuntur: sex uni, tribus quatuor, duobus quinque opposita. Quæ oppositio in solis cubis habetur, quippe superficies sex habentibus.* Verum quom ad talariam pugnam quatuor plerunque tali decertarent, in tesserariam duæ tresve ad summum tesseræ congrediebantur. De duabus meminit Martialis, *lib.* XIV. *epigr.* XVII.

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.

Nam quom in altera atque altera forent sex puncta, punctorum duodecim summa reddebatur. Sane & hodie duabus tantum utimur in eo ludo, quem *speraimum* a spe jactus vocitamus. Tribus autem usos Veteres frequentius, Græcorum proverbium ostendit: *ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι*: quo nunc maxima summa, nunc minima, significari creditur. Per tres enim cubos meras unitates indicant, qui minimus est in tesseris numerus: per sex maximam summam, quæ ternis constat senariis. De hoc ita scribit Hesychius: *ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπιτυγχανόντων ἢ ἀποτυγχανόντων. πάλαι γὰρ τρισὶ ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδιὰς κύβοις, καὶ οὐχ ὡς οἱ νῦν δύο.* *Proverbium scilicet fuisse de iis, quæ feliciter aut infeliciter evenissent. Antiquitus enim tres fuisse tesseras in usu ludentium constat, non duas, ut ferme nostro seculo consuetum est.* Hæc eadem prope ad verbum referuntur in proverbiis Græcorum, ex autoritate Pherecratis. Tribus sed enim tesseris & hodie nostrates utuntur in eo ludo, quem *speraimum* ex eadem causa vocitant. Quoniam itaque duabus tribusve tesseris, IV. autem ad minimum talis, contendebatur in acie lusoria, hinc a Martiale illud exiit, *lib.* XIV. *ep.* XV.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Major quam talis, alea sæpe mihi.

Video interim pro tesseris numeros Ovidium posuisse, ceu in secundo *Artis*:

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos,
Tu male jactato, tu bene jacta dato.

Et illud ex *lib.* III.

Et modo tres jactet numeros, modo cogitet apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Tesseris vero conformandis materiam fuisse ebur ex proximo Ovidii versiculo cognoscimus. Sed & ex eadem constitisse materia talos, illud Martialis ostendit, *lib.* XIII. *epigr.* I.

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Adde exemplum ænigmatis, quod apud Diomedem ad talos & tesseras ambiguum est. *In campo*, inquit, *ligneo, ubi mare concretum, humana caro ex ossibus ludebat.* Nam ebur alii dentem, alii os elephantis putaverunt. Alioqui non me fugit, a Plinio *libro* XVI. tradi ligustra commodissima tesseris: etsi non desint qui ad frumentariam vel castrensem tesseram quam ad lusoriam id referri malint. Campum autem in quo tesseraria pugna exercebatur, ab antiquis nunc abacum, nunc alveolum, nunc tabulam lusoriam, modo πλινθίον, sed & fritillum appellatum video: reclamantibus licet grammaticis, qui ex autoritate Porphyrionis, non ad tesserarium ludum, sed talorum fritillum pertinere arbitrantur: ut idem sit cum turricula instrumentum. Sed ut ego in diversum abeam, tum alia suadent, tum illa ex *Ludo Claudii* carmina: seu eorum autor Seneca, ut titulus præfert, seu quisque alius: quam sane doctum & antiquum fuisse nemo inficiatur. Ea sunt:

Nam quoties missurus erat resonante fritillo
Utraque subducto fugiebat tessera fundo.

Nam fundum, fulcrum & solum ipsum lusoriæ tabulæ appellat, alludens scilicet ad pœnam qua filiæ Danai apud inferos exercentur: de quibus illud in vulgus adactum est, ἄπλητος πύθος Δαναΐδων. *Inexplebile dolium Danaidum*, quod quantum aquæ infunderetur, tantumdem subducto fundo efflueret. Et ne quis forte argutari possit, quasi tesseræ etiam in turriculam jacerentur, protinus addit:

—— Digitosque per ipsos
Fallax assiduo delabitur alea furto.

ut jam nemo possit veritati fucum facere. Sed enim & Suetonius alveolum nuncupatim appellat in *Vita Claudii* c. XXXIII. *Alea*, inquit, *studiosissime lusit. De cujus arte librum quoque emisit, solitus etiam in gestatorio ludere: ita essedo alveoloque adaptatis, ne lusus confunderetur.* Sic & illud Juven. enarrandum, *Sat.* XIV.

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Tesserarius lusus hodie frequens, & prope quotidianus apud nostrates, sed tesseras seu cubos vulgaris simplicitas *datos* appellat, non adeo fortasse barbara aut absurda nuncupatione. Nam & Quintilianus *datum* pro jactu sine motu tabellarum videtur accepisse in XI. *Institutionum*: *Quo dato*, inquit, *errasset recordatus, rediit ad eum qui cum luserat.* Sed & Veteres *datatim* ludere usurpabant: hoc est, vicissim & alternatim jacientes. Plautus in *Curculione*, Act. II. Sc. III.

Tum isti qui ludunt servi scurrarum datatim in vita.

Pomponius,

Quom datatim in lecto tecum lusi.

Illud non prætermiserim, cubum apud Græcos perpetuo corripi: quom apud Ausonium & Latinos adscita quinta Græcorum vocali, & coalescente diphthongo, producatur. Significabantur autem numeri in tesseris punctis vel lineis: eratque imprimis μονάς: quæ nunc ὄνος id est, *asinus*, nunc cubus absolute dicebatur: ut ex proverbio superius enarrato abunde cognitum est: ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι. Erat & in tesseris jactus qui Μίδας nuncupabatur, commodus admodum jacientibus: ex quo adagium illud effluxit;

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβουλότατος.
Midas qui in tesseris consultor optimus.

Etsi magis probem syllabæ gratia εὐβολώτατος legi: ut intelligas facilem, ut qui lubrice provolvatur. Midam enim a felicitate Midæ regis appellatum arbitror: qui mortalium ditissimus antiquorum monumentis traditus est. Sicut & Jovis tesseræ in proverbium abierunt, de iis qui autoritate pollent, quibusque omnia feliciter procedunt.

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι,
Feliciter semper cadunt Jovis cubi.

Quom Justinianus edicto suo ludum aleæ interdixit, puto cuborum, seu tesserarum ludum interdixisse; cujus loco V. alios ludos introduxit, in quibus puto minus locum fraudi fore existimavit: eorum nomina ita luxata ac deformata sunt, ut neque Romana, neque transmarina ulla in iis facies agnoscatur. Nam quid tibi *comonovolon, comodaumolo, regindala, cempon, reipusara*, significaverint voces omnino doctis ignotæ? etsi nonnulla in iis bene nata ingenia elaboraverint, sed (quantum video) parum feliciter. Nam pro *comonovolon* κοροκόβολον, id est, *pilæ jactum*: pro *comodaumolo*, κῶμον δίυλον, id est, *lusum cursorium*: pro *regindulia, basilinda*, id est, *reginam*, de quo Pollux meminit: pro *cempon*, *catampon*, de quo Festus, vel cestum: pro *reipusara* ῥίπτειν ληστῆρας, *a decursu latrunculorum* seu *calculorum* substituerunt: quom tamen ego nullum ex iis ludis in usu fuisse ante Justinianum suspicer, neque ad gymnasticam pertinere censeam. Sunt tamen codices in quibus hæc nomina aliter legantur. *comolen* scilicet, *idolomenon*, *rhindalcha*, *cyron*, *ecpyrusam*. quæ licet obscura, aliquanto tamen propius ad literaturæ indolem accedunt. Nam & *comole* a como seu lascivia & luxu dicta videri potest. *Idolomenon* ab effictis imaginibus *rhindalcha* a distortis naribus, forte quasi *rhinochalca*: ut sit ludus cottabo similis, cui icunculæ duæ subjiciebantur: sicut & *cyron* a gibboso habitu corporis. *Ecpyrusa* vero, in qua de pecuniæ summa agitur: ut quid proterviæ simillimum agnoscatur. Nam & hodie ludus extat matronis ferme nostris peculiaris, cui ambustæ nomen faciunt. Et hæc licet mihi parum satisfaciant: iis tamen tantisper contenti erimus, dum meliora offerantur. Sed & in iis ludis Justinianus aureum præscripsit: extra quem jactura fieri non posset, etiam ab eo qui multum divitiis polleat. Aureus vero, si ad nostram æstimationem referatur, sestertium unum habet: id est, numos sestertios mille, quæ summa aureos nostrates quinque & viginti complectitur. Illud postremo non omiserim, quod scriptum est apud Artemidorum Ephesium, sive ut ipse mavult Daldianum, libro ὀνειροκριτικῶν, id est, *de Somniorum conjecturis*, tertio. Græce ille quidem, sed ad hanc prope sententiam. *Si quis sibi per quietem videatur ludere tesseris: id significat adversus quempiam, qui cum de argento agatur, victoriam in voto fore. Nam tesseræ numerum includunt, & calculi dicuntur, quibus tesseras exercentes ludunt. Atqui vincere semper auspicatum est. Quod si quis æger se ludere calculis aut alium ludentem videre suspicetur, præcipue autem si ipse sibi ludere videatur: dolebit. quod si tesseræ ipsæ videantur: seditiones & simultates prænuntiant. Amissæ autem paratas jam seditiones dirimunt: auctæ intendunt. puerum vero ludentem videre tesseris vel astragalis vel calculis, non omnino inauspicatum. Nam peculiaris est pueris lusus. viro autem jam adulto & mulieri malum portendit, si ludere talis videatur, ni forte qui somnium viderit, sperat se alicunde hæreditatem assecuturum. ex functis enim corporibus tali fiunt. Sic ergo cæteris periculum, ipsi utilitas, denunciatur.*

C A P. III.

DE CALCULIS.

Calculorum ludum jure tertio loco adscripserim. post talos enim & tesseras non alium video in consuetudine antiquitatis frequentiorem, utpote quo omnis ætas atque ordo uteretur. Id quod in orationis excursu facile constabit: ne sit opus sæpius eadem revocare in disquisitionem; & quæ partibus digerenda sunt, in acervum commisceantur. Calculos fuisse lapillos ab initio, quales in ora per lusum sæpe legimus: & quos *spolia Oceani* Claudius Cæsar vocavit, quom parata expeditione milites jussit galeas conchis & hoc genus lapillis implere, hac ratione de Oceano triumphaturus, nomen ipsum ostendit. Certe & Græci ψήφους vocabant: quibus etiam numeros explicabant, ut ex Aristotele in primo *Elenchorum* cognoscitur: & suffragia ferebant. unde vox frequens vel Ciceroni ψήφισμα, pro decreto Senatus. Sed & a forma (ut reor) turbinata πέσσους, dictos invenio. unde medici pessulos vocaverunt, qui ad certa remedia locis mulieribus subjicerentur: ea scilicet specie qua Galenus indicavit τὰ μοτὰ, id est *linamenta*, quæ πεσσαπισκωτοὺς appellari prodidit. A Theocrito λίθους appellatos existimo in *Bucoliastis*, quom dixit: καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον. Mutianus simias etiam latrunculis lusisse fictis cera prodidit. autor Plinius. Quin & latronum & canum nomine celebratos agnosco. Erant scilicet in abaco, quem & πλίνθιον vocaverunt, ceu tu *laterculum* dixeris, regiones, lineis distinctæ: has urbes nuncupabant: unde & in proverbium Græcis abiit: *Urbes ludere*, πόλεις παίζειν. quom res tenues magnis nominibus exaugemus, & (ut ajunt) ollas exornamus. Erant hæ regiones plerunque quinque lineolis transversariisque & decussationibus alternatim dimensæ, quinque & viginti numero: singulis latrones quinque insidebant, præter mediam: cui tantum quatuor tribuebantur. excubabant itaque utrinque latrones, seu canes mavis dicere, coloribus distincti, hostili animo insidiantes. Ea fuit ludi ratio; ut si unus ex hostili agmine incomitatus deprehenderetur, ita ut circumveniri posset: captivus ex acie traheretur. Ab eo linearum numero Sophocles videtur πέσσα πεντέγραμμα, id est, *pessa quinque lineis distincta* vocitasse: ex quibus quæ media fuit, sacra dicebatur: a qua movere calculum religio fuit, ni magna & inevitabilis quædam urgeret necessitas. Hinc proverbium oriundum est: κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς, *hunc moveo a sacra*, ut lineam subintelligas: quom extra præsidia implorantur. Plutarchus in libello *An gerenda sit seni respublica*, τελευταίαν ὥσπερ τὴν ἀφ' ἱερᾶς ἐπάγουσιν ἡμῖν τὸ γῆρας. *Postremam nobis tanquam a sacra linea senectam causantur*. hoc est, ceu causam gravissimam afferunt. Plato in quinto *Legum*, καθάπερ πεττῶν ἀφ' ἱερῶ. *Tanquam a sacro calculo*. De calculis meminerunt receptissimi scriptorum. Martialis, *lib.* XIV. *epigr.* XX.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Quæ paulum videntur immutata ex illo Ovidii carmine in altero libro *de Arte*:

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Quo tamen loco malim *victo* quam *vitreo* legere, ut intelligas ita puellæ amasiæ obsecundandum esse, ut parta in eam victoria transferatur: scitumque illud apud Veteres repetatur de Osculana pugna, in qua victi vincunt. hoc est enim quod alibi monuerat:

Tu male jactato: tu bene jacta dato.

Nec tamen me præterit, gemmeos, quin & vitreos a Martiale calculos appellari, *l.* VII. *epigr.* LXXI.

Sic vincas Noviumque Publiumque
A *Mandris & vitreo latrone clusos.*

Mandras enim dictas puto, quas regiones Pollux vocat & Eustathius: sed ad rem de qua agit Ovidius, convenit magis ut *victo* legatur. Quom vero distincti forent suis coloribus calculi, & ex iis ille deperiret qui inter duos deprehensus facile conveniri posset, hinc ab eodem Martiale dictum putamus, *lib.* XIV. *epigr.* XVII.

Discolor hic gemino victus ab hoste perit.

Memoriæ vero proditum est, Pyrrhum Epirotarum regem, solertissimum strategematum autorem primum omnium ostendisse, quomodo ars & disciplina militaris per calculos in tabula traderetur. Hinc
B est ut ludum calculorum eundem esse cum eo, quem nunc vulgo scaporum ab elegantia cujuscumque segmenti, plerique sentiant. In hoc enim & imperatores sunt, & imperatorum laterones & equites & turriti elephantes præcedente peditum agmine. Sed ut diversa sentiam facit, quod Veterum nemo hunc ita effingit, ut ejus exemplum ullum agnoscatur. Quippe huic quatuor & LX. regiones sunt novem lineis inclusæ. sexdecim autem scapi utrinque militant. Quæ omnia in calculis diversa sunt. nam & lineæ quinque XVI. quadris, seu regiones vel urbes malis appellare, implentur. At in ludo
C calculario XII. ad summum manipulones, in duas decurias & præstites duos laterales centuriati, totam militiam exercent, in quibus tamen disciplinam explicandæ aciei possis agnoscere. Siquidem in fronte jugati sunt ordines per quinarium numerum: altitudo autem triplici acie instructa est, ut cubitos occupet XII. Expedito enim & ordinato militi cubita quatuor tribuuntur: quom vero sarissa cubita XIIII. protendatur, ita ut extremi ordinis vel (si lubet sic dixisse) triarii sarissa non sit inutilis, quæ cubitis duobus infesta in hostem exporrigatur. hæc est imago illa militiæ quam calculis expressam voluere. alioqui ei qui suo loco excessisset,
D sisset, præsto fuit pœna, ut circumventus in manus hostium perveniret: quod quom facile fiat, si latera agminis enudentur, ob id constitutum accepimus, ne quis de sacra linea, id est, media decedat, cui laterales præstites præfecti sunt, ea enim prodita tum cætera acies incursionibus hostium facile patet. Jure igitur præco inclamat: ἀφ' ἱερᾶς ψῆφον μὴ κινεῖ. Ab eadem ratione militari deductum est, ut miles qui castra hostium penetrarit, & in arces evaserit, quasi murali corona donatus, virtutis ergo late impune pervagetur: nec nisi ter circumventus succubuisse judicetur. Sic apud Mas-
E silienses semel libertate donatus, non nisi ter ingrati animi convictus in servitutem relabebatur. Illud præterea hostimentum in utroque agmine servabatur: ut quasi collatis signis vir viro implexus confligeret: & quorum altera parte cornu pelleretur, altera hostem urgeret: ut ita in tota concertatione commutato victoriæ ordine paria fierent. Quæ omnia in scaporum certamine longe aliter observantur: & operosius dicenda forent, si quis modo id sui fecisset instituti: ceu Vida meus vir unus ad poëticam natus & doctorum judicio elegantissimus, id luculento admodum carmine olim fecit. Nam in scaporum procinctu omnia nescio quomodo Mar-
F tium quiddam magis sonant, & impensiore ratione exornata sunt. Siquidem, ut cætera prætermittam, & pugnatorum numerus in ipsa usque elementa sectilis est: ad jugandum & versandum aciem aptior, & disponenda præsidia accommodatior: utpote qui sit δυναμοδύναμος, id est, a quadrato quadratus: cujus linea ambiens cum interiore spatio sit æqualis, & mox in cubum excrescens, campi in quo pugna conseritur regiones emetiatur. Quæ omnia Plato, & post Platonem qui τακτικὰ scripsere, divinitus sunt prosecuti. Non est igitur quod quisquam miretur eos fer-

me omnes qui de calculis mentionem intulere, de prœliis, & pugnis mentionem habuisse: quod jam multis testimoniis confessum est, & illud Ovidianum e tertio *Artis* planum facit:

Cautaque non stulte latronum prælia ludat:
Unus cum gemino calculus hoste perit.

Cæterum XII. fuisse calculos antiquis consuetos tum ex aliis, tum ex illo Ciceronis agnoscas in primo *De Oratore*: *Licet ista ratione dicamus pila bene & XX. scrupis ludere proprium esse juris civilis: quoniam utrumque eorum Publius Mutius optime fecerit*. Qui locus impudenter nimis ab enarratore corruptus est: qui pro *scrupis*, *scriptis* substituit, & ad XII. tabulas referendum putavit. Sed & Ciceronem commode intelliget, & in nostram sententiam facile ibit, qui verba Quintiliani ex lib. XI. *Institut.* cap. *de memoria*, annotaverit. ea sunt: *At vero Scævola in lusu XII. scruporum quom prior calculum promovisse, & esset que victus: dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus rediit ad eum qui cum luserat: isque ita factum esse confessus est*. Ex quo illud obiter intelligas, viros clarissimos calculis etiam aliquando operam dedisse. Quin & fœminarum lectissimas hoc egisse, indicat illud ex Plinii Cæcilii *Epistolis*. Quadratillam nobilem fœminam prope quadragenariam animum laxasse pantomimis & calculorum lusu: sed quom factura esset alterutrum, semper nepoti suo præcepisse, abiret, studeretque: quod non amore ejus magis facere quam reverentia videbatur. Sed & proci apud Homerum ante fores se calculis oblectabant: non more Diodori Megalopolitæ aut Theoxeni ludum calculorum edocti, neque secundum Leonis Mitylenæi Athenis oriundi institutum, qui unus omnium eo in ludo invictus habebatur: ut testatur Phanias. Cæterum Apion Alexandrinus se audivisse profitetur a Ctesone Ithacensi, qualis ea foret procorum ars in ludendo. Quom enim illi essent centum & octo, totidem etiam calculos instruebant adversos invicem, pari utrinque numero, quatuor videlicet & quinquaginta: in quorum medio parvum reliquisse vacuum, & in hoc calculum unum statuisse, cui nomen fecerunt Penelopen. Hunc pro scopo habuisse, in quem alterum calculum dirigerent. ea res forte agebatur. Qui forte potior fuerat: in eam, oculo pariter & conjectura utebatur. Quod si Penelopen prorsum excussisset, in excussæ ac provolutæ loco suum ipsius calculum ponere mos fuit, in quem rursus stantem illum Penelopen jaculabatur. Tum si vicarium illum calculum ita attigisset, ut nullum præterea attingeret, penes eum stetisse victoriam: & multam spem concepisse, Penelopen sibi aliquando in uxorem cessuram. Eurimachum vero unum ex omnibus procis hujusce ludi gratia persæpe in magnam spem venisse, quasi nuptiæ Penolopes sibi certo deberentur. Hæc Athenæus. Cybium concisa in tessellas pelamis, quam Theodorus lutariam interpretatur, sic dicta, si Festo credis, a cuborum similitudine: qui cum æque in omnes partes pateant, ad lusum accommodati sunt. Ita etiam piscantes hoc genus piscis, veluti aleam ludant. A cybiis quæ ipse sua manu familiæ partiebatur, Cybiotactes rex Syriæ fordidissimum cognomen invenit. Quæ a nobis in medium allata sunt, planum facere possunt, quid sibi velit Ovidianum illud.

Est genus in totidem tenui ratione redactum
Spicula, quot menses lubricus annus habet:

Nam spicula pro ipsis speculatoribus, quos σαριστοφόρους vocant, accipiendum puto: ut sit Metonymia militaris. At hic qui apud Veteres olim multum videtur æstimationis habuisse, vel qui huic proximus est, ad posteritatem quidem pervenit, sed ad populares & mediastinos tantum relegatus: sicuti & is, de quo eundem poetam meminisse animadvertimus.

Parva tabella capit ternos utrinque lapillos:
In quo vicisse est, continuasse suos.

Nos quoque in quodam Saturnalitio carmine aliquot hujusce generis ludos olim per ocium sumus prosecuti:

Mox numeris distincta, duplex mihi tessera pugnet:
Quo certam sedem senio certus habet.
Et quo sub prima potior locat agmina fronte,
Damnoso possit quo locus esse cani.
Ad citimosque gradus resilit percussus ab hoste,
Mox repetit pugnam; tectaque nota subit.
Denique certatim se impellit quisque: priorque
Qui poterit studio cedere, victor erit.
Quod si tecum iterum duplici pugnavero telo,
Subsultet semper bis mihi summa minor.
Quod si diversis figas tentoria campis:
Et mox quæ dederit sors loca, quisque petat:
Victor erit quisquis geminos insiderit antes,
Aut perturbarit signa inimica prior.
Sors gemino resonat jactu, ter quinque tabellis:
Dum properat miles, ter labor ecce subit.
Scandit enim resilitque & mox fugit, omnia raptim
Præstabit primus qui dare terga potest.
Ter geminus facili jactu mihi cubus anhelet:
In quo vicisse est, exuperasse decem.
Alveolus triplici sonat agmine: concipe vota.
Nam nisi divines, tu tibi verba dabis.
At mihi Pulydamas duodenos digerat orbes:
Si vacat: ut liceat transiliisse super.
Tres adime: & serie totidem jungantur eadem:
Unus ab hostili protinus arce cadet.
Par nisi præsidio series. tum porrige gramen
Si quis inaccessas itque reditque vias.
Bis septena impar tessella cohæreat apte:
Hic ubi quadratis juncta triquetra vides.
Ex tam diversis facies tamen una subibit:
Si taurus fiat vel calydonis aper.

Postremum tamen hunc ludum quem inter calculos reponendum indicavimus, Ausonius *ostomachii* nomine prodidit appellatum ab antiquis: & his verbis commode enarravit: *Officula in eo sunt ad summam* XIIII. *figuras geometricas habentia: sunt enim æquilatera vel triquetra, extentis lineis aut rectis angulis vel obliquis. Isosceles ipsi vel isopleura vocant, orthogonia quoque & scalena. Harum verticularum variis coagmentis simulantur species mille formarum: elephantus belua, aut aper bestia. Anser volans & mirmillo in armis subsidens, venator & latrans canis: quin & turris & cantharus, & alia hujusmodi innumerabilium figurarum; quæ alius alie scientius variegat. Sed peritorum concinnatio miraculum est, imperitorum junctura ridiculum*. Hæc Ausonius.

F I N I S.





